Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

13.4.14. 43 43
D C
14 8

Ex Legato Ill.mi D. Coccinij

Digitized by Google



FRATRIS PETRI DE CABRERA

CORDVBENSIS SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRI, EX ORDINE DIVI HIERONYMI, IN TERTIAM PARTEM SANCTI THOMÆ COMMENTARIORVM ET DISPVTATIONVM,

TOMVS PRIMVS

Ad Philippum tertium Hispaniarum regem Catholicum.

ANNO 1602

SPIRITV SAPIENTIÆ IMPLEVIT HIERONYMVM DOMINVS

AQVA SAPIENTIÆ SALVTARIS POTAVIT THOMAM DOMINVS

IN HOC SIGNO VINCITVR.

CVM PRIVILEGIO REGIS CATHOLICI.
CORDVBÆ, APVD SANCTVM HIERONYMVM.
PER ANDREAM BARRERA.

Digitized by Google

SVMMA DEL PRIVILEGIO.

STE LIBRO DEL PADRE MAESTRO *Fray Pedro de Cabrera de la Ordẽ de Sanct Hieronymo ſobre la Tercera Parte de Sancto Thomas, tiene Priuilegio de ſu Mageſtad para que por tiempo de diez años, nadie lo pueda imprimir ni vender ſin licencia de ſu Author, como mas largamente ſe contiene enel original, que fue dado en S. Miguel, en veynte y vno de Febrero del año de mil y ſeyſciẽtos y vno. Secretario Don Luys de Salazar.*

Digitized by Google

CENSVRA SAPIENTISSIMI PATRIS FRATRIS *Martini de Toledo, Hieronymiani, Sacræ Theologiæ Magistri, ac professoris Primarij in Regio Diui Laurentij Collegio.*



VSSV Reuerendi admodum Patris, Fr. Ioannis de Yepes, Prioris generalis Ordinis nostri Sancti Hieronymi, hoc præclarum opus, & ijs temporibus, in quibus turbulentia opinionum inutiliũ superabundat, valdè vtile; opus inquam, Commẽtariorum, & Disputationum in Tertiam Partem Sancti Thomæ, quod Doctissimus Pater Fr. Petrus de Cabrera veraci, exacta, & copiosa eruditione refertum edidit accurissimè, ea, qua potui, cura ac diligentia legi, ac mecum considerauі. Et præterquàm quòd non solùm nihil in eo repererim, quod veræ, & Catholicæ fidei repugnet, sed neque erroris alicuius suspitionẽ redoleat, etiam si suspicandi licentia detur: in tribus maximè suũ authorem eminere demonstrat. Primò quidem, quoniam is exactè, & sincero amore veritatis, collatis hinc inde opinionibus & argumentis veterum & recentiorum, veritatem miro & constanti ordine exprimit; atque resoluit. Et siquando aliorum rationibus vtitur, non tamẽ nisi priùs suo iudicio limatis: & tandem veteribus semper noua super addit. Vltimò verò, quia antiquum sensum D. Thomæ (cuius interpretem serium, & in nullo simulatum agit) & eius sanam, tutamq; Doctrinam exactissimè, & appositissimè exponit, prudenter & firmiter tenet, atque ex integro, & non ex parte (vt fieri solet) singulari cõsequutione tuetur. Qua propter non solùm Thomistarum Scholæ, sed & omnibus de Physicis, & Methaphysicis disciplinis, & Theologicis Disputationibus benemeritis, & bonarum literarum studiosis censeo fore perutile, dignissimumq; vt typis mandetur. Dat. in hoc regali & insigni Collegio Diui Laurentij, Anno Domini 1600. Kalendis Octobris.

Frater Martinus de Toledo
Primarius Theologiæ Lector.

FACVLTAS REVERENDI ADMODVM PATRIS

Fratris Ioannis de Yepes Prioris generalis Authori concessa.

RATER Ioannes de Yepes Prior Monasterij Sancti Bartholomæi Regij apud Lupianam, necnon moderator generalis Ordinis Sancti Hieronymi, visa ac diligenter à nobis considerata Censura Patris Fratris Martini à Toleto Sacræ Theologiæ apud Regium & præclarum Collegium Sancti Laurentij professoris in Commentaria Tertiæ Partis Sancti Thomæ à Patre Fratre Petro de Cabrera nuper edita, quantùm ad nos attinet, & ex officio nostro possumus, plenam facultatem damus, vt prædicta Commentaria feliciter imprimantur. Dat. in hoc nostro Regio Cœnobio Sancti Bartholomæi Regij decimo Kalendas Decembris Anno à Natiuitate Domini milesimo sexcentesimo.

Frater Ioannes de Yepes Prior generalis.

De mandato eiusdem P. nostri Generalis.
Frater Franciscus de la Trinidad.
à Secretis.

§ ij Censura

Digitized by Google

CENSVRA SAPIENTISSIMI PATRIS, FRATRIS PETRI DE OÑA IN ſacra Theologia Magiſtri, inſtituti Beatæ Mariæ de Mercede.

OMMENTARIA Præclariſsima, quæ Doctiſsimus Pater Magiſter, Fr. Petrus de Cabrera Ordinis Diui Hieronymi, in Tertiam Partem Angelici Doctoris, Sancti Thomæ Aquinatis, ſummo ingenio & rara eruditione compoſuit, de mandato Regij Senatus, ſedula, qua potui, euolui, diligentia. In quibus quidem contenta omnia, præterquam quod fidei Catholicæ conſonant, & almæ Matris Eccleſiæ Sanctionibus, & Sanctorum Patrum dictis minime repugnant, nec bonis moribus diſſonant; eruditiſsime ab authore diſſeruntur, & accuratiſsime ſententiarum vbertate ac pondere, Inſigniq; reſolutione perluſtrantur. Tanta inſuper dexteritate Author de Theſauro ſuo noua & vetera proferens pro Sanctiſsimo præceptore digladiatur, ac dimicat, ipſumq; à calumnijs, & impugnationibus aduerſariorum illius, tam veterum quàm recentiorum vindicat, & tuetur, vt idem Aquinas ſe fideliſsimum interpretem, diligentiſsimumq; in eruendis genuinis eius ſenſibus inquiſitorem, & tandem accerrimum ſuæ propugnatorem Doctrinæ inuenisse, gloriari meritò queat. Firmiſsimis enim argumentis, efficaciſsimiſq; rationibus ex ipſa Theologia depromptis contrariorum placita, ac dogmata confutat, igneaq; eorundem tela ſcuto Thomiſticæ veritatis extinguit, atque retundit. Nihil deniq; ad materiam Incarnationis Diuini Verbi, & Sacramentorum ſpectans deſiderari poterit, quod ab authore in ſuis Commẽtarijs adamuſsim & conſequenter non explanetur. Quare opus digniſsimum cenſeo, quod non ſolùm pro communi ſcholæ vtilitate in lucem fœliciter prodeat, typiſque quàmcitiſsimè mandetur, verùmetiam quod omnium oculis ac manibus continuè verſetur. Dat. Madriti in hoc noſtro Dei paræ Virginis de Mercede Cœnobio nono Kalendas Februarij, Anni Domini mileſsimi, ſexcenteſsimi primi.

Frater Petrus de Oña
Doctor Theologus.

Digitized by Google

MAGNO PHILIPPO TERTIO HISPANIARVM

REGI CATHOLICO FRATER PETRVS DE Cabrera Hieronymianus, ac Sacræ Theologiæ professor salutem plurimam in Christo Iesu, perpetuamq; fœlicitatem exoptat.

PERANTIQVA Ac vetus inualuit consuetudo (Rex Augustissimè) cunctis scriptoribus, & priscis & Neothericis recepta, vt nullam suæ authoritatis (etiã siqua pollerent) rationem habentes, illis viris sua opera consecrarent, quorum nomine valorem susciperẽt & sub eorum patrocinio ac tutela à modestis & pijs reciperentur, & à quorumcumq; obtrectatorũ morsibus munita essent, atq; defensa. Cùm ego superioribus annis quosdam in Summã Theologiæ Angelici Doctoris Sancti Thomæ Aquinatis Commentarios cõcinnassem, pro communiq; Fratrum mei ordinis vtilitate compegissem, multi à me instanter quęsiere, quis mihi Patronus, & quasi Mæcenas esset præstituendus, cuius fauore opus in lucem prodiret, & publicum iudicium non formidaret. At cùm omnibus perspicuum sit, quantum officij Hieronymianus ordo sustineat, & parenti tuo Regi Catholico, ac tibi tantum debeat, quantum persoluere impossibile est: æquissimum esse iudicabitur, vt quem primum Laurentinum Collegium (in quo primò collega, mox Artium, deinde Theologiæ, & tandem Scripturæ Sacrę lector exstiti) seueriorum literarum protulisset fructum, tuæ maiestati dicaret, ac veluti acceptum referret, vt eo saltem officij genere singularem suam in te obseruantiam, incredibilemq; grati animi voluntatem, si non referendi, saltem prædicandi gratia declararet. Mihi etiam videbatur indignum, vt laborum meorum primitię alieno titulo, nisi tua eximia authoritate apud homines fulcirentur. Eam ob causam amplissimè Rex hosce primos ingenij mei fœtus tibi consecrare constitui: necnon vt tui nominis amplitudine & authoritate munitus omnes reprehensorum impetus faciliùs arcerem. Longo enim didici experimento, quantum mihi semper fuerit negocij cum inuidis & maleuolis, qui omnia insectantur & vellicant, cani-

noq; dente rodunt, & cum ambitiosis Tyrannis, atque filijs huius seculi, qui Sathanico quodam, rabidoq; tetri liuoris, & odij spiritu perciti, in viros religione, virtute, sapientia, ac nobilitate præstantes ita dæseuiunt, vt eos perdere & dedecorare conentur, & ad internetionē vsque persequantur. A te igitur serenissimè Rex humiliter exposco, vt id, quodcumq; est muneris, tuo nomini dicatum, benigno fauore suscipias, affectum potiùs, quàm ipsam rem pensans. Scio, quàm sit pro tua amplissima maiestate exiguum. Sed qui magna præstare, & in rebus maioribus vsui esse non possunt, parua negligere, aut in leuioribus muneribus, apud eos, quos præcipuè obseruant, collocandis diligentiam remittere non debent: præsertim cùm in omni officij genere pluris animi voluntas, quàm muneris gratitudo sit facienda. Cùm rusticus quidam Artaxerxis Persarum Regis magnitudinem, comitatem & virtutem admiratus, ductusque amoris impulsu aliquod ei munusculum ex animo statuisset offerre; cùmq; nullæ ei essent opes, vt concepte tantùm animo beneuolentiæ argumenta exhiberet non obscura, vtraque manu haustam è profluente aquam ei obtulit dono. Admiratus talia Rex gratias & habuit, & hilari vultu illi egit, munus quidē non rei oblatæ vsu ac valore, sed studio dantis metiens. Sic Christus Dominus coniectum in Gazophilatium à paupercula quadrantē maximè commendauit, rem per se exiguam, sed libenti & grato animo oblatam voluntate æstimans offerentis, & iureiurãdo affirmans, eam plusquàm omnes dantes cõtulisse. Sic mihi euenire optauerim, vt has meas sub tuo nomine in lucem editas lucubrationes, ex bona tamen voluntate profectas pro tua singulari humanitate libenter suscipias, nostraque scripta boni æquique consulas. Quæ si sub tua protectione susceperis defendenda, licèt inuidi & maleuoli (vt solent) dẽtes acuãt, vt eis aliquid detrahant, munitum propugnaculũ prospicientes, horridi à suscepta discedent sententia. Et quidem si ea tibi non ingrata fore intellexero, ad alia multa huius generis commentanda gradum faciam: modò habeam exploratum, hoc, quidquid est, quod tibi libentissimè consecraui, non iniucundum contingat. Accipe igitur, qua soles benignitate, beneuolum Hieronymiani Ordinis animum, studium & laborem, & quod potest offerre munusculum, illique patrocinare, vt in posterum gratiora & vberiora donet ingenij, ac sui erga te studij munera & testimonia. Christus Iesus seruator noster suæ Catholicæ Ecclesiæ defendendæ & propugnandæ maiestatem tuam quàm diutissimè tueatur incolumem. Vale ex nostra Cella Cœnobica apud Sanctum Hieronymum extra muros Cordubæ.

Frater

FRATER PETRVS DE CABRERA CANDIDO Lectori salutem in Domino precatur.



VM maiorum meorum iussu & obedientia in Regio ac celeberrimo Diui Laurentij Collegio aliquot retroactis annis Sacræ Theologiæ Doctor esse cœpissem, & in ea professione plures annos tùm ibi, cùm & in alijs Ordinis monasterijs impendissem, multaq; assiduis lucubrationibus, ac continenti labore ex sacrarum literarum, Conciliorum, Patrum & Scholasticorum lectione ad plurima Theologiæ dogmata explicanda collegissem, & obseruassem: continuis quorundam amicorum precibus vrgebar, vt quæ discipulis intra priuatos ordinis parietes dictaueram, alijs communicarem, & in lucem prodire permitterem. Paraueram quidem summis laboribus, ac vigilijs quosdam in tertiam partem Sancti Thomæ Commentarios, ex quibus in lucem editis discipulos & alios magnum reportaturos emolumentum indubiè mihi affirmabant. Cogitans verò, ac mecum animo perpendens, quàm sit hac nostra ætate periculosum scribendi munus obire, quando tot ac tanti omnia adamussim perlustrent, non vt discant, sed potiùs vt carpant, & peruertant, & ad aliorum rectè scripta obiurganda excubent, & oculatissime intendant, & multoties quæ non capit Sciolus, reprehendere non vereatur: opus supprimere, atque apud me continere constitui. Continui autem duodecimum in annum aliquibus occupationibus implicatus & distentus. Interim eruditissima quædam in tertiam Partem prodiere commentaria, quæ me ab incœpto labore possent meritò liberare, & inducere, vt desisterem actum (quod aiunt) agere. Verùm cùm illa à plærisq; longissima reputentur (nisi eis illud Martialis opponere malis: Non sunt longa, quibus nihil est, quod demere possis) in multisque à vera D. Thomæ sententia dissideant, & à recto tramite deuient: ijdem amici doctrina, & eruditione præstantissimi à me iterum petiere, nescio an extorserint, vt antiqua nostra studia longo iam interuallo intermissa renocarem, & operi iam pridem incœpto manum iterum admouerem. Quibus vt morem gererem, & satisfacerem, cœpi ea, quæ in scrinijs habebam, & meis auditoribus olim tradideram, diligentiùs reuisere, cum alijsq; conferre, & examinare, atque in pluribus locupletare Quo facto opus illis legendũ & examinandum obtuli: qui illud legerũt, lustrarũt ac perlustrarũt, iterùm atq; iterũ accuratè inspexerũt, & vno codẽq; consensu sic approbarunt, vt euentum sperare quàm secundissimum liceat, nempe alijs non iniucundum fore, quod tã grauibus eorum iudicijs minimè displicuit. Hoc ergo fuit in causa, vt hanc prouintiam longe meis viribus imparem veluti coactus susciperem, & denariolum meum in Ecclesia Catholica fidelibus offerrem. Post aliorum autem labores, qui in hoc opere excolendo diligenter insudarunt, it noster susceptus labor forsam tibi, Christiane Lector, superuacaneus videbitur. Nec me latet, quàm multi futuri sint, qui hunc nostrum laborem tanquam superfluum, & planè inutilem parùm sint probaturi: & nostram industriam forsitam temeritatem appellens, quòd ea aggredi sim ausus, quæ hoc nasutissimo sæculo alij sapiẽtissimi iam tentarunt, doctrinam videlicet D. Thomæ, Theologorum Principis, & Coriphæi, tot Antithomarum veterum & recentiorum impugnationibus & calumnijs agitatam defendere ac tueri. Sed profectò superuacaneus foret in studijs longior labor, (inquit ille alter) si nihil liceret melius inuenire præteritis, infœlicisq; ingenij est, nihil posse inuentis addere. Neque desperandum est, aliquid illis, quæ dicta sunt, melius posse reperiri. Per hoc autem nolui alijs doctioribus obstare, quicumq; literis instructi fœlicius in hoc genere melius quid præstare possint, quominùs tentent, quod ego facere sum ausus. Imò & eruditiores adhortor, vt nostrum laborem, otiosum & superuacaneum reddere contendant.

Vt autem nostri instituti ratio intelligatur, primùm explicata D. Thomæ sententia, & ad sua principia reuocata, ad disputationes progredior, quæ vel ab authore propositæ sunt, vel ex eius doctrina ortũ habere videntur, vel inde sumi, & à Theologis disceptari solent. In quibus decidendis nullius addictus iuraui in verba Magistri. Vnus solus D. Thomas est mihi Magister propositus: cuius doctrinam Christus Dominus approbauit, dum oranti Thomæ ante imaginem crucifixi dixit. Bene scripsisti de me Thoma. Eandem etiam Beatissima Virgo Maria laudauit, Apostoli Petrus & Paulus commendarunt, Parisiensis Achademia miris extulit præconijs: Vrbanus Papa omnibus amplectendam proposuit; & Innocentius Summus Pontifex Thomam cum Salomone in sapientia contulit, imò prætulit, & proprietate verborum ac veritate sententiarum post Canonicas Scripturas collocandum putauit. Et meritò quidem,

quoniam

Digitized by Google

quoniam Theologiæ Scholam aperuit, & cælestia dogmata exactissimè patefecit: ideò eius ingenium omnes hæretici fugiunt: est enim turris illa Dauidica, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille Clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium ad destruendam omnem scientiam extollentem se aduersus scientiam Dei. A tanti igitur doctrina Magistri neque latum vnguem discedo, quinpotiùs cuncta illius placita in his Commentarijs pro mei ingenij tenuitate defenduntur, Catholicæq́ illius assertiones ad suos, ex quibus haustæ sunt, reducuntur fontes, ad Sacram scilicet Scripturam, Summorum Pontificum decisiones, Sacrorum Conciliorum decreta, Ecclesiasticas traditiones, Sanctorum Patrum, & Scholasticorum consensum. Quæ autem ab acutissimo Caietano subtiliter & acutè dicta sunt, animaduersioneq́ censentur digna, hic similiter explicantur, & expenduntur: id quod si minùs effecerim, ad illud tamen efficiendum sum totis viribus enixus. In magnis enim & voluisse satis est, inquit Propertius. Et quidā alius. Vt desint vires, tamen est laudanda voluntas. Alijs verò Theologis vt tanti Magistri discipulis & sectatoribus vtor, illisq́ adhæreo: quibus tantum & ego assentio, quantum & ipsi in Theologiæ negocio à Summo Theologo, & eximio Theologorum Magistro Diuo Thoma non dissentiunt. Ex varijs item ingenijs excelentissima quæque instar apiculæ flosculos colligentis libaui, mihi in exemplum proponens veteres & recentes Theologos, quos omnes diligenter euolui, fuitque mihi necessarium eos nocturna versare manu, versare diurna, vt tandem hoc nostrum absolueremus opus: & quæ in illis mihi probabiliora sunt visa, delegi, & pro mei ingenij, quod sentio, quàm sit exiguum, viribus digessi, & expoliui. Nouas verò Theologias domi denuò natas in hoc opere non adduco: tales enim nusquam didici, neque discere volo. Omnes antiquæ semper mihi sanctæ fuerunt, ac venerandæ, nouæ suspectæ & fugiendæ. Innouatione rerum periculosius nihil vnquam exstitit, quod innumeræ Respublicæ deletæ funditus & sublatæ testantur. In difficultatibus autem enucleandis quantum insudauerim, illi dijudicent, qui perlegerint. In Theologis legendis & perlustrandis quantū elaborauerim, quisque mediocriter eruditus facilè cognoscet. Quòd si in disputando subtilitatem, in exponendo profunditatem, in confutando victoriam nō fuerim assecutus, id tamen præstiti diligenter, quod potui. Nullus enim author adeò magnus est, qui alicubi nō labatur, & bonus quandoq́ dormitat Homerus. Te igitur candide Lector rogatum velim, vt omni passione semota de his nostris Commentarijs iudicium feras. Si aliquid non rectè dictum repereris, mihi tribuito, & benignè corrige. Si verò aliquid boni, Deo optimo maximo, à quo omne datum optimum est, nō meo labori & industriæ. Integros Commentarios in Tertiam Partem breui cū Dei adiutorio editurum polliceor, modò intelligam nostram diligentiam non iniocundam tibi, neque infructuosam esse. Omnia loca Sacræ Scripturæ, quæ obiter tantùm inter explicandas quæstiones attinguntur, in indicem non congeruntur, sed ea dūtaxat, quæ ex professo, & peculiari quadam ratione explicantur. Errata similiter Chalcographiæ accuratè & diligenter emendantur. Et licèt sint nonnulla, quæ ad scriptionem & dictionem attineant, paucissima tamen sunt, quæ ad sententiā. Et quia modò adesse videmus tempora periculosa, quæ Paulus futura prædixit, & hæreticorum caliditas ac praua diligentia ita se per omnes scripturas insinuat, vt nihil tutum relinquat, meritòq́ sub omni lapide Scorpius latere timeatur: vt filius Ecclesiæ Catholicæ protestor, longè esse à meo instituto alienum, aliquid affirmare aut docere, quod Sacrosanctæ Fidei Sanctionibus, aut Ecclesiæ Orthoxæ decretis sit quoquo modo repugnans, & Patribus Ecclesiæ proceribus non probatum. Quòd si aliquid huiusmodi in nostris scriptis fuerit deprehēsum (quod absit) id pro non dicto haberi volo, paratusque sum libenti animo reuocare, & eius canere palinodiam. Illud etiam duntaxat amplector, quod Catholica Ecclesia tenet, ac sentit: cuius censuræ, & cuiusuis meliùs sentientis iudicio omnes meos labores humiliter submitto. Vale & pro me Dominum deprecare.

INDEX DISPVTATIONVM

ET DVBIORVM QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTUR, super Quæstiones & Articulos D. Thomæ à prima quæstione vsque ad nonam inclusiuè.

PROLOGOMENA OPERIS.

QVÆSTIO. I.

De conuenientia Incarnationis, in sex articulos diuisa.

1. ARTICVLVS. I.

Vtrùm cõueniens fuerit Deum incarnari. Pag. 8.

2. ARTICVLVS. II.

Vtrùm necessarium fuerit ad reparationem generis humani Verbũ Dei incarnari. Pag. 62.

§ Disputatio

Digitized by Google

3 ARTICVLVS. III.

Vtrùm si homo nõ peccasset, Deus Incarnatus fuisset. Pag. 231.

4. ARTICVLVS. IIII.

Vtrum principaliùs Christi Incarnatio facta fuerit ad tollẽdum peccatum originale, quàm actuale. Pag. 333.

5. ARTICVLVS. V.

Vtrùm fuerit conueniens Deum Incarnari ab initio mundi. Pag. 339.

6. ARTICVLVS. VI.

Vtrum Incarnatio differri debuerit vsque ad finem mundi. Pag. 340.

QVÆSTIO. II.

De modo vnionis Verbi Incarnati, in duodecim articulos diuisa.

7. ARTICVLVS. I.

Vtrum vnio verbi Incarnati sit facta in natura. Pag. 342.

Dubium.

Digitized by Google

Digitized by Google

Disputatio

Articulus.

Digitized by Google

FINIS.

Digitized by Google

TERTIA PARS DIVI THOMAE, ANGELICI DOCTORIS, COMMENTARIIS, ET disputationibus illustrata. Authore fratre Petro de Cabrera, Cordubensi, Sacræ Theologiæ Magistro, ex Ordine Diui Hieronymi.

Bibl. Secr.

PROLEGOMENA OPERIS.

ETVS consuetudo est omniũ eorum, qui D. Thomæ doctrinam enarrare aggrediũtur, initiò quædam præfari, quæ ad planiorem, & exactiorem doctrinæ explicandæ intelligẽtiam, magis accommodata videntur. Sic etiam quędam nobis, quasi loco præfationis præmittenda sunt, quæ cæteris intelligẽdis multum afferent lucis, nè temerè alioqui maiestatem scrutari videamur, & ideò iure, ac meritò opprimamur à
1 gloria. Primum igitur explicandum est, quodnam sit huius tertiæ partis subiectum, & materia circa quam versatur. Secundum, quæ sit huius ad reliquas D. Thomæ partes habitudo, & ordo. Tertium, huius libri partitio, & diuisio, & quæ eius dignitas, vtilitas, & difficultas. Quartum verò, qua methodo, & via in huiusmodi mysteriis explicandis procedendum sit. Sed primùm omnium obseruare oportet, cùm Theologiæ obiectum sit ipse summus, & incomprehensibilis Deus secũdùm Deitatis rationem, vt ex D. Thoma. 1. p. q. 1. art. 7. constat; Doctoris Theologi esse, exactã, quantùm fieri potest, ipsius Dei tradere cognitionẽ, non solùm quoad eius quidditatem, & essentiam, verùmetiam quatenus est rerum omnium principium, & causa efficiens, ac finalis, creaturæ præsertim eius, quæ mentis & rationis est particeps. De Deo igitur secundùm suam essentiam, & quidditatem, & de illius attributis, deq; sacrosancta, & ineffabili Personarum Trinitate, & de ipso, quatenùs est rerum omnium principium, & causa effectrix, gubernator, & prouisor vniuersalis, in prima parte disputatum est. In secunda verò de eodem disseritur, quatenùs est finis vltimus, in quem creatura rationalis per actum virtutum mirabiliter tẽdit. In tertia autem parte de ipso Deo suscipitur disputatio, in quantùm nobis Christum Iesum donauit, qui cum sacramentis ab eo institutis nostræ salutis causa esset efficiens, atq; ad vitã immortalẽ sua nos benignitate perduceret, ad illius consecutionẽ etiã in semetipso modũ cõueniẽtem per actus virtutũ ostendẽs. Hoc supposito.

Coll. Rom.

PRIMVM PROLEGOMENON.

Soc. Iesu

DE SVBIECTO HVIVS LIBRI.

2 DVBITATVR primò de subiecto huius tertiæ partis & probatur, Christum Dominum non esse eius subiectum.

Primò: quia in hac tertia parte non agitur de natura Diuina, & humana, quæ in Christo mirabili modo coniunguntur, id enim pertinet ad vniuersam Theologiam, ergo Christus non est peculiariter subiectum huius tertiæ partis. Patet consequentia, quia in quacumq; scientia, aut tractatione explicãtur ea, quæ pertinent ad subiectum. Confirmatur: quoniam nomine 3
Christi plùs significatur, quàm nomine incarnationis, quia nomine Christi Deus homo significatur, aut suppositum naturæ Diuinæ, & humanæ: at nomine incarnationis solùm exprimitur assumptio carnis, quæ est altera pars naturæ humanæ, & non integra natura, quæ anima constat, & carne: ergo si Christus est subiectum huius tertiæ partis, sequitur manifestè, nõ rectè de incarnatione inscribi.

Digitized by Google

4 Secundò. Christus est quoddam singulare & indiuiduum naturæ humanæ, ergo nequit esse subiectum huius tertiæ partis, aut alicuius scientiæ. Patet consequentia; quia de singularibus & indiuiduis nō potest esse scientia, vt frequenter docet Aristoteles, & alij philosophi.

5 Confirmatur primò: quia Christus non est quid commune omnibus in hac tertia parte consideratis; ergo non est illius subiectum. Antecedens probatur: tum, quia Christus est quoddam singulare & indiuiduum. tum etiam, quoniam inductione constat, Christum non prædicari, vt quid commune de omnibus, quæ in hac tertia parte considerantur. Consequentia verò probatur, quia vt inquit Diuus Tho. 1. p. quæst. 1. artic. 1. Sic se habet subiectum ad scientiam, sicut obiectum ad potentiam, vel habitum, obiectum autem potentiæ, vel habitus est quid commune ad omnia pertinentia ad talem potentiam, vel habitum.

6 Confirmatur secundò: quoniam verbum carnem factum esse, quod est, esse Christum, siue verbum incarnatum, est quoddam contingens: ergo neq; huius tertiæ partis, neq; alicuius considerationis scientificæ potest esse subiectum. Patet consequentia, quia de cōtingentibus non est scientia.

7 Tertiò obijcitur. Christus non est pars subiecti totius Theologiæ: ergo non est subiectum huius tertiæ partis. Consequentia patet: quia doctrina tradita in hac tertia parte est pars totius Theologiæ, & subiectum partis alicuius scientię debet esse pars subiecti scientiæ totalis: quoniam qualis est ordo inter scientias, aut tractationes, talis est inter earum obiecta. Antecedens autem probatur: quia obiectum, quo, siue ratio, sub qua, totius Theologiæ est Diuina reuelatio, & Christum non esse huius partem, satis constat: & obiectum, quod, est Deus sub ratione Deitatis, & neq; huius pars est Christus.

8 His tamen non obstantibus, conclusio D. Thomæ in prologo ad tertiam partem, talis est, Christus redemptor noster est huius tertię partis Theologiæ subiectum. Probatur duplici ratione. Prima, & potissima est, quia ad Theologum pertinet non solùm differere de fine vitæ humanæ: sed etiam de causa efficiente, & exemplari, per quam ad finem perueniri possit: sed huiusmodi causa est Christus iuxta illud. 1. Petri. 2. *Vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Et. 1. Corint. 11. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Et in Cōcilio Tridētino, Sess. 6. c. 6. & 7. definitur, Christum esse causam efficientem, & exemplarem iu. nostræ. Et constat ex sancta scriptura, Ioan. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus*. Accepit autē patiens ab efficiente. Et ad Roma. 8. *Conformes fieri imaginis filij sui: * conformari autē alicui, rationem dicit exemplarem, ergo, &c.

9 Confirmatur: quia doctrina Theologię Christianæ eò distat à philosophia morali, & lege veteri, quod illę tantùm ostendunt finem, non tamen continent in se causam efficientem, & exemplarem nostræ beatitudinis, & salutis, & idcirco proprium subiectū huius partis est Christus Dominus.

10 Secunda ratio est: quia illud est præcipuum alicuius libri, aut tractationis subiectum, cuius cognitio principaliter ibi intenditur, & ad quod cætera, quæ ibi considerantur, attributionem habent: sed cognitio Christi, aut Verbi incarnati, & suarum proprietatum est potissimùm intenta in hac tertia parte, & reliqua de quibus in ea agitur, considerantur per attributionē ad ipsum: quoniam agitur de vita, actionibus, & passionibus Christi, & de Sacramentis ab ipso institutis, quæ omnia in Christum referuntur: ergo Christus est subiectum attributionis huius tertiæ partis.

Ad primum igitur argumentum Resp. D. Thomā, cùm inquit, Christum esse subiectum huius libri, non loqui de Christo quantùm ad omnia, quæ in eo sunt, nempe, quò ad naturam diuinam, & humanam, sed solùm quantùm ad vnionem, & modum vnionis harum naturarum inter sese, & quoad ea, quę ipsam vnionē consequuntur per modum proprietatum. 11

Ad confirmationem. Resp. nomine carnis, aut incarnationis hoc loco non significari alteram partem hominis duntaxat, quæ corpus dicitur: sed totum cōpositum, siue totam humanitatem, aut hominis naturam. Solet enim in sacra Scriptura, & Patribus nomine carnis, & animæ totus homo per Synedochen significari, vt Genes. 6. *Omnis quippe caro corruperat viā suam, * idest, omnis homo. Et ad Rom. 1. *Qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem.* Et Genes. 46. *Cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt cum Iacob in AEgyptū, &c.* Inscribitur autē hoc opus de incarnatione, & Verbum dicitur incarnatum à carne, & non animatum ab anima, neq; titulus libri est de animatione, primò, vt significaretur summus Dei erga homines amor, qui adeò se exinaniuit, & abiecit; vt quod in hominis substantia est maximè vile, & abiectum, sibi hypostaticè vniuerit: etenim in homine adeò vilis; & abiecta pars reputatur caro, vt in sacris literis quasi per contemptum homo appelletur caro: vt Genes. 6. *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est.* Et Isaiæ. 40. *Omnis caro fænū.* Secundò: vt intelligatur, Deum integram hominis naturam assumpsisse; quia, vt inquit Caietanus, dubitari non potest, Deum animam etiam assumpsisse, si id, quod magis abiectum est, assumpsit, nempe, carnem. 12

Vnde constat nomen incarnationis à nōnullis grāmaticis tanquàm minùs latinum immeritò esse reiectum; quia antiqui latinitatis authores eo non fuerint vsi, & interdùm ab eo catholici abstinuerint, nè cum hæreticis concedere viderentur, Verbum diuinum solam carnem sine anima assumpsisse. Nihilominus huius nominis vsus nequit sine errore reprehendi, cùm à sacris conciliis recipiatur, vt constat ex Niceno in symbolo fidei, quod in ecclesia solemniter decantatur: & ex multis aliis conciliis, quæ postea sunt celebrata, in confessionibus fidei. Rursus sancti omnes Ecclesiæ latinæ proceres, & eloquentiæ Christianæ principes hac voce vtuntur. Sic Cyprianus lib. 2. contra Iudæos cap. 2. Lactantius lib. 4. diuinarum institutionum cap. 11. Diuus Hieronymus ad illud Marci. 1. *Non sum dignus soluere corrigiā calceamēti eius.* Diuus August. 9. de ciuitate Dei cap. 17. & Græci sæpe vtuntur voce: *Sarcosis.* Quæ eandem habet vim, & ab alia deriuatur, quæ carnem significat, vt patet ex Clemente Romano Epistola. 1. ad Iacobum fratrem Domini, 13

Domini, & ex Cyrillo libro de Incarnatione vnigeniti, & ex Damasceno. lib. 1. de Fide cap. 13. & lib. 3. cap. 4.

14 Neq; obstat, illam vocem apud veteres Latinos vsitatam minimè fuisse, quia sicut eis fuit nouum, imò & inauditũ hoc ineffabile mysteriũ: sic potuit nouum vocabulũ ipsis inauditũ excogitari, quo exprimeretur. Nam teste Cicerone lib. 3. de Finibus, nouis rebus inuentis, noua licet excogitare nomina ad eas exprimẽdas, & significandas. Sic in Concilio Nicæno institutum est hoc nomen. *Homusion.* Quod interpretatur, consubstantialis, ad explicandam consubstantialitatem Filij cum Patre, & in Ephesino excogitatum est hoc nomen. *Deipara.* Id est, mater Dei, & reiectum nomen. *Christotocon.* Et in Lateranensi sub Innocentio. III. vsurpatum est hoc nomen. *Transubstantiatio.* Ad explicandam mirabilem conuersionem, qua panis in corpus, & vinum in sanguinem Christi in Eucharistia mirabiliter conuertitur. Ita similiter Ecclesia, & Patres hanc vocem. *Incarnatio.* Excogitarunt, ad istud mysterium significandum, habito quidem respectu ad ipsam rei naturam, & ad illa verba, quibus Ioan. 1. hoc mysterium expressum est. *Verbum caro factũ est, &c.* Neq; etiam obstat periculum, quod aliqui ex Catholicis formidabant, quia hæc vox non alteram tantum partem, sed integram hominis naturam significat.

15 Ad secundùm argumentum, sapientissimi Magistri, Bartolomæus à Medina, q. 1. Introductionis ad 3. p. ad 1. & Franciscus Suarez 3. p. in præfatione commentariorum, Respondens de singularibus contingentibus non posse esse scientiam, at verò de necessariis, qualis est Deus, optimè scientiam comparari posse. Et similiter aiunt, Christum considerari in hac tertia parte sub lumine infallibili diuinæ reuelationis, & secundùm hanc rationem, veritates, quæ de ipso cognoscuntur, habere quandam necessitatem, & infallibilitatem.

16 Cæterùm hæc solutio, nisi ei aliquid addatur, non est sufficiens, quia pari ratione diceretur, haberi scientiam de omnibus singularibus actionibus, quæ in Sacra Scriptura referuntur, vt de gestis Abrahæ, & aliorum hominum, quorum vitæ, aut acta in sacris literis referuntur; quia hæc omnia sub lumine diuinæ reuelationis cognoscuntur, & ex consequenti, quatenus habent illam veritatis necessitatem, ac infallibilitatem, quam iuxtà istam solutionem habent veritates, quæ de Christo in hac tertia parte considerantur, aut explicantur: quod tamen à D. Thoma expressè negatur. 1. p. q. 1. art. 2. ad 2. Vbi ait, de gestis illorum omnium in sacra doctrina principaliter non tractari: sed eorum narrationem in vitæ exemplum introduci, & vt eorum authoritas declaretur, per quos Diuina reuelatio ad nos peruenit.

17 Potest autem hoc confirmari ratione: supposito, aliud esse cognitionem aliquam esse certam, & infallibilem: aliud verò, esse scientificam, quoniam ad primum sufficit, rationem sub qua cognoscendi esse infallibilem, quamuis res cognita sit secundùm se contingens: ad secundum verò requiritur vlteriùs, vnum per aliud tanquam per causam cognosci: vt in scientia à priori: aut tanquam per effectum, vt in scientia à posteriori, siue is ordo causæ & effectus teneat se ex parte cognoscentis, vt in nobis, qui vtimur discursu diuersis actibus constante, quorum vnus est causa alterius: aut ex parte obiecti duntaxat, vt in Angelis, qui eo non vtuntur, sed vno simplici actu cognoscunt, vnum extremũ esse causam, & alterum esse effectum. Neq; potest negari hunc ordinem causæ, & effectus ad scientificam cognitionem requiri: quia aliàs explicari non poterit, in quo iste modus cognoscendi à cognitione principiorum differat specie: & hoc in nobis est notius; qui nullam cognitionem scientificam nisi per demõstrationem habemus; quæ esse nequit nisi aut ex causa à priori, aut ex effectu à posteriori, imò & per formalem discursum. Hoc supposito fit argumentum.

Assensus, quem præbemus illarum singularium actionum narrationi, quæ fit in Sacra Scriptura, non est à causa ad effectum, neq; è conuerso ab effectu ad causam: ergo non est scientificus. Confirmatur, quia est assensus fidei, siquidem immediatè innititur Diuinæ reuelationi sine vllo discursu: ergo non est assensus scientificus ad Theologiam spectans. Quòd si quæratur, cur de illis singularibus possit fides haberi, & non scientia; Respondetur, rationẽ esse, quia ad fidẽ satis est assentiri sub lumine obscuro Diuinæ reuelationis; ad scientiam verò requiritur, vnum ex alio cognoscere tanquàm ex causa, aut tanquàm ex effectu, vel ex parte cognoscentis, vel saltem ex parte obiecti. 18

19 Secundò Respondent præfati authores, præsertim M. Suarez loco citato, Christum esse quidem singulare quoddam, & indiuiduum, sed in eo esse rationem communem incarnationis, & vnionis hypostaticæ, quæ suas habet causas, effectus, & proprietates consequentes, & secundùm hanc rationem Christum esse subiectum huius tertiæ partis.

20 Nihilominus neq; hæc solutio satisfacit: primò, quia D. Thomas in omnibus quæstionibus huius tertiæ partis agit de Christo in singulari, & in indiuiduo, & de hac indiuidua incarnatione. & præterea, quoniam eodem modo sumitur subiectum in principiis scientiæ, siue vt terminat assensum, vel habitum principiorum, & in conclusionibus, quæ ex principiis deducuntur, siue vt terminat assensum, vel habitum conclusionum; aliàs medium in altera præmissa demonstrationis, & proprietas in conclusione non dicerentur de eodem omnino subiecto: sed Christus, siue incarnatio prout pertinet ad articulos fidei, qui sunt Theologicarum conclusionum principia, & quatenùs terminat assensum fidei, sumitur in indiuiduo, & in particulari: siquidem credimus Verbum Diuinum in particulari fuisse humanitati indiuiduæ, & singulari vnitum: ergo eodem modo sumitur in conclusionibus Theologicis.

21 Ad argumentum ergo Respondetur, de singularibus non esse scientiam, sed de vniuersalibus duntaxat, tum, quia cùm sint corruptibilia, & mutabilia, non habent eam immutabilitatem, quæ ad scientiæ infallibilitatem requiritur: tum etiam, quoniam ex differentiis indiuidualibus per se, & tanquam ex radicibus non emanant proprietates, quæ de indiuiduis demonstrentur, sicut ex differentiis specificis proficiscuntur; tum denique, quia singularia non sunt per se intenta, sed ex accidenti, & in infinitum, & sine termino possunt

multiplicari; scientia autem non est nisi de conclusionibus certis, & determinatis. Huiusmodi verò rationes in præsenti locum non habent: quia Christus, vt cognoscitur sub lumine diuinæ reuelationis, sufficientem habet immutabilitatem ad scientiæ infallibilitatem, vt in priori solutione explicatum est, & ad ipsum Christum, vt est quoddam indiuiduum, & singulare, siue ad hanc vnionem hypostaticam in particulari consequuntur proprietates, & effectus de Christo demonstrabiles: vt v. g. personam Filij humanitati vnitam, esse sufficiens principium gratiæ habitualis quodammodò infinitæ, & satisfactionis de toto rigore iustitiæ, & meriti infiniti.

22 Et quamuis similes proprietates ad vnionem alterius diuinæ personæ consequi possent, vt v. g. Spiritus sancti, eum alia humanitate: non satis est, vt dicatur, nō sequi ex persona Filij in indiuiduo, vt vnita humanitati, tanquam ex principio per se: etenim cùm in Filij personalitate, quia caret omni compositione, ratio communis, aut specifica ab indiuidua non distinguatur; nihil poterit ad rationem indiuidualem præsuponi, quod sit illorum effectuum principium; sed ipsa personalitas secundùm suam indiuidualem rationem, erit eorum principium: quemadmodùm iuxta D. Thomæ sententiam, qui in Angelis specificum gradum ab indiuiduali non distinguit, neq; specificam differentiam ab indiuiduali, concedendum est, Michaelem. v. g. secundùm indiuiduam rationem esse proprietatum suæ specificæ naturæ principium; quod tamen in alijs indiuiduis affirmari non potest: nam in Petro, v. g. differentia indiuidualis supponit aliquid, quod sit sufficient proprietatum principium, nempe, naturam specificam. Neq; ipsa per se postulat aliquat proprietates, quoniam neq; constituit naturam, sed naturam iam constitutam modificat, & determinat.

23 Et tandem neq; tertia ratio locum habet, quia licet nonnulli incarnati verbi effectus in infinitum potuerint secundùm numerum multiplicari, vt actiones v. g. isti tamen ad hanc scientiam per se non pertinent, sed alij certo numero contenti. Quarè negandum non est, in hoc opere aliqua considerari, & exponi, quæ ad historiā potiùs, quam ad scientiā pertineant, cuiusmodi sunt actiones, & passiones Christi, Natiuitas, Mors, & Resurrectio ipsius, quorū tamē tractatio nō frustrà, aut à casu introducta est: sed duabus ex causis, quas partim ex D. Thoma in impugnatione primæ solutionis adduximus, nēpe, vt eorū cognitione excitemur, & ad diligēdū Deū, & ad benè operandū, & vt rationem reddere sciamus eius, quæ in nobis est, de nobis omnibus, fidei.

24 Prætereà potest etiam aliter Responderi: quòd sicut hic liber est pars Theologiæ totalis, non quidem distincta specie ab alijs partibus, sed cū eis totalem Theologiam constituens, quæ sit vna vnitate speciei specialissima: ita etiam eius subiectum est quasi pars, vel aliquid subiecti totius Theologiæ, nempe, Dei, vt rationem habet obiecti, quod in ea consideratur: quoniam Deus, vt habet rationem finis creaturæ rationalis, potest considerari, vt attingibilis per media intrinseca ipsi creaturæ, & per extrinseca: & ideò vtraq; media sunt aliquid Dei, quatenùs considerantur secundùm respectum causæ finalis: quia ratio finis per ordinem ad media explicari solet. De eo autem, quod solùm est obiectum ratione alterius, & non ratione sui, benè potest esse scientia, estò sit singulare: imò & quamuis secundùm rationem indiuiduam nullas habeat proprietates, dummodò habeat immutabilitatem, saltem ex parte rationis sub qua, quia supponit aliquid, quod sit subiectum per se, & rationē sui, habeatq; proprietates de ipso demonstrabiles. Neq; huius oppositum senserunt Aristoteles, & alij Philosophi, cùm de singularibus non esse scientiam, affirmarunt; quia intelligunt non esse scientiam tanquàm de subiecto totali, siue quod ratione sui consideretur.

Ad primam confirmationem Respondetur cum D Thoma. 1. p. q. 1. art. 7 ad 1. non requiri ad subiectum attributionis alicuius scientiæ, esse commune secundùm prædicationem ad omnia, quæ in tali scientia considerantur, sed satis esse, vt omnia aliquo modo ordinentur ad ipsum. Et ita in præsenti contingit, quia omnia, quæ in hac tertia parte considerantur, vel sunt ipse Christus, siue vnio hypostatica, aut eius proprietates, vel actiones, aut passiones, & vita, & sacramenta ab ipso instituta. Quando verò D. Thomas in corpore illius articuli obiectum scientiæ cum obiecto potentiæ comparat, non loquitur de communitate prædicationis: imò de nulla communitate, sed solùm de quadam proportione, quæ in eo posita est, quòd sicut illud assignatur obiectum potentiæ, vel habitus, ratione cuius omnia ad potentiam, vel habitum referuntur; sic etiam illud sit subiectum scientiæ, ratione eius omnia in tali scientia considerantur. 25

Ad secundam cōfirmationem patet solutio ex Responsione ad secundum argumentum principale. 26

Ad tertium Respōdetur, quòd cùm asserimus, Christum esse huius tertiæ partis subiectum, non est sermo de ratione sub qua, sed de ratione quæ, siue de materia circa quam versatur huius tertiæ partis disputatio. Neq; est necessarium, vt sicut scientia partialis est pars scientiæ totalis, sic etiam subiectum scientiæ partialis sit pars subiecti scientiæ totalis; sed satis est, consideretur, vt ad ipsum ordinatum, vt docuit D. Thomas in solutione citata, & de Christo, siue de vnione verbi cum humanitate agitur in hac parte Theologiæ in ordine ad Deum, vt ostensum est. 27

SECVNDVM PROLEGOMENON.

De ordine huius tertiæ partis.

1 EX HIS, quæ de subiecto huius tertiæ partis dicta sunt, oritur prima ratio dubitandi circa id, quod secundo loco propositum est explicandum, nempe, circa ordinem, quem habet ad reliquas Theologiæ partes. Videtur enim colligi, atq; elici ex subiecto explicato,

non

non esse collocandam in vltimo loco, sed immediatè post illam partem, in qua de Deo secundùm suam naturam, & attributa disputatur: etenim de Deo agit Theologus secundùm triplicem rationem, nempè, secundùm se, & vt habet rationem primi principij creaturarum, & vt est vltimus earum finis, vt supra explicatum est. Tractatio autem de Christo debet pręcedere tractationem de Deo secundùm illos duos respectus ad creaturas, quod sic probatur.

2 Primò: Si Deus consideretur secundùm se, siue quò ad naturam, siue quo ad attributa, nihil est ita proximum Deo, sicut Christus, qui simul est Deus, & homo: neq; est aliquod opus, in quo ita reluceant eius attributa, nempe, bonitas, sapientia, iustitia, & omnipotentia, sicut opus incarnationis. Si verò consideretur in ratione principij, nullum est opus Dei ita nobile, & perfectum, sicut opus Incarnationis, neq; in quo ita ostendatur virtus, & efficacia Dei, quia quantò opus hoc est reliquis excellentius, tantò in eo magis resplendet Diuina potentia. Deniq; si Deus consideretur in ratione vltimi finis, nullum est medium adeò efficax, & excellens ad illius finis consequtionem, sicut Christus in quantùm Deus homo, est enim fons, & principium totius gratiæ, & meriti.

3 Secundò. Si Christus est, vltimum, consummatio, & finis Theologiæ, ac proindè pertinens ad istam tertiam partem: ergo etiam est obiectū specificans Theologiam: sed consequens est contra D. Thomā. 1. p. q. 1. art. 7. ergo, &c. Probatur sequella: nam qui est finis legis, & scripturæ, est etiam finis nostræ fidei: quod autē terminat fidem, debet esse Theologiæ obiectum, cum idem sit obiectū fidei, & Theologię: sed in naturalibus idem est obiectum conclusionum, & principiorum in scientia: ergo si Christus est scopus fidei, Scripturæ & legis, etiam erit finis per se intentus in Theologia: & ex consequenti erit obiectum per se specificans illam.

4 Tertiò. Quamuis Theologia tractet de Christo, hoc non debet efficere vltimò, sed primò, quia vltimū ad quod omnia ordinātur, & de quibus disputat Theologia, est Deus, ergo & vltimo loco debet de Deo disputare, & non de Christo.

5 Confirmatur: quoniam nulla scientia naturalis statim à principio considerat obiecta sui pręstantissima, sed potius minutiora, & magis potentialia perpendit, vt tandem possit cognoscere, quod perfectissimum est sui obiectum.

6 Secundò confirmatur, quia Theologia est scientia resolutiua, cùm sit speculatiua, vt constat ex. 1. p. q. 1. art. 4. ergo agens de Christo debuit illum in suas partes, vel quasi partes resoluere, & tandem naturam diuinam considerare. Et ex consequenti inuerso ordine procedit, cùm primùm agit de Deitate, & aliis extrinsecis, & vltimò de Christo Domino.

7 Nihilominus necessariò dicendum est, hāc tertiam partem postremum obtinere locū, esseq; totius Theologiæ perfectionem, atq; adeò D. Thomam conuenienti ordine priùs de creaturis puris disputasse, quàm de Christo. Etenim cùm Christus simul sit Deus & homo, & in ipso sint natura Diuina, & humana mirabiliter vnitæ, necessarium fuit de vtraq; natura secundùm se priùs agere, quàm de Christo, siue de vnione illarum naturarum: sicut in quacunq; scientia priùs agitur de extremis simplicibus, quàm de compositis, ex eorum vnione resultantibus. Et ob eandem rationē D. Thomas in. 1. p. priùs disputauit de creaturis purè corporalibus, & de angelis, quàm de homine, qui ex corpore, & anima componitur.

8 Et prætereà est etiam à D. Thoma optimus ordo seruatus, dum priùs disputauit de vltimo fine hominis, & de virtutibus, & actibus meritoriis: & de eorum oppositis, nempe, de vitiis & peccatis, quàm de Incarnatione, quia siue Incarnatio fieret secluso humani generis peccato, vt aliqui volunt, siue non fieret, vt docet D. Thomas: hoc tamen est certum, Theologiam circa eam non versari, nisi quatenus in hominum redemptionem ordinatur: sicut fides etiam ita respicit eam. Quare cùm redemptio humani generis supponat eius lapsum, & peccatum, & similiter statum iustitiæ, & gratiæ à quo per peccatum decidit, & ex consequenti ordinationem in beatitudinem per actus bonos, & meritorios, rectè concluditur, in Theologica tractatione, beatitudinis, gratiæ, meriti, & peccati considerationem debere præcedere Incarnationis cognitionem, præsertim cùm Incarnatio, saltem vt à Theologo consideratur, non sit medium ad consequendam beatitudinem, nisi per accidens, hoc est, supposito peccato. At verò gratia, & actus boni, & meritorij sunt media per se requisita, & secluso omni peccato.

9 Ex his patet solutio ad primum, & tertium argumentum, nempè recto ordine considerari Christum vltimo loco in Theologia, quia est Deus, & homo, Dei & hominis mediator, author totius gratiæ, gloriæ, ex cuius notitia plenè cognoscuntur, quę de Deo tanquàm de obiecto adæquato in Theologia disputantur. Etenim quòd Deus sit Saluator, & glorificator, quę inter articulos ad Diuinitatem pertinentes numerantur, sine Christi notitia non intelligimus. Et obid D. Thomas, qui 1. p. disputauerat de Deo, vt est vnus, & trinus, & rerum omnium creator, in 3. p. demonstrat eum esse saluatorem, & glorificatorem, & hoc modo scientiam de Deo perfectè consumat. Quare vltimò loco erat agendum de Christo.

10 Neq; obstat, quòd hæc scientia primò disputet de Deo, qui est obiectum illius adæquatum, & totale; quoniam innititur articulis fidei, qui in se primò continent, quæ ad Deitatem pertinent. Neq; est necessarium, vt in Theologia is ordo seruetur, qui in scientiis naturalibus obseruari solet, quoniam istæ secundum modum nostræ cognitionis à potentialioribus, & imperfectioribus ad perfectiora inquirendo procedunt, Theologia verò sequitur ad principia reuelata, atq; adeò superiori lumini innititur, nempe, diuino, quod primò præstantiora proponit. Imò verò non est hoc speciale Theologiæ, statim in prima parte de Deo disputationem suscipere, cùm inter physicas disciplinas Metaphisica paulò post principium disserat de ente, & eius proprietatibus, & passionibus, quamuis ens sit obiectum adæquatum illius.

11 Ad secundum argumentum negatur consequētia, & concedimus, Christum esse finem Theologiæ proximum,

Digitized by Google

imum,sed non vltimum, nam quod vltimò & perse intenditur à Theologia,est scire Deum, licet hoc ipsum exequatur discursu, & ordine ad cognitionem Christi proximè terminato. Idem asserendum est de scriptura,& fide,quæ in Deum vltimò tendunt, & ab illo specificantur,cum quo rectè compatitur, Christum proximè terminare prophetas,legem, fidem, ac Theologiam.

12 Quod si inquiratur,an Christus sit finis theologiæ adęquatus,vel inadæquatus,Respondendum est,esse finem proximum:Nam finis,ad quem proximè ordinantur omnia,quæ considerantur in scientia, dicitur finis adæquatus proximus, sed Christus est huiusmodi in Theologia,ergo est finis proximus adæquatus illius. Sic in dialectica demonstratio dicitur finis proximus omniū,quæ in illa cōsiderantur.& salus hominū solet à Theologis dici finis proximus Incarnationis Christi.

13 Sed obiicies.Deus est finis adæquatus Theologiæ, ergo non Christus.Patet consequentia;quia repugnat in Theologia esse duos fines adæquatos.

Confirmatur primò:finis adæquatus non ordinatur vlterius,sed omnia terminat,sed Christus ordinatur vlterius,& eius cognitio tendit ad Deum,tanquàm ad obiectum adæquatum Theologiæ, ergo non est Christus finis adæquatus illius.

Confirmatur secundò:quia si est finis adæquatus, erit etiam obiectum adæquatum, & ex consequenti specificabit scientiā Theologiæ.Probatur cōsequētia, nā finis adæquatus,erit similiter obiectum adæquatū. 14

Respōdetur,hoc argumēto tantùm probari, Christum non esse absolutè finem adæquatum Theologiæ, cùm iste sit Deus,quemadmodum est obiectum adæquatum,& finis fidei:sed esse finem adæquatum proximè:sic autem esse finem adæquatum,& totalem,nō est,esse adæquatum simpliciter & absolutè,sed potiùs secundùm quid,& cum addito:nempe,adæquatū proximè,quod etiam potest dici subiectum attributionis, Quò fit,vt vnus,& idem habitus possit plures fines adæquatos in suo genere sortiri,quorum vnus sit vltimò adæquatus,alter verò proximè.Sed finis proximus,etsi in tali genere adęquatus dicatur,ordinatur tamen ad finē vlteriorē,qui simpliciter, & absolutè est vltimus. 15

TERTIVM PROLEGOMENON.

De Diuisione tertiæ partis.

1 EX his etiam,quæ dicta sunt de subiecto, constat,quid sit dicendum de tertio,nempe, de diuisione huius tertiæ partis.Etenim cùm fuerit ostensum,Christum esse illius subiectum,tot debet habere partes,quot fuerint necessariæ ad perfectam eorum,quæ ad Christum pertinent,explicationem: quarè integer liber in tres potissimùm partes poterit distribui,in quarum priori de dignitate Verbi incarnati,de illius conuenientia,& proprietate,ac de ipsius vita in carne mortali,de morte,& aliis mysteriis vsq; ad quæstionem.59.inclusiuè disputatur. In secunda de Sacramentis in communi,& particulari differitur, in tertia verò de fine,ad quem resurgendo peruenimus: nempe,de vita immortali. Licet hoc totum D. Thomas morte præuentus perficere non potuerit.

2 Ex quibus cōstat,quanta sit huius tertiæ partis dignitas,& vtilitas:cum enim eius subiectum sit Christus Dominus quantùm ad vnionem, quo præter Deū secundùm se nullum potest dari obiectum excellentius, aut consideratione dignius,neq; cuius cognitio sit nobis vtilior,ipso Christo dicente de ipso,se esse viam, qua ad vitam ducimur,& ipse sit nobis causa mediorum,quibus beatitudinem consequimur: efficitur necessariò,dignitate,& vtilitate hanc tertiam partem cęteris præstare. An verò difficultate reliquas antecellat, diiudicandum est ex mysteriis,quæ in illis pertractantur.

3 Etenim mysterium Trinitatis, de quo in prima parte tractatur,difficilius est secundùm se, & ex sua natura,quàm mysterium Incarnationis, de quo in 3.p.differitur, quoniam est maximum, & summum, quod in Deo consideratur, & quod maximè captum nostrum excedit,siue consideratur cum aliis, quæ intra Deum sunt,siue cum externis mysteriis, quæ à Deo processerunt. Et sicut omnia nomina, quæ de Deo,& creaturis dicuntur,secundùm analogiam, & per priùs conueniunt Deo,ita mysterium analogicè dicitur de mysterio increato & maximo(quale est Trinitatis per sonarum in vnitate essentiæ) & de aliis, quæ in tempore procedunt à Deo.

Nihilominùs quò ad nos difficilius est mysterium incarnationis,quàm Trinitatis:quia plura occurrunt in hoc mysterio,quæ lumini rationis, & principiis naturalibus aduersari videntur, quàm in Trinitatis Sacramento:in hoc enim quod maiorem ingerit difficultatem,est,quo pacto vna numero essentia sit in tribus personis realiter distinctis,qua ratione in Deo sint processiones, & vndè personæ realiter procedant sine vlla dependentia;& causalitate,sed cum summa æqualitate. Cæterùm ex natura aliqualiter adumbratur hoc Trinitatis mysterium,cùm in rebus sit vestigium Trinitatis,vt docet D Tho,1.p.q.93.art.5.& 6.præsertim in homine,qui factus est ad imaginem & similitudinem Dei,Genes. 1.atq; adeò supposita fide, exemplis & rationibus naturalibus aliquomodo explicatur. Quæ autem dicuntur de diuinis processionibus,quandam præ se ferunt dignitatem, & perfectionem, vt quòd Deus suo intellectu Verbum producat, & quòd illud sit persona subsistens,& amor sit infinitus, & nexus Patris,ac Filij. 4

In mysterio autem incarnationis nodus incomprehensibilis,& inexcogitabilis ille est, qualiter Verbum caro factum sit,de quo dicebat Augustinus: *Quantùm mysterij haberet,Verbum caro factū est, nec suspicari quidem poteram,* Quo pacto duæ naturæ realiter distinctæ in eadem hypostasi substantialiter, & personaliter vniantur:quomodo Deus fiat homo substantialiter,& nihil substantiale in se acquirat: generetur,immutabilis maneat,terminet absolutè naturam creatam, 5

creatam,& absolutam per subsistentiam relatiuam, simul existat passibilis,& impassibilis, temporalis, & æternus,mortalis,& immortalis,viator,& comprehensor,& alia huiusmodi:quę totam naturam, & leges illius euertere videntur.Rursus:quæ dicuntur de Verbo incarnato maiestati Diuinæ videntur derogare, & quandam præse ferunt indecentiam; magis q; offendunt intellectum nostrum, qui de Deo magna æstimat.
6 Vnde in Incarnatione pluribus titulis,ac velaminibus Deus dicitur occultari:& ob id appellatur Isaię. 45. *Deus absconditus,* vt explicat Epiphanius lib. 2. contra hæreses,cap.cōtra Noetianos: Cyrillus in Ioãnem cap. 15.in illis verbis: *Verbum caro factũ est.* Eusebius Cæsariensis de Præparatione Euangelica lib. 5.cap.4.Imò affirmant nonnulli explicantes illum locum Isaiæ.53. *Domine quis credidit auditui nostro,& brachium Domini cui reuelatum est:* Olim Prophetas, seu potiùs Apostolos per Prophetas hoc mysterium hominibus proponere formidasse,cùm tamen Trinitatis arcanum explicitè docerent, ac prædicarent. De quo etiam Incarnationis Sacramento intelligitur illud Abacuch. 1. *Opus factum est in diebus vestris,quod nemo credet,cum audierit.* Legendus est D.Dionysius cap. 2. de Diuinis nominibus, vbi inter alia ait. *Iesu diuina formatio,& arcana est omni rationi,& incognita omni intellectui,& ipsi præstanti honorabilissimorum angelorum.* Origenes etiam lib. 2. periarchon cap. 6.loquens de mysterio incarnationis. *Humani intellectus, inquit, angustia tantæ admirationis stupore percussa,quò declinet, & quò se conuertat, ignorat.* Et concludit dicens. *Arbitror autem, quia etiam sanctorum Apostolorum supergreditur mensuram,quinimò etiam fortassis totius creaturæ cælestium virtutum eminentior est Sacramenti istius explanatio.* Videndus est etiam D.Anselmus ad Roma. in illis verbis. *Secundùm reuelationem mysterii temporibus æternis taciti.* Vbi ait, hoc mysterium soli Deo cognitum, etiam postquàm hominibus reuelatum est. Et D.Hieronymus ad illud; *Sacramentum hoc magnum est,ego autem dico in
Christo,& in Ecclesia,Ad Ephes. 5.* Ita scribit. *Gre 7
gorius Nazianzenus,vir valde eloquens,& in scripturis apprimè eruditus,cùm de hoc meeum tractaret loco,solebat dicere.Vide quantùm istius capitis Sacramentum sit,vt Apostolus in Christo,& in Ecclesia, illud explicans,non se ita asserat,vt testimonii postulabat dignitas,expressisse,sed quodammodo dixerit,scio, quia locus iste ineffabilibus plenus sit Sacramentis, & diuinum cor quærat interpretis.vnde propter mysterij admirabilem excellentiam & difficultatem, ad illud hominibus persuadendum,olim Deus figuris, ac prodigijs,& nouiter innumeris argumentis est vsus: vt Paulus ait ad Hebræ. 2. Testante Deo signis & portentis,& varijs virtutibus,& Spiritus sancti distributionibus:vbi refert Apostolus,quanta Deus mirabilia visibiliter effecerit, vt Christus crederetur Deus, & homo.* Et D.Tho.explicans hunc locum ibidem lectio. 1. circa finem dicit portentum esse quasi procul tentum, idest,à nostra cognitione remotum,& elongatum; &
asserit maximum fuisse portentum,Deum fieri hominem,& à corde humano creditum.Sic etiam intelligit 8
illud Isaiæ cap. 8. *Ecce ego,& pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signũ, & in portentum.* Quod ad literam de Apostolis,& fidelibus verificatur. Ex quibus omnibus colligitur,mysterium incarnationis esse omnium difficilimum quo ad nos,& secundùm omnia,quæ in illo cōsiderari possunt:quod ex eo ampliùs confirmatur, quòd innumeræ hæreses aduersùs istud mysterium exortę sunt:ita vt ferè plures recenseantur, quàm quæ contra alios fidei articulos recenseri soleant. Et ob id meritò dicitur Verbum in carne, & in cruce, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitia, positum in ruinam multorum.

QVARTVM PROLEGOMENON.

De ratione,ac via probandi veritatem in hoc tractatu.

1 CIRCA vltimum,quod quarto loco explicãdum propositum est, dicere oportet,in huius mysterij explicatione inquirendam esse veritatem ex testimonijs sacræ Scripturæ,Apostolicis traditionibus,decretis conciliorum,& definitionibus summorum pontificum,Deinde verò statuta veritate catholica,& preiactis fidei fundamentis, eadem veritas rationibus naturalibus,exemplis, & similitudinibus ex natura petitis illustranda,& dilucidanda est. Sic colligitur ex D.Augustino libro. 2. de Trinitate cap. 1. à quo D.Thomas idem desumpsit quodlib. 4. art. 18. vbi,ait,modum cuiuscumq; disputationis ex fine, in quem ordinatur,esse desumendum.Itaq; sic debet ordinari doctrina,quatenùs fini,in quem ordinatur; est
2 congruens. Theologica autem disputatio in duplicē finem ordinari potest,vel in veritatis inquisitionem, & cognitionem,& tunc disputatio testimonijs,& authoritatibus debet esse munita: vel ad aliqualem mysteriorum supernaturalium cognitionem comparandam:& tunc exemplis,& similitudinibus est vtendum: quibus si disputatio caruerit, manebit quidem discipulus in credulitate firmus, sed ab intelligentia ieiunus.Sic etiam colligitur ex D.Ioanne c. 1.qui post illa verba. *Verbum caro factum est:*Subiungit:*Deum nemo vidit vnquam,Vnigenitus filius, qui est in sinu Patris,ipse enarrauit:* ac si diceret,abditissimum mysterium Dominicæ incarnationis non esse naturali ratione inuestigandum: sed fide adhibita dictis filij Dei,qui illud enarrauit. Et cap. 3. sequenti idem traditur,vbi Ioannes Baptista de hoc mysterio verba faciens: *Qui de terra, inquit, est,de terra loquitur, qui de cęlo venit,quod vidit & audiuit,hoc testatur.* Et paulò post: *Qui autem accepit eius testimoniũ, significauit,quia Deus verax est*. Et D.Paulus. 1. Cor. 1.idem docet,vbi in illis verbis. *Iudæi signa petunt, Græci sapientiam quęrunt.* Tam Iudæos,quàm Gẽ-

tiles reprehendit, propterea quod Euangelij prædicatoribus fidem non adhiberent, sed Iudæi miracula peterent, gentes autem philosophicam demonstrationem.

3 Ratio autem suffragatur eidem veritati: quoniam de Christo, qui est Dei sapientia, nequit congruè sermo institui, nisi per sapientiam diuinitùs nobis collatam, sed sapientia nobis à Deo donata hunc ordinem maximè seruat, ergo &c. Minor probatur ex epistola Iacobi cap. 3. vbi sapientiam à Deo donatam suis coloribus depingens ita ait. *Quæ autem de sursum est sapientia, primùm pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, &c.* Hæc ergo Diuina sapiētia dicitur pudica, quia Deo tanquam suo legitimo sponso fidem debitam seruat. Pacifica verò, quoniam omnem contentionem studio contendi vitat, & solùm contendit, vt omnes idem sapiant, idem sentiant, & amplectantur. Dicitur autem modesta, quia in omnibus modum seruat, & intra suos terminos se continet, & quæ hominis captum excedunt, ratione naturali non inuestigat. Suadibilis verò, tum quoniam parata est rationem reddere omni poscenti de ea, quæ in nobis est, spe: tum etiam, quia meliora dicenti facile cedit.

4 Confirmatur. hoc mysterium est supra naturale, & nouum, & inexcogitabile, quod Deus creauit super terram, vt ait Hieremias cap. 31. *Nouum creauit Dominus super terram, fœmina circundabit virum.* Neque in natura est potentia, nisi tantùm obedientialis ad huiusmodi mysterium, ergo ratione naturali inuestigari non potest, ita vt ratione primùm ostendatur; sed Diuina reuelatione semel acceptum, deinde ratione explicatur, & dilucidatur. Itaq; non ex ratione, sed ex his, quæ scriptura tradit, & Ecclesia definit, ostendendum est, quid de hoc mysterio certa fide credendum sit. Deinde ratione explicandum, quid ex fidei assertionibus de hoc mysterio sit consequens, & quid etiam cum illis pugnans, vt sana doctrina de hac re teneatur: etenim licet doctrina de Incarnatione, non ratione, sed fide nitatur; vbi tamen ipsa fides semel fuerit constituta, ratione etiam, atq; cogitatione consentanea fidei quasi munitur, atq; circumuallatur.

5 Et tamen hîc magnoperè aduertendum, rationes naturales, quæ ad huius mysterij explicationem adducuntur, non illud demonstrare, neque euidenter ostēdere, neq; necessariò probare: sed plurimùm valere ad rerum Diuinarum illustrationem, & ad refellendas sententias Catholicæ veritati contrarias; quia verum vero non repugnat, vt ostendit D. Thomas. 1. contra gentes, cap. 7. Itaque ostendunt duntaxat hoc mysterium non esse impossibile, neque Diuinam maiestatem dedecere: atque adeò esse euidenter credibile, vt docet D. Thomas. 2. 2. q. 1. art. 4. ad argumenta: sed non ita ostendunt, & persuadent, vt illius distinctus formetur conceptus; sed informis, & confusus; quia omnis ratio, similitudo, & exemplum ad huius mysterij explicationem adductum est longè inferius, & omninò deficiens: quod egregiè adnotauit D. Augustinus epistola 3. ad Volusianum afferens. *Si in hoc mysterio ratio quæritur, non erit mirabile, si exemplum poscitur, non erit singulare in his ergo tota ratio facti est potentia facientis.* Legendus est de hac re D. Thomas quæstione vnica de mysterio verbi Incarnati, artic. 1. & libro 4. contra gentes cap. 41. & 55.

Postremò obseruandum est, non modò sacras literas, & rationem illis consentaneam, sed etiam Ecclesiæ definitiones, & testimonia veterum patrum, tum ad probationem veritatis, tum ad confutationem contrariorum errorum, iure, ac meritò posse, ac debere vsurpari. Etenim authoritas scripturæ, & similiter Ecclesiæ, certum, & infalibile argumentum in quæstionibus fidei, cuiusmodi est hæc de Incarnatione, suppeditant. Rursus consentiens patrum testimonium per se quoque est infallibile: sunt enim veteres patres restes fide dignissimi veræ, atq; Apostolicæ fidei, vt D. Augustinus obiecit Iuliano Pelagiano. 6

Vt igitur concludamus, est nobis propositum in hac tertia parte exponere, quod ait Paulus ad Galat. 4. *Cùm venit plenitudo temporis misit Deus filium suum factū ex muliere factum sub lege, &c.* Et quod inquit ad Ephes. 1. & 3. *Inuestigare abundantes diuitias, & inuestigabiles, Christi, & mysterium à sæculo absconditum.* 7

Disputant Theologi de Incarnatione verbi in 3. Sententiarum, & D. Thomas. 4. contra gentes à cap. 27. ad 55. & in illa quæstione vnica citata de Verbi Incarnati mysterio.

QVÆSTIO. I.

De conuenientia Incarnationis.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm conueniens fuerit Deum incarnari.

PRO Tituli intelligentia animaduertendum est, illam vocem. Conueniens. *Ex sua primaria impositione. Idem valere, quod simul veniens, & conuenire idem, quod simul venire, sicut lineæ à circunferentia deductæ, dicuntur ad centum conuenire, & conuenientes. Cæterum, quia ea quæ simul veniunt, facilè cohærent, & aptantur, vsurpatum est hoc nomen.* Conueniens. *Ad significandum id, quod cuiq; naturæ est consonum, aptum, & consentaneum.*

Præterea conueniens dicitur vel per respectum, ad voluntatem Dei facientis (quicquid enim Deus efficit, eo ipso quòd facit, esto nulla alia ratio bonitatis, aut aliquis finis proximus, seu vltimus rei appareat. Præter Dei voluntatem, & imperium, conueniens dicitur.) Vel per respectum ad naturas rerum, quæ fiunt, ita vt iuxta illum ordinem, & dispositionem

dispositionem efficiantur, quam exigit vniuscuiusque rei natura. Priori modo nõ sumitur in præsenti, Conueniens, *quoniam de hac cõueniẽtia nulla erat dubitatio. Cùm enim fide cõstet, incarnationem esse; secundùm eandem fidem asserendum est, conuenienter esse factam iuxta hanc conuenientiæ rationẽ. Posteriori autem modò sumitur in hoc loco. Quarè sensus tituli est, An Deum incarnari, sit rectè ordinatum, & dispositum secundùm exigentiam naturæ extremorum huius vnionis, nempe, Dei, & humanitatis.*

Postremò. Titulus nõ quærit de conuenientia ad hunc, vel illum finem, neque ad hunc vel illum effectum, sed absolutè, & abstractè: in particulari autem de conuenientia incarnationis ad reparationem generis humani, & ad alios peculiares effectus, disputabitur artic. 2. & sequentibus. Est igitur sensus tituli absolutè accipiendus, An fuerit cõueniẽs, hoc est, congruum, & decens Deũ incarnari & fieri hominem. Et Respondet D. Thomas vnica conclusione affirmante.

Conueniens fuit Deum incarnari. Hanc probat in argumento sed contra: quia conueniens est Deo, vt per visibiles effectus ostendat sua inuisibilia attributa, ad hoc enim totus mundus factus est, vt constat ex Paulo ad Roman. 1. Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta cõspiciuntur. *Sed hæc omnia per incarnationem cognoscuntur: quia secundùm Damascenum lib. 3. Fidei Orthodoxæ cap. 1. demonstrauit Deus bonitatem, non despiciendo nostram infirmitatem: iustitiam, quia hominem victum eripuit à Dæmone, & per hominem vicit Tyrannum: sapientiam, quia inuenit solutionem difficillimi pretij: & potentiam, quia nihil est maius, quàm Deum fieri hominem, ergo, &c. Secundò probat D. Thom. conclusionem in corpore articuli hac ratione.*

Conueniens est summo bono (nempe Deo) summo modo se communicare: sed summa communicatio, qua Deus se potuit communicare, est per assumptionẽ humanitatis à verbo: ergo hæc assumptio fuit conueniens. Maior probatur. Vnicuiq; rei conueniens est illud, quod sibi competit secundùm rationem propriæ naturæ, at secundùm rationem propriæ naturæ cõuenit Deo se summo modo communicare: ergo, &c. Minor huius prosyllogismi probatur. Natura Dei est essentia bonitatis summæ: ergo sicut pertinet ad rationem boni communicare se, siquidem est diffusiuum sui: ita conuenit naturæ summi boni se summo modo communicare.

Contra conclusionem obiicit. primò D. Thom. quia conueniens est, Deum ità se nunc habere, sicut anteà, & sicut fuit ab æterno: sed anteà fuit sine carne, ergo conueniens est semper manere sine carne, & non illi vniri. Negat D. Thomas consequentiam, quia Deus non est mutatus à suo statu per hoc, quòd creaturæ se, vel potiùs eam sibi vniuit, est autem conueniens, vt creatura, quæ ex se est mutabilis, cùm priùs non esset vnita Deo, illi vniatur.

Secundò obiicit. Quæ in infinitum distant, non coniunguntur conuenienter, sicut humano capiti incongruè adiungeretur ceruix equina: sed Deus & caro distant in infinitum, cùm Deus sit simplicissimus, & caro humana maximè composita: ergo inconueniens fuit, Deum humanæ carni vniri. Respondet, non fuisse conueniens carni humanæ, vniri Diuinæ personæ, cùm talis vnio sit supra eius dignitatem, fuisse tamen conueniens Deo secundùm infinitam bonitatem ipsius.

Tertiò obiicit. Inconueniens fuit, vt Deus assumeret malum culpæ, cùm sit summè beatus: ergo non fuit cõueniens, vt assumeret corpus. Patet cõsequentia: quia non minùs distat corpus à summo spiritu, quàm malum culpæ à summo bono. Negat D. Thom. consequentiam, quia cùm omnia fuerint à Deo effecta in suam gloriam, ad ostensionem suæ bonitatis, etiam malum pœnæ, ideò potuit assumere naturam malo pœnæ obnoxiam, non autem malo culpæ, quoniam illud est à Deo, hoc autem recessus à Deo.

Quartò obiicit. Inconueniens est, vt qui excedit magna, in minimo contineatur: ergo Deus, quem totus non capit orbis, non debuit contineri intra corpus cuiusdam paruuli, ita vt ad illud transferatur totius vniuersi cura. Respondet, ex eo quòd Deus sit incarnatus, non sequi, quòd non gubernet mundum, neque sic vbique, cùm non claudatur carne, vt constat exemplo D. Augustini in epistol. 3. ad Volusianum de Verbo hominis, quod ab omnibus auditur totum, & ad omnes transit. Ita similiter Verbum Dei permanens simul vbique est totum. Hæc D. Thomas in litera.

Commentarius.

CONCLVSIO Huius articuli est dogma fidei, omnibus Theologis receptum in 3. d. 1. & constat ex illo Genes. 1. *Vidit Deus cuncta; quæ fecerat, & erant valdè bona* Idest, valdè conuenientia: quod non solùm est verum in opere naturæ, sed multò magis in operibus gratiæ. Rursus de lege ordinaria (quicquid sit de potentia absoluta) nihil Deus efficit, nisi quod est conueniens. *Attingit, 1
enim,

Digitized by Google

enim, à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. * Sap. 8. & ad Roman. 13. * Quæ à Deo sunt, ordinata sunt. * Sed certum est secũdum fidem, Deum esse incarnatum, ergo similiter est certum secundum fidem esse conueniens.

Circa titulum quæstionis, & circa conclusionem, & eius rationem plures se se offerunt disputationes, quas examinare oportet ad maiorem articuli intelligentiam. Circa titulum igitur quæstionis est prima disputatio.

PRIMA DISPVTATIO. §. I.

AN D. Thomas in hac quæstione artificiosè processerit, quæstionem de possibilitate incarnationis prætermittens, & exordium sumens ab illius conuenientia. Pro parte negante fit primum argumentum.

1 Ordo Doctrinæ exigit, vt disputatio de possibilitate præmittatur antè disputationem de conuenientia, ergo, &c. Probatur antecedens. Prima quæstio de quacumque re est, An sit, ex Aristotel. 2. de Priori Analysi; sed idem est quærere, An hoc mysterium sit, & An sit possibile saltem supposita fide; ergo ordo doctrinæ postulabat, vt à possibilitate inciperet disputatio.

2 Secundò probatur idem antecedens. Doctrina secundum Aristotelem. 1. Phys. textu. 2. Procedit à communioribus, & vniuersalioribus ad ea, quæ minus vniuersalia sunt: sed possibile latiùs patet, & est communius, quàm conueniens: ergo à possibilitate, & non à conuenientia erat exordiẽdum. Minor probatur. Omne conueniens est possibile, non tamen contra, omne possibile est conueniens, vt patet in monstris, quæ sunt causarum particularium effectus possibiles, & tamen non sunt conuenientia causis particularibus monstrua producentibus; imò verò sunt peccata contra naturam, vt quòd homo cum sex digitis nascatur, cum duplici capite, tribus pedibus, &c. Si autem Respondeatur cum domino Caietano hîc, quod cùm omnis scientia præsupponat suum subiectum, & huius disputationis subiectum sit Christus, Deus incarnatus, ideò præsupponitur incarnatio, & ex consequenti possibilitas: cõtra hanc solutionem est secundum argumentum.

3 Sicut Christus est huius tertiæ partis subiectum, sic etiam Deus est totius Theologiæ, & præsertim primæ partis subiectum: sed in 1. p. q. 2. art. 1. & 2. quæsitum est, An Deus sit: ergo similiter hîc inquirendum est, An Christus sit, vel possibilis sit.

4 Tertiò contra eandem solutionem obiicitur. Ad scientiam, quæ simul est sapientia, pertinet sua principia, & suum subiectum contra negantes probare: sed Theologia est sapientia, vt docet D. Thomas. 1. p. q. 1. art. 6. ergo debet sua principia ostendere, & sui subiecti possibilitatem explicare.

5 Confirmatur, quia si hæc Caietani solutio esset vera, & sufficiens, satis profectò esset quærere, An incarnatio esset necessaria; nam sicut ex probatione conuenientiæ incarnationis probatur possibilitas, ita similiter ex probatione necessitatis probaretur conuenientia: etenim necessarium etiam est inferius ad possibile, sicut conueniens, & ideò probata necessitate probaretur & possibilitas, & conuenientia. Vndè hæc tria, necessarium, conueniens, & possibile, habent se sicut superius, & inferius: nam necessarium infert conueniens, & conueniens infert possibile, & non è contra, cùm aliquid sit possibile, quod non sit conueniens, vt quòd Deus assumat naturam leoninam. aliquid verò conueniens, & non necessarium, vt quòd Christus in carne assumpta nulla pateretur, quod autem est necessarium, erit etiam conueniens, & possibile. Quarè si semel probetur, incarnationem fuisse necessariam, manebit similiter probatum, fuisse conuenientem, & possibilem.

Quartò obiicitur. Incarnationis possibilitas potest euidenter probari, ergo vt probaretur, debuisset D. Thomas de illa inquirere. Probatur antecedens. Potest euidenter probari, quòd Deum assumere humanitatem non repugnat, ergo esse possibile. Antecedens probatur: quia nulla est repugnantia ex parte assumentis: neque ex parte naturæ assumptæ, ergo, &c. Probatur istud antecedens. Primò non repugnat Deo assumenti, quia omnis perfectio in creaturis inuenta tribuenda est Deo: sed sustentare accidens, & terminare eius dependentiam, est perfectio creatæ substantiæ: ergo potest similiter Deus naturam substantialem sustentare, & eius terminare dependentiam. Neque etiam repugnat ex parte naturæ assumptæ, quia omne prius absolutum, & actuale, quod à suo posteriori realiter distinguitur, potest saltem diuina virtute ab eo separari: sed natura substantialis etiam singularis, quæ est quid actuale, & absolutum, est prior suo esse per se, & sua personalitate: ergo virtute Diuina poterit ab illo separari natura, & Diuinæ Personæ subsistentia terminari. Probatur consequentia; quoniam esse per se, siue existentia, si est effectus naturæ substantialis, est in genere causæ efficientis, Deus autem potest effectricis causæ vicem supplere: vel si est effectus in genere causæ formalis, est secundarius, ac proindè separabilis. 6

Confirmatur tandem: quia D. Thomas in 3. sequtus reliquos Theologos à possibilitate exordium sumpsit. 7

Pro explicatione aduertendum est, conueniens, & possibile in ordine ad potentiam creatam, comparari inter se se, vt superius & inferius, vt in primo argumento ostensum est: & in ordine ad hanc potentiam intelligitur Caietanus, cùm inquit in commentario huius articuli, possibile esse superius ad conueniens. At in ordine ad potentiam Diuinam, conueniens, & possibile conuertuntur, ita vt quicquid sit Deo possibile, sit eius naturæ conueniens, & è contra. Ratio huius est, quia causæ particulares, cùm sint deficientes, interdum possunt effectus suis naturis inconuenientes producere. Deus autem cùm sit omnipotens, & indeficiens causa, quicquid per se ipsum immediatè producit, vt est ei possibile, ita & naturæ Diuinæ est conueniens. Imò verò etiam monstra, quæ interuentu causarum secundarum producit, etsi in ordine ad ipsas causas sint inconuenientia, & peccata, in ordine tamen ad ipsum Deum, quæ est prima causa indeficiens, conuenientia sunt, & ex ipsius intentione producta. Sic dicitur Genes. 1. * Vidit Deus cuncta, quę fecerat, & erant valde bona. * Hoc posito sit prima conclusio. 8

Prima

PRIMA CONCLVSIO. §. II.

9 ORDO Procedendi D. Thomæ est maximè artificiosus, & secundùm doctrinæ methodum constitutus: atque adeò iure, ac meritò prætermissâ quæstione de possibilitate, à conuenientia incarnationis exorsus fuit. Probatur. Primò, quia in omni scientia quod necessario supponitur, non indiget probatione, & ex consequenti neque inquisitione, sed in scientia huius tertiæ partis supponitur possibilitas incarnationis, ergo, &c. Minor probatur. In hac 3. p. necessariò supponitur, esse incarnationem, ergo & esse possibilem. Antecedens patet, quia in omni scientia supponitur, esse subiectum talis scientiæ: sed subiectum huius tertiæ partis est Christus, siue verbum incarnatum, vt in. 1. Prolegom. num. 8. Ostensum est; ergo, &c.

10 Confirmatur hæc ratio. Omnis scientia naturalis supponit ea principia, quæ lumine naturali immediate cognoscuntur; ergo similiter scientia, & cognitio supernaturalis ea principia supponere debet, quæ immediatè fidei reuelatione sunt cognita, hæc autem principia sunt articuli fidei, quorum vnus est, verbum esse incarnatum, ergo, &c.

11 Secundo probatur. Incarnationis possibilitas nequit cognosci, aut inquiri lumine supernaturali, neque etiam naturali, ergo non erat, cur D. Thomas quæsiuiset eius possibilitatem. Antecedens quoad priorem partem de lumine supernaturali est certum; quoniam hoc lumine supponitur possibilitas incarnationis: imò generaliter in omni scientia prius est aliquid esse possibile, saltem secundùm nostram considerationem, quàm illud esse. Quoad posteriorem de lumine naturali probatur: quia lumen naturale nequit attingere cognitionem incarnationis, ergo neque possibilitatis illius. Probatur consequentia; nam qualis est actus rei, talis est potentia, & eius possibilitas. Antecedens ostendit D. Paulus ad Colos. 1. Vbi docet hoc mysterium esse à sæculis absconditum, & gentibus, quæ solo naturali lumine ducebantur; manifestatum autem sanctis per Diuinam reuelationem.

Idem ostendit D. Dionysius cap. 2. de Diuinis nominibus, dicens. *Iesu incarne apparitio, & ineffabilis est sermone omni, & omni ignota intelligentiæ, ipsi quoque antiquissimorum Angelorum primati nō satis perspecta.* Similiter D. August. epist. 3. Citata ad Volusianum de hoc mysterio agens. *Necessariò, inquit, fatendum est Deum aliquid posse, quod nos ratione consequi non possumus.* Et Damascenus lib. 3. de Fide cap. 1. Hoc mysterium vocat nouum omnium nouorum, & solum sub sole nouum, per quod Dei apparuit infinita virtus, bonitas, & sapientia. Item Cyrillus Alexandrinus ad Reginas ait: hoc esse quasi ænigma sacratissimum, quod summa potius veneratione suscipiendum est, quàm humani iuditij trutinæ subiiciendum. Vnde Moysi calceatis pedibus ad hoc præsignatum mysterium intuendum sub rubo ardenti, & non combusto accedenti, prohibitus est accessus, nam qui sola ratione naturali innititur, ad tanti mysterij cognitionem accessum non habet.

12 Tertiò probatur: quia possibile, & conueniens in ordine ad Diuinam potentiam conuertuntur; vt ostensum est, ita vt qua ratione aliquid est possibile Diuinæ potentiæ, eadem est conueniens in ordine ad eandem potentiam: sed incarnatio est effectus ab ipso Deo immediatè dimanans nullius causæ secundæ interuentu, ergo qua ratione ostenditur illius conuenientia, probatur etiam eiusdem possibilitas.

Postremò: quoniam gentes stultitiam reputabant Deum incarnari, vel quia impossibile, vel quia saltem in decorum, & inconueniens existimabant, iuxta illud. 1. Corint. 1. *Verbum crucis pereuntibus stultitia est.* Ergo optima ratione à conuenientia exordium sumpsit D. Thomas, vt a b ipsa radice hunc errorem euelleret. 13

Fateor, huiusmodi rationes non esse adeò efficaces, vt conclusionem euidenter demonstrent. Vndè prima ratio ex eo diluitur, quòd Theologiæ munus est, explicare, & tueri ea, quæ in sacris literis continentur, & fide creduntur, vt constat ex Augustino lib. 14. de Trinit. cap. 1. quò fit, vt non solùm tractare debeat quæ dubia sunt, verùm etiam quæ sunt certa, & nota secundum fidem, vt magis elucidentur, & ab hæreticorum calumniis defendantur. Cùm verò dicitur, in scientiis naturalibus de principiis non disputari, sed esse certa supponi, intelligi debet de scientiis particularibus, quæ supponunt aliam superiorem, nempe Methaphysicam, ad quam spectat inferiorum scientiarum principia defendere contra negantes, aut ea ex concessis probando, aut contrariorum obiectionibus respondendo, si nihil concedatur, & ita Theologia, quia scientiam aliam superiorem non habet, hoc munus circa sua principia exercet, & de illis contra negantes disputat, vel ea probando, si quidpiam eorum, quæ ex diuina reuelatione habentur, ab aduersariis admittatur, vel saltem respondendo oppositis obiectionibus, vt docet D. Thomas, 1. p. q. 1. art. 8. 14

Præterea: secunda ratio non conuincit, quia posset D. Thomas ostendere possibilitatem incarnationis, primò adducendo testimonia, quibus ex fide constat, factam fuisse incarnationem: deinde supposita fide huius mysterij, & aliorum, vtendo exemplis, & aliis mysteriis, quæ per fidem credimus à Deo esse facta, & captum nostri intellectus superabant: & similiter adiungendo ea, quæ in scientiis naturalibus supposita fide huius mysterij admittuntur de distinctione naturæ à personalitate, & modo, quo personalitas concurrit ad terminandam naturam; nam ex illis colligitur probabiliter non repugnare, quod humanitas careat propria personalitate: neq; derogare perfectioni personalitatis diuinæ, trahere alienam, & extraneam naturam ad se, & insuper dissoluendo argumenta, quæ obiici possunt ad probandum incarnationem non esse possibilem, quia hoc modo ostenditur non probari esse impossibilem. Quare sit secunda conclusio. 15

SECVNDA CONCLVSIO. §. III.

LICET D. Thomas à conuenientia incarnationis incœperit, quæstionem tamen de possibilitate illius non prætermisit, sed eam disputat infra q. 3. per omnes articulos, in quibus agit, An incarnatio fieri possit, & qua ratione fieri valeat. Neq; in 16

in hoc D. Thomas ordinem peruertit, quia ex Aristotele in principio Physicorum, à notioribus est nobis incipiendū; & quæstio conuenientiæ est notior quæstione possibilitatis, quæ licèt sit prior quæstione conuenientiæ, est tamen difficilior, & eius fundamenta sunt multa, quæ suo ordine sunt in hoc tractatu discutienda, & faciliùs intelligentur, si vnum quodq; eorum suo proprio loco explicetur.

17 Neque obstat, quod D. Thom. in argumentis huius articuli nonnulla adduxerit ex fundamētis, quibus probatur, hoc mysterium esse impossibile, nempe, ex eo sequi mutationem in Deo, & ea, quæ infinitè distant, cuiusmodi sunt Deus, & humanitas, non esse vnibilia; nam id fecit, vt dissolueret illa argumenta, quatenùs videntur probare, non esse conueniens Deum incarnari: non verò quatenùs obijci possunt contra huius mysterij possibilitatem. Et secundùm hanc rationem disputat de eis, vbi agit de possibilitate huius mysterij: de primo quidem infra. q. 2. art. 1. vbi etiam aliquid dicit de secundo. Et ex professo in 3. sent. d. 1. q. 1. & 4. contra Gentes cap. 55. Et in solutione ad 3. huius articuli reddit D. Thomas rationem propter quam Deo in natura assumpta non repugnent mutationes, pœnalitates, & passiones, tamet si repugnet malum culpæ: & tamen id non fecit, vt defenderet, non sequi ex assumptione naturæ subiectæ mutabilitati, & pœnalitatibus, non esse possibile hoc mysterium, sed vt ostenderet non sequi, non esse conueniens.

SOLVVNTVR ARGVMENTA. §. IIII.

18 AD Argumenta quatenus militant contra conclusiones Respondetur. Et primum diluitur ex dictis.

Ad secundum contra solutionem Caietani negatur consequentia, & ratio discriminis est, quia Deum esse, negari potest in lumine naturali, & à multis est negatum, & eodem lumine potest conuinci Deum esse, & ideo probatur. Cæterùm Christum esse, siue incarnationem esse, seu esse possibilem, estò lumine naturali possit negari, nequit tamen eodem lumine naturali conuinci, quia non potest eo probari.

19 Sed contra solutionem obijcitur. Sicut in lumine naturali potest negari Deum esse, & ideò necessum fuit probare Deum esse: sic etiam in lumine supernaturali negari potest, & à multis est negatum, esse incarnationem, ergo saltem in hoc lumine inquirendum esset, An sit incarnatio, vel An possibilis sit. Respondetur in hac vnione hypostatica tria posse considerari. Primum est persona assumens, secundum, natura assumpta, tertium modus vnionis. At D. Thomas in hac quæstione de nullo ex his tribus agit in particulari, sed de omnibus in communi, relinquens illa suis locis particulariter discutienda. Ad argumentum ergo concedendum est, multos hæreticos negasse modum incarnationis, nullum vero negauisse incarnationem esse, vel possibilem esse hoc, vel illo modo. Quare necessarium non fuit etiam in lumine supernaturali inquirere, An incarnatio sit, vel possibilis sit.

20 Secundo negatur antecedens, nempe, quòd lumine supernaturali possit negari esse incarnationem, quia verè obseruauit D. Thomas 2. 2. q. 5. art. 3. in discredente vni articulo, non remanet lumen supernaturale, neque habitus fidei.

Ad tertium Respondetur D. Thomam hoc munus sapientiæ iam præstitisse, 2. 2. q. 1. art. 4. & 5. Vbi hoc mysterium simul cum aliis fidei nostræ explicat, & declarat, ostendens esse euidenter credibile. Et q. 1. art. 7. de hoc mysterio speciatim disputat, & in præsenti etiam articulo in responsionibus ad argumenta ostendit, hoc mysterium non esse impossibile. 21

Ad confirmationem Respondetur; licèt concedatur ex probatione necessarij probari possibile, non tamen fuisse satis, inquirere, An sit necessarium, quia possibilem esse incarnationem, aut esse, non est quæstio scientifica, sed principium, circa quod diuersæ sunt quæstiones demonstrabiles Theologiæ, nempe, incarnationem esse conuenientem, & esse necessariam, quas exactè definit D. Thomas art. 1. & 2. 22

Ad quartum Respondetur nihil concludere, primò, quoniam priùs erat ostendendum, omnem creaturæ perfectionem Deo formaliter conuenire, quod fieri non potest, cum multæ sint, quæ in suo vltimo conceptu imperfectionem includant, ac proinde nequeunt Deo formaliter, sed eminenter tantùm conuenire. Secundò: quia licèt sit verum, naturam substantialem, etiam singularem, esse priorem sua existentia, & personalitate, atque adeò posse ab illis Diuina virtute realiter separari, cum sit effectus causæ efficientis secundùm aliquos, vel formalis secundarius secundùm alios: nihilominus hoc ita esse, nequit solo naturali lumine ostendi, sed supra naturali, & ideò ratio nihil probat. Ex quibus constat D. Thomam debitum ordinem obseruasse, dum omissa quæstione de possibilitate incarnationis, ab eius conuenientia incœpit, quæ specialem continet difficultatem. Quod si in sententiis à possibilitate incœpit, ideò fuit, vt rectè animaduertit Caietanus, quoniam Magistri interpretem agebat: nune verò agit Doctorem, & propriæ sententiæ authorem. Et per hoc patet responsio ad confirmationem. 23

SECVNDA DISPVTATIO. §. I.

CIRCA Conclusionem articuli tria potissimùm se se offerunt explicanda. Nempe, conuenientia, existentia, & cognoscibilitas. De primo igitur dubitatur, An incarnatio Diuini Verbi fuerit conueniens, & conuenienter facta. Negatio his argumentis suadetur.

Primò. Magnum est inconueniens, naturam humanam à verbo assumptam manere in perpetuum frustratam suo naturali desiderio; sed hoc inconueniens sequitur ex hoc mysterio: ergo non est conueniens. Minor probatur. Natura humana habet naturale desiderium ad propriam personalitatem, & existentiam; sed hoc desiderium non satiatur per Diuinam personalitatem, quia natura humana non desiderat naturaliter vniri ad Diuinam personalitatem, sed ad propriā, & sibi connaturalem, ergo, &c. 1

Confirmatur. Potentia, quam habet natura humana ad vnionem cum Diuina personalitate, non est naturalis, sed obedientialis: ergo per hanc vnionem non satiatur 2

Digitized by Google

satiatur potentia naturalis, quam habet natura ad propriam personalitatem, sed duntaxat satiatur potentia obedientialis, & ex consequenti non satiatur appetitus naturalis, quem habet natura ad propriam personalitatem.

3 Secundò. Natura humana habet potentiam naturalem, & appetitum naturalem ad propriam personalitatem, & quatenus est terminus complens ipsam naturam, & quatenus est forma quædam, seu formalis modus ipsam naturam informans: sed Diuina personalitas supplet quidem vicem personalitatis creatæ, prout est terminus, non autem prout est forma; ergo potentia naturalis, quam habet natura humana ad propriam personalitatem, prout est forma, non manet satiata in hoc Incarnationis mysterio.

4 Dices: potentiam, & inclinationem naturalē, quam habet humana natura ad propriam personalitatem, prout est forma, satiari quidem à Diuina personalitate, seclusa informatione, & alijs huiusmodi imperfectionibus. Contra solutionem obijcitur: quia ex illa sequitur, posse concedi, nullam esse implicationē, quòd Deus suppleat vicem causæ formalis: sed consequens est falsum; ergo & antecedens. Sequella probatur, nam iuxta hanc solutionem, Deus poterit supplere vicem formæ seclusa informatione, & seclusis alijs imperfectionibus, sicut dicit præfata solutio de personalitate, prout habet rationem formæ.

5 Tertiò. Per incarnationem Deus absconditur, & Diuina veritas magis occultatur, ita vt paucissimi assentiant Euangelio, & plures resistant: ergo incarnatio non est conueniens. Patet consequentia: quia in hominis reparatione intendit Deus se ipsum, & sua attributa manifestare, quod per incarnationem fieri non potest. Antecedens probatur ex illo Isaiæ. 53. *Domine quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatū est.* Et Lucæ. 2. *Hic positus est in ruinam.*

6 Confirmatur, quia ex incarnatione sequuntur multa incōuenientia, nempe, quòd summum bonum summæ adhæreat miseriæ, & infimæ creaturæ: & quòd vermis, & opprobrium hominum diceretur, & semetipsum exinanierit: quòd factus sit in similitudinem carnis peccati, qui, quatenùs Deus, nec respicere ad iniquitatem potest. Item quòd impassibilis patiatur, & intereat immortalis, atque in carne assumpta diù elaborauerit, & paucissimum fructum collegerit: quòd omnes redemerit, & pro vniuersis orauerit, & tamen non omnes fructum eius consequantur. Hæc autem sunt maxima inconuenientia, & à Diuina perfectione aliena. Vnde ab aliquibus explicatur illud Isaiæ. 28. de Verbo Incarnato. *Alienum opus eius ab eo, peregrinum opus eius ab eo.*

7 Quartò. Quod implicat contradictionem, non est conueniens, nec potest conuenienter fieri: sed Deum incarnari, implicat contradictionem: ergo non est cōueniens, neque conuenienter fieri potest. Consequentia cum maiori est euidens, minor probatur. Implicat, cōtraria inter se vniri, ergo implicat naturam creatam, & increatam inter se coniungi. Patet cōsequentia, quia natura creata, & increata plùs repugnant, quàm contraria: etenim contraria sunt sub eodem genere, natura verò creata, & increata differunt genere. Antecedens probatur, quia contraria maximè repugnant, & distāt; & ideò ait Aristot. 4. Methaph. tex. Comment. 9. si contraria essent simul in eodem, cōtradictoria essent vera.

Confirmatur. Finiti ad infinitum nulla est proportio; ergo implicat finitum vniri cum infinito. Tenet cōsequentia, quia inter vnibilia debet esse proportio: sed Deus est infinitus; ergo nequit creaturæ finitæ vniri. 8

Quintò. Implicat contradictionem, ex duobus entibus in actu fieri vnum per se: quoniam vnio debet fieri ex actu, & potentia: sed Diuina natura, & humana sunt duo entia actu, vt constat, ergo ex illis nequit constare vnus Christus per se. 9

Sextò. Si hæc vnio esset conueniens, vel esset essentialis: vel accidentalis: sed vnio verbi cum humanitate non potest esse essentialis, quia ex illis non resultat vna essentia: neque accidentaria, quoniam non resultat vnum per accidens: ergo, &c. 10

Confirmatur. Nihil potest Deo accidentariò aduenire; sed hoc sequitur ex hac vnione, ergo, &c. Probatur minor. Quod aduenit enti in actu, accidētaliter aduenit: sed humanitas aduenit enti in actu, nempe, Diuino Verbo, ergo, &c. 11

Septimò. Si datur huiusmodi vnio, vel vniuntur vt forma, & materia, vel vt motum, & motor, vel aliquo alio modo: sed primum non est conueniens, imò neq; possibile: quia Deus nullius rei creatæ potest esse forma, nullū verò aliorū sufficit ad incarnationē, ergo, &c. 12

Octauò. Multiplicata natura, multiplicatur suppositum, sed implicat, duo supposita vniri, ergo similiter repugnat vnio suppositi cum natura.

Primò confirmatur. Implicat, vnius rei subsistentis esse duo quodquid est, id est, duas naturas, quia ab eodem habet res, & vnitatem, & esse: ergo repugnat similiter, idem suppositum esse in duabus naturis. 13

Secundò confirmatur. Verbum Diuinum non patitur, ergo non incarnatur. Antecedens patet, & probatur consequentia. Incarnare est agere: ergo incarnari est pati. Tenet consequentia, quia omni actioni correspondet aliqua passio. 14

Tertiò cōfirmatur. Quia sequitur ex incarnatione, Deum posse fieri perfectiorem, quod est maximū inconueniens. Probatur sequella, nam humanitas adueniens est noua, & distincta perfectio, ergo si additur Deo, crescit perfectio Dei. Dices: Deum habere perfectionem humanitatis eminenter, & ita ex assumptione humanitatis nihil perfectionis nouæ Deo aduenire. Contra. Sol, qui est eminenter calidus, si mòdò fieret formaliter calidus, reuera acquireret perfectionem, quam anteà non habebat: ergo si Deus eminenter erat homo, & nunc denuò est homo formaliter, acquirit perfectionem de nouo. 15

Nonò. Hipostasis non est extra naturam, cuius est hypostasis, ergo si Verbum Diuinum vniretur hypostaticè humanitati, non esset, nisi vbi esset humanitas: sed hoc est falsum, nam Diuinum Verbum est vbiq; natura autem humana non est vbique, ergo, &c. 16

Decimò. Implicat contradictionem, Deum mutari: sed ex incarnatione sequitur mutatio in Deo, ergo, &c. Minor probatur multipliciter. Primò quia de negatione ad affirmationē nō est trāsitus absq; aliqua mutatione: sed Deus per incarnationē factus est homo, quod priùs nō erat, ergo aliter se habet, quàm priùs, atq; adeò mutatur patet: quia hæc denominatio nō ex extrinseca, 17

vt poſsit denuò aduenire per ſolã mutationẽ alterius.

18 Secundò probatur eadem minor. Deus in hoc myſterio acquiſiuit aliquam naturam ſubſtãtialem, nempe, humanitatem, ergo mutatus eſt mutatione ſubſtantiali. Confirmatur. Cùm paries fit albus, quoniam acquirit aliquod eſſe, verè mutatur; ſed in incarnatione verè Deus acquirit aliquod eſſe, quia verè fit homo, ergo verè mutatur.

19 Tertiò. Quod generatur in tempore, mutatur; ſed Deus in tempore denuò generatur, ergo mutatur. Maior patet, quia generatio eſt mutatio de non eſſe ad eſſe. Minor probatur: quoniam dicitur genitus in tempore ex virgine, & ad Rom. 1. dicitur. *Factus ex ſemine Dauid ſecundùm carnem.* Et ad Galat. 4. dicitur Filius Dei. *Factus ex muliere.*

20 Quartò. Denominatio realis, præſertim ſi ſit abſoluta, nemini poteſt aduenire ſine ſui mutationẽ; ſed Deus denuò denominatur homo denominatione reali abſoluta, quia eſſe hominem eſt aliquid reale abſolutum, ergo Deus eſt mutatus. Confirmatur. Si Deo adueniret aliqua forma relatiua realis de nouo, mutaretur, & ideo D. Thom. 1. p. q. 13. art. 7. Nunquam concedit, denuò aduenire Deo aliquam relationẽ realem: ſed denuò aduenit humanitas Deo, quæ eſt forma abſoluta realis, ergo mutatur.

21 Quinto. Verbum poteſt incarnari; ergo poteſt mutari: ſed conſequens eſt impoſsibile, ergo & antecedens. Prima conſequentia probatur. Deus eſt in potentia ad Incarnationem, & poſteà eſt in actu: ergo reducitur de potentia ad actum; ergo mutatur.

22 Confirmatur primò. Si eſſet ſignabilis aliquis locus, vbi Deus non eſſet, & ibi inciperet eſſe de nouo, Deus mutaretur localiter. ergo ſi eſt ſignabilis aliqua natura, cui Deꝰ hypoſtaticè nõ eſt vnitus, & poſteà illi vniatur hypoſtatice, proculdubio mutabitur ſubſtantialiter.

23 Confirmatur ſecundò. Si Angelus denuò humanitatem aſſumeret, mutaretur; ergo etiam Deus, ſi denuò poteſt aſſumere, poteſt mutari. Patet conſequẽtia, quia ſi aſſumptio humanitatis intrinſecè infert mutationẽ in aſſumẽte, etiã ſi Deus ſit aſſumens, certè mutabitur.

24 Confirmatur tertiò. In Reſurrectione mutabitur anima, ex eo quòd corpori vnietur, & ſuũ eſſe illi communicabit: ergo ſi Diuinũ Verbum poteſt humanitati vniri, & ei ſuũ eſſe communicare, poterit etiã mutari.

25 Cõfirmatur quartò. Omne vnibile eſt mutabile, ſed Deus eſt vnibilis naturæ humanæ: ergo eſt mutabilis. Cõſequẽtia patet, & minor eſt de fide: & probatur maior. Vnibile antè vnionem eſt in potentia ad ipſam vnionem; ergo poteſt reduci de potentia ad actum, ac ſubinde mutari.

26 Sextò probatur eadem minor. Eodem modo vnitur Deus humanitati, quo anima rationalis corpori: ſicut enim anima in ſe ſubſiſtens ſuum eſſe corpori communicat; ita ſimiliter Deus humanitati: ſed anima in vnione ad materiam verè mutatur, ergo, &c.

27 Septimò. Humanitas nequit Verbũ conſtituere hominẽ, niſi ipſum per modũ formæ totius ſuppoſiti afficiat, neque è cõtrario poteſt Verbũ per ſeipſum dare humanitati, vt ſubſiſtat, quin ipſam afficiat, & informet, vel ſaltè per modũ materiæ, & ſubiecti illã ſuſtẽtet: ſed hæc fieri nõ poſſunt, ſine aliqua ipſius verbi mutatione, ergo, &c.

Cõfirmatur. Nulla forma realis poteſt alicui de nouo vniri, quin veram illi afferat mutationem, ſed humanitas Chriſti eſt vera, & realis forma, conſtituens Chriſtum formaliter in ratione hominis, ergo nõ potuit de nouo vniri realiter, & intrinſecè Verbo ſine ipſius mutatione. Dices; hæc verbo poſſe conuenire, abſque vlla ſui mutatione per ſolam humanitatis mutationem, ſicut aliquis poteſt dici ſimilis alteri ſine mutatione alterius. 28

Contra hoc eſt: quia talis denominatio ſine mutatione ſubiecti eſt propria relatiuorum; ergo ſi Deus dicitur de nouo homo ſine vlla ſui mutatione, iſta prædicatio relatiua eſſet accidentalis, & ex conſequenti Deus non eſſet ſubſtantialiter homo, ſed accidentariò. 29

Confirmatur. Si Deus eſſet de nouo ſciẽs, vel volẽs, vel albus, mutaretur, ergo ſi denuò eſt homo, mutatur. Antecedens patet, & probatur conſequentia: quia maiorem mutationem poteſt inducere natura ſubſtantialis de nouo adueniens, quàm natura accidentalis. 30

Vndecimò. Si Deum incarnari fuiſſet conueniens, vel ergo Deo, vel humanæ naturæ, vel ipſi vniuerſo: non Deo, quia conueniens, & bonum ſunt idem; ſed incarnari non fuit ipſi Deo bonũ, ergo neq; conueniens. Minor probatur: nam bonum pro formali dicit perfectionem, ergo quod alicui eſt formaliter bonum, debet dicere perfectionem reſpectu illius. Sed Deus per Incarnationem nullam intrinſecam perfectionem acquiſiuit, aliàs aliqua perfectio illi antè Incarnationem defuiſſet, & per conſequens non eſſet infinitè perfectus ab æterno, quod eſt abſurdum: ergo incarnari nõ fuit bonum, aut conueniens illi. Neq; etiam humanitati, tum, quia id expreſſè fatetur D. Thomas hìc ad ſecundum: tum maximè, quia ipſius ratio hoc aperitè conuincit: nam illud dicitur conueniens, quod alicui conuenit ſecundum rationem propriæ naturæ: ſed humanitati non conuenit vniri hypoſtaticè verbo ratione propriæ naturæ, ſed ſupernaturali Dei beneficio: ergo non fuit conueniens illi. Quòd autem neque toti vniuerſo, patet, quia ſi incarnatio illi foret conueniẽs, pertineret ad eius pulchritudinem, & perfectionem; ſed nõ pertinet: ergo. Minor probatur: quia vniuerſi pulchritudo conſiſtit in ordinata ſerie omniũ rerũ naturaliũ: ſed incarnatio Verbi non ſpectat ad ordinem rerũ naturalium: ergo neque ad pulchritudinem vniuerſi, atq; adeò non fuit illi conueniens, Deum incarnari. 31

Pro explicatione concluſionis D. Thomæ animaduertendum eſt, incarnationem fuiſſe conuenientẽ Deo, & humanitati, licèt diuerſa ratione. Etenim Deo fuit conueniens ſecundùm ſuam naturam; nã cùm ſit ipſa bonitatis eſſentia, hæc ſumma communicatio eſt ſibi proportionata, & connaturalis, connaturalitate quidẽ dicente non neceſſitatem ſimpliciter, ſed conformitatem ſuæ naturæ, quæ eſt alijs ſe ſe cõmunicare: quamuis indè nulla ſibi cõmoditas, aut perfectio accreſcat. Humanitati verò non fuit hac ratione conueniens, quoniam natura humana neque exigebat iſtam vnionem, neque erat proportionata, connaturalis, aut conformis ſuæ naturæ, cùm ſit ſupra omne debitum, & conditionem humanæ naturæ, ad quam vnionem ſolùm erat in natura humana obedientialis potentia. Et ſic intelligendus eſt D. Thomas, cùm inquit in Reſponſione ad ſecundũ, incarnationẽ non eſſe 32

conuenientem

conuenientem naturæ, idest, non esse proportionatā, & connaturalem suæ naturæ: nihilominus est valde conueniens humanitati, hoc est, magnum bonū, & perfectionem illi afferens, eamq; elenaus ad esse diuinum.

33 Secundò aduertendum est, conueniens absolutè fuisse opus incarnationis, non solùm in ordine ad voluntatem Dei præcisè, quia factum est à Deo: sed etiam; quia in ipso obiecto sunt rationes, ob quas sit conueniens simpliciter, & in ordine ad Diuinam sapientiam. Primum est de Fide, quia Genes. 1. dicitur de creaturis à Deo conditis: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erāt valdè bona.* Ac proindè maiori ratione idem concedendum est de opere Incarnationis. Secundum etiam est adeò certum, vt sine ingenti temeritate, & errore negari nō possit, nam à Theologis communiter asseritur. Et Patres varias assignant rationes huius conuenientiæ, vt videri potest apud Damascenum lib. 3. Fidei cap. 1. & apud Anselmum lib. Cur Deus homo: Et apud Augustin. epist. 3. ad Volusianum. Et apud D. Thom. 4. contra Gent. cap. 54. Et colligitur ex Sancta Scriptura, in qua dicitur, hoc opus fuisse à Deo factum, non solùm, quia ipse voluit, sed etiam propter alios fines peculiares. Etenim ad Ephes. 2. sic dicitur. *Deus autem, qui est diues in misericordia propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo.* Et paucis interpositis. *Vt ostenderet in sæculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu.* Et insuper; quia licèt Deus potuerit facere aliquid, in quo nulla alia esset conuenientiæ ratiò, quàm ab ipso fuisse factum, & volitum: nihilominùs certum videtur, nihil tale re ipsa fuisse factum. Cùm enim Genes. 1. dicatur, omnia quæ à Deo facta sunt, esse valde bona, non solùm sequitur, esse valde bona, quia à Deo sunt facta; verùm etiam secundùm proprias naturas, & consideratis rationibus, quæ ex parte ipsarum se tenent in ordine ad fines particulares, ab illo vniuersali distinctos. Et Sap. 11. vt reddatur ratio, propter quam Deus aliqua non fecerit, quæ efficere potuit, dicitur. *Omnia in mensura, numero, & pondere disposuisti.*

Si autem obijciatur, perperàm distingui cōueniens in ordine ad voluntatem Dei, à conuenienti in ordine ad eius sapientiam: siquide quod est priori modo conueniens, est etiam conueniens posteriori modo; Nam Diuina sapientia iudicat esse conueniens, sicut verè est conueniens. Respondetur, Diuinam sapientiam posse iudicare duobus modis de rerum conuenientia, videlicèt, aut tantùm per ordinem ad voluntatem Dei, quæ est sufficiens conuenientiæ regula; aut per ordinem ad naturam rei, & ad alios fines particulares, quorum exigentia, res, quæ dicitur conueniens, est rectè disposita, & proportionata. Si sapientia priori modo consideretur, quicquid est conueniens in ordine ad voluntatem Dei, est etiam conueniens in ordine ad eius sapientiam. Si verò posteriori modo perpendatur, rectè potest aliquid esse conueniens in ordine ad Dei voluntatē, quod in ordine ad eius sapientiam non est conueniens: licèt non sit dicendum disconueniens, nec absolutè non conueniens respectu Diuinæ sapientiæ, sed cum additio, quo explicetur, sumi Diuinam sapientiam, quatenùs disponit res in ordine ad finem particularem, & non tantùm in ordine ad suam voluntatem. Pro quo videnda sunt, quæ dicuntur infra q. 4. art. 1. de Assumptibilitate naturæ rationalis ad vnionem hypostaticam. His positis sit prima conclusio.

PRIMA CONCLVSIO. §. II.

INCARNATIO Fuit per se conueniens ipsi Deo, hoc est, maximè consentanea Diuinæ naturæ 34
& bonitati, quamuis illi nullam perfectionem, aut commoditatem attulerit. Pro intelligentia huius conclusionis aduertendum est, quòd licet conuenientia, & congruitas alicuius medij non sit sumenda per ordinem ad causam operantem formaliter, si tamen operans, & finis coincidunt, benè potest sumi ex ordine ad operantem. Et quoniam Deus, qui assumit incarnationem, vt medium ad reparandum genus humanum, est finis & incarnationis, & reparationis, ideò incarnatio, & eius conuenientia ex Deo potissimùm desumenda, & pensanda est. Et sic intelligitur conclusio, nempe, incarnationem per se fuisse Deo conuenientē: quia Deus intendebat seipsum summè manifestare, & incarnatio Deum totum, & totaliter (vt ita dicamus) manifestat. Hæc conclusio quo ad primam partem probatur efficaciter ratione D. Thomæ; quia vnicuique rei est cōueniens suus actus, & operatio, sicut hominis est vti ratione; sed ad bonum pertinet se ipsum communicare: ergo conueniens est summo bono summè se communicare. Sed hoc fecit Deus per incarnationē, ergo conueniens fuit incarnatio ipsi Deo. Legendus est D. Thomas Opusc. 60. de Humanitate Christi, vbi ostendit cōgruisse hoc opus Deo ad manifestandam suam sapien- 35
tiam, bonitatem, & potentiam. Addiderim etiam, congruisse hoc opus Deo, ad ostensionem eorum, quæ sunt Dei propria, non solùm quæ pertinent ad ordine gratiæ, verùm etiam quæ spectant ad ordinem naturæ, vt quòd sit iustificator, & glorificator, quòd habeat filiū, illūq; ex amore mittat in mūdū. De hoc intelligitur illud Ioan. 18. *Ego in hoc natus sum, & in hoc veni in mūdū, vt testimoniū perhibeā veritati.* Et ideò Ioan. 3. dicitur. *Scimus, quia à Deo venisti magister.* Quasi ita omnibus cōstaret, incarnationem Christi eò esse destinatā, vt manifestaret, quæ sunt Dei, præsertim vt author gratiæ. Vndè statim subinnuit, quæ ad naturā Diuinā, & Trinitate Personarum spectabant. Et ad Ephes. 3. ait Paulus, collatā sibi gratiā ad illuminandū omnes, quæ sit dispesatio sacrameti à sæculis abscōditi in Deo: quod de Verbo Incarnato intelligitur: & ideò subdit. *Vt innotescat principibus, & potestatibus multiformis gratia Dei, secundū præfinitionem, quā fecit in Christo Iesu.* Eò igitur tendit incarnatio, vt omnes in Christo, & per Christū agnoscerēt, quæ sunt Dei; & ipsum Deū, sicuti est. Vndè sicut Deus ad in 36
tra produxit Verbū, in quo dicit, & explicat se, & omnia sua naturaliter, & ex vi suæ cognitionis; ita similiter ex summo amore nobis ad extra Christū dedit, in quo etiā omnia Diuina attributa, & quæ sunt eius propria, per gratiā nobis manifestaret. Et sicut Diuinū Verbū ad intra dicitur splēdor gloriæ, & figura substātiæ eius, ad Heb. 1. quia est similis Deo Patri, & eū secūdùm omnia sibi insita manifestat, tāquā suæ gloriæ splēdor: sic etiā Ioā. 1. dicitur de Verbo Incarnato: *Vidimus gloriā eius, quasi vnigeniti à Patre, plenū grā, & veritatis.*

B 2 Etenim

Etenim gloria Christi fuit quasi vnigeniti à Patre, quoniam & Patrem, & omnia quæ Patris erant, manifestauit. Et ideò Ioannes postquàm dixit. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis:* Illleò subiunxit: *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti.* Vt intelligatur, Deitatem à carne non confundi, neque vllo modo verbi splẽdorẽ diminui: sed quod in Deo ad intra est splẽdor gloriæ, in mũdo habere gloriã, & splẽdorẽ quasi vnigeniti: & qui in Deo nascitur, vt per naturã manifestet, quicquid est Deus: inter homines nasci hominẽ, ad summè manifestandã essentiã, bonitatẽ, sapiẽtiã, & omnia Dei attributa, licèt vmbratice, & sicut circus refulgẽs inter nebulas gloriæ: & sicut radij solares attingẽdo corpus opacũ, in ipsum solẽ primò reflectũtur, & illũ ostẽdũt, quãtùm est ex parte sua: ita similiter, quod verbũ incarnatum primo, & principaliter intẽdit, est manifestatio Dei, & Diuinorũ attributorũ; atq; adeo incarnatio Filij Dei in suũ authorẽ reflectitur, & quia ipsa est summa; ita etiã & summè est manifestatiua Deitatis, ac proindè Deo maximè conueniens. Legendus est D. August. 4. de Trinit. cap. 18 & lib. 13. cap. 13.

37 Secunda pars cõclusionis probatur, quia cùm Deus sit infinitæ perfectionis, suis creaturis indigere nõ potest, & ex cõsequẽti nullã ex aliqua re vtilitatẽ, aut cõmoditatẽ percipere potest, neq; vllã de nono perfectionẽ acquirere: quod quidẽ in proposito magis etiam in particulari confirmari valet: etenim ex opere incarnationis tripliciter potest intelligi, fuisse Deo additã aliquã perfectionẽ, nẽpe, aut ratione humanitatis, quæ secũdùm se est quædã perfectio, qua Deus, si nõ esset incarnatus, careret; aut ratione actionis transeuntis, qua Deus fuit causa vnionis hypostaticæ, quoniã huiusmodi etiã actio est quædam perfectio, & est in Deo iuxta sententiã eorũ, qui asserũt, actionẽ trãseuntẽ esse in agẽte, & nõ in passo: aut tãdẽ ratione volitionis liberæ immanẽtis, qua Deus voluit fieri hoc mysteriũ, quia etiã hæc est quædã perfectio. Et quamuis fuerit in Deo ab æterno, distinguitur tamen à eius substantia, & potuit non esse, quia est libera; ac proindè fuit addita Deo.

38 Quòd autẽ Deo nulla fuerit addita perfectio ratione humanitatis assumptæ, probatur: quoniã etsi humanitas sit quædã perfectio, tamẽ quia Deus est infinitè perfectus, & omnẽ perfectionẽ creatã aliquo modo continet, reddi nequiuit melior, aut perfectior propter vnionẽ humanitatis. præsertim cũ huiusmodi vnio effecta fuerit absque aliqua Dei mutatione, & sine actuatione, & informatione: nã ex hoc bene infertur, Deũ in se ipso nõ fuisse redditũ perfectiorẽ, neq; aliquã perfectionẽ cõparasse, quia id sine aliqua Dei mutatione fieri nõ posset, & absque eo, quòd humanitas, vt forma illã perfectionẽ cõmunicãs, informaret, & actuaret ipsum Deũ. Legẽdus est D. Thom. infra. q. 3. art. 1. ad 1.

39 Prætereà, quòd nec ratione actionis trãseũtis fuerit Deo addita aliqua perfectio, cõstat ex eo, quòd vel Deus nõ operatur ad extra media actione, formaliter trãseũte, aut saltẽ omnis actio trãsiẽs recipitur in passo, & nõ in agẽte, vt dici solet. 1. p. q. 25. & tãdẽ idẽ esset dicẽdũ de volitione, qua Deus incarnationem efficere voluit; & probatur, quia licèt illa volitio perfectionẽ importet, huiusmodi tamẽ perfectio non est distincta à substantia Dei, neque realiter, neq; formaliter.

SECVNDA CONCLVSIO. §. III.

40 QVAMVIS Incarnatio non fuerit disconueniens humanæ naturæ, neq; etiã cõueniẽs ipsi secundùm conditionem suæ naturæ, fuit illi maximè cõueniẽs, idest, valde vtilis, & maximã ei afferẽs perfectionẽ. Prima pars huius cõclusionis est omnibus recepta; quia assumi ad vnionẽ hypostaticã cũ Diuino Verbo est maxima perfectio, & ex eo multæ cõsequuntur vtilitates, nõ solũ humanitati indiuiduæ, quæ assumpta est, sed etiã omnibus hominibus. Secũda pars est expressa D. Thomæ sentẽtia hîc ad secũdũ, vbi ait: vniri Deo in vnitate personæ non fuisse cõueniẽs carni humanæ secũdũ cõditionẽ suæ naturæ. Et probatur ratione D. Thomæ: quia natura humana nõ habet potẽtiã, aut inclinationẽ naturalem ad hanc vnione, sed dũtaxat obediẽtialẽ, vt dictum est in prima obseruatione, ergo huiusmodi vnio nõ est simpliciter cõueniẽs, & cõsona ipsi humanitati secũdùm cõditione suæ naturæ. Patet cõsequẽtia, nã conueniẽs respectu alicuius secundùm naturã, dicitur id, quod est naturæ suæ consonum, proportionatum, & connaturale.

41 Cõfirmatur primò, quia hæc vnio est supra naturã respectu humanitatis: ergo non est cõueniens respectu ipsius secundùm cõditionẽ suæ naturæ. Cõfirmatur secundò: quia tunc actus aliquis dicitur conueniens respectu alicuius rei secũdùm cõditionẽ suæ naturæ, quãdo est talis, qualem exigit natura illius rei; sed vnio ista non est talis, qualem exigit natura humanitatis, quia humanitas secundùm suam naturam non exigit eam; ergo non est dicenda conueniens respectũ humanitatis secundùm conditionem suæ naturæ.

42 Sed obijcitur primò; quia probatio primæ partis, & secunda pars huius conclusionis inter se repugnare videntur; quia si vniri personæ Diuinæ est perfectio respectu humanitatis, ergo est bonum ipsi humanitati. Patet consequentia, quia nihil potest perfici nisi per id, quod est sibi bonum. Ergo etiam est conueniens; quia bonum, & conueniens conuertuntur.

Confirmatur, quia per huiusmodi vnionẽ perficitur humanitas quo ad ea, quæ in ipsa sunt naturalia, ergo hæc vnio est bona ipsi, & ex consequenti cõueniens secundùm conditionem suæ naturæ. Antecedens probatur; quia humanitas præsupponitur vnioni saltẽ ordine rationis, vt incõpleta, & imperfecta in naturalibus: præsupponitur enim vt carẽs personalitate, qua subsistat: ergo cùm vnitur personalitati Diuinæ ad subsistẽdum per eam, perficitur, & completur in naturalibus.

43 Secũdò obijciũtur duo testimonia D. Thomæ. Primũ habetur infra. q. 4. art. 1. Vbi docet D. Thom. humanã naturã secundùm cõditionẽ suæ naturæ habere congruentiã, vt assumatur à verbo, qua omnes naturæ irrationales carẽt. Alterũ cõtinetur. 1. p. q. 50. art. 1. vbi probat D. Thomas, esse cõueniens toti vniuerso secũdùm conditionẽ suæ naturæ, fuisse productas à Deo substantias omninò immateriales, nempe, Angelos: quia hoc modo est completa vniuersi perfectio, quæ postulat, vt in eo sint omnes rerũ gradus. Si autẽ non fuissẽt producti Angeli, nõ esset in vniuerso gradus substantiarum omnino immaterialium. Pari ergo ratione probari poterit, esse conueniens vniuerso, quòd humanitas vniatur hypostaticè verbo: tum, quia ita

reperiuntur

Digitized by Google

reperiũtur in vniuerso tres rerũ gradus maximè distã-
tes, nempè, naturæ, gratiæ, & vnionis hypostaticæ : tum
etiam, quia sic reperientur diuersi modi, quibus natu-
ræ subsistere per personalitatẽ possunt. reperietur enim
vna natura subsistẽs in tribus personalitatibus; nempe,
Diuina: & vna natura subsistens tantùm in vna perso-
nalitate, scilicet, quæuis natura creata : & similiter re-
perientur duæ naturæ in vna personalitate subsistẽtes,
videlicet, natura Diuina, & humana in vna Diuini
Verbi personalitate.

44 Ad argumentum negatur, vllam esse repugnantiam
inter secundam partem conclusionis, & probationem
primæ. Et ad probationem Respondetur, licèt vnio
cum persona verbi sit perfectio, & ex consequenti bo-
nitas quædã respectu naturæ humanæ, non sequi, quòd
sit ei cõueniẽs secũdùm cõditionẽ suæ naturæ: nam est
perfectio, & bonitas supernaturalis, ad quam in natura
humana nõ est potẽtia, aut inclinatio naturalis, sed so-
lùm potẽtia obediẽtialis. Cùm verò dicitur, bonum in
cõmuni, & cõueniens cõuerti, sumitur cõueniens latè,
prout cõprehendit, quicquid cõuenit, aut congruit, vel
est vtile alicui rei, siue secũdùm suã naturam, siue supra
eã; vnde non conuertitur tantùm cum bono naturali,
sed cùm naturali, & supernaturali: at verò in conclu-
sione sumitur conueniens magis strictè, prout signifi-
cat id, quod est consonum, & conueniens alicui rei se-
cundum conditionem, aut exigentiam suæ naturæ.

45 Ad confirmationem conceditur, humanitatem per
vnionẽ perfici in naturalibus, sed negatur, perfici secũ-
dùm conditionem, aut exigentiam ipsorũ naturalium:
quia humanitas secundùm cõditione suæ naturæ non
postulabat perfici, aut cõpleri per Diuinã personalita-
tem, sed per propriam. Vt autem vnio diceretur bona,
& conueniens humanitati secundùm cõditionem suæ
naturæ, necessum esset, quòd humanitas secũdùm suam
naturam, per eam perfici postularet.

46 Ad primum locum D. Thomæ Respondetur, ipsum
loqui de congruentia ex suppositione, & facta cõpara-
tione inter naturã rationale, & irrationale, non autem
de congruentia simpliciter. Itaq; D. Thomas eo loco
nõ ait simpliciter, humanitatẽ secũdùm cõditionẽ suæ
naturæ, habere cõgruitatem, vt assumatur à Verbo, sed
facta cõparatione ad naturã irrationalem, habere ali-
quam rationem congruentiæ, & aptitudinis, quam
irrationalis natura non habet.

47 Ad secundum testimoniũ Respõdetur, D. Thomam
ibi loqui de complemento naturali, quod ipsum vni-
uersum secũdùm cõditionẽ suæ naturæ postulare po-
terat, quia sine eo esset secũdùm suã naturã incomple-
tum, & imperfectũ: at verò incarnatio Verbi, & ea, quæ
ipsa posita, sequũtur in vniuerso, nõ pertinẽt ad cõple-
mentum naturale vniuersi, & ideò neq; vniuersum ea
postulat secundùm cõditionẽ suæ naturæ, neq; sine eis
esset incõpletũ, aut imperfectũ secundùm suã naturã.

48 Tertia demũ, pars cõclusionis, nẽpe, incarnationem
fuisse humanitati maximè cõuenientẽ, idest, valde vti-
lem, & magnum ei afferentem bonum, & perfectionẽ;
probatur; quia incarnatio Verbi attulit humanitati
plurima bona: nam in primis attulit ei gratiam vnio-
nis, consistentem in vera, & substantiali coniunctio-
ne humanæ naturæ cũ ipsa Verbi persona, à qua, veluti
à fonte, redundarunt in ipsam innumera supernatura-
lia bona, videlicet, habitualis gratia, virtutes, dona spi-
ritus sancti, gloria animæ & corporis, imò & in nos
omnes: * De plenitudine enim eius omnes accepi-
mus.* Vt Ioan. 1. cap docet.

Rursus per incarnationem euecta est natura huma- 49
na ad summũ celsitudinis gradũ, & ad plenã Diuinita-
tis participationẽ, factũq; est, vt verus homo sit verus
Deus, atq; adeò vt quidam homo esset omnibus An-
gelis superior, & caput illorũ, Iudex viuorũ, & mortuo
rũ, prædestinatus ad sanctificãdos homines: ex quo ha-
bet, vt sit primogenitus in multis fratribus, & capax
multarũ perfectionũ, quarũ nulla pura creatura potest
esse capax, vt infiniti meriti, & gratiæ, perfectæ, & ri-
gorosæ iustitiæ corã Deo, & aliarũ similiũ. Vndè me-
rito dixit August. lib. de Prædestinatione Santorũ. cap.
15. humanã naturã sic fuisse per incarnationẽ euectã;
vt quò altiùs subleuetur, non habeat: non enim po-
test altiùs attolli, quàm ad esse diuinum, quod est sum-
mum dignitatis fastigium, & ad plenitudinem scien-
tiæ, & veritatis, quibus eius intellectus summè luceret,
ad plenitudinem etiam charitatis, vt illius arderet vo-
luntas. Ad gloriam item, quam à primo instanti suæ
incarnationis habuit, vt omnium bonorum aggrega-
tione potiretur: & ad gloriam tandem corporis, & sui
nominis exaltationem, quam per merita adeptus est.

Et quamuis hæc dignitas fuerit propria, & singula- 50
ris humanitatis Christi, in totã tamen naturam redũ-
dauit, & omnia per incarnationem digniora reddun-
tur. Etenim cùm verbum assumeret humanitatẽ, quæ
est quasi compendium vniuersæ creaturæ, consequen-
ter omnes exaltauit creaturas. Et ita D. Gregor. ad il-
lud Marci Vltimo: *Prædicate Euãgeliũ omni creatu
ræ, *inquit. *Omnis enim creatura homo. *Et sic rectè
interpretatur illud ad Ephes. 1. * Disposuit in dispẽsa-
tione plenitudinis tẽporũ instaurare omnia in Chris-
to.* Quoniã in eo omnia meliorãtur, & perficiũtur.
Et nõ solùm supernaturalia, sed naturalia etiã mirabili
quodã modo perfectionẽ adipiscũtur. Qualiter etiam
creaturæ, quæ propter hominũ iniquitates, & abusus
grauatæ erãt, per incarnationem releuari dicuntur ad
Rom. 8. Et sic explicatur ab aliquibus illud Isaiæ. 65.
Ecce ego creo cœlos nouos, & terrã nouã. Et Apo-
calip. 21. *Vidi cœlũ nouũ, & terrã nouã.* Vtrobique
autem est sermo de Tempore Gratiæ, & Incarnatio-
nis Christi, in quo omnia renouantur.

Præterea probatur eadem pars tertia. Per incarna- 51
tionẽ homo adeptus est summã perfectionẽ, tã secun-
dùm esse naturale, quàm morale; ergo incarnatio fuit
illi maximè conueniens. Consequentia patet. Quia ho-
mo nõ est perfectibilis nisi secundùm suũ esse, quod nõ
est aliud præter naturale, & morale. Sub morali autẽ
includitur tã quod est ordinis naturæ, quàm quod est
ordinis gratiæ. Antecedens autẽ probatur, nã secũdùm
esse naturale eò euehitur, vt natura nostra habeat esse
Diuinũ, ex quo omnia indiuidua speciei humanæ ali-
quomodo illud idẽ esse participant. Et ob id August.
serm. 9. de Natiu. inquit. *Deus factus est homo, vt ho
mo fieret Deus.* Et in Psal. 75. *Verbũ factũ est caro,
vt caro participet verbũ. *Et in Psal. 138. ita ait. *Il-
la Diuinitas Patri æqualis facta est particeps mortali-
tatis, non de suo, sed de nostro, vt nos essemus parti-
cipes Diuinitatis suæ, non de nostro, sed de suo.*

Item D. Thom. sermone de Eucharistia inquit.* Vnigenitus siquidem Dei filius suæ Diuinitatis volens nos esse participes, nostram naturam assumpsit, vt homines Deos faceret factus homo.*

52 Insuper. Quòd secundùm esse morale etiam summè perficiatur homo, probatur: quia homo subijcitur excellentissimæ legi, quæ non solùm per Deum imprimitur internis, sed per Christum prædicatur visibiliter, & talem virtutem continet, vt legem obseruare possimus, & ob id ad Rom. 1. ait Paulus. *Non erubesco Euāgeliū, virtus enim Dei in salutē omni credēti.* Itē ex Christo participat homo gratiā, nō tātùm quia est Dei particeps, verum etiā, quia est ipsius Christi cōparticeps, & sodalis. Ad Hebr. 2. *Qui sanctificat, & qui sanctificatur, ex vno omnes; quapropter nō cōfunditur eos vocare fratres.* Nec sola fraternitate cōiūgimur, sed Christo incorporamur, sicut palmites adhærēt viti, iuxta illud *Ego sum vitis vera, & vos palmites.* Et sicut mebra capiti subdūtur, à quo ebibūt influxū, vt patet ad Ephes. 5. Et sicut pars parti adhæret. Et ideò ad Ephes. 3. dicimur cōparticipes, & concorporales. Et vlteriùs per incarnationē perficimur, ita vt per gratiā Christi in gratia cōsummemur. Hinc Christus dicitur: *Via, veritas, & vita.* Quia illuminat tribuēdo veritatis lege, & ducit homines per gratiā vsq; ad gloriā, vbi ipse est hominū vita. Vnde Paul. ad Ephes. 3. & finē incarnationis Christi, & omniū operū illius præscribit dicens: *Vt ostederet in sæculis superuenientibus abūdātes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu Dño nostro.* Et per totū caput explicat Paulus, quāta nobis bona attulerit Christus. Vbi notādum est illud Verbū: *Euāgelizare inuestigabiles diuitias Christi:* Quia bona per Christū nobis collata inuestigari non possunt.

53 Præterea expēdēdū est illud, quod subditur. *Vt innotescat principibus, & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiā multiformis sapientia Dei:* Quia in incarnatione, vt supra ostēsum est, nō vnū, aut alterū attributū, sed multa, & multipliciter relucēt secūdùm multiforme sapientiā Dei: elucent enim maximè bonitas, sapiētia, iustitia, & omnipotētia Dei. Bonitas quide, propter rationē D. Thomæ in corpore articuli, quā statim explicabimus disp. 7. & similiter quia est signū magnæ bonitatis, vti benignitate, & misericordia in miseros, & abiectos. Et in hoc incarnationis mysterio maximè ostenditur benignitas, & humanitas saluatoris nostri Dei, iuxta illud ad Tit. 2. Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nři Dei, &c. Ad hæc. Sapiētia etiā elucet, quia Deus in hoc mysterio modū excogitauit, quo res distātissimæ, nēpe, natura Diuina, & humana cōiūgerētur, & quo dæmonis imperiū vinceretur, & euerteretur. Rursus elucet iustitia, quia Deus hominē victū, & perditū reparauit medio alio homine, nō sine cōdigna satisfactione respectu suæ iustitiæ. Et ideò Paul. ad Rom. 3. ait. *Iustificati gratis per gratiā ipsius per redeptionē, quæ est in Christo Iesu.* Cōstat autē nomine redeptionis significari libertate factam oblato pretio. Et c. 5. *Sicut per vnius, scilicet, Christi iustitiā in omnes homines in iustificatione vitæ, &c.* Et tādē ostēditur Dei omnipotētia, quia nihil potentius esse potuit, quàm vnire has duas naturas, nempe, humanam, & Diuinam, ita vt Deus sit homo.

Postremò ponderandū est illud. *Vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.* In quo denotatur bonorū affluetia, quibus replemur, nō quide quomodocunq;, sed secundùm plenitudine Dei, quæ est summa.

Ex Patribus etiā multi multa scripserunt explicātes plurima; & ineffabilia bona, quæ nobis per incarnationē cōuenerūt. Legedi sunt inter alios D. Bernard. sermo. 45. in cātica de fructibus incarnationis. D. August. in Manuali c. 26. Clemēs Alexād. lib. 1. Pædag. c. 3. Cyprian. lib. de Cardinalibus Christi operibus c. de Natiuitate Christi, vbi dicit, Christū factū esse hominem, vt homo haberet in Deo, vnde fieri posset plenè beatus; in anima videdo Diuinitate, in corpore, videdo humanitatē, vt tota hominis cōuersio esset ad Christū. Quæ ratio fundari potest in illo verbo Ioā. 17.* Hæc est autē vita æterna, vt cognoscāt te solū verū Deū, & quem misisti Iesum Christū.* Ide docet August. in Manuali c. 16 citato dicēs. *Deus propter homines factus est homo, vt vterq; sensus hominis in ipso beatificaretur, & reficeretur oculꝰ cordis in eiꝰ Diuinitate, & oculꝰ corporis in eiꝰ humanitate, vt siue ingrederetur, siue egrediēs, in ipso Pascua inueniret humana natura, ab ipso cōdita. 54

TERTIA CONCLVSIO. §. IIII.

INCARNATIO Filij Dei fuit toti vniuerso cōueniens, sumpto cōuenieti pro vtili & commodo. Hāc cōclusionē cōfirmat Marsilius in 3. q. 1. art. 2. pluribus rationibus: sed breuiter probatur, quia incarnationis mysterium spectat ad pulchritudine, & decorem vniuersi, consurgit enim huiusmodi pulchritudo ex omnibus possibilibus gradibus, & ordinibus rerū: sed per hoc mysteriū nouus illi rerum gradus, & ordo accessit, ergo. Minor probatur, nam anteà in vniuerso solùm inter naturā, & personā duplex reperiebatur ordo, aut enim vna natura erat in pluribus personis, vt in Deo, aut singulæ naturæ in singulis personis, vt in cæteris rebus: per incarnationē verò tertius accessit, quo duæ naturæ subsistunt in vna verbi persona. 55

Præterea. In natura humana omnes gradus rerum possibiliū cōtinētur, qua ratione Arist. 8. Physic. cap. 2. Hominē paruū mūdū appellat: & Philo lib. de Mundi fabrica epilogū vniuersi, ergo si per incarnationē humana natura perfecta est, vt cōstat ex præcedēte cōclusione, omnes etiā rerū gradus, ex quibus vniuersum integratur, sunt perfecti, atq; adeò & ipsum vniuersum: quod significare videtur Paul. ad Ephes. 1. illis verbis. *Instaurare omnia.* Siue vt Græcè habetur. *Recapitulare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terris sunt.* Superest diluere argumenta initio disputationis proposita. 56

SOLVTIO ARGVMENTORVM. §. V.

AD Primum igitur argumentum negatur minor, & ad probationem dicendum est, quòd cùm Diuina personalitas eminētissimè contineat omnē perfectionē, quæ in personalitate creata reperitur, optimè intelligitur, per semetipsam immediatè cōplere, & satiare illud naturale desideriū, quo natura humana propriā personalitatē desiderat: atq eò ipso, quòd natura humana accipit Diuinā personalitatē, accipit simul eādem et perfectionē, quam personalitatē creata illi poterat cōferre, licet eā accipiat sub altiori, & 57

Digitized by Google

& eminétiori termino. Quòd fit,vt si per miraculū admitteretur,humanā naturā sustentari in aliqua persona, angelica.v.g cōsequēter est admittēdū,nō ibi satiari naturale desideriū,quod natura humana ad propriā personalitatem habet:quoniam personalitas angelica, quāuis sit perfectior humana personalitate : illam tamen eminenter non continet,ac proinde in tali casu natura humana esset violentata, quod in mysterio Incarnationis admitti non debet.

58 Ad confirmationem Respondetur, eò ipso , quòd per vnionem hypostaticam satiatur,& expletur potentia obedientialis,quam habet natura ad esse personale Diuinum,per redundantiam, & concomitantiam necessariam satiari etiam naturalem potentiam, quam ad propriam personalitatem habet propter rationem assignatam solutione præcedenti.Itaq; vnio hypostatica formaliter,& per se primò obedientialem potentiam duntaxat explet:secundariò veró, & consecutiuè satiat etiam naturalem:non enim repugnat, actum supernaturalem explere naturalem potentiam, quatenùs eminenter continet omne perfectionē,quæ in actu naturali,ad quē inclinatur naturalis potentia, reperitur.

59 Ad secundum Resp. Solutionem assignatam inter arguendum non esse sufficientem , vt ostendit replica ibi proposita. Vndè pro solutione aduertendum est, naturam humanam per se primò appetere personalitatem propriam,non quidem, prout est forma informatiua naturæ,sed quatenùs habet rationem termini complentis,& terminantis ipsam naturam. Secundariò autem appetere eandem personalitatem,vt forma quædam est,quatenùs ratio formæ est ad rationem termini necessariò prærequisita ; nam personalitas creata propter sui imperfectionem nequit naturam complere, & terminare absque media informatione. Hoc supposito Respondetur ad argumentum, quòd quemadmodùm siquis appeteret sanitatem acquirendam per medicinam,& ei miraculosè daretur sanitas absque omni medicamento , sanitas ita collata non solum satiaret appetitum,quo infirmus sanitatem appetebat: verùm etiam appetitum,quo desiderabat medicinam,eò quòd medicina non appetebatur nisi propter sanitatem:ita similiter Diuina personalitas perfectissimè terminant, & complens naturam humanam in Christo , non solùm satiat appetitum naturalem, quo humanitas appetit propriam personalitatem in ratione termini,verùmetiam simul satiat appetitum, quo humanitas eandem personalitatem in ratione formæ appetit:eò quòd ratio formæ non appetitur propter se,sed propter rationem termini.

60 Ad tertium Resp.Deum abscondi per carnem , vt conuenientissime per carnem manifestetur.Absconditur enim,prout induit carnem mortalem, & imaginē assumpsit peccati,subijciens se pœnis peccato debitis, quæ à diuina puritate valdè aliena videntur : & ob id in sacris literis Deus absconditus dicitur Manifestatur autē in carne,quia inde habet,quo possit videri. Isaiæ. 40. *Videbit omnis caro pariter , quòd os Domini loquutum est.* Et cap.42. *Quia oculo ad oculum videbunt.* Et.1. Ioan. 1. *Quod vidimus, quod audiuimus,quod manus nostræ contrectauerūt de verbo vitæ.* In carne etiam habet, vndè possit docere nos,& illuminare exemplo, & doctrina , iuxta illud Isaiæ.30. *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum,& aures tuæ audient Verbum post tergum monentis.* Et illud Pauli ad Titum. 2. *Apparuit benignitas,& humanitas Saluatoris nostri Dei omnibus hominibus erudiens nos, &c.* Quòd si aliqui contradicant,& resistant , in eorum malitiam debet reduci,vt rectè obseruauit Chrysostomus super Lucā, cap.2. vbi explicat exemplo solis,& lucis, quæ propter malitiam,& infirmitatem oculorum, quandoque excæcant homines;Iuxta illud Sap.2. *Excæcauit eos malitia ipsorum,nescierunt Sacramenta Dei.* Ex quo intelligitur,quo pacto Christus sit positus in ruinam,& in resurrectionem multorum:& Theologi docent,passionem,& mortem Christi scandalum fuisse Iudæis,non quidem causaliter,sed occasionaliter. Eodem modo explicandus est locus Isaiæ,nempe,ex hominum malitia illud contingere : & ideò subditur. *Nec reputauimus eum,* id est,contempsimus.

Ad confirmationem negatur sequi,illa inconueniētia ex Incarnatione,quia respectu diuersarum naturarum verificantur ea omnia,quæ in argumento adducuntur. Quòd autem sit factus in similitudinem carnis peccati,fuit maximè conueniens,vt per omnia fratribus assimilaretur.& quia pro nostris peccatis soluturus erat pœnas,ad quod necessaria erat caro patibilis,aliena quidem à culpa,sed in similitudinem carnis peccati. Et quamuis Deus non respiciat culpam cognitione beneplaciti,aut approbationis ; pœnam tamen, quam pro culpa infert,& videt,& approbat:præsertim in Christo,quem proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.Negatur etiam,Christum exiguum fructum sibi comparasse, quia vidit semen longæuū, æternumq; nomen sibi comparauit, *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur,cælestium, terrestrium,& infernorum.* Asciuit etiam sibi iudiciariam potestatem, *Dedit* Enim, *Ei iuditium facere, quia filius hominis est.* Qui etsi pro omnibus orauerit voluntate amoris,& vniuersos quantùm ad sufficientiam redemerit,Diuina sapientia ordinatum est, vt vasa iræ apparerent in interitum , & non omnes salutem consequerentur,vt simul Diuina misericordia & iustitia in hominibus relucerent:quod explicat, D. Paulus ad Roma.8.& 9. 61

Ad quartum Resp.Contraria non esse vnibilia , non prouenire ex magna distantia,sed ex repugnantia. Et ideò quamuis aliqua magis distent, dum tamen inter se non repugnent,sunt magis vnibilia,quàm quæ magis conueniunt,dummodò repugnent. Etenim albedo,& superficies differunt genere,& tamen sunt vnibilia.Albedo autem & nigredo conueniunt genere, & non sunt vnibilia,sed mutuò se expellunt circa idem subiectum Itaq; distantia extremorum impertinens est ad hoc,vt inter se vniantur,vel nō vniantur,plùs enim distant secundùm suas naturas substantia , & accidens, quàm duæ substantiæ,vel duo accidentia,& tamē illa vniuntur inter se,hæc vero vniri non valent. Ratio igitur ob quam extrema sunt vnibilia , est proportio Methaphisica,quæ inter illa inuenitur , & quouiā hæc proportio est habitudo vnius ad alterum,illa extrema, quæ inter se vllam habuerint habitudinem , vt sub iecti ad formam,aut naturæ ad suppositum , aut vniuersaliter potentiæ ad actum , erunt inter se vnibilia. 62

Quæ verò nullam habuerint habitudinem, aut duorũ actuum, aut duarum potentiarum, inter se vniri non possunt. Et quoniam humanitas habet potentiam, quæ actuabilis est per esse subsistens, Deus verò est actus, qui hanc potentiam actuare potest, & illius dependentiam terminare: ideò possunt inter se vniri, & de facto conuenienter vniuntur, quamuis secundum suas naturas distent in infinitum.

63 Ad confirmationem Resp. finiti ad infinitum, creaturæ ad Deum, nullam esse proportionem in esse entitatiuo, quia quãtumuis augeatur perfectio creaturæ, non adæquabit virtutem creatoris: esse tamen proportionem actus, & potentiæ, vt explicatũ est in præcedenti solutione.

64 Ad quintum Respondetur, ex duobus entibus in actu, quatenùs sunt in actu, non posse fieri vnum per se: in quantùm verò vnum est in potentia ad alterum, benè posse ex illis constare vnum per se. Et quia humanitas, estò secundùm esse essentiæ sit in actu, (est enim entitas actualis, tametsi non actu existens,) est tamen in potentia ad esse subsistens, & personale, quod Deus potest illi tribuere, ideo ex illis potest constare vnum per se.

64 Secundò Resp. ex duobus entibus in actu posse fieri vnum per se, quando illorum duorũ entium est vnus, & idem actus substantialis. Et quia hoc fit in huiusmodi vnione, in qua subsistentia Verbi est etiam subsistẽtia humanitatis, & actus substantialis illius; ideò resultat vnũ per se, quam Philosophiam Ethnici Philosophi non sunt assequuti, solum lumẽ naturale sequentes.

64 Tertiò Resp. naturam humanam in Christo non habere propriam existentiam, & ideò Diuina, & humana natura in Christo non conficiunt duo entia in actu existentia.

65 Ad sextum Resp. sicut vnio essentiæ cum existentia neque est essentialis, neque propriè accidentalis, sed substantialis: quia terminatur ad actum substantialem: ita similiter hanc ineffabilem vnionem Verbi cum humanitate non esse essentialem, neque accidentalem: sed appellari vnionem hypostaticam, & substantialem, quoniam fit in actu substantiali.

66 Ad confirmationem Resp. id quod aduenit enti in actu, accidentariò illi aduenire, quando secundùm subsistentiam non aduenit. Et quia humanitas aduenit Verbo secundùm subsistentiam, & hypostasim; illi accidentariò non aduenit. Tunc autem dicitur aliquid aduenire alteri secundùm subsistentiam, quando ex natura sua aptum erat subsistere, & illam subsistentiam accipit ab altero existente in actu. Et quia nullum accidens aptum est subsistere, ideò non aduenit substantiæ secundùm subsistentiam, & ex consequenti accidentariò aduenit. Vel secundò Resp. quod aduenit enti in actu per inesse, accidentariò aduenire; quod verò per subsistentiam, minimè aduenire accidentaliter.

67 Ad septimum Resp concedendo Verbum Diuinum in Incarnatione non vniri humanitati per modum formæ, neque rursus per modum motoris, eo modo, quo intelligentia vnitur orbi, vel nauta naui, vel Angelus corpori, quod assumit: vniri tamen per modum suppositi tribuendo naturæ humanæ subsistentiam.

68 Ad octauum Resp. illud esse verum naturaliter, secus autem per potentiam supernaturalem Dei.

Ad primam confirmationem Resp. cum D. Tho. 4. contra Gent cap. 49. ratione. 4. verũ esse, quod vnius rei subsistentis tantùm potest esse vnum quodquid est, per quod talis res habeat esse simpliciter: & ideò in Incarnatione eius rei, quæ subsistit, quę est suppositum Diuinum, vnum duntaxat est quodquid est, nempe, natura Diuina, per quam illud suppositum habet esse simpliciter: cæterùm per quodquid est humanitatis, non habet illud suppositum esse simpliciter, quia in esse simpliciter non constituitur per humanitatem, sed solùm in esse hominis.

Ad secundam confirmationem Resp. actioni Incarnationis correspondere aliquam passionem, quæ grãmaticè significatur per hoc, quod est, incarnari: & realiter debet significari per hoc, quod est, vniri. quoniam actio Trinitatis consistit in hoc, quòd Verbo humanitatem vniuit. Et ideò quod est passionis, est in humanitate, non tamen in Verbo. Itaque passio realis Respondens actioni Incarnationis importatæ formaliter per Verbum actiuum, *incarnare,* tenet se ex parte humanitatis, & non personæ verbi. Sed hæc passio non significatur per vocem passiuam, *Incarnari,* Sed per assumi, vel vniri. Nec mirum, quia vt aduertit D. Bonauent. in. 3. d. 1 q. 1. Sæpè verba in voce passiua nõ significant passionem realem, respondentem actioni, quam in voce actiua imperttant, sed alium respectum, vt constat in his verbis, amari, videri, &c. Quæ non passiones reales coniunctas, & identificatas cum actionibus amandi, & videndi, neq; in eisdem, quibus istæ, subiectis intrinsecè receptas, sed extrinsecas Denominationes obiectorum important, ab huiusmodi actibus acceptas: eodem modo ly, incarnari, non passionem realem coniunctam, & identificatam cum actione Incarnationis, & in eodem subiecto, nempe, humanitate, intrinsecè existentem significat pro formali; sed realẽ terminationem, qua persona Verbi humanitatem terminat. Vnde ex eò quòd Verbum fuerit incarnatum, non sequitur, passum, aut mutatum fuisse, sed solùm terminasse humanitatem sine vlla Verbi mutatione. 69

Secundo Resp. quòd illæ voces, licèt in eo sensu accipiantur à Philosophis, vt incarnare, siue vnire sit agere, & incarnari, siue vniri, sit pati: quando verò transferuntur ad Diuina, qua parte includunt imperfectionem, nõ retinent eandem significationem, sed modum significandi. Dicẽdum est ergo, incarnari, siue vniri, in diuinis nõ esse pati, sed potius sicut generans apud Philosophos est efficiens, Deus autẽ generans filium non propriè efficit filium: ita similiter in præsenti asserendum est, quod licet incarnari, seu vniri in rebus physicis sit aliquid recipere, ac pati, nihilominùs Verbum vnitum humanitati, eamq; suscipiẽs, non patitur. 69

Ad tertiam confirmationem, negatur consequentia: tum quia Deus est infinitè perfectus simpliciter: tũ quia in se continet eminenter rerum omnium perfectiones.

Ad replicam Resp. præsupponere vnum falsum, etenim licet sol dicatur virtute calidus, non tamen continet quicquid perfectionis est in ipso calore, quia hoc solius Dei est proprium: alioquin si contineret, nullo modo fieri posset formaliter calidus, perfectionem, & esse à calore recipiens: quicquid enim continet aliud, est actus respectu illius: actus autem, vt sic, perfici non potest: 70

Digitized by Google

poteſt:quòd ſi perficiatur, iam non erit actus reſpectu illius. Deus vero eſtò ſit formaliter homo, ab humanitate non recipit eſſe,ſed potiùs è contra humanitas à Deo:& ideò mutatur humanitas,nõ tamen Deus, quia per hoc quòd fit homo,nihil aliud efficit,quàm terminare humanæ naturæ dependentiam,illi tribues ſubſiſtentiam;de ratione autem termini non eſt mutari, ſed terminare.

71 Ad nonum Reſp. maiorem eſſe veram ſiſtendo in principijs naturæ,ſecus autem eſt de potentia ſupernaturali Dei.

Solutio decimi argumenti. §. VI.

72 DECIMVM argumentum petit,An humanitas Verbo vnita aliquam in ipſo mutationem cõſtituerit,in ipſamet vnione. Nõnulli Theologi aſſerũt, poſſe abſolutè,& ſimpliciter cõcedi, Verbum fuiſſe mutatum in ipſa vnione,non quidem quòd in ipſa Deitate Verbi aliqua fuerit mutatio: hæc enim fuit hæreſis Apolinaris,vt refert D.Tho.4.contra Gẽt. cap.31.damnata in Concilijs,Epheſino, & Calcedonenſi. Sed ex eo quòd humanitas aſſumpta à Verbo eſt mutata,ideò propter communicationem Idiomatum poteſt abſolutè,& ſimpliciter dici,Deum fuiſſe mutatum in ipſa Incarnatione,quia prædicata,quæ abſolutè dicuntur de humanitate,abſolutè etiam dicuntur de Deo:& probatur,quoniam iſtæ propoſitiones abſolutè conceduntur,Deus eſt conceptus,& natus temporaliter, Deus eſt paſſus,Deus mouebatur localiter; & tamen important mutationem.ergo ſimiliter poteſt dici,Deum fuiſſe mutatum in Incarnatione.

73 Nihilominùs hæc ſententia ſic explicata, licèt nihil contineat erroris in fide,ab omnibus Theologis meritò reijcitur;tum,quia impertinens eſt ad ſolutionem argumenti propoſiti. Tum etiam,quia in ſe eſt falſa. Primum patet,quoniam argumentum propoſitũ probare contendebat,Deum fuiſſe in ſe ipſo mutatum humanitatis aſſumptione, eò quòd ſe de potentia ad actum reduxerit:dicere verò fuiſſe mutatum ſecundùm humanitatem duntaxat,non diſſoluitur per hoc argumentum. Secundùm probatur Deus in Incarnatione non potuit in ſeipſo, neque ſecundùm humanitatem mutari,ergo,&c. Probatur antecedens; & prior pars ab aduerſarijs conceditur,& ratione aperta demonſtratur:nam quod hac ratione mutatur,ſemper recipit aliquam formam ſubſtantialem,vel accidentalem, informantem,vel inhærentem:ſed humanitas neque informat Deum,neque illi inhæret,ſed ſolùm eius dependẽtia ad Dei ſubſiſtentiam terminatur; ergo Deus in ſe ipſo non fuit mutatus in Incarnatione.

74 Prętereà.Illa prædicata,& idiomata communicantur in Incarnatione, quæ abſolutè conueniunt Deo, vel humanitati poſt factam vnionem,vel ſaltem à nobis præintellectam:quæ verò conueniont alteri extremorum antè vnionem,vel in ipſa vnione, non communicantur de ſe inuicem:non enim aſſerimos, hominem incarnari,vel aſſumi,neque Deum,aut Diuinitatem aſſumi:quia igitur Deum incarnari, vel vniri prius naturà eſt,quàm Deum eſſe hominem,vel quàm eſſe ipſam vnionem,quoniam eſt via ad illud:ideò fieri non poteſt,vt mutatio,quę ibi ratione humanæ naturę includitur,Deo ſimpliciter,& abſolutè tribuatur. Sic enim ex modo ſignificandi, & loquendi non ſupponeretur,Deum iam factum hominem:quarè dicendum non eſt,quòd Verbum per Incarnationem mutetur. Et per hoc ruit fundamentum aduerſariorum. Itaq; illæ omnes mutationes conueniunt humanitati poſt factam vnionem,vel à nobis præintellectam: & ideò ſicut de homine Chriſto abſolutè dicitur,eſſe cõceptum,natum,& paſſum: ita ſimiliter affirmatur de Deo abſolutè,eſſe conceptum, natum & paſſum ex tempore:quæ autem Deo tribuuntur priùs tempore, vel natura,aut intellectu,quàm fuerit homo,nequeunt mutationem dicere,quoniam ſignificaretur,eã mutationem conuenire Verbo ratione ſui ipſius. Et quoniam incarnatio,vt diximus,eſt prior natura,& intellectu,quàm Deum eſſe hominem,ſiquidem eſt viã ad illud,nullo modo eſt concedendũm Deum per Incarnationem mutari.

75 Ad argumentum ergo Decimum Reſpon.Verbum minimè fuiſſe mutatum; quia nihil nouum in ſeipſo quaſi inhærenter ſuſcepit, cùm talis impreſſionis ſit omninò incapax. Secundò hæc vnio rectè poteſt intelligi ſine vlla Verbi mutatione per ſolam humanitatis mutationem,quia Verbum ex ſe non eſt ad hãc vnionem ordinatum,neque ipſa vnio ad perfectionem Verbi,ſed totum hoc factum eſt in humanitate, & propter illius commodum. Rurſus humanitas non intelligitur informare Verbum,aut aliam cauſalitatem circà illud exercere:quia neque humanitas inhærere poteſt,cùm ſit ſubſtantia,neque propriè informare, cùm ipſa ex materia,& forma componatur. Et licèt natura integra Methaphiſicè dicatur forma totius, nõ eſt, quia verè informet,ſed quia eſt tota eſſentia,per quam res in tali ſpecie conſtituitur. Eſt igitur humanitas in Verbo,ſolùm quia in illo ſubſiſtit,& ab illo terminatur,& quaſi ſuſtentatur:& Verbum denominatur homo,quoniam eius terminat dependentiam, & in illa ſubſiſtit.

76 Ad primam igitur probationem minoris Reſp. licèt ab affirmatione ad negationem non ſit tranſitus abſque mutatione: hanc tamen mutationem totam ſe tenere ex parte humanitatis, quæ eſt veluti inſita Verbo,quod manet vnitum,ſed immutatum. Prætereà. Denominatio hominis reſpectu Verbi,nequit intrinſeca appellari,eo modo,quo in creaturis denominatio à forma inhærente,vel à modo intrinſeco,& ipſi rei quaſi identificato,ſolet intrinſeca dici:neque verò extrinſeca dici poteſt,cùm à quadam natura intimè,& ſubſtantialiter Verbo vnita ſit ſumpta: ſed eſt veluti media:nam quia eſt à naturà realiter diſtincta, videtur extrinſeca: ſed quoniam eſt à naturâ intimè coniuncta,eſt intrinſeca appellanda. Cæterùm, quia vnio ex qua hæc denominatio oritur,ſine Verbi mutatione effecta eſt;ideò Verbum abſquè vlla ſui mutatione potuit,ſic denominari incipere.

77 Sed replicatur. Mutari eſt aliter ſe habere,quã priùs; ſed Verbum poſt Incarnationem aliter ſe habet quàm priùs:eſt enim homo,Incarnatum,& ſubſiſtens in humanitate intrinſecè,quod anteà non erat,ergo,&c. Dices,has eſſe quaſi extrinſecas denominationes in Verbo,ſicut creare,& gubernare, & ideò nullam ponere in ipſo mutationem. Contra: quia dici non poteſt, Chriſtum tantùm eſſe hominem extrinſeca denominatione,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

natione,& non formaliter,quia tunc non esset vnione homo,sicut nos.Item, nam quoties vnū est in alio per veram vnionem,denominat illud formaliter, & intrinsecè:sed humanitas est in Verbo per veram, & realem vnionem,ergo denominat illud intrinsece, & formaliter hominem. Resp.id mutari, quod aliter se habet, mediante nouæ formæ intrinsecè informantis receptione, non mediante nouæ naturæ terminatione: cuius ratio à priori est, quòd receptio formæ intrinsecè informantis,aliquid reale intrinsecum superadditum in recipiente ponit; at terminatio intrinseca nihil ponit in terminante, sed in natura terminata. Vnde Verbum cœpit esse homo, cùm anteà non esset,non sui,sed humanitatis à se terminatæ, & assūmptæ mutatione. Neque hinc sequitur, Verbum esse hominem,vnitum,aut incarnatum extrinseca denominatione, quia intrinseca denominatio non solùm prouenit à forma intrinsecè informate;sed etiam à natura intrinsecè terminata, & substantialiter vnita supposito: tametsi hæc sit inter has denominationes intrinsecas differentia,quòd illa, quæ à forma informante sumitur, siue absoluta sit,siue relatiua,in subiecto deominato de nouo intrinsecam mutationem arguit;at quæ à natura intrinsecè terminata accipitur, nullam arguit in supposito de nouo intrinsecè terminato realem mutationem.

78 Ad secundam probationem Resp. quòd acquirere naturam substantialem,tanquàm persona,quæ acquirit naturam,per hoc quòd subsistit in illa, & suam personalitatem ei tribuit,non inducit,mutationem in persona acquirente;sed in natura acquisita: acquirere verò naturam,tanquàm subiectum per transmutationem,vt materia prima in generatione acquirit naturā substantialem,dicit mutationem in acquirente.Priori modo verbum acquisiuit naturam humanam,per hoc quòd subsistit in illa,& tribuit ei suam personalitatem, & ideò non fuit mutatum. Legendus est Caietanus. 3. p.q.16.art.6.ad. 2.

79 Ad confirmationem negatur paritas rationis, nam cùm paries sit albus,recipit esse,& perficitur ab albedine:Verbum autem in Incarnatione,cùm sit homo, neque perficitur,neque recipit esse ab humanitate, sed potiùs illam perficit, & suum esse illi communicat absque ipsius Verbi mutatione. Sed obijcitur:fieri hominem denuò, est mutari quia illa factio, qua Deus fit homo, est mutatio. M. Medina, & alij Respondent,Deum fieri hominem ratione vnionis,quæ est relatio,& ideò dici Deum factum hominem, non per sui mutationem,sed alterius extremi: sicut homo de nouo fit dexter absque sui mutatione per mutationē alterius extremi. Quæ solutio colligitur ex D. Tho. 3. p.q.16.art.6.

80 Sed contra obijcitur. Deum fieri hominem, non est acquirere aliquam proprietatem relatiuam, sicut fieri dextrum,sed est acquirere naturam substantialē, ergo,&c. Confirmatur. Si homo prædicatur de Deo ratione relationis;ergo non prædicatur substantialiter,sed relatiuè. Patet consequentia: quoniam prædicatio substantialis non est relatiua, alioquin Deus non esset factus homo,sed ad hominem,nam quod fit per proprietatem relatiuā, non fit aliquid, sed ad aliquid. M. Medina inquit,quòd licèt Deum fieri hominem, sit aliqu'd reale,& absolutum,fundatur tamen in vnione hypostatica,quæ est relatiua. Vnde sicut relatio vnionis potuit diuino Verbo absque sui mutatione aduenire;sic etiam fieri hominem, potuit ei absque vlla sui mutatione aduenire. Sed certè hæc solutio non est vera, quia falsum est, quòd esse hominem fundetur in vnione relatiua.etenim relatio vnionis naturæ humanæ in Diuino supposito fundatur in vnione substantiali,& absoluta humanæ naturæ cum Diuino supposito:quemadmodum relatio vnionis,quæ reperitur inter materiam, & formam fundatur in vnione substantiali,& absoluta formæ cum materia;ergo fieri,vel esse hominem,præsupponitur ad relatione vnionis,& non fundatur in illa.

Neque D.Thomas vnquàm docuit, esse hominem, conuenire Deo relatiuè:quia infra.q.2. art. 7. asserit; terminum assumptionis esse aliquid absolutum, & nō respectiuum:sed id tantùm docet,esse hominem, conuenire Deo ratione vnionis,quæ est relatio, quia homo importat relationem quandam rationis consequentem,quæ in tempore aduenit Deo:non enim esse hominem,ponit in Deo aliquam perfectionem, atque adeò mutationem:sed tantùm relationem rationis.Et ideò numeratur à D. Thoma loco citato inter prædicata relatiua,& non absoluta. Ad argumentum ergo Resp.quòd fieri hominem,primò est quid absolutum, quia est substantiale:Verbum enim primò acquisiuit esse substantiale humanitatis. Secundariò autem est relatiuum consurgens ex suppositali dependentia humanitatis ad Verbum:nam quia natura humana suppositaliter dependet à Verbo,consequitur relatio humanitatis ad Verbum. Et ideò filius Dei factus est homo,& non ad hominem. 81

Sed contrà.Verbum per Incarnationem acquisiuit non solùm nouam relationem,sed etiam esse substantiale nouum,& absolutum,quod priùs non habuit, à quo denominatur homo:ergo verè mutatum est. Negatur consequentia,quoniam licèt acquisierit nouum esse humanum,& naturam humanam;quia tamen humanitas non se habet ad Verbum per modum formæ inhærentis,aut adiacentis, sed hypostaticè dependentis,ideò non est mutatum. Ex quo intelligitur, Deum fieri hominem,siue Incarnari,nihil aliud esse, quàm terminare,primò suppositalem naturæ assumptæ dependentiam,& deindè relatiuam eiusdem naturę depēdentiam terminare. 82

Ad tertiam eiusdem minoris probationem Resp. quòd denuò generatur acquisitione substantialis naturæ,tanquam subiectum per transmutationem, mutari sanè:quod verò generatur denuò, per hoc quòd tribuit suam personalitatem naturæ,& subsistit in natura,non mutari. 83

Ad quartam probationem Resp. denominationem realem prouenientem ratione alicuius absoluti, quod tribuit subiecto aliquod esse existentiæ, & perfectionis,non posse sine mutatione prouenire; vt cùm esse albi aduenit corpori. Quæ autem de nouo aduenit ratione alicuius relationis,vel alicuius absoluti, quod non tribuit esse subiecto,potest sine mutatione aduenire,sicut scibile incipit sciri sine sui mutatione, ita similiter Deus dicitur de nouo homo ratione vnionis, quæ est relatio,vel fundamentum relationis,& præterea 84

Digitized by Google

reà illud prædicatum,homo,non tribuit Deo esse existentiæ,& perfectionis,sed potiùs illud suscipit,& ideò Deus in Incarnatione non est mutatus.

85 Præterea.Illud axioma,cui tota vis argumenti innititur,scilicet,denominatio realis absoluta nequie aduenire subiecto absque eius mutatione sic est accipiendum,quód nulla realis, & absoluta denominatio potest de nouo aduenire,quin subiectum de nouo acquirat aliquam realem formam absolutam:& hoc est verissimum in Mysterio Incarnationis,nam Verbum Diuinum denuò per vnionem hypostaticam habuit formam de nouo realem,& absolutam,nempe, naturam humanam.Quòd verò illa forma de nouo habita mutet subiectum,cui aduenit de nouo,non requiritur necessariò ad denominationem realem , & absolutam, imò est impertinens talis mutatio ad huiusmodi denominationem. At quia in naturalibus non contingit,formam realem,& absolutam de nouo aduenire, quin subiectum,cui aduenit, mutet; ideò Philosophi absolutè dicunt, realem & absolutam denominationem non posse aduenire subiecto absque eius mutatione.

86 Ad confirmationem Respondetur:quòd si Deo adueniret aliqua relatio realis recepta in ipso Deo , mutaretur quidem;quoniam esset perfectio realis Dei,humanitas verò non sic aduenit Dei Verbo,tanquàm ipsum perficiens,& tanquam aliquid in ipso receptum, sed tanquàm aliquid ab ipso personatum , & in quo subsistit Verbum.

87 Ad quintam probationem negatur consequentia,& ad probationem illius Resp.hanc consequentiam , reducitur de potentia ad actum,ergo mutatur; non esse semper legitimam,nam Deus antè mundi constitutionem erat in potentia ad creãdum,& posteà fuit creans actu absque sui mutatione.Item sol , qui in potentia illuminabat hanc aulam,potest sine sui mutatione ad actum reduci,eam illuminando ex sola apertione fenestræ.Vnde cum dicitur,Deus erat in potentia ad Incarnationem,& posteà est in actu,non est ita intelligẽdum,quasi Deus fuerit in aliqua potentia passiua ad aliquid recipiendum,ad eum modum,quo subiectum est in potentia ad accidentia,vel materia ad formam, sed potiùs erat in potentia actiua,qua sibi poterat naturã humanam vnire,sicut Deus modò est in potentia actiua ad creandum animam,& actu creat sine sui mutatione.Ita similiter fuit in potentia actiua ad vniendum,& sibi humanitatem vniuit absque ipsius Verbi mutatione.Et ob id D.Thomas in respõsione ad primum inquit,hoc mysterium congruentiùs explicari,si dicatur,Deus vniuit sibi humanitatem , quàm si affirmetur,Deus vniuit se humanitati,nam in priori propositione insinuatur , totã mutationem in natura assumpta fuisse,non in Verbo.

88 Respondetur denique in assumptione naturæ humanæ posse considerari,vel diuinam actionem , qua tota Trinitas eleuauit,& vniuit naturam,in hoc enim tota Trinitas interuenit , cùm opera Trinitatis ad extra sint indiuisa : & ratione istius actionis nullo pacto Deus est immutatus,sicut neque mutatur,quãdo creat animam. Vel potest considerari Diuinum Verbum, quatenùs terminat vnionem, & ratione istius terminationis neque Verbum fuit mutatum,quia terminus sine sui mutatione potest terminare , ex eo quòd alia terminantur ad ipsum:sicut coloratum sine sui mutatione terminat visionem,& obiectum absque vlla sui mutatione terminat actum.

Ad primam confirmationem etiam si concedatur, Deum modo actu non esse in loco aliquo imaginario,& posteà actu esse in illo,de quo.1.p.q.8.non indè sequitur,Deum localiter mutari,sed tantùm , locum esse mutatum de non esse ad esse.Ita similiter Deus est modò Incarnatus,& antea non erat : sed hoc factum est,non per sui mutationem,sed humanitatis tantùm. Sicut si Deus me immoto locũ me circumscribẽtem corrumperet,& denuò locũ nonũ crearet, qui me circumscriberet,esset verum dicere , modò sum in hoc loco,in quo realiter anteà non eram,& tamẽ nõ essem mutatus. 89

Ad secundam confirmationem Resp. quòd in tali casu Angelus mutaretur:sed est differentia inter Angelum & Deum:Angelus enim non est actus purus,& ita illi perfici non repugnat,vt re vera perficeretur , si aliquam naturam assumeret,vel absolutè ; quatenùs acquireret aliquod esse,quod priùs non habebat per modum formæ saltem adiacentis: sicut acquirit homo, cùm acquirit esse in loco,& esse vestitum : vel saltem relatiuè,quatenùs relationem realem acquireret ad naturam sibi vnitam.Deus autem est actus purus, & ita rationem tantùm perficientis habere potest, & nullo modo perfectibilis:neque absolutè,cùm nihil ei aduenire possit,quod priùs non haberet,saltem eminenter; neque relatiuè,quia in Deo nulla reperitur non modò ex tempore,sed neque ab æterno relatio realis ad creaturas,vt constat ex D.Tho.1.p.q. 13. 90

Ad tertiam confirmationem negatur consequentia,quia anima cùm ex sua natura sit pars, & forma corporis,perficitur,& quiescit acquisito corpore: non sic Verbum. 91

Ad quartam confirmationem Resp.illam propositionem,omne vnibile est mutabile, esse absolutè falsam,quia potest aliquid alteri vniri sine sui mutatione,vt patet in subiecto relationis: potest enim aliquis modò fieri albus,& similis Petro existenti albo,& tũc Petrus vnitur similitudini sine sui mutatione. Secũdò Respondetur, vnibile per potentiam passiuam esse mutabile,vt patet in materia prima , quæ formæ potest vniri:& similiter in subiecto , quod potest accidenti vniri:& deniq; in perfectibili, quod suæ perfectioni coniungi valet,& ideò sunt mutabilia. Quod autem est vnibile per potentiam actiuam , non est mutabile, sed potiùs dicit actualitatem.Est simile. Sicut motus, qui est passio,dicit actum existentis in potentia passiua,& receptiua,motus verò vt actio,dicit actum existentis in potentia actiua etiam perfecta:ita vnibile per potentiam passiuam dicit potentialitatem,& posse recipere,ac subindè posse mutari : at vnibile per potentiam actiuam,dicit actualitatem,& perfectionem , & ita non includit, Verbum posse mutari, cùm sit ipsa actualitas,nihil recipiens. Quare Verbum humanitati vniri,non est aliud,quàm illi suam subsistentiam communicare,& eam sibi ad vnitatem personæ vnire. Dicitur autem Deus vnibilis eo modo, quo dicitur posse creare,vel producere aliquid:atque ita vniri in Deo non significat passionem,sed actionem,qua humanitatem 92

Digitized by Google

tem vniuit,& terminauit, estò significet passionem grammaticè tantùm.

93 Ad sextam probationem minoris Resp. esse maximum discrimen, quia anima, cùm vnitur corpori, verè perficitur, cùm sit pars, & meliùs est pars in toto, quàm separata, & sic aliquo modo ex vi vnionis mutatur: Deus autem nullo modo perficitur.

94 Ad septimam probationem Resp. quòd humanitas constituit Verbum hominem non informando, neque aliquam causalitatem in ipsum exercendo, sed potiùs, quia Verbum terminat humanitatem, & in illa subsistit. Similiter negandum est, Verbum esse formam, vel subiectum humanitatis, sed purum terminum, sicut neque subsistentia propria habet rationem materiæ, aut formæ.

95 Ad confirmationem Resp. Phisicam formam, quæ facit subiectum formaliter tale, illud intrinsecè informando, non posse aduenire subiecto sine eius mutatione. Cæterum formam Methaphisicam, qualis est humanitas, aduenire potuisse denuò supposito Verbi, sine vlla eius mutatione quia hæc non constituit hominem, informando suppositum Verbi, aut aliquam in eo causalitatem exercendo, sed quia illi vnitur tanquàm termino vltimatè illam terminanti, & substantialiter perficienti.

96 Ad replicam negatur consequentia, vt apertiùs constabit infra q. 2. art. 7. & q. 16. art. 6.

97 Ad confirmationem negatur consequentia, nã cùm scire, & velle dicant actiones immanentes in Deo, si Deus denuò aliquid sciret, quod non sciebat, mutaretur sanè: at verò Incarnatio, siue assumptio naturæ dicunt actionem ad extra; & ideò potest Deus dici denuò Incarnatus, non per mutationem illius ad intra, sed per mutationem creaturæ ad extra.

98 Ad vndecimum Respondetur, si conueniens accipiatur pro eo, quod pertinet ad naturam rei, & eius inclinationi est consonum, Deo tantùm fuisse conueniens Incarnari, non humanitati, aut vniuerso: quo sensu intelligitur D. Thomas hîc ad secundùm. Si verò pro eo, quod est vtile, sic conueniens fuisse, primò humanitati: deindè quasi per redundantiã toti vniuerso, prout omnes rerum possibilium gradus complectitur.

99 Cæterum contra omnes præcedentes solutiones, probatur, nullam fuisse in natura humana mutationẽ, sed si qua est in hoc mysterio, in Diuinum Verbum esse referendam. Omne, quod mutatur, priùs tempore est sub priuatione termini, ad quem mutatur: sed natura humana non fuit priùs tẽpore sub priuatione vnionis, alioquin priùs extitisset natura humana, quàm fuisset Verbo coniuncta: ergo natura humana non fuit mutata, sed potiùs Verbum, quod præexistebat. Consequentia est euidens, & maior probatur. Omne, quod mutatur, aliter se habet nunc, quàm priùs: sed inter qualibet duo instantia datur tempus medium: ergo omne, quod mutatur priùs tempore fuit sub priuatione termini, ad quem mutatur. Resp. hoc esse verum in mutatione propria, qualis est ea, quæ fit per motum, quia omne quod propriè mutatur, aliter se habet nunc, quàm priùs: sed in mutatione impropria aliter se res habet. Illud autem dicitur mutari impropriè, quod de non esse ad esse quomodolibet transit, & sic potest dici natura humana ad hypostaticam vnionem mutata, quia nunc est vnita Verbo, cùm priùs non fuerit vnita, quam vnionem naturâ, & non tempore antecessit.

TERTIA DISPVTATIO.

CIRCA existentiam Incarnationis dubitatur: An fuerit facta, & opere completa Incarnatio. 1
Sed breuiter Respondetur, Incarnationem iam esse factam, & est vnum ex potissimis fidei nostræ fundamentis, atq; adeò inter verè Catholicos non indiget probatione, sed solum apud infideles. Et vt aduersùs illos probetur, aduertendum est, tria esse genera infidelium, hoc mysterium negantium. Primum est gentilium, aut paganorum; secundum Iudæorum: tertium autem hæreticorum. Etenim gentiles reputant impossibile, & stultum, Deum fieri hominem: Iudæi verò nolentes Christum recipere, aiunt, nondùm venisse Mesiam. Hæretici autem varios de Incarnatione introduxerunt errores, nam quidam negarunt Christo Diuinitatem, solam naturam humanam illi tribuentes, vt Carpocrates, Cherintus, & Ebion, & omnes antiqui hæretici, quorum meminit Ireneus lib. 1. cap. 24. & sequentibus. Tertulianus libro de præscript. Hæreti. circa finem, Epiphanius Hæresi. 27. & sequentibus. Augusti. Hæresi. 6 & sequent. Theodoretus lib. 1. Hæret. fabularum circa finem, & Eusebius lib. 3. historiæ c. 27. & 28. & li. 4. c. 8. & 22. Niceph. li. 4. c. 2. & 3. hos hæreticos postea secuti sunt Theodotiani, & Paulus Samosatenus, & Fotinus, vt videre est in Epiphanio Hæresi. 65. August. Hæresi. 44. & 45. Nicephoro lib. 6. c. 27. Eusebio lib. 1. cap. 28, de quibus legendus est Prateolus sub eorum nominibus, Sanderus lib. 7. de visibili monarchia Hæresi 8. 13. & alijs. Castro Verbo Christus Hæresi. 1. Manichei asserebant Christum non verum corpus, sed phantasticum assumpsisse, atq; adeò non fuisse verum hominem. Valentinus ponebat in Christo corpus cœleste, non terrenum. Apollinaris docebat Christi corpus non fuisse ex Virgine assumptum, sed aliquid Verbi in Christi carnem fuisse conuersum. Arrius similiter errauit, negans Christo animam, & solã carnem illi concedens. De quibus erroribus latè disputat Castro lib. 4. aduersùs Hæreses, Verbo Christus. Et D. Thomas. 4 contra Gent. à capite. 28. & deinceps.

Si ergo hoc mysterium fuerit probandum contra Paganos, & Gentiles, qui Sacras literas non admittunt, in quibus diuina oracula, & reuelationes continentur, ac proindè sunt inepti, vt ex proprijs Theologiæ principijs conuincantur: agendum est rationibus naturalibus, non quæ hoc mysterium demonstrent, sed quæ aliquatenùs persuadeant, tum refutatione suorũ errorum, tum etiam aliquibus similitudinibus, & exemplis ex ipsa natura petitis, quibus licèt hoc mysterium non demonstretur, neque possit; ostendatur tamen quodãmodò, non esse contra rationem naturalem, imò verò esse euidenter credibile. 2

M. Medina colligit viginti duas demonstrationes. 3. p. q. 1. introductionis ad probandum, Christum esse verum Deum, eiusq; religionem esse veram: de quo argumento plures recentiores elegantissimè scripserunt, præsertim Ludouicus Viues in quinque libris de Veritate Fidei Christianæ, Hieronymus Sauanarola libro de Triumpho Crucis, & in alio libro, cuius titulus est, 3

est, solatiũ itineris mei. Et Spiritus Roterus ex ordine prædicatorum, & nouissimè deuotissimus Pater, & doctissimos Magister, Frater Ludouicus Granatensis in introductione ad Symbolum Fidei. Ex antiquis patribus legendi sunt D. Chrysostomus homilia, quòd Christus sit Deus. Eusebius lib. de Præparatione Euãgelica, præsertim lib. 1. cap. 3. & libris de demũstratione Euangelica, maximè lib. 3. cap. 3. & 4. Theodoretus in libris de Euangelicæ veritatis cognitione, siue de Græcarum affectionum curatione, præcipuè lib. 9. circa finem. D. August. lib. de Vtilitate credendi ad finem. Libro contra Epistolam fundamenti cap. 4. & lib. 18 de Ciuit. Dei à capite 11. vsque ad 13. & libi 11. à capite. 5. vsque ad. 10. & libro de videndo Deum ad Paulinam cap. 3. & 4. & libro. 12. & 13. contra faustum, & tandem lib. de fide rerum inuisibilium cap. 5. 6. & 7. & D. Thomas libro. 1. contra genter cap. 6.

4 Si autem cum Iudæis fuerit disputandum, conuincendi sunt testimonijs veteris testamenti, quod ab illis admittitur. Contra quos egregiè dimicarunt Petrus Brutus Episcopus in libro cuius titulus est, Victoria contra Iudæos. Nicholaus de Lira contra Iudæos, qui habetur in fine Glossæ Ordinariæ, Paulus Burgensis in Scrutinio Scripturarum, Adrianus Finus in suo flagello contra Iudæos. Petrus Galatinus lib. 4. de Archanis Catholicæ veritatis. Porchetus. 1. p. Victoriæ, M. Medina q. 3. introductionis, & Mag. Suarez. 3. p. tomo. 1. disp. 1. & 2.

5 Hæretici verò, qui vtrumque testamentum, vetus, & nouum recipiunt, vtroque sunt refellendi. Contra illos disputant interpretes D. Thomæ. 1. p. q. 1. 7. art. 1. Medina, & Suarez locis citatis, & ideò ab his disputationibus super sedendum cẽseo, vt ad alia vtiliora traoseam.

QVARTA DISPVTATIO.

§. I.

1 CIRCA cognoscibilitatem Incarnationis aduertendum est, de hoc mysterio tripliciter posse sermonem institui, vel antequàm fuisset factum, vel postquàm iam effectum est, vel de eius possibilitate. Si de eo fiat sermo, antequàm efficeretur, certum est, neminem absq; Dei reuelatione hoc mysterium cognoscere potuisse, quia pendebat ex libera Dei voluntate, quam nullus naturaliter cognoscere potest. Vidè Isaiæ. 53. dicitur. *Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est.* Et cap. 64. *A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non vidit Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te.* Qui locus ad literam de altissimo In-
2 carnationis mysterio intelligendus est, vt constat ex D. Paulo. 1. ad Corinth. 2. vbi enim adducit, & explicat de Incarnatione, quæ cognosci non potest, nec proprio lumine, quod significabatur per oculum, & visionem: nec aliorum doctrina; cui Respondet auditus, sed sola Dei reuelatione. Item Isaiæ. 45. Deus in carne, Deus absconditus appellatur; sic explicat D. Hieronymus, & Eusebius lib. 5. demonstrat. cap. 4. & ad Roma. vltimo dicitur, hoc mysterium tacitum sæculis æternis, soli autem sapienti Deo agnitum. Et. 1. ad Corint. 2. Vocatur sapientia abscondita in mysterio. Et ad Ephes. 3. & ad Colossens. 1. dicitur inuestigabile; & absconditum sacramentum. Denique Ioan. 1. dicitur. *Verbum caro factum est.* Et illicò subiungitur. *Deum nemo vidit vnquam, Vnigenitus Dei Filius, qui est In sinu Patris, ipse enarrauit.* Quasi dicat: neminem potuisse hoc mysterium cognoscere, nisi qui Deum vidit, qualis est vnigenitus eius Filius, & cui ille reuelare voluerit. Ob id enim dicitur absconditum; & imperuestigabile, atque tacitum, quia sola Dei reuelatione innotescere potest. Hæc similiter est communis sanctorum Patrum sententia, quam tradit Diuus Dionysius cap. 2. de diuinis nominibus, vbi ait, etiam supremo Angelo ignotum fuisse hoc mysterium per naturam. Idem docet Chrysostomus homilia. 4. super Matthæ. & homil. 11. ad Philippenses, Augustinus lib. 2. de Ciuitate Dei cap. 29. Gregorius homilia. 3. in Euangelia, Hieronymus super Epistolam ad Ephesios cap. 3. Leo Papa sermo. 9. & 10 de Natiuitate Christi, Ambrosius. 2. Corinth. 2. & libro de fide ad Gratianum. Damascenus lib. 3. fidei Orthodoxæ cap. 1. Cyrillus libro de Incarnatione cap. 7. Athanasius in oratione contra Marcelinum. Irenæus lib. 2. cap. 48. & Maximus Centuria. 1. cap. 13. & D. Thomas. 1. contra gentes cap. 3. vbi adducit Diuum Hilarium: & in 3. d. 1. q. 1. art. 1. ad 1.

Si verò sit sermo de hoc mysterio, postquàm effectum est, Scotus in. 4. d. 10. quæst. 8, 9. & 10. asserit, Angelum posse hoc mysterium naturaliter cognoscere, & idem docet de existentia corporis Christi in Sacramento altaris. Ex quo infert, Dæmones naturaliter potuisse cognoscere, Christum prædicantem esse filium Dei, nisi diuino fuissent impediti consilio, ne illum agnoscerent. Et probatur hæc sententia. 2

Primò. Angelus euidenter cognoscit, & comprehendit naturam creatam, verbi gratia, humanam, & similiter cognoscit subsistentiam illius, quando illam habet; ergo quando eam non habet, Angelus eam non videt, aliàs deciperetur in obiecto naturali, & in cognitione euidenti. Tunc vltra. Ergo virtute naturali cognoscebat euideter, humanitatem Christi non habere subsistentiam creatam (est enim sibi euidens se non videre illam, & si esset, eam intueretur, cùm naturas rerum creatarum à prima potentia vsque ad vltimum actum perfectè cognoscat, vnus autem actus naturæ, & præcipuus est subsistentia) ergo euidenter colligit, eam non esse, cùm non videat ipsam: ergo euidenter cognoscit, illam humanitatem subsistere Diuina subsistentia. 3

Confirmatur primò. Angelus videt euidenter, illam humanitatem subsistere, & non per propriam subsistentiam creatam, neque per alienam, etiam creatam: ergo euidenter cognoscit, illam humanitatem subsistere Diuina subsistẽtia, quod est cognoscere mysterium Incarnationis. Probatur hæc cõsequentia quia naturaliter cognoscit Angelus, illam humanitatem in rerum natura sustentari nõ posse, nisi per propriã subsistentiam, 4

ſiſtentiam, quàm non habet, vel per ſubſiſtentiam Diuinam ſibi communicatam.

5 Confirmatur ſecundò. Eadem virtute, atque potentia cognoſcitur habitus, & priuatio, vt lumen, & tenebræ, ſonus & ſilentium; ſed Angelus naturaliter cognoſcit propriam ſubſiſtentiam, & proprium ſuppoſitum cuiuſcumq; creaturæ: ergo eadem virtute naturali poteſt priuationem propriæ ſubſiſtentiæ, & proprij ſuppoſiti in Chriſti humanitate cognoſcere. Atq; adeò cum intelligat, illam humanitatem ſine vllo ſuppoſito ſubſiſtere non poſſe, neque ſuppoſitum creatum poſſe plures ſuſtentare naturas, euidenter cognoſcit, illam humanitatem Diuino ſuppoſito ſuſtentari.

6 Confirmatur tertiò. Angelus naturaliter cognoſcit, non repugnare humanitati ſuppoſitari perſonalitate aliena, neq; etiam repugnare Deo, ſuppoſitare ipſam humanitatem: ergo etiã naturaliter cognoſcit, nullo modo repugnare, fieri Incarnationẽ. Conſequentia patet: quia cùm Incarnatio cõſiſtat in hoc, quod humanitas ſubſiſtat Diuina perſonalitate, nequit in ea intelligi aliqua repugnantia, quæ non proueniat ex aliquo illorũ extremorum. Antecedens autem quoad priorem partẽ probatur tum, quia Angelus naturaliter cognoſcit humanitatem, non ſolùm quoad ſuam eſſentiam, ſed etiã quoad ſubſiſtendum non pendere eſſentialiter à propria perſonalitate, quia de facto ita eſt. Et Angelus lumine naturali comprehendit omnia naturalia; ergo etiã cognoſcit nõ repugnare, quòd humanitas careat propria perſonalitate, & ſubſiſtat per alienam. Tum etiam, quia implicat, comprehendere quidditates aliquorũ extremorum, & non cognoſcere, An ſit aliqua repugnantia in vnione eorum inter ſe, quia tota repugnantia, quæ eſt in vnione, conſiſtit in hoc, ꝙ extrema habeant entitates ſibi inuicem repugnantes ex propria natura, & quidditate: ſed Angelus naturaliter cõprehendit eſſentiam humanitatis, & eſſentiam huius, quod eſt ſubſiſtere, per alienam perſonalitatem; ergo etiam cognoſcit non repugnare, vniri iſta duo inter ſe, atq; adeò humanitatẽ ſuppoſitari aliena perſonalitate. Quò ad poſteriorẽ etiam partem probatur illud idem antecedens; nam Angelus naturaliter cognoſcit, non repugnare Diuinæ perſonalitati eum cõcurſum, in quo etiam naturaliter cognoſcit, non includi intrinſece aliquam imperfectionem inhærentiæ, aut informationis, vel mutationis: ſed cognoſcit naturaliter, in concurſu, qui eſt ſuppoſitare humanitatem, non includi talem imperfectionem, quia de facto ita eſt, vt cõſtat ex myſterio Incarnationis, & Angelus naturaliter comprehendit perſonalitatem creatam, & omnẽ modum eſſendi, aut cauſandi, aut terminãdi, qui poteſt ei naturaliter conuenire; ergo etiam cognoſcit lumine naturali ſui intellectus, non repugnare diuinæ perſonalitati eum concurſum, qui eſt ſuppoſitare humanitatem.

7 Secundò: Angelus poteſt naturaliter cognoſcere abſentiam alicuius ſubſtantiæ ab eo loco, vbi erat, & abſentiam formæ à materia, quando deſinit eſſe; ergo naturaliter poteſt cognoſcere in Euchariſtia abſentiã ſubſtantiæ panis, & ex conſequenti cognoſcer illud myſterium. Patet conſequentia; quia virtute propria cognoſcit ſubiectum accidentium, quando ſunt in ſubiecto; ergo eadem virtute cognoſcit priuationem huius ſubiecti, quando ſine illo ſunt; ſed hoc eſt myſterium Euchariſtiæ, vt accidentia maneant ſine ſubſtantia panis; ergo, &c.

8 Tertio. Dæmones cognouerũt, Chriſtum redemptorem noſtrum eſſe Meſsiam in lege promiſſum, vt conſtat Marci. 1. & Lucæ. 4. vbi habetur, Dęmones dixiſſe, *Scio, quòd ſis ſanctus Dei, & non ſinebat loqui dæmonia, quia ſciebant, eum eſſe Chriſtum.*

9 Quarto. In veteri teſtamento traditur, Chriſtũ eſſe Deum, & tempus præfixũ, quo erat venturus. ſed Angelus propria virtute, poterat iſta cognoſcere: ergo, &c.

Confirmatur primò. Angelus naturaliter cognoſcebat, beatiſsimam Virginem poſt partum integrã permanſiſſe, & tale opus à ſolo Deo fieri poſſe: ergo naturaliter cognoſcebat natiuitatis myſterium.

Confirmatur ſecundò. Quia ex fide conſtat, Chriſtũ mortuum, & ſepultum eſſe, & ad inferos deſcendiſſe, quæ omnia viderunt etiam Dæmones, & experti ſunt.

10 Nihilominus ſententia Scoti eſt falſa, & pluſquàm temeraria, & fortaſsis erronea, atque contra omnes Theologos aſſerentes in 4. d. 10. Angelum naturali virtute hoc myſterium, etiam poſtquam factum eſt, cognoſcere non poſſe, non ſolùm quãtùm ad quid eſt, ſed neque quantum ad An eſt, per viſionem intuitiuã. Et idem affirmant de modo ſupernaturali exiſtendi, quem corpus Chriſti Domini habet in Euchariſtia. Intelligitur autem concluſio de cognitione propria, & in particulari, ſed non de cognitione confuſa. Sic autem intellecta concluſio eſt communis ſanctorum ſententia, & probatur. Myſterium Incarnationis, etiam poſtquàm factum eſt, non fuit ſtatim ab Angelis perfectè cognitum, vt author eſt D. Dionyſius cap. 7. de cæleſti hierarchia, explicans illud Iſaiæ. 63. *Quis eſt iſte, qui aſcendit de Edon, &c.* In cuius loci intelligentia omnes ſancti conueniunt, Chriſtum Dominum propria virtute aſcendentem in cælum pleniori intelligentia Verbi Incarnati Angelos illuminaſſe; ergo pluſquàm temerarium eſt, quod affirmat Scotus, Angelum naturaliter cognoſcere hoc myſterium, poſtquàm effectum eſt.

11 Secũdò probatur. Iſtud myſterium, etiam poſtquàm factum eſt, manet omninò ſupernaturale, excedens omnem facultatem naturalem, & hoc eſt certum ſecundùm fidem: ſed lumen naturæ nequit euidenter oſtendere, id, quod eſt ſupra naturale. ergo etiam poſtquàm factum eſt, nequit euidenter oſtendere hoc myſteriũ. Maior eſt de fide, minor eſt euidens ſecundùm rationem naturalem: ergo concluſio eſt veritas Theologica, quam proindè negare, eſt plùſquàm temerarium, & errori proximum.

Confirmatur. Hæc veritas eſt articulus fidei grauiſſimus; ſed articuli fidei nequeunt ratione naturali demonſtrari, vt communiter docent Theologi. 2. 2. q. 1. ergo, &c.

12 Tertió probatur. Intellectus creatus, etiam Angelicus, id duntaxat poteſt naturaliter cognoſcere, quod eſt obiectum ſibi proportionatum; ſed hoc myſterium eſt obiectum improportionatum, cum ſit ſupranaturale: ergo, &c. Conſequẽtia cum minori patent. Maior probatur: quoniã ſicut obiectũ proportionatũ intellectus humani pro hoc ſtatu, eſt quidditas rei materialis, & ideò nõ poteſt ſpiritualia intuitiuè cognoſcere ita obiectum

Digitized by Google

obiectum proportionatum intellectus Angelici, est ens ordinis naturalis, non autem res supernaturalis quoad substantiam: quia pertinet ad altiorem rerum ordinem. Et sicut res supernaturalis in intellectione, & substantia est supernaturalis: sic etiam in propria cognoscibilitate. Idem similiter dicendum est de modo, quo Christus est in Eucharistia: quia ille modus est absolute supernaturalis: ergo nequit naturaliter cognosci. Vnde neque anima Christi ex vi suæ naturalis cognitionis præcise, & luminis naturalis duntaxat, non videt modum existendi, quo ipsemet Christus, vt homo, est in Eucharistia: licet fortasis posit naturaliter cognoscere, se esse ibi: sicuti anima nostra, dum est in corpore, euidenter cognoscit, se esse in corpore, non tamen intuetur modum essendi, quem in corpore habet.

13 Quartò probatur. Si Angelus naturaliter cognosceret hoc mysterium, postquàm factum est, cognosceret illud per aliquod signum, vel effectum naturalem; sed nullum est signum, vel naturalis effectus, habens cùm vnione Verbi hypostatica necessariam connexionem: ergo nequit Angelus naturaliter cognoscere, illud mysterium esse factum ab effectu, vel à signo. Patet consequentia: quia talis cognitio ex cognitione alicuius signi, vel effectus naturalis sumi deberet. Et probatur antecedens: talis effectus, vel esset positiuus, vel negatiuus: non primum, quia omnes perfectiones positiuæ illius humanitatis naturalis puro homini possent communicari, & omnia, quæ Deus per illam humanitatem, tanquam per instrumentum ad extra operatus est, per aliam humanitatem non sibi vnitam posset operari: ergo ex his nequit naturaliter cognosci Incarnationis mysterium. Neq; etiam per effectum priuatiuum, nam maximè per carentiam subsistentiæ creatæ, sed non per hanc; quia licet re vera humanitas Christi propria subsistentia caruerit, forsam Angelus id non potest naturaliter cognoscere: quia subsistentia secundùm probabilem quorundam opinionem, non addit propriam entitatem, ab actuali entitate naturæ distinctam, tanquàm res à re, de quo disputabitur infra quæst. 4. art. 2. Sed tantùm dicit quendam modum existentiæ, nempe, quòd sit in se, neque alteri innitatur: sed Angelus videbat illam humanitatem in propria entitate, & substantia creata existentem, neque videbat, illam naturam esse alteri substantialiter vnitam; imò neque talem vnionem possibilem esse, poterat suspicari, & fortè putaret, illam naturam eodem modo subsistere, quo aliæ naturæ subsistunt: & forsam non est cognoscibilis illa propriæ subsistentiæ carentia, nisi illa vnio cognoscatur, quæ talem priuationem, & carentiam causat: neque etiam videtur inconueniens, in visione intuitiua aliquem esse defectum, præsertim si in obiecto fiat supernaturalis mutatio.

14 Quintò probatur. Etiam si Angelus euidenter cognosceret, se ibi subsistentiam creatam non videre, non propterea euidenter indicaret, ibi non esse, sed duntaxat posset in confuso indicare, ibi esse aliquid præternaturale; nempe, quòd in obiecto facta fuerit aliqua mutatio, vel quod ipse impeditur à tali cognitione: quemadmodum si Angelus euidenter videret ignem non calefacere, vel se calorem ignis non videre, non ideo euidenter cognosceret, ignem calore carere, quia ille effectus non solùm ex eo, sed ex alio etiam opere miraculoso potest prouenire. Quare euidenter cognosci non valet, ex quo determinatè proueniat. Et potiùs esset suspicandum, illud ab opere supra naturali prouenire, quod minùs impossibile videtur, vt sic facilius esset, Angelum à cognitione creatæ subsistentiæ impediri, quàm naturam creatam propria subsistentia carere.

Postremò. Licet Angelus euidenter cognosceret, illam humanitatem propria subsistentia carere, non ideò euidenter cognosceret, eam per subsistentiam Diuinam subsistere: imò forsam crederet, illud esse impossibile, & eam esse sine subsistentia existimaret, quia nullam in ea subsistentiam creatam intuebatur, atque adeò non cognosceret euidenter, illam habere aliquam subsistentiam; neque illam humanitatem subsistere: sicut si Angelus videret lineam, & non videret terminum, seu vltimum punctum, siue initiatiuum, fortè cognoscere non valeret, illam esse terminatam. Et forsam non est demonstrabile, quòd implicet contradictionem, naturam esse in re sine vlla subsistentia, imò est valdè probabile, Deum posse per absolutam potentiam communicare naturæ existentiam immediatè sine propria, vel aliena personalitate. De quo disputabitur infra q. 4. art. 2. ex quibus constat Angelum minimè potuisse hoc mysterium, etiam postquàm factum est, naturaliter cognoscere, omni reuelatione & testificatione seclusa. 15

AD ARGVMENTA. §. III.

AD Primum igitur argumentum Resp. Angelũ naturaliter cognouisse, illam humanitatẽ subsistere, & existere: sed non cognouisse, qua subsistentia, creata, vel increata. Et cùm obijcitur, quòd si esset subsistentia creata, naturaliter cognosceretur, & videretur ab Angelo, dicito, subsistentiam creatam ad ordinem naturalem pertinentem, posse quidem ab Angelo naturaliter cognosci: quæ verò est altioris, aut alterius ordinis, nempe, supra naturam, naturaliter cognosci non posse: sicut naturales animæ qualitates possunt ab Angelo naturaliter cognosci, non tamen illæ, quæ gratis à Deo infunduntur; quia non videt Angelus habitum gratiæ, aut charitatis. Item posset Deus creare aliquam nouam subsistentiam perfectissimam, quę ad ordinem huius vniuersi non spectaret, per quam illa humanitas terminari posset. 16

Secundò Respondetur. Licet Angelus non videret propriam naturæ humanæ subsistentiam, ignoraret, An talis natura per Dei potentiam sine supposito sustentaretur, sicut accidens sine subiecto sustentatur. 17

Tertiò respondet M. Medina quæst. 2. introductionis ad sextum, Angelum euidenter cognouisse humanitatem Christi carere propria personalitate, & illam, quam habebat, esse increatam, & diuinam: sed non cognouisse euidenter hoc mysterium, quia non cognouit, An humanitas sic existeret, vt Deo hypostaticè vniretur, An verò sustentaretur à Deo, & manu- 18

manuteneretur. Imò etiam si cognosceret, Deo hypostaticè vniri, non sequitur, quòd hoc mysterium cognosceret, nempè, Deum esse hominem, nam sanguis Christi Deo hypostaticè vnitur, & non est Deus.

19 Cæterùm hæc solutio est falsa: primò, in eo quòd admittit, Angelum euidenter potuisse cognoscere lumine naturali, humanitatem Christi subsistere in diuino supposito, quia hoc est omninò supranaturale, luminis naturalis facultatem exuperans: imò est potissimum, quod in huius mysterij credibilitate, & persuasione habet difficultatem. Ergo nequit euidenter cognosci lumine naturali.

Secundò est falsa in eo, quod dicit, quòd estò cognosceretur, humanam naturam subsistere in diuino supposito; non tamen cognosceretur, Deum esse hominem: hoc tamen est falsum: quia natura humana est forma totalis, & completa; ergo simpliciter denominat suppositum, à quo suppositatur, & ex consequenti denominat hominem: & in hoc deficit exemplum adductum à Medina de sanguine, qui quidem non est forma totalis, sed quasi partialis, & ideò Diuinum suppositum, in quo est, non denominat simpliciter, sicut anima in triduo vnita Verbo ipsum simpliciter non denominabat: non enim poterat dici propriè, & simpliciter, quòd Deus, seu Verbum erat anima, eo quòd anima non est natura completa, sed pars naturæ.

Tertiò est falsa in eo, quod asserit, Angelum euidenter cognouisse, humanitatem Christi carere propria personalitate: quoniam illa carentia propriæ personalitatis in Christi humanitate erat supranaturalis; ergo non erat ab Angelo cognoscibilis. Patet consequentia; quia supranaturale non est naturaliter cognoscibile. Antecedens verò probatur; quia si natura humana Christi non fuisset per miraculum præuenta; haberet quidem propriam personalitatem, ex principijs ipsius naturæ profectam.

20 Dices: illam carentiam fuisse quidem supernaturalem ex parte agentis, sed ex parte patientis fuisse defectum naturalem, quia fuit defectus illius, quod sibi naturaliter debebatur, & ex consequenti erat naturaliter cognoscibilis; quia species angelica non solum Angelo repræsentat ipsam naturam, verùm etiam omnes ipsius naturæ defectus.

Sed certè hæc solutio non placet, & existimo, carentiam illam propriæ personalitatis non potuisse ab Angelo naturaliter cognosci, quia ibi est aliquid, quod eiusdem personalitatis præsentiam multò perfectiùs suppleat: Etenim sicuti si absente lumine Solis, Deus aliquid in medio faceret, quod vicem luminis perfectiùs suppleret, quàm lumen: talis luminis absentia nullo modo posset ab Angelo cognosci. Ita cùm Diuina personalitas in Christi humanitate vicem propriæ personalitatis suppleat, nequit Angelus carentiam talis personalitatis percipere.

21 Ad primam confirmationem patet responsio ex dictis. Ad secundam similiter constat, quid sit dicendum, nempe, non posse Angelum virtute propria naturali cognoscere illam absentiam suppositi creati in humanitate Christi, aut absentiam substantiæ panis in Eucharistia, quia vtrobique est aliquid, quod talis subiecti, aut suppositi præsentiam multò perfectiùs suppleat. Vndè cùm Diuinum suppositum in Christi humanitate vicem suppositi proprij suppleat, & ipse Deus accidentia sustentet, & efficiat, quicquid substantia, & subiectum efficeret, imperfectione recipiendi seclusa: non poterit Angelus talem absentiam cognoscere.

22 Ad tertiam confirmationem negatur antecedens quò ad vtramq; partē, & ad primā probationem prioris partis, scilicet, Angelum naturaliter cognoscere, nō esse repugnantiam ex parte humanitatis, negatur antecedens: in quo per depēdere essentialiter non intelligimus, dependere vt à parte cōponente essentialiter: sed dependere ita intrinsecè, & inseparabiliter, vt repugnet, humanitatē subsistere separatā à propria personalitate. Et probationi dicitur, quòd licet in re nō ita pendeat humanitas à propria personalitate, & Angelus cōprehendat omnia naturalia: nō sequitur, quod cognoscat huiusmodi nō repugnantiā humanitatis, quia ad comprehendendū aliquā creatā naturā, satis est cognoscere ea, quæ vel pertinēt ad eius essentiā, vel ad eā cōsequūtur, vel possunt illi cōuenire per ordinē ad causas naturales. Sed non est necessariū, ea cognoscere, quæ tantùm illi conueniunt secundùm potentiā obedientialē, & per respectū ad agens supernaturale. Et quia separabilitas à propria personalitate, tantùm cōuenit humanitati secūdùm potentiā obedientialē, & per respectum ad agens supernaturale: ideò quāuis Angelus cōprehendat humanitatē, non cognoscit cōuenire illi hanc separabilitatē. Aliàs etiā cognosceret nō repugnare intellectui creato, eleuari ad videndū Deū in seipso, & corpori replere duo loca separata, & alia similia. Imò cognosceret, quid repugnet, vel nō repugnet humanitati, & cuicūq; naturę creatæ in infinitis quęstionibus similibus, quæ de ea interrogari possunt: quod tamen apertè excedit intellectus creati naturalem facultatem. Ex hoc etiā patet solutio ad secundam probationem eiusdem partis: maior enim est falsa, quia licet repugnantia ad vnionem proueniat in extremis, ex eo quod habēt entitates repugnātes, & incompossibiles, ex propria quidditate: nihilominùs ad comprehendendum quidditates aliquorum extremorum, satis est cognoscere, An sint repugnantes secundùm potentiā naturalē, & per ordinē ad causas naturales, & nō est necesse cognoscere, An sint etiam repugnantes secundùm potentiam obediētialem, & per respectum ad agens supernaturale.

Ad probationem secūdæ partis eiusdem antecedētis concessa maiori neganda est minor: tum quia siue suppositare humanitatem, importet imperfectionem in proprio genere, siue non, Angelus tamen nequit naturaliter cognoscere, An importet imperfectionem respectu personalitatis Diuinæ, quia non cognoscit illam quidditatiuè. Tum etiam, quia Angelus videt, quod suppositare naturam creatam, quatenùs fit per creatam personalitatem, includit hanc imperfectionem, quòd ipsa personalitas sit modus, & aliquid naturæ creatæ, quam terminat, & non habet vnde possit cognoscere, An huiusmodi imperfectio sit separabilis ab exercitio suppositādi. Neq; obstat, quòd in re sit separabilis, quia hoc est verum per respectum ad potentiam obedientialem, & ad virtutem actiuam supernaturale, ad quam facultas intellectus Angelici non extenditur.

Sed dices, naturaliter cognosci, non repugnare Deo supplere

supplere concursum causæ efficientis,& repugnare ipsi supplere concursum causæ formalis, quantùm ad suũ primarium effectum,& tamen nõ cognosci Deũ quidditatiuè. Respondetur, hæc & similia posse naturaliter cognosci, quia habent connexionem cum rebus alijs naturalibus: vt quia cognoscimus Deum fuisse causam rerum, quas videmus productas, colligimus ipsi nõ repugnare, supplere concursum causæ efficientis. Et quia naturaliter cognoscimus, Deum esse purum actum, & esse infinitum, colligimus, repugnare ipsi, supplere concursum causæ formalis, quoad effectum, ad quem est necessaria informatio, vel inhærentia.

23 Ad secundùm principale concesso antecedenti negatur consequentia: quia absentia panis non infert necessariò præsentiam corporis Christi,& cognitionem mysterij Eucharistiæ. Item licèt Angelus naturali cognitione videret absentiam panis, non tamen videret Christum ibi existentem: quia est obiectum improportionatum, ad ordinem supra naturalem pertinens, præsertim prout in eodem Sacramento continetur.

Secundò Resp. non videre euidenter, ibi non esse substantiam panis, sed videre, se non videre illam; non tamen esse certum, An id proueniat ex defectu obiecti, An aliunde ex Deo impediente.

24 Ad tertium Resp. Dæmones cognouisse, Iesum esse Christum in lege promissum,& verum Messiam, quia in eo omnia signa videbant, quæ prædixerant Prophetæ. Ignorasse verò mysterium Diuinitatis illius, & similiter redemptionem generis humani per Christi mortem esse efficiendam; quamuis vehementem de hac re suspicionem habuerint: & ideò verba illa proferebant, vt ex Christi responsionibus,& dictis veritatem colligere possent. Legendus est D. Thomas infra q.41. art. 1. ad. 1. & D. Gregorius homilia. 16. in Euangelia.

25 Ad quartùm Resp. Dæmones posse ex scripturis quædam coniectari, non tamen euidenter cognoscere. Posteà verò rerum euentu,& successu connicti multa crediderunt, quamuis ea odio haberent.

26 Ad primam confirmationem Resp. Virginis integritatem post partum, Angelum cognouisse, cùm in se naturaliter sit cognoscibilis: sed in hoc solo non consistit, quod in mysterio natiuitatis creditur, sed in eo, quòd Iesus filius Dei natus est ex Virgine. Hãc autẽ suppositi dignitatem, quòd subsisteret Iesus natus in duabus naturis, non poterat euidenter cognoscere.

27 Ad secundam confirmationem similiter Resp. quia licèt illum hominem viderent mortuum, & sepultum, & posteà viderint resurrexisse; istæ tamen actiones secundùm fidem tribouutur Diuino supposito, quod illis occultum fuit. Sed peracto opere redemptionis, cùm illum viderent spoliatorem inferni, probabile est, suo malo cognouisse, esse verum Deum, ita vt diffentiri non possent, estò euidentiam non haberent.

QVINTA DISPVTATIO. §. I.

VTRVM ab intellectu creato, siue angelico, siue humano, possit viribus naturæ cognosci, Incarnationem esse possibilem, nullamq; implicare contradictionem, naturam humanam sustentari Diuina subsistentia,& non propria.

Affirmatio his argumentis suadetur. Primò. Ratio- 1 ne naturali potest demonstrari,& cognosci, Deum posse, quicquid non inuoluit contradictionem, sed Deum fieri hominem, non implicat contradictionem: ergo potest demonstrari, Deum illud posse.

Dices, hoc, quod est, non implicare contradictionẽ, Deum fieri hominem, esse obiectum supernaturale, & ideò improportionatum esse proprijs viribus intellectus creati; nec ab eo cognosci posse.

Sed replicatur primò. Intellectus creatus viribus na- 2 turæ potest cognoscere, non implicare contradictionem alia mysteria, quæ sunt supernaturalia: ergo idem etiam poterit cognoscere de mysterio Incarnationis, licèt sit supernaturale. Antecedens probatur: tum quia cognoscere potest, non implicare contradictionem, fieri resurrectionem mortuorum,& accidens esse sine subiecto, duo cõtraria in summa intensione esse simul in eodem subiecto: ignem, aut aliud agens naturale impediri à sua actione circa passum applicatum cum alijs requisitis,& seclusis impedimentis; & infundi hominibus gratiam, & alios habitus supernaturales quò ad substantiam: & eleuari homines ad claram Dei visionem. Tum etiam, quia intellectus creatus potest suis viribus cognoscere supernaturale in communi sub ratione non implicantis contradictionem, quia cognoscit non implicare contradictionem, quòd Deus multa faciat supra totum ordinem naturæ: ergo etiam poterit cognoscere mysterium supernaturale Incarnationis, sub eadem ratione non implicantis contradictionem. Patet hæc consequentia: quia supernaturale in communi, & hoc supernaturale, si considerentur in ratione possibilis, aut non implicantis contradictionem, pertinent ad eundem ordinem in genere obiecti,& ex consequenti si vnum sit obiectum proportionatum virtuti naturali intellectus creati, etiam alterum erit proportionatum.

Secundò replicatur contra eandem solutionem. In- 3 carnatio sub ratione possibilis, aut non implicantis contradictionem, est obiectum naturale,& naturaliter cognoscibile: ergo potest esse obiectũ proportionatũ facultati naturali intellectus creati. Consequentia patet: tum quia in assignata solutione tantùm negatur hoc, quia Incarnatio sub illa ratione est obiectum supernaturale, tum etiam; quia quæcumq; naturalis cognoscibilitas fundata in entitate creata, est eiusdẽ ordinis eũ intellectu creato, quia est naturalis: & præterea est finita, quia fundatur in entitate finita, ac proindè nõ repugnat dari intellectũ creatũ, cui sit proportionata. Antecedens autem probatur, primò, quia Deus, vt author naturæ cognoscit, Incarnationẽ nõ implicare cõtradictionẽ, ergo Incarnatio secundùm istam rationẽ est obiectũ naturaliter cognoscibile. Secũdò, quia obiectũ supernaturale quò admodum, & naturale quò ad substantiã, est naturaliter cognoscibile, vt patet in resurrectione mortuorum,& in restitutione visus facta cæco: sed Incarnatio est naturalis quòad substantiam, & tantùm est supernaturalis quò ad modum: siquidem eius extrema, nempe, Deus secundùm se, & humanitas sunt naturalia, & naturaliter possunt cognosci, ergo etiam Incarnatio est naturaliter cognoscibilis, saltem quantùm ad non repugnantiam.

3 Tertiò, quia non repugnantia vnionis humanitatis cum Verbo, fundatur in proprietatibus naturalibus extremorum, quia, in humanitate, posse carere propria personalitate, est proprietas, seu conditio naturalis, & in Deo posse suppositare ipsam, etiam est attributum naturale, sicut si Angelus posset virtute sua suppositare alienam naturam, esset proprietas ipsius, ergo non repugnantia vnionis est obiectum naturaliter cognoscibile.

4 Confirmatur primò. Omnia argumenta ex principijs naturalibus deducta contra huius mysterij possibilitatem, possunt euidenter dissolui, vt docet D. Tho. 1.p.q.1.art.8.ad.2. ergo potest euidenter cognosci stãdo intra limites naturæ, hoc mysterium non esse impossibile. Probatur consequentia. Nam si esset impossibile, alicui principio naturali repugnaret, & ex consequenti aliquod argumentum fieret, quod dissolui nõ posset.

5 Confirmatur secundò. Quia saltem Angelus euidenter poterat soluere omnia argumenta, quæ fiunt contra possibilitatem huius mysterij; ergo poterat cognoscere euidenter, illud non implicare contradictioné. Antecedens admittitur à Theologis. Consequentia verò probatur: quia implicatio contradictionis infert duas contradictorias veras: qui autem scit euidenter soluere omnia argumenta, ex consequenti euidenter cognoscit, non sequi duas contradictorias veras.

6 Confirmatur tertio Angelus euidenter poterat cognoscere, hoc mysterium non implicare contradictionem, neque ex parte Diuini suppositi, neque ex parte humanæ naturæ: ergo cognoscere potest euidenter, nõ repugnare. Antecedens quoad priorem partem probatur. Angelus euidenter cognoscit, suppositum Diuinum habere infinitam virtutem; ergo cognoscit ex parte illius nullam esse repugnantiam ad hoc, vt sustentet naturam humanam.

Dices: quòd sustentare naturam humanam, importat quidem perfectionem, sed cum admistione imperfectionis, nam suppositum taliter sustentat naturam, vt illam informet: Angelo autem, saltem suppositum constare non potuit, cum in tota natura nullum reperiatur suppositum, quod ipsam naturam, quam sustentat, non informet. At informare, cùm sit imperfectio, repugnat Diuino supposito.

Sed contra est, de ratione suppositi non est informare naturam, sed duntaxat terminare illam: nam 7
quod suppositum creatum terminet informando, ex ratione suppositi non prouenit, sed ex imperfectione ipsiusmet suppositi, quia non est per se subsistens; sicut ratio speciei intelligibilis consistit in hoc, quòd faciat intimam vnionem obiecti cum potentia: at quòd informet potentiam, per accidens conuenit illi, quatenus accidens est, quod non subsistit per se. Sed hoc totum euidenter cognoscitur ab Angelo lumine naturali; quoniam Angelus euidenter cognoscit, in quo ratio suppositi consistat: ergo euidenter cognoscebat, Diuinum suppositum posse sustentare naturam humanam seclusa informatione.

8 Antecedens probatur quoad secundam partem, nẽpe Angelum euidenter cognoscere, id non repugnare ex parte naturæ humanæ. Primò, quia natura humana habet non repugnantiam, vt assumatur à Verbo; ergo Angelus; saltem qui illam comprehendit, cognoscet eam non repugnantiam ex parte naturæ ad hoc mysterium. Patet consequentia, quia comprehensio est cognitio rei secundùm omnia, quæ illi conueniunt, præsertim si per se, & inseparabiliter cõuehiant. Antecedens probatur, quia eò ipso, quòd est natura creata, & maximè humana, non resistit Verbo assumenti, neque illi repugnat aliena personalitas, ergo talis non repugnantia est comes, & consequens intrinsecè ipsam naturam.

Secundò probatur. Angelus cognoscit euidenter na- 9
turam humanam non habere intrinsecam, & essentialem connexionem cum propria subsistentia, & personalitate: ergo euidenter cognoscit ex parte naturæ nõ implicare contradictionem, quòd ab ea propria personalitas separetur, & sustentetur Diuina personalitate. Probatur antecedens. A parte rei humana natura nullam habet essentialem connexionem cum propria personalitate: sed Angelus comprehendit naturam humanam, & omnem eius modũ; ergo euidenter cognoscit, connexionem naturæ cum propria personalitate non esse essentialem.

Dices: naturam humanam non habere, vt possit ter- 10
minari personalitate Diuina, per potentiam passiuam naturalem ipsius naturæ, sed per potentiam duntaxat obedientialem: potentiam autem obedientialem ad hypostaticam vnionem, esse omninò supernaturalem, & ita non posse ab Angelo lumine naturæ euidenter cognosci, & ex consequenti neque possibilitatem huius mysterij potuisse lumine naturæ demonstrari.

Contra: natura humana habet potentiam obe- 11
dientialem respectu Dei ad totum illud, quod ipsi naturæ essentialiter non repugnat; & hoc euidenter cognoscitur ab Angelo: ergo si Angelus euidenter cognoscebat, vnionem personalitatis Diuinę non repugnare essentialiter naturæ humanę, euidenter etiam cognoscebat, in natura humana reperiri potentiam obedientialem ad hanc vnionem. Neque est verum dicere, illam potentiam obedientialem, quam habet natura humana ad huiusmodi vnionem, esse supernaturalem, quia verè & realiter est coæua naturæ, atque inseparabiliter in ea existens: ergo non est supernaturalis. Patet consequentia, quia supernaturale non est, neq; esse potest intrinsecum, & connexum naturæ creatæ.

Cõfirmatur quartò. Angelus potest naturaliter cog- 12
noscere, resurrectionem esse possibilem, vel accidens posse sine subiecto conseruari: ergo & hoc mysterium esse possibile.

Secũdò principaliter obijcitur. Possibilitas Incarna- 13
tionis potest cognosci à Deo, vt est author naturę: ergo nulla est implicatio, quòd lumine etiam naturæ possit illa eadem cognosci. Consequentia est euidens, nam quæ à Deo, vt est author naturæ, cognoscuntur, possunt medio lumine naturali, & eiusdem ordinis innotescere: nihil enim obstat, quòd ab authore naturæ deriuetur lumen, illam veritatem manifestans, quam author naturæ cognoscit. Antecedens autem probatur: quoniam cognitio authoris naturæ est comprehensiua Dei, & omnium rerum, tam existentiũ in aliqua temporis differẽtia, quàm possibiliũ, in quocũque ordine,

ordine, aut genere rerum considerentur. Etenim dicere, authorem naturæ solùm cognoscere quæ ad ordinem naturæ spectant, est dimidiare Diuinam scientiam, & eius cognitionem constituere incompletam ; & semiplenam.

14 Tertiò ratione euidenti potest ostendi, Deum esse summum, & infinitum bonum, sed euidens est, de ratione boni esse, seipsum communicare; ergo etiam euidens est: Deum posse, se summo, & infinito modo communicare. Sed non est alius modus nisi per incarnationem: ergo euidenter cognoscitur incarnationis possibilitas.

15 Quartò. Euidentèr ostenditur, hoc mysterium esse credibile, vt docet D. Thom. 2.2. q.1. art.4. ad 2. & 3. Ergo euidenter demonstratur, esse possibile. Patet consequentia, quia impossibile non est credibile.

16 Confirmatur. Hic discursus est optimus. Hoc est euidenter impossibile, ergo est euidenter incredibile. Ergo etiam rectè infertur, ex opposito consequentis ad oppositum antecedentis: hoc est euidenter credibile; ergo est euidenter possibile.

17 Quintò. Intellectus creatus ex suis viribus, vel iudicat, hoc mysterium esse possibile; vel impossibile; non enim datur medium: sed non iudicat, esse impossibile, ergo possibile.

18 Confirmatur primò. Ratione naturali potest demonstrari, hoc mysterium non esse impossibile; ergo esse possibile. Consequentia patet, quia possibile, & non impossibile æquipollent. Antecedens est D. Thomæ loco citato, & 1.p.q.32. art.1. & lib 1. contra Gentes cap. 7. quibus locis ostendit, euidenter demonstrari, nostræ fidei mysteria non esse impossibilia.

19 Confirmatur secundò. Quia in hac consequentia, hoc non est impossibile, ergo est possibile, argumentamur à negatiua ad affirmatiuam prædicato variato penes finitum, & infinitum: ergo consequentia est legitima.

20 Confirmatur tertiò. Hoc mysterium est euidenter credibile fide infusa, ergo est euidenter possibile. Probatur consequentia: nam quod est credibile fide infusa, est credibile medio infallibili: etenim fidei infusæ nequit falsum sub esse: ergo si est euidens hoc mysterium posse medio infallibili credi, etiam est euidens, quod sit possibile.

21 Sextò. Hæreticus negans aliquas fidei veritates, & retinens articulum Incarnationis, in tali casu assentitur huic veritati, Deus est homo: sed non assentitur per fidem infusam, quam amiserat: ergo assentitur per rationem naturalem, & per opinionem humanam. Ergo potest hoc mysterium ratione naturali cognosci.

22 Septimò. Ratione naturali constat euidenter, Deum efficere posse, quicquid causa secunda agere potest; sed causa secunda potest suum esse alteri communicare: ergo euidenter ostendi potest, Deum posse suum esse naturæ humanæ communicare, & eam assumere. Minor probatur. quia subiectum communicat suum esse accidenti, & anima rationalis suum esse corpori communicat.

23 Octauò. Non implicat contradictionem, produci à Deo creaturam tam perfecto intellectu ornatam, vt solo lumine naturali cognoscat, Deum esse infinitæ virtutis, & facere posse, quicquid non repugnat: ergo talis creatura lumine naturæ intelligeret, Deum posse incarnari, esto supra cursum naturæ illud esset.

Nonò. Si ob aliquam causam possibilitas huius mysterij ratione naturali demonstrari non posset, maximè quia est supranaturalis: sed hæc ratio est insufficiens; nam indè sequeretur, ratione naturali probari non posse, materiam non posse existere sine forma, neque accidens sine subiecto: & consequenter omnes illæ quæstiones, quæ de ijs versantur, quæ Deus de potentia absoluta efficere valet, essent inutiles, & vanæ: ergo, &c. 24

Decimò. Probatur ex D. Hieronymo super Isaiam cap. 47. in fine, vbi docet mysterium hoc posse exsitu, & dispositione stellarum cognosci; & ita fuisse cognitum à magis. Idem docet D. Augustinus lib 3. de mirabilibus Sacræ Scripturæ cap.4. Et Albertus Magnus in libro Speculi adducit algumazar in suo Introductorio maiori cap. 6. Qui hoc idem tenet. Et confirmatur ex prædictionibus sybillarum de Incarnatione, & Natiuitate Christi futura; quæ solo lumine naturæ hoc mysterium cognouerunt. Sybillarum autem carmina referuntur à D. August. lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 23. & in oratione contra Iudæos, Paganos, & Arrianos cap. 16. & lib. 13. contra Faustum cap. 15. Legendus est etiam Cyrillus lib. 8. contra Iulianum, Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromat. Lactantius lib. 4. Diuinarum Institutionum, cap. 15. & 18. Sixtus Senensis. 1. tomo Bibliothecæ. Mercurius etiam Trismegistus in Pimandro cap. 2. hoc mysterium prædixit. Pro resolutione igitur quæstionis sit prima conclusio. 25

PRIMA CONCLVSIO. §. II.

NVLLVS Intellectus creatus, siue humanus, siue Angelicus, solo lumine naturali ductus, de facto cognoscere potest, hoc mysterium esse possibile. Est consentiens omnium Theologorum sententia in 3. d. 1. & est veritas fidei ex Sancta Scriptura collecta. Matth. 16. *Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* Constat autem Petrum Incarnationis mysterium prædixisse. Et ad Galat. 1. ait Paulus. *Notum enim vobis facio fratres Euangelium, quod Euangelizatum est à me, quia non est secundùm hominem, neque ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi.* Et ad Ephes. 3. *Mihi enim omnium sanctorum minimo data est gratia hæc in gentibus Euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo.* Et ad Colos. 1. *Mysterium, quod absconditum fuit à sæculis, & generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis eius.* Ecce Paulus vocat hoc mysterium inuestigabiles diuitias Christi, & Sacramentū absconditū à sæculis in Deo. Vnde D. Hierony. explicās hæc paulina verba, affirmat, hoc mysteriū vocari sacramentū abscōditū, quia natura sua hominem latet. Et ob id sunt, qui existiment Isaiam cap. 45. vocasse Christum, Deum absconditum. Quem sensum ibidem indicauit D. Hieronymus dicens, ita Christum vocari propter assumpti hominis Sacramentum. Eundem insinuauit D. Ambrosius in 2. caput. 2. ad Corint. 26

Et Eusebius 5. de Demonstrat. cap. 4. & D. Augustinus epist. nl. 3. ad Volusianum de hoc mysterio verba faciēs ita inquit. * Demus ergo, Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse. * Eodem modo loquuntur de hoc Sacramento Gregorius homil. 7. in Euangelia, vbi illud vocat mysterium inuestigabile. Et Cyrillus Alexandrinus libro de Incarnatione Vnigeniti cap. 7. vbi asserit, adunationem Verbi cum carne omni humana cognitione esse superiorem. Et Damascenus lib. 3. Fidei cap. 1. vocat nouum omnium nouorum. Et multi Patres explicant illud Isaiæ. 53. * Generationem eius quis enarrabit: * De humana Christi generatione. Iustinus Martyr in Dialogo cum Triphone, Tertulianus aduersus Iudæos. Athanasius in oratione de Incarnatione Verbi. Hieronymus super Isaiam cap. 43. Augustin. lib. 1. de Trinit. cap. 8. Chrysostomus homilia de Sancto Ioanne Baptista tomo. 3. Ambrosius lib. 1. de Fide ad Gratianum cap. 5. Leo Papa epistola. 10. & 11. & probatur rationibus.

27 Primò. In tota natura nulla est causa, aut principiū huius mysterij: ergo demonstrari non potest. Consequentia est euidens; quia demonstratio naturalis ex principijs, & causis naturæ procedit. Et probatur antecedens: quoniam in natura est tantùm potentia obedientialis ad hoc mysterium: hæc autem respectu sui actiui est supranaturalis. Confirmatur primò. Lumen naturale non se extēdit vltrà facultatē naturæ; sed hoc mysterium est maximum omnium miraculorum, quę supra facultatem naturæ fieri possunt, ergo demonstrari non potest. Confirmatur secundò. Quia Incarnatio est opus supranaturale, quia dicitur mysterium mirabile, & portentum, longe superans, & excedens omnia alia Dei opera, etiam supranaturalia: ergo intellectus creatus nullo modo potest illam naturaliter cognoscere. Patet consequentia, nam quod est prorsus naturale, & intra ordinem naturæ contentum, est omnino inferius ad supranaturalia: id enim dicitur supernaturale, quod est supra naturam, & omne naturale excedit: quod autem est inferius, rem ordinis superioris propria virtute attingere non valet.

28 Sit secundā ratio. Quæ de Deo naturaliter cognosci possunt, ab effectis ipsius Dei cognoscuntur, vt ait Paulus ad Roman. 1. *Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Sed nullus effectus naturalis potest ducere in huius mysterij cognitionem: ergo demonstrari non potest. Tertiā. Lumine naturali nequit euidenter ostendi, Resurrectionem mortuorum esse possibilem: sed hoc mysterium est multò magis miraculosum, & supernaturale, ergo eius possibilitas ratione naturali demonstrari non potest. Maior constat ex communi omnium Philosophorum consensu, qui lumen naturæ sequentes affirmant, à priuatione ad habitum impossibilem esse regressum.

29 Confirmatur; quia hoc mysterium est omnium mirabile, & ideo dicitur in Concilio Toletano in fidei confessione, quòd non esset mirabile, si ratione posset ostendi. Et D. Augustinus epist. 3. citata ait. *Si ratio quæritur, non est mirabile, si exemplum, non est singulare.* Confirmatur secundò: quia hoc mysterium, cum sit vnus ex articulis fidei, per se pertinet ad fidem infusam, & supernaturalem, & ex consequenti per se etiam exigit supernaturale lumen, atque adeò lumine naturæ cognosci non potest.

Quarta ratio. Inter lumen, & rem illuminatam debet esse proportio, & analogia; vt inter habitum, & rem cognitam per habitum: sed lumen naturale nullam habet proportione cum hoc supranaturali mysterio, cùm totam naturam transcendat: ergo per lumen naturale euidenter demonstrari non potest, hoc mysterium esse possibile. 30

SECVNDA CONCLVSIO. §. III.

NVLLA Euidenti ratione demonstrari potest, hoc mysterium Incarnationis esse impossibile. Probatur. Quod est falsum, demonstrari non potest: sed hoc mysterium esse impossibile, est falsum; ergo demonstrari nequit, esse impossibile. Minor est de fide, maior probatur. Quod non est, non scitur. sed falsum non est: ergo neque est scibile, nec demonstrabile. Hæc ratio est efficax ad probandam conclusionem homini fideli. Sed pro omnibus probatur secundò. Tunc aliquid demonstratur esse impossibile, quando deducitur ad contradictionem, vel negatione alicuius principij, naturali lumine cogniti: sed rationibus naturalibus deduci non potest ad alicuius principij contradictionem, vel negationem: ergo, &c. Tertiò. Verum vero consonat: sed hoc mysterium est verum; ergo ex veris inferri non potest, hoc mysterium esse impossibile. Quartò lumen rationis naturalis de se nunquam inclinat ad falsum; alioquin Deus huius luminis immediatus author inclinaret ad falsum, quod est absurdum: ergo nequit inclinare ad istam falsitatem; Deus non potest incarnari. Itaque ratio naturalis, quia deficiens est, & ad supernaturalia non se potest extendere, ideò euidenter non demonstrat, hoc mysterium esse possibile, vel esse impossibile. 31

TERTIA CONCLVSIO, §. IIII.

DEVS Posset, si vellet, alicui creaturæ euidenter demonstrare huius mysterij possibilitatem, sed nequit creaturam ita perfectam creare, quæ solo lumine naturali euidenter cognoscat hoc mysterium esse possibile. Prior pars probatur: nam Deum posse incarnari, est verum, & certum in re ipsa: ergo potest à Deo demonstrari aliquo medio, quamuis non sit naturale. Patet consequentia: nam quod à parte rei est certum, & verum, vel est primum principium, vel est demonstrabile. 32

Secundò. Deum posse incarnari, est euidenter cognoscibile, licet non medio naturali: ergo Deus efficere potest, vt à nobis euidenter cognoscatur. 33

Posterior pars conclusionis probatur, quia si in lumine naturali esset vis ad huius mysterij possibilitatem cognoscendam, non esset, cur tota natura stuperet, & miraretur de hoc mysterio executioni mandato, etenim possibili posito in esse, nullum miraculum est. Præterea, si Deus posset creaturam aliquam ita perfectam condere, vt suo intellectu hoc mysterium naturaliter cognoscat, probabiliter potest dici, ex Ange- 34

Digitized by Google

lis, qui modò sunt perfectißimi, aliquos hoc mysterium cognoscere.

QVARTA CONCLVSIO. §. V.

35 SVPPOSITA Fide potest hoc mysterium ostendi probabilibus, & topicis rationibus, exemplis, similitudinibus, & coniecturis, in quibus excogitandis egregiè insudarūt Theologi in 3. dist. 1. Scotus, Durandus, Gabriel, Paludanus, & omniū vberrimè Marsilius in 3. q. 1. art. 1. Prima est, quia tam naturale est accidenti inesse, quàm substantiæ esse per se, sed Deus sua virtute potest accidens sine inesse sustentare, vt patet in Sacramento altaris: ergo poterit substantiam sustentare sine proprio esse per se, saltem in alieno.

36 Secūdò. Anima rationalis, cùm sit spiritualis, potest vniri corpori extenso, & de facto vnitur: ergo etiam Deus poterit vniri humanitati. Quæ ratio maiorem habet vim, si sit sermo de anima rationali, cùm in Resurrectione vnitur corpori, etenim sicut erit possibile tunc, vt anima per se existens corpori extenso vniatur, illi suam tribuens subsistentiam: sic etiam possibile erit, vt Verbum per se subsistens humanitati vniatur, tribuens illi suam subsistentiam. Vnde Athanasius inquit. *Sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus.*

37 Durandus hoc idem explicat exemplo, ex insitione duarum arborum diuersæ speciei desumpto: sicut enim fieri potest secundùm naturam, vt duæ naturæ specie distinctæ in insitione vniantur secundùm eandem materiam, & quantitatem, vt docet Arist. 5. Phisi. cap. 6. Ita erit supernaturaliter possibile, vt duæ naturæ secundùm eandem hypostasim, & subsistentiam coniungantur.

38 Istæ & aliæ id genus rationes, & similitudines, supposita fide Incarnationis, & possibilitatis eius, sunt magni momenti, multùmque afferunt lucis ad huius mysterij intelligentiam. Nihilominùs seclusa fide, non solùm non suadent intentum, verùm neque per illas suspitio posset haberi, hoc mysterium esse actu, vel esse possibile, quia per se sumptæ non sufficiunt ad vincendam difficultatem, & repugnantiam, quam lumen naturale circa hoc mysterium habet: & ideò seclusa fide non sunt sufficientes ad ferendum iuditium etiam probabile, quod tale mysterium sit possibile. Illa verò difficultate per fidem superata, conferunt valdè illæ rationes, & similitudines ad veritatem creditam probabiliter confirmandam.

39 Sed obijcitur. Si supposita fide potest hoc mysterium probabiliter suaderi: ergo supposita faciali Dei visione poterit hoc euidenter demōstrari. Respōdetur. Quòd videns clarè Deum potest in ipso eadem claritate hoc mysterium intueri, prout est in se factum, aut possibile. Quod sanè fit vidente actu, siue eadem formali visione, qua videtur Deus. Cæterùm si illa visio concomitanter duntaxat se habeat, aut tanquam principium extrinsecum, nequit per illam aut ex illa colligi aliud genus cognitionis, quo istud mysterium euidenter cognoscatur, quoniam nullum est medium, quo vnio Diuinæ Personæ, & illius modi supernaturalis, quo natura humana in illa persona esse potest, euidenter cognoscatur. Vndè nullum est medium, quo euidenter posit ostendi possibilitas huius mysterij. Est autem sermo de euidentia rei in se, quæ intrinseca appelari solet: nam alia extrinseca, quæ dicitur in attestante, non refert ad præsentem disputationem.

QVINTA CONCLVSIO. §. VI.

QVAMVIS Supposita etiam fide nequeat euidenter demonstrari Incarnationis possibilitas: posito tamen altiori lumine, quàm sit fides, cuiusmodi est lumen Propheticum, vel si aliud lumen altius infundatur; potest euidenter cognosci possibilitas huius mysterij, sed non euidenter cognoscetur, qualiter hoc sit possibile. Hæc conclusio tribus constat partibus. Prima est contra M. Medina. q. 1. in introducti. ad 1. argum. ex his quæ secundo loco proponit, vbi ait, Theologum supposita fide euidenter demonstrare, hoc mysterium esse possibile. Sed hoc assertum est falsum, tum, quia omnes rationes, quæ adducuntur ad huius mysterij possibilitatem probandam etiam supposita fide, sunt quædam congruentiæ, & nō demonstrationes, vt patet ex illis rationibus, quas affert ipse Medina. Tum etiam, quoniam rationes, quæ adducuntur, supposita fide, vel nituntur lumini naturali, & principijs naturæ, vel lumini fidei, & principijs supernaturalibus: si detur hoc secundum, tunc manifestum est, tales rationes appellari non posse demonstrationes naturales: si detur primum, sequeretur, etiam fide non supposita posse fieri talem demonstrationem, sed consequens est falsum, vt ostensum est, ergo & antecedens. Probatur sequella: quia illa ratio, quæ tantùm innititur naturali lumini, & principijs naturæ, non præsupponit per se loquendo fidem: ergo fieri potest etiam fide non supposita. 40

Secunda pars conclusionis probatur: nam lumen Propheticum facit euidentiam in attestante, & similiter euidentiam mysterij, quantùm ad An est, vt constat ex D. Thoma. 2. 2. q. q. 171. art. 5. Et ibidem Caietano. Ergo Propheta ex vi luminis Prophetici euidenter cognoscet, hoc mysterium esse possibile, quod sibi reuelatur. Consequentia patet: quia si Propheta euidenter cognoscit, Deum esse, qui reuelat, & similiter euidenter cognoscit hoc mysterium, quantum ad An est, etiam cognoscet euidenter possibilitatem illius. Implicat enim, illa duo euidenter cognoscere, & quòd ex vi talis cognitionis nequeat etiam possibilitatem euidenter colligere. Confirmatur: quia illud lumen non tribuit euidentiam solius credibilitatis, quia hanc etiam præstat fides, & lumen Propheticum maius est: ergo dat etiam euidentiam possibilitatis, quæ post credulitatem sequitur. 41

Sed obijcitur. Ergo primus Angelus euidenter cognouit possibilitatem huius mysterij. Probatur consequentia, quia habuit euidentiam in attestante, & proponente Incarnationem. Resp. Nos hîc loqui de euidentia rei in se, quæ dicitur intrinseca, non de euidentia in attestante: Angelus autem non habuit euidentiam huius mysterij in se, quantùm ad An est, sed tantùm in attestante, eamq; nō habuit ex vi luminis fidei, 42

sed

sed ex accidenti, in quantum primus Angelus illuminatus est immediate à Deo, ex quo potuit euidenter indicare mysterium esse possibile: at lumen Propheticum de se tribuit euidentiam rei in se, quantùm ad An est, in quocumque subiecto ponatur.

43 Tertia pars conclusionis probatur: quoniam si euidenter cognosceretur, qualiter hoc mysterium esset possibile, euidenter etiam cognosceretur, qualiter istæ naturæ duæ, inuicem possent vniri, & ita hoc mysterium quidditatiuè cognosceretur, quod nullo modo dicendum est: non enim potest incarnatio quidditatiuè cognosci, quin Deus homo, & nexus vtriusq; euidenter cognoscatur: imò verò, quin Dei potentia, quæ in hoc mysterio summè splendet, cognoscatur euidenter; sicut qui creaturam quidditatiuè cognoscit, cognoscit etiam euidenter dependentiam, quam habet à Deo, & potentiam ipsius Dei creantis. Quod autem dictum est de lumine Prophetico, dicendum etiam est de scientia infusa per se, qualis inuenitur in Christo Domino, licèt ea ex coniunctione ad Diuinam scientiam habeat aliquam euidentiam, etiam circa supranaturalia. De quo infra. q. 11.

44 Ex quibus constat intellectum creatum ex sola cõiunctione ad lumen superius, non posse euidenter, & certo huius mysterij possibilitatem cognoscere, nisi cum ipso intellectu concurrat simul ipsum lumen superius. Itaq; intellectus ex coniunctione ad formam superiorem perficitur quidem, sed non ita vt supposita tali coniunctione, naturali virtute possit certò, & euidenter cognoscere, quæ solo lumine supernaturali per se cognoscuntur. v. g. cogitatiua hominis ex coniunctione ad intellectum perficitur sanè, sed non participat discursum circa ea, quæ per se cognoscuntur ab intellectu, cuiusmodi sunt essentiæ, & naturæ rerum: sed circa singularia, quæ ab intellectu per accidens respiciuntur.

45 Similiter etiam scientia, & lumen naturale ex coniunctione ad fidem, maximam comparant perfectionem: ita vt circa alia principia, quæ aliàs naturæ lumine cognoscebantur (vt Deum esse, & esse vnũ) intellectus certiùs tendat, quàm solo lumine naturali suffultus: sed non quasi ipsum lumen naturale possit euidenter cognoscere ea, quæ per se sunt supranaturalia. Ad eundem modum dicendum est in proposito: licèt concedatur, lumen naturale adiuuari lumine superiori ad cognoscendam Incarnationem, non tamen in hoc quòd euidenter, & certò eius possibilitatem, aut veritatem cognoscat, sed quia tale lumen magis propendet ad assentiendum tali mysterio, & ad iudicandum de eius possibilitate suauiùs, & faciliùs, & sine tanta repugnantia, & hæsitatione, quam habent; qui solo lumine naturæ illud inuestigant. Reliquum est argumenta in contrarium dissoluere.

DILVTIO ARGVMENTORVM. §. VII.

46 AD Primum igitur argumentum negatur consequentia, quia esto posit naturaliter cognosci, Deum posse, quicquid contradictionem, & repugnantiam non inuoluit, non tamen potest euidenter demonstrari, Deum fieri hominem, non implicare contradictionem. Itaque licèt nõ repugnet, Deum fieri hominem, illa tamen non repugnãtia nequit euidenter demonstrari.

Ad primam replicam distinguendum est antecedens, si enim intelligatur de mysterijs supernaturalibus quòad substantiam, idest, quæ secundùm suam entitatem intrinsecam sunt supernaturalia: Sic negatur antecedens, nec oppositum conuincunt eius probationes, nam in prima tantùm adducitur vnum exemplum mysteriorum supranaturalium quòad substantiam, nempe, posse naturaliter cognosci possibilitatem infusionis gratiæ, & habituum supernaturalium, & eleuationis intellectus creati ad visionem claram Dei: quod tamen est falsum. In secunda verò tantùm probatur, posse intellectum creatum cognoscere naturaliter in communi, & in confuso, posse Deum facere aliquid præter ordinem naturæ: ex quo tamen non sequitur, quod posit in particulari cognoscere horum mysteriorum possibilitatem. Si autem antecedens intelligatur de mysterijs supernaturalibus tantùm, quò ad modum, idest, quorum entitas est naturalis, & tantùm habent modum aliquem extrinsecum propriæ entitati, qui sit supernaturalis; sic potest concedi antecedens respectu aliquorum, nempe, eorum, quæ nõnullam habent connexionem cum rebus naturalibus. Nam ex cognitione harum rerum naturalium potest intellectus deuenire in cognitionem possibilitatis horum mysteriorum supernaturalium, sicut noster intellectus pro hoc statu ex cognitione rerum materialiũ, quæ sunt ipsi proportionatæ, comparat cognitionem immaterialium, quæ sunt improportionatæ: Et huius generis sunt nonnulla mysteria, quæ in prima probatione illius antecedentis referuntur. Vndè intellectus creatus forsam potest naturaliter cognoscere possibilitatem Resurrectionis, ex eo quòd cognoscit virtutem Dei non pendere in agendo ex temporis successione, neq; ex dispositionibus materiæ, aut ex alijs, quæ requiruntur, vt effectus fiant à causis secundis, & successu temporis mutantur. Similiter cognoscere potest, duo contraria posse simul à Deo constitui cum summa intensione in eodẽ subiecto, quia naturaliter cognoscit, posse à Deo impediri, ne mutua actione se inuicem excludant, ex eo quòd cognoscit, posse eis non cõmunicare suũ cõcursum, sine quo nihil possent agere: & eadẽ ratione potest cognoscere, posse Deũ impedire actionem cuiuscunq; agentis creati, etiam si habeat passum applicatum, & alia requisita ad agendum. Cæterùm ex antecedenti in isto sensu colligi nequit conclusio; tum quia vnio Incarnationis est secundùm se supernaturalis: tum etiam, quia nullam habet connexionem cum rebus naturalibus; & ideò absolutè est neganda consequentia. Nihilominùs aduertendum est in hac solutione, quòd loquimur de his mysterijs, antequàm fiant, nam postquàm facta sunt, contingere potest, quòd aliqua eorum, quæ quò ad modum tantùm sunt supernaturalia, licèt nullam fortè habeant connexionem cum rebus naturalibus, cognoscantur quò ad possibilitatem, vel non repugnantiam per naturalem intellectus creati facultatem; quia cognoscũtur quò ad existentiam, vt patet in constitutione duorum corporum in eodem loco, aut eiusdem corporis in diuersis locis: tametsi hoc non sit concedendum de

existentia

Digitized by Google

existentia corporis Christi in Sacramento altaris, quoniam hæc secundùm se est supernaturalis. Ad secundam replicam negatur antecedens, & ad primam probationem, antecedens negatur. Ad secundam probationem patet Responsio ex solutione prioris replicæ. Et insuper additur, quòd licet extrema huius vnionis sint secundùm se naturalia, ipsa tamen vnio est intrinsecè, & secundùm substantiam supernaturalis. Ad tertiam probationem Respondetur, quòd in humanitate posse carere propria personalitate, non est proprietas, aut conditio naturalis, sed potentia obedientialis. Et in Deo posse supponsitare naturam creatam, est attributum naturale respectu ipsius, quia Deo nihil est supernaturale: tamen respectu nostri, aut cuiuscunq; intellectus creati est supernaturale, quia respicit, vt actum, vel terminum, suppositationem actualem, quæ nulli creaturæ potest esse connaturalis; sicut potentia ad producendos effectus supernaturales quò ad substantiam, respectu Dei est naturalis, respectu tamen nostri est supernaturalis. Neq; est eadem ratio, si Angelo conueniret similis potestas, quia posito hoc impossibili, deberet concedi, esse simpliciter naturale, sicut ipse Angelus, cuius esset proprietas, pertineret ad ordinem naturæ.

48 Ad primam confirmationem Respondent quidam recentiores, secuti durandum in Prologo. lib. 1. sent. q. 2. num. 42. argumenta contra hoc mysterium adducta non posse euidenter solui ex parte materiæ. Aiunt ex parte materiæ; quia si adducantur rationes peccantes contra disserendi artem in ipsa forma concludendi, poterunt sanè dissolui per formam syllogisticam: euidenter enim poterit ostendi formæ vitium ab eo, qui nouit leges rectè disserendi. Sed dicunt ex parte materiæ, hoc est, quando in argumentatione, quæ adducitur contra fidem, assumitur aliqua propositio falsa, & ex ea concluditur fidei nostræ contradictorium: vt in hac illatione. Impossibile est in aliqua natura plurificari supposita, quin plurificentur naturæ: sed in Deo sunt plura supposita; ergo plures naturæ. Dicunt ergo, hoc argumentum, & alia id genus, non esse euidenter solubilia, quia si hoc argumentum euidenter soluitur ex parte materiæ ergo euidenter probatur, consequens esse falsum: ergo eius oppositum esse verum, nempe, non sunt plures naturæ in Deo. Ergo euidens est, in Deo esse vnam naturam in tribus suppositis. Patet consequentia, quia argumentum, in quo eius oppositum colligitur, euidenter probatur falsum. Præterea. Si euidenter soluuntur argumenta contra hoc mysterium: ergo cognoscitur euidenter, propositiones factas contra illud esse falsas. Ergo si euidenter cognoscitur falsum contra Incarnationem, euidenter etiam cognoscetur verum Incarnationis: quia contrariorum eadem est disciplina. Rursus. Nequit euidenter, & demonstratiuè solui argumentum contra fidem, nisi ostendatur, oppositum nostræ fidei esse impossibile; at si hoc ostendatur, similiter erit ostensum, id, quod docet fides nostra, esse possibile: hoc autem ostendi non potest: ergo nequeunt ita solui rationes contra fidem, vt simul ostendatur, demonstratiuè, & euidenter esse falsas. Item si Theologus euidenter soluit argumenta contra Incarnationem, hoc faciet per habitum scientificum Theologiæ: sed habitus Theologicus est in euidens, sicut lumen fidei: ergo nequit præstare Theologo euidentiam, ad soluendum euidenter argumentum contra Incarnationem. Mirabile est certè, quòd Theologus in argumentis pro fide non concludat euidenter verum, quia nullus habitus agit vltra suam actiuitatem, & in soluendis argumentis contra fidem ostendat euidenter falsum.

49 Nihilominus opposita sententia est vera, quam docet Caietanus. 1. p. q. 1. art. 8. Nempe, posse euidenter solui eiusmodi argumenta. Et videtur plane esse D. Thomæ sententia in eodem artic. 8. nam ait, posse Theologum eo modo soluere argumenta, quæ fiunt contra mysteria fidei, quo non potest ipsa mysteria fidei persuadere, & probare, nempe, euidenter. Deinde dicit, manifestum esse, eiusmodi rationes contra fidem non esse demonstrationes, sed solubilia argumenta. Eandem sententiam sequuntur communiter Thomistæ. Legendus est M. Dominicus Bañez. 1. p. q. 32. art. 1. dubitatione. 1. conclus. 4. Vndè pro refutatione cō-

50 trariæ sententiæ aduertendum est, argumentum aliquod vitiosum, & peccans ex parte materiæ, non solùm tunc solui euidenter, quando is, qui Respondet, ostendit ex ipsa rei natura falsam esse propositionem aliquam assumptam in argumento contra suam assertionem: verùm etiam, cum aliundè reddit euidentem rationem, cur ipse prudenter sibi possit persuadere, atq; adeò persuadeat, falsam esse talem aliquam propositionem sumptam in argumento. v. g. illa propositio assumpta in argumento proposito, impossibile est in aliqua natura plurificari supposita, quin plurificentur naturæ, non aliter potest ab aduersarijs fidei probari, quàm inductione, scilicet, in hac natura, & in illa, & in illa, &c. Sed is, qui Respōdet, huic formæ probādi ex inductione potest aliqua opponere, ex quibus euidenter ostendat, non quidem ipsam veritatem mysterij, aut falsitatem illi contradicentem, vt existimant authores primæ sententiæ, in quo maximè decipiuntur, sed prudenter se facere, quod illam propositionem mysterio contradicentem, falsam esse existimet, atque adeò quòd sibi persuadeat, non procedere in eiusmodi materia probationem illam ex inductione.

51 Primò, quia non est absolutè impossibile, vt quod inuenitur in omnibus alijs singularibus, non reperiatur in vna quadam re singulari, estò conueniat cum alijs in communi vocabuli notione: sed illi potiùs cōpetat quiddam aliud longè diuersum.

52 Secundò, quia lumen naturale rationis tunc inclinat ad assensum propositionis vniuersalis, quando nullum aliud lumen altius docet, aliter se rem habere in aliquo vno singulari; sed lumen Diuinæ reuelationis, quod est altius lumine naturæ, docet, secus se rem habere, quàm per inductionem probetur in eo mysterio fidei singulari, contra quod sumitur propositio vniuersalis ipsi contradicens, ad cuius confirmationem sumitur inductio. Tertio, quia estò Diuina mysteria cum alijs rebus conueniant in vocabulis, at propriæ rationes illorum infinitè distant à rationibus rerum creatarum, atque adeò incredibile videri non debet, quod quiddam aliud longè diuersum competat rei singulari Diuinæ, quàm rebus alijs singularibus.

53 Ex quibus constat, posse Theologum euidenter ostendere, se prudenter facere, quòd propositiones contradicentes

Digitized by Google

tradicentes mysterijs fidei falsas esse arbitretur, atque adeò, quòd non moueatur argumentis, quæ sunt ex illis constructa. Itaque per negationem eiusmodi propositionum potest euidenter dissoluere argumenta contra fidem proposita, quæ peccant in materia: idest, quæ ex falsis propositionibus constant. Vndè omnia argumenta contrariæ sententiæ facilè soluuntur per hoc, quòd ad soluendum aliquod argumentum contra fidem, non est necessarium, euidenter etiam ostendere falsitatem propositionis assumptæ in argumento, sed satis est euidentem rationem reddere, cur is, qui Respõdet, argumẽto non moueatur. Verum est, quòd siquis velit argumentantem redarguere euidenter, oportet euidenter etiam ostendere falsitatem assumptæ propositionis. sed hoc nequit Theologus in proposito efficere.

54 Ex dictis patet solutio ad primam cõfirmationem, concedimus, omnia argumenta ex principijs naturalibus deducta contra hoc mysterium posse euidenter solui, non quidem vt conuincantur falsum assumere, quia hoc deberet fieri per principia contraria, quibus mysterij possibilitas constaret, hæc autem nulla sunt, sed possunt solui negando principia, quæ probari non poterunt: quod sufficit, vt non concludant, neque sint demonstrationes. Ex huiusmodi autem argumentorum solutione nequit inferri, Incarnationem esse possibilem, sed solùm id non demonstrari, vel saltem ignorari. Ex quo non sequitur, in re ipsa non repugnare, quia non quicquid est impossibile, est euidenter impossibile.

55 Ad secundam confirmationem concesso antecedenti, negatur consequentia. Probationi autem dicitur, licèt Angelus euidenter cognoscat se soluere omnia argumenta, quæ contra possibilitatem huius mysterij fiunt, non tamen euidenter cognoscere, quòd illa argumenta de facto & secundum rem nõ conuincunt, sed tantùm cognoscere, quòd non conuincunt eius intellectũ: quia scit eis assignare solutionem apparentem, & quidem apparens solutio, in qua nulla repræsentatur repugnantia, argumentum euidenter dissoluit. Solutio enim argumenti in hoc consistit, quòd intellectus non conuincatur, neque ducatur ad concedendam repugnantiam.

55 Præterea, ad dissoluenda euidenter argumenta, quæ hoc mysterium impugnant, sufficit recurrere ad omnipotentiam Dei, dicendo, quòd licet attendendo ad sola principia naturæ, vnio naturæ humanæ cum Diuino supposito impossibilis appareat, at respectu infinitæ potentiæ Dei nullam habet implicationem: & quandiu oppositum huius non demonstretur, solutio est sufficiens, & argumentum euidenter dissoluit: cum quo tamen stare potest, nisi fides oppositum docuisset, quod talis vnio erat impossibilis.

56 Ad tertiam confirmationem negatur antecedens, quia ex vtraq; parte prouenit repugnantia, & ex parte Diuini suppositi, & ex parte humanæ naturæ. Ad impugnationem primæ partis Respondetur, Angelum non posse euidenter cognoscere, suppositum Diuinum posse terminare naturam humanam absque informatione, quia natura humana secundùm se non est terminabilis nisi mediante informatione habet enim natura potentiam ad duo, & ad hoc quòd terminetur per personalitatem, & ad hoc, quòd informetur à personalitate. Angelo autem non poterat constare euidenter, personalitatem Diuinam posse veramq; illam potentialitatem naturæ adimplere, non informando ipsam, imò vero si Angelus solam rationem consuleret, potius iudicaret, esse impossibile, terminare naturam absque informatione.

57 Et cum instatur: informare non est de ratione suppositi, & hoc ab Angelo euidenter cognoscitur; Respondetur: Angelum euidenter non cognoscere, non esse de ratione suppositi terminantis naturam creatam, vt terminet non informando: quia Angelus videt, hoc conuenire personalitati creatæ, & ex sua propria ratione naturali, & ex parte naturæ creatæ, etenim personalitas creata non aliter habet terminare, quàm informando, neq; ipsa natura aliter est terminabilis à personalitate creata, quàm per informationem, & hoc exigit intrinsecè ordo naturalis: non poterat autem Angelus viribus naturæ cognoscere ordinem supernaturalem, secundùm quem non repugnat, naturam terminari per personalitatem absque informatione. Sed hæc magis explicabuntur in Responsione ad secundam partem antecedentis.

58 Ad primam probationem secundæ partis antecedẽtis, negatur consequentia: nam Angelus comprehendens rem, debet cognoscere omnia, quæ illi positiuè conueniunt, & omnem respectum, conuenientiam, aut differentiam, vel non repugnantiam, quam habet respectu rerum naturalium, quæ sunt in vniuerso, non verò respectu omnium possibilium: satis enim rationalitatem comprehendit, vt distinguit ab omni alia differentia animalium, quæ sunt, vel fuerunt, non verò ab animalibus producendis, vel producibilibus, quæ sunt infinita. Similiter non requiritur, quòd cognoscat differentiam, aut conuenientiam, vel non repugnantiam respectu rerum supranaturalium, etenim cõprehendit hanc personam Petri, licèt lumine naturæ non cognoscat, quòd distinguatur à tribus Diuinis Personis, aut quo pacto illi repugnet. Eâdem etiam ratione dicendum est, non oportere, vt comprehendens cognoscat potentiam obedientialem ad effectus supernaturales, quia etiam cognosceret ipsos effectus.

59 Qualiter autem hæc potentia obedientialis, aut ista non repugnantia, vel non resistentia dicatur comes naturæ, & illi annexa, affirmant aliqui, ideò dici, non quia sit passio positiuè fluens, nec proprietas naturali vinculo colligata: sed quia est ibi fundamentum talis assumptibilitatis. Et potentiam obedientialem in ordine ad supernaturales effectus, aiunt, pro formali esse aliquid rationis, quia non superaddit aliquid ad naturam, vel determinat illam ad agendum, vel patiẽdum, neque ad effectus superioris agentis. Hæc autem, quæ isti dicunt de potentia obedientiali, mihi non placent, neque menti, & doctrinæ D. Thomæ consentanea videntur, pro quorum examine in sequente disputatione differam de potentia obedientiali, vt eius quidditas, & natura perfectè intelligatur.

60 Ad secundam probationem secundæ partis antecedentis Respõdetur: Angelum existimare potuisse, quòd repugnantia huius mysterij proueniebat ex parte naturæ humanæ, quæ non erat terminabilis per aliam subsistentiam, quàm per creatam, & sibi connaturalem,

quoniam natura humana habet essentialem habitudinem ad propriam, & connaturalem subsistentiam, non quidem, quòd ista habitudo ita sit naturæ essentialis, vt sit ratio generica, aut specifica ipsius naturæ: sed eo modo dicitur essentialis, quo natura humana per suam essentiam est proportionata, & inclinata ad proprias passiones. V.g. ad risibilitatem: ita similiter natura per suam propriam essentiam est naturaliter proportionata, & inclinata ad creatam subsistentiam sibi connaturalem. Hæc autem proportio, & inclinatio naturæ ad propriam, & connaturalem subsistentiam, cùm non sit accidens naturæ, neque propria eius passio; efficitur necessariò, vt sit ipsamet essentia naturæ. Quare cùm Angelo innotesceret hæc inclinatio, & habitudo, ne quibat illi esse euidens, quòd natura, etiam per Diuinam potentiam, posset terminari aliena personalitate, etiam Diuina. Sed contra hanc solutionem obijcitur.

61 Si natura humana habuit essentialem habitudinem ad propriam subsistentiam, ergo impossibile fuit terminari per subsistentiam Diuinam: sed consequens aduersatur fidei: ergo, &c. Probatur sequela. Deus non potest supplere ordinem essentialem: non enim Deus efficere potest, vt natura humana sit risibilis absque propria risibilitatis passione, eoquòd natura habet essentialem habitudinem ad huiusmodi passionem: ergo, &c. Resp. Naturam humanam habere quidem essentialem habitudinem ad personalitatem, & subsistentiam propriam, non tanquàm ad formam, sed tanquàm ad terminum completiuum, & terminatiuum: & ita non repugnat, Deum sua personalitate supplere vicem personalitatis creatæ, & terminare, & complere ordinem essentialem, quem natura ad propriam subsistentiam importat: eoquòd Diuina subsistentia eminentissimè continet quicquid perfectionis reperitur in subsistentia creata. & ex alia parte potest supplere vicem eius absque omni informatione, & imperfectione: quoniam terminare naturam, nullam imperfectionem inuoluit. Cæterùm ordo essentialis, quem natura importat ad aliquam formam in ratione formæ, cuiusmodi est ordo naturæ humanæ ad potentiam ridendi, nequit à Deo immediatè suppleri, eoquòd repugnat ipsi Deo vicem formæ supplere.

62 Sed contra obijcitur. Terminare naturam, est supplere vicem formæ, sed Deus terminat naturam humanam, vt de fide constat: ergo, &c. Probatur maior: subsistentia est actus, & forma terminans, & complens naturam, & est ratio formalis, per quam suppositum subsistit: ergo si Deus supplet rationem suppositi, & vicem subsistentiæ creatæ, supplet etiam vicem formæ. Resp. Deum supplere quidem vicem formæ, non formaliter, sed terminatiuè. Est dicere, quòd Deus nequit supplere quantùm ad informationem vicem formæ; quia hoc poneret imperfectionem in Deo, vt patet de albo sine albedine, tunc enim debuisset Deus habere rationem formæ informantis subiectum album absque albedine: & hoc est supplere vicem formæ formaliter, & esset imperfectio in Deo. Cæterùm personalitas Diuina terminatiuè potest quodammodo dici ratio formalis existentiæ humanitatis extra nihil: hoc est, quòd ipsa natura, quæ ex se suam habet rationem formalem, per quam in esse talis naturæ constituitur: terminetur per personalitatem Diuinam quatenùs ipsa Diuina personalitas habet rationem actus, & perfectiui terminantis & complentis ipsam rei essentiam extra nihil. Sit exemplum. Deus non potest facere hominem gratum formaliter per gratiam gratum facientē absque illa: quia hoc esset imperfectio in Deo, cùm necessariò deberet supplere vicem formæ informantis. At non repugnat suæ omnipotentiæ, facere hominem gratum obiectiue, ex eo quòd sibi placet, sine gratia illum ad suā amicitiam acceptare, qua ratione aliquis dicitur amicus noster, in quo nihil formaliter ponit amicitia nostra, licèt possit intelligi, aliquid ponere obiectiue.

Sed contra probatur, existētiam esse formam, atque adeò Deum formaliter supplere vicem formæ. Essentia secundùm se respicit existentiā, quatenùs hæc constituit illam in esse simpliciter, & principaliter: sed id, quod est præcipuum, & principale in quauis re est eius forma: ergo existentia est ratio formalis essentiæ, atque ita suppletur à Deo formaliter. Maior patet ex illo communi proloquio Thomistarum; existentiam esse perfectissimum rei. Resp. Existentiam dici perfectissimum rei, quia solùm dicit rationem actus terminantis naturam: omnis autem actus habet rationem formæ, & è contra. Cæterùm actus sic habet rationē formæ, quod illā importat absque aliqua imperfectione; quia actuare tantum est complere, determinare, & perficere ipsum esse specificum, quod per formam importatur. 63

Forma verò, vt sic, taliter habet rationē actus, quòd etiam importat imperfectionem: nempe, informationem illius rei, cuius est forma. Vndè quanto plus forma habet de hac imperfectione, est minus nobilis, & magis imperfecta, & quò minùs de hac informatione habuerit, & magis de actualitate, quæ nullam imperfectionem importat, eò erit perfectior, vnde Deus dicitur nobilissima forma, vt potequi est nobilissimus actus. Quæuis autem forma naturalis quodammodò importat & rationem actus, & perfectiui: & hac ratione terminat, & complet naturam. Importat etiam rationem potentiæ, & imperfectionis, quatenùs à subiecto, & materia, in qua recipitur, & quam informat, & cui proinde tribuit esse specificum, coarctatur, & limitatur ad tale esse. Perfectio autem formæ attendenda est secundùm illud, quod principaliter importat, & quia hoc conuenit illi, quatenùs habet rationem actus: ideò existentia, quæ est forma secundùm hanc proprietatē, & conditionem, solet perfectissimum appellari, & à Deo potest suppleri, cùm non dicat vt sic imperfectionem; sed non quatenùs habet rationem potentiæ, & includit informationē rei, cui esse specificum tribuit, nam secundùm istam considerationem includit imperfectionem. Supplet ergo Deus existentiam, quatenùs complet, & terminat naturam specificam, quod sane est perfectio: sed non quatenùs est forma habens informare, quod est imperfectio. Tum etiam, quia ratio formalis existentiæ nō est ratio formalis generis, aut differentiæ: non enim dat esse simpliciter, sed terminat ipsum esse naturæ, & illud complet, tanquàm actus quidam substantialis, qui à Deo potest suppleri. Secus autem se res haberet, si esset ratio formalis generica, aut specifica. 64

Ad quartā cōfirmationē, quicquid sit de antecedēti, quod 65

quod est valdè dubium. Negatur consequentia; quia hoc mysterium est altius, in quo Deus non solùm separat res omninò distinctas: sed etiam subsistentiam intrinsecam separat, & illam supplet, non per solam efficientiam, sed per intrinsecam vnionem. Quare cùm hoc mysterium Deum in se attingat, ex hac parte minùs cognoscibile est, quàm reliqua Dei opera.

66 Ad secundum argumentum principale negatur antecedens, quia Deus, vt est author naturæ, non cognoscit mysteria supranaturalia: atque adeò secundum istam rationem non potest producere qualitatem aliquam, & lumen, quod manifestè reuelet hoc mysterium, & alia supranaturalia. Ad probationem Resp. cognitionem authoris naturæ, vt sic, esse comprehensiuam Dei, & omnium rerum naturalium possibilium; neque ex hoc sequitur Diuinam cognitionem, & scientiam esse dimidiatam, & incompletam, quia habet omnem plenitudinem sui generis: est enim infinita in suo genere, quia cognoscit omnia naturalia possibilia, quamuis vt sic non censeatur infinita simpliciter. Sed contra hoc obijcitur.

67 Scientia Dei, vt est author naturæ, est simpliciter scientia quidditatiua Dei, & comprehensiua, atque intuitiua, & adæquata sui obiecti; ergo nihil est in substantia Dei, quod non comprehendatur per talem scientiam: sed quidditas, & substantia Dei non minùs comprehendit veritates supranaturales, quàm naturales; ergo scientia Dei, vt authoris naturæ, extendit se etiam ad mysteria supranaturalia, sicuti & ad naturalia. Resp. Ex distinctione. Cognitio siue scientia Dei, vt est author naturæ, dupliciter consideratur. Vno modo secundùm se, alio modo, vt est veluti contracta, & determinata per rationem formalem authoris naturæ: etenim ratio authoris in Deo est communis, & quasi diuiditur in rationem authoris naturæ, & in rationem authoris gratiæ; ac proindè ratio authoris naturæ est diuersa à ratione authoris gratiæ, quia Deus, vt author naturæ, & vt author gratiæ, & habet diuersa, & producit etiam res diuersi generis.

68 Priori modo considerata scientia authoris naturæ, est simpliciter infinita, & quidditatiua, & comprehensiua Dei, & omnium rerum, tam naturalium, quàm supranaturalium, quæ sub obiectum illius adæquatum cadunt; quia in Deo non est nisi vnica scientia, & non diuiditur in scientiam authoris naturæ, & in scientiam authoris gratiæ: sed vnica tantùm cùm sit, per accidens illi conuenit, quòd deseruiat authori naturæ, vt sic, aut authori gratiæ, vt sic. Quemadmodùm omnipotentia, iustitia, misericordia, &c. Est vna, & non distinguitur omnipotentia, iustitia, & misericordia authoris naturæ ab omnipotentia, iustitia, & misericordia authoris gratiæ.

69 Posteriori autem modo scientia authoris naturæ non consideratur vt simpliciter infinita, & comprehensiua omnium rerum naturalium, & supranaturalium, sed tantùm naturalium. Itaque Deus, vt author naturæ, solùm cognoscit effectus naturales. Illa autem cognitio secundùm se est simpliciter infinita, comprehensiua, & adæquata sui obiecti: vt autem deseruit authori naturæ, & vt est cognitio rerum naturalium, consideratur vt infinita, & comprehensiua in tali genere, quia est cognitio omnium naturalium possibilium, & non dicit ordinem ad res supranaturales; sicut etiam Deus, vt est author naturæ, operatur per intellectum, non solùm vt est potentia cognoscitiua rerum naturalium, sed absolutè, quamuis vt est principium rerum naturalium, non dicat ordinem ad supranaturalia.

Ad tertium principale Resp. Non posse euidenter demonstrari, esse de ratione summi boni, infinito modo se comunicare, aut posse se communicare, quia non est vndè euidenter posit colligi, quàmuis de facto communicauerit se humanitati per vnionem hypostaticam infinito modo. 70

Ad quartum negatur consequentia, quia euidentia possibilitatis pendet ex cognitione, & penetratione rerum in seipsis, euidentia verò credibilitatis prouenit ex testimonio extrinseco, & veracitate dicentis, quæ sufficiens est ad fidem adhibendam rei credibili, & ita contingit multa falsa, & impossibilia esse euidenter credibilia, vt cùm de vtraq; parte contradictionis est opinio probabilis. v.g. in his quæstionibus. Num quantitas distinguatur à re quanta, An materia & forma possint separari, & similibus, vtraq; pars est euidenter credibilis, & vna à parte rei est possibilis, & altera impossibilis, quamuis nobis non constet, quæ nam illarum sit euidenter possibilis, & quæ impossibilis. Quare cùm istæ duæ euidentiæ ex diuersis principijs oriantur, ex euidentia credibilitatis non sequitur euidetia possibilitatis. 71

Ad confirmationem concessa priori consequentia, negatur secunda: neque argumentamur ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis: etenim euidenter impossibile, & euidenter possibile non contradicunt, ratione illius modi. *Euidenter.* Nam ista vox idem valet, quod certò, & clare cognoscere. Vnde euidenter possibile, & euidenter impossibile possunt simul de aliqua propositione negari. v.g. materiam posse sine forma existere, neque est euidenter possibile, neque etiam euidenter impossibile. Itaque argumentum non est ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis, si enim antecedens sit hoc: quod est euidenter impossibile, est euidenter incredibile, non infertur pro consequenti eadem propositio cum negatione, sed permutatis extremis, quod manifestum est, obstare contradictioni. Si verò antecedens ita proponatur, quod est euidenter incredibile, est euidenter impossibile, præterquàm quòd est falsum, quia propter testimonia extrinseca potest aliquid reddi euidenter incredibile, licèt non sit euidenter impossibile; imò & quamuis sit verum, non opponitur ei consequẽs contradictoriè, nam istæ propositiones, cùm sint modales, aut similes modalibus, non opponuntur contradictoriè, quandiù modus manet affirmatus. Quare ad veram contradictionem oportet, hoc consequens inferre: ergo quod non est euidenter incredibile, non est euidenter impossibile. Habet etiam alios defectus illa consequentia, propter quos, licèt esset ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis, non valeret. 72

Secundò Resp. argumentum ex opposito consequentis ad oppositũ antecedẽtis, vel ex opposito prædicato esse optimũ, nã aliàs duæ contradictoriæ darentur simul veræ, vel falsæ, quod non habet locũ in præsenti, ratione illius aduerbij, Euidenter, quoniã cũ illo 73

aduerbio

aduerbio duo termini contradictorij possunt de eodem falsificari, vt constat in hac propositione, quantitas distinguitur à re quanta: istæ enim propositiones sunt falsæ, hæc propositio euidéter est falsa, hæc propositio euideter est nõ falsa, sicut dicit Caiet. cap. 4. de ente & essentia, has propositiones esse falsas; homo per se est albus, homo per se est nõ albus. Quare cùm duo termini contradictorij possint de eode falsificari mediante illo aduerbio, Euidenter, non mirum est, vnum argumentum ex opposito prædicato esse bonum cum eodem aduerbio, Euidenter, & aliud argumentum non tenere, neque esse bonum.

Ad quintum Respondetur, à parte rei non dari me-
74 dium inter possibile, & impossibile, at verò respectu nostræ cognitionis contingere posse, vt nobis non sit euidens, An hoc sit possibile, vel impossibile, vt videre est in rebus, quæ sub opinionem cadunt: in quibus certum est, alteram partem esse possibilem, & alteram impossibilem: sed nobis non constat, quænam illarum sit euidenter possibilis, vel impossibilis. Prætereà: illæ propositiones non contradicunt, indicat possibile, indicat impossibile, quia vtraque est affirmatiua, atq; adeò falsificari possunt: etenim ratio naturalis neque indicat possibile, neque impossibile, imò nihil de hoc dictat, cùm sit supra totam naturam.

Ad primam confirmationem negatur antecedens,
75 quia si ratione naturali, & euidenti posset demonstrari, hoc mysterium non esse impossibile, euidenter demonstraretur, esse possibile, quia non impossibile, & possibile æquipollent. Cæterùm supposita fide potest rationibus congruentibus, exemplis, & similitudinibus probari, hoc mysterium nullam habere euidentem impossibilitatem, quia si esset euidenter impossibile, non posset esse credibile. Legatur D. Thomas. 1. p. q. 32. art. 1.

76 Per hoc etiam Respondetur ad secundam confirmationem, concedendum est consequens, sed sicut non demonstratur euidenter, hoc mysterium non esse impossibile, ita non demonstratur euidenter esse possibile. Ad regulam autem Aristotelis, dicendum est, debere intelligi, quando solùm arguitur in propositionibus de inesse de hoc verbo, est, de præsenti, de terminis rectis, & non obliquis, de terminis absolutis, & non respectiuis. Sic enim regula est vniuersaliter vera, alioquin plures patitur calumnias. Item præfata regula est intelligenda, quando totale prædicatum infinitatur. Sed hæc dialectica sunt.

77 Ad tertiam confirmationem Respondetur, quòd esse credibile fide infusa idem est quod esse à Deo reuelabile, & esse cognoscibile lumine supernaturali, & medio infallibili, vnde sicut creditur, hoc mysterium Incarnationis esse à Deo reuelatum: ita etiam creditur, & non videtur, posse à Deo reuelari. Item sicut est euidenter credibile, hoc mysterium esse reuelatum à Deo: sic etiam est euidenter credibile, posse à Deo reuelari, & fide infusa cognosci. Ad argumentum ergo negatur, esse alicui euidens, hoc mysterium esse credibile fide infusa, sed est euidens, esse credibile, quòd est credibile fide infusa.

78 Sed obijcitur ex D. Thom. 2. 2. q. 1. art. 4. ad 2. vbi ait, fidem infusam facere euidentiam, quòd articuli fidei sunt credibiles. Ex quo sic desumitur argumẽtum: Fides infusa producit euidentiam credibilitatis: ergo illa euidentia cadit supra obiectũ supranaturale. Probatur consequentia; nam fides infusa non cadit supra obiectum naturale. Tunc vltrà. Illa euidentia cadit supra aliquod supranaturale: ergo est euidentia, quòd articuli fidei sunt credibiles fide infusa. Respõdetur: hoc argumentum non militare contra nos, nam etiam si concedamus, habitum fidei infusæ supranaturalis, euidentiam efficere de ista credibilitate, & consequenter facere euidentiam de possibilitate, nihil colligitur cõtra nostram sententiam, quæ asserit, medio, & lumine naturali demonstrari non posse euidenter huius mysterij possibilitatem. Fides autem infusa, neque est lumen, neque medium naturale. De difficultate huius argumenti disseritur loco citato. Pro nunc dicendum est breuiter, non esse euidens, illam credibilitatis euidentiam ab habitu infuso elici, & produci, sed cadere sub opinionem, & ita consequens non potest esse euidens.

Ad sextum Resp. Hæreticum assentiri tantùm illi 79
Articulo per fidem humanam, & opinionem, sed in illam opinionem, & fidem humanam, nunquam deueniret, nisi priùs foret facta reuelatio de hoc mysterio Ecclesiæ, & Angelis. Et supposita hac reuelatione facta Ecclesiæ, potest Hæreticus huius mysterij veritatem probabiliter retinere.

Ad septimum Resp. lumen intellectus percipere pos- 80
se, quomodò accidens, quod est ens in alio ex sua natura suscipiat esse à substantia: at verò ratio naturalis nequit capere, quomodò substantia completa, & perfecta recipiat esse ab alio, & sit in alio, & ab illo sustentetur. Item intellectus rectè percipere valet, qua ratione anima, quæ ex sua natura est pars, & forma corporis, illi suum esse communicet; sed intelligere non potest, quomodò Deus, qui nullo pacto potest esse forma, suum esse naturæ communicet.

Ad octauum Resp. non repugnare, creari aliquam 81
creaturam, quæ solo lumine naturali possit hoc mysterium in communi, & in confuso cognoscere, & similiter Deum multa supernaturaliter efficere posse: repugnare tamen, producere creaturã, quæ solo lumine naturali huius mysterij possibilitatem cognoscere valeat, vt ostensum est in tertia conclusione.

Ad nonum concedendum est, possibilitatem mira- 82
culorum in particulari perfectè cognosci nõ posse lumine naturali, & euidẽti. Quòd si hoc asseritur de omnibus miraculis, potissimùm affirmandum est de hoc Incarnationis miraculo, quod inter omnia miracula primatum tenet, & ad illud reliqua tanquàm ad maximum, & in tali genere præstantissimum reducuntur. Legendus est D. Thom. in 3. d. 5. q. 1. art. 2. & lib. 4. cõtra Gentes cap. 27. & q. 6. de Potentia art. 2.

Ad decimum Respondetur ex situ, aut dispositione 83
stellarum non potuisse colligi veritatem, aut possibilitatem huius mysterij, cùm non dependeret ab illis, sed ex solo Dei consilio, & voluntate: non enim sol & homo generarunt hunc hominem, sed Spiritus Sanctus superueniens in Mariam, & virtus altissimi illam obumbrans. At ex nouitate stellarum, & innusitato cœlorũ cursu desumpta est aliqua veluti vmbratica occasio ad nõnulla cognoscẽda de Incarnatione Verbi. Sic Magi

videntes stellam situ, & ortu, atq; motu, & qualitatibus ab alijs diuersam, & præter naturalem ordinem rerum, dixerunt. *Hoc signum magni Regis est.* Et intellexerunt iam esse completum vaticinium Balaam. *Orietur stella ex Iacob, &c.* Et in hoc sensu intelligendi sunt Hieronymus, & Augustinus, quod ex dispositione stellarum cognoscebatur veritas incarnationis; quia sic Magi inquisierunt Christum, videntes stellam præter aliarum stellarum ordinem. De prædictionibus autem sybillarum, & siquæ fuerunt aliæ similes, sentiendum est, non potuisse ex sola cognitione naturali oriri, quia non solùm erant de re omninò supranaturali, verùm etiam de re futura pendente ex libera Dei voluntate. Quare vel ipsæ legerunt prophetarum libros, & illis fidem aliquam adhibuere (vt in simili dixit August. lib. 10. de Trinit. cap. 29. de Platonicis, qui de æterna verbi generatione nonnulla in suis scriptis adumbrarunt) vel specialem à Deo habuerunt reuelationem, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 2. artic. 7. ad 3. & anteà indicauerat Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum. De his ergo, & alijs Philosophorum dictis legendus est Clemens lib. 5. Constitution. Apostolicarum cap. 8. Lactantius lib. 1. de Falsa Religione cap. 7. Eusebius lib. 11. de Præparat. cap. 10. Augustinus Eugubinus lib. 2. de Perenni Philosophia cap. 15. & vltimo. Michael Medina lib. 1. de Recta in Deum fide cap. 9.

DISPVTATIO SEXTA.

IN Responsione ad tertiam confirmationem primi argumenti disputationis præcedentis pollicitus sum de potentia obedientiali disserere, cuius cognitio est scitu digna, & valdè necessaria ad plures materias Theologiæ explicandas. Vt autem in hac disputatione apertiùs procedatur, ea in aliquot dubia diuidetur, in quibus omnia, quæ ad quidditatem, & essentiam potentiæ obedientialis spectant, breuiter explicabuntur.

PRIMVM DVBIVM.

An Potentia obedientialis importet quid positiuum, vel negatiuum. §. I.

1 PRætermissa quæstione, An sit Potentia obedientialis ad actus supernaturales, de qua nulla debet esse controuersia inter veros Theologos, quamuis Scotus q. 1. Prologi lib. 1. Sent. & in 4. d. 43. illam non cognoscat, censeat nullam esse potentiam præter naturalem, violentam, & neutram: cognoscitur tamen à cæteris Theologis, tum nouioribus, tum etiam veteribus: apud quos Etsi nomen ipsum potentiæ obedientialis vsitatum non fuerit, res tamen ipsa satis comperta fuit: cùm enim sint plures actus, & formæ supranaturales secundùm fidem, ad quos potentia naturalis pertingere non possit, necessariò fatendum est, vltra illam, assignandam esse aliam potentiam, quæ obedientialis nuncupatur. De qua re legendus est Caietanus Opusculo de Potentia neutra.

2 Hoc præmisso circa dubitationem propositam aduertendum est, quod cum potentia obedientialis, vt nomen ipsum præsefert, obedientiam importet, & ab illa deriuetur: quot modis contingit obedire, & vsurpatur obedientia: tot intelligi potest obedientialis potentia. Obedientia autem, vt adnotauit M. Medina. 1. 2. q. 3. artic. 8. duplex est, altera positiua, vt cùm quis iussa, & imperata prosequitur, altera verò negatiua, quæ est non resistentia iussul, & imperio. V. g. seruus exequens Domini imperium positiuè obedit. Cera autem non resistens sygillo dicitur obedire negatiuè. In præsenti ergo inquiritur, An potentia obedientialis importet obedientiam positiuam respectu agentis supernaturalis, An verò negatiuam.

Ex discipulis D. Thomæ quidam dicunt, poten- 3
tiam obedientialem non importare rationem aliquam positiuam, sed tantummodò non repugnantiam Diuinæ omnipotentiæ. Sic Ferrar. 2. contra Gent. cap. 5. circa finem, quem sequuntur plures recentiores: & Fonseca. 2. Methaph. cap. 2. q. 2. sectio. 2. & 3. Et M. Zumel. 1. 2. q. 112. artic. 1. disput. 3. asserit, esse manifestum figmentum, affirmare, potentiam obedientialem passiuam esse aliquam entitatem positiuam supernaturalem creaturæ congenitam & innatam; sed esse, ait, non repugnantiam creaturæ ad Deum, vt ex ipsa, & in ipsa creatura, faciat Deus, quicquid contradictionem non implicat.

Oppositam autem sententiam, nempe, quòd aliquid 4
positiuum formaliter importet, & nihil negatiuum, affirmant plures. Capreolus. 1. sent. q. 1. Prologi art. 3. ad 1. Scoti contra sextam conclusionem, Soncinas 5. Methaph. q. 17. vbi refert alios ante ipsum fuisse in hac eadem sententia. Iabellus eodem libro. q. 19. Ferrar. 3. contra Gentes cap. 166. in eandem sententiam propendit. Caietanus. 1. p. q. 1. art. 1. & 1. 2. q. 113. art. 10. Medina. 1. 2. q. 3. art. 8. vbi ait, potentiam obedientialem esse ipsam naturam subditam Deo: atque adeò sentit, esse aliquid positiuum. Idem docet M. Bañes. 1. p. q. 48. artic. 4. dicens potentiam obedientialem ad gratiam esse aptitudinem ad illam. Idipsum etiam docuerat, q. 9. art. vlt. In eadem sententia fuere Marsilius in. 4. q. 13. art. 1. Corolario. 3. eouclusionis dubij incidentis, Paludanus in 4. d. 43. q. 8. art. 1. conclus. 2. cùm ait, absolutè hanc potentiam esse supernaturalem.

Alij autem vtramque sententiam in concordiam 5
reducere volentes, asserunt, in potentia obedientiali includi, & aliquid positiuum, & aliquid negatiuum. Dissentiunt verò in assignando rationem formalem potentiæ obedientialis, An sit positiua, & habeat adiunctam negationem, vel potiùs sit negatiua, cum qua coniungatur aliquid positiuum: quidam enim dicunt, negationem resistentiæ, & non repugnantiam non esse rationem formalem completam potentiæ obedientialis, sed conditionem necessariò requisitam; ita vt potentia obedientialis animæ ad gratiam suscipiendam, importet de formali naturam positiuam ipsius animæ, non vt cumque, sed cum tali conditione, nempe, vt non repugnat, neque resistit Diuinæ omnipotentiæ. Itaque ratio formalis sit positiua: conditio verò sit negatiua, sicut dici solet de ratione veri, & boni, quæ etsi nihil addat supra ens, nisi respectum ad intellectum, & voluntatem; illi tamen respectus significantur, & importantur, non vt

rationes

Digitized by Google

rationes formales veri, & boni; sed vt conditiones requisitæ.

6 Item est exemplum in vltima vnitate, quæ est forma numeri: etenim licèt esse vltimā, sit quidam respectus rationis, & nihil addat vltima supra alias vnitates, nisi hunc respectum, importat tamen illum, non vt rationem formalem, per quam tribuat, & constituat speciem numeri, sed vt conditionem necessariam. Alij verò dicunt, negationem in potentia obedientiali inclusam, non tenere se ex parte conditionis requisitæ, sed esse rationem formalem; ita vt ratio formalis potentiæ obedientialis sit negatio repugnantiæ, & resistentiæ, non vtcumque, qualis intelligi potest in Chimera, sed in aliqua natura reali, seu, vt verbis dialecticorum vtar, est negatio, non neganter, sed infinitanter sumpta: sicut nonhomo infinitanter importat aliquid, quod non est homo. Sic etiam potentia obedientialis importat aliquam naturam, quatenùs non repugnat Diuinæ omnipotentiæ, & illa non repugnantia est ratio formalis, natura autem positiua est veluti substractum negationis. Pro resolutione sit vnica conclusio.

§. II.

7 POTENTIA Obedientialis pro formali est aliquid positiuum, inuoluit tamen & veluti connotat negationem repugnantiæ, & resistentiæ omnipotentiæ Diuinæ tanquam conditionem necessariò requisitam. Sic conciliantur diuersæ Thomistarum sententiæ. Prior pars conclusionis probatur. Gratia secundùm probabilem sententiam quorundam educitur de potentia obedientiali animæ: ergo hæc potentia formaliter est positiua, & non negatio. Consequentia patet; quia educi de aliqua potentia, est pendere ab illa in genere causæ materialis, in fieri, & in conseruari: sed causalitas materialis, cùm sit realis, est positiua; ergo similiter illa dependentia erit realis, & positiua: atque adeò ex negatione formaliter pendere non potest.

8 Secundò. Potentia obedientialis ad gratiam, & alia bona supernaturalia, est propria passio intellectualis creaturæ quarto modo, cùm conueniat omni, soli, & semper; sed impossibile est, propriam passionem formaliter esse meram negationem: ergo, &c.

9 Tertiò. Potentia artificialis, quam lignum habet ad obediendum sculptori ad suscipiendam Mercurij formam, vel aliam quamcumque, est formaliter positiua: ergo & potentia obedientialis, quæ est in creatura ad obediendum Deo, erit positiua à fortiori, cùm creatura magis inclinetur ad obediendum creatori, magisque illi subdatur, quàm lignum ab obediendum sculptori.

10 Quartò. Potentia obedientialis formaliter suscipit magis, & minùs, vt constat ex D. Thoma infra. q. 4. art. 2. vbi ait, naturam humanam esse magis assumptibilem à filio Dei, quàm aliam quamcumque: quæ assumptibilitas nihil aliud est, quàm potentia obedientialis: sed negationes, & priuationes formaliter non suscipiunt magis, & minùs, vt docet communiter Doctores & sunt manifesta exempla, etenim lapis non est magis non videns, quàm lignum, neque magis, vel minùs non repugnans Diuinæ omnipotentiæ est vna creatura, quàm alia: ergo potentia obedientialis formaliter non est negatio, vel sola non repugnantia.

Dices, licèt negatio, & priuatio secundùm se considerata non suscipiat magis, & minùs, priuationem tamen, seu negationem, quæ habet fundamentum positiuum, vel sequitur quidpiam positiuum, ratione illius positiui posse suscipere magis, & minùs, sicut & ipsum positiuum, quod sequitur. Cæterùm hæc solutio non satisfacit, quia impertinens est ad præsens institutum, negationem, seu priuationem ratione sui fundamenti suscipere magis, & minùs: Cùm ipsa in se, formaliter loquendo, non suscipiat magis, & minùs. Potentia autem obedientialis, quam dicimus, pro formali esse aliquid positiuum, secundùm se magis, & minùs suscipit. 11

Præterea. Potentia passiua intrinsecè includit positiuam entitatem, cum positiua, & reali capacitate alicuius actus, sed potentia obedientialis ad actus supranaturales est potentia passiua: ergo intrinsecè, & formaliter includit positiuam entitatem cum positiua, & reali capacitate ad actus supranaturales: ergo nequit esse formaliter sola non repugnantia: quia hæc solùm est quædam negatio: sed necessariò debet esse positiua, & realis potentia, vt patet in potentia obedientiali animæ ad recipiendam gratiam; nam sicut positiuè, & realiter illam in se recipit, ita in illa præintelligitur potentia, & realis capacitas eius; actus enim positiuus, & realis supponit potentiam positiuam, & realem, sibi proportionatam. 12

Confirmatur, quia anima Iuxta probabilem quorundam opinionem, ratione illius potentiæ habet Physicam, & realem causalitatem in genere causæ materialis respectu ipsius gratiæ, quam sustentat in fieri, & in esse, respectu compositi, nam ex anima, & gratia verè componitur vnum compositum Physicum tanquam ex actu, & potentia reali Physica, & positiua, quæ non est nisi passiua obedientialis: ergo hæc potentia formaliter non est non repugnantia, sed est positiua, ac realis potentia. 13

Secunda pars conclusionis ex terminis est manifesta: nam ipsa animæ natura positiuè concurrit ad suscipiendam gratiam, non vtcumque: sed quatenùs non repugnans omnipotentiæ Diuinæ, & quatenùs non implicat contradictionem, illam gratiam suscipere. In quo differt à potentia naturali, quæ ad formam suscipiendam concurrit, in quantùm sibi debitam, conuenientem, consentaneam, & proportionatam; in quam naturaliter fertur, quam ab agente naturali suscipere potest. Cæterùm anima non concurrit ad gratiam suscipiendam ratione alicuius inclinationis, propensionis, & proportionis: sed ratione non repugnantiæ, ita vt concurrat ad susceptionem gratiæ, non quidem influendo, sicut causa naturalis in effectum proprium, & proportionatum; sed potiùs susceptione non repugnando. Et ideò ista non repugnantia est veluti conditio necessariò requisita ad suscipiendam gratiam, & ad eam educendam (secundum probabilem quorundam sententiam) de potentia obedientiali ipsius animæ, formaliter loquēdo: cùm ratio formalis 14

D 3 illius

illius sit positiua, vt ostensum est Etenim sicut vltima vnitas potest numero realem speciem tribuere, & esse causam formalem illius, quamuis ratione conditionis requisitæ sit ens rationis, eo quòd ratio formalis est realis: ita etiam potentia obedientialis potest materialiter, & positiuè concurre ad productionem formæ supranaturalis, quamuis secundùm conditionem adiunctam sit quædam negatio.

15 Ex dictis sequitur, potentiam obedientialem formaliter esse ens reale: licèt conditio necessario requisita, & quæ illam inseparabiliter concomitatur, sit ens rationis. Probatur primum. Omnis potentia ad actum realem producendum, vel suscipiendum ordinata, est realis: sed huiusmodi est potentia obedientialis ad actus supranaturales, & reales ordinata: ergo est realis. Secundò. Potentiæ actiuæ reali correspondet passiua realis, sed potentia obedientialis correspondet actiuæ Dei omnipotentiæ. ergo est realis.

16 Tertiò. Actus, & formæ supranaturales important ordinem positiuum, & realem ad potentiam obedientialem, ex qua educuntur, & in qua suscipiuntur: ergo & ipsa potentia obedientialis importat similiter realem ordinem ad huiusmodi actus, & formas, cùm potentia & actus debeant proportionari.

17 Quartò. Omnis habitudo, & ordo, quamtumuis transcendentalis, habens fundamentum, & terminum realem, realiter distincta, est realis; sed potentia obedientialis, vt statim videbitur, est habitudo quædam, habens terminum realem, nempe, actus, & formas supernaturales, atque ipsam Diuinam omnipotentiam: fundamentum item est reale, scilicet, ipsa natura, vt producta à prima causa, & ab illa in suo esse dependens, tanquàm illius creatura: ergo est realis.

18 Confirmatur. Habitudo realis creaturæ ad Creatorem est realis, quia fundatur in actione reali creationis, sed similiter habitudo potentiæ obedientialis in eadem potentia, & actione fundatur, ex eo enim quòd natura aliqua est creata, subditur Diuinæ omnipotentiæ in his omnibus, quæ non repugnant: ergo, &c.

19 Postremò. Velleitas beatitudinis supernaturalis, quamtumcumque sit appetitus imperfectus elicitus, importat tamen ordinem realem ad obiectum supranaturale: ergo & potentia obedientialis, & si imperfecta sit, ordinem realem importat ad supranaturalia.

Secunda pars est manifesta, quia negatio repugnantiæ, & resistentiæ est ens rationis, sicut omnes negationes, & priuationes.

DVBITATIO II.

An Potentia obedientialis sit naturalis, vel supranaturalis. §. I.

1 De Hac dubitatione variæ circumferuntur Theologorum sententiæ. Quidam dicunt, potentiam obedientialem esse supranaturalem absolutè. Sic Paludanus in 4. d. 47. q. 8. artic. 1. Caietanus, Medina, & Bañez locis citatis. Parragrapho præcedenti. Et potest hæc sententia sic probari. Primò, quæcumque potentia specificatur, & desumis suam rationem specificam ex actu, & obiecto: sed actus, & obiectum potentiæ obedientialis sunt supernaturalia: ergo & ipsa potentia est similiter supranaturalis.

2 Secundò. Sicut agenti supernaturali; vt sic, correspondet supernaturalis effectus, ita & agenti supernaturali correspondet potentia passiua supranaturalis: sed potentia obedientialis correspondet Deo, vt supernaturali agenti, ergo est supernaturalis.

3 Confirmatur. Cuicumque potentiæ naturali actiuæ Respondet passiua, & è contrario, vt docet Aristotel. 3. de Anima cap. 5. & 5. Metaphis. cap. 12. & lib. 9. cap. 1. sed potentiæ obedientiali nulla respondet potentia naturalis, sed supranaturalis, ergo & ipsa est absolutè supranaturalis.

4 Tertiò. Potentia obedientialis ex sua natura est proportionata suo actui, alioquin esset superflua; sed actus est supernaturalis: ergo & illa similiter est supernaturalis. Consequentia patet, quia hac sola ratione habitus infusi dicuntur esse supranaturales, quia habent vim actiuam proportionatam ad eliciendos actus supranaturales.

5 Confirmatur; quia per hanc potentiam eleuatur res ad ordinem supernaturalem, & quodammodò per illam inchoatur ordo supernaturalis, ergo ipsa nequit esse naturalis, sed absolutè supranaturalis.

6 Alij verò Theologi affirmant, esse absolutè naturalem. Sic Palacio disputatione. 1. Prologi. lib. 1. Sentent. ad sextum argumentum, quem sequitur M. Zumel. 1. p. q. 12. artic. 1. Dubit. 2. circa tertiam conclusionem. Et potest hæc sententia probari; primò ex D. Thoma, qui 1. 2. q. 113. artic. 1. capacitatem ad gratiam, quam habet anima, vocat naturalem: hæc autem capacitas nihil aliud est, quàm obedientialis potentia.

7 Secundò probatur ratione: quia hæc potentia est inseparabilis ab anima, illi congenita, & coæua, ita vt omnibus alijs seclusis, quandiù natura permanet, etiam perseuerat hæc potentia: est igitur naturalis. Consequentia patet, quia impossibile est, supranaturale esse connaturale creaturæ, vt est receptum Theologis: tunc enim supernaturale esset naturale, & tamen nihil est aliud, quidpiam esse naturale, quàm esse congenitum naturæ, ac proindè naturale omninò esset. Confirmatur, quia omne connaturale productum cum ipsa natura, consequens, & concomitans ipsam naturam, ab eadem causa producitur, à qua & ipsa natura: sed natura producitur à causa naturalis ergo & potentia obedientialis similiter ab eadem causa producitur, ac proinde est effectus naturalis.

8 Tertiò. Quoniam nihil est creaturæ naturalius, quàm obedire creatori, multòq; naturalior est huiusmodi obedientia, ea, quàm aliæ potentiæ habent respectu agentium naturalium, ergo simpliciter est naturalis potentia, quæ in huiusmodi obedientia creaturæ respectu Creatoris consistit.

9 Alij Theologi aiunt, potentiam obedientialem esse naturalem in ordine ad subiectum, cui inseparabiliter inest, supernaturalem verò in ordine ad obiectum. Sic Ferrariensis. 3. lib. contra gent. cap. 153.

Patet

10 Pater M. Suarez. 3. p. q. 13. art. 1. & 2. disp. 31. sectio. 6. circa secundum argumentum, in 3. æditione pagina. 411. post multa, quæ satis eruditè dicit, concludit: hāc potentiam non posse propriè dici naturalem, quia nō agit iuxta commensurationem, vel propriam institutionem, seu specificationem suæ entitatis, neq; eum concursu, seu auxilio sibi debito, nec tandem ad effectum, vel actionem suæ naturæ proportionatam: neq; etiam dici supranaturalem, quia non est naturæ superaddita, aut infusa: sed speciatim vocari potentiam obedientialem, quia nō operatur nisi ex imperio creatoris, & cum extraordinario, & non debito concursu.

§. II.

11 NIHILOMINVS ex his sententijs illa Ferrariensis verior, ac probabilior mihi videtur, iuxta quam dicendum est, hanc potentiam absolutè loquendo, neque esse naturalem simpliciter, sed cum addito: ita vt dicatur naturalis cum hoc addito, ex parte principij, & similiter supernaturalis cum hoc addito, nempe, ex parte obiecti. Itaque est naturalis ex parte subiecti, supernaturalis verò ex parte termini. Hanc conclusionem probant argumenta in vtranque partem adducta.

12 Sed dicet, argumenta proposita efficaciter probare hanc potentiam esse naturalem, & supernaturalem simpliciter. Naturalem simpliciter, quia est naturæ concessa, naturæq; congenita, & coæua eamq; necessariò concomitans: super naturalem simpliciter, quia secundum rationem specificam, quæ ex actu, & obiecto desumitur, est supernaturalis; etenim ad specificam rationem non debet attendi ordo ad subiectum, sed ad obiectū: quare cùm ex obiecto sit supernaturalis, simpliciter, & specificè est supranaturalis.

13 Neque argumenta probant, neq; esse naturalem, cū eius obiectum sit supernaturale, neq; etiam supernaturalem, cùm sit naturæ congenita, & coæua. Item, quia naturale, & supra naturale sunt membra adæquatè diuidentia: ergo omnis potentia necessariò debet esse vel naturalis, vel supranaturalis.

14 Sed Resp. potentiam simpliciter necessariò debere esse simpliciter naturalem, vel supranaturalem: potentiam autem secundùm quid, neutrum esse simpliciter, posse tamen esse vtrumque secundùm quid, & cum addito: & huiusmodi est potentia obedientialis, quæ in genere potentiæ est quid imperfectum, incompletum, & dimiutum, ita vt dictio, obedientialis, sit conditio rationem potentiæ diminuens: quia potentia simpliciter illa tantūmodò est, quæ in suo genere vim habet, & efficaciā ad actū perfectū, & effectū assequendū, estq; proportionata actui, & effectui. Cùm igitur ratio potentiæ secundùm quid obedientiali conueniat: sic etiā & membra diuidentia potentiam, competent ei secundùm quid. quare neque esse congenitam tribuit naturalitatem simpliciter, nisi potentiæ simpliciter. Est simile in Veleitate circa res supranaturales, vt v.g. circa supernaturalem finem, quæ sanè est appetitus elicitus secundùm quid, ac proinde neque naturalis simpliciter, neque supernaturalis, sed vtrumq; secundùm quid, naturalis quidem ex parte principij, supernaturalis verò ex parte obiecti.

15 Sed obijcitur: quāuis potētia obediētialis in genere potentiæ sit potentia secundùm quid, in genere tamen entis est simpliciter ens: ergo est naturale, vel supernaturale ens simpliciter, inter quæ certè nō datur mediū: quia omne ens, vel est naturale, vel non naturale, quæ sunt cōtradictoriè opposita. Rursus. Est ens simpliciter, & nō naturale: ergo supranaturale simpliciter vltra naturam, & supra illam. Item Veleitas circa supranaturalia, & si non sit simpliciter appetitus, est tamen quoddā ens simpliciter, actus quidam, & operatio voluntatis, habensq; proindè suam essentiam & speciem: cùm ergo obiectum illius sit supernaturale, speciem sortitur supernaturalem.

16 Resp. potentiam obedientialem, sicut est potentia secundùm quid, ita & esse ens secundùm quid. Etenim quod est ens in genere entis simpliciter, debet necessariò esse in aliqua entis specie simpliciter. Excipio ab hac regula post prædicamenta, de quibus non constat, An omnia rationes imperfectas importent, & analoga, & quicquid in nulla est entis specie simpliciter propter sui imperfectionem, sed secundùm quid, & reductiue, cuiusmodi sunt partes, & ea, quæ ad latus reponuntur, quæ sunt entia secundùm quid. Potentia ergo obedientialis in nulla est specie per se, & directè, sed reductiuè in secunda specie qualitatis. Et ideò neque est ens naturale, neque supernaturale simpliciter. Similiter & Veleitas non solùm est appetitus secundùm quid, sed & actus voluntatis, & ens secundùm quid, quia omnis actus voluntatis simpliciter est volitio, Veleitas verò reductiuè reponitur in specie actuum voluntatis, & sicut in particulari materia, & obiecto habituum: verbi gratia, Veleitas dandi eleemosinam, ieiunandi, &c. Nō est simpliciter actus misericordiæ, vel temperantiæ, sed secundùm quid, & reductiuè, ita & Veleitas boni absolutè est volitio secundùm quid, & reductiuè voluntatis actus.

Ex his patet ad argumenta initio paragraphi proposita, colligiturq; ratio, cur potentia obedientialis interdum dicitur naturalis, quādoq; verò supernaturalis.

DVBITATIO. III.

An sit aliquid superadditum naturis rerum.

§. I.

1 NON est parua cōtrouersiā inter Theologos admittentes potentiam obedientialem, circa illius distinctionem ab ipsis naturis rerum, in quibus reperitur. Dissensio autem in eo est posita, An potentia obedientialis, quæ est in anima, verbi causa, ad suscipiendā gratiam, sit aliqua entitas supperaddita ipsi animæ, tanquàm res à re ab illa distincta, vel saltē formaliter, addatq; proindè aliquam rationem formalem, ac realem supra naturalia principia, ac res, in quibus inuenitur, sitq; alia species potentiæ à naturalibus potentijs distincta, ita vt obedientialis potentia, quæ est in intellectu ad claram Dei visionem, sit specie distincta ab ipso intellectu, vt est naturalis potentia.

2 Quidam Theologi affirmant, vt refert Sonzinas. 5. Methaph. q. 17, & M. Medina. 1. 2. q. 3. art. 5. huiusmodi potentiam esse entitatem quandam absolutam, superdditam naturæ, ac donum quoddam superueniens

naturis rerum, in quibus est. Poteſtq; hæc ſententia probari: quia omnis potentia ordinata ad aliquem actum accidentarium, ac realem, distinguitur tanquam res à re ſubiecto, ſed potentia obedientialis animæ ad gratiam eſt ordinata ad actum accidentalem, & realē ſuſcipiendum, ſcilicet, ad gratiam, quæ eſt accidens reale: ergo diſtinguitur tanquàm res à re ab ipſa anima, in qua ſubiectatur. Minor cum cōſequentia patet. Maior autem latiſſimè oſtenditur à M. Soto in logica cap. de proprio, q. 2.

3 Alij verò Theologi in ea ſunt ſententia, vt dicant, potentiam obedientialem non eſſe quidpiam rerum eſſentijs ſuperadditum, neque qualitatem, neque modum, neque rationem aliquam formalem, ſed ipſaſmet rerum naturas, & eſſentias, ſubditas Diuinæ omnipotentiæ, vt in ipſis, & de ipſis faciat Deus, quicquid voluerit, eſſe potentiam obedientialem. Itaque intellectus v.g. Secundùm ſuam eſſentiam, & naturam eſt potentia obedientialis ad fidem, voluntas ad charitatem, & ipſa anima ad gratiā, &c. Quare potentia obedientialis hominis ad fidem nihil aliud eſt, quàm eſſe intellectiuum, ad gratiam verò nihil eſt aliud, quàm eſſe rationalem. Hanc ſententiam ſequitur M. Medina. 1. 2. q. 3. art. 8. & M. Zumel. 1 p. q. 12. art. 1. Dub. 2. & M. Suarez loco citato. Poteſtq; hæc ſententia ſic probari.

4 Primò. Dempto quocumq; modo reali, quocumq; reſpectu, quacumq; ratione formali ſuperaddita rerum naturis, adhùc manet potentia obedientialis, ex eo ſolùm quòd permanet natura cuiuſq; rei creatæ: ergo nihil addit etiam formaliter obedientialis potentia naturis rerum.

5 Confirmatur: quicumq; modus, ſeu habitudo realis eſt aliqua natura realis: ergo habet potentiam obediētialem reſpectu creatoris, & ſic in infinitum.

Dices, reſpectum illum, vel modum non eſſe naturam completam, ſed veluti differentiam conſtituentē. Contra: quia etiam ſi materia prima nō ſit natura cōpleta, habet tamen potentiam obedientialem ad id, quod Deus ex ea, vel in ea operari voluerit: ergo, &c.

6 Secundò. Potentia obedientialis nullam aliā importat habitudinem niſi creaturæ ad creatorem, illam, inquam, quæ competit naturæ, vt ſic, vt eſt terminus creationis: non enim ſumò creaturam, vt importat relationem prædicamentalem ſubſequentem actionem creationis, ſed vt importat tantùm habitudinem termini ad creatorem, & effectus ad creatorem, & ad cauſam: ſed habitudo, & ratio formalis creaturæ eſt eſſentialis cuicumq; rei creatæ, de qua eſſentialiter prædicatur ens creatum: ergo obedientialis potentia nullā addit rationem formalē ſupra formalia, & eſſentialia prædicata naturis rerum conuenientia. Maior probatur: quia potentia obedientialis nihil aliud eſt, quàm ſubijci creatori, & omnipotentiæ illius in omnibus, quæ in ea voluerit creator operari. hæc autem eſt habitudo, & ratio continens naturam, vt ſic: ergo, &c.

7 Tertiò. Obiecta potentiarum naturalis, & obedientialis, non differunt formaliter, ſed materialiter duntaxat, & numericè: ergo & ipſæ potentiæ non differunt ſpecie, ac proindè nec formaliter. Conſequentia patet, quia ratio, & diſtinctio potentiarum ex obiectis eſt deſumenda. Antecedens autem manifeſtè colligitur ex ſupradictis: etenim obiectū naturale, & ſupranaturale, quæ ſunt obiecta potentiarum naturalium, & obedientialis, non differunt formaliter in ratione obiectorū, cùm obiecta ſpecificantia intellectum, & voluntatem, comprehendant naturalia, & ſupernaturalia: omnia enim comprehenduntur ſub ente, inquantùm ens, & ſub tota boni latitudine, quæ ſunt ſpecificantia intellectum & voluntatem, vnamq; ſpecificam, ac formalē rationem cuicumq; potentiæ tribuentia.

Quartò probatur, non eſſe aliquem modum ex natura rei, ſiue formaliter diſtinctū ab entitate naturali. 8
Tū, quia obedientialis potentia ita conuenit vnicuiq; entitati per ſeipſam, vt ſit penitùs ab ea inſeparabilis, & immutabilis etiam de potentia Dei abſoluta, quod eſt manifeſtum ſignum indiſtinctionis formalis, ſiue ex natura rei. Tum etiam; nam quæ eâdem generatione per ſe primò generantur, ſunt idem inter ſe, vt docet Ariſt. 4. Metap. ſed ita eſt in præſenti, nam creatura præciſè conſiderata ſecundùm eam entitatem, quam habet per ſuam creationem, ſeu productionē, per ſeipſam eſt ſubiecta eſſentialiter ſuo creatori, abſque eo quòd ab ea intelligatur dimanare aliqua entitas, vel aliquis modus realis, quo habeat illam ſubiectionem, vel in recipiendo, vel in agendo: ergo potentia obediētialis non eſt proprietas, vel modus formaliter, ſeu ex natura rei diſtinctus ab entitate creaturæ: alioquin nō poſſet illi conuenire ſine aliqua actione propria noua, & ab extrinſeco proueniente, vel ſaltem ſine aliqua intrinſeca dimanatione. Minor probatur; quoniam ſi creatura præciſè conſideretur ſecundùm eſſe, quod habet ex vi ſuę creationis, eſſentialiter prorſus includit illam ſubiectionem ad creatorem, ita vt ſi mente concipiatur illa entitas nuda, & carens omni modo ſuperaddito, eſſentialiter, & neceſſariò includat hāc plenam ſubiectionem ad Deum, ſicut è contrario in intrinſeca ratione creatoris, vt ſic, includitur quòd habeat plenum, & perfectum Dominium ſuæ creaturæ.

Confirmatur. Anima rationalis. v.g. per ſeipſam eſt 9
capax gratiæ, & per intellectum eſt capax fidei, & per voluntatem charitatis, & ſpei, ita vt etiam ſi ratione ſeparetur, etiam negatiuè, omnis realitas, vel modus realis additus ſubſtantiæ animæ, & potentijs eius, ex vi ſuæ perfectionis, & ſubſtantiæ erit capax harum perfectionum ſupernaturalium, ſicuti ex vi earum eſt ad imaginem Dei. Ergo obedientialis potentia, quæ eſt in anima ad recipiendos hos actus, vel habitus, nō eſt aliquid diſtinctum ex natura rei ab entitate animæ, & potentiarum.

Eſt tertia aliorum opinio, hanc potentiam addere 10
ſupra naturas ipſarum rerum reſpectum quendam, ordinem, & habitudinem ad Diuinam omnipotentiam, & ad actus, & formas ſuperexcedentes facultatem naturæ, quas tamen recipere poteſt per omnipotentiam Diuinam: qui quidem reſpectus non diſtinguitur realiter, tanquàm res à re ab ipſis rerum naturis, ſed formaliter duntaxat, ſiue quod idem eſt, ex natura rei. Hāc ſententiam amplectuntur Capreolus, Sonzinas, Ferrarienſis, & Iabellus locis citatis Dub. 1. & in eādem videtur Caietanus propendere. 1. p. q. 1. art. 1. cùm inquit, potentiam obedientialem eſſe aptitudinem ad hoc, quòd in ea fiat, quicquid voluerit Deus: vbi indicat eſſe modum quendam, ſeu habitudinem ad infinitam Dei virtutem. In eadem etiam poteſt facile adduci M. Medina,

dina, vt cùm inquit, potentiam obedientialem esse ipsam naturam subditam omnipotentiæ Diuinæ, vellit, ipsam naturam, vt respicit, & refertur aliquo ordine, & habitudine reali ad Diuinam omnipotentiam; hac, inquam, ratione formali esse obedientialem potentiã.

OBSERVATIONES. §. II.

11 PRO decisione huius controuersiæ aduertendũ est primò, obedientialem potentiam esse in duplici differentia: alia est passiua, cuius actus consistit in susceptione, & passione, non in aliqua operatione, & actione, qualis est in materia corruptibilium ad formam cæli, supposito distingui specie à materia cæli, & in ipso cælo ad suscipiendas qualitates, vt caloré, colorem, &c. Et in anima rationali ad gratiam: alia vero est actiua, qualis est in aqua baptismali ad causandã gratiam in Sacramento baptismi assumpta, in igne inferni ad torquendum spiritum, in calore ad infrigidandum, vt substat omnipotentię Dei, & denique in quacunq; re ad operationem aliquam excedentem suam naturalem facultatem, illiq; non repugnantem, ad quam per Diuinam omnipotentiam eleuata pertingere potest. Hoc aduerterim contra Palacio, & Zumel locis citatis, & alios recentiores, qui asserunt, in vniuersum potentiam obedientialem esse passiuam, & nullo modo actiuam. Sed hæc nostra sententia explicatur à M. Bañes. 1. p. q. 12. art. 1. Dub. 2. ad. 2. & similiter defenditur eruditissimè à M. Suarez, 3. p. q. 13. art. 2. disp. 31. Sectio. 6. per totam, & adeò est manifesta, vt testibus non indigeat: est enim compertissimum, creaturam obedire Deo, non solùm suscipiendo, sed etiam operãdo id, quod ipsius creaturæ facultatem excedit. De qua re disputabitur Dubio vltimo huius disputationis.

12 Secundò obseruandum est, potentiam obedientialé actiuam esse etiam in duplici differentia. Alia est vitalis, alia non vitalis. Vitalis est, quæ ad actum vitalem ordinatur, vt in intellectu est potentia obedientialis ad Deum clarè videndum, in voluntate ad fruendum ipso in patria. Non vitalis est, quæ non destinatur ad actum vitalem, cuiusmodi est potentia, quæ reperitur in aqua, & in igne, &c. Quæ ad actum vitalem non ordinatur. Rursus. Vitalis non diuiditur in actiuam, & passiuam, quoniam illæ potentiæ vitales, quæ in ordine ad supernaturales habitus, vt ad fidem, charitatem, lumen gloriæ, &c. Sunt passiuæ, cuiusmodi sunt intellectus, & voluntas, quæ sunt potentiæ vitales, & in ordine ad habitus supernaturales sunt passiuæ, non censentur vitales formaliter loquendo, vt ista suscipiunt; quia huiusmodi susceptio non est actus vitalis, quamuis illæ potentiæ, & habitus suscepti ad actus vitales destinentur. Etenim Deus se solo sine concursu actiuo intellectus & voluntatis potest infundere habitus, & species supernaturales omninò, vt de facto infundit in baptismo infantibus fidem & charitatem, & potest similiter adulto dormienti hos habitus infundere; vt est receptum Theologis. Illa igitur potentia est tantùm vitalis, vt sic, quę ad actum vitalem concurrit, ad illum autem nequit concurrere nisi effectiuè, vt illius principium actiuum. quia iste est concursus potentiæ vitalis. Itaq; potentia vitalis quantùm ad susceptionem habituum, specierum, & cuiuscumq; alterius rei ad actum primum pertinentis, quoad præsens attinet, eodem modo se habet, sicut alia quæcumq; non vitalis.

13 Tertiò præmittendum est, potentiam obedientialé adhuc esse duplicem: alteram quidè ordinatam ad formam, vel actum tantummodò excedentem naturam subiecti, in quo est, sed non omnem virtutem naturalem: qualis est obedientialis potentia materiæ corruptibilium ad formam cæli, & ipsa potentia obedientialis, quæ est in cælo ad qualitates elementorum, & mixtorum, quæ formæ non excedunt proportionem totius naturæ, sed illarum naturarum specialium, in quibus sunt: alteram verò ordinatam ad actum, vel formã omninò supranaturalem, excedentem proportionem, & vim totius naturæ productæ, atque omnium naturalium agentium.

14 Sed hæc adhuc est duplex. Vna ordinata ad formã, quæ etsi non pertineat ad aliquam naturam productam, potest esse alicui naturæ possibili connaturalis, & semel producta non esset ordinis Diuini, cuiusmodi est potentia obedientialis in materia ad aliquam formam substantialem, possibilem secundùm omnipotentiam Dei, nunquàm tamen productam, neque producendã, pertinentem ad aliam speciem mixti ab omnibus productis distinctam: alia verò est ordinata ad formam ordinis Diuini, quæ nulli naturæ creatæ, vel creabili potest esse connaturalis, qualis est potentia obedientialis ad gratiam, charitatem, lumen gloriæ, &c. His positis sit.

Prima Conclusio. §. III.

15 POTENTIA obedientialis nullam addit entitatem, tanquam rem à re distinctam, rerum naturis, in quibus est. Hæc conclusio efficaciter probatur primò argumento pro secunda sententia adducto: quoniam dempta quacumque entitate superaddita naturis rerum, & per Dei potentiam ablata, adhùc remanet potentia obediẽtialis: perseuerat namque res subdita Diuinæ omnipotentiæ, illi ad nutum obediens: non ergo potentia obedientialis est aliqua entitas superaddita.

Confirmatur: quia si esset entitas superaddita, cùm illa esset realis, esset certè in potentia obedientiali respectu creatoris: rursus illa obedientialis potentia esset entitas, habens proindè aliam potentiam obedientialem, daretur q; processus in infinitum in potentijs obedientialibus, quod admittere absurdum est.

16 Confirmatur secundo: quia vel illa entitas superaddita est eiusdem ordinis cum entitate naturæ, vel non, sed superioris, & supranaturalis ordinis. Si detur primũ, ergo non est distincta tanquàm res à re ab ipsa entitate naturæ, in qua est. Probatur consequentia: quia si est res distincta, vel erit forma, vel aliqua qualitas, & ex consequenti illa vis agendi esset connaturalis tali qualitati, vel saltē obedientialis, sed nõ potest esse obedientialis: aliàs talis vis deberet realiter distingui tanquàm res à re à tali forma, & sic daretur processus in infinitum: vel dicendum est in prima entitate hãc vim obedientialem non esse rem distinctam. Neque potest esse connaturalis, alioquin illa actiuitas esset naturalis, & non obedientialis.

17 Dices, illam vim esse connaturalem formæ, sed non subiecto. Contra, quia ipsa forma est connaturalis subiecto, cùm sit illi intrinsecè innata: forma autem

extrin-

extrinsecè superaddita non erit potentia obedientialis, de qua nunc est sermo, sed erit virtus instrumentalis per infusionem qualitatis, quod est alienū à vera Theologia. Si dicatur, quòd illa entitas est ordinis superioris, & supranaturalis. Contra: ergo nequit esse debita naturæ, & ex consequenti neque cum illa congenita. Hæc conclusio vniuersaliter accipienda est de omni obedientiali potentia, siue sit actiua, siue passiua, quæ non est distincta tanquàm res à re ab ipsa entitate naturæ, in qua reperitur.

Secunda Conclusio. §. IIII.

18 POTENTIA obedientialis passiua ordinata ad formam omninò supranaturalem, atque ordinis Diuini (quo nomine comprehenditur etiam potentia vitalis secundùm rem in ordine ad actum primum, nempe, habitus, & species intellectuales) est formaliter, atque specie distincta à potentijs naturalibus, & naturis rerum, in quibus est; additq; supra rerū naturas quandam rationem formalem, & ordinem transcendentalem ad Diuinam omnipotentiam, & ad quamcumq; formam, quam secundùm talem potentiā recipere potest: qui ordo, estò idem sit realiter cum naturis, & entitatibus rerum, ab illis tamen distinguitur formaliter. Exemplum est in anima rationali, quæ est potentia obedientialis ad gratiam, quatenùs dicit trāscendentalem ordinem ad agens supernaturale, scilicet, authorem gratiæ. Probatur primò. Potentia obedientialis passiua essentialiter respicit agens supranaturale, & formas, & actus supranaturales, potentia verò naturalis respicit formaliter actus, & formas naturales, atque agens naturale operans secundùm regulas naturæ; ergo differunt specie. Consequentia patet: quia potentiæ per actus, & obiecta distinguuntur: sed istæ distinguuntur ex actibus, & obiectis formalibus: ergo specie.

19 Secundò probatur. Habitudines, & ordines transcendentales ipsarum potentiarum, naturalium, & obedientialium, distinguuntur formaliter: ergo & ipsæ potentiæ, quæ formaliter tales habitudines important. Antecedens probatur. Habitudines formaliter distinguūtur ex terminis formaliter distinctis: sed termini habitudinum potentiæ naturalis, & obedientialis, sunt distincti formaliter, nempe, naturale, & supernaturale, ergo & ipsæ habitudines.

Tertiò. Potentia artificialis specie, & formaliter distinguitur à potentia naturali, quia illa respicit agens artificiale per artem operans, & formas artificiales introducendas, hæc verò agens naturale, & formas naturales: ergo à fortiori potentia obedientialis à naturali distinguitur, cùm respiciat agens, & formas supranaturales.

Tertia Conclusio. §. V.

20 OMNIS potentia obedientialis passiua ordinata ad actum, & formam quomodocumq; excedentem, & superantem naturam subiecti, in quo est, formaliter, ac specificè distinguitur à potentijs quibusque naturalibus. Hæc conclusio probatur eisdem rationibus, quibus præcedens. Et præterea probatur. Potentia naturalis, quæ est in materia cæli ad formam cæli, specie distinguitur à potētia naturali materiæ horum inferiorum corruptibilium, vt est probabilis multorum sententia: ergo potentia obedientialis, quæ est in materia corruptibilium ad formam cæli, distinguitur specie à potentia naturali ad alias formas. Consequentia patet: quia ideò illæ duæ potentiæ naturales distinguuntur, quia sunt ad formas diuersas in ratione informandi, & actuandi potentiam: ergo eâdem ratione distinguētur naturales, & obedientiales potentiæ ad easdem omnino formas comparatæ.

Quarta Conclusio. §. VI.

POTENTIA obedientialis actiua non vitalis, formaliter, & specie distinguitur à potentijs naturalibus, additq; supra entitatem, & naturā rei, in qua est, aliquam rationem formalem, & transcendentalem ordinem ad omnipotentiam Dei. Hæc conclusio colligitur ex præcedentibus; quia potentia obedientialis actiua respicit supremum, ac supranaturale agens, effectusq; suis viribus improportionatos, neq; importat vim, & efficiam ex sua natura ad eosdem producendos, sed solùm vt produceibiles sunt ex Diuina omnipotentia, illos respicit. Ergo distinguitur formaliter à naturali potentia actiua, quæ respicit Deum, vt authorem naturæ, & similiter effectus proportionatos, ad quorum productionem vim habet naturalem. 21

Sed obijcitur. In igne est potentia obedientialis actiua ad infrigidandum, etenim vt subsstat Dei omnipotentiæ, potest esse frigoris causa: sed frigiditas ab igne producta esset eiusdem speciei cum frigiditate à niue causata: ergo & potentia obedientialis ignis ad frigefaciendum est eiusdem rationis formaliter, cum potentia naturali niuis. Consequentia patet, quia potentiæ per actus distinguuntur. Resp. licèt frigiditas, & illius productio per potentiam obedientialem sint eiusdem speciei cum effectu naturalis potentiæ, alio tamen modo producuntur: quoniam à potentia obedientiali producuntur supranaturaliter, & non secundùm leges naturæ, & ideò potentia obedientialis respicit frigiditatem naturalem, non vt naturaliter, sed vt supranaturaliter producendam vi Diuinæ omnipotentiæ, tanquā instrumentum supernaturalis potestatis. Iste autem modus diuersus respiciendi effectum naturalem, & producendi illum, constituit aliam potentiæ rationem, frigiditasq; sub tali modo specificat obediētialem potentiam. 22

Secundò Respondetur, potentiam obedientialem actiuam non vitalem potiùs specificari ex habitudine ad Diuinam, & supernaturalem omnipotentiam, quàm ex ordine ad effectum: quia hæc potentia non concurrit ad effectum vt causa principalis, sed vt merum Diuinæ virtutis instrumentum: instrumenta autem cùm non assimilent sibi effectum, immò neq; obedientialia instrumenta illi proportionentur, non specificantur præcipuè in ratione instrumentorum ex habitudine ad actus, & effectus, sed potiùs ad causam principalem, à qua assumuntur. Exemplum est in calore, qui est instrumentum ignis ad ignem generandum, & animalis ad carnem producendam, & tamen ex istis effectibus non sortitur speciem, neque multiplicatur secundùm rationem formalem, vt illi multiplicantur: sed potiùs ex habitudine ad causas principales, ignem, & animal, aliam, atque aliam sortitur rationem, nempe, propriæ passionis 23

passionis igois, vt aliqui volunt, & propriæ dispositionis animalis.

24 Tertiò Resp. satis superq; distingui potentiam obedientialem ad infrigidandum à potentia naturali ad frigiditatem producendam, formaliter, siue ex natura rei, ex eo quòd potentia obedientialis instrumentaliter duntaxat concurrit, potentia verò naturalis vt causa principalis. Distincta autem est habitudo causæ instrumentalis ad effectum; cui non assimilatur, & causæ principalis ad eundem, cui assimilatur, præsertim quādo instrumentalis causa non habet rationem instrumenti respectu causæ principalis, ad quam comparatur: vt contingit in igne, etenim potentia obedientialis ignis ad infrigidandum, non est instrumentum potentiæ naturalis niuis, sed respectu tantùm Diuinæ omnipotentiæ. Sed de hoc Vberiùs disputabitor Dubio. 5. vbi de specificatione potentiæ obedietialis erit sermo.

Quinta Conclusio. §. VII.

25 PROBABILE est, potentiam obedientialem actiuam vitalem, formaliter, siue ex natura rei distingui à naturali: sed probabilius est, esse eiusdem speciei essentialis cum illa; & secundùm diuersos tantùm effectus materiales comparatione ad diuersa materialia obiecta distingui. Prima pars huius conclusionis probatur: quia probabile est, potentiam vitalé, scilicet, intellectum, & voluntatem, duntaxat specificari à proportionato obiecto, non ab extensiua: sed iuxta istam sententiam necessariò dicendum est, potentiā obedientialem distingui formaliter à naturali vitali; ergo probabile est distingui. Consequentia est euidens, nam cood necessario sequitur sententiam probabilē, est quidem probabile. Minor probatur: quia iuxta illā sententiam, potentia naturalis respicit obiectum proportionatum, in quod suis proprijs viribus tendere potest, & ab hoc formaliter sub ratione proportionati specificatur: obedientialis verò formaliter respicit improportionatum, & suas vires excedens, obiectum: ergo distinguuntur formaliter, & specificè secundùm obiecta formalia.

26 Secunda autem pars conclusionis probatur. Quia probabilior est sententia illa, quæ docet intellectum, & voluntatem specificari ab obiecto secundùm totam latitudinem extensionis, in quod per quamcumq; eleuationem ferri potest potentia: sed iuxta istam opinionem nequeunt formaliter distingui obedientialis vitalis, & naturalis: ergo probabilius est non distingui. Minor, in qua est difficultas, probatur efficaciter tertio argumento pro secunda sententia adducto: quia obiectum specificatiuum intellectus v g. comprehendit proportionatum, & improportionatum obiectum, naturale, & supernaturale, sub formali eius ratione: ergo eadem est, ac formalis habitudo secundùm speciem ad proportionatum, & improportionatum, ad naturale & supernaturale obiectum. Quare eadem potētia intellectiua comparatione ad obiectum proportionatum, ad cuius assecutionem vim habet à natura sufficientem, dicitur, & est naturalis potentia; quia potentia naturalis, vt iam sæpè diximus, importat proportionem, & vim ad obiectum assequendum. Eademq; formaliter comparata ad obiectum improportionatum, in quod viribus naturæ tendere non potest, sed supernaturaliter, & eleuata, dicitur, & est obedientialis potentia. Et cùm ista obiecta sint materialiter tantùm diuersa; sub vnica ratione formali obiecti specificante contenta, diuersitatem duntaxat inducit materialem in ipsis habitibus, & respectibus. Et hæc est conditio, & natura vitalis potētiæ, quòd specificetur ab obiecto secundùm hanc totam latitudinem, ad quam eleuari potest, cùm repugnet eleuari vltra latitudinem obiecti specificantis.

27 Sed obijcitur Potentiæ potiùs constituuntur, & distinguuntur per ordinem ad primum agens, cuius virtute ad actum reducuntur, quàm ex ordine ad actus: sed potentia naturalis respicit agens naturale, nempe, ipsum Deum, vt naturæ authorem, obedientialis verò respicit ipsum Deum, vt agens supranaturale. at isti ordines in alijs potentijs constituunt diuersitatem formalem; ergo etiam in vitalibus, &c. Resp. potentiam vitalem, eo ipso quòd respicit eādem formali habitudine obiectum in abstractione à naturali, & supernaturali, respicere etiā agens indifferenter naturale, & supernaturale, & hoc est proprium potentiæ vitalis. Aliæ autem potentiæ non vitales, cùm specificentur à proportionato, & connaturali obiecto præcisè, alia habitudine respiciunt authorem naturæ, alia verò supernaturale agens: diuersitas enim formalis vnius potentiæ potest esse materialis respectu alterius. Reliquum est dissoluere argumenta vtriusq; sententiæ, quatenus impugnant nostram.

Solutio argumentorum. §. VIII.

28 AD argumentum prioris sententiæ Resp. potentiam naturalem ordinatam ad actum realem, & accidentarium, distingui quidem tanquàm rem a re à subiecto, in quo est, eiq; entitatem superadditam. Ratio autem est, quia huiusce modi potentia importat vim, efficaciam, & causalitatem respectu actus, nulla autem substantia creata immediatè operatur per suam essentiam, & substantiam, neque etiam patitur, sed per aliquid superadditum. Rursus potentiæ naturales sunt actibus proportionatæ, ac proinde necessum est, vt illæ, quæ sunt ad actus accidentales, similiter ac proportionabiliter sint accidentia superaddita subiecto, realiter ab eo distincta, vt res aliæ. At potentia obedientialis non est actibus proportionata, neque est ad agendū, vel patiendū secundùm ordinem naturæ destinata, & ideò non est necesse, distinguatur à subiecto ad modum potentiarum naturalium.

29 Ad primum argumentum secundæ opinionis Resp. illam rationem formalem, quam importat obedientialis potentia, etsi superadditā naturis rerum, hoc est, in ipsis rerum essentijs, & entitatibus non formaliter inclusam, esse quidem inseparabilem re ipsa à rebus naturalibus: quemadmodum per omnem potentiam etiā absolutam Dei forma in genere est inseparabilis à materia, ita vt impossibile sit, materiam esse sine forma; & tamen realiter distinguuntur tāquam res à re. Quātò ergo magis hæc ratio formalis, & modus realis cuiusq; naturæ, idem secundùm rem cum illa, inseparabilis esse poterit. Item figura, quamuis accidat quantitati, est ab illa inseparabilis. Relatio etiam vnionis materiæ ad formam, & quæcumq; alia, positis fundamento, & termino, inseparabilis est à fundamento: ita vt impossi-

impossibile sit duo alba esse,& non esse relationem similitudinis. Passioni etiam accidit actionis ratio,cùm sit alterius prædicamenti,& tamen fieri nequit, vt sit passio sine respectu actionis,quia passio non est nisi ab aliqua agente producta. Et sic de alijs multis passionibus,quæ cum subiecto identificantur, & nequeunt ab illo separari,quamuis ab eo formaliter saltem distinguantur. Præterea. Potentia obedientialis per considerationem intellectus bene potest à naturis rerum separari,intelligiq́; natura quòad essentialia, non considerata subiectione,quam habet ad Dei omnipotentiam, vt cùm quis hominem cognoscit secundùm suam diffinitionem,nempe, inquantũ est animal rationale dũtaxat,in tali cognitione formaliter non cõtinetur ratio potentiæ obedientialis.

30 Ad confirmationem Resp. omnem naturam, quæ non est essentialiter potentia obedientialis, habere necessariò potentiam obedientialem superadditam, id est, non formaliter inclusam in ipsa entitate naturæ: illa verò natura,quæ essentialiter est potentia obedientialis, nullam aliam habet superadditam potentiam obedientialem,cùm illa essentialiter sit ipsamet potẽtia obedientialis. Sicut omnis res,quæ non est essentialiter quanta,& diuisibilis,constituitur quanta, & diuisibilis per aliquid superadditum; at quantitas ipsa,cùm sit essentialiter diuisibilis,non constituitur per aliquid superadditum partibilis,sed per seipsam.

31 Ad secundum negatur, potentiam obedientialem importare illum respectum creaturæ ad creatorem, quia ratio creaturæ consistit in hoc, quod est habere esse ab alio,respicitq́; creatorem,à quo habet esse; vt authorem naturæ,causam,& principium illius esse naturalis,quod habet secundùm ordinem naturæ acceptæ,respicit namq́; vniuersi creatorem, & naturæ authorem; at potentia obedientialis formaliter respicit agens supranaturale,quatenùs causare potest esse, actus,& formas superexcedentes proportionem naturæ, in qua suscipiuntur. Longè ergo differunt habitudo creaturæ, & potentiæ obedientialis ad creatorem, quamuis vna ex altera fortassis sequatur, vt ostendetur sequente dubitatione.

32 Ad tertium patet responsio ex quinta conclusione, quam probat, sed alias non improbat.

33 Ad quartũ patet responsio ex dictis in solutione ad primum. Licet enim potẽtia obedientialis inseparabilis sit ab ipsa entitate naturæ,hoc non tollit distinctionem formalem,siue ex natura rei, quæ reperitur inter hanc potentiam,& ipsam rei naturam: vt constat in materia,& forma, quæ distinguuntur tanquam res à re,& nequeunt separari. Item concedimus,hanc potentiam esse idem secundùm rem,cum ipsa entitate naturæ,in qua est,distingui tamen ab ea formaliter.

33 Præterea concedimus, creaturam præcisè consideratam secundùm illud esse,quod habet ex vi suæ creationis,essentialiter includere subiectionem ad creatorem,vt est author naturæ,& causa effectrix illius esse naturalis,quod ab eo per creationem accepit, sed negamus quod vt sic includat subiectionem ad Deum, vt est agens supranaturale; sic enim non respicit illum,nisi per obedientialem potentiam, quæ ad modum propriæ passionis dimanat ex ratione essentiali entis creati,& ab illo formaliter duntaxat distinguitur.

34 Ad confirmationem Resp. eodem modo: quòd anima rationalis per seipsam,idest, ex vi suæ perfectionis, & substantiæ naturalis non est capax gratiæ,fidei, charitatis,& aliorum donorum supranaturalium, neq; vt sic respicit Deum, vt agens supranaturale, sed solùm per potentiam obedientialem, quæ cum illa realiter identificatur,distinguitur tamen ab ea formaliter, vt dictum est.

DVBITATIO IIII.

De habitudine potentiæ obedientialis.

DVBITATVR, quam habeat habitudinẽ potentia obedientialis ad ipsam naturam, in qua est, An accidentis proprij, vel communis, quarti, An quinti prædicabilis. Et quidem quod sit accidens commune ad quintum prædicabile pertinens, probatur.

1 Potentia naturalis intellectus ad habitus naturales suscipiendos, est accidens quinti prædicabilis respectu ipsius intellectus, cùm sit habitudo ad speciem condistinctam contra potentiam,nempe, ad primam qualitatem,sed vna species alterius condistinctæ nequit esse nisi accidens commune extrinsecè omninò superueniens: ergo à fortiori potentia obedientialis intellectus ad habitus infusos suscipiendos, erit multò magis accidentaria. Consequentia patet: quia si habitudo ad habitus connaturales accidat, multò magis ad supernaturales excedentes naturam.

2 Nihilominùs dicendum est,quod potentia obedientialis sequitur ad modum propriæ passionis rationem essentialem entis creati, vt sic. Explicatur conclusio, & simul probatur. Ex eo quòd res aliqua habeat esse ab alio,in quo formaliter consistit ratio creaturæ, continuò,ac necessariò sequitur,esse subiectam,obedientem, ac subditam illi in omnibus illis, quæ non repugnant, quæ est obedientialis potentiæ ratio: ergo dimanat à ratione entis creati ad modum propriæ passionis ab essentia. Antecedens patet, nam quod recipit esse ab alio, tanquam à prima causa & fonte totius esse, & entitatis,necessum est, vt secundùm illud esse, quod habet,subdatur voluntati,& potestati illius,à quo quicquid est,recipit: ergo,&c. Item disciplinabile est propria passio hominis,eo quòd statim sequitur rationalitatem,quæ illius est essentia, estq́; rationalitas sufficiens causa disciplinabilitatis: sed similiter potẽtia obedientialis continuò sequitur rationem entis creati, & sola hæc ratio est sufficiens causa, & principium obedientiæ respectu omnipotentiæ creatoria: ergo,&c. Rursus. Propria passio illa est,quæ omni,soli, & semper conuenit,sed potentia obedientialis conuenit omni,soli,& semper,enti creato: ergo habet modum propriæ passionis respectu illius. Dixi autem,obedientialẽ potentiam habere modum propriæ passionis, & non simpliciter esse propriam passionem, tum, quia est quid incompletum: tum etiam, quia non est omnibus modis naturalis,sed respicit supernaturale agens.

3 Pro solutione argumenti aduertendum est,in intellectu geminam esse habitudinem: alteram, ad obiectũ in genere intelligibilis, & ad actum intellectionis, & ad ea omnia quæ ad istum actum necessariò requiruntur,nempe,speciem,verbum,&c. Iste autem ordo essentialis est,constituens intellectus speciem. Alius vero

est

est ordo ad habitus,& actus habituum:& iste ordo nequit esse essentialis potentiæ,quia fieri non potest, vt essentia vnius speciei qualitatis in habitudine ad aliam condistinctā cōsistat:sed propria passio intellectus est, susceptiuum esse habituum intellectualiū,quæ habitudo ex priori ordine ad obiectum dimanat: quia licèt ipsi habitus sint accidentia communia intellectus, esse tamen susceptiuum habituum, est proprietas ab essentia intellectus necessariò fluens,& dimanans.Hoc præmisso Resp.ad argumentū, quod licèt ipsi habitus sint accidentia quinti prædicabilis,susceptibilitas tamen illorum est propria passio.Neque est inconueniens, propriam passionem vnius speciei respicere essentialiter aliam speciem,imò & aliud prædicamentum;sicut esse quantitatis susceptiuum est propria passio corporeæ substantiæ.Quinimò & habitus primorum principiorum fortassis est propria passio intellectus: nam cùm passio possit esse non solùm alterius speciei, verùm etiam alterius prædicamenti à subiecto,non repugnat respicere,& consistere in habitudine ad aliam speciem à subiecto distinctam. 4

5 Sed obijcitur.Potentia obedientialis,quæ est ad formam substantialem,est substātialis: ergo falsum est dicere,potentiam obedientialem in vniuersum esse accidens quarti,vel quinti prædicabilis.Resp.licèt potentiā substantialis nequeat esse accidens, vt distinguitur contra substantiam,& vt diuiditur in nouē prædicamenta,quod solet dici accidens prædicamentale:posse tamē esse accidens,vt distinguitur contra essentiale,quod est accidens proprium quarti prædicabilis, & vocatur accidens prædicabile.

DVBITATIO. V.

De Vnitate potentiæ obedientialis. §. I.

DVBITATVR; An potentia obedientialis sit eadem secundùm speciem in omnibus rebus, An potiùs sit multiplex. Et quidem, quòd sint plures non modò specie,& genere, sed etiam Analogia differentes,probatur.

1 Primò.Potentia obedientialis sequitur rationē entis creati,vt ostēsum est Dubio.4 sed illa ratio est Analogica respectu decem prædicamentorū:ergo etiā potentia obedientialis non vnicam,sed multiplicem, & Analogicam rationem importat. Consequentia patet, quia passio cōsequens Analogicum principiū,semper, & in vniuersum, est similiter Analogica:quando enim essentialis ratio non æqualiter cōpetit, neq; proprietas necessariò consequens æqualiter competere potest, vt constat in passionibus entis.

2 Secundò Substantiæ, & accidenti nihil potest esse vniuocum: sed potentia obedientialis est communis quibusdam potentijs substantialibus,ordinatis ad formas substantiales supranaturaliter introducendas, in prædicamento substātiæ proinde repositis, & alijs etiam accidentarijs constitutis in prædicamento qualitatis, vel alio prædicamento accidentiū:ergo nequit importare rationem aliquam vniuocam.

3 Tertiò.Quæ non vniuocantur in superiori, neque etiam in aliqua ratione inferiori vniuocè conuenire possunt:sed potentia actiua & passiua, quæcumq; sit, siue naturalis,siue obedientialis, non vniuocantur in vniuersalissima ratione entis Deo,& creaturis communi:ergo neque in ratione potentiæ obedientialis entis creati,quæ est inferior.Minor patet:quia ens iuxta cōmunem Philosophorum,& Methaphysicorum sententiam,Analogicè dicitur de actu,& potentia: actiua autem,& passiua potentia comparantur inter se vt actus & potentia,cùm vnumquodq; agat,in quantùm est in actu,patiatur verò,in quantùm est in potentia.

4 Quartò.Potentiæ distinguuntur per actus, & iuxta multitudinem,& diuersitatem formalem actuum cōstituuntur plures,& diuersæ potentiæ formaliter; sed actus,ad quos ordinatur potentia obedientialis, sunt plures, ac diuersi omninò, qui vnica ratione formali obiecti comprehendi non possunt,cùm alij sint ad ordinem gratiæ pertinentes, ac proinde Diuini ordinis: alij inferioris ordinis,etsi supranaturales supra totam naturam creatam:alij tandem supra aliquam tantùm naturam in particulari:ergo potentia obedientialis formaliter est multiplex. 4

5 Quintò.Potentia obedientialis in diuersis speciebus ordinatur ad diuersā,& in vna specie destinatur ad actum, quem potentia obedientialis alterius speciei excludit,cùm quædam sint vni speciei repugnantia, quæ alteri non repugnant, etenim potentia obedientialis hominis est ad fidem, charitatem,& gratiam,ad quam nullatenus se extendit potentia obedientialis bruti, quin potiùs illi repugnat,& sic de alijs. Ergo tot sunt obedientiales potentiæ formaliter, quot sunt species naturarum,quibus insunt. Dices, Potentiam obedientialem non specificari ab actū suscepto, vel producto, sed ex ordine ad Diuinam omnipotentiam,contra hoc sit sextum argumentum. 5

6 Sextò. Inter potentias obedientiales, quædam respiciunt Deum, vt gratiæ authorem, qua ratione concedit dona ordinis Diuini, vt sunt potentiæ ad fidem, charitatem, & gratiam, lumen gloriæ, &c. Quædam verò respiciunt ipsum Deum, vt authorem naturæ, non quidem operantem secundùm leges naturæ præscriptas, sed operantem naturalia modo supranaturali, & alia potentem producere, quæ etsi totam naturam productam superent, semel tamen in illa constituta, ad ordinem gratiæ non pertinent. Itaq; potentia obedientialis respicit infinitam creatoris potestatem, & per eandem naturam & potentiam,per quam mundum produxit; potest in rebus creatis, & ex illis, quicquid voluerit efficere sine consideratione ipsius, vt est author gratiæ: per potentiam namq;, qua hominem creauit, potest & cæco visum donare, & mortuum reuocare ad vitam, & formam cælio materiam corruptibilium inducere.Ergo differunt formaliter huiusmodi potētiæ obedientiales interse,cùm diuersum importent ordinem ad diuinam omnipotentiam. 6

7 Confirmatur. Potentia obedientialis, & naturalis formaliter differunt, vt ostensum est. Dubitatio. 3. eo quòd naturalis respicit Deum, vt authorem naturæ, obedientialis verò respicit ipsum, vt agens supranaturale: sed similiter quædam obedientialis potentia respicit Deum, vt creatorem naturæ, alia verò ipsummet,vt authorem gratiæ: ergo eodem modo distinguuntur formaliter. Pro resolutione dubij sit hæc conclusio. 7

Conclusio. §. II.

8 POTENTIA obedientialis in omnibus rebus creatis est eiusdem rationis formalis,& materialiter dûtaxat indiuersis entium generibus, ac prædicamentis distinguitur.

Hæc conclusio est valde cõsentanea cõmuni Theologorum loquutioni,freqnẽter asserentiũ, omnes creaturas quoad potentiam obedientialem esse pares, & eodem modo subditas Dei omnipotentiæ. Et probatur. Potentia obedientialis non dicitur de vna re creatá per ordinẽ,& attributionem ad aliá, V. g. de accidenti non dicitur per ordinem ad substantiã, neque de vno secundùm habitudinem proportionalitatis ad alia: ergo nullo modo dicitur Analogicè,sed vniuocè,imò & secundùm eandem specificam rationem, cùm non habeat obedientialis potentia,vnde formaliter specificetur dempta Analogia. Consequentia patet, quia nõ est Analogiæ alius modus. Antecedens probatur quoad priorem partem:vnaquæque res creata, qualitercumq; esse participet , subditur per seipsam secundùm illud qualecũq; esse creatori,in omnibus,& per omnia,quæ illi non repugnant,& non per ordinem ad aliud, ita vt accidens estò non habeat esse nisi in ordine ad substantiam,non tamen habet obedire per ordinem ad substantiam,neque,quia substantia obedit , accidens obedit:sed quia habet illud qualecumque esse à Deo, & ad illum immediatè refertur , imò verò etiam si substantia non obediret, ipsum accidens proculdubio obediret sine habitudine,& attributione ad aliud quidpiam: quia habitudo cuiusque creaturæ ad Deum, à nulla re creata dependet.

Quòd autem non sit Analogia proportionalitatis, probatur:quia ideò accidens dicitur obediẽs Deo,quoniã ita se habet ad suam obedientiam, sicut substantia ad suam:sed sine aliqua habitudine ad aliud (vt diximus)præter Deum,à quo esse tanquam à prima causa, suscepit:ergo nulla est Analogia.

9 Confirmatur. Accidens etsi in modo naturali , & essentiali pendeat à substantia , in esse tamen supernaturali nullam habet dependentiam ab illa,cùm per supernaturalem potentiam possit esse actu,& operari separatum à substantia;sed potentia obedientialis respicit hãc supernaturalem potentiam: ergo in hac obedientiali potentia accidens nullam habet dependentiam à substantia , & multò minùs vnum accidens ab alio accidenti.

10 Rursus probatur conclusio. Eadem est potentia visiua secundùm communem Philosophorum sententiam,formaliter,& specie, in cunctis speciebus animalis:quia sequitur eundem gradum genericum animalis in omnibus,in quibus reperitur:sed similiter potentia obedientialis in omnibus sequitur gradũ entis creati:ergo est eiusdẽ rationis formalis in omnibus. Neque obstat, vt insolutionibus argumentorum ostendetur, illum gradum entis creati esse Analogicum.

Ad Argumenta. §. III.

11 AD tria igitur priora argumẽta Resp. quod licet substantię,& accidenti nihil importans rationẽ perfectam possit esse cõmune vniuocũ; id tamẽ quod imperfectam rationem continet, in nullo prædicamento propter sui imperfectionem per se constitutam,sed reductiuè tantùm appositam,potest esse cõmune vniuocum substantiæ & accidenti: sicut motus secundùm cõmuniorẽ sententiã, vniuocũ est,ac cõmune formaliter loquendo actioni & passioni, eo quòd imperfectam rationẽ importat , ac potentialitatẽ quandam,& similiter,vniuocè denominat mouens & motum:quamuis alterum sit actus,vt pote principiũ actiuũ motus,alterũ potentia,nẽpe,passiuũ principiũ. Eodem modo cùm potentia obedientialis imperfectam quandam,ac reductiuam importet rationem potentię, vt ostensum est,potest vniuocè dici etiam de illis,quæ sunt primò diuersa.

Ex hoc patet Responsio ad illa tria argumenta : etenim passio,quæ importat rationem imperfectam , & 12
reductiuam,potest esse vniuoca, etsi rationem Analogicam consequatur. Item quæ in superiori , & ente nõ vniuocantur,etsi in nullo inferiori importante rationem perfectam,& completam entis vniuocari possint, bene tamen in aliqua ratione imperfecta,& incompleta,& ideò potentia actiua,& passiua, actus & potentia, quamuis in ratione entis non vniuocentur,possunt tamen in ratione potentiæ obedientialis vniuocari, sicut mouens & motũ in ratione mobilis,latè sumpto vocabulo,vt comprehendit actiuum , & passiuum,vniuocantur.

Præterea.Potentia actiua & passiua simpliciter non 13
vniuocantur in ente:at potentia passiua, & actiua obedientialis,quæ est potentia secundùm quid, bene possunt vniuocari. Et tandẽ,quia potẽtia obedientialis actiua non importat actum , neque vim effectiuam , & causatiuam effectus , in quo à potentia naturali actiua differt;sed meram potentiam,sicuti & passiua, cũ ordine tamen ad Dei omnipotentiam , cuius virtute talis effectus est causandus. Itaque tantùm importat ordinem susceptiui,nam potentia obedientialis eatenus est actiua,quatenùs est receptiua ex Dei omnipotentiæ virtutis actiuæ,qua postmodum operetur : potentijs enim quibuscumq; , & instrumentis à diuina omnipotentia assumptis ad effectus supernaturales, confert Deus vim aliquam operatiuam , iuxta mentem D. Thomæ infra.q.62.art.4. Potentia autem obedientialis antè susceptam illam virtutem dicitur naturalis, post susceptam autem,iam induit rationem potentiæ supernaturalis aliquo modo. Cùm ergo potentia obe- 14
dientialis actiua non importet actum,sed potiùs rationem receptiui virtutis actiuæ,non distinguitur à passiua,tanquã actus à potentia,simpliciter loquendo , sed potiùs cũ illa coincidit. Nisi velis, obedientialem actiuã importare actũ propriũ,& vim ad propriã actionẽ, quę prærequiritur ad quemcumq; effectũ supranaturaliter causandum, vt loco citato docent ex D. Thoma eius interpretes. Sed certè hæc operatio non dicitur vis causandi effectum supernaturalem , sed conditio sine qua non vt plurimum,vt suo loco videbimus.

Ad quartum Resp. potentiam obedientialem primò 15
& per se constitui, & specificari ex ordine ad Diuinam omnipotentiam supra naturæ leges operantem , quia respectu tantùm Dei est subiectio,& obedientia, & nõ alterius rei creatæ. Quare quibuscumq; alijs multiplicatis, si hæc Diuinæ omnipotẽtiæ ratio nõ multiplicetur,neque potentię obedientialis species multiplicantur.

Et

Digitized by Google

Et quamuis potentiæ naturales ex actibus specificentur, & multiplicentur, non subinde necessum est, potentiam etiam obedientialem hoc modo multiplicari: quia naturalis potentia est actibus proportionata, & ideò nihil mirum, quòd ex illis specificetur, & diuersorum actuum formaliter sint diuersæ potentiæ formaliter. At obedientialis potentia, cùm non sit actibus proportionata, neque illos respiciat, nisi vt subest Diuinæ omnipotentiæ, ideò non multiplicatur ad eorum actuum formalem, atq; specificam multiplicationem.

16 Verū est, quòd secundariò respicit actus, vt susceptibiles, & operabiles ex Diuina omnipotentia, non secūdùm proprias rationes specificas, in quibus distinguuntur, sed sub ratione susceptibilis à tali, & in tali potentia. Et cùm omnes in hac eadem ratione conueniant, vndique habet potentia obedientialis vnicam formalē rationem, sicut potentia materiæ formaliter nō multiplicatur ex diuersitate formali, & specifica formarū, quia omnes formas respicit sub communi ratione actus substantialis, quatenùs esse substantiale tribuunt, quod esse immediatè respicit materia prima.

17 Ad quintum Resp. quamuis in diuersis subiectis, & speciebus potentiā obedientialis sit diuersorum actuū susceptiua, non inde inferri specificam diuersitatem: nā ordo specificans ad Dei omnipotentiam saluatur in omnibus speciebus, & illi subduntur quantùm ad omnia, quæ contradictionem nō implicant. Imò verò etiā considerata potentia in ordine ad ipsos actus, nullum est inconueniens, eandem potentiam, etsi naturalem, ex conditione tamen indiuiduali, & in vno subiecto aliquem actum respicere, quem non in alio. Sic calor est eiusdem speciei in igne, & in animali, & tamen in igne ad productionem ignis attingere potest, & non in animali: & in animali ad productionem carnis, quē actum in igne habere non potest. Et in fœmina lac producit, non in viro. Item materia, quæ est causa receptionis formæ, eādem permanente, & potentia illius secundùm speciem eādem perseuerante, antè susceptionē alicuius formæ, potentia materiæ ad illam inclinatur, & illam respicit: post separationem autem formæ semel habitæ illam nequaquam attingere potest, neq; illam appetit. Item potentiæ sensitiuæ vitales, licet eiusdem speciei sint in homine, & bruto, quædam tamen sensitiua potentia, qua ratione est in homine, ob talem indiuiduantem conditionem potest discursum habere, quem in bruto habere repugnat.

18 Addiderim insuper, hac in parte minorem esse difficultatem, quàm in exemplis adductis, cùm actus illi, quos in vna specie habet obedientialis potentia, & nō in alia, sint eiusdem speciei, quatenùs considerantur, & respiciuntur ab vna potentia: quare solùm est variatio actuum intra eandem speciem, & ex consequenti numerica & materialis, diuersitatem materialem obedientialis potentiæ tantummodò inferens.

19 Ad sextum Resp. potentiam obedientialem essentialiter respicere supernaturalem Dei potentiam, & ipsum Deum, vt supranaturaliter operantem in abstractione ab authore gratiæ, & naturæ: quæ sunt materiales differentiæ in ordine ad obedientialem potentiam; quare amplissimam importat rationem in abstractione ab actiua & passiua, imò & ab effectu ordinis Diuini, vel naturalis, dūmodò supernaturaliter efficiatur, ita vt obedientialis potentia formaliter importet ordinem ad Diuinam omnipotentiam, quatenùs ex ipsa, & in ipsa, tanquàm ex materiali principio, vel per ipsam tanquam per actiuum principium, possit aliquid supranaturaliter operari, siue ordinis gratiæ, siue alterius cuiusq;. Neque sola potentia obedientialis naturæ intellectualis respicit ordinem gratiæ, sed etiam obedientialis potentia cuiuslibet naturæ, cùm Deus possit quamlibet assumere ad effectum gratiæ causandum, & cuilibet possit suam subsistentiam communicare, ad vnionem hypostaticam naturam quamcumq; assumens: qui sane effectus est Diuini ordinis, cùm sit diuinæ subsistentiæ communicatio.

Ad confirmationem Resp. illam rationis distinctionem Dei in agens naturale, & supernaturale, inferre distinctionem formalem in potentijs naturali, & obedientiali, eo quòd distinctum habet modum causandi Deus, vt agens naturale, & vt agens supernaturale formaliter: considerato modo ex parte effectus, & actus suscepti in creatura. Etenim vt agens naturale operatur effectus proportionatos potentijs, ordine, ac lege naturæ seruata, passiua ad actum reducendo medijs actiuis, & causis naturalibus naturaliter operantibus. Vt agens verò supernaturale operatur effectus improportionatos potentijs, naturæ legibus minimè correspondentes. Quare ipsæ potentiæ, quæ respiciunt Deum, vt operantem, ex diuerso modo operandi constituuntur diuersæ formaliter. At potentia obedientialis siue ad actum ordinis gratiæ, siue alterius cuiusque ordinis, respicit ipsum Deum, vt agens supranaturale, & supranaturaliter operantem. Et ideò cùm vt author gratiæ, & naturæ eodem modo supernaturaliter operetur, vt respicitur à potentia obedientiali, nequis inferri distinctio illius formalis, &c. 20

DVBITATIO VI.

De Diuisione potentiæ obedientialis. §. I.

AN Potentia obedientialis diuidatur in actiuā, & passiuā: ita vt sicut datur obediētialis potētia passiua in creatura ad recipiendū aliquid supranaturale, detur similiter actiua ad operandum effectum supranaturalem. Et quidem omnes Theologi (dempto Scoto) admittunt dari potentiam obedientialem passiuam in creatura ad recipiendas formas supranaturales, & præter naturales, vt ad gratiā, ad vnionem hypostaticā, ad visionem beatificā, & ad similes. Huius autē potentiæ passiuæ meminit D. Thom. frequēter, præsertim. 1. 2. q. 113. ar. 10. & in. 1. d. 42. q. 2. ar. 2. ad 4. vbi dicit, Deū indidisse materiæ primæ duplices rationes, nēpe, causales & obedietiales, per quas omnes res natæ sunt obedire Deo. Idem repetit in. 2. d. 18. q. 1. art. 2. & in. 3. d. 2. q. 2. ar. 2. & de veritate. q. 8. art. 4. ad 13. ide etiā indicat. 1. p. q. 115. art. 2. & 4. & 3. p. q. 1. ar. 3. ad 3. & q. 11. art. 1. Eandē potentiā obedietialem passiuam recipiūt omnes discipuli D. Tho. Capreo. & Hispalensis. q. 1. Prologi. Paludanus, & ide Capreol. in. 4. d. 1. q. 1. Caiet. 1. p. q. 1. art. 1. & tomo. 3. opusculorum tracta. 3. q. 1. & Ferrariensis. 1. contra gentes cap. 5. & lib. 3. cap. 156. In admittenda ergo hac obedientiali potentia passiua nulla est inter Theologos controuersia; sed tota dissensio in eo est posita, An detur potentia obedientialis 1

Digitized by Google

actiua ad actus supranaturales. Quidam enim affirmãt dari huiusmodi potentiam actiuam, sed ei tribuunt plusquàm oportet. Alij verò absolutè negant talem potentiam actiuam, & potest suaderi hæc sententia.

2 Primò; quia de intrinseca ratione potentiæ obedientialis est, quòd sit intrinsecè passiua, vt constat ex eius definitione: sic enim ab omnibus definitur: vt sit aptitudo ad recipiendum aliquid ab eo, cui præter, vel supra naturam res obedire potest, vt ex D. Thoma locis citatis colligitur: & similiter ex ipsa voce obedientialis potentiæ: quia sicut imperare est agere, aut mouere, ita potentia obediendi, vt sic, est potentia passiua, proximè enim, & vt talis est, tantùm respicit directionem, vel imperium alterius, ad quod non cõparatur vt principium agendi, sed recipiendi directionem, seu imperium: ergo nullo modo potest dari potentia obedientialis actiua.

3 Secundò. Potentia obedientialis non est in creatura aliquid positiuum: ergo implicat contradictionem, esse obedientialem potentiam, & esse actiuam. Cõsequentia est euidens, quia potentia actiua debet esse positiua, quia per eam constituitur agens in actu primo ad operãdum, & ab illa dependet realiter effectus. Nequit autem intelligi, vt aliquid dependeat ab eo, quod non est positiuum, sed negatio tantùm, vel priuatio. Antecedens probatur, quia potentia obedientialis passiua nõ est potentia positiua præhabens in sua potestate supernaturales effectus, vel actus, aliàs nihil differret à naturali potentia: ergo solùm est non repugnantia creaturæ, vt in ea fiat, quicquid Deus voluerit. Ergo multò minùs potest esse in creatura potẽtia actiua positiua, sed erit non repugnantia, vt eleuetur à Deo ad agendũ, quæ cũ sit sola negatio, nequit esse potentia obedientialis actiua.

Opiniones. §. II.

4 CIRCA hanc rem duplex circumfertur Theologorum opinio. Vna est negatiua, quę omninò tollit potentiam obedientialem actiuam, & asserit, omnem in vniuersum obedientialem potentiam esse passiuam. Princeps autem huius sententię firmamentum est secundm argumentum propositũ: quá defendit M. Zumel. 1. 2. q. 112. art. 1. disput. 3.

5 Alia vero est affirmatiua, quam docet M. Suarez. 3. p. q. 13. art. 1. disp. 31. sectio. 6. vbi ait, dari quidem potẽtiam obedientialem actiuam in ipsis rebus existẽtem, per quam efficere possunt opera supernaturalia, vt instrumenta Dei, Ipso concurrente per auxilium, vel cõcursum, proportionatum effectui, & excedentem concursum debitum naturali virtuti creaturæ. Dicit secundò, hanc potentiã non esse rem, vel entitatẽ aliquã, aut intrinsecũ modũ creaturæ superadditũ, & illi inhærentẽ, & ab ipsa distinctũ, sed ipsammet entitatẽ creaturæ per seipsam esse hãc potentiã obedientiale ad agẽdũ vt instrumentũ Dei. Vnde sicut calor ignis per se est virtus naturalis ad calefaciendum; sic etiam per se est virtus obedientialis ad agendum V. g. in spiritum: quæ ratio obedientialis potentiæ nihil addit entitati rei, sed includitur in essentiali conceptu entis creati, & est illi innata, extenditurq; ad omne id, quod non repugnat tali modo fieri. Dicit tertiò: quòd licet hæc potentia secundùm se sit innata ad efficienda opera supernaturalia, quia non est nisi entitas rei; tamen quia modus agendi per illam, & concursus ad hoc necessarius non est naturalis, neq; debitus creaturæ, ideò illa potentia secundùm se sumpta est tantùm remota, nec constituit creaturam ex sua natura simpliciter potentem ad sic operandum, sed propriè constituit capacem, vt possit eleuari à Deo ad huiusmodi operandi modum. Quare sicut potentia obedientialis passiua nõ denominat rem absolutè, sed in ordine ad Deum, non enim dicitur simpliciter, materiam cæli posse à sua forma separari, estò in ordine ad Deum sit in potentia obedientiali ad hunc effectum: sic etiam ab hac potentia obedientiali actiua non denominatur res simpliciter potens, sed in ordine ad Deum. Quatenùs autem hæc obedientialis potentia actiua coniungitur cum speciali concursu, & applicatione Dei, est virtus supranaturalis, cõstituens creaturam in actu primo ad operandum supernaturaliter. Pro resolutione dubitationis propositę sit.

Prima Conclusio. §. III.

6 PRAETER potentiam obedientialem passiuam, necessariò ponenda est in creatura potẽtia obedientialis actiua in ordine ad effectus supranaturales, & ad omne illud, quod facultatem naturæ excedit, & illi nõ repugnat. Hæc cõclusio proculdubio est D. Thomæ in. 4. d. 8. q. 1. art. 3. ad. 4. vbi sic ait. *Sicut creaturæ inest obedientiæ potentia, vt in ea fiat, quicquid creator disposuerit; ita etiam vt ea mediante fiat, quæ est ratio instrumenti.* Quasi dicat, creaturã non solùm esse in potentia obedientiali passiua, vt in ea fiat, quod Deus disposuerit: sed etiam esse in potentia obedientiali actiua, vt ea mediante, & actiuè concurrente faciat Deus, quicquid sibi placuerit. Idem docet Caietanut infra q. 78. art. 4. & M. Bañes. 1. p. q. 12. art. 2. dub. 1. ad 3. vbi ait, intellectum creatum respectu visionis beatificæ habere potentiam obedientialem, vt possit eleuari ad illam, & similiter habere virtutem actiuam, vt possit elicere visionem beatificam, si tamen priùs fiat in actu lumine gloriæ.

7 Nec video, quomodò hæc conclusio, vt iacet, à nemine possit negari, cùm per se manifestum sit, creaturam obedire Deo, non solùm suscipiendo, sed etiam operando id, quòd ipsius creaturæ facultatem excedit.

8 Sed probatur. In creatura datur potentia obedientialis passiua ad omnes actus etiam supranaturales: ergo datur etiam potentia obedientialis actiua cortudem actuum. Patet consequentia, quia non est debilior potentia actiua Dei, vt non possit medijs creaturis tanquàm instrumentis actiuè concurrentibus operari, & similiter vti potentia actiua earundem creaturarum.

9 Confirmatur, quia in hoc nulla inuoluitur repugnãtia, imò nulla potest dari causa & ratio, cur Deus non potuerit cõdere creaturã hoc modo, & cũ hac obedientiali potẽtia actiua, cũ hęc sit multò maior perfectio, quia hac ratione multò perfectiùs & magis subijcitur creatura Deo, nõ solũ ad recipiẽdũ, sed etiã ad operãdũ.

10 Præterea. Intellectus ex sua natura est determinatus ad naturalem cognitionem respectu obiecti naturalis, nam viribus suis altiorem cognitionem habere non potest; sed nihilominùs est in potentia obedientiali actiua ratione cuius potest eleuari ex auxilio speciali Dei ad cognoscendũ obiectũ supernaturale, & ad eliciendã visione beatificã: ergo datur potẽtia obedientialis actiua

in

in creatura. Hanc conclusionem multis probat P. Suarez loco citato, vbi potest videri.

Secunda Conclusio. §. IIII.

11 POTENTIA obedientialis actiua, quæ est in creatura, nullum importat actum, neque vim effectiuam, & causatiuam effectus, sed merā potentiā, sicut & passiua. & dūtaxat dicit susceptiui ordinem ad Diuinam omnipotentiam, cuius virtute talis effectus est causandus: atq; adeò in eo sensu dicitur potentia obedientialis, actiua, quatenus ex Diuina omnipotentia est receptiua virtutis actiuæ, qua postmodùm operetur. Explicatur conclusio. Creatura ex se nullam habet innatam virtutem ad producendum effectum supranaturalem, sed necessariò debet à Deo eleuari, & moueri, vt per talem motum constituatur in actu primo ad operandum, V. g. intellectus, & voluntas, quāuis sint potentiæ obedientiales, vt à Deo possint eleuari ad aliquem effectum vltra naturæ latitudinem: nullā tamen secundùm se habent innatam actiuitatem, qua sint in actu primo respectu effectuum supernaturaliū, sed ex coniunctione cum concursu causæ eleuantis, & ex motione eius, sicut ascendunt ad alium ordinem, sic efficiūt adæquatum, & sufficiens principium ad actū.

12 Itaque licèt concurrant efficienter ad actus supranaturales, nō tamen concurrunt, nisi quatenus priùs ascēdunt, & iam sunt potentiæ eleuatæ ad ordinē superiorem intra latitudinem supernaturaliū ex Dei supernaturali virtute, vel supernaturalibus habitibus; non ex virtute sibi innata: quia ex seipsis, & ex naturæ principijs nō conferunt vim, & actiuitatem ad actionem supernaturalem omninò. Vnde tota actiuitas, quæ ad visionem beatificam extenditur, procedit ex quantitate luminis gloriæ. Legendus est Caiet. 1. p. q. 79. art. 2. vbi ait, intellectū nudatū omni specie intelligibili esse principiū vitale, & vim quādā animalis, quæ habet virtutē actiuā, si tamen fiat in actu per speciē intelligibilē: ita similiter intellectus creatus habet vim actiuā ad eliciēdā visionē Dei clarā; at hæc virtus non est innata ipsi intellectui, sed priùs debet fieri in actu per lumē gloriæ.

13 Sic autem explicata conclusio probatur. Si potentia obedientialis actiua importat aliquem actum, & vim effectiuam innatam, vel illa vis est naturalis, vel supernaturalis, non naturalis, aliòquin esset improportionata ad effectus supernaturales, & ex cōsequenti esset impertinens, & sine fundamento: imò verò sequitur, quòd ex principijs naturæ emanet potentia effectiua supernaturalis effectus, vt gratiæ, &c. Neque etiā potest dici supranaturalis: tum, quia esset aliquid superadditum naturæ, & non congenitū cū entitate cuiusq; creaturæ: est enim fictitiū dicere, aliquā supernaturalem virtutem esse ex natura rei congenitam naturali entitati rei: nā virtus congenita, & intrinseca vnicuiq; enti, nequit excedere gradum & ordinem talis entis: tum etiam; quia iam à principijs naturæ oriretur virtus supernaturalis actiua, causatiua supernaturaliū actionū & effectuum.

Ad hoc argumentū M. Suarez Respondet, hanc poten
14 tiam actiuam propriè non dici naturalem, neq; etiam supranaturalem, sed tantùm obedientialem, quia non operatur nisi ex imperio creatoris, & cum extraordinario, & non debito concursu. Sed certè hæc respōsio est insufficiens, nam quod argumento inquiritur, est, An potētia obedientialis actiua, & eius actiuitas innata, & cōgenita, sit naturalis, vel supernaturalis, & Respōdetur, esse obedientialem. Præterea. Licèt potentia obedientialis actiua non sit naturalis, vel supernaturalis simpliciter, quia non est potentia simpliciter, eo tamen modo, quo est potentia, debet esse naturalis, vel supranaturalis: est autem potentia secundùm quid, & ex consequētī naturalis, vel supranaturalis secundùm quid, vt ostensum est Dubin. 2. huius disputationis. Et idem proportionabiliter dicendū est de eius actiuitate, & vi innata, & congenita, quæ necessariò debet esse naturalis, vel supranaturalis simpliciter, vel secundum quid, ac proinde quicquid dicatur, non soluit rationē factā. Legenda sunt quæ dicūtur infra. q. 13. ar. 2. disp. 4. Paragr. 7. n. 47.

Secūdò. Creatura nihil potest efficere supranaturale sine speciali auxilio Dei: ergo vel hoc auxilium est tota virtus agēdi creaturæ, vel supponit in ea inchoatam virtutē, & cōplet illā, deducēs eam de actu primo ad secundum: vel deniq; supponit totā virtutem proximam ad agendum, & solùm cum illa concurrit, vt causa prima cū secūda. Secundū, & tertiū dici nō potest, sed necessariò dicendū est primū; atque adeò auxilium Dei nullam supponere actiuitatem in creatura, cùm ex seipsa nullā habeat vim actiuam, nullāq; actiuitatem conferat ad efficiēdos supernaturales effectus. Quod autem secundum, & tertiū affirmari nō valeat, probatur: quia ea virtus, siue inchoata, siue cōpleta dicatur, debet esse naturalis, & supranaturalis, quod repugnat. Naturalis, quia ex principijs naturæ orta, & cum illa congenita, & à Deo, vt authore naturæ, repugnat autem, quod ex principijs naturæ emanet virtus ad producendū effectum supranaturalem. Supranaturalis verò, quia est ad effectus supranaturales, & ex cōsequenti debet esse eiusdē ordinis cū illis. 15
Vrgetur amplius, quia si illa actiuitas dicatur cōpleta, ita vt speciale Dei auxiliū nullā tribuat virtutē, sed præsuppositā tātùm cōpleat, & actuet, & ad actū secundū reducat; sequitur, istā actiuitatē, & vim innatā sic se habere ad opera supranaturalia, sicut se habet habitus charitatis ad eliciēdā dilectionē Dei super omnia: ita vt ex se habeat sufficientē virtutē, indigeat tamē cōcursu generali, & auxilio primæ causæ, à qua pēdet omnis causa inferior, vnaquæq; in suo ordine, & in suo genere. Sed hoc dicere, est cōfundere ordinem naturæ cum ordine gratiæ, & tribuere ipsi naturæ plenam vim proximam ad supernaturalia, quod aliqui censent, errorem Pelagij sapere: ergo nullo modo ponenda est in potentia obedientiali actiua virtus aliqua, & actiuitas ad effectus supranaturales. 16

17 Ad hoc argumentū Resp. M. Suarez negādo, auxiliū speciale Dei esse totā virtutē, seu rationē agēdi in creatura, quia ex hoc sequitur, instrumēta, præsertim inanimata, nihil agere omninò: quia hoc auxiliū non est in ipsis rebus, quæ dicūtur instrumēta, ac proinde nequit illa constituere in actu primo ad agendū, nec ratione illius tātùm possunt denominari agētia, nō solùm materialiter, cùm non sustentent virtutem agendi, sed neque etiam formaliter, cùm per suas entitates nō influāt in effectum. Vnde concludit, necessariò supponi in omnibus rebus inchoatam & quasi fundamentalem vim, quæ per auxilium eleuatur ad agendum, & hanc appellat potentiam obedientialem actiuam.

18 Cæterū hæc respōsio nō labefactat rationē propositā: & in primis falsum est, quod infert, instrumēta inanimata

Digitized by Google

nihil agere omninò, quia non recipiunt in se illud auxilium. Pro cuius intelligentia aduertendum, illud speciale auxilium, quod dicitur tota virtus seu ratio agẽdi creaturæ, nihil aliud esse, quam Diuinam quandam motionem, seu motũ, quo priùs natura creatura præmouetur à Deo, & iste motus, vt procedit à Deo, est virtus supranaturalis cõstituens creaturã in actu primo ad producendũ effectũ supranaturalem: sed iste motus nõ est formaliter ipsa actualis productio effectus, quia virtus agendi significat actum primum, & non secundum, nempe, ipsam effectus productionem. Vnde sicut actus secundus supponit primum, & concursus cũ alio supponit illud, cum quo est concurrendum: ita actualis productio effectus supponit illũ motũ, qui est virtus

19 agendi. Itaq; productio effectus supranaturalis, V. c. gratiæ, est actio spiritualis, quæ idẽtificatur cũ ipsa gratia, & suscipitur in anima, quæ est subiectum gratiæ, & est illa operatio, quæ dicitur actio instrumẽtalis à principali agẽte cõmunicata instrumẽto, & est ipsemet actus secũdus, atq; vltimus causæ instrumentalis. Sed motus de quo in præsenti est sermo, is est, qui ordine naturæ est prçuius ad ipsam actualẽ productionẽ gratiæ, & per quẽ creatura cõstituitur in actu primo in ratione formali instrumẽti. Sed quia instrumentũ à seipso non constituitur in actu primo, sed à principali agẽte, ideò iste motus, de quo est sermo, non debet considerari vt actio ipsius instrumenti, sed magis, vt quædam motio

20 in ipso instrumento suscepta à Deo. Et quãuis contingat, quod actio instrumenti sit extrinseci subiecti realiter immutatiua, non tamen competit illi virtus spiritualis instrumẽtalis, quatenus est actio, sed solùm prout est motio, qua Deus immutat, & mouet ipsum instrumentum. Itẽ, licèt actio transiens recipiatur in subiecto extrinseco, semper tamẽ intercedit aliquis corporeus cõtactus, qui in agẽte suscipitur, quia omne agẽs in agendo repatitur, ratione cuius potest instrumẽtu inesse virtus instrumẽtalis. Ac per hoc ruit prçfata solutio.

21 Secundò dicitur, quod licèt nulla immutatio realis resultet in ipsum agẽs ex cõtactu corporeo; ipsa tamen motio suscepta in passo habet vim instrumẽtariã, ad producendũ effectũ supranaturalẽ, nõ quatenus in passo suscipitur, sed quatenus procedit ab agente præmoto à Deo, & præapplicato ad talem actionẽ. Ex quo sequitur, vt tota virtus instrumentalis tunc radicetur in ipsa applicatione passiua instrumẽti, facta à Deo principali agente, & ratione illius cõstituitur in actu primo respectu actionis instrumentariæ, quæ est ipsa actualis productio effectus, quẽ intendit actio, & virtus principalis agẽtis. Exemplũ sit. Quãdo Christus luto à se facto oculos cæci liniuit, ipsa actualis linitio in oculis cæci suscepta, fuit virtus instrumentalis ad visum miraculose conferendum, quæ virtus instrumentalis dimanauit ab applicatione, qua Christi humanitas fuit à Deo mota, & præapplicata ad efficiendam hanc actualem linitionem. Ex quibus constat, solutionem nihil concludere contra rationem factam.

22 Præterea falsum est, quod subiungit, in omnibus rebus supponi inchoatam, & quasi fundamentalem vim, per quam constituuntur in actu primo: quia potentia naturalis actiua innata creaturis non est in actu primo, etiam inadæquato ad producendum effectum supranaturalem: ergo per illam non constituuntur creaturæ in actu primo. Consequentia patet, & probatur antecedens. Vis, & potentia inclusa in conceptu essentiali naturæ entis creati, est intra ordinem naturæ; sed iste ordo naturæ est insufficiens ad hoc, vt creatura dicatur esse in actu primo, etiam inadæquato respectu effectuum supranaturalium: ergo, &c. Probatur minor: quia esse in actu primo inadæquato in ordine ad producendum effectum supernaturalem, est esse in actu primo supernaturali inadæquato; sed hoc conuenire non potest creaturæ, solùm intra essentialem conceptum naturæ: non enim ignis, aut eius calor possunt esse in actu primo supernaturali, etiam inadæquato ex proprijs naturç principijs in ordine ad causalitatem effectus supranaturalis.

Imò verò, cùm potentia specificetur ex actu, ex termino, & obiecto, si actus est supranaturalis, & terminus, atque obiectum, ipsa quoque potentia erit supranaturalis. Hanc autem supernaturalitatem habere nõ potest, neque in actu primo inadæquato, aut adæquato, nisi ex vi eleuationis, & coniũctionis ad Deũ, & Diuini motus, ex quibus habet, vt possit esse in actu primo, & secũdo respectu supranaturaliũ effectuum. 23

Confirmatur: quia sicut stat in naturalibus esse in actu primo inadæquato, & in actu primo adæquato respectu effectuum naturalium; ita similiter intra ordinem effectuum supranaturalium producendorũ, stat, rem aliquam esse in actu primo supranaturali inadæquato, & in actu primo adæquato respectu effectuum supranaturalium producendorum. Ergo si quælibet creatura habet potentiam innatam actiuam, & vim causatiuam actionum supernaturalium, quæ non est aliquid distinctũ ab entitate naturali ipsius creaturæ, neq; realiter tanquã res à re, nec formaliter; iam ex naturæ principijs est in actu primo supernaturali, quãuis inadæquato respectu effectuum supernaturaliũ: quod neque rationi consentaneum, nec tutum videtur. 24

Multa alia essent dicenda de virtute instrumentaria, 25 per quam creatura cõstituitur in actu primo in ratione instrumenti, sed disputabuntur infra q. 13. art. 2. disput. 4. hæc satis sit obiter & perfunctoriè tetigisse, vt intelligatur, potentiam obedientialem actiuã ex se nullam habere actiuitatem, neq; importare vim effectiuam, & causatiuam effectus: sed ordinem duntaxat susceptiui ad Diuinam omnipotentiam, cuius virtute cõmunicata potentiæ obedientiali actiuæ causandus est effectus: in quo duntaxat sensu dicitur actiua, quoniam ex Diuina omnipotentia est receptiua virtutis actiuæ, qua postmodùm operetur.

Potest esse accommodatum huius rei exemplum. In- 26 tellectus noster est simpliciter potentia passiua, si comparetur ad obiectum intelligibile, & ad speciem intelligibilem, quam recipit in se: at verò respectu intellectionis, quam actiuè elicit, est potentia actiua. Itaque, intellectus noster priùs patitur recipiendo speciẽ, quia recipit actum primũ, quo informatus, & iam factus in actu, intellectionem, & actum secundum producere potest. Per speciem enim ab ipso intelligibili deriuatam reducitur intellectus de potentia in actum primũ, quæ species non solùm vicem refert obiecti, quod intellectui repræsentat: verùmetiam formæ, quæ intellectum actuat, & de potentia essentiali in actũ primũ reducit. Constitutus autem intellectus, & per speciem intelligi-

bilem

bilem in actum primum reductus, producit intellectio-
27 nē, ad quā actiue cōcurrit. Vnde abſolutè loquēdo intellectus dicitur potētia paſsiua ſimpliciter, potiùs quā actiua: quia cùm potentia ex ſua natura dicatur per comparationem ad obiectum, indè prouenit, vt determinatio, & denominatio potentiæ, qualis ſit, debeat ſumi per comparationem ad ipſum obiectum; & quia intellectus in ordine ad obiectum habet pati, & non agere in obiectum; obiectum enim producit ſpeciem in intellectu, atque adeò intellectus paſsiuè tantùm ſe habet reſpectu intelligibilis; indè eſt, quòd dicatur ſimpliciter potētia paſsiua, vt docet D. Tho. 1. p. q. 79. art. 2.

28 Ad eundem modum poſſumus in præſenti Philoſophari: etenim ſupra oſtenſum eſt Dub. 5. Potentiam obedientialem actiuam non diſtingui à paſsiua tanquam actum à potentia, ſimpliciter loquendo, ſed potius cum illa coincidere: atq; adeò neceſſariò dicendum eſt, ſimpliciter eſſe potentiam paſsiuam, quatenùs dicit ordinem ſuſceptiui ad Diuinam omnipotentiam, à qua recipit virtutem actiuam, per quam conſtituitur in actu primo, & de potentia eſſentiali in actum primum reducitur: conſtituta verò in actu primo, per illam virtutem actiuam, communicatam à Deo (quam nihil aliud eſſe diximus, niſi motum, vel motionem, vt latius oſtendemus infra. q. 13. art. 2. Diſput. 4.) actiuè concurrit ad productionem effectus ſupranaturalis: & hac ratione dicitur actiua. Et ſicut de intellectu ſolet dici, quòd cauſaliter eſt potentia paſsiua, formaliter autem actiua, idem poteſt dici de potentia obedientiali actiua, nempe, cauſaliter eſſe paſsiuam, formaliter verò actiuam.

29 Verum eſt tamen, illud exemplum ex intellectu deſumptum non eſſe in omnibus ſimile, nam cùm intellectus ſit potentia ſimpliciter, habens in ſe innatam actiuitatem, & virtutem, cùm primùm informatur ſpecie intelligibili, per quam conſtituitur in actu primo, per ſuam actiuitatem naturalem concurrit ad intellectionem. Secus autem eſt in potentia obedientiali actiua, quæ cùm non ſit potentia ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, nullam habet actiuitatem innatam, præter illam, quæ ſibi communicatur à Deo, & eā tantùm concurrit ad effectum ſupranaturalem.

30 Sed quia determinatio, & denominatio potentiæ, qualis ſit, debet ſumi per ordinē ad obiectum, & potentia obedientialis primò & per ſe conſtituatur, & ſpecificetur ex ordine ad Diuinam omnipotentiam, ſupra naturæ leges operantem, & reſpectu illius tantùm habeat pati, & nullo modo agere: ideò ſimpliciter appellatur potentia obedientialis paſsiua.

31 Et per hoc diſſoluitur primum argumentum in contrarium propoſitum, tantum enim probat, potentiam obedientialem ſimpliciter eſſe paſsiuam, & cauſaliter, & in hoc ſenſu data eſt illa definitio: ſed non probat, quod formaliter non ſit actiua.

Ad ſecundum iam oſtenſum eſt ſupra Dubio. 1. hu-
32 ius diſputationis, potentiam obedientialem pro formali eſſe aliquid poſitiuum, quamuis connotet negationem repugnantiæ, & reſiſtentiæ omnipotentiæ Diuinæ, tāquam conditionem neceſſariò requiſitam. Ad hoc autem quòd ſit poſitiua, non eſt neceſſe, præhabeat in ſua poteſtate ſupernaturales effectus, ſed quòd dicat ordinem poſitiuum ſuſceptiui ad Diuinam omnipotentiam, & ex ea ſit ſuſceptiua virtutis actiuæ, qua operetur effectus ſupranaturales. Atq; hactenus de hac diſputatione.

Diſputatio ſeptima. §. I.

AD Examinandas rationes D. Thomæ, quas adducit in argumento ſed contra, & in corpore articuli, mouetur præſens dubitatio. Prima autem ratio in argumento ſed contra eſt huiuſmodi.

1 Conueniens eſt, vt inuiſibilia Dei per res viſibiles manifeſtentur; ſed Diuina attributa maximè manifeſtantur per Incarnationem: ergo conueniens fuit Incarnatio. Contra iſtam rationem ſic obijcitur. Signum manifeſtatiuum alicuius debet eſſe notius manifeſtato; ſed hoc myſterium eſt occultiſsimum, & Diuina attributa ſunt illo notiora: ergo hæc ratio inualida eſt.

2 Prætereà contra rationem in corpore articuli adductam, in qua aſſumitur hoc principium, quicquid pertinet ad rationem boni, eſt Deo conueniens: obijcitur; quia ſi eſſet verum illud principium, Deo conueniret ambulare, comedere, eſſe calidum, moueri localiter, &c. Quia hæc pertinent ad rationem boni, quod eſt in homine, vel animali, vel igne, &c.

3 Tertiò. Aſſumit D. Thomas illam propoſitionem Dionyſij: ad naturam boni pertinet ſe alijs communicare: Hæc autem eſt falſa; quia id, quod nullam dicit perfectionem, non eſt de ratione boni: (bono enim nihil poteſt conuenire, quod ſit præter, aut extra latitudinem boni, quod autem nullam continet perfectionem eſt huiuſmodi, cùm bonum, & perfectum ſe mutuò conſequantur) ſed alijs ſe communicare, nullam dicit perfectionem: ergo non eſt de natura boni. Minor probatur: quia aliàs aliquod bonum, imo ipſemet Deus poſſet eſſe ſine aliqua ſui perfectione, quia poſſet non ſe communicare creaturis.

4 Confirmatur primò. Bonum habet rationem finis, non cauſæ efficientis (quia appetibile habet rationem finis, vnumquodq; enim in quantùm eſt bonum, eſt appetibile) ſed communicare ſe alijs, habet rationem cauſæ efficientis: ergo non eſt de ratione boni.

5 Confirmatur ſecundò. Si de ratione boni eſt, vt ſe communicet, ergo in bonis datur proceſſus in infinitum, quod Ariſtoteles, & omnes Philoſophi negant. Probatur: ſi illa res, cui bonum ſe communicat, eſt bona, ergo communicatiua ſui. Similiter bonum communicatum eſſet diffuſiuum, & communicatiuum ſui, & ſic in infinitum: ergo vel deueniendum eſt ad aliquod bonum, quod non eſt communicatiuum, & diffuſiuum ſui, quod eſt contra rationem boni: vel dicendum eſt, illud non eſſe de ratione boni.

6 Confirmatur tertiò. Vel communicare ſe eſt perfectio, vel non. Si non eſt perfectio: ergo non pertinet ad rationem boni. Si eſt perfectio; ergo Deus ab æterno caruit aliqua perfectione non ſe communicando: quod ſimiliter eſt falſum; nam tam perfectus fuit ab æterno, ac fuit poſteà cum incœpit ſe communicare aliàs aliquid, quod eſt Deus, poſſet non eſſe Deus: probatur. Iſta communicatio eſt Deus, nam quicquid eſt in Deo eſt Deus; ſed iſta communicatio potuit non eſſe: ergo aliquid quod eſt Deus, potuit non eſſe.

7 Dices, quòd eſſe communicatiuum, eſt quidem perfectio in Deo, communicare autem ſe ad extra eſt perfectio

perfectio non Dei, sed creaturæ, cui facta est communicatio. Sed contra. Esse communicatiuum est perfectio Dei, ergo communicatio actualis est perfectio Dei: nam esse communicatiuum ideò est perfectio, quia communicatio est perfectio, potentia enim ex suo actu sumit dignitatem, & perfectionem.

8 Confirmatur quartò. Si ad rationem boni pertinet communicare se, aut intelligitur de actuali communicatione, aut de inclinatione, & propensione ad communicandum se, primum dici non potest: quia exercitium actuale non pertinet ad rationem, & essentiam rei, cum sit accidentale: neq; secundum; quia non esset bona consequentia, ex prædicato necessario, cuiusmodi est, esse communicatiuum, aut propensum ad communicationem, inferre actum contingentem, & liberum, qualis est communicare se.

9 Item sequitur, Deum necessariò fuisse incarnatum, quia de ratione boni est habere propensionem ad se communicandum, atq; adeò de ratione summi boni erit habere summam, imò infinitam propensionem: sed infinita propensio habet infinitam vim ad determinandum Deum, vt se communicet: ergo.

9 Præterea. Licet ad rationem boni finiti pertineat communicare se actu, quia perficitur, in quantum reducitur de potentia ad actum: tamē ad rationem summi, & infiniti boni spectare non potest, communicare se aliquo modo creaturis, quia talis communicatio non importat perfectionem respectu Dei, & ad rationem boni, aut summi boni, nequit pertinere nisi quod est bonitas, & perfectio.

10 Quartò obijcitur contra illationem totius rationis. Ex proprietate naturali nequit inferri effectus liber, & voluntarius; sed D. Thomas ex proprietate summi boni naturali, infert istum effectum liberum, & voluntarium Incarnationis Filij Dei: ergo, &c. Minor explicatur, & probatur. Ex ista proprietate naturali summi boni, quæ est seipsum summo modo communicare, tantùm potest inferri, quòd Deus summo modo se ex æternitate communicauerit, suam ipsius essentiam filio communicando, quia ea communicatio ad intra est naturalis, & ita potest colligi ex illa proprietate naturali summi boni: at nulla ratione potest inferri, quòd se ad extra creaturæ communicauerit, quia huiusmodi communicatio ad extra est libera, & ex consequenti ex proprietate naturali inferri non potest.

11 Confirmatur: quia ex hac ratione potiùs videtur concludi necessitas Incarnationis, quàm ipsius conuenientia: quia illud conuenit vnicuiq; necessariò, quod est illi naturale, sed Deus naturaliter est bonus; ergo naturaliter, & necessariò conuenit ei ratio ipsius boni, quæ est, esse communicatiuum sui. Maior patet: quia quod competit vnicuiq; tanquàm prædicatum essentiale, aut tanquàm consequens ad essentiam per modum proprietatis, conuenit naturaliter & necessariò. Consequentia similiter est manifesta, quia si Deo competit secundùm rationem suæ naturæ, communicare se per Incarnationem, non liberè, sed necessariò conueniet illi.

12 Quintò. Hic discursus D. Thomæ similiter procedit, ac si primus parens nō peccasset, sed secluso Adami peccato, non esset conueniens Deum incarnari: ergo ratio est inefficax. Probatur maior: quia tota conuenientia Incarnationis desumitur ex parte ipsius Dei, nulla habita ratione peccati Adæ: ergo procedit, etiam si homo non peccaret. Minor est D. Thomæ artic. 3. huius quæstionis.

Sextò contra id, quod ait D. Thomas in solutione ad 2. nempe, quòd vniri Deo hypostaticè, non est conueniens naturæ humanæ, quod secundùm Gaietanum sic intelligitur; quòd in natura humana non est conuenientia, & aptitudo naturalis ad talem vnionem: est argumentum ex ipsomet D. Thoma, qui in solutione ad primum dixit, mysterium hoc, qua ratione dicit, & includit mutabilitatem, esse conueniens naturæ humanæ, quæ de se est mutabilis: ergo ex mente D. Thomæ in natura humana est aptitudo, & conuenientia ad hanc vnionem. Item infra q. 4. art. 1. expressè docet, in natura humana, quatenus rationalis est, & in peccatum fuerat prolapsa, esse quasdam congruentias, propter quas esset magis assumptibilis à Deo. Tunc sic. Congruentia idem est, quod conuenientia: ergo si in natura humana est congruentia ad istam vnionem, consequenter est conuenientia. Præterea. In natura humana est potentia obedientialis ad istam vnionem, ergo est aptitudo ad illam, & propensio. Antecedens ab omnibus conceditur. Consequentia probatur. Hæc obedientialis potentia est naturalis: ergo est aptitudo quædam naturalis. Patet consequentia; nam quod consequitur ad naturam, & essentiam rei, est quid naturale. Antecedens verò probatur: quia ista potentia consequitur ad ipsam naturam rei: aliàs concedendum esset, aliquid supernaturale nasci simul cum natura, & ad illam consequi. 13

Pro explicatione aduertendum est ex Aristotel. 1. Ethicor. cap. 3. & lib. 2. Methap. text. 15. non esse exigendam in omnibus materijs æqualem certitudinem, & euidentiam Mathematicam; quare cùm rationes naturales hoc tantum mysterium demonstrare non possint, tunc aliqua ratio censetur congrua, & efficax, quæ nonnullam possit probabilitatem conciliare: ita vt proposita homini Ethnico, & infideli, ostendat, hoc mysterium non dedecere Diuinam maiestatem: proposita verò homini fideli aliqualem ei huius tanti mysterij conferat intelligentiam per causas eiusdem, vel effectus. His præmissis sit conclusio. 14

Conclusio. §. II.

DIVI Thomæ ratio in corpore articuli contenta est acutissima, & profundissima, & præstat omnibus alijs, quæ adduci solent ad conuenientiam incarnationis ostendendam. Probatur primò. Illa ratio, quæ procedit per causam, est profundior, & præstantior eâ, quæ procedit per effectum: sed hæc ratio D. Thomæ ostendit conuenientiam Incarnationis per causam, reliquæ vero per effectus: ergo, &c. Minor probatur. Hæc ratio ostendit conuenientiam Incarnationis ex Diuina bonitate, quam assumit pro medio ad id ostendendum: at Diuina bonitas fuit causa Incarnationis, reliquæ verò rationes pro medio assumunt reparationem generis humani, quæ sane fuit effectus Incarnationis, non causa: ergo. 15

Secundò. In hac ratione consideratur Verbum Incarnatum in seipso, & in actu primò, quatenus est bo- 16

bonum

tum quoddam infinitum, & suppositum Diuinum subsistens in duabus naturis, Diuina & humana, & huic Diuino Verbo Incarnato assignatur ratio conuenientiæ Incarnationis in seipso in actu primo. Cæteræ verò rationes considerant Verbum Incarnatum in actu secundo, id est, in suis effectibus, & reddunt rationem conuenientiæ Incarnationis in hac consideratione, ergo hæc ratio est subtilior, & profundior.

17 Tertiò. Ethnici, & infideles conantur probare, Incarnationem vel esse impossibilem, vel dedecere Diuinam maiestatem ex parte ipsius Dei: hæc autem ratio ostendit, Incarnationem esse conuenientem, & decere ipsum Deum; cæteræ vero rationes ostendunt conuenientiam ex parte creaturæ, & redemptionis humanæ: ergo hæc ratio est præstantior ad conuincendos infideles.

18 Quartò. Hæc ratio desumitur ex beneficio vniuersalissimo impenso toti vniuerso, reliquæ verò ex particulari beneficio humanæ naturæ præstito: bonum autem commune, & vniuersale est Diuinius particulari: ergo, &c. Maior probatur ex duabus præmissis assumptis à D. Thoma in sua ratione, in quibus ostendit, hoc mysterium Incarnationis decere, tanquàm conueniens, omnem creaturam, vt disputatione sequente ostendetur. Omnes istæ rationes confirmantur ex illo Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat.* Vbi assignans duas rationes Incarnationis Filij Dei, reddit tanquàm priorem, & præstantiorem, eam, quæ ex amore, charitate, & bonitate Dei desumitur, in illis verbis. *Sic Deus dilexit mundum, &c.* Posteriorem verò rationem & minùs principalem desumit ex hominis reparatione, ibi. *Vt omnis, qui credit, &c.* Quare ratio D. Thomæ, quæ ex parte bonitatis Dei desumitur, omnibus alijs præstat.

19 Sic autem est intelligenda, quod non quidquid pertinet ad rationem boni tanquam prædicatum intrinsecum, & essentiale, aut per modum proprietatis, competit Deo secundùm rationem suæ naturæ, sed quod pertinet ad rationem boni tanquam consonum, & accomodatum, atq; proportionatum ipsi, competit Deo secundùm suam naturam, hoc est, vt consonum suæ naturæ, & secundùm exigentiam naturæ Diuinæ: quod autem sic competit secundùm rationem naturæ, potest liberè conuenire, & non necessariò, sicut ratiocinari, & viuere secundùm regulam rationis competit homini in hoc sensu secundùm rationem suæ naturæ; quia natura rationalis exigit actum ratiocinandi, & vitam conformem rectæ rationi, & tamen neutrum est prædicatum essentiale, nec passio respectu hominis, nec conuenit ipsi necessariò, sed liberè.

Solutio argumentorum. §. III.

20 AD Primum igitur argumentum Respondetur; illam rationem D. Thomæ procedere, supposita fide, nam eò ipso quod lumine fidei cognouimus Deum Incarnatum, continuò maximè manifestantur attributa Dei.

21 Ad secundum Respondetur: ex his, quæ bona sunt, quædã esse simpliciter, & absolutè bona, quæ in quocumq; inueniantur, bona sunt, vt intelligere, & velle: alia verò sunt bona, non quidem simpliciter, & absolutè, sed in ordine ad particularem naturam, vt ambulare, comedere, & moueri localiter, quæ vniuersis non conueniunt, sed aut homini, aut animali, aut cœlo. Vtraque bona conueniunt Deo, diuersimodè tamen, nam priora conueniunt illi formaliter, posteriora verò eminenter: & secundùm hanc rationem vniuersaliter est vera propositio D. Thomæ, quicquid pertinet ad rationem boni, conuenire Deo, vel formaliter, vel eminenter.

Secundò Respondetur cum Caietano: propositionem D. Thomæ esse intelligendam de eo, quod pertinet ad rationem boni absolutè, non de eo, quod spectat ad rationem talis, vel talis boni, nempe, ignis, vel hominis. Vnde licèt esse calidum sit de ratione talis boni, puta, ignis: non tamen est de ratione boni absolutè. Et similiter ratiocinari, estò sit de ratione boni in homine, nõ est tamen de ratione boni absolutè: communicare autem se alijs, est de ratione boni absolutè, & sic optimè sequitur: ergo conuenit Deo, qui est ipsamet essentia bonitatis. 22

Sed replicatur. Communicatio, quæ conuenit bono absolutè, est naturalis, & necessaria, nam consequitur intrinsecè ipsam essentiam, & naturam bonitatis: sed communicatio per Incarnationem est libera, & spontanea; ergo non pertinet ad essentiam, & naturam bonitatis Diuinæ, & ex consequenti nequit ex ea colligi, conueniens fuisse Deum Incarnari. Respondetur, communicationem sui pertinere ad rationem boni tanquàm actum maximè conformem inclinationi boni. Vnde sicut est duplex boni inclinatio, altera naturalis, qualè omnes res habent, altera libera, qua solùm gaudent prædita voluntate: sic etiam duplex est communicatio conueniens bono: altera naturalis, altera verò libera. Et sicut in Deo est duplex inclinatio, quatenùs est summum bonum, altera naturalis, & altera libera: sic etiam est duplex summa communicatio huic duplici inclinationi respondens, altera naturalis, qua se ab æterno per generationem communicauit, altera verò libera, qua se per Incarnationem communicat. Quomodò autem per Incarnationem Deus se summo modo communicet, explicabitur Disp. 8. sequente. 23

Ad tertium: aduertendum est ex Caietano, quòd bonum se in alia diffundere, est quidem bonum, & perfectio quædam, non tamen existens in ipso bono, sed in re, cui communicatur, quia est actio transiens. Verùm tamen hæc externa communicatio est signum, quòd ipsum bonum, quod communicatur, seu diffunditur, habet in se abundãtiam bonitatis, & perfectionis, quoniam in hac externa communicatione bonorum tria considerantur. Primum est, potentia, seu facultas, qua se potest communicare: secundum est voluntas se communicandi (si bonum, quod diffunditur, liberum sit) tertium est ipsa actualis, & externa communicatio: duo priora, certissimum est, dicere perfectionem, in bono, quod diffunditur existentem; & si de Deo sermo instituatur, ab æterno fuerunt in ipso, quia ab æterno habuit facultatem, & voluntatem se creaturis communicandi, quæ cum sit ipsa Diuina essentia, maxima, & summa perfectio est. Cæterùm ipsa exterior communicatio neque est in Deo, neque est perfectio ipsius Dei, sed est in creatura, & est perfectio illius, cui Diuina bonitas communicatur. Ex hoc enim, quod Deus creatu- 24

ris

ris suam impartitur bonitatem, non perficitur, sed potiùs ipsæ creaturæ.

25 Sed contra hoc est argumentum. Deus liberè se communicauit creaturis, ergo potuit non velle se cõmunicare. Ergo potuit non habere volitionem, qua se voluit communicare: sed ista volitio est Diuina perfectio, quia est formaliter in Deo; ergo potuit Deo deesse aliqua perfectio earum, quas nunc habet. Caietanus 1. p. q. 19. art. 2. inquit, volitionem, qua Deus vult alia à se, & qua vult alijs se communicare, esse quidem perfectionem propter rationem dictam, quia est in Deo formaliter, esse tamen liberam perfectionem, & voluntariam, non naturalem, & ideo non esse inconueniens, quòd Deo possit deesse perfectio libera, & voluntaria, ex quo nulla in Deo sequitur imperfectio.

26 Hæc tamen Caietaui solutio non placet alijs interpretibus D. Thomæ, quia licèt sit verum, carentiam perfectionis liberæ, & voluntariæ, non esse imperfectionem, est tamen minor perfectio: quia si hæc perfectio libera, & voluntaria addatur perfectionibus naturalibus, maior efficitur cumulus perfectionum: quare si Deus posset carere ista perfectione, posset esse minùs perfectus, quàm modò est.

27 Ad argumentum ergo secundum Respondetur, in hoc, quod est, Deum se creaturis cõmunicare, duo esse consideranda. Vnum est ipse actus Diuinæ voluntatis, quo voluit se in tempore creaturis cõmunicare: qui actus, cùm sit in Deo, & sit ipsa Diuina essentia; est summa perfectio, & naturalis. Alterum est respectus, & habitudo Diuinæ volũtatis ad tale obiectum, cui Deus se communicat. Ista igitur habitudo, & respectus, neque est perfectio, neque imperfectio, & si aliquam perfectionem dicit, eam constituit in creatura, ad quam terminatur, non autem in Deo: atque adeò potest Deus isto respectu, & habitudine carere, non tamen illo absoluto, quod in ipsa habitudine intelligitur, cùm sit Diuina essentia, quæ est summa, & naturalissima perfectio.

28 Prima confirmatio petit explicationem difinitionis boni, traditæ à Diuo Dionysio, cap. 4. de Diuinis nominibus, quam explicat D. Thom. 1. p. q. 5. art. 4. dicens, hanc communicationem, & diffusionem boni esse referendam ad genus causæ finalis, non tamen efficientis; ait enim. Bonum est diffusiuum sui eo modo quo finis dicitur mouere: finis autem mouet finaliter ad agendum; ergo bono conuenit hac ratione, esse diffusiuum sui, atq; adeò concurrit finaliter ad sui desiderium, & appetitionem. Cæterum lib. 1. contra Gent. cap. 37. causalitatem boni refert ad genus causæ efficientis, quia vnumquodq; agendo communicat alijs suam bonitatem: quare ratio boni consistit in diffusione sui in alia, agendo, & Deus creando, & efficiendo, se ad extra communicat, ad intra verò, producendo Diuinas Personas.

29 Sed hæc lis facilè potest ex distinctione componi, aut enim est sermo de ratione, & causa, quare bonum sit sui ipsius diffusiuum: aut in quo genere causæ se diffundat, cùm se communicat actu. Si loquamur de causa, & ratione, nulla est secundùm rem, quia tam immediata est hæc propositio, bonum est diffusiuum sui, sicut ista, homo est animal rationale. Vnde solùm habet causam, & rationem secundùm nostrum modum intelligendi. Hæc autem est, esse finem, & esse appetibile; ex eo enim quòd intelligimus, bonum esse appetibile, intelligimus esse communicatiuum sui, & diffusiuum. In secundo verò sensu affirmandum est, quòd licèt bonum sit communicabile, ex eo quòd est finis: ipsa tamen actualis communicatio semper prouenit ab ipso bono in genere causæ efficientis, quia est actio transiens.

30 Ad secundam confirmationem negatur, in bonis inter se ordinatis dari processum in infinitum, quia licet omne bonum sit communicatiuum sui, non tamen omne bonum est communicatiuum sui in genere causæ efficientis, sed in alijs etiam generibus causarum, vt patet de materia, & forma, ex qua parte potest dari status. Secundò Respondetur, rationem boni non consistere in actuali communicatione sui, sed in potentiali: id est, vt possit se alijs communicare; vt animal non dicitur perfectum, ex eo quòd sibi simile generat, sed quia potest sibi simile generare.

31 Ad tertiam confirmationem Respondetur; Deum communicare se, dicere perfectionem, sed indè non sequitur, Deum posse carere aliqua perfectione: nam communicare se, sumitur actiuè, vel passiuè. Si passiuè, sic non est perfectio communicantis, sed eorum, quibus se communicat. Vnde non sequitur, Deum ex æternitate caruisse aliquã perfectione, sed creaturas. Et nihilominùs sic etiam spectat ad rationem boni, de cuius ratione est communicare se alijs, non vt ipsum sit melius, sed vt alia per ipsum perficiantur, vt patet in sole, & igne, & alijs, &c. Si verò sumatur actiuè, sic communicare se, licèt sit perfectio communicantis, saltem in Deo, in quo actio à sua substantia non differt; non tamen addit perfectionem supra id, quod est esse communicatiuum. Quare neque sic concedendum est, Deum caruisse ab æterno aliqua perfectione, quoniam estò ab æterno decreuisset non producere mundum, nihilominùs tam perfectus esset, sicut modò est.

32 Ad illud vero argumentum; ergo aliquid est Deus, quod potuit non esse Deus: negatur consequentia, & ad probationem, scilicet, ista volitio communicandi se creaturæ potuit nõ esse, sed ista volitio est Deus, ergo aliquid quod est Deus, potuit nõ esse Deus. Resp. Mutari quale in quid, quia in maiori est sensus, quòd volitio cõmunicãdi se creaturæ, sub illa formalitate, & habitudine ad creaturas, potuit non esse, & in consequenti fit sensus, quòd aliqua substantia, quæ est Deus, potuit non esse. Si dicas. Illa volitio communicandi se est Deus, ergo necessariò fuit talis volitio. Negatur consequentia: estq; instantia. Deus est creans, ergo necessariò est creans, non valet. Quicquid igitur realitatis, & perfectionis est in illa volitione communicandi se, non potuit non esse in Deo: at verò illa habitudo, & respectus rationis, quem connotat pro formali ad creaturas ad extra, potuit non esse.

33 Ad quartam confirmationem Respondetur, illam propositionem intelligi non solùm de propensione, aut inclinatione ad se communicandum, sed etiam de actuali communicatione. Ad impugnationem dicitur; exercitium actuale attinere ad rationem, & essentiam rei, non tanquàm prædicatum intrinsecum, aut proprietatem consequentem essentiam, sed vt consonum,

&

Digitized by Google

& proportionatum, atq; accommodatum ipſi eſſentiæ: etenim cùm bonum ex ſententia Dionyſij ſit ſui ipſius diffuſiuum, & communicatiuum, ideò communicare ſe pertinet ad rationem boni tanquam ipſi conſonum: ſicut ex hoc quod homo ſit ratiocinatiuus, vel intellectiuus, rectè infertur, quòd actu ratiocinari, aut intelligere, ſit conſonum ſuæ naturæ.

34 Ad alteram partem confirmationis Reſpondetur negando ſequellam, quia illa infinita propenſio ſub ordinatur, noſtro modo intelligendi; ſapientiæ, & libertati Dei, & ideò noſtro intelligendi more, determinat Deum liberè, & non neceſſariò: ſicut dici ſolet de infinita vi, & potentia actiua, quæ eſt in Deo, & gradu gratiæ habitualis, qui emanat ex gratia vnionis.

35 Ad vltimam partem Reſpondetur, quòd communicare ſe alijs, non pertinet ad rationem boni tanquàm prædicatum intrinſecum ipſi bono, ſed tanquàm actus bonus, conſonus, & connaturalis ac proportionatus ipſi naturæ, & eſſentiæ boni, & ideò non eſt neceſſarium, quòd importet perfectionem in ipſo bono, ſed ſufficit, quòd ſit talis actus, qualem exigit ipſa natura boni: ſicut dicimus eſſe liberali conſonum, & conſentaneum, benefacere alijs, quamuis ex eo ipſe liberalis nullam acquirat perfectionem, quia id poſtulat ratio, & natura liberalitatis. Itaq; communicare ſe alijs, pertinet ad rationem boni, non quia communicanti afferat perfectionem; ſed quia eſt conſentaneum naturæ boni, & propriæ eius inclinationi, qua fertur non ſolùm in propriam vtilitatem, & commodum, ſed in aliorum quoq; perfectionem. Imò quãtò aliquid magis eſt bonum, & perfectum, tantò magis inclinatur ad communicandum alijs ſuam perfectionem. Ex quo principio probauit D. Thom. 1. p. q. 19. art. 2. & 1. contra Gent. cap. 75. Deum non ſolùm ſe amare, & velle, ſed alia extra ſe: quod optimè explicat Ferrarienſis ibidem.

36 Sed replicatur. Qualitates ſecundæ vt V. g. durities, &c. Sunt bonæ & perfectæ, in ſuo genere, & tamen cùm non ſint actiuæ, ſe alijs communicare nõ poſſunt; ergo. Reſpondetur, ad naturam boni abſolutè, & in communi ſolùm pertinere, quòd ſe communicet eo modo, quo poteſt, nempe, aut effectiuè, aut formaliter, aut alio quouis genere cauſæ. nam & D. Thomas 1. 2. q. 1. art. 4. diffinitionem boni à Dionyſio traditam, ſcilicet, bonum eſt diffuſiuum ſui, in genere cauſæ finalis docet interpretandam. Sat ergo eſt, vt prædictæ qualitates ſint bonæ, quòd poſſint ſe alijs in genere cauſæ formalis communicare.

37 Ad quartum Reſpõdet Caietanus. D. Thomam non collegiſſe liberum, & contingens ex naturali, & neceſſario, ſed commune ex eo, quod etiam eſt commune, & vniuerſale: nam in antecedente aſſumpſit cõueniens eſſe bono, ſe in alia diffundere, ſiue naturaliter, ſiue liberè, ſi enim agens ſit naturale, communicabit ſe naturaliter: ſi verò liberum, liberè & contingenter. ex quo antecedenti collegit hoc conſequens: conueniens eſt Deo ſe actu communicare, ſiue naturaliter, ſiue liberè.

Hæc ſolutio Caietani vera eſt, ſed non videtur ad mentem D. Thomæ: quia non intulit ex natura boni actum liberum in Deo ſe communicandi, ſed potiùs ex naturali proprietate boni intulit naturalem Dei proprietatem: nam ex eo, quòd eſt conueniens bono, ideſt, conforme, & connaturale ipſi, ſe in alia diffundere, intulit, hoc ipſum eſſe conueniens, ideſt, connaturale, & conforme ipſi Deo. Vnde quamuis ipſa actualis communicatio Dei ad extra ſit libera: hoc tamen, quod eſt, huiuſmodi communicationem eſſe conuenientem, conformem, & connaturalem ipſi Deo, non eſt liberum, ſed neceſſarium: quemadmodum operari ſecundùm virtutem, ſi in actu ſumatur; eſt homini liberum: ſi verò accipiatur ſecundùm conuenientiam & conformitatem, eſt ipſi neceſſarium: ita vt licèt ipſa actualis operatio ſtudioſa ſit libera: tamen ipſam eſſe connaturalem, & conformem ipſi homini, non eſt niſi neceſſarium. Vnde D. Thomas non quidem liberum, & contingens ex naturali, & neceſſario, ſed conueniens ex conuenienti, & neceſſarium ex neceſſario intulit.

Ad confirmationem Reſpondetur: Licèt ſit verum, quod eſt rei naturale, conuenire illi neceſſariò quantùm ad poteſtatem, non tamen eſſe ſemper verum quantùm ad actum. V. g. eſſe diſcurſiuum, & volitiuum naturaliter conuenit homini, diſcurrere verò & velle, non niſi liberè, atque ita in præſenti, licèt eſſe communicatiuum competat bono naturaliter, communicare verò ſe actu, non conuenit bono ſemper naturaliter, ſed vel naturaliter, vel liberè ſecundùm naturam ipſius boni: ſi enim bonum eſt agens naturale, vt Sol, & ignis, naturaliter ſe communicat. Si verò eſt agens liberum, vt homo, non ſe communicat alijs naturaliter, ſed liberè. Et Deus ſimiliter, cùm ad intra operetur naturaliter, & neceſſariò, naturaliter ſe communicabit ab æterno producendo filium; & Spiritum ſanctum. Ad extra verò non agit naturaliter, ſed liberè, & ita non ſequitur, vt naturaliter ſe communicet, ſed accomodatè, & conſentaneè ad ſuam naturam, per quam agit ad ſui communicationem, agit autem ad extra liberè: & ſic liberè ſe communicat. Agit verò ad intra naturaliter, & neceſſariò, & ſic naturaliter, ſe communicat.

Ad quintũ Reſpondetur: quod ſi homine non peccante Deus fuiſſet Incarnatus, hac ratione etiam tunc temporis oſtenderetur cõuenientia Incarnationis. Cæterum quia Deus noluit hoc ſummum Incarnationis bonum mundo impendere, niſi humanæ reparationi connexum, vt colligitur ex Sancta ſcriptura, & conſtabit artic. 3: ideò ſi homo non peccaſſet, Deus minimè fuiſſet Incarnatus.

Ad ſextum Reſpondetur, D. Thomam in reſponſione ad 1. loqui de mutabilitate in genere, & in communi, quæ quidem conuenit naturæ humanæ ſecundùm ſuam rationem, Deo tamen nulla ratione conuenire poteſt, & ideò hæc vnio, quatenus dicit mutabilitatem in genere, eſt conueniens naturæ mutabili. In ſolutione autem ad ſecundum loquitur D. Thomas de hac mutabilitate in ſpecie ad vnionẽ perſonalem filij Dei. Vnde hæc vnio quatenus dicit mutabilitatem in indiuiduo, nempe, quòd natura humana fuerit eleuata ad eſſe Diuinum, non eſt conueniens ipſi naturæ per aliquam potentiam paſſiuam, vel aptitudinem naturalem, quæ ſit in ipſa natura ad talem mutabilitatem.

Aliter explicat Caietanus. D. Thomam: ait enim, eſſe diſcrimen in his modis loquendi. Non eſt conueniens Deum incarnari ex parte naturæ humanæ, ſed ex parte ipſius Dei, negatiuè: affirmatiuè autem ex parte ipſius naturæ

naturæ est inconueniens. Prior modus est verus, posterior falsus. Et ideò primum concedit D. Thomas, secundum negat. Ratio primi est, quia illud est alicui cōueniens, quod illi competit secundùm suam naturam; sic enim calor dicitur conuenire igni: sed Incarnatio non cōuenit naturæ humanæ, neque alicui alteri creaturæ secundùm suam naturam, quia in nulla creatura reperitur naturalis inclinatio ad vnionem, sed duntaxat iuxta Dei omnipotentiam. Ratio secundi est, quoniam licèt in creatura non reperiatur naturalis inclinatio ad vnionem, non tamen est ad illam repugnantia, sed potentia obedientialis, & ita ex parte sui neque est conueniens, neque inconueniens, sed tota conuenientia desumitur ex parte bonitatis Dei. Ad illud ex q. 4. dicitur, eo loco expressè dicere D. Thomam, in natura humana non esse aptitudinem, neque potētiam passiuam ad talem vnionem. Ex quo apertè colligitur, nomine cōgruentiæ aliud quidpiam intellexisse D. Thomam, quàm aptitudinem naturalem. Vult ergo dicere, quòd supposita possibilitate huius mysterij, quæ est supra naturam, & innititur omnipotentiæ facientis, sunt multæ congruentiæ, propter quas potiùs assumatur natura humana, quàm alia natura creata. Quomodò autem congruentia distinguatur à potentia obedientiali, dicetur infra. q. 4. art. 1. Quid verò sit obedientialis potentia, & An sit naturalis, vel supranaturalis, ostensum est supra Disput. 6.

OCTAVA DISPVTATIO.

VTRVM Incarnatio sit summa communicatio Dei ad extra ex possibilibus creaturæ.

1 Ratio dubitandi est, quia si omnes tres Personæ Diuinæ assumerent eandem humanitatem, esset maior vnio, & communicatio Dei ad creaturam. Item si Verbum Diuinum assumeret omnes humanitates, & vniuersas creaturas in seipsis, esset maior communicatio Dei. Rursus. Si virtute huius vnionis omnes homines vnirentur Deo vinculo charitatis, & gloriæ, esset maior communicatio: ergo ista non est maior omnibus.

2 Confirmatur; quia communicatio, qua ad intra Pater æternus cōmunicat se verbo, est summa, ac proinde maior hac. Dices, hîc esse sermonem de communicatione Dei, non ad intra, sed ad extra. Contra: si ista communicatio ad extra est summa, ergo respectu actionis ad extra datur aliquod opus, in quo Diuina potentia fuerit exhausta.

3 Confirmatur secundò: quia communicatio facta creaturæ in visione clara Dei, & per gratiam est maior ista: ergo, &c. Probatur antecedens. Ista communicatio est maior, quæ à creatura est magis appetibilis, & eligibilis, sed appetibilius est creaturæ videre Deum clarè, quàm ei hypostaticè vniri: ergo est maior communicatio videre Deum. Probatur minor: in visione Dei clara consistit vltima beatitudo; sed nihil est appetibilius vltima beatitudine: ergo est maior.

4 Pro huius difficultatis enodatione aduertendum est, Deum duobus modis posse suam perfectionem creaturis communicare: vno modo producendo in creaturis similia bona his, quæ ipse habet in se, quod facit, vel naturaliter, quatenùs producit perfectiones naturales omnium creaturarum, quæ sunt similitudines, seu participationes bonitatis, & perfectionis Diuinæ, vel supernaturaliter, vt producit in creaturis rationalibus dona supernaturalia gratiæ, & virtutum infusarum, & gloriæ. Secundo modo potest Deus se creaturis communicare, non quidem producendo similitudines, & participationes suorum bonorum, sed dando realiter bona sua, id est, vniendo seipsum creaturis secundùm subsistentiam, ita vt verè sint creaturæ Deus, & Deus creaturæ. Dixerim secundùm subsistentiam, quia est impossibile, Deum se creaturis communicare secundùm essentiam, quia Diuina essentia solùm communicatur Personis ad intra procedentibus. Hoc supposito sit conclusio.

Hic modus vnionis, & communicationis Diuinæ subsistentiæ est summus, & maximus ex possibilibus creaturæ. Probatur; quia in alijs modis, quod Deus communicat, est quid creatum, & finitum, nempè esse naturale per creationem, vel supranaturale gratiæ, & gloriæ per iustificationem: in hoc verò quod communicat, est infinitum, & increatum, nempe, esse Diuinum, & propria personalitas, & est totus Deus, quantus est. Item in alijs communicat se Deus per similitudinem, vel in ratione obiecti, vt creaturæ ipsum videant, & contemplentur. At verò in hoc modo communicat se creaturæ, non solùm vt ab ipsa videatur, sed etiam vt sit idem esse Dei & creaturæ. Et ideò licèt per communicationem bonorum naturalium dicantur omnes creaturæ à Deo originē ducere iuxta illud Actor. 17. *Ipsius & genus sumus:* & similiter estò propter bonorum supranaturaliūm communicationem creaturæ rationis participes dicantur Filij Dei iuxta illud Ioan. 1. *Dedit eis potestatē filios Dei fieri, &c.* Nihilominùs tamen propter Incarnationem effectum est, vt homo verè & realiter sit Deus, quo nihil maius esse, neque ex cogitari potest. 5

6 Est tamen obseruandum, non sine causa asseruisse D. Thomam in conclusione, huiusmodi communicationem Dei esse summam ex possibilibus creaturæ, & non homini, quia Deus non solùm homini, verùm etiam omni creaturæ per Incarnationē summo modo se communicauit. Etenim licet homo sit vna species creaturæ ab alijs distincta, continet tamen omnium creaturarum perfectionem, & in ipso congestum est, quicquid per partes alijs creaturis fuerat distributum, & ideò à Philosophis vinculum naturæ, & microcosmos, idest, minor mundus est appellatus, quia constat ex natura corporea, & incorporea, & in ipso est quædam totius vniuersi expressa imago, vt affirmat Damascenus oratione de Transfiguratione Domini: & Picus Mirandulanus in oratione de hominis dignitate, & in libello de opere sex dierum: constat enim ex omni creata natura, intelligente, sentiente, vegetante, & corporea. Et ob hanc causam homo in Sacra scriptura appellatur omnis caro, & omnis creatura. Isaiæ 40. *Videbit omnis caro salutare Dei.* Et Marci vltimo. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Idest, homini, vt explicat D. Gregor. Quare vniens se Deus humanitati, non vnam solam naturam Deificauit, sed vniuersas naturas quodammodò sibi specialiter copulauit. Quod testatur Paul. ad Ephes. 1. Vbi de Christo loquens ait. *In quo instaurauit omnia, quæ in cœlis, & quæ in terris sunt.*

Dicuntur

Digitized by Google

7 Dicuntur autẽ omnia in Christo instaurata, siue recapitulata, quia cùm omnia in natura humana, quasi in summa contineantur, assumpta hac natura à Verbo, omnes aliæ res veluti in summam redactæ, illi censentur coniunctæ. Et propterea Isaias hortatur cap. 45. & inuitat omnes creaturas, vt producat, & germinet Saluatorem, cùm inquit. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra & germinet Saluatorem.* Quia in generatione Saluatoris omnium creaturarum sanctificatio, & Deificatio continetur. Et Ioan. 3. amori totius mundi tribuitur Incarnatio Verbi. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret.* Vbi obseruat Caietanus, Euangelistam consultò non dixisse, sic Deus dilexit hominem, sed mundum, vt significaret, Deum factum fuisse hominem, non solùm vt suam nimiam charitatem erga humanum genus ostenderet; verùmetiam erga totum vniuersum in ipso homine contentum. Ad idem pertinet nomen, quo Patres Græci solent hoc mysterium appellare, illud enim vocant, AEconomiam, vt constat ex Nazianzeno oratione 42. & Iustino in Fidei expositione. Est enim AEconomia quasi vniuersalis dispensatio; per Incarnationem autem toti vniuerso prouisum est, quatenùs cedit in totius vtilitatem, & commodum: licèt hoc etiam ratione humanæ Redemptionis veritatem habeat, quod prædicti Patres potius attendisse videntur.

8 Est tamen obseruandum, singulas creaturas non ita perfectas dici per Incarnationem Verbi, quasi in seipsis acquisierint nouam perfectionem, vel nouum modum essendi: sed quia, cùm omnes secundùm aliquid sui in homine existant, in aliquo eleuantur, eò ipso quòd natura hominis assumitur à Verbo. Etenim non solùm dicuntur esse in homine, quia habent esse, quod etiam est in homine, sed quia si spirituales, & intellectuales sunt, hoc in homine est secundùm mentem: si corporeæ, homo similiter est corporeus, si viuentes, aut sentientes, homo etiam vitæ, & sensus est particeps. Cùm igitur habeant aliquid in homine, ideò in aliquo perficiuntur, ex assumptione hominis ad esse Diuinum.

9 Hæc de creaturis seorsum intelligenda sunt, nam de toto vniuerso alia est ratio, acquirit enim in se maximam perfectionem, per hoc quòd Verbum caro factum est, quia quoddam admirabile indiuiduum verè & realiter intra vniuersum continetur, ex quo totum vniuersum perfectius est. Etenim sicut ex productione nouæ speciei, & præstantissimæ naturæ, aut indiuidui vniuersum integratur, perficitur, & completur; ita similiter maxime melioratur per hoc, quòd Christum intra se contineat. Hanc dignitatem insinuat Ioan. cap. 1. dicens. *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit.* Idest, qui creauit mundum, in mundo continetur, & eam dignitatem mundus non cognouit. Hac ratione vtitur D. Athanasius libro de Incarnatione, & prosequitur eam exemplo Regis, qui eam Ciuitatem Dignificat, quam specialiter sibi in habitaculum elegit, præsertim si pars illius efficeretur.

10 Sed contra prædictam doctrinam est argumentum. Sequitur, hanc summam communicationem Diuinæ personæ, principaliùs fuisse ordinatã in exaltationem, & perfectionem totius vniuersi, quàm in hominis excellentiam. Probatur sequella: quia salus hominum etiam ex intentione Christi ordinatur in bonum vniuersi: ergo hoc est principaliter intentum.

Confirmatur primò: quia homo, & eius perfectio continetur in vniuerso, sicut pars in toto: Ergo Deus vtrumque intendens, principaliter tendit in bonum vniuersi, quod habet se, vt totale & vniuersale bonum. 11

Confirmatur secundò: quia bonum, quò est vniuersaliùs, eò est præstantius, & diuinius, vnde & bonum gentis dicitur excellens, & Diuinum, vt docet D. Thomas ex Aristot. art. 4. huius quæstionis; ergo bonum vniuersi superat bonum hominis, & ex consequenti principaliùs intenditur à Deo. Idem etiam colligitur ex adducto Ioan. loco cap. 3. vbi quòd credant homines, & credentes salui fiant, in bonum totius mundi perhibetur. Et ideo ait. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suũ Vnigenitum daret, vt omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* 12

Caietanus in commentario huius articuli, & super illud Ioan. 3. Sic Deus dilexit, &c. Opinatur, Incarnationem principaliùs ordinari in excellentiam totius vniuersi. Sed oppositum videtur verius, quia sacræ literæ, & concilia semper dicunt, Christum venisse in salutem hominum, & rarò loquuntur de toto vniuerso; quod certè non esset, si bonum vniuersi principaliùs intenderetur à Christo, quàm hominum reparatio. Et profectò incredibile est, passionem & mortem Christi potiùs in bonum mundi, quam in hominum reparationem ordinari: & sacramenta potissimùm institui in bonum vniuersi. 13

Ad argumentum ergo Resp. Salutem hominis non ordinari ex intentione Christi in bonum vniuersi, quia perfectio vniuersi non est finis formaliter, & directè intentus per Incarnationem, sed consequenter tantùm: non quòd per accidens se habeat, sed quia sequitur ex illo, quod Deus principaliter intẽdebat, & quia illud vult quasi voluntate quadam vniuersali, & communi, quam habet in omnibus operibus, omnia enim opera Dei in perfectionem naturæ cedunt. Exemplum est, cùm Deus modò producit hominem, principaliùs intendit hominem facere, & speciem humanam conseruare. Quòd autem vniuersum indè perfectum, & pulchrum perseueret, consequenter se habet. 14

Ad vtramq; confirmationẽ patet solutio: non enim intendit Deus in Incarnatione bonum vniuersi, & salutem hominũ eodẽ modo: quòd si bonũ gentis est diuinius, illud idẽ Christus intẽdebat, bonũ autẽ vniuersi, quod est ordinis naturæ, in multis exceditur à bono gratiæ, quòd à Christo processit. Et D. Ioãnes per mũdũ intelligit hominem, vt patet ex verbis sequentibus. *Vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, &c.* 15

Postremò aduertendum est, Deum nõ solùm in humanitate assumpsisse omnes creaturas, sed etiã omnes passiones, & omnia mala pœnæ, quæ in vita hominis inueniuntur, ita vt illa deificauerit, & sanctificauerit, & Deificando effecerit, vt nobis videantur non solum lenia, verùm etiã dulcia, & suauia, vt inquit Damascenus loco citato. Vnde Paul. ad Rom. vltimo, postquàm ostẽdit, magnã nos habere causam gloriandi, propterea quòd natura nostra per Incarnationẽ sit ad esse Diuinũ euecta, & eleuata, subdit. *Non solùm autẽ, sed & gloriamur in tribulationibus nostris.* Ac si diceret, 16

Digitized by Google

non solùm Christus humanitate assumpta effecit, vt possimus gloriari, quòd Deus sit homo, sed etiam pœnis & passionibus nostris assumptis præstitit, vt sint nobis suauia, & gloriatione digna. His igitur de causis hæc Dei communicatio dicitur, & est summa omnium creaturæ possibilium.

17 Ad rationem dubitandi Resp. Solùm probare, quamlibet earum communicationem Dei esse maximam extensiuè, quàm sit communicatio Incarnationis, non autem esse perfectiorem, conuenientiorem, & simpliciter maiorem; quia non est sermo hic de quantitate extensiua, sed de quantitate perfectionis, virtutis, & conuenientiæ: & in hoc sensu absolutè, & simpliciter est maior, quoniam in cæteris semper reperitur aliquod inconueniens, quod Deum dedecet. Infra q. 3. Constabit, non fuisse conueniens, quòd alia Persona, præter Verbum, humanitatem assumpserit, neque fuisse conueniens, quòd aliqua alia natura, nisi humanitas assumeretur, & hæc non in omnibus indiuiduis, sed in vno duntaxat. Denique D. Thomas 1. p. q. 23, artic. 6. Probauit, esse inconueniens, quòd vniuersi homines saluarentur, quia in humano genere multæ deessent virtutes, quæ ex peccato occasionem habent.

18 Ad primam confirmationem Respondetur, D. Thomam hic fuisse loquutum de communicationibus ad extra. Neque est inconueniens concedere, in aliquo effectu particulari nihil posse fieri à Deo melius, & nobilius secundùm aliquam considerationem. Vnde natura humana, etiam de potentia absoluta, non potuit ad nobilius esse, nec ad nobiliorem personalitatem eleuari, quàm ad Personam, & esse Verbi Diuini: nam talis Persona est infinita. De quo legendus est D. Thomas. 1. p. q. 25. art 4.

19 Ad secundam confirmationem Respondetur: Hanc communicationem esse perfectiorem, quàm quæ fit per visionem beatificam, quia in ista communicat Deus bonum finitum, in illa verò bonum infinitum, & increatum, vt iam dictum est in conclusione. Vnde ex hac communicatione veluti ex radice & causa dimanat communicatio per visionem beatificam, id est, eò ipso, quòd aliqua natura esset vnita hypostaticè Deo, veluti per naturalem resultantiam esset grata Deo, & videret Deum. Si autem argumentum aliquid probat, est, visionem beatificam secundùm quid esse præstantiorem hac communicatione. De quo infra. q. 4. art. 1.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm fuerit necessarium ad reparationem generis humani Verbum Dei Incarnari.

HACTENVS D. Thomas ostēdit conuenientiam Incarnationis ex eius causa, quæ est Diuina bonitas, in hoc articulo ostendit eiusdem conuenientiam, & necessitatem ex effectibus, quos Verbum Dei Incarnatum in mundo operatū est. Est autem quæstio specialior, quàm præcedens, & quia apponitur finis, ratione cuius dicitur necessaria Incarnatio, & quia quæstio est de necessario, quod se habet per additionem ad conueniens, & ex consequenti est inferius: quicquid enim est necessarium, est conueniens, & non è contra: nam cōueniens fuit Christum in carne assumpta multa pati, quod tamen non fuit necessarium. Addit autem necessarium supra conueniens immutabilitatem: necessarium enim est idem, quod non potens aliter se habere. Vnde rectè obseruauit Caietanus, illam particulam in titulo articuli positā, nempe, ad reparationem generis humani, additam fuisse hic, & non in titulo præcedentis articuli, quia D. Thomas ibi de Incarnationis conuenientia absolutè disputabat, non respectu huius, vel illius rei, seu ad hoc, vel ad illud. In præsenti verò de necessitate Incarnationis non absolutè disputat, sed in ordine ad hunc finem, nempe, ad reparationem generis humani. Præterea non inquirit hoc loco D. Thomas, An fuerit necessarium ad reparandum genus humanum, Deum Incarnari, sed interrogat, An fuerit necessarium Verbum Dei Incarnari, vt significaret hanc humanæ naturæ reparationem solùm esse per vnam personam effectam. Ratio verò est in promptu: quia cùm hæc reparatio facta sit per satisfactionem pro peccato, & satisfactio non sit facta à tota Trinitate, sed ab vna duntaxat persona, nempe, à Diuino Verbo: hinc fit, vt humani generis reparatio fit à Verbo Dei personaliter effecta, & vt hoc indicaret D. Thomas, dixit, Verbum, & non Deus. In corpore præmissa distinctione de necessario simpliciter, & ad esse, vt cibus ad vitam: & de necessario tantùm ad bene esse, vt equus ad iter, Respondet D. Thomas duplici conclusione. Prima.

Non fuit simpliciter necessarium ad reparationem humanæ naturæ, Verbum Incarnari. *Probatur, quia cùm Deus sit Omnipotens, multis alijs modis poterat genus humanum reparare: sicut sola sua voluntate illud ex nihilo condidit, sic eâdem sola voluntate poterat reparare. Secunda conclusio.*

Ad reparationem generis humani fuit necessarium secundùm quid, Verbum Incarnari. *Idest, conuenientiùs multò & meliùs per Incarnationem Verbi humana natura est reparata, quàm alia quāuis viâ, & modo. Hæc probatur in litera decem rationibus, quarum quinque explicant, ac declarant bona, quæ nobis ex tali medio contigerunt: quinque verò, mala, à quibus per tale medium liberati sumus. Et primò confirmatur authoritate D. August. 13. de Trinit. cap. 10.*

Digitized by Google

cap. 10. dicente, non defuisse alium modum, sed non fuisse congruentiorem. Secundò, quia fuit conueniens ad promouendum in bonum. Et primùm, quantùm ad fidem, quæ certificatur, dum Deo loquenti credit. Deindè quantùm ad spem, quæ maximè erigitur ex hoc, quòd Deus nostræ naturæ se vniuit. Rursus quātùm ad charitatem, quæ ex dilectione Dei in nos maximè excitatur. Præterea, quantùm ad rectam operationem, in qua nobis exēplum dedit, vt homo haberet, quem sequeretur. Et tādem ad plenam participationem Diuinitatis factus est Deus homo, vt homo fieret Deus. Item fuit necessarium ad remouendum malum: quia primùm instruitur homo, nè sibi diabolū præferat, qui fuit author peccati. Deindè cognoscit, quanta sit dignitas naturæ, ne eam peccando inquinet. Item ad tollendam hominis præsumptionem, dū cognoscit nullis meritis præcedentibus in homine Christo gratiā Dei in nobis commendari: item ad hominis superbiam deprimendam per tantam Dei humilitatem: & postremò, vt homo redimeretur à pœna peccati. Concludit igitur D Thomas, infinita esse alia bona, quæ nobis ex Verbi Incarnatione promanarūt, quæ omnia ita in litera sunt perspicua, vt nulla indigeant explicatione.

Est primum argumētum D. Thom. Per assumptionem carnis nullam perfectionem, vel potentiam acquisiuit Verbum, sed Verbum Incarnatum potuit hominem lapsum reparare, ergo & non Incarnatum, ergo ad illum finem non fuit necessaria Incarnatio. Respondet D. Thomas: Hoc argumentum procedere de necessario, sine quo finis haberi non potest, atque adeò probare primam conclusionem.

Secundum argumentum est contra secundam cōclusionē. Purus homo potuit satisfacere pro culpa, ergo non fuit necessaria satisfactio Christi, ac proinde neq. Incarnatio. Respōdet D. Tho. Distinguendo antecedent. Purus homo potest satisfacere perfectè, idest, secundùm quandam adæquatam rationem, & recompensationem offensæ, sic antecedens est falsum, quia vt satisfactio sit sufficiens, & perfecta, debet habere quādam efficaciæ, & valoris infinitatem: quia peccatum, pro quo satis fit, habuit etiam quandam infinitatem; tum ex parte naturæ, quæ per ipsum corrupta est, quatenùs in ea possunt supposita in infinitum multiplicari: tum etiam ex parte infinitæ maiestatis Diuinæ, contra quam fuit commissa offensa: sed omnis actio puri hominis est finiti valoris, & efficaciæ, ergo perfectè nequiuit satisfacere. Imperfectè verò potuit purus homo satisfacere, & sic conceditur antecedens, & negatur consequentia: quia decuit, vt satisfactio esset perfecta, in qua omnis alia imperfecta satisfactio fundaretur, quia omne imperfectum præsupponit aliquod perfectum, cui innitatur.

Tertium argumentum est. Ad salutem hominum præcipuè pertinet, Deum revereri: sed maior reuerentia exhiberetur Deo, si esset omninò à sensibus hominum remotus: ergo non decuit similem illi fieri per carnis assumptionem. Respondet, Dei maiestatem per carnis assumptionem nullo modo diminui, & ex consequenti neq. reuerentiam, imò verò augeri per maiorem cognitionem ipsius, quæ aucta est, quatenùs nobis appropinquauit. Hæc D. Thomas.

Commentarius.

1 PRIMA Conclusio est certissima, & fidei Catholicæ maximè consentanea, quia licèt in Scriptura expressè non inueniatur, ibi tamen virtute continetur. Etenim in omnibus testimonijs, in quibus Incarnatio Verbi tribuitur gratiæ, & misericordiæ Dei, apertè insinuatur, non esse simpliciter necessariam, sed ex mera benignitate, & voluntate Dei: atque adeò ipsum Deum non necessariò, & quasi coactum, sed liberè & spontaneè hominem redemisse: ideò in sacris literis reparatio hominis, & Incarnatio dicuntur opera pietatis, & misericordiæ, quæ liberè & non necessariò fiunt. Hieremiæ 31. *Charitate perpetua dilexi te, miseratus tui, &c.* Et 1. Ioan. 4. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quia Filium suum Vnigenitum misit in mundum.* Et ad Ephes. 1. Opus instaurationis appellatur beneplacitum Dei, beneplacitum autem non debet esse necessarium, sed liberum. Et modus operandi ipsius Dei hanc veritatem maximè confirmat, qui omnes effectus ad extra liberè, & non necessariò producit. Et huiusmodi est Incarnatio Verbi, & hominum reparatio.

2 Vnde D. Thomas. 1. p. q. 19. artic. 3. Probat Deum non velle alia à se necessariò, quia nihil aliud à Deo habet necessariam connexionem cum vltimo fine, qui est Diuinæ voluntatis obiectum. Quare cùm Incarnatio, & salus hominis nullam habeant necessariam connexionem cum Diuina bonitate, quæ est Diuinæ voluntatis obiectum; imò verò cùm natura humana peccato esset infecta, potiùs recessum, & vindictam postulabat, quàm accessum Dei per carnem, & Redemptionem, nequit esse necessaria simpliciter, neque à Deo necessariò volita. Idem confirmat illud Isaiæ. 52. *Gratis venundati estis, & sine argento redimemini.* Hoc est, liberè, & gratiosè, quia iustè detinebamur captiui, & nullis præcedentibus meritis ex parte nostra, quæ Deum obligarent, sed potiùs peccatis, quæ in vindictam excitarent. Et ideò continuò subiungit peccata populi dicens. *Dominatores eius iniquè agunt, & iugiter nomen meum tota die blasphematur inter gentes, propterhoc sciet populus meus in die illa, &c. Quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum.* Quasi diceat nō propter ipsos, qui maximis

peccatis sunt implicati, sed mea pietate, & clementia. Eandem conclusionem recipit D. Augustin. lib. 13. de Trinit. 3. 10. 13. & 18. & lib. de Agone Christi. cap. 11. ait. *Sunt stulti, qui dicunt, non poterat aliter sapientia Dei hominem liberare, nisi susciperet hominem.* Idem docet D. Gregor. lib. 17. Moral. cap. 18. & lib. 24. Moral. cap. 2. & Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis parte. 8. cap. 10. Et Leo Papa serm. 2. de Natiuitate cap. 3. *Verax, inquit, misericordia Dei, cùm ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa suppeterent, hanc potissimùm consulendi viam elegit, qua ad destruendum opus Diaboli non virtute vteretur potentiæ, sed ratione iustitiæ.* Item est communis omnium Theologorum consensus cum Magistro in 3. d. 20.

3 Et probatur ratione, quia Deus est liberi arbitrij; omnium Dominus, Iudex supremus, & simul pars offensa, contra quem commissa erat iniuria; ergo potuit liberare genus humanum alijs medijs, siue gratis condonando culpam, siue acceptando satisfactionem, quæ à pura creatura poterat exhiberi, sicut de facto satisfactionem Christi perfectam, & rigorosam admittit sine vllius præiuditio, aut læsione iustitiæ: vbi enim nullus est iniustum patiens, nullus est iniustum faciens: sed si absque satisfactione perfecta, aut sine vlla satisfactione Deus peccata hominibus remitteret, nullus esset iniustum patiens, ergo neque vlla iniustitia: vt enim habetur. 5. Ethic cap. 9. volenti nulla fit iniuria.

4 Secundò, Deus iustissimè potuit genus humanum propter peccatum perpetuò damnare, ergo non fuit necessarium illud à peccato eripere. Consequentia patet, & antecedens probatur: quia nequiuit genus humanum offerre pro offensa & culpa contra Deum cõmissa satisfactionem, quam Deus ex iustitia admittere teneatur, vt infra dicemus; sed quandiù non offertur pro offensa alicui facta satisfactio iusta, potest ille, cõtra quem est commissa, non remittere, ergo etiam potuit Deus humanum genus in peccato relinquere.

5 Tertiò. Homines modò iustificantur omninò gratis, quantùm est ex parte iustificati, quia Deus applicat, quibus vult, Christi satisfactionem gratis. ergo poterat sine Christo similiter applicare hominibus Redemptionem, & satisfactionem factam per aliquam creaturam, & condonare peccata. Antecedens est D. Pauli ad Roman. 3. *Iustificati gratis, &c.* Probatur consequentia. Quia quicquid Deus facere potest cum causa secunda efficiente, se solo efficere potest.

6 Sed contra istam rationem est argumentum desumptum ex D. Thoma in Responsione ad 2. vbi ait: Omne imperfectum præsupponit perfectum, cui innitatur, & à quo sustentetur. Ergo sine satisfactione Christi nulla est satisfactio, etiam imperfecta. Resp. D. Thomam esse intelligendum de facto, & secundùm congruentiam, non tamen de possibili. Si autem obijciatur D. Thomas, qui vtitur sermone vniuersali, omne imperfectũ, &c. Quo dat intelligere, esse habitudinem essentialem, & necessariam imperfecti ad perfectum, ita vt sine illo esse non possit, imo nec intelligi.

7 Resp. Quòd imperfectum indigere perfecto, dupliciter intelligitur, vno modo quantùm ad definitionem, alio modo, quantùm ad existentiam. Priori modo semper imperfectum indiget perfecto, quia per habitudinem ad illud debet definiri. Posteriori modo indiget illo de facto, & regulariter, non autem de possibili, quia non repugnat imperfectum existere, perfecto non existente, & supplente alio vicem perfecti. V. g. accidens est ens imperfectum, & ideò indiget perfecto sustentante, nempe, substantia, quantùm ad definitionem necessariò, quia inhærentia aptitudinalis est de sua essentia: sed quantùm ad existentiam, de facto indiget illa, quia re vera accidens semper est in substantia, non tamen de possibili, vt constat in Sacramento altaris. Eodem modo in præsenti, satisfactio imperfecta realiter & de facto supponit perfectam: sed non de possibili. Vnde D. Thomas intelligit, realiter, & de facto imperfectum supponere perfectum, quantùm ad existentiam, quod satis explicat illud Verbum, à quo sustetetur, quod manifestè denotat existentiam realiter.

Sed aduersus cõclusionem sunt quædam argumenta. Primum est; si Deus alio modo reparasset lapsum hominis, fuisset in Deo aliquid indecens, nempe, aliquid iniustum, hoc tamen non est dicendum: ergo, &c. Probatur maior: quia Deus non solùm erat offensus, verum etiam Iudex, ad quem pertinet, nullũ malum impunitum relinquere. 8

Confirmatur primò: quia homo peccauit contra Deum, ergo iustum erat, vt homo satisfaceret: sed alio modo nisi per Incarnationem satisfacere non poterat; ergo præsupposito peccato simpliciter fuit necessaria Incarnatio. 9

Confirmatur secundò: quia derogat Diuinæ bonitati, hominem perpetuò in peccato relinquere: ergo tenetur eum per Incarnationem redimere. Antecedens probatur ex D. Athanas. lib. de Incarnatione Verbi parùm à principio, vbi ait. *Indecorum & absurdum esse, indignumque Diuina bonitate, atque indecẽtissimum non reparare hominem lapsum, sed deserere eum, vt in perpetuum pereat.* Et ad eundem ferè modũ loquitur Anselmus lib. 1. Cur Deus homo cap. 4. 10

Secundùm. Hæc reparatio fieri non potest per liberam condonationem offensæ, quia Deus hominem lapsum reparare nequit violando Diuinam iustitiam, at si liberaliter condonaret peccatum, Diuina iustitia maximè violaretur, quia homo, qui peccando abstulit Deo debitũ honorẽ, impunitus relinqueretur: ergo, &c. 11

Confirmatur; quia Deus est fidelis, & seipsum negare non potest, item est iustus secundùm illud. *Iustus Dominus & iustitias dilexit, &c.* Sed Diuina fidelitas & iustitia dictant, quòd absque satisfactione offensa non remittatur, ergo sine illa nequit offensa facta remitti. Sed purus homo satisfacere non poterat ad æqualitatem: ergo fuit simpliciter necessarium Deum fieri hominem ad satisfaciendum. 12

Confirmatur secundò. Quia vnum contrarium non expellitur nisi alio contrario; ergo inæqualitas, quam induxit peccatum, excludi non potest sine satisfactione, & æqualitate perfecta. 13

Confirmatur tertiò. Quia satisfactio imperfecta dederet ipsum Deũ, cuius perfecta sunt opera: ergo simpliciter fuit necessaria Incarnatio. Antecedens patet ex D. Cyrillo lib. 1. Thesauri cap. 7. vbi ait opus Dei fore imperfectum, & ipsum indecens, si aliter, quàm per Incarnationẽ hominẽ repararet. Et ratio fauet: quia neque Deo redderetur æquale, neque homo satisfaceret plene, 14

neq;

neq; ad plenum repararetur: etenim hominis reparatio intelligi non potest sine eo, quòd homo in pristinum statum restituatur, hæc autem restitutio sine æqualitate, quæ antea erat inter Deum & hominem, non intelligitur: Quare necessariò Verbum debuit assumere carnem.

15 Tertium. Hominem reparari nihil aliud est, quàm in pristinam dignitatem restitui; sed pura creatura nõ potest hominem restituere in eam dignitatem, in qua conditus est, quia in eo felici statu non erat seruus alicuius creaturæ: at Redemptus, vt sic, est seruus eius, per quem Redimitur, vel reparatur, ergo si homo esset reparatus per aliquam creaturam, esset seruus illius, ac subinde non esset restitutus in pristinam dignitatem, & ex consequenti non esset redemptus.

16 Quartum. Inimicus Dei ipsi reconciliari non potest nisi facta priùs satisfactione ad æqualitatem, sed hæc fieri non potuit, nisi Deus Incarnaretur, vt infra constabit; ergo, &c. Maior probatur: quia dum non soluit totum debitum, adhuc est debitor, & inimicus, est enim iniustus, qui non satisfacit secundùm iustitiam.

17 Quintum. Deus nequit velle, nisi id, quod est conuenientius ad finem intentum; sed medium Incarnationis ad finem præintentum reparationis humani generis est absolutè conuenientius, vt constabit Disput. 1. ergo supposita intentione finis redemptionis humani generis, nequiuit velle aliud medium. Maior patet, quia eligere medium minùs conueniens, cùm possit eligi conuenientius, est contra prudentiam: minus enim cõueniens comparatione magis conuenientis, est disconueniens: sed Deus qui est ipsa prudentia, nequit facere contra prudentiam, ergo neque eligere medium minùs conueniens.

18 His argumentis motus D. Anselm. lib. 1. Cur Deus homo cap. 5. 13. 24. & 25. & lib. 2. cap. 3. 15. & 16. Existimat hunc modum liberandi hominem à peccato per Incarnationem, esse simpliciter necessarium. In eadem sententia est Richardus de Sancto Victore, lib. de Incarnatione cap. 8. & alij Patres, huic sententiæ fauere videntur: vt Chrysostomus homil. 10. in Ioan. dicens. *Cecidit natura nostra eo modo, vt restitui nullo pacto posset à quocumq; nisi ab illa omnipotentissima manu, neque enim aliter restitui poterat, nisi qui in principio eam effinxit, manum porrexisset.* Et Vigilius lib. 5. contra Euthychet. circa finem ait. *Non aliter fieri potuit, nisi talis mediator existeret.* Item Proclus Cizicenus homilia de Christi Natiuitate, quæ habetur in Concilio Ephesino tomo 4. cap. 7. *Vnica, inquit, hæc restabat mali solutio.* Ambros. ad Hæb. 9. ait. *Tantum fuit peccatum nostrum, vt saluari non possemus aliquando, nisi vnigenitus Filius Dei moreretur pro nobis.* Et Leo Papa epist. 81. *Quæ, inquit, reconciliatio esse poterat, qua humano generi propitiaretur Deus, nisi omnium causam mediator Dei, hominumq; susciperet?

19 Sed hæc sententia, quorumcunq; sit, meritò ab omnibus reijcitur, etsi nonnulli eos Patres benigniùs interpretentur, vt loquantur de necessitate ex suppositione, nempe, quòd supposita ordinatione, & promissione Diuina liberandi genus humanum per Verbi Incarnationem, non poterat aliter fieri. Vel si loquantur de necessitate absoluta, sic sunt intelligendi, quòd ad reparandum genus humanum perfecta, & adæquata satisfactione, necessarium fuerit simpliciter Verbum Incarnari. Et vtrumq; verum est, ratio primi est, quia supposita Diuina ordinatione non poterat homo aliter saluari, neque Deus poterat non conferre illi hoc beneficium. Ratio secundi est, quia satisfactio perfecta debet fieri ex proprijs ipsius satisfacientis, at purus homo nequiuit ex proprijs habere principium satisfaciẽdi, quod est gratia, & charitas, quæ sunt Diuini ordinis, & nulli puræ creaturæ, sed soli Deo connaturales: quare Deus, & homo debuit esse, qui ex proprijs charitatem haberet, vt per illam satisfaceret.

Et in hoc conueniunt omnes Theologi in 3. d. 20. & Sancti Patres. Agapitus Papa in epistola ad Antimũ. Anacletus Papa epist. 1 decreta. Leo Papa serm. 14. & 10. de Natiuit. & serm. 7. & 8. de Epiphania, & serm. 8. quadragesimæ, & serm. 1. & 11. de Passio. & epist. 13. 81. & 95. quibus locis negat per hominem purum posse nos redimi, seruato iure æquitatis, & perfectæ iustitiæ. Legendus est etiam Athanasius lib. de Incarnatione Verbi circa principium, & libro de Humanitate Verbi ante medium, & sermone de Cruce & Passione Domini. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. de Fide ad Reginas cap. Quod per Christi sanguinem Redempti sumus. Irænęus lib. 3. cap. 20. & 21. Iustinus Martyr in expositione fidei. Cyrillus Hierosolimitanus Catheches. 13. Eusebius 4. Demonstrat. cap. 10. Theodoret. Dialogo. 2. Damascenus lib. 3. cap. 15. & 19. Chrysostom. homil. 20. in Ioan. Augustinus in Inchirid. cap. 108. & lib. 9. de Ciuit. cap. 17. Ambrosius lib. 4. in Lucam. Cyprianus serm. de Passione Domini. Hilarius lib. 9. de Trinit. Fulgentius de Incarnatione & gratia cap. 4. Vigilius lib. 5. contra Eutychet. Et Anselmus lib. 1. Cur Deus homo à cap. 10. & deinceps. Et Richardus de Sancto Victore lib. de Incarnatione Verbi cap. 8. 20

Cæterùm quia argumenta proposita neutrum ex his sensibus intendere videntur, sed primum, nempe, Incarnationem fuisse simpliciter necessariam ad hominem redimendum, ita vt Deus nullo alio modo, & via illum posset reparare, quod iam ostensum est, esse falsum, ideò soluenda sunt. 21

Ad primum Respondetur, esse discrimen inter supremum Iudicem, & alios, quantò enim Iudex est superior, tantò faciliùs potest aliquod crimen impunitum relinquere, ac dimittere, præsertim si sit contra seipsum, & absque vlla satisfactione ex misericordia condonare, & ob id Christus solitus erat sic peccata dimittere, dicens. *Vade, & noli ampliùs peccare.* Cùm ergo Deus sit Iudex omnium supremus, potuisset quidem sine Incarnatione alio modo peccato mederi. 22

Argumentum autem procedit de Iudice, qui non sit supremus. Et per hoc patet ad primam confirmationem: quòd poterat Deus alio modo oportunum huic malo adhibere remedium, vt latiùs ostendetur ad secundum. 23

Ad secundam confirmationem negatur antecedens, & ad D. Athanas. Resp. Quòd ex affectu Diuinæ pietatis, atq; amore succẽsus erga mysterium Incarnationis, plùs æquo exagerauit necessitatem reparationis. Hoc ergo tanquàm certum supponendum est, nihil posse indecorum, aut absurdum à Deo esse 24

 volitum.

volitum. Quare cùm Deus liberè hominem repararet, quem poterat damnare, nullo modo dicendum est, quòd fuerit absurdum, hominem non reparare, nisi ex nimio amoris affectu intellectus præoccupetur. M. Suarez in hoc articulo Disput. 4. Sectio. 1. Sic explicat Athanasium, vt non intelligatur, futurum fuisse indecens contrariè, seu priuatiuè, si Deus noluisset hominem reparare, quia cùm Deus ad hoc non teneretur, neque homine indigeat, nihil faceret indebitum, aut indecens, etiam si omnes homines sine remedio relinqueret, sed dicitur interdum hoc fuisse indecens negatiuè, idest, non ita conueniens, neq; Diuinæ bonitati satis consentaneum.

25 Ad secundum argumentum Respondetur; aliud esse, Deum posse reparare hominem lapsum absque vlla prorsus satisfactione; aliud verò reparare hominem lapsum, illi liberaliter peccatum condonando. Quamuis igitur non sit possibilis reparatio hominis lapsi etiam de potentia Dei absoluta absque vlla prorsus satisfactione; est tamen possibilis per liberalem condonationem peccati. Ratio est: quia secundùm D. Thomam repugnat, hominem lapsum reparari, nisi per conuersionem ad Deum, quæ fit per gratiam, quæ sola reparat ruinam supranaturalem. Hæc autem conuersio habet aliqualem rationem iustitiæ, licèt imperfectam, quæ auersioni respondet: tum etiam, quia per eandem recompensatur Deo aliqua ratione honor per peccatum ablatus. Cæterùm cum hac imperfecta ratione iustitiæ optimè stat liberalis peccati remissio, & condonatio; quia liberalis condonatio duntaxat opponitur perfectæ iustitiæ, qua Deo offenso, & irato fit satis adæquatè & perfectè, non tamen opponitur imperfectæ iustitiæ, qua Deo imperfectè satisfit, & ex eius acceptatione: secundùm quam fit, vt reddatur bonum, si non æquale, saltem sufficiens ei, quod fuerat per peccatum ablatum. Sed contra solutionem obijcitur.

26 Vnus homo potest alteri remittere offensam absq; vlla prorsus satisfactione, & absque hoc, quòd conuertatur, & doleat de offensa: ergo idem poterit Deus cum homine lapso, atque adeò non solùm erit possibilis reparatio hominis lapsi absque perfecta iustitia, & satisfactione, sed etiam absque imperfecta, quæ fit per conuersionem. Antecedens ab omnibus conceditur, & probatur consecutio: quia nulla videtur repugnantia dicere, quòd sicut manente in homine offensa potest homo offensus illi reconciliari, & eam offensam remittere, imo verò sua bona illi conferre; sic etiam Deus manente in homine culpa & offensa, poterit illi remittere omnem pœnam, & illum ad summum bonum sibi communicandum ordinare.

27 Respondetur; diuersam esse rationem de offensa homini facta, vel Deo. Etenim offensa Deo illata, si sit mortalis, naturâ sua est priuatio rectitudinis institiæ debitæ inesse actui humano, & naturâ sua est priuatio summi boni sibi communicati. Quo fit, vt manente homine in culpa & offensa, neque possit illa remitti, neque similiter condonari reatus, & obligatio ad pœnam saltem Damni. Ratio primi est, quia Deum placari, seu reconciliari homini, est ipsi remittere culpam, & offensam, remittere autem culpam, est ipsum per gratiam ad summum bonum sibi communicandum ordinare. Repugnat autem, quòd summi boni actualem habenti priuationem, qualem habet, qui est in culpa, summum bonum communicetur, sicut repugnat, lumen in aere recipi manentibus tenebris; ergo repugnat, Deum remittere culpam, ipso homine in culpa manente. Ratio secundi est: quia homine in culpa perseuerante, licet pœna sensus illi condonari possit: quòd tamen reatus, & obligatio ad pœnam Damni remittatur, intelligi non potest: cùm hæc pœna sit Diuinæ visionis carentia, & qui est in peccato mortali semper maneat auersus à Deo, ac subinde semper habeat carentiam Diuinæ visionis. Offensa verò homini illata, quia naturâ sua non est priuatio illorum bonorum, quæ ab ipso homine prouenire possunt; & pœnâ similiter, quæ illi respondet, prout à tali homine pronenire nata est, non est naturalis, sicut est pœna, quæ offensæ Deo illatæ respondet, sed libera, & voluntaria; ideò potest homo offensus offendenti reconciliari, eique omnem pœnam remittere, imò illi sua bona communicare, offensore perseuerante in sua culpa & offensa. Legendus est D. Thomas. 1. 2. q. 113. artic. 2. & ibidem M. Medina Dubio. 1. & M. Zumel Disput. 2.

Ex quibus constat, quòd licèt non repugnet, reparari hominem lapsum absque perfecta satisfactione iustitiæ, atq; adeò non fuerit Verbi Incarnatio ad hunc finem simpliciter necessaria: repugnat tamē sine imperfecta satisfactione iustitiæ, quæ in eo posita est, vt homo per conuersionem in Deum aliquo modo ipsi Deo recompenset honorem, quem abstulerat peccando: quod sanè in adultis sine propria operatione fieri non potest, in paruulis verò baptizatis fit per conuersionem in Deum per modum habitus. Itaque liberalis condonatio peccati non excludit omnem iustitiam, quæ potest esse hominis ad Deum, sed perfectam duntaxat excludit, non tamen imperfectam, vt latius videbimus disputatione.14. huius articuli: & per hoc patet responsio ad primam, & secundam confirmationem. 28

Ad tertiam Respondetur, nullum opus Dei posse dici imperfectum, quamuis vnum sit alio præstantius: non enim omnia opera illius sunt æqualia. Et D. Cyrillus explicandus est sicut D. Athanasius. Rationi autem dicitur; quòd homo repararetur per hoc, quòd gratiam perditam recuperaret, siuè hoc, siuè illo modo fieret. Neque hominis reparatio in eo consistit, quòd fiat æqualitas inter ipsum & Deum: sed in eo potiùs, quòd in pristinum statum restituatur. Verum est tamen, quòd iniuria nōn repararetur sicut modò, quia Deo ad æqualitatem nō satisfieret, nisi Deus fieret homo: posset tamen liberè condonare iniuriam, & absque mediatore illam remittere. 29

Ad tertium falsum est, quòd reparare hominem lapsum, sit illum ad pristinam dignitatem perfectè restituere: aliàs non esset homo perfectè redemptus, & reparatus per Christum, quia non est restitutus ad iustitiam originalem, in qua conditus fuit. Dicendum ergo est, quòd reparare hominē lapsum nihil aliud est, quàm illum à peccato, in quo est, liberare, modo sibi conuenienti: quare sicut homo perfectè reparatus est per Christum, quia liberatus est à peccato per Christum, 30

quamuis

quamuis passiones & pœnalitates ad exercitium, & meritum relinquantur; quia hoc erat homini conueniens: sic etiam si Deus per aliquam creaturam hominem lapsum repararet, esset etiam reparatio, & redemptio, quamuis illa seruitus sibi ad meritum relinqueretur, quia hoc esset sibi conueniens.

31 Verum est, quòd si fiat sermo de redemptione perfecta, & quæ ex vi iustitiæ exigit libertatem, talis reparatio hominis per creaturam non esset in rigore redemptio, quia nõ fieret medio pretio: & ideò si Christus non intercederet vt redemptor, & vt pretium, non redimeretur homo perfectè. Vnde Augustinus in Psal. 130. *Ille solus, ait, potuit redimere, qui per pretium non potuit in seipsum vendere.* Et Ambros. super. 1. ad Corint. 7. *A nullo redimi potuissemus, nisi à solo Christo, qui omnium Deus est.* Idem docet Basilius homilia in Psalmum. 48. circa illud, Qui confidũt in virtute sua: vbi ait, quòd captiuo opus est pretio. Et subdit, solum Christum pro nobis propitiationem dare potuisse. Quòd si in hoc sensu procederet Anselmus, vera esset eius sententia. Legendus est D. Thomas in. 3. dist. 20. q. 1. art. 4.

32 Ad quartum negatur maior, quia potest inimicus reconciliari ex mera gratia Dei volentis condonare iniuriam sibi factam. Etenim sicut debitor duplici modo liberari potest ab obligatione iustitiæ, qua debitũ creditori persoluere tenetur, nempe, aut reali debiti solutione, aut liberali creditoris condonatione: sic etiam offensor ab obligatione qua ex iustitia personæ offensæ satisfacere tenetur, potest dupliciter liberari: vel condigna satisfactione exhibita, vel gratuita personę offensæ remissione: ex hoc enim præcisè quòd persona offensa iniuriam offendentis remittat, ei reconciliatur, neq; ampliùs offensor debitor, aut inimicus manet.

33 Ad quintum Resp. Deum liberè, & non necessariò eligere id, quod est conuenientius, atq; adeò optimè eligere potest id quod est minùs conueniens ex obiecto, sicut & potest facere id, quod secundùm rationem obiecti est minùs bonum & perfectum. Ad probationem dicitur, quod minùs conueniens, aut minùs bonũ comparatione magis conuenientis, & boni non habet rationem disconuenientis, & mali positiuè, nec priuatiuè, sed negatiuè tantùm: id est, non tam boni, aut cõuenientis: quod nõ obstat, quominùs Deus possit illud & eligere & facere propter rationes, quibus sua sapientia, aut gloria manifestatur. Neq; est contra prudentiã eligere medium minùs conueniens relicto conuenientiori ad finem aliquem comparandum, quando illud minùs conueniens est simpliciter conueniens & sufficiens in ordine ad finem intentum. Et tunc illud medium conueniens dicitur cõuenientius ex parte operãtis, siue ex parte modi operandi, quia procedit ex maiori prudentia.

34 Respondetur secundò, quod licet esset imprudentia in homine medium minùs conueniens relicto conuenientiori, quia opera hominis, vt rectè fiant, debent per ipsum obiectum extrinsecum regulari; vnde si mediũ ex ipsa obiecti ratione est conuenientius; regula prudentiæ dictat, vt ab homine eligatur: cæterùm operationes Dei, vt rectæ sint, non debent per obiectum extrinsecum, sed per suammet voluntatem velutì per regulam intrinsecam regulari: operatur enim omnia secundùm consilium voluntatis suæ. Eò ergo ipso quòd Deus aliquod medium eligit, conuenientissimũ est, nõ quidem ex obiecto, sed ex parte operantis, quia magis voluntati ipsius Dei conformatur. Quo sensu intelligendum esse, Deum omnia optimo, & conuenientissimo modo fecisse, nec potuisse meliùs fieri omnibus pensatis, docet D. Tho. 1. p. q. 25. art. 6. sicut ergo; quia Deus de facto decreuit hominem ex iustitia perfecta reparare, conuenientissimum fuit medium, quod elegit, nempe, Incarnari: sic etiã si voluisset ex mera gratia, & pura misericordia hominem liberare, conuenientissimum medium tunc foret gratuita peccati condonatio.

35 Circa secundam Conclusionem D. Thomæ aduertendum est, Petrum Abaylardum, referente Diuo Bernardo Epistola. 190. in ea fuisse hæresi, vt diceret Verbum Diuinum sumpsisse carnem humanam, non ea necessitate & conuenientia, vt hominem à peccato liberaret, & à Dæmonis seruitute in Christianam libertatem vindicaret: sed ea duntaxat ratione, vt nos doctrina, & exemplo instrueret, atq; erudiret. Itaque Christus sua passione, & morte nihil aliud effecit, quàm charitatis, humilitatis, patientiæ, aliarumq; virtutum documentum, & exemplum, quod imitaremur, præbere. Hunc errorem desumpsit iste Abaylardus à Pelagianis, qui cùm negent in nobis peccatum originale, & affirment nos auxilio Diuinæ gratiæ ad iustificationem nostram non egere, sed naturæ viribus posse iustificari: consequenter asserunt, genus humanum non indiguisse reconciliatione cum Deo, neque liberatione à Dæmonis captiuitate, atque adeò Christi Incarnationem solum fuisse necessariam, & conuenientem ad nostram instructionem, & ad maiorem operandi facilitatem.

36 Istam hæresim acerrimè impugnat D. Augustinus Epistola. 3. ad Volusianum, vbi probat Christum venisse in mundum, non solum vt legislatorem, & exemplar, quod in virtutibus sequamur, sed etiam vt redeptorem peccatorum, vt sanctificatorem animarum, vt satisfactorem plenissimè pro humani generis debito. Et præterea lib. contra Iulianum, & lib. de perfectione iustitiæ. Et lib. 1. de peccatorum meritis, & remissio. Ferè per totum, maximè cap. 17. plura congerit testimonia ex sacra Scriptura. Et idem facit D. Bernardus loco citato. Hæc vero sunt apertoria. Matth. 26. ait Christus, *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Et. 2. Corint. 5. *Cum adhuc essemus peccatores, reconciliati sumus Deo per sanguinẽ Christi.* Et. 1. ad Corint. 6. *Empti enim estis pretio magno.* Et. 1. Petri. 1. *Nõ corruptibilibus auro & argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* Denique illa omnia munera, ad quæ obeunda, & perficienda venis Christus, explicuit Paulus. 1. ad Corinth. 1. dicens. *Christus factus est nobis sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio.* Dicitur factus sapientia, quia doctrina & exemplo suo docuit nos omnia ad salutem necessaria. Iustitia, quia reconciliatio hominis cum Deo per Christum effecta est, non quidem ex mera misericordia, & gratia, sed ex perfecta iustitia. Sanctificatio,

quia omnet dispositiones ad gratiam, & ipsam eãdem gratiam, qua sanctificamur, plenissimè nobis meruit. Taudem dicitur factus redemptio, quia libertas nostra à Dæmonis captiuitate, licèt vi, & potentia à Deo fieri potuisset, facta tamen est per Christum persoluto perfectissimè pretio. Præterea definita est hæc veritas in Concilio Tridentino Sess. 6. cano. 21. Legendus est Castro, Verbo Christus, hæresi. 8. & Driedo toto ferè libro de Captiuitate & Redemptione generis humani.

37 Ratio verò, quæ id efficaciter ostendit, sumitur ex ipsa natura peccati, quoniam peccatum mortale naturá sua est inimicitia quædam hominis cum Deo, est similiter traditio eiusdem hominis in Dæmonis potestatem, & est mortalis ægritudo hominis: ergo vt fiat perfecta separatio hominis à peccato, primò debet esse reconciliatio cum Deo; secundò, liberatio hominis à potestate Dæmonis. Tertiò; Sanitas animæ. Et quia in anima nulla est alia ægritudo, nisi ignorantia in intellectu, & malitia, vel infirmitas in voluntate; sanitas animæ debet fieri per sapientiam in intellectu, & per sanctificationem in volũtate. At Christus Dominus sua passione & morte perfectè reparauit genus humanum: ergo Diuini Verbi Incarnatio non solùm fuit necessaria, & conueniens ad nostram instructionem, & doctrinam, verùmetiam ad redemptionem, sanctificationem & iustificationem nostram. Legendus est D. Ambrosius lib. de Dominicę Incarnationis Saetamento cap. 6. & D. Augustinus duobus libris de Incarnatione tomo 4. & lib. 13. de Trinitate à cap. 9. & deinceps, præsertim cap. 10. 13. & 17. & lib. 11. de Ciuita. cap. 2. & 3. & lib. de Cathechizandis rudibus cap. 4. D. Anselmus lib. de Incarnatione Verbi, & duobus libris, Cur Deus homo. D. Cyrillus in expositione Canonis Ephesinæ Synodi, & in Apologetico contra Episcopos Orientales, & habetur in. 1. tomo conciliorum in. 1. Synodo Constantinopolit. D. Fulgentius tribus libris ad Receesuinthum Gothorũ Regem, Richardus de Sancto Victore lib. de Verbo Incarnato cap. 8. & sequentibus. D. Thomas. 4. contra gent. cap. 54. & 55. & in hac. 3. p. q. 48. art. 1. & 2. Magister in. 3. d. 20. & ibidẽ Theologi: vbi eadem quæstio sub nomine passionis Christi disputatur.

38 Cæterùm hæc quæstio commodiùs differitur in præsentia ante illum locum, tũ, quia magis necessaria fuit filij Dei Incarnatio, quàm eius passio ad reparationem generis humani: nam Verbum Incarnatum per quamcumque operationem citra mortem, & passionẽ pro hominibus satisfacere poterat: tum etiam, quia Incarnatio, & passio differunt sicut præparatio victimæ, & eius immolatio: Incarnatio enim est præparatio, & aptatio hostiæ immolandæ Iuxta illud D. Pauli ad Hebræ. 10. qui loquens de Christo ait. *Ideò ingrediens mundum dicit, hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.* Passio verò est ipsa mactatio victimæ, quare priùs est instituenda quæstio de necessitate hostiæ præparandæ, quàm de necessitate immolationis. His suppositis ad disputationes progrediamur.

PRIMA DISPVTATIO. §. I.

1 CIRCA secundam Conclusionem D. Thomæ Dubitatur, vtrùm homo conuenientiùs fuisset reparatus per misericordiam, quàm per iustitiam: & probatur, quòd meliùs redimeretur per misericordiam.

Primò. Conueniens est, hominis reparationem fieri per opus Dei cæteris excellentius, siquidem reparatio hominis fuit opus excellentissimum, sed miseratio Dei est opus Dei cęteris excellentius Iuxta illud Psalm. 144. *Miserationes eius super omnia opera eius:* ergo, &c. Confirmatur ex D. Thoma. 2. 2. q. 30. art. 4. vbi docet, misericordiam esse excellentissimam virtutum, quod non est ex parte Dei accipiendum, in quo omnia sunt ipsemet Deus, sed ex parte nostri, in quibus opera misericordiæ magis relucent.

2 Secundò. Prædestinatio facta est per misericordiam Iuxta illud ad Titum. 3. *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam magnam misericordiam, &c.* Et ad Roma. 8. *Cùm nihil boni, vel mali egissent, &c.* Ergo etiam reparatio debuit fieri per misericordiam, & similiter iustificatio hominis. Patet consequentia, quia hæc sunt effectus Diuinæ prædestinationis, effectus autem debent proportionem cũ causa seruare.

3 Tertiò. Inter homines nobilius reputatur, cùm quis offensus remittit iniuriam sola gratia, quam accepta satisfactione: ergo idem de Deo censendum est, præsertim cùm ipse præceperit dimittere debitoribus.

4 In contrarium est, quia Deus est iustus, & in omnibus operibus suis ostendit iustitiam Iuxta illud Psalm. 84. *Iustitia ante eum ambulauit, &c.* Et Isaiæ. 11. *Et erit iustitia cingulum lumborũ eius.* Quod dictum est de Christo, qui nos via iustitiæ erat redempturus. Vnde D. Augustinus, *Sicut Deus,* inquit, *Nõ relinquit bonum irremuneratum, ita neq; malum impunitum: at si per misericordiam nos redemisset, maximum malum reliquisset impunitum: ergo, &c.* Pro explicatione sit prima cottelusio de fide tenenda.

Prima Conclusio. §. II.

5 HOMO reparatus est à Christo per viam iustitiæ. Probatur. Lucæ. 19. *Filius hominis venit quærere, & saluum facere, quod perierat.* Et. 1. ad Timoth. 1. *Iesus Christus venit in mundum peccatores saluos facere.* Et cap. 2. *Vnus Deus, vnus & mediator Dei, & hominum homo, Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Et ad Roma. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quę est in Christo Iesu, quem proposuit Deus, propitiatorem per fidem in sanguine eius, ad ostensionem iustitiæ suæ, &c.* Similiter definita est hæc cõclusio in Conc. Tride. Sess. 6. cap. 7. & est recepta omnibus sanctis Patribus. August. 13. de Trinit. cap. 13. inquit, diabolum à Christo nõ potentia, sed iustitia victũ fuisse & superatum. Et cap. 14. ait. *Priùs iustitia, posteà potentia Diabolum vicit Christus. Iustitia quidem, in humilitate & in morte, potentia verò in gloriosa resurrectione, qua non iterùm moriturus reuixit.* Eandem veritatem insinuat lib. 10. de ciuita. cap. 20. & sequentibus. Et in enchiridio cap. 49. Basilius homilia. 25. Cyprianus in expositione Symboli, Athanasius lib. de Incarnatio. Anselmus lib. 2. Cur Deus homo.

Digitized by Google

homo. Richardus de Sãcto Victore lib. de Incarnatione Verbi cap. 3.

6 Et probatur ratione. Christus reparauit hominem soluens pretium pro redemptione illius: sed solutio pretij est actus iustitiæ: ergo per viam iustitiæ reparauit hominem. Minor patet; & probatur maior ex illo Pauli ad Colos. 2. *Delens, quod aduersus nos erat, Chyrographum decreti; quod erat contrarium nobis, &c.* Christus autem non alia ratione Chyrographũ decreti nobis contrarium deleuit, nisi quatenus mors eius fuit iustissima quædam debiti pretij solutio. De hac Conclusione latior erit sermo infra Disp. 7. & 8. huius articuli.

Secunda Conclusio. §. III.

7 CONVENIENTIVS facta fuit hæc reparatio per viam iustitiæ, quàm misericordiæ. Probatur primò, nam quæ à Deo facta sunt, & ordinata, conuenientissimè facta, & ordinata sunt: sed reparatio hominis effecta est à Deo per viam iustitiæ: ergo, &c. Secundò. Tam ex parte Dei reparantis hominem, quàm ex parte hominis reparati fuit conuenientius, hominem viâ iustitiæ, quàm misericordiæ reparari: ergo, &c. Antecedens probatur, primùm ex parte Dei, quia Deus est iustus Iudex, iuxta illud Psalm. 7. *Deus Iudex, iustus, fortis, & patiens.* Sed ad iustum Iudicem spectat, nullum malum impunitum relinquere: ergo & hoc præstabit Deus. Sed huiusmodi malum non fuisset punitum, nisi homo esset viâ iustitiæ reparatus: ergo, &c. Secundò probatur ex parte hominis. Si enim homo per misericordiam fuisset reparatus, nihil dedisset, neque soluisset ipsi Deo; modò autem cùm per iustitiam sit reparatus, ipsemet homo satisfacit Deo, non quilibet homo, sed ille Christus Iesus, qui per excellentiam dicitur homo, frater enim non redimit, sed redimet homo, qui est Christus benedictus Redemptor noster.

8 Confirmatur: quia ad maiorem iustitiæ proportionem spectabat, vt idem esset satisfactor, qui fuerat offensor: sed homo offendit Deum: ergo debuit illi homo satisfacere: sed non idem numero, qui offenderat, quia perfectè & conuenienter non poterat: ergo debuit esse saltem homo eiusdem speciei, qui est Christus Dominus.

Tertia Conclusio. §. IIII.

9 NVLLVS modus reparandi generis humani conuenientior, & melior potuit excogitari, quàm filij Dei Incarnatio. Probatur primò. Licet misericordia sit fundamẽtũ iustitię, si enim Deus nihil ad extra ex misericordia produxisset, nulla esset ratio iustitiæ, supposito tamẽ quòd produxerit, in omnibus operibus reperitur iustitia, & misericordia, vt docet D. Thomas. 1. p. q. 21. art. 4. & probat ex Psalm. 24. *Vniuersę viæ Domini misericordia, & veritas.* Idest misericordia, & iustitia, copulatiuè. Et Psalm. 100. *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Quæ similiter in operibus gratiæ inueniuntur, si enim Deus iustificat impium sine meritis, quod est opus misericordiæ, non tamen sine pœnitentia ipsius dispositiue se habente, quod est iustitia. In glorificatione præmiantur merita, quod est actus iustitiæ, sed ipsa merita sunt dona Dei, quod est misericordiæ opus. Vnde Psal. 88. *Misericordia ædificabitur in cælis; præparabitur veritas tua in eis.* In omnibus etiam operibus naturæ saluantur similiter & iustitia, & misericordia, quatenus creatio est misericordia. Quòd autem res creatæ perfectiones habeant suæ naturæ consentaneas, est iustitia, & debitum naturale, quod pertinet ad iustitiam distribuentem rebus perfectiones, quæ sibi debentur. Et in rerum naturalium dispositione obseruat Deus ordinem suæ sapientiæ, & naturis rerum debitum.

Dicitur autẽ iustitia in misericordia fundari, quia primum opus ad naturam pertinens fuit creatio, quod est opus misericordiæ, in quo fundatur opus iustitiæ, tribuentis vnicuiq; quod suũ est ex conditione naturæ suæ. Et in operibus gratiæ est prædestinatio, & vocatio ipsa ad pœnitentiam, quod est opus misericordiæ, & gratuitæ beneuolentiæ, cui innititur ipsa pœnitentia, & satisfactio hominis Diuinæ vocationi acquiescentis: quod pertinet ad iustitiam. 10

Quare verissimum est, in omnibus Dei operibus misericordiam primò influere & mouere. Et in punitione damnatorum splendet etiam Diuina misericordia, puniens citra dignum, ita vt & ipsi damnati dicere possent, illud Ieremiæ. *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti.* In Incarnatione autem summo modo relucent Diuina misericordia, & iustitia, quatenùs Diuina sapientia adinuenit modum, vt Deus summa misericordia & benignitate hominem repararet sine læsione iustitiæ, & summam exigeret satisfactionem sine detrimento misericordiæ. Ex quibus omnibus colligitur hæc ratio ad probandam conclusionem. 11

In omnibus operibus Dei reperiuntur, & splendent misericordia & iustitia, sed reparatio hominis est maximum opus Dei: ergo conuenientissimum fuit perfici non solum per summam misericordiam, verùmetiã per summam iustitiam: per summam misericordiam donando nobis filium, & per summam iustitiam nos per illum redimendo. 12

Secundò probatur. Tunc Iudex maximè exercet officium Iudicis, & patris, cùm accepta aliqua satisfactione partem pœnæ relaxat reo, & hoc est conuenientius in ordine ad bonum reipublicæ, quàm si gratis relaxaret totam pœnam: at Deus non solùm est Pater, sed etiam Iudex: ergo conuenientissimum fuit, vt inquantùm Pater, misericordiam exhiberet, & vt Iudex per iustitiam mundum saluaret. 13

Tertiò, quia vt ait Damascenus lib. 3. fidei cap. 1. in hoc opere sapientia Dei rei dubiæ, ac difficilis conuenientissimam inuenit solutionem, quoniam iustitia (vt more nostro loquamur) vltionem petebat, misericordia verò maximæ miseriæ subleuationem postulabat: factum est ergo, vt iustitia cumulatissimam satisfactionem reciperet, & misericordia maximæ miserię remedium maximum afferret, iuxta illud Psalmi. 84. *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt.* 14

Quartò. Probatur ex parte ipsius hominis, quia maior dignitas est illius, vt saluetur per proprium meritũ, quàm per solam gratiam, in primo enim aliquid exhibet Deo, in secundo autem nihil præstat: sed hoc effectum 15

tum eſt per Incarnationem, per quam homo Chriſtus Ieſus pro homine ſatisfacere potuit:ergo,&c. Vnde cádem de cauſa licèt Chriſti paſsio ſufficientiſsima fuerit,nihilominùs clementiſsimus Deus à nobis lachrymas,contritionem,& pœnitentiam exigit, vt ſic ſalues nos per miſericordiam,& iuſtitiam ; imò verò in hoc magis ſplendet ſumma illius miſericordia, quòd non tantùm nobis det gratiã,qua iuſtificemur.ſed & opera, quibus ſatisfacere,& mereri,& in ipſa iuſtitia creſcere poſsimus.

16 Quintò Probatur ratione D. Thomæ hic, quæ ad hanc breuiter reduci poteſt. Illud medium ad reparationem generis humani eſt conuenientius cæteris omnibus,quo magis manifeſtantur Dei attributa,& perfectiones,& meliùs reſtituitur natura humana in priſtinam dignitatem & honorem : ſed huiuſmodi fuit filij Dei Incarnatio:ergo,&c. Minor probatur, quia non potuit magis manifeſtari Diuina bonitas, quàm ſumma ſui ipſius communicatione,qualis interuenit in Incarnatione:nec Diuina magnificentia, & liberalitas;nihil enim Dei filio maius nobis à Deo concedi potuit. Oſtenditur etiam Diuina miſericordia, nam illa permotus Deus, vt nos à peccato liberaret, noſtram aſſumpſit miſeriam, quod eſt ſummum miſericordiæ opus. Vnde per excellentiam Incarnatio Verbi in Sacris literis dicitur miſericordia, Iuxta illud Pſalm. 84. *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.* Item ſummum rigorem iuſtitiæ in hoc opere Deus ſeruauit,perfectam pro peccato exigens ſatisfactionem. Manifeſtauit etiam rationem ſapientiæ,quæ modum potuit inuenire,quo in vno, & eodem opere ſumma clucerct iuſtitia cum ſumma miſericordia, Iuxta illud Pſalm. 84. *Miſericordia,& veritas obuiauerunt ſibi, iuſtitia,& pax oſculatæ ſunt.* Quod in myſterio Incarnationis impletum fuiſſe, pulchrè oſtendit D. Bernardus ſerm.1.de annuntiatione. Ex quo ſatis probata manet prima pars minoris propoſitionis. Secundam autem demonſtrat D. Thomas, quia per Incarnationẽ in nobis fides firmatur magis,ſpes erigitur, accenditur charitas,quæ ſunt potiſsima dona, quibus natura humana in priſtinam dignitatem reſtitùi potuit.

17 Sed obijcitur, quia neutra ex parte videtur conueniens medium Incarnationis,aut ſaltem conuenientius aliud excogitari potuiſſe. Primò,quia non eſt liberalitas,ſed potiùs prodigalitas maxima, offerre pro re viliori,qualis eſt hominum ſalus, rem multo pretioſiorem,vt vita Chriſti erat. Secundò,quia nõ eſt opus iuſtitiæ punire innocentem propter nocentes, neq; exigere à debitore plùs quàm debet ; quæ duo in medio Incarnationis reperiuntur. Tertiò,quia contra rationẽ ſapentiæ & prouidentiæ eſt, peccatum leuius tollere admiſſo alio grauiori:ſed grauius peccatum fuit crucifigentium Chriſtum,quàm peccatum ipſius Adæ, & originale noſtrum, vt docet D. Thomas infra quæſt. 47. artic. 6. ergo contra rationem prouidentiæ fuit ad deledum hoc peccatum,eligere Chriſti paſsionem. Quartò, quia magis Deus manifeſtaſſet miſericordiam,ſi omninò gratis,& ſine vlla ſatisfactione remitteret peccatum,& concederet gratiam omnibus, conuenientiuſq; eſſet nobis,ſi quemadmodùm potuit, elegiſſet Deus medium, quo vniuerſos homines ſaluos faceret,non ſolùm quò ad ſufficientiam, vt fecit per Incarnationem,ſed etiam quòad efficaciam:ergo medium hoc non fuit omninm conuenientiſsimum.

Nihilominùs Reſpondetur ad primam obiectionẽ, vitam humanam Chriſti non deperdi per mortem,niſi in eſſe phyſico,vt dicit præciſè coniunctionem animæ cum corpore,quo pacto non eſt pretioſior, quàm ſalus hominum, ſed in eſſe morali, qua ratione non deperditur,cùm infinitam habeat æſtimationem. 18

Secundò Reſpondetur,id, quod perfectius eſt, poſſe ordinari ad imperfectius, non tanquàm ad vltimum finem, ſed tanquàm ad immediatum. Itaq; Chriſtus propriè non eſt medium ordinatum per ſe ad hominum ſalutem,vt ad finem vltimum, ſed ad Dei gloriã: ordinatur autem ad hominum ſalutem, vt ad finem effectum,qui vlteriùs ordinatur in gloriam Dei, & ipſius Chriſti,vt homo eſt,eo modo,quo eſſentia ad operationem,& angeli ad hominum ſalutem ordinantur. Sed in forma Reſpõdetur, Chriſti vitam exponere pro hominum ſalute, quatenùs ad Dei gloriam refertur, non eſſe opus prodigalitatis;primò,quia gloria Dei eſt quid excellentius,quàm vita Chriſti,præſertim ad triduum ſolum deperdita. Deinde, quia magnifici ſumptus tunc ſolùm ad prodigalitatem pertinent,cùm non fiunt ob debitum finem,aut quando perſona illos faciens,eis ſit indigentior. Vtrumq; autem in propoſito deficit. 19

Ad ſecundam obiectionem Reſpõdetur,non eſſe cõtra iuſtitiam,innocentem propter nocentes condemnare,ſi innocens velit pro nocentibus ſatisfacere,& debitas illorum pœnas luere, vt rectè D. Thomas infra q.47.art.3.ad primum animaduertit. Neq; verò plus à debitore accipere,aut fideiuſſore,ſi is gratis pro debito velit ſuperabundans pretium ſoluere. Deus autem ſuperabundantem iſtam ſatisfactionem ad remiſsionem peccatorum per ſe non exegit, eſſet enim iuſta ſolùm ſatisfactione contentus:ſed quia à pura creatura offerri non potuit, ſed neceſſariò à perſona aliqua infinita facienda fuit,quæ proindè non potuit non communicare infinitũ valorem ſuæ ſatisfactioni, ideò plùs redditum eſt Deo pro humani generis redemptione à Chriſto Domino, quàm perfectæ iuſtitiæ ratio poſtulabat. 20

Ad tertiam obiectionem Reſpõdetur, mortẽ Chriſti,vt dicit paſsionem voluntariè ab ipſo ſuſceptam,fuiſſe medium per ſe ordinatum à Deo ad generis humani redemptionem,non verò vt dicit ipſam actionem occidendi,tenentem ſe à parte crucifigentium Chriſtum, vt ſic enim fuit maximum peccatum, quod Deus per ſe præordinare,velut medium neceſſarium ad hominum ſalutem,nullo modo potuit:benè tamen permittere, vt ex tanto malo ſecundùm ſuam infinitam ſapientiam eliceret tantum bonum, quantum fuit hominum redemptio. 21

Ad quartam Reſpondetur,maiorem miſericordiam fuiſſe,gratis concedere homini, quo poſſet ex iuſtitia ſatisfacere,quàm ſi illi offenſam remitteret ſine vlla ſatisfactione. Ceditq; in maiorem hominum dignitatem,& gloriam Dei iſte modus remiſsionis ex perfecta iuſtitia: ad Deum enim vt Iudicem pertinet facere, nè delicta maneant impunita : ad hominum verò dignitatem,quòd habeant, vnde ſatisfaciant pro ſuis peccatis. 22

Ad

23 Ad vltimam concedendum est, potuisse Deū excogitare medium, quo plures, imò omnes homines saluarentur, quàm modo per Incarnationem, & mortem Christi saluantur; verùm non ita decuisset gloriam Dei, neq; esset tam accommodatum naturæ humanæ: nam Dei gloria non minus elucet in supplicio malorum, quàm in præmio bonorum, & homo natura sua, cum sit liber, indifferens est ad bonum & malum. Vnde ad suauem Dei prouidentiam pertinet permittere, quosdam malè operari, vt ostendit D. Thomas. 1. p. q. 23. ar. 3. Reliquum est dissoluere argumenta initio disputationis proposita.

Ad argumenta in oppositum. §. V.

24 AD Primum Resp. quòd quando in vno opere tantùm relucet Iustitia, & in alio duntaxat Misericordia, tunc Misericordia superexaltat iudicium, Iacobi. 2. Opus enim Misericordiæ excellentius est opere Iustitiæ. At in operibus Dei Iustitia sola non est, sed iustitiā sẽper misericordia comitatur, quatenus Deus peccatores semper punit citra condignum: Imò verò in inferno, vbi maximè relucet Diuina Iustitia, cernitur maxima Misericordia, dum damnatos non anihilat, quin potiùs in esse conseruat. Vnde Regius vates Psalmo 117. inquit. *Castigans castigauit me Dominus* (In quo cernitur Iustitia:) *Et morti non tradidit me:* In quo apparet Misericordia. Ad argumentum dicendum est, quòd si in aliquo opere Iustitia tantùm appareat, excellentius esset opus Misericordiæ. At in mysterio reparationis humanę non sola Iustitia, sed maxima etiam splendet Misericordia: etenim per viscera misericordiæ visitauit nos oriens ex alto. Lucæ. 1. & in hoc opere Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, &c. Cùm ergo Misericordia simul cum Iustitia in hoc opere appareat, multò præstantius est tale opus ex Iustitia cū Misericordia, quàm si fuisset ex sola Misericordia.

25 Ad secundùm Resp. ex distinctione antecedentis, etenim si prædestinatio sumatur ex parte nostri, sic merè gratis est. *Non enim est volentis, neque cvrrētis, sed Dei miserentis:* Vt ad Roma. 9. ait Paulus. Si verò sumatur ex parte meritorum, & gratiæ Christi, sic non fit gratis, quia Christus est causa nostræ prædestinationis: Deus enim teste Paulo ad Ephes. 1. *Prædestinauit nos per Iesum Christum, &c.* Cùm ergo merita Christi sint nostrę prædestinationis causa, sequitur, ex hac parte prædestinationem non esse ex mera misericordia, licet sit ex parte nostra considerata.

26 Secundò negatur consequentia, quia non est par ratio iustificationis, & prædestinationis, quia prędestinatio ex parte nostri est merè opus misericordiæ, at iustificatio & reparatio, licèt sit opus misericordiæ, est etiā opus iustitiæ. Ad probationem consequutionis Resp. effectum non oportere ita cum sua causa esse proportionatū, vt sit idem omninò cum causa, alioquin non esset effectus, sed ipsamet causa. Vndè satis est, seruari aliquam proportionem, ita vt aliquo modo nihil sit in effectu, quod in causa non reperiatur. Inefficacia autem consequentiæ patet à simili: quia homo de condigno meretur beatitudinem, & tamen merita sunt effectus prædestinationis, quæ ex parte nostri est merè gratis.

Ad tertium Resp. illud esse verum in personis priuatis, secus in publicis: etenim Iudex sic debet vti Misericordia, vt Iustitiæ non deroget. Quare cùm Deus sit supremus Iudex, decebat, vt sic esset erga homines Misericors, vt suæ Iustitiæ similiter satisfaceret. Addiderim etiam in huiusmodi reparandi hominis modo per Iustitiam, ostendi maximam Dei liberalitatem, & pietatem, quòd nobis daret filium suum, *Vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Neque tantùm ex parte dati fuit opus summæ nobilitatis, & liberalitatis eximiæ, sed etiam ex modo redimendi, & reparandi hominem, & remittendi peccata: nam qui exigit exactè vsque ad vltimum quadrantem, idem ipse dedit se homini in pretium, quo perfectè persoluere posset. 27

DISPVTATIO SECVNDA. §. I.

CIRCA eandem secundam conclusionem est altera dubitatio, An fuerit conuenientius, hominem per Incarnationem Verbi reparari, An verò in statu naturæ integræ permanere. Hæc disputatio coincidit cum illa, An status floridus naturæ integræ sit melior, & præstantior statu naturæ lapsæ per Christum reparatæ: si enim hic status præstat alteri, concluditur, conuenientius fuisse, hominem per Verbum reparari, atque casum Adami ex illo statu fuisse homini optabilem, vt perfectiorem statum consequeretur. Si autem innocentiæ status excedit, & superat statum naturæ lapsæ, melius fuisset homini in eo permanere, quàm post casum per Christum reparari. Probatur ergo, statum naturæ integræ fuisse perfectiorē, & meliorem statu naturæ lapsæ.

Primò: quia alioquin sequeretur, hominem ex suo peccato maximum fructum reportasse. Probatur sequella, quia si ille status est melior, cùm ei aduenerit propter peccatum, conficitur necessariò, hominem ex suo peccato meliorem statum acquisiuisse: sed consequens est inconueniens, quia iam esset homo melioris conditionis post peccatum, quàm anteà. Et ad hoc videtur alludere illa quærula vox fratris filij Prodigi, patri suo dicentis Lucæ. 15. *Ecce tot annis seruio tibi, & nunquàm mandatum tuum præterini, & nunquàm dedisti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer, sed postquàm filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti vitulum saginatum, &c.* 1

Secundò. In illo statu esset homo expers, & liber ab omnibus miserijs & calamitatibus, quæ statū naturæ lapsæ circūstāt, in quo *Homo natus de muliere repletur multis miserijs.* Neque Paulus dixisset Roma. 7. *Infelix homo, quis me liberauit de corpore mortis huius.* Et ibidem. *Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nollo, malum, hoc ago.* Et rursus. *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum nō inuenio.* Item neque in eo statu sensisset Apostolus aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, & se captiuantem in lege peccati: omnia namque ordinatissima essent, nam hæc inferiora essent homini subiecta, & ad eius nutum ei obedirent, caro spiritui esset subiecta, & sic pacata, & quieta omnia apparerent, & spiritus Dei creatori suo obsequium præstaret, & tandem omnia in homine consona, gratia supera- 2

superabundans, vita gaudens, & Dominium rerum cumulatissimum.

3 Tertiò. Ex sententia omnium Theologorum status innocentiæ præstat statui pœnitentiæ: sed status naturæ lapsæ est status pœnitentiæ, ille verò erat status innocentiæ: ergo erat præstantior, & melior.

4 Quartò. In statu innocentiæ plures homines saluarentur, & consequerentur gloriam, si ille status permansisset, quàm in statu naturæ corruptæ: ergo ille erat melior, & perfectior. Consequentia est euidens, & probatur antecedens. Gratia illius status, nisi fuisset deperdita, erat omnibus hominibus generalis, & communis, non solum quantùm ad sufficientiam, verùmetiam quantùm ad efficaciā, quia paucissimi peccassent, imò ferè omnes essent amici Dei, & in officio virtutis, & iustitiæ continerentur: sed in statu naturæ lapsæ gratia non habet efficaciam in omnibus, neque in pluribus, sed in paucis, Iuxta illud Matt. 20. * Multi sunt vocati, pauci vero electi: * ergo plures saluarentur in eo statu, &c.

5 Cōfirmatur primò ex D. Thoma. 1. p. q. 95. art. 4. vbi docet, quòd si efficacia meriti attendatur ex parte gratiæ, efficatiora fuissent hominis opera ad merendū in statu innocentiæ, quàm in statu naturæ lapsæ. Et probatur, quia in illo statu fuisset maior, & copiosior gratia, & nullo obstaculo inuento in natura humana, efficaciora essent merita, & ex consequenti maioris gloriæ digna, non solùm intensiuè, sed etiam extensiuè.

6 Confirmatur secundò: nam quò perfectior est cognitio, eò perfectior est dilectio: sed homo in statu innocentiæ habuit clariorem cognitionem: ergo efficaciorem charitatem ad merendum.

7 Confirmatur tertiò: quia liberum arbitrium in eo statu magis obediebat gratiæ, quàm nūnc: ergo gratia efficaciùs agebat tunc, cùm à nullo retardaretur: ergo dona gratuita tunc erant ad merendū efficaciora, quia natura erat magis obediens gratiæ.

8 Confirmatur quartò. Amor visibilium, & solicitatio terrenorum impedit hominem, nè Deo perfectè coniungatur; sed in eo statu nullum esset impedimentum, quia nulla viguisset in homine concupiscentia, nulla pugna, & carnis rebellio: ergo perfectiùs, & diuturniùs adhæreret Deo, & ex consequenti esset magis dispositus ad merendum. Cùm ergo gloria respondeat merito, & in eo statu esset maius meritum, non solùm intensiuè, sed etiam extensiuè, maior gloria debuit illi respondere intensiuè, & extensiuè, atque adeò plures saluarentur in eo statu, quàm in statu naturæ lapsæ.

9 In oppositum est, quòd in statu naturæ lapsæ homo consecutus est id, quo nihil maius excogitari potest, nempe, Deum fieri hominem, hoc autem in eo statu nunquàm fuisset consequutus: ergo, &c. Item in illo statu Deus non erat pars vniuersi, sicuti est in hoc: ergo non solùm naturæ humanæ, sed etiam toti vniuerso hic status est melior.

10 Pro decisione dubij aduertendum est, vtrumque statum non posse simpliciter & sine distinctione comparari, quia habent se sicut excedens, & excessum, etenim status innocentiæ, & iustitiæ originalis in quibusdam excedit statum naturæ lapsæ, in alijs verò ab eo superatur. Vnde pro maiori intelligentia sit prima conclusio.

Prima Conclusio. §. II.

Si Status naturæ corruptæ cum statu innocentiæ cōparetur, quoad nonnulla præclara dona, quæ in illo erant, vt donum Iustitiæ originalis, quæ integrum hominem rectificabat: ille status erat excellentior, & præstantior. Probatur: quia Christus per Incarnationem non contulit nobis Iustitiam originalē. 11 Vnde modò pugnam, & rebellionem experimur, & carnis pœnalitates. Imò neque Christus sibi Iustitiā originalē accepit; licet enim potuerit, vt tamen languores nostros ipse ferret, & dolores nostros portaret, noluit accipere: si enim accepisset, nullum dolorem in sua passione sentire potuisset. Cùm ergo Christus per Incarnationem illud donum nobis non restituerit, & idem donum in statu innocentiæ homo habuerit, habetur intentum.

Sed contra hoc obijcitur. Ergo Christus non plenè, & perfectè hominem reparauit. Probatur consequentia. Non restituit illi eadem, quæ per peccatum amisit, nempe, iustitiam originalem, neque rectitudinem indè sequentem, neque etiam corporis integritatem, & vitæ conditionem, atque diuturnitatem: ergo nō plenè illū reparauit. Negatur cōsequētia, & ad probationē Resp. quòd licet Christus nō reparauerit hominē, restituēdo illū in pristinū statū iustitiæ originalis, eū tamē reparauit, quatenùs in gratiā, & amicitiā perditā reduxit, & in hoc fuit plena reparatio, ratione cuius non est restituta iustitia originalis, aut pristinæ vitæ fœlicitas, quia hęc comitabantur statū, vel erant de eius ratione, sed non requiruntur ad amicitiam, & gratiam etiam perfectissimam, vt patet in gratia beatissimæ Virginis, & Apostolorum, quæ fuit longè perfectior, quàm gratia Adæ, quamuis non habuerit illa bona, quæ in statu innocentiæ hominibus conueniebant. 12

Secundo Resp. hominem perfectiori modo comparare per Christum ea, quæ per peccatum Adami amisit quia reparatio perfecta includit expulsionem peccati, infusionem gratiæ, & cōsummationem in gloria, vbi homines perfectè sanantur, & magis perficiuntur, quàm in statu innocientiæ. Etenim in beatitudine completur instauratio facta per Christum, & omnia rectificantur, & ordinata prorsus manent, ita vt corpus non solum animæ subdatur, verùmetiam eius gloriam participet Iuxta suæ capacitatis naturā: vbi & vita diutior, atque fœlicior erit. Quare status naturæ corruptæ nō debet inadæquatè, vel secundùm partem comparari cū statu innocentiæ, sed integer, & ex omni parte, vt integra & perfecta reparatio Christi attingatur: & ita erit verum, quòd eadem & meliora habentur modò per Christum, quàm fuerint in Adamo in statu innocentiæ. Vnde pro ampliori intelligentia sit. 13

Secunda Conclusio. §. III.

Si isti status conferantur, quoad ea, quæ nobis attulit Christus per suam Incarnationem, sic status naturæ lapsæ præstat statui innocentiæ simpliciter loquendo. Probatur. Absolutè & simpliciter melius est homini, Deum esse hominem, & hominem esse Deum, quouis alio dono, Deus enim infinitè omnibus melior est: sed Christus per Incarnationem hoc præstitit, vt Deus esset homo, & homo esset Deus: ergo, &c. 14

Addė,

15 Adde, nobis Christum attulisse sacramenta, quibus gratiam, & sanctitatem consequimur vnde Petrus. 1. Cano.cap.1. *Magna,* Inquit, *Nobis, & pretiosa promissa donauit, vt efficiamur Diuinę cõsortes naturæ.* Itaque licèt status innocẽtiæ superet in aliquibus donis, quibus Adamus exornatus est, ac proindè esset secundùm quid & nobis vtilior, & præstantior in se, eo quòd gratia esset communior, & omnibus daretur, & iustitia originalis maximè prodesset in opere, & subiectum, quod est homo, promptiùs, & faciliùs operaretur: nihilominùs status naturæ lapsæ simpliciter excedit in donis per Christum collatis, quę sunt ad operandum efficaciora; & maximè adiuuant hominis infirmitatem. Vnde rebellio carnis, & appetitus pugna, atq; difficultas operandi, quas homines nunc patiuntur, & quarum in illò statu expertes fuissent, diuina ordinatione nunc in amplissimum gratiæ incrementum cedũt, quia crescit victoria, quantùm pugna crescit, & cõsequenter maius meritum erit modò, ac subindè maius pręmium, vt magis conclusione sequente cõstabit.

Tertia Conclusio. §. IIII.

26 SI Vterque status in ordine ad æternam beatitudinem & gloriam comparetur, melior est multò, & præstãtior status naturæ lapsæ, quàm innocentiæ. Circa istam conclusionem est nonnulla inter Theologos differentia: Durandus in.2.d.29.q.1.asserit, quòd si isti status inter se comparentur quantùm ad essentialem beatitudinem, sunt pares, quia præmium essentiale esset idem, & æquale in vtroque statu. Supponit enim Durandus, homines esse creatos ad reparandas Angelorum ruinas, & consequenter homines in statu innocentiæ non habituros maiorem gratiã, & gloriam, quàm tota illa multitudo Angelorum, qui è cælo ceciderunt. Vnde colligit, homines in vtroque statu æquali gratia & gloria potituros. Dicit præterea Durandus, quòd si isti status conferantur quantùm ad beatitudinem accidentariam, status naturæ lapsæ excedit statum innocentiæ. Ratio est, quia ad beatitudinem accidentariam pertinet Christi cognitio, quam non haberent homines in eò statu, cũ Christus non fuisset.

17 Alij verò dicunt, statum naturæ lapsæ esse meliorem absolutè, quia magis meritorium: putant enim, meritum ex maiori labore augeri, & sic argumentantur. Vbi est maius meritum, maius debet correspondere præmium; sed in statu naturæ lapsæ maius esset meritum: ergo in cælo huic maiori merito, maius, necesse est, correspondeat præmium. Consequentia cum maiori constat, sed probatur minor: quia difficultas operis facit, & conducit ad augmentum meriti, virtus enim versatur circa difficile, & bonũ: sed in statu naturæ lapsæ difficilius est bene operari, quàm in statu naturæ integræ: ergo ex cõditione huius status, & ex difficultate agendi maius est meritũ in statu naturę lapsę.

18 Confirmatur. Bonum additum bono facit melius, sed in statu naturæ lapsæ est meritum essentiale ex radice charitatis, & huic superadditur meritum accidentale ex operis difficultate; quæ difficultas, & labor non fuisset in statu innocentiæ: ergo in statu naturæ lapsæ est maius meritum etiam accidentale, quàm fuisset in illo alio statu. Rursus, in statu innocentiæ non meruisset homo tentationibus resistendo, sicut nunc meretur, illis resistens: ergo modò efficaciora sunt opera ad merendum quàm tunc fuissent.

Alij denique affirmãt, absolutè & simpliciter ex parte Domini nostri Iesu Christi, etiam in ordine ad gratiam, & beatitudinem, & gloriã, statum naturæ lapsæ excedere, & esse perfectiorem statu innocentiæ: ita vt perfectior, & vberior gratia simpliciter & absolutè detur modò per Christũ, quàm fuerit collata Primo Parenti, ad posteros eius deriuanda, & in hoc sensu procedit nostra tertia conclusio. Et probatur Primo ex D. Paulo ad Roma.5. vbi commendans abundantiã gratiæ, quæ nobis per Christum confertur, ait. *Nõ sicut delictum, ita & donum. Si enim vnius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donũ in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundabit.* Super quem locum aduertunt Doctores, hanc Christi Domini abundantiam non in eo ostendi, quòd plures sint, qui salutem in Christo consequantur, quàm qui ex delicto Adæ dãnentur. Etenim illa particula (plures) non sumitur cõparatiuè, sed numerum pluralem tantũ designat. Est enim eadem vox in eo loco in textu Græco, quæ præcesserat, cùm dixerat, *Si enim vnius delicto multi.* Sed hæc abundãtia in eo est sita à Paulo, quòd maiorem effectum efficiat in bonum regeneratorum in Christo, quàm delictũ Adæ fecerat in malo: ergo maior gratia collata est per Christum, quàm fuisset gratia cõferenda per Adã: alioquin maius dãnũ fecisset delictũ Adæ, quàm bonũ gratia, & meritum
Christi. Cõfirmatur ex eo, quod ibidẽ dicit Paulus. *Si 20
enim vnius delicto mors regnauit per vnũ, multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes in vita regnabũt per vnũ Iesum Christũ:* ergo maiorem gloriam absolutè cõsequentur regenerati in Christo, quàm essent accepturi, si Adam in statu innocentiæ perseuerasset, & ita adimplebitur, quod ibidem dicit Apostolus, *Vbi autem abundauit delictum, superabũdauit gratia. Item ad Colus.1. dicuntur superabundantes diuitiæ, quæ per Christum conferũtur: hæc autem superabundans gratia, atq; perfectio proculdubio dicitur cõparatione ad omnem gratiã hominibus primò collatã, siue in statu legis, siue etiã in statu innocentię. Quò fit, vt Deus propter filij sui Incarnationem appelletur diues in misericordia. Et ideò D. Augustinus lib.13. de Ciuitate ca. 4. Inquens de statu regenerationis in Christo ait. *Nunc verò maiore, & admirabiliore gratia Saluatoris in vsus Iustitiæ peccati pœna cõuersa est.* Nequit autem intelligi, maiorem, & admirabiliorem fuisse gratiã Saluatoris, si abundantiorem, & mirabiliorem salutem nõ conferat, quàm habituri essent homines antè peccatũ. Et cap.7. Inquit. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorũ eius. Quid enim pretiosius, quàm mors, per quam fit, vt etiã delicta omnia dimittãtur, & merita cumulatiùs augeantur. *Et cap.19. ait, carnẽ Sanctorũ, quæ nunc requiescit in spe, in meliorem reparandam esse qualitatem, quàm fuit primorũ hominũ ante peccatũ. Ex quibus desumitur
argumentũ. Si corpora regeneratorũ in Christo cõfi- 21
guranda sunt corpori claritatis eius, & futura sunt gloriosiora, & pulchriora, quàm fuissent, Adamo nõ peccante: ergo multò magis animæ beatiores sunt futurę, ex quarũ gloria redundabit corporum pulchritudo.

Secũdo probatur ratione. Maiori gratiæ maior correspondet gloria, sed Christus venit, vt homines vitam, 22

nempe, gratiæ, quam per peccatum amiserant, haberr, & abundantiùs, scilicet, quàm amiserant, habeant: ergo maiori gratiæ datæ per Christum, quantùm est ex parte sui maior correspondet gloria. Item: Christus est caput excellentius, & præstantiùs, quàm esset Adamus, si perseuerasset in bono: ergo maiorem gratiam, & meliora influis bona. Etenim non solùm esset Christus in seipso perfectior, aut ornatior, sed in ratione capitis, & quatenùs influens in membra. Rursus. Peccatum fuit permissum, vt inde maiora, & meliora bona Deus eliceret in nostram vtilitatem & commodum, & vt abúdantiùs reluceret multiformis gratia, & gloria Dei, quod Scripturæ, & Sancti perpetuò docét: ergo perfectior, & vberior gratia est nobis per Christum collata, quàm fuerit gratia Adami. Si autem post peccatú gratia esset infirmior, nec ita commendaretur Dei sapientia in permissione peccati, nec adeò esset superabundás remedium, aut superexcellens gratia, & gloria Dei.

23 Præterea. Gratia Christi longè fuit excellentior, quàm gratia Primi hominis ante lapsum: ergo omnia opera, quæ innituntur gratiæ, & merito Christi, sunt longe magis meritoria, quàm opera, quæ innisebantur gratiæ primo homini collatæ; sed opera nostra modò innituntur gratiæ & merito Christi: ergo ex hoc erút magis meritoria, & ex cósequenti in patria maior illis gloria respondebit.

24 Confirmatur: quia in statu innocentiæ meritú duntaxat innitebatur gratiæ homini collatæ, nunc verò & gratiæ homini collatæ, & gratiæ Christi, quæ longè excellentior est, quàm gratia primi hominis, innititur. Præterea. Si gratia huius status non esset maior, quàm illa, quæ fuit Adæ collata, sequeretur, quòd maius malum per primum parentem incurrimus, quàm fuerit bonum, quod per Christum comparauimus: quod dicere est absurdum. Probatur sequela: quia priuantur homines maiori gratia, quàm sit ea, quæ per Christum data est, erit ergo priuatio maioris boni, atque ita etiam maius malum, quàm bonum à Christo dimanans.

25 Confirmatur: quia Christus est fons totius gratiæ, & ita eo adueniente vberiorem nobis confert: quod insinuat Ioannes cap. 1. cùm dicit. *De plenitudine eius omnes accepimus.* Quasi inundante Christi gratia simul illa repleti. Vnde illud Ioelis. 2. *Effundam de spiritu meo super omnem carnem:* Intelligitur de plenitudine gratiæ, quæ datur in noua lege, quia Deus per Christum effudit in nos abundè, & quasi torrens nos præoccupat. Accedit his, quòd status nouæ legis habet Thesaurum infinitæ gratiæ, & meriti, quem non adæquarent merita cuiuscumque alterius status: ergo longè maior & perfectior gratia collata est nobis in hoc statu, quàm fuit primo parenti tributa.

26 Præterea hæc conclusio probatur eisdem argumentis, quæ desumuntur ex labore, & difficultate operis ad merendum, & euidenter concludunt, gratiam, & virtutes efficaciores esse ad merendum nunc, quàm fuissent in statu innocentiæ, quia in hoc statu naturæ lapsæ magis impugnatur homo, & ex impugnatione magis probatur & examinatur virtus, quàm tunc, vt constat in martyribus, & virtus teste D. Paulo in infirmitate perficitur, & roboratur. Et cùm nemo coronetur, nisi qui legitimè certauerit. 2. ad Timot. 4. sequitur, quòd qui hanc vicerit pugnam, gloriosiùs triumphat, & maiorem meretur coronam, & ex consequenti gratia, & virtutes, quibus eam meretur, sunt maioris efficaciæ.

Concludamus ergo, statum innocentiæ, à quo cecidimus, esse inferioris conditionis statu naturæ lapsæ: quia per Christum non solùm ad pristinum dignitatis gradum natura nostra restituta est: sed ad altiorem, & fœliciorem euecta, quod sensit Gregorius dicens: *O fœlix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere redemptorem.* Et Sancti Patres constanter affirmant, nostrá naturam per Christum ad pristinum dignitatis gradú redijsse. Imò Chrysostomus ad illa verba Pauli. 1. Corint. 3. *Omnia vestra sunt, siue mors, siue vita:* Asserit, mortem Adæ propter nos fuisse, vt continentiores essemus. Et Theodoretus in eade verba, *Mors, ait, ipsa nostræ vtilitatis gratia in naturá inuecta est.* Et Theophilactus, *Adá, inquit, ideò mortalis effectus est, vt cótinentiores ipsi efficiamini.* Quòd si manent corporis mala, vt passibilitas & mors, &c. Et quæ his sunt annexa, ideò non sunt per Christum ablata ob maius bonum prædestinatorum, & vt essent eis maioris meriti occasiones. Nec rebellio appetitus est per Christum ablata, sed data est gratia abundantissima ad illam superandam, quia hoc fuit prædestinatis vtilius, & Deo gloriosius iuxta illud, quod Paulo dictum est, *Sufficit tibi gratia mea, na virtus in infirmitate perficitur.* Sit iam quarta conclusio. 27

Quarta Conclusio. §. V.

SI Duraret status innocentiæ, adhùc plures homines saluarentur, & consequerentur gloriá in statu naturæ lapsæ. Hæc conclusio sequitur ex precedente, & eam tenet M. Ioannes Vincentius in relectione de gratia. q. 5. fol. 711. & placet multis recentioribus, quia multùm fauet infinitæ Christi dignitati, qui statum naturæ lapsæ, sic sua morte reparauerit, vt iure optimo ex parte gratiæ, & meriti ipsius, quæ omnia nobis contulit, excellentior dicatur, vt ostensum est conclusione. 3. & ex dictis colligitur ratio pro hac conclusione: nam si gratia per Christum collata est maior, & copiosior, media similiter, & auxilia & numero sunt plura, & robore perfectiora; conficitur necessariò, quòd plures per gratiam Christi saluarentur in hoc statu, quàm in statu naturæ integræ. Item, quia ad Christi dignitatem & excellentiam pertinet, suo merito & morte multos filios in gloriam adducere, quod etiam est magis consentaneum Diuinæ prouidentiæ. Præterea, corpus debet capiti correspondere, sed caput pro hoc statu est longè perfectius, quàm esset pro statu innocentiæ: ergo regnum etiá illius multò perfectius esse debet, ad cuius perfectió nem pertinet numerositas, & amplitudo iustorum. 28

Idem etiam videtur efficaciter probari ex illo Pauli ad Roma. 5. *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* At huiusmodi gratiæ superabundantia non haberet locum, nisi sumatur intensiuè, & extensiuè. Vnde gratia per Christum collata, quantùm est de se, communis est toti generi humano intensiuè, & extensiuè, & præstantior est donum gratiæ ad saluandum, quàm delictum Adæ ad perdendum, quia Adamus vniuersos filios suos perdidit: at Christi gratia potentior fuit, & latior ad plures se extendens. 29

extendens, quantum est ex parte sua, Christo enim data est gratiæ plenitudo, de qua omnes, quotquot voluerint, accipere possũt, quia omnis, qui inuocauerit nomẽ illud, in quo oportet nos saluos fieri, saluus erit, & ab hac salute nemo seclusus est, nisi qui in Christum Saluatorem credere noluerit.

30 Sed obijcitur: Plures sunt modò, qui damnantur, quàm qui salui fiunt, ergo gratia per Christum tributa non est latior & amplior, quàm peccatum, saltem extensiuè, & quantum attinet ad multitudinem. Antecedens est notum, consequentia similiter patet; quia omnes in Adam peccauerunt de facto, excepta beatissima Virgine, & tamen non omnes saluantur per gratiã Christi: ergo maius fuit extensiuè peccatum Adæ, quàm gratia Christi.

31 Resp. gratiam Christi intensiuè, & extensiuè maiorem fuisse peccato Adæ, quia licèt hoc fuerit ab omnibus re ipsa contractum, ideò fuit, quia omnes homines illud voluerunt saltem voluntate interpretatiua. Hoc autem ipsum etiam fuisset, si omnes voluissent gratiam Christi, quæ ad multò plures potest se extendere, quàm sit extensum peccatum, potest enim se extendere, imo de facto extẽsa est ad Angelos, & Adamũ, qui ex meritis Christi fuerunt iustificati, & tamen peccatum originale non contraxerunt.

32 Sed dices, hoc esse verũ in Adã & in Angelis; sed in hominibus innumerabiles esse, ad quos peruenit peccatũ, & nõ gratia Christi: ergo nõ superabundauit gratia vbi abũdauit delictũ. Resp. hoc pertinere ad profundissimũ prædestinationis arcanũ, de quo nõ est modò disputatio. Et ad argumentum concedimus ita esse, sed hoc non est Deo imputandũ, sed culpæ ipsorũ, ad quos gratia Christi non se extendit, quia omnibus confert Deus auxilium gratiæ sufficiens, quo possint saluari: & quo si rectè vtantur, & quod in se est, faciant ex Diuino auxilio, conferet tandem auxilium gratiæ efficax, quo re ipsa saluentur.

33 Postremò probatur Conclusio. In statu naturæ lapsæ datur maior gratia & gloria, quàm in statu naturæ integræ, vt patet ex conclusione præcedente, maior, inquam, intensiuè: ergo similiter datur maior gratia & gloria extensiuè. Probatur cõsequentia; quia in eodem genere cui conceditur maius, non debet negari minus; sed intensio est quid maius, & perfectius, quàm extensio: ergo si gratiæ huius status tribuitur intensio, nequit illi denegari extensio, atque adeò cùm sit maior gratia intensiuè, & extensiuè, maior illi debet correspondere gloria.

Quinta Conclusio. §. VI.

34 EX parte totius vniuersi cõuenientius fuit, hominem per Incarnationem reparari, quàm in statu naturæ integræ permanere. Probatur: quia nunc vniuersum multò manifestiùs repræsentat bonitatem, sapientiam, omnipotentiã, iustitiam, & alia Dei attributa, cùm sic Deus homini, imo & toti vniuerso in ipso se cõmunicauit, vt verè dicatur Deus homo, & homo Deus, atq; ad ipsum vniuersum tanquã pars ipsius pertineat. Simul etiam omnipotentiam, & sapientiã Dei multò apertiùs manifestat, cùm tali morbo tale remediũ adhibuerit Deus, vt melior homini fuerit status post lapsum reparatus, quàm status integer ratione excellentissimæ medicinæ, ab optimo & sapientissimo medico adhibitæ. Iustitia etiam Dei manifestiùs quidem in vniuerso nunc apparet, licèt enim Deus opera anteà fuisset operatus, quæ suã Iustitiã maximè declararent, nullũ tamen fuit simile huic, quod in Christo operatus est. *Quem cõstituit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem Iustitiæ suæ.* Ad Roma. 3. Et similiter factus est nobis Iustitia, cùm vltra condignum pro nostris peccatis Deo Patri satisfecerit, quod nullus alius præter Christũ efficere potuit, quãuis à Deo fuerit maximè castigatus, in cuius persona dixit Iob. *Vtinam peccata mea appenderentur, & calamitas, quã patior, in statera, quasi arena maris hæc grauior appareret.* Iob. 6.

35 Ex quibus constat, omnibus consideratis, simpliciter, & absolutè loquendo, statum naturæ lapsæ esse meliorem statu innocentiæ, ex eo quòd Christum contineat, qui omnia cætera dona longissimè antecellit. Sicut enim cætus ille, in quo esset Persona Regis cũ aliquibus nobilibus, cætum aliorum Principum, Ducum, Comitum, & reliquorum equitum ratione Personæ regis antelleret: sic noster status ratione Personæ Christi statum innocentiæ superat, quia sola Persona Christi omnibus illius status donis præponderat. Quo fit, vt permissio peccati originalis, quatenus processit ex intentione Dei, nil nobis obfuerit, sed multam potius, & magnam commoditatem attulerit.

Ad argumenta. §. VII.

36 AD Primum igitur argumentum Resp. negando sequellam, quia non ex peccato per se prouenit homini huiusmodi commoditas, & vtilitas, sed ex remedio tali peccato adhibito, ratione cuius culpa dicitur fœlix, quæ talem, ac tantum meruit habere redemptorem.

37 Ad secundum patet solutio ex dictis in tertia conclusione, quia dato quod in eo statu nulla esset repugnantia, difficultas, & impedimentum, in nostro statu sunt multa auxilia, & iuuamina, ad superandas omnes difficultates, quibus homines iuuantur, & possunt per gratiam maiora præstare opera. Imò addiderim, si quantitas proportionalis consideretur, maiorem rationem meriti inueniri post peccatum propter hominis imbecillitatem, & miserias, quæ vndique illum circunstant: etenim paruum opus plus excedit potestatem eius, qui illud cum difficultate operatur, quàm opus magnum potestatem eius, qui sine difficultate operatur.

38 Ad tertium Resp. maiorem esse veram cæteris paribus: at modò cætera non sunt paria, quia in statu naturæ lapsæ includitur Christus, qui solus omnibus alijs donis cuiuscumque generis sint, præstat, & melior est.

39 Secundo Resp. si status innocentiæ absolutè, & secundùm suum obiectum cum statu pœnitentiæ conferatur, ille excellentior est hoc. Si verò in statu pœnitentiæ aliqua includantur, quæ superent omnia, quæ in statu innocentiæ erant, tunc præstantior est ratione eorum status pœnitentiæ. Et sic se habet res in præsenti. Etenim Christus, qui est in hoc statu, melior simpliciter est omnibus in eo statu cõtentis. Vnde patet, absolutè statum naturæ lapsæ ratione Christi in eo contenti, & gratiæ, & auxiliorũ efficaciorum, quæ per illum conferũtur, simpliciter & absolutè præstare

statui innocentiæ. Huiusmodi autem commoditas, & præstantia status, licet occasionaliter homini per culpam prouenerit, iuxta illud, ô fœlix culpa, &c. per se tamen causa sola fuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei, qui non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit.

40 Ad quartum patet solutio ex quarta conclusione, negatur antecedens. Et probationi dicitur, gratiam Christi de se esse communem omnibus intensiuè, & extensiuè, habituramq; in pluribus efficaciam, quàm haberet status innocentiæ, vt ostensum est. Et quanuis modo pauci saluentur respectu multorum, qui damnãtur, comparati verò ad eos, qui in illo statu saluarentur, essent plures.

41 Ad primam confirmationem ex Diuo Thoma desumptam Resp. ibidem D. Thomam non conferre opera nostra cum operibus primi hominis ex gratia, quã habent ex parte Christi, sic enim nulla est dubitatio, quin ad merendum sint efficaciora opera nostra: sed ideò D. Thomas asseruit, opera primi hominis esse efficaciora ad merendũ, quia cùm esset facilius in eo statu opera meritoria exercere, plura, & maiora exercuisset homo. Et ratione huius facilitatis dixit D. Thomas, fuisse efficaciora ad merendum; tum etiam ratione promptitudinis voluntatis, quia cùm amor visibilium, & sollicitatio terrenorum impediant hominem, quantùm ad promptitudinem voluntatis, & in eo statu nullis concupiscentiæ motibus molestaretur, promptiùs & faciliùs adhæreret motioni gratiæ, & virtutum, & cõsequenter ex ista radice efficaciùs erat homo ad merendum dispositus, sed non, quia gratia in illo statu esset maior. Etenim licèt ex parte Primi hominis præcisè, & ex parte nostri secludendo gratiam, & merita Christi, concedat D. Thomas, in Primo homine fuisse maiorem gratiam, & sic eius opera, cùm plura & maiora essent, fuisse ad merendum efficaciora: non tamen id cõcedit, si eum operibus status præsentis gratia & meritum Christi coniungatur, cuius causa & ratione opera etiam nostra efficaciora ad merendum redduntur; quia Christus Dominus est fons ille patens in medio Ierusalem, à quo in nos omnis gratia, meritum, & dona omnia abundantissimè & copiosissimè effluxerunt.

42 Ad secundam confirmationem Resp. verum esse antecedens de dilectione, prout se tenet ex parte potentiæ concupiscibilis: sed nõ esse verũ de dilectione, prout se tenet ex parte gratiæ animam eleuantis. Quòd si obijcias, vtramque commensurari cognitioni, Resp. illud esse verũ de cognitione experimentali; quæ nõ magis viguit in Primo Parente, quàm in viris sanctis, qui præcesserunt, & sunt in statu naturæ lapsæ: sed absolutè nõ esse verum de omni cognitione.

43 Ad tertiam confirmationem Resp. illam maiorem obedientiam ex dono iustitiæ originalis prouenisse, & non ex maiori & copiosiori gratia, quæ latior est, & abundantior in statu naturæ lapsæ.

44 Ad quartam cõfirmationem Resp. sicut ad secundũ, & ad primam confirmationem Magister Ioannes Vincentius loco citato affirmat, grauiora, & violentiora impedimẽta, & obstacula habituros fuisse homines in illo statu, quàm in isto. Et ideò plures multò in eo statu fore damnandos, quàm saluandos: omnia verò imẽta ad vnũ potissimùm reduci, quod virtute & fœcũditate esset multiplex, nempe, appetitus superbiæ, qui omniũ malorũ est radix. Hic autem in tribus fundaretur. Primò in excellentia donorũ illius status. Est enim excellentia, quasi nutrimentum superbiæ. Secundò in ipsa naturæ humanæ fragilitate, & rationis eius debilitate, quæ licet iustitiæ originalis & gratiæ donis esset exornata, suam debilitatem omnino non exueret. Tertiò in naturali inclinatione ipsius naturæ intellectualis, quæ semper alta petit, & omnem excellentiam affectat. Vnde sic argumentatur.

Appetitus excellentiæ erga res præclaras, & eminentis bonoris; non est minùs homini naturalis, quàm appetitio sensibilis ad bona sensibilia: ergo tantum periculum illi immineret in eo statu affectandi inordinatè excellentiam sibi indebitam, quantùm in statu naturæ lapsæ est in periculo inordinatè appetendi bona sensibilia. Item. Inclinatio spiritualis est multò vehementior, & maior, quàm corporalis, & sensitiua. ergo in eo statu homo esset in maiori periculo superbiendi, & excellentiam bonorum supernaturalium inordinatè appetendi, quàm sit in hoc statu bona sensibilia affectandi. 45

Confirmatur: quia Primi Parentes in eo statu, & perfectione constituti per breuissimum tempus steterunt, & Dæmonis tentatione per superbiam prolapsi sunt: ergo simile accidisset omnibus ferè hominibus illius status, in quibus neq; tanta sapientia, potestas, & animi & corporis robur inueniretur: quia bene valet argumentum à maiori ad minùs, à perfectiori ad minùs perfectum. Quare si Primus Parens tot Dei auxilijs suffultus, quæ statui innocentiæ erant debita, imò quæ debebantur homini, qui primus & princeps fuit illius status, tam citò defecit, & corruit in superbiam elatus, idem de alijs censendum est. 46

Rursus confirmatur. Homines in eo statu non habuissent tam efficacia auxilia, sicut habent in statu naturæ lapsæ per gratiã Christi, vt colligitur ex D. Tho. 1. p. q. 95. art. 4. Dæmon item maiori percitus inuidia vehementiùs illos ad peccatum inobedientiæ, & superbiæ induceret, & ad resistendum etiam non essent adeò potentes, vt constat ex rei euentu: ergo illi homines minùs in officio virtutis perseuerassent, quàm homines per Christum redempti. 47

Hæc sententia sic explicata, & confirmata nõ placet M. Suarez in hoc articulo, Disputat. 4. sectio. 4. pag. 65. tum, quia expressè aduersatur D. Thomæ 1. p. loco citato: tum etiam, quia leuissimis vtitur cõiecturis, & omnes possunt ad negotium Angelorũ facilè applicari, in quibus nullam habent vim, quia excellentiora, & abũdantiora bona fuerunt in Angelis, quàm fuissent in hominibus in statu innocentię. Fuit igitur in Angelis maior superbiendi occasio, quàm fuisset in hominibus in illo statu, & tamen pauciores Angeli per superbiam ceciderunt: ergo idem futurum fuisset in hominibus illius status: nunc autem multò pauciores sunt, qui saluãtur, quã qui damnantur. Item Primus omnium Angelorũ cecidit, vt habet cõmunis opinio, & indè non sumitur efficax argumentum, quod ex alijs inferioribus plures ceciderint, quàm perseuerauerint. Ergo neque ex lapsu Primorum Parentum potest sufficienter cõcludi, reliquos etiã casuros, sed solùm potest colligi, ide potuisse accidere 48

Secidere alijs hominibus, quod primis parentibus contigit; sed non quòd ita futurum fuisset, sicut etiã euenire posset, vt omnes posteri nullo dempto per superbiam caderent, non tamen est verisimile ita futurum fuisse. Similiter ergo, licèt sit possibile, non tamen est credibile, id fuisse euenturum in maiori hominũ multitudine, quia verisimilius est, naturam integrã in paucioribus defecturam.

49 Vnde in contrarium potest hæc coniectura retorqueri: etenim, quia primi parentes peccauerunt, & iustitiam pro omnibus perdiderunt, ideò plures sunt, qui eos imitantur: ergo si illi tentationem superbiæ vicissent, & innocentiam, ac integritatem pro omnibus seruassent, plures etiam eos fuissent imitati in conseruanda innocentia, & præsertim in superanda superbia.

50 Confirmatur, quia occasio superbiæ non fuisset tãta in posteris, quanta fuit in parentibus, vel quia non reciperent à principio tam excellentia dona, sicut primi parentes, vel quia exemplo, & instructione parentũ possent iuuari ad similem tentationem superandam.

51 Nihilominùs his non obstantibus, sententia quarta conclusione contenta est verissima, & sufficienter à nobis probata, neque vllo modo est cum doctrina D. Thomæ repugnans, vt in responsione ad. 4. argumentum, & eius cõfirmationem ostensum est: vbi diximus D. Thomam comparare gratiam illius status ad nostram gratiam secundùm se, & non quatenùs multis causis, & circunstantijs gratia nostri status perficitur: sic enim gratia nostra præstat, vt dictum est supra.

52 Quod verò attinet ad rationes Vincentij, quas in illius sententiæ confirmationem adducit, profectò studio potiùs contradicendi, quàm veritatis indagandæ impugnari mihi videntur, præsertim cùm ingenij indisciplinati sit, æqualem, siue eandem certitudinem in omnibus materijs exquirere, vt docet Arist. 2. Methaphi. tex. 15. & 1. Ethic. cap. 3. & ideò licèt hæ rationes præfatam sententiam euidenter non demonstrent, sufficiunt tamen ad ostendendam probabilitatem illius, quæ potissimùm fundatur in defectibilitate, & debilitate humanæ naturæ; quæ in quocumq; statu constituta facillimè in peccatum rueret, & quibuslibèt donis gratiæ, & innocentiæ reformata, semper intra terminos suæ fragilitatis concluderetur, neq; ascenderet ad fortitudinem Angelicæ naturæ cæteris paribus in donis gratuitis. Quo fit, vt in statu innocentiæ, in quo auxilia fuissent debiliora, & motiua, & incitamenta ad peccandum fortissima, faciliùs in peccatum laberetur, præsertim elationis, & superbiæ, quod erat proprium illius status.

53 Neque obstat, naturæ & gratiæ dona in Angelis fuisse excellentiora, & supremo omnium eorum cadente, pauciores cecidisse, quia Angelica natura est longè perfectior, & fortior, neque tam labilis, & defectibilis, atq; humana, & ideò habuit maiorem vim resistendi. Quòd si cecidit supremus, habuit maiorem occasionẽ peccandi, à seipso, & à propria excellentia desumptam: Et quamuis aliundè maioribus donis fuerit exornatus, illis tamen non rectè fuit vsus.

54 Neque etiam ex eo quòd plures Angeli perstiterunt in innocentia, supremo eorum omnium cadente, rectè concluditur, idem futurum fuisse in hominibus illius status innocentiæ, quoniam si Primus homo, qui in apice illius status fuerat constitutus, cum omnibus auxilijs Dei intrinsecis, & extrinsecis, quæ illi statui debita erant, imò & illi homini, qui princeps fuit illius status, communem totius generis humani causam gerens, tam facilè cecidit, & deuictus est, posteri eius, qui tot ac tanta auxilia non haberent; ac proindè fuissent minùs robusti, minùs valentes, & in omnibus debiliores, multò faciliùs ruerent: quod locum non habet in Angelis.

Neque etiam obstat, quòd occasio superbiæ non esset tanta in posteris, quanta fuit in parentibus, &c. Quia cùm posteri non habuissent auxilia ita efficacia, & tãta, atque habuerunt parentes, non est mirum, quòd faciliùs delinquerent, præsertim cùm nõ deficerent, imò neque essent debiliores occasiones peccandi per superbiam, & elationem. Quare cùm in statu naturæ lapsæ homines per Christum redempti maiora, & copiosiora habuerint auxilia gratiæ ad operandum, quàm essent in statu naturæ integræ: conficitur necessariò, plures in virtute permansuros, & maiora merita habituros, & tandem maiorem gloriam consequuturos. 55

Postremò in calce huius disputationis illud obiter aduerterim, regeneratos in Christo à toto genere esse sanctiores, quàm fuissent homines in statu innocentiæ: quod non est ita accipiendum, quasi quòd quilibet huius nostri status abundantiorem gratiam, & gloriam assequatur, quàm quilibet ex illo statu innocentiæ, sed proportionabiliter, & instar humani corporis: quòd quidam homines, qui Christo capiti sunt magis propinqui; sint sanctiores, quàm illi, qui futuri erant magis similes in iustitia Prothoparenti. Creditur enim, & meritò, quòd ipse Adam in illo statu erat futurus sicut omnium caput, & ita omnium hominum sanctissimus. Si verò comparentur aliqui huius nostri status, nempe, qui sunt infimæ classis, non est necesse, vt sanctiores, & beatiores sint futuri, quàm sanctissimi quique futuri in statu innocentiæ, sed erunt sanctiores, quàm alij minimi illius status: venit enim Christus, vt ipse ait, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant: ergo totum corpus mysticum Christi maiorem sanctitatem, & pulchritudinem est habiturum, quam habuisset totum corpus Adæ, si ille status perstitisset. 56

DISPVTATIO TERTIA. §. I.

CIRCA respõsionẽ ad secundũ plures se offerunt disputationes, quas examinare, & ad amussim expendere oportet. Omnes autem pertinent ad satisfactionem Christi Domini, & aliorum hominum explicandam. Sed quia iuxta Ciceronis doctrinam lib. 1. officio. Omnis, quæ à ratione suscipitur de aliqua re, disputatio, debet à definitione proficisci: primùm expendenda est satisfactionis definitio tradita à Theologis in. 4. d. 14. & 15. Est igitur satisfactio redditio voluntaria æquiualentis pro æquiualenti. Dicitur redditio, quia non est absoluta datio, nam illa vox, satis, dicit ordinem ad aliquid precedens. Voluntaria ad differentiam satispassionis, quia satisfactio dicit actionem voluntariam satisfacientis, est enim potissimùm posita in opere & actione. Satis passio verò dicit passionem, & sufferen- 1 2

etiam ab extrinseco inflictam, qualis est punitio malefactorum. Vnde in purgatorio satispatiuntur animæ iustorum, non tamen satisfaciunt, quia diuinam vltionem voluntariè sufferunt. AEquiualentis pro æquiualenti, dicit æqualitatem iustitiæ, quia hoc indicat satisfactio, idest, facere tantum, quantum sat est.

3 Nomine autem satisfactionis non intelligitur satisfactio, quæ est pars Sacramenti pœnitentiæ, subsequens contritionem, & confessionem, & sic supponit culpam remissam, & pœnam æternam commutatam in temporalem: sed satisfactio sumitur hic strictè, vt dicit recompensationem offensæ in Deum commissę, & solutionem pœnæ æternæ tali offensæ debitæ, & ideò pertinet ad iustitiam, quia importat quandam redditionem æquiualentis. Vnde satisfactio in opere, & actione principaliter consistit, & ex valore operis pensanda est.

4 Præterea obseruandum est, dupliciter posse debitum alicui rependi. Vno modo ad æqualitatem, quod tunc contingit, quando tantum redditur, quantum debetur: ita, vt tantum, & quantum Arithmeticè sumantur, vt si quis debet decem, & soluat decem, ad æqualitatem Arithmeticam soluit. Alio modo redditur debitum nō secūdùm ęqualitatem Arithmeticam, sed Geometricā, vt cùm quis soluit secundùm suam facultatem, vel acceptationem illius, cui fit satis, vt si ei, cui debentur centum aurei, redderentur decem, & tali solutione esset contentus.

5 Vnde satisfactio est duplex. Altera perfecta, siue de rigore iustitiæ, altera imperfecta, siue ex acceptatione eius, cui fit satisfactio. Perfecta est, quando redditur æquale debito ex proprijs, & aliàs indebitis: imperfecta verò, quando redditur æquale debito non ex proprijs, & indebitis, sed ex liberalitate, & gratia eius, cui fit satisfactio, & ideò ad perfectam satisfactionem tria requiruntur.

6 Primū est, vt opus satisfactoriū nō solùm sit æquale in valore & bonitate, malitiæ, quæ est in offensa: verùm etiam vt illum valorem, & bonitatem ab ipso satisfactore participet, tanquàm à causa totali illius, sicut totalis causa malitiæ, quæ in offensa reperitur, est ipse offensor. Quare si actus satisfacientis, hunc valorem ab eo, cui fit satis, sortiatur; perfectę satisfactionis rationē habere non potest.

7 Secundum est, vt ipse satisfaciens sit omninò Dominus illius rei, per quam satisfacit, eo tempore, quo debitum soluit, vel saltem is, cui fit satisfactio, non sit principalior illius rei Dominus tempore solutionis. Itaque non tollit perfectæ satisfactionis rationē, reddere æquale debito, per id, quod à creditore acceptum est, dummodò solutionis tempore ipse satisfactor habeat vel totale dominium talis rei, vel saltem æquale cum ipso creditore. Tertium, vt id, per quod satisfactio completur, non sit creditori alio nomine, vel titulo debitum.

8 Vnde colligitur differentia perfectæ satisfactionis ab imperfecta. Illa enim reddit ęquale debito, quod ex natura sua est tale, nulla præsupposita gratia, & misericordia creditoris: hæc verò reddit æquale debito, quod est tale non ex natura sua, sed ex præsupposita gratia, & misericordia creditoris. Quare definitio satisfactionis perfectæ est, redditio voluntaria æquiualentis ex proprijs, & alias indebitis: imperfectæ verò, redditio æquiualentis secundùm facultatem debentis, & misericordiam acceptantis. Quò fit, vt si creditor maneat contentus absque eo, quòd offendens sibi aliquid reddat, dicetur quidem tunc reconciliari, vel placari offendenti, nō tamen quòd sibi satisfiat, quia satisfactio est actus iustitiæ æqualitatem constituēs inter duos, quę sine alicuius redditione constare non potest.

9 Præterea aduertendum est, quòd cùm homo satisfacit Deo pro offensa, & iniuria illi illata, talis satisfactio est redditio debiti subtracti à Deo: etenim homo peccando subtrahit Deo debitum, nempe, illud, quod sibi iure debitum est, quod est amor & honor: amorem quidē subtrahit, quatenùs aliquid diligit magis quàm Deum; honorem verò, quatenus suam voluntatem anteponit Diuinæ, præcipienti contrarium eius, quod efficit homo. Cùm autem peccatum, vt docet D. Thomas in. 4. d. 45. q. 1. art. 1. Sit quædam inæqualitas inter Deum, & hominem, pugnans cū Diuinæ Iustitiæ æqualitate, homo per satisfactionem reddit Deo debitum sublatum, & sic inæqualitatem factam per offensam reducit ad æqualitatem, vel Arithmeticam, vel solùm Geometricam, pro diuersitate sententiarum, quas infra videbimus.

10 His positis: disputandum primò est de Christi Domini satisfactione. Et primò obseruandū est, quòd siue opera Christi habeant vnum valorem, & vnam bonitatem moralem secundùm substātiam, & vnius rationis, siue multiplicem, & diuersæ rationis: nihilominùs distinguitur multiplex ratio illius valoris, nempe, per modum pretij, per modum meriti, & per modum satisfactionis, & compensæ: etenim valent ad hominum redemptionem, & sic habent se vt pretium, & oblata pecunia; item valent ad consequutionem præmij, & ita induunt rationem meriti: & prætereà valent ad reddēdum honorem pro injuria, & hoc modo eorum valor dicitur satisfactorius, & compensatiuus. Et hæc est, perfectio bonitatis moralis operum Christi, vt triplicem fundet rationem valoris. In presenti autem disputatione solùm consideratur virtus, quam habent ad satisfaciendum.

11 Secundò præmittendum est, si opera Christi considerentur ex sua primaria & specifica ratione, non esse pro peccatis hominum satisfactoria, quia illorum ratio formalis, & primaria sumitur ex obiecto, sicut in operationibus aliorū hominū, quæ in hoc sunt eiusdē rationis cū actionibus Christi. Quare sicut opera nostra de se nō sufficiūt pro aliorū peccatis satisfacere, neq; ex propria natura eò tēdūt: ita similiter nec operationes Christi, si iuxta suam speciem considerentur. Et idē dicendum est de eisdem actionibus Christi, quatenùs procedunt à natura creata præcisè: sic enim nequeunt reddere æquiualens, neq; per se ad cōpensationem pro alienis delictis ordinantur.

12 Si autem istæ actiones considerentur secundùm rationem particularem, siue illa dicatur indiuidualis, siue specifica secundùm modum, possunt pro alienis peccatis satisfacere: quoniam ex ratione particulari habent proficisci ab homine Deo infinitè grato, & accepto, & ita sunt infiniti valoris, vt Disputatione. 5. magis constabit, atque adeò possunt applicari in redemptionem & satisfactionem pro multis,

Digitized by Google

tis, nam infinitus valor satisfactorius applicabilis est etiam pro peccatis infinitorum hominum, & totius naturæ.

13 Sed obijcitur. Valor operum Christi erat personalis, & indiuiduus, ergo de se non erat satisfactorius pro aliorum peccatis. Patet consequentia, quia valor personalis respondet debito etiam personali. Si dicatur, quod erant opera capitis, ac proinde eorum valor erat communis. Contra: quia Christo ex sua natura non competit esse caput, sed ex beneplacito Dei sic ordinantis. Quod benepl acitū neq; mutat, neq; auget valorem operum secundùm se, nec facit, vt de se respiciant bonum vniuersale, si aliàs hoc de se non habebant.

14 Confirmatur, nam actus Primi Parētis ex sua ratione vniuersam naturam non respiciebant, sed ex lege, & pacto Dei. Vnde ab extrinseco habuit homines inficere, aut illis prodesse; ergo etiam Christus neq; ex se, neque ex vi suorum operum habet pro iniuria aliena, & communi satisfacere, sed ab extrinseca ordinatione.

15 Resp. Quòd sicut Christus virtute sua, & merito erat caput, & princeps, estò esset singularis homo; ita eius opera, & operum bonitas, ac valor, erant capitalia, & quæ ex merito suo poterant alijs prodesse. Et in hoc legitima est solutio assignata. Ad instantiam conceditur, fuisse ex beneplacito Dei, vt Christus ordinaretur caput nostrum, quod de facto influeret in membra, nam potuisset assumere carnem, & non destinari à Deo, vt pro nobis satisfaceret: at in tali hypothesi haberet quidem virtutem, & sufficientem valorem ad illa eadem, quæ per Christum nobis de facto obueniunt, quia esset eiusdem dignitatis, & æstimationis apud Deum.

16 Neque augetur, aut minuitur ex ordinatione Dei, quamuis fuerit necessaria conditio, vt Christus de facto pro omnibus satisfaceret. Et hoc interest inter Christum & Adamum, quòd Christus merito suo habet virtutem capitis, & semper erit caput merito & potestate: Adamus verò ex solo beneplacito Dei sic statuentis, & ordinantis: hoc est, quòd Deus solo suo beneplacito fecit Adamum caput hominum ex non capite: Christum verò, qui ex sua virtute & merito erat caput, aplicuit nobis, & sua ordinatione nos Christo colligauit, & ita totum corpus sub tali capite construxit. Hinc est, quòd cùm dicimus accipere nos gratiam per Christum, nō reducitur gratia nostra in Dei ordinationem, sed in virtutem Christi, quam sibi iure suo vendicat, & eā nobis cōmunicat: qood sane insinuatur in eo loco Ioan. 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* His præmissis est tertia in ordine disputatio.

17 Vtrùm Christus Dominus verè, & propriè satisfecerit pro peccatis generis humani. Hoc est, An in Christi actionibus, & passionibus sit aliquis valor per modum satisfactionis, & Redemptionis ad delenda hominum peccata. Vbi non inquiritur, quantus fuerit huiusmodi valor, An scilicet, fuerit minor, vel æqualis, aut superabundans respectu debiti: sed absolutè, An illis conueniat iste valor in ordine ad hunc effectum. Et quia in Redemptione soluitur pretium pro re, quæ redimitur, & in satisfactione pro debito, quod soluitur: ideò per valorem intelligitur pretium, quo interposito homines redimerentur, eorumq; debitum solueretur. Præterea, quia satisfacere, & redimere non sunt idem, quia satisfacere est efficere id, quod debetur, aut offenso ad vindictam: aut creditori ad solutionem; at verò redimere importat recuperationem iuris, possessionis, aut libertatis, reddito pretio pro re semel amissa: ideo distinctè inquiritur, An in Christi actionibus & passionibus sit valor per modum satisfactionis, & Redemptionis, idest, pretium, quo fiat hominum reparatio his duobus modis, nempe, aut pro illis satisfaciendo, aut eos redimendo. Et negatio probatur.

Proponuntur Argumenta. §. II.

PRIMVM Est: quia nomina quibus Christi satisfactio in Sancta Scriptura significatur, cōueniunt satisfactioni Christi per Methaphoram duntaxat: ergo Christus verè, & propriè non satisfecit, sed tantùm Methaphoricè. Antecedens probatur, quià in Sancta Scriptura satisfactio Christi vocatur emptio, & Redemptio, sed hæc nomina per Methaphoram tantùm illi conueniunt: etenim non fuit propriè & verè emptio, quia cùm nullus fuerit venditor, neq; etiam propriè fuit emptor Neq; etiam fuit propriè Redemptio, quia hæc importat liberationem captiui, dato pretio illi, qui eum detinebat captiuum: sed Christus non persoluit pretium Dæmoni, qui genus hominum non detinebat captiuum; neq; Deo, qui non potuit homines detinere captiuos, vt constat ex omnibus locis Sacræ Scripturæ, in quibus fit sermo de hominum captiuitate, & in eis significatur homines ratione huius captiuitatis impelli in varia peccata; quod de Deo affirmari non potest: ergo. 18

19 Secundò. Ex pluribus locis Sacræ Scripturæ constat, opus nostræ Redemptionis fuisse opus summæ gratiæ, & misericordiæ: ergo gratis, & non per satisfactionem Redempti sumus, & reconciliati Deo. Antecedens probatur ex illo ad Roman. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per Redemptionē, quæ est in Christo Iesu.* Vbi Paulus per Redemptionem Christi docet nos gratis iustificari: ergo gratis Deus nobis condonat peccata, & non per satisfactionem. Idem docet Paul. ad Ephes. 1. cùm ait. *In quo habemus Redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundùm diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis.* Ergo nobis gratis remittuntur peccata, per Redemptionem, quæ est in Christo Iesu. Cui consonat illud ad Colos. 1. Vbi ait Paulus, Deum condonasse nobis omnia delicta. Ergo non remisiit per iustam satisfactionem.

20 Tertiò, quia peccata eorum, qui Christum præcesserunt, iam erant à Deo remissa, quando Christus venit in mundum: ergo pro illis Christus non satisfecit, siquidem iam erant remissa ante vllam Christi satisfactionem.

21 Quartò, quia Christus non satisfecit pro illis peccatis, quæ à Deo non sunt remissa, & plura sunt, quàm pro numero. Dices, satisfecisse quidem quò ad sufficientiam, non verò quò ad efficaciam. Contrà obijcitur. Satisfactio includit acceptationem Dei: sed satisfactio Christi non est accepta à Deo pro illis peccatis, quæ ab ipso non sunt remissa; ergo Christus pro illis Deo non satisfecit.

22 Confirmatur. Christus non satisfecit pro illis peccatis, pro quibus suam satisfactionem non obtulit: sed

Digitized by Google

pro illis peccatis, quæ non sunt à Deo remissa, non obtulit suam satisfactionem, ergo pro illis non satisfecit. Maior patet, & minor probatur: quia si Christus obtulit Deo suam satisfactionem pro omnibus peccatis, ergo Deus acceptauit illam pro omnibus, quia debuit Christus exaudiri pro sua reuerentia, ergo nullum peccatum est, quod Deus non remiserit, sed consequens est falsum, ergo.

23 Quintò. Christus noluit, vt essent participes suæ satisfactionis illi, quibus ea non applicaretur per Sacramenta, vel per proprias dispositiones Deo auxiliante: ergo absolute noluit, vt eius satisfactio prodesset illis, quos videbat non posse, nec Physicè, nec moraliter recipere sacramenta, nec proprias habere dispositiones: & ex consequenti pro illis non satisfecit. Consequentia probatur. Si aliquis Rex ad redimendos captiuos magnam auri copiam mitteret ad infideles, nollet autem vt illa pecunia redimerentur, nisi illi, qui videre possent pretium, quod pro illorum libertate daretur: certè talis Rex non diceretur voluisse redimere eos à Natiuitate, tametsi copia auri, quam misit, esset sufficiens ad illos redimendos, & ipse optaret, vt nullus esset captiuus, qui esset cæcus à Natiuitate. Ergo similiter, si Christus ita obtulit suam satisfactionem pro nobis, vt nollet, quòd pretium sui sanguinis actu prodesset, nisi valentibus recipere sacramenta, certè neque quoad sufficientiam dicetur voluisse redimere eos, qui in vteris maternis decedunt, qui vt sic sunt incapaces sacramentorum.

24 Confirmatur; quia neq; stat per hos pueros, neq; per parentes, neque per ministros Ecclesiæ, quominus actu redimantur, & remittantur eorum peccata originalia, ergo solùm per Deum stat: ac proinde Deus non acceptauit pro eis Redemptionem Christi, neque Christus pro illis eam obtulit.

25 Sextò. Christus non potuit satisfacere pro peccatis contra ipsum commissis, vt erat Deus homo: ergo non satisfecit pro omnibus peccatis. Antecedens probatur: quia idem omninò esset offensus, & satisfaciens. Esset enim offensus, quatenus Deus homo, & satisfaciens similiter quatenus Deus homo.

26 Confirmatur. Christus non satisfecit vt Deus tantùm, neq; vt homo præcisè, neque vt Deus homo; ergo nullo modo satisfecit. Tertia antecedentis pars patet ex probatione præcedente, quia idem omninò esset offensus, & satisfaciens. Prima pars similiter constat, quia Deus vt Deus non est capax satisfactionis. Secunda etiam probatur; quia aliàs humanitas Christi gratia, & habitibus supernaturalibus exornata esset principium, quod, satisfactionis immediatum, atq; adeò diceretur satisfacere, quod est falsum. Antecedens probatur. Humanitas vt sic considerata est habens virtutem, & potentiam liberè eliciendi suos actus, est enim ipsa virtus elicitiua: ergo non solùm est causa suorum actuum, vt quo, sed absolutè est causa efficiens libera, vt quod; aliàs esset non habens virtutem. Consequentia probatur, primò à simili, quia materia dicitur recipere formam, & illam sustentare, & forma dicitur informare materiam, & vtraque causare compositum. Item sæpè in Sancta Scriptura oculus dicitur videre, & auris audire, & intellectus intelligere: & apud Philosophos communes sunt hæ locutiones: & calor dicitur etiā calefacere: ergo veriùs, & propriùs dicetur humanitas videre, audire, intelligere, & ex consequenti satisfacere. Secundò probatur eadem cōsequentia, quia hic est optimus discursus. Homo solùm intelligit per animam independenter à materia, ergo anima à corpore separata intelligit. Ergo hæc etiam erit bona consequentia: Verbum Diuinum solùm ratiocinatur, adorat, & obedit Deo per humanitatem: ergo humanitas, vt præcisa ab vnione Verbi, verè ratiocinatur, adorat, & obedit Deo. Consequentia patet, quia non implicat humanitatem per Dei potentiam existere sine vlla subsistentia, sed si ita existeret, eodem modo esset causa suarum operationum, ac nunc est; ergo sicut tunc diceretur, amare, intelligere, peccare, vel mereri. sic etiam quamuis sit vnita personalitati, verè, & propriè dicentur hæc de ipsa humanitate.

Septimò. Peccatum primi parentis traduci non potuit nisi ad eos, qui in ipso, cum peccauit, continebantur, vt in capite: ergo similiter satisfactio Christi prodesse non potuit hominibus, vt ab isto peccato liberarentur, nisi in ipso Christo, cùm satisfecit, vt in capite continerentur. Patet consequentia; quia sicut peccatum, vt imputetur ad culpam, debet esse personale, aut capitis, sic etiam satisfactio, vt in solutionem acceptetur, debet esse personalis, aut capitis. Sed in Christo non continebantur homines vt in capite, quia non sunt ab eo propagati per naturalem generationem: ergo satisfactio illius hominibus prodesse non potuit, ad eos liberandos à peccato, contracto per originem à Primo Parente. 27

Dices, homines contineri in Christo tanquàm in capite morali, licèt nō vt in capite naturali. Contra: quia nullus potest esse caput aliorum in esse morali, nisi etiam sit caput in esse naturali, vt constat in Adamo, quem Deus constituit caput omnium hominum in esse morali, quia erat illorum caput in esse naturali: etenim quia dedit Adamo vim propagandi, & disseminandi naturam in cunctos homines futuros, dedit pariter originalem iustitiam, & gratiam, vt eam in posteros transfundere posset, ea lege & conditione, vt si ipse peccaret, amitteret hæc dona sibi & alijs: & ideò dicitur caput omnium hominum tam in esse naturæ, quàm in esse moris. Sed Christus non fuit caput omnium hominum in esse naturæ: ergo neq; in esse moris. 28

Octauò. Si Christus pro peccatis generis humani satisfaceret, sequeretur, omnes homines fuisse Redemptos, & liberatos à peccato; sed consequens est falsum, quia multi moriuntur in peccato originali, ergo. 29

Conclusio tenenda. §. III.

NIHILOMINVS Certum est secundùm fidem, Christum Dominum verè, ac propriè satisfecisse, ita vt in eius actionibus, & passionibus fuerit simpliciter, & absolutè valor per modum satisfactionis & Redemptionis ad reparandum genus humanum. Hæc cōclusio est vnum ex potissimis nostræ fidei fundamentis, & probatur ex illis locis, in quibus dicitur Christus nos dilexisse, & lauisse à peccatis nostris, vt Apocalip. 1. vel semetipsum pro nobis tradidisse, vt ad Ephes. 5. ad Galat. 3. & 1. Ioan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantū, sed 30

sed etiam pro totius mundi.* Speciatim autem significatur, Christum satisfecisse, quotiès in Scriptura dicitur, ipsum fuisse passum mortem, & dolores propter peccata nostra: hoc est, vt nos à peccatis liberaret. Vt Isaiæ. 53. *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Et 1. Petri. 3. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, &c.* Item cùm dicitur, Christum assumpsisse in se peccata nostra. Cùm enim hoc intelligi nequeat de peccatis quò ad culpam, sed de eo, quod iustitiæ vindicatiuæ Dei propter nostra crimina debebatur, aperte innuitur; hoc Christum exoluisse: vt Isaiæ. 53. *Disciplina pacis nostræ super eum.* Hoc est. Sustinuit castigationem, & pœnam pro peccatis nostris debitam. Et 1. Petri. 3. *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* Et hoc aperte explicatum est illis verbis Psal. 68. *Quæ non rapui, tunc exoluebam.* Hoc est: quod non commerui subtrahendo Deo id, quod ipsi debebatur, nempe, obedientiam, honorem, aut cultum, tunc patiendo soluebam.

31 Præterea. Christum redemisse homines, eosq; à Dæmonis potestate liberasse, apertissimè dicitur pluribus locis: vt Isaiæ. 52. *Gratis venundati estis, & sine argento redimemini.* Et cap. 49. *Nunquid tolletur à forti præda? Aut quod captiuum fuerat à robusto, saluum esse poterit? Quia hæc dicit Dominus: equidem & captiuitas à forti tolletur, & quod ablatum fuerit à robusto, saluabitur.* Et Infra concludit. *Et sciet omnis caro; quia ego Dominus saluans te, & Redemptor tuus fortis Iacob.* Et Matth. 20. *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & darè animam in Redemptionem pro multis.* Idest, vitam suam in pretium Redemptionis. Et 1. ad Corint. 6. *Empti enim estis pretio magno, &c.* Et cap. 7. *Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum.* Et ad Colos. 1. *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, &c.* Et cap. 2. *Expolians Principatus & potestates, &c.* Et 1. ad Timot. 4. *Deus Saluator omnium maximè fidelium.* Et ad Titum 1. *Dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate.* Et ad Hebr. 9. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta æterna Redemptione inuenta.* Et 1. Petri. 1. *Non corruptibilibus auro, vel argento Redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati, & incontaminati Christi.* Et Apocalip 5. *Redimisti nos Deus in sanguine tuo.* Sunt denique innumera alia Sanctæ Scripturæ testimonia, in quibus significatur, Christum Dominum pro nobis satisfecisse: quæ secundum vocum proprietatem intelligenda sunt, nisi ipsa necessitas ad Methaphoram reccurrere cogat, quæ nulla talis necessitas est in præsenti. Est similiter hæc conclusio recepta omnibus Patribus, & Theologis, vt ex Disputationibus sequentibus constabit: quare in eius probatione non est amplius immorandum.

Solutio Argumentorum. §. IIII.

32 PRIMVM Argumentum petit, An genus humanum propter peccatum Primi Parentis esset captiuum, & sub cuius potestate esset captiuum, nam Redemptio supponit captiuitatem in persona Redempta. Sed breuiter Respondetur, fuisse captiuum sub Dæmonis potestate, quod quidem est de fide tenēdum, vt constat ex varijs Sacræ Scripturæ testimonijs; quæ colligunt Driedo lib. de Captiuitate & Redemptione generis humani tract. 1. cap. 1. & Vega lib. 2. in Concil. Trident. cap 12. Et est definitum in eodem Tridentino sess. 5. Decreto de peccato originali paragrapho 1. Vbi damnatur, qui non confitetur, primum hominem peccando *Incurrisse captiuitatem sub eius potestate; qui mortis deinde habuit imperium, hoc est Diaboli.* Et sess. 6. Decreto de Iustificatione cap. 1. Vbi definitur, oportere, vt vnusquisq; agnoscat, & fateatur, omnes homines in præuaricatione Adæ factos fuisse seruos peccati, & sub potestate Diaboli, & mortis.

Consistit autem hæc seruitus & captiuitas in obligatione ad pœnam, & in facilitate, & promptitudine quadam ad incidendum in varia peccata: nam priuatur homo facultate, & vi ad resistendum peccatis; & ad bene operandum, quod est priuari quodammodò libertate, & ex consequenti fieri captiuum, & seruum, nam captiuus & seruus in hoc differt à libero, quòd non habet eam libertatis plenitudinem, quam habet liber. Hoc autem non est sic accipiendum, quasi homo in hac captiuitate constitutus careat libero arbitrio, & libertate, atq; indifferentia ad bonum & malum: ita vt inuitus, & sine libero consensu in peccata trahatur; vt Hæretici impudenter dicunt: sed est intelligendum de imminutione, & imbecillitate libertatis ad vitandum malum, & prosequendum bonum propter subtractionem virtutis superadditæ naturæ, ad resistendum occasionibus impedientibus vtrumque. Dicuntur autem homines detineri captiui sub Dæmonis potestate, non quia Dæmon habuerit Dominium hominū, aut esset eorum Iudex, sed quia erat deputatus minister executor pœnæ ipsorum, quia poterat eos punire, & in infernum deducere, si ab hac vita sine gratia decederent. Et præterea, quia habebat potestatem eos tentandi, & alliciendi ad peccandum, non solùm externa propositione, & sine vlla eorum molestia sicut antè peccatum, sed etiam interna suggestione, ipsis etiam inuitis, & conātibus à se depellere molestiam tentationis. 33

Ad argumentum igitur Respondetur, quòd licet nomina emptionis, & Redemptionis interdùm conueniant satisfactioni Christi per Methaphoram, quatenus homo per peccatum quasi venditus, & sub Dæmonis potestate, & captiuitate constitutus, iuxta illud Isaiæ. 50. *Quis creditor meus, aut cui vendidi vos: ecce in iniquitatibus venditi estis:* Per Christi satisfactionem in Dei amicitiam, & veram libertatem fuit vindicatus, ratione cuius speciali quodam iure & Dominio pertinet ad Christum, vt hæreditas illius, Iuxta illud Psal. 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam:* Nihilominùs tamen dicendum est absolutè, Redemptionem cum tota proprietate conuenire satisfactioni Christi, quatenùs dato sui sanguinis pretio eripuit nos à Dæmonis seruitute, neque est necessarium ad propriam rationem Redemptionis, quòd pretium sit ipsi Dæmoni solutum, quia ei, qui tantùm vt minister detinet captiuum sub sua potestate, pretium Redemptionis non est soluendum. Diabolus verò solùm dicitur habuisse hominem sub sua potestate, vt minister Diuinæ iustitiæ, quæ habebat ius puniendi hominem, eumq; punire voluit interuentu Dæmonis tamquam 34

executores.

executoris. Et in hoc sensu Christus Ioan. 12. Appellat Dæmonem Principem huius mundi. Et Paul. 2. ad Timot. dicit, ipsum habuisse mortis imperium. Emptio autem in Sancta Scriptura sumitur pro Redemptione, vt 1. Corint. 6. *Empti enim estis pretio magno.* Et Christus dicitur emisse homines à Deo, quia eos à misero statu peccati eripuit, ipsi Deo soluens pretium, & compensationem. Ad hoc verò necessarium non fuit vendere Deum Christo ipsos homines, aut eorum Dominiũ à se abdicare, sed satis fuit acceptare pretium sibi oblatum pro illorum liberatione.

35 Ad secundum argumentum Respondetur, in opere nostræ reparationis summam iustitiam cum summa gratia fuisse coniunctam. Et ideò licet Deus respectu Christi, & satisfactionis eius ex perfectissima iustitia peccata remittat, respectu tamen nostri omninò gratis condonat. Simile quid contingit, cùm captiuus iusto pretio redimitur: illa enim Redemptio, vt captiuo applicatur, illi gratis tribuitur. Vt verò dimanat à redimente, est opus iustitiæ.

36 Ad tertium Respondetur, quòd sicut emptio fieri potest credita pecunia; sic etiam remissio peccati potest fieri credito honore, & recumpensatione iniuriæ. Et hoc modo remisit Deus peccata eorum, qui Christum antecesserunt, nempe, intuitu futuræ satisfactionis Christi, quod optimè declarat Anselmus lib. 2. Cur Deus homo, exemplo Regis, qui omnibus habitatoribus alicuius Ciuitatis, quæ illum grauiter offendit, parceret propter seruitium, quod sciret tali die à se constituto exhibendum fore ab aliquo innocente alicuius ciuitatis, quo exemplo omnes ferè vtuntur.

37 Ad quartum Respondet Ioannes de Medina codice de satisfactione tract. 3. Christum non satisfecisse pro illis, in quibus eius satisfactio efficaciam non habuit; sed respectu eorum potuisse satisfacere, non tamen actu satisfecisse. Ex quo infert, operationem Christi non esse appellandam satisfactionem pro peccatis non remissis à Deo, sed operationem satisfactoriam: quemadmodùm si decem aurei ab aliquo offerantur in Redemptionem pro captiuo, ipse autem nolit à captiuitate exire, illa pretij Oblatio non appellabitur Redemptio captiui, tametsi esset actus Redemptiuus, quatenus ex se est.

38 Cæterùm hæc sententia Medinæ est contraria communi modo loquendi Sacræ Scripturæ, conciliorum, & Patrum: nam Sacra Scriptura non solùm docet, prædestinatos esse à Christo Redemptos, verùm etiam reprobos. Et vniuersim omnes homines nemine dempto. Iuxta illud 1. Ioan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.* Et Psal. 129. dicitur. *Copiosa apud eum Redemptio, & ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius.* Et 1. ad Timot. 2. *Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: vnus enim Deus, vnus & mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit Redemptionem semetipsum pro omnibus.* Ergo nullus est, pro quo Christus non se obtulerit morti: ac proindè pro omnibus satisfecit quantùm ad sufficientiam. Consequentia patet, quia implicat, Christũ esse omnium Redemptorē, & pro omnibus sufficienter nõ satisfecisse: illi enim, pro quibus nõ satisfecit, non dicitur ab illo Redempti.

Reiecta ergo huiusmodi solutione, ad argumentum 39
Respondetur, solutionem ibidem assignatam esse legitimam. Impugnationi autem dicitur, Deum dupliciter acceptasse satisfactionem Christi. Primò ad offerendum, quantùm in se est, veniam omnium peccatorum, nam quantùm in se fuit, voluit dimittere omnia peccata contra ipsum commissa, ex meritis Christi illis omnibus, quibus talis satisfactio applicaretur. Et Generalia auxilia omnibus tribuit, quibus possent esse satisfactionis Christi participes. Paruulis autem in parentibus sufficienter prouidit, obuiaus voluntate antecedente, vt ab hac salute nullus excluderetur. Alio modo potest intelligi, satisfactionem Christi acceptatam esse à Deo ad tribuendam actu veniam, & non solùm ad eam offerendam. Et hoc posteriori modo non acceptatur satisfactio Christi nisi adimpleta conditione, sine qua Christus noluit, vt eius satisfactio actu acceptaretur ad conferendam veniam: & propterea non est efficax respectu eorum, in quibus conditio non adimpletur, quamuis sit sufficiens.

Ad confirmationem Respondetur, Christum obtu- 40
lisse suam satisfactionem pro omnibus, neminem, quantùm in se est, excludendo. Adhuc tamen requisiuit ad applicationem huius satisfactionis aliquid ex parte hominum. Et sic Deus acceptauit satisfactionē Christi pro hominibus, si per ipsos homines non staret, quominùs fierent participes illius non adimplendo conditionem.

Ad quintum, quod est replica præcedentis solutio- 41
nis, concesso antecedenti negatur consequentia, quia licèt Christus noluerit, vt eius satisfactio prodesset actu nisi illis, qui se disponere, vel Sacramenta recipere possent, non propterea noluit, vt eius satisfactio non posset alijs prodesse, quantùm ex se est, quia aliud est nolle, vt actu prodesset, aliud verò nolle, vt non posset prodesse. Primum noluit Christus, non verò secundum. Et quia eorum indispositio ab ipso non promanauit, quin potiùs voluntate antecedente voluit, vt omnes suæ satisfactionis participes esse possent, & ad hoc per generales causas sufficienter prouidit, ideò suam satisfactionem pro omnibus obtulisse dicitur, & quò ad sufficientiam, quantûm in se est, pro omnibus satisfecisse. Ad exemplum, quo probatur consequentia, dicitur, esse disparem rationem in Redemptione Christi, & in illa Regis: quia Christus, vt Deus, per naturales causas sufficienter prouidit, vt omnes nasci possent, & recipere Sacramenta: ille verò Rex exclusit cæcos à Natiuitate, nec sufficienter prouidit per causam aliquam naturalem, vt non essent huiusmodi cæci. Quòd si aliqui (nam causæ naturales se inuicem impediunt) nasci non possunt, id quidem non est ex primaria intentione Diuina, qua vult omnes homines saluos fieri: & illos ordinauit per media sufficientia, tametsi vniuersalia, ad supremam beatitudinem, nempe, ad claram illius visionem.

Ad confirmationem Respondetur, sæpe propter pec- 42
cata parentum filios malè concipi, & ideò nasci non posse. Sæpe etiam sine peccato, liberè tamen aliquid efficiunt, ex quo sequitur abortus. Sæpè insuper causatur abortus ab aliqua causa libera impedimentum ponente. Denique ferè semper reducitur hic effectus in actum aliquem liberum, vel parentum, vel alterius, quem

quem Deus impedire non tenebatur. Quòd si aliquando in causam aliquam naturalem necessariam reducatur, id quidem est per accidens, Deo permittente, vt causæ naturales mutuò se impediant, tametsi cuilibet dederit virtutem sufficientem ad producendum, vel generandum sibi simile. Quarè per Deum nunquàm stat, quominùs aliquis sine baptismo decedat, sed interdùm stat per parentes, interdùm verò per causas naturales se se impedientes.

43 Ad sextum Respondet Suarez hîc Disput. 4. sectio. 5. in offensis factis contra Christum. v.g. in alapa inflicta à seruo Pontificis, duplicem rationem offensæ posse considerari. Alteram contra Deum, quatenùs talis inflictio alapæ fuit transgressio Diuini præcepti, & in hac ratione offensæ consistit malitia peccati, vt peccatum est: alteram verò, prout erat contra ius peculiare humanitatis Christi. Et secundùm hanc considerationem non habuit rationem peccati. Et Christus non satisfecit pro illa iniuria sibi, vt homini, facta, sed eam liberaliter condonauit: satisfecit autem pro illa secundùm priorem rationem, quatenùs erat peccatum, & offensa Dei: & sic non erat idem omninò offensæ, & satisfacient.

44 Nihilominùs hæc solutio non satisfacit, quia licet in iniurijs factis puris hominibus hæc duplex ratio offensæ reperiatur, altera contra Deum, quatenùs violatio iuris particularis proximi est peccatum, & offensa Dei, altera verò purè contra creaturam, qua ratione offensa contra illam non est peccatum: & ideo optimè dixit Dauid Psal 50. *Tibi soli peccaui,* Tametsi offendisset Vriam: at in iniurijs factis contra Christum, vt homo erat, nequit separari iniuria contra Deum ab iniuria peculiari Christi, vt homo erat: primò, quia in iniuria facta contra Christum, vt erat homo, intrinsecè includitur iniuria facta Diuinæ personæ: ergo, &c. Antecedens probatur. Per iniuriam, qua offenditur Petrus, non solùm offenditur eius humanitas, verùm etiã vilipenditur eius personalitas: ergo per iniuriam, qua offenditur Christus, vt homo, non solùm offenditur eius humanitas, sed etiam speciali quadam ratione offenditur eius Diuina Personalitas: qua quidem ratione non offenditur personalitas Patris, neque Spiritus Sancti. Antecedens probatur; nam per iniuriam factã contra Deum non tantùm offenditur eius Diuinitas, sed etiam offenduntur tres Diuinæ Hypostases: ergo per iniuriam factam contra Christum, vt homo est, non solùm offenditur eius humanitas, verùm etiam ipsius Personalitas Diuina. Quarè si Christus condonanit particularem eius iniuriam, vt homo erat, etiam condonauit illam, vt erat offensa Diuinæ Personæ ipsius.

45 Confirmatur; quia Christus, vt est homo, non est creatura: ergo si condonauit offensam contra ipsum factam, vt homo est, remisit illam, vt est facta contra Deum. Secundò. Verbum Diuinum, quatenùs vnitum humanitati, habet peculiare ius, & Dominium respectu illius humanitatis, vt propriæ naturæ, quod vt sic non habent Pater, & Spiritus Sanctus, quod quidem à Caietano infra. q. 48. art. 5. appellatur personale: ergo quænis humanitatis læssio erat etiam læssio huius Diuini Iuris Personalis Verbi, vt vniti humanitati. Ergo iniuria facta contra Christum, vt homo est, essentialiter includit iniuriam specialem, & particularem factam contra Verbum Diuinum: ergo non potuit Christus remittere iniuriam factam contra ipsum, vt erat homo, quin etiam remitteret illam, vt aliquo modo erat contra ipsum, quatenus erat Deus; sub qua ratione videtur habere rationem peccati.

Mag. Vincentius relectio. de gratia. q. 5. art. 2. Dub. 1. In Responsione ad primum, Respondet simili argumento, peccatum specialiter commissum contra aliquam Personam Diuinam, cuiusmodi est peccatum in Spiritum Sanctum, & blasphemia Arriana, & Iudaica contra Filium, non habere rationem peccati, vt specialiter, & immediatè est contra talem Personam, sed vt est contra Deum, vt communis est tribus Personis, sub qua ratione est legislator. Vndè inquit, peccatum aliquod posse materialiter respicere vnam, vel alteram Trinitatis Personam: & sub hac sola ratione esse satisfactionis materiam. Quarè consequenter tenetur concedere, Christum non satisfecisse pro iniurijs factis specialiter, & immediatè contra ipsius personam Diuinam, quatenùs speciales, & immediatæ iniuriæ illius sunt, quamuis pro illis satisfecerit, vt sunt offensæ totius Trinitatis, & transgressiones Diuini præcepti: sicut non satisfecit pro iniurijs factis contra Spiritum Sanctum, vt specialiter, & immediatè sunt contra Spiritum Sanctum. 46

Alij Respondent, Christum non solùm satisfecisse Deo pro iniurijs sibi illatis, vt illæ erant offensæ Dei, vt communis toti Trinitati, sed etiam potuisse satisfacere Deo, ac verè satisfecisse pro iniurijs sibi illatis, vt speciatim, & immediatè erant contra ipsum, vt homo erat. Horum autem fundamentum est, quia cùm Deus sit omnium Dominus, potuit Christus ita pacisci cum Deo, vt illi satisfaceret etiam pro speciali, & immediata ratione iniuriæ contra ipsius humanitatem, sicut potuit satisfacere Deo, vt Domino absoluto omnium rerum (si pactum intercederet) pro iniuria facta Petro, vt Petro. Hoc igitur contractu inito inter Christum & Deum, aiunt, Christum satisfecisse Deo pro iniurijs factis immediatè contra suam humanitatem, vt erant offensæ ipsius humanitatis, quia Deo, vt vniuersali Domino, satisfieri potest pro peculiaribus iniurijs cuiuscumq; naturæ creatæ: quo pacto est sufficiens distinctio inter eum, qui satisfacit, nempe, Christum, Deum & hominem, & eum, cui immediatè fit satisfactio, videlicet, Deo, tametsi distinctio non sit inter eum, cui immediatè facta est iniuria, & eum, qui satisfacit pro iniuria, quæ distinctio non requiritur ad rationem satisfactionis. 47

Si verò his obijciatur, hac ratione Christum tantùm satisfecisse Deo pro iniurijs, vt immediatè factis contra ipsius humanitatem, & non pro illis, vt specialiter erant contra Diuinam ipsius Personalitatem, vt humanitati vnitam, quoniam hac ratione huiusmodi iniuriæ erant contra rationem increatam, cuius Deus non erat Dominus: Respondet, pro hac ratione iniuriæ sic acceptæ, potuisse Verbum ipsum toti Trinitati satisfacere per opera naturæ creatæ, quam sustentabat, & sic nullam rationem iniuriæ esse in offensa contra Christum, v.g. in alapa illi inflicta, pro qua non satisfecerit Deo, vt Deus homo erat. Quarè semper est distinctio inter satisfacientem, & eum, cui fit satisfactio, quamuis 48

quamuis non sit distinctio inter offensum, vt specia-tim offensum, & satisfacientem.

49 His tamen non obstantibus probabilius videtur, Christum non solùm satisfecisse Deo pro iniurijs contra se factis, vt illæ erant offensæ communes totius Trinitatis, sed etiam vt erant peculiares, & immediatæ offensæ Personæ Diuinæ ipsius. Et probatur. Primò: quia formalitas iniuriæ factæ contra Personam Diuinam Christi, vt specialiter factæ contra ipsam, verè pertinet ad rationem peccati, & auget malitiam ipsius: & ideò peccatum Iudæorum crucifigentium Christum fuit maximum, & sub ea ratione fuit crimē læsæ maiestatis Diuinæ: ergo huiusmodi formalitas iniuriæ non est extra iniuriam, quam includit peccatū Iudæorum, vt peccatum est.

50 Secundò: quia Christus non solùm satisfecit Deo pro blasphemijs factis v. g. contra Personam Spiritus Sancti, prout erant iniuriæ totius Trinitatis, verùm etiam quatenùs erant immediatæ, & particulares iniuriæ Personæ Spiritus Sancti: ergo similiter non satisfecit solùm pro iniurijs, & blasphemijs contra Diuinam ipsius Personam, prout solùm erant iniuriæ totius Trinitatis, sed etiam quatenùs erant peculiares, & immediatæ iniuriæ Personæ Diuinæ ipsius. Antecedens probatur: quia iniuria & offensa Regis immediatè illata personæ ipsius, non tantùm habet grauitatem, quia est contra Regis præceptum, sed quia taliter est contra præceptum Regis, vt sit transgressio immediatè exercita in ipsa persona Regis. Ergo similiter crescit ratio iniuriæ in peccato, ex eo quòd sit transgressio præcepti immediatè exercita circa Diuinam Personam præcipientem.

51 Confirmatur. Actus virtutum Theologicarum indè sumunt magnam perfectionem in esse virtutis, quòd immediatè versentur circa Deum: ergo actus peccatorum indè sumunt magnam deformitatem, quòd sint immediatè, & specialiter contra aliquam Diuinam Personam. Ergo alapa inflicta Christo non indè solùm accepit grauitatem offensæ, quæ pertineat ad grauitatem peccati, vt peccati, quia erat contra præceptum naturale, & Diuinum non inferendi alteri iniuriam, sed quia erat peculiari ratione contra Personam Diuinam Verbi.

52 Postremò Quò grauior est Persona, quæ offenditur in humanis, eo grauior est iniuria: ergo alapa Christo inflicta, vt fuit specialis iniuria Personæ Diuinæ supponentis naturam humanam, verè excedit omnem grauitatem offensæ, quæ contra creaturam fieri potest: ergo vt sic pertinet formaliter ad rationem peccati, de cuius essentia est, offensam esse creatoris.

53 Sed obijcitur. Sequitur ex hoc, Personam Verbi, quatenùs offensam, satisfecisse toti Trinitati, & cōsequenter sibi ipsi. Ex quo etiā infertur, satisfactionem Christi fuisse ex bonis personæ offensæ, vt offensæ, quod videtur esse contra rationem satisfactionis, saltem perfectæ, & rigorosæ. Consequentia probatur: quia Persona Verbi hoc speciali modo non est offensa, nisi prout vnita humanitati, & vt sic confert infinitum valorem actibus humanitatis: ergo quatenùs offensa satisfacit ex bonis, quæ sunt peculiariter illius, vt offensa est. Respondetur, quòd licèt Persona Verbi vnita humanitati dupliciter sit offensa per alapam Christo inflictam modo iam explicato, non tamen remittit dupliciter hanc duplicem rationem offensæ, sed vnico, & eodem modo; quo vnico, & indiuiso Pater, & Spiritus Sāctus vtramque rationē offensæ remittunt: quia remissio est actus voluntatis, ad tres Personas æqualiter pertinens. Quarè licèt Persona Verbi, vt vnita humanitati, sit specialiter offensa, non tamen specialiter condonat hanc specialem offensam, sed simul cum Patre & Spiritu Sancto: quo pacto intelligitur solùm terminare naturam Diuinam. Et hac ratione Personæ Christi non fit satisfactio reduplicatiuè sub ea formalitate, sub qua est satisfaciens, quia sic intelligitur, & est vnita humanitati. At verò vt admittens satisfactionem, solùm intelligitur, vt terminans naturam Diuinam, & consequenter non fit illi satisfactio ex bonis, quæ nō sunt specialiter propria ipsius, vt est Persona satisfaciens, quæ non sint propria ipsiusmet, vt est persona, cui fit satisfactio, atque adeò offensa sub aliqua ratione.

54 Sed replicatur. Tota Trinitas non est offensa eo peculiari modo, quo Persona Verbi est offensa per alapam inflictam Christo: ergo satisfactio pro hac peculiari ratione offensæ non est exhibenda toti Trinitati, sed soli Personæ Verbi. Respondetur, idem esse dicendum de offensa speciali contra Spiritum Sanctum, vel Patrem. Quarè neganda est consequentia, quia propter identitatem voluntatis, ad totam Trinitatem pertinet remissio cuiuslibet offensæ particularis alicuius Personæ Trinitatis, etiam vt est specialis iniuria talis Personæ Trinitatis.

55 Præterea instatur. Peccatum non est peccatum nisi sub ea formalitate, sub qua est transgressio Diuini præcepti, sed vt transgressio Diuini præcepti, terminatur ad omnes personas, & non ad aliquam in particulari: ergo peccatum, vt peccatum, non est offensa alicuius Personæ particularis, sed totius Trinitatis: Ergo particularis ratio offensæ contra aliquam Diuinam Personam, vt peculiaris offensa ipsius reduplicatiuè, non pertinet ad rationem peccati. Ad argumentum concessa maiori negatur minor: quia alapa inflicta Christo (& idem est de blasphemia contra Spiritum Sanctum, vel Patrem) vt est peculiaris iniuria illius, verè est specialis offensio legislatoris, & specialis auersio à Persona Verbi, vt in illa consistit etiam nostra beatitudo. Atque adeò illa peculiaris ratio offensæ contra Personam Diuini Verbi, vt est specialis læsio Iuris Diuini ipsius, est etiam transgressio præcepti ipsius: ad quod non est opus, vt ita præceptum sit à Persona Verbi, vt eo modo non sit à Persona Patris: quia fieri potest, vt licèt præceptum specialiter non sit à Verbo, sed generaliter à Patre, & Spiritu Sancto, transgressio præcepti specialiter sit contra Verbum: atq; adeò vt specialiter est contra Verbum, est peccatum, & pro illo Christus satisfecit etiam sub hac formalitate.

56 Rursus asserendum est, quòd si sermo sit de iniurijs factis contra Christum, vt immediatè sistebant, & terminabantur in ipsius humanitatem, valdè probabile est, Christum eas remisisse, quia vt sic non habent rationem peccati. Et hoc videtur conueniens, vt Christus nobis exemplum daret remittendi nostras iniurias. Et quia vt sic non satisfecit Christus pro iniurijs factis contra alios homines: ergo

neque

neque pro injurijs factis contra femetipsum. Neque argumenta facta contra primam solutionem, probant oppositum huius: quia licèt Christus condonauerit injurias contra ipsius humanitatem factas, vt solùm erãt injuriæ humanitatis, non tamen illas remisit, vt erant injuriæ Personæ Diuinæ ipsius, etiam vt vnitæ humanitati, quia vt sic participabant rationem peccati.

57 Vltimò. Probabile est, Christum etiam Satisfecisse Deo, vt supremo Domino pro injurijs humanitatis ipsius, etiam vt erant propriæ humanitatis, quia nulla ratio assignari potest, propter quam offensus, etiam vt offensus, nequeat Satisfacere alteri distincto pro iojurijs factis contra seipsum, dummodò huiusmodi injuriarum remissio aliqualiter pertineat ad alterum, cui debet fieri Satisfactio. Neque hoc repugnat rationi iustitiæ in communi, vt est virtus ad alterum, neque rationi particulari Satisfactionis, quatenùs est compensatio injuriæ: & ita Seruus si aliqua bona propria habuerit, illis potest Satisfacere Domino pro injuria contra seipsum commissa. Et idem dicendum est de Filio respectu Patris. Neque deest peculiaris ratio, propter quam Christus voluerit Satisfacere Deo pro iniurijs humanitatis ipsius, vt erant propriæ humanitatis, quæ in alijs hominibus non reperitur, quoniam injuria propriè fit supposito, etiam si immediatè fiat naturæ: atq; adeò Satisfecit Christus pro suis specialibus injurijs, vt erant injuriæ suppositi, & ex consequenti vt erant injuriæ humanitatis. Quæ quidem formalitates, quamuis possent distingui, nulla tamen est vrgens ratio, ob quam distingui deberent: & ideò absolutè Christus Satisfecit pro injurijs factis contra ipsum, vt erat suppositum humanum, & Diuinum.

58 Ex his ergo colligitur solutio sexti argumenti: negatur enim antecedens. Et ad probationem Respondetur secundùm priorem opinionem, non esse omninò idem offensum, & Satisfacientem, quia Satisfaciens includit essentialiter naturam humanam: offensus verò non solùm dicit naturam, sed etiam Personalitatem Diuinam humanitati vnitam. Secundùm posteriorem sententiam non est inconueniens, vt idem omninò sint offensus & Satisfaciens, dummodò non sint prorsus idem Satisfaciens, & is, cui fit Satisfactio.

59 Ad confirmationem Respondetur, Christum non Satisfecisse vt Deum præcisè, neq; vt hominem tãtùm, sed vt Deum hominem. Ad impugnationem patet ex dictis Responsio. Quod verò tangitur in eâdem confirmatione, An humanitas sit dicenda satisfacere, Respondetur, absolutè loquendo operationem non esse tribuẽdam nisi principio vltimato, & perfecto: impropriè autem tribui principio non vltimato, & imperfecto. Et ideò rectè asseruit Aristoteles. 1. de Anima text. 64. *Animam impropriè irasci.* Vbi non negauit, in aliquo sensu eam propositionem posse esse veram: docuit tamen esse impropriam prædicationem, & propriè affirmari, hominem irasci per animam. Et propterea actiones sunt tribuendæ suppositis, si propriè, & strictè loquendum est. Nihilominùs siue tribuatur vltimato principio, nempe, supposito, siue immediato, videlicet, naturæ, idem omninò dicimus, cùm asserimus, animam Petri intelligere, per animam quidem tanquàm per principium immediatum intelligendi, quod sanè si cum homine comparetur, habet rationem principij, quo, & vt sic non tribuitur illi operatio. Si verò comparetur cum intellectu, habitu, & specie, habet rationem principij, quod, tametsi non vltimati. Et secundùm hanc rationem sæpè animæ rationali tribuuntur vt principio, quod, aliquæ operationes, etiam dum est vnita corpori: maximè autem, quando est separata: quia tunc actualiter non componit; licèt essentialiter, quantùm est in se, sit pars alterius. Et hoc modo potest cõcedi, Christum per humanitatem obedire, & orare: & similiter humanitatem Christi orare, & obedire, tametsi hæc sit impropria locutio. De Satisfactione autem aliter loquendum est, quia operatio Christi non est perfectè Satisfactoria, & meritoria, nisi vt intelligitur operatio Dei & hominis. Et propterea licèt possit admitti, humanitatem Christi orare, & obedire: nullatenùs tamen est concedendum, humanitatem Christi Satisfacere, aut mereri de rigore iustitiæ. Vnde ad argumentum Respondetur, humanitatem Christi non esse vltimam, & perfectam causam elicitiuam intellectionis, aut amoris, sed hominem. Et ideò licèt aliqualiter huiusmodi operationes tribui possint humanitati; non tamen illi tribuuntur propriè loquendo, sed principio vltimato, nempe, homini. Quarè etiam si antecedens concedatur, neganda est consequentia propter rationem dictam.

Ad primam autem illius probationem Respondetur primò, materiam propriè dici sustentare formam, causare compositum, &c. Quia est vltimatum principium sustentationis formæ, & eâdem ratione est vltimata causa materialis hominis. Idem dicendum est de forma. Cùm verò dicitur oculus videre, &c. Sunt quidem locutiones veræ, sed non propriæ. Imò etiam si essent propriæ, non valeret consequentia, quia Satisfactio ex rigore iustitiæ nequit esse à sola humanitate. Et hinc soluitur secunda probatio eiusdem consequentiæ: si enim humanitas existeret sine vlla subsistentia, non posset mereri de rigore iustitiæ, tametsi amare posset, vel orare. 60

Sed obijcitur. Licèt operationes Christi non habeant valorem sufficientem ad Satisfactionem, nisi prout sunt informatæ gratia vnionis, atque adeò bene indè sequatur, humanitatem Christi separatam à Verbo Satisfacere, aut mereri de rigore iustitiæ non posse, tametsi posset orare, obedire, &c. Adhùc tamen non sequitur, quòd humanitas Christi, vt à Verbo terminata, nequeat dici mereri, aut Satisfacere, nam quamuis humanitas sine gratia habituali orare, vel obedire posset, non tamen mereri, aut Satisfacere, nisi vt informata gratia: informata autem id potest. Ergo similiter humanitas Christi vt vnita Verbo non solùm orare, verùm etiam satisfacere poterit. Respondetur, quòd licèt humanitas sic considerata posset impropriè aliquo modo dici Satisfacere, vt diceretur orare, non tamen propriè, neque impropriè, posset verè dici Satisfacere de rigore iustitiæ. 61

Sed cõtra. Humanitas vt vnita Verbo habet operationes infinitivaloris, ergo si vt sic potest aliquo modo Satisfacere, vt sic poterit Satisfacere de toto rigore iustitiæ. 62

Conceſſo antecedenti negatur conſequentia, quia illæ operationes etiam cum infinito valore, vt ab humanitate Deo exhibentur, non habent alias conditiones Satisfactionis ex rigore iuſtitiæ: primò, quia non ſunt propriè, & perfectè humanitatis, atque adeò non perfectè Satisfaceret ex proprijs. Secundò, quia illæ reſpectu humanitatis ſunt ex acceptis, & ex conſequenti aliqua gratia creditoris in Satisfactione includitur, vt ſolùm ab humanitate procederet.

63 Ad ſeptimum conceſſo antecedenti & prima conſequentia, negatur minor, nempe, homines non fuiſſe contentos in Chriſto, vt in capite, cùm Satisfecit. Et ad probationem negatur, fuiſſe neceſſarium ad hoc, vt contiuerentur in Chriſto tanquàm in capite naturali, à quo per naturalem generationem deſcenderent. Pro cuius intelligentia animaduertendum eſt, quòd ſicut Adam fuit conſtitutus caput in eſſe moris reſpectu totius humanæ naturæ, à ſe per generationē naturalem propagandæ: ſic etiam Chriſtus Dominus conſtitutus eſt caput, & principium in eſſe moris reſpectu totius naturæ humanæ reparandæ ſpiritualiter. Et ideò ſicut Adam obſeruatione præcepti potuit prodeſſe, & violatione nocere ſibi, & toti Poſteritati naturaliter propagandæ: ſic etiam Chriſtus ſuis actionibus & paſsionibus prodeſſe potuit non ſolùm ſuæ humanitati, cui multa bona commeruit, ſed etiam toti humano generi reparando ſpiritualiter, aut ſupernaturaliter.

64 Quòd Adamus fuerit à Deo conſtitutus caput omnium hominū in eſſe moris, colligitur ex Sacra Scriptura, & Patribus: nam ad Rom. 5. dicitur; *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum.* Et ſtatim ſubditur. *In quo omnes peccauerunt.* Vt ſignificaretur, ob id per vnum hominem peccatum intraſſe, quia ipſo peccante omnes peccauerunt: ad quod neceſſarium omninò fuit, vt voluntas Adæ eſſet aliquo modo voluntas Poſterorum: aliàs eius actus ipſis attribui non poſſet, ita vt eo poſteri ipſius peccare dicerentur. Idem docet D. Auguſtinus epiſt. 105. vbi ſic ait. *Neque enim damnantur, qui non peccauerunt, quandoquidem illud ex vno in omnes pertranſijt, in quo antè propria in ſingulis quibuſcunq; peccata omnes communiter peccauerunt.* Et lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 27. adducens illa verba Geneſ. 17. *Maſculus, qui non circumcidet carnem præputij ſui octauo die, interibit anima illa de genere ſuo, quia teſtamentum meum diſsipauit.* Sic citat Auguſtinus verba Sacri Textus, & per teſtamentum intelligit præceptum illud, quod cùm fuerit impoſitum Adamo, omnes diſsipauerunt illud, nempe, quando in illo peccauerunt. Item D. Baſilius homil. 1. de Ieiunio ait. *Quia non ieiunauimus;* Scilicet in primo parente: *Exulamus à Paradiſo.* Origenes ſimiliter ad Rom. 5. inquit, quòd *Adamo ſtante, ſtetimus, & eo declinante à via recta, declinauimus omnes.* Itaque non ſolùm à Deo ſtatutum, & ſancitum fuit, vt tota natura humana ab ipſo

65 Adamo propagaretur, verùm etiam quòd ex ipſo deriuarentur principia operandi benè moraliter ad ſuos Poſteros, videlicet, gratia, iuſtitia originalis, & virtutes; ita quidem vt ſicut ex ipſo naturæ humanæ multiplicatio in eſſe naturali pendebat: ſic etiam ab eo, vt ab agente morali conſeruatio illius ſtatus penderet, & in eius deliberatione ſitum eſſet, quòd ille ſtatus, in quantùm erat donum conceſſum toti naturæ humanæ, permaneret, vel amitteretur. Et quia Adamus ſic à Deo conſtituebatur caput ſuorum Poſterorum quantùm ad eſſe morale, eius voluntas neceſſariò debuit eſſe aliquo modo voluntas Poſterorum; vel ſaltem continere voluntates eorum, ita vt quidquid Adamus vellet, Poſteri eius coram Deo velle cenſerentur, voluntate ipſius Adami, non quidem Phyſicè, ſed moraliter, & ſecundùm prudentem, & moralem æſtimationem. Cùm enim voluntas ſit primum principium agendi, & operandi moraliter, nullus poteſt eſſe caput aliorum in eſſe moris, niſi eorum voluntates in ſua aliquo modo contineat. Idque poteſt hoc exemplo declarari. Siquis in alterum transferat ſuum conſenſum, ita vt profiteatur ſe velle id, quod alter voluerit, poteſt dici moraliter velle volūtate alterius id, quod alter vult. Eodem modo affirmari poteſt de Poſteris Adæ, quòd voluerunt voluntate Adami idem, quod ipſe voluit: quia eorum voluntates & conſenſus in Adami voluntate erant cōſtituti. Ex quibus conſequens fuit, vt præceptum Adamo impoſitum, in quantùm eius voluntas erat etiam Poſterorū, obligaret ſimiliter ipſos Poſteros: ac proindè tranſgrediente Adamo illud præceptum, Poſteri etiam cenſerentur illud tranſgredi.

66 Præterea: potuit Deus in voluntate Adami omnium Poſterorum voluntates ſiue eorum conſenſu conſtituere, quia cùm ſit ſupremus Dominus, & gubernator rerum noſtrarum, iure ſuo, & abſq; proprio noſtro conſenſu ſancire potuit, vt illa Adami voluntas eſſet noſtra voluntas, qua diceremur velle, quod ipſe Adamus vellet, & nolle, quod ipſe nollet, & nos in eodem Adamo obligare ad obſeruationem cuiuſcumq; præcepti, & quomodocumq; ipſe vellet, ad modum, quo in capite poterat obſeruari, vel frangi. In quo Deus maximè conſuluit noſtræ vtilitati, ſummam æquitatem obſeruando: primò, quia ſicut nos ſuis præceptis in Adamo obligauit, quandiù ipſe Adamus in iuſtitia originali perſeueraret: ſic etiam omnibus Poſteris originalem iuſtitiam in ipſo conceſsit. Secundò, quia ne Adam præcepta Dei facilè tranſgrederetur, Deus illum muniuit gratia, iuſtitia, & virtutibus, atq; alijs auxilijs, & donis gratuitis, quæ naturæ non erant debita. Et inſuper domeſticos interiores inimicos ab eo abſtulit, & repulit. Tertiò, quia propter tranſgreſsionem illius mandati, non aliam nobis pœnam impoſuit, quàm quòd priuaremur gratuitis, & quæ noſtræ naturæ non erant debita.

Sed contra hoc obijcitur: quia licèt filij nondùm concepti, & nati poſsint obligari in ſuo Parente ad exercendas actiones proprias, & perſonales, poſtquàm nati, & orti creuerint, & ſui iuris fuerint, idq; lege aliqua ciuili ſanciri poſsit, vt in materia de legibus oſtendi ſolet; tamen quòd re verà obligentur ad actiones ſui Parentis, quæ in ipſorum poteſtate non ſunt, ita vt ipſo Parente peccante, etiam filij, qui nondum nati ſunt, neq; concepti cenſeantur velle peccare, videtur certè incredibile, & inauditū. Nihilominùs Reſpondetur, quòd licèt humana poteſtate id fieri non poſsit, effici tamen poſſe Diuina poteſtate, quæ ſicut ſe extendit ad omnes res, & ad omnes earum modos: ſic etiam potuit vniuerſos homines in Primo Parente obligare non ſolùm ad proprias, & perſonales ipſorum actiones futuras, verùm 67

etiam ad actionem aliquam Primi Parentis exercendam,vel non exercendam non quidem ea ratione, quæ sunt ab eo seiuncti,sed eo duntaxat modo, quo erant in ipso. Hoc autem maximè consonat rationi: Primò propter rationes supra assignatas. Secundò: quia licet nos simpliciter concipiamur peccatores,& singuli nascamur peccatores propter singula peccata, quæ à prima illa transgressione contraximus: tamen illam transgressionem non dicemur simpliciter commisisse, hoc est,sicut in nobis ipsis committi potuisset, sed eo modo,quo in Primo Parente continebamur:sicut quando fructus arborum non dicuntur simpliciter comburi, tametsi radix comburatur, sed tantùm dicuntur comburi eo modò,quo sunt in radice.

68 Insuper obseruandum est, hanc dignitatem capitis, quæ in esse moris fuit in Adamo, non illi conuenisse absolutè,quantùm ad omnes suos actus,sed solum quò ad eos,ex quibus conseruatio, vel amissio status innocentiæ,prout erat bonum totius naturæ, pendebat. Et ideò quamuis Adamus post amissum illum statum alia peccata commisisset, illa quidem suis posteris non imputarentur: ac proinde non omnia Adami peccata in nos transfusa fuerunt, sed tantùm primum peccatum illius,quia per illud totam posteritatem spoliauit Iustitia originali, & gratia, eamq; deordinauit à fine vltimo supernaturali.

69 Quod verò Christus Dominus fuerit etiam constitutus caput, & principium omnium hominum in esse morali,potest ostendi,tum ex simili ratione, quæ iam explicata est,tum etiam ex Sancta Scriptura,nam Paulus ad Rom. 5. Hoc tanquam certum supponere videtur, cùm ex lege proportionis in ratione capitis inter Christum, & primum Adamum sumit argumenta ad probandum, quòd sicut per vnum hominem, nempe, Primum Adam,peccatum in mundum intrauit,ita per Christum gratia, & iustitia, ac magna bonorum Supernaturalium copia: quod ipse late explicat in eo capite.

70 Rursus idem videtur ostensum in illis locis, in quibus dicitur,Christum suscepisse in se causam totius generis humani, & Patrem posuisse in eo omnes nostras iniquitates, ita vt ipse Christus pro eis tanquam pro suis Satisfaceret: & similiter, Christum passum fuisse propter nostra peccata:vt constat ex testimonijs Sacræ Scripturæ adductis in confirmationem conclusionis. Dixi autem ex illis locis colligi, Christum esse caput omnium hominum in esse morali, quia ad hoc fuit necessarium,vt Christus omnium hominum Personam ageret, atq; adeò vt eos,& eorum voluntates in seipso aliquo modo contineret, ita vt eius voluntas reputaretur voluntas omnium hominum.

71 Cæterùm, quamuis in hoc sit proportio & conuenientia inter Adamum & Christum, quòd quiuis eorum suo modo est constitutus caput morale respectu hominum,est tamen magnum discrimen,quoniam vt Adamus constitueretur caput in esse morali, necessum fuit præsupponi in ipso tanquam fundamentum, esse caput in esse naturali, quare impossibile esset ex eo traci peccatum ad eos, qui in ipso secundùm seminalem rationem nó continerentur, siuè quia iam nati essent, siuè quia non essent ex ipso nascituri per naturalem generationem. At verò vt Christus constitueretur caput in esse morali, necessarium non fuit, vt prius siue tempore, siue naturà esset caput in esse naturali,in quo omnes homines secundùm esse naturale ipsorum virtualiter continerentur. Ratio autem huius discriminis est,quia repugnat æquitati,& iustitiæ, actionem alicuius nocere alteri ad culpam,hoc est, imputari propriè, & verè ad culpam ei, qui est omninò alter ab ipso, ita vt nullo modo sit aliquid illius, neq; secundùm suum esse in ipso contineatur saltem virtualiter. Et ideò neq; per Diuinam Potentiam factibile est,vt aliquis constituatur caput in esse morali in ordine ad culpam, respectu eorum, quorum non est caput in esse naturali, ita vt eos in se ipso virtualiter contineat quantùm ad proprium ipsorum esse naturale. Cæterùm quòd actio alicuius prosit ad solutionem, hoc est,quòd acceptetur in solutionem pro debito respectu illius, qui secundum suum esse naturale in ipso virtualiter non contineretur, non repugnat æquitati, & iustitiæ; quia nulla fit iniuria,aut creditori,cùm ipse creditor id statuit,& voluit; aut debitori, cùm inde reportet magnam vtilitatem sine vllo damno, aut periculo. Et sic potuit Deus statuere, vt Christus esset caput in esse morali omnium hominum,licet in quantùm homo eos in se ipso virtualiter non contineret, quantum ad esse naturale ipsorum.

Dices, ex hac solutione sequi, Christum tantum dici caput hominum in esse morali; quia pro eorum debito obtulit Satisfactionem.Sed negatur sequella,quia Christus non vtcumq; obtulit Satisfactionem pro hominibus, sed ita, vt eius voluntas esset virtualiter voluntas omnium hominum qui moraliter censebantur velle in ipso offerre Deo obedientiam, humiliationem,& Satisfactionem.Et præterea: Satisfactio Christi non erat hominibus applicanda, ita vt per eam à peccato liberarentur, nisi media generatione supernaturali,qua ex ipso renascerentur secundùm spiritum.Et ideò Christus,quatenus offerebat suam Satisfactionem pro hominibus, habebat in virtute rationem Capitis, Principij, & Patris ipsorum hominum: quod tamen affirmari non potest de quocunq; homine, qui pro alio soluit, aut Satisfacit: non enim cùm vnus homo pro alio soluit,dicitur caput illius.Et per hæc patet solutio ad argumentum septimum. 72

Ad octauum Respondetur, licet non omnes homines liberentur à peccato originali, non inde sequi, quòd in operibus Christi non sit valor sufficiens, vt omnes liberentur, sed tantùm quòd omnibus non applicatur. 73

QVARTA DISPVTATIO.

VTRVM Satisfactio Christi Domini fuerit condigna,& ad æqualitatem.Hoc est,An satisfactio Christi fuerit ex se sufficiens pretium ad Redeptione generis humani propter valoré intrinsecū, cōdignū & æquiualente,quem natura sua habebat; vel solum fuerit sufficiens propter extrinsecam acceptationem Dei gratis, & libere volentis huiusmodi Satisfactionem veluti condignam acceptare.

Prima Opinio. §. I.

PRIMA Sententia affirmat,Satisfactionem Christi ex se, & ex natura sua non fuisse condignam, 1

 aut

aut æquiualentem peccatis generis humani, sed solùm extrinsece propter ordinationem Dei, volentis illam vt sufficientem acceptare. Itaq; ista opinio concedit, Satisfactionem Christi fuisse sufficientem pro peccatis hominum, & ex consequenti æqualem debito, ex peccatis resultanti; cæterùm negat, huiusmodi valorem conuenire Satisfactioni Christi ex natura rei, etiam si habeatur ratio omnium, quæ ipsi conueniunt siue ex proprio genere, siue ex dignitate personæ operantis, sed solùm ratione Diuinæ acceptationis. Sic docet Scotus in 3.d. 19.& 20.q.1. & in 4.d.15.q.1. Durandus ibidem num. 6.& 7. Almain in 3.d.19.q.1. Gabriel.q.1.art.1. & in 4. d.15. q.1. Notab.2. quos sequitur Ioannes de Medina codice de Pœnitentia tractatu. 3. q. 1. Vbi hanc sententiam multis argumentis confirmat. Sed quia pleraq; eorum eò tendunt, vt probent Christi satisfactionem non fuisse ex perfecta, & rigorosa iustitia, de quo infra disputabitur, ideò illis omissis probatur primò, argumento, quo Scotus potissimùm nititur.

2 Si Satisfactio, quam Christus pro peccatis hominum Deo obtulit, ex se & ab intrinseco esset iusta, & æquiualens, non posset Deus iustè illam non admittere; sed potuit illam non acceptare: ergo ex se, & ab intrinseco non fuit æquiualens, sed sufficiens tantùm propter gratuitam Dei acceptationem extrinsecam. Consequentia patet, & maior ex terminis videtur nota; & præterea probatur: quia sicut se habet exhibitio iusti, & æqualis precij ad solutionem debiti respectu creditoris; sic Satisfactio condigna ad compensationem injuriæ respectu personæ offensæ per illam: sed creditor non potest iustè æquale precium à debitore exhibitum in solutionem debiti non admittere: ergo neq; persona offensa iustam & æquiualentem Satisfactionem in compensationem iniuriæ factæ sibi. Minor verò probatur: nam Deus non potest ab extrinseco necessitari, sed Satisfactio Christi est actus extrinsecus respectu Dei; ergo non potuit Deus absolutè necessitari, aut obligari per illam.

3 Secundò probatur ratione Durandi. Christus non potuit suis actibus reddere Deo æquiualens pro acceptis beneficijs: ergo neq; Satisfacere de condigno pro peccatis contra Deum ab alijs commissis. Antecedens probat ex illo Aristotelico Axiomate: *Dijs, parentibus, & Magistris par gratia referri non potest: * Sed Deus respectu Christi habet rationem Dei, Parentis, & Magistri: ergo non potuit ei reddi æquiualens pro acceptis ab ipso beneficijs. Consequentiam vero probat: quia plus est Satisfacere de condigno pro peccatis alienis, quàm reddere æquale pro beneficijs proprijs: qui enim de condigno Satisfacit pro iniurijs ab alijs factis, obligat ex iustitia personam offensam ad remittendum illas, & debitricem huiusmodi remissionis constituit. Ergo si Christus non potuit proprium debitum soluere Deo, multò minùs constituere debitorem, & obligatum sibi.

4 Tertiò. Si per possibile, vel impossibile Christus peccaret, nō posset Satisfacere de condigno pro sua culpa; ergo minùs pro alienis. Consequentia probatur, nam quæcunq; Satisfactio maiorem vim, & efficaciam habet contra peccatū propriū, & intrinsecū eiusdē suppositi, quàm cōtra aliena & extrinseca. Et antecedens patet: quia actus Christi in peccato existentis nullum valorem moralem apud Deum habere possent, quia procederent à persona sibi ingrata, & inuisa.

Quartò. Satisfactioni condignæ nihil deesse potest ad compensandam immediate iniuriam, pro qua offertur: sed Satisfactioni Christi deest aliquid ad cōpensandas iniurias per peccata contra Deum commissas: ergo non fuit æquiualens, & condigna ad recompensanda peccata. Minor probatur ex illo Pauli ad Colos. 1. *Adimpleo ea, quæ desunt passionū Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Et adhuc cōfirmatur. Si Satisfactio Christi per se & immediatè cōpensaret hominum peccata, ergo nulla requireretur Satisfactio eorum: neq; esset necessaria ad remissionem peccatorum vlla cooperatio, aut dispositio nostri liberi arbitrij, vt Hæretici obijciunt. 5

Quintò. Solutio, quæ fit ex bonis creditoris, hoc est, quorum creditor habet plenum, & perfectum Dominium, nequit ex natura rei esse condigna, & æqualis debito; sed omnia opera Christi erāt Dei, qui in hac causa habebat rationem creditoris, habentis plenum, & perfectum eorum Dominium, non solùm titulo Creationis, & primæ causæ, nēpe, quia Deus erat eorū operū Creator, & prima causa efficiens, ac proinde verus Dominus; sed etiam erant eius, tanquam principij proximi, eo quòd Deus vnitus humanitati eliciebat immediatè eas actiones, per quas fiebat Satisfactio: ergo per eas fieri non poterat Deo solutio ex natura rei condigna, & æqualis pro vllo debito. Maior patet, quia ad solutionem condignam ex natura rei, & seclusa acceptatione creditoris requiritur, quòd debitor trāsferat Dominiū precij in ipsū creditorē. at verò eius rei, quæ plenè & perfectè est sub Dominio creditoris, nequit verè, & realiter transferri Dominium in ipsum creditorem. 6

Sextò. Omnia opera humanitatis Christi, erant debita Deo alijs titulis; ergo per illa nō poterat solui Deo debitum pro peccatis ad æqualitatem seclusa eius acceptatione. Consequentia patet: quia precium, quo soluitur vnū debitum, non est æquale ad soluendū aliud debitum distinctum, nisi interueniat acceptatio creditoris, qui velit sibi solui verumq; debitum illo precio. Et antecedēs probatur: nam opera Christi, vt hominis, erant debita Deo titulo gratitudinis pro beneficijs suæ humanitati collatis. Et præterea, quia vel Christus, in quantum homo, faciebat illa opera ex præcepto, & sic iam erant debita Deo titulo obedientiæ: vel sine præcepto, & sic est eadem ratio quantùm ad hoc, quod est non posse per ea satisfieri ex natura rei, & sine gratia, & liberalitate Dei: quod sic probatur. Deus potuit iniungere humanitati Christi illa opera sub præcepto, & ex consequenti potuit reddere ea debita sibi titulo obedientiæ: ergo quod non sint ita debita, atq; adeò quòd possint esse satisfactoria pro debito peccati, prouenit non ex natura rei, sed ex gratia, & liberalitate Dei. 7

Septimò. Si opus Christi esset Satisfactoriū ad æqualitatem, aut id esset ratione ipsius operis considerati in se, & secundùm propriam speciem, aut quatenus procesisit ex tanta gratia habituali: aut quatenùs processit à Persona infinita, nempe, à Persona Verbi, cui humanitas erat coniuncta: primum dici non potest, quia idem omninò opus secundùm speciem, & ex genere suo potuit fieri à puro homine, qui tamen (vt cōstat) Deo ad æqualitatem satisfacere non potest 8

pro

pro peccato suo, vel alieno Neq; etiam secundum, tum quia gratia habitualis Christi non est infinita, & ex consequenti opus procedens ab ea, nequit ratione illius habere infinitatem in genere valoris, quod requiritur, vt sit satisfactorium ad æqualitatem pro peccato mortali etiam, quia sequeretur, purum hominem posse ad æqualitatem satisfacere; quia potest Deus de potentia absoluta communicare puro homini tantam gratiam, quãtam animæ Christi communicauit. Tandem neq; tertium dici potest, quia sequeretur, omnia opera Christi fuisse satisfactoria ad æqualitatem pro peccatis, quia vna & eadem est in omnibus ratio valoris ad æqualitatem, nempe, procedere à Persona infinita. Ex quo vlterius sequeretur, Christum per opera ante passionem facta satisfecisse ad æqualitatem pro hominibus, eosq; Redemisse, atq; adeo ipsis ianuam cœli aperuisse ita vt siquis iustus ante Christi Passionem decederet, cœlum ingrederetur, quod est contra fidem. Probatur autem hæc secũda sequella, quia opera Christi, quæ passionem præcesserunt, valorem habuerunt æqualem debito hominum, & oblata sunt à Christo in satisfactionem debiti talis: ergo de facto per ea solutum est ad æqualitatem tale debitum, & ex consequenti sunt homines perfectè Redempti, & ianua cœli illis aperta.

9 Octauò. Valor moralis cuiuscunq; actus Christi non est tantus, quanta est grauitas iniuriæ, & offensæ contra Deum commissæ per quemcunq; mortalem culpam: ergo Christus suis actibus non solùm non potuit satisfacere pro omnibus peccatis humani generis ad æqualitatem, & de condigno, sed neq; pro vno peccato mortali, quantumuis minimo. Consequentia est euidens, & antecedens probatur: quia grauitas peccati, quatenùs est offensa moralis, sumitur ab ipsa Persona Dei, quæ immediatè, & secundùm se offenditur per illud: sed valor moralis actus Christi, quatenùs satisfactorius est, sumitur ab ipso Christo, prout est homo: ergo maior est grauitas culpæ, quàm valor satisfactionis Christi. Quòd autem valor hic sumatur à Christo, non vt Deus est, sed vt homo præcisè, probatur, quia satisfecit in quantum homo: satisfecit enim per passionem: sed passus est quatenùs homo præcisè, & non vt Deus; ergo etiam satisfecit in quantùm homo, & non quatenùs Deus.

10 Confirmatur. Qui satisfacit alteri, qua ratione formaliter satisfacit, se illi summittit, & subijcit mediante obsequio, quod in compensationem iniuriæ illi præstat: sed Christus solùm vt homo, potuit se subijcere æterno Patri, non verò vt Deus, quia vt sic erat illi essentialiter æqualis: ergo tantùm inquantùm homo, & non quatenùs Deus satisfecit pro peccatis; ergo valor moralis satisfactionis Christi non fuit tantus, quanta est grauitas iniuriæ per quodcumq; peccatum mortale Deo factæ. Hæc vltima consequentia patet: quia dignitas Christi, prout est præcisè homo, non est tanta, sed infinitè minor dignitate Dei, qua ratione offenditur per peccatum: ergo nec valor satisfactionis, qui adæquatè sumitur ex dignitate Christi, quatenùs erat tantùm homo, non potuit esse tantus, sed incomparabiliter minor grauitate cuiuscunq; mortalis offensæ, desumpta ex dignitate infinita ipsius Dei, contra quem est immediatè facta.

11 Respõdent aliqui, Christum quidem satisfecisse formaliter, prout erat homo; quia tamen valor moralis satisfactionis nõ sumitur ex principio formali, *Quo,* idest, à natura, per quam formaliter fit satisfactio, sed à persona, & supposito satisfaciente, vt *Quod;* Quod sanè in Christo fuit infinitum simpliciter, nempe, ipsa Diuini Verbi Persona: ideò satisfactio Christi potuit esse æqualis offensæ factæ Deo per peccatum mortale. Sed contrà. Valor satisfactionis non sumitur à supposito materialiter, & entitatiuè considerato, sed formaliter; hoc est, ab ipso, qua ratione præcisè est formaliter satisfaciens: sed suppositum Christi solùm materialiter, & entitatiuè consideratum erat infinitum, non verò formaliter, vt erat præcisè satisfaciens: quia vt sic solùm erat suppositum sustentans naturam humanam, & principium, *Quo,* satisfaciendi formale. Suppositum autem Christi hac præcisè ratione consideratum, nullam dicit infinitatem: ergo neq; principium, vndè potuerit sumi valor infinitus satisfactionis, adæquans infinitatem peccati.

12 Præterea. Licet gratis concedamus satisfactionem Christi ab ipsa infinita entitate materiali suppositi valorem moralem accepisse, adhuc æqualis esse non potuit cum offensa Deo facta per peccatum mortale: nam satisfactio Christi fuit solùm infinita ex parte, qua procedebat à supposito infinito satisfaciente; non tamen qua ratione Deo offerebatur: nam potiùs ex hac parte limitabatur, & minuebatur eius valor: etenim satisfactio tantò est minor, vt infra dicemus, quantò persona, cui fit, est excellentior, & præstantior, sed offensa contra Deum commissa est infinita ex omni parte, videlicet, ex parte Dei offensi, & creaturæ offendentis, infinitè distantis à Deo in perfectione, & dignitate morali: ergo adhuc satisfactio Christi non potuit esse æqualis, & condigna cum quocunq; peccato mortali in ratione iniuriæ Diuinæ considerato.

13 Si dicas, hunc secundum excessum sumptum ex parte personæ offendentis, sufficienter compensari per simplicem valorem moralem, quem satisfactio Christi accipit à supposito infinito satisfaciente, nam est longè maior valor hic, quàm peccati grauitas desumpta ex infinita maiestate Dei, contra quem factum est. Contrà hoc obijcitur. Si persona offensa est æqualis dignitatis, ac satisfaciens, iniuria illi facta non est minoris æstimationis moralis, quàm satisfactio ab altera persona æquali oblata: (neq; enim minor censeretur offensa Regi Hispaniæ. v.g. facta, quàm satisfactio ei exhibita à Rege Galliæ) sed persona per peccatũ offensa, nẽpe, Deus, est æqualis dignitatis cùm persona Christi satisfacientis: ergo peccatũ in ratione offensæ Dei præcisè consideratum, nõ est minoris æstimationis, quàm Christi satisfactio. Ergo cùm ex alia parte peccatum, quatenùs fit à persona creata distãte infinitè à Dei maiestate, excedat satisfactionẽ Christi; qua ratione Deo offertur incõpensationẽ iniuriæ ei factæ, simpliciter, & absolutè grauitas peccati erit maior, quàm satisfactionis Christi valor. Deindè, quia estò satisfactio Christi à 14
Persona ipsius maiorẽ valore moralem accipiat, quàm peccatũ sumat grauitatem à Persona Dei, cõtra quã fit; atq, adeò & quod peccatum possit quoad vtramq, infinitatem sumptam & ex parte personæ offensæ, & vilitate offendentis ad æqualitatem per satisfactionem

Digitized by Google

Christi compensari: adhuc non sequitur, Christum potuisse pro omnibus peccatis generis humani, & pœnis debitis pro illis de condigno satisfacere: quia numerus peccatorum est longè maior, quàm operum Christi. Item pœnæ illis debitæ excedunt magis in intensione & duratione dolores, quos Christus toto vitæ tempore est passus: ergo Christi Passio ex se non fuit æquiualens satisfactio pro peccatis hominum, & pœnis ipsis debitis, sed sufficiens tantùm: quia Deus liberaliter eam acceptauit. Quod & ampliùs explicatur: nam peccatum originale, quantùm est ex modo, quo contrahitur, posset in infinitum multiplicari: actualia verò infinitè etiam quò ad intensionem crescere: nullum enim datur peccatum, quo aliud grauius committi non possit; ergo Christus, cuius opera & numero, & intensione finita fuerunt, non potuit pro omnibus his peccatis ad æqualitatem satisfacere.

15 Si dicas, potuisse, quia Christi opera, eo quòd procedebant à supposito infinito simpliciter, habuerunt valorem simpliciter infinitum; contra hoc replicatur: quia bonitas moralis essentialis, & intrinseca actuum humanorum, quibus Christus satisfecit, fuit finita omninò & limitata: ergo & valor moralis eorum fuit quoq; finitus, & limitatus. Hæc consequentia patet: quia huiusmodi valor sequitur ad bonitatem intrinsecam actuum humanorum, sicut propria passio.

16 Postremò probatur hæc sententia. Peccatum contra Deum commissum est infinitum in ratione offensæ; sed satisfactio Christi non fuit infinita in ratione satisfactionis; ergo satisfactio Christi ex natura rei non habuit valorem æqualem grauitati offensæ, quæ est in peccato. Maior probatur: quia grauitas offensæ crescit ex dignitate Personæ, contra quam committitur: sed peccatum est offensa commissa contra Deum, qui est infinitæ dignitatis; ergo habet infinitatem in ratione offensæ. Minor verò probatur: quia satisfactio Christi erat creatura: ergo finita ex natura sua, & ab intrinseco, non solùm in ratione entis, sed etiam in ratione valoris. Probatur ista consequentia: quia si est creata, rectè sequitur, quòd sit finita in genere entis; nã quidquid est creatum, est ens per participationem. Ex quo vlteriùs sequitur, quòd etiam in ratione valoris sit finita ex natura sua: nam valor, qui ex natura rei illi conuenit, debet esse aliquid reale, in illa existens & receptum, & ex consequenti limitatum. His tamen non obstantibus oppositam sententiam sequuntur plæriq; Theologi. Et ideò pro decisione veritatis sit prima conclusio.

Prima conclusio. §. II.

17 CHRISTVS Dominus satisfecit de condigno, & ad æqualitatem pro vniuersis hominum peccatis quò ad culpam, & pœnam secundùm sufficientiam. At verò secundùm efficaciam solùm satisfecit pro his, qui saluantur. Hæc conclusio, sicut iacet, est dogma fidei collectum ex pluribus locis Sacræ Scripturæ, præsertim ex illis, in quibus Christi satisfactione humanum genus emptum, aut Redemptum fuisse traditur, vt Psal. 129. *Copiosa apud eum Redemptio.* Et Lucæ. 19. *Filius hominis venit quærere, & saluum facere, quod perierat.* Et Ioan. 14. *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Et 1. ad Timot. 1. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in mundum, peccatores saluos facere.* Alia loca adducta sunt Disp. 3. Paragrapho. 3. num. 30. 31. & 38. Colligitur etiam ex alijs locis, in quibus in hac Christi satisfactione asseritur, iudicij, & iustitiæ forma fuisse seruatam. Vt Isaiæ. 1. *Sion in iustitia redimetur.* Et ad Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per Redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostẽsionem iustitiæ suæ.* Vbi significatur, reconciliationem fuisse factam interueniente Christi sanguine, nempe, per modum precij, & secundùm rationem iustitiæ. Et apertiùs cap. 8. *De peccato damnauit peccatum in carne sua.* Hoc est, Per peccatum, vel hostiam pro peccato damnauit peccatum. Ac si diceret; non quomodocumq; abstulisse peccatum, sed seruata ratione iustitiæ. Et ad Colos. 2. *Delens, quod aduersum nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis: & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci.* Id est, non quomodocũq; donauit nobis omnia delicta, sed quasi deleto, & dilacerato Chirographo, aut instrumento, quo de peccato constringebamur: non vi, aut potentia, sed affigendo illud Cruci: id est, soluto pretio Crucis, & passionis: sicut apud homines cùm soluitur debitum, rumpuntur instrumẽta obligationis. Deniq; emptio, aut Redemptio, sicut & satisfactio per se iusti, & æquiualentis pretij solutionem denotant: & cum iuditio & iustitia factæ, necessariò dicunt æqualitatem rei ad rem, sine qua
non potest absolutè iustitia seruari. Vndè satis ex præ- 18
dictis Sacræ Scripturæ locis constat, satisfactionem oblatam à Christo pro hominum peccatis, vt minimùm fuisse condignam, & æqualem. Imò verò fuisse excedentem, & superabundantem, denotant primò Sacræ Scripturæ loca, in quibus magnitudo precij dati pro generis humani Redẽptione extollitur. 1. Corint. 6. *Empti enim estis precio magno.* Et 1. Petri. 1. *Non corruptibilibus auro, & argento, sed precioso sanguine quasi agni immaculati, &c.* Deinde id apertiùs declarauit Paul. ad Rom. 5. vbi comparans Christi satisfactionem cum peccato Adæ, sic ait. *Verumtamen non sicut delictum, ita & donum.* Quasi diceret: longè magis nobis profuisse Christi merita, & satisfactionem; quàm nocuerat peccatum. Et rationem reddens statim subdit. *Nam vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Quæ verba explicans D. Chrysostomus homil. 55. in epistolam ad Romanos, comparat peccata nostra debito decem numerorum; satisfactionem verò Christi solutioni infinitorũ Thesaurorum. Et infra confert peccata generis humani paucis guttis aquæ: merita verò, & satisfactionẽ Christi immenso pelago, & mari. Nec solùm Chrysostomus, sed & Ambrosius, Theophilactus, & Euthimius ibidem, hoc Pauli testimonium sic interpretantur. Quinimò & Agapetus Papa epistola ad Anthimum, vbi postquàm docuerat, precium Redemptionis nostræ superabundans fuisse, ex prædictis verbis Pauli colligit, validius fuisse donum libertatis nobis per Christum cócessum: quàm debitum seruitutis ex peccato cõtractum. Quam doctrinam desumpsit ex Caio Papa in epist. 1. decretali.

Præterea: hæc cõclusio est definita in Cócilio Tridẽ- 19
tino,

tino. Es primò quod attinet ad culpas peccatorũ, videtur in particulari definita decreto de peccato originali Sess. 5. num. 5. vbi dicitur: peccatum originale tolli à nobis per meritum Christi, qui nos Deo reconciliauit in sanguine suo, factus nobis Iustitia, sanctificatio, & redemptio. Et idem definitur de omnibus peccatis Sess. 6. cap. 2. & 3. & apertiùs cap. 7. vbi primùm dicitur, in iustificatione peccatoris includi remissionem peccatorum, & internam renouationem. Et posteà dicitur: causam meritoriam huius iustificationis esse Christũ; quia sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit. Quod sanè dici non posset, nisi Christi passio valorem habuisset debito æqualem, imò & superabundantem. Et in eisdem locis idem significari videtur de pœnis æternis, quæ cum culpa simul remittuntur, & ex vi remissionis culpæ, vt magis explicatur cap. 14. eiusdem Sessionis sextæ. Et quod attinet ad temporales pœnas peccatorum, videtur hoc supponi vt certum Sess. 14. cap. 8. vbi dicitur: ex nostris satisfactionibus pro pœnis istis non obscurari, vel aliqua ex parte imminui vim meriti, aut satisfactionis Christi: & ex satisfactione Christi omnem nostram satisfactionem habere vim, & valorem.

20 Ex quibus constat, Christi Domini satisfactionem excessisse, & superasse longè omnium hominum peccata in suo valore: in cuius significationem docet Cõcilium Triburiense cap. 19. ad calicis consecrationem plus vini apponendum, quàm aquæ: quia per maiorem Vini copiam, maiorem esse magestatem sanguinis Christi, significatur, quàm fragilitas humani generis per modicum aquæ denotata.

21 Colligitur etiam ex hac conclusione intelligentiã Sacræ Scripturæ in diuersis locis. Ea enim loca, in quibus Christus dicitur Saluator omnium, & pro omnibus mortuus; intelliguntur quoad sufficientiam. Illa verò, in quibus dicitur non pati, aut non orare pro omnibus, intelliguntur quantùm ad efficaciam. Cæterùm ea loca, in quibus Christus dicitur oblatus, passus pro multis, & redemisse multos, vt Matth. 20. *Filius hominis venit dare animam suam in redemptionem pro multis:* Et ad Hebræ. 9. *Christus semel oblatus est ad multorũ exhaurienda peccata:* Vtramq; suscipiunt intelligentiam: vel quantum ad efficaciam, quia multi cum effectu salutem suis consecuti: vel quantùm ad sufficientiam, Et tũc ly, *Multi,* Idem pollet quod, *Omnes.* Quæ interpretatio non est aliena à Sãcta Scriptura: nam ad Roma. 5. dicitur. *Sicut vnius delicto multi mortui sunt, &c.* & infra. *Sicut per vnius delictum multi constituti sunt peccatores, &c.* Vbi illud nomen, *Multi,* Idem significat, quod omnes.

Secunda Conclusio. §. III.

22 SATISFACTIO Christi fuit coodigna, & æqualis per se, & ab intrinseco, & ex natura rei, & non ex sola Dei acceptatione extrinseca. Hæc conclusio est communis inter Theologos, præter illos, quos Paragrapho 2. retulimus. Est D. Thomæ in hoc articulo ad secundum. Et infra. q. 48. art. 2. & in 3. d. 20. q. 1. art. 1. & 4. contra gentes cap. 55. Sequuntur D. Thomam omnes eius discipuli, Paludanus in. 3. d. 20. q. 2. art. 2. Capreolus q. vnica, art. 1. conclus. 2. Caietanus hoc loco. Ferrariensis. 4. contra gent. cap. 55. Soto lib. 3. de natura & gratia ca. 6. & in. 4. d. 19. q. 1. art. 1. & alij etiam, vt Bonaueutura in. 3. d. 20. art. 1. q. 3. Richardus. q. 4. & 5. Abulensis Paradoxa. 1. cap. 42. & in Prologum super Matthæum. q. 27. & super cap. 3. Matthæi. q. 19. Guillielmus Parisiensis lib. Cur Deus homo, cap. 6. & 7. Richardus de Sancto Victore lib. de Incarnatione Verbi, cap. 8. Driedo lib. de Captiuitate & Redemptione generis humani. Et Vega lib. 7. in Trident. cap. 8. & 9. Quam conclusionem ita certam existimo, vt oppositam iudicem omninò improbabilem, vt potè parùm consonam Diuinis literis, Pontificum, & Cõciliorum decretis, ac Patrum doctrinæ. Ex quibus omnibus locis, & argumentis etiam à ratione sumptis efficacissimè confirmabo.

Et primò probatur, quia ex eisdem locis constat, necessariam fuisse Diuini Verbi Incarnationem, vt homines seruata æquitate Iustitiæ redimerentur: hoc est, media satisfactione æquiualenti, & æquali hominum debito: ergo ex eisdem locis colligitur, satisfactionem Christi habuisse de se, & ex natura rei, & seclusa acceptatione Dei extrinseca, valorem de condigno, & ad æqualitatem. Probatur ista cõsequentia: quia vt homines redimerentur media satisfactione æquiualente ex Dei acceptatione, & benignitate, non erat necessaria Diuini Verbi Incarnatio. Etenim vt aliquod opus sit hoc modo æquiualens, satis est, quòd Deus ipsum acceptet, vt precium æquiualens, & æquale. Neq; vlla est repugnantia, quòd opus puræ creaturæ hoc modo acceptetur à Deo. Antecedens autem probatur, primò ex Sancta Scriptura, nam ad Hebræos. 10. inquit Paulus. *Impossibile est sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata. Ideò ingrediens mundum dicit. Hostiã, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.* Vbi Paulus apertè loquitur de remissione peccatorum per satisfactionem æquiualentem: nam interueniente acceptatione Dei, possent rectè peccata illis sacrificijs expiari. Et ita sensus Pauli est. Quia impossibile erat, peccata illis sacrificijs auferri, nempe, seruata æquitate Iustitiæ: ideò Christus in mundum veniens, dixit Patri. Quia illa sacrificia non probasti, idcirco mihi corpus aptasti; vt scilicet, media satisfactione sufficiente remissio peccatorum fieri posset. 23

Vnde constat, falsam esse solutionem Scoti asserentis Christi satisfactionem fuisse æqualem, & superabũdantem, non quidem ob valorem intrinsecum, quem habebãt opera, ab ipso oblata in compensationem peccatorum; sed propter extrinsecam, & gratuitam Dei acceptationem, qua liberè statuit admittere vnum bonum velle Christi, quasi sufficientem satisfactionem peccatorum: vnde reliqua Christi opera, quæ in satisfactionem obtulit, optimè ab Scriptura, & Patribus dici possunt superabundantia, & supererogationes. Nihilominùs hanc Scoti solutionem euidenter refellit differentia adhibita à D. Paulo loco citato inter Sacrificium Christi, & victimas legis veteris, quod attinet ad expiationem peccatorum: nam Sacrificiũ Christi ideò fuit necessarium ad expianda peccata, quia impossibile erat per veteris legis Sacrificia peccata auferri; sed non erat impossibile ex Dei gratia, & acceptatione: ergo per Christi Sacrificium sublata fuerunt peccata propter 24

Digitized by Google

intrinsecum ipsius valorem,& non solùm ob extrinsecam Dei acceptationem.

25 Secundò probatur idem antecedens ex testimonijs Pontificum: nam Agapetus Papa in citata Epistola ad Anthimum Episcoporum Constantinopolitanum, sic ait. *Quæ reconciliatio esse posset,qua humano generi repropitiaretur Deus,si hominis causam mediator Dei & hominum non susciperet?* Quasi diceret: non nisi imperfecta, & non fundata in satisfactionis æqualitate. Item Caius Papa in Epistola. 1. Decretali. contra hæreticos,negantes Christum esse verum Deũ, & verum hominem,ita inquit. *Ostendant, vndè sibi spem vitæ polliceatur æternæ, ad quã nisi per mediatorem Dei,& hominũ,hominẽ Iesum Christũ perueniri non potest.* Vbi,quia loquitur aduersùs illos hæreticos,intelligit non posse perueniri, etiam de potentia Dei absoluta. Et insuper,quia hoc vniuersaliter verum esse non potest, de omni modo perueniendi respectu huius potentiæ,vt articulo præcedenti ostensum est,sed solùm de modo perueniendi per satisfactionem æquiualentem,& secundùm rationem Iustitiæ. Idcircò intelligit in vitam æternam perueniri non posse media satisfactione æquiualente, nisi satisfactionis Christi interuentu:quod ipse inferius his verbis explicuit. *Nec est Redemptio captiuitatis humanæ,nisi in sanguine eius,qui dedit semetipsum in Redemptionem pro omnibus.* Præterea.Clemens.6. in extrauaganti, *Vnigenitus,* De pœnitentijs,& remissio. Sic dicit. *Quem,* (Scilicet,Christum)non guttam Sanguinis modicam, quæ tamen propter vnionem ad Verbum, pro redemptione totius humani generis sufficeret; sed copiosè,velut quoddam profluuium noscitur effudisse.* Quibus verbis fatetur Pontifex,guttam sanguinis Christi suffecisse,pro redemptione totius generis humani propter vnionem ad Verbum, in qua vnione ratio sufficientiæ posita est: atq; adeò sine tali vnione reperiri non posse sufficientiam, aut æqualitatem talis redemptionis. Et hoc idem voluit significare Anacletus Papa Epist.2.Decretali. Cùm dixit, *Deum factum fuisse hominem,vt virtutis suæ potentia nos liberaret.* Hoc est,oblata satisfactione æquali,& perfectissima. Idem etiam apertè docet Leo primus multis in locis,sed præcipuè Epist.81.& 95,cap. 5. vbi asserit eadem verba,quæ ex Agapeto retulimus.

26 Tertiò probatur idem antecedens testimonijs Sanctorum,qui sæpè hanc reddunt rationem Incarnationis Diuini Verbi, quòd aliter pro hominum peccatis perfectè,& seruata Iustitiæ æquitate Deo satisfieri non posset. Hac ratione vtitur Athanasius,qui lib. de Incarnatione Verbi parùm post principium ita inquit. *Corpus,quod mori posset,assumpsit, vt pro omnibus ad plenam satisfactionem sufficeret;& mortem in omnibus quasi stipulam igni,consumeret suis meritis, & satisfactione.* Cyrillus lib. 1.de fide ad reginas. Et lib. 2.non longè à principio. Et lib. de Incarnatione Vnigeniti,cap.11.& lib.2.Thesauri cap 11.& lib. 4. de Trinita.circa principium. Basilius homil.super Psalm. 48. Chrysostomus homil.10.in Ioan. Augustinus in Enchiridio.cap.108.& lib.9.de ciuita.cap.17. & sermo. 8. de Verbis Apostoli. Cyprianus sermo.de Passione Domini,& deniq; omnes illi,qui insinuare videntur,hominum genus reparari non potuisse, nisi per Verbi Incarnationem: vt vidimus in commentario huius articuli.

27 Secundò probatur hæc conclusio ex Sacta Scriptura,nam Paulus ad Roma.5.ita inquit. *Sicut per vnũ hominem peccatum in hunc mundum intrauit, &c.* Vbi comparat peccatum Primi Parentis in ordine ad damnationem suæ posteritatis, cum obedientia & satisfactione Christi in ordine ad reparationem hominum. Et in hac cõparatione significat, potentius fuisse Christi meritum, quàm Adæ peccatum:nam subdit. *Sed non sicut delictum,ita & donum. Si enim vnius delicto multi mortui sunt:multo magis gratia Dei,& donum,in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit.* Et posteà. *Vbi abundauit delictum,superabundauit gratia,&c.* Ex qua comparatione desumitur argumentum. Supposito, Adamum fuisse caput morale,eius peccatum fuit ex natura rei sufficiens ad hominum damnationem: ergo similiter, supposito Christum fuisse caput omnium in esse morali, eius satisfactio erit ex natura rei sufficiens ad hominum redemptionem. Item ad Hebræ.5.inquit Paulus loquens de Christo. *Qui in diebus carnis suæ,preces, supplicationesq; ad eum,qui posset illũ saluum facere à morte cũ clamore valido,& lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Vbi valor,quem orationes Christi habebant,vt ipse à Patre æterno exaudiretur,nõ tribuitur acceptationi Dei,sed ipsius Christi reuerẽtię. Nomẽ autem reuerentiæ non sumitur actiuè,pro ea reuerentia,qua Christus,vt homo,Patrem reuerebatur;sed passiuè,pro ea,quæ ipsi Christo erat debita ratione suæ dignitatis: vt ibi exponunt Chrysostomus, Theophilactus,& Anselmus. Præterea idem Paulus ad Hebræ. 7.8.9.& 10.probat,vnicum Christi Sacrificium fuisse sufficientissimum ad omnium hominum redemptionem: & veteris legis Sacrificia, tametsi plura fuerint, fuisse insufficientia. Vbi sine dubio comparat huiusmodi Sacrificia in valore,qui eis ex natura rei, & ab intrinseco conuenire potest,& non in eo, qui per extrinsecam Dei acceptationem illis congruere valet.

28 Insuper confirmatur testimonijs Scripturæ adductis conclusione præcedente; quibus significatur, pretium à Christo pro nostra redemptione oblatum, esse maius nostro debito. Si enim ex natura rei,& ab intrinseco non fuisset æquiualens, sed tantùm ex Dei acceptatione; verè,& propriè dici non posset maius debito: vt siquis centum talenta debeat,& soluendo quinquaginta à toto debito liberetur, quoniam creditor illa quinquaginta in integram solutionem acceptat, & per ea integrè sibi satisfieri vult; non diceretur exsoluisse pretium,quod esset maius,quàm debitum.

29 Item Sancti Patres eandem docent sententiam. Legendus est Athanasius homil.de Passione & Cruce Domini,vbi inter alia sic ait. *Christus factus est pro nobis maledictio,atq; ita humana carne amictus, & circũdatus,ea,quæ nostra erant, per se obtulit Patri: vt ipse patiens,hominem patientem illæsum redderet, & parum magnipensaret.* Vbi Athanasius apertè dicit, Christi satisfactionem tanti fuisse valoris, vt paruum debitum magno pretio compensaret. Chrysostomus etiam homil.9.in Epistolam ad Roma. exponens illa verba capitis.5. *Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum: multò magis abundantiam gratiæ, & donatio-

donationis, & iustitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum.* Vt explicet, quid per abũdantiam gratiæ significetur, ita inquit. *Quemadmodùm siquis, eum, qui obolos decem sibi debeat, in carcerem coniiciat, nec eum tamen solum, sed eius causatum vxorem, tum liberos, tum famulos: atq; ideò superueniens vnus aliquis decem, quos dixi, obolos, non numeret modò, sed cum illis infinita item auri talenta largiatur, &c. ita inquit, & nobiscum factum est: multò enim plura his, quæ debebamus, rependit Christus: atque tantò plura, quantò mare immensum ad pusillã guttam collatum maius esse posit.* Idem etiam significare voluit Agapetus Papa in Epist. citata, cùm inquit, effusionem sanguinis Christi fuisse diuitem ad pretium. Et Clemens. 6. in extrauaganti citata, dicens: *De coosumptione, seu minutione Thesauri Ecclesiæ non esse aliquatenus formidandum, propter infinita, quæ in eo sunt, merita Christi.*

30 Tertiò probatur ratione. Satisfactio Christi ex natura rei habebat, quòd procederet à Persona Diuina, nempe, à Persona Verbi: ergo ex natura rei, & seclusa extrinseca Dei acceptatione, habebat valorem æqualem grauitati offensæ contra Deum commissæ. Antecedens patet ex communi consensu Philosophorum, asserentium, actiones non esse formarum, sed suppositorum: vt humanitas. V. g. non ambulat, neq; comedit, sed suppositum, scilicet, Petrus. Est autem sermo de principio, *Quod,* Actionum: nam certum est, suppositum operari per suam formam, tanquã per principiũ, *Quo.*

31 Sed ad probationẽ cõsequentiæ supponendũ est, grauitatem injuriæ crescere ex dignitate personæ offensæ, ita vt cæteris paribus injuria tantò sit grauior, quantò dignior fuerit Persona offensa. Et valorem Satisfactionis crescere potissimùm ex persona Satisfacientis dignitate, ita vt cæteris paribus tantò Satisfactio sit maioris valoris, quantò persona Satisfaciens fuerit maioris dignitatis. Quod fundamentum quò ad vtramq; partem colligitur ex Aristotele: nam priorem partem videtur asserere. 5. Ethicor. cap. 5. cùm ait: Talionem, id est, reciprocam quandam repassionem, in aliquibus casibus discrepare à iure, veluti siquis magistratũ gerens, quempiam percusserit, non est repercutiendus. Et siquis pulsauerit & percusserit eum, qui magistratum gerit, non modò verberandus est, sed etiam castigandus. Vbi ex diuersa dignitate offensi, diuersam iudicat offensæ & pœnæ grauitatem. Posteriorem verò partem docere videtur. 1. Ethic. cap. 5. cùm inquit: honorem sitũ esse in his potius, qui honorem deferunt, quàm in eo, qui honore afficitur. Vbi insinuat, quantitatem etiam honoris cõmensurari dignitati eius, qui honores defert, & non eius, cui honor defertur: at Satisfactio est quædã honoris, & reuerentiç exhibitio.

32 Colligitur præterea ex D. Thoma, nam priorem partem docet apertè. 1. 2. q. 73. art. 9. vbi inquit, peccatum cæteris paribus aggrauari ex conditione personç, contra quam peccatur. Ita vt homicidium V. G. ex conditione Personæ occissæ reddatur grauius. Et vtramq; partem asserit expressè in hoc articulo ad 2. priorem quidem, cùm dicit, peccatum contra Deum commissum habere quandam infinitatem ex infinitate Diuinę Magestatis. Et reddens rationem ait. *Tantò enim offensa est grauior, quantò maior est ille, in quem delinquitur.* Posteriorem verò, cùm statim subdit. *Vnde oportuit ad condignã Satisfactionem, vt actus Satis. acientis haberet efficaciam infinitam, vt pote Dei & hominis existens.*

Tertiò colligitur hoc fundamentum ex morali, & prudenti hominum æstimatione, secundùm quam injuria tantò cæteris paribus censetur grauior, quantò Persona offensa est maioris authoritatis, & dignitatis: & Satisfactio, aut quæcumq; honoris, & reuerentiæ exhibitio tantò reputatur maior cæteris paribus, quãtò fit à Persona digniori. Huius autem ratio est, quia quò Persona aliqua est dignior, tantò debetur ei maior reuerentia. Et ideò injuria illi facta etiam est tantò maior, quia per eam violatur maius ius, & fit Personæ offensæ maior læsio. Similiter quantò persona est dignior, tantò minùs debet alijs reuerentiam, & honorem. Et ideò etiam reuerentia ab ipso exhibita est maioris valoris. Et idem de Satisfactione dicendum est, quoniam Satisfactio, de qua loquimur, in quadam reuerentiç exhibitione consistit. Ex hoc igitur fundamẽto sic explicato, apertè probatur consequentia argumenti propositi: quoniam Satisfactio procedens à Persona Diuina habet valorem æqualem præcipuæ rationi, vndè grauitas peccati desumitur: ergo si ex natura rei habet procedere à Persona Diuina, etiam habet ex natura rei valorem æqualem grauitati peccati. Hac ratione videntur vti Pontifices, & Sancti supra citati, cùm totam rationem sufficientiæ Satisfactionis Christi, aiunt fuisse dignitatem suæ Personæ. 33

Cæterum contra hanc rationem sic explicatã sunt nonnullæ obiectiones, quæ soluendæ sunt. Prima est. Si ex dignitate Personæ Satisfacientis desumitur valor satisfactionis, sequitur, quòd quantò maior fuerit gratia habitualis cæteris paribus ex parte operis, tanto maior sit valor Satisfactionis, & meriti: sed ex hoc sequũtur duo maxima inconuenientia: primum est, quod si in aliqua pura creatura esset infinita gratia habitualis, eius satisfactio esset infiniti valoris, & ex consequenti sufficiens ex natura rei ad satisfaciendum ad æqualitatem pro peccato contra Deum commisso. Secundùm est, quòd opus eiusdem bonitatis ex parte obiecti, & omnium circunstantiarum, solùm quia esset in homine habente maiorem gratiam habitualem, esset magis satisfactorium, & meritorium. 34

Ad hanc difficultatem quidam Respondent concedendo primam sequellam, & ad alias duas, quæ ex illa deducũtur, concedunt secundam, & dicunt illud cõsequens non continere aliquod inconueniens, quia Sanctitas Personæ Satisfacientis, & amicitia cum Deo, nõ habet minorem vim ad augendum valorem meriti, aut Satisfactionis, quàm reliquæ circunstantiæ. De prima verò sequella aiunt, non habere locum in præsenti, quia impossibile est dari infinitam gratiam habitualem etiam de potentia Dei absoluta. Dicunt secundò, quod licet gratia creata haberet infinitam intensionem, non daret actui valorem æqualem grauitati offensæ, quia gratia creata cuiuscumq; sit magnitudinis, non est in ratione dignitatis infinita simpliciter, sed intra latitudinem entis creati: & ideò non est æqualis dignitati personæ offensæ, quæ simpliciter est infinita. 35

Alij verò negant primam sequellam, quia D. Paulus non 36

non dixit, nos accepturos mercedem iuxta gradū gratiæ, sed iuxta bonitatem operum, vt ex illis Verbis constat. *Prout vnusquisq; gessit in corpore.* Et ad probationem asseruit, esse disparem rationem de gratia habituali, & de Persona operante, quātùm ad hoc, quod est communicare operibus valorem: quia dignitas Personæ operantis est substantialis, & ideo necessariò communicatur operibus; dignitas tamen gratiæ est accidentalis, & ideò non communicatur necessariò operibus, quia dignitas accidentalis operanti, sæpè ad ipsas operationes concomitanter duntaxat se habet. Cæterùm in primi solutione explicandum restat, quomodò gratia, quæ haberet infinitam intensionem, non daret operationibus, quæ verè essent meritoriæ, aut Satisfactoriæ, valorem infinitum, si verum est, quòd in ea solutione vt certum supponitur: nempe, quātò maior est gratia habitualis, tantò cæteris paribus maiorem esse valorem actionis meritoriæ, aut Satisfactoriæ. Quod si valor operum esset infinitus, quamuis esset duntaxat infinitus intra latitudinem entis creati, restabat explicandum, quo modò non esset æqualis grauitati offensæ: de qua similiter est certum, non esse infinitam in genere entis simpliciter, neq; in genere offensæ continere omnem grauitatem, ita vt nequeat ei fieri additio, nō solùm extensiuè, verùmetiā intensiuè. In posteriori verò Solutione superest explicandū, quo pacto dignitas gratiæ habitualis, quamuis sit accidentalis, possit se concomitanter tantùm habere respectu operis meritorij, aut Satisfactorij in hoc casu, in quo conceditur, operationem aliquo modo à gratia procedere, siquidem conceditur esse meritoriam. Quarè aliter Respondendum est.

37 Primò ergo dico, gratiam habitualem non dare valorem actioni, nisi ad ipsam aliquo modo concurrat, nempe, aut physicè, aut moraliter: & posse contingere, vt neutro modo concurrat, sed solùm concomitanter se habeat. Et ita Iuata magis receptam sententiam nō omnia opera hominis existentis in gratia, etiam si sint bona moraliter, sunt meritoria, quia non est necesse, omnia ex gratia procedere, aut physicè, & moraliter simul, aut tantùm moraliter, vt constat ex materia de gratia.

38 Dico secundò, quod licèt opus aliquod hominis habentis gratiam habitualem infinitam intensiuè, esset meritorium, aut Satisfactorium, & ex consequenti procederet aliquo modo ex ipsa gratia, quia tamen non procederet ab ea, quatenùs esset infinita, non haberet valorem infinitum. Quod autem opus illud non procederet ex gratia, quatenùs esset infinita, probatur: quia in Primis non procederet concursu Physico infinito propter limitatationem potentiarum: quamuis in eis essent habitus infinitè intensi. Neq; concursu morali, quod facilè intelligetur, si aduertamus, in gratia habituali vim dignificādi, & proportionandi opera in ordine ad vitam æternam, distingui ab eius intensione, & non commensurari intensioni Physicæ, sed potiùs naturæ & essentiæ ipsius gratiæ, vel quatenùs facit filios Dei, ita vt hæc vis, siue conueniat gratiæ ex natura rei, siue ex ordinatione Dei, possit esse inæqualis intensiuè. Et ita concedimus, eam aliquando extendi ad effectum, ad quem intensio Physica gratiæ non extenditur: vt cùm gratia dat valorem operibus, quæ ipsam in intensione superant. Quarè cùm gratia illa, de qua loquimur, esset tantùm infinita secundùm intensionem, & finita secundùm essentiam, aut quatenùs est filiatio, quia est adoptiua, & non naturalis; non haberet vim ad conferendum operi meritorio valorem infinitum, sed solùm ad dandum valorem limitatum. Itaq; illa gratia esset simpliciter, & absolutè dignitas quædam finita, & ita dignificare infinitè non posset, aut infinitum valorem tribuere.

Si autem quæratur, in quo gradu conferret valorē, 39 dicendum est, quòd non daret æqualem valorem omnibus operibus, sed maiorem, aut minorem iuxta maiorem, aut minorem bonitatem ipsorum operum. Quod etiam asserendum est de gratia infinitè intensiua: nam à gratia eiusdem intensionis, opera, quæ secūdùm se sunt meliora, habent maiorem dignitatem, & valorem in ordine ad beatitudinem. Et solet explicari exemplo Sigilli Regis, quo cuditur moneta, quod licèt sit idem, est causa maioris, aut minoris æstimationis, & valoris in moneta iuxta diuersitatem materiæ.

Ad argumentum ergo in forma Respondetur, negā 40 do primam Sequellam, ex qua aliæ duæ colliguntur, quia non est necesse, vt quantò gratia habitualis est maior, tantò opus procedat magis ex ipsa, vt explicatum est: & ex consequenti, neq; quòd tantò sit magis meritorium: quia opus non habet ratione gratiæ esse magis meritorium, nisi quatenùs magis ex ipsa procedit. Et si inquiratur, Cur opus à Christo factum procedat necessariò à dignitate Personæ, & opus factum ab homine grato non dimanet necessariò à dignitate gratiæ habitualis, aut saltem ab ipsa adæquatè, & secundùm totam vim, quam habet: Respondetur, rationem discriminis esse, quòd sicut concursus Physicus gratiæ, & reliquorum habituum subordinatur libertati operantis, ita vt operari possit sine Physico concursu ipsorum habituum, aut non cum tanto concursu, quantum ipsi habitus ex natura sua præstare possent: sic etiam concursus moralis, qui dignitati gratiæ conuenit, subordinatur eidem libertati, & ideò ex ipsa potest modificari. At verò sicut concursus Physicus Personæ non ita subordinatur libertati operantis, sic neque moralis concursus dignitatis eiusdem Personæ subordinatur eidem libertati.

Prætereà dicitur, seu potiùs explicatur præcedens solutio: Dignitatem Personæ Christi, quæ est illi intrinseca, communicari actionibus humanitatis secundùm vltimum valoris, nempe, secundùm infinitum gradū: non verò dignitatem, quam habet Persona grata per gratiam, quoniam gratia conuenit ab extrinseco, & perficit per modum habitus ipsum subiectum: atque adeò natura eius est, vt agens operetur eo, cùm vult, & quòd secundùm intensionem & conatum operantis communicetur virtus ipsius habitus, magis, vel minùs, prout liberè procedit. Dignitas verò Personæ, & Suppositi naturali Sequella, & per modum naturæ, (vt ita loquamur) communicatur actionibus. Hoc patet in formis naturalibus, & liberis; nam formæ, quæ à natura sunt determinatæ, operantur secundùm vltimum talis determinationis, si ab alio agente non impediantur. Formæ verò liberæ, cuiusmodi sunt habitus virtutum, operantur secundùm conditionem liberam subiecti, in quo sunt. 41

Ex

42 Ex quibus constat,quod licet Persona Verbi, quantùm est de se Physicè,& liberè operetur, & non moraliter ; in natura tamen rationali assumpta moraliter operatur. Quare si naturam irrationalem assumeret, quæ liberè operari non posset,non operaretur moraliter,neq; meritoriè,aut Satisfactoriè ; quia illa natura esset incapax moralitatis: & quia Verbum de se non operatur moraliter. Vnde necessariò requiritur natura capax moralitatis:& quòd illa subordinetur Verbo ; & eius voluntati in operando, sicut & in essendo : & ita procedit actio cum valore morali infinito, & ad Satisfaciendum apto.

43 Secundò Respondetur ad argumentum;quidquid sit de prima Sequella, negando secundam, qua primum inconueniens deducitur.Et probationi dicitur ;. quòd licet quantitas gratiæ cæteris paribus valorem meriti,& Satisfactionis augeat;non sequitur,quòd infinitas intensiua gratiæ conferat valorem infinitum,quia huiusmodi infinitas est secundùm Physicam intensionem, & non secundùm dignitatem, vt explicatum est.

44 Secunda obiectio contra eandem rationem est hęc. Persona Verbi,vt suppositum humanitatis sibi vnitæ, non est causa efficiens operationis Satisfactoriæ ipsius humanitatis,influendo in eam,aut quò ad eius substantiam,aut quo ad modum aliquem ipsius: ergo neque est causa alicuius valoris, qui ei ex natura rei conueniebat.Consequentia patet:nam valor,qui actui Satisfactorio ex natura rei conueniret,vel esset eius entitas, vel aliquis modus entitatis. Et antecedens probatur. Persona Verbi, vt suppositum humanitatis,non concurrit ad operationes Satisfactorias humanitatis, nisi eo modo, quo propria Personalitas creata concurreret,cuius vices gerit ; sed Personalitas creata non esset causa operationum humanitatis, aliquid in eas influendo; sed solùm sustentando ipsam humanitatem ; nam Personalitas creata est quidam modus, cuius munus non est operari,sed solùm sustentare, & terminare naturam,quæ est operationum principium : ergo etiam Persona Verbi solùm est hoc modo causa operationũ humanitatis sibi vnitæ.

45 Ad argumentum negatur antecedens, & ad probationem negatur minor : quia Personalitas creata non concurrit ad operationes suæ naturæ solùm , quia ipsam naturam sustentat,sed quia est id ; quod per ipsam naturam operatur:ad quod nullus requiritur influxus Physicus ipsius Personalitatis in operationes,qui sit ab influxu naturæ distinctus,sed satis est,vt influxus naturæ tribuatur Personæ , tanquàm operanti, *Quod.* Itaq; sicut natura dat Personæ operari, quia est id, quo Persona operatur : sic etiam dat influere in operationes,quia natura est tota virtus, qua Persona in operationem influit. Ratio autem huius est, subordinatio naturalis inter Personã,& naturã in ratione, *Quod,* &, *Quo,* In ordine ad operationem.De quo legendus est D.Thomas infra q.19.art.1.ad.4.

46 Secùdò Respõdetur,quidquid sit de antecedẽti (hoc est.siue Persona concurrat efficienter ad operationes suæ naturę influendo Physicè in earum entitatem, siue solùm concurrat,vt conditio sustentans naturam) negando consequentiam,quia cùm dicitur Persona esse causa valoris in operationibus,non est sermo de causa concurrente Physicè ad entitatem, vel modum aliquem Physicum ipsarum operationum ; sed de causa concurrente moraliter ad earum valorem. Consistit autem iste concursus in duobus:nempe ; in vnione ipsius Personæ cum operationibus , quatenùs habent rationem materiæ Satisfactionis;& in quadam resultantia valoris in ipsas operationes ex vi illius Vnionis. Et tam Vnio,quàm resultantia dicitur moralis,quia Vnio ordinatur ad effectum moralem,videlicet, ad Satisfaciendum:& consistit in æstimatione morali,aut in eius fundamento Et resultantia non est ex vi actionis Physicę,sed ex vi huius Vnionis. Causa autem huius Vnionis Personæ cum operationibus, est illa naturalis subordinatio, quam operationes ex natura rei habent ad Personalitatem naturæ,à qua procedunt, vel tanquàm ad principale agens,vt, *Quod, vel tanquàm ad sustentantem intrinsicè & per se ipsam naturam, quæ est ratio agendi:quia hoc est sufficiens fundamentum , vt prudenter possit iudicari,quòd cùm sunt actus humiliationis,& subiectionis in Satisfactione offensi, humiliatur per eos ipsa Persona , & ex consequenti vnitur illis , prout habent rationem materiæ Satisfactionis. Etenim materia Satisfactionis pro offensa ; sunt actus humani,quibus placatur offensus:& ideò Persona,quæ est illorum actuum principium,etiam pertinet ad materiam Satisfactionis,quatenùs illi actus deseruiunt ad placandum offensum, vt sunt actus humiliationis, & subiectionis,ac proinde includunt personam , quæ est eorum principium , nam illa per eos subijcitur offenso. 47

48 Tertia obiectio est. Vel Persona Diuina secundùm se est causa huius valoris Satisfactorij ; vel vt est vnita humanitati:Primum dici non potest,quia Persona Diuina secundùm se nequit esse Satisfaciens : ergo neq; potest pertinere ad materiam Satisfactionis,neq; dare operibus humanitatis valorem Satisfactorium. Consequentia patet:nam valor Satisfactionis crescit ex dignitate Personæ Satisfacientis,quatenùs est Satisfaciens, & pertinet ad materiam Satisfactionis. Antecedens verò probatur:quia Persona Satisfaciens , quatenùs talis est,debet esse inferior eo,cui Satisfacit: at Personæ Diuinæ secundùm se nequit conuenire esse inferiorem.Si dicatur secundùm,sequitur , quòd valor Satisfactionis non sit æqualis grauitati peccati. Probatur Sequella: nam dignitas satisfacientis non est æqualis dignitati offensi, siquidem Satisfaciens est Persona Diuina , in quantùm homo:& offensus est Deus secundùm se.Persona autem Diuina,in quantùm homo, non est tantæ dignitatis, sicut Deus secundùm se : quia Christus, in quantùm homo,dicitur creatura,& minor Patre, atq; illi subiectus.

49 Respondetur:Personam Diuinam,vt vnitam humanitati, esse causam huius valoris. Cæterùm Particula, *Vt,* Non sumitur reduplicatiuè, ita vt denotet terminum,cui applicatur,esse rationem per se,vel causam talis valoris:sed specificatiuè,ita vt solùm insinuet terminum,cui applicatur,esse conditionem necessariò requisitam, vt Persona Verbi sit causa huius valoris in operationibus humanitatis sibi vnitæ. Itaq; Persona Verbi secundùm se est ratio,& causa per se huius valoris,nihilominùs vt sit actu causa , requiritur tanquàm conditio,vt sit vnita humanitati. Ad impugnationem ergo

ergo negatur consequentia, scilicet, quòd dignitas Satisfacientis non sit æqualis dignitati offensi: Cùm enim dicitur, Personam Diuinam, in quantùm est homo, esse Satisfacientem, particula, *In quantùm,* Non importat rationem per se Satisfaciendi, sed conditionem duntaxat. Et ideò licèt secundùm hanc conditionem sit inæqualitas inter Satisfacientem, & offensum, non sequitur, quòd absolutè, & simpliciter sit inæqualitas: nam dignitas Satisfacientis non est attendenda penes id, quod solùm requiritur vt conditio ad satisfaciendũ, sed penes id, quod est ratio per se, & causa valoris: sicut in vniuersum perfectio agentis non commensuratur conditioni requisitæ ad agendum: vt V.G. applicationi, sed virtuti actiuæ, quæ est per se ratio agendi: vt principium calefaciendi, non ideò perfectius est, quia est magis applicatum, sed quoniam habet maiorem, & intensiorem calorem.

50 Sed objicitur. In hoc Syllogismo: Persona Diuina, in quantùm habuit passiones suas, (hoc est, quæ ipsi vt supposito tribuerentur) Satisfecit, sed in quantũ vnita humanitati habuit prædicto modo passiones: ergo etiam in quantùm vnita humanitati, Satisfecit. Sed tam in maiori, quàm in minori particula, *In quantùm,* Sumitur reduplicatiuè, & importat rationem per se, & non conditionem tantùm: ergo etiam in consequenti: atq; adeò Personam esse Vnitam humanitati, non est præcisè conditio requisita, sed ratio per se ad Satisfaciendum.

51 Pro solutione argumenti supponendum est, in passionibus Christi duo posse considerari: nempe, substantiam earum, & valorem Satisfactorium. Quo supposito, concedendum est, in maiori particulam, *In quantùm,* Sumi reduplicatiuè, quia passiones in ea sumũtur, prout continent vtrumq;, nempe, substantiam, & valorem: aliàs esset falsa illa propositio, quia Christus non Satisfecit præcisè, in quantùm habuit passiones, quò ad earum substantiam, sed in quãtùm habuit passiones habentes valorem Satisfactorium. Minor autem distinguenda est: aut enim intelligitur de passionibus, quò ad earum substantiam tantùm, aut quò ad valorem, siue per se sumptum, siue vt adiũctum substantiæ. Si priori modo intelligatur, concedendum est, particulam, *In quantùm,* Sumi reduplicatiue: quia ratio per se patiendi est humanitas. Si tamen posteriori modo intelligatur, asserendum est, non sumi reduplicatiuè: quia ratio per se valoris non est humanitas, sed Diuinæ Personæ dignitas. Et ideò non sequitur, in consequenti illam particulam sumi reduplicatiuè, quia in eo Verbum, *Satisfacere,* Non significat habere passiones quomodocumq;, aut tantum quò ad earum substantiam, sed simul cum valore Satisfactorio.

52 Sed objicitur vlteriùs. Quamuis Diuinam Personam esse vnitam humanitati, aut subsistere in humana natura, non sit ratio per se valoris, sed tantùm conditio, adhùc sequitur, quòd satisfaciens, vt communicans valorem operibus, hoc est, vt actu Satisfaciens, & Deus vt offensus, non sint æqualis dignitatis: quod sic probatur. Deus secundùm se, & sine vlla conditione modificante eius dignitatem, est offensus: sed Persona Verbi non communicat immediatè, & secũdùm se valorem operibus, sed media conditione modificante, & limitante eius concursum, & causalitatem, nempe, media Vnione cum humanitate: ergo Satisfaciens, vt actu Satisfaciens, non est æqualis dignitatis cum offenso.

53 Confirmatur. Conditio ad agendum requisita modificat actualem concursum causæ, quamuis non modificet eius virtutem actiuam, & ita ignis meliùs applicatus magis calefacit, estò non habeat maiorem vim calefactiuam, quæ est ratio per se calefaciendi: ergo pari ratione vnio cum humanitate, quæ est conditio requisita, vt Persona Verbi communicet valorem operibus, modificabit eius concursum, quantùm ad actualẽ communicationem valoris, & ex consequenti Persona Verbi non communicauit operibus valorem, quãtum ex vi suæ dignitatis posset communicare: ac proindè Persona Verbi, vt actu Satisfaciens, non est æqualis dignitatis cum Deo, vt offensus est.

54 Ad argumentum negatur Sequella, & ad probationem Respondetur, quòd licèt vnio cum humanitate sit conditio requisita, vt Persona Verbi operibus humanitatis valorem communicet: nihilominùs tamen modificare non potest concursum, quo Persona Verbi hunc valorem communicat: quoniam is concursus nõ est Physicus, sed moralis, qui (vt iam diximus) consistit in Vnione Personæ, cum operationibus, & in resultantia morali valoris in ipsis operationibus ex vi huius Vnionis. Et vnio hypostatica Personæ Verbi cum humanitate non limitat, aut modificat aliquo modo illam Vnionem moralem eiusdem Personæ cum operationibus; quia tota dignitas Personæ Verbi, supposita Vnione hypostatica cum humanitate, subijcitur, & humiliatur Deo per ipsas operationes. Ex hoc etiam patet Solutio ad confirmationem: quia illud antecedens non est verum vniuersaliter, etiam in causa concurrente moraliter. Neq; exemplum ignis est ad propositum, quia concurrit Physico concursu ad calefaciendum, & ideò modificatur eius concursus Iuxta gradum applicationis. Superest Diluere argumenta initio disputationis proposita.

Diluuntur Argumenta. §. IIII.

55 AD Primum igitur argumentum latiùs Respõdebitur infra. Interim dicitur, opera Christi ex se habuisse intrinsecum valorem sufficientem ad Satisfaciendum non solùm pro peccatis generis humani, sed pro infinitis alijs, etiam grauioribus. Nihilominùs tamen potuisse Deum Iustè illa non admittere in peccatorum compensationem: quia opera Christi secluso pacto Dei promittentis se illa acceptaturum, non habebant completè rationem meriti, & Satisfactionis in actu secundo. Si verò inquiratur, Cur inter homines creditor, aut Persona offensa secluso omni pacto, & promissione, non potest Iustè non admittere æquale pretium oblatũ à debitore in Solutionem debiti, & iustam injuriæ compensationem pro Satisfactione, Deus autem iustè id facere possit: Respondetur, homines ad id obligari, & iure naturali, & legibus superiorum. Deus autem, vtpote absolutus Dominus, nullis adstringitur legibus, sed voluntas sibi pro lege est. Vndè nisi priùs ipse velit se obligare, nullo modo obligari potest. Secundò Respondetur, Deum ex vi rectitudinis Iustitiæ teneri ad acceptãdam Christi Satisfactionem, vt apertiùs constabit infra disput. 7.

Ad

Digitized by Google

56 Ad ſecundum Vega lib.7.cap.9 conceſſo antecedenti negat conſequentiam,nam beneficia,quæ Chriſtus à Patre accepit,ſunt maiora in ſuo ordine , quàm grauia hominum peccata,etiam conſiderata,vt habent rationem offenſæ Diuinæ. Vnde licèt Chriſtus pro beneficijs acceptis parem gratiam referre non poſſet: non ſequitur non potuiſſe etiam de cõdigno Satisfacere pro peccatis hominum. Verùmtamen hæc Solutio nõ placet,quia ſupponit falſum,nepe , nõ potuiſſe Chriſtum Satisfacere ad æqualitatem pro benrficijs collatis ſuæ humanitati:nam ſicut humanitati Chriſti per vnionẽ hypoſtaticã eſt cõmunicata res infinitæ dignitatis,ſcilicet,Perſonalitas Verbi:ſic etiã per peccatum eſt offenſa res infiuitæ diguitatis,videlicet,Deus: ergo ſi Chriſtus non poteſt reddere gratias ad æqualitatem pro beneficio,quo res infinita ſuæ humanitati communicatur ; neq; etiã poterit Satisfacere ad æqualitatem pro peccato,quo Perſona infinita offenditur. Neq; obſtat, quod Deus finitè tantùm offenditur per peccatũ mortale: quia etiam humanitas Chriſti finitè Suppoſitatur per Verbi Perſonalitatem,& non infinitè,cùm humanitas infinitæ Suppoſitationis ſit incapax. Loquor autem de Suppoſitatione pro ipſo exercitio Suppoſitãdi,& nõ pro Perſona Suppoſitante.

57 Ad argumentum ergo negatur antecedens, nã quodlibet opus Chriſti propter infinitã dignitatem Suppoſiti,habuit valorem æqualem,imò & infinitũ , vt Diſp. 5. oſtendetur , non ſolùm in ratione gratiarum actionis pro beneficijs ſuæ humanitati collatis, ſed etiam in ratione Satisfactionis pro peccatis hominum. Ad teſtimonium Ariſtotelis 5. Ethic.cap. 6. & lib. 8. cap. 13. *Dijs,& Parentibus,&c.* Reſpondetur cum Caietano, Durandum fuiſſe deceptum in intellegentia illius : eſt enim verũ de Satisfactione,quæ fit à pura creatura , at Chriſtus eſt Deus & homo: vndè quatenùs Deus , cùm ſit æqualis Patri,potuit ei æquiualens reddere. Et licèt ſuum ſanguinem,& vitam in cruce Chriſtus obtulerit, quæ non ſunt Deus: nihilominùs totum ſemetipſum obtulit,iuxta illud ad Titum. 2. *Qui dedit ſemetipſum pro nobis,vt nos redimeret.* Neque etiam ex gratiarum actione in Perſonam Diuinam vllum redundauit beneficium,ſicut in Perſonam creatam,quia gratiarum actio fuit beneficium reſpectu humanitatis, non tamen reſpectu Diuinæ Perſonæ.

58 Secundò Reſpondetur diſtinguendo antecedens , nã beneficia à Deo collata ſunt in duplici differẽtia:quoddam eſt increatum, nempe,eſſe exiſtẽtiæ Chriſti, quod eſt eſſe Diuinum,nam illudmet eſſe, quod habet Filius Dei,habet Chriſtus,in quantùm homo , quoniam humanitas Chriſti eſt producta ſine proprio eſſe, & ab eſſe Diuino ſuſtentatur. Pro hoc igitur beneficio Chriſtus Satisfacere non potuit,quia hoc fuit, hominem efficere Deum,quod omne meritum excedit. Alia verò beneficia Chriſto collata,fuerunt creata, vt gratia gratum faciens,virtutes , &c. Et pro his potuit quidem Satisfacere,& gratias agere. Sunt etiam , qui dicant, potuiſſe Chriſtum gratias agere ad æqualitatem pro beneficio increato vnionis , quia ſicut alia beneficia creata erant beneficia naturæ,& non Suppoſiti; ita ſimiliter beneficium vnionis increatum. Et ideo ſicut Chriſtus gratias agens pro alijs,agebat ex proprijs , ſic etiam cùm gratias agebat pro hoc immẽſo beneficiò, non ſibi,ſed ſuæ humanitati collato , ex proprijs agebat. Neq; obſtat, quod beneficium erat infinitum,nam etiam gratiarũ actio erat ratione Perſonæ infinita.

Alij ſic interpretantur Ariſtotele,quòd Deo,& Paren 59
tibus nequit rependi beneficiũ per bona eiuſdem rationis;nam fortaſſe inter homines Filij debitũ , quod cõtraxerunt ex Paterna generatione , per officia alterios rationis ſuis Parentibus præſtita,iuſte,& ad æqualitatẽ poſſunt perſoluere, vt ſi eos à morte liberent. Et licèt homines beneficium à Parentibus acceptum iuſtè recõpẽſare non poſſent,Chriſtus tamen id poſſet;nam pro eſſe Diuino,quod per æternam,& neceſſariam generationem à Patre accepit,non debet vllam gratiam : pro eſſe verò,quod liberè accepit per generationem humanam , potuit offerre ſua opera , quæ ex coniunctione ad Suppoſitum Verbi non minorem valore habuerũt.

Ad tertium Mag.Suarez hîc non vult admittere ca- 60
ſum propoſitum,vt pote impoſsibilem , & implicatorum. Admiſſa tamen hypotheſi,quòd Chriſtus peccauerit,aſſerit,ex ea neceſſariò colligi,& Chriſtum potuiſſe Satisfacere pro peccato proprio , quia eius opera , vt procedunt à Suppoſito infinito,eſſent quoque infiniti valoris & nõ potuiſſe Satisfacere,quia procederent à Perſona ingrata,& inuiſa Deo: vnde moraliter non haberent illum valorem apud Deum.

Sed hæc Solutio eſt inſufficiens : nam Theologi ad 61
inueſtigandas occultas rerum rationes, admittunt caſus magis impoſsibiles: vt ad quærendam formam,per quam primò & per ſe diſtinguuntur Filius , & Spiritus Sanctus,ſupponunt,Spiritum Sanctum non procedere à Filio. Qua hypotheſi impoſsibili data,non ſtatim reſpondent ſequi, & quòd Spiritus Sanctus diſtinguatur à Filio , & quòd ab eo Perſonaliter non diſtinguatur: quia ex impoſsibili ſequitur quodlibet Sed quia D. Thomas putat, Perſonale diſtinctionem in Diuinis ſumi ex præciſa relatione oppoſitæ originis, cõcedit,in eo caſu Spiritũ Sanctũ nõ diſtingui Perſonaliter à Filio Cõtra verò Scotus,quia cenſet ſufficere quãcũq; relatione incõpoſsibile in eadem Perſona, licèt nõ ſit originis oppoſitæ,docet in eo caſu Spiritũ Sanctũ Perſonaliter differre à Filio,ſicut modò. Similiter in propoſito, qui tenẽt, opera Chriſti accipere infinitũ valore ex infinitate Perſonæ Diuinæ,præciſa omni alia ratione, neceſſariò fateri debent,Chriſtum exiſtẽtem in peccato, pro ſuis, & alienis culpis de condigno Satisfacere poſſe. Qui verò non ex præciſa infinitate Suppoſiti quaſi Phyſicè cõſiderata,ſed ab ipſo Suppoſito,quatenùs moraliter dignificat humanitatem,& eius opera, & grata atq; accepta Deo reddit,affirmant Chriſti Satisfactionem accipere valorem : conſequenter dicere debent , admiſſa prædicta hypotheſi , Chriſtum nec pro ſuo , nec pro alienis peccatis Satisfacere poſſe , quia peccatum impediret dignitatem , & valorem moralem , quem alioquin opera Chriſti ex diuino Suppoſito deſumere debebant. Vter autem modus dicendi iſtorum ſit verior, poſteà dicetur, nam iuxta vtrumque poterit modò argumentum propoſitum facilè diſſolui.

Ad quartum reſpondetur,Paſsionem Chriſti non ſo 62
lùm fuiſſe condignam Satisfactionem pro peccatis generis humani,verùmetiam ſuperabundantem. Vt tamen effectũ remiſsionis peccatorũ in ſingulis hominibus actu ſortiatur, oporteт, vt illis applicetur,vel media

actuali Sacramenti ſuſceptione, vt in pueris; vel mediã te aliqua ſupernaturali diſpoſitione, vt in adultis. Neq; enim Chriſtus pro peccatis noſtris quò ad efficaciam Satisfecit, vt Lutherani mentiuntur, ſed ſolùm quò ad ſufficientiam, vt conſtat ex teſtimonio Pauli citato in argumento. Ad cuius intelligentiam aduertendum eſt, D. Paulum eo loco in Perſona omnium Sanctorum, & iuſtorum hominũ loqui; qui omnes adimplent ea, quæ deſunt paſsionum Chriſti, non quidem in Chriſto, ſed in mẽbris eius. Et ſic ex merito Chriſti infinito, & ex meritis Sanctorum, quæ illis, poſtquàm pro ſe Satisfecerunt, ſuperſunt, eſt in Eccleſia Theſaurus indulgentiarum infinitus, & inexhauribilis, quem Summus Pontifex diuidit, prout vult, & quibus vult, illis applicando merita Chriſti, & Sanctorum. Illa igitur verba D. Pauli, vt rectè expendit D. Thomas ſuper illum locum lectio. 6. ſecundùm corticem intellecta, malum poſſunt reddere ſenſum, nempe, vt Paulus dicat, ſe adimplere; quia paſsio Chriſti ſit inſufficiens: & hic ſenſus eſt hæreticus: fuit enim paſsio Chriſti ſufficientiſsima ad infinitos mundos reparandos; tametſi de facto ordinata nõ ſit niſi ad huius mundi reparationem. Aliter ergo dicendum eſt.

63 Vt autem exactiùs intelligatur, eſt aduertendũ, quòd ſicut in corpore humano eſt quædam inter caput & membra communicatio; ita ſimiliter in corpore ſpirituali, & myſtico eſt quædam communicatio, inter caput, quod eſt Chriſtus, *(Ipſum enim dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius) * Ad Epheſ. 1. & inter nos, qui eius ſumus membra, iuxta illud ad Epheſ. 5. * Quoniam membra ſumus corporis eius. * Et 1. ad Corint. 6. *Neſcitis, quoniam corpora veſtra, membra ſunt Chriſti. * Hoc ſuppoſito, ſenſus Pauli eſt. *Adimpleo ea, quæ deſunt paſsionum Chriſti: non quidem, quia illi deſit aliquid; ſed adimpleo, quæ deſunt paſsionum Chriſti in membris eius. Sicut enim vtilitas vnius membri in alterius vtilitatẽ redundat: ita merita iuſtorum in membrorum commodum cedũt. Et ſic (licèt impropriè) ratione cõmunicationis membrorum cum capite, dicuntur redundare in Chriſtum: tametſi eius paſsioni nihil deſit, iuxta illud Matth. 25. *Quandiù feciſtis vni de iſtis fratribus meis minimis, mihi feciſtis. * Et Zachar. 2. *Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei,

64 Secundò Reſpondetur apertiùs, vt docet D. Auguſt. multis in locis, præſertim in Pſal. 30. Chriſtum Dominum dupliciter conſiderari. Vno modo, prout eſt verus, & realis Chriſtus Ieſus, natus ex Maria Virgine. Alio modo, vt eſt quidã Chriſtus myſticus, qui, videlicet, efficitur ex Chriſto vero, & nobis. Chriſtus enim, & nos vnum corpus myſticum efficimus, cuius caput eſt Chriſtus, & nos membra. Sacra autem Scriptura interdum de Chriſto vero loquitur, interdum de Myſtico; vt eſt illud. * Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. * Et illud Actorum. 9. *Saule, Saule, quid me perſequeris? * Et hoc modo loquitur Paulus in hoc loco, de paſsionibus Chriſti, nempe, Myſtici. Etenim Deus ab æterno ordinauit, quantùm paſsionum & meritorum per totam Eccleſiam debeat eſſe, tam in capite, quàm in membris. Merita autem capitis iam adimpleta ſunt, ſunt enim infinita. Sanctorum verò merita, & iuſtorum ſunt finita iuxta menſuram à Diuina Sapientia præfixam, & iſta ſunt adimplenda. Ideò ergo ait Paulus: *Adimpleo ea, quæ deſunt paſsionum Chriſti. * Id eſt, totius Eccleſię, cuius caput eſt Chriſtus. Loquitur enim de Chriſto Myſtico. *Adimpleo, * Id eſt, addo menſuram meam; & hoc in carne mea. Hoc eſt: ego ipſe patiens. Vel, quæ paſsiones deſunt in carne mea: hoc enim deerat, vt ſicut Chriſtus in ſuo corpore paſſus fuerat: ſic pateretur in Paulo membro illius, & ſimiliter in alijs: *Pro corpore eius, quod eſt Eccleſia: * Quæ per Chriſtum erat redimenda. Ad Epheſ. 5. *Vt exhiberet ſibi Eccleſiam glorioſam, nõ habentem maculam, neq; rugam. * Sic etiam omnes Sancti patiuntur propter Eccleſiam, quę eorum exemplo roboratur, & ex meritis ipſorum ſimul cum meritis Chriſti Theſaurum indulgentiarum habens, per Summum Pontificem fidelibus impertit. Hæc Solutio colligitur ex D. Thoma ſuper illum locum lectio. 6. quam ſine cauſa reijcit Adamus ſuper eundem Pauli locum; ſed ea eſt legitima, & amplectenda.

Ad confirmationem Reſpondetur, Deũ ab hominibus Satisfactionẽ requirere, nõ quòd Chriſti Satisfactio non fuerit ſufficiens, ſed vt ea illis applicetur. Hanc autem applicationem inſtituit Deus fieri media eorũ Satisfactione, per ſuſceptionem, videlicet, Sacramentorum, & operum pœnalium exercitium. Sed obijcitur. Satisfactio hominum eſt neceſſaria, vt illis Satisfactio Chriſti applicetur; ſed per Sacramenta fit huiuſmodi applicatio: ergo ſufficit Sacramenta ſuſcipere, & fidem Chriſti habere, & ex conſequenti non ſunt neceſſaria alia opera. Negatur conſequentia, nam cùm per Sacramenta Satisfactio Chriſti prorſus non applicetur, & infinito modo, ſicut in baptiſmo, ſed tantùm finitè, oportet id operibus ſupplere. Ideò in baptiſmo nulla ſuſcipientibus iniungitur pro peccatis pœnitentia, quæ tamen in Sacramento cõfeſsionis imponitur. Nec proinde valor Satisfactionis eſt operibus hominũ tribuendus, ſed potiùs Chriſti, cuius Satisfactione innititur omnis humana Satisfactio: vt hîc docet D. Thomas ad ſecundum. 65

Ad quintum argumentum vt Reſpondeamus, ſupponendum eſt, non eſſe idem, Solutionem eſſe æqualem, aut ſufficientem ex natura rei, & eſſe ſufficientem ſecũdùm rationem Iuſtitiæ, aut ſecundùm omnes conditiones; quas exigit Iuſtitia. Hoc ſuppoſito negatur maior; quia vt Solutio ſit ex natura rei ſufficiens, & æquiualens, ſatis eſt, quòd fiat ex his quæ ſunt ipſius debitoris, & quæ habent ex natura rei æqualem valorem debito ſoluendo: tametſi creditor etiam habeat eorum plenũ Dominium. Ad probationem dicendũ eſt, opera Chriſti ſecundùm quandam rationem particularem ita eſſe propria Chriſti; vt illo modo non ſint propria Dei, & hac ratione potuiſſe Chriſtum per illa condignam, & æqualem Solutionem exhibere. 66

Sed obijcitur. Ad Solutionem ſufficientem ex natura rei requiritur, vt debitor transferat in creditorem Dominium materiæ Solutionis, ita vt quod Soluit, ex ſuo fiat non ſuum; ſed Chriſtus non ita tranſtulit in Deum Dominium ſuæ Satisfactionis: ergo non æqualiter, & condignè ſoluit. Reſpondetur, quòd licèt ad Solutionem ſufficientem ex natura rei requiratur, vt debitor transferat in creditorem Dominium materiæ Solutionis: nõ tamẽ requiritur, quòd trãſferat Dominium 67

Dominiũ de nouo, ita vt in creditore ante talem trã-
slationem non supponatur Dominium talis materiæ:
sed satis est, vt trãsferat Dominium nouo titulo, ita vt
licet creditor amittat titulum primum, habeat verum
titulũ Dominij ratione huius translationis. Et ad hoc
sufficit, quod debitor transferat Dominium eiusdem
materiæ.

68 Sed contra. Deus habet Dominium operationum
humanitatis Christi, omnibus titulis, quibus Chistus
earum habebat Dominium: ergo Christus non potuit
transferre in Deum aliquem titulum Dominij, quo ip-
se careret. Negatur antecedens, quia Christus habebat
earum Dominium, tanquàm suppositum proprium, à
quo ipsæ operationes procedebant. Et Deus secundùm
se non habebat hunc titulum Dominij. Et quamuis is-
te titulus in Deum transferri non posset in hoc sensu,
quod Deus secundùm se haberet rationem Suppositi
proprij, à quo illæ operationes procederent; simpliciter
tamen potuit transferri: quia potuit fieri, vt Deus habe
ret Dominium illarum operationum hoc titulo, quòd
sibi oblatæ essent in Solutionem, ab eo, qui verum ha-
bebat Dominium, tanquàm proprium earum supposi-
tum: ita vt licet per impossibile Deus non haberet reli
quos titulos Dominij in argumento cõmemoratos, es
set verus Dominus titulo prædictæ oblationis.

69 Ad sextũ argumentũ Respõdet Suarez hîc disputatiõ
ne. 4. sectio. 6. opera Christi fuisse quidẽ aliàs debita Deo
titulis gratitudinis, obedientiæ, & religionis, non ta-
men ex Iustitia, quod solùm obstat Satisfactioni con-
dignæ & æquali. Quamuis enim, inquit, non possit
quispiam duo debita ex Iustitia vnica Solutione per-
Soluere: potest tamen Satisfacere vni debito Iustitię, &
alijs liberalitatis, gratitudinis, & misericordiæ: vt siquis
amico & benefactori extremè indigenti, à quo centũ
aureos mutuò acceperat, illos persoluat.

70 Cæterũ hæc Doctrina neq; est vera, neq; ad propo-
situm. Nõ vera, quia vt aliquis sit liberalis erga alium,
oportet, vt ei merè gratis, & nõ ex debito officiũ præs-
tet: vt sit autem gratus, quòd illud præcisè reddat in
suscepti beneficij memoriã, & cõpensationem: ergo si-
quis ex Iustitiæ obligatione debitũ persoluat, omnem
materiã liberalitatis, & gratitudinis respectu illius ac-
tus tollit: quod hoc exemplo ostẽdi potest. Siquis loco
pio centum vouerit, si centũ, quæ aliàs pro annuis red-
ditibus ratione conducti agri debebat, Solueret, nõ Sa
tisfaceret obligationi voti: falsò ergo docet, vnica So-
lutione debito Iustitiæ, & religionis Satisfieri posse.
Præsertim cùm ipse Suarez religionem doceat esse præ
cipuã speciem Iustitiæ, quæ respicit debitũ altioris &
diuini ordinis. Præterea, quidquid de hoc sit, negari nõ
potest, Deũ potuisse titulo Iustitiæ exigere à Christo
vniuersa opera, quæ si postulasset, secundùm hunc au-
thorem Christus nõ Satisfecisset ex Iustitia rigorosa. Er
go quòd pro illis Satisfecerit, tribuendũ est gratię Dei
nollentis exigere: & sic Satisfactio eius nõ fuit rigoro-
sæ Iustitiæ, cum gratiæ creditoris innitatur. Vndè Res
pondetur, opera Christi fuisse infiniti valoris, & sic per
illa omnibus tã Iustitiæ, quàm aliarum virtutum debi
tis Satisfacere potuisse ex Iustitia cõdigna, & æquali,
imò rigorosa: nam omnibus illis debitis coæquauit So
lutio medijs illis facta, imò & excedere potuit.

71 Ad septimum argumentũ Respondetur, opus Christ i
nõ habuisse secundùm suã speciem, vt esset ad æqualita
tem Satisfactoriũ, neq; quatenus processit à tanta gra-
tia habituali, sed in quãtùm processit à Persona infini
tæ dignitatis. Ad impugnationem conceditur prima
Sequella, nempe, opera Christi, etiam illa, quæ passionẽ
eius præcesserunt, esse de se ad æqualitatem Satisfac-
toriã. Ad secundã Sequellam cõceditur, quodlibet opus
Christi propter infinitam suppositi dignitatem fuisse
quò ad sufficientiam Satisfactorium ad æqualitatem.
Opera autẽ, quæ passionẽ præcesserũt, nõ fuisse quò ad
efficaciã Satisfactoria, nisi vt terminãda, & complenda
per passionẽ; & ideò nõ aperuisse Ianuã regni cęlestis.

Ad octauum Respondetur, Christum non solùm vt 72
hominẽ, sed etiã vt Deũ Satisfecisse pro nostris pecca-
tis. Licet enim principium formale, *Quo,* Satisfa
ciẽdi in Christo fuerit sola natura humana, Persona ta-
men, quæ per illã Satisfaciebat, vt *Quod,* non so-
lùm erat humana, sed etiã diuina: nempe, ipsum infini-
tum Diuini Verbi suppositum, à quo Satisfactio acce-
pit, nõ solùm tãtum, sed maiorem valorem, quàm fuit
grauitas omnium peccatorũ. Et cùm objicitur: Chris-
tus Satisfecit in quantùm est passus (Satisfecit enim
per suam passionem) sed passus est præcisè in quãtùm
homo, & non vt Deus: ergo Satisfecit præcisè in quan-
tùm homo. Respondetur in forma. Satisfecit in quan-
tum est homo: distinguo. Si ly, *In quantùm,* deno-
tet substantiam operis, quo Satisfecit, cõcedo. Si ipsam
formalem rationem Satisfactionis, & ipsius valorem,
nego: quia licet Christus per passionem Satisfecerit,
opus tamen passionis non habuit rationem Satisfac-
tionis, aut meriti, quatenùs præcisè importat ipsam
passiuam vulnerum inflictionem in corpore Christi
susceptã, (mereri enim & Satisfacere non est formali-
ter pati, sed potiùs liberè agere) sed quatenùs liberè of-
ferebatur à Christo in compensationem peccatorum.
Obtulit autem Christus suam passionem Deo, non so-
lùm vt homo, sed etiam vt Deus. Ex quo patet, Satisfe-
cisse per illam, & quatenus Deus, & quatenùs homo.

Ad cõfirmationem similiter Respõdetur, quòd licet 73
Christus per actum Satisfactorium immediatè solam
suam humanitatem Deo subiecerit, quia tamen Diui-
num suppositum huiusmodi actum Satisfactorium;
quo humanitas subijciebatur Deo, faciebat: ideò huius-
modi subiectio erat infiniti valoris in ratione Satisfa-
ctionis. Cùm verò iterùm objicitur. Suppositum Chris
ti ea formaliter ratione Satisfaciebat, vt *Quod,*
quatenùs præcisè sustentabat naturam humanam,
quæ erat principium formale, *Quo,* Satisfacien-
di, & supplebat defectum propriæ Personalitatis intrin
secè: sed suppositum Christi; quatenùs præcisè susten-
tans naturam humanam, & supplens defectum perso-
nalitatis illius, non erat formaliter infinitum, sed
solùm materialiter, & identicè: ergo neque vt Satis-
faciens, formaliter erat infinitum: & ex consequenti
communicare non potuit suæ satisfactioni vllam in-
finitatem, per quam compensetur infinitas, quę in om-
ni peccato, prout est offensa Dei, formaliter includi-
tur. Respõdetur, quòd sicut humiliatio facta à Rege in
compensationem injuriæ considerata Physicè tãtùm,
personam Regis, quatenùs suppositum humanę naturę
pręcisè, veluti principiũ formale, *Quod,* respicit, &
nõ Regiã ipsius dignitatẽ: cõsiderata tamẽ moraliter,

vt est Satisfactoria, non respicit Personam Regis, vt humanam præcisè, sed vt habet moralem dignitatem cōiunctam, à qua totum suum valorem desumit: sic etiā actus, quibus Christus Satisfecit, licet Phisicè considerati, pro vt sunt actiones quædam liberæ, respicerent solùm Personam Christi, vt Suppositum humanę naturæ præcisè; pro vt Satisfactorij tamen, & meritorij sunt, respiciunt formaliter ipsam Personam Christi non solùm, vt humanam, sed vt infinitam simpliciter: ita vt integrum formale principium. Quod, illorum actuum sit persona infinita sustentans naturam humanā, à quo proindè actus isti accipere potuerunt valorem sufficientem ad cōpensanda peccata, & pœnas ipsis debitas: tametsi numerus illorum, & istarum intensio sit maior quàm numerus operum, quæ Christus effecit, & pœnarum, quas tulit. Vtrùm autem hic valor operum Christi fuerit simpliciter infinitus, à quo exacta solutio reliquatum obiectionum pendet, explicabitur Disp. 5. sequente.

Solutio Noui Argumenti. §. V.

74 VLTIMVM Argumentū quærit. An peccatū mortale habeat simpliciter, & absolutè infinitā maliciæ grauitatē, ac proindè sit malum simpliciter in genere mali moralis. Quidā affirmāt, peccatū, prout est offensa Dei, esse simpliciter, & absolutè infinitū. Sic M. Ioānes Vincentius q. 5. Dub. 14. & in eandem sententiam videntur propendere Medina, & Caietanus hîc: quibus fauent Alexander Alensis. 3. p. quæst. 1. memb. 6. ad. 1. & Bonauent. in. 3. d. 20 q. 1. Richard. eadē distinctione: & Ioannes de Medina Codice de pœnitentia. q. 1. de Satisfactione. Probatur autem hæc sententia. Primò, nam quò maior est dignitas Personæ offensæ, eò est maior grauitas offensionis; sed Persona, quæ per peccatum offenditur, est simpliciter infinita, nempe, ipse Deus: ergo etiam peccatum, vt est offensa ipsius, est simpliciter infinitum, & habet maliciam, & demeritum infinitum simpliciter. Aliàs non seruaretur proportio: & fieri posset, vt offensa Personæ finitæ haberet adæquationem cum offensa Personæ infinitæ. Vrgetur ampliùs difficultas: quia iniuria contra Deum commissa sine proportione excedit omnem iniuriam contra creaturam, etiam si in infinitum crescat: ergo illa iniuria excedit omnem creaturæ Satisfactionem, etiam si in Sanctitate creata in infinitum crescat. Vnde Persona Christi fuit necessaria ad æqualem Satisfactionem, quod est signum, illam iniuriam esse infinitæ grauitatis simpliciter.

75 Confirmatur. Priuatio est tantum malum, quantū est bonum, quo priuat; sed peccatum prout est offensa Dei, priuat nos Deo ipso, qui est bonum simpliciter infinitum: ergo peccatum vt offensa Dei, est malū simpliciter infinitum.

76 Secundò probatur argumento Anselmi. Malū, quod simpliciter est maius omni bono creato, & creabili, est infinitum simpliciter; sed peccatum, vt offensa Dei, est maius malum omni bono creato, & creabili. ergo est simpliciter infinitū. Maior est euidens, & minor probatur: quia peccatum non est committendum pro vllo bono creato, aut creabili: ergo est simpliciter maius malum. Confirmatur. Vt Satisfactio sit æqualis, & cōdigna peccato, vt est offensa Dei; debet esse simpliciter infinita, & quæcunq; ea minor non est æqualis culpę: ergo peccatū vt est offensa Dei, est simpliciter infinitum. Consequentia videtur euidens: quia illud est simpliciter infinitum; cui adæquari non potest, quidquid est minus infinito.

Tertiò. Peccatum in ratione offensæ displicet Deo infinitè: ergo in ratione offensæ est infinitū. Consequētia patet: quia Deo ita displicet peccatū in ratione offensæ, sicut ipsum est dignū displicere: siquidem actus displicentiæ in Deo sequitur (nostro intelligendi more) actū iudicij, & æstimationis eorū omniū, quæ peccatum reddunt dignum displicentia, & odio. Et antecedens probatur. Nam quantò placet aliquod obiectum, tātò displicet eius priuatio: sed Deus placet sibi infinitè, ergo peccatum mortale, quod est priuatio Dei, displicet ipsi infinitè. 77

Quartò. Peccatū, vt est offensa Dei, quantum est ex parte sua, destruit ipsum Deū: ergo est malū simpliciter infinitū. Antecedens probatur, nam quantùm est ex se, tollit à Deo rationem summi boni, & vltimis finis, sine qua Diuina essentia manere nō potest. Item affert Deo tristitiam, cū qua nō compatitur essentialis Dei beatitudo. Consequentia verò probatur: quia si peccatū in effectu destrueret ipsum Deum, esset malū simpliciter infinitū: ergo si in affectu destruit, erit similiter infinitum. Hæc consequentia patet: nam tantam bonitatem & maliciam habet affectus, & voluntas interior, quantam actus externus, siue ille sit possibilis, siue impossibilis, vt infra ostendetur; sed actus exterior destruendi ipsum Deū, esset malus infinitè; ergo & interior affectus, seu volūtas illius, quæ in omni peccato essentialiter includitur, est etiā malū infinitum simpliciter. 78

Confirmatur. Peccatū, vt est offensa Dei, nō solùm destruit in homine Deū, quod solùm esset destruere illud bonum creatum, quo homo Deo, vt vltimo fini coniungitur, sed etiam, quod in ipso est, Deū in se destruit, si non effectū, saltem affectū; ergo hac ratione est infinitū malū simpliciter. Patet consequentia; quia destruere infinitum bonū simpliciter nō tantùm respectu alicuius, sed absolutè & in se, est malum simpliciter infinitum. Antecedens probatur, seu potiùs declaratur, quia omnis natura intellectualis, vt sic, est vna quò ad perfectissimum gradum naturæ, in qua omnes conueniunt; ergo malū, quod est destructiuū rectitudinis moralis in vno subiecto, implicitè, & virtualiter opponitur toti gradui naturæ intellectualis vt sic, & in eo destruit moralem rectitudinem, quatenùs ille est communis omni intellectuali naturæ; ergo quantùm est in se, etiam destruit in Deo illam rectitudinem, quod est ipsum Deum destruere. 79

Postremò probatur à posteriori, & quasi ab effectu ex pœna peccati, nā peccator punitur pœna infinita nō solùm infinitate extensiua, & secundùm duratione, sed etiā intensiua, quia talis infinitas reperitur in pœna dāni, quę cōsistit in perpetua Dei priuatione, & Diuinę visionis carētia. Pœna autē proportionatur culpę, ergo ex grauitate pœnæ, infinita maliciæ grauitas in peccato mortali resultat. Legatur D. Tho. 1. 2. q. 87. art. 4. 80

His tamen non obstantibus communis Thomistarum sententia est, peccatum non habere maliciam simpliciter infinitam. Quam colligunt ex D. Thoma 81

his

hic ad 1. dicente, peccatum habere quandam infinitatē ex infinitate Diuinæ magestatis. In quo modo loquēdi, & limitandi illam infinitatem, apertè significat, nō esse infinitatem simpliciter, sed tantum secundùm quid siue obiectiuam. Et 1. 2. q. 87. art. 4. Inquit, peccatū esse infinitum ex parte auersionis ab incommutabili bono, quod est infinitum. Vbi solùm assignat infinitatem obiectiuam: quod ex duobus deducitur. Primò quia inferiùs eodem modo dicit, pœnam damni esse infinitam. Secundò, quia agens de conuersione ait, peccatum ex ea parte esse infinitum; tum ex parte obiecti, quia bonum ad quod conuertitur voluntas, est finitū: tum etiam, quia ipsa conuersio est finita, quod non ita diceret de infinitate auersionis. Eiusdem sententiæ est Scotus in 3. d. 19. q. vnica ad 1. vbi multa incommoda deducit contra opinionem contrariam, nempe, dari summum malum; quod est contra communem Patrum doctrinam. Item, omnia peccata esse æqualia saltem in ratione offensæ, vt Iouinianus olim dixit: Deum non minùs vno peccato leui offendi, quàm infinitis grauissimis: Christi Satisfactionem non esse maiorem minimo peccato mortali, ac proindè pro omnibus non sufficere: & alia huius generis absurda parū tuta in fide. Eandem sententiā amplectitur Paludanus in 3. d. 20. q. 2. Soto in 4 d. 19. q. 1. art. 2. ad 1. & reliqui nouiores Thomistæ, qui omnes affirmant, peccatum esse infinitum malum secundùm quid. Et licet Caietanus in contrariam sententiam soleat adduci; tamen si rectè intelligatur, potiùs fauet nostræ sententię: etenim in hoc articulo dub. 2. in Solutione ad secundam obiectionem inquit; infinitatem offensæ esse infinitatem, non simpliciter, hoc est, in genere entis, sed quandam. Id est, in quodam genere determinato: videlicet, in genere mali. Et statim ait: offensam Dei esse malum infinitum, sicut linea infinita esset quantitas infinita, nempe, secundùm longitudinem, & non secundùm omnem extensionem quantitatiuam.

82 Probatur autem hæc sententia. Primò. Perfectio essentialis rei dicentis ordinem ad obiectum, vel finem extrinsecum, non commensuratur eum entitate extrinseci obiecti, vel finis, sed eum suo intrinseco specificatiuo; hoc est, cum modo, & ratione formali, qua ipsum obiectum, aut finem attingit: sed specificatiuum intrinsecum cuiusuis peccati, prout est offensa Dei, videlicet, modus, quo offendit Deum ipsum, est limitatū & finitum: non enim continet formaliter, aut eminenter omnes modos, quibus Deus est à nobis offendibilis: ergo imperfectio, seu malitia peccati, prout est offensa Dei, est etiam essentialiter, & intrinsecè limitata, & finita. Atq; adeò & ipsum peccatum, prout est offensa Dei, erit simpliciter finitum.

83 Secundò probatur: & suppono, duplicem grauitatē posse in peccato considerari. Vnam, quantum ad malitiam, quæ illi secundùm suam speciem conuenit; aliā verò, quantùm ad rationem offensæ, quæ illi competit, quatenùs committitur contra Deum, & est quædā iniuria, & offensa Dei: nam per peccatum, quod est legis transgressio, violatur ius, quod Deus habet, vel vt vt author legis, & Dominus omnium, vel vt amicus, vt nihil fiat contra eius legem, & præceptum. Hoc præmisso, probatur, vtramq; peccati grauitatem non esse simpliciter infinitam. Et de priori sic probatur. Illa malitia, vel consistit in positiua contrarietate ad legē, vel in priuatione conformitatis, aut alicuius rectitudinis debitæ inesse actui, aut Personæ: sed nihil horū potest esse infinitum. ergo, &c. Probatur minor de cōtrarietate positiua: tum, quia obiectum, à quo specificatur, est finitum etiam in genere mali, nempe, illud cōmutabile bonum, ad quod conuertitur peccans. Tum etiam, quia procedit à principio finito: nempe, à voluntate creata. De priuatione autem probatur. Nam quātitas priuationis mensuranda est penes quantitatem habitus immediatè oppositi: sed habitus, cui potest immediatè opponi illa priuatio, est aliquod bonum finitum: ergo etiam ipsa priuatio est malitia finita. Probatur hæc minor: quia vel ille habitus est gratia habitualis, vel rectitudo debita inesse actui, aut Personæ, siue ista rectitudo sit conformitas ad legem, siue subordinatio ad Deum, vt ad vltimum finem, & quidquid istorum per se sumatur, est bonitas quædam finita, & limitata.

De posteriori etiam grauitate, probatur esse finitā. 84
Peccatum eatenùs habet esse offensam Dei, quatenùs est malum, & contra legem, sed non est infinitum, in quantùm est malum, & contra legem: ergo neq; quatenùs est offensa Dei. Confirmatur. Nam quantitas offensæ pensanda est ex quātitate damni, quod per eā infertur offenso: sed per peccatū non infertur Deo malū infinitū eo modo, quo peccatū dicitur malū Dei, quia non læditur infinitè aliquod Ius Dei, aut eius bonor, sed finitè, & Iuxta quantitatem malitiæ, quę est in peccato: ergo peccatū in ratione offensæ non habet infinitam grauitatem. Præterea: quod diximus de vtraq; grauitate peccati, potest simul probari: quia peccata mortalia non solùm quantùm ad malitiam specificā, quam ex suis obiectis habent, verùm etiam quantùm ad rationem offensæ sunt inæqualia inter se, ita vt vnum sit maius malū, & maior offensa, quàm aliud. Ergo neq; quantùm ad malitiam, neq; quantùm ad rationē offensæ sunt infinita. Antecedens patet ex D. Thoma 1. 2. q. 73. art. 2. & consequentia probatur: Quia intelligi non potest, vnum esse maius alio secundùm aliquam rationem, si secundùm eam sunt infinita, quia neque intelligi, aliquid esse minus, nisi habeat terminum, vltra quē procedat id, quod dicitur maius.

Tertiò probatur hæc sententia: Actus charitatis non est infinitè bonus bonitate morali: ergo neque peccatum mortale est infinitè malum malitia morali. Consequentia est euidens: nam sicut peccatum mortale habet pro obiecto infinitam Dei magestatem, ita & actus charitatis habet pro obiecto, quod diligitur, eādem bonitatem. Ergo si ex isto obiecto infinito non desumitur bonitas infinita in actu charitatis, neq; etiā desumitur infinita malitia in actu peccati. Probatur antecedens: nam si actus charitatis est infinitus simpliciter bonitate morali, sequitur per actum charitatis, & per actum contritionis formatum charitate fieri Satisfactionem pro culpa ad æqualitatem; & ex consequenti purum hominem per huiusmodi actus posse Deo Satisfaecere pro culpa ad æqualitatem. Consequens autem est falsum: ergo, &c. Sequela probatur. Sicut peccatum mortale habet infinitam malitiam, ita & actus charitatis habet infinitam bonitatem: ergo actus charitatis 85

facit æqualitatem compensationis eum offensa mortali. Minor probatur. Ad æqualitatem Satisfactionis requiritur, vt tanta sit dignitas Satisfacientis, quanta est dignitas Personæ offensæ, cui fit Satisfactio, sed Persona læsa per peccatum mortale est dignitatis infinitæ, cùm sit ipse Deus; persona verò Satisfaciens per actum charitatis, & contritionis, non habet hanc Dignitatem, & infinitatem, cùm sit creatura: ergo, &c.

86 Dices, quòd licèt homo, qui Satisfacit, nõ habeat infinitam dignitatem, Deus tamen, qui est author actus charitatis, & cuius virtute elicitur ille actus, habet infinitam dignitatem. Sed contra hoc obijcitur. Licèt Deus sit author charitatis, per quam homo Satisfacit, Deus tamen non Satisfacit, sed solus homo: at Satisfactio ad æqualitatem exigit in Satisfaciente tantam dignitatem, quanta est dignitas eius, cui fit Satisfactio: ergo, &c. Quartò. Peccatum mortale non est infinitũ, secundùm substantiam, neq; secundùm intensionem, neq; secundùm alium modum, quem in ipso peccato possimus commentari: ergo nullam habet infinitatem nisi obiectiuam.

87 Sed obijcitur. Diuina bonitas, ex qua sumitur infinitas malitiæ in peccato mortali, est infinita simpliciter: ergo malitia peccati, cùm Diuinæ bonitati correspondeat, erit malitia simpliciter infinita. Negatur cõsequẽtia, quia finitas, aut infinitas malitiæ, quæ in auersione peccati mortalis reperitur, pensanda est ex finitate, vel infinitate rectitudinis, quæ in actu charitatis reperitur, per quem conuertimur ad Deum infinitũ bonum. Vnde pro huius intelligentia aduertendum est, quòd sicut in genere quantitatis potest quantitas intelligi, quæ secundùm vnam dimensionem habeat infinitatem, & secundùm aliam dimensionem sit finita: vt si V. G. daretur quantitas infinita secundùm longitudinem, finita verò secundùm profunditatem, aut latitudinem; ita in quantitate perfectionis alicuius actus potest intelligi, actum esse infinitæ perfectionis secũdùm vnam rationem; hoc est, secundùm vnam commensurationem perfectionis, finitum tamen & limitatum secũdùm aliam rationem, & secundùm aliquem aliũ modum. Et quemadmodùm illa quãtitas, quæ esset infinita duntaxat secundùm vnam dimensionem, non esset simpliciter infinita in genere quantitatis, sed infinita secundùm quid; ita ille actus, qui est infinitæ perfectionis secundùm vnam rationem sui generis, & secundùm alias rationes est perfectionis limitatæ, non est censendus simpliciter infinitus in suo genere, sed tãtùm secundùm quid.

88 Præterea obseruandum est, circa obiectum infinitũ posse reperiri actum intellectus, aut volũtatis, qui cum ipso obiecto habeat adæquationem, non solùm in eo, quòd attingat ipsum obiectum, secundùm quòd est formaliter infinitum, sed etiam quòd ipsum attingat modo infinito, quatenùs ipsum obiectum est attingibile. Et huiusmodi actus est simpliciter supernaturalis, & infinitus, sicut ipsum obiectũ. Et hac ratione cognitio, qua Deus suã essentiam comprehendit, est simpliciter infinita, & amor, quo suã diligit bonitatem, est simpliciter infinitus. Potest etiã reperiri actus circa obiectum infinitũ, attingens quidem ipsius obiecti infinitatem, sed non modo infinito, ita vt obiectũ attingatur, quãtùm attingibile est. Et talis actus licèt habeat infinitã quandã rationem, nempè, pro vt attingit terminũ infinitum, vltra quẽ actus progredi non potest: est tamẽ simpliciter finitus, & limitatus: sicuti quantitas infinita secundũ longitudinẽ, finita verò secundũ latitudinem, & profunditatẽ, est simpliciter finita in genere quantitatis. Hanc autem Infinitatem habet conuersio supernaturalis charitatis, qua voluntas conuertitur in Deum, vt est infinitum bonũ: est enim infinita huiusmodi conuersio secundũ longitudinem, (si licet loqui Metaphoricè, & proportionabiliter ad quantitatẽ molis) extenditur enim ista conuersio ad terminum simpliciter infinitum. Est tamen finita simpliciter secundũ profunditatem, & latitudinẽ, quia non penetrat profunditatem infinitæ bonitatis diuinæ, tanti illã æstimans: quanti æstimabilis est. Et est etiam finita secũdùm latitudinem, quia voluntas non tanta intensione, & suauitate fertur in diuinam bonitatẽ, quanta intẽsione ipsa bonitas est amabilis. Et quod dictum est de cõuersione ad bonum infinitum diuinum, quæ in actu Charitatis reperitur, proportionabiliter est dicendum de auersione ab infinito bono, quæ in peccato mortali reperitur. Est enim infinita secundùm rationẽ longitudinis, quatenùs peccator ab infinito bono recedit, conuertens se ad bonum finitum: inter quæ bona est infinita distantia. Veruntamen simpliciter loquendo, hæc auersio non est infinita, quia peccator nõ recedit à Deo modo infinito. Sit exẽplũ. Si per impossibile fingeremus malum Deum, qui tanto odio nostrum bonum Deum prosequeretur, quanto amore ipse semetipsum diligit, odium illius mali Dei esset infinitum odium simpliciter, & auersio à bono Deo simpliciter infinita: ac proindè esset malum simpliciter in genere mali moralis. Cæterùm odiũ quo voluntas creata odit Deũ, nõ est odiũ infinitum simpliciter, eo quòd nõ est tantum odium, quantus est amor, quo ipsemet Deus se diligit. Infinitas enim odij debet pensari per proportionẽ ad amorem infinitum: hoc est, per infinitam contrarietatem ad ipsum. Ex quibus constat, peccatum mortale non esse malum simpliciter infinitum, sed tantùm secundùm quid. Quare ad argumenta aduersariorum Respondendum est.

Ad primum igitur argumentum concesso antecedente, negatur consequentia, quia vt esset legitima, deberet (vt rectè aduertit Scotus vbi supra) augmentum offensæ, quod desumitur ex maiori dignitate, & perfectione Personæ, contra quam fit, esse omninò æquale, & quasi vniuocum Personæ ipsi: hoc est: in eàdem omninò proportione crescere, qua crescit Personæ offensæ dignitas: At offensæ & injuriæ augmentum, quod ex Dignitate Personæ cõtra quã fit, desumitur, nõ est omninò æquale, & vniuocum, sed solùm proportionale, & Analogicum. Ex quo solùm colligitur, quòd cùm ad offendendam Personam simpliciter infinitã attigerit, offensa erit alterius superioris ordinis, & maioris malitiæ, quàm sit offensa facta cõtra quãcũq; personã finitã: sicut hac eàdem ratione, licèt quò obiectum est perfectius, eò sit perfectior cognitio, nõ sequitur, quòd si obiectũ est infinitũ simpliciter, vt re vera est Deus, cognitio illius sit infinita simpliciter; sed solùm quòd sit ordinis superioris à cognitione cuiuscũq; creaturæ. Itaq; injuria Dei in ratione injuriæ est altioris rationis supra omnẽ injuriã, quæ puræ creaturæ inferri potest, 89

teſt, & ideò eſt illi improportionabilis, & ſatisfactioni poſsibili puræ creaturæ. Vnde illa propoſitio: tantò offenſa eſt grauior, quantò maior eſt perſona, cui fit, non eſt intelligẽda, vt fiat cõparatio ſecũdùm æqualitatem, ſed ſecũdùm proportionem: Deus enim plus ſuperat Angelum, quàm iniuria Dei iniuriam Angeli; ſi d eſt proportio, quòd ſicut Deus eſt altioris ordinis, ſic etiam iniuria Dei eſt ſuperioris rationis.

90 Ad confirmationem Reſpondetur: Peccatum non eſſe priuationem Dei ſecundùm ſe ſumpti, ſed vt participatur à nobis medijs actibus ſupernaturalibus, & habitibus: quæ participatio, cùm ſit finita, potiùs facit, peccatum eſſe finitum ſimpliciter.

91 Ad ſecundum Anſelmi Reſpondetur, facilè in ipſum poſſe retorqueri: concedit enim, bonum Incarnationis longè excedere peccati malitiam: & tamen peccatum committi non poteſt pro bono Incarnationis. Reſpondetur ergo, non ideò peccatum non eſſe committendum pro vlla re creata, aut creabili, quòd excedat in malitia bonitatem cuiuſcunq; rei à Deo factibilis: ſed quia non eſt medium proportionatum ad conſequendum vllum finem honeſtum. Ad confirmationem ſtatim Reſpondebitur.

92 Ad tertium negatur antecedens, & ad probationem conceſſa maiori, & minori negatur conſequentia, quia in conſequence ſupponitur, peccatum mortale conſiſtere formaliter in priuatione Dei ſecundùm ſe, quod tamen eſt ſalſum, quia vel conſiſtit in poſitiua, & contraria deformitate: vel ſi in priuatione conſiſtit, talis priuatio non opponitur immediatè Deo ſecundùm ſe, ſed quantùm ad rectitudinem aliquam participabilem in nobis, vel in noſtris actibus. Et hæc rectitudo non placet Deo infinitè, aut tantum ſicut ipſe ſecundùm ſe placet ſibi.

93 Ad quartum Reſpondetur, idem eſſe, dicere, peccatum, quantùm eſt de ſe, eſſe deſtructiuum Dei, ac calorem de ſe eſſe calefactiuum Angeli. Et vt magis conſtet falſitas hyperbolis, quãuis Deus mori, aut deſtrui poſſet, peccatum minimè illum deſtrueret: quia peccator ſolùm tollit à Deo rationem vltimi finis extrinſece: quod licèt cedat propriè in offenſam, & iniuriam Dei, nullum tamen damnum Deo infert. Et ſi per impoſsibile Deus foret capax triſtitiæ, aut peccatum non contriſtaret Deum, quia illi non noceret: aut ſi triſtitiam afferret, nõ continuò ipſum extingueret: haberet enim infinitam virtutem, qua poſſet ferre omnem triſtitiã. Peccator igitur ex vi mortalis culpæ in affectu ſolùm vult tollere à Deo extrinſecam rationem vltimi finis, quam actibus charitatis illi tribuit. Sed dices. Quid ſi directè & formaliter vellet tollere rationem intrinſecam ſummi boni, & ipſum deſtruere, ſi eſſet poſsibile; nunquid huiuſmodi peccatum foret ſimpliciter infinitum? Reſpondetur negatiuè, quia licèt voluntas hæc reſpiceret obiectum extrinſecum infinitè malũ, nempe, deſtructionem actualem ipſius Dei; limitaretur tamen intrinſecè ex modo finito, & limitato, quo in iſtud obiectum ferretur voluntas. Cùm autem dicitur; Actus ipſe extrinſecus deſtruendi Deum, eſſet malus infinite: ergo & internus actus voluntatis illum imperãs. Reſpondetur, quòd actus exterior eſſet quidem malus infinitè Phyſicè, ſed non moraliter; quia exterior actus non habet aliam malitiam moralem, quàm actus interior, à quo proficiſcitur, qui eſt finitus, & limitatus in genere moris.

Ad confirmationem Reſpondetur, quòd etiam ſi peccatum eſſet deſtructiuum Dei, quantùm de ſe eſt, ſi Deus eſſet deſtructionis capax; adhuc non indè colligitur infinita malitia ſimpliciter, ſed tantùm obiectiua: nã licèt actio ſit damnificatiua, ſi tamen de facto nõ eſt damnum illatura, & hoc præuidetur, non multùm aggrauat actionem moralem. Inſuper falſum eſt, id, quod deſtruit perfectionem aliquam in vno ſubiecto, eſſe deſtructiuum eiuſdem perfectionis in toto gradu: hoc enim etiam in affectu eſt falſum. Aliàs qui vitam equi deſtrueret, quantùm eſt de ſe, deſtrueret in toto gradu animalis. Item ſequeretur, peccatum veniale de ſe deſtruere Deum, quia deſtruit rectitudinem moralem in vno ſubiecto, nempe, in homine, & ex conſequenti, virtute deſtruit in toto gradu intellectuali. Quare peccans ſolùm deſtruit in ſe moralem rectitudinem, & non in toto gradu intellectuali; imò neq; in tota natura humana, etiam quantùm eſt de ſe. Ex alijs autem modis explicandi antecedens ſolùm colligitur infinitas obiectiua, & ſecundùm quid. 94

Ad quintum Reſpondetur, pœnam damni præter infinitatem extenſiuam, & ſecundùm durationem, eſſe tantùm infinitam ſecundùm quid, & obiectiuè, quia ſolùm priuat hominem perfectiſsima Dei participatione. Neque refert, quòd illa participatio poſsit in infinitum intendi; tum quia illa priuatio ſolùm eſt carentia viſionis Dei, vt ſic, abſtrahendo ab intenſione; ſicut peccatum mortale per ſe priuat gratia, vt ſic, non vt dicit intenſionem: tum etiam, quia in illa pœna eſt magis & minùs non ſolùm ratione triſtitiæ, ſed etiam ratione propriæ priuationis, quia non tota illa carentia habet rationem pœnæ, ſed ſolùm prout erat aliquo modo debita. Ex quo tãtùm colligitur infinitas obiectiua peccati. Ex æternitate autem pœnæ, ſolùm infertur, peccatum eſſe humanis viribus irreparabile, atque ita ex ſe æternum quoad maculam, vt docet D. Thomas. 1.2.q.87. art.4. & 5. 95

His ergo præmiſsis ad Argumentum nondum principale Reſpondetur negando maiorem, ſi intelligatur de infinitate, quæ intrinſecè & ſimpliciter conueniat ipſi peccato. Ad probationem iam explicatum eſt, quo pacto ſit intelligenda illa propoſitio, grauitas offenſæ creſcit ex dignitate perſonæ, contra quam committitur: intelligitur enim de augmento nõ ſecundùm gradum, aut numerum, ſed ſecundùm proportionem, ita vt quantò perſona offenſa eſt maioris dignitatis, tantò offenſa ſit grauior: non quidem in eo gradu, quo dignitas perſonæ offenſæ eſt maior, debet grauitas offenſæ eſſe maior, vt ſi dignitas perſonæ eſt maior in duobus gradibus, in eiſdem etiam grauitas offenſæ ſit maior: ſed ſatis eſt, quòd aucta dignitate perſonæ, augeatur etiam aliquo modo grauitas offenſæ. Et ideò licèt dignitas perſonæ ſit infinitè maior, non ſequitur, grauitatem offenſæ eſſe infinitè maiorem. 96

QVINTA DISPVTATIO.

VTRVM Satisfactio Christi Domini habuerit valorem ſimpliciter infinitum. Pro intelligentia tituli aduertendum eſt, modò nõ controuerti, An Satiſfactio Chriſti ineſſe actionis & qualitatis, 1

tatis, fuerit Infinitæ perfectionis, & entitatis. Sic enim certum est, finite finitam, vt infra ostendetur in simili, de gratia Christi habituali. Solùm ergo modò inquiritur, An Satisfactio reduplicatiuè in esse Satisfactionis, & compensationis injuriæ, habeat infinitatem secundùm rationem valoris moralis, qui ex natura rei conueniat eidem Satisfactioni, & non ex sola Dei acceptatione. Præterea non dubitatur, An Christi Domini Satisfactio in esse actualis Satisfactionis fuerit extensiuè infinita, quia certum similiter est, non esse actualem Satisfactionem, neq; quò ad sufficientiam, neq; quò ad efficaciam, nisi illorum peccatorum, pro quibus oblata, & acceptata est, & propterea non est actualis Satisfactio pro illis peccatis, quæ nec fuerunt, nec sunt, nec erunt, neq; etiam pro peccatis Dæmonum, quorum sicut neq; Christus quò ad sufficientiam actualiter fuit Redemptor, ita etiam pro eorum peccatis neq; quò ad sufficientiam Satisfecit: quò fit, vt Satisfactio Christi de facto non fuerit extensiuè infinita. Quarè solùm inquiritur, An fuerit intensiuè infinita. Vocatur autem infinita Satisfactio in esse Satisfactionis, & compensationis injuriæ, illa Satisfactio, quæ sine vlla proportione finita superat quamlibet vim Satisfactoriam finitam, quæ in nostris actionibus reperiri potest: quæ quidem vis Satisfactoria appellari solet valor, aut dignitas operationis Satisfactoriæ. Hoc supposito circa præsentem difficultatem non est consentiens Theologorum sententia.

Prima Opinio. §. I.

2 PARTEM Negantem tuentur Scotus, Durandus, Medina, & reliqui, quos Disputatione præcedente pro prima sententia retulimus. Dissentiunt verò inter se, nam Scotus, & qui eum eo tenent, peccatum non habere infinitam grauitatem in ratione offensæ, negant, valorem satisfactionis Christi fuisse infinitum, neq; ex natura rei, neq; ex Dei acceptatione, quia sentiunt opera Christi non habuisse ex natura rei valorem per modum satisfactionis pro nostris peccatis, nec fuisse à Deo acceptata, aut ordinata ad aliquid infinitum: quia vt solutio sit ad æqualitatem pro debito peccati, non requiritur, quòd habeat infinitum valorem; supposito quòd peccatum in ratione offensæ non habeat infinitam grauitatem. Cæterùm Ioannes de Medina conuenit cum eis in eo, quòd negat opera Christi habuisse ex natura rei valorem infinitum. Sed differt ab eis, quia concedit, habuisse valorem infinitum ex Dei acceptatione, quatenùs fuerunt à Deo acceptata in solutionem, aut Satisfactionem ad æqualitatem pro debito infinito, cuiusmodi erat debitum hominum, juxta eius sententiam, quam disputatione præcedente paragrapho. 5. num. 74. recensuimus. Existimat enim, grauitatem peccati in ratione offensæ esse infinitam. Verùmtamen non concedit, hunc valorem cōuenire singulis operibus Christi, sed omnibus simul sumptis cum eius passione; quoniam Deus non acceptauit in solutionem singula per se sumpta, sed omnia simul cum passione. Probatur autem hæc sententia.

3 Primò. Valor actionum Christi est aliquid reale creatum: ergo est aliquid finitum ex natura sua, non solùm in ratione entis, sed etiam in ratione valoris.

Probatur consequentia: nam in primis si est aliquid creatum, rectè sequitur esse finitum in genere entis; quidquid enim est creatum, est ens per participationem. Ex quo vlteriùs sequitur, etiam in ratione valoris esse finitum ex natura sua; nam valor, qui ex natura rei conuenit actionibus Christi, secundùm vltimum sui est ens reale, vt infra in hac disputatione ostendetur: ergo secundùm suam rationem, & in genere valoris est aliquid finitum, si entitatiuè finitur.

Confirmatur primò: quia iste valor formaliter, & quatenùs valor, est proprietas operum Christi: ergo etiam in ratione valoris est aliquid finitum. Antecedens patet: quia ex bonitate morali istorum operum sequitur valor, & illi inseparabiliter adhæret. Consequentia autē probatur: quia proprietas realis operis creati necessariò debet esse finita. 4

Confirmatur secundò. Valor satisfactionis, & aliarum actionum Christi est in specie determinata intra genus valoris moralis: ergo est finitus in tali genere. Antecedens patet, & consequentia probatur: quia vna species neq; formaliter, neq; eminenter continet, quod alijs speciebus eiusdem generis conuenit: species enim condistinguuntur inter se, & quandam habent oppositionem: ergo valor satisfactionis Christi non habet perfectionem omnium specierum valoris; & ex consequenti non est infinitus: nam quod in genere est infinitum, totius generis perfectionem continet, & consequenter omnium specierum. 5

Confirmatur tertiò. In valore morali Satisfactionis Christi, & aliorum operum est excessus; & latitudo, non enim tantum valet vnum illorum, quantum mille. Vndè quæ in instanti conceptionis inceperunt, in passione consummata sunt, & completa: ergo valor operum Christi non erit infinitus: nam quod in aliquo genere est infinitū, à nullo superatur, neq; infinito potest dari maius in genere, in quo infinitum est. 6

Secundò principaliter probatur. Opera Christi habent finitam bonitatem moralem: ergo & finitum valorem. Consequentia patet: quia valor operis consurgit ex eius bonitate morali, & illi proportionatur; & commensuratur. Valent enim opera, quia bona sunt; & qualiter, ac quantùm bona, identidem habebunt valoris. Antecedens autem probatur: tum, quia bonitas moralis sumitur ex obiecto, & iuxta perfectionem illius est & quantitas valoris: sed plura Christi opera habent obiectum finitum, vt oratio, Ieiunium, &c. Ergo. Tum etiam, quia bonitas moralis consistit formaliter in relatione reali, vel conformitatis ad regulam rationis, vel ordinis ad obiectum conforme regulæ: sed hæc relatio non potest esse infinita: ergo. 7

Dices, bonitatem moralem, ex qua consurgit infinitus valor in operationibus Christi, non consistere in illa relatione reali, aut in aliqua alia intrinseca ipsis actibus; sed in denominatione extrinseca desumpta ab infinita dignitate suppositi operantis. Sed contra hoc replicatur. Circumstantia Personæ operantis nō dat bonitatem, aut malitiam actui, nisi quatenùs aliquo modo pertinet ad obiectum, aliàs enim non poterit esse volita, aut voluntaria: sed bonitas moralis, quæ conuenit actui, ratione eorum, quæ ad suum obiectum spectant, consistit in illa relatione reali: ergo & ista, quæ ex dignitate Personæ operantis desumitur. 8

Tertiò

9 Tertiò: sequeretur ex opposito, non esse maiorem valorem in omnibus actionibus Christi simul sumptis, quàm in quolibet eorum per se sumpto: aut in actione habente præstantius obiectum, aut maiorem intensionem, & durationem, quàm in habente obiectum inferius, & minorem intensionem, & durationem.

10 Quartò. Actiones Christi non habuerunt infinitum valorem ab infinita Persona Verbi: ergo non erant infiniti valoris. Consequentia patet, quia nullum aliud principium huius valoris infiniti potest assignari. Antecedens verò probatur. Primò, quia Persona Verbi non erat principium valoris infiniti, quatenùs erat suppositum humanum, quia vt sic erat homo, & inferior Deo, & ex consequenti nequibat esse principium valoris infiniti. Neq; etiam prout erat Diuinum Suppositum, quia vt sic neq; Satisfaciebat, nec tenebat se ex parte Satisfacientis, sed potiùs ex parte extremi acceptantis Satisfactionem, videlicet, Dei. Secundò: quia Persona Verbi non erat causa valoris in suis actionibus, nisi prout erat vnita hypostaticè humanitati, & ipsam suppositabat: sed non erat vnita infinitè, neq; suppositabat infinitè, quia minùs erat vnita, & minùs suppositabat respectu humanitatis, quàm respectu naturæ Diuinæ: ergo non erat causa infiniti valoris. Tertiò: quia concursus Physicus Personæ Verbi ad actiones humanitatis, modificabatur ex parte ipsius humanitatis, & potentiarum, per quas operabatur, atq; adeò neq; concursus erat infinitus, nec actiones erant infinitæ: ergo similiter concursus moralis ad valorem earum actionum modificabatur ex parte humanitatis, & habituũ supernaturalium, per quos operabatur meritoriè, aut satisfactoriè.

11 Quintò. Persona Verbi non tribuit Satisfactioni Christi valorem infinitum, quatenùs simul cum humanitate eliciebat satisfactionem, ac si esset propria humanitatis Persona, neq; quatenùs Diuina voluntate dirigebat, & moderabatur Christi Satisfactionem: ergo nullo modo communicauit Satisfactioni Christi infinitum valorem. Prima pars antecedẽtis probatur. Persona Verbi hac ratione considerata non erat secundùm se causa moralis Satisfactionis, sed quatenùs per libertatem voluntatis humanæ, & per liberam eius actionem quasi determinabatur: sed hac ratione nequiuit esse principium Satisfactionis infinitæ, quia ex ipsa humana voluntate, etiam si consideretur vt eleuata per quemcumq; habitum supernaturalem, infinitus valor satisfactorius desumi non valet: ergo. Secunda pars antecedentis probatur. Diuina Verbi voluntas non est capax Satisfactionis: ergo Satisfactioni Christi valorem tribuere non potest. Item illa operatio Diuinæ voluntatis, qua Verbum humanam Christi voluntatem moderabatur, & dirigebat, est communis toti Trinitati: ergo ex illa desumi non potest valor Satisfactionis Christi.

12 Sextò. Si Satisfactio Christi habuit valorem infinitum, sequitur, per primum actum Satisfactorium fuisse consummatam Redemptionem, quod aduersatur Sanctæ Scripturæ, quæ passim docet, Christum per passionem; & mortem redemisse mundum. Sequella autem probatur, quia ille primus actus fuit infiniti valoris ergo fuit sufficiens ad consummandã Redemptionem, & de facto consummauit.

13 Confirmatur primò. Vel Christus obtulit Patri illum primum actum Satisfactorium pro hominum peccatis, vel non. Hoc secundum dici non potest: neq; primum, quia cum ille fuisset infinitus, nequiuit Deus de lege ordinaria illum non acceptare secundùm totum eius valorem; atq; adeò consummauit Redemptionem.

13 Confirmatur secundò: quia si fuit infiniti valoris, sequitur, Christum tam perfectè Satisfecisse, vt nostræ Satisfactiones necessariæ non sint: sed consequens est Hæreticum. Ergo, &c. Probatur sequella: nam per Satisfactionem Christi infinitam solutum est Deo æquale: atq; adeò injuriam infert, qui exigit à nobis aliam Satisfactionem præter Satisfactionem Christi: injuria enim est, vt creditor exigat vltra debitum. Imò verò & ipsi Christo irrogatur injuria, cùm maior Satisfactio petatur ab eo, quàm sit debitum hominum, quod quidem erat finitum, nam peccatum in ratione offensæ non habet infinitam grauitatem, vt ostensum est Disput. 4. Paragrapho. 5.

14 Confirmatur tertiò: quia aliàs Diuina Potentia in genere Satisfactionis mansisset exhausta. Probatur sequella. Satisfactio Christi in genere Satisfactionis fuit infinita, & valoris infiniti: ergo nequit Deus maiorem valorem tribuere alicui Satisfactioni: quia infinito, in eo genere, quo est infinitum, nequit dari maius; ergo mansit exhausta Dei omnipotentia: siquidem in eo genere fecit totum, quod efficere potuit. Item, quia Deus non posset reddere Christo mercedem pro eius Satisfactione: nam merces correspondens Satisfactioni est condonatio offensæ, aut pœnæ debitæ pro offensa, & Deus non potest remittere infinitam offensam, cùm non sit possibilis, vt constat ex præcedente Disputatione, Paragrapho. 5. neq; infinitam pœnam saltem intensiuè: quia talis pœna non est possibilis, vt constat de pœna sensus, quia non est possibilis dolor infinitus intensiuè. Et de pœna damni similiter patet; quia hæc consistit in priuatione Diuinæ visionis, priuatio autem importat carentiam formæ debitæ, & impossibile est deberi homini infinitam visionem, aut in eo esse aliquam aptitudinem ad talem visionem.

15 Confirmatur quartò: quia aliàs actus voluntatis humanæ Christi, quo voluit efficaciter Satisfacere, & Deo suam obtulit Satisfactionem, habuisset infinitam bonitatem moralem, sicut actus, quo quis efficaciter vellet erogare infinitas pecunias in eleemosinam. Probatur sequella. Bonitas moralis in actu efficaci voluntatis crescit ex quantitate obiecti, ita vt cæteris paribus tantò sit maior, quantò est maior quantitas obiecti; sed ille actus voluntatis Christi erat efficax, & versabatur circa Satisfactionem infiniti valoris tanquàm circa obiectum; ergo habebat infinitam bonitatem moralem.

16 Septimò. Actio Christi non fuit infinitè Satisfactoria per modum causæ principalis, neq; instrumentalis; ergo nullo modo fuit infiniti valoris. Consequentia patet, & antecedens probatur quò ad priorem partem. Actioni Christi, vt Iejunio. V.G. non competit infinitus valor ex propria forma, & ex virtute sibi connaturali, quia erat eiusdem speciei cùm Iejunio alterius hominis iusti, ergo non poterat esse infinitè Satisfactorium per modum causæ principalis. Patet cõsequentia; quia

Digitized by Google

quia ea tantùm est causa principalis, quæ per propriam virtutem effectum operatur. Posterior pars antecedentis probatur. Illud ieiunium non fuit infinitè Satisfactorium, vt instrumentum Verbi, quia Verbum non Satisfaciebat vt causa principalis, cùm illi repugnet secundùm propriam, & Diuinam formam Satisfacere: neq; vt instrumentum humanitatis, quia humanitas non potuit esse causa principalis infinitæ Satisfactionis, cùm hæc transcendat totam vim, & naturalem facultatem humanitatis: ergo, &c.

Secunda Opinio. §. II.

17 SECVNDA Sententia est quorundam recentiorum asserentium, actiones Christi Domini habuisse valorem intrinsecum non solùm sufficientem ad Satisfaciendum pro peccatis hominum, sed etiam pro infinitis alijs: nihilominus huiusmodi valorem non fuisse simpliciter actu infinitum. Probatur autem hæc sententia. Primò, quia valor moralis actuum humanorum est aliquid reale, intrinsecè existens in illis: sed actiones humanæ Christi non fuerunt capaces alicuius formæ, aut modi realis intrinseci, actu infiniti; ergo neq; valoris moralis actu & simpliciter infiniti. Consequentia patet, & minor euidenter probatur, quia omnes actiones humanæ Christi erant finitæ simpliciter & absolutè, tam quoad essentiam, quàm quoad intensionem: procedebāt enim à principio formali omninò limitato & finito, nempe, à natura humana, & potentijs ipsius; ergo non erant capaces formæ, aut modi realis intrinseci simpliciter infiniti. Maior verò probatur. Actus humani, sicut realiter, & intrinsecè sunt boni moraliter, sic etiam sunt moraliter condigni supernaturali fine: ergo sicut bonitas moralis, à qua sunt formaliter boni, est aliquid reale intrinsecum, existens in illis: ita & valor moralis, à quo sunt formaliter & intrinsecè condigni.

18 Confirmatur. Valor moralis actuum, aut pertinet ad intrinsecam illorum bonitatem, aut saltem consequitur ad ipsam (quantò enim melior est actus moraliter, tantò in ratione Satisfactionis, aut meriti est maioris valoris intrinsecè) sed actus Christi in bonitate morali fuerunt finiti simpliciter; ergo etiam in valore morali. Dices, hunc valorem nō desumi ex bonitate operis, sed ex dignitate Personæ operantis. Vndè quia hæc in Christo fuit simpliciter infinita, ideò valor etiam operum ipsius fuit simpliciter infinitus. Contra hoc sit secundum argumentum.

19 Secundò. Licèt Personæ dignitas sit conditio necessariò prærequisita, vt actus meritorius, aut Satisfactorius sit, valor tamen huius actus non crescit proportionabiliter crescente dignitate illius: ergo licèt dignitas Personæ Christi fuerit infinita, non sequitur, valorem actuum ipsius fuisse simpliciter infinitum. Consequentia est euidens, & antecedens probatur, quia aliàs tantò aliquis actus esset magis meritorius, aut Satisfactorius, quantò procederet à Persona magis digna: atq; adeò homo sanctior, & iustior per actum æque intensum, imò multò magis remissum charitatis mereretur apud Deum tantum, ac plus, quàm minùs iustus, & sanctus per actum intensiorem: quod plane est absurdum.

20 Tertiò. Licèt valor Satisfactionis aut meriti cresceret crescente dignitate Suppositi Satisfacientis, aut merentis, adhuc non sequitur, quòd si dignitas Personæ Satisfacientis est infinita, sit etiam infinitus valor Satisfactionis illius. nam similiter grauitas offensæ (vt suprà ostendimus) tantò est maior, quò maior est persona, contra quam fit, & nihilominùs peccatum, etiam vt est offensa Dei infiniti simpliciter, non est simpliciter infinitum, sed secundùm quid. Ex quo sic argumentor. Non minùs sumitur grauitas injuriæ ex Dignitate Personæ contra quam fit, quàm valor Satisfactionis ex dignitate Personæ Satisfacientis: sed injuria non est simpliciter infinita ex eo præcisè, quòd fiat contra Personam infinitæ dignitatis (aliàs peccatum in ratione offensæ esset simpliciter infinitum) ergo neq; Satisfactio Christi erit simpliciter infinita, ea ratione præcisè, quòd procedat à Persona actu infinita.

Dices, Peccatum in ratione offensæ limitari ex modo intrinseco, quo tendit contra Personam infinitam, & ex alijs circunstātijs, quæ illud augent, aut minuunt, quatenus est formaliter injuria Dei. Sed contra obijcitur. Ergo similiter opera Christi in ratione meriti, aut Satisfactionis, limitabantur ex modo intrinseco finito, & limitato, quo procedebant à Persona ipsius infinita, & ex alijs circunstantijs, quæ eius opera magis, aut minùs bona, meritoria, aut Satisfactoria efficiunt. 21

Quartò. Quotiès ad constitutionem alicuius plura intrinsecè requiruntur, vt illud sit infinitum simpliciter, non satis est, vt vnum illorum sit infinitum simpliciter, sed requiritur vt alia etiam sint infinita simpliciter; aliàs si cætera essent finita, per virtutem finitam concurrerent ad infinitum, vt infinitum est: sed ad cōstitutionem meriti, aut Satisfactionis non tantùm requiritur dignitas Personæ operantis, sed etiam aliæ circunstantiæ, nempe, bonitas essentialis operis, & libertas intrinseca ipsius, quæ omninò necessariæ: ergo vt meritum & Satisfactio Christi sit infiniti valoris simpliciter, non sufficit sola Personæ operantis infinitas, sed omnes aliæ circunstantiæ debent esse simpliciter infinitæ. Quòd si sint finitæ, limitabunt Satisfactionem Christi. 22

Confirmatur primò. Magis pertinet ad valorem Satisfactionis obiectum formale, quàm Persona Satisfaciens: sed valor ex obiecto desumptus limitatur ex circunstantijs; ergo multò magis ex eisdem limitabitur valor, qui ex dignitate Personæ Satisfacientis dimanat. Maior probatur: tum, quia obiectum specificat Satisfactionem, & non Persona Satisfaciens. Tum etiam, quia Persona Verbi non aliter concurrit ad Christi Satisfactionem, quàm sustentās humanitatem, sicut aqua sustentat calorem causatum ab igni. Ergo valor Satisfactionis non ex Persona Verbi, sed ex perfectione humanitatis desumendus est: sicut quantitas calefactionis, qua aqua calefacta aliud subiectum calefacit, calori tribuitur, & non aquæ. 23

Confirmatur secundò. Si gratia habitualis per possibile, vel impossibile in aliquo puro homine esset infinitæ intensionis, si tamen actus elicitus ab hoc homine esset valde remissus, & imperfectus, per illum actum infinitè mereri non posset, sed ille esset finiti valoris, & dignitatis: ergo similiter cùm actus Christi intensiuè sint finiti, quamuis procedant à Persona infinita, non participabunt infinitum valorem ab illa, sicut ille actus remissus 24

remissus hominis infinitè grati non participaret totam dignitatem gratiæ infinitæ.

25 Confirmatur tertiò:quia actiones Christi in suo esse Methaphysico limitantur à natura, & potentia finita,à qua procedunt:ergo etiam in valore, & dignitate morali limitantur à principijs finitis,à quibus procedunt, tametsi Persona sit infinita,quia operatur per principia finita.

26 Quintò. Quodlibet opus Christi potest habere maiorem valorem Satisfactorium, quàm habet de facto: ergo non habet valorem actu infinitum.Consequentia patet;quia infinitum in actu vel caret termino, vel habet terminum Si caret termino, ergo nequit fieri maius intra suum genus; quia maius dicitur per ordinem ad quantitatem terminatam. Si verò habet terminum: ergo non est infinitum: quia infinitum est idem, quod non finitum,aut terminatum. Antecedens autem probatur. Valor Satisfactorius in omni actione sumitur ex obiecto,& circunstantijs, sed nulla actio Christi est, quæ crescere non potuerit,aut in obiecto,vt si haberet obiectum proximum præstantius, aut in circũstantijs, vt si fieret cum maiori intensione, aut continuatione, vel duratione:ergo nulla operatio Christi est, quæ maiorem valorem Satisfactorium non potuerit habere. Dices,quòd cùm actiones Christi habeant valorem ratione Personæ operãtis, quamuis crescant ratione obiecti,& circunstantiarum, non augentur intensiuè, sed tantùm extensiuè.Sed contra.Valor Satisfactorius non solùm sumitur ex circunstantia Personæ operantis, sed etiam ex obiecto ; & reliquis circunstantijs : ergo non potest augeri intensiuè; solùm ex dignitate Personæ operantis,sed etiam ex perfectione obiecti, & ex intensione,& continuitate.

27 Confirmatur primò. Valor, qui ex dignitate Personæ operantis desumitur, non continet formaliter, aut eminenter valorem , qui sumitur ex obiecto , aut alijs circunstantijs , V. G. ex intensione, aut continuatione: ergo valor, qui ex dignitate Personæ sumitur, fiet maior intensiuè, si addatur valor ex parte aliarum circũstantiarum. Consequentia patet : tum , quia quæcumq; magnitudo, aut quantitas sit maior additione nouæ quantitatis,& sit maior intensiuè,quando nullo modo continebat quantitatem , quæ de nouo additur : tum etiam , quia si Deus nullo modo contineret creaturas, hoc est,nec formaliter,nec eminenter, Deus & creaturæ simul importarent maiorem perfectionem intensiuè,quàm Deus solus. Antecedens autem probatur.Nam valor,qui desumitur ex Persona , non continet formaliter valorem , qui ex alijs circunstantijs desumitur, cùm ab eo ratione saltem distinguatur, vt patet in actibus procedentibus à Personis infinitæ dignitatis. Nec illum eminenter continet, cùm non habeat rationem causæ.

28 Confirmatur secundò. Per separationem valoris,qui sumitur V. G. ex parte maioris intensionis , à valore, quem actio Christi habet ex parte Personæ , minuitur in ipso opere valor, non solùm extensiuè,sed etiam intensiuè: ergo similiter per additionem augetur intensiuè.Consequentia patet ex paritate rationis; & antecedens probatur; quia si à perfectione , quam Deus habet ratione sapientiæ , separaretur perfectio , quam habet ratione bonitatis , remaneret in Deo minor perfectio in genere entis , non tantùm extensiuè, sed etiam intensiuè.

Confirmatur tertiò.Valor,qui ex maiori intensione 29 sumitur,adiungitur in eodem actu valori, qui sumitur ex infinita dignitate Personæ operantis, ergo auget ipsum intensiuè.Patet consequentia : quia gradus valoris sumptus ex maiori intensione verè reddit maiorem, valorem actus:& non secundùm numerum, quia vnus numero est valor , qui conuenit eidem actui ex parte omnium circunstantiarum: nec secundùm extensionem quantitatiuam;nam magnitudo valoris non consistit in quantitate propriè sumpta, ergo secundùm perfectionem intensiuam.

Confirmatur quartò.Sicut crescit valor Satisfactionis ex circunstantia Personæ Satisfacientis , sic etiam 30 crescit bonitas moralis , quæ non tantùm sumitur ab obiecto, sed etiam ab omnibus circunstantijs : sed infinita dignitas Personæ Christi non sufficiebat , vt eius operationes haberent infinitam bonitatem moralem; ergo neq; etiam sufficiebat, vt eædem operationes haberent infinitum valorem in ratione Satisfactionis.

Sextò. Infinita dignitas Personæ Christi non potest 31 infinitè augere Physicam, & intrinsecam bonitatem actionum illius:ergo neq; potest infinitè augere moralem dignitatem,& valorem earum.Consequentia probatur.Dignitas & valor moralis actus, præsertim interioris distingui non potest à bonitate Physica, & intrinseca ipsius actus;nam saltem includitur in bonitate intrinseca & Physica ipsius actus: ergo non potest dignitas, & valor moralis esse simpliciter infinitus, quin bonitas Physica, & intrinseca actus sit simpliciter infinita. Item probatur eadem consequentia. Nam licet valor, & dignitas moralis actus distinguatur à bonitate intrinseca actus, & nullo modo includatur in illa: adhùc nulla potest congrua ratio assignari , quare ex circunstantia Personæ augeri posit infinitè dignitas, & valor moralis, & nequeat infinitè augeri bonitas Physica,& intrinseca actus : quia sicut augetur dignitas & valor operationis ex circunstãtia Personæ, sic etiam augetur bonitas Physica , & intrinseca operationis ex eàdem circunstantia Personæ operantis. Ergo si ex Persona valor,& dignitas moralis operationum augeri potest infinitè,etiam bonitas Physica,& intrinseca operationis ex eàdem circunstantia Personæ potest augeri.Quòd si hæc infinitè augeri non potest, vt verè non potest:ergo neq; dignitas,neq; valor moralis ex eàdem Personæ circunstantia poterunt infinitè augeri.

Septimò. Christus de facto non Satisfecit,neq; obtulit suam satisfactionem pro infinitis peccatis , sed tantùm pro finitis , ergo actualis Satisfactio Christi non 32 fuit simpliciter infinita, sed tantùm finita. Antecedens patet, & consequentia probatur ; quia non est vndè sumatur infinitas in esse actualis Satisfactionis:nam licet opera Christi essent infiniti valoris, si tamen illa non offerret in compensationem pro peccatis , non haberent rationem Satisfactionis. Ergo si tantùm obtulit pro finitis peccatis , non habebunt rationem infinitæ Satisfactionis,sed finitæ,siquidem non secundùm suam vim Satisfactoriam oblata sunt.

Octauò.Si dignitas operationum Christi est infinita 33 simpliciter,& valor Satisfactorius,sequitur necessariò, vel vnum infinitum esse maius altero , vel vnum opus Christi

Christi non esse maioris valoris, & dignitatis, quàm aliud. quorum vtrumq; videtur absurdum. Primum enim est contra rationem infiniti, quod ex sua natura petit ab alio non superari, qua ratione infinitum est. Secundum verò est contra prudentem rationem, & æstimationem moralem: nam dici non potest, actum, quo Christus temperatè, & honestè cibo, & potu vtebatur, esse tam meritorium, & Satisfactorium, ac fuit ille, quo sanguinem fudit, & mortem sustinuit. Quòd verò alterum horum sit admittendum, si dicamus actiones Christi esse infiniti valoris simpliciter, probatur, quia vel omnes sunt pares, & ita sequitur secundum inconueniens: vel in valore sunt impares, & ita sequitur primum, nempe, vnum infinitum, prout infinitum, ab alio superari.

Tertia Opinio. §. III.

34 TERTIA Sententia docet, Satisfactionem Christi fuisse simpliciter infinitam in genere Satisfactionis, habuisseque valorem Satisfactorium actu & simpliciter infinitum Sic D. Thomas hîc. Et infra q. 48. art. 2. & lib. 4. contra Gentes cap. 54. & omnes discipuli eius. Capreolus in 3 d. 20. Paludanus q. 1. Caietanus in hoc articulo, & ibidem Medina. Ferrar. 4. contra Gent. cap. 55. idem etiam tenet Bonauentura in 3. d. 3. art. 1. Richardus d. 20. q. 4. Alexand. Alensis. 3. p. q. 2 membro. 4. & 5. & q. 17. memb. 4. art. 2. Vega lib. 7. cap. 8. & 9. Driedo lib. de Captiuitate Generis Humani. cap. 2. M. Suarez in hoc articulo Disput. 4. sectio. 4. & est communis omnium recentiorum sententia. Dissentiunt verò hi, in explicando, vnde desumatur huiusmodi infinitas, & quid sit.

35 Quidam Theologi Iuniores, vt refert M. Suarez hîc Disput. 4. sectio. 4. affirmant, Satisfactionem Christi propterea esse infinitam, quia operationes eius Satisfactoriæ, vt Satisfactoriæ, non sunt simplices, sed compositæ ex operationibus humanis, atq; Diuinis. Et propter inclusionem Diuinarum operationum, aiunt, eas esse infiniti valoris, vt sunt operationes Diuinæ, & vocari à Dionysio epist. 4 ad Caium, & de Diuinis nominibus cap. 2. Theandricas, & Deiuiriles, quasi compositas ex operationibus hominis, & Dei. Idq; confirmant ex Damasceno lib. 3. Fidei cap. 15. & 19. qui propterea docet, operationem Christi esse salutiferam, quia non tantùm est humana, sed etiam Diuina Quod etiam insinuasse asserunt Leonem primum epist. 10. dum ait: vtram naturam in Christo operari cum alterius consortio. Et Gregorius Nazianzenus oratio. 2. de Filio, quæ est quarta Theologiæ ita inquit. *In Saluatore nostro velle totum est Deificatum.* Quæ dicta refert, & approbat Agatho Papa in 6. Synodo, actio. 4. & sæpè alibi approbantur ab eodem Concilio, præsertim actione 17. Hanc autem compositionem operationum humanarum, & Diuinarum in Christo, colligunt hi authores ex quattuor principijs.

36 Primum est, Christum rectè comparari ab Athanasio in symbolo, composito ex anima rationali, & corpore, quia sicut corpus & anima in vnam naturam copulantur; ita humanitas, & Diuinitas in vnam Personam, quæ simul sit humana, & Diuina. Ex quo inferunt, quòd sicut anima mouet corporis membra, & appetitum sine impressione qualitatis; sic etiam Diuina voluntas in Christo mouet voluntatem humanam propter vnionem harum voluntatum duarum in vna persona, & subordinationem voluntatis humanæ respectu voluntatis Diuinæ. Et sicut anima rationalis habet duplices operationes, quasdam quidem spirituales, ad quas corpus non concurrit: quasdam verò corporales, ad quas anima per corpus concurrit: sic etiam Persona Christi habet duplex genus operationum. Quædam sunt merè Diuinæ, ad quas non concurrit humanitas, vt prædestinatio, reprobatio, &c. Quædam verò humanæ, ad quas concurrit Diuinitas per actualem motionem, & gubernationem humanitatis.

Secundum principium est, quòd licèt actus Diuinæ 37 motionis, & gubernationis voluntatis creatæ humanitatis sit toti Trinitati communis; Nihilominùs tamen, cùm humanitas non sit vnita Patri, neq; Spiritui Sancto, sed soli Personæ Filij, ille actus directiuus voluntatis creatæ, in quantùm est vitalis motio naturæ propriæ, & sibi subiectæ, peculiari ratione competit Filio, qua non competit Patri, neq; Spiritui Sancto, qui non tenentur illam naturam, vt propriam ipsorum naturam regere, & gubernare, quemadmodùm tenetur Persona Filij propter vnionem hypostaticam cum illa.

Tertium principium est: in quauis Persona, vbi sunt 38 multæ potentiæ subordinatæ, non plenè illi attribui, vel imputari in bonum, vel in malum operationem, nisi quatenùs illa regulatur per supremam, & perfectissimam potentiam, quæ in tali Persona est primū principium mouens, gubernans, & applicans reliquas ad operandum, vt constat in homine. Ex quo inferunt, quòd supposita vnione humanitatis, voluntas humana naturaliter mansit subiecta operationibus Diuinæ voluntatis Verbi, sicut corpus naturaliter est subiectum operationibus animæ rationalis. Et propterea sicut animæ incumbit corporis gubernatio: ita Verbo incumbit peculiaris gubernatio humanitatis, adeò vt Verbum ipsum inhonestè operaretur, si in sua humanitate, & voluntate creata aliquid contra rationem permitteret: sicut anima peccaret permittendo in corpore, & appetitu sensitiuo morosam delectationem, & illam non cohibendo.

Quartum principium est, quòd sicut in hominibus 39 ex actu imperato, & subiecto motioni animæ, & ex actu animæ, hoc est, voluntatis rationalis imperante, fit vnus actus compositus: & sicut ex actione causæ principalis, & actione instrumenti coniuncti fit vna totalis actio, sic etiam ex actionibus imperatis humanitatis Christi, quæ se habet veluti instrumentum coniunctum respectu Personæ Verbi, & ex actionibus Diuinis imperantibus eiusdem Personæ Verbi, quæ se habet vt causa principalis, fiunt actiones quædam compositæ, quæ Deiuiriles, & Theandricæ appellantur, quibus Filius Dei operatus est nostram salutem. Id quod confirmant exemplo actus exterioris eleemosynæ imperati, & interioris imperantis; ex quibus propterea fit vnus actus in genere moris. Vltimò confirmant suam sententiam exemplo, quia sicut Christus, vt est Sacrificium propitiatorium, non solùm includit naturam humanam, sed etiam Diuinam Personam: sic etiam oblatio eius propitiatoria pro peccatis totius generis humani non solùm includere debet actionem voluntatis

voluntatis humanæ, verùmetiam actionem voluntatis Diuinæ, atq; adeò ex vtraq; debet esse composita.

40 Alij Theologi affirmant, operationes Christi, vt Satisfactorias, vel meritorias propterea esse infiniti valoris, & dignitatis, quia vt sic includunt tanquàm formam denominantem extrinsecè infinitam Verbi Personalitatem, vt sanctificantem humanitatem, atq; adeò denominantem operationes humanitatis infinitè gratas, & acceptas Deo. Huic sententiæ videtur fauere Nazianzenus citatus, cùm inquit. *Humanum Christi velle esse Deificatum.* Et Damascenus lib. 3. Fidei cap. 15. & 19. & Ambrosius lib. 2. de Fide cap. 4. asserens. *Carnem Christi Deitate fuisse sanctificatam.* Ergo eius operationes eadem Deitate fuerunt etiam sanctificatæ, & ex consequenti vt sic erant infiniti valoris, & dignitatis.

41 Alij verò Theologi, quorum meminit M. Suarez loco citato, asserunt, humana Christi opera ideò habere infinitum valorem, quia immediatè, & Physicè procedunt ab ipsa Personalitate Verbi, non solùm vt à terminante, & sustentaote humanitatem, sed etiam vt per seipsam immediatè concurrente, & influente in ipsos actus humanitatis.

42 M. Ioannes Vincentius Relectione de Gratia Christi. q. 5. art. 2. Dub. 2. Peculiarem habet sententiam, quæ ad tria dicta potest reuocari. Primò asserit, operationes Christi non sumere suum infinitum valorem à Persona infinita ipsius, vt operans est. Hoc est, non esse infiniti valoris, vt solùm egrediuntur à Persona infinita. Sic docet pag. 317. Secundò dicit, operationes Christi sumere ab ipso suum valorem infinitum, quatenùs regrediuntur, & reflectuntur in ipsum, & supra ipsum, humiliando, & submittendo Deo infinitam eius Personam. Ita docet pag. 335. & 338. Tertiò asserit, propterea operationes Christi, vt erant humiliationes, & submissiones infinitæ Personæ Verbi, fuisse infiniti valoris, & dignitatis, quia vt sic includebant infinitam eius dignitatem, veluti partem intrinsecam sui: & per hanc inclusionem infinitæ reddebantur, & erant dignæ infinita æstimatione. Sic docet pag. 317. 337. & 338. & sequenti. Fundamentum huius sententiæ sic expositæ proponit idem Vincentius pag. 317. Sic: quia non in omnibus actionibus humanitatis dignitas Personæ in ipsas operationes ab ipsa procedentes refunditur. Non enim (inquit) actus comedendi caponem, est maioris valoris, absolutè loquendo in duce quàm in milite: ergo operationes Christi non accipiebant ab ipso infinitum valorem, & dignitatem, vt operans erat, seu vt ab illo tanquàm à causa efficiente egrediebantur, sed potiùs vt supra illum reflectebantur, infinitam eius Personam humiliando.

43 Præterea. Circa quidditatem infinitatis, quæ in Christi Satisfactione reperitur; dissentiunt etiam Theologi. Quidam enim dicunt infinitatem Satisfactionis Christi non pertinere ad esse naturale, & reale operationis, sed ad esse tantùm morale: quæ moralitas sumitur per ordinem ad æstimationem Dei, & non est aliqua realis entitas, sed respectus quidam rationis: sicut in nummo aureo valor desumitur per ordinem ad humanam æstimationem, & est quidam rationis respectus. Addunt tamen isti authores, valorem in Christi operatione existentem, qui est quædam moralis infinitas, non fundari in aliqua voluntaria impositione, vt contingit in nummis, sed fundari in natura intrinseca indiuiduali ipsius operationis: nam ex eo quòd est operatio elicita à Diuino supposito per humanitatem, est digna æstimationis infinitæ.

Alij affirmant, Satisfactionem Christi constitui formaliter infinitam per quandam Physicam entitatem, quæ realiter modificat ipsam operationem. Sed quis sit hic modus Physicus, & intrinsecus entitati operationis Christi, per quam infinita reddebatur, non explicant hi authores. 44

Alij opinantur, valorem, & dignitatem infinitam Satisfactionis Christi esse moralem quandam, & realem entitatem, radicaliter deriuatam ex dignitate Personæ Satisfacientis, & operantis ad ipsam operationem. Quæ talis entitas est accidens quoddam personale, non verò indiuiduale, quod ad indiuiduationem operationis pertineat: & nihil est aliud, quàm ordo quidam, & respectus realis operationis ad principium, à quo procedit, nempe, ad Personam Diuinam. Sic docet Vincentius pag. 326. 45

Alij deniq; docent, hunc valorem, & dignitatem moralem non solùm distingui realiter à bonitatate, quæ est differentia essentialis intrinseca actus, prout constituitur in esse virtutis, sed etiam non esse Physicam entitatem inhærentem actui, sed supponere quasdam extrinsecas denominationes, vt libertatem, & habitudinem ad talem Personam: consistere tamen in morali quadam ratione, & æstimatione ipsius actus. Sic docet Suarez loco citato: vbi non explicat, An hæc formalitas sit realis, tametsi accidentaria actibus. Sæpè tamen insinuare videtur, esse extrinsecam denominationem, & nihil reale intrinsecum esse in ipsis operationibus. Id quod magis videtur declarasse Disput. 22. sectio. 5. Pro decisione igitur veritatis sit Prima Conclusio. 46

Prima Conclusio. §. IIII.

SATISFACTIO Christi in ratione Satisfactionis habuit ex natura rei valorem simpliciter infinitum secundùm esse morale. Probatur primo authoritate Clementis. 6. in Extrauaganti, Vnigenitus, de Pœnitentijs & Remiss. vbi ait, quòd licèt vna gutta sanguinis Christi pro Redemptione omnium hominum suffecisset, maximam tamen copiam, *Et profluuium sanguinis Christus fudit, vt infinitum Thesaurum suæ Ecclesiæ militanti relinqueret.* Et infra loquens de eodem Thesauro inquit. *De cuius diminutione non est aliqualiter formidandum propter infinita merita Christi.* Definit ergo expressè, Thesaurum meritorum Christi esse simpliciter infinitum: si enim actu finitus esset, posset vtiq; etiam diminui, & penitùs consumi. Cæterùm Ioannes Medina tract. 3. de Satisfactione. q. 5. non longè à fine Respondet, Pontificem non asserere, exiguam guttam sanguinis Christi esse infiniti valoris ex natura rei propter vnionem ad Verbum, sed propter liberalem Dei 47

acceptationem. Vndè ait, Pontificem tantùm intendiſſe, Chriſti opera, & paſsionem, tantam excellentiam propter vnionem humanitatis ad Verbum contraxiſſe, vt vna gutta ſanguinis pro nobis effuſa ſuffeciſſet inclinare Diuinam clementiam ad noſtram Redemptionem: non verò quòd vna gutta ſanguinis ſuffecerit de facto: aliàs nihil opus eſſet, Chriſtum mori ad redimendum mundum.

48 Sed contra hanc ſolutionem eſt, quòd Pontifex ex ſola vnione ſanguinis ad Perſonam Verbi colligit illius ſufficientiam ad redimendum totum genus humanum, nulla facta mentione acceptationis liberalis: ergo neq; infinitatem Theſauri meritorum Chriſti, & Satisfactionis ipſius refert Pontifex in Diuinam acceptationem: nec potuit referre, etiam ſecundùm ſententiam Scoti, quam ſequitur Medina. Ille enim d. 19. q. Vnica, non vult admittere, de facto hanc acceptationem Satisfactionis Chriſti fuiſſe infinitam. Prætereà, cùm docet Medina, exiguam guttam ſanguinis Chriſti fuiſſe ſufficientem ad inclinandam Diuinam clementiam, &c. Vel loquitur de ſufficientia orta ex vnione illius ad Verbum, vel de ſufficientia ex ſola Dei acceptatione. Si de priori ſufficientia loquatur: ergo de facto non fuit neceſſaria extrinſeca Dei acceptatio, vt Chriſti Satisfactio eſſet æquiualens pro generis humani peccatis. Si verò dicat ſecundum: ergo iam non refert ſufficientiam, vt Pontifex docet eſſe referendam, in vnionem ſanguinis ad Verbum, ſed ſolùm in acceptationem extrinſecam; quod valde alienum eſt à ſententia Pontificis. Quare ſicut ex hoc loco Pontificis omnes ferè Theologi probant, Theſaurum eſſe in Eccleſia meritorum, & Satisfactionum Chriſti, & quidem indefectibilem: ſic etiam eâdem ferè firmitate probari poteſt, hũc Theſaurum eſſe infinitum, nam vtrumq; eodem modo docet Pontifex. Quarè ſi primum eſt certum, ſecundum etiam debet eſſe certum, & ad minus nullam probabilitatem in ſententia oppoſita relinquit.

49 Dices, Pontificem loqui de infinitate ſecundùm quid, & extrinſeca, non de infinitate ſimpliciter, & intrinſeca. Sed contra eſt, quia ſi valor Satisfactionis Chriſti non fuit ſimpliciter infinitus, fuit ergo ſimpliciter finitus: inter hæc enim non datur medium reſpectu rei, quæ à parte rei exiſtit: & ſic non eſt aliquid indeterminatum, aut in potentia, ſed determinatum, & actu exiſtens in propria menſura. Si verò fuit ſimpliciter finitus, ſequitur, Pontificem non aſsignaſſe ſufficientem rationem, propter quam non ſit de eius minutione, aut conſumptione timendum: quia ex eo præciſè, quòd aliquid ſit infinitum ſecundùm quid, ſi ſit ſimpliciter finitum, colligi non poteſt, quòd diminui, aut conſumi non valeat: vt patet in actu charitatis, qui licèt à puro homine eliciatur, habet tamen infinitatem ſecundùm quid ex parte obiecti: & nihilominùs eius valor, quia eſt ſimpliciter finitus, poteſt diſtributione finiri. Et vniuerſim quidquid eſt ſimpliciter finitum, niſi aliquid aliud addatur, poteſt communicatione, & applicatione ad plura diminui, & tandem conſumi.

50 Secundò colligitur hæc concluſio ex Sancta Scriptura, in qua licèt apertè non contineatur, indicatur tamen, & non obſcurè illis locis in quibus de amplitudine pretij noſtræ Redemptionis agitur. Et ideò omnes Theologi, qui eis conuicti docent, Chriſti Satisfactionem eſſe exuberantem, conſequenter dicunt, eſſe ſimpliciter infinitam; nam vix poteſt eſſe exuberans, quin ſit infinita, atq; adeò ſine termino. Ac primò quidem hanc emphaſim habere videntur illa verba Pauli 1. ad Corint. 6. *Empti enim eſtis pretio magno.* Quaſi non valeat hanc magnitudinem pretij verbis exprimere, vt potè actu infinitam. Et illa verba. 1. Petri. 1. idem ſignificant. *Non corruptibilibus auro, & argento, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati, & incontaminati Redempti eſtis.* Quibus verbis Petrus hoc ſanguinis Chriſti pretium ſic extollere videtur, vt docere videatur, eſſe omni alteri pretio incomparabile, atq; adeò infinitum ſimpliciter in ratione pretij. Et ideò Clemens VI. in Extrauaganti, Vnigenitus, citata, ex hoc loco non ſolùm colligit exuberantiam Redemptionis Chriſti, verùm etiam infinitatem Theſauri, quem ad Satisfactionem peccatorum, ſuæ Eccleſiæ reliquit.

Colligitur etiam ex omnibus illis locis, quibus 51
Diſput. 4. oſtendimus, Satisfactionem Chriſti non tantùm fuiſſe æquiualentem, ſed etiam exuberantem. Vndè concluditur hæc ratio. Satisfactio Chriſti fuit æquiualens, & exuberans pro peccatis totius generis humani: ergo debuit etiam eſſe exuberans pro pœnis æternis debitis ſingulis peccatis mortalibus: ergo debuit eſſe ſimpliciter infinita. Probatur hæc conſequentia: nam finita pœnalitas operis Satisfactorij Chriſti non excederet infinitam pœnam peccato debitam, niſi hæc pœnalitas aliundè infinitatem haberet. Deducitur prætereà hæc veritas ex modo loquendi Scripturæ, in qua ita de Satiſfactione, & Redemptione Chriſti agitur, vt licèt mundus in infinitum duraret, illa exhauriri non poſſet. Quod indicaſſe videtur Ioannes. 1. epiſtol. cap. 1. cùm inquit. *Sanguis Ieſu Chriſti emundat nos ab omni peccato.* Et cap. 2. cùm ait de Chriſto. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Id etiam apertè videtur Paulus docuiſſe ad Roman. 5. dum ait. *Igitur ſicut vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ, &c. Vbi autem abundauit delictum, ſuperabundauit gratia, vt ſicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Quibus verbis apertè docet Paulus, Redemptionem Chriſti, quantùm eſt ex parte ſua, ſic eſſe illimitatam, vt quamuis homines, & mundus in infinitum durarent, nunquam ex parte illius deeſſet virtus Satisfactoria pro ſingulorum peccatis, licèt eorum numerus in infinitum excreſceret. Sic enim mors regnauit in homines per vnius delictum, vt quamuis in infinitum durarent hominum generationes, in infinitum etiam duraret mors, & peccatum originale. Ergo eâdem ratione iuxta mentem Pauli, licèt in infinitum durarent hominum generationes; in infinitum regnaret vita per Ieſum Chriſtum, neq; eius merita exhauriri poſſent, nec virtus

Satisfactoria

Satisfactoria operum eius pro nostris peccatis. Ergo vt sic talis virtus est infinita; quoniam si finita esset, peccata tantum excrescere possent, vt illam exhaurirent.

52 Confirmatur à simili in merito Christi: nam vis meritoria operum Christi per nulla finita præmia potest exhauriri, tametsi illa in infinitum multiplicentur: ergo neq; vis Satisfactoria, quantumuis peccata in infinitum multiplicentur; nulla enim discriminis ratio assignari potest. Ergo vtraq; est infinita. Probatur hæc vltima consequentia: quia hac ratione euidenter constat, vim Satisfactoriam operum Christi comparatam cum quolibet peccato sine vlla finita proportione superare grauitatem illius: ergo infinitè excedit: si enim finite excederet, multiplicatis criminibus finitis, exhauriri posset ille finitus excessus. Ergo si exhauriri non potest, quamuis in infinitum crescant peccata, sine dubio habet vim Infinitam Satisfactoriam. Primum verò antecedens, quòd meritum Christi exhauriri non possit per præmia finita, probatur; quia omnes actus supernaturales, quos omnes beati, tam Angeli, quàm homines in cœlo per æternitatem habituri sunt, sub meritum Christi cadunt: illi autem in infinitum erunt plures, & posibiles: ergo vis meritoria operum Christi, si cum quolibet opere iustorum comparetur, infinite excedit illud in ratione præmij, atq; adeò est simpliciter infinita.

53 Confirmatur secundò ex eisdem locis Ioannis, & Pauli proximè citatis, ex quibus colligitur, Satisfactionem Christi non esse minorem respectu totius collectionis omnium peccatorum mundi, quàm respectu vnius peccati in particulari: ergo Satisfactio Christi est infinita simpliciter. Consequentia probatur: quia si est finita, debet necessariò esse minor respectu collectionis omnium peccatorum, quàm respectu cuiuslibet in particulari. Magis enim est offensus, & grauius Deus per collectionem omnium peccatorum, quàm per vnicum solum peccatum; vt etiam contingit in humanis. Et propterea multiplicatio iniuriæ maiorem petit in Satisfactione vim recompensatiuam: ergo si Christi Satisfactio tam est superabundans respectu totius collectionis omnium peccatorum, quam respectu cuiuslibet peccati, sine dubio infinite superat offensam, quæ in quolibet peccato reperitur. Si enim finite superaret, ille finitus excessus, minor, ac minor esset crescente numero peccatorum, & tandem adæquari posset aliquo finito numero peccatorum. Antecedens primum argumenti probatur primo: quia virtus, quæ est in Sacramento baptismi ad remittenda peccata, non est minor respectu collectionis omnium peccatorum, quàm respectu cuiuslibet; nec faciliùs per Baptismum remittuntur pauciora peccata, quàm plura: ergo neq; virtus Satisfactoria passionis Christi est minor respectu collectionis omnium peccatorum, quàm respectu cuiuslibet peccati in particulari. Consequentia probatur. Nam Baptismus non agit nisi in virtute Passionis Christi, & Satisfactionis, ac meritorum ipsius. Idem etiam probatur exemplo aliorum Sacramentorum, quæ instituta sunt vel ad remittenda peccata, vel ad gratiam conferendam, quam pro dispositione recipientium maiorem, & maiorem producere possunt, si maior & maior sit dispositio recipientis. Idem etiam potest confirmari ex virtute Sacrificij Missæ, quod ex se non est minoris efficaciæ respectu plurium, quàm respectu pauciorum: quamuis enim in infinitum augeretur numerus audientium vnum sacrum, non minueret effectum Sacrificij Missæ in altero? Ergo à fortiori idem dicendum est de Passione Christi, vt est compensatio peccatorum totius generis humani, quòd non sit minor compensatio respectu totius collectionis peccatorum, quàm respectu cuiuslibet peccati in particulari: atq; adeò sine proportione finita superat injuriam Dei, quæ in quouis peccato reperitur.

Ex quibus omnibus concluditur hæc ratio. Satisfactio Christi habuit sufficientem valorem ad Satisfaciendum pro omnibus peccatis, tametsi in numero, & grauitate crescerent in infinitum: ergo simpliciter fuit infinita. Antecedens patet ex dictis: consequentia verò probatur. Nam indè à posteriori colligitur, potentiam productiuam Dei esse infinitam simpliciter, quòd quibuscunque effectibus datis, potest plures, & perfectiores in infinitum efficere: ergo similiter poterit colligi, valorem Satisfactionis Christi esse simpliciter infinitum, quia per illam potest pro pluribus, & grauioribus peccatis in infinitum multiplicatis, Satisfacere de condigno. Confirmatur. Satisfactio eò est maioris valoris, quò Persona Satisfaciens est dignior, sed Persona Satisfaciens in Christo est infinitæ dignitatis simpliciter: ergo Satisfactio illius fuit etiam valoris simpliciter infiniti. 54

Dices, ex simili omninò gradatione, & discursu nos Disput. 4. docuisse, solùm colligi, peccatum, quatenùs est injuria Dei infiniti, esse alterius ordinis, & rationis ab offensa puræ creaturæ, non verò colligi, quòd sit infinitum simpliciter. Ergo similiter ex prædicto discursu solùm colligetur, valorem, quem Christi Satisfactio ex infinita ipsius Persona desumit, esse alterius ordinis à valore, quem habet Satisfactio cuiuscunq; puræ creaturæ. Respondetur, esse longè disparem rationem obiecti, & Suppositi, quod attinet ad communicandam perfectionem, aut imperfectionem actibus humanis, & liberis: obiectum enim solùm concurrit extrinsecè terminando ordinem intrinsecum, quem actus dicunt ad illud. Vndè ex præcisa entitate materiali intrinseci obiecti, non licet intrinsecam actus perfectionem colligere, sed ex modo intrinseco, quo actus ipsum obiectum attingit. At verò Suppositum per se, & immediatè ad actum concurrit, dando seipsum, & offerendo se mediante illo Personæ, cui Satisfacere vult. Vndè tantus est valor moralis Satisfactionis, quanta est dignitas intrinseca Suppositi, & Personæ, à qua elicitur: non enim potest pro libito dignificare moraliter actum à se elicitum, sed totum, quem potest, illi valorem communicat. 55

Præterea probatur cõclusio. Persona infinita Christi confert suæ Satisfactioni, & alijs operationibus totam dignitatem moralem, quam potest conferre (vocatur in præsenti dignitas moralis operationis, non ista duntaxat, quæ ad mores pertinet, sed etiam illa omnis, quæ non oritur ex natura, & essentia operationis, & intrinsecis illius principijs, sed quæ ei aliundè veluti ab extrinseco conuenit) sed ex parte sua 56

Digitized by Google

potest conferre infinitam simpliciter, & operationes humanæ sunt capaces illius; ergo actu confert infinitam simpliciter. Consequentia est euidens, & maior est certa; quia Persona Christi, posita vnione ipsius cum natura humana, non liberè, sed necessariò dignificat operationes eius, ergo confert illis totam dignitatem, & valorem moralem, quem ex se potest conferre. Patet consequentia; quia valor moralis existens in Christo in ratione Personæ operantis moraliter, & liberè, est in Christo tanquàm in radice; & secundùm quandam eminentem virtutem, & ab ipso in ipsas operationes diriuatur, in quibus formaliter reperitur, & eas formaliter denominat. Vndè quidquid habuit valoris Christus in ratione principij, influxit in suas operationes, ita vt ipsæ operationes formaliter non haberent minorem valorem, quàm Persona operans in ratione principij moraliter operantis, & quò ad meritum, & quo ad Satisfactionem. Neq; aliquid fuit in Christo secundùm hanc considerationem, & habitudinem, quod suis operationibus formaliter non communicaretur, tametsi aliter fuerit in Christo, & aliter in suis operationibus. Minor autem argumenti non est minùs certa; & probatur. Actui Physicè finito non repugnat capacitas dignitatis moralis simpliciter infinitæ; sed Persona simpliciter infinita communicat actui tantam dignitatem, quantam potest, cùm necessariò, & non liberè illum dignificet: ergo communicans actui Physicè finito dignitatem, quantùm ex se est, infinitam simpliciter dignitatem communicat.

57 Confirmatur primò. Si aliqua dignitas moralis est, quæ intra genus dignitatis moralis concipi possit simpliciter infinita, verè non est alia distincta ab ea, quæ oritur ex infinita simpliciter dignitate Personæ operantis, cuiusmodi est illa, quæ Christi operationibus conuenit: ergo illa simpliciter est infinita. Consequentia probatur: quia non implicat, dignitatem moralem operationis esse simpliciter infinitam. Quare cùm sit possibilis, nulla alia magis proportionata, & adæquata radix illius potest assignari, quàm infinita dignitas Personæ infinitæ.

58 Confirmatur secundò. Ille actus charitatis esset simpliciter infinitæ dignitatis, & valoris in esse meriti & Satisfactionis, qui esset infinitè intensus, & procederet ab infinita gratia habituali intensiuè: sed maioris dignitatis est in esse moris, actum esse diuinum (quamuis ille sit finitæ intensionis) & procedere à gratia vnionis hypostaticæ: ergo à fortiori huiusmodi actus infinitam simpliciter dignitatem, & valorem moralem ad meritum & Satisfactionem habebit. Maior est certa, quia actus charitatis infinitæ intensionis superat infinitè valorem actus charitatis finitæ intensionis in ordine ad meritum, & Satisfactionem: ergo si est infinitus intensiuè, erit infinitè meritorius, & Satisfactorius, atq; adeo infiniti valoris moralis. Minor verò probatur; quia ex communi prudentium æstimatione eligibilior est hic actus Diuinus, qui sit actus Dei, quam hic actus humanus, tametsi infinitæ intensionis. Secundo: quia gratia vnionis, à qua procedit actus Diuinus, maioris multò æstimationis est, quàm gratia habitualis, licet infinitè intensa: est enim substantialis, & per illam sanctificatur natura ab ipsa Persona Verbi infinita, & à tota Diuinitate: ergo actus ortus ab huiusmodi gratia, & illi proportionatus, & adæquatus, quamuis sit finitæ intensionis, est maioris dignitatis, & valoris, quàm quiuis alius actus, tametsi infinitè intensus, qui sit proportionatus, & adæquatus accidentaliter gratiæ habituali. An verò ille actus sine gratia sit meritorius, Disputabitur infra. q.7.art.1.

Postremò probatur: quia non est vndè limitetur, & finiatur in esse moris dignitas, & valor moralis, 59
quem conferre potest Persona simpliciter infinita suis operationibus, quamuis illæ sint Physicè finitæ: ergo est infinitus simpliciter. Antecedens probatur: quia talis dignitas & valor non limitatur ab ipsa Persona simpliciter infinita, neq; à finitate Physica actionum finitarum, idem enim actus finitus in infinitum potest maiorem, & maiorem dignitatem moralem recipere: neq; aliud fingi potest, à quo talis dignitas moralis limitetur: ergo Persona infinita simpliciter, infinitam simpliciter dignitatem suis actionibus communicat. Et propter hanc rationem obiectum infinitum, quandiu finito modo attingitur ab actu, non potest illi conferre totam dignitatem, quàm in genere obiecti tribuere potest, atq; adeò non communicat infinitam. Persona verò infinita potest suis actibus infinitam conferre dignitatem, quia perfectio, quam actus accipit ab obiecto, limitatur à modo tendendi finito ipsius actus in illud. Dignitas verò, quam sumit operatio à Persona, à qua procedit, limitari non potest ex aliquo principio, neq; ex modo procedendi ab ipsa Persona, ac proindè est infinita. Quò fit, vt operatio elicita à Persona Diuina, absolutè appelletur Diuina: quæ verò in obiectum Diuinum tendit, non absolutè dicatur Diuina.

Secunda Conclusio. §. V.

VALOR Simpliciter infinitus, in Satisfactione Christi repertus, per se primò, proximè, & 60
immediatè desumitur ex infinita dignitate Personæ ipsius Christi. Probatur primò; quia omnes Patres vnanimi consensu sufficientiam Satisfactionis Christi referunt ad dignitatem infinitam Personæ Diuinæ ipsius; vt constat ex dictis in commentario huius articuli, & constabit amplius Disput. 9. Secundò probatur ex tota ferè epistola ad Hebræos, in qua Paulus ex dignitate Personæ Christi, & excellentia Sacerdotij ipsius, plærumq; colligit dignitatem, & valorem operationum eius ad impetrandam, & promerendam veniam omnium peccatorum, & ad illa recompensanda. Etenim cap. 4. postquàm dixit *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetrauit cœlum, Iesum Filium Dei.* Quæ verba ad exaltationem Personæ Christi pertinent, statim paucis interiectis subdit. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Quibus verbis ex infinita Personæ excellentia, & Sacerdotij Christi dignitate colligit sufficientiam meritorum eius; in qua fundatur nostra fiducia impetrandi gratiam, & veniam peccatorum à Deo. Et cap. 5. volens ostendere valorem, & efficaciam

orationum

orationum Christi Pontificis magni, & æterni secundùm ordinem Melchisedech, recurrit ad dignitatem Personæ ipsius amplificandam. Cùm enim dixisset *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesq; ad eum, qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lachrymis offerens;* subdit. *Exauditus est pro sua reuerentia. Et quidem cùm esset Filius Dei, didicit ex his, quæ passus est, obedientiam: & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* Quibus verbis propterea Paulus docet, Christum exauditum esse, quia erat Filius Dei, & propter excellentiam Personæ ipsius. Et ideò consummatũ, hoc est, immolatum vsq; ad consumptionem, & mortem fuisse nobis causam salutis æter-
61 næ, quia erat Filius Dei. Id quod optimè obseruauit Chrysostomus in hunc locũ homil. 8. Et cap. 7. volens Paulus ostendere causam, propter quam vnica Christi oblatio fuit sufficiens ad omnia peccata delenda, totum se ad extollendam dignitatem Sacerdotij, & Personæ Christi conuertit: innuens apertè ex hoc capite sumendum esse valorem huius oblationis. Cùm enim dixisset: *Talis enim decebat, vt esset nobis Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus, qui non habet necessitatem quotidiè, quemadmodùm Sacerdotes, priùs pro suis delictis hostias offerre, deindè pro populi: * Subdit. *Hoc enim fecit semel se offerendo, lex enim homines constituit Sacerdotes infirmitatem habentes. Sermo autem iusiurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum * Quibus verbis & insufficientiam multiplicium Sacrificiorum veteris legis refert Paulus in Sacerdotum infirmitatem, & imperfectionem: & sufficientiam vnius sacrificij crucis ad multorum peccata exhaurienda, refert in infinitam dignitatem, & perfectionem Personæ Christi, vt pote qui esset Filius Dei. Idem apertè colligitur ex toto ferè cap. 9. & 10. eiusdem epistolæ. Quam veritatem hinc videtur didicisse Cyprianus sermone de ratione circuncisionis; cùm inquit. *Tantæ dignitatis Redemptionis nostræ vnica fuit oblatio, vt vna ad tollenda mundi peccata sufficeret, qui tanta authoritate in sancta introiuit in sanguine proprio.* Vbi ad authoritatẽ Personæ Christi refert Cyprianus oblationis efficaciã ad tollenda peccata. Vndè cùm Paulus dicit. 1. Corint. 6. nos esse emptos pretio magno, ex ipsa dignitate Personæ ementis, magnitudinem pretij æstimare videtur.

62 Secundò probatur. Munera nostra, & operationes à dignitate Personæ offerentis, & elicientis accipiunt dignitatem per se primò, & immediatè: ergo multò magis operationes Christi à Persona ipsius immediatè accipient dignitatem. Antecedens probatur ex Paulo ad Hebr. 11. vbi ait. *Fide plurimam hostiam Abel, quàm Cain obtulit Deo.* Hoc est, pleniorem, copiosiorem, & honoratiorem. Id enim significat Græcè; *Pliona:* Quod plurimam vertit Interpres. Quibus verbis ex dantis, & offerentis affectu quantitatem hostiæ Abel metitur Paulus, & plenitudinem illius in plenitudinem fidei, & Religionis affectum ex charitate prouenientem refert: atq; adeò ex dignitate Personæ offerentis sumit dignitatem muneris oblati ab Abel. Legendus est D. Gregorius lib. 22. Moral. cap. 11. & homil. 5. in Euangelia ita inquit. *Non perpendit Deus in suo sacrificio quantum, sed ex quo offeratur.* Et lib. 3. registri epist. 161. eidem verbis docet hanc veritatem. Et Chrysostomus Genes. 4. inquit. *Ouium oblationem dona vocauit, quia pretiosa, eximia, & immaculata obtulerat: non quòd nullis notis aspersa, sed quæ vndequaq; pretiosa erant, tum, ob mentem eius, qui obtulerat: tum quòd primogenita erant, & ex illis electissima, hoc est, ex optimis optima.* Quibus verbis Chrysostomus apertè tam ex re oblata, quàm ex persona offerente oblationem docet accipere dignitatem & valorem.

Ex hoc fundamento colligunt quidam Theologi 63
in materia de gratia, operationes hominis sanctioris cæteris paribus esse magis meritorias, Satisfactorias, & impetratorias propter dignitatem Personæ, ergo infinita dignitas Personæ Christi communicauit etiam suis operibus dignitatem, & æstimationem moralem. Antecedens autem, An sit verum, dicetur infra paragrapho 13. num. 160.

Tertiò. Valor operationis moralis crescit ex valore 64
Personæ, ita vt Persona operans sine vlla modificatione influat, & transfundat immediatè totum suum valorem in operationem; ergo dignitas, & valor moralis operationis participatur immediatè in ea à dignitatè Personæ: atq; adeò infinitus valor, qui in operatione Christi inuenitur, immediatè sumitur ab infinita dignitate Personæ ipsius. Antecedens probatur. Persona moraliter operans est quasi forma propria suæ operationis, in quantùm seipsam subijcit alteri, & non solùm operationem in abstracto, verùm etiam ipsum operans, in quo ipsa persona includitur, se se submittit, & offert in obsequium illius, cui Satisfacit, atq; adeò dignificat illam, & æstimabilem reddit: ergo si est infinita, communicat illi, in eamq; influit, & transfundit valorem, & dignitatem infinitam: & ex consequenti infinitus valor, & dignitas moralis immediatè ex ipsa infinita dignitate Personæ desumitur.

Est tamen aduertendum, vt Diuinum suppositum 65
quodammodò per seipsum suam operationem informet, non requiri, quòd talis Persona in natura Diuina moraliter operetur, sed sufficere, vt sustentet naturam creatam, exercentem operationes, & actus morales, ad quos Persona Verbi concurrit, non solùm in genere causæ efficientis per Diuinam voluntatem liberè operantem, in quo quidem genere quidquid habet Persona Verbi, est alijs Personis commune: sed etiam in genere causæ formalis, quatenùs terminat naturam, dignificando ipsam in ordine ad actus postmodùm exercendos. Vnde Persona Verbi vnitur naturæ terminando eius potentiam ad subsistendum, & ex consequenti terminat potentiam eiusdem naturæ, quam habet, vt dignificetur, & vt dignè operetur. Quæ quidem causalitas reducitur ad formalem. Et ideò Persona Verbi non propriè influit in ipsas actiones, si influere denotet efficientiam, sed dicitur speciatim, influere formaliter, vel exactiùs loquendo, qualificare formaliter potentiam naturæ ad moraliter operandum. Hoc tamen non tollit, quòd ipsa Verbi Persona, vt principium, *Quod,* operationes humanitatis eliciat.

Ex dictis sequitur, Satisfactionẽ Christi, & quælibet 66

eius operationem, eſſe infinitæ dignitatis, & valoris moralis, quia eſt propria operatio Diuinæ Perſonæ, & ex hoc habet, quod ſit digna infinitæ æſtimationis. Sic colligitur ex D. Thoma. 1. p. q. 25. art. 6. ad 4. vbi docet, humanitatem Christi ideò eſſe infinitæ dignitatis, quia propter vnionem ad Verbum, dicitur, & eſt propria natura Verbi: ergo ſimiliter illa operatio erit infinitæ dignitatis, quæ verè, & propriè fuerit operatio Verbi.

67 Sed obijcitur. Si operationem eſſe Perſonæ infinitæ, ſufficit, vt talis operatio moraliter cenſeatur infinitæ dignitatis, & valoris: ergo creatio animæ rationalis, vel conſeruatio cœli, erunt operationes infinitæ dignitatis moralis. Conſequens autem eſt falſum: ergo, &c. M. Suarez Diſput. 4. ſectio. 4. reſpondet, quòd ſi actio creatiua, vel conſeruatiua conſideretur ſecundùm propriam naturam intrinſecam, vt ſic, ſicut non eſt infinitæ eſſentiæ, ſic etiam non eſt infinitæ dignitatis, & perſectionis intrinſecæ. Si verò perpendatur ſub ratione actionis liberæ Dei, vt ſic habet per extrinſecam denominationem, valorem quendam, ſeu æſtimationem infinitam, quatenùs procedit ab infinita voluntate libere ſe determinante ad talem operationem.

68 Alij Theologi aliquid ampliùs exigunt ad infinitatem operationum Christi, nempe, vt non quouis modo intelligantur eſſe propriæ operationes Diuinæ Perſonæ ipſius, ſed etiam vt ſint aliquo modo coniunctæ Perſonæ ipſius. Et ideò docent, operationes tranſeuntes Christi, hoc eſt, eas, quæ in externam naturam non ſibi vnitam tranſibant, non eſſe infinitæ dignitatis, quia non erant ita propriè operationes Christi, ac ſi illi eſſent vnitæ. Itaq; iuxta hanc ſententiam operationes Christi habent quandam coniunctionem quaſi hypoſtaticam cum Perſona Verbi; tametſi interuentu naturæ humanæ. Et ratione huius coniunctionis habent infinitam quandam dignitatem, & valorem moralem. Eſt tamen differentia inter humanitatem, & actiones illius: quòd humanitas immediatè vnitur Verbo, & ideò illa vnio eſt proprius modus realis ipſius humanitatis: at verò operationes illius per humanitatem duntaxat vniuntur Perſonæ Verbi, nempe, quia inhærent humanitati, ſeu fiunt per humanitatem vnitam Verbo. Quare hæc vnio nullum realem modum Phyſicum ponit in ipſis operationibus reſpectu Perſonæ Verbi, præter modum vnionis ipſius humanitatis: nihilominùs ab ipſo Verbo participant moralem valorem, & æſtimationem.

69 Alij Doctores vltra hanc mediatam vnionem cum Perſona Verbi infinita, poſtulant, vt operationes ſint tales, quòd per eas Diuina Perſona aliquo modo ſaltem per communicationem idiomatum dicatur ſe ipſam humiliare, atque ſubijcere Deo, illiq; obſequium præſtare. Et propterea affirmant, operationes Christi naturales, & exteriores, quæ ab actibus virtutum interioribus non eſſent imperatæ, non fuiſſe infinitæ dignitatis, & excellentiæ.

70 Nihilominùs probabiliſsimum mihi eſt, operationem, quæ quocumq; modo dicitur propria Diuinæ Perſonæ, & abſolute meretur nomen operationis Diuinæ, vt ſic ab infinita dignitate Perſonæ, participare infinitatem moralem: quia ſicut donum, quocunq; modo intelligatur, vt donum Regium, vt ſic in eſſe doni eſt magnæ, æſtimationis, & valoris, tametſi ſecundùm ſuam entitatem Phyſicam ſit materia paruæ æſtimationis: ita quoduis Diuinum beneficium (& idem eſt de quacumq; operatione) licèt ſit res in eſſe Phyſico finitæ entitatis: in eſſe tamen morali eſt dignum infinitæ æſtimationis. Fateor quidem, operationes immanentes Christi propter immediatam coniunctionem cum humanitate ſuppoſitata in Verbo, peculiari ratione dignitatem, & æſtimationem participare à Perſona Verbi, quatenùs vt ſic dicuntur, & ſunt peculiari modo propriæ Diuinæ Perſonæ; non ſolùm, quia ab illa dimanant, verùm etiam, quia cum illa habent coniunctionem in propria natura ipſius: quæ ſola coniunctio, licèt tales operationes à Diuina Perſona non dimanarent, redderet dignas infinita æſtimatione: quo pacto docet D. Thomas. 1. p. q. 25. art. 6. ad 4. gratiam habitualem receptam in anima Christi, eſſe infinitæ dignitatis, vt eſt diſpoſitio ad gratiam vnionis hypoſtaticæ. Et idem ſimiliter dicendum eſt de operationibus ſtudioſis, quæ etiam ſpeciali titulo à Diuina Perſona dignificantur, quatenùs per illas Diuina Verbi Perſona conſecratur, & offertur in honorem Dei, non tam per modum obiecti, circa quod verſentur, quàm per modum ſubiecti, quod in Deum referunt per modum operantis, & ſubiectantis in ſe huiuſmodi actiones ſtudioſas. Sed non propterea negandum eſt, ſufficere ad infinitatem dignitatis moralis, quòd operatio ſit propria Diuinæ Perſonæ, ac proindè Diuina, tametſi illa ſit tranſiens.

Sed replicatur. Sequeretur ex hoc, omnes noſtras 71
operationes eſſe infinitæ dignitatis, licèt ſint vitioſæ. Probatur ſequella, quia ita procedunt à nobis, vt etiam procedant à Deo: creatura enim nihil efficere poteſt ſine Diuino concurſu: ergo illæ, vt ſunt operationes Dei, hoc eſt, vt ab illo dimanant, quamuis ſint vitioſæ, erunt infinitæ dignitatis. Reſpondetur negando ſequellam, quia illæ operationes, ad quas Deus concurrit vt cauſa naturalis, abſolutè nec ſunt, nec dicuntur Diuinæ, & propriæ operationes Dei, ſed creaturarum: illæ enim denominationem accipiunt à ſuis cauſis particularibus, & indè limitatur moralis earum dignitas, vndè amittunt denominationem Diuinarum. Quò fit, vt omnes operationes vitales creaturarum, imò & non vitales, quæ ad talem ſpeciem determinantur per concurſum cauſarum ſecundarum, non dicantur abſolutè propriæ operationes Dei, tametſi Deus ad eas concurrat. Et ideò ſicut abſolutè non dicuntur Diuinæ, ita neq; ex hoc titulo ſunt dignæ infinita æſtimatione.

Sed inſtatur. Etiam Perſona Verbi non ſe ſola 72
concurrit ad operationes humanitatis, ſed humanitas per ſuas potentias finitas, & limitatas concurrit ad eas eliciendas: ergo neq; operationes Christi dicentur abſolutè & ſtrictè, ac propriè diuinæ. Conceſſo antecedenti neganda eſt conſequentia; quia cùm humanitas ſit propria natura Verbi, omnis operatio, quæ fuerit propria ipſius, erit etiam propria operatio Diuinæ Perſonæ Verbi, & ex conſequenti Diuina. Ex quo ſequitur, quòd licèt Deus non concurreret effectiuè, atq; adeò neq; Perſona Verbi cum humanitate Christi ad ſuas operationes eliciendas,

Digitized by Google

eiendat, ſed bumanitas ſe ſola eat elieeret (vt putanis Durandus) adhùc operationes humanitatis Chriſti eſſent propriæ operationes Dei, & verè Diuinæ, atque adeo infinitæ dignitatis. Quam dignitatem non ſumunt à Perſona Verbi, vt eas effectiuè per ſuam propriam virtutem producente, ſic enim etiam eam ſumerent à Perſona Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: ſed illam deſumunt à Perſona Verbi, vt terminante humanitatem, & per illam tanquàm per propriam naturam eat elieente.

73 Ex dictis etiam colligitur, quòd licet operationes Chriſti intelligantur procedere ab ipſius humanitate, non informata gratia habituali, adhùc intelligentur in finitæ dignitatis, & valoris moralis. Quod rectè obſeruauit Caietanus in hoc articulo, aſſerens buiuſmodi valore non ſolùm deſumi ab infinita dignitate Perſonæ, tàquàm à Primo, & radicali principio, ſed etiā vt à proximo & immediato, ita vt talis valor non deriuetur ab ipſa Perſona Verbi ad operationem mediante gratia, ſed immediatè, & abſq; alio medio. Vnde ipſa operatio, prout comparatur ad gratiam, & Charitatem, & humanitatem Chriſti, nullam prorſus participat infinitatem moralem, ſed tantùm eſſentialem perfectionē, quam ex obiecto, & alijs quaſi Phyſieis principijs deſumit. Comparata verò ad Perſonam, participat infinitatem moralem ex infinita eius dignitate deriuatam.

74 Hanc ſententiam Caietani reijcit M. Vincetius Pag. 141. vbi docet, principium immediatum infinitatis meriti, & Satisfactionis Chriſti, eſſe gratiam habitualem, vt eſt infinita in eſſe gratiæ, humanitatem verò eſſe principium mediatum, vt eſt infinitæ dignitatis propter vnionem eum Verbo: vltimatum verò; & remotū principium eſſe ipſam Perſonam Verbi Diuinam; à qua immediatè infinitam dignitatem participat humanitas. Et ab humanitate, vt eſt infinita, ſumit immediatè gratia habitualis infinitatem in eſſe gratiæ. nam infinitas gratiæ indè conſurgit, quòd mediante humanitate participat Perſonalem Diuini Verbi terminationem, quam comitatur infinitas Perſonalis dignitatis, & valoris. Operationes verò Chriſti in eſſe meriti & Satisfactionis accipiunt infinitatem ab ipſa gratia, vt eſt infinita in eſſe gratiæ.

75 Cæterùm hæc ſententia non eſt admittenda, quia licet gratia habitualis in eſſe gratiæ ſit infinita, & ab ea operationes Chriſti maximam ſumant dignitatem, adhùc tamen hæc dignitas orta ex gratia habituali, eſt diſtinctæ rationis, & inferioris ordinis à dignitate, quæ conuenit operationibus Chriſti, vt ſunt operationes Diuinæ Perſonæ. Quæ dignitas intelligi poteſt ſine ea dignitate, quæ à gratia habituali prouenit, & illis tantùm conuenit, vt procedunt à Chriſto; vt formaliter grato, & accepto Deo per gratiam habitualē. Sicut enim excellentior longè eſt dignitas, quæ in anima Chriſti reſultat ex Sanctificatione Perſonali per gratiam Vnionis, quàm quæ reſultat ex Sanctificatione formali per gratiā habitualem: ita ſimiliter in operationibus excellentius quid eſt, eas intelligere vt gratas, & acceptas Deo, quia dimanant à ſubiecto grato Perſonali gratitudine per gratiam Vnionis, quàm per gratiam habitualem: vt ſicut hæc gratia eſt quædam accidentalis perfectio, & concomitanter diſpoſitiua ad gratiam Vnionis: ſic etiam dignitas, quam operationes Chriſti accipiūt à gratia habituali, eſt quædam accidentalis perfectio eiuſdem dignitatis, quam à gratia Vnionis accipiunt, imo naturaliter eſt illi debita.

Confirmatur hæc ratio. Actus Chriſti ideo ſunt infinitæ dignitatis, quia ſunt Deiuiriles, & Theandrici, ſed has denominationes non per ſe primò, & immediatè participant à gratia habituali, etiā vt infinita, ſed ab ea, vt eſt infinita, infinitè quidem accidentaliter perficitur dignitas infinita, quę cōuenit operationibus Chriſti, vt ſunt Diuinæ: ergo, &c. & Tandem, quia nō ſolùm operationes procedentes à gratia habituali, & habentes connexionem per ſe cum illa, ſunt in Chriſto infinitæ dignitatis, ſed etiam illæ, quæ naturales ſunt, & ab hac gratia non procedunt. Ergo Perſona Diuina non mediante gratia habituali communicat valorem infinitum actionibus meritorijs, & Satisfactorijs Chriſti. 76

Dices, gratiam habitualem, vt ſubordinatam Perſonæ Verbi, potuiſſe eſſe principium infiniti valoris, & ſignificare opera ſine vlla proportione ad bonitatem eorum moralem. Sed contra eſt, quia ſi huiuſmodi ſubordinatio ad Perſonam Verbi, ſufficeret ad conferēdam infinitatem operationibus Chriſti, eādem ratione, imò multò maiori humanitas Chriſti concurreret ad conſtituendam infinitatem actionis Satisfactoriæ, quia magis ſubordinatur Perſonæ Verbi, cui hypoſtaticē, & immediatiùs coniungitur, quàm gratia habitualis. Atq; adeò humanitas eſſet immediatum principium infinitatis, propter Perſonalem Diuini Verbi terminationem, quam comitatur infinitas Perſonalis dignitatis, & valoris. Sed dicere, humanitatem eſſe principium infinitatis, etiam vt coniungitur Perſonæ Verbi, & illi ſubordinatur, eſt omninò falſum, & probatur. Humanitas non eſt principium principale, neq; inſtrumentale infiniti valoris. ergò. Antecedens probatur. Et primò, quòd humanitas non ſit principium; & cauſa principalis, patet ex eo, quòd cauſa principalis operatur per propriam formam, & virtutem, ſed humanitas ex coniunctione ad Verbum nullam acquiſiuit perfectionem, & virtutem ſibi intrinſecam, ratione cuius poſſet eſſe cauſa infiniti valoris in operatione, cùm ſit eiuſdem ſpeciei cum alijs humanitatibus: ergo, &c. Quòd autem non ſit inſtrumentum, probatur: quia fieri non poteſt, vt cauſa principalis Phyſica vtatur inſtrumento morali ad ſuum effectum, cùm inſtrumentum debeat eſſe proportionatum cauſæ principali, ſed Perſona Verbi, quatenùs operatur per humanitatem tanquàm per inſtrumentum, non habet rationem cauſæ moralis, ſed phyſicæ: ergo, &c. Minor probatur, quia Perſona Verbi, quatenùs vt ſic operatur, non eſt cauſa Satisfactoria, neq; conſulens, aut præcipiens. ergo non eſt moralis. Dicendum igitur eſt, quòd licet ſubſtantia dignitatis, & valoris moralis, qui in Satisfactione; & merito, & alijs actionibus Chriſti, reperitur, ſumatur ab humanitate media gratia, & habitibus ſupernaturalibus, vt à proximo principio efficienti (etenim quod actio ſit moralis, creata, & regulata per rationem, & ordinata ad talem finem, habet ex voluntate creata, ſimul cum gratia & charitate, & alijs qualitatibus ſuperadditis, & non à Deo, niſi tanquam à cauſa vniuerſali) Nihilominùs tamen infinitas per ſe primò ſumitur à Diuino ſuppoſito, non ſolùm tanquam à primo, & radicali principio, ſed etiam vt à proximo & immediato 77

immediato: ac proindè non est necessariam, vt aliquā habeat proportionem cum ipsa humanitate, quia humanitas neq; est principium formale, & principale moralis infinitatis, neque instrumentale.

78 Est tamen aduertendum, valorem Satisfactorium & meritorium operationū Christi, quatenus erat moralis, & ad compensandam iniuriam tendebat, necessariò præsupponere actum voluntatis humanæ Christi, quia non sufficiebat voluntas Verbi, cùm eius actus propriè non sit moralis, neq; moraliter influens; estò ipsam moralitatem operetur: sed necessariò requiritur humanæ voluntatis actus, qui in Christo à gratia, & charitate formaliter dignificabatur, principalius autem, & Personaliter à dignitate Verbi. Itaq; hæc omnia ordine quodam concurrebant ad actum eliciendum, quia humanitas Christi per esse Verbi existebat, & humana voluntas illius subdebatur Diuinæ voluntati, ac proindè actus liberi humanitatis Christi habebāt ordinem ad omnia hæc, & ab omnibus, atq; singulis participabant eam perfectionem, & proprietatem, cuius erant capaces. Vndè à voluntate libera viatoris habebant, quod essent liberi, à conformitate ad legem, quòd essent morales, à charitate & gratia, quòd essent Satisfactorij, & meritorij formaliter, & ab infinita Personæ dignitate, quòd essent infiniti valoris. Neque est inconueniens, quòd quædam horum liberè conueniāt actibus, & quædam ex hypothesi quasi per simplicem resultātiam, quia sicut actus hominis iusti habet, quòd liberè procedat, & moraliter dirigatur: nihilominùs tamen dignitatem charitatis, à qua dimanat, necessariò, & naturali consequio participat: & sicut actus moralis ordinis naturalis, V.G. honor exhibitus à Rege, liberè exhibetur, tamen vt procedit à Rege, quandam specialem illius dignitatem necessariò participat, proptereà quòd est Persona operans; ita in actibus Christi proportionabiliter dicendum est, nempè quòd habent realem dependentiam ab humanitate liberè operante, à charitate, & gratia, & à voluntate, & Persona Verbi, & eisdem subordinātur. Nihilominus eorum valor, & dignitas moralis non limitatur ex humanitate, vel intentione actus, quia omnia, quæ sunt in actu, siue sit gradus intensus, siue remissus, æqualē à supposito valorē desumunt. Vnde quia dignitas in Christo prouenit ex Persona, quæ semper operatur secundùm dignitatem, quàm naturaliter habet, & semper necessariò ita operator secundùm hanc dignitatem, quam habet; ideò influit totum valorem, quem habet de se, tametsi nō totaliter. Et actus à tali Persona elicitus, secundùm esse numericum & singulare est infinitus, quatenus totam Personæ dignitatē exhibitā licèt totaliter non exhauriat omnem valorem existentem in principio operāte, qui actioni morali cōuenire potest; ita vt Persona infinitè digna nequeat in ratione valoris plus in suam actionem moralem influere, quàm quod influxit. Quò fit, vt valor moralis formaliter sumatur ex dignitate infiniti principij, quod talet actus elicit, non tamen ex conatu, & affectu operantis, aut ex intensione actus. Quare intensio actus est voluntaria, sicut actuale eius exercitium, & duratio. At quòd dignitatem sui principij participet, est necessarium, ac proindè valor ex intensione, & ex alijs liberis circumstantijs proueniens, erit maior, aut minor iuxta differentiam illarum, quæ liberè variantur, & crescunt, atq; decrescunt. Ille autem valor, qui ex dignitate Personæ, & principij resultat, est determinatus, & inuariabilis.

Tertia Conclusio. §. VI.

INFINITA dignitas, & valor operationū Christi non est aliqua formalitas, & entitas Physica, vel Metaphysica, neq; ipsa infinita perfectio, & dignitas Personæ Diuinæ eas informans extrinsecè, & vnum compositum morale cum illis efficiens: sed est passiua æstimabilitas, & appretiatio earum secundùm prudentem rationem, consistens in respectu reali, & intrinseco, quo immediatè operationes Christi referuntur ad humanitatem, vel ad aliquid eius, vt ad principium, *Quo,* & mediatè ad Suppositum Diuinum Verbi, vt ad principium, Quod.* Hæc conclusio probatur quò ad singulas eius partes. Ratio primæ est, quia huiusmodi formalitas est veluti accidens inhærens operationibus Christi: sed operationes Christi in esse entis sunt finitæ perfectionis essentialis, Methaphysicè loquēdo, ergo quoduis accidens intrinsecum earum, etiam est finitæ perfectionis essentialis, nam omne, quod recipitur, ad modum recipientis recipitur. Confirmatur; quia nullus actus potest dari, qui sit infinitæ perfectionis essentialis; ergo nulla perfectio accidentaria actus dari potest, quæ sit infinitæ perfectionis essentialis. 79

80 Ratio secundæ partis est: quia operatio cum valore, & dignitate morali debet esse sub Dominio voluntatis Christi: ergo implicat, vt valor sit ipsa perfectio Diuinæ Personæ. Consequentia patet: quia Diuina Persona, neq; increata eius perfectio, nequit cadere sub Dominium voluntatis Christi, valor autem cadere debet: aliàs Christus non esset Dominus suarum operationū, vt sunt Satisfactoriæ, & meritoriæ, & ex consequenti non posset Satisfacere ex proprijs.

81 Ratio tertię partis est, quia dignitas moralis in qualibet re est illud, per quod formaliter res est digna morali æstimationis, sed id, per quod res est digna morali æstimatione, dicitur, & est moraliter æstimabilitas passiua illius: ergo dignitas, & valor moralis operationum Christi est passiua æstimabilitas, & appretiatio earum secundùm prudentem rationem, quæ semper petit fundamentum aliquod in re.

82 Ratio vltimæ partis est; quia in eo consistit infinita æstimabilitas operationum Christi, per quod illæ sunt dignæ infinita æstimatione, & appretiatione; sed per hunc respectum intrinsecum, & realem, quo referuntur ad humanitatem, vel ad aliquid eius, vt ad principium, *Quo,* & mediatè ad Suppositum Diuinum Verbi, vt ad principium, *Quod;* Formaliter reddūtur dignæ infinita æstimatione: ergo in hoc respectu consistit æstimabilitas operationum Christi. Maior est euidens, & minor probatur. Operationes Christi sunt dignæ infinita æstimatione, vt sunt propriæ operationes Diuinæ Personæ, sed per hunc respectum realem, & intrinsecum formaliter intelliguntur esse propriæ operationes Diuinæ Personæ: ergo per hunc respectum sunt dignæ infinita æstimatione. Maior huius probationis cōstat ex dictis in 2. Conclus. num. 66. Minor verò probatur. Operationes esse proprias alicuius principij, cōsistit in reali emanatione, & dependentia earum à tali principio: sed hæc emanatio, & realis depen-

dependentia est intrinsecus respectus earum ad suum principiū:ergo operationes per intrinsecum,& realem ordinem dicuntur,& sunt propriæ operationes principij,à quo dimanant: vel certe sunt ipse realis ordo, & respectus ad suum principium, si considerentur, vt pertinent ad prædicamentum actionis. Ex quo desumitur alta consimmatio;quia in eo formaliter consistit infinita æstimabilitas passiua operationum Christi, à quo formaliter denominantur propriæ operationes Personæ Diuinæ; sed ab hoc respectu formaliter denominantur propriæ, operationes Diuinæ Personæ: ergo in hoc respectu consistit infinita æstimabilitas passiua earum.

83 Sed obijcitur. Primo contra conclusionem. Si Humanitas Christi relinqueretur à Verbo, ac terminaretur à propria subsistentia,operationes Christi nullum respectum realem amitterent:ergo formaliter nō sunt propriæ operationes Christi,atque adeò Diuini Verbi, per aliquem respectum realem intrinsecum ad Diuinā Personam. Respondetur concesso antecedenti, negando consequentiam, quia operationes Christi mediatè referuntur ad Verbum Diuinum per respectum realē, quo ab humanitate dependent, & ab illa oriuntur, & mediatè dependent à Verbo,vt à terminante,& sustentante naturam humanam. Quare per illummet respectum, per quem modò mediatè referuntur realiter ad Verbum, quando humanitas ab illo sustentatur, si ea dimitteretur à Verbo,manentibus eisdem operationibus,illæ referentur realiter ad Suppositum,à quo de nouo terminaretur humanitas, quia non variato modo respiciendi, nec immediato termino formali relationis,non variatur relatio, vt constat in omni relatione mediatæ dependentiæ. Imò verò quando variatur terminus relationis materialiter tantùm,& nō pro vt est terminus relationis,non variatur relatio, vt est probabilis sententia quorundam Methaphysicorum, tametsi illa immediatè terminetur ad talem terminum.

84 Secundò Respondetur negando antecedens, quia operationes Christi,ideò erant propriæ Diuini Verbi, quia dependebant ab humanitate habente simultaneā dependentiam à supposito Diuino, eam terminante & sustentante. Per hanc autem realem relationem simultatis in ipsa dependentia tam operationis ab humanitate,quàm naturæ à Diuina Persona Verbi, operationes Christi realiter & intrinsecè denominantur propriæ operationes Diuini Verbi: & ex consequenti si humanitas à Verbo dimitteretur, operationes illius amitterent aliquam formalitatem realem, videlicet, eam relationem simultatis, à qua earum respectus dependentiæ ad humanitatem realiter denominatur simultaneus respectu dependentiæ humanitatis à Verbo. Vtraque Solutio est probabilis, sed prior est solidior.

85 Secundò obijcitur. Passiua æstimabilitas operationum Christi non est in se infinita secundum perfectionem intrinsecam,& Methaphysicam: ergo solùm est infinita per extrinsecam denominationem ab æstimatione actiua infinita,quæ circa illam versari potest, vel maiori & maiori in infinitum. Negatur consequentia, quia sicut visibilitas coloris nihil est aliud, quàm aptitudo immutandi visum: ita æstimabilitas operationum non est aliud, quàm aptitudo realis ad causandam æstimationem secundùm prudentem rationem; quæ licet secundum se sit finitæ entitatis, Methaphysicè loquendo: quia tamen est causatiua infinitæ æstimationis, & tali æstimatione digna,moraliter appellatur infinita dignitas: & ideò moraliter,& non Methaphysicè dicitur infinita, & nō per extrinsecam denominationem, sed per ordinem realē, quem dicit ad æstimationem moralem infinitā: sicut dignitas,& æstimabilitas humanitatis est infinita moraliter,& non Methaphysicè, quia humanitas Christi, quatenùs realiter Vnita Personæ Diuinæ, exigit talem æstimationem,quæ superet æstimationem quamlibet finitæ dignitatis. Hæc enim æstimatio dicitur infinita, non quæ sit intensiuè infinita secūdùm esse Methaphysicum,vel Physicum.

86 Dices,quo pacto si hæc æstimabilitas moralis non est infinitæ perfectionis Physicæ, aut Methaphysicæ, ex natura rei exigit infinitam æstimationem secūdùm prudentem rationem. Sed Respondetur, non esse incōueniens, vt propter respectum finitum, quem operationes dicant ad Personam infinitā, & per quem reddantur velnti aliquid eius secundùm prudentem æstimationem,præferantur omnibus rebus habentibus finitam dignitatem muralem, atq; adeò infinitè æstimentur.

87 Tertiò. Dignitas meritoria, aut Satisfactoria nostrarum operationum non est aliqua formalitas realis: ergo neque dignitas oparationum Christi,& valor meritorius,aut Satisfactorius erit aliquid reale. Consequētia tenet à paritate rationis,& antecedens probatur: nā idem actus contritionis, vt est naturâ prior gratiā habituali,non est meritorius,neq; Satisfactorius, vt verò est posterior,est meritorius vitæ æternæ sine additione alicuius formalitatis intrinsecæ. Ijdem etiam actus humilitatis,& eleemosinæ, qui in peccatore non sunt meritorij,nec Satisfactorij,in iusto sine addictione alicuius entitatis intrinsecæ sunt meritorij, & Satisfactorij. Respondetur negando antecedens,nam actus nostri interiores ideò sunt meritorij, & Satisfactorij, si non desint aliæ conditiones necessariæ ad meritum, quia sunt actus hominis iusti, & amici Dei per gratiam habitualem. Vndè sicut actus nostri realiter sunt actus hominis iusti,& amici Dei, cùm in nobis realiter est gratia: ita formaliter dicuntur, & sunt actus hominis grati per aliquem respectum realem, quem actus dicāt ad gratiam habitualem,nempe,per realem simultatem ipsorum cum gratia.

88 Nihilominus licet sit verum, dari hanc simultatem realem in ipsis actibus, quia tamen hæc videtur esse posterior naturâ ipsis actibus,vt sunt hominis iusti, & amici Dei (ideò enim est in illis hæc relatio,quia sunt operationes hominis iusti) Respondetur secūdò negando consequentiā, quidquid sit de antecedenti, quia primus actus contritionis,& idem est de alijs, qui non procedunt à gratia,non habent neq; mediatam dependentiam realem à gratia habituali, & idcò per se nullū dicunt respectum intrinsecum ad gratiam habitualē, quo careant, quando illa non est in subiecto: atq; adeò dicuntur actus proprij hominis grati,& non per aliquē respectum realem sibi intrinsecum. At verò operationes Christi per ordinem, quo referūtur realiter ad pro-

priam

priam naturam, referuntur mediatè ad suppositum, à quo illa natura sustentatur, & magis propriè attribuuntur Supposito, quàm naturæ, quia ab illo mediatè, & vltimatè dependent: & propterea dicuntur, & sunt actus proprij talis Suppositi per respectũ realẽ intrinsecũ, quem per se dicit ad Suppositum terminãs humanitatem. Actus verò virtutum moralium non dicuntur proprij actus hominis grati, vt grati, per dependentiam intrinsecam, quam in suo esse habent à gratia. Hæc Solutio procedit de actibus, qui non realiter procedunt à gratia habituali, nec mediatè, nec immediatè: nam de illis, qui mediatè vel immediatè procedunt ab illa, dicendum est, eos esse proprios hominis grati per respectum intrinsecum, & realem. Et ex consequenti valorẽ Satisfactorium, & meritorium, hoc est, æstimabilitatẽ eorum, non consistere in denominatione aliqua extrinseca, aut formalitate rationis.

89 Dices, ex hac Solutione sequi, actus virtutum moralium in Christo nullam habere dignitatem intrinsecam, & realem, prouenientem ex gratia habituali. Respondetur, nullum esse inconueniens id concedere. Secundò Respondetur negando Sequellam, quia cùm gratia habitualis in Christo sit dispositio concomitãs ad Vnionem hypostaticam, sicut operationes Christi, tametsi mediatè, dependent realiter à Verbo, prout sustẽtat humanitatem, ita realiter, licèt mediatè, dependent à gratia habituali, vt à dispositione concomitante, per quam humanitas redditur apta, vt à Verbo sustentetur. Et ideò per eundem respectum, quo ab humanitate dependent, etiam dependent realiter à gratia habituali, vt à dispositione reali huius sustentationis, & Vnionis hypostaticæ Verbi cũ humanitate: cui reali dependentiæ nihil obstat, quòd possit manere, vt est dependentia ab humanitate, nõ verò vt est depẽdentia à gratia habituali, vel à Verbo sustentante humanitate: quia indè non sequitur, in hac dependentia esse denominationem extrinsecam, vel entitatem rationis, quòd sit dependentia mediata à Verbo, vel à gratia habituali; ad hoc enim sufficit, vt terminus auferatur: sicut quando Pater eadẽ relatione refertur ad plures Filios, vno eorum mortuo, iam non est realiter Pater Filij mortui, tametsi realiter maneat illa relatio, per quam realiter referebatur ad Filium mortuum, & verè, ac realiter erat Pater eius.

90 Quartò. In alijs rebus Dignitas moralis non est realis, & intrinseca, vt in vestibus Christi, quæ solùm propter contactum adorantur: item valor monetæ, & ferè communiter omnes dignitates morales hominum, nõ important aliquid intrinsecum in illis receptum: ergo idem erit in actibus Christi. Negatur consequentia, & ratio discriminis constat ex dictis. Nõ enim negamus, quin sæpè dignitas, & valor moralis sit ens rationis, & obiectiuè solùm existat in intellectu habente aliquod fundamentum in re, quod sit reale: sed negamus, id semper esse necessarium ad dignitatem moralem. Quarè absolutè concedendum est, dignitatem omnium operationum Christi esse realem, & intrinsecam. Et quòd sit realis patet, quia eo ipso quòd actus moralis procedit rectæ rationi conformis, est de se æstimabilis, & habet valorem: ergo est dignitas realis. Quòd verò sit intrinseca, constat ex eo, quòd talis dignitas & valor non esset formaliter in operationibus Christi, sed tantùm in ipsa Persona, quod est omninò falsum. Huiusmodi autem valor infinitus moralis non est entitas superaddita, realiter distincta ab ipsa substantia operationum, sed tantùm formaliter. Operationes enim dicunt ordinem ad Suppositum eliciens, & ille ordo est respectus transcendentalis in ipsimet actionibus ad Suppositum, à quo procedunt, atq; adeò est valor & infinitas moralis actionum, & indè habent, quòd sint dignæ infinita æstimatione. In hac autem habitudine, & relatione transcendentali fundatur relatio prædicamentalis, quæ in valore infinito consideratur, & consistit in quadam commensuratione ad Iustum, & æquale, quod sit in re, sicut in relatione transcendentali, quam potentia, aut scientia dicit ad suum obiectum, fundantur relationes prædicamentales mensuræ, & mensurati.

Quarta Conclusio. §. VII.

PRAETER hanc formalitatẽ dignitatis, quæ omnibus Christi actionibus generaliter conuenit, dignitas, aut valor meritorius, vel Satisfactorius includit bonitatem, & honestatem intrinsecam actuum interiorum eius, & similiter libertatem. Probatur; quia vt actus sit meritorius, aut Satisfactorius, necessariò requiritur, vt sit actus virtutis, debet enim esse actus, quo natura rationalis honoret Deum: & insuper requiritur, vt hic actus sit liber, vt infra q. 59. cõstabit. Hæ autem non sunt entia rationis, sed formalitates reales. Et ideò absolutè loquendo, dignitas, & valor meritorius, & Satisfactorius operationum Christi, non consistit in aliqua formalitate, quæ sit ens rationis, & solùm existat obiectiuè in intellectu. Licèt enim denominatio liberi in actu interiori esset extrinseca denominatio, vt quidam opinantur; adhuc tamen est realis proprietas (quamuis extrinseca) actus, & totum hoc concretum, liberum, est concretum reale: tam ex parte materiæ, est enim actus realis, quàm respectu formæ; quia libertas in voluntate est formalitas realis, quam ex parte vnionis, quia requiritur realis coniunctio vtriusque, vt resultet concretum. Quare sicut hoc concretum, agens, est reale, sic etiam hoc concretum, liberum, in actu interiori, est reale. Ex dictis in. 1. 3. & 4. conclusionibus deducitur, quam contineat veritatem illæ sententiæ quas Paragrapho. 3. recensuimus circa principium, à quo sumitur infinitas operationum Christi, & circa quidditatem talis infinitatis: sed claritatis gratiâ sigillatim explicabitur. 91

Confutatio Primæ Opinionis. §. VIII.

PRIMA sententia Paragrapho. 3. relata, multa inuoluit reprehensione digna. Et Primo nouitas illius valdè erroris debet esse suspecta. A nullo enim Theologorum, aut Sanctorum Patrum sic explicitæ sunt operationes Theandricæ Dionysij, præsertim cùm hæretici Monothelitę hoc testimonio maximè sint vsi, vt constat ex. 6. Synodo generali Actio. 8. in Epistola Agathonis, & sæpe alibi. Nouitas autem in re tam graui, & controuersa, quamuis sit in solo modo loquendi, execranda est, vt docet Agatho in Epistola ad Constantinum, quæ habetur in. 6. Synodo Actio. 4. Secundò. Modus loquendi horum Theologorum constituentium vnam operationem humanitatis, & Diuini- 92

Diuinitatis, maximè conuenis cum hæresi Monothelitarum,& Eutychyanorum damnata in.6.Synodo generali, cognoscentium vnam solam operationem humanitatis,& Diuinitatis in Christo. Qui modus loquēdi semper fuit damnatus à Patribus Ecclesiæ,& Concilijs,vt constat ex.6.Synodo generali citata, præsertim Actio.4.8.9.15.16.& 17. Hæreticis autem mille modis volensibus explicare vnitatem operationis in Christo,constanter tota Synodus sæpè restitit.

93 Tertiò.Non solùm modus loquendi, sed etiam sentiendi est valde consentaneus sententijs quorundam hæreticorum,quos refert, & damnat Agatho Papa in sua Epistola Actione.4.& posteà damnantur Actio.13. Primò enim conuenit hæc sententia cum Apollinario asserente,propterea esse vnam operationem in Christo,quia organum,hoc est,instrumentum (quo nomine intelligit humanitatem) & quod mouet , scilicet causa principalis (quo nomine intelligit Diuinitatem) vnam solam perficerent operationem. Et cum Seuero , qui propterea affirmabat , vnam esse operationem in Christo , quia est vnum operans. Et cum Theodoro dicente , vnam esse operationem in Christo ex vtriſq; Deificam secùdùm Diuinitatem, & humanitatē.Quibus Verbis insinuare videtur Theodorus,compositionem ex actione humanitatis & Diuinitatis,quam isti authores inducere videntur cum Sergio,& Pyrrho,qui dicebant, neq; vnam , neq; plures operationes esse in Christo,quamuis in illo essent operationes humanitatis,& Diuinitatis. Quod vix potest aliū sensum habere, quàm quē explicās authores huius sententiæ suis operationibus compositis, quæ neque absolutè plures,neque absolutè vna dicuntur. Conuenis etiam cum Paulo , & Petro Patriarchis hæreticis, qui vnā,& duas operationes confitebantur in Christo. Et maximè cū Machario Archiepiscopo Antiocheno damnato actio.8. qui quamuis in Christo duas naturas inconfusas, & intermixtas confiteretur , propterea dicebat non esse duas operationes in Christo , quia sicut corpus nostrum regitur , & ordinatur ab intellectuali,& rationali Anima nostra: ita in Christo asserebat,totam nominis eius conspersionem, (quo nomine intelligere videtur humanitatem) à Deo mobilem fuisse,& propterea passiones corporis (sic enim appellabat operationes humanas)non effecere diuersas operationes ab operationibus Diuinitatis,quibus Christus nostram salutem est operatus.

94 Quartò.Omninò improbabile est , quòd operationes humanitatis,& Diuinitatis vnam possint componere operationem: quia præterquàm quòd sæpè in. 6. Synodo vt hæreticum reiectum est,in Christo esse vnā operationem compositam , id etiam naturali rationi repugnat : quia si humanitas & Diuinitas possunt esse partialia principia, *Quo,* vnius operationis: ergo humanitas & Diuinitas in Christo possunt componere vnam essentiam:quod est hæreticum. Consequentia probatur ex definitione naturæ, quæ est: *Principium motus,& operationis eius,in quo, primum, & per se.* Ergo si duæ naturæ vnius suppositi sunt partialia principia vnius operationis , etiam componunt vnam naturam , quia vt sic efficient vnum principium totale operationis eius,in quo sunt,primum,& per se , & non secundùm accidens:ergo illis cōuenit definitio naturę.

Quam consequentiam omnes Patres , qui contra Monothelisas disputarunt, & tota sexta Synodus ita firmā existimauère,vt hæreticis asserentibus , vnam esse operationem in Christo;statim inferrent , vnam esse duntaxat essentiam in Christo. Et asserentibus esse vnam operationem compositam , statim etiam inferebant, esse vnam essentiam cōpositam , quod est Euthychyanum:nam quorum actio est vna, horum etiam substātia est vna secundùm omnes Patres. Et ita Damascenus lib.3.fidei cap.19. ex eo quòd detur vna actio composita ex humana , atq; Diuina , infert dari vnam naturam compositam,vt Euthyches docebat. Et D. Thomas infra.q. 19. art.1. ex eo quòd detur vna operatio composita,infert dari cōfusionem naturarum.

Quintò.Improbabiliter,& sine fundamento confingitur ab his authoribus vna operatio ex duabus operationibus,quæ nullam possunt habere neq; Physicam, neq; moralem vnionem : ergo talis operatio neq; erit vna Physicè,neque moraliter.Antecedens probatur.Primò ex.6.Synodo Actio.4.8.& 9 & ex testimonijs Sanctorum Patrum,allatis Actio.10.Ex quibus constat, in Christo esse duas operationes inconuertibiliter , & inconfusè. Quæ duo aduerbia excludunt vnionem omnem inter operationem humanitatis , & Diuinitatis. Etenim,inconfusè,idem significat,ac sine vlla compositione,vt optimè explicas D.Thomas infra.q.19.art.1. *Inconuertibiliter,* Etiam vnitatem naturæ operationum ipsarum per conuersionem vnius in alteram excludit.Secundò probatur ratione.Ac primò,quòd nō sit possibilis vnio Physica inter operationes humanitatis,& Diuinitatis,patet; quia neq; vnio inhærentiæ, neq; vnio hypostatica , neq; vnio continuationis dari potest inter has operationes: vnitas autem operantis, sicut neq, vnitas subiecti , non est sufficiens, vt operationes , vel accidentia habeant vnitatem : aliàs operationes eiusdem hominis , & accidentia eiusdem subiecti vnam operationem, & accidens componerent.Quòd verò non sit,neq; esse possit vnio moralis,quæ sufficiat causare moralem vnitatem operationis,probatur. Tunc duo actus in genere moris cōponunt vnum actum,quando vnus ita est alteri subordinatus,vt ab eo accipiat speciem,& determinationem moralem,ad quod necessarium est , vt vnus se habeat respectu alterius tanquàm potentia determinabilis, alter verò se habeat vt actus,& determinatio alterius:sed inter actum Diuinitatis , & humanitatis non est talis proportio:ergo neq; talis vnio moralis. Maior patet, quia hæc entia moralia proportionalitatem habent cum entibus Physicis. Quarè compositio inter illa similitudinem debet habere, & proportionem cum cōpositione Physica.Minor verò probatur. Nihil minus habent actus humanitatis Christi respectu actuum voluntatis Diuinæ ipsius, à quibus diriguntur , quàm actus nostri respectu actuum eiusdem voluntatis Diuinæ,à quibus diriguntur,& imperantur: ergo sicut actus nostri liberi positiuè sunt actus cōpleti in genere moris, & in hoc genere non sunt vltra terminabiles per actus diuinitatis ; sic etiam actus humani Christi , vt humani sunt, positiuè ita sunt completi , & perfecti in genere moris , vt in hoc genere non sint vlterius determinabiles. 95

Confirmatur hæc ratio. Actus compositus ex actu 96
Diuini-

Digitized by Google

Diuinitatis, & humanitatis, vt compositus est, non continetur sub aliqua specie virtutis moralis: ergo vt sic non est vnus actus in genere moris. Consequentia est euidens, & antecedens probatur. Si sumamus actum compositum ex actu obedientiæ, quo Christus Patri obediuit vsq; ad mortem, & actu Diuinitatis dirigente, & imperante hunc actum, talis actus vt compositus ex his duobus actibus, Diuino, & humano, non est, vt sic actus obedientiæ, neq; alterius virtutis: ergo actus obedientię humanus in genere moris nõ est vltra terminabilis per actum Diuinitatis. Quare ex vtroq; vnus actus nõ fiet. Et propterea, quãdo ab aliquo actu libero nostræ voluntatis imperatur alter actus liber eiusdẽ voluntatis, vt imperari potest ab actu charitatis actus obediẽtię, vel cõtritionis, ex vtroq; actu nõ fit vnus actus moraliter, quia neq; vnus actus obedientiæ, neq; vnus actus charitatis, neq; alterius virtutis cõpositę, quia nulla datur talis virtus: ergo similiter erit in proposito.

97 Confirmatur secundò eadem ratio. Omnis actus essentialis Diuinæ voluntatis est communis Trinitati: ergo si actus Diuinæ voluntatis componit cum actu voluntatis humanæ vnam operationem in Christo, sine dubio actus, quo Pater, & Spiritus Sanctus gubernant actum voluntatis humanæ Christi, componit cũ illo vnum actum, qui non minus erit in genere moris vnus respectu Patris, ac respectu Filii, quia respectu vtriusq; eandem vnitatem habet, quod omninò est falsum. Confirmatur tertiò. Christus per suos actus, etiam vt meritorios, & Satisfactorios, honorabat Deum; sed per actum Diuinitatis neq; partialiter potest honorare Deũ: ergo actus Diuinitatis nequit etiã moraliter cõponere vnum actũ cũ actu humanitatis, qui, vt cõpositus, cedat in honorem Dei. Consequentia patet: quia honor semper est ab inferiori natura elicitus. Minor verò probatur: nam si Christus per actum Diuinitatis honoraret Deum, licèt partialiter, etiam Pater æternus per illum actum honoraret Deum, quia est vnus & idem: quod tamen concedere est absurdum, & Patri negare Diuinitatem.

98 Quartò confirmatur eadem ratio. Actus humanitatis Christi nullam accipiunt formalitatem moralitatis ab actibus Diuinæ voluntatis: ergo nullo modo neq; moraliter componunt vnum actum cum illis. Consequentia est euidens, & antecedẽs probatur. Primò, quia non recipiunt honestatem virtutis: etenim virtutes nostræ, & Christi sunt eiusdem speciei. Nostræ autem non recipiunt ab actu Diuinæ voluntatis hanc formalitatẽ tanquàm à forma. Secundò: quia non accipiunt formalitatem libertatis: actus enim humanitatis Christi non sunt meritorij, neq; Satisfactorij, prout liberi, respectu naturæ Diuinæ, sed respectu naturæ humanæ. Tertiò; quia nullam accipiunt relationem in finem supernaturalem, nam actus virtutum Theologicarum ex natura sua ordinantur in Deum, tanquàm in finem supernaturalem. Reliqui verò ab his ordinari, & imperari possunt. Quartò: quia ab his actibus non sumunt denominationem Diuini, nempe, quòd Diuini dicantur: quia licet non intelligantur componentes vnum actum cũ actu Diuinitatis, adhuc denominari possunt Diuini, ex eo quòd procedant à natura propria Diuinæ Personæ. Ergo nullam formalitatem in genere moris accipiũt, neq; possunt accipere actus humanitatis ab actibus Diuinitatis, atq; adeò nullam vnionem in genere moris habere possunt cum illis. Sextò. Ex hac sententia sequitur, Christum meruisse, & Satisfecisse per actus à Diuinitate elicitos æque perfectè, imò perfectiùs, quàm per actus elicitos ab humanitate: sicut per actum interiorẽ perfectiùs meremur, quàm per exteriorem. Ergo si Christus meruit per actum cõpositum ex actu elicito à Diuinitate, & ex actu elicito ab humanitate, proculdubiò æquè perfectè meruit, & Satisfecit per actus Diuinitatis, ac per actus humanitatis: quod non solùm aduersatur vniuersis Theologis, verùm etiam sine fidei præiuditio videtur affirmari non posse: ex hoc enim sequitur, naturam Diuinam non esse infinitæ perfectionis, siquidem per illam tãquàm per elicitiuum principium Christus apud Deum mereri potuit.

Ad fundamenta huius opinionis Respondere oportet. Ac primò Patrum testimonia parùm illi fauent. 99 Etenim operationes Deiuiriles Christi neq; sexta Synodus, neq; vllus Patrũ ita exposuit, vt huius sententiæ authores explicant; quorum expositio hæreticis Monothelitis, & Euthychyanis maximè fauet. Dionysius igitur locis citatis præcipuè loquitur de miraculosis Christi operationibus, quas exercebat ad extra, quibus aut visum cæcis restituit, aut sanitatẽ ægrotis. & has operationes Deiuiriles appellat, quia in illis erat aliquid humanum, nempe, ipse tactus, quo Christus manus super ægrotos imponens, febrim expellebat: Et aliquid Diuinũ, videlicet, virtus principalis expulsiua febris. Quòd si Dionysius ipsas operationes internas Christi Deiuiriles, & Theandricas appellauit (de quibus, vt dixi, sigillatim non egit) dicendum est, eas Deiuiriles à Dionysio vocari, quia erant à Deo homine, vel potiùs, vt erant Dei hominis Et ita Damascenus lib. 3. fidei cap. 19. ideò operationes humanitatis Christi Deiuiriles appellat, quod sint Dei humanati. Videatur sexta Synodus Actio. 1. 8. & 9. & Epistola Agathonis Papæ Actio. 4. ex quibus locis hæc expositio colligitur. Et D. Thomas infra q. 19. art. 1. Illud verò dictum Leonis Papæ, & Agapiti, quo hæretici Monothelitæ maximè se iactabantur, nempe, vtramq; naturam in Christo operarĩ cum alterius consortio, quæ propria sunt, nihil huic sententiæ fauet. Solùm enim hoc modo loquendi significat Leo, naturam humanam suas proprias operationes, & actiones elicere adiuuante Natura Diuina; & Naturam Diuinam se sola non operari miracula, sed medijs actionibus humanitatis, conferendo illis virtutem ad miracula exercenda. Sic D. Thomas q. 19. art. 1. & sexta Synodus loco citato. Vel propterea Leo, vtranq; naturam dixit in Christo operari cum alterius consortio, quæ propria sunt, quia propter coniunctionem vtriusque in eadem Persona, operationes humanitatis per communicationem idiomatum tribuũtur Diuinitati, & è contra operationes Diuinitatis humanitati attribuuntur: propterea enim dicimus, hominem esse Deum, & Deum esse hominem, Deum jejunare & pati, & illum hominem Christum creare, & prædestinare.

Ad Primum principium, ex quo hi authores suam 100 colligunt sententiam, Respondetur, potius esse pro nobis, quàm pro illis. Licet enim sit aliqua similitudo inter vnionem duarum naturarum in Christo in vna Persona, & inter vnionem animæ, & corporis in vna natura,

natura, tamen ex dissimilitudine harum Vnionũ, quòd vna sit in natura, & altera in Persona, potiùs esset oppositum colligendum; & nulla ratione fieri posse, vt operationes naturarum, quæ nullo modo vniuntur in ratione naturæ, efficiant vnam operationem, & ita subordinentur, sicut operationes animæ, & corporis.

101 Ad secundum principium Respondetur, nihil aduersarijs fauere, quia licèt Persona Filij speciali titulo teneatur per voluntatem Diuinam regere, & gubernare voluntatem creatam humanitatis sibi vnitæ: adhùc tamen nullum actum exercet Filius per voluntatem Diuinam, quem non exerceant Pater, & Spiritus Sãctus, tametsi illum non exerceant cum eo speciali titulo, quo à Filio, vt humanitati vnito exercetur. Quare impossibile est, vt actus Diuinæ voluntatis prout est Filij, componat cum actu voluntatis humanę vnum aliquẽ actum, quin etiam componat illum, secundùm quòd est Patris, & Spiritus Sancti; quod quidem aduersarij concedere non audebunt.

102 Ad Tertium principium Respõdetur, illud sanè posse esse verum in potentijs subordinatis, si illæ pertineãt ad vnam naturam, non verò in potentijs subordinatis spectantibus ad diuersas naturas completas, quarum quælibet sit Principium primum, & per se eius, in quo est, tametsi illæ plures naturæ ad eandem Personã pertineant. Quare diuersimodè mansit natura humana Christi subiecta, & subordinata naturæ Diuinæ, ac subijcitur corpus, & appetitus Animę rationali. Corpus enim, & appetitus pertinent ad eandem naturam completam, ad quam spectat Anima, & ideò possunt esse cũ Anima partialia Principia vnius operationis. At verò humanitas subijcitur quidem naturæ Diuinæ, sed non vt compars vnius essentiæ, & propterea vẽdicat sibi aliquam operationem, vt primum principium per se, & non secundùm accidens eius, in quo est. Quò fit, vt huiusmodi operatio in aliam naturam, tanquam in primum principium reduci non valeat, atq; adeò nec possit componere cum operation[e a]lterius naturæ vnam operationem.

103 Postremò ex his colligitur etiam falsitas quarti principij, quia licèt humanitas dicatur, & sit instrumentũ coniunctum Verbi, adhùc tamen, quia est natura completa, & integra in genere principij vitalis, est vltimum principium completum, vt *Quo,* suarum operationum; quod non conuenit corpori. Licèt enim respectu virtutis productiuæ actuum supernaturalium sit instrumentum, & Deus sit principalis causa eorum: at respectu productionis eorum, quod requiritur ad illorum vitalitatem, non est instrumentum, sed causa principalis. Præterea cùm humanitas dicitur instrumentũ coniunctum Verbi, potiùs dicitur instrumentum in ordine ad miracula, vt explicat D. Thomas infra q. 19. art. 1. quàm respectu suorum actuum vitalium, ad quos vel per potentias suas naturales, vel per infusas virtutes, & auxilia gratiæ sufficienter ordinatur Christi humanitas, non secùs ac ordinantur aliæ humanitates aliorum hominum. Exemplum verò actionis exterioris imperatæ, & interioris imperantis, non est ad rem, quia actio exterior nullam habet, neque habere potest rationem moralitatis, videlicèt, honestatis, & libertatis, aut bonitatis moralis, nisi quatenus imperatur ab actione interiori: & ideò est in potentia respectu illius, & componere potest moraliter cum illa vnam actionem. Ad exemplum, quo isti authores confirmant suam sententiam, Respondetur, quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam, quia natura humana potuit per se terminari à Personalitate Verbi, quia in eo genere non erat vltimò terminata. At verò, operatio voluntatis humanæ in genere moris est vltimò & perfectè terminata, & ideò non est ampliùs terminabilis per diuinitatis actionem.

Confutatur secunda Opinio. §. IX.

SECVNDA sententia Parag. 3. relata, si tãtùm assereret, Personalitatem infinitam Verbi esse radicem infiniti valoris, & dignitatis, quam ab ipsa operationes Christi participarent, vera quidem esset. Sed prout dicit, infinitam Personalitatem Verbi esse partem formalem Satisfactionis Christi, ita vt tota infinitas ipsius Personalitatis includatur in operatione Christi, vt Satisfactoria, sicut albedo includitur in ratione albi, est falsa. Gregorius autem Nazianzenus cùm asserit, humanum Christi velle esse deificatum, non docet hãc compositionem ex Deitate, & humano Christi velle, sed tantùm dicit, quòd illud esse ideò est Deificatum, quia propter communicationem Idiomatũ humanæ operationes possunt tribui Deo, & verè appellari operationes Dei. Et idem affirmat Damascenus, cùm inquit; humanas Christi operationes esse Deitate perfusas. Ambrosius verò, quamuis concedat, carnem Christi Diuinitate Sanctificari, inquantùm, scilicèt, per se est Vnita Diuinæ Personalitati Verbi, non concederet consequentiam; quia non est eadem ratio de Vnione Personalitatis Diuinæ cum carne, & cum operatione carnis. 104

Sed obijcitur. Christus, ut sacrificium propitiatorium pro nostris peccatis, includit tanquam partẽ formalem in ratione sacrificij propitiatorij, infinitã Verbi Personalitatem: ergo oblatio Christi, vt propitiatoria, includit etiam eandem Personalitatem infinitam Verbi. Patet cõsequentia, ex paritate rationis. Antecedẽs verò probatur. Non aliter sacrificiũ crucis fuit infinitũ ex parte rei oblatę, neq; aliter etiam Sacrificium missę dicitur infinitũ ratione rei oblatę. ergo Christus, prout sacrificiũ propitiatorium, verè includit tanquam partẽ formalem, integrantem Sacrificiũ in esse sacrificij, infinitã Verbi Personalitatem. Confirmatur: quia sanguis Christi, vt est pretiũ redemptionis nostrę infinitũ, essentialiter vt partẽ sui includit Personalitatem Verbi sibi vnitã, vt cõstat ex Clemente. 6. in extrauaganti, Vnigenitus, de pœnitentijs, & remissionibus, &c. Vbi sanguinẽ Christi propter Vnionem ad Verbum docet, locupletissimum pretium esse nostræ redemptionis. ergo, &c. 105

Ad argumentum negatur antecedens, quia licèt Christus, qui est sacrificium propitiatorium pro peccatis, verè, ac propriè, & formaliter includat Diuinam Personalitatem, ita vt præcisa hac formalitate, nequeat intelligi Christus, sed sola humanitas; non tamen vt sic includit Personalitatem Diuinam, tanquàm partem hostiæ sacrificatæ: sola enim idiomatum communicatione dicitur Persona Verbi Sacrificata, & oblata Deo. Quare sicut falsum est, Christum, prout mortuum pro nostris peccatis, includere Diuinam Personalitatem, ita 106

falsum est, Christum, vt sacrificium propitiatorium, includere Personalitatem Diuinam: tametsi qui est sacrificium illam includat. Ad probationem antecedentis Respondetur, dupliciter posse intelligi, sacrificium crucis, & altaris ex parte rei oblatæ esse infinitum. Primò, vt sit infinitum ratione illius rei, & materię, in qua immediatè, & proximè exercetur oblatio. Et hoc modo quæuis res, in qua oblatio exercetur, quæ est humanitas, prout vnita Verbo, infinitam quandam dignitatē extrinsecam habeat, nō tamen est rei simpliciter infinita. Secundò potest intelligi, sacrificium esse infinitum ratione eius rei, quæ denominatur oblata per communicationem Idiomatum. Et hoc modo sicut ipsa Persona Verbi denominatur oblata, & sacrificata Deo: sic etiam est verum dicere, Sacrificium crucis esse infinitum simpliciter ratione huius rei oblatæ, quæ simpliciter est infinita, siquidem est ipsa Persona Verbi.

107 Ad confirmationem eodem modo Respondetur: etenim sanguis Christi, qui est nostræ redemptionis pretium, includit quidem Personalitatē Verbi, vt est quoddam subsistens, vt Disputatione sequente constabit: at verò vt est pretium reduplicatiuè, solùm includit naturam sanguinis cum Vnione ad Verbum, à qua Vnione sanguis Christi Infinitam quandam accipit dignitatē, vt ait Clemens loco citato. Ratio autem à priori, propter quam dici non potest, sanguinem Christi, vt pretiū, neq; ipsum Christum, vt sacrificium, includere tanquā partem pretij, vel sacrificij Personalitatem Verbi, ea est, quia hoc dicit imperfectionem respectu Personæ Verbi. Etenim esse partem sacrificij essentialiter includit, quòd sit aliquid inferius Deo, hoc enim solū est, quod est capax oblationis: quia illud, quod in seipso offertur Deo, verè submittitur Deo, & in honorem illius conseeratur, ac proindè essentialiter includit esse quid creatū.

108 Vnde constat, quo pacto sit intelligendus D. Paulus, cùm inquit ad Ephes. 5. *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem, & hostiā Deo in odorem suauitatis.* Eodē enim modo intelligendus est, ac cùm dixit ad Philip. 2.: *Humiliauit semetipsum Dominus Iesus Christus factus obediens vsque ad mortem, &c.* Quemadmodum enim se tantum humiliauit secundùm humanitatem, & propter communicationem Idiomatum hæc humiliatio Personæ Verbi attribuitur, quamuis ipsa in se non fuerit humiliata: sic etiam & oblatio, qua Christus dicitur se obtulisse Deo, intelligenda est secundùm humanitatē. Quæ tamen oblatio propter communicationem Idiomatū prædicari potest de Persona Verbi sustentante humanitatem. Nec aliter intelligendus est Paulus, cùm ait loco citato, Christum semetipsum exinaniuisse. Id enim in Diuinitatem, aut Personalitatem Diuinam referri non potest, quasi in illis aliqua exinanitio fuerit exercita, quia nihil perfectionis, bonitatis, & Magestatis detractum est Diuinitati, aut Personæ Diuinæ propter Vnionem cum natura humana; sed solùm intelligendū est secundùm humanitatem, secundùm quam, *Christus pro nobis egenus factus est,* Vt idem Paulus ait. 2. ad Corint. 8. exinanire enim aliquem, Iuxta modum loquendi vsitatum Scripturæ, idem significat, quod bonis euacuare, & egenum, ac pauperem reddere; vt colligitur ex cap. 13. Ecclesiastici num. 6 & 8.

109 Præterea. Tertia sententia rectè reijcitur à Magistro Suarez Disp. 4. Sectio. 4. quia falsò nititur principio: etenim Personalitas Verbi non est actiua, cùm tantùm sit terminus naturæ constituens Suppositum, quod est principium per se operationum, tanquàm id, quod operatur. Formale autem principium, *Quo,* est natura per se, aut per suas potentias. Personalitas verò est conditio per se necessaria ex parte operantis, vt sit, & operari possit: non tamen est principium per se, & proximum operationum; ita vt ipsa sit proxima ratio agendi, vel totalis, aut partialis. Item quia in Deo non est alia potentia productiua præter essentialem, & communem toti Trinitati.

Refutatur Quarta Opinio. §. X.

QVARTA sententia eodem Paragrapho. 5. proposita, quam sequitur M. Vincentius, videtur falsa quoad omnes eius assertiones. Ac primò quidem est omninò falsum, operationes non sumere dignitatem, & valorem à Persona operante, vt operans est. Primò, quia certum est apud omnes, beneficium magnam sumere dignitatem, & æstimationem à Persona illud conferente, vt conferens est; ad quod nō requiritur illa reflexio beneficij supra benefactorem. Confirmatur: quia Verbum honorificum dictum à Rege pluris fit secundùm prudentem æstimationem hominum, quàm si à Persona priuata diceretur. Rex autem alterum laudans, nequaquam se illi subijcit; nam beneficentia non est actus inferioris. Præterea. Præceptum dimanans à superiori supremo, pluris æstimatur, quàm si dimanaret à superiori infimo: cùm autem superior præcipit, non se subijcit, & humiliat ijs, quibus præcipit. Ergo operationes humanæ accipiunt dignitatem, & æstimationem moralem à principio operante, à quo dimanant, vt illud operans est. 110

Secundò. Operationes Christi, si solùm intelligantur dimanare à Persona Diuina, & infinita, eo ipso vt sic intelligentur, vt operationes Diuinæ: ergo vt sic sunt maioris æstimationis, & valoris, quàm omnes aliæ operationes humanæ, quæ vt sic non sunt Deiuiriles, & Theandricæ. Ergo operationes Christi dignitatem, & valorem sumunt ab ipso, vt operans est. Consequentiā probatur, quia cùm volumus alicuius operationis dignitatē extollere, eam appellamus, *Diuinam:* ergo hæc denominatio, *Diuina,* magnā illi confert dignitatem, & valorem. Confirmatur Primò hæc ratio. Si Deus, vt potest, assumeret naturam agni, aut ouis, operationes illius agni essent maioris æstimationis, quàm operationes aliorum: ergo solùm sumerent dignitatem ab illo Supposito, vt operans est: per illas enim operationes nec subderetur, nec humiliaretur agnus Deo. Confirmatur secundò: quia secundùm hanc sententiam actus exteriores Christi potentiarum vitalium, vel non vitalium, loquendi, deambulandi, &c. Præcisè ab actibus internis, quibus referebantur in Deum, non essent maioris æstimationis, quàm actus nostri: quod tamē est incredibile: nā locutio Christi, tametsi in esse vitalis nō consideretur, sed in esse naturæ, adhùc tamen prout est locutio Dei, est digna magnę reuerentię & tamē per illā locutionē præcisè ab actu interiori Persona Diuina non subditur Deo. 111

Secūdò in hac sententia Vincentij illud maximè displicet, quod asserit, operationes Christi esse infinitæ dignitatis, 112

dignitatis, & valoris, quia non in sola eius humanitate humilianda, & submittenda Deo sistebant, sed ad ipsum humanitatis Suppositum, nempe, Diuinum Verbũ humiliandum transibant. Hoc tamen videtur improbabile, quia licèt sit de fide, Christum seipsum humiliasse, & subdidisse Deo, vt constat ex Paulo ad Philip. 2. hæc tamen humiliatio, & subiectio dici, & prædicari non potest de Diuina Verbi Persona, nisi solùm per cõmunicationem idiomatum. Et probatur: quia non aliter potest dici Persona Verbi humiliata, quã mortua, sed non dicitur mortua, quia mors aliquo modo transierit in Personam Verbi, sed solùm stetit in humanitate: ergo neq; potest dici humiliata, quia humiliatio in ipsam Verbi Personam transierit, & in humanitate nõ steterit. Maior probatur, quia Persona Verbi nõ magis est capax humiliationis, quàm mortis: ergo non aliter potest dici humiliata, quàm mortua. Antecedens probatur: quia Persona Verbi, etiam si consideretur sustentans humanitatem, est æqualis Patri, imò essentialiter est Deus, etiam ex vi suæ processionis, vt sic, nam est Filius: ergo est incapax humiliationis, quæ in humanitate nõ sistat, sed vlteriùs ad Personã Verbi progrediatur:

113 Confirmatur hæc ratio. Quidquid conuenit Christo, vt inferiori Deo, non conuenit illi, nisi secundùm humanitatem, neq; potest dici de Persona ipsius, nisi per communicationem idiomatum: sed humiliari, & subijci Deo, conueniunt Christo, vt inferiori, vt ipsemet Vincentius fatetur pag. 228. Parag. hinc sequitur: ergo non conueniunt Personæ Diuinæ, nisi per communicationem Idiomatum. Ergo sicut ad Personam non transiuit mors, sic etiam neq; humiliatio. Confirmatur secundò. Subiectio obedientię solùm potest dici de Persona Diuina Verbi per communicationem Idiomatum, sed Christus ea ratione dicitur à Paulo, quòd se humiliauerit Deo; quatenùs factus est obediens vsq; ad mortẽ: ergo ea ratione solùm potest dici humiliatus, & subditus Deo, qua dicitur obediens. Sed secũdùm quòd est Persona Diuina nõ dicitur obediens nisi per denominationem ab humanitate: ergo neq; etiã dicitur subiectus, & humiliatus Deo, vt Persona Diuina, nisi per denominationem ab humanitate, quæ subiecta, & humiliata sit Deo. Confirmatur tertiò. Eodẽ modo dicitur Christus se humiliasse, quo dicitur se exinaniuisse, sed exinanitio non transiuit ad Personam Verbi, sed solùm mãsit in humanitate, & per communicationem Idiomatum tributa est Diuinæ Personæ: ergo idem de humiliatione dicendum est.

114 Postremò. Quod docet hæc sententia, nempe, Satisfactionem Christi, propterea esse infinitam, quia includit veluti partem intrinsecam sui, ipsam Personalitatẽ infinitam Verbi, est etiam falsum; aliàs enim tanta esset infinitas Satisfactionis Christi, quanta est infinitas Verbi: siquidem Satisfactio totam illam includit tanquam partem intrinsecam. Quarè sicut Verbũ est simpliciter infinitum in tota latitudine entis: sic etiam Satisfactio Christi. Atq; adeò Sequeretur incomoda, quę infert Scotus contra infinitatem Satisfactionis. Secundo: quia Satisfactio secundùm suam totam formalitatem est actus elicitus à volontate creata Christi, qui solùm per actus suæ humanitatis Satisfecit: ergo non includit tanquam partem intrinsecam, Personalitatem Verbi. Sic enim falsum esset asserere, totam Christi Satisfactionem esse actum elicitum à volontate: esset enim composita ex Personalitate Verbi, & actu elicito ab humanitate, quod quidem compositum, vt compositum est, non est actus voluntatis, neque residet in voluntate.

Dices pro Vincentio, non esse accipiendum in rigore nomen partis intrinsecæ, vt insinuare videtur ipse Vincentius pag. 339. Asserens eò solùm infinitam Personæ Dignitatem includi intrinsecè, & dici partem Satisfactionis intrinsecam, quia est materia circa quam, ipsa operatio Christi reflectitur, ipsam humiliando, & submittendo Deo. Contra hoc est, quia hac ratione solùm se habet Persona Verbi, vt obiectum, circa quod versatur Satisfactio, vel potiùs vt subiectum denominationis Satisfactionis ipsius: ergo vt sic non propriè dicitur pars Satisfactionis, præsertim intrinseca: nam quòd Metaphoricè dicatur pars, vt est aliquo modo terminus Satisfactionis, parùm refert ad infinitatem Satisfactionis explicandam, nisi aliquid aliud addatur. Sic enim Christus dici posset pars oblationis, qua Beatissima Virgo, & Simeon illum Deo Patri obtulerunt in templo: & tamen vt sic eorum oblatio in genere actus, & operationis, non erat simpliciter infinitæ dignitatis, vt Disputatione sequente constabit. 115

Ad fundamentum Vincentij Respondetur, actũ elicitum à Persona digniori, non esse maioris dignitatis, & valoris, nisi habeat aliquã cõiunctionem per se, vel Physicam, vel in genere moris cum ipsa Persona digniore, vt digniore. Et propterea actus comedendi caponem in milite, & in duce, non est maioris, vel minoris dignitatis. Et propterea etiam actus existentis in gratia, præsertim exteriores, & actus etiam naturales interiores, nisi aliquo modo procedant à Persona grata, vt grata, & habeant aliquam coniunctionem per se cum illa, vt grata est, non sunt maioris dignitatis, & valoris in Persona grata, quàm in Persona non grata: Neq; crescunt in dignitate pro augmento gratiæ. At verò omnes actus Christi, vt ab illo egrediuntur, per se habent coniunctionem cum illo, vt est Suppositum infinitũ sustẽtans humanitatẽ, qua mediante fiunt operationes: quia omnes actus naturæ per se tribuuntur Supposito, quia actiones sunt Suppositorũ. Et ideò omnes actus Christi, etiam exteriores, & actus potentiæ motiuæ, aut nutritiuæ, quamuis non intelligantur subordinari actibus interioribus, sunt maioris dignitatis in Christo, quàm in nobis: sunt enim operationes Diuinæ, & per consequens infiniti valoris. 116

Confutatio aliarum Opinionum. §. XI.

PRæterea ex dictis colligitur, falsam esse illã sententiam, quæ asserit, infinitam dignitatem, & valorem Satisfactorium, ac meritorium operationum Christi desumi per habitudinem rationis ad æstimationem Dei, sicut in pecunia valor non attenditur ex materia, sed ex signaculo regis dicente respectum rationis ad æstimationem, & voluntatem regis. Hæc, inquã, sentẽtia est falsa, quia talis valor est perfectio operationũ: ergo est ens reale. Antecedens probatur; quia maxima perfectio, & dignitas est in actionibus Christi, quòd valeant ad Satisfaciendum, & redimendum. Et ideò Innocentius Tertius in hoc maximè cõmẽdauit, quæ erant Christi, cùm dixit, vnam guttam sanguinis 117

Digitized by Google

fuisse sufficientissimã ad redemptionem totius mundi. Ex quo sumitur hæc ratio. Quod sufficit ad actum realem, est ens reale, sed redimere, & Satisfacere sunt actus reales: ergo virtus ad redimendum, & Satisfaciendum est realis. Patet consequentia, nam virtus, aut vis ad actum realem nequit esse aliquid fictum, aut per intellectum fabricatũ. Tunc vltra. Sed operationes Christi habuerunt virtute ad redimendum, & cõpensandũ: ergo hæc virtus est entitas realis; & hæc est formaliter valor Satisfactorius, seu meritorius. Item operatio Christi ex sua intrinseca ratione indiuiduali est digna æstimationis infinitæ, vt cõtraria sentẽtia cõcedit: ergo infinitas valoris, & dignitatis moralis est ens reale: cùm sit ipsa passiua æstimabilitas, & appretiatio operationis. Dices, quòd sicut Dominiũ in Deo est perfectio, & similiter creare; & tamẽ de formali important aliquid rationis: ita in proposito nullũ est inconueniens, quòd valor sit actionũ perfectio, & similiter quòd actiones sint Satisfactoriæ, & meritoriæ, & nihilominùs valor, & Satisfactio formaliter dicãt respectũ rationis. Cæterùm hæc Solutio est insufficies, quia nõ dicitur Deus propter, & per respectũ rationis habere perfectione Dominij, aut virtute illius respectus creare, & producere omnia. At verò in præsenti operationes Christi dicuntur meritoriæ, & Satisfactoriæ ratione valoris, & dignitatis. Neq; exemplum de nummo adductum aliquid probat, quia nummus solùm continet valorem regis tanquam signum. At nullus catholicus dicet, actiones Christi solùm valere, quia sunt signa valoris Christi.

118 Rursus. Illa sententia, quæ docet, Satisfactionẽ Christi constitui formaliter infinitam per quandam entitatem Physicam, est similiter falsa, quia implicat dari aliquã entitatem Physicã infinitam simpliciter in aliquo genere productã à Deo: ergo neq; in Satisfactione Christi reperitur entitas Physica infinita in genere Satisfactionis. Antecedens probatur: nam data tali entitate infinita Diuina potentia maneret exhausta in ordine ad illud genus, quia aliquid maius, aut melius in tali genere facere nequiret. Et non est admittendum, quòd Dei potentia exhauriatur.

119 Insuper. Illa sententia, quæ affirmat, huiusmodi dignitatem, & valorem infinitum, esse moralem, & realem entitatem, deriuatam ex infinita dignitate Personæ operãtis ad operationem, est vera: nam quidquid habet actio Christi in ordine ad Satisfactionẽ & meritũ, est morale: ergo infinitas valoris & dignitatis similiter est moralis. Et ideò tã valor, quàm eius infinitas explicantur per terminos significãtes moralitatẽ, nempe, quòd actiones Christi sint cõdignæ, & infinitæ de rigore Iustitiæ, quòd sint pretiũ redemptionis, & alia id genus: quę omnia moralitatẽ importãt. Quod verò asserit hęc sententia, nẽpe, hũc valorẽ, & dignitatẽ infinitã esse quoddam accidens Personale, quo immediatè referũtur operationes Christi ad Personã Diuinã: nõ rectè intelligitur; quia non explicat, in quo cõsistat essentia, & quidditas huius accidentis Personalis. Si enim vult, istũ realẽ respectum esse distinctum ab eo, quem suprà assignauimus, per quẽ operationes Christi realiter dicãtur propriæ Verbi Diuini, impertinens videtur tale accidens, quia eo præciso, sicut actiones Christi per respectum à nobis assignatũ intelliguntur, vt propriæ operationes Diuinæ Personæ, sic etiam intelligẽtur, etiã eo pręciso, dignæ infinita æstimatione. Quod autem affirmat hęc sententia, huiusmodi accidens non pertinere ad indiuiduationem operũ Christi, vt quidam arbitrãtur, asserentes, operationes nõ solùm indiuiduari per respectum ad talem numero naturam, sed etiam per respectũ ad tale numero suppositum, verũ mihi videtur, quia aliàs Dæmones non comprehenderent, nec perfectè penetrarẽt actiones etiã naturales humanitatis Christi: quod quidem est falsum, & contra communem Theologorum sententiam, qui docent, Dæmonem comprehendere humanitatem Christi, quantò magis eius operationes.

Ex dictis sequitur Primò: infinitatem moralem non esse extrinsecam, aut per accidens conuenientem operationi Christi, sicut pariti extrinsecè conuenit videri, & corpori locari. Ratio huius est: quia si talis infinitas moralis solum importat denominationem extrinsecam cõuenientem operationi ex cõiunctione ad Verbũ, vel illa denominatio est relatio rationis ex parte ipsius operationis, quod aduersarij negant, vel est realis denominatio, & sic operationi Christi cõpetere nõ potest, nisi peculiarem modũ, & habitudinem ad extrinsecum habeat. Etenim actio, quãuis nõ sit in agente, non tamẽ denominat realiter, nisi agens fuerit aliter se habens, & habitudinẽ realẽ ad effectũ habuerit. Similiter corpus non dicitur locatum, nisi propter realem habitudinem ipsius ad locum: ergo si operatio Christi realiter denominatur Satisfactoria, licèt talis denominatio sit ab extrinseco, supponit tamen aliquid reale in operatione, ratione cuius conueniat. Item, quia hic valor non est separabilis ab operatione Christi: ergo est aliquid reale intrinsecum. 120

Sequitur Secundò, falsò asseruisse M. Medinam in præsenti articulo, hunc infinitum valorem in Christi operationibus nihil dicere præter ipsas operationes, quatenùs à Diuino Supposito dirigũtur, sicut in motu brachij artificioso, cùm pictor imaginem depingit, nõ est necessarium aliquid fluere ab intellectu artificis in brachiũ, sed sufficit dirigi ab intellectu pictoris. Hæc, inquã, sententia non apparet vera, quia iam ostensum est, illum infinitum valorem esse formalitatem realem moralem ex dignitate suppositi operantis desumptam, quæ licèt ab ipsa operationis substantia non distinguatur realiter tanquàm res à re, distinguitur tamen formaliter, siue ex natura rei: ac proindè licèt Suppositum in ipsam operationem nihil Physicum immediatè influat, aliquid tamen morale influere debet: aliàs operatio Christi non esset infiniti valoris, si ab humanitate duntaxat procederet, Diuina Persona nihil influente in talem operationem. Quod ex eo manifestum est, quia denominatio resultans ex eo, quòd humanitas à Supposito sustentetur, non est sufficiens ad conferendum operationi elicitæ ab humanitate infinitum valorem. Etenim valor moralis ex eo resultat, quòd Suppositum alteri se subijcit interuentu operationis, quæ est illius Personalis submissionis quasi expressio, & significatio. Et indè habet opus totam Personæ dignitatem, nulla alia proportione seruata: ac proinde nõ sufficit ad hoc sola humanitatis operatio, nisi pariter sit aliquis ipsius Suppositi influxus. Imò verò si Persona operans non afficiat operationem, & in eã moraliter influat, videlicet, æstimabilitatem, & appretiationem 121

secundùm

Digitized by Google

secundum prudentem rationem, vt dictum est conclus. 3 Paragrapho. 6. num. 79. non resultabit valor moralis. Sed quia Persona per se ipsam quodammodò suam operationem moraliter informat, & in eam moraliter influit prædictã æstimabilitatẽ, ideò operatio totã Personæ dignitatem participat. Cùm enim mediante natura intimè vniatur operanti, sicut secum fert dignitatem Personæ: sic etiam participat totũ, quod ex dignitate Personæ participare potest. Et ob id operatio elicita à Persona Diuina dicitur Theandrica, & Diuina; & similiter operatio facta ab Angelo, dicitur Angelica. Et quãuis talis operatio Physicè sit finita, & limitata, habet tamẽ moraliter tantã dignitatem, sicut Persona: quæ semper operari censetur secundùm totã dignitatẽ, quam habet. Et propterea cõmunicat actioni omnem valorẽ, quẽ habet in ratione principij, aut Personę moraliter operantis, tametsi nõ omni modo, quo illi cõueniebat, aut quo poterat cõmunicare. Quo fit, vt dignitas, & valor, qui à Diuina Persona in suã operationem transfunditur, sit in suo genere simpliciter infinitus, siquidem ipsa Persona est simpliciter infinita. Superest modò diluere argumenta Primæ, & secundæ opinionis, quæ Paragrapho. 1. & 2. proposita sunt.

Soluuntur Argumenta Primæ Opinionis. §. XII.

122 AD Primũ igitur argumentũ cõcesso antecedẽti, distinguitur consequens. Si enim valor actionũ Christi cõsideretur in ratione entis, est aliquid finitũ ex sua natura. Si verò in ratione valoris, habet infinitatẽ. Et hæc infinitas, nẽpe, æstimabilitas, cõuenit actionibus ex natura rei, hoc est, seclusa acceptatione Dei extrinseca. Ad probationẽ cõsequentis, concesso, valorẽ, qui ex natura rei cõuenit actionibus Christi, secũdùm vltimũ sui, esse ens reale, negatur, in genere valoris esse aliquid finitũ, quia alia est ratio valoris, & alia entis secũdùm nostrũ modũ cognoscendi, à diuersisq; principijs desumuntur: nã ratio entis sumitur ab entitate, & actualitate; ratio autẽ valoris ex bonitate, & ex dignitate, aut cõformitate. Quarè sicut in naturalibus nõ valet, Pater generat filiũ vt sic, sed filius formaliter, & secundùm vltimũ sui est ens: ergo generat illũ, quatenùs est ens. Item nõ valet: Linea est infinita in ratione lineæ (si secundùm longitudinem nõ habeat terminos) & in ratione lineæ est quantitas, & ens: ergo est infinita in ratione entis: Ita in præsenti nõ valet. Est infinitũ in genere valoris: ergo est infinitũ in genere entis. Neq; etiã valet: Est finitũ in genere entis: ergo est finitum in ratione valoris. Etenim infinitũ in ratione entis est infinitũ simpliciter, & omnibus modis. Et sic solus Deus est infinitus in genere entis, quia continet omnem rationẽ entis excogitabilem. Infinitũ verò in genere valoris est infinitum secũdùm quid, hoc est, in vno particulari genere. Vnde Argumentari ab infinitate valoris ad infinitatẽ entis, est argumentari à dicto secũdùm quid ad dictum simpliciter.

123 Sed replicatur. Rectè sequitur. Est valor naturalis infinitus; ergo est entitas, & actualitas infinita. Patet consequentia, quia repugnat, valorem naturalem, & Physicum, qui naturam rei, & Physicam eius perfectionem sequitur, augeri in infinitum, quin & actualitas rei sit etiam infinita; ergo ex infinitate valoris moralis potest etiã deduci infinitas entitatis. Respõdetur, esse disparem rationẽ, quia valor Physicus, & naturalis verò; vt V. G. valor lapidis, aut argenti, vel hominis, aut Angeli, sumitur ex bonitate, & actualitate, etiam Physica; ac proindè quantùm crescit valor, crescit etiam entitas, & actualitas, ita sanè vt non sit valor infinitus, nisi supponatur infinita entitas, actualitas, & bonitas. At verò moralis valor desumitur ex pluribus principijs, intrinsecis, & extrinsecis, quæ possunt variari, crescere, aut minui sine eo quòd varietur entitas actus, & valoris: ac propterea non benè infertur ex infinitate valoris infinitas entitatis.

Sed adhuc instatur. Valor moralis etiã est actualitas 124
actionis, & realis eius perfectio: ergo si crescit valor, crescit etiam actualitas, & entitas. Respondetur, valorẽ moralem esse quasi modum quendam ipsius actionis, & habere se vt mediũ inter purè absolutum, & relatiuum, & cũ vtroq; conuenire, & ab vtroq; differre. Etenim cũ absolutis cõuenit in hoc, quòd est perfectio modificãs, & qualificat, & dignificat actũ. Cum relatiuis verò in hoc cõuenit, quòd ab extrinseco potest desumi, & consistit in habitudine, & respectu, & crescit, aut minuitur absq; mutatione entitatiua ipsius actus. Vndè licet vt conuenit cũ absolutis, maiorem entitatẽ ex maiori, aut meliori actualitate inferre videatur, quia tamẽ desumitur ab extrinseco, non sequitur necessariò, quòd ratio entis crescat, tametsi actualitas moralis augeatur.

Ad primam confirmationem Respondetur, istũ va- 125
lorem esse proprietatem moralem, & non Physicam, sicut potentia, aut passio rei, & ita nõ sequitur in omni ratione esse finitum, sicut & illud, cuius est proprietas: præsertim, quòd est proprietas bonitatis moralis, nam valor immediatè conuenit actibus Christi ratione bonitatis moralis, quæ similiter est infinita.

Ad secundam confirmationem Respondetur, quòd 126
sicut actiones Christi specificè erãt finitæ, ita & valor, ac bonitas illarũ specifica, erat finita: nã hæc in genere moris sumuntur ab obiecto, & cõformitate finita, qua ratione valor vnius actionis nec formaliter, nec eminenter continebat valorem alterius. Cum hoc tamẽ rectè stat, vt in indiuiduo, & singulari crescat in infinitum, quia valor sumitur ab infinita dignitate Personæ Christi. Eodem modo dicitur gratia Christi in singulari, & in indiuiduo infinita, esto secundũ speciẽ, & vt cõueniebat cũ nostra gratia, esset finita. Et sicut in Physicis si daretur linea infinita, esset quidẽ finita secũdùm speciem, infinitá verò numericè: ita in proposito. Et iuxta istã cõsiderationẽ valor cuiuslibet actionis Christi formaliter, vel eminenter cõtinebat, quidquid valoris erat in alijs actibus, & omnem sui generis perfectionem.

Ad tertiam confirmationẽ Respõdetur, actiones mo 127
rales Christi, si considerentur secundùm rationem specificam, quatenùs inter se distinguuntur specie, vt ieiunium Christi, & oratio, &c. esse inęquales, & vnũ actũ esse altero præstantiorem. Si verò perpendantur, quatenùs ab infinita Persona Verbi participant infinitã dignitatem, & valorẽ, sic quælibet actio habet formaliter vel eminenter, quod omnes simul neq; vna aliam excedit, neq; omnes simul alteram superant. Vndè omnes effectus, quos vniuersæ actiones simul sumptæ producere possunt in ratione Satisfactionis, aut meriti: potest etiam producere quælibet actio seorsum sumpta. Et propterea ratio Satisfactionis, & quantitas meriti

non est desumenda ex ratione specifica, sed ex dignitate, & perfectione, quam habent tales actiones, siue illa fuerit specifica, siue indiuidua. Dicuntur autem actiones Christi in passione compleri, & consummari, quia ibi finitus est totus actionum Christi decursus, & quia ex Dei præordinatione ita fuerat statutum, vt redemptio in morte efficaciter consummaretur; quæ præordinatio non diminuit valorem primi actus. Vnde in priori actu, & ex vi illius potuit Deus redemptionem efficere, sicut in morte: sed quia voluit plura, & difficiliora opera vsq; ad mortem adijcere, ideò redemptio dicitur copiosa, & superabundans in morte. Et licèt concedatur, plus valere totum Christum, quàm actionẽ Christi, non tamen sequitur, actionem nõ esse infiniti valoris, quia non habet omnem rationem valoris absolutè, sed in certo, & determinato genere, nempe, in ratione Satisfactionis, in quo genere nulla actio potest dari perfectior: tametsi Christus in alio genere, scilicet, in ratione Personæ plus valeat. Cæterùm loquendo formaliùs, & exactiùs, nunquàm Christus dicitur plus, nec minùs sua actione valere, quia comparatio debet fieri in rebus eiusdem generis, & Christus non est in genere actionis, neq; actio moralis perpenditur in genere rei, & entis. Et idem dicendum est de gratia, si comparetur cũ actionibus. Itaq; Satisfactio Christi dicitur infinita simpliciter, non quia contineat omnem rationem valoris, etiam in esse entis, sic enim maioris valoris est Dei bonitas, & magestas: neq; etiam quia omnem infinitatem valoris moralis contineat, cùm sic non habeat rationem formalem meriti, nã alia est ratio meriti, & alia Satisfactionis; sed dicitur infinita in genere Satisfactiònis, quia nulla maior, neque perfectior, neq; æquiualentior fieri, aut excogitari potest.

128 An verò bonitas moralis in omnibus actionibus Christi sit vna, & similiter sit vnus, & simplex valor, An potiùs multiplicetur secundùm esse specificum, & numericum, ita vt valor specificus sit finitus, numericus autem infinitus, non constat inter doctores. Quorum opinionibus relictis, quod mihi probabilius videtur, est, bonitatem moralem, siue in Christi actionibus, siue in nostris, non esse vnam: quia bonitas specifica desumitur ex perfectione essentiali, bonitas autem actionũ singularis, & indiuidua consurgit quasi ex congerie proprietatum accidentalium, & circunstantiarum. Sicut dici solet de bonitate transcendentali, nempe, aliam esse secundùm quid, quæ in principijs essentialibus, & in substantia rei posita est: aliam verò, in qua ratio boni perfecta completur, & hęc resultat ex proprietatibus accidentarijs plenè perficientibus. Quò fit, vt nihil dicatur simpliciter bonum, & perfectum, donec suis accidentibus intelligatur ornatum. Ad eundem modum in Christo est bonitas moralis essentialis, quam seruarent actiones, tametsi humanitas Christi à Verbo separaretur. & est bonitas singularis, & dignitas infinita, quæ ab indiuiduis principijs, nempè, à Persona Verbi dimanat: quæ in infinitum superat bonitatem essentialem, & specificam: Nec potest crescere, aut augeri, sicut bonitas specifica actionum, quæ est diuersa in diuersis, & variè accrescens. Et vtraq; bonitas est realis, & Physicè inhærens, quia nullum est inconueniens, quòd sit bonitas moralis, & habeat Physicam entitatem, realiter inhærentẽ. Et proportionabiliter dicendũ est de valore.

Ad secundum Argumentũ principale Respondetur 129
primò, concesso antecedenti negando consequentiam. Et ad probationem dicitur, quod licèt valor Satisfactionis, aut meriti reperiri nequeat in opere, quod non est bonum moraliter; tamen nõ est ipsa moralis bonitas actionis: vt patet in contritione, quæ vt gratiã antecedit, habet bonitatem moralem suæ speciei, & tamen secũdùm probabilem quorundã sententiam, nõ habet valorem meriti: neque in gradu, aut quantitate cõmensuratur bonitati morali, ita vt nequeat esse maior, quã ipsa bonitas, quia ratione dignitatis Personę, à qua procedit Satisfactio, potest crescere magis valor Satisfactorius, quàm bonitas moralis. Sed obijcitur. Valor Satisfactionis, aut meriti est dignitas, & perfectio actionis, ac proindè bonitas: sed nõ est naturalis, & Physica; ergo est moralis, & ex cõsequenti malè distinguitur valor iste à bonitate morali. Respõdetur, istum valorem vel absolutè nõ esse bonitatẽ moralẽ, vel si dicatur latè bonitas moralis, quatenùs est dignitas moralis, distingui à bonitate morali propriè sumpta, & de qua dici solet, cõsistere in ordine intrinseco ad obiectũ. Sed dices, in hac Solutione supponi, bonitatẽ moralẽ, quę formaliter est valor Satisfactionis, nõ consistere in ordine ad obiectũ, quod tamen videtur falsum: quia circũstantia Personæ operantis nõ dat actui bonitatem, aut malitiam moralem, nisi quatenùs aliquo modo pertinet ad obiectum. Respondetur, id esse intelligendum de bonitate morali propriè sumpta, & non latè, nempe, pro valore Satisfactionis, aut meriti.

Secũdò Respõdetur negãdo antecedens: sed dicendũ 130
ast, bonitatem moralem actionũ Christi esse infinitam in suo genere. Et ratio est, quia bonitas moralis nõ solùm desumitur ex cõformitate ad legem, vel ad rationẽ, & ex obiecto, sed etiã ex circũstãtijs, ita vt actus, qui perfectioribus circũstantijs fuerit ornatus, cæteris paribus sit melior, & maiorẽ habeat bonitatẽ. Inter circũstantias autẽ, quæ in bonis, & in malis actibus cõsiderãtur, potissima est circũstãtia Personæ, & eius dignitas. Quare bonitas moralis ex dignitate Personæ desumi debet. Atq; adeò ex Persona infinitè digna, qualis est Christi Domini, resultabit infinita bonitas in actionẽ. Si autẽ ex infinitate Personæ nõ resultet infinitas bonitatis moralis, quæ attenditur ex Persona, neque etiã sequetur infinitas valoris. Dices: bonitatem, quæ sequitur ex dignitate Personæ, esse extrinsecam. Sed contra: quia eâdem ratione dicendum erit, valorem ex dignitate Personæ prouenientem esse extrinsecum, & ex cõsequenti esse extrinsecam infinitatem valoris actionum Christi: quod nullo modo affirmandum est, quia ille ordo, & respectus transcendentalis ad Personam, à qua prouenit infinitus valor operationum Christi, est intrinsecus, & essentialis. Postremò. Bonitas singularis actus non solùm sumitur ex obiecto, & ex his, quę pertinent ad speciem, sed ex singularibus, & indiuiduis cõditionibus, & circunstantijs: ergo bonitas indiuidua actionum Christi est infinita, sicut & valor moralis. Ad Argumentum ergo Respondetur, valorem esse proprietatem bonitatis moralis ad modum expositum, & esse infinitum ex infinita bonitate morali, quæ ex infinita dignitate Personæ desumitur. Et quamuis obiectum alicuius actionis Christi esset finitũ, & hac ratione valor futurus esset finitus, cõsideratus verò, vt est à Persona

infinitæ

Digitized by Google

infinitæ dignitatis, est similiter infinitus. Hæc solutio præstat priori.

131 Ad tertium argumentum cōceditur sequella, si consequens intelligatur de valore maiori intensiuè, & non extensiuè. Etenim actiones Christi in libertate, bonitate essentiali, intensione, & deniq; in omnibus intrinsecis perfectionibus erant inæquales, quia bonitas intrinseca, & essentialis erat finita, & poterat esse maior, & minor, & vnum opus Christi erat melioris obiecti, quàm aliud, & vnum altero intensius. Cæterùm in ratione Satisfactionis, & meriti erant æquales, quia omnes eundem met valorem infinitum à Diuina Persona participabant; solùmq; differebant materialiter. Itaq; cùm Persona Verbi, à qua valor desumebatur, sit in omni genere infinita, cōtinet eminēter reliqua omnia bona, & ideo confert actui, quidquid valoris omnes aliæ circunstantiæ tribuere possunt. Vndè totum illud, quod erat in opere Christi ex parte ipsius actus, habet se quasi materialiter. Persona verò est quasi forma conferens valorem, quæ omnes illos actus æqualiter informat, ac proindè omnibus tribuit infinitū, & æqualem valorem, qui formaliter est vnus, & idem, materialiter verò est diuersus.

132 Dices. Actus Christi ex obiecto, aut circunstantijs melior, præter valorem sibi communem cum reliquis actibus minùs perfectis, ex dignitate suppositi prouenientem, continebat alium valorem, respondentem intrinsecæ eius perfectioni, & maiori bonitati: ergo erat maioris valoris, & per consequens magis meritorius, & Satisfactorius. Respondetur, hunc secundum valorem actus perfectioris Christi, eminenter contineri in illo primo valore infinito simpliciter, sumpto ex Supposito. Et ideò actus ratione illius non erat maioris valoris, nec magis meritorius: quemadmodùm licèt vniuersum præter perfectionem infinitam Dei cōtineat perfectiones omnium creaturarum intensiuè, non est perfectius, quàm solus Deus, quia infinitæ perfectiones creaturarum in infinita Dei perfectione, eminenter continentur.

133 Ad quartum argumentum negatur antecedens, & ad primam probationem patet solutio ex Responsione ad tertiam obiectionem propositam Dispnt. 4. præcedente Paragrapho. 3. num. 48. & 49. Ad secundam probationem Respondetur, quòd cùm dicimus, Personam Verbi, vt vnitam humanitati, dedisse valorem actionibus, particula, *Vt,* non importat rationem per se talis causalitatis, sed conditionem necessariò requisitam. Et ideò quamuis Persona Verbi non esset infinitè vnita humanitati, non sequitur quòd non sit causa infiniti valoris. Etenim Persona Verbi non communicat humanitati, & actionibus illius infinitam dignitatem in esse entis, quia finito modo in esse entis vnitur Personæ humanitati. Confert tamen infinitam dignitatem moralem, quia licèt ille modus vnionis Personæ cum humanitate sit Physicè finitus, in æstimatione tamen morali est infinitus: atq; adeò nullo modo limitare potest dignitatem moralem, prouenientem à Persona simpliciter infinita, quæ potest maiorem, & maiorem in infinitum dignitatem moralem conferre suis actionibus. Quare cùm isto modo communicet totam, quam potest, communicat infinitam.

134 Præterea. Dicendum est Personam Verbi per seipsam, & secundùm totam suam infinitatem esse humanitati vnitam, quia in Christo habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter. Et licèt ipsa vnio, prout est modus humanitatis, sit quid finitum simpliciter, & tantùm secundùm quid infinitum: nihilominùs ex parte personæ, & boni communicati ipsi humanitati, est res simpliciter infinita. Et ideò quòd illa persona valorem conferat actionibus Christi, quatenùs humanitati vnita, est res infinita, ac proindè potuit causare infinitum valorem.

Ad tertiam probationem negatur consequentia, cōcesso antecedenti. Et ratio discriminis est, quia ad proprias humanitatis actiones, quantùm ad esse Physicum concurrebat Verbum per concursum naturalem ipsius humanitatis, quam sustentabat, & humanitas non habebat virtutem ad concurrendum infinitè. Cæterùm ad valorem moralem earumdem actionum infinitum, concurrebat Persona Verbi immediatè per seipsam. 135

Ad quintum principale Respondetur, infinitum valorem Satisfactionis Christi non deriuari ex Persona Verbi, quatenùs per Diuinam voluntatem dirigit, & moderatur actiones voluntatis humanæ, sed ex ipso infinito Diuini Verbi valore; nam Satisfactio Christi habet valorem à Verbo, quatenùs Verbum simul cum humanitate per modum vnius principij elicitiui concurrit ad ipsam Christi Satisfactionem. Hunc autem concursum non exequitur Verbum, quatenùs per Diuinam voluntatem operatur, sed prout terminat suo esse personali humanitatem, & per proprias humanitatis potentias simul cum ipsa humanitate operatur, supplens vicem Suppositi proprij ipsius humanitatis. Neq; in ipso Verbo est necessaria aliqua libertas ad conferendam huiusmodi infinitatem: quia si per impossibile omnia Verbum necessariò operaretur, tribueret eandem infinitatem Satisfactioni Christi, quam modò tribuit; quia ad valoris infinitatem, parùm refert libertas, aut necessitas Verbi: moralitas verò ex voluntate Christi humana desumitur, non ex Diuina voluntate Verbi. Et quamuis Diuina voluntas Verbi non sit capax Satisfactionis, vel meriti, neq; eius operatio, prout ab ipsa egreditur, sit Satisfactoria, vel meritoria, potest tamen tribuere, & de facto confert infinitatem valoris Satisfactorij operationi Christi exercitæ per humanam voluntatem: qui sanè valor suam infinitam dignitatē à solo Diuino esse, vel à sola Diuina operatione, quæ eminēter est Satisfactoria, desumitur. Quòd verò sit Satisfactorius, habet quidem eminenter ab eodem principio, formaliter verò ab humana Christi operatione, in qua suscipitur, & à qua modificatur, & determinatur ad certum genus, & ad determinatas moralitatis species, Satisfactionis, & meriti. Item licèt illa operatio, qua verbum moderatur omnes humanitatis Christi potentias, sit toti Trinitati communis, non impedit valorem Satisfactionis, cùm ex Diuina operatione Verbi non pendeat hic infinitus valor. Præterea dici potest, quòd illa Verbi operatio regulatiua potentiarum Christi, Physicè loquendo, est communis toti Trinitati, quia immediatè procedit à Diuina virtute, quæ est toti Trinitati communis: at in esse moris est propria Verbi, ad quod pertinet illam moderari, aliàs quicunq; defectus, qui in ea reperiretur, tribueretur 136

cur Filio, & non Patri, neq; Spiritui Sancto. At verò infinitus valor operationum Christi desumatur à Verbo, prout est humanum Soppositum, vel prout est Diuinum, partim constat ex dictis, & latius tractabitur Disput. 9.

137 Ad sextum negatur sequella, & ad probationem Respondetur, quòd licèt illa prior operatio, sicut & qualibet alia Christi, sufficeret ad perfectè Satisfaciendum, & consummandum Redemptionem, cùm esset infinita, & infiniti valoris: noluit tamen Christus Dominus per vnam, aut alteram seorsum Satisfacere, & redimere mundum, sed simul per omnes. Et ideò illa prior, aut altera seorsùm ab alijs, quamuis esset infinita, ac proinde absolutè, & simpliciter esset potens perfectè Satisfacere, & consummare Redemptionem: tamen ex pacto & ordinatione inter Christum, & Deum, non Satisfaceret, & consummaret Redemptionem nam vnum ex requisitis ad meritum, & Satisfactionem, est ordinatio ipsius merentis, aut Satisfacientis in tale præmium, vel offensam. Vndè, quia inter Deum, & Christum fuerat constitutum, vt Satisfactione triginta trium annorum per mortem completa redimeret mundum, ideò nisi passio, & mors intercederet, non diceretur perfectè Satisfecisse, & redemisse mundum. Quarè Christus Dominus neq; illo primo opere voluit Satisfacere, neq; Deus acceptare Satisfactionem, nisi dependenter, & in ordine ad passionem, & mortem, sine qua non esset mundus de lege Redemptus. Legatur D. Thomas quod lib. 2. art. 2.

138 Secundò Respondetur, Satisfactionem Christi posse considerari vel quantùm ad sufficientiam, vel quantùm ad applicationem. Priori modo quælibet Christi actio fuit infinitè Satisfactoria, & infiniti valoris, & sufficiens ad Redemptionem consummandam: sed non ita se res habuit, quatùm ad applicationem, ex eo quòd Christus non quamlibet sui operationem applicuit ad totam mundi Redemptionem, sed omnes suas actiones à prima vsq; ad vltimam collectiuè sumptas. Sic colligitur ex Durando in 3. d. 18. q. 3. & M. Soto in 4. d. 1. q. 3. art. 5. & d. 11. q. 1. art. 2.

139 Ad primam confirmationem Respondetur, quòd iuxta modum, quo Christus obtulit Patri illam primam Satisfactionem ad redimendum genus humanum, ita Deus illam acceptauit. At Christus Dominus non eam obtulit pro tota humani generis Redemptione.

140 Ad secundam confirmationem negatur sequella: quia licet Christus perfectè Satisfecerit, & eius Satisfactio fuerit infiniti valoris, voluit tamen, vt in nobis non haberet effectum, nisi nobis agentibus, & cooperantibus; aliàs nec baptismus, nec fides esset nobis necessaria, vt Christi Satisfactio nobis applicaretur. Et quamuis Deo fuerit solutum æquale ex parte Christi capitis, quia tamen solutio fuit capitis, membra illi conformari tenentur; non quia operi Christi aliquid defuerit, sine quo eius Satisfactio esset diminuta, & partialis, sed quia membra simul cum capite viuunt, & intereunt. Sed obijcitur contra hoc.

141 Vel Christus obtulit suam Satisfactionem secũdùm omnem eius virtutem, vel non Si detur primum; ergo non solùm quo ad sufficientiam fuit infinita; sed etiam quo ad efficaciam. Si verò non obtulit: ergo de facto non Satisfecit infinitè. Probatur hæc cõsequentia: quia ad rationem Satisfactionis requiritur, vt offeratur ei, cui fit Satisfactio, id, quod pro offensa in Satisfactionem assumitur; aliàs operatio erit ex se sufficiens, vt offeratur in Satisfactionem, sed non erit simpliciter, & actu Satisfactio. Respondetur, Christum obtulisse Deo suam Satisfactionem secundùm omnem vim eius Satisfactoriam, qua ratione fuit infinita Satisfactio, & acceptata à Deo in ratione Satisfactionis infinitæ pro omnibus hominibus. Diuersimodè tamen pro prædestinatis, & reprobis; nam pro illis fuit acceptata, vt cum effectu eis applicanda, pro istis verò solùm vt sufficiens: itaq; Deus fuit contentus ista Satisfactione pro omnibus peccatis, sic adeò vt ipsis etiam reprobis prodesset, nisi per illos staret, quæ acceptatio fuit sufficientissima, vt Christus pro omnibus Satisfecisse dicatur, & vniuersos redemisse.

Sed contra replicatur. Satisfactio Christi secundùm omnem eius vim Satisfactoriam est sufficiens ad Satisfaciendum etiam pro peccatis Dæmonum, sed nullo modo est pro illis oblata, neq; quo ad efficaciam, neq; quoad sufficientiam: ergo non est oblata secundùm totam suam vim Satisfactoriam: item habebat vim, vt prodesset non tantùm hominibus, qui aliquando futuri sunt, sed etiam alijs, qui possent esse, pro quibus non est oblata, quia talis oblatio fuisset superuacauea. Item habebat vim, vt efficaciter prodesset omnibus hominibus, & tamen hoc modo non est oblata. ergo non fuit oblata secundùm omnem suam vim Satisfactoriam. Respondetur, Christum Domionm obtulisse suam Satisfactionem iuxta omnem eius vim Satisfactoriam, quæ de facto sibi competit ex Diuina sapientia, & ordinatione: ex qua, quia non est de facto ordinata ad Satisfaciendum pro dæmonibus, tametsi potuerit, neq; pro hominibus possibilibus: ideò pro illis nõ est oblata, neq; quò ad sufficientiam, neq; quo ad efficaciam. Similiter, quia de facto non est efficaciter pro reprobis præordinata, nisi tantùm pro prædestinatis, esto præordinari potuerit, ideò pro reprobis non est oblata, nisi quòad sufficientiã, pro prædestinatis verò, quòad efficaciam. Et sic fuit à Christo secundùm totam suam vim Satisfactoriam oblata. 142

Ad id quod additur in confirmatione de iniuria Christo irrogata, Respondetur, quòd licèt valor Satisfactionis Christi fuerit maior, quàm debitum hominum, nõ sequitur, factam fuisse iniuriam Christo, tum, quia ipse liberè voluit suam Satisfactionem offerre, & scienti, & volenti nulla fit iniuria. Tum etiam, quia per accidens fuit, quòd pro debito hominum maior, & superabundans Satisfactio postularetur, quia æquiualens offerri non potuit, nisi esset infinita, & ex consequenti maior ipso debito. 143

Sed contra obijcitur. Vt Satisfactio sit æquiualens, non requiritur, quòd sit infinita: ergo iniuria infertur Christo petendo ab eo Satisfactionem infinitam. Antecedens probatur, quia peccatum est finitum, vt ostensum est Disput. 4. Paragrapho. 5. Ergo potest æquiualenter compensari, sine Satisfactione infinita. Respondetur negando antecedens, & ad probationem negatur consequentia, nam cùm peccatum mortale sit infinitum malum, vel quia est contra Personam infinitam, vel quia irrogat malum infinitum, requirit Satisfactionem 144

tionem infiniti valoris, & Personæ infinitæ, & non sufficit Satisfactionem reddi Personæ infinitæ. Ratio autem est, quia, vt docet D. Thomas, offensa crescit ex dignitate Personæ, contra quā committitur, ita vt quò Persona est dignior, & præstantior; eò sit maior offensa, & culpa contra ipsam commissa. E contrà verò obsequium, & seruitium crescit ex Persona obsequente, & non ex Persona, cui obsequium præstatur: imò potiùs ex hac parte decrescit obsequium, ita vt quò Persona sit dignior, & excellentior, tantò sit minoris valoris sibi præstitum obsequium. Etenim quantò persona est maior, & præstantior, tantò plus meretur, & debitum est illi. Ex qua radice similiter prouenit, vt offensa in talem Personam commissa, sit etiam grauior, quia is offenditur, cui plus debetur.

145 Vnde constat, actum puri hominis ex gratia procedentem, inquantùm Satisfactorium, habere non posse infinitatem simpliciter, neque secundùm quid in bonitate, & valore; tū, quia huiusmodi infinitatem sortiri non potest, ex eo quòd reddatur infinitæ Personæ, nam ex hac parte potiùs decrescit in ratione Satisfactionis, & obsequij: tum etiam, quia Satisfaciens est pura creatura, & quacunq; data creatura, potest dari maior in valore, & perfectione.

146 Constat præterea, vt aliqua Satisfactio sit infinita, oportere, vt Satisfaciens sit Persona infinita, vt infinitum valorem suæ Satisfactioni conferre possit: quod cùm nulla creatura efficere queat, licèt peccatum non sit malum simpliciter infinitum, exigit tamen personam Satisfacientem infinitam, vt Satisfactionem simpliciter infinitam præstare possit: quoniam illa peccati grauitas, quæ ex dignitate Personæ offensæ in peccato mortali participatur, per nullam Satisfactionem Personæ finitæ compensari potest, quia deest illi ea infinitas Satisfactoria, quæ ex Persona Satisfaciente desumitur.

147 Constat tertiò, etiam si peccatum sit finitum in se, adhùc requiri infinitatem valoris in Satisfaciente, vt reddat æquiualens, & æquale. Nam cùm peccatum mortale, aut originale habeat infinitatē extrinsecam, & secundùm quid, quatenùs dicit iniuriam Dei, & separat à bono infinito, necessariò est illi occurrendum per actum habentem valorem infinitum. Valor autem moralis non est infinitus ab extrinseco fine: aliàs omnis actus hominis erga Deum esset infiniti valoris. Debet ergo esse valor infinitus ex Persona illum producente, atq; adeò est necessaria Persona infinita. Si verò peccatum vndique esset finitum, & nullam haberet infinitatem, etiam obiectiuam, & secundùm quid, non exigeret infinitam virtutem in Satisfaciente, nam iniuria finita exigit finitam compensam, & à finita Satisfactione æquari potest.

148 Ad tertiam confirmationem negatur sequella, & ad probationem Respondetur, non esse inconueniens dari multa infinita in eadem specie, quando infinitas non est totalis, & plenaria in ratione entis, aut saltem in aliquo genere. Vnde quod est infinitum omnibus modis, nō potest esse nisi vnum. Quod verò est infinitum vno duntaxat modo, idest, secundùm vnam specialem rationem in aliquo genere cōtentam, potest esse multiplex, possuntq; dari plura talia infinita. Vt si esset possibilis vna linea infinita, possibile esset dari plures lineas infinitas simul producías. Cuius ratio esse potest, quia talis infinitatis multiplicatio potiùs esset materialis, quàm formalis, atque adeò non esset formaliter multiplex infinitas. Et in hoc sensu conceditur, posse dari plures Satisfactiones infinitas in ratione Satisfactionis, & plura merita in ratione meriti.

Secundò Respondetur, etiam si admittatur, non posse esse nisi vnicam tantùm infinitam Satisfactionem, non esse concedendum, quòd in tali Satisfactione infinita Dei potentia fuerit exhausta, quia infinitas valoris Satisfactorij nō desumitur à Persona Verbi, prout operatur per infinitam potentiam, & Diuinam virtutem, nam hac ratione non esset factibilis talis infinitas, sed sumitur à Persona Verbi, prout operatur per modum suppositi eliciitiuè concurrentis simul cum humanitate, & eius potentijs ad Satisfactionem: in quo suppositali concursu ad infinitatem Satisfactionis non tam consideratur causalitas efficiens, quàm formalis, aut quasi formalis: nempe, quatenùs operatio habet intrinsecum ordinem, & habitudinem ad suppositum, vt ad principium illius elicitiuum. 149

Tertiò Respondetur, hanc infinitatem non oriri ex infinitate Diuinæ potentiæ, sed ex infinito esse Diuinæ Personæ, seu ex coniunctione ad ipsam Diuinam Personam. Quare cùm nulla possit esse maior coniunctio, etiam de potentia Dei absoluta, ad esse Diuinum, quàm Personalis, nihil mirum, quòd illa infinitas, quæ ex hac coniunctione ad humanitatem, & eius operationes, deriuatur, sit infinita, & summa, quæ esse potest secūdùm omnem Dei potentiam. Quo fit, vt singulæ Christi operationes exhauriant totam Christi Domini dignitatem, sed non totaliter, & secundùm omnem eius modum. Dicuntur autem exhaurire, non quòd extrà educant, & vacuam relinquant Personam Christi, & eius valorem sed quia in valore, & dignitate Personali, ac singulari participant totum, quod possunt. 150

Ad illud, quod in eadem confirmatione dicitur de mercede Satisfactionis Christi, Respondetur concedendo, valorem Satisfactionis Christi esse maiorem, quàm sit tota merces, quam Deus ei reddere potest. Hoc autem non prouenit ex defectu potentiæ in Deo, sed ex eo, quòd res ipsa non est factibilis, cùm non sit possibile debitum infinitum, quod per valorem Satisfactionis Christi remittatur. Est tamen aduertendum, hic sermonem institui de mercede, quæ valori Satisfactionis Christi, præcise in ratione Satisfactionis, Respondere potest, nam hæc merces est remissio debiti resultantis ex offensa. De mercede autem, quæ Respondet valori meriti, est alia ratio, de qua disputabitur infra q. 19. art. 3. Disput. 6. Secundò Respondetur, quòd vt Satisfactioni infinitæ Respondeat merces adæquata, satis est, quòd Respondeat ipsi remissio debiti infiniti Syncathegorematicè, sicut terminus adæquatus potentiæ creatiuæ Dei non est aliquid infinitum actu, & Cathegorematicè, sed Syncategorematicè. Vel tertiò Respondetur, Satisfactioni Christi Respondere mercedem adæquatam, quantùm ad modum, quo obtinetur, quia remissio peccati Respondet pro mercede Satisfactioni Christi, vt sufficienti ad æqualitatem, & secundùm totum rigorem iustitiæ: qua ratione Respondere non posset alicui Satisfactioni, quæ non esset infinita: sicut etiam potentiæ creatiuæ Dei Respondet creatura adæquatè, 151

habent, vt eleuantur extra proprium genus, ac proindè instrumentaliter. Respondetur, quidquid sit de antecedenti, quòd facere æquale, non est propriè efficere aliquid ad extra, sed abusiuè loquimur, & vtimur voce communi ad explicandum proprium operum effectum: etenim actiones, vt sunt Satisfactoriæ, habent de se illum valorem, & oblatæ pro injuria, sicut naturali consequio habent commensurari injuriæ, sic etiam habent Satisfacere, & constituere æquale absq; alicuius effectus productione. Itaq; actiones Christi suo valore Satisfaciunt, & Respondent Satisfacienti principaliter, vt principalia m dia. Quòd si per tales actiones Christus aliquos effectus operetur ad extra, conuenit illis, vt sunt instrumenta. Et idem dicendum est de illis actionibus; quatenùs sunt meritoriæ: concurrunt enim ad præmium, vt media principalia, & sua virtute, & iure illud exigunt. Quòd si ad alios effectus causandos assumantur, erunt instrumenta: Quemadmodùm omnes actiones Christi instrumentaliter causant supernaturales effectus, quos ad extra producunt: vt colligitur ex D. Thoma infra. q.48. art 6. vbi ait, omnes actiones Christi instrumentaliter operari nostram salutem. Et ratio est in promptu, quia huiusmodi actiones nullam habent in se permanentem virtutem ad facienda miracula, & his similia, sed duntaxat conuenit illis, vt moueantur à superiori agente, & quatenùs per virtutem superiorem applicantur ad opus superexcedens.

Soluuntur argumenta secūdæ opinionis. §. XIII.

158 AD Argumenta secundæ sententiæ, quæ proponuntur Paragrapho. 1. Respondendum est. Et ad primum, quidam recentiores, vt defendant, opera Christi fuisse valoris simpliciter infiniti, confingunt quendam modū realem intrinsecum, & superadditum ipsis, actu in genere moris infinitum. Sed hæc sententia displicet, neq; enim apparet, quomodò actus quoad entitatem intrinsecam limitati, & finiti, quales erant actus Christi, potuerint esse capaces alicuius modi realis, & intrinsecè inhærentis, actu infiniti. Neq; explicari facilè potest, quomodò ex entitate finita actus, resultet modus realis infinitus. Respondetur ergo, opera Christi esse infinitè Satisfactoria, quatenùs præcisè intelliguntur procedere à Persona Verbi infinita, seclusa omni entitate, & modo superaddito. Quòd si inferas, non habuisse valorem intrinsecum; Respondetur, quòd si per intrinsecum valorem intelligatur aliquid reale ipsis operationibus superadditum, & inhærens, conceditur, non habuisse intrinsecum valorem. Si verò intelligatur condignitas moralis ipsis ex coniunctione ad Diuinam Personam conueniens, nempe, æstimabilitas, negatur. Neque est par ratio de bonitate intrinseca actionum Christi, quia hæc non consistit, sicut moralis ipsarum valor, in coniunctione ad Personam Verbi, sed in reali, & intrinseco ordine conformitatis, quem dicunt ad regulam Diuinam, seu potiùs ad obiectum honestum, quatenùs per illam regulabile.

159 Ad confirmationem rectè ibi Responsum est, quòd valor moralis requisitus ad Satisfaciendum ex iustitia apud Deum, non dimanat proximè, & immediatè ex bonitate actus, sed ex bonitate Personæ à qua elicitur. Vnde licèt bonitas moralis proueniat ex obiecto, valor autem Satisfactorius magis prouenit ex dignitate Personæ operantis, quàm ex obiecto, & ideò si Persona est infinita simpliciter, confert valorem simpliciter infinitum. Præsertim quòd dignitas substantialis Personæ operantis tribuit actui valorem sine vlla limitatione, & modificatione: dignitas verò obiecti non dat valorem actui, nisi vt modificata, & limitata per modum, quo attingitur à voluntate operante.

160 Ad secundum quidam recentiores secuti Magistrum victoria in Relectione de augmento charitatis, concedunt, opus elicitum ab homine magis iusto, & grato Deo, ob maiorem dignitatem Personæ, à qua procedit, cæteris paribus esse magis meritorium, & Satisfactorium, quàm si fieret ab homine minùs iusto, & Sancto. Hanc sententiam reputat probabilem M. Suarez hîc. Sed certè improbabilis videtur: nam Deus non remunerat habitus gratiæ, aut charitatis, sed opera ex illis facta iuxta eorum mensuram, & quantitatem; actibus enim, & non habitibus meremur apud Deum, vt omnes Theologi docent. Vndè aliter ad argumentum Respondetur, quòd licèt opus procedens ab homine iustiore, & sanctiore, non propterea sit magis Satisfactorium, aut meritorium, nec habeat maiorem valorem moralem, nihilominùs actiones Christi eò ipso, quòd à supposito infinitè grato procedebant, fuerunt quoque infinitè Satisfactoriæ, & meritoriæ, & ex illo infinitum valorem moralem acceperunt. Huius autem ratio à priori est, quòd gratia habitualis ex propria, & formali ratione hoc tantùm habet; nempe, euehere actus liberos, & morales ad statum merendi, & Satisfaciendi apud Deum, finem supernaturalem, iuxta mensuram tamen perfectionis intrinsecæ, quam actus huiusmodi per se habent. Vndè crescente dignitate Personæ operantis proueniente ex gratia habituali, non crescit proportionabiliter valor moralis meritorius, aut Satisfactorius istorum actuum. At verò dignitas Personæ Christi ex se habet vim propter intrinsecam ipsius Infinitatem, non solùm euehendi actus humanos ad statum meriti, & Satisfactionis; sed etiam ad merendū, & Satisfaciendum infinitè. Quarè eo ipso quòd actus procedant à Persona infinitè digna intrinsecè, & substātialiter, sunt etiam infiniti simpliciter in valore morali; si verò procederent à Persona infinitè digna mediante habitu infinito accidentali gratiæ, non essent infiniti valoris, sed tanti, quanti est intrinseca perfectio horum actuum.

161 Ad tertium Respondetur primò, quòd licèt grauitas injuriæ crescat ex dignitate Personæ offensæ, non tamen crescit eo modo, quo valor Satisfactionis crescit ex dignitate Personæ Satisfacientis nam grauitas injuriæ non crescit ex dignitate Personæ offensæ sumpta adæquatè, & sine vlla limitatione, sed supposita modificatione & limitatione, ad modum, quo illa dignitas attingitur per injuriam. Iste autem modus est proportionatus modo operandi offendentis tam ex parte voluntatis, quàm ex parte intellectus. At verò valor Satisfactionis crescit ex dignitate Personæ Satisfacientis sumpta adæquatè, & sine vlla limitatione.

162 Secundò Respondetur, Suppositum infinitum Christi maiorem tribuere valorem moralem actibus ab ipso elicitis, quàm Persona infinita Dei offensi conferat peccato grauitatem: cuius ratio est, quod Suppositum habet se quasi forma moralis dignificans intrinsecè

naturam,

naturam, per quam operatur, & consequenter omnes eius actiones. Vndè si suppositum operans est infinitum, infinitè quoq; suam naturam, & ipsius operationes dignificabit. Contrà verò obiectum extrinsecum non est forma Physica, aut moralis actuum, qui ad ipsam terminantur; neq; enim illis cõiungitur immediatè: neq; etiam aliter concurrit, quàm terminando habitudinem intrinsecam huiusmodi actuum. Et ideò licèt obiectum sit actu infinitum, non sequitur, infinitos etiam esse actus circa illud versantes: neque enim ab eo immediatè oriuntur, sed à potentia operante per concursum finitum, & limitatum.

163 Sed contra quia similiter opera Satisfactoria Christi non oriebantur immediatè ab infinito Supposito ipsius, sed ab humanitate finita, & limitata. Imò verò si subtiliùs (vt obijcit Scotus) res perpendatur, actiones humanæ Christi elicitiuè tantùm erant humanitatis, Suppositi autem Diuini, non nisi denominatiuè tantùm. Etenim Suppositum Christi per se, & immediatè non influebat efficienter in illas actiones, sed ea præcisè ratione ad earum productionem concurrere dicebatur, qua humanitatem, adæquatum earum principium, sustentabat, sicut aqua dicitur calefacere, quia sustinet calorem, qui est adæquata calefaciendi causa: at mediatus hic, & veluti materialis concursus Suppositi Diuini erga actiones Satisfactorias, non sufficit ad communicandum illis infinitum valorem moralem. Quidam Respondent, sufficere, quòd isti actus vniantur supposito infinito interuentu naturæ humanæ ipsi substantialiter coniunctæ. Sicut enim natura ex hac vnione infinitè dignificatur, sic etiam omnes eius actiones liberæ. Cæterùm hæc solutio non placet, quia actiones non sunt meritoriæ, & Satisfactoriæ, nisi vt liberæ formaliter, sed actiones non habent, quòd sint formaliter liberæ ex subiecto, in quo recipiuntur, sed ex causa efficiente indifferenter operante: ergo neq; sunt Satisfactoriæ, aut meritoriæ ex subiecto, sed ex principio efficienti; & per consequens valor illis vt sic conueniens non ex principio receptiuo, sed effectiuo debet formaliter accipi. Alij verò asserunt, Suppositum Christi proprio, & peculiari influxu, distincto à concursu ipsius humanitatis, per se & immediatè concurrisse ad eliciendas actiones Satisfactorias. Sed planè falsò: nam Suppositum Christi nullam aliam actionem per se, & immediatè exercuit circa suam humanitatẽ, nisi eam, quæ illi communis erat cum reliquis Personis Trinitatis (actiones enim Trinitatis ad extra sunt indiuisæ, vt aiunt Theologi) sed hæc actio conueniebat Supposito Christi, non vt sustentabat naturam humanam, sed vt erat præcisè prima causa; vnde ex tali concursu nequibant opera Christi dignificari, sicut neque ex concursu Patris, aut Spiritus Sancti.

164 Respondetur ergo concedendo, Suppositum Christi solùm concurrisse ad elicienda opera Satisfactoria mediante humanitate sibi substantialiter coniuncta, tanquam principio, *Quo,* adæquato illarum actionum. Verùmtamen hoc sufficere, vt illis conferat infinitum valorem moralem: nam & reliquæ humanæ Personæ non habent peculiarem influxum condistinctum à concursu suæ naturæ, sed quia vt, *Quod,* per naturam sibi substantialiter vnitam operantur, & medijs actibus ipsius se subijciunt ei, apud quem Satisfaciunt. Ideò tantùm eis valorem moralem communicant, quanta est illorum dignitas Personalis. Siuè ergo actus intensi sint, siuè remissi, eundem formalem valorem participant à Persona operante: quia hic valor desumitur præcisè ex intrinseca Personæ dignitate, quæ eadem est, siuè remissè, siue intensè operetur. Quòd si dicas, falsò nos asseruisse contra M. Victoriã, actum remissum hominis iustioris, & dignioris moraliter in ratione meriti, & Satisfactionis non habere maiorem valorem, quàm actum elicitum à Persona minùs iusta, & sancta. Respondetur, dignitatem prouenientem ab habitu gratiæ, & reliquis virtutibus supernaturalibus, non esse intrinsecam, & essentialem Personæ iustæ, sed quasi extrinsecam, & accidentalem. Et ideò non semper, quoties operatur, ex tota illa dignitate operatur. At cùm dignitas est intrinseca, & substantialis supposito, non potest operari, & non ex tota illa dignitate communicare valorem suis actibus.

165 Dices, magis extrinsecam, & accidentalem esse dignitatem moralem Regis, aut Magistratus V. G. id tamen non obstare, quominùs Personæ istæ ex tota sua dignitate operentur, & actibus omnibus, siuè remissis, siue intensis tribuant valorem adæquatè huic dignitati Respondentem. Respondetur, Regiam dignitatem similem esse quantùm ad hoc dignitati intrinsecæ, & substantiali Suppositi, est enim omninò indiuisibilis, quia non prouenit ab aliquo accidenti, intensibili, & remissibili ordinato ad operandum: sicut dignitas iustorum, quæ cùm ex habitibus gratiæ, & reliquarum virtutum infusarum, concessis ad eliciendos supernaturales actus proueniat, non tribuit valorem actibus, nisi iuxta modum, & intensionem, quo prædicti habitus concurrunt ad illorum productionem.

166 Ad quartum Respondetur, libertatem, & bonitatem intrinsecam actuum, non esse rationes formales constituentes illos in esse meriti, aut Satisfactionis, sed quasdam necessariò prærequisitas cõditiones, quibus fiunt actus capaces valoris, Satisfactionis, & meriti, à dignitate morali suppositi, à quo eliciuntur, prouenientis. Vndè vt actus sint infiniti simpliciter in genere meriti, & Satisfactionis; non est necesse, quòd eorum libertas, aut intensio sit infinita, sed sufficit, quòd à Supposito infinito procedat. Suppositum enim est quasi moralis forma tribuens illis rationem Satisfactionis, & meriti. Itaque si actus est infiniti valoris desumpti ex obiecto, vel ex operante, quamuis circunstantiæ sint finitæ, & limitatæ, non limitant actum, sed ipsæ potiùs ex coniunctione ad talem infinitatem, quodammodò eleuantur.

167 Secundò Respondetur, vniuersaliter loquendo maiorem esse falsam, nisi principium infinitum attemperet suum concursum virtuti finitæ finitorum principiorum; tunc enim effectus debet esse finitus. Sed quando principium infinitum se solo independenter ab alijs principijs finitis habet proprium effectum sibi correspondentem, & proportionatum: tunc licèt aliquo modo ad illum effectum perficiendum, concurrant aliqua principia finita, non propterea effectus erit finitus, tametsi finitè perficiatur à principijs finitis.

168 Ad primam confirmationem Respondetur, diuersam esse rationem de obiecto operationis, & de persona operante, quia obiectum concurrit ad Physicam, & essentialem

Digitized by Google

essentialem specificationem actor, quasi per modũ formæ extrinsecæ, ac subindè nullam actui tribuis perfectionẽ, nisi iuxta ea, quæ ipsi actui sunt intrinseca; quare si illa sunt finita, tota actus perfectio essentialis erit limitata, & finita. Suppositum verò operans magis intrinsece se habet ad operationem, nam cum illa realiter coniungitur, & est veluti forma, dans illi valorem moralem, qui non correspondet intensioni ipsius actus, aut alijs eius intrinsecis qualitatibus, & modificationibus, sed soli dignitati Personæ operantis. Secundò Respondetur, seu potiùs explicatur præcedens solutio: quòd sicut obiectum infinitum confert actui infinitam perfectionem Physicam, quando actus attingit ipsum obiectum omninò, & secundùm quòd est attingibile: ità Persona operans infinita tribuit infinitũ valorem moralem illi actui, qui ipsam totaliter attingit morali attingentia, quæ in hoc posita est, vt actus eliciatur ab ipsa Persona operante, & verè dicatur, & sit operatio infinitæ Personæ.

169 Ad illud verò, quod in eâdem confirmatione tangitur, nempe, Verbum per se nihil contulisse ad humanas Christi actiones, sed habere se, atq; se habet aqua in calefactione, cùm aqua calefacta aliquid calefacit: Respondetur, Verbum concurrere ad Satisfactionem, & ad alias humanitatis actiones, non solùm sustentãdo humanitatem, sicut aqua sustentat calorem, verùm etiam eliciendo actiones humanitatis tanquam Suppositum illius, & simul influendo moraliter valorẽ infinitũ. Vnde hoc ipso, quòd Diuinum Verbum constituit Personam Christi Dei, & hominis, à qua Satisfactio simpliciter procedit, est sufficiens circunstantia moralis talis Satisfactionis, vt ab illa possit infinitum valorem accipere.

170 Ad secundam confirmationem negatur antecedens, quia licet ille, qui haberet gratiam infinitam, posset elicere plures actus non meritorios, estò essent moraliter boni, & liberi, vt sæpè elicimus, cùm naturales actus non imperatos à charitate, vel ab aliqua virtute supernaturali relatos in finem supernaturalem elicimos, vt probabilis sententia docet, quia non habent connexionem cum gratia, & ex consequenti neque cum homine grato, vt grato: nihilominùs tamen talis homo nullum actum meritorium eliceret, tametsi ille actus esset remississimus, per quem infinitè non mereretur: cuius ratio est, quia si propter intensiorem gratiam finitam cæterit paribus datur aliquis gradus determinatus gratiæ, correspondens vt præmium actui meritorio, necessariò sequitur, dãdam esse infinitam gratiam propter actum meritorium, quamuis esset finitæ intensionis. Quæ consequentia videtur legitima; quia si Petro habenti V.G. actũ charitatis intensum vt sex, & habenti gratiam habitualem intensam vt decem, dantur propter talem actum gradus, exempli causa, gratiæ octo, & Paulo habenti actum charitatis intensum vt sex, & in omnibus parem actui Petri, habenti verò gratiam habitualem duplo intensiorem, quàm Petrus, datur propter talem actũ aliquis gradus gratiæ in maiori intensione, quàm Petro, V.G. dantur nouem gradus gratiæ: sequitur manifestè secundùm hanc proportionem dãdam esse Paulo gratiã infinitè intensiorẽ, quàm Petro, si eius gratia habitualis esset infinitè intensior, quàm gratia habitualis Petri: dignitas enim, quam actus accipit à gratia habituali, & ille excessus valoris, non est, vndè limitetur, & ex consequenti infinitum valorem conferet actui.

Ad tertiam confirmationem negatur consequentia. 171 Et ratio disparitatis est duplex. Prior est, quòd tã principiũ, *quo,* substantiale, quod est humanitas, quàm accidentale, quod est gratia habitualis operationum Christi, quamuis in esse Physico, seu Methaphysico sint finita, in esse tamen morali sunt infinita, nam gratia, in esse gratiæ est infinita, vt infra. q. 7. constabit: & humanitas Christi, vt vnita Verbo, habet infinitam dignitatem. Cæterùm principia operationum Christi in esse Physico sunt finita, & limitata, & ideò eius operationes sunt finitæ, & limitatæ in esse Physico. Posterior differentia est, quòd actus accipit entitatem Physicam ab obiecto, ad quod terminatur (ab illo enim accipit speciem) & à potentia Physica, à qua procedit. At dignitatem moralem infinitam à sola Diuina Persona sumere potest. Neq; enim circunstantiæ finitæ concurrunt ad causandam infinitam dignitatem in actibus Christi, sicut concurreret potentia infinita ad causandam perfectionem infinitam Physicè, si operationes Christi Physicè essent infinitæ. Quarè perfectio, & dignitas, quam Persona tribuit operationibus, limitari non potest à perfectione Physica finita operationum: quia hæc perfectio Physicè finita est indifferẽs ad maiorem, & maiorem dignitatem moralem accipiendam, ac proindè ab ea limitari non potest dignitas moralis, quam Persona simpliciter infinita illi communicare potest, & ex consequenti infinitam communicabit.

Ad quintum rectè ibidem Responsum est, etenim 172 antecedens est verum de maiori valore extensiuè, non tamen de maiori intensiuè, & hoc tantùm conuincit eius probatio. Quarè neganda est consequentia, quia non repugnat infinito, posse fieri maius extensiuè. Ad probationem Respondetur, infinitum in actu secundùm eam rationem, secundùm quam est infinitum, carere termino, & non posse fieri maius: at verò valorem actionum Christi non dici infinitum secundùm extensionem, aut multiplicationem, sed secundùm intensionem. Et ideò licet secundùm intensionem careat termino, & maior esse non possit, tamen secundùm extensionem, aut multiplicationem potest fieri maior: quod propriè non est fieri maiorem illum valorem, qui est infinitus, sed multiplicari valorem. Sicut si posset fieri linea infinita, non repugnaret fieri longitudinem maiorem, secundùm multiplicationem, vt si fieret alia linea infinita. Neque ex hoc sequeretur, esse maiorem longitudinem in his duabus lineis quàm in vna infinita tantùm, sed plures esse longitudines. Quemadmodum etiam, licèt perfectio Dei sit infinita in genere entis, non repugnat esse maiorem perfectionem in genere entis, non quidem intensiuè, sed extensiuè, & quo ad multiplicationem. Et ita concedi solet, Deum, & mundum simul importare maiorem perfectionem in hoc sensu, quàm Deum solum: quia hoc magis est importare plures perfectiones, quàm importare maiorem perfectionem.

Ad primam confirmationem Respondetur, quòd 173 quando dignitas Personæ operantis est infinita simpliciter, tunc valor, qui ex ea desumitur, est

 infinitus

infinitus simpliciter in ratione valoris Satisfactorij, vel meritorij, & continet saltem eminenter totū valorem, qui ex obiecto, & alijs circunstantijs sumi potest. Vndè sicut Deus formaliter continet omnem perfectionem simpliciter, & omnem creatutam eminenter, qua ratione, licèt per impossibile adueniret ei perfectio aliqua creata, non redderet ipsum magis perfectū intensiuè: ita Christi Satisfactio continet eminenter, & formaliter omnem valorem, qui ex intensione, & alijs circunstantijs resultare potest, & ideò ex illis valor Satisfactionis intensiuè crescere nequit. Neq; obstat, quòd ex omni parte formaliter non habeat illum valorem, sufficit enim, quòd illum habeat eminenter: vt patet in Deo, qui licèt non habeat perfectionem creatam formaliter, quia tamen illam continet eminenter, dicitur simpliciter infinitus.

174 Sed replicatur. Deo repugnat habere in se aliquam perfectionem creatam formaliter, ob suam infinitam perfectionem: ergo similiter repugnat Satisfactioni Christi crescere extensiuè in valore ob eius valorem infinitum. Negatur consequentia, quia, cùm Deus sit infinitus in esse entis, & in omni genere, nullo modo crescere potest. Satisfactio verò Christi, & eius actiones, quamuis in valore sint infinitæ, & ideo intensiuè crescere non valeant, nihilominùs quia sunt finitæ entitatis, & intensiuè crescere possunt, & id, quod ex intensione ipsi entitati superadditur, habet aliquē valorem: ideò in valore extensiuè duntaxat crescere possunt, non tamen intensiuè.

175 Ad illud, quod in cōfirmatione obijcitur, nempe, valorem desumptum ex Persona non continere formaliter, neq; esse causam valoris, qui ex alijs circunstantijs desumitur. Respondetur, ad continentiam eminentialem in formis non requiri, quòd vna sit causa efficiens respectu alerius, sed satis esse, quòd possit extendi ad effectum alterius, remota omni limitatione, & imperfectione, vt constat in habitu nostræ Theologiæ, qui ex sententia Caietani est eminenter practicus, & speculatiuus, non quia sit causa efficiens aliorum habituum, & speculatiuorum, & practicorum, sed quia extenditur ad eorum effectus, quatenùs præcisè sunt practici, & speculatiui; disponit enim intellectum ad eliciendum assensum speculatiuum, & practicum, & simul cum intellectu est principium talium assensuum. Item anima intellectiua continet eminenter animam sensitiuam, non quia sit eius causa, sed quia dat materiæ esse sensitiuum, & esse principium potentiarum, & operationum partis sensitiuæ. Ita similiter in nostro casu valor, qui ex infinita Persona desumitur, dicitur continere eminenter valorem ex circunstantijs desumptum, non quia sit eius causa, sed quia illi æquiualet in ordine ad totum effectum valoris Satisfactorij; quoniam & reddit opus cōdignum, & proportionatum in ordine ad totam mercedem, quæ valori aliarum circunstantiarum respondere posset, & suo modo est causa eiusdem mercedis, nempe, per modum oblati pro ea.

176 Ad secundam confirmationem negatur antecedens, quia si ab actu Christi separetur pars intensionis, aut durationis, non manebit in tali actu minor valor intensiuè. Vndè si partes alicuius operis Christi, siue quò ad intensionem, siue quò ad durationem comparentur cum toto opere, tantum valorem habent intensiuè, quàntum totum opus: neque erat minor valor in intensione vt vnum, quàm in magna intensione; aut in vno momento durationis, quàm in longo tempore. Ad probationem antecedentis Respondetur, diuersam esse rationem in eo exemplo, & in nostro casu, quia si per impossibile separaretur à Deo perfectio bonitatis, aut alterius attributi, nihil in Deo remaneret, in quo aut formaliter, aut eminenter illa perfectio contineretur; & ideò per talem separationē necesse esset, diminui perfectionem in Deo. Cæterùm licèt ab aliqua Christi actione separaretur valor, quem haberet ratione alicuius intensionis, aut durationis, maneret in eadem actione aliquid, in quo ille valor eminenter cōtineretur: nempe, infinitus valor, qui ei conueniebat ratione infinitatis Personæ. Et si obijcias, quòd si ab actu puri hominis, qui per impossibile haberet infinitam intēsionem, atque adeò ratione illius infinitum valorem, separaretur valor, qui ei posset conuenire ratione durationis maioris, diminueretur etiam intensiuè valor talis operis: ergo idem dicendum est in proposito. Negatur consequentia, quia Persona Verbi est infinita simpliciter, & in genere entis, ac proindè continet omne bonum, à quo actio habere possit aliquem valorem, qui sit infinitus simpliciter in ratione valoris, & cōtineat eminenter omnem valorem, qui ratione aliorum bonorum, siue circunstantiarum possit illi conuenire. At verò intensio infinita, sicut non est infinita simpliciter, ita neq; continet alia bona, ex quibus actio valorem habere potest, atq; adeò non dat valorem simpliciter infinitum, & qui cōtineat omnem valorem, qui ratione aliarum circunstantiarum potest actioni conuenire.

Ad tertiā cōfirmationem cōcesso antecedenti negatur cōsequentia: quia valor cōueniēs operationibus Christi ratione suæ Personæ erat alteriùs speciei, & altioris ordinis, quàm valor, qui eis conueniebat ratione aliarum circūstātiarū: & ideò nequibat intensiuè augeri per additionē alterius valoris. Probationi autē dicitur, quòd gradus valoris, qui ex maiori intensione actus sumebatur, reddebat maiorem secundùm multitudinem valorem eiusdem actus. Quod verò dicitur, valorem illius actus esse tantùm vnum numero, vt plurimùm est verū de valore, qui cōsurgit ex bonitate actus moralis supposita informatione gratiæ. Nihilominùs ille infinitus valor actionū Christi, quāuis supponat in eis bonitatē moralem, nō cōsurgit ex ea, neque illi proportionatur. Vndè valor moralis infinitus multiplicatur, quia licèt dignitas Personæ sit radix valoris huiusmodi, nō tamē est formaliter ipse valor. Etenim valor consistit in eo, quod ex dignitate Personæ redundat in actiones, siuè illud sit aliquid Physicum, siue morale, nempe, æstimabilitas. Hoc autem, quod ita redundat, multiplicatur iuxta numerum ipsarum actionum. Vel potest dici, vnamquamq; Christi operationem habere vnum numero valorem secundùm extrinsecam æstimationem, quia totus eius valor reputatur vnus propter vnitatem operis. 177

Ad quartā confirmationem Respōdetur, ex circunstantia Personæ operantis aliter crescere bonitatē moralem ipsius operationis, & aliter valorem Satisfactionis, aut meriti: nam bonitas moralis crescit ex illa circūstantia, quatenùs aliquo modo pertinet ad obiectum operationis, ipsam aliquo modo afficiendo, nempe, aut dando 178

dando ei nouam speciem bonitatis obiectiuæ, vt cùm propter circunstantiam Personæ Christi sit, vt eius Satisfactio ad speciem iustitiæ pertineat, vt ostenditur Disput. 7. aut augendo propriam bonitatem obiecti, vt cum propter indigentiam Personæ erogantis eleemosynam efficitur, vt eleemosyna sit difficilior, & maioris quantitatis proportionalis. Et quia obiectum non cõfert actui bonitatem, nisi iuxta modum, quo actus tendit in ipsum: ideò quamuis Persona operans sit infinitæ dignitatis, non dat operi infinitam bonitatem moralem. At verò valor Satisfactionis crescit ex dignitate Personæ operantis, quatenus est principium ipsius Satisfactionis, & vt antecedit modum, quo Satisfaciens operatur. Et ideò confert valorem adæquatè secũdùm seipsam, & sine vlla limitatione: ac propterea cùm est infinita, vt in nostro casu, dat infinitum valorem.

179. Quòd si inquiratur, vnde proueniat, quòd dignitas Personæ operantis, licet nõ pertineat ad obiectum, augeat valorem Satisfactionis, & non bonitatem moralem. Respondetur, rationem esse, quòd bonitas moralis consistit in ordine ad obiectum, & ideò nihil potest esse causa bonitatis moralis, aut illam augere, nisi quatenus aliquo modo pertinet ad obiectũ. At verò valor Satisfactionis consistit in quantitate pretij, quod in Satisfactionem offertur. Quantitas autem pretij nõ consistit in ordine ad obiectum, sed in ipsa natura rei, vt constat in quocunq; pretio. & ideò dignitas Personæ, tametsi consideretur sine ordine ab obiectum, potest dare valorem Satisfactionis.

180 Ad sextum argumentum principale concesso antecedenti negatur cõsequentia, & ad primam probationem negatur antecedens, vt constat ex 3. conclus. num. 79. Ad secundã verò probationem negatur antecedens, & ad probationem illius patet solutio ex dictis in Responsione ad quartam confirmationem præcedentem: etenim circunstantia Personæ aliter auget bonitatem Physicam, & intrinsecam actus; aliter verò dignitatem moralem, & valorem illius: nam bonitatem Physicam auget, quatenùs Persona tenet se ex parte obiecti, vt circunstantia illius, augendo, vel minuendo bonitatem, & honestatem obiectiuam illius, quatenùs propter respectum, quem habet obiectum ad talem Personam, redditur magis, vel minùs honestũ, facilioris, vel difficilioris appetibilitatis: vt V. G. eadem humiliatio exterior respectu Personæ dignioris est maior, & difficilior. Quò fit, vt circunstantia Personæ, etiam si sit Persona infinita, non infinitè augeat bonitatem Physicam, & intrinsecam actus, qui tendit in obiectum tali circunstantia affectũ, quia limitatur ex finito modo tendendi in obiectum. Cæterùm circunstantia Personæ, vt est immediata circunstantia actus, & non se tenet ex parte obiecti, ita dignitatem actui communicat, vt non communicet secundùm proportionem, qua actus fertur in obiectum, sed secundùm eam, qua procedit à Persona. Et quia isto modo nõ est, vnde limitetur dignitas, quã persona infinita actioni ab ea procedenti cõmunicare potest; ideò communicando illi totam dignitatem, quam potest, cõmunicat infinitam simpliciter in esse moris.

181 Ex his sequitur primò, infinitam dignitatem Personæ Christi posse dupliciter augere dignitatem, & æstimationem operationum ipsius. Primùm, vt est circunstantia obiecti, augendo bonitatem, & honestatem obiecti actus interioris, quo pacto auget intrinsecam bonitatem actus interioris, nõ tamen auget infinitè. V. G. Quo Persona Christi erat dignior, eo supplicium crucis respectu illius, erat maioris humiliationis. Et idem dicendum est de alijs humiliationibus Christi, quas pro nobis sustinuit: omnes enim illæ, si comparentur cum infinita Persona Christi secũdùm proportionalitatem, sunt infinitæ humiliationes: quod Chrysostom. in cap. 2. ad Philip homil. 7. docere videtur, cùm dicit *Quantum habuit Christus celsitudinis, tãtum humilitatis vicissim subijt.* Quibus verbis, humiliationis Christi, quantitatem metitur ex dignitate Personæ. Ex hac tamen obiectiua humiliatione, tametsi infinita, interior actus humilitatis Christi, quo per creatam voluntatem appetebat hanc infinitam humiliationem propter Dei gloriam, & hominum salutem, non accepit infinitam bonitatem Physicam, & intrinsecam in ratione specifica humilitatis, neq; alterius virtutis; quia finito, & limitato modo huiusmodi infinitã humiliationem appetijt. Nihilominùs accepit hic actus magnam bonitatem intrinsecam, ex eòquòd tenderet in humiliationem infinitam: & ita accepit à Persona, vt est circunstantia obiecti, magnam bonitatem intrinsecam, tametsi finitam. Secundo modo infinita Persona Christi auget dignitatem suarum actionum, prout est circunstantia immediata earum, extollendo illas ad esse Diuinum; hoc est, quatenùs operationes, eòquòd à tali Persona procedant, verè, & propriè dicuntur, operationes Diuinæ. Et sub hac ratione nõ limitatur dignitas moralis, quam illis cõmunicat, ex finito modo, quo actiones tendũt in obiectum, neque aliunde. Et propterea dignitas, quam illis communicat persona, est simpliciter infinita.

Infertur secundò, omnes passiones Christi, vt flagellationem, alapam, &c. ratione Personæ, hoc est, propter 182
respectũ ad Personam infinitam ipsius in ratione Personæ, atq; supplicij, absolutè fuisse infinitæ grauitatis moralis intensiuè. Eadem enim flagellatio est grauior pœna respectu equitis, quàm respectu hominis plebeij, & grauior respectu ducis, quàm respectu equitis, & sic de alijs. Quare secundùm hanc proportionem, & respectum ad diuersas Personas, respectu Personæ infinitæ dignitatis, cui infinitus honor debetur, flagellatio erit pœna infinitæ grauitatis: ac proindè pœnæ, quas Christus pro nostris peccatis sustinuit, secundùm hanc moralem æstimationem non solùm excedunt omnes passiones, & pœnas temporales hominum, sed etiam ipsas æternas damnatorum: quia huiusmodi pœnæ, absolutè loquendo, intensiuè sunt finitæ, & Physicè, & moraliter. Pœnæ autem, quas Christus sustinuit, moraliter loquendo, absolutè sunt infinitæ intensiuè propter rationem dictam. Ex hoc tamen non licet inferre, illam Christi voluntatem, qua huiusmodi infinitas pœnas sustinere efficaciter voluit, esse infinitæ bonitatis intrinsecæ: sicut neq; ille actus misericordiæ, quo efficaciter pro nobis voluit suam infinitam Satisfactionem offerre Deo, fuit infinitæ bonitatis intrinsecæ in esse misericordiæ, quia finito, & limitato modo huiusmodi actus ferebantur in hæc infinita obiecta.

Ad septimum negatur cõsequentia, quia licet actua- 183
lis Satisfactio Christi non fuerit nisi pro finitis peccatis, & ideo extensiuè possit dici finita, adhuc tamen in esse actualis Satisfactionis potest dici intensiuè

infinita. Primò, quia est Satisfactio pro pœnis æternis debitis omnibus peccatis mortalibus: quòd si Satisfactio Christi esset finita intensiuè, non posset esse æquiualens pro illis, quantò magis exuberans; vt verè est. Secundò dicitur infinita secundùm modum, quia est de rigore iustitiæ, ad quod requiritur in ea infinita perfectio moralis. Tertiò, quia actualiter superat infinitè omnem grauitatem culpæ omnium peccatorum, quorum est actualis Satisfactio: reddidit enim Christus pro peccatis non solùm æquale, sed plusquàm homines deberent Deo pro suis peccatis.

184 Ad octauum argumentum principale Respondent quidam recentiores, omnes actiones Christi æqualem dignitatem, & valorem moralem ab infinita eius Persona participare, & hanc esse infinitam: sed huic dignitati æquali plus, vel minus dignitatis accedere secundùm maiorem, vel minorem perfectionem ipsarum actionum, si secundùm proprias naturas considerentur, & secundùm omnes illas circunstantias, à quibus valorem moralem meritoriũ, aut Satisfactorium acciperent, tametsi finitum, estò à Diuina Persona non procederent. Neq; est inconueniens, vnum infinitum hac ratione propter additionem finiti posse esse maius altero. Etenim quemadmodùm si alicui materiæ, cui propter suam Physicam & naturalem perfectionem deberetur aliquis valor moralis, vt est aurum, vel argentum, adderetur aliquod sygillum Regium, propter quod solum, licèt materia esset ærea, vel plumbea, vel quæcumq; vilissima, secundùm prudentem æstimationem propter impositionem Regis esset digna infinitæ æstimationis moralis, & monera aurea tali signo affecta adhuc esset apud omnes in maiori æstimatione moneta, quàm argẽrea, & hæc quàm plũbea, quamuis eodẽ signo esset affecta: sic etiã actiones Christi, quo perfectiores sint, & supernaturaliores, sunt maioris dignitatis, & valoris moralis: & quæ sunt magis pœnales sunt magis Satisfactoriæ, tametsi omnes sint infinitè Satisfactoriæ, & meritoriæ. Neq; est inconueniens, vt vnus actus infinitus includens aliquam finitã perfectionem, quam alter non includit, sit maioris dignitatis, & valoris moralis, quàm alter, nam perfectio essentialis, & bonitas intrinseca operationum Christi non se habet omninò materialiter respectu valoris meritorij, & Satisfactorij eorum, sicut perfectio Physica, & essentialis auri, & argenti non omninò materialiter se habet respectu valoris. In quo est differentia magna inter operationes Christi, vt habent dignitatem moralem, & inter vestes ipsius, & reliqua, quæ propter contactum sunt æstimationis digna: in his enim materia eorũ non auget dignitatem, sed omninò materialiter se habet, neq; enim claui maiori sunt digni æstimatione, quàm vestis, aut crux & idem dicendum est de imagine aurea, vel lignea Saluatoris. At verò bonitas intrinseca actionum Christi verè concurrit ad conferendum valorem moralem actibus ipsius, & ita non omninò materialiter se habet. Quare quo actus fuerit perfectior, eo erit maioris valoris, & æstimabilitatis, non quidem infinitè maioris, sed finitæ, quia bonitas intrinseca nequit esse infinita, & ideò hic excessus, quo vna Christi actio alteram in dignitate, & valore morali excedit, necessariò debet esse finitus.

185 Vnde inferunt verè posse dici: Passionem Christi esse magis meritoriã, aut Satisfactoriam, quàm actum, quo honestè cibo, & potu vescebatur. Quare licèt M. Suarez Disput. 4. sectio. 4. probauerit, non esse plures valores in quauis actione Christi, sed vnum resultantem ex bonitate intrinseca actionis, & ex dignitate Personæ, à qua procedit, displicet tamen illis quod subiungit; nempe, nullam esse inæqualitatem in valore inter opera Christi: quia actus V. G. charitatis intensus vt octo, habet, quidquid dignitatis sortitur actus temperantiæ intensus vt quatuor, & aliquid amplius; ergo habet maiorẽ æstimabilitatem. Secundò Respondetur, nullam inæqualitatem esse in operibus Christi quantùm ad valorem moralem, quia illa dignitas finita, quæ est in actu charitatis propter suam intrinsecam perfectionem, includitur eminenter in dignitate, quam actus temperãtiæ habet ratione Personæ.

Dices. In omnibus actionibus Christi fuit valor: er- 186
go in nulla earũ fuit valor infinitus. Patet consequentia, quia extra infinitum in aliquo genere determinato nequit dari aliud in eodem genere, aliàs infinito in actu posset fieri additio intra suũ genus, quod repugnat rationi infiniti in actu. Sed negatur consequentia, & ad probationem Respondetur, quòd licèt extra infinitum in actu sit aliquid in eodem genere, nequit fieri additio intensiua infinito in actu, sed solùm extensiua: & hoc non repugnat rationi infiniti in actu. Sed instatur. Ergo intra idem genus sunt plura infinita in actu, nempe, plures valores infiniti, quod est contra rationem infiniti in quocunq; genere. Conceditur consequentia, quia multiplicatio infinitorum in genere determinato non est contra rationem infiniti, quia sicut non est contra eam, quòd extra infinitũ in actu in genere determinato sit aliquid aliud in eodẽ genere; sic etiã non est, quòd illud aliud sit infinitũ. Vtrobiq; enim explicari potest, qua ratione non sequatur, infinitũ posse fieri maius intensiuè, quod verè esset contra rationem infiniti. Id autem explicatur hoc exemplo. Si dentur viginti calores, quorum quilibet sit intensus vt vnum, non dicitur esse maior calor intensiuè, quàm si tantùm esset vnus calor. Et idem est dicendũ, si quilibet eorũ esset infinitè intensus. Similiter ergo licèt in pluribus, & distinctis actionibus Christi sint plures, & distincti valores infiniti, non est in eis maior valor intensiuè, quàm in qualibet earum per se sumpta. Et ratio huius est, quia hæc valoris, aut caloris multiplicatio non fit secundùm maiorẽ, & maiorem intensionem, sed secundùm differentias indiuiduales, quæ multiplicari possunt per ordinem ad materiam absq; augmento in intensione. Neq; est eadem ratio de multiplicatione infinitorũ in genere entis; tum, quia hæc fieri non potest per differentias indiuiduales: tum etiam, quia vnumquodq; illorum indiuiduorum deberet continere differẽtiam constitutiuam alterius, aut formaliter, & sic non distinguerentur: aut eminenter, & sic mutuò se excederent in perfectione, ac proindè nullum eorum esset infinitum in genere entis.

Sed replicatur. Multiplicatio in meritis auget valo- 187
rem intensiuè, vt duo actus meritorij, quorum quilibet sit vt quatuor, habent maiorem valorẽ intensiuè, quàm alter eorum tantùm, & sic etiam Respondet illis maius præmium intẽsiuè; ergo multiplicatio valoris Satisfactorij in actionibus Christi, auget valorem intẽsiuè, & non tantùm extensiuè. Negatur consequentia, & ratio discriminis

Digitized by Google

discriminis est, quòd in antecedenti fit additio rei finiti valoris, & quæ est capax augmenti intensiui, non verò in consequenti. Insuper cùm admittitur in antecedenti, in illis duobus actibus esse maiorem valorem intensiuè, quàm in altero tantùm, est sermo de valore formaliter in genere valoris, & per ordinem ad præmiū, quia neque est maior bonitas moralis intensiuè, neq; maior perfectio in genere entis. Ad hoc autem explicandum est simile in valore monetæ, qui intensiuè crescit ex solo augmento extensiuo, aut multitudine.

Quæ hactenùs dicta sunt de Satisfactione, proportionabiliter sunt ad meritum accommodanda, de quo disputabitur infra. q. 19.

SEXTA DISPVTATIO. §. I.

1 VTRVM Operatio Christi in esse Satisfactionis, Sacrificij, Meriti, & Redemptionis sumat aliquam dignitatem, & valorem infinitum ex re oblata. Pro tituli intelligentia aduertendum est, tria esse principia cuiuslibet operationis humanæ, quæ ad illam per se requiruntur. Primum est principium productiuum, à quo procedit. Alterum est subiectum, in quo recipitur, vel quod denominat. Tertium est obiectum, siue materia circa quam versatur. Ab his igitur tribus principijs possunt actiones Christi suam infinitatem desumere. Hæc enim sunt, ex quibus in operationes humanas moralis dignitas, & valor deriuatur. Cùm igitur Christus Dominus suis actionibus nostram salutem fuerit operatus, vt docet D. Thomas infra. q. 48. art. 1. 2. 3. & 4. per modum meriti, Satisfactionis, Sacrificij, & Redemptionis, explicandum est, vnde illæ sumant infinitatem sub quauis harum quatuor formalitate vsurpentur. Non enim conuenit inter omnes, An ab eisdem principijs actiones Christi infinitatem sumant, tam in esse meriti, quàm in esse Satisfactionis, Sacrificij, & Redemptionis.

2 Quidam enim comparantes Christi Satisfactionem in esse Satisfactionis cum materia circa quam versatur, nempe, cum ipso Christo, & pretioso eius Sanguine oblato in recompensationem pro offensa totius generis humani, quo pacto habet rationem obiecti respectu Satisfactionis, affirmant, Satisfactionem Christi in esse Satisfactionis, ab ipso Christo, & eius pretioso sanguine in esse rei oblatæ consideratis, magnam dignitatem, & valorem accepisse, infinitum quidem secundùm quid, & non simpliciter. Non quòd Satisfactioni Christi denegent infinitum valorem simpliciter, sed quia existimant, hunc infinitum valorem simpliciter non habere Christi Satisfactionem à re oblata, tametsi infinita, considerata in esse obiecti, & materiæ, circa quam versatur. Ita M. Suarez Disput. 4. sectio. 4.

3 Alij verò, de quorum numero est M. Vincentius q. 5. art. 5. Dub. 1. cōclus. 1. pag. 333. asserunt, actiones Christi, neq; in esse Satisfactionis, neq; in esse meriti, & Sacrificij valorem aliquem accepisse à re oblata, sed à Persona tantùm Satisfaciente, offerente, & promerente, quatenùs medijs his actibus se Deo submittebat, atq; subdebat. In esse verò Redemptionis sumpsisse valorem simpliciter infinitum à re oblata, vt oblata in pretium pro nostra libertate, & sub hac consideratione, & formalitate Redemptionis non accepisse valorem à Persona redimente, tametsi infinita. Probat autem Vincentius suam sententiā aliquibus argumentis, quæ postea proponentur, & soluentur. Vnde pro resolutione sit prima conclusio.

Prima Conclusio. §. II.

OPERATIO Christi Domini in esse Satisfactionis, Sacrificij, meriti, & Redemptionis, sumit aliquam dignitatem, & valorem ex re oblata. Probatur conclusio quò ad omnes eius partes. 4
Et primò, quòd Satisfactio Christi in esse Satisfactionis, & recompensationis pro injuria illata accipiat aliquem valorem ex re oblata in recompensationem pro offensa, sic probatur. Satispassio, & Satisfactio secundùm communem Theologorum sententiam verè cōueniunt in ratione compensationis injuriæ, & solùm differunt, quòd Satisfactio est voluntaria, non verò Satispassio: sed Satispassio, quò nobilius est illud bonum, quod à Satispatiente aufert, aut grauius malum pœnæ, quod infert, eò est maior, magisq; adæquatur in ratione recōpensationis injuriæ illatæ: ergo etiam Satisfactio eò est maior, quò nobilius, & excellentius est bonū, quo Satisfaciens voluntariè se priuat in honorem Personæ offensæ: vel quò grauius est malum pœnæ, quod in recōpensationem pro injuria illata, vel sibimet infert, vel sustinere vult ab altero illatum. Ex quo manifestè sequitur, quòd volūtas, qua se voluit Christus priuare pretioso sanguine suo, & illum offerre in honorem Patris in recompensationem pro offensis hominum, magnum acceptt valorem, & dignitatem ex infinita dignitate, & valore inestimabili ipsius sanguinis, quē pro nobis abūdè effudit in honorē Dei. Idē etiā dicendū est de grauitate supplicij crucis vsq; ad mortem: quod quidē supplicium in genere pœnæ sumit quantitatem ex pretio inæstimabili vitæ Christi, atq; adeo illius Satisfactio in esse recōpensationis injuriæ valorē sumit ex dignitatē ex re oblata in recompensationem injuriæ.

5 Cōfirmatur primò. In humanis Satisfactionibus pro injurijs quantitas Satisfactionis, & eius valor augetur ex dignitate illius rei, quæ in recōpēsationē pro injuria illata offertur: si enim Rex Hispaniæ, vt Regi Galliæ Satisfaceret pro injuria illata, suū proprium Filiū illi in seruū traderet, certè maior esset Satisfactio, & recōpēsatio injuriæ, quàm si aliquē consanguineum suum illi in seruum tradidisset: & multò maior esset, si Filiū suū Primogenitū, & Regni hæredē traderet: & multò maior, si seipsum illi in seruum offerret. Ergo à simili Satisfactio Christi magnā sumit dignitatem, & valorem in ratione recōpēsationis injuriæ ex eo quod seipsum, & suum sanguinem in honorem Patris voluntariè fuderit pro hominum offensis recōpensandis: nulla enim ratio discriminis re bene perpensa assignari potest.

6 Confirmatur secundò. Si intelligeremus, sanguinem alicuius hominis sancti hypostaticè Vnitum Diuinæ Personæ, nō tamen naturam humanā talis hominis assumptam esse à Deo, voluntaria effusio proprij sanguinis huius hominis sancti in recōpēsatione pro peccatis proprijs, aut alienis, esset multò maioris valoris, & dignitatis, quàm si sanguis nō esset vnitus hypostaticè Diuinæ Personæ: ergo Satisfacto, vt Satisfactio dignitatem, & valorem sumit ex re oblata in recompensationem pro injuria illata. Ergo idē dicēdū erit de Satisfactione Christi, nā ꝙ sanguis Christi effusus sit à Persona infinita, ille autem alter effusus esset à Persona finita,

nihil impedit, quominùs Satisfactio Christi dignitatem, & valorem accipiat à dignitate, & valore effusi sanguinis, sicut in casu posito Satisfactio illius hominis sancti acciperet.

7 Confirmatur tertiò: quia beneficij recompensatio magnam dignitatem sumit ex re oblata in recompensationem, vt per se notum est: ergo etiam recompensatio injuriæ illatæ magnam dignitatem, & valorem accipit ex dignitate, & valore rei oblatæ, vt oblatæ in recompensationem. Quartò, quia Clemens VI. in Extrauaganti, Vnigenitus, disserens de Christi Satisfactione aperte docet, magnam dignitatem, & valorem accepisse ex infinito valore sanguinis Christi oblati in recompensationem pro nostris peccatis. Imò ipsemet Vincentius author huius sententiæ, quam impugnamus, pag. 314. Hac prima ratione vtitur ad probandum, Christi Satisfactionem esse infinitam: quia, scilicet, sanguis Christi propter vnionem ad Verbum est infiniti valoris, & dignitatis, & ille effusus est in recompensationem pro nostris peccatis. Quare nullo modo negari potest, Satisfactionem Christi in esse Satisfactionis magnam dignitatem, & valorem à re oblata accepisse.

8 Secunda pars conclusionis, nempe, quòd Sacrificium Christi à re oblata valorem acceperit, probatur primò ex Concilio Tridentino sessione. cap. 2. vbi Sacrificium Missæ, propterea dicitur esse propitiatorium pro peccatis, quia in illo idem ipse Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in Ara Crucis se obtulit Deo. Ergo sacrificium non solùm ex parte offerentis, sed etiam ex parte rei oblatæ est propitiatorium pro peccatis: atque adeò valor Sacrificij, & ipsius efficacia ad delenda peccata, non ex offerente tantùm, sed ex re etiam oblata desumenda est. Item ex hoc testimonio Concilij manifestè colligitur, Satisfactionem Christi in esse Satisfactionis valorem accepisse ex re oblata, quia eò Sacrificium crucis fuit propitiatorium, quò fuit Satisfactorium pro peccatis: non enim quomodocunque propitiatus factus est Deus nobis per Sacrificium Christi, sed quatenùs ex iustitia illo mediante compensauit Christus injurias illatas Deo ab hominibus. Ergo si iuxta Concilium in ratione Sacrificij propitiatoris Sacrificium Christi dignitatem, & valorem sumit ex re oblata, etiam desumet illum ex eadem re oblata, quatenùs est Sacrificium Satisfactorium. Etenim licèt ratio Satisfactionis intelligi possit sine ratione Sacrificij; ratio tamen Sacrificij propitiatorij ex toto rigore iustitiæ intelligi nó potest sine ratione Satisfactionis.

9 Secundò In Sacrificijs veteris legis, quò pretiosior erat victima, aut magnitudine, aut qualitate, eò cæteris paribus Sacrificium erat maioris valoris, & æstimationis: ergo ratio Sacrificij in communi valorem, & æstimationem sumit ex re oblata, vt oblata. Quare idem dicendum erit de Sacrificio Satisfactorio Christi. Antecedens probatur: quia Genes. 4. propterea dicitur, Deum respexisse ad Abel, & ad munera eius, quia non solùm erat dignum illud Sacrificium, ex eo quòd procedebat à iusto, sed etiam quia munera illius erant digna æstimationis.

10 Tertiò. Actio ministerialis Sacerdotis nouæ legis, qua offert Christum in Sacrificium, magnam sumit dignitatem ex re oblata: ergo etiam actio Christi, qua seipsum offert, magnam dignitatem accipit ab ipso, vt est res oblata. Antecedens probatur. Actio Sacerdotis, vt est actio particularis illius, proculdubiò est maioris dignitatis, & excellentiæ, quàm omnis actio Sacrificandi Sacerdotũ veteris legis. sed hãc dignitatẽ nó aliundè sumit, quã ex re oblata: ergo res oblata, vt oblata, magnam dignitatem confert oblationi. Confirmatur idem antecedens. Illa oblatio, qua Simeon obtulit Christum in templo, fuit dignior, quàm si tunc offerret agnum, aut vitulum, vt est per se notum: ergo improbabile est asserere, actionem ministerialem Sacerdotis offerentis Christum in altari, non sumere magnam dignitatem ex re oblata. Quare hoc antecedens non negatur à M. Vincentio, nihilominùs docet, non esse eandem rationem de oblatione Christi, quæ non est ministerialis, sed procedit ab illo, vt à causa principali. Sed contra est, quia nulla probabilis ratio discriminis assignari potest, ob quam actio ministerialis dignitatem possit assumere à re oblata, non verò actio principalis. nam quòd sit principalis, non impedit, quominùs circa rem perfectiorem versetur, & inde dignitatem & valorem sumere possit.

Confirmatur à simili, quia actio Sacerdotis veteris legis procedebat ab illo, vt à causa principali, & immediata, non enim erat actio alterius Sacerdotis, & tamen magnam dignitatem accipiebat ex victima oblata: ergo quòd actio Sacrificandi non sit ministerialis, non est impedimentum, quominùs à re oblata dignitatem accipiat. 11

Tertia pars conclusionis, nempe, operationem Christi, vt meritoriam, à re oblata valorem, & æstimationem accepisse, probatur. Primò Illa oblatio Sacrificij est magis meritoria cæteris paribus, qua pretiosior victima offertur, vt constat ex victimis veteris legis: nam cæteris paribus magis merebatur coram Deo, qui rem pretiosiorem offerebat Domino: ergo Idem etiam cõfirmari potest in alijs operibus meritorijs, in quibus vis meritoria maximè crescit ex dignitate rei, quæ in Dei obsequium exhibetur. Secundò quia licèt dignitas Personæ sit præcipua circũstantia actionis meritoriæ, adhuc tamen circunstantia, quæ appellatur, *Quid,* maximè conducit ad meritum. Et ita D. Thomas infra. q. 48. art. 2. ad 3. Passioni Christi aliquem effectum tribuit in ratione meriti, quem merita præcedentia non habuerunt: non quidem propter maiorem charitatem, sed propter genus operis, quod tali effectui erat conueniens: ergo non sola dignitas Personæ reddebat opera Christi proportionata præmio, sed etiam ipsum obiectum, & materia, circa quam versabantur. Tertiò: quia nulla est ratio, propter quam opus misericordiæ, vt eleemosynæ, aut Redemptionis captiuorum, sumat dignitatem à re oblata in Redemptionem captiuorum in ratione meriti, & opera Christi dignitatem non sumant in ratione meriti à materia, circa quam versantur; & quod ipsa actio Redemptiua, vt erat meritoria, non acceperit magnam dignitatem ex infinita dignitate sanguinis ipsius Christi oblati in Redemptionem pro nostris peccatis. 12

Secunda Conclusio. §. III.

DIGNITAS, Quam Christi operatio, etiam in ratione Redemptionis considerata, sumit ex subiecto, & materia, circa quam versatur, non 13

Digitized by Google

est infinita simpliciter, sed tantùm secundùm quid. Probatur. Primò; quia obiectum, quamuis sit infinitum, non communicat actui suam perfectionem, nisi solùm iuxta modum, & mensuram, qua attingitur ab actu; & ideò si finito modo actus reudit in obiectum, non accipit ab illo, tametsi infinito, nisi finitam perfectionem: sed operationes humanæ Christi, quia erant finitæ, & limitatæ in esse qualitatis, & actionis, finito modo attingebant obiectum, & materiam, circa quam versabantur: ergo ab illa vt sic non poterant accipere infinitam simpliciter dignitatem, & valorem.

14 Secundo. Actus virtutum Theologicarum, qui habent pro obiecto immediato ipsum Deum infinitum, non accipiunt ab hoc obiecto infinito dignitatem, & valorem infinitum: ergo similiter etiam actus religionis Christi, quo se, vitamq; suam, & sanguinē Deo pro nobis offerebat, nequiuit accipere infinitam dignitatem simpliciter ab his rebus oblatis, vt oblatis; quia hoc modo solum se habent vt obiectum respectu actus religionis. Tertio: quia ex opposita sententia sequitur, oblationem Simeonis, & Beatissimæ Virginis, qua Christum in templo obtulerunt, fuisse infinitæ simpliciter dignitatis, & valoris: atq; adeò meruisse per illam quodcumq; maximum præmium, & illam non fuisse sufficienter remuneratam à Deo per præmium finitū. Sed est omninò certum, Deum finita gratia sufficienter imò vltra condignum remunerasse illam oblationem: ergo non fuit infinitæ dignitatis simpliciter.

15 Dices, illam oblationem non fuisse simpliciter infinitam in ratione meriti, & Satisfactionis; non tamen probari eo argumento, quòd nō fuerit simpliciter infinita in ratione redemptionis. Contra hoc obijcitur quartò. Non aliter Christus nos à peccatis redemit, nisi pro illis Satisfaciendo, ac promerendo nobis gratiam, per quam ab illis liberaremur: sed Satisfactio secūdùm oppositam sententiam, nō est infinita simpliciter à re, quæ in cōpensationem pro injuria illata offertur, nisi Persona Satisfacient sit infinita: ergo neque redemptio est infinita in esse redemptionis, ex eo solùm quòd versatur circa rem infinitam, tanquam circa materiam, & obiectum. Maior probatur ex D. Thoma infra. q. 48. art. 4. vbi ait: Christum morte, & passione sua operatū fuisse nostram redemptionem, quia passio ipsius fuit sufficiens, & superabundans Satisfactio pro peccato, & reatu pœnæ generis humani nam ipsa Satisfactio, qua quis Satisfacit, siue pro se, siue pro alio, pretium quodammodò dicitur, quo seipsum, vel alium redimit à peccato, & pœna, iuxta illud Daniel. 4. *Peccata tua eleemosinis redime.* Idem repetit D. Thomas in responsione ad primum. Ergo ex mente illius in ipsa ratione Redemptionis includitur formaliter ratio Satisfactionis pro peccato: atq; adeò Christus redemit nos à peccatis, quia Deo pro nostris peccatis Satisfecit.

16 Secundò probatur eadem maior; quia si solùm intelligamus, Christum effusione sui sanguinis recompensasse iojuriam illatam Deo ab hominibus, & illis promeruisse gratiam, & auxilia supernaturalia, quibus vitam æternam consequi possent, eò ipso, quamuis nihil aliud intelligamus, intelligimus homines quò ad sufficientiam ab omnibus peccatis liberatos, & libertatem Filiorum Dei accepisse: ergo eo ipso intelligimus illos esse Redemptos à peccatis: ergo Redemptio, vt Redemptio, non est aliquid distinctum ab actione meritoria, & Satisfactoria Christi.

Tertiò. Redemptio nihil est aliud, quàm liberatio à peccatis, & à pœnis debitis pro illis: sed eo ipso quòd intelligimus, Christum Satisfecisse pro peccatis hominum, & pœnis debitis pro illis, intelligunt homines liberari à peccatis, & pœnis debitis pro illis: ergo eò ipso intelliguntur Redempti à peccatis. Ergo impossibile est, vt Redemptio intelligatur infinita, quin Satisfactio intelligatur etiam infinita. Quartò probatur eadem maior. Ideò oblatio, qua Christus se obtulit morti, est Satisfactio, quia est Solutio pro injuria illata; sed vt est Redemptio à peccatis, nihil aliud est, quàm Solutio injuriæ illatæ: ergo in ratione Satisfactionis essentialiter includitur, quod sit Redēptio à peccatis: & contrà, in ratione Redēptionis à peccatis essentialiter includitur, quòd sit Satisfactio pro peccatis. Ergo nequit esse Redemptio à peccatis in ratione Redemptionis infinita simpliciter, quin in ratione etiam Satisfactionis sit simpliciter infinita. 17

Tertia Conclusio. §. IIII.

ACTIO Redemptiua Christi Domini summit dignitatem, & valorem simpliciter infinitum, à Persona redimente. Hæc conclusio sequitur ex dictis; quia implicat intelligere actionem Christi qua nos à peccatis Redemit, nisi intelligatur in ratione compensationis injuriæ, sed implicat; cā intelligere in ratione cōpensationis injuriæ, nisi valorē, & dignitatē sumat à Persona, à qua procedit: ergo implicat intelligere actionē Redemptiuam in ratione Redemptionis, quin dignitatem, & valorem sumat à Persona Redimēte. Ergo implicat contradictionem, quod operatio Christi, vt Satisfactoria, & meritoria, sumat dignitatē, eamq; simpliciter infinitam, à Persona Satisfaciente, & merente, nō verò vt Redemptiua à Persona Redimente. Cōfirmatur. Per Redemptionē Christi, vt est Redeptio, eripimur à seruitute peccati, & auferetur à nobis reatus pœnæ æternæ, & secundò reuocamur in libertatē Filiorum Dei: sed primum intelligi non potest sine recompensatione offensę Dei, & pœnæ illi debitæ, atq; adeò sine Satisfactione secundùm etiam nequit intelligi sine merito gratiæ, qua efficiamur Filij Dei, & cohæredes Christi: ergo contradictionem inuoluit, intelligere Redemptionem nostram, & non intelligere etiā Satisfactionem pro peccatis, & meritum gratiæ. Sed tam Satisfactio, quàm meritum sumunt dignitatem simpliciter infinitam à Persona, à qua procedunt: ergo & Redemptio. 18

Secundò idem probatur ab inconuenienti. Si Redemptio solùm accipit infinitatem à re oblata, & nullo modo requirit dignitatem Personæ Redimētis; ergo oblatio Sacerdotis, qua offert Christum, vt est à Sacerdote, & vt est opus operantis, est sufficiens ad Redimendum mundum ex toto rigore Iustitiæ. Et idem dicendum est de oblatione Simeonis, & Beatissimæ Virginis, quando Christum in templo obtulerunt. Imò etiam sufficeret oblatio agni, aut arietis, cuius natura esset Deo hypostaticè vnita; quamuis illa oblatio procederet ab homine puro, imò in puris naturalibus: vel licèt in peccato mortali existeret: nihil enim deesset his oblationibus ad infinitatem Redemptionis, si non re- 19

quiritur Personæ dignitas, neq; Redemptio, vt Redemptio, includit Satisfactionem, aut meritum; vt inquit Vincentius.

20 Sed Respondet loco citato, concedendo has omnes illationes, si Deus ita ordinare voluisset. Addit tamen, quod in hiscasibus deesset infinitas Satisfactionis, & meriti. Et ideò per huiusmodi Redemptionem non omninò sufficienter esset mundus Redemptus. Sed vtrumq;, & quod Vincentius concedit, & quod negat, est falsum. Et primum, quod concedit, nempe, Personã finitæ dignitatis potuisse redimere mundum ex toto rigore Iustitiæ, pugnat cum communi Patrũ, & Theologorum consensu, qui docent ad Redemptionem rigorosam fuisse necessariam infinitam Personæ dignitatem. Alterum etiam, quod negat, scilicet, mundum tunc non fore sufficienter Redemptum, quia deesset infinita Satisfactio, & meritum gratiæ, & gloriæ, est simi liter falsum: quia omnes Theologi ex his locis, in quibus Scripturæ, Concilia, & Patres docent, Christum à peccatis nos redemisse, probant tanquã omninò certũ, & de fide, Christũ pro nostris peccatis Satisfecisse. Quę quidem probatio nulla esset, si Redemptio à peccatis secundùm propriam rationem Redemptionis, non includit Satisfactionem pro peccatis: hoc verò Satisfactionis nomen nullibi in Sacra Scriptura reperitur. Secundò. Si mundus esset Redemptus ex toto rigore Iustitiæ quoad sufficientiam per oblationem procedentem à Persona finita: ergo peccata essent remissa à Deo propter Iustam compensationem, atq; adeò propter Satisfactionem: quia Satisfactio nihil aliud est, quàm compensatio pro peccato. Cõsequentia probatur: quia si Deus nobis peccata remitteret, & reatũ pœnæ propter exhibitionem pretij æquiualentis tali peccato, & pœnæ: ergo remitteret culpam, & pœnã propter Iustã recompensationem; atq; adeò propter Satisfactionem æquiualentem. Ergo sufficienter esset mundus Redéptus à Persona finita per oblationem rei infinitæ.

21 Tertiò. Ideò Christus nos emit, & à seruitute diaboli redemit, quia emit nostram libertatem, sed illam nõ emit à Deo, nisi eam suis actibus promerendo, & Satisfaciendo pro culpa, quæ nos in seruitutem Diaboli redegerat: ergo Intelligi non potest Redemptio nostra sine merito, & Satisfactione: ac proinde si datur Redéptio, datur meritum, & Satisfactio. Vt autem hæc melius percipiantur, diluenda sunt argumenta, quibus M. Vincentius suam sententiam confirmat.

Solutio Argumentorum. §. V.

22 PRIMVM Argumentum Vincentij est. Satisfactio propriè loquendo non fit pretio, vilis enim reputatur, qui pretio suum æstimat honorem, & qui cõpensationem honoris per injuriam læsi vult fieri sibi pretio; sed Redemptio propriè fit, ergo Redemptio, vt Redemptio, non includit Satisfactioné. Confirmatur primò. Satisfactio propriè, & per se primò non fit in commodum Satisfacientis, sed eius, cui fit Satisfactio; sed qui pretium offert, vt offert ille, qui Redimit, per se primò intendit aliquid sibi tali pretio acquirere; ergo qui Redimit, quatenùs Redimit, nõ Satisfacit. Consequentia probatur: nã quatenùs Redimit, per se primò suum commodum intendit, & non commodum alterius.

Confirmatur secundò. In ratione Redemptionis nõ includitur ratio Sacrificij; ergo neque ratio Satisfactionis. Consequentia tenet à paritate rationis, & antecedens probatur: quia in ratione Redemptionis includitur ratio pretij, sed in ratione Sacrificij non includitur ratio pretij ergo in ratione Redemptionis non includitur ratio Sacrificij. Maior est euidens; & minor probatur. Res, quæ immolatur, & Sacrificatur, non ordinatur ad emendum aliquid à Deo, sed ad religiosam, & submissam venerationem illi exhibendam in recognitionem suæ celsitudinis: ergo ratio Sacrificij non includit rationem pretij. 23

24 Ad hoc Argumentum cum suis confirmationibus Respondetur, illud procedere ex falsa persuasione, fundata in Methaphorica quadam locutione emptionis, & Redemptionis. Certum enim est, nulla alia ratione Christum emisse à Deo nostram libertatem Filiorum Dei, quàm promerendo nobis gratiam, qua ex Filijs iræ efficeremur Filij Dei, & naturæ Diuinæ consortes. Neq; fingi potest alius modus, quo sine Methaphora dici possit nostris libertas empta à Christo, & vendita à Deo. Similiter non aliter dicimur Redempti à peccatis, nisi quatenùs liberati sumus ab illis per Iustam Satisfactionem. Neque alius modus Redemptionis à peccatis, qui pretio fiat, potest rationabiliter excogitari. Quare sicut cùm dicimus per Methaphoram, pratum ridere, & hominem florescere: nihil aliud significamus secundùm proprietatem, quàm Pratum florescere, & hominem ridere: ita cùm Paulus dicit, nos esse emptos pretio magno, & Petrus docet, Redemptos esse pretioso sanguine Christi ex vana nostra conuersatione, nihil aliud vterq; secundùm proprietatẽ docet, quàm Christum pro nostris peccatis Satisfecisse, nobisq; promeruisse gratiam, qua à peccati seruitute liberaremur. Vndè pretium nostræ emptionis, & Redemptionis à peccatis, vt rectè obseruauit D. Thomas loco citato, non est aliud, quàm ipsa Christi Satisfactio, vel meritum: quæ per Methaphoram rationem pretij induunt. Quòd si sanguis Christi, imò & ipse Christus; dicitur nostræ Redemptionis pretium, id quidem etiam est per Methaphoram ad eum modum, quo iuxta illud Danielis. 4. *Peccata tua eleemosynis redime:* Eleemosyna, vt Satisfactoria pro peccatis, vel vt oblata per actum Satisfactorium, appellatur pretium pro peccatis. Ex quo facilè Respondetur ad argumentum negando antecedens, si de pretio Methaphorico intelligatur, quod nihil aliud est, quàm ipsa Satisfactio, vel materia Satisfactionis, quatenùs denominatur ab actu Satisfactionis.

25 Ad Primam confirmationem concessa maiori, distinguitur minor. Qui enim offert pretium proprium, & non Methaphoricum, verè intendit tali pretio aliquid sibi acquirere in proprium commodum, saltem non in eius commodum, qui pretium accipit. Qui verò offert pretium Methaphoricum, quod in præsenti non est aliud, quàm Satisfactio pro injuria, & pro pœna illi debita, non primariò, & per se intendit aliquid sibi acquirere, nec primariò & per se solicitus est proprij commodi, sed primariò intendit soluere debitum contractum ex injuria illata, ex qua Solutione debiti sequitur liberatio à culpa, & pœna, quod est cõmodum Satisfacientis: quod quidem commodum in tali Methapho-

thaphorica Redemptione non intendebatur per se primò à redimente. Et iuxta hunc duplicem sensum illius minoris, concedenda, vel neganda est consequentia huius confirmationis.

26 Ad secundam confirmationem distinguendum est antecedens. Etenim in ratione Redemptionis in cōmuni non includitur ratio Sacrificij, quia potuit aliter fieri nostra Redemptio, quàm per Sacrificium. At in ratione nostræ Redemptionis, vt Christus de facto est eam operatus, verè includitur ratio Sacrificij: & in hoc sensu falsum est antecedens. Ad probationem autem, concessa maiori, si de pretio Methaphorico intelligatur, neganda est minor, quia res, quæ immolatur, & Sacrificatur Deo per Sacrificium propitiatorium, & Satisfactorium, quale fuit Sacrificium crucis, Methaphoricè potest dici pretium, quo qui Sacrificium offert, Redimit à peccatis eos, pro quibus illud offert, & emit à Deo libertatem eorum à peccatis: quia sicut res, quæ ita Sacrificatur, ordinatur ad promerendam veniam à Deo, & ad resarciendū ius læsum, quod est Satisfacere Deo: ita ordinatur ad emendam Methaphoricè veniā, & Redimendum hominem à peccatis, sub qua ratione Methaphoricè induit rationem pretij.

27 Secundum argumentum est. In emptione, & venditione, rerum, aut nihil consideratur qualitas, vel dignitas ementis, sed ad pretium tantùm habetur respectus, nec pluris æstimatur pretium in emptione exhibitum à Rege, quàm ab homine priuato; ergo cùm Redemptio in ratione Redemptionis considerata, fuerit quædam emptio, qua Christus dato sui pretiosi sanguinis pretio libertatem, quam genus humanum per peccatum amiserat, emit à Deo, ad valorem Redemptionis formaliter consideratæ non per se attinebit dignitas Personæ Redimentis, sed sola quantitas pretij.

28 Confirmatur. In merito, & Satisfactione ideò dignitas Personę auget valorem, quia is, qui Satisfacit, & meretur, non solum propriam operationem, sed semetipsum subijcit, & submittit in eius obsequiū, apud quem meretur, vel cui Satisfacit: sed in Redemptione præcisè considerata in ratione Redemptionis, Redemptor pretium quidem tradit in eius potestatem, à quo captiuum redimit, non verò seipsum illi submittit, & subijcit, sed ita se habet in emenda captiui libertate, ac si illo pretio equum emeret: ergo Redemptio, vt Redemptio non accipit dignitatem à Persona Redimente. Ad hoc argumentum concesso antecedenti, si de vera emptione, aut Redemptione intelligatur, non verò de Methaphorica, quæ per quandam eminentiam dicitur Redemptio, negatur consequentia, quia nostra Redemptio à peccatis, & emptio libertatis non per proprietatem, sed per eminentiam, & Methaphoram participat rationem emptionis, & venditionis; quia pretium earum non est distinctum à Satisfactione, & merito.

29 Ad confirmationem negatur minor, si de nostra Redemptione intelligatur; nam Christus, quatenùs se dedit in pretiū pro nobis factus obediens vsq; ad mortem, vere se humiliauit, & submisit Deo. Et qui negauerit Christum fuisse operatum nostram Redemptionem, se humiliando, & submittendo Deo, etiam si Redemptio formaliter sumatur in ratione formali Redemptionis, non solùm id falsò negabit, sed temerè: cùm Paulus dicat, Christum nos redemisse à maledicto legis, factum pro nobis maledictum: sed fieri pro nobis maledictum, fuit magna Christi humiliatio: Christus ergo formaliter nos redemit humiliando, & submittendo se Deo. Deinde, Redemptio est actus, qui 30 residet in voluntate creata Christi, atq; adeò debet ordinari in Deum tanquam in vltimum finem: ergo per actum Redemptionis, vt Redemptionis honorauit Christus Deum, ac proinde vt sic illi se submisit. Etenim qui obsequium, & honorem alteri præstat, vt sic illi se submittit, & subijcit, ergo in ratione formali Redemptionis nostræ includitur subiectio Christi respectu Dei. & ita includitur, vt si ab illa præscindatur ratio obsequij Diuini, nulla ratione intelligi possit vt actio honesta, atq; adeò neq; vt seruitium exhibitū Deo, & per consequens neq; vt Redemptio. Id autem, quod addit argumentum, nempe, Christum ita emisse nostrā libertatem à Deo, vt poterat emere equum, indignum est modestia Theologica, & satis superq; falsitatis ex dictis redarguitur. Imò verò ratione naturali etiam constat, nos à Deo nihil emere posse; si emptio secundùm proprietatem accipiatur: ad eam enim requiritur exhibitio pretij, quod non sit eius, à quo emimus, & translatio dominij rei emptæ. Deus autem nec potest suum Dominium in alterum transferre, nec pretium à nobis accipere, quod non sit propriū ipsius ergo, &c.

Tertium argumentum, quo probat Vincentius, Re- 31 demptionem in ratione Redemptionis, sumere infinitatem simpliciter, & non solùm secundùm quid, ab infinitate pretij oblati, est hujusmodi. Potissima ratio emptionis, prout est formaliter emptio, pensatur ex pretio: ergo qualitas eius, & quantitas ex pretio quoq; desumitur. Sed Redemptio non est aliud, quàm emptio: ergo ex infinitate pretij humanæ Redemptionis desumenda est. Sed nostra Redemptio est infinita simpliciter: ergo tota hæc infinitas simpliciter ex pretio oblato desumenda est. Confirmat idem testimonijs Petri, & Pauli locis supra citatis, qui magnitudinem, & æstimationem Redemptionis humanæ ad ipsam pretij granditatem, & excellentiam reuocarunt. Idemq; docent omnes Patres, & expressiùs Clemens. 6. in extrauaganti, Vnigenitus. Ergo Redemptio nostra non solam infinitatem secūdum quid, sed infinitatem simpliciter accipit à re oblata, præcisa quauis dignitate Personæ.

Ad argumentum Respondetur, antecedens esse verū 32 de propria, & formali ratione emptionis, falsum verò de Methaphorica, & eminenti, & ideò negatur consequentia, si ex ratione propria emptionis ad Methaphoricam, & eminentem fiat illatio. Ad confirmationem vt Respondeamus, aduertendū est, quòd sicut pecunia non dicitur eleemosyna, nisi prout erogatur per actum interiorem eleemosynæ: sic etiam sanguis Christi, licet secundùm se consideratus, sit res, quæ erogatur in pretium pro nostra Redemptione, non tamen dicitur pretium Redemptionis, nisi prout voluntarie effusus, & oblatus Deo pro nostrorum peccatorum recompensatione. Cùm igitur D. Petrus sanguinem Christi docet esse pretium Redemptionis nostræ, non considerat illum secundùm se, sed vt est voluntarie oblatus, & effusus à Christo, agno immaculato in honorem Patris. Ex quo agno immaculato, & incontaminato, hoc est,

Diuinitate

Dignitate Sancti [illegible] aperte [illegible] Petrus, [illegible] [illegible] esse dignitatem, & valorem Sanguinis Christi in esse pretij nostræ Redemptionis; & non solum [illegible] ex ipsa singularis dignitate, tametsi in se considerata, [illegible] infinita. Non enim sanguis Christi aliter est pretium nostræ Redemptionis, quàm vt obiectum [illegible] [illegible], aliter [illegible] [illegible] Christi Satisfactio [illegible], etiam secundum [illegible] [illegible] accipit à Persona Satisfaciente [illegible] Sanguis Christi, vt pretium nostræ Redemptionis, in esse pretij valorem accipit & infinitatem [illegible]. Sicut enim eleemosyna, quam Christus [illegible] erogabat, etiam in esse [illegible] dignitatem simpliciter infinitam [illegible], sed ex dignitate offerentis [illegible] Christi [illegible] pretij Redemptionis, nō [illegible] dignitatem simpliciter infinitam ex propria dignitate in esse [illegible], sed ex dignitate infinita Personæ [illegible] in pretium nostræ Redemptionis. Et sicut eleemosyna Christi dignitatem aliquā, & valorem [illegible], vel infinite ex re oblata [illegible] illius: sic etiam pretium Redemptionis nostræ ex infinita Sanguinis dignitate valorem accepit, non quidem infinitum simpliciter, sed secundum quid, quatenus maximus erat, qui esse oblatus [illegible] poterat. Clemens autem 6. in [illegible] extrauagan. [illegible] rationis infinitatis pretij Redemptionis [illegible], nempe, Sanguinis eiusdi, aperte meminit, nam infinitatem illius in esse pretij non solum [illegible] ex Vnione ipsius ad Verbum, sed etiam ex dignitate Personæ Diuinæ illum effundentis.

33 Quartum. Quò res oblata est maioris æstimationis, & valoris, eò cæteris paribus oblatio est maioris valoris: ergo cùm res oblata est infiniti valoris simpliciter, oblatio erit infiniti valoris simpliciter, tametsi procedat à Persona finita: ergo non solùm infinitatem secundùm quid, sed infinitatem simpliciter sumunt actiones Christi à re oblata. Confirmatur. Res oblata, moraliter loquendo, facit vnum compositum morale cum actu oblationis, ita vt ipsa oblatio, & eius obiectum accipiantur per modum vnius; ergo si res oblata est infiniti valoris simpliciter, oblatio, vt oblata, erit infiniti valoris simpliciter. Consequentia probatur: quia propterea eleemosyna, quia res infiniti valoris in honorem Dei daretur pauperibus, absolutè, in esse eleemosynæ, esset eleemosyna simpliciter infinita: ergo à re oblata potest oblatio accipere valorem simpliciter infinitū.

34 Ad hoc argumentum concesso antecedenti, negatur cōsequentia, alias omnes actus, qui circa obiectum infinitum versantur, essent infinitæ perfectionis. Ratio autem à priori, propter quā hæc calculatio infinitatē non infert, est, quia licet res oblata cōferat dignitatem actui oblationis, qui circa illā versatur, semper tamen eam confert secundùm illam proportionem, secundùm quam actus versatur circa illam: nempe, secundùm proportionem modi tendendi actus in illam. Quare quandiu actus oblationis finito, & limitato modo versatur circa rem oblatam, finito etiam, & limitato modo accipit dignitatem ab illa.

35 Ad confirmationem Respondetur, nos in præsenti non disputare, An compositum ex actu oblationis, & re oblata sit infinitum simpliciter, quando res oblata est simpliciter infinita, sed tantùm asserimus, actū oblationis non sumere à re oblata, quamtumuis ea sit infinita simpliciter, valorem, & dignitatem infinitam, quandiu finito, & limitato modo circa illam versatur.

Secundò Respondetur, illud compositum ex re oblata, & oblatione posse dupliciter considerari. Primò, vt 36
compositum quoddam per accidens, & hoc modo si res oblata est infinita simpliciter, compositum erit infinitum simpliciter. Secundò potest considerari compositū ex oblatione & re oblata, non quomodocūq;, sed vt est oblata per talem actū oblationis: & sic illud compositum non est maioris dignitatis, quàm sit oblatio, à qua res denominatur oblata. Et ita licet ea secundùm se sit infinita simpliciter, vt tamen oblata est, non est infinita, quandiu finito, & limitato modo offertur, Idq; aperte cernitur in composito ex eleemosyna erogata à Vidua Euangelica, & actu interiori, quo mediante illam obtulit: & in composito ex eleemosyna tributa ab aliquo Principe Pharisæorum, & actu, quo illam obtulit. Quæ duo composita, si in esse rei considerentur, hoc vltimum excedit primum; non verò si considerentur formaliter in esse eleemosynæ. Ex quo manifeste intelligitur, quo pacto ex re infinita, & actu finito oblationis in esse oblationis non resultet compositum simpliciter infinitum. Probatio autem consequentiæ potius facit pro nobis, quàm pro aduersarijs, quia licet aliquis desideret, infinitas pecunias pauperibus erogare, adhuc si finito actu desiderat, ille actus in esse eleemosynæ est finitus.

SEPTIMA DISPVTATIO.

VTRVM in Christi Satisfactione vera, & propria Iustitia intercesserit. Hoc est. An valor Satisfactionis Christi fuerit sufficiens secundùm veram, & propriam, aut essentialem rationem Iustitiæ. De qua difficultate non est consentiens Theologorum sententia.

Prima Opinio. §. I.

PRIMA Sententia negat in Christi Domini Satisfactione veram rationem Iustitiæ intercessisse. Sic docent illi Theologi, qui, vt vidimus Disput. 4. asserebant, Christi Satisfactionem ex se non fuisse condignam; & æquiualentem peccatis humani generis. Idem etiam docet M. Gabriel Vazquez 1. p. Disput. 15. & 16. Vbi licet cum catholicis sentiat, Satisfactionem Christi secundùm se sumptam, non solum fuisse sufficientem, sed etiam superabundantem: ait tamen, in ea neq; ex parte Christi offerentis, neque verò ex parte Dei acceptantis interuenisse Iustitiam propriè, sed latè, & impropriè tantùm, hoc est, modū, & similitudinem Iustitiæ, quatenus omnimoda æqualitas, & cōdigna proportio inter Satisfactionem Christi, & remissionem peccatorum fuit seruata, sine vlla tamen Christi, aut Dei obligatione; quæ ad propriam Iustitiam erat omninò necessaria. Probatur autem hæc sententia. Primò. Inter Christum, & Deum non est propriè habitus, & virtus Iustitiæ: ergo in Christi Satisfactione non reperitur vera, & propria Iustitia. Cōsequentia est euidens, & antecedens probatur. Christus, in quātum Deus, est idem cum alijs personis, neque potest per virtutem

virtutem Iustitiæ ad eas ordinari; neque inquantùm est Deus homo, quia vt sic etiam æqualis mansit. Quatenus autem est homo, est Deo inferior, illiq; subiectus, & eius obediens dominio, & Imperio: ergo non erat propriè virtus iustitiæ inter Christum, & Deum. Probatur hæc consequentia: nam iustitia propria est, vbi reperitur æqualitas; est enim obiectum iustitiæ æquale, & iustum.

3 Confirmatur. Inter Patrem, & Filium, inter seruũ, & Dominum formaliter, iustitia reperiri non potest propriè loquẽdo, eo quòd Filius est aliquid Patris, à quo participat esse, & ita semper respicit illum, vt superiorem, eiq; naturali Vinculo subjicitur. Similiter seruus, quidquid est, Domini est, & illi subditur legali annexione: vndè potestatem dominatiuam exercet in seruum, qui iure Dominus est. Cùm ergo Christus, quatenùs homo est, sit creatura, & ex consequenti seruus Dei, est subiectus Deo tanquam creatori, & tanquàm superiori, & Domino: ac proinde nequit intelligi ratio iustitiæ propriè inter ipsum, & Deum; quia magis dependet à Deo, secundum quòd est homo, quàm filius à patre, & magis subjicitur Diuinæ dominationi, quàm seruus Domino suo. Ergo in Christi Satisfactione nulla potuit reperiri vera, & propria iustitia.

4 Secundò. De ratione propriæ, & veræ iustitiæ est, quòd sit ad alterum; sed Satisfactio Christi non fuit ad alterum: ergo non fuit actus iustitiæ. Maior est Aristotilis, & omnium Philosophorum 5. Ethicorum cap. 1. de qua legatur D. Thomas 2. 2. q. 58. art. 2. Minor autem probatur. Satisfactio fit ipsi Deo, qui scilicet, erat offensus, ac proinde fit ipsi Christo, qui quatenùs est Deus, tam offensus fuit à peccatoribus, quàm Pater ac Spiritus Sanctus: Sed Deus, vt Deus non est alter à Christo, & multò minùs ipse Christus, est alter à se ipso: ergo hæc Satisfactio non fuit ad alterum.

5 Confirmatur. Christus non Satisfecit Patri suo, quatenùs est alius à Filio: ergo non Satisfecit alteri, & sic neq; propria iustitia potest reperiri in hac Satisfactione. Consequentia patet, & probatur antecedens. Non Satisfecit Patri, vt Pater est, sed vt Deus, nam vt Deus erat offensus, non vt Pater, siquidem offensa non est propria alicuius personæ, sed communis omnibus: ergo Satisfactio non debuit fieri alicui personæ in particulari, sed tribus, quatenùs sunt vnus Deus: atq; adeò Christus non Satisfecit alteri.

6 Dices, Christum, vt hominem esse alterum à Deo saltem secundùm rationem, & alterùm à se ipso, quatenùs Verbum Diuinum, vt est persona humana, siue, vt est vnitum humanitati, differt ratione à se ipso, prout est persona Diuina: & istam rationis diuersitatem, seu alteritatem esse sufficientem ad veram iustitiã cõstituendam. Sed contra hanc responsionem objicitur primò.

7 Si sola rationis diuersitas sufficit ad constituendam veram iustitiam, sequitur, quòd eiusdem suppositi ad se ipsum, quatenùs per vnam potentiam mouet, & imperat, & per alteram obedit, & mouetur, possit esse propria iustitia: sed consequens est absurdũ: ergo. Sequela probatur: tum, quia etiam in hoc casu reperitur distinctio rationis in supposito per ordinem ad diuersas potentias, sicut in Persona Christi per ordinem ad diuersas naturas. Tum etiam, quia nihil aliud obstat, vt inter diuersas potentias eiusdem suppositi vera iustitia reperiri non possit, nisi vnitas ipsarum in eodem supposito; sed eum hac vnitate saluatur vera rationis alteritas, & distinctio, quoad veram, & propriam iustitiam sufficit iuxta solutionem assignatam: ergo. 8

Secundò replicatur. Licèt ad veram, & propriã rationem iustitiæ sufficeret illa rationis diuersitas, quam constituit præfata solutio, illa tamen non est sufficiẽs ad perfectam iustitiam. Etenim si de ratione iustitiæ in communi est, quòd sit ad alterum, quantò minor fuerit alteritas inter illos, inter quos versatur talis actus iustitiæ, tantò minùs erit perfecta ratio iustitiæ in ipso actu: ergo ex assignata solutione saltem sequitur, Satisfactionem Christi fuisse minùs perfectam in ratione Satisfactionis, quàm sit illa Satisfactio, quæ inter duos homines inuenitur. 9

Tertiò probatur principaliter hæc sententia. Peccatum originale, pro quo Christus Dominus potissimũ Satisfecit, non fuit peccatum iniustitiæ, neq; cõtra iustitiam: ergo Satisfactio, & compensatio pro hoc peccato nequiuit esse formaliter actus iustitiæ. Consequẽtia patet: nam per iustitiam non compẽsatur, nisi quod per iniustitiã ablatum est. Antecedens autem probatur. Illud Adæ peccatum aut fuit superbiæ, aut inobedientiæ: ergo Christi Satisfactio pro illo peccato Adæ non fuit compensatio pertinens ad iustitiam. Consequentia est euidens: quia non fuit contra iustitiam, siquidem solùm fuit peccatum superbiæ, aut inobedienciæ. Dices quòd illud Adami peccatũ includebat etiã iniustitiam, quatenùs erat contra honorem Diuinum. Sed contra hoc est, quia sequeretur, omnia peccata esse contra iustitiam, quod est falsum. 10

Quartò. Satisfactio Christi, vt ab ipso procedebat, & offerebatur Patri, non erat actus veræ, & propriæ iustitiæ, neq; vt ab ipso æterno Patre acceptabatur: ergo nullo modo. Antecedens quò ad priorem partem probatur. Christus non tenebatur ex iustitia mori pro hominibus, aut pro illis Satisfacere: poterat enim teneri ex obedientia, vel ex charitate, si præceptum illi impositum est; sed ex iustitia non est, vndè obligari potuerit: ergo illa Satisfactio, vt ab illo procedebat, non erat actus iustitiæ: quia repugnat, esse actum iustitiæ sine obligatione iustitiæ. Si dicatur, potuisse Christum teneri ex iustitia ex aliquo pacto, vt hominum fideiussorem: contra est. Ipsimet homines non tenentur ex propria iustitia Deo pro peccatis Satisfacere, sed ex Pœnitentia, vel Religione: ergo licèt concedatur, Christũ in se suscepisse debitum, & obligationem hominum, illa ad iustitiam pertinere non poteft: quia obligatio fideiussoris nequit esse maior, quàm debitoris principalis.

Secunda pars antecedentis, nempe, non fuisse in Deo actum iustitiæ, acceptare Christi Satisfactionem, probatur Primò: quia nulla persona offensa tenetur acceptare Satisfactionem ab alio, quàm ab ipso offendente, vt patet ex differentia inter Satisfactionem, & restitutionem: etenim quia restitutio respicit ipsas res, si reddatur res æqualis, nihil refert, quòd ab vno, vel ab altero reddatur: at verò cùm offensa, & Satisfactio respiciat actiones, & personas, nullus tenetur Satisfactionẽ acceptare, nisi ab eadem persona offendente, alioquin nõ resarciretur illa improportio, vel inæqualitas, quæ inter 11

inter Personam offendentem, & offensam intercesit.

12 Secundò probatur: quia obligatio, vel debitum Iustitiæ non habet locum in Deo, quia dicit imperfectionem. Vndè Anselmus in Prosologio cap. 10. & 11. inquit. *Iustus es Domine, non quia reddis debitum, sed quia facis, quod decet.* Dices, obligationem in Deũ cadere non posse absolutè, benè tamen ex pacto. Sed contra hoc replicatur. Primò: quia pactum quodcumq; non tollit, neq; diminuit Dominium Dei, quod habet in actiones Christi: ergo nequit ab illis ex iustitia obligari. Antecedens patet: nam potestas Dominatiua Dei est quædam facultas absoluta, & independens, sicut & suum esse: ergo à Christo, quatenùs homo est, & inferior, non potest coarctari, & obligari, quocumq; pacto, & conditione supposita. Consequentia autem probatur: quia si ex vi actuum Christi, secundùm quòd homo, obligaretur, & teneretur ex Iustitia, iam facultas illius esset determinata, & pendens à talibus actibus, ita vt non posset non reddere, quæ Christus exigebat.

13 Secundò. Deus non potest quacumq; Suppositione facta suum ius à se abdicare, neq; illud habere cum dependẽtia ab aliquo extrinseco; ergo ex pacto nõ obligatur ab actionibus Christi, vt homo est. Antecedens patet: quia Dominium Dei est Deo intrinsecum, & ideò Inseparabile. Est etiam absolutum, & immensum, & sic à nullo extrinseco potest coarctari. Item est Diuinum, & æternum; vndè nec variari, nec minui potest in tempore, & quando Christus suas actiones Satisfactorias in hominum Redemptionem offert. Et tandem est semper perfectissimum, & excedens omne ius creatum: ergo nequit obligari ab actionibus Christi, ita vt teneatur ex Iustitia Satisfactionem acceptare.

14 Respondebis, quod nõ coarctatur, neq; diminuitur, quando solùm ex Suppositione tenetur. Contra hoc replicatur Tertiò: quia ex tali Suppositione Dominiũ aliàs absolutum est dependens ab aliquo, cui Deus in particulari dare tenetur: ergo determinatur, & arctatur Dominium Dei. Confirmatur. Si Christo modò offerente suam Satisfactionem, & suum meritũ, Deus tenetur ex Iustitia acceptare Satisfactionem, relaxare peccata, & præmium tribuere; ergo habet suum ius alligatum, quòd anteà vndiq; absolutum habebat, atq; omninò independens: & ex consequenti manet Dominium Dei variatum, imperfectum, atq; dependens ab aliquo extrinseco, quod anteà non habebat.

15 Quartò. Si Christus, vt homo, habet ius respectu Dei: ergo potest vti illo, quando, & quomodò voluerit. Et ita Deus ex Iustitia esset adstrictus voluntati Christi. Nec Deus facere posset, vt Christus nõ vtatur iure suo, atq; adeò esset aliquid creatum non subiectum Diuinæ voluntati absolutè. Quintò. Deus non est capax obligationis prouenientis ab aliquo extrinseco, siue æquali, siue inæquali: ergo nequit obligari ex Iustitia à Satisfactione Christi, etiàm si habeat infinitum valorem. Antecedens probatur: nam qui vinculo Iustitiæ obligatur, subditur tali vinculo, & nostro intelligendi modo fit illi inferior, sicut qui legi subijcitur, fit inferior legi. Si ergo Deus subijcitur vinculo Iustitiæ, quæ ab aliqua extrinseca Persona proximè oritur, consequenter manet subiectus tali Personæ, ac proindè inferior. Neque sufficit dicere, quòd non maneat inferior, quia hæc subiectio oritur ab ipso Deo liberè promittente, & volente se obligare: qui enim inter homines liberè se vult obligare, & cum altero pactum constituit, procul dubiò manet obligatus, & subiectus Iustitiæ, & illi personæ, quæ iustum exigere potest. Ergo etiam in proposito.

Sextò confirmatur, & explicatur magis hæc ratio. 16
Deus est Dominus absolutus, & vndiq; independens, quia est creator omnium, quæ sunt extra ipsum, & eorundem conseruator: Satisfactio autem Christi, & quælibet illius operatio in tempore facta, & similiter quidquid habet reale, siue Physicum, siue morale fuerit, procedit à Deo creatore, & conseruatore, & ab illo intrinsecè dependet, sicut omnes aliæ res creatæ: ergo manet Deo, & eius Dominio subiecta, non minùs quàm aliæ res. Atq; ita sicut non est intelligibile, Deum ab aliqua creatura obligari, ita neque intelligi potest, à Satisfactione Christi creata adstringi ex iustitia.

Septimò confirmatur: quia voluntas Dei, & pactũ 17
non extrahit actiones Christi à latitudine, & ambitu creatoris, siquidem in hac ratione suos aliquid creatũ: ergo neq; ab ambitu Dominij absoluti, quod Deus habet. Sed Deus est absolutè Dominus respectu actionũ Christi: ergo nequit ab illis, neq; ab aliqua earum de iustitia obligari.

Octauò confirmatur: nam seruus, vt seruus est, in 18
suum herum ius habere non potest, etiam si demus, Dominum velle tribuere seruo, vt sic, tale ius: quia seruus, vt seruus est, manet alteri subiectus, & quidquid est, Domini est: sed omne, quod est extra Deum, & ab illo creatum, manet subiectum Deo, multò magis quã seruus Domino, etiam consideratus formaliter, & quatenùs seruus est, ergo, &c.

Secunda opinio. §. II.

SECVNDA Sententia affirmat in Satisfactione Christi veram, & propriam rationem iustitiæ intercessisse tam ex parte ipsius Christi offerentis, quàm Dei acceptantis. Hanc sententiam, vt certam recipiunt omnes ferè Theologi cum D. Thoma in hoc articulo, in corpore, & in solutione ad. 2. Qui Christum non ex iustitia solùm, sed ex iustitia perfecta, & rigorosa Satisfecisse docent. Imò, & Sancti Patres, dum passim asserunt, Christi Incarnationem fuisse medium necessarium ad hominum Redemptionem, quia aliter à pecato, & Dæmonis potestate ex iustitia liberari non poterant. Supponunt ergo, Christum sua Satisfactione liberasse homines ex iustitia. Idem etiam docet M. Suarez Disp. 4. Sectio. 5. & Sectio. 6. refert plura Sanctorum Patrum testimonia pro hac sententia, præsertim Procli, Augustini, Gregorij, Leonis, & Concilij Tridentini. 19

Probatur autem hæc sententia ex communi totius Ecclesiæ consensu, quæ ita perpetuò sensit. Et colligitur ex Sacra Scriptura, nam ad Rom. 3. Inquit Paulus. *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes, &c. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per Redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum in sustentatione Dei, ad ostensionem iustitiæ Dei in hoc tempore, vt sit ipse iustus, & iustificans eũ, qui ex fide est Iesu Christi.* In quo testimonio 20

timonio maximè perpendendum est, ex sententia Pauli Iustitiam Dei manifestari in Christo,& hoc specialiter in eius morte,& Sãguine apparuisse,quia fuit principale opus Redemptionis, & ex quo Iustitia Dei nobis communicatur. Item. 1. ad Corint. 1. ait Paulus loquens de Christo. * Qui factus est Sapientia, Iustitia, Sanctificatio, & Redemptio.* Dicitur autem Christus factus nobis Iustitia, quia iustè pro nostris peccatis Satisfecit. Vndè cùm Christus propriè dicatur Sapientia, propriè etiam debet dici Iustitia, & Redemptio, quatenùs Iustè redimit,& Sanctificat nos, atq; pro nostris peccatis Deo Satisfacit. Supersedeo à multis Sacræ Scripturæ testimonijs citandis; quia nihil est in Diuinis literis frequentiùs repetitum, & ostensum, quàm in Redemptione per Christum facta Iustitiam interuenisse. Et quia Verba Sacræ Scripturæ semper sunt in sermonis,ac sensus proprietate vsurpanda,nisi necessitas cogat ad Methaphoras, & figuras recurrere, quia indè aliquod absurdum euidenter sequitur: necessariò dicendum est, testimonia Sacræ Scripturæ, quæ de Christi Satisfactione loquuntur, in proprio sensu, quem faciunt, id est, de vera, & propria Iustitia, sinè vllo tropo, aut figura, esse interpretanda,& intelligenda, cùm indè nullum sequatur inconueniens, aut absurdum, vt ex Solutionibus argumentorum constabit: ad proindè Satisfactio Christi fuit actus veræ, & propriæ Iustitiæ..

21 Prætereà probatur hæc sententia ratione. Primò. Inter Christum, & Deũ est Iustitia, & Satisfactio perfectè condigna, vt docet D. Thomas in Responsione ad 2. huius articuli,& etiam est communis sententia, & modus loquendi Theologorum, asserentium Christi Satisfactionem fuisse de toto rigore Iustitiæ: ergo Satisfactio Christi est verè, & propriè Iustitia. Consequentia probatur: nam Iustitia rigorosa, propriè,& perfectè est Iustitia: & implicat contradictionem, quòd Iustitia impropria, aut Methaphorica habeat rationẽ Iustitiæ, sicut animal pictum non dicitur animal propriè, aut secundùm rigorem.

22 Secundò. Inter Christum, & Deum interuenit promissio,& pactum, iuxta illud Psal. 39. *Vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui.* Et illud Ioan. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Item Isaiæ. 53. Pater aliam legem statuit firmam dicens. *Si posueris pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur: pro eo quòd laborauit, saturabitur anima eius.* Et Psalm. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Quod Sancti Patres intelligunt de promissione facta Christo, interueniente promissione, & pacto. In illo autem Verbo, *Postula à me,* Significatur oratio Christi fundata in suis meritis,& Satisfactione,& in dignitate suæ Personæ. Constat etiam, hanc promissionem factam fuisse alijs hominibus: ergo multò magis ipsi Christo, quia non erat æquum, vt Redemptionis opus fieret sine pacto; si medio pacto homines consequebantur Redemptionis fructum, nempe, Iustitiã,& gloriam. Ergo Christus operabatur in Satisfactionem pro peccato, & in Redemptionem nostram ex Iustitia vera, & propria. Etenim vbi promissio cum pacto interuenit, propriam Iustitiam inducit, nam cùm pactum fit vltrò citroq; obligatio, iam vno vinculo connectuntur, qui pacto manent astricti, & ex consequenti exigit Iustitia, vt inter illos seruetur æqualitas.

23 Tertiò: quia si in Christi Satisfactione non fuisset inuenta vera,& propria Iustitia, nũ ostenderetur Deus Iustus, dum peccatorem per Christum Iustificat, sed misericors tantùm. Confirmatur. Christus dicitur absolutè Deo Satisfaciens,& emens, aut redimens: ergo Satisfactio illius fuit propriè actus Iustitiæ. Patet consequentia: quia vbi est propriè Satisfactio, emptio, aut Redemptio, est propriè actus Iustitiæ. Antecedens verò probatur ex 1. ad Timot. 2. vbi dicitur Christus dedisse animã suam in Redemptionem pro multis. Et. 1. Corint. 6. *Empti enim estis pretio magno,&c.* Quartò. In Christi Satisfactione repertæ sunt humilitas, & obedientia propriè; sed hæ sunt partes Iustitiæ, cùm sint ad ad alterum: ergo,&c. Maior probatur ad Philip. 2. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem.* Et Math. 11. inquit Christus. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Et adeò fuit in Christo vera humilitatis ratio, vt Psalm. 21. per regium vatem, vermen se, & non hominem, opprobrium hominum, & abiectionem plebis esse profiteatur. Et Ioan. 12. ait Christus suam ostendens obedientiam. *Qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam,& quid loquar.* Et Ioã. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.*

24 Quintò. Omnes conditiones requisitæ ad rationem formalem Iustitiæ, etiam rigorosæ, reperiuntur in Satisfactione Christi: ergo fuit actus veræ, & propriæ Iustitiæ. Consequentia patet, & probatur antecedens. Quatuor sunt præcipuæ conditiones, quæ necessariæ sunt,& Sufficientes ad cõstituendã formalem rationẽ Iustitiæ: prima, quòd sit ad alterũ, secunda, quòd sit inter æquales, tertia, quòd sit ex proprijs ipsius Satisfacientis, & quarta, quòd sit ex aliàs indebitis: sed omnes istæ conditiones repertæ sunt in Christi Satisfactione, vt infra constabit: Ergo verè & propriè fuit actus Iustitiæ. Ex his duabus sententijs hæc secunda est verior,& necessariò amplectenda. Vnde sit conclusio responsiua.

Conclusio tenenda. §. III.

25 SATISFACTIO Christi Domini fuit actus Iustitiæ propriè,& strictè sumptæ. Hæc conclusio probatur rationibus secundæ opinionis. Et confirmatur. Vbi est proprium Ius, ibi est vera, & propria Iustitia, quæ inclinat ad seruandum tale Ius, vel si læsum fuerit ad compensandum; sed in Deo est verum, & proprium Ius, vt illi Satisfiat pro hominum peccatis; ergo in Christo quatenùs erat caput hominum, & fideiussor, & vt onus pro illis Satisfaciendi suscepit, erat vera, & propria Iustitia inclinans ad seruandum Deo suum Ius. Maior patet, quia Ius est obiectum Iustitiæ. Minor etiam est euidens. Et probatur consequentia: quia etiam in hominibus est virtus specialis, quæ inclinat ad seruandum Deo hoc Ius, à qua virtute in ipsis peccatoribus oritur quædam obligatio, & voluntas Satisfaciendi Deo, quæ quidem virtus spectat ad Iustitiam, vt docet D. Thomas infra quæst. 8 [illegible]

26 Ex his sequitur primò, falsò asseruisse M. Suarez

loco citato, actum, quo Christus voluit pro hominibus Satisfacere, fuisse actum virtutis religionis, quæ est prima, & præstantissima species Iustitiæ, respiciens velut obiectum formale proprium Ius, ac debitum superioris, & Diuini ordinis. Cùm enim ad hanc virtutem pertineat reddere Deo debitum cultum & honorem, spectat quoque ablatum per peccatum restituere, quod sua Satisfactione Christus effecit. Hæc, inquam, assertio est falsa, & in doctrina ipsius Suarez sustineri nō potest: quia religio, vt docet D. Thomas 2. 2. quæst. 80. art. 1. non est pars subiectiua, aut essentialis Iustitiæ, sed solùm potestatiua. Inter partes autem potentiales, & subiectiuas Iustitiæ, vt ex eodem D. Thoma ibidem constat, hæc est differentia, quòd subiectiuæ, nempe, commutatiua, & distributiua Iustitia, participant formaliter integram, & completam rationem Iustitiæ, sicut species rationem sui generis: potestatiuæ verò modum quemdam, & similitudinem duntaxat Iustitiæ, deficientem à vera, & propria eius ratione. Si ergo Christi Domini Satisfactio fuisset actus religionis, in ea non vera, & propria ratio virtutis Iustitiæ intercessisset, sed deficiens similitudo, & modus illius, quod planè est incidere in contrariam opinionem Magistri Vazquez. Quare dicendum est, Satisfactionem Christi fuisse actum Iustitiæ sumptæ strictè, & propriè: nam sicut ad hanc Iustitiam spectat, Ius propriè acceptum (cui, scilicet, opponitur injuria) vnicuique tribuere, & illud illæsum seruare: sic etiam & violatum restaurare, compensando injuriam, qua violatum est ad æqualitatem. Quod sanè Christus præstitit, dum pro peccatis generis humani Satisfecit, quibus Ius Dei, quo homines illum cæteris rebus præferre debebant, fuerat violatum; nam sua Satisfactione hanc injuriam Deo factam ad æqualitatem compensauit.

27 Si autem objiciatur, Christum Satisfecisse pro peccatis per actus obedientiæ, humilitatis, & charitatis: ergo eius Satisfactio non fuit actus Iustitiæ. Respondetur, Satisfecisse quidem per actus elicitos ab his virtutibus, assumptos tamen & imperatos ab actu Iustitiæ, nempe, à voluntate recompensandi injuriam Deo per peccatum factam.

28 Sed replicatur. Voluntas compensandi offensam factam Deo per peccatum, non est in nobis actus virtutis Iustitiæ, sed pœnitentiæ: ergo neque in Christo. Respondetur, nos per actum pœnitentiæ non in eum finem, quem Christus sua Satisfactione intendit, velle injuriam Deo illatam recompensare, vt scilicet inæqualitas inter nos, & Deum per peccatum constituta ad æqualitatem reducatur, sed vt nos ad gratuitam peccatorum remissionem per huiusmodi actum disponamus. Sed quæritur, quid sit, si in eum finem, quo Christus voluit, reddendi scilicet Deo debitum ad æqualitatem, vellemus nos etiam peccata compensare: essetne hic proprius actus Iustitiæ. M. Suarez concedit. Cui si objiciatur, non posse nos Deo reddere æquale pro peccato; Respondet, virtutes non tam respicere effectum, quàm affectum. Vnde sicut voluntas faciendi magnos sumptus, in paupere est actus magnificentiæ, tametsi in effectu eos efficere non possit: sic etiam affectiua voluntas recompensandi injuriam Deo factam ad æqualitatem, est actus Iustitiæ in nobis, licèt in effectu non possimus eam ad æqualitatem compensare.

Cæterùm hæc doctrina est falsa; nam in primis 29
non alia ratione D. Thomas vbi supra religionem, pietatem, & pœnitentiam à partibus subiectiuis Iustitiæ reiecit, & inter potentiales numerauit, nisi quia Deo æquale pro debito reddere non possunt. Deinde, quia voluntas affectiua, & inefficax eliciendi actum præcipuè internum per se impossibilem, ad virtutem aliquam spectantem, non est actus illius virtutis, sed quædam valde remota dispositio tantùm, (aliàs actus naturalis, quo quis vellet Deum super omnia supernaturaliter diligere, esset actus supernaturalis virtutis charitatis) huiusmodi autem esset affectiua voluntas recompensandi injuriam Deo illatam ad æqualitatem: ergo non esset actus Iustitiæ. Nec valet quicquam exemplum à M. Suarez adductum: nam primò magnos sumptus facere, non est actus internus, sed externus, nullam aliam continens bonitatem, quàm actus interioris, à quo imperatur. Et præterea: hic actus non est per se homini impossibilis, sed per accidens tantùm. At actus Satisfaciendi Deo, & est internus, & per se impossibilis puræ creaturæ: & ex consequenti voluntas affectiua, & inefficax exercendi huiusmodi actum, ad eius propriam, & formalem rationem pertingere non potest.

Sed objicit Magister Suarez. Ergo datur in Christo aliqua virtus, nempe, Iustitia erga Deum, cuius nos 30
capaces non sumus. Negatur consequentia; quia hic actus Satisfaciendi pro peccatis hominum in Christo ad eandem virtutem Iustitiæ pertinebat, qua nos pro peccatis venialibus, & pœnis temporalibus debitis pro mortalibus ad æqualitatem Satisfacimus, & gloriam apud ipsum de condigno meremur. Quæ nam autem sit hæc Iustitia, disputabitur sequente Disput. 8.

Sequitur secundò reijciendam esse vt falsam, sententiam M. Vazquez. 3. p. quæst. 1. art. 2. Disput. 85. 31
negantis, Christum Satisfecisse ex vera, & propria Iustitia pro peccatis hominum; sed eius Satisfactionem fuisse liberaliter acceptatam, vel ad summum ex fidelitate promissionis. Hæc, inquam, sententia est falsa, quia sequitur ex ea, Christum non Satisfecisse simpliciter, & absolutè ad æqualitatem, quod quidem est alienum à dignitate Christi, & à modo loquendi Scripturæ, & Patrum. Sequella autem probatur. Si Christus per se, & ex vi suorum operum Satisfecisset Patri ad æqualitatem, seclusa omni promissione, & acceptatione, facta esset Iustitia, vt de quocumque homine iusto concedit Vazquez cap. 6 ex natura rei, & seclusa omni promissione Satisfacere Deo ex Iustitia per opera pœnalia pro reatu pœnæ, ita vt nequeat Deus eam Satisfactionem nō acceptare, nam inæqualitas est ad æqualitatem restituta: sed Christus non Satisfecit hoc modo, vt ex dictis, & infra dicendis constabit; ergo opera Christi non habuerunt vim ex se ad faciendum huiusmodi Satisfactionem æqualem: nam extrinseca promissio, vel acceptatio non addit Christi operibus aliquam vim, aut dignitatem ad æqualitatem Iustitiæ faciendam: vt idem Magister Vazquez concedit: ergo etiam non

non

Digitized by Google

non est æqualitas in tali Satisfactione.

32 Sed Respondet Vazquez, in Satisfactione Christi, non fuisse æqualitatem Iustitiæ propriæ, sed æqualitatem condignitatis meriti. Id est, Satisfactionem Christi non fuisse sufficientem ad educendum ad æqualitatem illam inæqualitatem, quam homo peccando fecerat, tametsi in operibus Christi fuisset quædam dignitas, ob quam Deus meritò potuit moueri ad acceptandam illam Satisfactionem, & remittendam injuriam, non obstante illa inæqualitate. At hæc responsio repugnat copiosæ Redemptioni Christi, & eius Satisfactioni, quæ vt fundata in promissione Dei fuit æqualis non solùm secundùm dignitatem meriti, sed etiam secundùm æqualitatem Iustitiæ propriæ, & perfectæ.

33 Obijcit tamen M. Vazquez cap. 6. si necessaria erat pactio, & promissio, vt Satisfactio Christi esset actus Iustitiæ, sequitur, non potuisse Christum mereri primo suo actu pro Patribus veteris testamenti, quia antea nulla potuit præcedere pactio, neque etiam antè primum opus in primo instanti factum. Respondetur, in primo instanti Incarnationis Christi præintelligi posse pactum ex parte Dei illi animæ propositum, ac reuelatum, & ab illa volũtariè acceptatum per voluntatem, quâ simul se obtulit ad illud explendum iuxta voluntatem Patris: per quam voluntatem infinitè meruit, etiam pro Patribus veteris testamenti, quorũ gratia, & remissio ita præsupposuit hoc pactum, sicut Suppositi meritum Christi; nempe in Diuina præuisione. Reliquum est diluere Argumenta primæ opinionis, ex quorum solutione hæc veritas ampliùs constabit.

Soluuntur Argumenta. §. IIII.

34 AD Primum argumentum primæ opinionis negatur antecedens, & ad probationem Respondetur, Christum vt hominem per virtutem Iustitiæ ordinari in Deum. At illa particula, *Vt,* Non importat rationem per se, sed conditionem necessariò requisitam, vt explicatum est supra Disput. 4. Parag. 3. num. 49. An verò ad propriam Iustitiam requiratur æqualitas, Disput. 8, sequente videbitur in Solutione ad primum.

35 Ad Confirmationem negatur antecedens, quia licet inter Patrem & Filium, Dominum, & seruum non sit perfecta ratio Iustitiæ, est tamen vera, & propria ratio Iustitiæ quantùm ad essentialia: ac proinde est Iustitia simpliciter, si ly simpliciter accipiatur, vt distinguitur contra Methaphoricum, & improprium. Sic docet Aristoteles lib. 5. Ethico. cap. 6. & D. Thomas 2. 2. q. 57. art. 4. vbi dicunt; si Filius consideretur, vt est quidam homo, tunc esse verum ius inter Patrem, & Filium. Sed quoniam hic homo est genitus à Patre, à quo habet esse, ideo deficit illud ius à perfecta ratione iusti. Et ratio est manifesta, quia inter Patrem, & Filium, herũ & seruum reperitur ordo ad alterum, tantus, quantus sufficit ad veram rationem Iustitiæ: reperitur etiam ordo ad diuersa subsistentia, & diuersa Supposita, quod satis est. Inuenitur etiam æqualitas, tametsi non omnimoda, sed secundùm proportionem & modum eius qui operatur; nam Filius modestus, & obediens secundùm proportionem, & modum suum, reddit Patri, quantùm in se est, id quod debet. Et idem facit seruus studiosus, & morigeratus, ergo inter Patrem, & Filium, seruum, & Dominum est vera, & propria Iustitia.

36 Est tamen aduertendum, quòd licet inter seruum & Dominum absolutè, & nulla facta Suppositione nequeat esse Iustitia commutatiua in his, quæ pertinent ad Dominium, & vsum rerum externarum, quia seruus non acquirit Dominium talium rerum, sed ad Dominum statim transfertur: in alijs tamen injurijs, circa honorem, famam, & vitam, aut integritatem corporis potest esse inter eos vera Iustitia; & in bonis etiã externis, quamuis Dominus nõ exerceat Iustitiam circa seruum ex defectu materiæ, seruus tamen potest erga Dominum exercere, vel injustitiam, furando, vel Iustitiam, se se à latrocinijs cõtinendo: & si furatus est, tenetur ex Iustitia restituere, tametsi ex defectu etiam materiæ, seu inopia non possit. Itẽ ex pacto inito inter Dominum, & seruum, potest interuenire Iustitia Domini ad seruum, etiam in materia diuitiarum, vt si seruus obligetur ad reddendum Domino singulis diebus tantam pecuniæ quantitatem pro suis operibus sub ea conditione, vt si aliquid lucretur, suum fiat, quam Dominus acceptat, & ad illam seruandam se obligat, tunc tenetur Dominus ex Iustitia non priuare seruum illo maiori lucro, quodcumq; fuerit. Item eùm dicit Aristoteles, inter seruum & Dominum non reperiri Iustitiam, propriè sumptam, loquitur de eo, qui est seruus, quantum ad id, quod est per se ratio faciendi æqualitatem Iustitiæ, nempe, valoris, qui in Solutionem offertur. Vnde si seruus aliquid habere possit, quantùm ad quod vel ex pacto, vel ex natura rei non subjiciatur Domino, vt seruus, rectè potest quantùm ad illud reperiri Iustitia propriè sumpta inter seruum & Dominum.

37 Secundò Respondetur concedendo inter Patrem & Filium naturalem Iustitiam reperiri nõ posse, quia inter eos non est totalis, & completa naturarum diuersitas, etiam numerica, quia Filius est aliquid Patris: at verò in Christo reperitur totalis naturarum diuersitas. Et cùm ratio juris & Dominij in ipsa natura fundetur, quamuis in Christo non sit realis, sed rationis Suppositorum diuersitas, vt cõstabit in Solutione ad 2. potest nihilominus reperiri Ius veræ, & propriæ Iustitiæ inter, Christũ, & Deũ, & à fortiori potest esse inter Christũ, & Patrem, cùm sint duo Supposita realiter distincta.

38 Tertiò Respondetur: inter Patrem & filium in Diuinis esse veram, & propriam rationem Iustitiæ, & ordinem ad alterum; at in humanis esse non posse perfectã rationem Iustitiæ inter Patrem, & Filium, non propter defectum ordinis ad alterũ, sed quia Filius Patri æquale reddere non potest; eò quòd Filius non sit æqualis Patri, sed inferior; & ab illo pendet, à quo suscepit esse, sicut effectus à causa, & ab illo est genitus, & productus per ipsius liberam voluntatem, sed in Diuinis non ita se res habet, quia Filius est æqualis Patri, non depẽdens ab ipso tanquàm effectus à causa, & necessariò est genitus ab illo in eadem natura, & ex consequenti potest illi æquale reddere.

Solutio secundi argumenti. §. V.

39 AD Secundum argumentum respondent quidam Christum

Christum non Satisfecisse sibi ipsi, aut Deo communi tribus Personis, sed Patri, qui est alter ab ipso Christo. Hæc tamen Responsio est improbabilis. Et idcò dicendum est, Christum sibi Satisfecisse, & similiter toti Trinitati, ità tamen vt primò & per se Satisfecerit Deo, & cõsequenter tribus Personis, quatenùs sunt vnus Deus. Et hæc est aperta sententia D. Pauli. 2. Corint. 5. vbi ait. *Erat Deus in Christo mundũ reconcilians sibi.* Vbi sicut Deus dicitur esse in Christo ratione Diuinæ naturæ, ita ratione eiusdem dicitur sibi mundum reconciliasse. Et ideò continuò subiungitur. *Omnia ex Deo, qui nos sibi reconciliauit.* Ratione etiam probatur. Satisfactio eo modo fieri debet Deo, quo offensa fuit illi irrogata: sed offensa per se primò fit huic Deo, tribus Personis communi; & consequenter, & quasi secundariò fit tribus Personis, vt sunt vnus Deus, & vnus legislator, cuius præceptum peccator transgreditur: ergo Satisfactio iuxta hunc modum fieri debet. Probatur minor. Per peccatum offenditur Diuina magestas, & bonitas: sed bonitas & magestas, cùm sint perfectiones essentiales Dei, & communes, per se primò conueniunt huic Deo, tribus Personis communi, & quasi secundariò & mediatè singulis Personis: ergo, &c.

40 Sed obijcitur. Aliqua sunt peccata, quæ in particulari committuntur contra aliquam Personam Diuinã, vt blasphemia, vel hæresis contra Spiritum Sanctum; ergo hæc peccata per se primò, & immediatè non terminantur ad hunc Deum cõmunem tribus Personis: & ex consequenti Satisfactio non semper fit huic Deo per se primò, sed illi Personæ, ad quam per se primò terminatur offensa. M. Vincentius q. 5. art. 1. Dubio. 1. in Responsione ad primum Respondet, quòd materialiter aliqua peccata respiciunt in particulari vnam, aut alteram Personam Trinitatis; formaliter tamen, quatenùs peccatum importat offensam, & injuriam, qua sola ratione est materia Satisfactionis, immediatè respicit ipsum Deum, & non aliquam specialem Personam: sicut homicidium & furtum, & alia peccata contra proximum, immediatè ipsum respiciunt secundùm proprias specificas differentias, vt obiectum, à quo specificantur. Sed in ratione iniuriæ, & offensæ reparabilis per pœnitentiam; respiciunt ipsum Deum immediatè, & non proximum. Ita in peccatis, quæ ex proprijs, & essentialibus differentijs terminaotor ad aliquam peculiarem Trinitatis Personam, proportionabiliter dicendum est: & idem similiter affirmandum de Satisfactione.

41 M. Suarez Disput. 4. Sectio. 5. Respondet opus, per quod fit offensa, posse propriùs, & immediatius versari circa vnam Personam ex intentione operantis, vel quatenùs actio, vel cõuersio eius illam respicit, vt proximum obiectum: rationem tamen offensæ, & auersionis primariò esse repectu Dei, vt vltimi finis, & consequenter, & æqoè respectu omnium Personarum. Similiter ergo, id, per quod fit Satisfactio, potest circa vnam Personam, vt proximum obiectum versari, vt est oratio ad Patrem Verbi gratia: ratio tamen Satisfactionis est communis omnibus Personis, quas respicit, vt sunt vnus Deus. Vtraque Solutio est probabilis, & Sufficienter dissoluit argumentum.

Alij Theologi dicunt, Satisfactionem, & similiter actum Iustitiæ non necessariò esse ad alterum Suppositum, sed sufficere, quòd sit ad alterum in natura diuersa. Et quia Christus habet duplicem naturam, habuit etiam, vndè posset in natura humana, & ratione illius, Satisfacere naturæ Diuinæ, & Supposito, vt habet illam. Sed hæc Solutio non est sufficiens: quia sicut Satisfactio non est opus naturæ, sed Suppositi, sic etiam non respicit primò & per se naturam, sed Personam, aut subsistens, cui fit talis Satisfactio. Et ideò si Satisfactio debet esse ad alterum, explicandum etiam est, quo pacto Christus alteri in Persona Satisfecit, quod in hac Solutione non explicatur. 42

Alij dicunt, Christum esse Satisfactorem ratione Suppositalitatis Diuinæ, prout sustentat naturam humanam: esse autem creditorem ratione eiusdem Suppositalitatis Diuinæ, prout subsistit in natura Diuina. Etenim Suppositalitas Christi, etiam vt est distincta secundùm rationem à natura Diuina, habet in se infinitam dignitatem, ratione cuius possunt ipsius opera esse infiniti valoris, ita vt si per impossibile tale Suppositum non-sustentaret naturam Diuinam, sed humanam duntaxat; adhuc opera illius essent infiniti valoris. Ac proindè talis natura simpliciter nulli esset inferior, & haberet absolutum dominium supra suas operationes. Quarè cùm Christus ratione propriæ Suppositalitatis, vt ratione distinctæ à natura Diuina, habeat ex proprijs infinitum valorem, potest ex proprijs naturæ Diuinæ Satisfacere. Hæc Solutio displicet alijs Theologis, quia Suppositalitas, & relatio Personalis non tribuunt humanitati, & actibus illius infinitam dignitatem, & perfectionem moralem: relatio enim nõ ordinatur ad opus, cùm ex propria ratione non sit actiua, neque passiua. Reiectis ergo his Solutionibus: 43

Respondetur ad Argumentum, quòd licèt Verbum Diuinum secundùm rem sit vnum, & simplicissimum Suppositum, ita vt neque per intellectum, & rationem possint in eo concipi duo Supposita, cùm in Christo vnica duntaxat reperiatur Personalitas, duplicem terminans naturam, & ideò non verè possit concipi Personalitas humana, & non Diuina, cùm sit tantùm vnica: nihilominùs tamen ipsum simplicissimum Verbi Suppositum, propter illam duplicem naturam, quam terminat, dicitur, & est Diuinum, & humanum. Vt enim terminat naturam diuinam, est verum, & reale Suppositum Diuinum; quatenùs autem terminat, & sustentat naturam humanam, est verè, & realiter Suppositum humanum, non quidem propter aliam Personalitatem conceptam præter Diuinam, sed propter eandem, vt terminantem naturam humanam. Quæ realis denominatio, quam Verbum in tempore acquisiuit, quando caro factum est, non fundatur in aliqua reali mutatione ipsius Verbi, sed in reali mutatione humanitatis à Verbo assumptę. Et hæc realis immutatio passiua humanitatis sufficit, vt Verbum realiter denominetur humanum Suppositum, & ratione distinguatur à seipso, vt est Diuinum Suppositum. Sic Deus realiter denominatur Dominus, & creator absque sui reali mutatione 44

propter

Digitized by Google

propter realem mutationem creaturarum.

45 Ad argumentum ergo Respondetur concessa maio ri negando minorem. Et ad probationem Respondetur, Christum verè Satisfecisse alteri, nam Suppositum Verbi, vt erat humanitati vnitum; siue inquantùm erat homo, sine humanum Suppositum, Satisfecit Personis Diuinis, vt erant vnus Deus. Et sic fuit sufficiens distinctio ad Iustitiam inter Satisfacientem, Vt *Quod,* & creditorem, vt *Quod,* Hoc autem non solùm est verum, comparando Personam Verbi ad Personas Patris, & Spiritus Sancti, sed etiam facta comparatione Personæ Verbi ad seipsam: quia eadem Persona, vt subsistens in natura humana, & vt re vera erat Persona humana, potuit habere rationem Satisfacientis, aut offerentis Satisfactionem sufficientem ad Iustitiam. Quatenùs verò subsistebat in natura Diuina, & verè erat Diuina Persona, habere potuit rationem acceptantis Satisfactionem oblatam. Quod quidem his exemplis declaratur: nam obedientia, & religio non minùs postulant esse ad alterum, quàm Iustitia; & tamē Christus vt homo, propriè obediuit, & exhibuit cultum religionis Deo, & consequenter suæ Personæ, vt erat Deus. Item mediator debet distingui ab eo, apud quem intercedit, aut exercet officium mediatoris; & tamen Christus, vt homo, propriè dicitur mediator noster apud Deum. Et tandem non minùs requiritur distinctio inter offendentem, & offensum, quàm inter Satisfacientem, & creditorem: & tamen si Christus per naturam assumptam posset peccare, committeret contra Deum veram, & propriam offensam, ac injuriam. Neq; obstat, quòd Aristoteles, cùm dicit, requiri illam conditionem ad propriam Iustitiam, loquatur de distinctione reali Suppositorum; quia Ipse non cognouit posse idem Suppositum subsistere in duabus naturis, & habere rationem duplicis Suppositi, & sic exercere munera vtriusque extremi Iustitiæ.

46 Sed obijcitur. Iustitia importat æqualitatem, quæ est relatio, & habitudo realis, & transcendentalis, quam concomitatur relatio prædicamentalis, sed vtraq; relatio exigit extrema realia & realiter distincta, vt constat ex Aristotele in prædicam. cap. de Ad Aliquid. Ergo vt Christus quatenùs Suppositum humanum, Satisfaciat sibi, vt Supposito Diuino, requiritur in eò distinctio realis duorum Suppositorum, ita vt vnum realiter distinguatur ab alio: sicut inter partes eiusdem Suppositi nequit relatio realis reperiri, quia non sunt inter se realiter distinctæ, tametsi habeant realitatem partialem. Ponere autem in Christo realem duorum Suppositorum distinctionem, est planè hæreticum. Respōdetur, ad veram & realem rationem Iustitiæ, quæ in Christi Satisfactione reperitur, esse necessariam aliquā distinctionem inter Satisfacientem, & eum, cui fit Satisfactio, nō tamen esse necessariā distinctionem & diuersitatem realem inter illos quantùm ad Supposita, ita vt sint duæ Personæ realiter distinctæ. Oportet autem reperiri diuersas substantiales naturas essentialiter distinctas, vt ratione vnius illud vnicum reale Suppositum, prout est Suppositum vnius naturæ, & quatenùs exercet officium talis Suppositi, Satisfaciat sibi ipsi, prout est Suppositum alterius naturæ: nam posita huiusmodi naturarum diuersitate, illud Suppositum realiter vnum, cùm sit Diuinum, & humanum, & quatenùs Diuinum, distinguatur secundùm rationem à se ipso, vt est humanum, est capax diuersi Dominij, & diuersi Iuris: ac proinde potest ibi reperiri vera realis Iustitiæ æqualitas, & habitudo. Ad huiusmodi autem relationem, & habitudinem nō requiritur realis distinctio Suppositorum, sed sufficit substantialis naturarum diuersitas, quoniā ipsæ naturę sunt proxima fundamēta, & subiecta huius relationis. Et quamuis in Physicis relationibus vnū, & idē Suppositū ad semetipsum realiter referri non possit, etiā si habeat plures formas specie distinctas: in moralibus tamen satis est, quòd idē vnicū Suppositum per diuersas liberas voluntates exerceat officia duplicis Suppositi, ac si esset multiplex Suppositum, vt in ipso diuersa Iura, & dominia consurgant, & possit esse Satisfaciens, & cui fit Satisfactio. Potest esse simile in mercatore, qui est pars duarum societatum, quarum altera deberet mille alteri societati: tunc talis mercator, vt est pars vnius societatis, posset ex Iustitia illud debitum, aut partem eius soluere sibi ipsi, prout est alterius societatis pars.

Sed circa istam Solutionem est aduertendum, quòd illa relatio, & habitudo realis, quæ est inter Christum Satisfacientem, & Deum, cui fit Satisfactio, fundatur in actione Satisfactoria, tanquam in ratione fundandi, seu conditione. Vndè Christus, vt exercens illam actionem, induit habitudinem Satisfacientis ad creditorem quæ habitudo non est alia à relatione ipsius actionis, aut ab æqualitate, quam constituit: sicut habitudo Patris non est alia à relatione, quam fundat actio generandi. Extrema autem huius relationis sunt hic homo, aut hoc Suppositū humanum signato Christo, vt reddit Deo, & Personis Diuinis, quod illis debetur. Nec requiritur diuersitas Physica extremorum debitoris, & creditoris, sed diuersitas moralis, sicuti & ipsa habitudo est moralis. Hæc autem moralis diuersitas potest intelligi per hoc, quòd sint diuersa Supposita diuersæ naturæ, aut Suppositum diuersimodè terminans naturā: sicut in relatione reali, quæ intercedit inter Christum, vt obedit, & Deum, atq; ipsas Personas Trinitatis. Etenim illa, quæ est moralis, non exigit in omnibus diuersitatem Physicā, sed moralem. Quare huiusmodi relatio non requirit Supposita diuersa realiter; postulat tamen diuersa extrema moraliter realiter, ad quod sufficit diuersitas naturæ, & diuersa ratio Suppositi aliam, & aliam naturam terminantis. 47

Sed obijcitur. Ratio per se valoris in Satisfactione Christi est dignitas Personæ secundùm se, & esse vnitam humanitati, est conditio necessariò requisita: ergo non saluatur distinctio inter Satisfacientem, & creditorem quantùm ad id, quod in Satisfaciente est ratio per se valoris, sed solùm quantùm ad id, quod est conditio requisita, vt Satisfaciat. Concesso antecedenti negatur consequentia, quia cùm dicimus, dignitatem Personæ secundùm se sumptæ esse rationem per se valoris, non præscindimus omninò Personam ab Vnione cum humanitate, sed solùm ab Vnione actuali, quia consideramus eam, non vt actu vnitam, sed quatenùs postulat vniri, tanquam conditionem requisitam, vt actu sit causa valoris. 48

Præterea: Argumentum principale aliter dissolui potest, nempe, quòd Iustitia est ad alterum, & 49

similiter Satisfactio, quæ est inter homines: de qua loquitur Aristoteles. Satisfactio verò ad Deum est alterius ordinis, quæ regulanda non est per leges Iustitiæ moralis præscriptas. Quod explicatur in actu obedientiæ, & subiectionis Personalis; quæ etiam secundùm Aristotelem sunt ad alterum. Et nihilominùs est certum, Christum sibi ipsi obediuisse, quatenùs est Deus; & subijci Deo, à quo non distinguitur, vt Deus, cùm sit idem Deus, qui est Pater, & Spiritus Sanctus.

50 Postremò Respondetur, quòd esse ad alterum, stat dupliciter. Physicè, & moraliter. Physicè quidem ad alterum dicitur, quod est diuersum entitatiuè, & Personaliter, vt Petrus, & Paulus. Moraliter verò ad alterũ est, quod habet eam alietatem, quæ sufficit, vt exerceantur operationes, & contractus etiam morales, quæ respiciunt alterum, ac si esset omninò diuersitas Suppositorum, vt constat inter Filium emancipatum, & Patrem: & inter ciuem & patriam. Etenim licet Filius emancipatus sit aliquid Patris, & pars illius, sicut Filius non emancipatus: nihilominùs tamen in contractibus Iustitiæ perfectæ discrimen est, quòd inter Patrem, & Filium emancipatum potest exerceri perfecta Iustitia, quia moraliter, & in ordine ad contractus morales perindè se habent, ac si essent diuersa Supposita, & quæ nullam haberent habitudinem & dependentiam inter se. Et idem patet in obedientia, quam Christus exhibet Deo. Etenim actus obedientiæ moraliter ita exercetur inter Christum, & Deum, ac si essent duo Supposita: & hoc propter diuersitatem naturæ, & voluntatis creatæ à natura, & voluntate increata. Sic etiam in proposito propter diuersitatem naturæ, & similiter propter diuersum modum subsistandi in natura diuina, & humana, ita se habent istæ actiones Satisfactoriæ, & Iustitiæ, ac si Supposita essent prorsus diuersa. Ex his ergo patet Solutio ad Argumentum cum sua confirmatione. Et similiter constat, qua ratione potuit Christus Satisfare Deo, & alijs Personis, atque sibi ipsi.

51 Ad primam confirmationem concesso inter Satisfacientem, vt *Quod,* & creditorem, vt *Quod,* in eo casu, quatenùs Persona Christi Satisfecit sibi ipsi, tantùm fuisse distinctionem rationis, negatur sequi ex hoc, distinctionem etiam rationis, quæ conuenit alicui Supposito creato, quatenùs per vnam potentiam imperas, & per alteram obedis, sufficere ad perfectam Iustitiam. Ratio autem discriminis est, quia vbi est vnitas tam Suppositi, quàm naturæ, licet sit diuersitas realis potentiarum, & partium mouentium, & motarum, non est distinctio rationis in Supposito secundùm rationem Suppositi, quia est vna ratio subsistendi: nec est diuersitas voluntatum, & ex consequenti nec libertatis, atq; adeò nec Dominij, & iuris, quæ tamen requiruntur, vt inter aliqua extrema possit reperiri Iustitia propriè sumpta. Quare cùm Aristoteles. 5. Ethicor. cap. vltimo, vt refert D. Thomas infra q. 20. art. 2. ad. 3. dixit, propter diuersas hominis partes, quarum vna est superior, & altera inferior, posse esse Iustitiam hominis ad seipsum, in quantùm irascibilis, & concupiscibilis obediũt rationi; loquebatur de Iustitia sumpta latè, & impropriè. At verò vbi cum vnitate reali Suppositi reperitur distinctio realis naturarum totalium intellectualium, etiam reperitur distinctio rationis in Supposito secundùm rationẽ Suppositi, & diuersitas volũtatis, & libertatis, & consequenter Dominij, & iuris. Quod quidẽ ex eo constat, quòd Persona Christi, prout erat Suppositũ humanum, & operabatur per volũtatem creatã humanitatis, habebat titulum Dominij, & iuris in operationes humanitatis, distinctum ab eo, quod habet Deus: ex hoc enim bene sequitur, quòd etiam ille titulus sit distinctus ab eo, quem habebat Persona Christi, quatenùs erat Diuina: nam Persona Christi secundùm istam rationem non habebat titulum Dominij, fundatum in eo, quòd esset Suppositum humanum, sed alterum, fundatum in eo, quòd esset Suppositum diuinũ: qui quidem titulus est alterius ordinis, & proprius Dei, ac communis tribus Personis. Per hoc etiam patet Responsio ad aliam partem obiectionis, quia ad rationem Satisfactionis in extremis, inter quæ fit, requiritur substantialis duarũ naturarum diuersitas, & distinctio Suppositi saltem secundùm rationem, vt aliquo modo distinguatur Satisfaciens ab eo, cui fit Satisfactio: quorum vtrumque deficit in potentijs, & partibus eiusdem Suppositi.

Ad secundam replicam Respondetur, ad rationem Iustitiæ requiri, quòd sit ad alterum, nihilominùs perfectioné Satisfactionis, aut cuiusuis alterius actus Iustitiæ non desumi ex eo, quod est esse ad alterum, sed ex ratione obiecti, & materiæ, circa quam versatur. Quarè cùm in Christi Satisfactione reperiatur ea extremorum diuersitas, quæ sufficit ad essentialem Satisfactionis rationem, parùm refert ad eius perfectionem, esse minorem diuersitatem inter huius Satisfactionis extrema, quàm in ea Satisfactione, quam vnus homo alteri exhibet. 52

Secundò Respondetur, quòd esse ad alterum conuenit Iustitiæ secundùm rationem genericã. Et ideò vbi non fuerit perfectè ad alterũ, nõ erit ex isto capite perfecta ratio generica Iustitiæ. Et sic ratio generica Iustitiæ in Christo ex hoc capite, quod est esse ad alterũ, non erat tam completa, sicut illa, quæ inter duas Personas omninò distinctas versatur. Cæterùm in Christo fuit exactissima iustitia, & perfectissima ratio specifica Iustitiæ, quia fuit redditio superabundans totius debiti: & dignitas Iustitiæ non attenditur ex perfectione generica; sed potissimùm ex specifica essentia: quemadmodùm in scientijs Theologia omnibus simpliciter præstat, quia in ratione specifica obtinet præstantius obiectum: tametsi in ratione generica Mathematicæ sint euidentiores, & ex consequenti in ratione generica sciétiæ, & secundùm quid præstantiores, non descendendo ad specialem rationem scientiæ. 53

Ad tertium argumentum principale Respondetur, mala, quæ sunt in peccato, diuersis virtutibus reparari: nam per gratiam reparatur macula existens in anima, per charitatem reparatur auersio, & per Iustitiam reparatur injuria, & offensa Deo illata. Vndè falsum est dicere, peccatum duntaxat reparari per virtutem sibi oppositam. Ad replicam Respondetur, cum diuersitate specifica peccatorum ex diuersis formalibus obiectis desumpta, saluari illam rationem omnibus peccatis mortalibus communem, quòd omnia sunt injuriosa Deo, & quantùm est in ipsis, destructiua ipsius Dei, si nõ effectu, saltem affectu. Hæc autẽ injuria erat per Christi Satisfactionem reparanda. 54

Solutio

Solutio quarti Argumenti. §. VI.

55 AD Quartũ principale negatur antecedens, iam enim ostensum est, Satisfactionem Christi fuisse actum Iustitiæ, propriè, & strictè sumptæ. Ad probationem Respõdetur, Christum, quatenus fuit caput hominum constitutus, habuisse obligationem ex iustitia Satisfaciendi pro hominum peccatis, idq; quasi ex pacto quodam inter ipsum, & Deum, vt ostensum est in secunda opinione. Ad replicam Respondetur, hominet teneri ex iustitia, Satisfacere Deo pro peccatis, quia pœnitentia, vt docet D. Thomas infra q. 85. est part iustitiæ. Secundò, quidquid sit de hominibus, An teneantur de iustitia, vel ex pœnitentia Satisfacere Deo: in Christo est diuersa ratio, quia ex pacto inito inter ipsum, & Deum tenebatur ex iustitia Satisfacere Deo.

56 Ad secundam partem antecedentis, nempe, quòd Deus non tenebatur acceptare Satisfactionem Christi, quantumuis esset perfecta, sunt varij modi Respondendi. Quidam Respondent concedendo antecedens; quia iustitia, quæ inuenitur in Christi Satisfactione, non erat Personæ ad Personam, sed rei ad rem, idest, solutionis, vel oblationis ad offensam. Ac proindè licèt esset omnimoda æqualitas; Imo excessus solutionis supra offensam, non tamen supra ipsam Personam offensam, quæ erat incapax obligationis: & ideò Pater non tenebatur acceptare Christi Satisfactionem.

57 Alij verò sic explicant, vt dicant, aliud esse, rem valere tantum, & aliud acceptari ad dandum aliquid pro ea. Stat enim, quòd Petrus mihi offerat pretium æquiualens, & superabundans pro domo mea, & tamen ego nolim acceptare, quia nolo illi vendere, nec per hoc illam illi injuriam irrogo. Similiter dicunt in proposito, potuisse Deum non acceptare Christi Satisfactionem pro hominibus, quantumuis esset infinita, quia poterat iure eam Satisfactionem ab ipsis offensoribus exigere.

58 Alij aliter explicant dicentes, in actibus voluntatis tã Diuinæ, quàm humanæ duplicem necessitatem reperiri; alteram absolutam, alteram verò ex suppositione prioris actus voluntatis. Sic ergo supposito, quòd Deus genus humanum per Satisfactionem Verbi redimere voluerit, necessariò tenebatur Satisfactionem eius acceptare. Sed hæc necessitas ex suppositione non infert in Deo imperfectionem, sicut supposito, quòd prædestinauit Petrum, nequit illum non saluare, & necessitatur saluare illum. Imò verò hæc necessitas non oritur ex aliquo creato, sed ex priori actu Diuinæ voluntatis.

59 Alij dicunt, ex alia etiam suppositione nullum esse inconueniens, Patrem æternum necessitari ad acceptandam illam Satisfactionem: idest, supposito quòd Filius offerebat; quia voluntas humana Christi non potuit sua opera sic ordinare, quin Verbum Diuinum taliter ea ordinaret. Diuino autem Verbo ea efficaciter ordinante, implicabat, quòd Pater æternus illa non acceptaret, cùm vtriusq; eadem sit voluntas. Ad probationem antecedentis, nempe, quòd offensus non tenetur acceptare Satisfactionem oblatam ab alio, quàm ab ipso offendente, Respondent, ita esse inter homines, vnusquisque enim potest nõ acceptare Satisfactionem ab aliquo tertio oblatam, sed illam à delinquente exigere. Et rursus potest postulare Satisfactionem lege taxatam, & potest aliam, quantumuis excedentem, & superabundantem non acceptare. Hoc autem in Christi Satisfactione non habet locum, quia offertur à voluntate infiniti valoris, & efficaciæ, & sic non potuit non acceptari.

60 Mag. Vegà lib. 7. in Tridentinum cap. 9. Respondet, Deum non obligari ex iustitia ad acceptandam Christi Satisfactionem: nihilominùs talem acceptationem fuisse actum iustitiæ in Deo, quia per illam Deus suum ius seruauit Christo: quemadmodùm licèt Christus ad Satisfaciendum pro peccatis obligatus nõ esset ex iustitia, nihilominùs eius Satisfactio ex iustitia fuisset, si Deo pro injuria illata æquale, prout modo fecit, reddidisset. Sed certè nõ rectè intelligitur, quomodò Deus ius Christo seruauerit, eius Satisfactionem acceptans, si illam acceptare ex iustitia minimè tenebatur. Nequit enim verum iustitiæ ius intelligi sine obligatione, & debito iustitiæ: ergo si Christus ratione suorum operum verum habuit ius, vt sua Satisfactio acceptaretur, & propter illam remitterentur hominum peccata, procuidubiò talis acceptatio, & peccatorum remissio ex iustitia erat illi debita.

61 M. Medina hic Respondet, hanc acceptationem, & peccatorum remissionem fuisse quidem debitam Satisfactioni Christi titulo iustitiæ, sed Deum Christo illam non debere, quia, vt inquit Augustin. 1. confession. cap. 4. loquens de Deo. *Reddit debita nulli debens, donat indebita, nihil perdens.* Sed contra: quia implicat, quòd Christo ex iustitia propriè dicta, debeatur sua Satisfactionis acceptatio, quin sit aliqua intellectualis naturæ Persona, quæ huiusmodi acceptationem ex iustitia illi debeat: obligatio enim, & debitum iustitiæ, vt Aristoteles. 5. Ethico. ostendit, nisi inter Personas intellectuales intercedere non potest: ergo cùm nulla alia sit, nisi Deus, absolutè Deus tenetur ex iustitia huiusmodi Satisfactionem acceptare, si talis acceptatio est illi ex iustitia debita.

62 M. Suarez Respondet, Deum supposita libera sua promissione, & pacto, quod inter ipsum, & Christum intercessit, ex iustitia obligatum fuisse ad admittendam Christi Satisfactionem: nam licèt ex sola simplici promissione obligatio fidelitatis tantùm oriatur in Deo, non verò iustitiæ propriæ: at ex promissione adiuncto pacto onerosæ cõditionis; idest, operis proportionati, & condigni ad obtinendum id, quod promittitur, optimè potest oriri obligatio iustitiæ, tam in Deo, quàm in nobis: nam quod sub ista conditione onerosa promittitur, non gratis, & liberaliter offertur, sed tanquam iusta merces debita de condigno propter opus impositũ. Quò fit, vt Pater æternus eo ipso quòd statuit, & voluit suum Filium in mundum mittere, vt pro hominum peccatis Satisfaceret, eum ea voluntate, quam habuit, expressum, vel saltem quasi tacitum pactum fecerit præmiandi, & acceptandi Satisfactionem Christi; & vt sic debitor constituatur, debito, inquam, explicito, vel implicito, Christo Domino, & omnibus hominibus in illo, ratione quidem suæ ordinationis, cui se obligauit. Et sic acceptare ex propria, & vera iustitia tenebatur Christi Satisfactionem: quia licèt necessitate simpliciter Diuina voluntas necessitari nõ possit,

niſi ad ſuam bonitatem amandam: neceſſitate verò ex ſuppoſitione poteſt neceſſitari ad aliquod opus ad extra, ſuppoſita ſua ordinatione ad tale opus. Hæc autem neceſſitas non dicit imperfectionem in Deo, quia non eſt orta ex aliqua lege, neque ab extrinſeco, ſed potiùs pertinet ad perfectionem, quia oritur ex intrinſeca rectitudine ipſius Diuinæ volũtatis: cui naturalis eſt omnis perfectio, quæ ad conſtantiam, & rectitudinem voluntatis attinet: & ideò eſt illi naturale, & neceſſarium, vt poſtquàm aliquid decreuit, ac voluit, in ea voluntate immutabilis perſeueret. Item hæc neceſſitas non eſt abſoluta, ſed ex ſuppoſitione voluntatis Diuinæ: quemadmodum ſi Deus vult loqui, neceſſum eſt vera loqui, & ſi promittit, vera promittere, & adimplere. Ad eundem modum, quamuis liberè paciſcatur, vel ſub cõditione oneroſa promittat, tamen poſtquàm ſemel paciſcitur, neceſſariò ſtat conuentioni factæ, non quidem ex extrinſeca obligatione, & debito, ſed ex naturali rectitudine iuſtitiæ, & tale debitum non importat imperfectionem.

63 Ex hac ſolutione colligitur alia ſolutio: nẽpe, quòd etiam ſi de facto nullum interueniſſet pactum, & promiſſio Dei ad Chriſtum, adhùc teneretur Deus ex vi rectitudinis iuſtitiæ acceptare Chriſti Satisfactionem. Et ratio huius eſt, quia vt modò ſuppono ex dicendis Diſput. 8. ſequente, Satisfactio Chriſti fuit actus iuſtitiæ commutatiuæ, hæc autem ponit æqualitatem in vtroque extremo, ita vt ſi vnus tribuat quantum debet, alter teneatur acceptare, & remittere debitum. Ac proindè Satisfactioni Chriſti ex parte Dei Reſpondet ſtricta quædam neceſſitas ipſam Satisfactionem acceptandi: aliàs Chriſti Satisfactio non eſſet de rigore iuſtitiæ, ſi ex vi rectitudinis iuſtitiæ Deus illam acceptare non teneretur.

64 Eſt tamen aduertendum pro intelligentia huius ſolutionis, quam multi recentiores amplectuntur, & illam eruditè explicat M. Suarez Diſput. 4. ſectio. 5. Huiuſmodi neceſſitatem acceptandi Chriſti Satisfactionem, non eſſe ſic accipiendam, quaſi proueniat à Deo, aut ex fideli promiſſione ipſius, aut ex ſumma concordia voluntatum Dei, & Chriſti; quia in hoc nulla eſt difficultas: ſed quòd proueniat ex vi rectitudinis iuſtitiæ: ſic tamen, vt ob id non intelligatur, Deum teneri aliquo præcepto iuſtitiæ; cùm Deus nullo præcepto, aut lege obligari poſſit: ſed in eo ſenſu dicitur Deus ex rectitudine iuſtitiæ neceſſitari, quo dicitur neceſſitari ad amandum ſeipſum, ad non mentiendum, & ad alia id genus, in quibus reperitur intrinſeca bonitas, & rectitudo: quæ neceſſitas prouenit ab intrinſeca rectitudine voluntatis Diuinæ, tametſi pendeat tanquàm à conditione à rectitudine iuſtitiæ reperta in Chriſti Satisfactione.

65 Secundò aduertendum eſt, quòd cùm omnis operatio humana Chriſti, & omnis eius rectitudo ſit ad voluntatem Dei liberam reducenda, quatenùs liberè voluit, Verbum humanitati hypoſtaticè vniri; ex conſequenti tota neceſſitas, quæ ex Chriſti operibus ad Dei voluntatem inducitur, eſt neceſſitas ſuppoſitionis tantùm, ex ipſa Dei voluntate libera primam originem trahens: ſicut dicunt Theologi de neceſſitate, qua Deus ſuis promiſſis ſtare tenetur.

66 Tertiò aduertendum eſt, hàc rectitudinem iuſtitiæ, cui Deus neceſſitatur attendere, ſpectare ad iuſtitiam cõmutatiuam ſublatis imperfectionibus, quæ in noſtra iuſtitia reperiuntur. Etenim noſtra commutatiua iuſtitia in quadam æqualitate dati, & accepti conſiſtit; quæ ſanè ratio æqualitatis non eſt rigoroſè accipienda inter Chriſtum, & Deum, quia Deus nihil accipit, quod ad ipſius pertineat vtilitatem, cùm non indigeat aliquo, neq; in proprijs bonis augmentum ſuſcipere valeat. Præterea Iuſtitia cõmutatiua, quæ in nobis reperitur, conſtituit mutuam dependentiam, & ſubiectionem inter eos, in quibus reperitur, quia neceſſitas & obligatio, qua quis alteri ex iuſtitia obligatur, prouenit ab extrinſeco; ideſt, ex vi operis iuſti ab alio exhibiti. V. G. qui emit equum ab aliquo, ex vi emptionis, & venditionis, & ex vi traditionis ipſius equi tenetur pretium rependere, & ſoluere, quæ obligatio, cùm ab extrinſeco proueniat, eſt veluti ſeruilis quædã ſubiectio. Cæterùm neceſſitas, qua Deus meritum Chriſti acceptare tenetur, non prouenit ab extrinſeco, ſed ex intrinſeca, & connaturali rectitudine Diuinæ voluntatis, cui naturalis eſt omnis perfectio ad conſtantiam, & rectitudinem voluntatis ſpectans. Et ideò potiùs vocatur neceſſitas, quàm obligatio; tametſi vtrumq; appellari valeat. Sed multò propriùs dicitur Deus neceſſitari ad acceptandum, quàm obligari. Sublatis igitur his, & ſimilibus imperfectionibus, quæ in noſtra iuſtitia commutatiua reperiuntur ex ſubiecti conditione, & omnes ſunt materiales, & quaſi accidentales ad communem, & abſtractam rationem iuſtitiæ, neq; in eius ratione formali eſſentialiter includuntur, & ideò quamuis iuſtitia commutatiua in hominibus imperfectionem includat, ratione materiæ, circa quam verſatur; formale tamen eius obiectum ſic poteſt præciſè, & formaliter abſtrahi, vt nullam in ſuo conceptu imperfectionem includat, vt elegãter docet M. Suarez Opuſculo de Iuſtitia Dei ſectio. 2. de Iuſtitia Commutatiua à num. 2. vſque ad 7. His igitur imperfectionibus ſublatis, veriſſimè dicitur, Deum neceſſitari ex rectitudine iuſtitiæ commutatiuæ ad acceptandam Satisfactionem Chriſti; quia ibi ſaluantur ea, quæ ad iuſtitiam commutatiuam neceſſaria ſunt: nempe, æqualitas rei ad rem, hoc eſt, Satisfactionis ad offenſam, & meriti ad præmium. Et ſimiliter æqualitas inter ipſas Perſonas, videlicet, inter Deum & Chriſtum.

Vndè conſtat in Chriſti Satisfactione ſeruatã fuiſſe 67
propriam, & veram iuſtitiam commutatiuam tam ipſius Chriſti ad Deum, quàm Dei ad ipſum, quia vt aliqua virtus, ſeu actus eius propriè reperiatur in Deo, ſufficit, quòd ratio formalis illius virtutis formaliter, & propriè reperiatur in Deo: tametſi non habeat adiunctam illam imperfectionem, cum qua in nobis inuenitur; aliàs nõ eſſet in Deo miſericordia, cùm in illo non ſit compaſſio, neq; eſſet liberalitas, quia non priuatur bonis, quæ alijs liberaliter communicat: neq; eſſet iuſtitia vindicatiua, quia non ſe tuetur, neq; ſeruat incolumem alios puniẽdo. Etenim cùm hæc attributa, perfectiones, & virtutes de Deo, & de nobis Analogicè dicantur, & non vniuocè, eſtò ſint in Deo formaliter, & propriè, ſunt tamen in illo excellentiori modo, videlicet, ſublata omni imperfectione: quoniam talis imperfectio non eſt de conceptu formali talium virtutum ſecundùm ſe, ſed duntaxat conuenit illis, prout ſunt in nobis

nobis: nam abstracta per intellectum tali imperfectione, intelligitur manere quædam ratio formalis virtutis, distincta secúdùm rationem ab alijs virtutibus, quæ formaliter, & propriè conuenit Deo, & in nobis etiam inuenitur.

67 Constat insuper, Deum in acceptanda Christi Satisfactione, & meritis seruasse Iustitiam propriè, eamq; commutatiuam, potiùs quàm distributiuam. In quo deceptus est M. Suarez, qui motus authoritate D. Thomæ. 1. p. 2 1. art. 1. vbi iustitiam commutatiuam Deo negauit, & distributiuam concessit, affirmat in hac Dei acceptatione intercessisse propriam, & formalē rationem iustitiæ distributiuæ, commutatiuæ verò non nisi quendam modum eminenter continentem, quidquid perfectionis est in nostra iustitia commutatiua. Sed hæc sententia est falsa, quod sanè ex definitionibus iustitiæ commutatiuæ, & distributiuæ euidenter colligitur. Etenim iustitia distributiua est, quæ primò, & per se æqualitatem inter plures constituit seruando Geometricam inter ipsos proportionem, ita vt tantus sit excessus bonorum, quæ vni ex tota communitate tribuit supra bona, quæ alteri ex eodem communitatis corpore concedit, quantus est dignitatis, & meritorum vnius supra dignitatem, & merita aliorum. Contra verò cōmutatiua iustitia est, quæ constituit æqualitatem inter aliquos, seruata simplici, vnius scilicet ad vnum, Arithmetica proportione. sed Deus cùm Christi merita, & Satisfactionem acceptauit, per se seruauit Arithmeticam æqualitatem vnius ad vnum, nempe, remissionis peccatorū ad Satisfactionem Christi: gratiæ, & gloriæ ad merita æqualia, & condigna Christi, seruata simplici proportione: ergo in huiusmodi acceptatione Satisfactionis, & meritorum Christi seruauit potiùs Deus rationem formalem iustitiæ commutatiuæ, quàm distributiuæ.

68 Neque obstat authoritas D. Thomæ negantis vbi supra, in Deo reperiri iustitiam commutatiuam propriè: nam loquitur expressè de iustitia commutatiua, quæ in datis, & acceptis consistit, non de ea, quæ versatur in oblatis, & acceptatis, nempe, in remunerandis meritis, & Satisfactionibus seruata Arithmetica æqualitate, & debita vnius ad vnum proportione. Vel certè loquitur D. Thomas de iustitia commutatiua, prout est coniuncta in nobis, cum aliquibus imperfectionibus, quas excludit iustitia commutatiua in Deo Quod fortasse voluit Suarez. Sed obstat, quod statim subiungit, videlicet, iustitiam commutatiuam formaliter sumptam includere essentialiter imperfectionem, idq; sensisse aperte D. Thomam, atq; adeò nō posse in Deo hanc iustitiam reperiri formaliter, sed solùm eminenter. Nihilominùs quidquid sit de hoc, nequit congrua ratio assignari, cur imperfectiones necessariò annexæ iustitiæ distributiuæ, liberalitati, & misericordiæ in nobis, ad propriam, & formalem rationem harum virtutum non pertineant, spectet verò imperfectio nostræ iustitiæ commutatiuæ ad propriam, & formalem huius virtutis rationem? Neque vero, cur Dare, vt Des, hoc est, seruare Arithmeticam æqualitatem in datis, & acceptis, pertinet ad iustitiam commutatiuam propriè: non verò Facere, vt Facias: idest, seruare hanc eandem æqualitatem in liberis, & moralibus actionibus, cùm vtrobiq; eadem formaliter virtutis honestas eluceat, & sola intercedat materialis differentia, tenens se ex parte subiectorum.

Quòd si fortè vim faciens in ipso iustitiæ commutatiuæ nomine (quod propriè sumptum permutationem, idest, mutuam dominiorum trāslationem sonat) dixerit aliquis, non posse propriam, & formalem huius virtutis rationem reperiri, nisi in datis, & acceptis: facilè Respondetur, nomen iustitiæ commutatiuæ fuisse quidem impositum à communibus, & ciuilibus permutationibus, de quibus solùm Aristotel. 5. Ethicor. Disputat, agens de hac virtute. Nihilominùs latiùs patere huius vocis significationem: nam omnes Philosophi morales, & Theologi in Satisfactione condigna exhibita pro aliqua iniuria, in eius acceptatione, in restitutione famæ propriſsimè iustitiam commutatiuam seruari docent; cùm tamen in his, & similibus actionibus nec propriè permutatio reperiatur, nec verò mutua dominiorum translatio. Ergo quòd hæc in Deum cadere non possit, nō obstat, quominùs propriè & formaliter in ipso reperiri iustitiam commutatiuam dicamus, vereq; intercessisse in acceptatione Satisfactionis, & meritorum Christi, cùm in ea seruauerit propriſsimè Arithmeticam æqualitatem, non verò Geometricam, quæ inter duos tantùm seruari non potest. 69

His positis ad secundam partem quarti argumenti principalis patet Responsio. Concedendum igitur est, fuisse in Deo actum iustitiæ commutatiuæ acceptare Satisfactionem Christi. Ad impugnationem autem, quòd nullus tenetur acceptare Satisfactionem ab alio, quàm ab ipso offendente, sufficienter Responsum est num. 5 9. Et præterea Respondetur, Deum ex vi rectitudinis suæ voluntatis necessitari ab intrinseco ad acceptandam Christi Satisfactionem, tametsi illa necessitas, quæ primò, & per se prouenit ab intrinseca, & essentiali rectitudine Diuinæ voluntatis, dependeat tanquam à conditione, & causa sine qua non, ab extrinseca rectitudine iustitiæ, quæ in Christi Satisfactione reperitur. Sed contra instatur. 70

Illa necessitas fundari non potest in ipsa extrinseca rectitudine iustitiæ commutatiuæ, tanquam in conditione solùm, sed etiam tanquàm in ratione formali. ergo si pertinet ad iustitiam commutatiuam, ab extrinseco pendet. Probatur antecedens: quia ratio formalis iustitiæ commutatiuæ, quæ in Satisfactione reperitur, per se, & formaliter requirit æquiualentiam inter Satisfactionem Christi, & offensam Deo illatam. Ergo, &c. Respondetur, primò & per se non fundari nisi in intrinseca rectitudine voluntatis Diuinæ: secundariò verò, & veluti mediatè fundari in ipso valore Satisfactionis, quatenùs cōstituit æquiualentiam inter Christi Satisfactionem, & Dei offensam. Quòd autem fundetur in illa tanquam in conditione requisita, seu tanquam in ratione formali, impertinens est ad hoc, vt dicatur ab extrinseco pendere, quia vel non pendet ab illa nisi tanquàm à conditione, vel si pendet ab ea tanquàm à ratione formali, est veluti secundariò, & mediatè. 71

Secundò Respondetur, neminem teneri ad acceptandam Satisfactionem ab alio, quàm ab ipso offendente, seclusò omni pacto, & conuentione. Si verò offensus cum aliquo paciscatur, & promittat illi remissionem offensæ, 72

offensæ, & acceptationem, si pro offendente Satisfecerit, tunc adimpleta conditione, & posita Satisfactione tenetur stare promissis ex vera, & propria iustitia. Quare etiam inter Deum, & Christum intercesserit huiusmodi pactum, & conuentio, illiq; Deus promiserit remissionem injuriæ, & offensæ sibi ab hominibus illatæ, si pro illis Satisfecisset, posita tali Satisfactione, nequiuit Deus ex propria, & vera iustitia illam non acceptare.

73 Ad secundam probationem, nempe, quod obligatio, vel debitum iustitiæ in Deo locum non habet, quia dicit imperfectionem, iam ostensum est num. 61. huiusmodi rationem debiti & obligationis nullam dicere imperfectionem in Deo, cùm non sit orta ex aliqua lege, neq; ab extrinseco, sed potius spectare ad perfectionem, quia oritur ex intrinseca rectitudine ipsius Diuinæ voluntatis, cui est naturalis omnis perfectio pertinens ad constantiam, & rectitudinem voluntatis. Secundò Respondetur, rationem debiti, quæ pactum, & promissionem supponit sub operis conditione, nullam imperfectionem denotare, & ob id nō repugnare Deo: imò verò talem iustitiam propriè, & formaliter conuenire Deo, maximamq; importare perfectionem. Itaq; nihil derogat perfectæ iustitiæ Christi, vt intercedat hoc pactum, vel promissio Dei, vt Deus ex iustitia debeat eius Satisfactionem acceptare. Nō enim vera iustitia exigit, vt vnus valeat alium ad contrahendum cogere, sed solùm vt seruata in omnibus æqualitate, possint voluntariè pacisci, & posito pacto, quod ex iustitia debeat seruari. Vt si Rex habeat sub potestate sua homines iure belli captiuos, etiam si pro illis æquale, & condignum pretium offeratur, non tenetur illud acceptare, neq; illos libertate donare. Verùm si cum aliquo pacisceretur, & promitteret daturum libertatem captiuis, si hoc, vel illud opus faceret; tunc ad impleta conditione, ex vera, & propria iustitia tenetur stare promissis, essetq; injustus, si non staret.

74 Hoc exemplum dicit M. Vazquez loco citato cap. 6. non esse ad rem: nam cùm Rex habet aliquem captiuum, ipse Rex non est læsus ab aliquo, neque illi aliquis debitor est. Vndè qui offert pro captiuo pecuniam æqualem, non Satisfacit pro aliqua injuria, seu debito, sed vult cum Rege contractum inire emptionis, aut Redemptionis, ad quem ineundum nō obligatur Rex, qui captiuum detinet. Nihilominus hæc euasio nihil concludit, neque labefactat exemplum, quoniam captiuus iure belli seruitutem sustinet tanquàm pœnam ratione injuriæ per debellationem commissæ: ergo & Dominus supponitur læsus, idest, injuria affectus, & captiuus semper manet debitor, cùm iustè tali pœna afficiatur. Ac proinde Redemptio talis captiui est quædam pœnæ commutatio, & quædam prioris injuriæ Satisfactio. Ad hanc autem commutationem nequibat Rex ex iustitia cogi, quia liberum illi esset, talem captiuum pœna seruitutis punire, quæ iure gentium est introducta. Et quod dicimus de Rege læso, & injuria affecto, debet etiam intelligi de qualibet particulari Persona, quæ habeat dominium alicuius captiui iure belli acquisitum: nam ius Regis, cui bellum injustum illatum est, censetur transferri ad quemlibet particularem dominum. Itaque exemplum adductum optimè explicat fieri posse, vt aliqua pœnæ compensatio secluso pacto æqualitatem iustitiæ non habeat, hoc est, non sit efficax ad inducendam iustitiæ obligationem de tali compensatione acceptanda, nec per se se redeat ius æqualitatem factam ad æqualitatem iustitiæ: & tamen quòd interueniente pacto hæc omnia habeat. Quòd si hæc vera sunt etiam inter creaturas, multò magis inter homines, & Deum, qui cùm sit supremus Dominus, ad nullam creaturæ Satisfactionem acceptandam obligari potest, præter eam, quam ipse ordinauerit, vel ex pacto, & promissione sua instituerit.

Ad primam replicam contra solutionem ibidem assignatam Respondetur concesso antecedenti negando 75
consequentiam, & probationi dicitur, quòd licet ex vi actuum Christi, secundùm quòd homo, teneatur Deus reddere, quæ Christus exigebat, ita vt non posset non reddere: tamen ex hoc non sequitur, facultatem Dei esse absolutè determinatam, & pendentem à talibus actibus, sed solùm ex suppositione, quatenùs supposito, quòd Deus voluit, vt Christus pro hominibus Satisfaceret, non potuit Deus iustè aliam Satisfactionem exigere, neq; Christi Satisfactionem repudiare, sed necessario illam acceptare debuit. Neque est incoueniens, Dominium Dei dependere tanquàm à conditione, & causa sine qua non, ab aliquo extrinseco, nempe ab extrinseca rectitudine iustitiæ, quæ in actibus Christi Satisfactorijs reperitur.

Ad secundam replicam concesso antecedenti nega- 76
tur consequentia, quia debitum, & obligatio ex suppositione promissionis liberæ Dei, non tollit, aut diminuit perfectum ius, & Dominium Dei, quod potissimùm consistit in libertate coniuncta cum Dei omnipotentia. Ex illa verò obligatione, & debito Deus propriè non denominatur debitor alteri, sed sibi ipsi, in quantùm est illi debitum, vt sua ordinatio impleatur. Neque ex actione creaturæ, etiam Christi, vt hominis, posset sequi huiusmodi debitum, & obligatio, nisi supposita Diuina ordinatione: quod rectè expendit D. Thomas. 1. 2. q. 114. art. 1. ad 3. vbi ait, per hoc debitū non obligari Deum creaturæ, sed potius creaturam subijci Deo, vt in ea ordinatio Diuina impleatur. Vndè constat, huiusmodi debitum, & obligationem non repugnare cum perfecto Dominio, neque cum suprema Domini potestate.

Ad tertiam replicam cōtra alteram solutionem pa- 77
tet solutio, non enim est inconueniens, quòd facta aliqua suppositione, Dominium aliàs absolutum sit dependens ab aliquo, cui Deus dare teneatur, quia Deum sic teneri, & obligari, nullā dicit imperfectionem, nam obligatur à seipso, & ex virtute suæ promissionis, & pacti, & nō ab aliquo alio sibi inferiori, præsertim respectu Christi, qui est Deus, & Patri æqualis. Et præterea illa obligatio formaliter prouenit ex rectitudine Diuinæ voluntatis, supposita eiusdem voluntatis libera promissione. Ex Satisfactione autem Christi nō oritur propriè & formaliter, sed quasi obiectiuè tantùm: quemadmodum etiam necessitas, & obligatio seruandæ fidelitatis non diminuit, neq; determinat, aut coarctat Diuinum Dominium, quia non prouenit ab extrinseco, sed ex suppositione propriæ libertatis, & intrinseca rectitudine. Et eodem modo Respondetur ad confirmationem.

Ad quartam replicam conceditur, Christum Domi- 78
num ratione suæ Satisfactionis habere aliquod Ius respectu

pectu

Digitized by Google

pectu Dei, quod Deus necessariò, & infallibiliter seruat ex rectitudine institiæ. Etenim quatenùs Christus obtulit suam Satisfactionem ad Satisfaciendum pro omnibus hominibus quò ad sufficientiam, & pro electis quò ad efficaciam, habet ius, vt pro illis acceptetur quantùm ad sufficientiam, pro istis verò quantùm ad efficaciā, ita vt nequeat Deus aliā Satisfactionē iustè exigere, neque Christi Satisfactionē repudiare; sed necessarium sit illam acceptare; quæ quidem necessitas ex præcedente promissione ortum habet. Vndè illud ius Christi, quod est quasi obiectum Diuinæ iustitiæ, pertinet ad iustitiam commutatiuam, cuius interest proprie, & formaliter, reddere alteri, quod suum est, vel erat, vel ad quod habet Ius ratione sui meriti, vel Satisfactionis. Et si Deus ab extrinseco esset capax obligationis, obligaretur ex iustitia parcere illis, pro quibus Christus Satisfecit. Concedendum igitur est, Christum posse vti suo iure, quando, & quomodo voluerit, nec posse Deum ex vi rectitudinis iustitiæ facere, vt Christus non vtatur Iure suo, supposito quòd voluerit, & ordinauerit, vt Christus pro hominibus Satisfaceret.

79 Ad quintam replicam conceditur, Deum non esse capacem obligationis simpliciter, & absolutæ, prouenientis ab aliquo extrinseco; negatur tamen esse incapacem obligationis ex suppositione, vt explicatum est. Ad impugnationem Respondetur, quòd quando ratio obligationis, & debiti oritur ab extrinseco; idest, ex vi operum, quæ creditor in commodum, & vtilitatem debitoris effecit, tunc qui obligatur ex iustitia, subditur vinculo iustitiæ, & fit illi inferior. Secùs verò est, si talis obligatio non ab extrinseco, sed ab intrinseco oriatur, hoc est, à propria proueniat voluntate, qua seipsum debitor liberè obligare voluit, vt contingit in Deo, qui, vt Augustinus in Psal. 83. eleganter docuit, debitorem se nobis constituit, non aliquid à nobis accipiendo, sed promittendo. Neq; exemplum adductum; est ad propositum; nam qui inter homines liberè se obligat, & cum alio paciscitur, manet quidem obligatus, & subiectus iustitiæ, & illi Personæ, quæ potest iustum exigere: at verò Deus, cùm sit supremus omnium Dominus, nulli creaturæ subijcitur, nec illi debitor constituitur, sed potiùs suæ voluntati sic ordinanti, & disponenti.

80 Ad sextam replicam concesso antecedenti quo ad vtramq; præmissam, negatur consequentia, quia licèt Satisfactio Christi materialiter fuerit comprehensa, & contenta sub vniuersali iure, & Dominio Dei, illiq; subiecta, non tamen quatenùs procedebat à Persona Verbi, nam Verbum nulla ratione, nulloq; præcepto potuit obligari ad operandum, sed potiùs ex summa libertate voluntatis propriæ applicuit se ad operandum, & agendum per humanitatem: atq; adeò eius Satisfactio non plenè continebatur sub vniuersali ipsius Dei Dominio. Itaq; licet Deus habuerit absolutum Dominium omnium operationum Christi, sed non eo modo, quò Christus, nempe, inquantùm suppositum humanum, & vt sic erat Dominus suarum operationum, quas in Satisfactionem offerebat. Et hoc sufficit ad inducendam necessitatem voluntati Diuinæ acceptandi talem Satisfactionem. Vndè actus, quo Christus Satisfecit, non fuit Satisfactio ratione Dominij, quod Deus in illum habebat; sed ratione Dominij, quod Christus habet, & hoc satis est ad optimam proportionem in hac Satisfactione necessariam. Est simile. Actus peccati, vt est quædam res, est sub Dominio Dei, vt autem est à próximo operante, qui in illum etiam habet suum Dominium, cedit in iniuriam Dei. Eodem modò inuenitur proportio inter meritum, & præmium: nam qui meretur, nihil confert ei, apud quem meretur, neq; ratio meriti id postulat: sed sufficit, vt operāi habeat suorum actuum Dominium, quos exercet in voluntate implenda illius, apud quem meretur, etiam si aliàs illi actus cadant sub Dominium eiusdem. Et eodem modo præmium Respondens meritis ita datur à Deo ipsi merenti, vt semper maneat sub Dei dominio.

Ad septimam; & octauam replicam patet solutio ex dictis. Etenim licèt voluntas Dei, & pactum non extrahat actiones Christi à latitudine, & ambitu Creatoris, & ex consequenti neque ab ambitu Dominij absoluti; quod Deus habet: nihilominùs ipsius Christi operationes, quatenùs procedebant à Persona Verbi, aliter cadebant sub eius dominium, & aliter sub dominium Dei; vt ostensum est.

OCTAVA DISPVTATIO.

VTRVM Satisfactio Christi Domini fuerit actus iustitiæ commutatiuæ, & ab ea elicitus. 1
Pro tituli intelligentia aduertendum est ex D. Thoma. 2. 2. q. 58. art. 5. tres esse species propriæ iustitiæ: nempe, iustitiam legalem, distributiuam, & commutatiuam. Legalis primò, & per se respicit bonum commune, particularia verò in ordine ad commune, quod est proprium obiectum illius. Distributiua autem bona communia partibus Reipublicæ iuxta proportionem meritorum distribuit, cùm scilicet ea ratione sunt debita, qua id, quod est commune, si redundat, inter omnes communitatis partes est diuidendum: atque adeò in tali distributione seruat, & constituit æqualitatem secundùm proportionem Geometricam. Residetq; hæc iustitia in administratoribus Reipublicæ, quibus incumbit similia bona distribuere. Commutatiua est, quæ vnicuiq; reddit, quod est suum, & illi debetur, vel quia illius est proprium, vt patet in restitutione depositi, commodati, &c. Vel quia aliquo titulo Ius sibi ad illud comparauit; vt cùm in venditione pro pretio redditur res vendita. Et quia hæc iustitiā reddit ad æqualitatem, quod debetur, dicitur seruare, & constituere æqualitatem secundùm proportionem Arithmeticam. In præsenti ergo supponimus tanquàm certum, Satisfactionem Christi non respicere obiectum iustitiæ legalis, & eius finem, quia illa posita est in consulendo bonis communibus, & in constituenda rectitudine in actibus virtutum, vt commune obiectū respiciunt. Satisfactio verò præcipuè consistit in constituenda æqualitate pro iniuria. Item similiter est certū, Christi Satisfactionem ad iustitiam distributiuam non spectare, quia illa per se respicit bona publica, & eiuibus distribuenda, non verò compensationem. Tota ergo difficultas versatur circa iustitiam commutatiuam, & de hac dubitatur, An Christi Satisfactio fuerit actus iustitiæ commutatiuæ, & ab ea elicitus, vel ab aliqua alia virtute. Et quidem quòd non fuerit actus iustitiæ commutatiuæ probatur aliquibus medijs. 2

Proponuntur

Digitized by Google

Proponuntur Argumenta. §. I.

3 PRIMO Negatio ita suadetur. Iustitia cōmutatiua solùm est inter æquales, quia sicut legalis iustitia est partium ad totum, & distributiua totius ad partes, ita commutatiua est paris ad parem: sed Christus, in quantùm Deo Satisfecit, non fuit Deo æqualis, quia Satisfecit vt homo, ac proinde vt minor, & inferior Deo, nam vt Deus, neque mereri, neq; Satisfacere potuit: ergo, &c.

4 Secundò. Si Satisfactio Christi esset actus iustitiæ commutatiuæ, sequeretur esse in Christo habitum iustitiæ commutatiuæ erga Deum, distinctum specie ab omnibus virtutibus moralibus, quæ in puro homine reperiuntur, sed consequens est falsum: ergo, &c. Probatur sequella; quia in homine erga Deum nulla est iustitia cōmutatiua, vt est omnibus Theologis receptum, nam purus homo nequit reddere Deo æqualem Satisfactionem pro offensa cōtra ipsum commissa. Sed probatur minor. Nulla virtus fuit in Christo, quæ secundùm speciem in puro homine reperiri non posset, nam subiectum virtutum in Christo non est Diuinum suppositum, sed humanitas, quæ est eiusdem speciei cum humanitatibus aliorum hominum, & eisdem potentijs prædita, quæ eadem obiecta formalia respiciunt, & quæ eisdem virtutibus secundùm speciem perfici possunt.

5 Tertiò. Si Satisfactio Christi esset actus iustitiæ cōmutatiuæ, sequitur, quòd si Verbum dimitteret humanitatem, & exerceret eundem actum, ille procederet ab eadem virtute: sed consequens est falsum: ergo, &c. Probatur sequella: nam virtutes omnes, quæ inhærent animæ Christi, & similiter actus illarum possunt manere in humanitate Christi, cui inhærebāt, etiam si Verbum humanitatem dimitteret: imò verò de facto manerent, si non esset speciale aliquod miraculum. Minor probatur: quia actus iustitiæ tunc esset eiusdem speciei, & rationis, & non minoris virtutis, quàm antea: quod tamē est falsum: quoniam illi actus ex Persona habent, quòd sint æquales, & iustitiæ.

6 Quartò. Nullus habitus potuit esse in Christo, qui esset principium Satisfactionis perfectæ secundùm rationem iustitiæ: ergo, &c. Antecedens probatur, quia ille habitus non posset esse ex natura sua principium talis Satisfactionis, tum, quia quòd Satisfactio Christi sit perfecta, consistit in denominatione morali desumpta à Supposito, à quo procedit, & huius denominationis non esset causa ille habitus ex natura sua. Tum etiam, quia habitus operatiui, qualis esset ille, non concurrunt ad actus nisi in ordine ad sua obiecta, & medijs potentijs, & constat, perfectionē valoris Satisfactionis Christi nec sumi ex ordine ad obiectum, neq; procedere ab aliqua potentia humanitatis Christi, vt à principio.

7 Quintò. Satisfactio tunc est actus iustitiæ commutatiuæ, quando in restituendo honore iustitia subijcit Personam offendentem ipsi Personæ offensæ eliciendo, vel imperando aliquem actum, quo fiat compensatio: sed iustitia commutatiua nequiuit Personā Christi subijcere ipsi Deo: ergo, &c. Probatur minor: nam iustitia, & iustum, quod respicit, important æqualitatem limitatam, & creatam, Christus verò Satisfaciens est aliquid increatum, & infinitum: ergo iustitia nō potuit habere imperiū supra illam Personam, eam subijciendo alteri Personæ offensæ.

8 Sextò. Satisfacere pro peccato propriè loquēdo, non est commutatio, nempe, Do, vt Des, sed potiùs est quædam vindicatio ad peccati deletionem: ergo Satisfactio non est actus iustitiæ commutatiuæ.

9 Septimò. Iustitia commutatiua tātùm respicit medium rei, & non medium rationis, vt docent omnes ex sententia Aristotelis, & D. Thomæ: sed Christi Satisfactio potissimùm consistit in medio rationis; ergo non est actus iustitiæ commutatiuæ. Minor probatur: quia potissimùm consistit in respiciendo Personam, & in modo dilectionis ipsius animæ: ergo potiùs attenditur hæc Satisfactio ex medio rationis.

10 Octauò. Iustitia commutatiua, quæ est virtus specialis, per se tantùm respicit æqualitatem, quæ fit inter homines, sed non respicit illud ius, quod est hominis ad Deum: at Satisfactio Christi immediatè respicit Deum, & quoddam ius Diuinum: ergo non est actus iustitiæ commutatiuæ, quæ est virtus specialis. Probatur maior: quia ideò ponitur virtus Religionis, quæ respicit iustum Diuinum, & honorem illi exhibendum, quia iustitia non sufficit constituere æqualitatem inter nos & Deum. Dices, quòd virtus iustitiæ commutatiuæ non respicit adæquatè iustum inter homines, sed ex se abstrahit ab æqualitate hominum, & ab illa, quæ est hominis ad Deum, vndè actus nostræ contritionis est actus iustitiæ respiciens æqualitatem, & compensationem immediatè factam Deo. Quò fit, vt iustitia Christi, & nostra secundùm substantiam sint eiusdem speciei, tametsi secundùm modum essendi distinguantur; estò ex subiecto & supposito Christi, habeat aliquid in ipso, quod in nobis non habet. Sed contra est, quia actus Christi fuerunt de rigore iustitiæ, nostri verò de iustitia imperfecta: ergo non sunt eiusdem speciei.

11 Nonò. Iustitia commutatiua fundatur in vero Dominio earum rerum, quæ sunt materia iustitiæ; sed Christus, vt homo, nullius rei habet plenarium Dominium, quod non sit subiectum, & subordinatum vniuersali Dominio ipsius Dei: vndè nihil potest dare Deo, quod non pertineat ad ipsum Dei ius, & dominium: ergo nulla Christi actio est sufficiens fundare debitum in Deo, pertinens ad iustitiam commutatiuam.

12 Decimò. Gratia Christi in esse Physico considerata, & vt ab ipsa effluunt virtutes infusæ, est eiusdem speciei cum gratia aliorum hominum: sed in alijs iustis ex gratia habituali non oritur virtus iustitiæ commutatiuæ erga Deum; ergo neq; in Christo ex gratia habituali oritur habitualis iustitia commutatiua. Consequentia patet ex illo vulgari axiomate. *Idem manens idem semper facit idem.* Dices: verum esse ex gratia habituali Christi non oriri virtutem iustitiæ commutatiuæ, sed Deum nouâ, & speciali actione illam infundere animæ Christi. Contra est: nam si animæ Christi fuit infusa virtus commutatiuæ iustitiæ erga Deum, per quā Satisfaceret: ergo Christus Satisfecit, vt æqualis Deo, quod est falsum. Probatur consequentia: quia iustitia commutatiua ex propria, & essentiali sui ratione respicit æqualitatem: ergo eius actio, prout ab ipsa procedit, non est inferioris ad superiorem, sed æqualis ad æqualem.

13 Vndecimò. Si in Christi voluntate esset habitus iustitiæ

ticiæ commutatiuæ, talis habitus esset finitus, & limitatus saltem in esse Physico: ergo Satisfactio Christi à tali virtute elicita esset finita: ergo vt sic non esset ad æqualitatem, neque esset perfecta, & ex cōsequenti non esset actus iustitiæ commutatiuæ: quia hæc est perfecta, & rigorosa iustitia, omnimodam æqualitatem inuoluens.

14 Duodecimò. Peccatum non fuit contra iustitiam commutatiuam: ergo Satisfactio, & compensatio pro peccato non fuit formaliter actus iustitiæ commutatiuæ. Consequentia patet, quia per iustitiam non resarcitur, nisi quod per iniustitiam ablatum est. Antecedens verò probatur, quia si peccatum fuisset contra iustitiam, omnia peccata essent contra iustitiam, quia tendunt contra Diuinum honorem, & quantùm est ex vi sua, procedunt in destructionem vltimi finis.

Referuntur opiniones. §. II.

15 CIRCA Hanc difficultatē sunt diuersæ Theologorum sententiæ. M. Ioannes Vincentius. q. 1. art. 1. dubio. 1. conclus. 2. pag. 168. asserit, actum Christi Satisfactorium non fuisse elicitum à virtute iustitiæ, neque ab vnica tantùm virtute, sed à pluribus, quia Satisfecit pro nobis per obedientiam factus obediens vsque ad mortem; per humilitatem, dum semetipsum humiliauit; per patientiam, quando vt agnus mansuetus ductus est ad victimam. Et sic de alijs.

16 M. Medina in hoc articulo Dub. 3. in Responsione ad. 2. pro sententia Caietani, affirmat, Satisfactionem Christi esse actum iustitiæ commutatiuæ, differentem secundùm speciem à Satisfactione nostra. Vnde in anima Christi ponit habitum iustitiæ commutatiuæ, qui in creatura esse non potest, quia æquiualens reddere non valet.

17 M. Suarez Disput. 4. sectio. 5. negat, Satisfactionem Christi esse actum elicitum à iustitia commutatiua, sed dicit esse elicitum à quadam speciali virtute, quam appellat iustitiam ad Deum, distinctam secundùm speciem à iustitia commutatiua, qua humana iura seruantur, aut reparantur: cuius iustitiæ ad Deum proprium munus est Diuinum Dominium, ac ius proprium, & rigorosum illæsum seruare, vel si fuerit læsum reparare. Et ab ista virtute formaliter & per se procedebat in Christo iusta Satisfactio, siue affectus, & intentio Satisfaciendi. Quòd autem hæc iustitia ad Deum, sit virtus distincta à iustitia commutatiua, qua humana iura seruantur, aut reparantur; probat Suarez ex eo, quòd ius Diuinum est altioris ordinis, quàm sit ius humanum, sicut implere promissum Deo, etiam in Christo pertinet ad aliam virtutem, quàm sit fidelitas inter homines: non quia non posit adimpleri ad æqualitatem, quod Deo promissum est, sed quia promissio ad Deum inducit ius, & obligationem altioris ordinis, quàm promissio ad hominem. Ita similiter iustitia Christi ad Deum est diuersa à iustitia commutatiua ad homines, non quia non posset reddere æquale Deo, sed quia ius Diuinum est altioris ordinis, quàm sint omnia iura humana. De hac ergo virtute pollicetur Suarez, se disputaturum in materia de pœnitentia.

18 Alij Theologi docent, Satisfactionem Christi esse actum elicitum à virtute Religionis, sicut Caietanus 3. p. q. 85. art. 2. dixit: pœnitentiam in nobis esse eandem virtutem cum Religione: nam hæc duo ferè sunt eiusdem rationis. Etenim si homo per virtutem Religionis inclinatur ad Satisfaciendum Deo pro suis peccatis, multò magis anima Christi per virtutem Religionis volet sufficiēter Satisfacere Deo pro hominum peccatis; quia multò magis honoratur, & colitur Deus Christi Satisfactione, quàm nostra. Quòd si munus Satisfaciendi ad Religionem spectat, eò est, quia est quidā Diuinus cultus, & Diuini honoris restauratio. Confirmatur, quia Satisfacere Deo, nihil aliud est, quàm reddere quidpiam debitum Deo: sed proprium, & adæquatum munus Religionis est reddere debitū Deo, quodcumq; illud sit, ac proindè munera eius sunt, colere Deum, implere votum, gratias illi agere, & alia id genus: quia & honor debetur Deo, & id, quod promissum est, & gratiarum actio: ergo similiter Satisfactio, & compensa Diuinæ iniuriæ, sicut debetur Deo, pertinet ad Religionem. Vndè Satisfactionem Christi inter opera Religionis cōstituit Sacra Scriptura, vt Ioan. 17. *Pro eis sanctifico meipsum.* Hoc est, in sacrificium offero, vt virtute eius sanctificentur, iuxta illud ad Hebræ. 10. *Vna oblatione consummauit sanctificatos.*

Postremò alij Theologi affirmant, Satisfactionem Christi esse actum elicitum à quadam virtute iustitiæ, quæ neque est distributiua, neq; commutatiua, neq; ad obiectum creatum, neque ad increatum determinata, sed eminens, habens in se secundùm quandam eleuatam rationem, quidquid est in habitibus iustitiæ, & in actibus earum seclusis imperfectionibus, & determinatione ad certa obiecta creata, sicut ponitur in Deo iustitia, quæ est attributum speciale, non determinatum ad hanc, vel illam iustitiæ rationem, sed eminenter continens commutatiuam, distributiuam, legalem, vindicatiuam, & iustitiam etiam potentialem. Ita proportionabiliter est in Christo eleuatissima quædam ratio iustitiæ, quæ potest actus Satisfactorios ad æqualitatem elicere, & Deo compensare. Pro decisione igitur veritatis sit prima conclusio. 19

Prima Conclusio. §. III.

SATISFACTIO Christi Domini fuit actus iustitiæ commutatiuæ, & ab habitu iustitiæ cōmutatiuæ elicitus. Sic autem est intelligēda conclusio, quòd Satisfactio Christi est actus elicitus ab habitu iustitiæ commutatiuæ infusæ, non quæ versatur in datis, & acceptis, sed quæ consistit in honoribus deferendis. Sicut enim, qui alteri pro iniuria facta Satisfacit ad æqualitatem, exercet actum iustitiæ commutatiuæ, offers enim obsequiū ei, quo ille vicissim condonet ius, quod aduersùs ipsum habebat, in quo perspicuè mutuus, & æqualis contractus inter ipsos cernitur: ita Christus Dñ pro peccatis humani generis ad æqualitatē Satisfecit, actū iustitiæ cōmutatiuę exercuit; nam obtulit in compensationem illorum obsequium, quo ex iustitia promeruit, vt Deus ius, quod contra nos habebat, deponeret, iniuriam sibi per peccatum factam nobis remittendo. Sic autem explicata conclusio probatur, primò ex modo loquēdi Sacræ Scripturę, quæ Christi opera appellat solutionem debiti, 20

vt constat ex Psal. 68. *Quæ non rapui, tunc exoluebã.* Solutio verò propriisimè spectat ad iustitiam cõmutatiuam. Similiter dicitur emptio, & Redemptio, iuxta illud. 1. Corint. 6. *Empti enim estis pretio magno.* Et 1. Petri. 1. *Non corruptibilibus auro, & argento Redempti estis. Emptio autem, & Redemptio important actum iustitiæ commutatiuæ. Et patet ex eo, quòd Deus in Filio suam iustitiam ostendit, exigens & Satisfactionem pro pœna, & honorem pro injuria, vt constat ex ad Roman. 6. Quare cùm Christus id copiosè præstiterit, constituit iustum, & æquale cum debito, & in re ipsa, & ex consequenti eius Satisfactio erit actus iustitiæ commutatiuæ. Idem etiam colligitur ex modo loquendi Sanctorum, & Theologorum, asserentium; Christum reddere debitum, compensare ad æqualitatem, & secundùm condignitatem Satisfacere: quæ omnia propriè dici non possent, si Christi Satisfactio non esset actus iustitiæ commutatiuæ.

21 Deducitur etiam hæc cõclusio ex D. Thoma in hoc articulo in corpore, & ad. 2. vbi dicit, Satisfactionem Christi fuisse sufficientem, & perfectam secundùm iustitiam, & secundùm condignitatem, & æqualitatem ad compensationem debitam pro culpa. Sed hæc intelligi non possunt respectu iustitiæ legalis, aut distributiuæ, vt constat; ergo debent intelligi respectu iustitiæ commutatiuæ. Item deducitur ex doctrina Aristotelis, qui. 5. Ethicor. cap. 3. dicit, tunc seruari æqualitatem iustitiæ commutatiuæ in injurijs, quando id, quod redditur pro injuria, est secundùm rem æquale ipsi injuriæ, siue damno per illam illato: sed valor Satisfactionis Christi fuit secundùm rem æqualis; imò & exuberans ex natura rei respectu offensæ contra Deum commissæ, vt ostensum est Disput. 4. Ergo fuit sufficiens secundùm veram, & propriam rationem iustitiæ commutatiuæ.

22 Dices, ad iustitiam commutatiuam non sufficere, quòd seruetur æqualitas inter id, quod redditur, & inter id, quod debetur; sed prætereà requiri, quòd sit inter æquales; Christum autem Satisfecisse, vt hominem, & vt sic non esse æqualem Deo. Sed contra est; quòd Christus, vt Satisfaciens non dicitur inæqualis Deo, quantùm ad id, quod fuit ratio per se valoris, sed solùm quò ad id, quod fuit conditio requisita, vt Satisfaceret. Item Aristoteles vbi supra tantùm docet, ad iustitiam commutatiuam requiri æqualitem inter id, quod debetur, & id, quod redditur, non verò inter creditorem, & debitorem: & hoc ab omnibus recipitur, qui propterea dicunt cum Aristotele, medium, quod intendit iustitia, esse medium rei, & non consistere in proportione ad operantem. Aliàs nunquam inter homines inæquales posset seruari iustitia commutatiua propriè sumpta: quod nullus asseruit.

23 Rursus probatur conclusio ratione. Iustitia commutatiua primò, & per se respicit æqualitatem rei ad rẽ; sed Satisfactio Christi, vt sic, est redditio rei æqualis ad æqualem, vt ostensum est Disput. 4. Ergo est actus iustitiæ commutatiuæ. Secundò. Satisfactio Christi verè, & propriè fuit actus iustitiæ, vt probatum est Disput. 7. præcedente; sed non fuit actus iustitiæ legalis, neq; distributiuæ: ergo fuit actus iustitiæ commutatiuæ. Consequentia est euidens, quia non sunt aliæ species iustitiæ præter illas tres, vt constat ex D. Thoma. 2. 2. q. 58. Quarè si non est actus iustitiæ legalis, neque distributiuæ, à sufficienti diuisione erit necessariò actus iustitiæ commutatiuæ. Sed probatur minor. Et primò, quòd non fuerit actus iustitiæ legalis, patet, quia hæc iustitia, prout est specialis virtus ab alijs distincta, inter ciues, & Rempublicam duntaxat versatur, & per se primò non respicit nisi boni communis promotionem; quæ quidem ratio non pertinet ad Satisfactionem; quæ illatæ injuriæ est compensatio. Quòd verò non fuerit actus iustitiæ distributiuæ; probatur; quia hæc essentialiter consistit in dispensatione bonorum communium; sed Satisfactio non respicit bonorum communium distributionem: ergo, &c.

Insuper, quòd Satisfactio Christi sit actus elicitus ab habitu virtutis infusæ iustitiæ commutatiuæ, probatur. Satisfactio Christi fuit actus iustitiæ commutatiuæ, vt iam dudum expositum est: ergo ad virtutem infusam iustitiæ commutatiuæ pertinet illam elicere. Patet consequentia; quia actus habitui Respondet, & actus virtutis ab illa dimanat. Nec potest ratio congrua assignari, propter quam Satisfactio Christi verè, & propriè sit actus iustitiæ commutatiuæ, & quòd non procedat à virtute iustitiæ commutatiuæ existente in Christo. Et tandem, quia operari ex habitu pertinet ad perfectionem operantis, atq; adeò in nullo casu est Christo denegandum, nisi aliqua repugnantiæ ratio ostendatur. 24

Sed Respondent quidã, quòd licèt Satisfactio Christi, prout erat actus iustitiæ commutatiuæ, pertineret ad virtutem iustitiæ commutatiuæ: quatenus verò erat actus reddens Deo æquale superexcedebat iustitiam, debuitq; in altiorem rationem reduci: nam cùm fuerit excellentissimus actus, qui à Christo exhiberi potuit, à virtute iustitiæ elici nequiuit, sed in præstantissimam virtutem reduci debuit. Cæterùm hæc Responsio vim rationis propositæ non labefactat. Voluntariè enim, & sine fundamẽto asseritur, Satisfactionem Christi, prout est actus reddens Deo æquale, superexcedere iustitiam: nam cùm hæc iustitia in Christo sit perfectissima, & in suo genere infinita (quidquid nonnulli reclament) sufficiens, & potens est ad eliciendum actum perfectissimum, & excellentissimum: neque opus est ad altiorem virtutem recurrere. 25

Prætereà probatur cõclusio ex refutatione aliarum opinionum. Et primò rejcienda est tanquàm falsa sententia M. Vincentij asserentis, Satisfactionem Christi fuisse actum elicitum à pluribus virtutibus, nempe, à charitate, Religione, humilitate, &c. Quoniã duæ virtutes non concurrunt simul ad eundem actum secundùm eandem rationem formalem, nisi concurrat vna, vt imperans, & ex consequenti respiciens aliã rationem formalem sibi propriam: altera verò, vt proximũ principium: ergo actiones Christi non potuerunt dirigi per diuersas virtutes simul tanquàm per principium proximũ in finem Satisfaciendi pro nostris peccatis. Confirmatur: quia necessariò debet poni aliqua specialis virtus, quæ ordinet, & dirigat actus aliarum virtutũ in finem Satisfactorium: tum, quia interior affectus, & voluntas Satisfaciendi, quæ appellari potest Satisfactionis imperium, 26

imperium, & propriut actus immediate elicitus à virtute, per se, ac formaliter intendente Satisfactionem, iste, inquam, actus requirit singularem, ac propriam virtutem, cùm habeat propriam & singularem honestatem, proprium, ac singulare motiuum, & formale obiectum: tum etiam, quòd his de causis huiusmodi actut propriam virtutem exigit in nobis.

27 Item reijcienda est, vt falsa, illa sententia, quæ docet, principium huius Satisfactionis fuisse virtutem Religionis: quoniam exhibere Deo cultum in ipsius reuerentiam, est distinctum munus ab eo quod est exhibere Satisfactionem æqualem pro offensis, sed primum pertinet ad virtutem Religionis, vt ad principiū propriū, vt nunc suppono ex 2. 2. ergo non secundum. Probatur maior: quia Religio non respicit formaliter debitum, & æquale simpliciter, aut compensabile ad æqualitatem, sed honorem Diuinum: actus autem Satisfactorius vt sic, respicit æquale, & iustum; & Christus Dominus formaliter intendit, vt est Satisfaciens, iniuriam ad æqualitatem resarcire. Itaque est implicatio in adiecto, vt Satisfactio Christi sit formaliter actus iustitiæ veræ, & propriæ, atq; perfectæ; & quòd secundùm hanc rationem à Religione eliciatur. Et licèt aliqui dicant cum Caietano. 3. p. q. 85. art. 2. virtutem pœnitentiæ in nobis non esse distinctam à virtute Religionis, id tamen non dicunt de virtute, quæ sit principium Satisfaciendi Deo ad æqualitatem pro nostris peccatis: quoniam hæc respicit obiectum formale distinctum ab obiecto pœnitentiæ, & ab obiecto Religionis, in quorum neutro includitur æqualitas, & ex consequenti ab vtraq; debet distingui.

28 Ratio autem in huius sententiæ cōfirmationem adducta illi nō suffragatur, quia licet ad Religionem pertineat Deo reddere debitum; non tamen sub ratione communi, sed sub speciali debiti ratione, quæ consurgit ex beneficijs susceptis: vt docet D. Thomas in 4. d. 14. q. 5. Et ratio est manifesta; quia Religio respicit debitum consurgens ex Diuina excellentia, à qua in cunctis bonis pendemus: ac proinde respicit debitum pro susceptis beneficijs, etiam vsq; ad vltimum glorificationis. Quarè cùm remissio peccati inter maxima beneficia numeretur, pro hac etiam Religio debitū reddit Deo honorem, & cultum. Cæterùm reddere Deo debitum, quod consurgit ex peccato commisso, non ex aliquo recepto, sed potiùs per peccatum à Deo sublato, hoc non pertinet ad Religionem, sed ad aliam specialem virtutem; cùm habeat aliam specialem rationem debiti, nouamq; ac distinctam definitionem. Quòd si homo per virtutem Religionis inclinatur ad Satisfaciendum Deo pro suis peccatis, hoc non est, quia Satisfactio elicitiuè procedat à virtute Religionis, sed quia Religio imperat, & ordinat actum elicitum à virtute iustitiæ commutatiuæ in Diuinū cultum: & quia considerat Deum admittentem, & acceptantem Satisfactionem, remittentemq; debitum, tanquam principium huius eximij beneficij, ideò ei hac ratione, & pro tanto beneficio cultum reddit.

29 Rursus explodenda est tanquàm impertinens, & non necessaria, illa M. Suarez sententia, quæ in Christo cōstituit specialem virtutem, quam appellat iustitiam ad Deum, speciè distinctam à iustitia commutatiua, qua humana iura seruantur; quia licèt Diuinum ius sit altioris ordinis, quàm ius humanum, si tamen vna virtus tanta polleat perfectione, vt vtrumque respicere possit, non est necesse virtutes multiplicare, vt vna vnum ius respiciat, & altera alterum. Et sic contingit in proposito, nam iustitia commutatiua, quæ est in Christo, à qua eius Satisfactio elicitur, respicit vtrumque ius, & quatenùs est virtus talis suppositi, nēpe, hominis Dei, transit in altiorem ordinem. Et ideò actus illius, sicuti & omnes Christi operationes dicuntur Theandricæ, & Deiuiriles, quia Respondent Christo, non solum vt est homo, verùm etiam vt est homo Deus, & hac ratione possunt Deo Satisfacere, & ad plenum compensare iniuriam ei illatam. Itaque quamuis iustitia commutatiua in Christo ex sua specie non haberet elicere actum ad æqualitatē cōpensatiuū, benè tamen vt erat in Christo, qui erat Deus, & Dei Verbum, à quo prouenit, vt multa habeat, quæ neq; conueniunt, neq; possunt reperiri in iustitia puri hominis, & in actibus eius.

Sed obijcitur. Actus Satisfactoriut de rigore iustitiæ habet rationem ardui, omnibus alijs virtutibus longè maiorem: ergo indiget aliqua speciali virtute cæteris altiori, qua suum obiectum formaliter attingat, & specialem difficultatem superet. Patet consequentia, quia ius est obiectum iustitiæ: ergo vbi est specialis ratio iuris, & debiti, specialis etiam iustitia debet intercedere: virtus enim ponenda est, vbi specialis difficultas imminet vincenda: specialis autem ratio virtutis desumenda est ex speciali ratione formali obiecti. Respōdetur, cōcedendo in Christo esse specialem virtutem ad eliciendum actum Satisfactoriū de rigore iustitiæ: hæc autem virtus est iustitia commutatiua infusa, quæ sufficit ad vincendam quamcumq; difficultatem, quæ in operis executione posset reperiri. Vndè actiones Christi non habent, quòd sint Satisfactoriæ ex aliqua speciali virtute cæteris altiori, sed ex eo quod ab homine Deo exercentur per virtutem iustitiæ, quæ in eo est. Dirigere autē omnes illas actiones in finē, nēpe, in Satisfactionē pro peccatis, habet Christus per hoc, quòd suis actibus id sū sceptū præscribit. Etenim supposito quòd opus charitatis, siue elicitū, siue imperatū erat de se Satisfactoriū pro offensa, nullo indigebat fulcimento, vt illud in Satisfactionē ordinaret: sicut modò in nobis omnia opera nostra, quæ ex charitate procedūt, sunt etiam Satisfactoria, tametsi imperfectè: & tamen illud habent absque aliqua superiori, & speciali virtute ad hoc destinata. 30

Postremò reijcienda est illa sententia, quæ ponit in Christo quandam virtutem eminentem, & eleuatam, à qua eliciantur actus Satisfactorij Christi: quoniam talis virtus est merum figmentum, quod neque Sancti Patres, neq; Theologi antiqui cognouerūt, neq; admisissent. Imo verò Sacra Scriptura, quæ Christi virtutes, & dona enumerat, nūquam talem virtutem insinuauit. Et probatur etiam ratione, quia hæc virtus nullū habet speciale obiectum, à quo desumat speciem: nō enim est quid creatum, aliàs non primò, & per se tenderet in Satisfactionem perfectā Deo exhibendā: neq; etiam est Deus in se: aliàs esset virtus Theologica, quod est falsū, vt cōstat ex sufficiente diuisione virtutū Theologicarū, quæ neque crescit, neq; minuitur per Incarnationem, per quam naturæ rerum non variantur. 31

Item, si Deus est obiectum illius, vel terminat illam, vt bonus, vel vt verus, vel vt misericors: sed 32

nihil horum potest dici, vt de se patet. Neque etiam terminat vt iustus, quia vt sic potius respicit ipse æqualē in creatura, quàm quod terminet aliquam virtutem creaturæ: nec potest dari aliquod aliud attributum, quod talem virtutem specificet: ergo voluntariè, & sine fundamento asseritur. Confirmatur: quia nullum est assignabile subiectū talis virtutis; nam cùm sit omnibus alijs altior, & quasi communis, quæ omnes actus aliarum virtutum reducit in Redemptionem, & in Satisfactionem pro peccatis, in sola volūtate nequit esse; quia tunc in voluntate Christi esset virtus Imperans Charitati; quod est absurdum. Neq; etiam potest in intellectu constitui, quia virtutes intellectus non Imperant, sed dirigunt. Quarè cùm hæc virtus à suis authoribus ponatur imperās, & ordinans in executione omnes actus aliarum virtutum in Redemptionem, & Satisfactionem æqualem, ac plenam, non potest ad intellectum pertinere. Ex quibus omnibus colligitur veritas nostræ conclusionis, nempè, Satisfactionem Christi fuisse actum elicitum ab habitu iustitiæ cōmutatiuæ.

Secunda Conclusio. §. IIII.

33 IVSTITIA Commutatiua Christi, à qua eius Satisfactio elicitur, Physicè considerata, idest, secundùm suam primariam rationem, & prout respicit obiectum, à quo formalis, & potissima eius ratio desumitur; est eiusdem speciei cum iustitia commutatiua infusa alijs hominibus iustis. Hæc conclusio est contra Medina.n, & Suarez, & probatur: quia reddere æquale, quod est obiectum iustitiæ, non variatur essentialiter penes hoc, quòd reddatur Deo, vel creaturæ: quoniam iustitia solùm respicit medium rei, & ideò essentialiter non variatur ex Personarum distinctione: aliàs vna esset virtus iustitiæ in ordine ad Deum, & alia in ordine ad homines, quod est superfluum; cùm vna sola sufficiat. Neque ex hoc, quòd virtus iustitiæ commutatiuæ in Christo possit reddere, & de facto reddat æquale, vel æquiualens, nostra verò æquale reddere nequeat, colligitur specifica illarum variatio; quia non sufficit eadem virtus iustitiæ, nisi habeat pretium æquiualens: debitor enim habet virtutem iustitiæ, qua debitū reddere potest, si habeat vndè soluat. Quò fit, vt actus iustitiæ commutatiuæ Christi non repugnet nostræ iustitiæ ob rationem formalem, sed tantùm ob materialem. Sicut per nostram iustitiam, infinitam pecuniam soluere non possumus, quia implicat eam habere: quòd si esset possibilis pecunia infinita, non exigeretur alia virtus iustitiæ ad soluendam infinitam pecuniam. Eodem modo per iustitiam commutatiuam, qua hominibus reddimus æquale, redderemus etiam Deo, si nobis suppeteret, vnde solueremus. Et ideò rigor iustitiæ saluatur respectu Christi, non tamen respectu nostræ Satisfactionis, tametsi saluetur veritas iustitiæ.

34 Item probatur. Iustitia commutatiua Christi, & nostra, conueniunt in formali honestate, ac motiuo, habetq; idem obiectum formale, quod est æqualitas circa ius Diuinum: ergo sunt eiusdem speciei. Consequentia patet; quia habitus, & actus ab obiecto desumūt speciem. Quod verò differant istæ iustitiæ in potestate, seu facultate operantis, quia Christus potest reddere æquale, quod alij non queunt, hoc non variat speciem: tum, quia virtus per se, ac formaliter nō respicit facultatem, sed voluntatem, at voluntas sumit suā rationē formalē ex formali motiuo. Tum etiam, quia ex illa differentia ad summum sequitur, Christum per illum habitum iustitiæ potuisse elicere perfectam, & efficacem voluntatem Satisfaciendi Deo ex perfecta iustitia; quam homo nequit habere, non quidem ex defectu virtutis, sed ex defectu facultatis. Potest tamen purus homo habere simplicem affectum ad illam Satisfactionem, & volūtatem conditionatam, qua vellet ita perfectè Satisfacere, si posset: qui omnes actus ad eandem virtutum pertinent.

35 Tertiò probatur. Quoniam in gratitudine, seu gratiarum actione etiam reperitur huiusmodi differentia inter nos, & Christum, quòd Christus potest pro beneficijs susceptis condignas gratiarum actiones rependere, nos autem non possumus. Et tamen gratitudo, seu Religio, qua Deo gratiæ aguntur, non est specie distincta in Christo, & in nobis. Quia illa æqualitas, vel inæqualitas tantùm prouenit ex Personæ operātis circunstātia, quæ substantiā habitus virtutis nō diuersificat: tametsi conferat valorem, seu æstimationem moralem. Prætereà; idem est de cultu, seu adoratione Dei, quæ in Christo est infiniti valoris, & æstimationis. Et ideò in ratione cultus est quodammodò Diuinæ excellentiæ adæquatus, & tamen non propterea requirit virtutem Religionis specie distinctam. Quarè idem dicendum est de iusta, seu æquali Satisfactione.

36 Quartò. Vnio ad Verbum nō reddit Christi animam capacem alicuius virtutis moralis infusæ, cuius alij homines non sint capaces: ergo neq; de facto est talis virtus commutatiuæ iustitiæ in Christo, cuius homines non sint capaces. Consequentia patet; quia gratia habitualis, ex qua dimanant virtutes, & dona infusa, est eiusdem speciei Physicè in Christo, & in nobis: ergo ex se omnibus confert easdem virtutes, quarum sunt capaces. Antecedens verò probatur. Primò, quia in anima Christi ex vnione ad Verbum non est aucta potentia obediētialis, qua recipit virtutes infusas; sed similis potētia obediētialis est in alijs hominibus ad easdē virtutes: ergo, &c. Secundò. Si anima Christi dimitteretur à Verbo, posset omnes habitus infusos cōseruare, quos habet vnita Verbo, quia illi habitus non habent immediatam dependentiam à Verbi Personalitate, vt terminat vnionem humanitatis: neq; dependent immediatè ab ipsa vnione, vt patet, quia non in genere causæ materialis, cùm neque inhæreant Verbo, neq; ipsi vnioni: neque in genere causæ efficiētis, quia Personalitas Verbi nullam per se habet propriam actiuitatem, quæ Patri, & Spiritui Sancto non sit communis: ergo humanitas Christi per se, & in proprio supposito existens, esset capax omnium virtutum infusarum, quas habet vnita Verbo. Et eàdem ratione cæteri homines habent eandem capacitatem: neque est aliqua virtus, quæ in solo Christo esse possit, sed hoc habet tantùm proprium, quòd illius opera sint infiniti valoris ad merendum, & Satisfaciendum; quod quidem ex Diuino Supposito prouenit, non ex virtutibus creatis. Neq; est necessarium, hunc valorem, vt sit in re ipsa, esse obiectiuè intentum per actum alicuius virtutis, sed sufficit, quòd actus virtutis à Diuino Supposito elicitur.

37 Postremò confirmatur: nam ad id, quod est propriū, & singulare in Christo, hoc est, ad efficiēda opera

infiniti

infiniti valoris in merito, & Satisfactione, nulla virtus infusa est necessaria; ergo ad nullum effectum est necessaria. Quòd si dicas, esse necessariam, vt per eam hic valor infinitus sit obiectiuè, & efficaciter volitus, ac relatus in compensationem Diuinæ injuriæ: contra hoc est; quia ad istud etiam non est necessaria talis virtus; nam illud motiuum non est formaliter diuersum à communi motiuo seruandi æquitatem ad Deum, aut conseruandi ius Diuinum illæsum, quod motiuum nobis commune est. Vndè etiam nos possumus velle, vt iustissima Satisfactio Deo fiat, tametsi per nos solos talem Satisfactionem exercere non valeamus: quod sanè non est ex defectu moralis virtutis, sed ex impotentia, & imbecillitate Personæ, & ideò nō variat speciem virtutis, vt ostensum est. Sed contra cōclusionem obijcitur.

38 Debitum resultans ex offensa contra Deum commissa, est altioris ordinis, quàm illud, quod resultat ex offensa commissa contra hominem, sicut ipsa offensa est altioris ordinis: ergo etiam æqualitas Satisfactionis Respondentis priori debito, est altioris ordinis, quàm æqualitas Satisfactionis Respondentis posteriori debito: & ex consequenti æqualitas, quam Christus sua Satisfactione fecit, non fuit eiusdem speciei cum æqualitate iustitiæ commutatiuæ, quæ reperitur in Satisfactione, qua vnus homo alteri Satisfacit. Consequentia patet: nam æqualitas habet proportionem ad debitum, quod est inæqualitas per ipsam tollenda.

39 Confirmatur. Honor, qui offertur Deo in solutionem debiti quod creatura habet ad creatorem, non est eiusdem rationis, & speciei cum honore, qui offertur superiori creato; ergo neq; iustitia, quæ reperitur in Satisfactione, quæ offertur Deo pro offensa contra ipsum commissa, est eiusdem rationis cum iustitia, quæ est in Satisfactione oblata creaturæ pro offensa contra illam commissa.

40 Pro solutione argumenti aduertendum est, quòd cùm dicimus in Satisfactione Christi fuisse iustitiam eiusdem rationis, & speciei cum iustitia commutatiua, quæ reperitur in nostra Satisfactione respectu injuriarum; loquimur de iustitia supernaturali, quæ etiam reperiri potest in Satisfactione oblata pro injuria irrogata creaturæ: Supposita veriori sententia D. Thomæ asserentis, posse nos habere actus supernaturales virtutum moralium, & esse virtutes morales infusas. Etenim dici non potest, iustitiam Satisfactionis Christi esse naturalem, quia debitum, pro quo fuit oblata, erat supernaturale, quatenùs resultauit ex peccatis commissis cōtra Deum, authorem, & finem supernaturalem. Vndè sicut propter hanc rationem modus compensationis, qui in nostra contritione reperitur; est supranaturalis: sic etiam, & multò magis iustitia Satisfactionis, quæ in actionibus Christi reperitur, debet esse supernaturalis. Hoc supposito.

41 Ad argumentum Respondetur distinguendo antecedens. Si enim intelligatur de altiori ordine, quò ad quantitatem debiti, verum est, nam debitum ex nostris peccatis resultans, est incomparabiliter maius, quàm debitum resultans ex injuria facta homini. Si verò intelligatur de altiori ordine in ratione obiecti specificantis actum, falsum est, quia vtrumq; debitum resultat ex iniustitia; & inæqualitate, quæ fit violando ius, quod habet offensus. Et ad hanc inæqualitatem in ratione inæqualitatis per accidens, & materialiter se habet, quòd sit magis, aut minùs grauis, & quòd sit contra Personam maioris, vel minoris dignitatis. Et eodem modo distinguendum est consequens primæ consequentiæ, & in priori sensu est concedenda illa consequentia, & in posteriori neganda. Cæterùm secunda est absolutè neganda; quoniam ad distinctionem specificam illarum inæqualitatum inter se, non satis est, quòd vna sit superioris ordinis, quàm altera, quò ad quantitatem.

Ad confirmationem concesso antecedenti negatur consequentia. Et ratio discriminis est, quòd honor respicit per seipsum Deum: at verò iustitia, vel æqualitas Satisfactionis nō respicit formaliter, & primariò Deū, sed inæqualitatem factam per offensam contra ipsum cōmissam. Sicut etiam propter hanc rationem, honor, qui exhibetur Patri, pertinet ad pietatē, & est alterius speciei ab honore, qui exhibetur alteri homini. At verò Satisfactio, quæ Patri exhibetur pro offensa contra ipsum cōmissa, non pertinet ad pietatem, sed ad iustitiam, neque est alterius speciei à Satisfactione, quæ offertur alteri homini pro injuria ei irrogata. 42

Tertia Conclusio. §. V.

IVSTITIA Commutatiua Christi in esse morali differt specie à iustitia commutatiua, quæ in puro homine inuenitur; ita vt etiam de potentia Dei absoluta illa moralis species, quæ in Christi iustitia reperitur, non sit cōmunicabilis iustitiæ, quæ est in pura creatura. Prior pars probatur: nam Iustitia Christi est infinita in ratione iustitiæ, sicut de gratia dici solet infra. q. 7. art. 11. Sed hæc moralis infinitas alteri iustitiæ nullatenùs competit: ergo iustitia Christi secùdùm hanc moralem dignitatem formaliter distinguitur à quacumq; alia iustitia; atq; adeò distinguitur specie, imò fortè genere, quia illa dignitas moralis, quæ ex parte Diuini suppositi iustitiæ Christi communicatur, videtur esse quasi alterius ordinis, aut saltem alterius generis ab illa dignitate, quæ aliorum iustitiæ competit. 43

Secunda pars conclusionis etiam patet, quia infinita dignitas moralis, quæ in Christi iustitia reperitur, dicit formalem habitudinem ad suppositum Diuinum; & ideò hæc dignitas cōsequitur hypostaticam vnionem eo modo, quo relatio sequitur positis fundamento, & extremis; sed relatio habet formalem, & intrinsecam connexionem cum fundamento, & extremis, ita vt illis positis non possit non sequi, & illis nōn positis sequi non queat: ergo per nullam potentiam est factibile, vt illa species infinitatis moralis, quæ competit iustitiæ Christi, communicetur alteri iustitiæ. Vndè constat, quòd quantumuis crescat perfectio iustitiæ commutatiuæ, quæ in pura creatura reperitur, non poterit absolutè loquendo peruenire ad perfectionē iustitiæ Christi, quia non poterit habere hanc moralem speciem infinitæ dignitatis, quæ est maxima perfectio iustitiæ Christi etiam in ratione iustitiæ, & quæ longe maior est simpliciter loquendo, quàm omnis specifica, & essentialis perfectio Physica ipsius Iustitiæ. Nihilominùs contra priorem partem huius conclusionis, obijcitur. 44

45 Primò. Finitum,& infinitum intra idem genus non variant speciem,si enim daretur linea infinita,non differret specie à linea finita, sed solùm secundùm magis, & minus: ergo infinitas moralis dignitatis, quæ reperitur in iustitia Christi, non distinguit illam specie à iustitia nostra. Probatur consequentia; quia moralis dignitas, & perfectio, quæ in iustitia puri hominis inuenitur, est eiusdem generis cum infinita dignitate, & perfectione morali iustitiæ Christi. Respondetur ex distinctione antecedentis. Etenim quando finitum, & infinitum tantùm differunt secundùm maiorem, vel minorem perfectionem intra idem genus,ita quòd infinitũ addit duntaxat nouum gradum perfectionis extensiuum,vel quasi extensiuum,nulla formali variatione facta, verum est antecedens, & hoc modo procedit exemplum de linea. At quando infinitum non solùm addit nouum gradum perfectionis, sed etiam nouam rationem formalem perfectionis, tunc infinitum specie differt à finito eiusdem generis: vt superficies in ratione superficiei infinita, differt specie à linea finita intra idem genus quantitatis, non propter solam infinitatem, quæ secundùm se non esset sufficiens ad constituendam specificam distinctionem,sed propter formalem rationem,& differentiam distinctam, quam intra genus quantitatis importat. In proposito ergo infinita moralis dignitas, quæ in Christi iustitia reperitur, est alterius formalis rationis ab illa finita morali dignitate,quæ omni iustitiæ est communis,atque adeò differt specie ab omni alia iustitia, quia importat nouam rationem formalem, & differentiam distinctam intra idem genus iustitiæ.

46 Secundò objicitur. In iustitia commutatiua Christi non reperiuntur duæ morales perfectiones, & dignitates,altera, quæ sit illi communis cum iustitia aliorum, & altera sibi propria, ex vnione ad Verbum proueniẽs, sed vna,& simplicissima moralis dignitas inest iustitiæ Christi, quasi ex vtraque ista dignitate, & perfectione morali conflata:ergo illa moralis dignitas,quæ ex cũiunctione ad Verbum cõpetit iustitiæ Christi, non differt specie ab ea perfectione,& dignitate morali, quam habet ipsa iustitia ex propria, & intrinseca differentia, & quæ proindè est cõmunis ad omnem iustitiã. Cõsequentia patet;quia ex duabus perfectionibus specie distinctis vna simplex perfectio cõflari nõ potest. Antecedẽs verò probatur. Si in Christi iustitia reperiretur duplex moralis dignitas, & perfectio,altera infinita,& altera finita,sequitur,in quolibet actu Satisfactorio Christi duplicem esse distinguendam rationem Satisfactionis,alteram infinitam,& alteram finitam;eam, scilicet, quæ Responderet finitæ perfectioni, & dignitati iustitiæ, & eam, quæ Responderet infinitæ dignitati eiusdem iustitiæ:sed consequens est inauditum: ergo, &c.

47 Respondetur concesso antecedenti negando consequentiam, Et ad probationem dico,quòd infinita dignitas iustitiæ Christi Personalis, idest, proueniens ex vnione ad Diuinam Personam, propter sui eminentiã, & celsitudinẽ, quæ est summa in toto genere iustitiæ, continet eminenter dignitatẽ aliã moralem finitã,quæ omni iustitiæ est cõmunis:sicut tetragonũ cõtinet virtualiter trigonũ. Et trigonũ licet reperiatur in tetragono;nõ tamen retinet ibi formaliter speciẽ figuræ trigonæ,quia nõ cõcluditur proprio termino, sed sub essentiali,& formali termino Superioris figuræ tetragonæ cõtinetur. Differentia autẽ specifica ex vltimo formali rei termino desumitur. Et similiter sensitiuũ in homine realiter reperitur, non verò specie distinctũ à rationali, quia nõ cõtinetur ibi sub termino vltimo sensibilis,sed sub formali termino rationalitatis, quia prouenit à forma rationali,quę sẽsitiuũ continet eminẽter.

Ad argumentũ igitur Respondetur, quòd in quacũq; actione Satisfactoria Christi reperiebatur ratio Satisfactionis infinita, correspondens dignitati Personali iustitiæ commutatiuæ quæ virtualiter, & eminenter cõtinebat illã rationem Satisfactionis finitæ ex infinita morali perfectione, & dignitate iustitiæ prouenientem. Vndè de iustitia commutatiua Christi, & de eius Satisfactione proportionabiliter est loquendum. Atq; adeò quod dictùm est de iustitia Christi, nempe,Physicè esse eiusdem speciei cum nostra iustitia, moraliter verò esse diuersæ: dicendũ similiter est de Christi Satisfactione, & nostra, scilicet, Physicè loquendo esse eiusdem speciei,sed moraliter differre specie. Reliquum est diluere argumenta in contrarium.

Soluuntur Argumenta. §. VI.

AD Primum argumentum,quod contendit,iustitiam commutatiuam solùm esse inter æquales:Respondetur,non esse absolutè verum,si intelligatur de æqualitate simpliciter Personarum, Satisfacientis, & cui fit Satisfactio, quia iustitia non intendit huiusmodi æqualitatem, sed solùm inter datum & acceptum,siue inter Satisfactionem,& iniuriam. Vnde sola illa æqualitas, vel proportio inter Personas, & earum dignitates est necessaria,quæ sit sufficiens ad constituendam æqualitatem in rebus, seu actionibus, quia ex vi medij iustitiæ nihil aliud exigi potest. Et nullum est aliud principium,ex quo talis necessitas elici valeat. Sed quidquid sit de hoc,concessa maiori, negatur minor: nempe,Christum,in quantùm Deo Satisfecit, non fuisse Deo æqualem, quia erat verus Deus. Item negatur,Christum Satisfecisse, in quantùm erat homo præcise,sed inquantùm erat Deus homo,& per consequens æqualis Deo. Dicitur autem Satisfecisse, in quantùm homo, secũdùm quam rationem est minor Patre,quoniam ad Satisfaciendum erat necessaria illa natura, secundùm quam erat minor, vt illa Persona Satisfacere posset. Nihilominùs tamẽ ipsum suppositum,quod Patri erat æquale, fuit necessarium ad talem Satisfactionem, & ab eo desumptus est valor eius ad perfectã iustitiam requisitus. Et ideò absolutè dicendum est,Christũ Satisfecisse,quatenùs erat Deo æqualis, tametsi supposita humanitate,secundùm quam erat subiectum capax Satisfaciendi. Quod sanè ex eo maximè cõstat,quia Satisfactio rigorosa est necessariò coniuncta cum infinito valore operis. Opus autem infiniti valoris non dimanat à Christo, vt est Deo inferior, sed inquantùm est Deus homo:& vt sic est Deo æqualis. 48

Sed objicitur. Christus Satisfecit per Passionem, & mortem adimplens Patris præceptũ, iuxta illud Ioan. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater,sic facio.* Ergo Satisfecit,vt inferior Deo,& nõ vt æqualis. Negatur consequentia, quia aliud est dicere,quòd per ista opera Satisfecerit, aliud verò,quòd Satisfecerit ad æqualitatem,quia adimpleuit præceptum præcise,vel quoniam 49

est

est formaliter passus Primùm est verum, secundùm autem distinguendũ est, nam si particula, *Quia,* Denotat totalem causam rigorosæ Satisfactionis, est falsum. Si autem insinuet radicem, & materiam Solutionis debiti, est verum. Itaq; illa opera nõ habent reddere Deo æquale, quia Christus, vt homo, humiliauit se, vel quatenùs inferior obediuit; sed quia illa humilitas, & obedientia erat hominis Dei. Vndè subiecit se, inquã tùm erat homo, sed Satisfecit infinitè, & de rigore Iustitiæ, quatenùs erat Deus homo. Atque adeò particula, *Quia,* rel. ta ad valorẽ Satisfactionis importat non rationem per se, sed conditionem necessariò requisitam ad Satisfaciendum; vt in superioribus explicatum est.

50 Secundò Respondent alij Theologi, quòd licèt Iustitia commutatiua debeat esse inter æquales, nõ tamen requirit, vt reddens debitum, persoluat illud vt æqualis. Itaque quamuis debeat esse æqualis creditori, non tamen est necesse, vt reddat, quatenùs æqualis, sed vt inferior illo. Sic in omni Satisfactione, qua offensor Satisfacit, & compensat offenso pro iniuria, quam ipsi intulit, reperitur humiliatio, & subiectio offensoris ad offensum. Et nihilominùs Saluatur ibi æqualitas Iustitiæ commutatiuæ. Quare etiam si Christus Satisfaceret, vt inferior, & minor Patre, quia tamen aliàs est illi æqualis, licèt non Satisfecerit vt æqualis, sed vt minor, adhùc seruatur in eius Satisfactione æqualitas Iustitiæ commutatiuæ.

51 Pro maiori autem huius rei intelligentia aduertũt authores huius Solutionis, quòd omnis humana Christi operatio erga Deum, cuiuscumque virtutis esset, procedebat ab eo, vt ab inæquali, & inferiori, quia procedebat à Christo, vt homine, & à Diuino Supposito, non vt Diuino, sed vt humano: id est, vt exercente officium humani Suppositi, accommodando se ad modũ operandi humanitatis, & potentiarum, ac virtutum eius; vt constat in omnibus actibus virtutum, siue infusarum, siue acquisitarum. Etenim humilitas, religio, & obedientia, & reliquæ virtutes cum suis actibus, intrinsecè, & essentialiter important inferioritatem in operante respectu Dei. Cæterùm in huiusmodi Christi actionibus concomitanter insurgebat quædam æqualitatis ratio: nam licèt procederent à Supposito, vt humano, & ex consequenti prout inferiori, erat tamen re ipsa Suppositum Diuinum Deo æquale, & tota ratio Iustitiæ in Christi Satisfactione, & merito, ad hanc æqualitatem pertinet. Ex eo autem quòd Christus operabatur, vt inferior, & minor Deo, nihil diminuebatur ab huiusmodi operationis valore, qui ex Personali dignitate ad ipsam humanam actionem deriuabatur; imò verò quodammodò ipsum valorem augebat, & speciali quadam æstimatione ipsam Christi operationem coram Deo dignificabat: nam quòd Persona tantæ authoritatis, qualis est Christus, esset obediens, & humilis, sicut ad excellentiam magestatis Dei, & eius gloriam spectabat; sic etiam ipsam operationem magis gratam, & acceptam Deo reddebat. An vero huiusmodi æqualitatis ratio conueniat formaliter, & per se primò operationibus Christi, vel quasi secundariò, & concomitãter, impertinens est ad hoc, vt Satisfactio Christi dicatur inter æquales versari. Hæc Solutio est solida, sed prior videtur solidior.

Ad secundum Argumentum principale. Respondetur concedendo fuisse in Christo virtutem Iustitiæ cõmutatiuæ erga Deum eiusdem speciei cum virtute cõmutatiua aliorum hominum in esse Physico, vt dictũ est conclus. 1. negatur tamen non esse in homine virtutem Iustitiæ commutatiuæ erga Deum. Et hæc est expressa sententia D. Thomæ. 2. 2. q. 114. art. 1. vbi docet, quòd hominis ad Deum nequit esse Iustitia secundùm æqualitatem absolutam, sed secundùm quandam proportionem. Et explicans proportionem inquit. *Inquantùm, scilicet, vterque operatur secundùm modũ suum.* Vbi insinuat, proportionem, quæ seruatur in Iustitia inter nos, & Deum, esse proportionem inter modum, quo Deus operatur, & modum, quo nos operamur: quæ sanè proportio attenditur inter dantem, & accipientem. Itaque licèt homo nequeat Deo reddere æquale simpliciter, & ex hac parte Iustitia eius commutatiua sit imperfecta, potest tamen reddere Deo æquale sibi possibile secundùm suæ potentiæ paruitatem. Etenim sicut Deus reddit homini iuxta suæ potentiæ excellentiam splendidè, & abundanter; sic etiam homo reddit Deo, quod est sibi possibile, & proportionale. In malis verò, & in Supplicijs Deus tantum tribuit de Supplicio, quanta est culpa, iuxta illud, *Quantùm se glorificauit, tantum date ei de tormēto.* Prætereà licèt ex parte hominis nõ sit propria, & rigorosa Iustitia commutatiua cum Deo; at ex parte ipsius Dei in multis seruatur Iustitia commutatiua, quia pro obsequijs reddit ipse ex proprijs, & aliàs indebitis, non minùs, imò plùs, quàm sint obsequia. Pro peccatis verò rependit non plùs, sed minùs, quàm fuerit injuria, Iuxta commune Theologorũ axioma. *Deus punit citra condignum, & præmiat vltra condignum.* 52

Sed replicatur contra Solutionem. Inter Deum, & hominem nequit esse commutatio, quia Deus nihil accipit ab homine, neque homo in Dei vtilitatem aliquid facere potest: ergo, &c. Confirmatur. Nos non possumus quidquam Deo tribuere, cuius ipse non sit Dominus absolutus, neq; ei aliquid offerre, quod in ipsius Dei cõmodum, & vtilitatem cedat, ratione cuius ad remittendam nobis Iniuriam obligetur: ergo. 53

Ad Argumentum Respondetur, Deum nihil ab homine accipere, quod sit ei vtile, aut commodum, sed accipere id, quod ab homine exigit, nempe, obedientiã, & obsequium, quod licèt vtilitatem ei non afferat, pertinet tamen ad eius honorem. Et hoc satis est, vt sit aliqua commutatio inter Satisfactionem exhibitam, & remissionem pœnæ, & inter meritum & præmium. Itaq; in homine est Iustitia commutatiua, quæ eius voluntatem inclinat ad seruandum illæsum omne Ius, & Dominium Diuinum, quodcumque illud sit, & quacumque ratione ab homine lædi possit, siue in effectu, siue in affectu: & ex consequenti inclinat etiam ad resarciendam omnem inæqualitatem, & injuriam contra Deum factam, quãtùm in homine fuerit, quod est formale munus, & obiectum Iustitiæ commutatiuæ; nempe, Ius proprium alterius seruare, seu tribuere. Et licèt in homine nequeat æquale reddere Deo simpliciter, illa tamen impotentia magis est in Persona, & effectu, quàm in virtute, & affectu, quem ipsa perficit: nam affectus virtutis ad hoc tenderet, si Persona posset. 54

Vndè nihil obstat, quominùs inter Deum, & hominem ratio Iustitiæ intercedere posit; quia sicut seruus Supposita voluntate, & pacto Domini potest acquirere Dominium eorum, quæ lucratus fuerit, & ex illo lucro potest cum Domino contractus Iustitiæ distributiuæ exercere, ita vt hoc modo posit, & soleat seruus suam libertatem redimere: ita homo ex pacto cũ Deo potest aliquod verum Ius acquirere, vt cum illo fiat commutatio remissionis pœnæ pro Satisfactione. Et ad hoc ius reddendum potest Deus suo modo obligari, vel potiùs ex naturali rectitudine suæ Iustitiæ determinari absque vlla imperfectione, vel diminutione sui Dominij, aut suæ libertatis.

55 Ad confirmationem Respondetur, quòd licèt Deo nihil tribuere possimus, abdicando Dominium illius à nobis, & in Deum transferendo; possumus tamen, illi nos humiliando, & subijciendo. Sed contra. Nos per se sumus Deo subiecti: ergo per hoc quòd nos illi subijciamur, nihil nouum ei offerimus. Respondetur, quòd sumus Deo subiecti naturaliter; non tamen liberè, & moraliter. Hæc autem libera, & moralis subiectio, quamuis non cedat in vtilitatem Dei, cedit tamen in gloriam, & honorem eius. Qui sanè honor, si à Iustis exhibeatur, est alicuius valoris apud Deum: si verò à Christo, infinitæ æstimationis, ratione cuius Supposito pacto potuit ex Iustitia obligari ad remittenda nobis peccata.

56 Ad Tertium Respondetur, si Verbum dimitteret humanitatem, remanerent in ea illæ virtutes, quæ modò sunt, sed non cum eodem valore, & virtute, quia non dignificarentur à Supposito Diuino, sicut modò. Et ita non est inconueniens, quòd data illa hypothesi Iustitia commutatiua in humanitate nõ posset reddere æquale; quod modò potest in Christo, eleuata, & dignificata à Supposito Diuino.

57 Ad Quartum negatur antecedens, & ad probationẽ Respondetur, quòd ille habitus, licet ex natura sua non esset principium valoris, qui in perfecta Satisfactione reperitur, esset tamen principium illius Satisfactionis quantùm ad substantiam, quæ desumitur ab humanitate media gratia, & habitibus supernaturalibus, vt ostensum est supra Disput. 5. Paràg. 5. num. 77.

58 Ad Quintum Respõdetur, quòd Iustitia Christi subijcit Deo ipsum Christum, vt est homo, hoc est, ratione naturæ assumptæ, secundùm quam est capax talis subiectionis: sed non subijcit illum Deo, quatenùs est Deus homo. Alij dicunt, Iustitiam Christi non subijcere Deo Personam Christi, vt est Diuina, sed tantùm vt est humana, id est, subsistens in natura humana, ratione cuius est talis subiectionis capax: & propter eandem rationem potest subire alterius imperium.

59 Ad Sextum Respondetur, quòd vindicare ad æqualitatem, pertinet etiam ad Iustitiam commutatiuam; Do enim talem actum, vt Persona offensa det mihi Ius, quod contra me habet. Sed contra. Satisfactio est dolor de peccatis, sed iste actus est pœnitentiæ: ergo nõ est actus Iustitiæ. Respondetur, quòd dolere de peccato, vt homo se disponat ad gratuitã remissionem ex parte Dei, est actus pœnitentiæ: at dolere de peccato ad reddendum æquale, est actus Iustitiæ.

60 Ad Septimum concessa maiori negatur minor; & ad probationem Respondetur, aliud esse, quòd in constituenda æqualitate reali attendatur affectus operantis, & illius dignitas: aliud verò, quòd ipsum medium virtutis sit medium rationis, & non rei. Primum non derogat rationi Iustitiæ commutatiuæ, vt constat, quando quis pro iniuria homini facta Satisfacit, vbi attenditur valor Personæ Satisfacientis, & qualitas illius, atque alia quæ per rationem considerantur: sed omnia eò tendunt, vt constituatur æqualitas in honore, in quo erat inæqualitas. Et ita in proposito: quidquid in Christo attenditur, eò ordinatur, vt pro iniuria reddat æquale. Vndè est medium rei, quod medijs actionibus Christi constituitur.

Ad Octauum iam Responsum est in eodem argumento. Ad replicam autem negatur consequentia, quia perfectum, & imperfectum non variat speciem, & rationem virtutis Iustitiæ. Et ideò licèt Satisfactio Christi sit perfecta, & de rigore Iustitiæ, non extrahit ad aliam rationem, seu speciem Iustitiæ, Physicè loquendo. Ratio huius est, quia species Iustitiæ commutatiuæ non tollitur, neque eius veritas dissoluitur per hoc, quòd Satisfactio sit da rigore, & ex proprijs, vel ex bonis creditoris; quoniã specialis difficultas, quæ est in actu Iustitiæ, in eo consistit, vt id, quod est meum, Dem alteri. Dare autem alteri, vt recompenset mihi, vel alteri tertio, hoc per accidens se habet ad veritatem, & rigorem Iustitiæ, cùm per eandem virtutem Iustitiæ fit talis Solutio, & Satisfactio. 61

Ad Nonum Respondetur negando, Christum, vt hominem nullius rei habuisse Dominium, quod non fuerit subiectum, & subordinatum vniuersali Dominio Dei. Licèt enim Deus absolutum habuerit Dominium omnium Christi operationum, vt sunt quid creatum; verùmtamen eo modo, quo Verbum, nempe, inquantùm Suppositum sustentans illam humanitatem, per quam operabatur, non habuit Dominium illarum, sed sunt propriæ Christi, inquantùm sunt à tali Supposito, & hac ratione non pendent à Deo, neque ab illo possunt impediri: nam ex Suppositione Vnionis naturæ humanæ cum Diuino Supposito, Deus nequit nõ cõcurrere ad omnes operationes, quas tale Suppositum interuentu suæ naturæ, elicere voluisset: neque potest eas impedire. Et hoc Sufficit, vt illud Suppositum dicatur habere, & absolutum habeat earum Dominium, quia est Suppositum proprium talium operationum: atque adeò habet illud Dominium, quod requiritur ad rationem Suppositi infiniti, vt sic. Vndè constat, Christum ea ratione, qua est Satisfaciens, aliquid proprium habuisse, quod ex proprijs Deo reddere posset, cuius nõ sunt propria eo modo, quo sunt propria Christi ratione Suppositi. 62

Ad Decimum concessa maiori negatur minor; iam enim ostensum est, in alijs Iustis esse virtutem Iustitiæ cõmutatiuæ, nõ quidem perfectã, & quæ reddere posit æquale, sed imperfectam. In Christo autem erat perfecta redens æquale. Solutio verò in eadem obiectione assignata nihil valet; & ad replicam contra illam, iam Responsum est in Solutione ad Primum. 63

Ad Vndecimum Respondetur, virtutem Iustitiæ cõmutatiuæ in Christo in esse Physico esse finitam, & limitatam: at in esse Iustitiæ, & secundùm moralem dignitatem esse simpliciter infinitam. Itaque non solum gratia in esse gratiæ, est infinita simpliciter ex ipsa 64

Vnione

Vnione ad Verbum, sed etiam Charitas, & omnes virtutes morales infusæ animæ Christi habent infinitatem in suo genere ex Vnione ad Diuinam Personam, quia etiam ordinantur ad ipsam Vnionem, nempe, vt sint quædam ornamenta, & bonæ dispositiones Verbi Incarnati; & quia sunt principia meriti infiniti, non in ratione infiniti, sed meritinā infinitas à sola Verbi Persona desumitur.

65 Sed obijcit M. Vincentius loco citato. Ratio, & perfectio propria Iustitiæ commutatiuæ non est desumēda ex subiecti dignitate, sed ex habitudine ad actum, & obiectum: at ex obiecto non est infinita simpliciter, quia ipsum non attingit, quantùm attingibile est: ergo non est infinita in ratione Iustitię commutatiuæ. Maior est euidens: nam propria ratio cuiuscumq; virtutis per ordinem ad actum, & obiectum consideratur, & non per habitudinem ad dignitatem subiecti, in quo est. Consequentia verò patet: quia nequit ex vi suæ speciei conferre Christi Satisfactioni infinitam dignitatem, & valorem, ratione cuius possit Chistus æquiualens Deo reddere. Neque etiam potest imperare actus aliarum virtutum, quatenùs habent eundem infinitum valorem: ergo neque est infinita: imò impossibilis est, vel saltem superflua in Christo hæc virtus Iustitiæ cōmutatiuæ, cùm ex vi sua æquale reddere nequeat. Antecedens patet: quia Satisfactio Christi nequit habere infinitum valorem ab aliqua virtute creata, sed duntaxat ab increata Persona Verbi. Respondetur non esse de ratione perfectæ Iustitiæ, vt ipsa conferat operi illum valorem, seu quantitatem à qua habet, vt constituat ęqualitatem, sed sufficit, vt aliunde supponat facultatem, siue potestatem reddendi ęquale. & q; inclinet volūtatē ad vtendum tali potestate, & sit principium eliciendi actum, quo voluntas vult, seu im, erat talem vsum. Vndè licet in Christo nequeat aliqua visus creata infinitum valorem conferre, poteris tamen voluntas illius esse capax virtutis efficaciter intendentis actum talis valoris; tametsi facultas, vel principium illius aliunde proueniat. Et ratio est in promptu: quia infinita Christi Satisfactio, quatenùs à Persona Verbi infinitum habet valorem, est obiectum per se amabile, & eligibile secundùm rectam rationem, vt medium aptissimum ad constituendam inter Deum, & homines æqualitatem. Ergo sub ea ratione potest esse obiectum alicuius virtutis moralis, etiam si ipsamet virtus non conferat valorem, sed voluntatem tantùm inclinet ad illum, & ad actum, in quo reperitur.

66 Explicatur exemplis. Inter homines Iustitia commutatiua inclinat ad reddendum æquale tam in rerum restitutione, quàm in Satisfactione iniuriarū: & tamen ipsa Iustitia non tribuit facultatem ad id præstandum, sed temporales diuitiæ dant facultatem restituendi, & Personæ dignitas, vel authoritas adiuncta alijs actioni bus Physicis, quibus honor redditur, vel iniuria resarcitur, dant facultatem Satisfaciendi: virtus autem solùm inclinat voluntatem, vt ea facultate vti velit. Similiter in Satisfactione pro pœna temporali, quam nos apud Deum possumus exhibere, virtus pœnitentię V.G. est, à qua in nobis per se ac formaliter huius condignæ Satisfactionis affectus prouenit. Et tamen valor, quem nostra actio pœnalis habet, vt pœnæ temporali debitæ pro peccato æquiualeat, à virtute pœnitentiæ nōn prouenit, sed maximè à Supposito grato, & ab affectu charitatis, & quantitate doloris. & sic in Christo facile potest intelligi. Postremò: si aliquid concluderet argumētum, probaret etiam, nullam virtutem posse reperiri in Christo, quæ huius æqualis, & Iustæ Satisfactionis sit principium: imo etiam probaret, neque plures virtutes diuisiuè, aut simul sumptas posse hoc munus exercere; quia neque vlla virtus, neque omnes simul possunt actui infinitum valorem conferre, quia omnes sunt virtutes creatæ, & ille valor solùm potest esse ab increata dignitate: consequens autem est falsum: ergo, &c. Ad argumentum ergo Respondetur in forma ex distinctione maioris, nempe, perfectionem Iustitiæ commutatiuæ Physicam, & essentialem desumi ex obiecto, valorem autem moralem ex subiecto, à quo in genere Iustitiæ infinitatem sortitur, vt dictum est.

Ad Duodecimum Argumentum concesso antecedēti negatur consequentia, quia Satisfactio non respicit peccatum secundum rationem formalem, & specificā, sed secundùm aliquid, quod peccato conuenit, nempe, quatenùs est offensa Dei. Vndè non requiritur, quod peccatum sit ex propria ratione actus iniustitiæ, sed sufficit, quòd in aliquo lui iniuriam inferat Deo, vt Iustitiæ pactum compensetur. Concedendum etiam est, quòd omni peccato mortali inest ratio offensæ, & iniuriæ. Et ideò per actum pœnitentiæ tenemur Deo Satisfacere pro peccato, vt est iniuria Dei, & ita actus pœnitentiæ habet rationem Iustitiæ. 67

NONA DISPVTATIO.

VTRVM Satisfactio Christi Domini fuerit exacta, & rigorosa, id est, ex toto rigore Iustitiæ, ita vt in ea fuerint seruatæ omnes leges perfectæ Iustitiæ. Pro tituli autem intelligentia aduertendum est, quòd Satisfacere ad æqualitatem, & de rigore Iustitiæ non sunt idem: licet enim omnis, qui Satisfacit de rigore Iustitiæ, Satisfaciat ad æqualitatem, non tamen e contra. Vnde secundùm quorundam sententiam, Purus homo potuit Deo æquiualens reddere, non tamen ideò potuit de rigore Iustitiæ Satisfacere. Quare Satisfacere de rigore Iustitiæ, vltra hoc, quod est æquale reddere, includit aliud, nempe; quod illud, quod redditur, sit proprium Satisfacientis: & hæc est propria Satisfactio rigorosa, quam purus homo exhibere non potest. Est ergo sensus quæstionis, An Christus Dominus in sua Satisfactione tantum bonum reddiderit, quantum malum fuit peccatum, & An tale bonum fuerit proprium Christi, An ab alio ex gratia, & beneplacito collatum: hoc enim significat propriè Verbum illud, De rigore Iustitiæ. Et pro parte negante plura suppetunt argumenta, quorum hæc sunt potiora. 1

Proponuntur Argumenta. §. I.

PRIMVM est. Christus non Satisfecit ex proprijs, sed ex his, quæ sibi à Patre data fuerunt: ergo non Satisfecit de rigore Iustitiæ. Antecedens probatur. Omnia, quæ Christus habuit, tradita sibi fuerunt à Patre suo, iuxta illud Matthæi. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Et Ioan. 17. dixit Christus Patri. *Mea omnia tua sunt.* 2

Confir-

3 Cōfirmatur primò. Christus Patri Satisfecit exhibendo in Cruce suā humanitatem, quam liberè, & sponte obtulit, iuxta illud Lucæ. 22. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Et Ioan. 10. *Animam meam pono pro ouibus meis:* Sed humanitatem accepit à Patre: ergo ex acceptis Satisfecit.

4 Confirmatur secundò. Christus Satisfecit per operationes creatas: sed istæ non sunt propriæ, neque indebitæ: ergo, &c. Minor probatur: quia Deus habet absolutum Dominium supra omnem actionem creatam, & illām Iustè sub præcepto exigere potest nullo apposito præmio: ergo, &c. Dices: Debitum intelligi respectu humanitatis, ipsum autem Suppositum nihil debere, cùm sit Patri æquale. Contra hoc est: nam Christus erat verè subditus Patri, & illi obediens ergo eius opera absolutè debebantur Patri. Etenim licèt Deus non habeat Ius supra infinitam Personam, habet tamen Ius supra omnia creata, vbicumq; sint: ergo sicut implicat intelligere creaturam sine ordine ad Deum: ita etiam sine debito in ordine ad illum.

5 Confirmatur Tertiò. Christus formaliter Satisfecit per opera humanitatis, vt sumunt valorem à Suppositalitate, præscindendo à natura Diuina: sed Christus sub hac ratione non habet Dominium suarum operationum: ergo vt sic non Satisfecit ex proprijs. Consequentia patet: quia illud tantùm est proprium Christi, supra quod ipse Christus habet verum Dominium. Minor autem probatur. Dominium non conuenit rei nisi ratione voluntatis, & libertatis; & ob id bruta non habent Dominium. sed Suppositalitas, vt sic, eo modo, quo abstrahit à natura, abstrahit similiter à voluntate, & intellectu: ergo à Dominio. Ergo vt sic nullum habet Dominium.

6 Confirmatur Quartò. Christus manet tam verè Dominus eius, quod dat, postquàm datum est, atque anteà erat: & Pater non manet magis Dominus eius, quod in Solutionem debiti datur, atque ipse erat priùs: ergo neque Christus verè Soluit, aut Satisfecit, neque Patri Soluitur, aut Satisfit. Antecedens probatur: quia Deus sicut nunquam amittit Dominium entis creati: sic etiā neque vnquam maius acquirit.

7 Confirmatur Quintò. Satisfactio rigorosæ Iustitiæ fieri nō potest ex bonis creditoris: sed Satisfactio Christi facta fuit ex bonis creditoris, nempe, ipsius Dei offensi; ergo non fuit rigorosæ Iustitiæ. Maior est nota ex terminis: non enim potest debitum persolui ex Iustitia per bona ipsius creditoris. Minor probatur: nam opera, quibus Christus Satisfecit, totum suum intrinsecum valorem acceperunt à Supposito, & Persona Verbi, vt subsistenti in natura Diuina; aliàs non esset talis valor infinitus; sed Persona Verbi, vt subsistens in natura Diuina, habuit rationem creditoris, seu offensi; ergo, &c.

8 Secundum Argumentum est. Christus Satisfecit ex his, quæ sunt communia alijs Personis, & sibi ipsi: ergo non Satisfecit ex proprijs; atque adeò neque ex rigore Iustitiæ. Antecedens probatur. Primò, quia infinitas valoris, à quo sumitur rigor Iustitiæ in constituenda æqualitate, conuenit actionibus propter Deitatem, & nō ex relatione Suppositi: sed Deitas est communis tribus Personis: ergo & hæc Satisfactio non reducitur ad ea, quæ sunt propria Christi, sed toti Trinitati communia. Secundò probatur idem antecedens. Vita humana Christi fuit pretium solutum, & actio voluntatis suæ fuit actus Solutionis; sed ista sunt communia toti Trinitati: ergo, &c. Dices; valorem infinitum talis pretij, & Solutionis, vt est à Persona Diuina, esse proprium Christi. Contra. Etiam talis valor consideratus, vt est à Diuina Persona in ratione infiniti, est communis: quia talis valor ideò est infinitus, quia est Dei, & à Deo procedens, esse autem Dei, est commune tribus Personis. Respondebis, illum valorem à solo Verbo procedere Personaliter, atque adeò esse proprium Christi. Contra hoc obijcitur primò: quia vndecumque proueniat ille valor, eo ipso quòd est in rerum natura, continetur sub vniuersali Dominio Dei: ergo non est proprius Christi. Secundò. Christus non Satisfecit inquantùm Deus, sed inquantùm homo: ergo valor Satisfactionis procedit ab humanitate, & non à Verbo. Antecedens patet: quia Deus non est capax Satisfactionis actiuæ, cùm Satisfaciens aliqua ratione sit inferior eo, cui Satisfacit. Item: quia Christus, vt Deus, acceptauit Satisfactionem: fiebat enim illi Satisfactio; sed implicat, Christū eadem ratione Satisfacere, & Satisfactionem acceptare: ergo. 9 10

11 Tertium Argumentum est. Satisfactio rigorosa excludit omnem gratiam, siue Vnionis, siue habitualem; sed Satisfactio Christi fundatur in gratia Vnionis, & in gratia habituali, & in auxilijs, quæ gratis Deus illi contulit; ergo non fuit rigorosa. Consequentia est euidens. Et maior patet, quia Satisfactio, quæ est de rigore, opponitur Satisfactioni, quę est ex gratia. Minor verò probatur, nam Christus fuit Patri æterno gratissimus, Personaliter per gratiam Vnionis, & formaliter per gratiā habitualem.

12 Confirmatur; tum, quia ratio Satisfactionis perfectæ, & rigorosæ est Deus homo; ad hoc enim reducitur infinitas valoris; quòd autem Deus sit homo, fuit maxima gratia. Tum etiam, quia Satisfactio rigorosa non indiget precibus; Christus autem exorauit Patrem in Cruce, vt constat ex Paulo ad Hebræ. 5. vbi ait. *Qui in diebus carnis suæ preces, Supplicationesq; ad eum, qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lachrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia:* ergo, &c.

13 Quartum argumentum est. Si Satisfactio Christi esset rigorosa, non posset Pater æternus non acceptare illam; sed potuit; aliàs Deus in aliquo necessitaretur; ergo. Explicatur, & confirmatur exemplo. Si quis Regē Hispaniæ offendisset, & Satisfacere non valens conferret se ad Regē Galliæ, vt pro eo Satisfaceret; licèt Rex Galliæ Regi Hispaniæ Satisfactionem offerret, quamtumuis condignam, non teneretur admittere eam Rex Hispaniæ. Et simile est de eo, qui ad aliquam pœnam corpoream damnatur, quam alius pecunia redimere vult, talem Satisfactionem Iudex admittere non tenetur: ergo neque Deus tenebatur Satisfactionem à Christo exhibitam acceptare.

14 Quintum. Obsequium, quod Christus Deo in compensationem peccatorum obtulit, erat aliàs debitum ipsi in gratiarum actione, multisque alijs titulis, & rationibus: ergo per illud obsequium ex rigorosa Iustitia pro peccatis Satisfacere non potuit.

15 Sextum. Satisfactio rigorosa requirit debitum in Satisfa-

tisfacienter:ſed Chriſtus nihil debet Patri, cùm peccatū nō fecerit, neque dolus inuetus ſit in ore eius,ergo,&c. His tamen non obſtantibus ſit concluſio Reſponſiua.

Concluſio. §. II.

16 CHRISTVS Dominus Satisfecit pro hominum peccatis de toto rigore Iuſtitiæ. Hæc concluſio eſt communis ſententia Theologorum, illis exceptis, qui Diſput 4.relati ſunt, Parag. 1. num. 1. eam vbique docet D. Thomas,in hoc articulo ad.2. & infra q.48.& in.3.d.20.q.1.art. 1. Et ibidem D. Bonauentura q. 3. Richardus quæſt. 4. Paludanus quæſt. 2. art. 2. Alexander Alenſis 3.p.q.1.Memb.7.Marſilius in 3.q.12.Altiſiodorenſis lib. 3. ſummæ, tracta. 1. cap. 8. Guiliermus Pariſienſis lib. Cur Deus homo,cap.3.Abulenſis Paradoxa. 1. cap. 41. Et in Prologo ſuper Matthæum q.27.& ſuper caput.3.q.19. Driedo de captiuitate,& Redemptione generis humani, tracta. 2.cap.2. art.2.Oſius Cardinalis in Confeſſione Fidei cap. 11. & 48.Vega lib.7.in Concilium Trident.cap.8.& 9.& denique omnes Thomiſtæ, & vniuerſi recentiores amplectuntur hanc ſententiam, vtpote quæ dignitatem Chriſti maximè illuſtrat,& Sanctorum Patrum dictis eſt valde conſentanea, & Sacræ Scripturæ conformis, & Chriſti Domini Satisfactionem multùm extollit, & magnificat. Et adeò eſt certa, vt contraria nec probabilis,nec pia,nec fidei conſentanea ſit. Imò verò Capreolus in.3.diſt.20. quæſt. 1.concluſ. 2. impium, blaſphemum,& ſacrilegum putat,aſſerere, Chriſti Satisfactionem non fuiſſe perfectam. Et M. Franciſcus à Chriſto affirmat eſſe erroneum. Et M.Soto in 4 d.19.q. 1.art.2. Et lib.3.de natura & gratia cap.6.ait, eſſe ſententiam indignam Chriſto Domino.

17 Probatur ergo Cōcluſio Primò teſtimonijs Sanctæ Scripturæ.Iſaię.10.* Cōſummatio abbreuiata inūdabit Iuſtitiam.* Quem locum explicans D. Hieronymus inquit,ſenſum eſſe, plenam Satisfactionem futuram per Chriſtum, & ſub Chriſto. Intelligitur autem locus apertiſsimè de Chriſti Satisfactione, quæ dicitur conſummatio,quia *Vna oblatione conſummauit in ſempiternum Sanctificatos * Ad Hebræ. 10. Dicitur autem abbreuiata,quia breui tempore expectabatur à Sanctis Patribus,& Prophetis. Et dicitur hæc Satisfactio Iuſtitiam inundare,quia continet Iuſtitiam inundātem,& ſuperabundātem. Et Pſal.129. *Apud Dominū miſericordia,& copioſa apud eum Redemptio.* Item D.Paulus pluribus in locis affirmat, Chriſti Satisfactionem eſſe magnum pretium,eſſe Iuſtitiam, & Redemptionem;quæ omnia ſecundùm proprietatem intellecta inſinuant perfectam rationem Iuſtitiæ. Vnde ad Roma. 5. comparat peccatum Adæ cum Redemptione facta per Chriſtum; & ait multis numeris antecedere peccatum Adæ,eſſeq́, ad noſtram ſalutem Satisfactionem Chriſti multò potentiorem,quàm Adæ peccatum ad noſtram damnationem. Sed peccatum Adæ noſtrā damnationem de rigore Iuſtitiæ induxit: ergo multò magis Satisfactio,& Redemptio Chriſti noſtram ſalutem ex rigore Iuſtitiæ operata eſt: aliàs inepta eſſet illa Pauli comparatio:ait enim. *Non ſicut delictum, ita & donum. Si enim vnius delicto multi ſunt mortui, multò magis gratia Dei,& donum vnius hominis Ieſu Chriſti in multos abundauit.* Item ait infra. *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic per vnius Iuſtitiam in omnes homines in Iuſtificationem. Quòd ſi Chriſtus ſua Satisfactione ex toto rigore Iuſtitiæ noſtram Iuſtificationem, & Redemptionem nō fuiſſet operatus, inanis eſſet illa Pauli collatio:nam inferior manſiſſet Chriſtus,& minus potens ad liberandum,quàm fuit peccatum ad damnandum; quod eſt contra eundem Paulum infra dicentē. *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia.* Appellat autem gratiam,quam paulò ante dixerat Iuſtitiam:quia licèt Satisfactio Chriſti reſpectu noſtri ſit gratia,reſpectu tamen illius fuit perfecta Iuſtitia. Eſt tamen expendendum in hoc teſtimonio, gratiam nobis per Chriſtum collatam fuiſſe abundantiorem, & copioſiorem ad noſtram ſalutem operandam, quàm Adami peccatum ad inferendam mortem ſpiritualem. Hoc enim denotat illud Verbum, *Superabundauit.* Sed peccatum Adami ad totum genus humanum ſe extendit quaſi ex toto rigore Iuſtitiæ:ergo ſi gratia ſuperabundauit, vbi abundauit delictum, Satisfactio Chriſti,per quam ſumus reconciliati,fuit Sufficiens, & ad æqualitatem,imò & ſuperabundans, & rigoroſa.

Præterea.Ad Roma.8.ait Paulus, Chriſtum de pec- 18
cato damnaſſe peccatum in carne ſua. Quaſi diceret: Chriſtum illa hoſtia,& oblatione, quam in ara Crucis obtulit,humani generis peccatum deſtruiſſe, non quacumq́; ratione, ſed illud iuſtiſsima ſententia condemnando. Et ad Coloſ.2.ait, Chriſtum abſtuliſſe Chirographum decreti,quod aduerſus nos erat,& illud Cruci affixiſſe. Quaſi diceret. Sicut inter homines, quando iuſtum pretium ſub obligatione debitum plenè Soluitur;Inſtrumentum obligatorium reſcinditur ex toto rigore Iuſtitiæ:ſic etiam factum eſt inter nos, & Deū, Chriſto pleniſsimè Soluēte morte ſua, & paſsione noſtrorum peccatorum debitum. Item ad Galat. 2. *Si ex lege,* inquit, *Eſſet Iuſtitia: ergo Chriſtus gratis mortuus eſt.* Ex quo deſumitur argumentum. Si Chriſtus non Satisfecit de toto rigore Iuſtitię, ergo gratis mortuus eſt:quia ex acceptatione ſolùm, etiam pura creatura Satisfacere potuiſſet, vt infra conſtabit. Eſt igitur Satisfactio Chriſti infinita de rigore Iuſtitię:aliàs diceretur ſine neceſsitate obijſſe. Rurſus ad Hebræ.9.ait Paulus. *Si Sanguis hircorum,aut taurorū, & cinis vitulæ aſperſus coinquinatos ſanctificat ad emundationem carnis:quanto magis Sanguis Chriſti,qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundauit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis.* In quo teſtimonio, multa ſunt expendenda Primùm illa collatio D. Pauli de minori ad maius: *Quantò magis,&c.* Sed ita eſt, quòd ſanguis hircorum, aut taurorum ex Diuina acceptatione emundabat coinquinatos à carnalibus Immunditijs,& irregularitatibus:ergo Sanguis Chriſti purgat à peccatis de rigore Iuſtitiæ:aliàs ſi ex ſola acceptatione, vnde vis illationis Paulinæ,quantò magis,&c. Item ponderandum eſt illud, *Seipſum obtulit.* Id eſt,Deum verum,& hominem verum. Itaque offerens eſt res infinita in genere entis,nempe Chriſtus, vt Deus. Res oblata ſimiliter eſt infinita in genere entis: ſeipſum enim obtulit,non ſolam humanitatem,ſed Diuinitatem, & Perſonam Diuinam. Et ad Hebræ.5.loquens Paulus de Chriſto ait. *Exauditus eſt pro ſua reuerentia.* Quod teſtimo-

Digitized by Google

testimonium estò posuit intelligi actiuè, id est, pro reuerentia, quam Patri exhibuit: commodè tamen intelligi potest passiuè: hoc est, pro reuerētia, quæ ipsi Christi Christo debita erat, exauditus est à Patre. Ac proindè ex ratione sui operis, & condignitate exauditus est. Et cap. 10. *Impossibile est,* Inquit, *Sanguine taurorum, aut hircorum auferri peccata: propter quod ingrediens mundum dicit: huloeausta, & oblationes noluisti, corpus autem aptasti mihi.* Qui locus necessariò intelligendus est de Satisfactione perfecta ex toto rigore Iustitiæ: quoniam possibile erat ex acceptatione Diuina auferri peccata Sanguine taurorum, & hircorum: at Satisfactione perfecta fieri non poterat: asserit verò, hoc, quod erat impossibile, factū fuisse per Sanguinem Christi, & eius Satisfactionem. Sunt alia innumera Sacrarum literarum testimonia, quæ huic conclusioni multùm fauent: de quibus legendus est M. Vega lib. 7. cap. 8. & 9.

19 Secundò probatur conclusio Sanctorum Patrum testimonijs. D. Chrysostomus explicans locum Pauli ad Roma. 5. supra citatum, inquit, Christum multò plura pro nobis soluisse, quàm debebamus: & tantò plura, quantò exiguam guttulam aquæ immensum pelagos excedit. D. Anselmus lib. 2. Cur Deus homo, cap. 6. Et Richardus Victorinus lib. 2. de Incarnatione cap. 8. expressè affirmant, Deum fore injustum, si per impossibile Christi Satisfactionem non acceptasset. Quare si Christi Satisfactio non fuisset rigorosa, non esset vera istorum Patrum sententia; quia nulla esset injustitia, Satisfactionem ex sola acceptatione Sufficientem non acceptare, cùm talis Satisfactio ex misericordia procederet. Item D. Athanasius lib. de humanitate dicit, Christi Satisfactionem fuisse plenissimam. Et D. Augustinus in inchiridio. cap. 49. ait, fuisse iustissimam. Si igitur ex istorum Patrum sententia, Satisfactio Christi fuit infinita, plenissima, & iustissima, & talis, quòd Pater non poterat eam non acceptare, apertè senserunt, fuisse perfectam, & de toto rigore Iustitiæ. Idem docet Leo Papa Epist. 81. & 95. & Agapetus Papa Epistola ad Antimum Episcopum Constantinopolitanum. Gregorius Nazianzenus oratio. 42. Cyrillus Alexandrinus contra Nestorium, & Eutychetem: & lib. ad Reginas in capitulo, quòd Redempti sumus per Sanguinem Christi. Cyprianus sermo. de passione Christi. Proclus Cizicus in oratione de Natiuitate Christi, quæ habetur, tomo. 6. Actorum Concilij Ephesini. Irenęus lib. 3. contra hæreses, cap. 10. Theodotus Ancirorum Episcopus in oratione de Natiuitate, quæ habetur in appendice. 5. ad tomum. 6. Actorum Concilij Ephesini. Theodoretus in Dialogo. 2. cuius titulus est, Inconfusus. Et alij multi Patres hanc sententiam confirmant, asserentes, Christum nos redimere non potuisse, nisi esset Deus. Quod intelligendum est ex Suppositione; videlicet, Supposito, quòd Deus vellet Satisfactione perfecta, & rigorosa mundum reparare. Ex quo Argumentum colligitur. Si sit sermo de imperfecta Satisfactione, quæ gratiæ, & Diuinæ misericordiæ innititur, certum est, potuisse Deum per hominem, vel Angelum in gratia existentem nos redimere: sed Sancti Patres expressè docent, Christum nos redimere minimè potuisse, nisi esset Deus; ergo sentiunt, Christi Redemptionem esse ex perfecta Iustitia. Sic loquitur Leo Papa in sermone de Natiuitate Christi dicens. *Nisi esset Deus, non afferret remedium; nisi esset homo, non præberet exemplum.*

20 Tertiò probatur ex Decreto Clementis Sexti in extrauaganti, Vnigenitus, de pœnitentijs, & remissio. Vbi loquens de Christi Satisfactione, & Thesauro indulgentiarum, asserit, vnam guttam Sanguinis Christi fuisse Sufficientem pro Redemptione generis humani propter Vnionem ad Verbum: ergo ex Iustitia rigorosa Sufficiebat, & non ex sola acceptatione. Consequentia probatur: quia secundùm acceptationem non erat Sufficiens vna gutta, sed sola passio: ea enim sola erat à Patre acceptata: sed definit Pontifex vnam solam guttam Sufficere: ergo intelligit ex Iustitia perfecta. Infra etiam dicit, nos habere Thesaurum infinitum meritorum Christi: neque esse formidandum, quòd talis Thesaurus exhauriatur, vel diminuatur.

21 Præterea: hæc sententia est maximè consentanea dignitati Christi, quæ semper, cùm fieri potest, extollenda, & magnificanda est; dummodò non contrarietur vel Scripturæ, vel Ecclesiæ definitioni, vel rationi. Quare cùm nulli horum contradicat, vt ex dictis cōstat, non est, Cur hæc dignitas Christo denegetur: imò oppositum multùm derogat eius dignitati, quia parem illum facit cum pura creatura.

22 Quartò probatur rationibus. Prima est. Christus per suam Satisfactionem reddidit Deo æquale obsequium malitiæ peccati totius generis humani, idq; ex proprijs, & indebitis: ergo illa Satisfactio fuit perfecta, & ex toto rigore. Consequentia est euidens. Et antecedens probatur. Nam primum, scilicet, quòd reddiderit æquale obsequium malitiæ peccati, constat, quia sicut offensa ampliùs crescere non potuit ex ea parte, ex qua suam desumit infinitatem, nempe, ex obiecto: sic etiam Christi Satisfactio ampliùs crescere non valuit ex ea parte, vnde suum accipit valorem, videlicet, ex parte Personæ Satisfacientis, quia nihil amplius esse, neque excogitari potest, quàm quòd actio, & obsequium sit Diuini Suppositi: præponderat enim tale Suppositum omnibus Suppositis creatis, etiam si infinita sint. Quòd verò reddiderit æquale ex proprijs, & indebitis, & nulla pręsupposita gratia, patet; quia nulla gratia fieri potest Personę Diuinæ, neque ipsa potest alicui quicquam debere: sed omnes potiùs gratiæ, & virtutes sibi debitæ sunt, & propriæ; & ex consequenti ipsi humanitati, vt eleuatæ ad esse Personale Verbi; ergo ex proprijs, & indebitis Satisfecit.

23 Secunda. Christus Satisfecit Deo, non solùm vt homo, sed etiam vt Deus homo: sed hac ratione omnia sunt illi propria, nihilque debet alicui: ergo, &c. Maior probatur: nam Christus est, qui pro nobis Satisfecit, nō eius humanitas: sed Christus est Deus homo: ergo, &c. Confirmatur. Actiones sunt Suppositorum, vt docet Aristoteles. 2. de Anima, cap. 4. ergo Satisfactio Christi nō est solius humanitatis, sed eius Suppositi: Suppositū autem est ipsum Diuinum Verbum: ergo, &c. Secundò confirmatur. Satisfactio Christi, vel est ab humanitate sola, vel à Supposito simul cum humanitate: si ab humanitate sola: ergo Satisfactio Christi nō est infinita, neque infiniti valoris. Patet consequentia: quia humanitas, quantumcumque fuerit donis supernaturalibus exornata, suis operationibus infinitatem tribuere nō potest

poteſt: alioquin purus homo poſſet Deo infinitè Satisfacere, quod Theologi deteſtantur. Si verò eſt à Diuino Suppoſito ſimul cum humanitate: ergo tale Suppoſitũ ex proprijs Satisfecit.

24 Tertiò confirmatur. Peccatum habuit quandam infinitatem ex infinita Dei mageſtate per peccatum offenſa deriuatam: ergo neceſſaria eſt in Satisfactione æquiualente, & condigna ſimilis infinitas ex Perſona Satisfaciente deſumpta. Sed hæc ex humanitate deſumi non poteſt; ergo Deus & homo Satisfecit, & ab eius infinita dignitate Satisfactio ſuſcepit infinitum valorem. Minor probatur: quia humanitas Chriſti niſi ſimul includat Diuinum Verbum, non eſt tantæ dignitatis, quantæ eſt Diuina Mageſtas per peccatum offenſa: ergo ab ea infinitas deſumi non valet, quæ ſit æqualis offenſæ. Hæc omnia magis explicabuntur in Solutionibus argumentorum.

Diluuntur Argumenta. §. III.

25 AD Primum igitur argumentum negatur antecedens. Et ad probationem Reſpondetur, omnia dona, quæ à Patre Chriſtus accepit, fuiſſe illi neceſsitate quadam naturali debita: atque adeò fuiſſe propria illius, ſuper quæ habebat Ius, cùm ſibi ex naturali Iure deberentur: quemadmodùm ſi Paulus V. G. deberet Petro decem aureos, quos deinde Paulus illi ſolueret: tunc illi decem aurei non dicerentur Pauli, ſed Petri: quia licèt à Paulo fuerint accepti, ex Iure erant debiti. Verum eſt etiam ſimilitudinem non eſſe in omnibus æqualem.

26 Ad primam confirmationem Reſpondetur, humanitatem, ſi conſideretur, vt eſt aliquid creatum, ſic eſſe omnium Perſonarum Diuinarum, quia creatio toti Trinitati tribuitur: ſi verò perpendatur, vt eſt vnita Diuino Verbo; ſic eſt Filij, & non Patris, neque Spiritus Sancti; quia Pater non vniuit ſibi naturam humanam in propria Perſona, neque Spiritus Sanctus: & ſic neuter eorum eſt paſſus, mortuus, aut ſepultus: ſed hoc tantùm competit Filio, prout ſolus terminat dependentiam humanitatis. Cùm ergo humanitas ſit Chriſti & primo, & ſecundo modo: & poſteriori modo ita ſit ipſius propria, quòd neque Patris, neque Spiritus Sancti: eam offerendo, obtulit id, quod ſuum erat: atque adeò Satisfactio Chriſti facta eſt ex proprijs. Præſertim quòd Chriſtus Dominus totum ſeipſum obtulit Patri, & non ſolam humanitatem.

27 Ad ſecundam confirmationem Reſpondetur, Deum habere Dominium ſuper operationes Chriſti, vt creatæ ſunt, ſed non vt ſunt à tali Suppoſito, ita vt eas impedire non poſsit, vt ſunt à tali Suppoſito. Et ideò licèt Deus habeat Dominium talium operationum, id non tollit, quin ſub alia ratione Chriſtus habeat Dominium independens; ac proindè offerens illud Deo, aliquid offert proprium ipſius Chriſti, ſupra quod non habet Dominium ipſe Deus: cùm illud ſit proprium ipſius Diuini Suppoſiti, ſeu Diuini Verbi, vt ſic. Itaque Satisfactio Chriſti, vt V. G. actio obedientiæ, vel humilitatis, licèt contineatur ſub vniuerſali Dominio Dei: quia tamen ipſe Chriſtus ſub tali Iure non continetur, cùm ſit verus Deus; & Satisfactio illius eatenùs eſt infinita, & de rigore Satisfactoria, quatenùs eſt propria actio Diuinæ Perſonæ, & per illam actionem Chriſtus ſeipſum ſubijciebat, & humiliabat: ideò Satisfactio Chriſti, prout habuit infinitatem, non fuit Debita Deo, neque ſub eius Dominio comprehenſa: quia licèt Deus habeat Dominium operationum Chriſti: non tamen eo modo, quo Chriſtus, nempe, inquantùm Suppoſitum: & hac ratione non pendet à Deo, neque eius actiones poſſunt à Deo impediri. Etenim Suppoſita Vnione humanitatis cum Diuino Suppoſito, Deus nõ poteſt nõ cõcurrere ad omnes operationes, quas tale Suppoſitum interuentu ſuæ naturæ elicere voluerit, neque poteſt illas impedire: & hoc Sufficit, vt illud Suppoſitum dicatur habere, & habeat abſolutum earum Dominium. Et ob id abſolutè dicendum eſt, Chriſtum ex proprijs Satisfeciſſe, & ex his, quæ nullius ſubiacebant Dominio.

Sed replicatur. Ergo Chriſtus ſibi perfectè non Satisfecit, ſiquidem vt erat homo, & vt præſcindens à Diuina Perſona Verbi, cui Satisfaciebat, nihil habebat proprium, & indebitum. Reſpondetur, quòd ſicut operationes Chriſti ſecundùm aliquam rationem erant ipſius, ſecundùm quam non erant Patris: ita eædem operationes exercitæ interuentu humanitatis, ſic erant propriæ illius, vt Satisfacientis, quòd non erant eius, vt acceptantis. Vt enim acceptat, habet ſe omninò, ſicut Pater, & Spiritus Sanctus. Vt verò Satisfacit, immediatè, & proximè, ac Perſonaliter elicit operationes creatas, quas non proximè elicit, vt eſt acceptans, atq; adeò ſibi propriè, & perfectè Satisfecit. 28

M. Suarez Diſp. 4. Sectio. 6. non probat Solutionem aſsignatã, quia ſibi omninò falſum videtur, actionem Chriſti creatam, quacumq; ratione conſideretur, non eſſe ſub Dominio Dei. Et ideò aliter Reſpondet, nempe, quòd ſicut injuria fuit Deo facta per actus peccaminoſos, quorum ipſe Deus erat Dominus: ſic etiam Satisfactio rigoroſæ Iuſtitiæ pro tali injuria potuit exhiberi à Chriſto per opera, quorum Deus erat abſolutus, & vniuerſalis Dominus. Non enim Satisfactio, ſicut reſtitutio, fit per hoc, quòd Satisfaciens abdicet à ſe Dominium operis, quod offert in cõpenſationem injuriæ, & illud in creditorem transferat, ſed quia illi obſequium præſtat æqualis, aut maioris valoris. Cæterùm hæc Solutio non placet, quia nequit intelligi rigoroſa Iuſtitia in Satisfactione, ſi fiat ex his, quæ ſunt propria eius, cui fit Satisfactio, & quorum habeat plenum Dominium, vt ex ſuperioribus conſtat. Neque exemplum adductum de actu peccati eſt ad propoſitum, quia licèt actus peccati Phyſicè, materialiter, & entitatiuè conſideratus ſit à Deo, & ſub eius Dominio contineatur: nihilominùs tamen acceptus pro formali, ſicut non cauſatur à Deo, ita neque ſub eius Dominio comprehenditur, ſed tantùm eſt ſub Dominio ipſius peccantis, & vt ſic cedit in injuriam Dei: non verò priori modo in ratione entis, quia vt ſic, actus peccaminoſus & eſt à Deo, & ab ipſo prædefinitus, vt latiùs conſtabit infra quæſt. 18. art. 4. Diſp. 2. Parag. 12. Item admiſſo etiam, Deum eſſe Dominum actus peccaminoſi, non ſequitur, Chriſtum poſſe pro illo perfectè Satisfacere per opera, quorum Deus erat abſolutus, & vniuerſalis Dominus. Quare ſi Satisfactio Chriſti pro injuria Deo facta per peccatum, eſſet omninò ſub vniuerſali Dei Dominio comprehenſa, non eſſet perfecta, & rigoroſa. 29

Digitized by Google

Rationes autem, quibus M. Suarez impugnat nostram Solutionem, tantùm probant; Satisfactionem Christi, & reliquas eius actiones, vt sunt aliquid creatum, contineri sub dominio Dei. Sed non probant, illas actiones, vt sunt à tali Supposito, à quo tanquam à proprio Supposito procedebant, esse sub dominio Dei: vt supra Disp. 4. Parag. 4. num. 56. & 58. ostensum est.

30 Ad Tertiam confirmationem Respondetur, quòd si Suppositalitas vniret sibi naturam irrationalem, non diceretur propriè habere suarum operationum Dominium, quia neque ex parte Suppositalitatis, quæ hic intelligitur præcisa, neque ex parte naturæ intelligitur voluntas, quæ ad Dominium est necessaria. Et eadem ratione opera talis naturæ non essent valoris, & dignitatis infinitæ, quia de se non sunt apta taliter denominari. Ex eo autem quòd sibi vniat naturam intellectualem, sunt eius opera infiniti valoris, non quia talis natura adducat illum valorem infinitum; sed quia est fundamentum capax, vt illum recipiat. Et similiter interuentu talis naturæ censetur absolutum Dominium sortiri supra eius operationes, non quia talis natura conferat illud absolutum Dominium, sed quia ponit necessariam conditionem ad hoc, vt Suppositum, vt sic, habeat Dominium: non enim ex suo formali conceptu potest habere Dominium, nisi pro vt est Suppositum naturæ habentis voluntatem, per quam supra suos actus liberam habeat, & non impedibilem facultatem, in quo consistit absolutum Dominium.

31 Ad Quartam confirmationem Respondetur, licèt Christus Dominium suæ operationis à se non abdicauerit, id tamen fuisse per accidens, quia quantùm erat ex vi oblationis spontaneæ, taliter Deo eas operationes offerebat, vt à se earum Dominium abdicaret. Rursus licèt Pater nihil noui, quod aliàs non esset suum in hac Satisfactione acquisierit, id etiam fuit ex accidenti: nam Christus taliter offerebat, vt Pater, si aliàs nō esset Dominus earum rerum, nunc de nouo ex vi oblationis fieret Dominus.

32 Ad quintam confirmationem Respondet M. Suarez loco citato, opera Satisfactoria Christi accepisse valorem à Supposito Verbi, non quidem, quatenùs præcisè subsistebat in natura Diuina, qua tantùm ratione habebat rationem offensi, & creditoris: sed quatenùs sustentabat naturam humanam, & per eam eliciebat huiusmodi opera, tanquàm per principium intrinsecum

33 formale, quo. Hæc Solutio sic est intelligenda, quòd opera Christi acceperunt valorem à Persona Verbi, quatenùs sustentabat naturam humanam: cæterùm particula, quatenùs, non sumitur reduplicatiuè, ita vt denotet, terminum, cui applicatur, esse rationem, vel causam per se talis valoris: sed specificatiuè, ita vt solùm denotet, terminum, cui applicatur, esse conditionem necessariò requisitam, vt Persona Verbi sit causa talis valoris in operationibus humanitatis sibi vnitis. Itaque Persona Verbi secundùm se est causa per se, & ratio huius valoris; vt tamen sit causa, requiritur tanquàm conditio sine qua non, quòd sustentet naturam humanam, & per eam eliciat operationes: vt latiùs dictum est supra Disput. 4. Parag. 3. num. 48. & 49.

34 Ad secundum Argumentum principale, negatur antecedens: nam Christus ea ratione, qua Deo Satisfecit, aliquid habuit proprium, quod potuit reddere Deo, & non ex bonis ipsius creditoris, quia ita sunt propria Christi ratione Suppositi, vt illo modo non sint propria Dei. Etenim operationes sequuntur naturam Suppositi, & cùm Suppositum Christi sit infinitè perfectum independens, habet suas operationes, quæ ab alio non dependent, quarum habet Dominiū: non sicut Deus habet omnium Dominium iure creationis, quod illi conuenit ratione naturæ Diuinæ, sed vt Suppositum Diuinum sustentans naturam humanam, qua ratione Deus non habet Dominium. Et prætereà: Satisfactio principaliter est à Christo, prout sustētat humanitatem, & vt sic non est à Deo, nisi vt subsistit in natura Diuina.

35 Ad Primam probationem antecedentis Respondetur, valorem actionum Christi non sumi ex Deitate absolutè sumpta, sed quatenùs est in Persona Verbi speciatim determinata per illius subsistentiam: atq; adeò falsum est, talem valorem in Deitatem reduci, vt est tribus Personis communis. Secundò dicitur; oriri ex Deitate, tanquàm ex principio remoto, saltem ex modo, quo in abstracto significatur, & tanquàm forma cō creti. Vnde principium totale, quod valorem infinitum confert, est Verbum, vt subsistens in sua natura.

36 Ad secundam probationem rectè ibidem Responsum est, & ideò ad primam Replicam contra Solutionem Respondetur, Satisfactionem Christi entitatiuè consideratam, & quatenùs ab humanitate procedebat, fuisse debitam Deo, & sub eius Dominio cōtentam, & sic neq; fuisse ex proprijs, neq; valoris infiniti. Cæterùm, vt procedebat à Verbo humanitatis Supposito, fuit ex proprijs, & infiniti valoris. Qui sanè valor entitatiuè sumptus, etiam fuit sub vniuersali Dei dominio comprehensus, quia dependebat à Deo, vt à conseruante humanitatem, & substantiam Satisfactionis, in qua suscipiebatur; & vt à principio efficiente, & conseruante Vnionem hypostaticam. Considerata verò Satisfactio Christi per respectum ad Suppositum, à quo procedebat, non magis continetur sub Dominio Dei, quàm ipsum humanitatis Christi Suppositum.

37 Ad secundam Replicam Respondetur; Christum Dominum Satisfecisse, in quantùm est Deus homo collectiuè. Ita quòd substantia Satisfactionis sumebatur ab humanitate; infinitus autem eius valor à Diuino Verbo. Vnde humanitas erat formale principium Satisfactiuum, siue principium, quo, & Verbum principium, quod.

38 Sed obijcitur. Verbum in Satisfactione tantùm cōcurrit, vt humanum Suppositum, & non vt Diuinum: sed vt Suppositum humanum non est Deus, neq; tribuit Satisfactioni infinitum valorem: ergo Satisfactio Christi non habet infinitatem ex principio, à quo processit. Respondetur, Verbū Diuinū, vt est Suppositum humanū, duo essentialiter importare. Vnum est, esse Suppositum, & alterum, esse humanum. Quòd sit Suppositū, habet à semetipso; non ab humanitate, quam propria, ac Diuina Personalitate terminat, supplens vicem humani Suppositi. Quòd verò sit humanum, habet ab humanitate, quam Supponitat, & terminat; in qua ratione

ratione conuenit cum Supposito humano creato. Vnde Verbum Diuinum secundùm vtramque istam rationem, & quà Suppositum, & quà humanum, per modū vnius sumptam, concurrit ad Christi Satisfactionem; ac proindè verè dicitur, Satisfactionem esse ab ipso Diuino Verbo, quatenùs per modum Suppositi humani ad illam elicitiuè concurrit, illique confert infinitum valorem.

39 Secundò Respondetur, quòd licèt Verbum Diuinū formaliter non concurreret ad Christi Satisfactionem, prout erat Suppositum Diuinum, sed tantùm vt humanum, non ob id tollitur infinitus Satisfactionis valor: quia satis est, quòd illud Suppositum humanum materialiter, & re ipsa sit verus Deus. Etenim cùm hic valor non sit Physicus, sed moralis, vt dictum est Disput. 5. potuit sumi ab ipsa materiali humani Suppositi dignitate: quoniam moralis æstimatio non solùm attendit ad formalem rationem operandi, sed ad ipsam etiam materialem dignitatem operantis.

40 Sed contra obijcitur. Illa materialis dignitas operantis est cōmunis omnibus Personis, & conuenit Deo, vt Deus est, iuxta illud, quod dixit Christus Ioā. 16. *Omnia, quæ Pater habet, mea sunt.* Ergo valor moralis Satisfactorius ex illa desumptus non erat ex proprijs Christi, sed ex communibus. Resp. negando consequentiam: quia licèt infinitus valor Satisfactionis Christi desumatur ex infinita dignitate, & virtute Dei, quæ toti Trinitati est communis: non tamen fuit ab illa desumptus, vt est communis, sed tantùm vt pertinet specialiter ad Personam Verbi, prout realiter distinguitur ab alijs Personis: quod sanè ex eo maximè constat, quòd Verbum, prout est Deus absolutè, infinitum valorem Satisfactioni Christi non conferebat, sed prout est tale Suppositum, humanitatem Personaliter terminans, & simul cum illa eliciens, & efficiens Satisfactionem; quę quidem ratio non est communis toti Trinitati, sed soli Verbo specialis, & propria.

41 Sed Replicatur. Ergo Satisfactio Christi fuit ex his, quæ sunt communia Satisfacienti, & ei, cui fit Satisfactio. Probatur consequentia. Christus Satisfecit sibi ipsi, sicut Patri, & Spiritui Sancto, sed nequit sibi ipsi Satisfacere nisi ex communibus sibi ipsi, vt est Satisfaciens, & ei, cui fit Satisfactio; cùm valor Satisfactorius desumatur secundùm peculiarem rationem Verbi: ergo, &c. Respondetur: Verbum, prout Suppositum humanum, ratione differre à seipso, inquantùm est Suppositum Diuinum, atque adeò valorem Satisfactoriū desumi à Diuino Verbo, prout est Suppositum humanum, & vt est Satisfaciens, sed non sumi à Diuino Verbo, vt est Diuinum Suppositū, & is, cui fit Satisfactio. Itaque valor Satisfactorius operationum Christi infinitus potest considerari, & in ratione valoris infiniti, & vt est Satisfactorius. Si consideretur præcisè in ratione valoris infiniti, desumitur, tantùm à Verbo, vt est Diuinum Suppositum. si verò perpendatur, vt Satisfactorius, sumitur à Verbo, prout est Suppositum humanum, vtramque illam rationem humani Suppositi includens. quia sicut substantia Satisfactionis in Christi operatione nequit à Diuinitate formaliter sumi, sed ab humanitate. sic etiam valor Satisfactorius, vt Satisfactorius, non potest desumi à Verbo, vt est Diuinum Suppositum, sed potius vt est humanum. Quare absolutè concedendum est, Christum Satisfecisse ex proprijs bonis ipsius Satisfacientis, prout est Satisfaciens, quia Diuino Verbo non fit Satisfactio, inquantùm est Suppositum humanum, quoniam vt sic non fuit offensum per peccatum, sed duntaxat vt est Diuinum Suppositum. hoc est, prout terminat naturam Diuinam, secūdùm quam rationem nequiuit à Verbo desumi infinitus valor Satisfactorius, qui in Christi Satisfactione reperitur.

Ad tertium Argumentum principale Respondetur concessa maiori negando minorem, & ad probationem dicitur, tam gratiam Vnionis, quàm gratiam habitualem habere quidem rationem gratiæ respectu humanitatis, non tamen respectu Diuinæ Personæ, à qua Satisfactio totum valorem desumpsit. Neque obstat, quòd Deus gratis, & liberè concurrat cum Christo ad eliciendos actus Satisfactorios: quia iste concursus est ipsi quasi connaturalis, & debitus, sicuti & ipsa gratia habitualis fuit illi naturalis, ita vt necessariò consequeretur ipsam humanitatem Verbo vnitam: Neque illi actus habuerunt rationem Satisfactionis, aut aliquem valorem, vt ex tali concursu Dei quasi extrinseco procedebant, sed prout oriebantur à Christi Supposito. Ex quo sequitur, quòd licèt valor Satisfactionis in Vnione hypostatica fundetur, non tamen fundatur in ea, prout habet rationem gratiæ: nam quòd Verbum actu terminet, & Supponat humanitatem, nulla gratia fuit ipsi Verbo facta. At verò Satisfactionis valor non desumitur ab humanitate, sed à Verbo, quatenùs ipsam Personaliter sustentat. Itaque ratio per se valoris est ipsa Persona Verbi; conditio verò necessariò requisita ad conferendum talem valorem, est, quòd ipsam humanitatem Personaliter sustentet. 42

Ad priorem confirmationis partem Respondetur, quòd Deus homo est, in quem reducitur perfectio Satisfactionis. Nihilominùs Deo homini, vt sic, nulla fit gratia, tametsi illa fiat Deo, vt homo est. Ad posteriorem Respondetur, Christum orasse, non vt eius Satisfactio admitteretur, sed vt placaret Patrem propter injuriam sibi à peccatore illatam, & ad nostram eruditionem, vt discamus & nos Patrem æternum in nostris necessitatibus exorare. Ad argumentum ergo Respondetur, Supplicationes, & preces non ideò fundi, quia illis tanquam ex sola gratia id tantùm esset obtinendum: sed quia ipsa Iustitia rigorosa exigit Satisfactionem ipsi offensæ accommodatam, quod rectè fit lachrymis, & precibus: his enim operibus maximè submittitur Satisfaciens ad Satisfaciendum, & compensandum injuriam, quam homo intulit Deo. 43

Ad Quartum principale Respondetur, nequiuisse Patrem æternum non acceptare Christi Satisfactionem ad sensum explicatum Disp. 7. Neq; est inconueniens, Deum ad aliquid necessitari, nō simpliciter, sed ex Suppositione, nempe, quia ipse voluerit talem rem sic fieri. Cùm enim voluntas eius sit immutabilis, fieri non potest, vt quod ipse statuit, ex parte ipsius statuti non eueniat. Sic ergo postquam ex æternitate decreuit Deus, naturam humanam reparare media Filij sui Satisfactione, eam sibi à Filio oblatam non potuit non acceptare. 44

Ad confirmationem Respōdetur, quòd si Rex Hispaniæ 45

cum Rege Galliæ paciſceretur, vt ſibi pro offenſore hac, vel illa re Satisfaceret, tunc Rege Galliæ talem rem reddente, teneretur Rex Hiſpaniæ Satisfactionem admittere: præſertim ſi ei redderet aliquid, quo ipſi de rigore Iuſtitiæ Satisfaceret. Sic ergo Pater æternus potuit quidem nolle, vt Filius eius nos redimeret, & pro nobis Satisfaceret; at poſtquàm voluit Filium ſuum pro nobis Satisfacere, eius Satisfactionem ſibi oblatam non potuit non admittere; præſertim cùm talis Satisfactio eſſet de rigore Iuſtitiæ. Ad illud verò, quod de iudice tangitur, Reſpondetur, ibi non reddi æquiualens, quia vita hominis quamlibet pecuniæ ſummam excedit: at verò Chriſtus vitam ſuam pro nobis obtulit, quæ in infinitum peccata noſtra excedebat.

46 Ad Quintum Reſpondet Magiſter Suarez loco citato, quod quando multiplicatis titulis non multiplicantur debita, bene poteſt eodem pretio Satisfieri debito ſecundùm omnes illos titulos, vt ſi Petrus debeat Paulo centum titulo Iuſtitiæ commutatiuæ, fundatæ in aliquo contractu emptionis, & venditionis: & titulo obedientiæ, quia præcipitur illi à ſuperiori, vt ea ſoluat, & titulo miſericordiæ, quia Paulus eſt in neceſſitate conſtitutus; poteſt Petrus Satisfacere omnibus iſtis titulis ſoluendo illa centum. Et idem dici poteſt de operibus Chriſti, quæ quamuis eſſent debita titulo gratitudinis, obedientiæ, & religionis, non tamen erant debita ex Iuſtitia, quod ſolùm obſtat perfectæ, & rigoroſæ Satisfactioni: & ideò potuit Chriſtus Satisfacere vni debitò Iuſtitiæ, & alijs gratitudinis, miſericordiæ, & liberalitatis: quia per hoc non ſoluuntur plura debita diſtincta, ſed vnum tantùm debitum exhibendi illa opera ratione multorum titulorum inducentium obligationem; atque adeò Satisfecit Chriſtus diſtinctis titulis, & non diſtinctis debitis. Cæterùm hæc Solutio ſupra reiecta eſt Diſput. 4. Parag. 4. nume. 69. & 70. Et propterea Reſpondetur ad argumentum, opera Chriſti fuiſſe infiniti valoris, & ſic per illa omnibus tam Iuſtitiæ, quàm aliarum virtutum debitis Satisfacere potuiſſe ex Iuſtitia rigoroſa; quia omnibus illis debitis coæquauit Solutio interuentu illorum facta, imò & excedere potuit.

47 Ad Sextum Reſpondetur, Satisfactionem Chriſti præſupponere debitum in Chriſto, non proprium, ſed alienū. Vnde Iſaiæ 53. dicitur: *Propter ſcelus populi mei percuſſi eū.* Factus eſt enim Patri æterno pro debito noſtro fideiuſſor. Et ideò, *Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, & attritus propter ſcelera noſtra.* Sed obijcitur. In Chriſto erat debitum, non ſolùm alienum, ſed etiam proprium: ergo eius Satisfactio nequiuit eſſe rigoroſa. Probatur antecedens; quia ipſa Satisfactio erat Deo debita in gratiarum actionem, & ex vi præcepti Chriſto impoſiti; vt illam exequeretur. Reſpondetur negando antecedens. Et probationi dicitur: quòd licèt Chriſtus inquantùm homo ſpecificatiuè, imò & reduplicatiuè diceretur pluribus titulis debitor: vt tamen eſt vtriuſq; naturæ tale Suppoſitum, formaliter loquendo, non eſt debitor, præſertim in opinione eorum, qui dicunt, eſſe debitorem, dicere inferioritatem. Etenim Chriſtus, vt eſt Deus homo, non eſt inferior, ſed æqualis, vt ſupra Diſput. 8. Parag. 6. oſtenſum eſt: Tametſi in ſe habeat, vnde abſolutè loquendo, ſit inferior, & debitor, nempe, quatenùs eſt homo. Satisfecit autem, vt Deus homo, & vt ſic nō eſt debitor; ac proinde Satisfecit de rigore.

Sed Replicatur. Chriſtus Dominus, vt Satisfecit de rigore Iuſtitiæ, ſoluit debitum; ergo etiam vt reddens æquale Deo, erit debitor, atque inferior. Negatur conſequentia: quia non ſemper qui ſoluit debitum, eſt debitor: ſtat enim, vt aliquis poſſit ſoluere, & de facto ſoluat debitum, & non ſit capax debiti; vt patet in Deo, qui nulli debet, & nihilominùs ſoluit debita: nam vt eſt Author naturæ, diſtribuit vnicuique rei, ſecundùm quod illi debetur, & tamen Deus non eſt debitor. Similiter vt Author gratiæ; confert gloriam ex debito Iuſtitiæ, & tamen non eſt debitor. Ita in præſenti Chriſtus, vt Deus homo, non eſt debitor, quia vt ſic eſt ſuperior ad omne debitum, & æqualis Patri: cum hoc tamen rectè compatitur, vt Chriſtus, & Deus homo ſit debitor propter naturam humanam, ratione cuius eſt capax debiti, & obligationis; atque vt homo eſt, ſubijcitur pacto. Præterea dicendum eſt, quòd cùm Satisfactio Chriſti eſſet infiniti valoris, & ex hac infinitate poſſet in Deum referri pro gratiarum actione: ſimul etiam potuit offerri in debitum, & in Redemptionem. Atq; hactenùs de Chriſti Domini Satisfactione. Deinceps differendum eſt de Satisfactione puri hominis. 48

DECIMA DISPVTATIO. §. I.

AN PVRVS homo ex viribus naturæ ſecluſo omni dono ſupranaturali poſſit pro peccato Satisfacere. Hoc eſt, vtrùm homo, qui non ſit Deus per Vnionem hypoſtaticam, in puris naturalibus conſtitutus, poſſit pro peccato, vel ſuo, vel alieno Satisfacere de condigno, & ad æqualitatem, vel ſaltem de imperfecta Iuſtitia. Affirmatio autem ſuadetur. Primò. Si purus homo non poſſet pro peccato Satisfacere de cōdigno, id eſſet, quia Deo æquiualens reddere nō poteſt; at poteſt quidem: ergo, &c. Cōſequentia eum maiori eſt euidens: Minor autem probatur. Per peccatum homo nihil Deo abſtulit in effectu, ſed tantùm in affectu: ſed quidquid abſtulit in affectu, poteſt per actum elicitum viribus naturæ Deo reddere: ergo etiam illi poteſt de condigno Satisfacere. Antecedens probatur; quia purus homo poteſt ſuis viribus habere maiorem affectum, & voluntatem ſeruiendi, & placendi Deo, quàm habuit offendendi per peccatum. 1

Confirmatur. Iniuria, & offenſa contra Deum per peccatum commiſſa, conſiſtit formaliter in eo, quòd homo peccando cōſtituerit vltimum finem in creatura, & eam prætulerit creatori: ſed poteſt actum contrarium elicere viribus naturæ: ergo & reddere Deo æquale, & ex conſequenti ipſi de condigno Satisfacere. Probatur minor: quia iuxta probabilem Theologorum opinionem purus homo abſque ſupernaturali auxilio poteſt Deum Authorem naturæ diligere ſuper omnia; ergo & præferre ipſum omnibus rebus creatis, atque adeò habere illum pro vltimo ſuo fine naturali: ergo & recompenſare ad æqualitatem iniuriam illi factam per peccatum. 2

Secundò.

3 Secundò. Vt aliquis Satisfaciat alteri pro injuria ei illata, sufficit, quod illi retribuat obsequium, quod ex Iustitia tenetur præstare: sed purus homo potest retribuere Deo obsequium, quod tenetur ex Iustitia illi præstare pro Injuria contra illum facta: ergo etiam potest ex Iustitia pro peccato Satisfacere. Maior cum consequentia est nota, minor autem probatur: quia nemo potest ex Iustitia ad impossibile obligari: ergo neque homo obligari potest ad præstandum obsequiū Deo, quod ipse nullatenus præstare potest.

4 Confirmatur: quia vt injustus reprehenditur Matthæi. 18. seruus ille, qui conseruum suum obligabat ad soldendum, quod soluere non poterat: ergo injustus esset Deus, si pro Satisfactione peccati ab hominibus exigeret, quod ipsi nullo modo proprijs viribus præstare possunt: ergo solùm postulat Satisfactionem, quam illi naturaliter tribuere possunt.

5 Tertiò. In moralibus, præsertim apud Deum voluntas pro facto reputatur, (tantum enim meretur homo, si velit alteri eleemosynam dare, ac si re vera daret, & ita peccat, si velit occidere, ac si de facto occidat.) Sed purus homo potest habere absolutam volūtatem Satisfaciendi Deo pro peccato, non solùm suo, sed etiam totius generis humani; ergo etiam moraliter loquendo potest Satisfacere. Dices, voluntatem tūc solùm pro facto reputari, quando est de obiecto possibili: Satisfacere autem pro peccato ex viribus naturæ est impossibile, & ideò voluntas illius nequit moraliter pro facto reputari. Sed contra est: quia etiam est impossibile naturaliter dare in eleemosynam infinitos thesauros, & nihilominùs apud Deum ita mereretur, qui propter ipsum vellet illos pauperibus tribuere, ac si re vera daret. Ergo ita etiam Satisfaciet apud Deum, qui efficaci, & absoluta voluntate æqualem compensationem pro peccato retribuere voluerit, ac si re vera illam daret. Pro explicatione huius difficultatis sit prima conclusio.

Prima Conclusio. §. II.

6 NEQVE de lege ordinata, neque de potentia Dei absoluta fieri potest, vt purus homo naturaliter pro suo, aut pro peccatis generis humani, de Iustitia, aut de condigno Satisfacere queat. Hæc conclusio quò ad priorem partem de lege, & potentia Dei ordinata, est certa secundùm fidem, vt late probat M. Medina in hoc articulo Dub. 1. Colligitur enim ex illo Oseæ. 13. *Perditio tua Israel ex te, tantùmodò in me auxilium tuum.* Et 2. Corint. 13. *Non sumus Sufficientes cogitare aliquid ex nobis, &c.* Et ad Roma. 3. *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.* Et apertiùs ex Concilio Tridentino, Sess. 6. cap. 1. & 5. & Cano. 4. vbi definitur, neminem posse à peccato resurgere, nisi ex Dei gratia. Quod anteà etiam definitum fuerat in Concilijs Arausicano, & Mileuitano aduersùs Pelagium.

7 Sed quòd etiam sit certa quò ad posteriorem partem, de potentia Dei absoluta, probatur: quia vt purus homo Satisfaciat pro peccato

8 suo, vel alieno de condigno, & ad æqualitatem, necessarium est, quòd Deo retribuat equiualens, & homini restituat, quidquid per peccatum est ablatum: sed implicat, purum hominem viribus naturæ id facere posse: ergo & Satisfacere pro peccato. Minor probatur: nam purus homo sine gratia, & auxilio Dei nequit habere actum cognitionis, aut amoris supernaturalis, sed per peccatum facta est offensa Deo, vt est finis supernaturalis: ergo nequit purus homo reddere æquiualens pro offensa contra Deum facta, & ex consequenti neque de condigno Satisfacere.

Quòd autem neque restituere possit bona hominibus per peccatum ablata, euidentiùs patet, nam hæc bona sunt omninò supernaturalia, nempe, gratia, & charitas; quæ promereri non potest purus homo, imò neq; Angelus, per opera Solis naturæ viribus facta; ergo neque potest purus homo efficere, vt ea hominibus restituantur. Pluribus alijs rationibus confirmant hanc cōclusionem Theologi in. 3. d. 20. & in. 4. d. 15. præsertim Scotus, & Durandus ibi q. 3. & 4. & interpretes D. Thomæ. 1. 2. q. 109. per totam. & q. 114. art. 2. & est recepta omnibus Theologis. 8

Secunda Conclusio. §. III.

PVRVS homo sine gratia non potest, etiā imperfectè pro peccato Satisfacere. Probatur. Satisfactio imperfecta, licèt non debeat esse æqualis offensæ, & injuriæ, pro qua offertur, debet tamen ei esse aliquo modo proportionata: id est, ex se debet habere valorem aliquem, accommodatum ad recompensandam injuriam factam, tametsi non æqualem: sed purus homo nequit sine gratia, & auxilio supernaturali efficere opus, quod aliquam habeat proportionem cū offensa Deo per peccatum illata; ergo neque potest imperfectè pro peccato Satisfacere. Minor probatur: quia opus quodcumq; factum à creatura sine gratia, & auxilio Dei, est improportionatum fini supernaturali: ergo est etiam improportionatum ad compensandam injuriam factam contra Deum, finem supernaturalem: ergo etiam ad Satisfaciendum pro peccato, per quod offenditur Deus finis supernaturalis. 9

Secundò. Imperfecta Satisfactio Supponit gratiam, & acceptationem Dei: ergo Supponit Satisfacientem esse gratum, & acceptum Deo: at Supponimus non esse talem: ergo, &c. Item si Deus promitteret vitam æternam homini bene operanti ex viribus naturæ, illa operatio virtute naturali producta, non censeretur meritum de condigno vitæ æternæ; sed Deus gratis tali homini vitam æternam donaret: ergo operatio naturalis dici non posset Satisfactio, etiam imperfecta pro peccato mortali, etiam si Deus statuisset remittere culpam homini taliter operanti. Antecedens est ab omnibus concedendum; nam talis operatio etiam Supposita Diuina ordinatione nullam haberet proportionem cum vita æterna, ac proinde non esset meritū de condigno vitæ æternæ. Consequentia verò probatur; quia sic se habet operatio Satisfactoria ad offensam commissam, sicut se habet opus meritoriū ad præmium vitæ æternæ; ergo est eadem ratio in Satisfactione, & merito. 10

Confirmatur. Illa operatio est vndiq; naturalis; Satisfactio verò, præsertim pro aliorū peccatis ex Diuina ordinatione censetur supernaturalis, vt ad gratiā pertinet; ergo nequit esse Satisfactoria. Hæc conclusio est vera, etiam si de potentia absoluta intelligatur, vt cōstat ex rationibus factis. 11

Ex dictis sequitur, quòd si Deus statuisset alicui peccatū 12

remittere propter operationem purè naturalem ſibi oblatam, talis operatio eſſet quidem neceſſaria conditio ad veniam peccati obtinendam, non tamen eſſet Satisfactoria pro peccato ex Iuſtitia, etiam imperfecta, ſed gratis illi homini remitteretur peccatum:quod quidem non ſolùm eſt verum loquendo de peccato, prout eſt offenſa contra Deum Authorem gratiæ, ſed etiam vt eſt Author naturæ. Vt autem hoc apertiùs intelligatur, obſeruandum eſt, duo mala in peccato reperiri. Alterum eſt, malum Dei, quatenùs per peccatum contemnitur, & inhonoratur, qua ratione peccatum dicitur offenſa Dei. Alterum verò eſt, malum ipſiuſmet peccantis, in quantùm, ſcilicèt, peccans priuatur rectitudine, & conformitate ad verum finem, & conuertitur ad finem prauum. Hoc ergo Suppoſito, dicendum eſt, quòd operatio recta purè naturalis poſſet quidem reparare peccatum, prout eſt malum peccantis, reddendo voluntati illam rectitudinem, & conformitatem ad finem naturalem, quam abſtulerat peccatum:illud tamen reparare non poſſet, prout eſt malum Dei, etiam ſecundùm quòd eſt Author naturæ:nã peccatum ſic acceptum, & perpenſum habet infinitatem ex mageſtate Diuina:quæ offenditur:operatio autem recta purè naturalis non habet, vnde participet aliquam infinitatem in genere boni, per quam culpæ grauitatem adæquare poſſit, quoniam principium huius operationis, vnde ipſa ſuum valorem deſumit, eſt omnibus modis finitum: nam eius principium eſt ratio, & virtus naturalis humana. Ex quibus colligitur hæc ratio.

13 Peccatum habet quandam infinitatem, ex eò quòd eſt contra Deum Authorem gratię, & naturæ:ergo nihil intra ordinem naturę poteſt illi adęquari, nec Deus ex ſola ordinatione extrinſeca tribuit valorem operibus, ſed illum habent ex gratia, & motione Diuina, ex quo in nobis digna procedunt, & condignè ſunt meritoria, atque ſuo modo Satisfactoria. Satisfactio igitur debet eſſe, per quam redditur Deo aliquid proportionatum cum Perſona offenſa, quod ſaltem in eſſe morali ſit eiuſdem ordinis cum illa. Dices: ſi Deus ſtatueret remittere injuriam ſibi factam per hoc, quòd homo, vel Angelus ad illam compenſandam offerret opus moraliter bonum, Deus maneret obligatus ad remittendum peccatum propter tale opus; ergo illud opus ſaltem ex Iuſtitia imperfecta eſſet Satisfactorium pro peccato. Reſpondetur, quòd maneret obligatus titulo quidem fidelitatis, ſed non Iuſtitiæ.

14 Sequitur ſecundò, quoſdam recentiores falſò aſſeruiſſe, illã operationem purè naturalem, de qua eſt ſermo, ex Iuſtitia eſſe Satisfactoriã pro culpa, etiam pro vt eſt contra Deum Authorem gratiæ; tametſi illa Iuſtitia eſſet imperfecta, & non rigoroſa. Horum autem quidam mouentur ex eo, quòd operatio purè naturalis, quamuis intrinſecè, & ex ſua natura nullam habeat proportionem cum offenſa Dei authoris gratiæ: ab extrinſeco tamen, hoc eſt, à Diuina ordinatione ſortitur proportionem, & valorem ſufficientem ad Satisfaciendũ pro huiuſmodi peccato. Alij verò alia ratione mouentur, nempe, quòd inter meritum, & Satisfactionem hoc intereſt, quòd ad rationem meriti de condigno, ſeu ex Iuſtitia, quod idem eſt, requiritur neceſſario proportio inter meritum, & præmiũ; hoc enim deſignat meritũ de condigno; hoc eſt, meritum dignum præmio. Ad Satisfactionem verò de Iuſtitia imperfecta, non eſt neceſſe, vt operatio Satisfactoria ſit æqualis, aut proportionata grauitati offenſæ: ſed ſatis fuerit, reddat totum illud, quod offenſus loco Satisfactionis exigit. Vnde inferunt, in caſu præſenti operationem purè naturalem eſſe Satisfactoriam ex imperfecta Iuſtitia, quia redderet Deo totum, quod ipſe loco Satisfactionis expoſtulat.

Cæterùm iſtorum ſententia ex dictis conuincitur falſitatis. Et primum fundamentum eſt valde debile, qůia ordinatio extrinſeca Dei nullam dignitatem, nullámque valorem conſtituit in illa operatione: ergo nõ reddit illam operationem æquiualentem. Confirmatur: quia ſi ſola extrinſeca ordinatio Sufficit conſtituere eam operationem, in ratione Sufficientia operationis; ſequitur, quòd poſſit etiã illam efficere Satisfactionem perfectam, & æquiualentem: ſed conſequens eſt falſum, & neque ab iſtis Theologis admittitur; ergo, &c. Sequella patet: nam qua ratione, extrinſeca Dei ordinatio nihil ponendo in ea operatione poteſt illam efficere ſufficientem Satisfactionem, eâdem ratione poterit eam reddere perfectam, & ęquiualentem. 15

Secundum etiam fundamentum ſimiliter non eſt ſolidum, neque diſcrimen aſſignatum inter meritum, & Satisfactionem: quoniam reddere totum, quod exigit offenſus, tantùm arguit, quòd fit ſatis eius voluntati, non verò quòd Satisfiat injuriæ, & offenſæ. Hoc autẽ erat neceſſarium ad rationem Iuſtæ Satisfactionis, quoniam Iuſtitia conſtituit æqualitatem rei ad rem: ergo Iuſta Satisfactio debet conſtituere æqualitatem inter ſemetipſam, & offenſam. Quò fit, vt quantum defuerit alicui Satisfactioni de æqualitate ad offenſam, tantum intercedat de miſericordia, & gratia in remiſsione ipſius offenſæ. 16

Dilutio Argumentorum. §. IIII.

AD Primum igitur Argumentum concedimus, poſſe aliquem viribus naturę habere maiorem affectum, & volũtatem ſeruiendi Deo, & ipſum placandi, quàm habuerit offendendi per peccatum: ſed inde non ſequitur, quòd poſſit offerre æquiualens pro peccato: quia hæc voluntas placandi Deum, non eſt tãti valoris, & æſtimationis moralis apud ipſum, quãtæ fuit offenſa illi per peccatum facta. Cuius ratio à priori eſt, quia inde minuitur valor Satisfactionis, vnde creſcit offenſæ grauitas. Quantò enim Perſona, cui fit Satisfactio, eſt dignior, & excellentior: tantò ipſa Satisfactio eſt minoris æſtimationis, & valoris moralis. Contra verò offenſa tantò eſt maior, & grauior, vt ex ſuperioribus conſtat, & Diſp. 12. ampliùs explicabitur. Interim hoc exemplo ſatis declaratur. Si vilis, & plebeius homo Regẽ offendiſſet, quia irreuerẽter erga illum ſe gesserit, nõ plenè Satisfaceret per hoc, quòd contrariũ actum reuerentiæ Regi exhiberet. Multò enim magis æſtimaretur injuria Regis, quàm obſequiũ, quod poſteà faceret. 17

Ad cõfirmationem Reſpõdetur, probabile eſſe, quòd homo poſſit ſine ſupernaturali auxilio diligere Deum ſuper omnia, vt eſt finis naturalis: nam præceptum diligendi Deum authorem naturæ, eſt merè naturale. Negatur tamen per hũc actũ dilectionis Dei naturalis 18

Satisfieri

Satisfieri pro peccato contra Deum commisso: cuius ratio est, quia offensa, quæ per peccatum cõmittitur, non solùm est cõtra Deum finem naturalem, sed etiam vt est finis supernaturalis. Addiderim etiam, quòd si homo solùm peccasset contra Deum finem naturalem, illa dilectio non esset sufficiens Satisfactio pro tali peccato: quia adhuc injuria Deo authori, & fini naturali facta per peccatum, esset maioris æstimationis moralis, & grauitatis, quàm valoris actus dilectionis contrarius.

19 Ad secundum negatur maior: sicut enim vt aliquis ad æqualitatem debitum creditori persoluat, non satis est, quòd illi reddat totum, quod tenetur, aut potest, attenta sua paupertate, & inopia; sic etiam vt aliquis pro offensa Deo, aut alteri Personæ facta Satisfaciat de cõdigno, non sufficit, quòd illi præstet obsequium, quod tenetur, aut potest attenta sua imperfectione: sed insuper requiritur, vt æqualem omninò offerat compensationem. Sed dices. Inter homines si vnus alteri soluere, aut Satisfacere non potest, manet liber à soluendi, aut Satisfaciendi obligatione: ergo similiter homo liber erit ab obligatione Satisfaciendi Deo pro peccato, si ei Satisfacere non potest. Resp. Nunc non esse liberum à tali obligatione; quia licet suis viribus Satisfacere non possit, potest tamen per gratiam, & auxilia, quæ Christus nobis promeruit: quæ si non meruisset, aut concedere Deus noluisset, liber esset à tali obligatione. Neq; tunc condemnaretur ob defectum contritionis, & pœnitentiæ, quam nullo modo exhibere posset: sed ob peccata commissa, à quibus resurgere nullo modo posset facta hypothesi.

20 Sed Replicatur. Si debitor soluere non potest, non solùm est liber ab obligatione soluendi, sed etiam ab ipso debito; nam creditor tenetur tunc gratis debitum remittere: ergo si homo Satisfacere non posset in prædicto casu, maneret non solùm liber ab obligatione Satisfaciendi pro peccato, & offensa, sed etiam & à peccato ipso: nam tunc teneretur Deus gratis illud remittere absque vlla Satisfactione. Resp. Homines obligari ad remittendum debitum non valentibus soluere, lege misericordiæ, cui subduntur. At verò Deus, cùm sit supremus Dominus, posset iustè punire peccatores propter peccata contra ipsum commissa: tametsi pro eis nullo modo Satisfacere possent. Per hoc etiam patet Responsio ad confirmationem.

21 Ad tertium Respondet M. Suarez Disput. 4. sectio. 7. Tunc apud Deum voluntatem pro facto reputari, quãdo ex vi solius voluntatis tale opus procedere posset. Verùmtamen, quia ex sola voluntate absoluta Satisfaciendi Deo pro culpa nequit procedere ipsum Satisfactionis opus: ideò talis voluntas pro Satisfactione de condigno reputari non potest. Cæterùm contra hanc solutionem vrget obiectio proposita. Quare meliùs Respondetur, tunc volũtatem pro facto reputari, quoties factum est aliquod opus externum, non habens per se bonitatem, aut malitiam aliquam, distinctam ab actu voluntatis, quo imperatur, vt contingit in exemplis propositis de homicidio, & eleemosyna. Secus verò, cum opus est internus actus per se habens bonitatem, intrinsecumq; valorem: tunc enim voluntas pro facto reputari nõ potest. Neq; enim apud Deum tantum valet desiderium amandi illum infinite, ac ipse infinitus actus amoris. Satisfactio autem pro peccato non est opus externum, sed internum, videlicet, actus dilectionis, & contritionis supernaturalis, per se habentes bonitatem, & intrinsecum valorem: & ideò voluntas Satisfaciendi ex iustitia, pro ipsa Satisfactione reputari non potest.

VNDECIMA DISPVTATIO. §. I.

VTRVM Purus homo, qui non sit Deus per vnionem hypostaticam, posset cum gratia, & auxilio Dei supernaturali Satisfacere Deo de perfecta, & rigorosa iustitia pro peccato generis humani. Pro tituli intelligentia aduertendum est, quæstionem non procedere de lege, & potentia Dei ordinaria; constat enim secundùm hanc legem solum Christum habuisse de facto, & habere potuisse gratiam capitis, per quam pro alijs mereri, aut Satisfacere posset. quod quidem nulli homini conuenit: nullus enim potest mereri alteri de condigno, nec pro eo Satisfacere saltem in ordine ad culpam, & pœnam æternam. Sed quæstio procedit de potentia Dei absoluta, qua Deus posset statuere, vt homo per opera supernaturalia Satisfaceret pro peccato generis humani. In qua re duo sunt certa. 1

Primum est, potuisse fieri de potentia Dei absoluta, vt vnus homo in gratia existens Satisfaceret imperfectè pro peccato suo, vel alieno. Et quamuis nonnulli recentiores existiment, hoc omninò repugnare, tum quia gratia capitis ita fuit propria Christo, vt alteri cõmunicari non potuerit: tum etiam, quia gratia habitualis solùm est principium merendi, aut Satisfaciendi ipsi subiecto, in quo est, non autem alijs, nihilominus certũ est, hãc Suppositionem minimè implicare: quod nõ solùm docuit Scotus in. 4. d. 15. q. 1. art. 2. Sed etiam D. Thomas infra q. 64. art. 4 vbi ait, potuisse Deum cõmunicare puro homini potestatem excellentiæ, vt Sacramenta institueret, & vt virtute meritorum ipsius alijs remitterentur peccata. Quæ doctrina præter authoritatem omnium Theologorum, qui in. 3. d. 19. & 20. & in. 4. d. 15. Eam, vt certam Supponunt, probari etiam potest, ex eo quòd nulla sufficiens repugnantiæ ratio assignari possit, purum hominem gratum constitui à Deo, vt esset caput hominum aliorum in ordine gratiæ, quam in alios aliquo modo influere posset, illisq; mereri primam gratiam, & remissionem peccati, & pro illis Satisfacere. Explicatur, & confirmatur à simili. Quamuis Adam futurus esset parens omnium hominum in esse naturæ, non indè ex natura rei consequebatur, vt peccatum illius ad posteros traduceretur: & tamen Diuina ordinatione effectum est, vt Adam esset caput morale, in quo voluntates omnium hominum, qui ex ipso per seminalem propagationem originem ducerent, moraliter continerentur, ita vt ipso peccante, & amittente donum gratiæ, & iustitiæ originalis, omnes dicerentur peccare, & amittere illud donum, & ipso obediente legi, omnes obedire dicerentur: ergo pari ratione posset Deus aliquem hominem constituere caput morale aliorum in esse gratiæ, & omnium voluntates in illo collocare, vt illo merente, & Satisfaciente, omnes in illo, & per illum mereri, & Satisfacere censerentur, sicut nunc in Adam peccasse dicuntur. Consequentia patet, quia nulla potest assignari ratio discriminis. Neq; est sufficiens ratio differentiæ, quod ex 2

Adamo omnes homines nascerentur secundùm esse naturale,& ex illo homine non ita nascerentur: quamuis enim homines ex Adamo ita nascerentur, hoc tamen non fuisset sufficiens,vt ex ipso ad eos peccatum traduceretur, nisi simul Adamus esset eorum caput morale. Et licet caput morale esse nequiuerit, nisi simul esset caput naturale, nihilominus tamen, si tantùm esset caput illorum morale in ordine ad bonum,V.G. ad merendum, vel Satisfaciendum pro eis; qua ratione esset caput homo ille,de quo loquimur: non oporteret, vt esset caput quantùm ad esse naturæ, vt supra Disput. 3.
4 Paragrapho.4. num.75. Ostensum est de Christo. Rationes autem aduersariorum nullam habent difficultatem.Ad primam Respondetur,gratiam capitis,eo modo, quo Christus illam habuit, nempe, quasi connaturalem, & debitam ratione vnionis hypostaticæ, alijs communicari non potuisse; bene tamen alio modo, videlicet, ex mera gratia, & extrinseca Dei ordinatione: sicut in materia de Eucharistia dici solet, esse per se, eo modo, quo est substantiæ proprium, scilicet, ab intrinseco, & ex virtute propria accidentibus communicari nequiuisse; bene tamen esse per se ab extrinseco, & miraculosè.Ad secundam Respondetur: gratiam de lege ordinaria Dei esse quidem semen gloriæ subiecto soli, in quo est intrinsecè:ac proinde de lege gratia solùm est principium merendi, & Satisfaciendi pro Supposito,in quo est,& non pro alijs.Nihilominus potuisse ex Diuina ordinatione esse principium merendi, &
5 Satisfaciendi pro alijs. Sed obijcitur contra solutionem. Ordinatio extrinseca Dei naturas rerum mutare non potest:ergo si gratia ex natura sua solùm est principium merendi,aut Satisfaciendi pro subiecto, in quo est, non poterit ex Diuina ordinatione esse principium Satisfaciendi,aut merendi pro alienis Suppositis: vnde si Deus alicuius hominis iusti opera acceptet in Satisfactionem pro hominum peccatis, huiusmodi opera non haberent rationem Satisfactionis ex iustitia, sed cõditionis tantùm, sine qua non,sicut diximus Disput. 10. num. 11. de actu moraliter bono, propter quem Deus peccata hominibus remittere statuisset, aut illis gloriam dare. Resp. esse longè disparem rationem de opere bono moraliter respectu gloriæ,aut remissionis peccatorum, & de operibus illius iusti,quem Deus vellet esse Caput hominum: nam opus viribus naturæ factum nullam habet intrinsecam proportionem cum præmio supernaturali gloriæ, aut cum gratia remissionis peccatorũ. Cæterùm opera iusti,eo quòd ex gratia procederent,intrinsecum haberent valorem,& proportionem cum gratia, & remissione offensæ aliorum hominum; ob quem valorem intrinsecum Deus acceptare huiusmodi opera in Satisfactionem pro alienis peccatis optimè posset. Neq; enim de facto acceptat Deus merita iustorum ad omne id, quod iustè in præmium dare posset; sicut neq; Rex imponit omnia pretia,quibus iustè res æstimari possent.

6 Secundò certum est, quòd in hac Satisfactione puri hominis posset reperiri aliqua ratio iustitiæ, saltem imperfectæ.Sic docet D.Thomas hîc ad 2. Et ratio est, quia posset Deus promittere huic homini, & cum illo pacisci, vt si talia opera in Satisfactionem pro hominum peccato faceret,ipse Deus condonaret hominibus peccatum; ergò in eo casu Satisfactioni illius hominis Responderet tanquam merces debita secundùm iustitiam remissio peccati aliorum hominum. Patet consequentia,quia vbi interuenit promissio, aut pactum sub conditione operum,adimpleta conditione merces pro operibus promissa, fit debita secundùm iustitiam, siue in promittente resultet obligatio illam reddendi, siue non,vt constat ex dictis Disput.7.8.&.9.

Supposito ergo,Deum statuere potuisse,quòd purus 7
homo iustus per gratiam Satisfaceret pro peccato generis humani.præsens difficultas est, An illa Satisfactio posset esse rigorosa,&exacta,atq;de perfecta iustitia. Et pro parte affirmatiua sit primum argumentum.De ratione perfectæ Satisfactionis est,vt ex proprijs, & indebitis reddatur æquale vel illi bono, quod est ablatum, vel illi malo,quod per peccatum est illatum:sed homo gratus potest hoc bonum reddere: ergo potest perfectè Satisfacere.Consequentia cum maiori est euidens. Minor autem probatur. Bonum per peccatum ablatum est rectitudo supernaturalis; sed purus homo potest hanc rectitudinem supernaturalem ex proprijs,& indebitis reddere, quia potest habere contritionem, vel dilectionem Dei super omnia,quæ non sit sub præcepto, sed duntaxat sub consilio: item malum per peccatum illatum non est simpliciter infinitum, sed secundùm quid,vel quia auertit à bono infinito,vel quia extendit se ad inficiendos homines infinitos,si essent:sed Satisfactio hominis existentis in gratia, est etiam infinita in bonitate secundùm quid, quia coniungit cum bono infinito: & si Deus alicui gratiam capitis conferret,meritum illius, & Satisfactio extenderet se ad redimendos infinitos homines,si essent: ergo esset tunc redditio æquiualentis pro æquiualente, atq; adeò esset perfecta Satisfactio.

Secundum argumentum est:quia si homo non pos- 8
set pro peccato perfectè Satisfacere,ideò esset,quia peccatum est infinitum malum: sed hoc non obstat; quia sequeretur, neque Christum Dominum perfectè Satisfecisse,cùm per mortem,& Passionem,quæ est finita,& limitata,Satisfecerit: ergo,&c.

Tertium:si aliquid obstaret,quominùs purus homo 9
perfectè Satisfacere non posset, esset, quia reciperet à Deo gratiam,& auxilia supernaturalia, quibus pro offensa contra ipsum commissa Satisfaceret,sed gratuita donatio gratiæ habitualis, & auxilij supernaturalis, & deniq; omnis acceptatio antecedens ipsum Satisfactio-
nis opus,non obstat rationi perfectæ,& rigorosæ iusti- 10
tiæ; ergo; &c. Minor probatur, primò, quia si gratia antecedens obstaret Satisfactioni ex rigorosa iustitia, neq; Christus potuisset Satisfacere de rigore iustitiæ, cùm antecedenter ad Satisfactionem ipsius præcesserit ex parte Dei gratuita donatio gratiæ habitualis, & supernaturalis auxilij,imò & ipsa gratia vnionis facta non solùm humanitati,sed & ipsi Christo. Secundò: quia si creditor gratis, & liberaliter donaret suo debitori pecunias,quibus lucraretur, per lucrũ factum ex illis sua industria Satisfacere posset creditori, & debitum persoluere ex toto rigore iustitiæ; ergo licèt Deus puro homini gratis,& liberaliter concedat gratiam, & auxilia, quibus possit actus supernaturales media cooperatione liberi Arbitrij elicere,per huiusmodi actus posteà poterit Satisfacere de rigore iustitiæ pro culpa Antecedens patet, & consequentia est nota ex paritate

rationis;

rationis: sient enim hic debitor ex eo debitum persolueit de rigore iustitiæ, quia non reddit creditori easdem pecunias, quas ab illo acceperat, sed alias propria industria, & labore comparatas: sic etiam purus homo supposita gratia, & auxilio supernaturali poterit de rigore iustitiæ Satisfacere, quia non tribuit Deo gratiam, aut supernaturale auxilium, quod ab ipso acceperat, sed alia opera per gratiam, & concursum sui liberi Arbitrij facta; quæ perinde se habent ac lucrum ex pecunijs à creditore præstitis propria industria comparatum.

10 In hac difficultate Scotus io.3.d.20.q.1.& in.4.d.15. q.1. Gabriel d.19.q.1. Almainus q.1. Durandus in.3.d. 20.q.1.& in.4.d.15.q.1.num.6.&.7. Et Ioannes de Medina codice de Pœnitentia, tract.3. de Satisfactione.q. 1 asserunt, de Potentia Dei absoluta posse hominem gratum tam pro suis, quàm pro alienis peccatis perfectè, & ex rigore iustitiæ Satisfacere. Nihilominus pro explicatione sit conclusio negatiua.

Conclusio. §. II.

11 PVRVS Homo, qui non sit Deus, etiam cum gratia, & auxilio Dei, per nullam potentiã, etiam absolutam Dei, nequit perfectè, & ex rigore iustitiæ Satisfacere pro peccato, siue proprio, siue alieno. Hæc conclusio est D. Thomæ hîc ad. 1. & 4. contra Gent.cap.54. & omnium Thomistarum; imò & omnium ferè Theologorum veterum, Bonauenturæ in 3. d.15. Richardi.q.4.& 5. Alexandri Alensis. 3.p. q.1. art. 2. membro.4.&.6. Antisiodorensis. 3.p. tract.1. cap.8. Driedonis de Captiuitate & Redemptione generis humani tract.2.cap.2.p.4.conclus.4. Soti.3. de natura, & gratia cap. 6. & Andreæ Vega.7. in Tridentinum cap. 8.& 9. Et deniq; omnium Sanctorum Patrum (qui supra relati sunt in commentario huius articuli num. 28. & 20.) asserentium, Incarnationem Christi fuisse vnicum, & simpliciter necessarium medium ad redimendum genus humanum ex perfecta, & rigorosa iustitia. Quare supponunt Satisfactionem puri hominis non solùm non posse comparari in perfectione iustitiæ cum Satisfactione Christi, verùmetiam neq; esse perfectæ, & rigorosæ iustitiæ. Probatur etiam rationibus. Prima est.

12 Vt Satisfactio pro aliqua offensa, & iniuria sit perfectæ, & rigorosæ iustitiæ, necessarium simpliciter est, quòd in ea non interueniat vlla gratia ex parte Personæ offensæ: sed in omni Satisfactione à puro homine pro peccato proprio, vel alieno exhibita, necessariò deberet interuenire gratia ex parte Personæ offensæ, nẽpè, ipsius Dei; ergo Satisfactio puri hominis nullo modo potuit esse perfectæ, & rigorosæ iustitiæ. Consequentia est euidens, & maior videtur nota ex terminis, nam gratia, & iustitia respectu Satisfactionis opponũtur: ergo sicut non posset esse remissio alicuius iniuriæ ex mera gratia, si ibi intercederet aliquid iustitiæ: sic etiam non posset esse Satisfactio ex pura, & rigorosa Iustitia, si in ea interueniat aliqua gratia ex parte Personæ offensæ. Minor verò probatur: quia vel homo Satisfaciens originem duceret ab Adamo, & tunc vt Satisfaceret pro aliorum peccatis, necessariò deberet Deus ei priùs suum peccatum remittere gratis; si verò ab Adamo non descenderet, priùs debuisset recipere à Deo gratiam, & auxilium supernaturale, quo actum Satisfactoriũ eliceret. Item etiã per gratiã Dei constitueretur caput aliorum hominum, vt pro illis Satisfacere posset, cùm ex natura sua ex vi solius gratiæ habitualis Satisfacere non potuisset.

Confirmatur: quia si creditor gratis concederet debitori pretium, quo illi debitum persolueret, talis solutio non esset perfectæ, & rigorosæ iustitiæ: ergo similiter si Deus alicui gratis dona supernaturalia tribuat, quibus Satisfaciat pro offensa cõtra ipsum commissa, talis Satisfactio non erit ex perfecta, & rigorosa iustitia. 13

Secunda. Implicat, purum hominem, in quocumq; statu sit, & in quantacumq; gratia, reddere æquale ex proprijs, & indebitis; ergo implicat perfectè Satisfacere. Antecedens probatur: tum, quia illa contritio, & dilectio Dei super omnia, non habet valorem ab ipso homine Satisfaciẽte, sed ab eo, cui sit Satisfactio: habet enim valorem à gratia, quæ gratis data est eidem etiam, quia omne illud, quod purus homo in Satisfactionem reddere potest, magis est ipsius Dei, cui fit Satisfactio, tempore solutionis, quàm ipsius hominis Satisfaciẽtis: nam Deus à se non abdicat dominium bonorum puri hominis iuxta illud Paralipom.29. Omnia bona Domine tua sunt, & quæ de manu tua recepimus, reddidimus tibi. Et Isaiæ.26. Omnia opera nostra operatus es nobis. Vnde Augustinus epistola ad Sixtum, cùm aliquid, inquit, Deus in nobis remunerat, potiùs dona sua, quàm merita nostra remunerat: ergo nequit illa redditio esse ex proprijs, & indebitis. 14

Confirmatur. Quæcumq; Satisfactio puri hominis, quamtumuis iusti, & grati, valorem, & efficacitatem sortitur à gratia, & acceptatione ipsius Dei: ergo non est perfecta. Antecedens patet, quia quacumq; puri hominis Satisfactione data, potest Deus instè maiorem, & maiorem exigere; & ex consequenti summa illius gratia est, quòd hanc Satisfactionem acceptet, sicq; illã contentus. Sed probatur consequentia. In Satisfactione perfecta requiruntur Duo; vnum est, quòd Satisfaciens sit tota, vel saltẽ principalis causa eius, quod redditur. Alterum est, quòd reddat id, quod suum est, neq; sit aliàs debitum ipsi, cui fit Satisfactio; sed nulla actio puri hominis est huiusmodi; ergo, &c. Maior constat ex conditionibus Satisfactionis. Et minor probatur. Homo non est causa principalis, neque omninò Dominus eius, quod reddit, sed Deus, iuxta illud Paralip. 26. citatum, omnia bona Domine, &c. ergo. 15

Præterea probatur conclusio rationibus D. Thomæ, quæ sine dubio efficacissimæ sunt. Prima desumitur ex infinitate extensiua peccati, quæ talis est, Peccatum primi parentis, quantùm est de se, infecit infinitos homines, si essent; sed Satisfactio puri hominis à quacumq; gratia procedat, nequit se extendere ad redimẽdos infinitos homines: ergo non potest esse perfecta. 16

Sed contra hanc rationem obijcitur. Si Deus puro homini conferret gratiam capitis, meritum, & Satisfactio illius extenderent se ad infinitos homines, si essent: ergo redimeret infinitos homines, ac proinde perfectè Satisfaceret. Antecedens patet: quia purus homo potest fieri caput morale hominũ in esse gratiæ; sicuti Adam fuit veluti caput, & principium peccati: sed hoc posito Satisfactio talis hominis non minus fuisset infinita extensiuè, quàm peccatum Adæ: ergo, &c. 17

Confirmatur

18 Confirmatur primò. Quòd peccatum Adæ inficiat plures, aut pauciores homines, aut deniq; infinitos, non arguit in ipso maiorem, aut minorem malitiam intensiuè: ergo ex eo quòd inficiat infinitos homines, non rectè colligitur, purum hominem non posse Deo offerre Satisfactionem perfectam, & æqualem intensiuè cum ipso peccato Adæ. Antecedens probatur. Multiplicatio hominum singularium in ordine ad peccatum Adæ, est materialis, & extensiua tantùm; ergo malitia huius peccati non crescit intensiuè, per hoc quòd ad infinitos homines deriuetur, neque minor reputari debet intensiuè, quàm si vnum duntaxat hominem inficeret.

19 Confirmatur secundò. Natura humana, ex eo quòd est communicabilis infinitis hominibus, nõ habet infinitatem in esse specifico: ergo peccatum Adæ, ex eo quòd simul cum natura potest ad infinitos homines transfundi, non habet infinitatem intensiuam in genere malitiæ.

20 Ad Argumentum Resp. Esse diuersam rationem de peccato primi parentis, & de Satisfactione illius hominis. Hæc enim, quamuis haberet infinitatem extensiuam ad Satisfaciendum pro vniuersis hominibus, non tamen illam haberet ex sua natura, ita quòd sibi esset connaturalis, & debita ratione propriæ dignitatis; sed solùm ratione extrinsecæ ordinationis Dei statuentis, vt opera illius hominis prodessent alijs in Satisfactionem, aut meritum; at verò peccatum primi hominis non solùm ex extrinseca Dei ordinatione; sed ex se habuit inficere infinitos homines, quia fuit peccatum naturæ, quæ ex se infinitis hominibus communicari potuit: & ideò illa Satisfactio non esset perfecta, quia non esset ex proprijs, niteretur enim gratia, & misericordia Dei.

21 Dices, peccatum primi parentis tantùm habuisse infinitatem extensiuam ratione extrinsecæ ordinationis Dei, qua constitutus est à Deo caput morale omnium hominum, & Satisfactionem puri hominis habere similem infinitatem ratione etiam extrinsecæ ordinationis Dei, atq; adeò non solum in ipsa infinitate, sed etiam in modo illam habendi esse in vtraque parte æqualitatem. Sed Resp. Ex peccato primi parentis duo potissimùm esse ad posteros traducta, nempe, culpam, & pœnam. Cùm autem comparatur Satisfactio puri hominis cum peccato primi parentis quantùm ad infinitatem extensiuam, non intelligitur de peccato quãtùm ad culpam, sed quãtùm ad pœnam: quia primus parens ex iustitia meruit traductionem pœnarum, & odij, atque inimicitiæ Dei, Supposito peccasse vt caput. Sed non ita meruit traductionem culpæ, sicut nec mereretur traductionem gratiæ, & iustitiæ originalis, si legi obediret. Dicitur autem primus parens causa traductionis pœnarum secundùm perfectam iustitiam meriti, aut demeriti (tametsi tota eius causalitas fundetur in ordinatione, qua constitutus est à Deo caput omnium hominum) quoniam huiusmodi ordinatio respectu traductionis pœnæ, supponit pactum obligans ex iustitia, non solùm primum parentem, sed etiam eius posteros in ipso: ea enim lege Deus primo parenti contulit iustitiam originalem pro se, & sua posteritate, vt si peccaret, eam amitteret, etiam pro se, & sua posteritate. Et ratione huius pacti actus malus primi parentis habet intrinsecam condignitatem, vt eius posteritati noceat in ordine ad pœnas. At verò respectu Satisfactionis faciendæ ab aliquo puro homine pro reliquis hominibus, tale pactum fieri non potuit: nam quòd Deus statuat se acceptaturum opus alicuius hominis in Satisfactionem pro alijs, non habet rationem pacti, sed simplicis promissionis Dei. Et quamuis hæc promissio videatur esse sub conditione operum, non sufficit ad pactum secundùm perfectam iustitiam; quia huiusmodi opera non habent secundùm se aliquã proportionem, aut condignitatem, vt alijs prosint, sed tantùm prouenit ex Dei ordinatione: quemadmodùm licèt Rex alicui promitteret Regnum sub ea conditione, si opus aliquod nullius, aut exigui momenti efficeret: non ideò diceretur, pro tali opere debere operanti Regnum secundùm perfectam iustitiam.

Ad primam confirmationem Resp. Actualem extensionem illius peccati ad multos, vel ad infinitos homines, esse purè materialem, & extensiuã, ac proinde non arguere maiorem grauitatem simpliciter, & intensiuè in ipso peccato. Cæterùm quòd illud peccatum ex sua natura sit aptum natum infinitos homines, si darentur, inficere; maiorem grauitatem simpliciter, & intensiuè arguit in ipso peccato Adæ, quàm si esset culpa vnius singularis hominis. Ratio autem huius est, nam quòd Adæ peccatum ex sua natura vniuersos homines inficere posit, imò & infinitos, si essent, prouenit ex ratione formali ipsius peccati, & non ex sola materiali indiuiduorum naturæ humanæ multiplicatione: prouenit enim ex eo, quòd illud peccatum, quod ad posteros traducitur, & in ipsis est originale, fuit voluntarium voluntate totius naturæ: ratio verò voluntarij in peccato est essentialis, & intrinseca. Quare quod conuenit peccato originali ex ratione voluntarij, essentialiter, & intrinsecè illi conuenit. Vnde antecedens est negandum. 22

Ad secundam confirmationem negatur consequentia: quia multiplicatio naturæ in pluribus indiuiduis est materialis, & extensiua tantùm: prouenit enim ex multiplicatione materiæ. At quòd peccatum Adæ sit in pluribus hominibus multiplicabile, prouenit ex ratione formali ipsius peccati. Legendus est Ferrariensis 4. contra Gentes cap. 54. 23

Secunda ratio D. Thomæ procedit ex infinitate intensiua peccati, & vt rectè animaduertit Caietanus, non solùm comprehendit peccatum originale, sed omnia mortalia actualia. Ratio verò est huiusmodi. Peccatum mortale, quia commissum contra Deum, est infinitum malum: sed nulla puri hominis Satisfactio, à quacumq; gratia procedat, habere potest infinitam bonitatem; ergo neque potest esse perfecta. Probatur maior. Malitia peccati crescit, crescente dignitate Personæ, contra quam committitur: sed Deus est infinitæ dignitatis, & maiestatis: ergo peccatum mortale contra Deum commissum est infinitæ malitiæ. Minor verò probatur, quia Satisfactio puri hominis non crescit per se ex dignitate Personæ, cui offertur, sed ex dignitate Personæ Satisfacientis: sed purus homo, quacũq; sit gratia exornatus, non habet infinitam dignitatem: ergo eius Satisfactio in ratione Satisfactionis nullam habet infinitatem bonitatis, & valoris. Dices, Satisfactionem puri hominis existentis in gratia habere infinitatem ex parte Personæ Satisfacientis; tum quia homo in isto casu 24

operatus

operatur virtute gratiæ, quæ est ordinis Diuini, & participatio Diuinæ naturæ: tum etiam, quia operatur vt motus ab Spiritu Sancto, non tantùm per auxilia excitantia, & mouentia, sed etiam per ipsam gratiam habitualem, & alia dona supernaturalia; & Spiritus Sanctus est Persona infinitæ dignitatis. Sed contra est: quia licèt gratia sit Diuinæ naturæ participatio, eius tamen tota dignitas est finita, & infinitè distans à dignitate Personæ offensæ. Et præterea Spiritus Sanctus vt mouens per auxilia, & dona habitualia, tãtùm tribuit operanti eam dignitatem, quæ est in ipsis auxilijs, & donis habitualibus, quæ proculdubiò est finita.

25 Cæterùm contra hanc rationem D. Thomæ objicitur. Peccatum ex infinitate Personæ offensæ non participat infinitatem simpliciter, sed tantùm secundùm quid, nempe, obiectiuam: ergo nõ requirit Satisfactionem infinitam simpliciter, sed duntaxat secũdùm quid: hanc autem potest purus homo exhibere ergo. Confirmatur. Actus contritionis, & charitatis habet eandem infinitatem, quam habet peccatum ergo bonitas contritionis adæquatè Respondet malitiæ peccati. Probatur antecedens. Peccatum non est infinitum secundùm substantiam, cùm sit actus procedens à potentia creata, & omninò finita, non secundùm intensionem, quia finito conatu elicitus à creatura: neque secundùm durationem, quia est actus transiens & tempore tantùm finito durat; sed est infinitum ex parte obiecti, quia formaliter, vel virtualiter est contra Deum: sed eandem infinitatem habet actus cõtritionis, seu dilectionis, quia directè tendit in Deum, vt in obiectum; ergo per illum actum homo Satisfacit perfectè, coodignè, & ad æqualitatem pro peccato.

26 Ad argumentum, quidquid sit de antecedeoti, de quo plura dicta sunt Disput. 4 Paragrapho. 5. Negatur consequentia, quia licèt peccatum in esse mali moralis non habeat malitiam simpliciter infinitam, sed solùm secundùm quid, ex infinitate Diuinæ maiestatis offensæ desumptam, nihilominùs hanc malitiæ infinitatem, quamlibèt minimam, & secundùm quid, nulla potest Satisfactio adæquare, quæ non procedat à Persona tãtæ dignitatis, quantæ est Deus per peccatum offensus: quoniam illa grauitas ex maiestate Personæ læsæ proueniens, non aliundè, quàm ex dignitate Personæ Satisfacientis compensationem admittit, quia est alterius rationis à quacũq; alia dignitate; quæ in quouis opere Satisfactorio excogitari potest. Cùm ergo purus homo talem Satisfactionem infinitam exhibere non possit, infinitate desumpta ex digoitate Personæ Satisfacientis, necessariò requiritur Persona simpliciter infinita, quæ talem Satisfactionem exhibeat. Etenim secũdùm moralem æstimationem offensa, & injuria eò est maior, quò Persona offensa est dignior, & quò offendens est vilior: Satisfactio autem eò est maior, quò Persona Satisfaciens est dignior, & quò Persona, cui Satisfit, est vilior. Vtriusq; autem ratio est, nam quantò Persona est digoior, tantò illi maior reuerentia debetur, vnde si fiat illi injuria, grauior est. At quantò Persona est dignior, tantò minùs debet alteri reuerentiam. Vnde si illam exhibet, maioris valoris est. Et quò est magis debitum, & iustum, Personam vilem digniori subijci, eamq; honorare: eò est grauius eam injuria afficere. Et quò est minùs debitũ, Personam digniorem subijci viliori; eò est maioris valoris eius subiectio, qua se submittit, vt ei Satisfaciat. Ex quibus satis intelligetur, moraliter æquiparari nõ posse Satisfactionem puri hominis Deo pro peccato exhibitam, cum offensa, & injuria illi per peccatum facta: nam puri hominis Satisfactio minorem valorem habet, & ex parte offerentis propter eius vilitatem, & ex parte eius, cui offertur, propter summam eius, & infinitam dignitatem. Contra verò injuria, & offensa per peccatum facta ex parte vtriusq; extremi habuit quandam infinitatem, scilicet, ex parte Personæ offendentis, propter eius indignitatem; & Personæ offensæ propter infinitam eius maiestatem, inter quas est veluti infinita, & inadæquabilis omninò distantia.

Ad coofirmationem conceditur, peccatum esse infinitum malum obiectiuè, & ex parte auersionis; quæ infinitas est tantùm secundùm quid. Ex hoc tamen non sequitur, Satisfactionem hominis grati per actum cõtritionis, & charitatis esse infinitè bonam in ratione Satisfactionis, & obsequij: quia licèt habere possit conuersionẽ in Deum, quæ ex parte obiecti sit infinitè bona, quantùm ad bonitatem moralem, & intrinsecam ipsi conuersioni: non tamen quantùm ad valorem ad Satisfaciendum: quia iste valor desumitur ex dignitate Personæ Satisfacientis, & non eius, cui fit Satisfactio. Atque adeò cùm omnis Satisfactio puri hominis sit finita, nequit esse perfecta. 27

Solutio Argumentorum. §. III.

AD Primum igitur argumentum in cõtrarium neganda est minor. Et ad probationem negatur similiter minor, quia contritio, vel dilectio Dei super omnia, siue sit sub præcepto, siue tantùm sub consilio, nequit esse æquiualens pro peccato Satisfactio. Etenim per contritionem non redditur tantum bonum Deo, quantum damnum illi per peccatum infertur. Et ideò licèt homo per Dei gratiam possit reddere actum, qui ex obiecto, & specie tantam habeat bonitatem, quantam malitiam habet peccatum mortale ex obiecto, & specie, non propterea potest pro peccato perfectè Satisfacere; quia Satisfactio respicit peccatum, prout est injuria, & offensa Dei, & summi boni priuatio, secundùm quam rationem habet peccatum quandam infinitatem, eoquòd offensa crescit ex dignitate, & infinitate Personæ offensæ: & ita maiorem injuriam continet peccatum contra Deum commissum, quàm sit Satisfactio in actu charitatis, & contritionis inclusa: quia peccatũ est contra Personam infinitam; ac proinde habet, vnde crescit ratio injuriæ in infinitum, nempe, ex Persona offensa, quæ est infinita, à cuius dignitate habet injuria, & offensa crescere. At verò actus contritionis, & charitatis est à Persona finita, & ex ea parte, vnde principaliter sumitur ratio Satisfactionis non habet infinitatem. Quare licèt contritio sit actus iustitiæ commutatiuæ, & per eam dicatur homo offensam Deo illatã cõpẽsare, quatenùs facit, quod potest, & ideò imperfectè Satisfaciat: non tamen reddit Deo tantum bonum, quantum fuit illi per peccatum ablatũ, propter rationem assignatam, nempe, quia deest illi contritioni valor necessarius ex parte Personæ Satisfacientis, quæ cùm sit finita, eius Satisfactioni infinitum valorem conferre non potest, sed duntaxat finitum. 28

Sed

Digitized by Google

29 Sed obijcitur. Contritio etiam tendit in Deum ratione dilectionis Dei, quam includit; ergo ex parte illius habet infinitatem. Confirmatur: quia contritio habet infinitatem, quatenùs procedit ab Spiritu Sancto inspirante, & mouente, & cor pœnitentis inhabitante per charitatem, & gratiam; imò verò & Satisfaciente pro illo per illam contritionem formatam, eo modo, quo D. Paulus ad Roma. 8. ait, Spiritum Sanctum postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Respondetur ad obiectionem, esse diuersam rationem de offensa, atq; de contritione, vel dilectione Dei, quia offensa crescit ex dignitate Personæ, quæ offenditur, obsequiũ verò, vel Satisfactio non tam crescit ex parte Personæ, cui exhibetur, quàm ex parte Personæ, quæ illam exhibet. Vnde fit, vt contritio, vel dilectio, quæ habet rationem obsequij, eam infinitatem habere nõ valeat, quam habet peccatum, eò quòd sit offensa Dei: & ex consequenti seclusa gratia, & acceptatione Dei, plus Deo displicet offensa, quàm placeat dilectio, & contritio.

30 Ad confirmationem Resp. Spiritum Sanctum non esse Personam Satisfacientem, sed pœnitentem, qui cõteritur. Cùm autem Spiritus Sanctus dicitur gemitibus inenarrabilibus pro nobis postulare, est locutio Methaphorica, qua nomen effectus principali eius causæ tribuitur. Et dicitur pro nobis postulare, quatenùs facit nos omniaè Deum postulare: & similiter dat nobis virtutem Satisfaciendi Deo per contritionem, ipse verò non Satisfacit. Quare Persona Satisfaciens est finitæ simpliciter dignitatis: & ideò contritioni deest ille valor Personæ Satisfacientis, qui necessariò requiritur ad constituendam æquiualentem Satisfactionem pro offensa, & peccato. Per hoc etiam patet Responsio ad reliquas probationes in eodem primo argumento contentas.

31 Ad secundum Respondetur, peccatum mortale esse infinitum malum secundùm quid. Verùmtamen quia Satisfactio puri hominis, ex ea parte vnde accipit suum valorem, est finita, & limitata; ideò non est perfectè æqualis debito, atq; adeò neq; ex toto rigore iustitiæ. Christus autem fuit Persona simpliciter infinita, ac proindè suæ Satisfactioni infinitum contulit valorem, potuitq; ex toto rigore iustitiæ Satisfacere.

32 Ad tertium concessa maiori negatur minor. Et ad primam eius probationem Respondetur, Christo, vt est Suppositum Diuinum, nullam fuisse factam, nec fieri potuisse gratiam. Vnde ex hac parte, à qua totum suum valorem accepit Satisfactio Christi, optimè potuit esse de rigore iustitiæ. Ad secundam probationem Respõdetur; diuersam esse rationem lucri ex pecunijs datis à creditore ab ipso debitore comparati, & Satisfactionis à pura creatura ex gratia, & auxilio supernaturali factæ: nam lucrum factum supposita liberali creditoris donatione totum Respondet industriæ, & labori debitoris: at verò opus supernaturale à puro homine factũ, adhùc supposita gratia, & auxilio præueniente, non Respondet solùm industriæ, aut labori ipsius liberi arbitrij, sed præcipuè nouæ gratiæ Dei, nempe, auxilio cooperanti, cui potissimùm tribui debet quodcumq; opus supernaturale.

DVODECIMA DISPVTATIO. § I.

SVpposito, purum hominem non potuisse de rigore iustitiæ pro peccato generis humani Satisfacere, Dubitatur, An saltem potuerit de condigno, & ad æqualitatem Satisfacere. 1 Pars affirmatiua defenditur à grauissimis Theologis, Scoto in. 4. d. 15. q. 1. Aureolo apud Capreolum ibidem. q. 1. Paludano in 3. d. 20. q. 2. Soto in. 4. d. 15. q. 1. art 3. Et Caietano hîc, vbi hanc sententiam tribuere videtur D. Thomæ. Inquit enim, quòd cùm D. Thomas in Responsione ad secundum docet, Satisfactionem puri hominis non potuisse condignam esse, & æqualem pro peccato generis humani, per purum hominem intellexisse non solùm eum, qui non esset Deus per vnionem hypostaticam, sed etiam eum, qui careret gratia, & auxilio supernaturali, & nihil haberet præter ea, quæ ad naturam pertinent. Et ita sensum ipsius non esse, quòd absolutè purus homo, hoc est; qui non sit Deus, non possit ad æqualitatem Satisfacere pro peccato, sed quòd purus homo, idest, qui neq; sit Deus, neq; habeat gratiam, ita Satisfacere non possit. Probatur autem hæc sententia.

2 Primò. Purus homo supposita gratia, & auxilio supernaturali potest reddere Deo totum, quod illi fuerat per peccatum ablatum, & restituere naturæ humanæ omne id, quod abstulit peccatum; ergo potest de condigno, & ad æqualitatem Satisfacere pro peccato generis humani. Consequentia patet ex supradictis: antecedens verò probatur. Per actum contritionis, quem purus homo elicere potuit, redditur Deo sibi supernaturali totus honor, & cultus, qui per peccatum ablatus fuerat: item humanæ naturæ redditur bonum, quod peccatum abstulit; etenim hoc bonum cõsistit formaliter in rectitudine opposita priuatiuè ipsi peccato: ergo per contritionem redditur æquiualens pro peccato, atq; adeò est condigna, & æqualis Satisfactio.

3 Confirmatur primò. Tam bonus potest esse actus Satisfactorius puri hominis, quàm malum fuit peccatum generis humani; ergo Satisfactio puri hominis per illum actum facta; potuit esse omninò condigna, & æqualis peccato generis humani. Consequentia patet, & antecedens probatur: quia malitia peccati consistit in priuatione rectitudinis debitæ inesse illi actui, quatenùs erat humanus; sed tota illa rectitudo, quæ poterat inesse actui Adæ, considerato, vt erat præcisè humanus, imò & maior potuit inesse actui Satisfactorio puri hominis: ergo huiusmodi actus potuit esse æquè bonus; imò & magis, quàm fuerit malum peccatum.

4 Confirmatur secundò. Actus charitatis, quem elicit homo, reddit Deo æquale pro peccato: ergo, &c. Antecedens probatur: quia tantum valet actus charitatis in bono, quantum displicet peccatum in malo: in operante enim, & secundùm affectum illius intensior potest esse actus charitatis, quàm fuerat actus peccati. In effectu etiam sicut peccatum separat à Deo, & constituit finem in creatura: sic dilectio conuertit in Deum. Ergo tantumdem reddet, & multò plus, quàm peccatum abstulerat.

5 Secundò probatur hæc sententia. Si aliqua ratione purus homo non posset de condigno Satisfacere pro peccato generis humani, maximè quia peccatum, vt est offensa Dei, habet quandam infinitatem: sed eandem omninò habet actus charitatis à puro homine elicitus: ergo per actum charitatis potest purus homo pro peccato Satisfacere de condigno, & ad æqualitatem.

Consequentia

conſequentia patet: & maior eſt D. Thomæ in ſolutio-
ne ad 1. Imò eſt potiſsimum fundamentum opinionis
contrariæ. Minor verò probatur: quia peccatum non
eſt infinitum eſſentialiter, aut intenſiuè: procedit enim
effectiuè à potentia creata quæ eſt omninò finita, & li-
mitata; ſed obiectiuè tantùm, nempe, quia formaliter,
vel virtualiter eſt contra Deum authorem ſupernatu-
ralem: ſed ſimiliter actus charitatis eſt infinitus obiec-
tiuè, reſpicit enim directè, & formaliter Deum, vt eſt fi-
nis ſupernaturalis: ergo habet omninò eandem infini-
tatem, quam peccatum, & ex conſequenti eſt cõdigna
illius Satisfactio. Præterea ſicut peccatum Adæ fuit ex-
tenſiuè infinitum, quia potuit in infinitos homines de-
riuari: ſic etiam Satisfactio puri hominis potuit habe-
re eãdẽ extenſiuã infinitatẽ: nã potuit puro homini cõ-
ferri gratia capitis, cuius proinde actus infinitis homi-
nibus prodeſſe poſſent, ſuppoſita huiuſmodi gratia.

Tertiò. Ille propriè Satisfacit de condigno pro of-
6 fenſa, qui exhibet offenſo id, quod æquè, aut magis di-
ligit, quàm oderit offenſam ſibi factã, vt docet D. Tho-
mas infra q. 48. art. 2. Sed homo per actum charitatis,
& contritionis, prout gratia informantur, reddit Deo
id, quod æquè, vel magis diligit, quàm ſui offenſam o-
derit: ergo poteſt pro peccato de cõdigno, & ad æqua-
litatem Satisfacere. Conſequentia eſt euidens: & minor
probatur. Quod autem attinet ad actũ charitatis conſ-
tat ex ſupradictis, quia actus charitatis tantã habet infi-
nitatem in genere boni moralis, quantã habet peccatũ
mortale in genere malitiæ: ergo tantum placet Deo ac-
tus charitatis, quantum illi diſplicet peccatum. Quan-
tùm verò ad actum contritionis, probatur minor. Pri-
mò ex D. Thoma in 4. d. 15. q. 1. art. 2. ad. 1. vbi ait: quòd
ſicut offenſa habet infinitatem ex infinita Dei mageſ-
tate, quæ offenditur; ita Satisfactio habet infinitatem
ex infinitate Diuinæ miſericordiæ, prout informatur
gratia. Et loquitur D. Thomas expreſſè de contritione,
quam appellat Satisfactionem. Ergo iuxta mentem D.
Thomæ, contritio tantũ placet Deo, quantũ diſplicet
culpa, cùm tantã habeat infinitatẽ in ratione Satisfac-
tionis, quantam habet peccatum in ratione mali.

7 Secundò probatur eadem minor. Contritio ex parte
proprij principij, & ex parte finis ſibi connaturalis, &
proportionati habet tantam infinitatem, quantam ha-
bet peccatum mortale in genere mali; ergo tantũ pla-
cet Deo contritio, quantũ diſplicet offenſa. Antecedens
probatur. Principium proprium contritionis eſt Deus,
author gratiæ, & charitatis; contritio enim ex natura
ſua procedit à charitate, & gratia, & ex conſequenti à
Deo, prout eſt author gratiæ: finis item contritionis
proprius eſt Deus, prout eſt ſummum bonum, & dile-
ctum per charitatem: ergo contritio & ex parte princi-
pij, & ex parte finis participat infinitatem.

8 Tertiò probatur eadem minor. Pœnalitas, quæ in
cõtritione reperitur, excedit in infinitum omnem aliã
pœnalitatem, quam pœnitens ſubire poterat: ergo cõ-
tritio in ratione Satisfactionis pœnalis participat infi-
nitatem, & ex conſequenti adæquat grauitatem offen-
ſæ. Antecedens probatur. Pœnitens magis dolet de cul-
pa commiſſa, quàm doleret de amiſsione omnium bo-
norum temporalium, ſi pro tunc offerret ſe illi occa-
ſio dolendi de iactura omnium bonorum: ergo pœna-
litas cõtritionis improportionabiliter excedit omnem
aliam pœnalitatem, atq; adeò ſuperat in infinitum. An-
tecedens probatur. Pœnitens per contritionem deteſta-
tur peccatum ſuper omne deteſtabile, tanquàm ſum-
mum malum, & dolet de amiſsione ſummi boni: at
omnia alia mala deteſtatur, vt mala quædam particu-
laria, & dolet de illis, quatenùs priuant bonis particu-
laribus: ergo dolor de alijs omnibus malis, etiam colle-
ctiuè ſumptis non adæquat dolorem contritionis.

Confirmatur. Infinitas, quæ reperitur in peccato 9
mortali, cõſiſtit in hoc, quòd huiuſmodi peccatum eſt
offenſiuum infinitæ mageſtatis Diuinæ: ſed contritio
deteſtatur peccatum, & dolet de illo, prout eſt offenſi-
uum Diuinæ mageſtatis; ergo infinitas, quæ inuenitur
in peccato, participatur in ipſa contritione: atq; adeò
contritio eſt æquiualens, & æqualis Satisfactio pro
peccato mortali.

Quartò principaliter obijcitur. Purus homo poteſt 10
mereri de condigno alijs primam gratiam; ergo & re-
miſsionem peccatorum: ergo poteſt etiam Satisfacere
de condigno, & ad æqualitatem pro peccatis mortali-
bus eorum. Vtraq; conſequentia eſt euidens; & prima
quidem, quoniam remiſsio peccati mortalis eſt effe-
ctus formalis gratiæ primæ; qui autem meretur for-
mam, meretur etiam eodem modo effectum forma-
lem illius. Secunda verò conſequentia probatur; quia
non requiritur maior proportio inter meritũ, & præ-
mium, vt meritum ſit de condigno, quàm inter Satiſ-
factionem, & mercedem, ei Reſpondentem, vt Satisfa-
ctio ſit ſufficiens ſecundùm condignitatem: ergo qui
poteſt offerre meritum de condigno pro remiſsione
peccatorum, etiam poterit offerre Satiſfactionem cõ-
dignam, & æqualem pro eâdem remiſsione. Antecedẽs
admittitur ab omnibus Theologis in materia de gra-
tia, vbi docent, poſſe hominem purum conſtitui caput
aliorum in eſſe gratiæ; & probatur; tum, quia D. Tho-
mas infra q. 64. art. 4. concedit, Chriſtum Dominũ po-
tuiſſe dare ſuis miniſtris tantam gratiæ plenitudinem,
vt eorum meritum ad Sacramentorum effectus ope-
raretur. Et in ſolutione ad. 1. concedit potuiſſe homi-
nibus communicare virtutem influendi in alios gra-
tiam, per quam ex impijs fiãt iuſti; & omnem gratiam
ſine limitatione. Tum etiam, quia cùm quis per pro-
prium actum iuſtificatur, non meretur ſibi de condig-
no primam gratiam, ſicut primam gloriam meretur,
quod quidem non prouenit ex defectu proportionis
inter actum meritorium gloriæ, & primam gratiam,
ſed ex defectu Perſonæ, quæ non præſupponitur primę
gratiæ, vt grata, & accepta; ergo in eo caſu, in quo ille
homo præſupponitur ad gratiam aliorum, vt habens
gratiam capitis; nulla eſt ratio, ob quam talis homo
primam gratiam alijs mereri non poſsit.

Quintò. Ille homo, de quo loquimur, poſſet alijs me- 11
reri ad æqualitatem gloriam, ſicut quicumq; iuſtus eã
ſibi meretur; ergo etiam poſſet Satisfacere ad æquali-
tatem pro pœna æterna peccatis mortalibus aliorum
Reſpondente, ergo & pro ipſis peccatis mortalibus quò
ad culpam. Prima conſequentia probatur; quia actus
meritorius illius hominis eſſet æquiualẽs gloriæ aliorũ
in ratione meriti; ergo etiã eſſet æquiualens pœnæ æ-
ternæ in ratione Satisfactionis; quoniam pœna æter-
na non eſt maior in ratione mali, quàm gloria in ra-
tione boni. Secunda etiam probatur: quia totum,

quod debetur pro culpa peccati mortalis, est, pati pœnam æternam. Es ita qui patitur eam, dicitur satispati. Idest, pati quantum debet. Ergo qui posset ad æqualitatem Satisfacere pro pœna æterna, posset etiam eodem modo pro culpa peccati mortalis Satisfacere. Patet hæc consequentia: quia ille dicitur Satisfacere ad æqualitatem pro culpa, qui ad æqualitatem soluit totum, quod pro ea debetur.

Secunda Opinio. §. II.

12 ALII Theologi recentiores, qui admittũt præcedentem opinionem, quantùm ad hoc, quòd purus homo posit ad æqualitatem Satisfacere pro peccato, notans, subditos duplici modo injuriam, & offensam suis dominis, ac superioribus irrogare posse. Primò, strictè, ac propriè, cùm scilicet eis debitum auferunt honorem, vel in fama, & opinione nocent. Secundò, latè, & impropriè, per solam non obseruationem mandatorum: nam quoties subditi non faciunt, quod eis à suis superioribus præcipitur, communi quadam, & generali ratione dicuntur eos offendere, tametsi nullo modo ipsis noceant in fama, aut honore. Inter hæc autem duo injuriæ genera duæ quoq; existunt differentiæ, quod attinet ad nostrum propositum. Prima est, quòd ex primo injuriæ genere semper in offendente oritur obligatio ex iustitia ad offerendã offenso aliquam Satisfactionem. Ex secundo verò nulla ex iustitia obligatio oritur in ipso offendente ad faciendam vllam compensationem. Secunda differentia est, quòd pro primi generis injuria subditi rarò, aut nunquam ad æqualitatem Satisfacere possunt, quia reuerẽtia, quam superioribus exhibere queunt, non est tanti valoris, & æstimationis moralis, quantæ erat honor, quem illi abstulerunt. At pro injuria secundi generis æqualem omninò possunt offerre cõpensationem, vel sustinendo pœnam pro transgressione legis, aut mandati impositam, vel deinceps diligenter exequẽdo mandata superiorum. Huius autem secundi generis dicunt esse offensam, quæ per peccatum fit Deo. Vnde colligunt purum hominem posse pro peccato, etiam quatenus est offensa Dei, de condigno, & ad æqualitatem Satisfacere. Es probatur hæc sententia.

13 Primò. Offensa, quæ per peccatum fit Deo, non est injuria strictè, & propriè, sed tãtùm latè, & impropriè: sed pro hac offensa, & injuria purus homo de condigno Satisfacere potest: ergo & pro peccato, quatenus est offensa Dei. Consequentia est euidens, & probatur maior: quia homo per peccatum nihil Deo aufert, neq; vllo modo nocet, sed eatenùs dicitur illũ offendere, quatenùs præcisè non seruat eius mandata; sicut subditus, cùm non facit, quod sibi à suo superiori præcipitur, communi quadam, & generali ratione dicitur illum offendere. Ergo huiusmodi offensa solùm est injuria latè, & impropriè dicta. Minor verò probatur: quia cùm in peccato tria cõsiderentur, nempe, malitia consistens formaliter aut in priuatione rectitudinis, & cõformitatis ad legem æternam, aut in positiuo ordine cõtrario ad huiusmodi legem: similiter damna ex peccato subsecuta, videlicet, expoliatio gratuitorum, & supernaturalium donorum, & vulneratio in naturalibus, & tertiò offensa, & injuria facta Deo per peccatum: quantùm ad illa duo priora, nempe, specificam malitiam peccati, & damna per ipsum illata, potest peccatum de condigno, & ad æqualitatem compensari, quia actus charitatis potest habere tantam bonitatem, imò maiorem, tam intẽsiuam, quàm essentialem, quam habuis malitiam peccatum. Ergo pro offensa Dei, quæ præcisè consistit in disconformitate ad legem Diuinam; siue, quod idem est, in huius legis transgressione, purus homo de condigno Satisfacere potest.

Confirmatur. Si in peccato præter transgressionem legis Diuinæ interueniret offensa, & injuria Dei propriè, ad quam compensandam maneret homo obligatus ex iustitia, sequitur, in quocumq; simplici peccato V.G. intemperantiæ, reperiri duo peccata specie distincta: Alterum intemperantiæ, & alterũ injustitiæ, quod est falsum, & absurdum. Ergo similiter est falsum, quòd in peccato intemperantiæ reperiatur injuria, & offensa Dei propriè dicta. Sequella probatur: nam tot sunt peccata specie distincta, quot sunt virtutes, cõtra quas peccatur: sed hac doctrina supposita, contra duas virtutes peccaret homo, alteram quidem præcipientem moderatè esse viuendum, & alteram iustitiæ, quæ præcipit, nemini esse faciendam injuriam; ergo, &c. 14

Secundò. Siue ratio injuriæ, & offensæ Diuinæ in peccato distinguatur à malitia morali, siue nõ, peccatum, etiam quatenùs est offensa Dei, est simpliciter, & absolutè finitum: ergo potest dari actus charitatis illud in valore morali adæquans; & ex consequenti, quò sit condigna Satisfactio peccati, etiam quatenùs est offensa Dei. Antecedens probatur: quia dato quocumq; peccato potest dari aliud maius etiã in ratione offensæ, & injuriæ Dei: ergo peccatũ, quatenùs offensa Dei, nõ est simpliciter infinitũ: nã infinito simpliciter nihil maius potest excogitari. Cõseqũetia verò probatur: nã si peccatũ in ratione offensæ est finitum simpliciter, habet ergo finitã, & determinatã proportionẽ cũ actu charitatis. Sit ergo, V.G. decupla. Ergo si crescas actus charitatis, vel multiplicetur vt decẽ, poterit ei æquiualere. 15

Dices; grauitatẽ peccati, vt est offensa Dei, licet sit finita simpliciter, esse alterius rationis, & quasi superioris ordinis à valore, quẽ habet actus charitatis, vt est Satisfactio: quia hic sumitur à Persona Satisfaciente, quæ est finita: at grauitas offensæ à Persona infinita simpliciter. Et ideo quãtũuis crescãt, aut multiplicentur actus charitatis, nequibũt adæquare grauitatẽ peccati, prout est offensa Dei: quemadmodũ quia lux est forma ordinis superioris, quàm calor, quãtũuis in infinitum crescat calor, luci æquari nõ poterit. Sed contra est: quia licẽ Physicè res inferioris ordinis, quãtũuis augeatur, nõ possit in perfectione fieri æqualis rei superioris ordinis, bene tamẽ in valore, & æstimatione morali, vt patet: quia si argẽtũ multiplicetur, nõ solùm poterit aurũ æquare, sed etiã excedere in valore morali: ergo similiter licet puri hominis Satisfactio sit rei ordinis inferioris ab offensa Dei, atq; adeò in essentia nequeat illi coæquare, poterit in valore morali tantum excrescere, vt non solùm adæquet, verùm etiam excedat peccati grauitatem. Pro explicatione sit prima conclusio. 16

Prima Conclusio. §. III.

PVrus homo cũ gratia Dei potuit Satisfacere de cõdigno, & ad æqualitatẽ pro peccato, quàtùm ad specificã eius malitiã, & dãna per ipsum illata. 17

Hæc

Hæc conclusio probatur argumentis primæ opinionis; & fortè authores illius nihil aliud voluerunt, vt constat ex Scoto: etenim actus elicitus à puro homine potuit tantam habere bonitatem, imò maiorem, tam intensiuam, quàm essentialem, quàm peccatum Adæ habuit malitiã. Item, quia purus homo, supposita gratia capitis potuit de condigno mereri gratiam, & omnia dona supernaturalia, quæ nobis fuerunt per peccatum ablata: ergo etiam potuit restaurare damna, quæ ex peccato nobis prouenerunt, & ex consequenti pro illo, quantùm ad illa duo, de condigno, & ad æqualitatem Satisfacere.

Secunda Conclusio. §. IIII.

18 HOMO Purus, quantumuis magnam habeat gratiam, & auxiliũ supernaturale, nequit pro peccato generis humani, quatenùs est offensa, & injuria Dei, de condigno, & ad æqualitatem Satisfacere; ita vt talis Satisfactio esset perfecta quantùm ad condignitatem, & æqualitatem operis ad mercedem. Hæc conclusio est recepta omnibus Theologis, illis paucis exceptis, quos pro opinione prima retulimus. Et est expressa sententia D. Thomæ in solutione ad. 2. huius articuli: vbi expressè docet, Satisfactionem puri hominis pro peccato non potuisse, condignam esse, aut æqualem peccato generis humani: nam per purum hominem, hoc loco non Intellexisse D. Thomam hominem sine gratia, vt falsò Caietanus interpretatur, sed eum, qui non est Deus per vnionem hypostaticã, apertè demõstratur ex discursu ipsius D. Thomæ, quo probare nititur, Incarnationem Dei fuisse simpliciter necessariam ad redimendum genus humanum per condignam Satisfactionem. Et apertiùs adhuc ex verbis, quibus prædictum discursum concludit, dicens. *Vnde oportuit ad condignam Satisfactionem, vt actus Satisfacientis haberet infinitam efficaciam, vt pote Dei, & hominis existens.* Item ibidem contraponit D. Thomas Satisfactionem Christi, ad puri hominis Satisfactionem, & inquit, Satisfactionem Christi esse perfectam; hominis verò puri esse imperfectam. Et rursus docet, purum hominem posse imperfectè Satisfacere: Imperfecta autem Satisfactio etiam ex mente Caietani, includit gratiam, & acceptationem; ergo purus homo ad Satisfaciendum necessariò includit gratiam, estò excludat Diuinum suppositum. Patet consequentia, quia imperfecta Satisfactio ab eo, qui non est in gratia, exhiberi non potest. Item in eadem solutione asserit D. Thomas, puri hominis Satisfactionem, quia imperfectam, ex Christi Satisfactione efficaciam habere. Sed Christi Satisfactio applicari non potest, neq; vllam efficacitatem tribuere Satisfactioni hominis extra gratiam existentis: ergo per purum hominem is tantùm intelligendus est, qui non est Deus per vnionem hypostaticam, siue habeat gratiam, siue nõ. In quo sensu accepit etiam puram creaturam idem Caietanus. 1. 2. q. 114. art. 3.

19 Probatur autem conclusio: primò authoritate multorum Patrum, præcipuè D. Basilij homil. 13. in illud Psal. 48. *Frater nõ redimit, redimet homo.* Vbi ait. *Non homo nudus, sed homo Deus, quia nullus alius poterat condignum offerre pretiũ pro peccato.* Item D. Cyrillus epist. 1. ad Valerianum, quæ lecta, & approbata est in Concilio Ephesino cap. 17. Propè medium, vbi explicans Verba illa Isaiæ. 53. *Cuius liuore sanati sumus:* Ita dicit. Quo pacto vnus pro omnibus mortuus iustũ pretiũ potuit exoluere, si perpessionem illam puri hominis, & nõ etiã Dei fuisse dicamus? Et Fulgentius lib. de Incarnatione & gratia cap. 4. inquit. *Nullatenus humana natura ad auferendũ peccatum mundi sufficiens, atq; idonea fieret, nisi vnione Verbi Dei.* Ad auferendũ scilicet perfectè, cõdignè, & ad æqualitatem. Similia reperiũtur passim apud August. in Enchiridio. cap. 108. & lib. 9. de Ciuitate, cap. 17. & serm. de Verbis Apostoli. Ambros. lib. 4. in Lucã: Cyprianũ sermone de Passione Domini. Hilariũ lib. 9. de Trinit. Anselm. lib. 1. Cur Deus homo cap. 10. & sequẽtibus. Chrysostomũ hom. 10. in Ioan. Richardũ de Sancto Victore lib. de Incarnatione Verbi cap. 8. Vigiliũ lib. 5. contra Eutychetem. Irenæum lib. 3. cap. 20. & 22. Iustinum in expositione fidei. Eusebium lib. 4. Demonstratio. cap. 10. Theodoretum Dialogo. 2. & alios Patres.

Secundò probatur ratione. Ad cõdignitatẽ, & æqualitate Satisfactionis requiritur, vt tanta sit dignitas Satisfacientis, quãta est dignitas eius, cui fit Satisfactio: sed purus homo etiã in gratia cõstitutus, nõ adæquat dignitatẽ Dei, cui fit Satisfactio: ergo, &c. Maior probatur, quia sicut offensa crescit ex dignitate eius, cõtra quem cõmittitur, ita valor Satisfactionis ex dignitate Satisfaciẽtis pẽsatur: ergo si dignitas Satisfacientis nõ adæquat dignitatẽ eius, qui offensus fuit, neq; valor Satisfactionis grauitatẽ injuriæ poterit adæquare. Quòd autẽ actus cõtritionis non habeat æqualitatẽ cũ offensa cõmissa cõtra Deũ, probatur: quia cõtritio nõ est æqualis offensæ, ex parte Personæ, quæ conteritur, cùm hæc sit pura creatura; offensa autẽ fuit cõtra Deũ. Neq; etiã est æqualis ex parte pœnalitatis, quæ in ipsa cõtritione reperitur, nã tota eius pœnalitas est omnibus modis finita, & limitata, offensa autẽ habet aliquam infinitatem: ergo contritio non est Satisfactio æqualis. 20

Dices, ad rationem æqualis Satisfactionis nõ requiri æqualitatẽ inter cõtritionẽ, & offensam. Sed cõtra est: quia ad æqualitatẽ Satisfactionis requiritur, vt humiliatio, & pœnalitas, quã Satisfaciens assumit ob reuerẽtiã eius, quẽ per peccatũ cõtẽpsit, sit tãti valoris, & æstimationis, quãtæ fuit cõtẽptus, & offensa: ergo ad æqualẽ Satisfactionẽ inter hominẽ, & Deum non sat fuerit, quòd Satisfaciẽs offerat Deo actũ charitatis tantæ æstimationis, & valoris, quanti fuit offensa: sed prætereà requiritur, vt offerat humiliationem, & pœnalitatem, quæ sit tantæ dignitatis, quantæ malitiæ, & grauitatis fuit ipsa offensa; hanc autem humiliationem, & pœnalitatem peccator per contritionem non offert. 21

Confirmatur: quia malum pœnæ non habet æqualitatem cum malo culpæ: ergo pœnalitas, quam pœnitens offert per contritionem, non adæquat grauitatem culpæ, & ex consequenti non est æquiualens Satisfactio pro culpa. Antecedens probatur, quia licèt ex vna parte constituerentur omnia mala pœnæ, quæ fingi possunt, non adæquarẽt grauitatem, & malitiam vnius culpæ mortalis: eo quòd mala pœnæ contrariantur bonis creatis; peccatũ verò mortale opponitur bono Diuino: ergo malum culpæ in infinitum excedit malum pœnæ. Patet consequentia: quoniam si in infinitũ non excederent, tot mala pœnalia multiplicari possent, quæ ipsum malum culpæ adæquarent. 22

Digitized by Google

23 Tertiò. Deus ab homine plus poteſt iuſtè exigere pro offenſa, quàm ſit actus dilectionis, vel contritionis talis puri hominis: ergo talis contritio, aut dilectio non Satisfacit ad æqualitatem. Conſequentia patet, quia Deus nihil poteſt vltra debitum iuſtè exigere. Antecedens probatur. Deus poteſt iuſtè pro ſui honoris dignitate Satisfactionem, & compenſam expoſtulare; ſed dignitas ſui honoris non habet terminum: ergo poteſt conſequenter maiorem, ac maiorem Satisfactionem requirere, ſalua eius iuſtitia, & æquitate.

24 Cõfirmatur: quoniam ſi apud homines id exigit iuſtitia, vt iuxta honorem offenſi fiat Satisfactio, multò magis id concedendum eſt Deo, qui ſuo honori maximè ſemper conſuluit. Poſtremo confirmatur rationibus D. Thomæ, quæ Diſput. 11. præcedente propoſitæ ſunt, & explicatæ & non ſolùm probant, nequiuiſſe purum hominem de rigore Iuſtitiæ Satisfacere pro peccato, vt eſt offenſa Dei; verùm etiam neq; potuiſſe etiam de condigno, & ad æqualitatem.

25 Ex quibus colligitur, ſecundam opinionem, quatenùs docet, peccatum non eſſe propriè, & ſtricte injuriam, & injuſtitiam contra Deum, ſed ſolùm latè, & impropriè; eſſe reijciendam, vt temerariam, & ſine fundamento aſſertam. Aduerſatur enim & D. Thomæ, & torrenti omnium Doctorum, diſſonatq; modo loquendi Scripturæ, & Sanctorum Patrum: quia ex ea ſequitur, peccatorem non teneri, agere pœnitentiam de peccato, propter Satisfaciendum Deo: quoniam ſi nullam ei intulit injuriam, nullam Satisfactionem, vel recompenſationem illi debet; ſed ſolùm teneretur pœnitere, ex charitate: nam præceptum pœnitentiæ conſtitutum eſt tanquàm medium neceſſarium ad recuperãdam Dei amicitiam. Nihilominùs ex vi Satisfactionis, vel recompenſationis honoris Diuini, nulla erit talis obligatio. Prætereà. Quis, niſi mentecaptus, perſuadere ſibi poterit, conuitium dictum homini, vel falſum teſtimonium illi impoſitum, aut eius infamationem, eſſe injurias contra iuſtitiam: & ſimiles exceſſus cõtra Deũ commiſſos, non eſſe injurias contra ipſum? Idem etiam concluditur de injuria per omiſſionem; quia non reddere homini honorem, quãdo illi eſt debitus, tanquàm bonum eius proprium, eſt injuria: ergo ſimilis omiſſio reſpectu Dei, ſeruata proportione, erit injuria.

26 Sed pro maiori huius rei intelligentia aduertendum eſt, injuriam ſecundùm ſuam adæquatam rationẽ, non conſiſtere in diminutione, ſeu læſione boni vtilis, ſed in læſione cuiuſcumq; boni, cuius eſt Dominus quilibet vtẽs ratione; ſiue inde aliqua vtilitas ſibi proueniat, ſiue non. Ratio autem eſt, quia vbi eſt proprium Dominium, eſt proprium, ac rigoroſum ius: vbi verò eſt proprium ius, ſi illud lædatur, eſt injuria; nam injuria nihil aliud eſt, quam iuris debiti priuatio. Quare cùm Deus ſit Dominus omnium, priuari non poteſt rebus, quarum eſt Dominus, ſine eo, quòd illi inferatur injuria. Et ideò quamuis in ſe, aut in bonis ipſi vtilibus nul-
27 lum damnum pati queat: Nihilominùs tamen, in bonis externis, quæ ad eius honorem, gloriam, & famam ſpectant, vera injuria illi poteſt irrogari, vel affectu, vel effectu. Affectu quidem, vt ſiquis deſideret Deum infamare, vel deſtruere, vel aliud damnum illi inferre. Hic enim affectus inferendi Deo aliquod damnum, vel nocumentum, etiam in bonis internis, & in ſuo eſſe eſt Deo injurioſus quantùm ad obiectum actus; in affectu duntaxat. Effectu autem poteſt Deo inferri injuria, vt ſiquis actu blaſphemet, vel falſum teſtimonium dicat contra Deum; injuria illum afficit, etiam in effectu, quantùm ad ipſummet actum: quia licèt ſecũdùm rem non inferat Deo illud nocumentum, quod cupit; actu tamen infert quandam injuriam per ipſummet actum, qui eſt contrarius honori debito à creaturis ipſi Deo. Et ex hac parte quamuis ille actus non relinquat obligationem reſarciendi nocumentum concupitum, & non illatum; relinquit tamen obligationem Satisfaciendi pro injuria per talem actum illata. Siquis verò cum effectu talem injuriam Deo irrogauerit, quæ in re ipſa damnum reliquerit in bonis externis Dei, reparabile tamẽ per actionem eiuſdem hominis, tenetur quidem non ſolùm Deo Satisfacere pro injuria illata, verùm etiam illud damnum reparare. Vt ſiquis diceret, Deum non eſſe veracem, ſed aliquando mentiri; teneretur non ſolùm agere pœnitentiam de tali peccato, ſed etiam honorem illi reſtituere, auferẽdo talem opinionem ab his, quibus illam perſuaſit; non tantùm propter bonum ipſorum hominum, ſed multò magis propter honorẽ ipſius Dei, cui facta eſt inæqualitas in proprijs bonis; & iuſtitia exigit, vt ad æqualitatem redigatur, in quantum fieri poteſt. Legendus eſt M. Vazquez. 1. p. q. 1. art. 1. Diſput. 85. cap. 4. num. 24. Et explicandus iuxta ea, quæ dicta ſunt. Supereſt diluere argumẽta vtriuſque opinionis, quatenùs militant contra noſtram ſecundam concluſionem.

Dilutio Argumentorum. §. V.

PRO Solutione argumentorum in contrarium 28
animaduertendum eſt, quòd ſicut in actu Satisfactorio, omnium ſententia, eſt duplex bonitas moralis, altera eſſentialis, & abſoluta, quæ conſiſtit in conformitate ad legem Dei, altera verò, quaſi relatiua, & accidentalis, quæ poſita eſt in quadam extrinſeca denominatione valoris, & æſtimationis moralis deſumptæ ex Perſonæ Satisfacientis dignitate: ſic etiam in peccato eſt duplex malitia. Prima quidem eſſentialis, & ſpecifica ex obiecto deſumpta, quæ formaliter conſiſtit in priuatione conformitatis ad legem Dei, vel in poſitiua deformitate ad illam, & hæc eſt moralis, & poſitiua. Secunda verò ſumitur ex fine, nempe, ex Perſona offenſa, ſcilicet, Deo, quatenus eſt finis vltimus attenta etiam qualitate Perſonæ offendentis, videlicet, creaturæ. Et hæc malitia conſiſtit in auerſione ab ipſo Deo, cui creatura præfertur: & eſt malitia ſimpliciter, quæ à Theologis dicitur naturalis, eò quòd priuatiuè opponitur ſummo, & infinito bono, cùm ſit poſita in priuatione Infiniti, & ſummi boni, qua ratione peccatum eſt in genere mali ſimpliciter. Et licet hæc poſterior malitia oriatur ex priori, ideò enim per actum peccati fit Deo injuria, quia legi ipſius non conformatur: nihilominus tamen duæ iſtæ rationes malitiæ ſunt omninò diſtinctæ: nã prior, ſiue in priuatione rectitudinis, quæ ineſt actui oppoſitæ virtutis, ſiue in ordine poſitiuo cõtrario illi, formaliter conſiſtat, omninm cõſentu eſt finita, & æqualis omninò bonitati eſſentiali actus oppoſiti. At poſterior malitia omninò excedit bonitatẽ actus oppoſiti, ſiue, quia eſt infinita ſimpliciter, vt aliqui volunt, ſiue quia ſaltem eſt infinita ſecundùm quid.

Prætereà

Digitized by Google

29 Præterea. Duæ istæ rationes malitiæ respiciunt terminos formales distinctos: ergo sunt formaliter distinctæ. Consequentia patet, & antecedens probatur: quia prior respicit Deum, vt primam regulam, à qua deuiat: posterior verò vt finem vltimum, à quo peccator auertitur, præferendo creaturam, quam per peccatum eligit, vt suum vltimum finem; in quo ratio iniuriæ, & offensæ propriè dictæ consistit: manifestum est enim, injuriam, & offensam Deo inferre, qui creaturam ipsi præfert; nam aufert ei honorem debitum tanquàm vltimo fini. Hanc autem offensæ rationem distingui à transgressione Diuinæ legis, manifestè colligitur, quia si per impossibile in Deo separari posset ratio summi boni, & vltimi finis à ratione primæ regulæ, sicut per intellectum præscindi potest; peccatum esset sola transgressio Diuinæ legis, non autem propriè offensa Dei.

30 Rursus, obseruandum est, in actu bono esse duplicem bonitatem moralem, alteram absolutam, quæ consistit in conformitate ad legem Dei; alteram verò quasi relatiuam, quæ posita est in denominatione extrinseca. Ratio autem huius est, quia idem actus habens eãdem bonitatem ex obiecto, potest in ratione Satisfactionis variari, vt humiliatio. V.G. est eiusdem bonitatis specificæ, cùm fit ab homine, antequàm in principem eligatur, sed posteà est maioris Satisfactionis. Et idem similiter dici potest de actu malo. Etenim alapa, exempli causa, qua quis percutitur, antequàm sit Episcopus, eiusdem malitiæ est obiectiuè: at verò postquàm creatus est Episcopus, est maioris injuriæ. Si ergo actus charitatis, aut contritionis, aut aliarum virtutum supernaturalium, consideretur quantùm ad bonitatem essentialem, & specificam, & vt contrariatur peccato, quatenùs est malum morale positiuum; sic tãtam habet bonitatem, quantam malitiam habet peccatum. Et ideò ex hac parte creatura ex Dei gratia potest efficere actum, qui ex obiecto, & specie habeat tãtam bonitatem, quantam malitiam habet peccatum mortale ex obiecto, & specie, prout, scilicet, est malũ morale positiuum. Si verò consideretur peccatum, quantùm ad secundam malitiam omnibus peccatis communem, quæ ex parte Dei offensi desumitur, secundùm quam rationem peccatum est simpliciter malum, & summo bono aduersum; sic eius malitia excedit quamcumq; bonitatem cuiuscumq; actus charitatis, vel contritionis; & ex consequenti nequit purus homo reddere actum tantæ bonitatis, vt per illum æquiualenter Satisfaciat pro offensa Deo illata; nam peccatum contra Deum participat quandam infinitatem ex infinitate Diuinæ magestatis offensæ: Satisfactio verò puri hominis est finita, atq; adeò offensæ adequare non valet.

31 Vnde constat, maiorem esse injuriam in ipso peccato contentam, quàm sit Satisfactio in actu charitatis, & contritionis inclusa: nam peccatum est contra Personam infinitam, & ideò ex hoc capite habet infinitatem, quia habet id, vnde crescit ratio injuriæ in infinitum, nempe, ex Persona offensa, quæ est infinita, à cuius dignitate habet crescere injuria, & offensa; nam eò est maior, quò Persona offensa est dignior, & offendens vilior. Actus verò charitatis, & contritionis est à Persona finita, & ita ex hac parte, vnde potissimùm sumitur ratio Satisfactionis, non habet infinitatem. Imò verò peccatum habet supremum gradum in genere offensæ: quia quantitas offensæ eius augetur, & ex infinitate, & dignitate Personæ offensæ, & ex vilitate offendentis, qui infinitè est vilior, & quasi nihil respectu Dei. Actus verò charitatis, & contritionis in genere Satisfactionis, habet infimum gradum; quia eius dignitas minuitur ex dignitate Personæ, cui Satisfacit, & ex vilitate Satisfacientis: sed infimum summo adæquare non potest: ergo cùm offensa peccati immediatè contra Deum tendat, & actus charitatis à Deo immediatè non sit, sed à creatura, quæ semper est finitæ dignitatis: ideò non est æquiualentia inter hanc Satisfactionem, & illam injuriam. His præmissis Respondetur ad argumenta primæ opinionis, quæ Paragrapho. 1. proposita sunt.

Ad primum igitur Resp. Per actum contritionis reddi 32
subiecto totam rectitudinem moralem, quam peccatum abstulerat, non tamen reddi Deo honorem tantæ æstimationis, quantæ fuit injuria per peccatum commissa. Satisfactio autem hoc secundum per se respicit magis, quàm primum.

Ad primam confirmationem negatur antecedens, 33
& ad probationem Respond. Quòd licèt loquendo de bonitate morali, & intrinseca actus humani, sit proportio inter actum charitatis, & malitiam actus peccati, prout est malum positiuum, quia illa malitia moralis, cùm sit positiua, consistens in habitudine positiua ad obiectum dissonum, aut in positiua contrarietate ad legem, vel ad actum virtutis oppositum, est finita, & limitata, quia est habitudo limitata, & limitatus modus tendendi in obiectum determinatum, ac proindè est tanta, quanta est bonitas, quæ actui deberet inesse, & secundùm hanc rationem possit homo ponere tantam bonitatem, quanta fuit malitia in actu peccati: nihilominùs tamen, si sermo sit de valore ad Satisfaciendum, nulla est proportio perfectæ æqualitatis inter actum Satisfactorium puri hominis, & actum peccati: quia is valor non sumitur principaliter ex obiecto, sed ex dignitate Personæ Satisfacientis. E contrario verò grauitas peccati in ratione injuriæ, & offensæ, potissimùm desumitur ex dignitate Personæ offensæ, & ideò secundùm hanc rationem non habent sufficientem proportionem, vel æqualitatem. Itaq; si bonitas moralis actus charitatis comparetur cum malitia morali peccati mortalis, habet cum illa proportionem. Si verò bonitas sumpta pro valore Satisfactionis, & malitia accepta pro ratione offensæ, comparentur inter se, non proportionantur, quia Satisfactio in ratione Satisfactionis non crescit ex dignitate Dei, cui offertur, imò potiùs cœteris paribus minuitur: offensa verò crescit in ratione offensæ, ex eòquòd est commissa cõtra Deum.

Ex his constat, cur actus ex gratia procedens æqua- 34
litatem moralem, & sufficientem proportionem possit habere in ratione meriti, in ordine ad consecutionem gratiæ, & gloriæ: & tamen tantam æqualitatem in ordine ad Satisfaciendũ habere nõ queat. Ratio autẽ est, quia meritũ respicit præmiũ eiusdem ordinis, & ipsi gratiæ cõnaturale, quæ ex sua natura est semen gloriæ. Cæterùm Satisfactio respicit ipsum Deum, qui est Persona simpliciter infinita, cum qua non habet

debitam proportionem, & æqualitatem Personæ finita, etiam si per gratiam creatam fuerit sanctificata.

35 Sed obijcitur. Illa improportio, & inæqualitas est finita; ergò poterit per multorum actuum additionem superariatq; adeò quamuis homo per vnum, aut alterum actum nequeat pro aliorum peccato ad æqualitatem Satisfacere, poterit per multos actus, præsertim si in bonitate, intensione, & alijs circunstantijs excedant actum peccati. Resp. Nullam intensionem, vel multitudinem actuum, neq; magnitudinem gratiæ creatæ posse, illam improportionem, & inæqualitatem, quæ est inter peccatum, & actum charitatis, ad perfectam æqualitatem redigere, quia sunt res diuersorum ordinum, & rationum, & in his rebus quamtumuis vna crescat, vel multiplicetur, ad quantitatem alterius nunquam peruenit. Sicut docent Theologi, iniuriam factam in bonis ordinis superioris, per bona inferioris ad æqualitatem resarciri non posse, vt injuria in fama, vel vita nequit compensari pecunia. Et in rebus naturalibus multæ species gradus inferioris nil superiori non æquiualent: & similiter multa venialia peccata, quantumuis multiplicentur, vni mortali minimè æquiualent. Ad eundem modum illa improportio, quę est inter Deum offensum, & Personam offendentem; & grauitas injuriæ, quæ ex illa deriuatur, est ordinis altioris; neque superari vnquam potest quacumq; multitudine, vel perfectione actuum Personæ creatæ quæ infinitè semper distat à Personæ offensæ dignitate.

36 Sed dices. Si detur Persona creata habent infinitam gratiã, illa poterit offensam adæquare; ergo iam Persona creata ad æqualitatem Satisfacere valebit. Negatur antecedens, quia etiam si talis Persona infinitam gratiam haberet, adhùc infinitè distaret à dignitate Personæ offensæ. Et ideò eius Satisfactio, quamuis Profecta à gratia infinita, esset insufficiens, & inæqualis.

37 Ad secundam confirmationem negatur antecedens. Et ad probationem similiter negatur antecedens; quia peccatum displicet, non solùm vt contrariatur rationi, & legi, verùmetiam vt est injuria, & offensa Dei. Vnde magis displicet, quàm placeat actus charitatis; cuius bonitas secundùm totam suam actualitatem vndique est finita. Et licèt conuertat hominem in Deum, in quem tendit, à quo retrahit, & separat peccatum; gradus tamen tendentiæ pensatur ex actualitate, & ita est finitus, sicut & ipsa actualitas. Priuatio verò, in qua malitia peccati simpliciter consistit, ex infinito bono infinitam malitiam participat; crescit enim secundùm quantitatem offensi, & summi boni, quo priuat: nam hæc est natura priuationis, vt maior, vel minor, grauior, aut leuior censeatur ex bonitate, aut forma, cui opponitur; non verò ex actualitate maiori, vel minori, quã habet cùm priuatio nullã habeat actualitatem.

37 Ad secundum argumentum principale Resp. Quòd licèt actus charitatis habeas quandam infinitatem extrinsecã, & obiectiuam, quatenùs respicit ipsum Deum, vt obiectum, à quo specificatur; huiusmodi tamen infinitas non sufficit ad compensandam infinitatem peccati, prout est offensa Dei, quia non sumitur à Persona Satisfaciente, ex qua valor Satisfactionis sumi debet.

Ad tertium argumentum concessa maiori neganda est minor: quia licet Deus tantùm diligat actum charitatis in ratione boni moralis, quantum odit peccatum mortale in ratione mali moralis: non tamen diligit actum charitatis in ratione Satisfactionis tantum, quantum odit peccatum in ratione offensæ. Ad probationem minoris negatur, contritionem, aut dilectionem Dei ab homine elicitam, æquè placere Deo, atq; illi displicuit offensa: quia contritio non est ita bona, absolutè loquendo, sicut fuit mala ipsa culpa, ita vt contritio sit æquiualens intrinsecè, & ex sua natura ipsi culpæ: quia non est adeò laudabilis homo pro contritione, aut dilectione, quam Deo exhibet, quàm fuit vituperabilis pro culpa, & offensa: minùs enim habet homo de suo in contritione, quàm habuit in offensa. Et ideò per offensam fit reus damnationis æternæ secundùm rigorem iustitiæ; per contritionem autem non facit Deum debitorem sibi remissionis culpæ secundùm iustitiam. Hoc autem potest exemplo illustrari. Actus amoris, aut honoris, quem homo in Regem exhibet, non est tanti valoris, quanti est in malo crimen læsæ maiestatis; vt siquis contra Regem blasphemaret, aut in faciem illum cæderet. Vnde qui sic Regi esset injurius, non Satisfaceret ad æqualitatem diligendo, aut honorando illum, quia superexcedit injuria, etiam si honor, & amor sint erga Regem, quem similiter injuria dehonestabat. Hoc autem multò magis est verum respectu Dei, cui peccator injuriam irrogat, & in faciem resistit. Quo fit, vt peccatum, quatenùs est injuria Dei, à qua habet, quòd sit malum simpliciter, & summo bono contrarium; excedat omnia bona opera, quæ ab homine puro exhiberi possunt; atq; adeò infinitam exigat Satisfactionem, quam purus homo exoluere non valet, sed solus Deus, & homo. Ad omnes probationes minoris patet Responsio ex dictis, nè eadem sæpiùs repetantur. 38

Ad quartum principale Resp. Primò negando antecedens, si intelligatur de merito condigni secundùm perfectam iustitiam; quia quòd meritum alicuius puri hominis prosit alijs, fundatur in sola ordinatione Dei gratuita, & omninò extrinseca, & non in aliqua connaturalitate, aut condignitate ex parte puri hominis, neq; in aliquo contractu iustitiæ, vt ostensum est supra Disput. 11. Paragrapho. 2. num. 10. & 11. Ad primam probationem antecedentis Resp. D. Thomam non explicuisse, se loqui de merito habente vim secundùm cõdignitatem, & æqualitatem. Et ita ex eius verbis solùm potest colligi, purum hominem posse de potentia Dei absoluta, mereri alijs primam gratiam secundùm imperfectam iustitiam. Ad secundam probationem Resp. Non esse eandem rationem meriti respectu sui, & respectu aliorum. Et ideò quamuis actui charitatis, vt sit meritorius primæ gratiæ respectu operantis, solùm desit condignitas ex parte ipsius operantis, non sequitur, quòd solùm desit hoc, vt sit meritorius respectu aliorum. 39

Secundò Resp. Quidquid sit de antecedenti, negando primam cõsequentiam: & probationi dicitur, quòd cùm asserunt Theologi, remissionẽ peccati esse effectũ formalẽ primæ gratiæ; loquuntur de effectu, ad quem gratia concurrit causalitate morali, aut ex institutione Dei; & non causalitate Physica, aut ex natura rei. Vnde 40

Vnde qui meretur formã, meretur etiam de condigno effectum formalem, consequentem ex illa ex natura rei,& intrinsecè,ad quem concurrit forma caussalitate Physica. Remissio autem peccati non sequitur ex natura rei,& intrinsecè ex habitu Physico gratiæ, sed tãtùm ex lege,& ordinatione Dei,Supposita quadam cõgruitate,& decentia ex parte ipsius habitus gratiæ: decuit enim,vt Deus peccatum remitteret homini habẽti gratiam, per quam formaliter redditur obiectum congruum,& proportionatum dilectionis Diuinæ, cũ qua peccatum mortale non compatitur.

41 Tertiò; quidquid sit de antecedenti,& prima consequentia,negatur secunda. Et ad probationem Resp. quamuis non minùs requiratur proportio inter meritum,& præmium,quàm inter Satisfactionem, & mercedem;nihilominùs tamen istam proportionem vtrobique nõ sumi ex eadem parte;quia ad proportionem inter Satisfactionem, & offensam requiritur proportio,vel æqualitas inter Satisfacientem,& offensum. At verò ad proportionem inter meritum, & præmium non requiritur ista æqualitas, sed sufficit æqualitas rei ad rem.

42 Ad quintum principale Resp. primò negando antecedens,quia non est eadem ratio meriti respectu sui,& aliorum,vt dictum est num. 39. SecundòResp. quidquid sit de antecedenti, & prima consequentia,negãdo secundam. Et ad probationem negatur antecedens; quia pro culpa mortali ex natura rei plus debetur, quã pœna æterna secundùm durationem. Neque ideò dicitur satispati,qui eam patitur, quia patiatur quantum debet iuxta exigentiam grauitatis ipsius culpæ: sed quia patitur,quantum debet iuxta præscriptum Diuinæ Iustitiæ. Quòd autem pro culpa mortali debeatur ex natura rei plus,quàm pœna æterna secundùm durationem,patet ex eo, quòd nullum malum pœnæ adæquare potest malum culpæ mortalis.

43 Ad Argumenta secundæ opinionis Resp. negando præcipuum fundamentum illius, etenim subditi, dum superiorum mandata non obseruant,propterea illis injuriam propriè non inferunt, quia superiores respectu inferiorum sunt tantùm legislatores, non autem finis, in quem suas actiones dirigere debeant. At verò Deus respectu cuiusq; rationalis creaturæ, non solùm est legislator,aut ipsa lex,sed finis vltimus,in quem se,& omnia sua referre debet creatura:quod si non facit,illi injuriam infert.Cùm autem obijcitur.Nihil Deò aufert: ergo non facit illi injuriam propriè dictam.Resp.quòd licèt nihil auferat in effectu,aufert tamen in affectu; & hoc sufficit ad rationem culpabilis injuriæ. Adde, per peccatum auferri Deo in effectu etiam gloriam, & honorem extrinsecum, quem bonis operibus illi tribuimus.Et cùm dicitur:siue in affectu,siue in effectu tollatur per peccatum Deo honor extrinsecus,nihil ipsi nocet;ergo non fit ei propriè injuria, ad quã cõpensandã teneatur peccator ex Iustitia. Resp. injuriam differre à damno illato adhuc in creaturis: potest enim cum minori damno esse maior injuria,& e contra. Vnde argumentum nihil concludit. Etenim licet peccator nullum Deo afferat damnum, infert tamen grauissimam injuriam,dum ei creaturam præfert.

44 Ad confirmationem Resp. quocumq; peccato fieri Deo injuriam propriè,tenerìq; peccatorem,& manere obligatum ex Iustitia,ad Satisfaciendum Deo pro tali offensa,& oppositum non est consonum Sacræ Scripturę,& Patrum doctrinæ.Ad obiectionem autem,concesso,omne peccatum,vt V.G.intemperantiæ, esse etiã propriè contra Iustitiam;negatur, in omni peccato esse duo peccata specie distincta, quia ratio injustitiæ, quam dicit peccatum, prout est offensa Dei, intimè imbibitur in omni peccato, & ideò non potest nouũ, & condistinctum peccatum constituere: sicut neq; generalis inobedientia, quæ in omnibus peccatis includitur.

Ad secundum eiusdem sententiæ firmamentum Res. 45
peccatum,etiam vt est offensa Dei,esse quidem finitum simpliciter:habere tamen infinitatem quandam ex infinitate magestatis Dei, contra quem committitur; ad quem Satisfactio puri hominis pertingere non potest: etenim quantumcumq; actus charitatis illius crescant in intensione, & numero, semper erunt improportionati,& inferioris ordinis, quàm peccatum, prout est offensa Dei:nam valor Satisfactionis, (vt sæpè diximus)sumitur à dignitate Personæ Satisfacientis, omninò limitata,& finita in creatura. At peccati grauitas desumitur ex infinita magestate ipsius Dei. Vnde sicut inter Personas Dei,& creaturæ non est proportio: sic neque inter grauitatem offensæ, & valorem Satisfactionis,quæ ex illis desumuntur, æqualitas omnimoda reperiri potest.Licèt enim inter offensam Dei,& Satisfactionem puræ creaturæ non sit æqualis, & vniuocus excessus,hoc est,tanta distantia, quanta inter Deum offensum, & creaturam Satisfacientem reperitur: est tamen Analogicus,seu proportionalis excessus,quod sufficit, vt ad omnimodã ęqualitatem reduci non valeat. Quemadmodum licèt clara Dei cognitio non tantum excedat in perfectione cognitionem cuiuscumq; creaturę, quantum Deus ipse superat in perfectione creaturas,satis est proportionalis,& Analogicus excessus,quo Dei cognitio excedit creaturarum cognitionem, vt quamtumuis crescat hæc, illius perfectionem attingere non possit:vt latè.1.p.q.12.art.1.

Ex his constat,peccatum,prout est offensa Dei,& Sa 46
tisfactionem puræ creaturæ,in valore, & æstimatione morali non se habere sicut aurum, & argentum, quæ eiusdem rationis sunt, & in morali æstimatione differunt tantùm,sicut magis & minùs: sed habere se sicut vita,aut honor cum diuitijs:quemadmodum enim vita,aut fama,quia in esse moris sunt ordinis superioris, nequeunt ad æqualitatem per diuitias compensari: sic nec injuria facta Deo per Satisfactionem puræ creaturæ,sed alia maior requiritur, scilicèt, Personæ Diuinæ.

Sed obijcitur.Ergo peccatum,vt est offensa Dei, est 47
simpliciter infinitum.Probatur consequentia: quia ad eius compensationem requiritur Satisfactio Personæ Diuinæ,quæ est simpliciter infinita.Resp.per se, & formaliter ad condignam cõpensationem peccati, prout est offensa Dei, non requiri Satisfactionem infinitam simpliciter,sed solùm Infinitam secundùm quid: id est, quæ habeat eandem infinitatem ex parte principij, & Personæ Satisfacientis, quam habet offensa ex parte Personæ,contra quam committitur.Quia vero Persona infinita dari non potest, à qua huiusmodi infinitatem secundùm quid Satisfactio desumat, nisi Persona

Diuinæ, cuius opera sunt necessariò infinita simpliciter ideò materialiter, & quasi per accidens ad compensationem æquiualentem peccati, prout est offensa Dei, requiritur Satisfactio simpliciter infinita.

TERTIA DECIMA DISPVTATIO.

1 VTRVM quilibet homo pro peccato mortali proprio possit ex Iustitia Satisfacere. Hæc difficultas, quam M. Medina meritò grauissimam appellat, tametsi ad materiam de Iustificatione, & Pœnitentia pertineat, est in præsenti loco examinanda, quia ad decidendam quæstionem de necessitate Incarnationis Verbi ad redimendū de Iustitia genus humanum, oportuit non solùm explicare, An purus homo pro peccatis omnium hominum Satisfacere potuerit, quod Disputationibus præcedentibus fecimus: verùm etiam examinare, & discutere, An quilibet homo pro sua mortali culpa, siue originali, siue actuali ex Iustitia Satisfaciat. Vt autem controuersiæ status aperiatur, certa ab incertis separanda sunt. Et primò quidem certum est, hominem sine auxilio supernaturali Dei non posse perfectè, aut imperfectè pro suo peccato Satisfacere. Secundò certum est, non posse cum huiusmodi auxilio ex perfecta, & rigorosa Iustitiâ Satisfacere. Tertiò certum est, posse hominem per actum charitatis, & contritionis elicitum interuentu auxilij supernaturalis, aliquo modo, saltem imperfectè pro peccato proprio Satisfacere, vt latiùs constabit Disp. 14. sequente.

2 His ergo præsuppositis vt certis, punctum difficultatis in hoc consistit; An Deus, præter gratiam, qua concedit auxilium supernaturale homini ad eliciendum actum contritionis, faciat illi nouam gratiam, condonādo ei peccatum: vel nulla alia in remissione peccati intercedat gratia ex parte Dei; siue quia actus contritionis procedens ex auxilio supernaturali per se, & formaliter peccatum expellat, siue quia debitam ex Iustitia faciat remissionem peccati. De qua rè sunt variæ Theologorum sententiæ.

Prima Opinio. §. I.

3 PRIMA sententia affirmat, peccatori nullam fieri nouam gratiā in remissione peccati, Supposito actu contritionis: quia huiusmodi actus per se, & veluti incompossibilis forma ex vi sua, & secundùm propriam speciem ex obiecto desumptam, expellit peccatum ab anima: ita vt de potentia Dei absoluta repugnet, quòd tali actu existente, maneat homo in peccato mortali. Vnde iuxta istam sententiam ille actus est æqualis Satisfactio, & condigna debiti Solutio: ac proindè peccatori contrito, quantùm attinet ad remissionem peccati, nulla fit gratia præter gratuitam donationem Auxilij sufficientis, & efficacis; quod est necessarium ad eliciendum actum contritionis, & amori. Quare Deum remittere gratis peccatum homini contrito, nihil aliud est, quàm gratis illi contritionem tribuere, seu auxilium gratiæ necessarium ad illā habendam; sicut solem expellere tenebras ab aere, nihil est aliud, quàm illum illuminare; tametsi hæc ratione distinguantur. Pro hac sententia nullum inuenio antiquum Authorem, sed quidam nouiores eam amplectuntur. Sic M. Vazquez. 1. p. Disput. 89. nume. 26. vbi seipsum refert ad alium locum, quem ibi non explicat. Eandem etiam insinuant Iansenius in Concordia cap. 48. & Gaslalius lib. 4. de Iustitia, cap. 2. quatenùs asserūt, per actum dilectionis, & charitatis, qui in contritione essentialiter includitur, hominem iustificari. Probatur autem hæc sententia.

4 Primò ex omnibus locis Sacræ Scripturæ, in quibus remissio peccati dilectioni Dei, seu charitati tribuitur. Lucæ. 7. *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Et. 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Et Prouerb. 10. *Vniuersa delicta operit Charitas.* Quæ loca, & similia potissimùm intelliguntur de dilectione quò ad actum, iuxtà illud. 1. Ioan. 3. *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* &; *Qui non diligit, manet in morte.* Vnde D. Augustinus omnem perfectionem Iustitiæ, & sanctitatis tribuit Charitati, lib. de Natura & gratia, cap. 42. & 70. & lib. 1. de peccatorum meritis, & remissio. cap. 10. & lib. 1. de gratia Christi, cap. 30. & multis alijs locis explicat, Charitatem, quæ per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus nostris, esse ipsam dilectionem, non qua Deus nos diligit, sed qua nos sui dilectores facit.

5 Secundò probatur. Peccatum, vt est offensa Dei, cōsistit formaliter in auersione ab ipso, vt vltimo fine, & conuersione ad creaturam: sed hæc auersio tollitur formaliter per contritionem: ergo & peccatum, vt est offensa Dei formaliter. Consequentia est euidens, & maior etiam patet: quia peccatum habet rationem essentialis malitiæ, vt est transgressio regulæ: moralis verò offensæ, & iniuriæ Diuinæ, quatenus per illud auertitur peccator à Deo, vltimo fine, & ad bonum commutabile conuertitur. Minor verò probatur: nam contritio, vt includit actum Charitatis, est perfectissima conuersio ad Deum, finem vltimum supernaturalem: sed auersio à Deo tollitur formaliter per conuersionem ad ipsum: ergo & peccatum, quatenus offensa Dei, per actum contritionis.

6 Confirmatur primò. Implicat, hominem simul esse conuersum ad Deum, vt finem vltimum, & auersum ab ipso: ergo implicat etiam, habere actum contritionis, & esse in peccato. Ergo contritio, vt forma incōpossibilis, excludit formaliter peccatum. Patet vtraque consequentia: quia contritio est incompossibilis cum peccato mortali: ergo intelligi non potest ille actus contritionis, quin ex vi illius intelligatur, esse destructiuum, & expulsiuum peccati, ac proindè vi sua, & ex propria specie, quā sumit ex obiecto, illud expellit, sine eo quod à Deo denuò remittatur.

7 Dices, hominem per contritionem cōuerti quidem Physicè ad Deum vltimum finem, non autem moraliter: peccatum verò, vt est offensa Dei, consistere in conuersione morali, à qua censetur homo semper auersus à Deo moraliter, quousque Deus remittat illi peccatum.

8 Sed contra hoc replicatur; Primò: quia ex actu morali, & libero non potest non manere homo conuersus liberè, & moraliter ad finem, quem respicit talis actus: sed contritio est actus moralis, & liber, respiciens Deum finem vltimū supernaturalem; ergo ex vi illius manet homo non solùm Physicè, sed etiam moraliter conuersus ad Deum finem supernaturalem. Secundò: nam

nem actus peccati, qui indirectè, & interpretatiuè solùm auertit hominem à Deo, fine vltimo supernaturali, sufficit relinquere illum auersum ab ipso Deo, nō solùm physicè, verùmetiam moraliter: ergo à fortiori actus contritionis, qui directè, & formaliter conuertit hominem in Deum, quatenùs est finis vltimus supernaturalis, sufficit relinquere ipsum cooversum moraliter.

9 Confirmatur secundò. Cōtritio, siue dilectio est forma supernaturalis, & non minoris valoris ad conuertendum hominem ad Deum, quàm fuit peccatum ad auertendum: ergo ex vi sua facit hominem ex auerso conuersum ad Deum, finem supernaturalem; & ex cōsequenti destruit in ipso totam Dei offensam, & injuriam. Antecedens patet: quia sicut peccatum mortale auertit à Deo fine vltimo; ita contritio actuali dilectione formata, conuertit ad Deum, vt vltimum finem, conuersione efficaci, & perfecta; quæ quidem conuersio formaliter excludit illam auersionem, & non est minùs efficax ad suum effectum inducendum, quàm fuit peccatum ad suum.

10 Tertiò probatur eadem sententia. Peccatum, vt est offensa Dei, remittitur formaliter per actum, quo homo reconciliatur Deo, & ex inimico fit amicus: sed huiusmodi est actus charitatis, vel contritionis; ergo per illum formaliter remittitur peccatum. Consequentia patet, & maior est nota: quia remittere aliquem alteri offensam, nihil aliud est, quàm ei reconciliari: ergo per actum, quo homo formaliter reconciliatur Deo, remittitur illi formaliter peccatum. Minor autem probatur: quia charitas secundùm D. Thomam. 2. 2. q. 24. art. 1. est amicitia essentialiter: ergo actus charitatis est essentialiter actus amici; ergo qui habet illum, est amicus Dei actu, & formaliter. Sed implicat esse amicum Dei, & esse in peccato: ergo implicat habere actum charitatis, & non esse remissum peccatum.

11 Confirmatur. Sicut lumen expellit tenebras, ita contritio expellit peccatum: sed lumen vi sua expellit tenebras, & nihil aliud ex parte luminaris, est necessarium, vt tenebræ expellantur, ergo similiter contritio, aut dilectio ex vi sua, & ex natura rei formaliter, & intrinsecè, & omninò connaturaliter expellit peccatum, sine eo quòd Deus aliquid noui conferat, vel aliquid gratis remittat, vt peccatum expellatur.

12 Quartò. Peccatum adæquatè, & completè consistit in priuatione conformitatis ad legem, & ad Deum, vt est finis vltimus supernaturalis: sed hæc priuatio adæquatè tollitur formaliter per actum contritionis; ergo & ipsum peccatum adæquatè. Probatur maior: quia in peccato reperitur essentialis malitia, quæ in priuatione rectitudinis, siue conformitatis ad legem, siue ad Deum, vt primam regulam, consistit: & similiter reperitur malitia moralis, per quam constituitur in ratione offensæ, quæ consistit in priuatione conformitatis ad ipsum Deum, vt est vltimus finis actuum humanorum. Minor autem probatur: quia per actum contritionis conformatur homo legi Dei, & ipsi Deo, vt est finis vltimus supernaturalis: ergo adæquatè, & simpliciter per huiusmodi actum expellitur peccatum quò ad omnia, quæ essentialiter includit.

13 Quintò. Sicut principalis malitia culpæ consistit in auersione à Deo vltimo fine, ita potissima sanctitas consistit in coniunctione cùm Deo, vt est vltimus finis: sed per actum contritionis, & dilectionis homo perfectiùs coniungitur cum Deo, quàm per vllum habitum: ergo per actum dilectionis fit sanctificatio, & peccati expulsio. Maior patet, & minor probatur; quia actus simpliciter est potior in voluntate, quàm habitus, vt docet D. Thomas 1. 2. q. 71. art. 3. in corpore, & ad primum: tum, quia actus præeminet potentiæ, habitus autem magis accedit ad rationem, & imperfectionem potentiæ. Tum etiam, quia habitus est bonus, quia inclinat ad bonum actum, ac proindè actus est magis bonus Iuxta illud, Propter vnumquodque tale, & illud magis.

Sextò. Actus contritionis secundùm propriam speciem, quam sumit ab obiecto, est compensatio, vel Satisfactio sufficiens ad expellendum peccatum mortale: ergo ex vi sua, & ex propria specie illud expellit. Cōsequentia patet, quia actus contritionis, siue vt antecedis gratiam, siue vt subsequitur, habet propriam speciem contritionis, & pœnitentiæ. Antecedens autem probatur. Actus contritionis secundùm propriam speciem est compensatio pro culpa, & Respondet toti culpæ, & non tantùm parti eius, quia culpa caret partibus: ergo est Satisfactio sufficiens ad expellendum omninò peccatum. Prima pars huius antecedentis probatur. tum, quia obiectum contritionis est peccatū, prout est offensa Dei, vt destruendum exhibita compensatione pro eo; vt constat ex materia de pœnitentia. Tum etiam, quia contritio est dolor de peccato, quatenùs est offensa Dei; sed non præcisè prout est offensa Dei, vt amici, aut creatoris, vel supremi Domini; quoniam sic pertineret ad eas virtutes, quæ Deum secundùm istas rationes respiciunt: ergo quatenùs est offensa Dei per compensationem destruenda. 14

Septimò. Contritio ex propria specie habet vim restituendi Deo id, quod per peccatum est illi sublatum, saltem in affectu peccantis, & destruendi in peccatore illud malum, quod ex offensa contra Deum commissa in eodem fuerat relictum: ergo ex propria specie habet vim expellendi ipsum peccatum. Consequentia est euidens, & antecedens probatur quò ad primam partem; quia sicut peccatum auertit à Deo vltimo fine, & ideò dicitur, quantùm in se est, destruere Deum, ita cōtritio conuertit in Deum, vltimum finem, & quantùm in se est, restituit Deo honorem vltimi finis. Quò ad secundam etiam probatur: nam sicut peccatum actuale, quia est auersio actualis ab vltimo fine, relinquit in homine auersionem habitualem ab eodem fine, sic etiam contritio, quia est actualis, & supernaturalis cōuersio ad vltimum finem, relinquit vi sua in homine habitualem conuersionem ad eundem finem, quæ expellat oppositam conuersionem habitualem peccati, & hominem reddat habitualiter conuersum. 15

Octauò. Si contritio ex propria natura, & specie non haberet vim expellendi peccatū, sequeretur, quòd neque gratia habitualis ex propria natura illud expelleret: & ex consequenti expulsio peccati fieret formaliter per extrinsecum fauorem Dei condonantis, & non imputantis peccatum: sed consequens est contra Concilium Tridentinum Sess. 6. Cano. 11. vbi damnatur, qui dixerit, gratiam, qua iustificatio fit, esse tantùm fauorem Dei: constat autem, eandem esse gratiam, qua iustifi- 16

Iustificamur, & qua à peccato emundamur: ergo. Sequella patet ex paritate rationis.

17 Confirmatur. Si contritio ex propria natura non expelleret formaliter peccatum, sed solus Dei fauor illud expelleret, sequitur, iustificationem hominis non esse transactionem ab statu peccati ad statum gratiæ contra doctrinam Concilij Tridentini Sess. citata cap. 4. & 6. & ex Verbis Pauli ad Colosenf. 1. colligitur hæc iustificationis descriptio. Est transactio ab statu, in quo homo nascitur filius Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis Filiorũ Dei. Sequella autem probatur; quia si calor natura sua frigus non expelleret; calefactio non esset mutatio ab statu frigoris ad statum caloris, sed duæ ibi essent mutationes, quarum vna esset frigoris expulsio, & altera caloris inductio. Ergo similiter philosophandum est in præsenti.

Secunda Opinio. §. II.

18 SECVNDA sententia docet, contritionem non expellere formaliter peccatum; nihilominùs ita pro illo, quatenùs est offensa Dei, Satisfacere, vt ipsius remissionem sibi faciat debitam ex Iustitia, non quidem rigorosa, & perfecta, sed imperfecta, fundata in gratia antecedente auxilij supernaturalis, tam excitantis, quàm coadiuuantis, ad eliciendum actum contritionis necessarij, & in gratuita voluntate, seu lege, qua statuit admittere contritionem in compensationem offensæ, sibi per peccatum illatæ. Sic Paludanus in. 3. d. 20. q. 2. Scotus in 4. d. 19. q. 1. art. 2. Soto in. 4. d. 15. q. 1. Caietanus hîc Dubio. 1. circa Solutionem ad. 2. & M. Bañes. 1. p. q. 21. art. 4. Probatur autem hæc sententia.

19 Primò Authoritate D. Thomæ ibidem in Solutione ad primum, vbi explicans illud Psalmi. 24. *Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas,* Dicit, in iustificatione impij inueniri misericordiam, & Iustitiam. Misericordiam quidem, quia Deus dat gratiam sine meritis: & iustitiam; quia remittit peccatum propter cõtritionem, seu dilectionẽ Dei supernaturalem, iuxta illud Lucæ 7. Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.

20 Secundò probatur ratione, quia pœnitentia virtus est species Iustitiæ ex sententia D. Thomæ infra. q. 85. art. 3. & 4. cuius formale obiectum est peccatum, quatenùs compensabile per proprios actus: sed contritio est actus pœnitentiæ; ergo est Iusta peccati recompensatio, atque adeò facit sibi debitam remissionem peccati ex iustitia.

21 Confirmatur. Tunc aliquis recompensat ex iustitia injuriam, & facit sibi debitam eius remissionem, cùm tantum honorem reddit Personæ offensæ, quantum illi abstulit per injuriam factam: sed homo per contritionem tantum honorem, imò & maiorem Deo reddit, quantum abstulit per peccatum (suppono actum contritionis esse magis intensum, quàm fuerat actus peccandi) ergo recompensat ex iustitia injuriam Deo per peccatum illatam, facitq; sibi debitam eius remissionem.

22 Dices, honorem, quem homo per cõtritionem reddit, non esse tanti valoris moralis, quanti fuerat injuria facta per peccatum, ac proindè non posse ex iustitia, & ad æqualitatem peccatum per contritionem compensari. Contra hoc instatur; quia hoc non tollit, quin ex iustitia remissio peccati debeatur peccatori. Si enim Rex subdito promitteret remissionem offensæ sibi factæ, dummodò ab eo veniam supplex petat, teneretur ex iustitia huiusmodi cõpensationem acceptare: tametsi ex se non esset æqualis valoris moralis cum iojuria sibi facta. Sed Deus promisit se condonaturum peccatum homini, si perfectè cooperatur, & doleat de illo, vt patet Ezechiel. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius nõ recordabor ampliùs.* Ergo Supposita hac lege, ex Iustitia tenetur admittere contritionem in Satisfactionem pro peccato: & ex consequenti ex Iustitia debetur peccatori contrito remissio peccati.

Respondebis, Deum ex vi huius promissionis manere obligatum, non titulo Iustitiæ, sed fidelitatis. Contra hoc replicatur; quia vtroque titulo obligari, colligitur apertè ex illo. 1. Ioan. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus, & iustus, vt remittat, &c.* Et ex Paulo ad Hebræ. 6. qui loquens de his, qui gratiam per peccatum perdiderant, ait. *Non enim injustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri.* 23

Tertio probatur; nam siquid obstaret, quominùs contritio ex iustitia faceret sibi debitam remissionem peccati, maximè, quia contritio, vt præintelligitur ante remissionem peccati, non procedit ab homine grato, & amico Dei, sed inimico, & ingrato: at hæc ratio non obstat: ergo, &c. Maior ab omnibus conceditur: minor autem probatur: quia Satisfactio est medium per se ordinatum ad tollendam inimicitiam inter offensum, & offendentem, & eos reconciliandos: ergo vt sit perfectissima Satisfactio, nõ requiritur, quòd procedat ab amico, sed solùm, quòd sit opus proportionatũ ad recompensandam injuriam Personæ offensæ illatam. Cùm ergo contritio hoc habeat, erit Satisfactio faciens ex iustitia debitam sibi remissionem peccati, etiam si ab homine grato non procedat. Pro decisione veritatis sit 24

Prima Conclusio, §. III.

CONTRITIO non est forma, per quã immediatè, & formaliter expellitur peccatũ, prout est offensa Dei. Hanc conclusionem latè, & erudité confirmat M. Suarez hîc Disput. 4. Sectio. 8. eandemque defendit M. Zumel. 1. 2. q. 113. art. 5. Disput. 11 conclus. 6. & probatur sic. Contritio non est ipsa forma, per quam proximè, & immediatè iustificatur homo formaliter: ergo neque est forma, per quam immediatè, & formaliter expellitur peccatum. Consequentia patet: quia per illam formam peccatum formaliter expellitur: quia homo ex iojusto efficitur Iustus, & ex peccatore sanctus. Antecedens verò probatur ex consensu omnium Theologorum, asserentium, contritionem esse tantùm dispositionem ad gratiam habitualem, seu iustificantem. 25

Cæterùm aduersarij negant antecedens huius rationis, si intelligatur de adultis, qui extra Sacramentũ per proprios actus, & ex opere operantis (vt aiunt) iustificantur. Sed contra est, quia Concilium Tridentinum loquens de iustificatione in communi Sess. 6. cap. 7. expressè docet, causam eius formalem esse Iustitiã, quam vnusquisq; recipit secundùm mensuram propriam, quã Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult secundùm dispositionem 26

dispoſi-

Digitized by Google

dispositionem, & cooperationem nostram. Sed contritio non datur nobis secundùm dispositionem, quin potiùs est ipsa dispositio ad gratiã, & iustificationem; vt ipsummet Concilium cap. 6. proximè antecedenti docet: ergo non est illa iustitia, quam definit Concilium, esse causam formalem iustificationis nostræ.

27 Secundò Respondent negando consequentiam. Dicunt enim, iustificationem non esse formaliter remissionem peccatorum, sed interiorem animæ sanctificationem. Vnde licet contritio sit dispositio ad gratiam, quatenùs formaliter sanctificat interiùs ipsam animã, & ad istum effectum recipiendum contritio illam præparet, & disponat: poterit nihilominùs, vt principalis forma, peccatum immediatè expellere, & ipsius remissionem formaliter causare. Sed contra est; quia Concilium Tridentinũ eodem. 7. capite docet, remissionem peccati in ipsa iustificatione includi. Ait enim, iustificationem non solùm esse remissionem peccatorum, sed etiam interioris hominis renouationem per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum factam, qua homo ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus. Si ergo contritio est dispositio ad iustificationem, erit similiter ad remissionem peccatorum.

28 Respondent aliqui, verum esse; in iustificatione implicitè vtrumque includi, remissionem quidem peccati, vt quid materialiter præsuppositum ex parte Animæ; & eius sanctificationem, & renouationem, vt effectũ formalem: contritionem verò præcisè disponere animam ad istum effectum formalem, non tamen ad id, quod ad illum materialiter præsupponitur, nempe, ad expulsionem peccati. Cæterùm in contrarium est; quòd Sessio. 14. in doctrina de Sacramento pœnitentiæ, cap. 4. expressè definitur, contritionem præparare animam ad remissionem peccatorum. Nec valet dicere, contritionis nomine intellexisse Concilium non perfectam illã contritionem, quæ actum charitatis includit, sed quem cumque imperfectum dolorem, cuiusmodi est dolor attritionis: nam paulò antè dixerat, illã contritionem (per quam præparari animam ad remissionem peccatorum docuit) fuisse omni tempore necessariam ad impetrandam veniam peccatorum: sed contritio, quæ antè aduentum Christi, & institutionem Sacramentorum, fuit necessaria ad impetrandam veniam peccatorum, est contritio perfecta, actum charitatis includens, nam sine hac nullus extra Sacramentum remissionem peccati consequi potest: ergo contritio etiam perfecta, actum charitatis includens, præparat, & disponit ad remissionem peccati, ac proinde dispositiuè tantùm, & non formaliter, & immediatè illud expellit.

29 Secundò probatur conclusio. Peccatum, vt est offensa Dei, solùm potest destrui moraliter, aut per condignam, & æqualem eius compensationem, aut per condonationem gratuitam Dei: sed contritio neque est ipsa gratuita peccati cõdonatio, quia hæc est opus ipsius Dei, non peccatoris actus: neque est condigna, & æqualis peccati compensatio; quia contritio saltem vt antecedit gratiam, non est æqualis valoris, & æstimationis moralis cum peccato, quatenùs est offensa Dei: ergo nequit formaliter, & immediatè destruere peccatum, vt dicit injuriam Deo factam.

30 Tertiò. Deus peccatori habenti actum contritionis gratis remittit peccatum: ergo contritio formaliter, & ex natura rei non expellit ab eo peccatum. Consequentia est euidens; & antecedens probatur ex Concilio Tridentino Sess. 6. cap. 9. vbi definitur, necessariò credendũ esse, neque remitti, neque remissa esse vnquam peccata, nisi gratis Diuina misericordia propter Christum. 31

Quartò. Vt contritio sufficiat ad expellendum peccatum formaliter, & ex sua intrinseca, & connaturali vi, & informatione, debet perpendi non solùm secundùm naturam, aut bonitatem moralem, & physicam conuersionem, quam habet; secundùm quas rationes formaliter opponitur actuali peccato, & illud excludit: verùm etiam consideranda est secundùm valorem moralem, quem ad recompensandam injuriã sortitur, prout à tali Persona procedit: sed vt sic non est sufficiens ad tollendam formaliter habitualem auersionem, quam peccatum relinquit: ergo, &c. Maior est euidens, quia valor Satisfactionis pro culpa sumitur ex Persona Satisfaciente, grauitas verò injuriæ ex Persona offensa: ergo ad hoc vt contritio sufficiat expellere illo modo intrinseco, & connaturali offensionem, seu obliquitatem ex peccato relictam, non est attendenda sola natura ipsius contritionis, sed etiam valor illius, vt à tali Persona procedit. Minor verò probatur: quia contritio, quantumuis perfectissima, non habet æqualitatem proportionis cum peccato, vt est auersio à Deo: ergo ex vi sua, & secundùm propriam speciem non expellit formaliter habitualem maculam moralem, quam peccatum reliquerat.

Confirmatur. Habitualis auersio à Deo dicit priuationem conuersionis habitualis in ipsum Deum, vt est finis supernaturalis: ergo non tollitur, nisi per illam conuersionem, cuius dicit priuationem. Sed talis conuersio fieri non potest, nisi per gratiã, vel extrinsecã, id est, per actũ dilectionis Diuinæ, quo Deus peccatorem in suam amicitiam acceptat: vel per intrinsecam, & habitualem, qua formaliter, & connaturaliter manet in Deum habitualiter conuersus: ergo per solam contritionem non aliter conuertitur, quàm dispositiuè. Exigit enim Deus huiusmodi dispositionem in peccatore, vt eum diligat, & in suam amicitiam admittat, per quã formaliter manet conuersus in ipsum Deum: & deordinatio habitualis peccati remittitur formaliter, & expellitur ex natura rei. 32

Postremò cõfirmatur. Esse in peccato, & esse in gratia, opponuntur immediatè respectu hominis lapsi, vt docet D. Thomas. 1. 2. q. 113. art. 2. ad. 1. & de verita. q. 28. art. 2. ad. 4. ergo vnũ auferri non potest, quin alterũ ponatur. Ergo neque habitualis auersio, per quam homo est in peccato, potest tolli, nisi per gratiam intrinsecã, & inhærentem animæ, qualis est habitualis; vel extrinsecam, hoc est, acceptationem passiuam ad amicitiam Dei. Sed contritio non est talis gratia, vt de se constat; ergo neque per illam potest auferri peccatum, aut habitualis deordinatio à Deo, per quã homo erat in peccato. Nec satis est dicere, talem deordinationem per gratiam connaturaliter expelli, vt inquiunt aduersarij: nam si semel tollitur per contritionem formaliter, & ex natura rei; ergo iam absolutè expulsa est deordinatio, atque adeò intelligitur homo sine peccato per solam contritionem, absque eo quòd sit in gratia Dei: quod cum Diuo Thoma negant omnes sectatores illius. 33

Secunda

Secunda Conclusio. §. IIII.

34 CONTRITIO, vt antecedit gratiam non est sufficiens ad expulsionem peccati sine concursu alicuius gratiæ Dei, distinctæ à gratia auxilij, quod est principium ipsius contritionis. Hæc conclusio colligitur ex præcedenti, & est adeò certa, vt M. Suarez, & alij recentiores affirment, non posse sine nota temeritatis negari. Et probatur primò, quia Sancta Scriptura loquitur de remissione peccatorum, vt de beneficio conferendo ex Dei gratia habenti contritionem; atque adeò vt de gratia distincta à gratia contritionis: vt Ezechiel. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, vita viuet, omniũ iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.* Et Ecclesiasti. 17. Quàm magna misericordia Domini, & propitiatio illius conuertentibus ad se.* Vbi sit sermo de conuersione per pœnitentiam. Et Prouerb. 28. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Et Psal. 31. *Dixi, confitebor aduersùm me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti iniquitatem peccati mei.* Quo loco Sancti Patres intelligunt illam confessionem fieri per interiorem contritionem, à qua Dauid distinguit remissionem peccati, & propter illam dicit fieri ab ipso Deo. Et deniq; in Sancta Scriptura semper fit distinctio inter remissionem peccati, & contritionem, & peccatori contrito promittitur remissio peccati: quæ quidem promissio esset procul dubiò vana, si remissio peccati non esset alia noua gratia distincta à gratia auxilij, quod requiritur, vt principium contritionis.

35 Secundò probatur ex Concilio Tridentino Sess. 6. cap. 7. vbi dicitur, ad dispositionem consequi iustificationem per gratiam Dei. Et postea subditur, in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hominem à Deo accipere Fidem, Spem, & Charitatem. Vbi apertè significatur, remissionem peccatorum in iustificatione consequi ex Dei beneficio, & gratia ad dispositionem. Item eodem cap. 7. dicitur, in iustificatione includi remissionem peccatorum, & renouationem internam. Et Cano. 3. damnatur, qui dixerit sine præuenienti Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur. Vbi gratia iustificationis, de qua priùs fuerat dictum, includere remissionem peccatorum, distinguitur apertè ab auxilio requisito ad actus, quibus disponimur ad ipsam iustificationem. Et tandem Sess. 14. cap. 4. dicitur, contritionem quouis tempore fuisse necessariam ad impetrandam veniam peccatorum. Et statim subditur: ipsam præparare ad remissionem peccatorũ, si coniuncta sit cum fiducia Diuinæ misericordiæ. Vbi apertè fit sermo de remissione peccatorum, vt de beneficio Dei, distincto à beneficio contritionis: nam hoc significatur per Verbum impetrandi: & cùm dicitur requiri, quòd contritio habeat adiunctam fiduciam Diuinæ misericordiæ; nam hæc fiducia debet esse de obtinenda remissione peccatorum ex misericordia Dei.

36 Tertiò probatur testimonijs Sanctorum Patrum. Et primò legendus est D. Hieronymus epist. 46. & 48. vbi expendit inter alia illud. 2. Reg. 12. de Natham, & Dauid. Is enim priùs dixit, *Peccaui Domino,* Declarans suam pœnitentiam, & contritionem. Posteà verò dixit Natham. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Et infra idem Hieronymus ait. *Vide, quāta sit magnitudo fletuum, vt aquarum diluuio comparetur; quos qui habuerit, & dixerit cum Ieremia, non sileat pupilla oculi mei, statim complebitur in illo; misericordia, & veritas obuiauerunt sibi.* Et D. Augustinus sermo. 10. ad Fratres in Eremo ita inquit. *Suscipite compunctionem, quæ sanitas est animarum, quę remissio peccatorum est.* Et explicans, quo pacto illud sit intelligendum, subiungit. *O sancta compunctio, tu stimulus, per quem Deus ad hominem inclinatur.* Et Chrysostomus homil. 5. de Pœnitentia inquit. *Minatur Deus peccantibus, pœnitentibus verò propitiationem promittit.* Item Ambrosius lib. 2. de Pœnitentia cap. 4. ait. *Spectat Deus conuersionem nostram, expectat lachrymas, vt profundat pietatem suam.* Et Tertulianus lib. de Pœnitentia cap. 4. inquit. *Omnibus delictis Deus veniam per pœnitentiam spopondit, dicens ad populum: pœnitere, & saluũ faciam te.* Ecce ex sententia horum Patrum Deus promittit remissionem peccati habenti contritionem, & pœnitentiam: qui modus loquendi, & promittendi locum non habet nisi inter gratias, & beneficia diuersa.

Quartò probatur ex communi consensu Theologorum, qui disputantes, An peccator per contritionem mereatur sibi remissionem peccatorum, manifestè supponunt, ipsam contritionem per se non conferre formaliter peccati remissionem, sed esse quid ab ipsa contritione distinctum. Etenim nullus hactenùs dubitauit, An contritio posset esse meritoria sui ipsius, & sui effectus formalis, præsertim physici, & connaturalis. Vnde cùm omnes conueniant, non mereri de condigno hunc effectum, quidam admittunt meritum de congruo, ac proinde apertè supponunt distinctionem, vt constat ex M. Vega. q. 6. & 7. de Iustificatione, & M. Bellarmino lib. 3. de Iustificatione cap. 21. alij verò meritum etiam congrui negant, quorum fundamentum non est, quòd remissio peccati sit ipsamet contritio, vel per illam formaliter fiat; sed quia remissio peccati tam gratis datur homini contrito, vt sub nullum meritum contritionis cadere possit, vt est videre in M. Victoria q. 1. de potestate Ecclesiæ, nume 4. & M. Soto lib. 2. de Natura, & gratia cap. 4. 37

Ex quibus constat, ad remissionem peccati præter actum contritionis requiri nouam gratiam, & nouum Dei beneficium, quod partim est Physicum, & intrinsecum, partim verò est morale, & extrinsecum. Etenim Physicè ponit in anima gratiam habitualem iustificantem, & excludit oppositam priuationem Physicam: moraliter verò remittit, & condonat offensam; quia licet id, quod est priuationis Physicæ in peccato, formaliter, & immediatè expellatur per oppositam formam Physicam: id tamen, quod est morale, nequit ita immediatè tolli, sed aliquid morale addendum est; nam immediatè opposita ad eundem ordinem pertinere debent. Hoc autem morale nihil est aliud, quàm extrinseca Dei condonatio. Itaque cùm Deus modò tollit peccatum infallibiliter infundendo gratiam, præter ipsius gratiæ infusionem, ex sua parte aliquid amplius adiungit, quod ita est distinctum, vt sit etiam separabile. Hoc 38

autem

autem est, ista moralis remissio, ac condonatio: quæ licet ab infusione gratiæ sit distincta, est tamen enim illa necessariò coniuncta, ex intrinseco debito, & natura talis formæ, vt propterea quasi vnum, & idem beneficium censeantur: est enim debitum gratiæ propter suam excellentiam, debito, scilicet, connaturalitatis, vt ei remittatur peccatum, cui ipsa gratia infunditur. Et ideò ipsa peccati expulsio attribuitur formaliter gratiæ, non quia sit formalis effectus illius primarius, quia hic tantùm est positiuus, realis, & Physicus, sed tanquam secundarius, quasi priuatiuus. Et ideò non repugnat de potentia absoluta ab huiusmodi forma separari, cùm possit Deus non remittere peccatum homini contrito, & pœnitenti, si Dei promissio secludatur: quia cùm sit noua gratia, & non ex iustitia, neque ex fidelitate promissionis, neque ex alia ratione eam conferre teneatur, potest illam negare; sicut Rex à subdito læsus, & offensus grauissimè, potest illi veniam, & beneuolentiam negare, tametsi summo dolore, & precibus illam petat.

Tertia Conclusio. §. V.

39 QVAMVIS Contritio Satisfaciat pro peccato, vt est offensa Dei, non tamen ita vt illius remissio peccatori contrito ex iustitia debeatur. Prima pars conclusionis probabitur Disputatione. 14. sequenti. Secunda est communis inter Theologos in. 3. d. 20. & in. 4. d. 15. & 17. & mihi ita certa, vt oppositum censeam sine aliqua nota temeritatis, aut erroris defendi non posse. Nam vt omittam multa Sacræ Scripturæ testimonia, in quibus peccatorum remissio gratiæ Dei, & non iustitiæ tribuitur, cuiusmodi sunt illa, ad Roma. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per Redemptionem, quę est in Christo Iesu.* Et cap. 4. * Ei, qui operatur, hoc est, ei, qui meretur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum: ei verò qui non operatur; hoc est, ei, qui non meretur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur Fides eius ad iustitiam secundùm propositum gratiæ Dei, sicut & Dauid dicit, beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiā sine operibus, hoc est, sine meritis.* Et alia multa sunt huius generis testimonia, & Sanctorum Patrum dicta, quæ hanc veritatem maximè confirmant: colligitur etiam apertè ex Concilio Tridentino Sess. 6. de Iustificatione cap. 9. Vbi definitur, necessariò credendum esse, neque remitti, neque remissa esse vnquam peccat, nisi gratis Diuina misericordia propter Christum. Ex quo hæc sumitur ratio. Quod gratis alicui conceditur, ex iustitia ei non debebatur; sed peccatorum remissio gratis nobis conceditur iuxta hanc Concilij doctrinam; ergo ex iustitia nobis nō debebatur: ergo per contritionem, non ita pro peccato Satisfacimus, vt eius remissionem nobis ex iustitia debitam faciamus.

40 Huic rationi Respondent Nonnulli recentiores, Peccatum gratis nobis remitti, quia debitum carendi gratia, & auxilio supernaturali, quod ex peccato contraximus, gratis omninò remittitur. Item quia auxiliū, tam præueniens, quàm concomitans necessarium ad eliciendum actum contritionis, gratis etiam nobis datur: ac proindè gratis etiam videtur concedi expulsio peccati, quæ ad talem contritionis actum per se consequitur. Itaq; iuxta hanc sententiam quamuis peccati remissio sit debita contritioni, dicitur tamen fieri gratis, & ex gratia, quia auxilium, ex quo procedit contritio, non est debitū peccatori, sed omninò gratis, & sine vllo debito ei confertur.

Nihilominùs hæc Responsio est insufficiens, quia ex ea sequitur, remissionem peccati in se, & formaliter nō esse opus gratiæ, sed solùm in suo principio, & radice; sicut gloria, quæ hac ratione à D. Paulo ad Roma. 6. gratia appellatur. *Gratia Dei vita æterna:* Nam gratia, quæ est semen, & principium gloriæ, gratis omninò datur; vnde sic possumus argumentari. Gloria, licet in suo principio, & radice gratis nobis concedatur, quia tamen formaliter, & in se nobis ex iustitia donatur, non est opus misericordiæ, aut gratiæ, sed iustitiæ, iuxta illud Pauli. 2. ad Timoth. 4. *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex.* Ergo licet remissio peccati in sua radice sit opus gratiæ, formaliter tamen, & in se erit opus iustitiæ, si nobis non gratis omninò datur, sed titulo iustitiæ propter actum contritionis: atque adeò absolutè concedi poterit, nobis ex operibus iustitiæ remitti peccatum, contra illud Pauli ad. Titum. 3. *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm misericordiam suam magnam saluos nos fecit, &c.* Et contra communem doctrinam omnium Sanctorum Patrum, qui opus remissionis peccatorum, & iustificationis tribuunt gratiæ, & misericordiæ Dei, non autem ipsius iustitiæ, cui solùm adscribitur peccatorum punitio. Et ideò eleganter Fulgentius cap. 7. suæ Epistolæ inquit. Sicut Deus ex iustitia damnat auersum, ita ex misericordia sanat conuersum.

Præterea impugnatur eadem Responsio, quia Concilium Tridentinum loco citato apertè docet colligi ex Paulo, iustificationem fieri gratis etiā respectu hominis cōtriti, & habentis dispositiones ad ipsam requisitas: inquit enim, sensum illorū Verborū esse, neq; fidē, neq; opera præcedentia iustificationem, promereri ipsam iustificationis gratiā. Vbi cùm recenseat fidem, & loquatur indistinctè de operibus præcedentibus gratiā, intelligi debet de operibus procedentibus ex auxilio Supernaturali, & de omnibus, etiā includendo actū contritionis. Item: quòd opus, cui remissio peccati est debita, procedat ex auxilio gratis collato, nō satis est, vt ipsa remissio peccatorū dicatur fieri gratis in sensu, in quo D. Paulus loquitur: quia cōtritio, vt meritoria gloriæ, procedit ex gratia habituali (saltem coëxistente) quæ omninò gratis, & sine vllo debito confertur; & nihilominùs gloria non dicitur gratis dari in eo sensu, imò potiùs appellatur à Paulo corona iustitiæ. Confirmatur: quia ex eò quòd auxiliū, ex quo procedit opus Satisfactorium prò offensa, detur gratis, non sequitur, quòd remissio offensæ fiat omninò gratis, & nullo modo debita ex iustitia, sed solùm quòd non fiat, vt debita ex toto rigore iustitiæ, vt patet in exemplo proposito de contritione; vt est meritoria gloriæ. 41

Alij Theologi, qui oppositam sententiam defendunt, Respondent, quòd cùm Paulus inquit, iustificationem fieri gratis, licet nomine iustificationis comprehendat remissionem peccati, non excludit debitum ex 43

Satisfactione proueniens, sed tantùm debitum ex merito profectum. Itaque vt remissio peccati dicatur fieri gratis, satis est, non fieri ob merita ipsius peccatoris, tametsi fiat propter eius Satisfactionem, aut consequenter ad eam. Confirmant autem hanc explicationem Verborũ Pauli authoritate Concilij Tridentini, nam Sess. 6. cap. 8. referuntur illa Verba, & dicitur, esse intelligenda in eo sensu, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ sensus tenuit, & expressit. Et posteà explicatur, quis sit iste sensus, his Verbis. *Gratis autem iustificari ideò dicimur, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue Fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur.* Cæterum hæc Responsio est similiter insufficiens, quoniam Paulus sumit dictionem, gratis, vt opponitur contra debitum ex iustitia, siue tale debitum ex Satisfactione, siue ex merito proueniat: quod constat, tum ex vi ipsius vocis, quia id dicitur fieri gratis, quod, fit ex pura gratia, & liberalitate, & absque debito: tum etiam, ex Pauli intentione, quæ proculdubiò est, nullum opus ex parte hominum fieri posse, quod valorem habeat, cui ex iustitia debeatur iustificatio. Et tandem ex eo quòd cap. 4. sequenti pro eodem sumit, esse aliquid debitum rationæ operum, & non fieri gratis, aut ex Dei gratia: sic enim ait. *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.* Hoc est, ei, qui facit aliquod opus talis conditionis, & valoris, vt ratione eius sit dignus aliqua mercede, non imputatur talis merces secundùm gratiam, sed secundùm debitum, vt omnes exponunt. Neque obstat Testimonium Concilij, nam per Verbum illud, Promerentur, intelligit, faciunt sibi debitam ex iustitia. Et vtitur Verbo isto, quia est commune ad omnem operum valorem, cui ex iustitia Respondeat merces. Et præterea, quia loquitur de iustificatione, prout includit non solùm remissionem peccati; sed etiam internam renouationem, & valorem operum, respectu huius totius mercedis, meliùs appellatur meritũ, quàm Satisfactio.

44 Secundò probatur conclusio. Remissio peccati de lege Dei ordinaria fit per infusionem gratiæ gratum facientis, ita quòd ipsa remissio est effectus quasi formalis, saltem secundarius gratiæ; ergo si contritio de lege ordinaria dat ius iustitiæ ad remissionem peccati, confert etiam secundùm eandem legem idem ius ad infusionem gratiæ, & ex consequenti sicut remissio peccati est debita contritioni secundùm iustitiam, eodem modo erit debita infusio gratiæ: quod est erroneũ. Antecedens probari solet. 1. 2. q. 113. art. 2. & latè probatur à Caietano tomo 3. opuscul. tracta. 1. qui est de Fide, & operibus cap. 4. & nunc breuiter probatur, quia iustificatio impij includit remissionem peccatorum, vt dictum est ex Concilio Tridentino Sess. 6. cap. 7. & iustificationis causa formalis est gratia, quæ nobis infunditur, vt idem Conciliũ docet eodem capite.

45 Tertiò. Si contritio facit sibi debitam ex iustitia remissionem peccati, vel hoc facit, quatenus antecedit gratiam, & amicitiam Dei, vel vt sequitur illam. Non vt sequitur; quia vt sic præsupponit peccatum remissum: non enim intelligi potest peccatum simul cum gratia, & amicitia Dei. Neque etiam vt antecedit, quia contritio, vt præintelligitur ad gratiam, non procedit à Persona digna apud Deum; ergo non habet valorem necessarium, vt sibi faciat aliquid debitum ex iustitia apud Deum. Consequentia patet, quia valor Satisfactionis sumitur à dignitate Personæ Satisfacientis, vt cõstat ex superiùs dictis. Antecedens verò probatur. Primò. Dignitas puræ creaturæ in ordine ad Deum, vt finem supernaturalem, prouenis à gratia, veluti à prima radice: ergo si Persona Satisfaciens nondum intelligitur cum gratia, nondum adhuc intelligitur digna apud Deum, & ex consequenti neque eius actus vt habentes valorem ad faciendum aliquid debitum ex iustitia.

Secundò probatur idem antecedens. Persona Satisfa- 46
ciens antecedenter ad gratiam ordine naturæ non præsupponitur vt accepta Deo; ergo neque eius contritio. Patet hæc consequentia; nam opus inimici nequit esse Deo gratum, & acceptum. Et ita vniuersi Theologi docent, nullum opus esse Deo acceptum, vt meritum gloriæ, antecedenter ad gratiam habitualem. Et videtur esse eadem ratio de opere accepto per modum Satisfactionis; non enim videtur rationi consonum asserere, Deum acceptare in Satisfactionem opus profectum ab homine non grato, & non amico, si id negatur de opere accepto per modum meriti. Et ob id omnes Thomistæ cum D. Thoma, in additionibus ad 3. p. q. 14. art. 2. dicunt, opus factum ab homine non habente charitatem, Satisfactorium non esse pro temporali pœna: quod quidem de Satisfactione in ordine ad offensam Dei, à nullo negatur.

Tertiò probatur idem antecedens. De lege ordinaria 47
acceptatio nostrorum operum, quantùm ad valorem meriti, aut Satisfactionis, fit per gratiam habitualem, ita vt gratia habitualis sit formalis causa acceptationis passiuæ: ergo antecedenter ad gratiam habitualem nullum opus potest esse acceptum, siue per modum meriti, siue per modum Satisfactionis. Consequentia patet, quia effectus causæ formalis ordine naturæ ipsam formam præcedere non potest, quod non solùm est verum de effectu primario formæ, sed etiam de secundario, cuiusmodi est remissio peccati respectu gratiæ: tũ, quia nulla est ratio discriminis quantum ad hoc inter effectum primarium, & secundarium. Tum etiam, quia effectus secundarius supponit primarium. Quare si effectus primarius formam præcedere non potest, multò minùs effectus secundarius eã antecedere poterit. Antecedens verò probari solet in materia de merito ex Sancta Scriptura. 1. ad Corint. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Censeretur autem multùm prodesse illud opus, quod in Satisfactionem acceptaretur, præsertim pro offensa mortali. Et Ecclesiastici. 34. *Dona iniquorum non probat altissimus, nec respicis oblationes inimicorum.*

Confirmatur; quia antecedenter ad gratiam nihil 48
est in homine, quod sit formalis causa acceptationis passiuæ in actu contritionis: ergo antecedenter ad gratiam actus contritionis non est ita Satisfactorius ex Dei acceptatione, vt sibi faciat debitam ex iustitia remissionem peccati. Consequentia patet; quia esse acceptum, in actu nostro est denominatio quædam

formalis,

Digitized by Google

formalis,& secundùm legem ordinatiam non sumitur solùm ab actu immanenti Dei, ac proindè debet assignari in homine aliqua forma,à qua sumatur. Ad hoc Respondent aliqui, auxilium supernaturale,à quo procedit actus contritionis secundùm suam substantiam esse causam formalem suæ acceptationis passiuæ. Sed hoc nullatenùs dici potest; quia de lege ordinaria auxilium non est causa formalis acceptationis nostrorum operum,quantùm ad valorem meriti,aut Satisfactionis, vt patet in actibus Fidei, & Spei supernaturalis;qui licèt procedant ex auxilio, imo & ex habitu supernaturali, in eo tamen, qui est in peccato mortali, non habent valorem meriti, aut Satisfactionis propter defectum gratiæ habitualis.

49 Alij dicunt, quòd licèt contritio gratiam præcedat in genere causæ materialis, ipsa tamen gratia est prior in genere causæ efficientis; & secundùm istam rationem potest esse causa formalis acceptationis passiuæ in actu contritionis. Sed nec ista solutio est sufficiens, quia licet admittatur illa sententia de mutua prioritate,& posterioritate inter gratiam, & actum contritionis,potest adhùc obijci, quòd gratia habitualis non est causa acceptationis in nostris actibus quantùm ad valorem meriti,aut Satisfactionis, nisi prius reddendo acceptam Personam operantem.Imò ex Persona deriuatur acceptatio ad operationem: ergo gratia, vt est causa huius acceptationis,non tantùm in genere causæ efficientis,sed etiam ex parte subiecti, quod est in genere causæ materialis,præcedit nostros actus, ac proinde non saluatur,quod contritioni antecedenter in aliquo genere causæ ad gratiam, huiusmodi acceptatio conueniat.

50 Confirmatur:quia pari ratione diceretur conuenire contritioni acceptationem per modum meriti ad gloriam,quatenùs ordine naturæ præsupponitur, vt dispositio ad gratiam:sed consequens est contra communem Theologorum sensum, dum docent, contritionem,vt antecedit gratiam,non esse meritoriam ex iustitia;ergo &c. Sequella patet: quia non minor, sed maior valor requiritur ad Satisfaciendum, quàm ad merendum.

51 M. Bañes.1.p.q.21. art. 4. Respondet ad hoc argumentum,contritionem,vt præcedit gratiam, non esse meritoriam de condigno, esse tamen Satisfactoriam pro peccato ex iustitia,sibique facere debitam remissionem peccati. Cuius rationem à priori dicit esse, quòd meritum primò, & per se respiciat bonum intrinsecum merentis,nempe, præmium beatitudinis supernaturalis sibi à Deo tribuendum. Vnde vt actus sit meritorius,non sufficit eius bonitas intrinseca, sed insuper requiritur condignitas Personæ merentis, & quædam intrinsica proportio (quæ fit formaliter per gratiam) ad præmium beatitudinis: atque adeò requiritur, quòd actus meritorius procedat à Persona grata,& accepta Deo in ordine ad supernaturalem finem.At verò Satisfactio non ordinatur ad bonum Satisfacientis,sed eius,cui fit Satisfactio,nempe, ad compensandam injuriam illi factam. Vnde vt actus Satisfactorius sit,non requiritur, quòd procedat à Persona grata,sed sufficit, quòd ex natura sua offensam factam resarcire valeat, tantum tribuendo honorem Personæ offensæ, quantus illi fuerat ablatus.Cùm ergo cõtritio, quatenùs actum charitatis includit, hoc habeat intrinsece,poterit pro peccato Satisfacere ex iustitia, tametsi non procedat à Persona formaliter grata Deo. Nec mirum plùs ad meritum,quàm ad Satisfactionem requiri,nam qui Satisfacit, solùm persoluit debitum ei, cui Satisfacit:qui verò meretur,eum, apud quem meretur, sibi debitorem facit ex iustitia.

Nihilominùs hæc Solutio est omninò falsa,nam primò Supponit,minorem valorem requiri in actu, ad Satisfaciendum pro culpa ex iustitia,quàm ad merendum gloriam de condigno, quod falsum esse, ex doctrina tradita Disputatione præcedente colligitur: diximus enim,puram creaturam constitutam à Deo caput omnium hominum,potuisse ex iustitia,& ad æqualitatem mereri gratiam,& gloriam illis, nõ tamen pro eorum peccatis Satisfacere,propter infinitatem, quam vt sunt offensa Dei,dicunt. Deinde etiam falsò Supponit M.Bañes,bonitatem intrinsecam actus sufficere, vt sit Satisfactorius ex iustitia;nam quantumlibet actus sint boni ex obiecto,si tamen à Persona grata non procedũt, non sunt Satisfactorij pro venialibus culpis, nec pro pœna temporali debita pro mortalibus, vt constat ex D.Thoma infra.q.87. Et in additionibus.q.17. vt ibidem videbimus.Ex hoc concluditur hæc ratio. Actus charitatis,& quicũq; alius etiã perfectissimus, nisi procedat ab homine grato,& iusto, non est Satisfactorius pro pœna temporali,nec pro peccatis venialibus ex iustitia:ergo à fortiori nec pro culpa mortali, ita vt eius remissionem sibi faciat debitam ex iustitia. 52

Neque obstat differentia tradita à M. Bañes inter meritum,& Satisfactionem,quia Satisfactio pro culpa cedit etiam in vtilitatem, & bonum Personæ Satisfacientis:moraliter enim maximæ æstimationis est,quòd peccatum illi remittatur,imò & maioris, quàm quòd ei concedatur gloria,& beatitudo. Item sicut per meritum obligatur Deus ex iustitia,Supposita promissione ipsius ad retribuendam gloriam merenti de condigno;sic etiam obligatur ad remittendum peccatum Satisfacienti ex iustitia, ita vt illius remissionem sibi faciat debitam: non enim minus est ex iustitia pœnam temporalem ex peccato relictam iustis condonare, vel culpas veniales,quàm dare gloriam eisdem. Quomodò autem contritio,vt præcedit gratiã in genere causæ materialis,sit Satisfactio ex iustitia pro peccato, vt est offensa Dei,& similiter sit meritoria gloriæ, explicabitur Disputatione sequente,vbi constabit,quam vim,& efficacitatem habeat hæc ratio præcedens. Interim diluenda sunt argumenta in contrarium proposita. 53

Soluuntur argumenta primæ Opinionis. §. VI.

AD Primum Argumentũ Resp. loca Sacræ Scripturæ,in quibus peccatorum remissio tribuitur charitati,& actui contritionis,sic esse intelligenda,quòd tribuitur illi,non tanquam formæ principali, illam causanti,sed tanquam prærequisitæ dispositioni, ad quam infallibiliter consequitur peccatorum remissio;non quidem Physicè,& ex natura rei, sed moraliter ex Dei ordinatione, & lege fundata potiùs in ipsius liberalitate,& misericordia,quàm in natura, aut valore morali actus contritionis. 54

Pro responsione autem ad alia argumenta aduertendum est, peccatum posse dupliciter considerari, 55

Primò, vt dicit specificam rationem malitiæ, consistentem vel in priuatione conformitatis ad regulam Diuinam, vel in positiua, & contraria disconformitate ad eam. Secundò moraliter, vt est offensa Dei. Si priori modo consideretur, potest Physicè destrui per quemcumque actum oppositum, tribuentem eandem, aut maiorem rectitudinem moralem subiecto, quam abstulerat peccatum. Posteriori autem modo nequit Physicè destrui, sed sicut reliquæ injuriæ, moraliter debet deleri, aut per iustam, & æqualem compensationem, aut per gratuitam ipsius remissionem. Quò fit, vt Deum remittere peccatum, prout est offensa ipsius, non sit illud dissimulare, aut tegere, quasi ad illud conniuendo, vt impiè mentiuntur Lutherani: neque verò sit, vt docuit Scotus. 4. d. 15. quæst. 1. nolle vindictam sumere de peccatore, sed potiùs sit, velle illi placari, & ampliùs eum non habere, vt inimicum, & offensorem.

56 Hoc supposito: Ad secundum argumentum Resp. auersionem à Deo, quæ in quocumque peccato includitur, duo dicere: nempe, Physicum motum voluntatis, seu actum, quo peccator accedit ad creaturam, & recedit à creatore: secundò huiusmodi motum, non præcisè, sed vt habet rationem offensiui, & injuriosi. Vnde transacto actu peccati manet homo quasi habitualiter, & in actu primo ex vi actus præcedentis dupliciter auersus à Deo; & Physicè, quatenùs eius voluntas manet inclinata, & virtualiter affecta ad creaturam: & moraliter, prout ratione actus præcedentis, vt injuriosi, intelligitur infestus, & inimicus ipsi Deo, vt pote illius injuriator, & offensor. Per actum ergo Charitatis, quo homo conuertitur in Deum, Physicè, & ex natura rei tollitur habitualis auersio Physica; id est, virtualis illa inclinatio, & affectus ad creaturas; non tamen auersio moralis, secundùm quam intelligitur inimicus Dei, vt pote illius offensor: quia hæc, cùm sit quid morale, destrui non potest, nisi aut gratis remittatur, aut iustè, & ad æqualitatem compensetur. Cùm ergo actus Charitatis, præcipuè vt antecedit gratiam, non habeat sufficientem valorem, ad compensandam condignè injuriam Deo per peccatum illatam, non potest destruere illam moralem auersionem, quæ nihil est aliud, quàm habitualis offensa.

57 Sed obijcitur. Actus Charitatis est moralis, & liber; ergo liberè, & moraliter conuertit hominem ad Deum: ergo tollit auersionem moralem, qua priùs erat auersus à Deo. Resp. Actum Charitatis liberè quidem conuertere hominem ad Deum; cæterùm hanc liberam conuersionem non opponi morali auersioni peccati, vt importat injuriam Dei, sed præcisè vt dicit Physicum motum voluntatis, quo homo recedit à Deo.

58 Ad primam confirmationem concesso antecedenti negatur vltima consequentia. Et ad probationem concesso antecedenti, neganda est consequentia: iam enim ostensum est, peccatum, vt est offensa Dei, non posse Physicè destrui, sed moraliter esse delendum, aut per iustam, & æqualem compensationem, aut per gratuitam ipsius condonationem. Quare cùm actus contritionis non habeat sufficientem valorem ad condignè compensandam offensam, nequit destruere, & expellere peccatum, sed necessariò requiritur extrinseca Dei condonatio, & infusio gratiæ habitualis ad illud expellendum. Ac proinde actus contritionis, siue dilectionis Dei ex vi sua, & secundùm propriam speciem, tantùm intelligitur esse destructiuus, & expulsiuus peccati, vt est offensa, & injuria Dei, dispositiuè quidem; quoniam si peccator talem habeat dispositionem, statim Deus illi peccatum condonat.

Sed replicatur. Auersio habitualis efficaciter expellit ab anima gratiam, & Charitatem, & quamcumque habitualem conuersionem in Deum, quia sunt formaliter, & ex natura rei opposita, ergo similiter conuersio habitualis relicta ex conuersione actuali contritionis, & dilectionis Dei, efficaciter expellet quamcumque deordinationem habitualem: cùm enim formaliter opponantur, non est maior ratio, cur vnum expellat alterum, quàm è contra. Resp. negando consequentiam, quia auersio est malum culpæ, ac proindè est potentior ad destruendum, quàm conuersio contritionis ad reparandum, quod per peccatum ablatum est. Item conuersio habitualis in Deū, si quæ ex actuali conuersione contritionis relicta est, non opponitur formaliter habituali auersioni, quæ ex peccato mansit; hoc est, vt forma illi immediatè opposita; sed sicut dispositio, quæ ad vnam formam disponit, opponitur formæ oppositæ. Quare conuersio habitualis ex actuali conuersione contritionis relicta, non expellit formaliter, & ex natura rei auersionem habitualem peccati: sed tantùm dispositiuè, & ex lege Dei: quia posita conuersione contritionis, decreuit Deus expellere auersionem habitualem peccati per nouam gratiam distinctam ab ea, quam ad conuersionem contritionis actualem contulit. 59

Sed instatur. Illa se expellunt formaliter, & ex natura rei, quæ priuatiuè opponuntur, ita vt neque de potentia absoluta simul esse possint: sed auersio habitualis peccati est priuatio illius conuersionis habitualis, quæ ex actu contritionis manet: ergo mutuò se expellunt ex natura rei, & non dispositiuè, vel de lege. Resp. negando minorem, quia habitualis auersio peccati non includit essentialiter priuationem illius conuersionis in Deum, quæ ex actu Charitatis relinquitur, quia per hanc conuersionem non constituitur homo in statu gratiæ & amicitiæ Dei, cuius priuationem dicit status peccati, vel auersio habitualis à Deo, tametsi per illam constituatur vltimatè dispositus ad statum gratiæ. Vnde solùm dicit priuationem conuersionis habitualis in Deum, quæ causatur per gratiam, siue intrinsecam, siue extrinsecam: cùm per quamlibet istarum constituatur in statu gratiæ, & amicitiæ Dei, ad quam disponitur per actualem conuersionem contritionis, & per quamcumque etiam habitualem ex illa relictam. 60

Ad reliquas obiectiones contra Solutionem assignatam in eadem prima confirmatione Resp. actum peccati sufficere ad auertendum hominem, non solùm Physicè, sed etiam moraliter à Deo, quia non solùm habet vim conuertendi ipsum ad contrarium obiectum, sed etiam offendendi ipsum Deum. At verò actus 61

Charitatis,

Charitatis, licèt habeat vim conuertendi hominem in Deum, vt in vltimum finem; non tamen habet vim placandi ipſum, condignè, & ad æqualitatem compenſando injuriam illi factam. Et ideò ex vi actus Charitatis ſolùm poteſt voluntas hominis manere virtualiter affecta, & inclinata in Deum, non tamen poteſt fieri homo Deo gratus, & acceptus.

62 Ad ſecundam confirmationem Reſp. eodem modo, quòd actus dilectionis habet vim conuertendi hominem ad Deum, ſed non ipſum placandi æqualiter. Et ideò quantùm ad hoc minoris valoris eſt ad conuerſionem hominis in Deum, quàm fuit peccatum ad auertendum; quia peccatum auertit à Deo, & Phyſicè, & moraliter: actus vero dilectionis hominem conuertit, ad Deum Phyſicè, & actualiter, non tamen moraliter, & habitualiter; nam conuerſio habitualis ad Deum ex natura rei fit per habitum infuſum. Cur autem actus bonus in ſuo genere non ſit tam efficax, Sicut actus malus, ex eo eſt, quia plus requiritur ad bonum, quàm ad malum.

63 Ad tertium argumentum principale Reſp. actum Charitatis non poſſe hominem cum Deo reconciliare, quia ipſum placare non poteſt, æqualem compenſationem pro injuria exhibendo. Sed inſtatur. Charitas eſt amicitia Dei: ergo per actum Charitatis fit homo ex inimico amicus, atque adeò reconciliatur cum Deo. Reſp. Charitatem eſſe quidem amicitiam Dei actiuè, id eſt, qua nos amamus ipſum Deum amore amicitiæ, non tamen paſsiuè, qua Deus amat nos veluti amicos, & ipſi gratos. Et quamuis cum amicitia Dei tenente ſe ex parte ipſius, non ſit compoſsibile peccatum ex natura rei, quia Deus peccatorem amare non poteſt; bene tamen cum amicitia Dei, id eſt, qua nos diligimus ipſum: nullam enim continet implicationem, quòd homo vnicè Deum diligat, & nihilominùs Deus non remittat illi offenſam, aut eum velit in ſuam amicitiam recipere.

64 Sed replicatur. Charitas eſt amor mutuus: ergo eo ipſo quòd homo amore Charitatis Deum diligit, viciſsim diligetur à Deo. Reſp. de facto ita eſſe, nã Deus diligentes ſe diligit, ſed liberè, & non neceſſario. Neque enim fingi poteſt vlla intrinſeca connexio inter actus amoris puræ creaturæ erga Deum, & Dei erga creaturam, ratione cuius poſito amore Dei in creatura, neceſſariò debeat conſequi ſimilis amor in Deo.

65 Ad confirmationem patet Reſponſio ex dictis: iam enim oſtenſum eſt, contritionem vi ſua non expellere peccatum, niſi tantùm diſpoſitiuè: in quo differt à lumine, quod vi ſua tenebras expellit.

66 Ad quartum conceditur, priuationem vtriuſque conformitatis ad Deum, vt regulam, & vt finem ſupernaturalem, quæ in peccato includitur, Phyſicè tolli per quemcumque actum contritionis; negatur tamen per huiuſmodi actum deleri peccatum, quoad omnia intrinſeca, quæ habet, quia adhùc remanet habitualis injuria, & offenſa Dei per modum termini relicta ex ipſo actu peccati, ſiue ex actuali offenſione, & injuriatione Dei. Hæc autem habitualis offenſa, quæ tranſacto peccato remanet in peccatore, non eſt formaliter aliquid reale Phyſicum, poſitiuum, aut priuatiuum, ſed quid morale, nempe, tranſcendentalis reſpectus ad præteritum actum peccati, prout fuit offenſio Dei, connotans nondùm fuiſſe remiſſam huiuſmodi præteritam offenſam. Ab hoc enim reſpectu denominatur formaliter, & intrinſecè in genere moris peccator, offenſor, & injuriator Dei; quod à poſteriori nonnulli per condignitatem moralem ad odium, & inimicitiam Dei; alij verò per poſitiuam indignitatem ad gratiam, & amicitiam ipſius aptè explicant. Etenim eo ipſo, quòd homo Deum per peccatum offenderit, manet intrinſecè indignus moraliter gratia, & amicitia ipſius, & dignus odio, & pœna æterna, quouſque aut ſufficienter prædictam injuriam compenſauerit, aut gratis Deus illam remiſſerit. Remittitur autem modo ex lege, & ordinatione Dei per gratiam habitualem, & ſupernaturales virtutes, inde conſequentes, quibus Deus peccatorem interiùs renouat, iuſtum efficit, & veluti proportionatum, & condignum obiectum ſuæ gratiæ, & amicitiæ reddit.

Sed objicitur. Gratia habitualis ſuapte natura ef- 67
ficit hominem iuſtum, & dignum amicitia Dei: ergo non ſolùm ex lege, & ordinatione extrinſeca Dei, ſed intrinſecè, & formaliter expellit peccatum habituale, quo homo indignus gratia, & amore Dei redditur. Aliqui concedunt conſequentiam. Sed certè non rectè intelligitur, quo pacto ex Phyſica receptione huius habitus, intrinſecè, & ex natura rei ſequatur remiſsio peccati, prout eſt offenſa Dei, quæ eſt quid morale, & alterius generis. Neque apparet repugnantia, quòd Deus habitum gratiæ, & Charitatis peccatori concedat, & nihilominùs nolit offenſam remittere, quouſque illam ſufficienter compenſet. Quarè Reſpondetur, gratiam habitualem non reddere hominem dignum amore Dei moraliter, ſed quaſi Phyſicè; quod potiùs eſt facere illum proportionatum, & congruum obiectum Diuinæ dilectionis. Verùm hæc congruitas, & proportio Phyſica ad amorem Dei, non pugnat formaliter cum peccato, vt eſt offenſa Dei, neq; cum indignitate morali Diuinæ amicitiæ, et eo prouenientè: nam ſunt res diuerſi generis, imò & diſparati omninò, nempe, Phyſici, & moralis.

Sed dubitatur; per quid formaliter, & ex natura rei 68
tollitur peccatum: quatenùs eſt offenſa Dei. Reſpondetur, quòd ſi contritio eſſet tanti valoris moralis, quantæ grauitatis fuit offenſa facta Deo, per illam intrinſecè, & ex natura rei expelleretur peccatum. Sed quia non eſt tanti valoris ex natura rei: ſolùm extrinſecè expellitur per liberam, & gratuitam remiſsionem Dei, quaſi per quandam moralem actionem deſtructiuam ipſius.

Sed dices. Peccatum, vt eſt offenſa Dei, eſt quid mo- 69
rale intrinſecum exiſtens in peccatore: ergo moraliter deleri non poteſt, niſi per receptionem alicuius formæ moralis, intrinſecè incompoſsibilis cum eo. Reſpondetur negando cõſequentiam: quia ſicut frigus V.G. eſtò ſit forma Phyſica, intrinſecè inherens ſubiecto, poteſt ab illo expelli per ſolam extrinſecam ſubtractionem Diuini concurſus, ſine vlla incõpoſsibilis formæ introductione: ſic etiam peccatũ, prout eſt offenſa Dei, quãuis aliquid morale intrinſecum in peccatore exiſtens, poteſt immediatè expelli per ſolam extrinſecam remiſsionem Dei. Sed ſicut in ordine naturali nunquam

Deus formam ab aliquo subiecto expellit, nisi per introductionem alterius incompossibilis, cui talis expulsio est connaturaliter debita: sic etiam in lege gratiæ nunquam peccatum immediatè remittit, nisi introducendo habitus gratiæ, & supernaturalium virtutum, quibus peccati expulsio debito quodam congruitatis debetur.

70 Sed est obiectio. Peccatū ex natura rei non tollitur per aliquid intrinsecum, sed solùm per extrinsecam remissionem Dei: ergo peccatum remitti formaliter, est extrinseca denominatio, desumpta ab actu voluntatis Dei remittentis offensam sibi factam: quod planè videtur incidere in errorem Lutheranorum asserentium, peccata remitti formaliter per extrinsecum fauorem, & non imputationem Dei. Respondetur, remissionem peccati actiuè consideratam, esse quidem extrinsecum actum Dei, efficaciter volentis homini reconciliari: passiuè verò conceptā, importare non occultationem, aut dissimulationem habitualis peccati, vt aiunt Lutherani, sed veram, & realem, ac intrinsecam eius expulsionem: hoc est, mutationem quandam moralem intrinsecā, qua homo ex peccatore, & offensore Dei, & digno moraliter eius odio, fit intrinsecè, & moraliter non peccator, aut offensor; & manet non ampliùs dignus Dei inimicitia, sicut anteà: quæ sanè mutatio ex natura rei solùm sequitur ex actiua remissione peccati, in Deo formaliter existente. Cæterùm ex lege, & pacto Dei, quodammodò fundato in ipsa natura habitus gratiæ (cuius effectus formalis primarius est, facere participem Diuinæ naturæ, & obiectum congruum, & proportionatum amicitiæ Dei) est necessariò, & inseparabiliter connexa cum infusione gratiæ habitualis, quatenùs de facto nemini vult Deus peccatum remittere, nisi cui gratiam infundit. Vnde moraliter pro eodem solet reputari gratiæ infusio in peccatore, & peccati remissio.

71 Verùmtamen si subtiliùs, & Methaphysicè consideretur, non solùm remissio actiua peccati, quæ est actus voluntatis Diuinæ, sed & passiua, nempe, ipsius expulsio, nō est formaliter infusio gratiæ, quin potiùs sunt duæ mutationes re ipsa distinctæ; altera negatiua, scilicet, ab esse peccati ad non esse illius: altera verò positiua, à non esse gratiæ ad esse illius, suapte natura inuicem separabiles, saltem Diuina virtute, sicut calefactio, & frigiditatis expulsio, generatio, & corruptio, quę propterea in ratione mutationum differunt realiter. Cui doctrinæ fauet Concilium Tridentinum, dum docet, iustificationem impij non esse solam peccatorum remissionem, sed interioris hominis renouationem. Vbi apertè distinguit infusionem gratiæ, & donorum supernaturalium, quibus homo interior renouatur, à remissione passiua, seu expulsione peccati.

72 Ad quintum Respondetur distinguendo minorem: homo enim perfectiùs vnitur Deo per actum amoris, quàm per habitum, quantùm ad modum, quia vitali modo inhæret Deo per actum, & secundùm vltimum actum; qui hac ratione dicitur esse perfectissimus, quoniam hominem constituit in perfecto statu, & vltimo actualitatis gradu, non dando illi vltimam illius status perfectionem, sed vltimò illam complendo. Et quantùm ad istum modum, actus dicitur esse melior, præsertim in esse moris, quàm habitus: & ob id beatitudo potiùs in actu, quàm in habitu consistit. Et sic procedunt omnia, quæ de excessu actus, respectu habitus, in argumento dicuntur. Cæterùm quantùm ad substantiam, & entitatem formæ, præstat habitualis iustitia, per quam expellitur peccatum, quàm actus iustitiæ: & ideò simpliciter loquendo perfectiùs sanctificat hominem. Hæc autem excellentia potissimùm consistit in eo, quòd illa forma habitualis, & permanens est prima via quædam Diuinæ naturæ participatio; & quæ primò hominem Deificat, & efficit filium adoptiuum. Hæc verò forma est ipsa gratia, quæ in ordine supernaturali est veluti prima substātialis forma, cōstituens hominem Deū per participationem; & ratione illius debentur homini reliqua dona, quæ ad internam eius rectitudinem, & iustitiam necessaria sunt, & ab illa deriuantur actus, qui dicuntur fructus iustitiæ: ac proinde illi formæ, & iustitiæ debetur expulsio peccati, saltem debito quodam congruitatis. Actui autem, qui ordine naturæ interdum antecedit illam formam, solùm Respondet tanquàm dispositioni consentaneæ ad talem formam, & ad eius effectum.

73 Ad sextum argumentum Respondetur, antecedens esse verum, si intelligatur de expulsione peccati dispositiua, falsum verò, si intelligatur de expulsione peccati formali. Itaque actus contritionis est compensatio sufficiens ad expellendum peccatum dispositiuè, sed non formaliter. Et in eodem sensu admittendum est consequens. Et idem tantùm conuincunt probationes antecedentis, & nihil amplius.

74 Ad septimū negatur antecedens, & ad probationem Respondetur, contritionem, quia dilectionem includit, cōuertere Physicè hominem in Deum, vt in vltimum finem; non tamen moraliter, æqualem Satisfactionem exhibendo pro iniuria, ei illata. & ideò sufficientem nō esse ad restituendum Deo honorem ablatum per peccatum. Item quia conuertit actualiter, & non habitualiter, ideircò insufficiens est, ad expellendum ab homine auersionem habitualem ex peccato relictam.

75 Ad octauum negatur Sequella: neq; est paritas rationis quantùm ad hunc effectum, inter contritionem, & gratiam habitualem; nam gratia formaliter facit nos gratos, & dilectos simpliciter respectu Dei; quod tamen contritio non præstat. Item licet expulsio peccati sit annexa gratiæ ex lege Dei, & non ex natura rei; non sequitur, gratiam, qua iustificamur, esse tantùm fauorem Dei extrinsecum; quia in iustificatione impij duo reperiuntur, nempe, remissio peccati, & interna renouatio: & vtrumq; est effectus formalis gratiæ habitualis, sed non eodem modo: nam primum ex lege Dei, & secundum ex natura rei.

76 Ad confirmationem negatur Sequella, & ad probationem Respondetur, ad verificandam illam definitionem satis esse, quòd expulsio peccati sit effectus formalis gratiæ, siue ex natura rei, siue solùm ex lege Dei.

Soluuntur Argumenta secundæ sentētiæ. §. VII.

77 AD Primum argumentum Respondetur cum D. Thoma, in remissione peccati inueniri iustitiam, eam tamen esse imperfectā, quæ nullo modo facit sibi debitam remissionem peccati, vt latiùs constabit Disputatione sequente.

78 Ad secundum concesso antecedenti negatur consequentia propter rationem dictam. Ad cõfirmationem concessa maiori neganda est minor, quia honor, qui Deo redditur per actum charitatis, non est æqualis valoris moralis, cum injuria illi irrogata per peccatum. Ad obiectionem contra solutionem assignatam Respondetur, remissionem peccati promitti homini contrito, non tanquàm mercedem ex iustitia dandam, sed veluti donum gratiæ beneficium ex misericordia præstandum. Vnde si per impossibile peccatori contrito Deus non remitteret peccatum, non esset injustus, sed infidelis. Neque obstat testimonium Ioannis, quia vel loquitur de remissione venialium, vt docet Augustinus: vel de remissione peccatorum mortalium respectu Christi, cuius merita nobis per contritionem applicata debitam nobis ex iustitia peccatorum remissionem faciunt.

79 Ad tertium Resp. Ex natura rei nõ esse necessarium, vt actus sit Satisfactorius, quòd procedat ab homine grato, & amico ei, cui Satisfacit. Sed quia respectu Dei actus puræ creaturæ non sunt alicuius æstimationis moralis, nisi quatenùs procedunt à Persona sibi grata, & accepta: ideò per actum contritionis nequit homo ita pro peccato, vt est offensa Dei, Satisfacere, vt illius remissionem sibi faciat debitam ex iustitia. An verò faciat illam sibi debitam ex quadam congruitate, & decentia morali, quidam cõcedunt, quia sicut in naturalibus vltimæ dispositioni debetur forma debito quodam cõnaturalitatis: sic etiam in supernaturalibus servat Deus iustitiam in peccati remissione, quatenùs contritioni, seu dilectioni Dei debita est peccati remissio ex quadam proportione, & congruitate. Nihilominùs veritas huius solutionis examinabitur Disputatione sequente, vbi etiam constabit, An contritio, vt antecedit gratiam, sit opus amici, vel inimici.

QVARTADECIMA DISPVTATIO. §. I.

VTRVM Purus homo possit aliquo modo pro peccato mortali proprio Satisfacere, ita vt ex vera iustitia, siue perfecta, & æquali, siue imperfecta, cõsequatur illius remissionem, & Diuinam condonationem. Sic autem est intelligendus disputationis titulus.

1 An actus contritionis, & dilectionis Dei super omnia, estò nequeat per se expellere peccatum absque remissione Dei, sit tamen tanti valoris ad Satisfaciendum Deo, vt homo per illum actum offerat Deo sufficientem Satisfactionem ad huiusmodi remissionem obtinendam: siue illa Satisfactio sit condigna, & ad æqualitatem, per quam faciat sibi debitam remissionem peccati, sicut per sufficiens meritum facit sibi debitum præmium condignum; & sicut supposita gratia sanctificante, & remisso peccato mortali, potest Satisfacere de condigno pro pœna temporali: siue sit imperfecta, & absque vlla condignitate, & æqualitate. Intelligitur etiam de satisfactione imperfecta, vt distinguitur contra perfectam, quæ fit ex proprijs, & indebitis, & appellatur de rigore iustitiæ, nec debet fundari in gratia eius, cui exhibetur. Potest autem aliqua Satisfactio in alterius gratia fundata esse æqualis, & iusta, ad quod sufficit, vt reddat tantum bonum, quantum abstulit peccatum, licet indigeat acceptatione alterius, ad quã teneri potest ex pacto, seu promissione. Est igitur sensus, An in compensatione, quam pœnitens offert pro peccato, reperiatur ratio iustitiæ, per modum Satisfactionis pro culpa, ita vt per contritionem Satisfaciat homo pro peccato, vt est offensa Dei, siue id fiat ad æqualitatem, ita vt contritio adæquet offensam, & faciat sibi debitam ex iustitia remissionem peccati, siue ita imperfectè, vt nulla in tali Satisfactione reperiatur æquiualentia: An verò nulla ratione contritio sit Satisfactio pro culpa, neque condigna, neque imperfecta. Probatur autem, purum hominem per actum contritionis nullo modo posse etiam ex iustitia imperfecta pro culpa mortali Satisfacere.

2 Primò. Remissio peccati nõ fit ex iustitia, sed ex mera gratia Dei: ergo pœnitens non Satisfacit ex iustitia pro culpa mortali. Consequentia videtur euidens: quia Satisfacienti ex iustitia pro culpa, & offensa, debetur ex iustitia remissio culpæ: ergo si pœnitens Satisfacit ex iustitia pro culpa, remissio culpæ non fit gratis, sed ex iustitia. Probatur antecedens: quia secũdùm fidem peccator gratis iustificatur, vt cõstat ex D. Paulo ad Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per Redemptionem, quæ est in Christo Iesu.* Sed remissio peccati intrinsecè clauditur in iustificatione impij: ergo fit gratis, sicut ipsa iustificatio. Consequentia patet, quia Paulus omnem rationem iustitiæ videtur ex parte nostra excludere: ex parte vero Dei puram gratiam statuit, per quam gratis iustificamur. Minor probatur, primò ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. vbi dicitur. *In iustificatione simul cum remissione peccatorum, hæc omnia infusa accipit homo.* Vbi tanquàm certum præsupponit Concilium, peccatorum remissionem intrinsecè includi in iustificatione. Quod etiam colligitur ex Canone. 11. eiusdem sessionis. Secundò probatur minor: quia iustificatio nihil aliud est, quàm reconciliatio peccatoris cum Deo offenso; sed hæc reconciliatio fieri non potest absque remissione culpæ, & offensæ. ergo &c.

3 Secundò. Omnis Satisfactio ex iustitia, etiam si sit imperfecta, est condigna; sed puri hominis Satisfactio etiam cum gratia non est condigna pro culpa mortali: ergo neque imperfecta. Maior probatur. Primò, quia omnis Satisfactio ex iustitia, etiam imperfecta, procedit ex gratia, & motione Spiritus Sancti; sed gratia, & motio Spiritus Sancti facit nos condignos, & consortes Diuinæ naturæ: ergo facit nos condignè Satisfacere. Secundò. Meritum hominis iusti, etiam si non sit ex toto rigore iustitiæ, est meritum de condigno vitæ æternæ, quod vera fides docet, & explicat D. Thom. 1. 2. q. 114. art. 3. Ergo similiter omnis Satisfactio ex iustitia, quamuis non sit ex toto rigore iustitiæ, erit condigna pro peccatis. Minor autem principalis est expressè D. Thomæ in solutione ad secundum huius articuli.

4 Tertiò. Contritio non est meritoria remissionis culpæ: ergo neque Satisfactoria pro offensa contra Deum commissa. Antecedens est dogma fidei; alioqui remissio peccati non fieret gratis, si contritio esset meritoria remissionis culpæ. Consequentia probatur: quia opus Satisfactorium corã Deo est etiam meritorium; omne enim opus bonum est meritorium, constat autem Satisfactionem esse opus bonum.

5 Quartò. Deus nulla ratione, etiam imperfecta, debet ex iustitia remittere offensam; ergo homo, dum à peccato iustificatur, nulla sua actione Satisfacit Deo pro offensa, contra ipsum commissa. Antecedens est D. Thomæ. 1. p. q. 21. art. 1. ad. 3. Consequentia probatur: quia merces debetur bonis operibus, si fiant, licèt præcedat gratia Dei, vt fiant, vt definitur in Concilio Arausicano Canone. 18.

6 Quintò Omnis nostra Satisfactio respectu Dei præsupponit remissionem culpæ; alioqui nullius momenti esset nostra operatio ad Satisfaciendum; ergo implicat Satisfacere pro offensa, quæ iam est remissa per Diuinam misericordiam.

7 Confirmatur. Vel illa Satisfactio est pro culpa, quæ non est, vel pro culpa, quæ est saltem in reatu. Si dicatur primum: ergo homo Satisfacit pro culpa, quæ omninò non est, cùm per gratiam iam sit remissa. Si detur secundum: ergo tunc homo non est reconciliatus cum Deo.

8 Sextò. Si homo Satisfacit pro culpa per contritionem, vel hoc fit per contritionem, vt subsequitur gratiam in genere causæ formalis, & efficientis; vel vt antecedit illam in genere causæ materialis: sed neutro modo hoc fieri potest: ergo &c. Maior est euidens, quia nequit aliter considerari contritio, nisi vel vt est dispositio ad gratiam, siue Physica, siue moralis, & ex Diuina ordinatione, & ex consequenti vt antecedens gratiam; quia dispositio, tam moralis, quàm Physica, est prior naturâ, ipsa forma, ad quam disponit, & comparatur ad illam, vt causa materialis; vel vt sequitur gratiam, à qua perficitur, & quasi vltimò formatur. Sed probatur minor quo ad priorem partem.

9 Contritio, vt subsequitur gratiam, supponit culpam iam esse remissam, ergo non Satisfacit pro illa. Consequentia patet, quia Satisfactio pro culpa, ordinatur ad consequendam remissionem culpæ: implicat enim, vt Satisfactio, quæ pro aliquo fit, nullum debitum supponat, ad cuius compensationem ordinetur: sed culpa iam remissa, iam non est, neque est compensabilis, sicut nec culpa, quæ nondum est commissa: ergo remissa culpa, nequit pro ea vlla offerri Satisfactio. Antecedens patet, quia gratia expellit culpam, priùs ratione, quàm gratificet subiectum, & informet opera indè sequentia; ergo contritio, quatenùs præsupponit gratiam, præsupponit etiam hominem reconciliatum Deo, ac proinde præsupponit remissionem peccatorum factam.

10 Confirmatur primò: quia per gratiam teguntur peccata, & radicitùs expelluntur, ex quo homo, qui iustificatur, dicitur beatus, cui non imputauit Dominus peccata: ergo post gratiam, & effectum formalem illius, nihil superest peccati, cui Respondeat compensatio.

11 Confirmatur secundò: quia per gratiam vel fit plena remissio culpæ, vel non. Hoc secundum à nullo viro Catholico affirmari potest: si detur primum: ergo nihil manet compensandum, aut cui actus ex iustitia occurrat.

12 Confirmatur tertiò. Pœnitens per actus Satisfactorios sibi à cõfessario iniunctos, aut voluntariè assumptos, non Satisfacit pro culpa, sed pro pœna temporali, quia supponit culpam iam esse remissam: ergo neque per actum contritionis, vt sequitur gratiam, compensat pro injuria. Antecedens colligitur ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 14. Consequentia probatur, nam cõtritio isto modo etiam supponit culpam remissam per gratiam. Sicut enim per Sacramentum Intelligitur culpa, & pœna æterna remissa, & ita actus Satisfactorij solùm Respondeut pœnæ temporali, vt ex prædicto Cõcilio colligitur: sic etiam gratia iustificans remittit culpam, & pœnam æternam, ac proindè contritio, vt subsequitur gratiam, non habet, pro quo Satisfaciat.

Præterea probatur eadem minor, quoad posteriorem partem. Primò: contritio, prout antecedit gratiam, in genere causæ materialis, solùm habet rationem dispositionis, quam Deus efficit in nobis, vt infundat gratiam, cuius dispositionis causalitas solùm est ratio causæ materialis; ergo vt sic, nequit habere rationem Satisfactionis. Probatur consequentia; quia Satisfactio dicit actionem, prout est à Satisfaciente, & reddente, quod debet, quæ consideratio est causæ efficientis, saltem moraliter, quia est opus gratiæ cooperantis. 13

Secundò. Contritio, vt antecedit gratiam, non est opus amici Dei: sed omnis iustitia, quæ potest intercedere inter Deum, & hominem, fundatur in amicitia; quia omnis iustitia hominis ad Deum est amicabilis, & non rigorosa; ergo contritio, vt est dispositio antecedens gratiam, non est de iustitia Satisfactoria. Maior patet: quia est opus peccatoris nondum existentis in gratia in illo priori: ergo est opus inimici, & non amici. Idem etiam patet: quia opus illud ordinatur, vt homo exeat à peccato; ergo nondum consideratur, neque est amicus. 14

Tertiò. Omnis valor operis sumitur à gratia, & charitate, ergo contritio, vt antecedit gratiam, nullum valorem Satisfactorium habet. Antecedēs patet, quia operatio hominis, de se, & à se, non habet valorem in ordine ad supranaturalia, sed solùm habet valorem supranaturalem, vt induit supernaturalem formam; & quatenùs dirigitur in finem charitatis; quod, vt constat, de se non habet. Neque similiter habet valorem ab operante, cùm sit in peccato: & præterea, quia est inferioris naturæ: ergo à sola gratia, & charitate habet illum, & proindè considerata, vt antecedit gratiam, nullum habet valorem ad Satisfaciendum, & compensandum. 15

Dices, habere valorem à gratia operante, scilicet, ab auxilio Diuino, & supranaturali. Contra: quia omnia opera, quæ antecedunt conuersionem, & iustificationem, & ad illam ordinantur, atque disponunt, procedunt à gratia operante, aut ab auxilio speciali Dei, & tamen nõ omnia habent valorem ad Satisfaciendum, vel merendum: ergo auxilium non sufficit, vt contritio antecedens gratiam cooperantem, dicatur Satisfactoria. 16

Quartò. Satisfactio pro culpa est actus gratiæ cooperantis, nam qui Satisfacit, operatur, vt agens principale, & se mouet, sicuti & is, qui meretur: sed contritio, prout est dispositio ad gratiam, non est opus gratiæ cooperantis, sed operantis: non enim seipsum mouet pœnitens, quatenùs ad gratiam disponitur; sed mouetur à Deo, à quo etiam disponitur ad suscipiendam gratiam: ergo contritio, quatenùs est dispositio, non Satisfacit pro culpa de iustitia. 17

Quintò. Si contritio esset Satisfactoria pro culpa: ergo etiam esset meritoria gratiæ primæ, & remissionis peccati: sed consequens est falsum, & contra D. 18

Thomam,

Thomam,& omnes sectatores illius;ergo &c. Sequella patet:quia in præsenti materia, à Satisfactione ad meritum est optima consequentia: quare cùm contritio, vt disponit ad gratiam, sit opus Deo acceptabile, erit consequenter meritorium.

19 Sextò. Si Satisfacit pro culpa, quatenùs antecedit gratiam in ratione dispositionis: ergo gratia non confertur purè gratis, sed ex iustitia. Sed consequens est cótra D. Paulum ad Rom. 11. Si enim gratia ex operibus, & ex iustitia datur, iam non est gratia. Probatur sequella. Satisfacienti ex iustitia pro culpa, debetur ex iustitia remissio peccatorum; ergo similiter debetur illi gratia. Patet consequentia, quia remissio peccati est formalis effectus, quasi secundarius gratiæ; sed cuicumque debetur formalis effectus alicuius formæ, debetur etiam & ipsa forma, prout est causatiua illius effectus: ergo &c.

20 Confirmatur. De lege ordinaria nõ fit remissio peccati, nisi per infusionem gratiæ, ita vt ipsa remissio sit quasi secundarius effectus formalis gratiæ; ergo si per contritionem, vt antecedentem gratiam, pœnitens Satisfacit pro culpa, habet ius iustitiæ ad remissionem illius: & ex consequenti habet idem ius ad gratiam. Patet consequentia, quia implicat, effectum alicuius formæ esse debitum, & non esse debitam ipsam formam.

21 Septimò. Bene sequitur. In illo priori, quo in genere causæ materialis contritio antecedit gratiam, homo Satisfacit de iustitia pro culpa: ergo Deus ex vi illius contritionis manet pacatus, & contentus. Sed consequens est falsum. Ergo. Sequella patet, quia repugnat, hominem verè Satisfacere pro culpa, & Deum non acceptare talem Satisfactionem, manereque pacatum. Minor probatur, quia si manet pacatus, & remisit iniuriam ex vi illius contritionis: ergo charitas, & gratia nihil præstant ad hoc. Insuper, quia implicat, istum adhùc esse inuisum Deo, & auersum ab illo pro eo instanti, & Deum esse pacatum, rectéque se erga illum gerere.

22 Confirmatur, quia in illo priori naturæ, gratia nondum facit hominem gratum, & iustum. ergo tunc homo nondum fecit iustitiam, atque adeò neque reddidit Deo iustam Satisfactionem pro offensa.

23 Octauò. Si contritio Satisfacit de iustitia imperfecta pro culpa in ratione dispositionis; ergo in quantùm est actus iustitiæ; est dispositio ad gratiã, ac proindè sicut gratia proportionatur contritioni, prout est dispositio; sic etiam proportionatur, & correspódet illi, prout est actus iustitiæ; & ex consequenti non confertur gratia purè gratis, sed ex iustitia, & ex debito.

24 Nonò. Inter hominem, & Deum non est propriè iustitia: ergo vt Satisfaciat ex iustitia apud Deum, necessum est, interueniat liberalitas ipsius Dei acceptantis Satisfactionem illius; sed hæc acceptatio fit per gratiã: ergo Satisfactio hominis supponit gratiam, & ex consequenti actus contritionis, vt antecedit gratiam, non est Satisfactorius pro culpa, non solùm de condigno, sed etiam neque imperfectè.

Referuntur Opiniones. §. II.

25 DE Præsenti difficultate sunt variæ, ac inter se dissidentes Theologorum sententiæ. Quidam absolutè negant, contritionem, siue antecedat, siue sequatur gratiam, esse de iustitia Satisfactoriam pro culpa, & offensa Dei. Et ex consequenti negant esse actum iustitiæ commutatiuæ Sic docent Richardus in 4. d. 17. q. 1. art. 4. Caietanus opusculo de Fide & operibus cap. 11. D. Soto lib. 3. de Natura & gratia cap. 6. Palatios in. 4. d. 15. q. 7. P. Medina hîc, & 1. 2. q. 114. art. 5. Et adeò mordicus defendit istam sententiam, vt oppositam censeat esse erroneam, aut saltem errori proximam. Eandem etiam opinionem defendit P. Zumel. 1. p. q. 21. art. 4. & Latiùs. 1. 2. q. 113. art. 5. Disput. 2.

26 Alij verò Theologi in alio extremo affirmant, contritionem esse Satisfactoriam pro culpa: sed isti adhùc in varias distrahuntur opiniones. Quidam enim affirmant, posse hominem peccatorem de condigno, & ad æqualitatem Satisfacere pro culpa mortali, per contritionem, vt subsequitur gratiam, & per hanc Satisfactionem consequi remissionem eius. Ita sentit Caietanus hîc in primo dubio circa solutionem ad secũdum. Paludan. in. 3. d. 20. q. 1. M. Soto in. 4. d. 15. q. 1. Ruardus Taper art. 6. de Satisfactione pagina. 537. Et M. Medina hîc, quamuis ex professo impugnet sententiam Scoti, Caietani, & aliorum, dissoluens postea argumenta Scoti, inquit, actum contritionis, & dilectionis, quatenus informatur gratia, esse æquiualentem, & condignam recompensationem ad æqualitatem, solumq; esse imperfectã, quia supponit gratiã. Et in Solutione ad secũdum argumentũ Scoti concedit, actum charitatis adæquare infinitatem peccati, quem sanè actum, si posset homo ex proprijs viribus habere, posse perfectè Satisfacere, sed modò non posse, quia nullus potest gratiam, & charitatem ex proprijs viribus obtinere.

27 Hæc autem sententia confirmatur aliquibus argumentis. Primò: quia remissio peccati est opus Diuinæ iustitiæ: ergo fundatur in iusta Satisfactione. Aliàs potiùs esset remissio ex liberalitate, vel misericordia. Antecedens patet ex illo. 1. Ioan. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Et ad Hebræ. 6. *Non enim injustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri.* Loquitur autem Paulus de his, qui gratiam, & bona opera peccando amiserant.

28 Secundò. In conuersione peccatoris perfecta, & ex toto corde, ac Dei gratia, reperiuntur omnia necessaria ad condignam, & iustam Satisfactionem. ergo erit iusta Satisfactio. Probatur antecedens. Per actum contritionis reddit homo tantum bonum, quantum per peccatum fuit ablatum; ergo Satisfacit de condigno, & ad æqualitatem. Probatur antecedés: quia charitas restituit subiecto rectitudinem, & Deo honorem, quantum peccatum abstulerat; etenim peccatum non abstulit maius bonum, quàm aptum natum erat inesse actui humano: sed per charitatem habet actus humanus tantum bonum, quantum fuerat ablatum; quia priuatio non habet plus malitiæ, quàm actus habeat bonitatis; sicut tenebræ tantum habent mali, quantum boni lux, malitia verò in omni sua ratione est priuatio; ergo peccator optimè potest Satisfacere, & de facto Satisfacit pro culpa.

29 Tertiò. Ad meritum de condigno solùm requiritur ex parte Dei promissio mercedis sub conditione operis; ergo ad condignam Satisfactionem ex parte Dei solùm est necessaria promissio remissionis culpæ sub conditione talis operis in Satisfactionem exhibiti; sed talis

Digitized by Google

talis promissio sæpè facta est in Scriptura, vt Actor. 8. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Et Psalm. 31. *Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Ergo posita tali pœnitentia à peccatore, tenetur Deus remittere peccatum saltem ex promissione.

30 Est tamen aduertendum, maximum esse discrimen inter sententiam disputatione præcedente refutatam, & hanc, quam modò explicamus: quia iuxta illam non requiritur Dei acceptatio, quam tamen hæc requirit fundatam in cõdignitate, & æqualitate Satisfactionis, & promissione Dei. Item iuxta illam remissio fit formaliter per ipsam contritionem, non verò secundum hanc, sed Satisfactoriè duntaxat, quod est quoddam genus efficientiæ, saltem moralis. Item illa sententia negat, remissionem peccati esse nouum gratiæ beneficium, à contritione, & formali eius effectu distinctum: hæc verò concedit esse distinctum, & de potentia absoluta separabile; debitum tamen nunc, supposito pacto, & condignitate Satisfactionis. Item illa sententia asserit, Deum non posse facere, etiam de potentia absoluta, quin contritio habeat efficaciam Satisfactionis, tollendo culpam: at ista sententia id negat, quia nulla facta suppositione posset Deus talem actum in Satisfactionem non acceptare, cùm alijs multis titulis sit illi debitus, cùmque ipse sit Dominus omnium, supposita tamen promissione, nequit illum non acceptare.

31 Est tertia sententia affirmans, per contritionem, siue antecedat, siue sequatur gratiam, non posse hominem ad æqualitatem pro peccato Satisfacere, etiam ex imperfecta iustitia. Sic D. Thomas hîc ad. 2. & infra. q. 85. art. 3. in corpore, & ad. 2. Vbi Caietanus Respondens ad tertium dubium videtur in eãdem sententiam propendere. Et idem D. Thomas in. 4. d. 14. q. 1. Loquens de pœnitentia infusa, dicit, non posse Deo reddere æquiualens pro offensa; sicut neque potest Religio, seu gratitudo pro beneficio. Et d. 15. q. 1. art. 2. ad. 1. Sufficientiam Satisfactionis nostræ tribuit misericordiæ Dei acceptantis illam: volens significare, grauitatem peccati esse ex ipsomet, eo quòd sit auersio à Deo infinito: valorem autem Satisfactionis nostræ ex se non esse sufficientem, sed suppleri ex infinita misericordia Dei, qui vult illa esse contentus. Eandem sententiam tenet Bonauentura in. 3. d. 20. q. 3. ad. 2. & q. 4: Richardus ibidem q. 4. Durandus q. 2. & in. 4. d. 15. q. 1. & omnes discipuli D. Thomæ, Medina hîc, Soto lib. 3. de Natura & gratia cap. 6. Zumel loco citato. Suarez in hoc articulo Disput. 4 sectio 9. Et ferè est communis sententia omnium recentiorum paucis exceptis.

32 Est quarta sententia asserens, contritionem, vt antecedit gratiam in genere causæ materialis, esse Satisfactoriam pro culpa, imperfectè tamen, & ex imperfecta iustitia, non quidem ad æqualitatem, & de condigno, sed ex Diuina acceptatione. Princeps autem huius sententiæ firmamentum in eo est positum, quòd ad Satisfactionem ex iustitia imperfecta, non requiritur, vt Satisfactio sit secũdum se sufficiens, æquiualens, & æqualis offensæ; sed satis est, vt sit sufficiens iuxta legem, & beneplacitum eius, cui fit Satisfactio: quoniam iuxta legem à Deo statutam, cor contritum & humiliatum est sacrificium Deo acceptum, idest, Satisfactio sufficiens pro peccatis commissis: ergo contritio pœnitentis secundùm legem à Deo statutam, Satisfacit ex iustitia pro culpa. Patet consequentia, quia contritio, vt antecedit gratiam, est verè, & essentialiter contritio.

Præterea affirmat hæc sententia, cõtritionem, quatenus est Satisfactoria pro culpa, esse vltimam dispositionem ad gratiam, ita vt in ratione vltimæ dispositionis ad gratiam claudatur intrinsecè ratio Satisfactionis pro culpa. Hanc sententiam tenent plures nouiores Thomistæ, & est expressa sententia D. Thomæ locis infra citandis. Pro decisione igitur veritatis sit 33

Prima Conclusio. §. III.

PER Actum contritionis, siue antecedat, siue sequatur gratiam, nequit homo Satisfacere de condigno, & ad æqualitatem pro culpa mortali. Ratio pro vtraque parte sumitur in cõmuni ex eo, quòd homo non potest reddere Deo actum tantæ bonitatis, vt per illũ possit reddere Satisfactionem æquiualentem, & condignam pro offensa, quam intulit, vt supra Disput. 16. Ostensum est. Etenim peccatum contra Deum habet quandam infinitatem, ex infinitate Diuinæ magestatis offensæ deriuatam, quam appellant secundùm quid hanc autem malitiæ, & offensæ infinitatem, quantumlibet minimam, & secũdùm quid, nulla Satisfactio potest adæquare, quæ nõ procedat à Persona tantæ authoritatis, quantæ est Deus per peccatum offensus: quia talis grauitas prouenìens ex magestate Personæ læsæ, non aliundè, quàm ex dignitate Personæ Satisfacientis compensatur: nam quantacunq; fuerit Satisfactio, si non habet valorem aliqualiter infinitum, infinitate Personali, hoc est, ex dignitate Personæ Satisfacientis desumpta, non compensabit pro offensa, quatenùs includit illam infinitatem secundùm quid, & extrinsecam, ex magestate Personæ læsæ ad peccatum deriuatam. Et ideò contritio, siue antecedat, siue sequatur gratiam, non est æquiualens, & condigna Satisfactio. Sed probatur conclusio quoad singulas partes. 34

35 Et primò, quòd contritio, vt antecedit gratiam, non sit condigna, & æquiualens Satisfactio, patet ex Sancta Scriptura in omnibus illis locis, in quibus remissio peccati appellatur gratia, & negatur dari ex operibus. Ad Ephes. 2. ad Titum. 3. ad Roman. 3. Nam si esset ex condigna, & æquiualente Satisfactione, esset ex operibus. Item ex illis, in quibus benignitati, & misericordiæ attribuitur, quòd veniam peccatoribus conferat, vt est illud. *Quia benignus & misericors est, & præstabilis super malitia sua.* Ioelis. 2. Et illud Isaiæ. 55. *Reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius.* Et Ieremiæ 31. dicitur ex persona peccatoris. *Conuerte me Domine, & conuertar postquàm enim conuertisti me, egi pœnitentiam.* Et subditur ex Persona Dei. *Idcircò conturbata sunt viscera mea super eum, miserans miserabor eius.* Item Sancti Patres semper attribuunt Diuinæ misericordiæ, quòd nostram pœnitentiam acceptet, & propter illam peccata remittat, quamuis illa per se sufficiens sit ad tanti debiti solutionem. Legendi sunt inter alios D. Hieronymus epistola. 46. & Micheæ. 6. D. Ambrosius lib. 1. de Pœnitentia cap. 4. & sequentibus. D. Augustinus in Enchirid. cap. 65. & lib. de Vera & Falsa Pœnitentia cap. 3. D. Fulgentius epistol. 7. cap. 7. D. Chrysostomus homil. 2. in Matthæ. & homil. 2. in epistol.

Digitized by Google

Epistol. 1. ad Corinthios. Et epistola. 5 ad Theodorum Lapsum, & homil. 16. in Genesim, & homil. 80. ad Populum. Et Cassianus collatione. 10. cap. 8.

36 Secundò probatur ratione. Si per contritionem, vt antecedit gratiam, Satisfacit homo condignè, & ad æqualitatem; ergo remissio peccati in se, & formaliter non fit gratis, sed ex operibus, & ex iustitia: sed consequens est falsum, & contra D. Paulum ad Roman 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Et cap. 11. *Si autem gratia, iam non ex operibus: alioqui iam gratia non est gratia.* Ergo. Probatur sequella: quia debitum, quod per condignam solutionem soluitur, non remittitur gratis, sicut temporalis pœna, pro qua iustus ex condigno Satisfacit, nequit dici verè, & in se gratis remitti.

37 Dices, remissionem peccati ideò fieri gratis, quia non fit ex merito de condigno, licèt fiat ex Satisfactione condigna. Contra. Vt aliquid gratis non detur, non est necessarium, vt detur ex omnibus, vel multis titulis iustitiæ, sed sufficit dari vel ex vno titulo iustitiæ: sed non est minor titulus iustitiæ in Satisfactione condigna, & æquali, quàm in merito de condigno: ergo. Probatur antecedens in operibus Christi: quia non minùs perfectam iustitiam continent, quatenùs Satisfactoria sunt de condigno, quàm vt sunt meritoria. Et ideò sicut respectu Christi non datur gratis, quod ex merito eius datur; Ita neque gratis remittitur, quod ex eius Satisfactione condonatur. Item confirmatur exemplo adducto de Satisfactione nostra pro pœna temporali; quæ vel ex hoc præcisè titulo non remittitur gratis, quòd ob condignam Satisfactionem remittitur, etiam si aliud meritum non intercedat.

38 Tertiò. Qui Satisfacit ex iustitia condigna pro aliquo, facit illud sibi debitum secundùm iustitiam: ergo si pœnitens Satisfacit ex iustitia condigna per contritionem pro culpa mortali, nondum remissa, facit sibi debitam ex iustitia remissionem culpæ: ergo remissio non fit gratis. Patet hæc consequentia: nam quod per contritionem, vt antecedit gratiam, fit debitum ex iustitia, nequit gratis postea concedi.

39 Dicunt aliqui, remissionem peccati esse debitam contritioni, non quidem, prout est ab homine, quia vt sic non habet rationem dispositionis ad gratiam, & remissionem peccati; sed prout est ab auxilio supranaturali Dei, quia vt sic habet rationem dispositionis eiusdem ordinis cum gratia: ac proinde sicut vltimæ dispositioni, quam efficit agens naturale est debita forma substantialis secundùm ordinem naturæ, vt V. G. calori vt octo, qui vltimò disponit ad formam ignis, debetur connaturalitatis debito ipsa forma ignis: ita similiter dispositioni vltimæ ad gratiam, qualis est cōtritio, est debita gratia, & remissio peccati; quæ gratia est forma supernaturalis, per quam homo efficitur Diuinæ consors naturæ; & peccatum illi remittitur. Itaque debitum iustitiæ, & æqualitatis, quod in Satisfactione reperitur, est inter vnum opus Dei, & aliud opus Dei, videlicet, inter remissionem peccati, & vltimam dispositionem supranaturalem, quatenùs vtrumque est opus Dei, & iuxta eius sapientiam habent commensurationem, non verò quatenùs ille actus est ab homine. Sic Respondet M. Bañes. 1 p. q. 21. art. 4. quem sequuntur nonnulli Iuniores.

Cæterùm hæc Responsio non est vera; quia contritio non est vltima dispositio ad gratiam, vt est à solo auxilio Dei; neque vt est à solo libero arbitrio, sed vt est ab vtroq; simul, quia vtriusque conditiones essentialiter requirit ad rationem dispositionis. Contritio enim non est dispositio, nisi vt includit habitudinem ad liberum arbitrium, vt ad proximam causam vitalem, & liberam: & ideò adæquatè est dispositio, vt est à libero arbitrio creato, & operante cum gratia, vel è contrario, vt est à gratia operante per liberum arbitrium ab ea excitatum, & adiutum. Etenim contritio non est dispositio, nisi quatenùs voluntatem bene afficit, & conuertit ad Deum; sic enim disponit hominem, vt Deus conuertatur ad ipsum per gratiam iustificantem, & amicitiam: sed contritio non habet hanc vim, vt est præcisè à libero arbitrio, neque vt est præcisè à gratia, sed vt est ab vtroque simul, vt à causa adæquata, & vt est à singulis in suis generibus: quare nihil potest conuenire contritioni, vt est dispositio ad gratiam, quin illi conueniat, quatenùs procedit & à gratia, & à libero arbitrio. Idem etiam dicendum est de contritione, vt habet rationem Satisfactionis: quia neque intelligi potest, quòd contritio sit Satisfactio, nisi, vt est ab homine Satisfaciente, & à voluntate eius, quamuis non sola, sed Diuinis auxilijs adiuta. Ergo si hæc Diuina iustitia attenditur ex Satisfactione, necessariò debet attendi, non tantùm inter opera Dei, vt Dei sunt, sed inter opus Dei, & opus hominis cum Deo operantis. Et ideò si infusio gratiæ, & remissio peccati est debita contritioni, vt est ab auxilio speciali Dei, debetur etiam illi, prout est ab homine.

Aliqui non formidant concedere, Satisfacienti ex iustitia pro culpa, deberi etiam ex iustitia remissionem culpæ: quia Satisfactio pro culpa, consistit in hoc, vt offensor reddat offenso totum, quod illi debet ratione culpæ & offensæ commissæ: atque adeò Satisfacienti ex iustitia est debitum; vt nihil amplius ab illo petatur propter commissam culpam: sed hæc est vera remissio culpæ; ergo illi debetur ex iustitia remissio culpæ. 41

Sed contra hoc est; nam quòd adultus habeat gratiam Dei, & efficiatur gratus Deo, non debetur homini peccatori ex iustitia; ergo neq; remissio peccati, & reconciliatio cum Deo. Probatur consequentia: quia si homo habet gratiam Dei, & est illi gratus, iam peccata intelliguntur esse illi remissa. 42

Præterea. Si debetur de iustitia pœnitenti reconciliatio cum Deo, propterea quòd Satisfacit de iustitia pro culpa, tunc vel præsupponitur ille homo gratus, vel fit gratus denuò per actum contritionis: si præsupponitur gratus Deo, & id merè gratis; ergo iam intelliguntur peccata esse remissa, & iniuria condonata; alias non esset Deo gratus. Si verò fit tunc gratus Deo per actum contritionis; ergo gratia debetur pœnitenti ex iustitia; quod est contra Paulum ad Roman. 11. *Si autem gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non est gratia.* 43

Aduersarij autem Respondent ad hanc rationem, quòd gratiam ad iustificationem donari gratis, & non ex operibus, solùm excludit opera præcedentia iustificationem, meritoria illius gratiæ, vt exponit Cōcilium Tridentinum sess. 6. cap. 8. Explicans illam particulam, *Gratis.* Et verba Pauli ad Roman. 11. Nihilominùs hæc 44

hæc responsio, quamuis liberet illam sententiam ab errore, non tamen liberat eam ab aliqua graui nota, quia D. Paulus esto intendat repellere merita respectu iustificationis, & primæ gratiæ, propter Hebræos, qui Euangelicam gratiam ex legis obseruatione promeruisse se iactitabant, & ideò gentibus nullatenùs esse dandam, nisi priùs Iudaica Sacramenta susciperent, vt inquit D. Augustinus lib. 1. ad Simplicianum, q. 2. Verùmtamen discursus D. Pauli similiter est efficax ad excludendum quodcumque debitum iustitiæ, respectu primæ gratiæ & iustificationis, quod ipsam faciat debitam ei, qui iustificatur, siue tale ius iustitiæ proueniat ex merito antecedenti, siue ex Satisfactione pro culpa: etenim ratio D. Pauli in eo fundatur, quòd gratia ideò est gratia, & appellatur gratia, quia gratis cōfertur, vt inquit D. Augustinus lib. 1. contra Pelagianos, & Cœlestium cap. 31. & lib. de Gratia, & libero Arbitrio cap. 21. Et procul dubiò implicat cōtradictionem, gratis id alieni dari, quod ipsi ex iustitia debetur, & ideò particula. *Gratis, * Idem est, quod sine vllo debito, vt explicuit Paulus ad Roman. 4. dicens. *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundùm debitum.* Vnde Concilium Tridentinum, cùm asseruit per particulam, *Gratis, * Excludi merita, non negauit, simul excludi omne debitum iustitiæ, tenens se ex parte recipientis gratiam; imò verò illud nomine meriti videtur intellexisse, excludendo ipsa merita. Sic enim simul exclusit ius iustitiæ respectu primæ gratiæ, & iustificationis impij: quod sanè vsitatissimum est Sanctis Patribus, qui referuntur à Vega lib. 8. super Concilium Trident. cap. 10. & legendus est idem Vega cap. 5. in fine, vbi interpretatur Concilium.

46 Postremò probatur hæc pars. Ad Satisfaciendum condignè, & ad æqualitatem pro culpa, & offensa Dei, requiritur, vt reddatur aliquid æquiualens culpæ, & offensæ: sed talis non est contritio, vt antecedit gratiam, cùm non habeat valorem, & condignitatem ad recompensandam injuriam, Deo irrogatam, à quo participat quandam offensæ infinitatem, quæ nisi à Persona tantæ dignitatis, quanta est Deus, compensari non valet, vt supra ostensum est: ergo &c.

47 Dicunt autem aduersarij, quòd licèt contritio, vt antecedit gratiam, & remissionem peccati, non sit æquiualens offensæ simpliciter, & ex natura rei, propter defectum valoris, & condignitatis, est tamen æquiualens ex pacto, & ex liberali acceptatione Dei, qui pro actu contritionis culpam remittere statuit. Et hæc æqualitas fundata in pacto, sufficit ad rationem imperfectæ iustitiæ: sicut in humanis, si esset aliquis reus læsæ magestatis, pro qua pœnam mortis subire deberet, & Rex promittat, & paciscatur, hanc pœnam illi remittere, si se coram ipso humiliet; talis humiliatio, licèt pœnæ mortis non æquiualeat, quam reus subire tenebatur, supposito tamen pacto, & liberali Regis acceptatione, illi debetur ex iustitia talis pœnæ mortis remissio. Ergo similiter dicendum est in proposito.

48 Cæterùm hæc Responsio non Satisfacit, quia Rex in casu proposito non tenetur ex iustitia remittere reo pœnam mortis, sed tantùm ex liberalitate, & ex vi suæ promissionis, & fidelitatis. Etenim promissio sub conditione operis, tanquam rei, seu pretij, propter quod stipendium, vel præmium promittitur, inducit obligationem iustitiæ impleta conditione, non tam ex promissione, quàm ex æqualitate, & valore ipsius rei, vel operis exhibiti in vtilitatem alterius, vel rei translatæ in dominium alterius. Promissio verò sub conditione præcisè sub ratione conditionis necessariæ, quia sine illa non vult promittens obligari, non transcendit impleta conditione, obligationem fidelitatis, seu simplicis promissionis; vt cùm æger promittit Deo peregrinationem, si cōferat illi salutem, impleta conditione non oritur obligatio ex iustitia, sed ex fidelitate ad Deum. Similiter si Pater promittat Filio, si studuerit, vel honestè vixerit, hoc, vel illud ei daturum, vel si medicus dicat infirmo, si comederit, hoc illi donaturum, in his & similibus, solùm oritur obligatio fidelitatis.

Ad eundem modum dicendum est in præsenti; etenim nullum est pactum Diuinum, neque promissio de danda remissione culpæ pro contritione, tanquam pro Satisfactione condigna, æquali, & æquiualente, sed solùm est lex infallibilis dandi gratiam, & remissionem culpæ, & pœnæ æternæ, pœnitenti, veram de peccatis contritionem habenti, nō ex debito iustitiæ, sed ex pura gratia & misericordia; iuxta illud Psal. 50. *Secundum multitudinem miserationum tuarū dele iniquitatem meam.* Vnde sicut gratia iustificans infallibiliter datur post vltimam dispositionem, non tanquàm pro merito, vel iusto pretio gratiæ, sed tanquàm pro dispositione proportionata: sic etiam remissio culpæ, quæ est effectus formalis gratiæ, datur infallibiliter habenti contritionem, sed non pro illa, tanquam pro pretiō, & iusta, ac condigna Satisfactiōne. Cui consonat illud Psalm. 48. *Non dabit Deo placationem suam, & pretium Redemptionis animæ suæ.* Hoc est, nemo potest reddere præmium condignum, & æquiualens ad redimendum, vel liberandum seipsum à peccato, cui est obnoxius. 49

Prætereà nonnulli recentiores, licèt concedant, hominem per contritionem Satisfacere pro culpa, negant tamen remissionem culpæ esse sibi debitam ex iustitia; quia non Satisfacit pro remissione culpæ. Vt autem hoc explicent, aduertunt, esse discrimen inter meritum, & Satisfactionem, quòd meritum respicit bonum merentis, nempe, præmium ipsi conferendum propter tale meritum: Satisfactio verò respicit bonum eius, cui offertur, cùm ad compensandum damnum ipsi illatum ordinetur; quod in Satisfacientis vtilitatem non cedit, imo plærumq; fit cum detrimento ipsius Satisfacientis. Et culpa peccatum, vt est offensa Dei, si passiuè sumatur, est quoddam Diuinum malum: remissio verò peccati est bonum peccatoris, qui actualiter Deum offendit, & habitualiter manet illi injurius, idcircò stat offerri Satisfactionem pro offensa, si illud fiat, quod iuxta Dei ordinationem, & præscriptum fuerit ad illum finem necessarium, & non pro remissione offensæ. Cùm enim talis remissio sit bonum ipsius pœnitentis, nequit esse finis Satisfactionis, quæ per se primò ordinatur in bonum læsi & offensi. 50

Nihilominùs hæc Responsio est voluntaria, & nulla, & quicquid sit de illo discrimine, qui Satisfacit pro offensa de condigno, & ad æqualitatem, facit virtute suæ Satisfactionis semper sibi debitam remissionem offensæ, atque adeò cùm Satisfactio sit opus iustitiæ, tunc non gratis fiet remissio peccati, sed propter Satisfactionem 51

factionem condignam, & æqualem, exigentem talem remissionem ex iustitia. Antecedens probatur, quia offensio consistit in illa inæqualitate, quæ resultat ex eo quòd offenso suum ius ablatum est. habet namque offensus minus, quàm debuisset habere, sed qui Satisfacit pro offensa, excludit hanc inæqualitatem; quia sua compensatione reddit offenso aliquid æquiualens ei, quod fuerat per iniuriam ablatum: ergo qui Satisfacit pro offensa, virtute suæ Satisfactionis tollit offensam, quod est facere sibi debitam illius remissionem.

52 Confirmatur, quia eò ipso, quòd aliquis verè Satisfacit de condigno, & ad æqualitatem pro iniuria alteri irrogata, verè soluit, quod debet pro illa iniuria: ergo nulla manet in eo obligatio, neque proxima, neque fundamentalis ad soluendum aliquid amplius pro ea; neque in offenso relinquitur ius ad illud exigendum: & ex consequenti virtute illius Satisfactionis; ac proindè ex iustitia non manet ampliùs offensa. Ergo similiter si pœnitens de condigno Satisfacit pro offensa contra Deum commissa, virtute suæ Satisfactionis, & ex iustitia manet ab ea liber: quia implicat aliquem soluere id, quod pro offensa commissa debet, & quòd eò ipso non maneat solutus ab ea.

53 Altera pars conclusionis, videlicet, neque per contritionem, vt subsequitur gratiam, posse hominem Satisfacere pro culpa ex iustitia imperfecta, neque ad æqualitatem, & de condigno, probatur. Contritio, vt subsequitur gratiam, supponit culpam remissam: ergo nullo modo Satisfacit pro illa. Antecedens patet, quia per infusionem gratiæ iustificatur homo, & illi remittitur peccatum. Etenim gratia formaliter expellit peccatum, & ex sua natura, sicut lumen tenebras. Ac proindè contritio, vt sequitur gratiam, præsupponit iam remissam culpam: quia cùm sit effectus in genere causæ efficientis, præsupponit omnem effectum causatum à forma in subiecto in genere causæ formalis. Consequentia probatur, quia dimissa culpa homo non subiacet debito illius, & ex consequenti per contritionem non liberatur pro debito culpæ, & ideò non Satisfacit pro illa, Satisfactio enim ex sua natura ordinatur ad liberandum hominem à debito culpæ.

54 Confirmatur. Gratia iustificans gratis datur homini, & non propter eius iustitiam: ergo similiter cùm gratia formaliter expellat peccatum, gratis etiam remittitur peccatum, & non propter condignam hominis Satisfactionem, est enim prior remissio peccati, quàm omne meritum, vel Satisfactio de condigno: sicut & ipsa infusio, vel informatio gratiæ, quia Persona nequit esse capax meriti, vel condignæ Satisfactionis, nisi sit digna, quæ esse non potest, nisi intelligatur sine peccato.

55 Sed obijcitur. Prior naturâ est informatio gratiæ, quàm remissio peccati: ergo contritio, vt informata gratia, & vt ab illa procedit in illo priori, sufficit ad Satisfaciendum condignè pro remissione culpæ in posteriori naturæ. Respondetur, talem ordinem inter gratiam, & remissionem culpæ potiùs esse secundùm rationem, quàm realem, vel absolutè secundùm naturam; siquidem in alio genere causæ priùs ratione concipitur remissio peccati, quàm infusio gratiæ.

56 Secundò Respondetur, huiusmodi prioritatem adhùc non sufficere, vt contritio sit Satisfactoria de condigno pro remissione peccati: tum, quia aliàs eodem modo dici posset, hoc sufficere, vt sit meritoria de condigno remissionis peccati, quod non est dicendum: tum etiam, quia quocumque modo concipiatur homo cum gratia, priusquàm sit illi remissa culpa, nondum præintelligitur cum principio sufficienti ad Satisfaciendum de condigno, quia non concipitur vt Persona plenè Sancta, & digna.

57 M. Bañes loco citato in solutione ad septimum Respondet ad hanc rationem, quòd licèt contritio, vt subsequitur gratiam, præsupponat remissam culpam, potest nihilominùs esse Satisfactoria pro illa: quia duplici titulo potest fieri remissio, nempe, & infusione gratiæ, & ex iustitia propter Satisfactionem oblatam à pœnitente: quam, licèt imperfectam, acceptat Deus in compensationem suæ offensæ: sicut iustus duplici titulo acquirit ius ad vitam æternam, altero quidem ex iure hæreditario, quòd gratis donatur ex Diuina misericordia ratione gratiæ misericorditer infusæ, quæ iustum efficit dignum vita æterna; in tanta quantitate, quanta est ipsa gratia. Altero verò ex iure mercenario, quatenùs per contritionem, & alios actus Fidei, Spei, & Charitatis, meretur eandem vitam æternam in momento, & Instanti suæ iustificationis. Et sicut gloria corporis data est Christo duplici titulo, videlicet, ratione gloriæ animæ, quæ naturaliter redundat in corpus sublato impedimento, & similiter titulo iustitiæ, propter meritum, quo Christus illam meruit.

58 Sed hæc Responsio non Satisfacit; quia de ratione Satisfactionis est, vt supponat debitum soluendum per ipsam; sed iustus, cui remissum est peccatum, non habet debitum offensæ, & pœnæ æternæ, quod per eam soluatur, nisi solius pœnæ temporalis; ergo neque contritio in illo, vt est posterior gratia, & remissione culpæ, potest habere rationem Satisfactionis pro illa. Tum etiam, quia nemo facit sibi debitum ex iustitia, quod actu possidet; sed iustus, cui per gratiam remissum est peccatum, re ipsa possidet remissionem peccati, priùs naturâ, quàm eliciat contritionem informatam gratia, vt supponimus: ergo per illam non facit sibi debitam ex iustitia remissionem culpæ.

59 Neque exempla adducta oppositum probant; quia in nullo eorum præhabetur actu præmium, antequàm accedat titulus iustitiæ: Christus enim, quando meruit gloriam corporis, nondum illam habebat: similiter, cùm homo meretur per actum contritionis formatæ primam gloriam, illam in re non habet: ergo etiam cùm homo habet in re peccata remissa, non Satisfacit pro illis ex alio titulo. Legendus est Caietanus opusculo de Fide, & operibus, capite vltimo.

60 Prætereà probatur ex eo, quòd remissio peccati fit gratis, sicut & ipsa iustificatio, vt satis ostensum est supra ex D. Paulo ad Rom. 3. *Iustificati gratis &c.* Ergo pœnitens non Satisfacit de condigno per contritionem subsequentem gratiam, pro culpa: aliàs remissio peccati daretur sibi ex debito, quod est contra Paulum. Ad hoc argumentū Respōdent quidam, iustitiā, &

Satisfactionem, quæ in contritione subsequente gratiam reperitur, nullatenus derogare gratiæ, per quam iustificatio fit gratis, ex sententia Pauli, & non ex operibus. In quo duntaxat exclusit Paulus opera antecedentia gratiam, non verò subsequentia, vt colligitur ex Tridentino sess. 6. cap. 8. Sic Bañes ad primum argumentum.

61 At ista Responsio facilè refutatur ex eo, quòd remissio peccati præsupponitur necessariò ad gratiam in genere causæ materialis, atque adeò intelligi non potest, quòd actus contritionis formatæ præsupponat gratiam, quin etiam præsupponat remissionem peccati. Neque potest intelligi, contritionem recipere à gratia rationem Satisfactionis, respectu remissionis peccatorum, siquidem debitum culpæ per illam non tollitur, sed per gratiam.

62 Alij verò Theologi aliter Respondent, aiunt enim in peccato duplicem deordinationem reperiri; alteram actualem, quæ fuit in actu peccati; peccans enim in ipso actu peccati offendit Deum, & deordinatur ab illo: alteram vero habitualem, ex actuali peccato relictam in peccatore, & in illo habitualiter manentem; quandiu ad Deum non conuertitur. Dicunt ergo: in iustificatione impij primò intelligi infusionem gratiæ, & aliorum habituum supranaturalium, per quam gratiam tollitur illa habitualis deordinatio, quæ post peccatum manebat. Et in hac consideratione gratia, & iustificatio, quæ per illam efficitur, quantùm ad remissionem habitualis offensæ, & deordinationis, fit omninò gratis, secluso omni debito iustitiæ, etiam imperfecto. Ex eodem verò habitu gratiæ, & virtute pœnitentiæ in eodem instanti procedit actus contritionis, per quem ex imperfecta iustitia Satisfacit homo pro actuali offensa, quæ erat in peccato; & sic seruatur proportio, quòd habitualis deordinatio per habitum gratiæ omninò gratis aufertur; actualis verò per actum contritionis ex imperfecta iustitia tollitur. Neque hæc iustitiæ ratio derogat aliquo modo perfectioni gratiæ, cùm ipsam in anima præsupponat, & procedat ex illa.

63 Sed profectò hæc explicatio, quamuis sit acuta, & subtilis, non tamen est sufficiens. Primò: quia in illo priori, in quo intelligitur in anima habitus gratiæ, iam homo intelligitur amicus Dei, & Filius illius, & consequenter etiam intelligitur necessariò remissa actualis offensa.

64 Confirmatur, quia actualis offensa habet veram rationem peccati; habitualis verò deordinatio non est peccatum, saltem nonum; & siquam habet rationem peccati, illam participat ex actuali peccato deriuatam: ergo quandiu non intelligitur remissum actuale peccatum, semper manet causa deordinationis habitualis, ac proinde non intelligitur sublata habitualis deordinatio, neque facta reconciliatio cum Deo.

65 Secundò: quia alias sequeretur, quòd in illo priori, in quo intelligitur infusio habitualis gratiæ, simul intelligeretur homo amicus Dei, & inimicus illius; consequens est impossibile: ergo. Probatur sequela. In illo priori intelligitur amicus, & Filius Dei per habitum gratiæ, simul etiam intelligitur inimicus; nam inimicitia cum Deo fuit causata ex offensa actuali: ergo quandiu intelligitur manere actualis offensa, intelligitur manere actualis inimicitia cum Deo; sed in illo priori naturæ intelligitur manere actualis offensa, vt docent ij authores: ergo intelligitur peccator adhuc inimicus Dei.

Confirmatur. Secundùm veriorem doctrinam, omne illud, quod habet veram rationem peccati, gratis omninò remittitur, & sine aliquo debito iustitiæ: sed offensa actualis habet veram rationem peccati; ergo gratis omninò dimittitur. 66

Præterea. Remissio peccati, propriè loquendo, non est exclusio habitualis deordinationis, quæ remanet in anima, transacto actu peccati, sed est condonatio illius iniuriæ, & offensæ, quæ in actuali peccato reperitur: ita, vt Deus non vindicet illam iniuriam per pœnam æternam: ergo quòd peccatum excludatur ab anima, vt est malum habituale, per gratiam, & misericordiam Dei, non sufficit ad verificandam veritatem, & propositionem Catholicam, quæ docet, peccata gratis remitti. Probatur antecedens ex Concilio Trident. sessio. 6. cap. 7. Vbi dicitur, iustificationem non esse solam peccatorum remissionem, sed Sanctificationem, & renouationem interiorem, factam per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum supernaturalium, &c. Ecce vbi Sancta Synodus remissionem peccatorum distinguit ab interiori renouatione, & emundatione, quæ fit per infusionem gratiæ, & charitatis. Et proculdubiò de hac peccatorum remissione, de qua concilium loco citato loquitur, verificari debet, quod in cap. 8. sequenti dicitur, necessarium esse credere, peccata gratis remitti. Quare necessariò dicendum est, culpam actualem priùs naturâ intelligi remissam, quàm intelligatur sublata habitualis deordinatio. Et in hoc seruatur debita proportio, quòd sicut peccatum consistit in actu, & ex ipso deriuatur habitualis deordinatio, sic remedium peccati, & illius remissio incipiat ab actuali offensa, & consequenter hac dimissa, tollitur habitualis deordinatio ex ipsa relicta. 67

M. Bañes aliter Respondet loco citato in solutione ad secundum dicens, peccatum dupliciter posse considerari. Vno modo, vt est malum Dei, idest, offensa, & iniuria Deo facta. Alio modo, vt est malum ipsius peccantis: hoc est, quatenus est auersio à Deo summo bono, & priuat peccantem rectitudine ad finem, gratia, & charitate, & iure ad vitam æternam: manetque in anima macula peccati, & obligatio ad pœnam æternam. Dicit ergo Bañes, peccatum omninò gratis remitti per infusionem gratiæ, secundùm quod peccatum est malum ipsius peccantis: & ita in iustificatione gratis tollitur macula peccati, & dantur homini gratia, & virtutes. Idem etiam peccatum, quatenùs est offensa Dei, remittitur per gratiam, non quomodocumque, sed vt determinatam per actum contritionis, per quem ex iustitia imperfecta Satisfacit homo pro peccato, vt est offensa contra Deum. Vnde concludit Bañes in solutione ad quartum: si peccatū sumatur, vt est malum peccantis, contritionem, vt est Satisfactio, esse posteriorem remissione peccati; in quantum remissio peccati consideratur, vt talis, & vita animæ per infusionem gratiæ, quæ hominem reddit acceptum Deo. Si verò peccatum consideretur, vt est malum Diuinum, & offensa Dei patiena, sic aliquo modo 68

modo intelligitur prius remiſsione, & non imputatione, quia antequàm intelligatur Satisfactio, non intelligitur Deus recompenſatus pro offenſa: atque adeò neque non imputare illam ad pœnam æternam.

69 Cæterùm hæc explicatio non videtur ve.a, neque ſufficiens. Primò, quia ex D. Thoma. 3. p. q. 86. art. 2. Idem eſt, Deum remittere peccatum, & remittere offenſam contra ſe commiſſam, & eodem modo remitti offenſam, quo remittitur peccatum; quoniam peccatum in tantùm eſt peccatum, in quantùm eſt offenſa Dei, ità vt ſi in peccato non eſſet offenſa Dei, neque etiam eſſet auerſio à Deo, neque debitum pœnæ æternæ in carentia Diuinæ viſionis, quæ auerſioni Respon-
70 det. Secundò, quia offenſa peccati directè opponitur gratiæ, vt ibidem docet D. Thomas: ergo quandiu intelligitur Deus offenſus, nondum intelligitur gratia Dei in homine: aliàs intelligerentur ſimul duo oppoſita ex parte peccatoris, videlicet gratia Dei, & offenſa illius. Tertiò Maximum malum hominis eſt carentia viſionis Dei, & obligatio ad pœnam æternam; ſed hæc Reſpondent auerſioni, & offenſæ contra Deum; ergo quandiu non intelligitur remiſſa offenſa, non intelligitur peccatum remiſſum, etiam quatenùs eſt malum
71 peccantis. Confirmatur. Maius malum eſt in peccato offenſa Dei, quàm malum ipſius peccantis, quod ex peccato incurrit, ergo quandiu non intelligitur remiſſum peccatum, ſecundùm quòd eſt offenſa Dei, ſed duntaxat quatenùs eſt malum hominis, intelligitur tantùm remiſſum peccatum ſecundùm quid, & non ſimpliciter; quia ſolùm intelligitur remiſſum quātùm ad id, quod eſt minus in peccato. Vnde dicere, quòd peccatum remittitur gratis, in quantùm eſt malum peccantis; in quantùm verò eſt offenſa Dei, remittitur ex iuſtitia imperfecta; & ex alia parte abſolutè concedere, peccatum omninò gratis remitti, non videtur conſequenter dictum, quoniam in peccato, & malitia illius, non cūſideratur principaliter malum ipſius peccantis, vt malum illius eſt, ſed auerſio à Deo, & offenſa cōtra ipſum commiſſa. Quare non intelligitur ſimpliciter dimiſſum peccatum, quouſque intelligatur remiſſa offenſa Dei, & reparata auerſio ab ipſo. Quòd ſi iſtud gratis fieri non intelligitur, neque etiam intelligitur ſimpliciter dimitti gratis peccatum.

72 Prætereà, in hac explicatione Magiſtri Bañes non rectè intelligitur, quòd ſit alicui remiſſum peccatum, quatenus eſt auerſio, & deordinatio voluntatis à Deo, quin etiam intelligatur remiſſum, prout habet rationem offenſæ, & injuriæ contra Deum: atque adeò ſi priori modo conſideratum remittitur gratis, & abſque vlla Satisfactione: ſic etiam & poſteriori modo. Antecedens probatur: quia ſi per gratiam, quatenùs contritionem præcedit, remittitur gratis deordinatio, & auerſio habitualis à Deo, quæ eſt malum peccatoris, ita vt talis remiſsio ſit ſalus, & vita animæ, quatenùs importat infuſionem gratiæ, vt Bañes fatetur; ergo etiam per eandem gratiam, vt ſic, verè remittitur peccatum, quatenùs habet rationem offenſæ cōtra Deum. Probatur conſequentia, quia per gratiam eſt acceptus Deo, & illi reconciliatus, atque adeò eſt illi remiſſa offenſa. Si ergo per remiſsionem peccati, quatenùs erat auerſio à Deo, viuificatur pœnitens, & redditur acceptus Deo: neceſſariò ſequitur, Deum eſſe ſibi placatum, atque adeò dimiſſam eſſe offenſam, & ſublatam imputationem ad pœnam æternam.

Confirmatur: quia in peccato nihil aliud eſt ratio 73
offenſæ contra Deum, quàm ipſa auerſio, & deordinatio à Deo, vt ſummo bono: ergo nequit intelligi, quòd peccatum ſit remiſſum, vt eſt malum ipſius pœnitentis, quin etiam intelligatur remiſſum, vt eſt malum ipſius Dei, atque ita ſi vnum remittitur gratis antè Satisfactionem, ſic etiam & alterum: quoniam, vt ſæpè docet D Thomas, præſertim. 1. 2. q. 113. art. 2. Homo peccando Deum offendit: ſed homo peccat mortaliter in eo, quòd auertitur à Deo, & conuertitur ad creaturam, vt vltimum finem, vt plærumque etiam docet D. Thomas: conſiſtit enim offenſa Dei in hoc, quòd creatura præferatur ipſi Deo; vel in eo, quòd honor debitus Deo tribuatur creaturæ: ergo de ratione auerſionis à Deo eſt, quòd ſit offenſiua Dei, atq; adeò intelligi non poteſt; quòd vnum ſit altero poſterius, neque quòd vnum remittatur, priùſquàm alterum.

Rurſus, intelligi non valet, quòd peccatum ſit remiſ- 74
ſum, vt eſt malum ipſius peccantis, & non vt eſt malum Diuinum: quia ſi eſt remiſſum peccatum, vt eſt malum ipſius peccantis: etiam vt eſt malum Diuinum: quoniam ob id dicitur malum Diuinum, quia eſt offenſa Dei, vel quia Deus eſt offenſus, quantùm eſt ex affectu peccantis: ſed peccatum remiſſum, prout fuit à peccatore perpetratum, & in eo habitualiter manſit, ablatum eſt, prout erat offenſa habitualis Dei: ergo pariter eſt ablatum, in quantùm Deus erat offenſus paſsiuè. Si enim tollitur offenſa actiua, pariter tollitur offenſa paſsiua correlatiua. Imò verò cùm peccator offendit Deum, nō ſolùm eſt malum illius, quòd ſit auerſus à Deo, & maculatus peccato: verùm etiam eſt malum ipſius, quòd offendat, & offenderit Deum, ratione cuius offenſæ imminet illi ſupplicium æternum. Quare ſi pœnitenti remittitur peccatum, vt eſt malum peccatoris, remittitur etiam ſecundùm omnes prædictas rationes.

Conſtat igitur, actum contritionis, ſiue vt antecedit 75
gratiam, ſiue vt illam ſubſequitur, non poſſe ad æqualitatem, & de condigno Satisfacere ex iuſtitia etiam imperfecta, pro culpa mortali, etiam vt eſt offenſa Dei, atque adeò ita fieri gratis illius remiſsionem, vt non detur ex aliquo debito, & iure iuſtitiæ, aut Satisfactionis condignæ, & æquiualentis: quod non ſolum eſt veriſsimum, ſed etiam magis cōſentaneum Sacræ Scripturæ, & dictis Sanctorum, quàm ſit oppoſitum, vt rectè obſeruauit P. Henrriquez lib. 1. de Pœnitentia cap. 35.

Secunda Concluſio. §. IIII.

CONTRITIO, Vt antecedit gratiam in ge- 76
nere cauſæ materialis, & eſt illa prior naturæ prioritate, tanquàm vltima diſpoſitio, eſt Satiſfactio pro culpa, non quidem de condigno, & ad æqualitatem: ſed imperfecta, ex imperfecta iuſtitia, & ex Diuina acceptatione. Itaque contritio, ſic conſiderata, vt eſt dolor de peccatis pro injuria cōtra Deum commiſſa, eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ, licèt imperfectus, qui dicitur compenſatio, & Satisfactio imperfecta pro peccato, quatenùs eſt offenſa Dei. Hæc concluſio licèt non ſit certa ſecundùm fidem, eſt tamen omnium opinionum probabiliſsima, & Sacris

Digitized by Google

literit maximè consentanea, & quæ gratiam Dei valde commendat, & extollit; tantùm abest, vt illi deroget, sicut asserit Medina. Et probatur primò, quòd hæc sententia sit maximè consentanea Sacræ Scripturæ ex illo Micheæ. 6. *Indicabo tibi ò homo, quid Dominus requirat à te, vtiq; facere iudicium.* Et Ezechiel. 18. *Si impius egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritq; iudicium, & iustitiam, vita viuet.* Et Psal. 118. *Feci iudicium, & iustitiam, &c.* Et Psal. 31. *Dixi: confitebor aduersùm me injustitiam meam Domino, &c.* Et ad Rom. 6. *Sicut exhibuistis membra vestra seruire iniquitati, ad iniquitatem; ita nunc exhibete seruire iustitiæ in sanctificationem.* Quibus locis nomine iustitiæ non inconuenienter intelligitur pœnitentia; sicut nomine injustitiæ, & iniquitatis intelligitur peccatum, quod inæqualitatem quandam constituit inter Deum offensum, & peccatorem offendẽtem: quæ inæqualitas debet tolli per oppositam formam, & virtutem, quæ sit suo modo iustitia, & aliquam proportionem seu vim, licèt imperfectam, habeat ad illius recõpensationem. Actus verò contritionis, esto non sit exacta injuriæ, & offensæ recompensatio, habet tamen, quantùm est de se, ad hoc munus aliquam proportionem: imò verò proprium pœnitentiæ motiuum, vt distinguitur contra charitatem, in hoc consistit, vt ad recompensandam injuriam, & illam destruendam eo modo, quo potest, formaliter tẽdat. Vnde sic formatur ratio. Qui non potest perfectè Satisfacere, si recompenset injuriam eo modo, quo potest, & quo exigit, & contentus est offensus, imperfectè Satisfacit; sed ita segerit peccator erga Deum; ergo Satisfacit illi, saltem imperfectè.

77 Confirmatur. Contritio, vt antecedit gratiam, & est dispositio ad illam, respicit peccatum, & tendit de se ad illud, vt est compensabile; ergo de se tendit, vt compensatiua, ac proindè, vt Satisfactoria pro injuria. Consequentia est euidens, nam actio, quæ specificatur à compensabili, aut ab injoria, quatenus compensari debet; necessariò debet habere rationem compensæ, sicut actus respiciens iustum formaliter, non potest non esse actus iustitiæ: & qui visibile formaliter respicit, erit visio; sicut qui calidum formaliter respicit, est calefactio. Antecedens verò probatur: quia in hoc differt pœnitentia ab alijs virtutibus, quæ peccatum detestantur, quòd sub ratione compensabilis tendit in illud, nam charitas V.G. detestatur peccatũ, vt summo bono oppositum, Religio autem, vt opponitur honori, & reuerẽtiæ Deo debitæ; sed pœnitentia respicit illud, vt injuriam compensandam: neque potest alia ratio assignari in peccato, qua terminet pœnitentiam.

78 Dices, pœnitentiam respicere compensabile, non quia compenset, sed quia conatur compensare, & hoc attentat, quamuis non consequatur. Contra. Iste actus contritionis, etiam vt est quidam conatus, est determinata essentia; ergo habet determinatum obiectum, quod attingit, quantùm est de se: sed illud non est aliud, quàm culpa, vt offensa, & injuria compensabilis; ergo de se, & ex sua natura est actus iustitiæ. Quod enim ex propria ratione respicit compensabile formaliter, est Satisfactorium, & ad hoc ordinatur per se; quod autem est Satisfactorium, pertinet ad iustitiam.

79 Quòd autem hæc sententia gratiam Dei magnificet, probatur: quia ipsa contritio, per quam aliquo modo satisfit Deo offenso, est effectus gratiæ Dei, quæ ita eleuat hominem, vt possit aliquo modo recompensare offensam, quam Deo intulit per peccatum, & ita dicitur sufficiens Satisfactio ex acceptatione Dei, qui est illa contentus. Et hanc Satisfactionem exigit Deus à peccatore, vt eo modo, quo potest, injuriam recompenset: & quia de condigno, & ad æqualitatem non potest, acceptat Deus ex sua liberalitate, & misericordia hominis contritionem, in aliqualem, licèt imperfectam, Satisfactionem: quæ Satisfactio imperfecta reducitur ad iustitiam, & eius essentiam participat: atque adeò nihil refert ad rationem Satisfactionis, quòd ipsum opus nequeat in effectu compensare, nisi Dei misericordia, & acceptatio interueniat. Et quemadmodùm in effectibus Dei non derogat, iustitiam esse cum misericordia coniunctam; ita similiter in iustificatione impij nihil derogat naturæ contritionis, vt est iustitia, quòd Dei acceptatio intercedat.

Præterea, quòd hæc sententia sit omnium probabi- 80
lissima, probatur. Primò authoritate D. Thomæ, qui in 4. d. 14. q. 1. art. 5. quæstiuncula. 5. hac ratione docet, pœnitentiam virtutem esse partem iustitiæ, quia reddit Deo debitum ex iustitia: & licèt nequeat reddere æquale offensæ præcedenti, reddit quod est sibi possibile; sed Satisfacere nihil est aliud, quàm recompensare injuriam; ergo hoc facit peccator per contritionem, tanquam per dispositionem vltimam. Et eâdem ratione addit D. Thomas eâdem dist. q. 2. art. 1. Pœnitentiã aliquo modo tollere efficienter peccatum per suum actum, quia aliquo modo tollit inæqualitatem, quod est Satisfacere. Et d. 14. q. 1. apertiùs asserit, Satisfactionem esse actum huius virtutis. Et art. 2. sic ait. *Non potest homo Satisfacere, si ly, Satis, æqualitatem quantitatis importet. Contingit autem, si importet æqualitatem proportionis: & hoc sicut sufficit ad rationem iustitiæ, ita sufficit ad rationem Satisfactionis.* Et in solutionibus argumentorum id docet expressiùs. Et in hac. 3. p. q. 85. art. 3. docet, dum homo iustificatur per pœnitentiam à peccato actuali; ipsam contritionem esse actum iustitiæ, virtutis cuiusdam specialis, quæ continetur sub iustitia tãquàm pars potentialis; & non sicut species perfecta. Vbi supponit D. Thomas, pœnitentiam non habere, esse virtutem specialem, ex eo dũtaxat, quòd dolet de malo commisso (ad hoc enim sufficeret sola charitas) sed ex eo, quòd pœnitens dolet de peccato commisso, in quantùm est offensa Dei, cum emendationis proposito. Emendatio autem offensæ contra aliquem commissæ, non fit per solam cessationem offensæ: sed vlteriùs exigitur quædam recompensatio, quæ habet locum in offensis in alterum cõmissis, sicut & retributio: quamuis sit differentia, quòd recompensatio est ex parte eius, qui offendit, vt pote cum Satisfactione, retributio autem est ex parte eius, in quem est offensa commissa. Vtrũque autem ad materiam iustitiæ pertinet, quia vtrumque est quædam commutatio. Hæc D. Thomas. Vnde colligit, pœnitentiam, secundùm quòd est virtus specialis, esse partem iustitiæ. Quòd autem non sit species perfecta, neque in ea inueniatur iustum simpliciter, sed tantùm secundùm quid, probat; quia iustum simpliciter debet esse inter æquales: at inter Deum offensum, & creaturam

offendentem

offendentem nõ est æqualitas; ergo nequit esse iustum simpliciter,sed tantùm secundùm quid.

81 Constat igitur ex doctrina D.Thomæ expressa, actum pœnitentiæ,qui est contritio,esse recompensationem quandam,licet imperfectam, quæ immediatè respicit offensam Dei,siue Deum offensum,cui pro offensa aduersus illum perpetrata, aliqua sit Satisfactio imperfecta.Item.1.p.q.21. art.4.ad.1. Asserit in iustificatione impij apparere iustitiam, dũ culpas relaxat Deus propter dilectionem, quam tamen Deus ipse misericorditer infundit, sicut de Magdalena legitur Lucæ, 7. *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Concedit ergo D. Thomas, in opere iustificationis reperiri iustitiam;at si contritio non esset Satisfactoria pro culpa, nullo modo inueniretur iustitia in opere iustificationis, sed duntaxat misericordia: quod expressè aduersatur D.Thomæ ibidem docenti,in omnibus operibus Dei reperiri misericordiam, & iustitiam.

82 Vndè constat,oppositum huius nostræ conclusionis affirmantes, apertissimè contradicere D. Thomæ, & eius negare sententiam,sinistrè illum interpretantes. In quo acri sunt digni reprehensione M. Medina, & M. Zumel locis citatis, asserentes, D.Thomam in prædictis locis nihil aliud intendisse, nisi quòd pœnitens suis actibus concurrit ad iustificationem suam, non quòd illam mereatur, neque illi sit debita ex iustitia, in quo sensu dixit etiam D.Thomas.1.2.q.114.art.5.ad.1.hominem per fidem iustificari. Rursus explicant D.Thomam dicentem, in iustificatione impij inueniri iustitiam, vt vellit dicere, Deum statuisse, vt qui ex adultis non operatur, non iustificetur. Item, quia iustificatur homo ex iustitia,non propria,sed Christi:vel quòd iustitia reperitur in iustificatione impij per ordinem ad Christum;non tamen præcisè per ordinem ad ipsum hominem. Itaque ex sententia horum authorum, non alia ratione concurrit actus contritionis ad iustificationem,& remissionem peccati,quàm vt quædam dispositio,& præparatio ex parte pœnitentis, quam Deus exigit ab illo, vt peccati remissionem gratis conferat. Atque adeò ex hac sententia sequitur, non aliter se habere ad remissionem peccati actum pœnitentiæ,quàm se habeat actus Fidei, vel Spei,aut quicumque alius actus liberi arbitrij, cùm omnes in ratione dispositionis

83 concurrant. Ex quo etiam fit,vt actus contritionis nõ magis habeat rationem iustitiæ, quàm actus Fidei, vel Spei,qui parùm,aut nihil ad iustitiam pertinent. Quod non solùm aduersatur expressè D. Thomæ doctrinæ infra.q.85.art.3.citato, vbi apertissimè probat, pœnitentiam esse partem iustitiæ, & illius actum esse compensationem ad iustitiam commutatiuam pertinentem: imò est etiam contra D. Augustin. lib. de vera & falsa pœnitentia cap. 8. vbi docet; pœnitentiam esse quandam dolentis vindictam, quæ ex omnium Theologorum sententia, pertinet ad iustitiam. Et similiter est contra communem Scholasticorum opinionem in 4. d.14. vbi omnes affirmant, actum pœnitentiæ esse actum iustitiæ recompensantis Deo debitum culpæ,& illam in peccatore vindicantis. Legendus est Scotus in 4.d.14.q.2.art 1. Durandus.q.2.Richardus in.3.d.20.q.4.Ioannes Medina codice de Pœnitentia tractatu.3.q.1. Ferrar.lib.4.contra Gentes cap.54. & reliqui Theologi in.4.d.14.15.& 17. Qui omnes docent, pœnitentiam ad iustitiam pertinere; quod etiam tenent, quotquot aiunt, pœnitentiam esse specialem virtutem ab alijs distinctam. Quare explicationes Medinæ, & Zumel,reijciendæ omninò sunt vt ineptæ, & illegitimæ, & à mente. D.Thomæ longè alienæ: qui apertissimis verbis nostram docet conclusionem, imò nullis apertioribus verbis suam potuisset explicare mentem, & opinionem,quàm in hoc articulo ad secundum,& alijs locis citatis,viam vanis expositionibus occludes. Eandem sententiam tanquàm D. Thomæ propriam amplectitur M.Suarez hic Disput.4. sectio.10. quam dicit esse communem Theologorum. Et similiter M.Bañes loco citato,licet in eo,quod asserit, contritionem, vt subsequitur gratiam,esse Satisfactoriam pro culpa imperfectè,nobis nõ probetur, nec placeat eius sententia, & eisdem rationibus confutatur, quibus conclusione præcedente ostendimus, contritionem, vt subsequitur gratiam,nullo modo esse Satisfactoriam, neque de cõdigno,& ad æqualitatem, neque imperfectè, & ex acceptatione.Eandem defendunt plures recentiores Thomistæ,& ab omnibus debuisset defendi,si in luce meridiana noluissent cæcutire, & offendere. Vt autem 84
vnum,qui instar mille nobis sit,ex illis depromamus,is est Religiosissimus Pater,sapientissimus magister,summus Theologus,eximiusD.Thomæ interpres,& Scholasticorum nostræ ætatis (citra iniuriam) facile Princeps,& antesignanus,Frater Gaspar de Cordoua, Philipi Hispaniarum tertij Regis Catholici, à Sacris confessionibus. Is enim Pater in suis eruditissimis ad istum articulum, & ad reliquos tertiæ partis commentarijs manu Scriptis, hanc sententiam, & D. Thomæ intelligentiam vberrimè explicat, & defendit. Et M. Bañes loco citato refert pro eadem sententia, Fratrem Ioannem de la Peña, & Fratrem Ioannem de Orellana, & alios, omnes sapientissimos Ordinis Prædicatorum Magistros,apud quos est communis hæc sententia,pro qua innumeros possem recensere. Sed probatur rationibus,hanc sententiam esse omnibus probabiliorem,& rationi magis consentaneam.

Prima. Contritio, vt antecedit gratiam, & disponit 85
ad illam,est supernaturalis, procedens à gratia operante, & auxilio speciali Dei:ergo habet aliquem valorem moralem. Antecedens est certum secundùm fidem, cõsequentia verò probatur. Valor moralis est intrinsecè annexus actioni liberæ in bonum finem tendenti;ergo hoc maximè habet contritio, cùm sit actio ita excellens, & supernaturalis, vt ratione supernaturali, & propter honorem Dei detestetur peccatum. Tunc vltra. Sed iste valor, quem habet contritio, ex sua propria ratione est valor actus Satisfactorij,& tendentis in compensam iniuriæ; ergo est valor Satisfactorius, etiam vt antecedit gratiam.

Confirmatur. Contritio ex propria ratione tendit 86
in destructionem peccati,vt est offensa, & illud expellit de facto: ergo etiam vt antecedit, Satisfacit. Probatur consequentia,quia offensa, vt sic, destruitur per compensationem. Et ita D.Thom.infra.q.85. art.3.docet, pænitentiam non esse virtutem specialem, eòquod doleat de malo, sed quia pœnitens dolet de peccato, vt offensa Dei, cum emendationis proposito, ad quod requiritur compensatio, & Satisfactio: vnde infert,

ad iustitiam pertinere, vt supra ostensum est. Considerat autem D. Thomas pœnitentiam secundùm intima, & propria, & non secundùm extrinseca.

86 Confirmatur secundò: quia conuenientissimum est Diuinæ misericordiæ, & naturæ contritionis, vt quod peccator offert in compensationem offensæ, Deus habeat acceptum, etiam si contritio consideretur, vt antecedens gratiam. Etenim contritio de se, etiam in illo priori est efficax detestatio mali propter Deum, & est fuga à malo, & conuersio in Deum, authorem gratiæ, est etiam dolor de peccatis propter Deum summè dilectum: ergo conueniens est, vt Deus acceptet talem

87 contritionem in Satisfactionem injuriæ. Confirmatur tertiò: quia ex vi talis contritionis cor est contritum: ergo Deus non despicit illud; sed approbat illud sacrificium compensatiuum, iuxta illud Psal. 50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non despiciet.*

88 Secunda ratio sit. Pœnitens per actum contritionis intendit placare Deum offensum, & injuriam ei illatam recompensare; sed contritio, vt procedens ab auxilio speciali Dei, habet omnia requisita ad huiusmodi recompensationem, saltem imperfectam; ergo de facto pœnitens per contritionem Satisfacit pro culpa. Consequentia patet, quia reddit quod potest ea intentione, vt recompenset injuriam eo modo, quo potest. Sed probatur minor: contritio, vt antecedit gratiam, est compensatiua, cùm verè, & essentialiter sit actus pœnitentiæ, ac proinde habet, quicquid pertinet ad rationem specificam actuum pœnitentiæ: item est totum illud, quod Deus exigit à peccatore, vt illi remittat offensam: est etiam proportionata per modum dispositionis remissioni peccati, & infusioni gratiæ, & Deus quodammodò illam acceptat, quia ea posita statim remittit culpam: ergo nihil illi deest ad Satisfaciendum saltem imperfectè, & eo modo, quo potest.

89 Confirmatur. Inter homines, qui intulit injuriam, tenetur illam recompensare, perfectè, si potest, vel saltem imperfectè, si Satisfactionem perfectam exhibere non valet; sicut qui non potest integrè restituere, tenetur saltem ex parte, si potest: & qui hoc modo inter homines recompensat injuriam, aliqualiter Satisfacere censetur, quamuis imperfectè; ergo homo per contritionem Deo imperfectè Satisfacit. Patet consequentia: Quia homo tenetur, quam intulit Deo injuriam per peccatum, recompensare; & facit quod in se est, vt recompenset injuriam, detestando peccatum cum emendationis proposito, & talem Deus compensationem exigit, & est illa contentus; ergo Satisfacit saltem imperfectè. Tertia ratio sit.

90 Pœnitentia est pars iustitiæ, vt communiter docent Theologi cum D. Thoma infra q. 85. art. 3. Sed nō alia ratione potest esse pars iustitiæ, nisi quia compensat culpam commissam, per contritionem; ergo de facto compensat de iustitia, &c. Patet consequentia, quia præceptum pœnitentiæ fundatur in intrinseca obligatione, quæ nascitur ex injuria ad eam recompensandam, & ideò exigitur titulo iustitiæ: imò verò Deus ob id exigit pœnitentiam, vt homo eam obligationem impleat, quam peccando contraxit; nam præceptum pœnitentiæ, quod Diuino iure præscriptū est, nō est aliud ab eo, quod ex natura rei oritur ex injuria commissa contra Deum, vt est finis supernaturalis.

Sed dicunt aduersarij, pœnitentiam ideò esse partem iustitiæ, quia Satisfacit pro pœnis temporalibus purgatorij, quæ ex parte conuersionis Respondent peccato, pro quibus homo temporaliter dolendo de peccatis, Satisfacit Deo. Sed hæc Responsio nulla est, quia contritio non est dolor de peccatis propter pœnas Purgatorij, sed offensam Dei formaliter respicit, & ideò, qui conteritur de peccato, per se primò, & formaliter non pœnitet de pœnis, sed de culpa, & offensa Dei, non solùm dolendo, sed etiam intendens eam recompensare, ergo ratio iustitiæ commutatiuæ, quæ in pœnitentia inuenitur, in eo consistit, quòd contritio est immediatè recompensatio, & Satisfactio pro offensa Dei. 91

Item: quia recompensatio pro pœnis Purgatorij, si consideretur secundùm æqualitatem rei ad rem, rectè potest esse secundùm meritum de condigno, sicut & retributio gloriæ pro bonis operibus. At ex sententia D. Thomæ loco citato, & in hoc articulo secundo nulla puri hominis, quātùlibet grati Deo, Satisfactio potest fieri de condigno pro peccato; quoniam tantò offensa est grauior, quantò maior est Persona offensa: vnde oportuit ad condignam Satisfactionem, vt actus Satisfacientis infinitam efficaciam haberet. Nihilominus ibidem concedit D. Thomas, Satisfactionem puri hominis posse, esse sufficientem imperfectè, hoc est, secundùm acceptationem eius, qui est ea contentus, quamuis non sit condigna. Et quia omne imperfectum præsupponit aliquid perfectū, à quo sustentetur, indè est, quod omnis puri hominis Satisfactio habeat efficaciā à Satisfactione Christi. Hæc D. Thomas. Vnde constat, loqui de Satisfactione pro offensa aduersùs Deum commissa, & non de compensatione pro pœnis in Purgatorio debitis, pro quibus supposita gratia, potest Satisfacere de condigno, vt rectè obseruauit Caietanus hic, quamuis in opusculo de fide & operibus asseruerit, eū, qui iustificatur, nullatenùs Satisfacere pro culpa. Sed forsam ex aliorum sententia, & non propria, locutus est eo loco. 92

Confirmatur. Sacrificium non solùm offertur pro pœnis temporalibus, post remissam culpam debitis, verùmetiam offertur in expiationem culparum; sed contritio in Sancta Scriptura appellatur Sacrificium Deo acceptum, Psal. 50. Ergo contritio non tantùm habet Satisfacere pro pœnis, verùmetiam, imò principaliter, & primò pro culpa, & offensa contra Deum commissa. 93

Quarta ratio sit. Obiectum pœnitētiæ est peccatum, quatenùs est offensa Dei, vt destruendum per Satisfactionem, & compensationem illius, sed compensare injuriam alicui, est pro illa Satisfacere: ergo pœnitentia per actum cōtritionis Satisfacit pro peccato, prout est offensa Dei. Ad hanc rationem Respondet Zumel loco citato, pœnitentiam quidem respicere peccatum, vt est compensabile à nobis, sed à nobis nullomodo esse compensabile, nisi quò ad solam pœnam temporalem. 94

Sed hæc Responsio nullius est momenti; quia cōtritio secūdùm suā rationē formalem non respicit pœnā, sed culpā & peccatum, prout est Dei offensa, vt ratione præcedēte ostēsum est: ergo non est cōpensatio primò, & per se pro pœna temporali, quam non respicit immediatè, & primò, & per se, sed consequenter, & secundariò, & indirectè: sed est compensatio pro ipsa Dei offensa, quam per se primò, & directè respicit. 95

Antecedens probatur: quia contritio est dolor de peccato propter Deum summè dilectum, & qui habet hūc dolorem, non dolet per se primò, & formaliter de pœna; sed de culpa, & offensa aduersus Deum perpetrata. Imò sic dolens, ex affectu vellet, & si ei daretur optio, eligeret potiùs æterno igni cruciari, quàm Deum offendisse.

96 Secundò. Potest dari contritio in viro perfecto, qui pro pœnis temporalibus ad plenum Satisfecerit, & tamen in illo non respicit pœnas temporales, vt est videre in Magdalena, cui à Christo sunt multa peccata dimissa, quoniam dilexit multùm, & nihilominùs posteà per triginta annos in rupe pœnitentiam egit. Neque potest dici, illam egisse, vt purgatorij pœnas euaderet, quia iste finis est infimus, nec decens tantam fœminæ sanctitatem, & perfectionem, vt illum directè intenderet: præsertim, quia plùs satis pro pœnis purgatorij Satisfecerat: sed finis eius potissimus erat, prospicere Diuinum bonum, contra quod peccauerat, & Deo fuerat infensa: ergo contritio per se primò, & secundùm suā essentiam, & rationem formalem, non respicit pœnas purgatorij temporales, sed solùm quasi per accidens.

97 Neque obstat dicere, quòd in tali casu contritio esset compensatiua, sed actu non compensaret, cùm nulla sit debita pœna, pro qua compenset. Hoc, inquam, non obstat; nam cùm illa contritio ex se sit compensatiua, vt concedunt aduersarij, & nullum sit debitum pœnę, quod recompenset, vt Supponimus, procul dubiò recompensabit, & dolebit pro culpa; etiam si sit iam remissa: vt beatus Petrus semper toto vitæ suæ articulo lachrymas effudit, cùm trinę negationis recordabatur, quamuis iam sibi esset remissa, & post aduentum Spiritus Sancti esset in gratia confirmatus.

98 Præterea. Satisfactio per se respicit bonum offensi, & non offendentis: sed remissio pœnæ debitæ est proprium bonum offendentis; ergo contritio non ordinatur per se primò in ratione compensationis ad debitum pœnæ temporalis tollendum, sed ad destruendū
99 peccatū, quatenùs est offensa Dei. Confirmatur. Pœna temporalis nō Respōdet auersioni, & offensę; sed conuersioni; sed actus cōtritionis ordinatur ad expulsionē peccati, quatenùs est offensa Dei per modū cōpensationis: ergo actus contritionis, quatenùs est compensatio, nō ordinatur ad solutionem pœnæ temporalis. Non negauerim, actum contritionis extendere se ad Satisfaciendum pro pœna temporali, sed hoc est, secundariò, & consequenter, & veluti per accidens. Per se verò, & formaliter, & primò, non ordinatur, nisi ad Satisfaciendum pro culpa.

100 Quarta ratio. Actus contritionis efficienter concurrit ad expulsionem, & destructionem peccati, efficientia morali, vt quidam volunt, siue efficientia Physica, vt alijs placet; ergo ratione alicuius valoris: quia moralis efficientia semper fundatur in aliquo valore. Sed non conuenit contritioni valor meriti, respectu remissionis peccati, ergo saltem conuenit illi valor Satisfactorius pro peccato.

101 Quinta ratio. Ad Satisfactionem ex iustitia imperfecta, non requiritur, quòd Satisfactio sit secundùm se æquiualens offensæ, sed sufficiens ex gratiosa acceptatione ipsius offensi, sed contritio, vt antecedens gratiā, est sacrificium Deo acceptum pro peccatis: ergo prout antecedit gratiam, est Satisfactoria ex iustitia imperfecta pro peccatis. Minor patet ex Psal. 50. * Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Item, quia contritio, vt antecedit gratiam, est essentialiter contritio.

Cōfirmatur. Si Deus statuisset acceptare contritionē, 102
vt antecedit gratiā, in Satisfactionem culpæ, tunc talis contritio verè esset Satisfactoria pro culpa, quamuis imperfectè: sed de facto ita sancinit, & statuit, vt constat ex testimonijs citatis, & adductis in hac, & præcedente Disputatione: in quibus, & in alijs pluribus locis Sacræ Scripturæ; remissio peccatorum promittitur his, qui se ad opera iustitiæ, & misericordiæ conuerterint, & actibus pœnitentiæ se afflixerint: vt constat Isaiæ. 1. Ioel. 2. Daniel. 4. ad Hebræos. 13. & Psalm. 50. & c. ergo.

Verum est tamen, in his locis non promitti remissio- 103
nem peccatorum, tanquam mercedem reddendam ex iustitia propter valorem talium operū: sed tantùm ex misericordia, & liberalitate Dei, ad quem pertinet, cùm peccator facit, quod in se est, & reddit, quod potest, vti eum illo sua largitate, & misericordia: etenim qui ex præuia conuentione aliquid acceptat in Satisfactionem pro offensa, si secundùm se non sit æquale; non tenetur ex iustitia, etiam Supposito pacto, remittere offensam; quia non quæcumque promissio sub conditione operis, induit propriè obligationem iustitiæ, nisi opus, vt est à tali operante, habeat cum re promissa proportionem, & condignitatem. Si enim Rex promitteret ciuitatem operanti opus nullius ferè momenti, non tenetur propriè ex iustitia reddere ciuitatem. Item orationi debitè factæ promissum est, quòd exaudietur, & tamen non omnis talis oratio de cōdigno exaudiri meretur, vt docet D. Thomas. 2. 2. q. 83. art. 15. & 16. In proposito autem, quodcumque opus peccatoris est improportionatum præmio de condigno, præsertim tanto, quantum est remissio peccati, vel gratia, quia illud opus ex indignitate subiecti, est ferè nullius valoris, vt colligitur ex verbis D. Pauli, * Nihil sum, nihil mihi prodest, & c.* Item, quia tale opus, quantumcumque sit bonum, est Deo debitum pro peccato ex rigore iustitiæ: & ideò nequit Deum ex iustitia obli-
gare. Nihilominùs, licèt Deus ratione suæ promissio- 104
nis debeat ex fidelitate conferre gratiam habenti contritionem, omninò gratis tribuit; sicut qui promisit se gratis donaturum centum; etiam si postquàm promisit, teneatur: gratis tamen dat, imò verò est multū gratiæ, quantò strictiùs se obligauit ad donandum: sic enim est maius beneficiūm. Et quamuis promissio solennis, & acceptata inducat inter homines obligationem iustitiæ, quia leges humanæ sic statuunt: non tamen est ita in ordine ad Deum, qui nulla lege ad id censetur obligari. Vnde eius obligatio est similis illi, quæ ex gratuita, & simplici promissione inter homines prorsus constituitur.

Sexta ratio sit. Non est minoris virtutis, & valoris, 105
debitum honorem pro susceptis beneficijs Deo reddere, quàm compensare, & Satisfacere pro offensis: sed iustus per virtutem religionis potest Deo reddere debitum ex imperfecta iustitia pro susceptis beneficijs: ergo poterit per pœnitentiam, vt procedit ab auxilio speciali Dei, Satisfacere ex imperfecta iustitia, pro of-

106 fensis commissis. Confirmatur. Pœnitens per contritionem, & dilectionem Dei super omnia, reddit Deo honorem, & obedientiam eo modo, quo potest; ergo reddit aliqualem Satisfactionem pro culpa commissa: Antecedens probatur ex illo Baruch. 2. * Anima, quæ incedit tristis super magnitudinem mali, dat tibi gloriam, & Iustitiam Domino. * Expendendum autem est illud Verbum; *Iustitiam,* Quo designatur Satisfactio, & compensatio ex iustitia, saltem imperfecta, pro peccato.

Tertia Conclusio. §. V.

107 NON. solùm, quando homo iustificatus à peccato, Satisfacit Deo pro offensa, & culpa; sed postea etiam per totam vitam, quotiescumque conteritur, Satisfacit Deo pro culpa, quamtumuis iam remissa per gratiam, & priorem Satisfactionem. Sic docet M. Bañes loco citato, & ratio est in promptu, quia contritio semper est actus eiusdem speciei; ergo semper habebit idem obiectum, & eundem terminum immediatum, & formalem: ergo est formaliter Satisfactio, & recompensatio secundùm quandam iustitiã
108 commutationis imperfectam. Neque obstat, quòd Deus iam acceptauerit priorem Satisfactionem pro culpa, & illam gratis remisserit; quia cùm illa prior Satisfactio, sicut omnis nostra Satisfactio, semper sit imperfecta, & valde deficiens secundùm se, potest homo sæpè illam repetere, & intensiorem contritionem habere: non quidem ex præcepto, sed ex consilio zelans Diuinum honorem, & nitens ampliùs, & ampliùs Satisfacere, propter infinitam offensi dignitatem; à qua ipsa offensa infinitatem quandam participat: quamuis offensus pro sua benignitate minore Satisfactione sit iam contentus. Sic David per singulas noctes lectum suum lauabat. Et Sanctus Petrus per totam vitam ad Galli cantum semper flebat, memorans culpam commissam. Et beata Maria Magdalena in rupe per irigin ta annos asperrimam egit pœnitentiam; & alij similiter sancti, ne Diuinæ misericordiæ ingrati viderentur, si, quoniam Deus sua benignitate minimam contritionem in suæ offensæ Satisfactionem acceptat, ipsi non essent soliciti maiorem, ac maiorem reddere, quãtùm possint pro offensi dignitate. Ob id dicebat David Psalm. 50. *Ampliùs laua me ab iniquitate mea, &c. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* Certè sibi cõstabat, iam obtinuisse à Domino criminis sui condonationem, & veniam; sed Diuinæ injuriæ, & offensæ recordatio illi stimulos addebat, vt ampliùs, & ampliùs doleret, & grauitatem Diuinæ offensæ iterùm, atque iterùm recompensaret, & resarciret, quã-
109 uis semper imperfectè. Vnde in viris sanctis, & perfectis locum habet contritio, vt docet D. Thomas infra q. 84. articulo. 8. ad. 1. conantur enim, qui iusti sunt, adhuc iustificati. Et ita quamuis certò cognoscant, sibi remissam culpam, & pœnam, vt cognouit Petrus, & alij: iuge tamen sacrificium cordis contriti offerunt: non quidem quasi conentur in effectu in mali destructionem: sed quia in affectu intendunt magis, ac magis pro offensa Satisfacere: semper enim cor hominis pœnitentis excitatur, vt præterita peccata plangat. Præsertim quòd culpa habet quandam infinitatem, maximè in eo, quòd est injuria, & offensa Dei, & ita semper est deflenda.

Vnde constat, sententiam Magistri Bañes, & aliorũ, 110
qui dicunt, contritionem, vt subsequitur gratiam, esse Satisfactoriam pro culpa, imperfectè, & ex Dei acceptatione, si intelligatur iuxta tenorem huius conclusionis, esse veram, dummodò concedant, peccatum, & culpam iam esse remissam per contritionem, vt antecedit gratiam. Vt subsequitur autem gratiã, dicitur contritio Satisfactoria pro culpa iam condonata, quia non adæquat offensam, neque euacuat culpæ latitudinem, & infinitatem. Reliquum est dissoluere argumenta in contrarium, quatenus militant contra secundam, & tertiam conclusionem.

Solutio argumentorum. §. VI.

AD PRIMVM igitur argumentum concesso antecedenti, negatur consequentia. Ad 111
probationem similiter negatur antecedens; quia rectè stat, quòd remissio peccati, & iustificatio fiat gratis; & nihilominùs in ea interueniat actio iustitiæ imperfectæ: nam contritio procedit ex gratia Dei actuali, nempe ex auxilio speciali, & ab illo suscipit valorem. Neque Diuina misericordiá adeò manifestatur in eo, quòd gratis remittat peccatũ; hoc est, nihilo ex parte nostra præsupposito, quàm in eo, quòd nobis gratis conferat, vnde illi Satisfacere possimus. Quare cùm D. Paulus loco citato, & vbicumque, & similiter Concilium Tridentinum, gratiã operibus contraponant, & dicunt, hominem gratis iustificari; excludunt quidem opera iustificationem antecedentia, non concomitantia; cùm sint dona Dei, & ab auxilio Dei speciali, & supernaturali dimanent; atque adeò non excludunt Satisfactionem, & compensam, quæ in ipso instanti iustificationis interuenit: sicut ex sententia D. Thomæ. 1. p. q. 21. art. 4. non derogat misericordiæ Dei relaxantis peccatum, quòd iustitia ibidem intercedat. De qua re legendus est Ruardus Taper Decanus Louanien. ar. 6. de Satisfactione in respõsione ad argumẽta fo. 157. & M Bañes loco citato. Sed dices. 112
Donari aliquid ex iustitia, & ex gratia, pugnat: & quãtò magis crescit ratio iustitiæ, tantò minuitur ratio liberalitatis, & gratiæ: ergo si in iustificatione est iustitia, & Satisfactio: vel non est gratia, vel parum gratiæ reperitur in ea. Resp. gratiam, & iustitiam in eodem, & respectu eiusdem pugnare, sed non respectu diuersorũ. Vnde iustitia, quæ in iustificatione interuenit, tenet se ex parte pœnitentis: ex parte autem Dei nulla interuenit vera, ac propria iustitia, sed sola gratia: atque adeò rectè cohæret, quòd iustificatio fiat gratis, & quòd in ea reperiatur iustitia imperfecta.

Ad secundum negatur maior. Ad primã autem pro- 113
bationem Resp. quòd licèt Satisfactio imperfecta, de qua loquimur, procedat à gratia operante, & motione Spiritus Sancti: non tamen elicitur à gratia habituali, quæ sola tribuit condignitatem, & Diuinæ naturæ participium, & consortium. Ad secũdam probationem coocedeudum est, omne meritum ex iustitia hominis iusti esse condignum: quia præsuponit gratiam habitualem, quæ facit condignitatem inter Deum, & hominem: Satisfactio autem antecedit gratiam habitualem in genere causæ materialis, tanquàm vltima dispositio

positio

positio ad illam, & ideò condigna esse non potest. Sola autem Christi Satisfactio est condigna pro culpa, & offensa: quia est perfecta, & ex rigore iustitiæ; vt docet D. Tho. hic ad secundũ: vbi censet, illam solam Satisfactionem esse condignam; quæ est perfecta, & ex toto rigore iustitiæ. Quod non semel asserit, sed secundò, & tertiò repetit. Etenim primò ait. *Satisfactio dicitur sufficiens perfectè, quia est condigna per quandam adæquationem ad recompensationem culpæ commissæ; & sic puri hominis Satisfactio nequit esse pro peccato perfecta.* Dicit secundò. *Oportuit ad condignam Satisfactionem, vt actus Satisfacientis haberet efficaciam infinitam, nempe, Dei, & hominis existens.* Tertiò ait. *Satisfactio dicitur sufficiens imperfectè secũdùm acceptationem eius, qui est illa contentus: quãuis non sit condigna.*

114 Ad tertium concesso antecedenti, negatur consequentia; & ad probationem Resp. nullum esse inconueniens, vt idem actus simul sit Satisfactorius, & meritorius respectu diuersorum: & sic contritio, vt antecedit gratiam, est Satisfactoria pro culpa, & meritoria gloriæ. Quod vt exactiùs intelligatur, aduertendum est, versari discrimen inter meritũ, & Satisfactionem, quamuis sint actus iustitiæ, & ad alterum: quòd meritum respicit bonum merentis, videlicet præmium ipsi conferendum propter tale meritum, Satisfactio verò respicit bonum eius, cui fit, qui & offensus est, ita vt ter minus intrinsecus, & totalis Satisfactionis intelligatur, non intellecto commodo, & vtilitate Satisfacientis; imò etiam aliquando fit cum detrimento, & incommodo ipsius Satisfacientis. Et ideò solet dici, Satisfacimus alteri, & meremur nobis. Ex quo intelligitur, quòd si aliqua actio simul sit Satisfactoria, & meritoria, hæc duo illi competunt respectu diuersorum terminorum. Vnde licèt omne opus bonum à gratia profectum sit meritorium, & ipsa contritio simul sit Satisfactoria, & meritoria, non sequitur, vt respectu eiusdem termini sit meritoria, & Satisfactoria, sed respectu primæ gloriæ est meritoria, respectu verò culpæ est Satisfactoria.

115 Sed obijcitur. Contritio, vt antecedit prioritate naturæ primam gratiam habitualem, est meritoria primæ gloriæ; ergo etiam est meritoria primæ gratiæ. Sed consequens est hæreticum, ergo. Antecedens est manifestum, quia illa contritio vt sic, præsupponit gratiã actualem, à qua elicitur, & antecedit gloriam: ergo est meritoria illius. Consequentia similiter patet; quia contritio elicitur à gratia actuali, & antecedit prioritate naturæ gratiam habitualem, ergo est meri-

116 toria illius. Pro solutione huius argumenti aduertendum est, vt aliquis actus sit meritorius apud Deum, satis esse, quòd sit bonus, & supernaturalis, & à principio supernaturali elicitus: hoc est, ab auxilio Dei speciali, & ab illo reducatur in finem charitatis, & procedat ab homine grato & iusto. Hoc autem totum reperitur in actu contritionis, vt antecedit gratiam, tanquàm dispositio vltima ad eam, & ex alia parte homo est in gratia pro illo instanti temporis, & est iustus, & amicus Dei, ac proindè nihil illi deficit, vt sit meritorius. Procedit enim, & elicitur ab auxilio supranaturali, à quo ordinatur in finem supranaturalem. Quæ quidem supernaturalitas est maior, quàm si ab extrinseco, à charitate, & gratia referretur in illum finem. Neque est necessarium, à gratia habituali elici; quamuis pro illo instanti debeat homo gratiã habitualem habere, quæ ipsum in iustitia, & Dei amicitia constituat, & quæ informet ipsum actum contritionis, non ipsum eliciendu, & efficiendo, sed coassistendo ei: vt docet D. Bonauentura in 4. d. 17. q. 1. art. 6. & Gabriel in 4. d. 14. q. 1. art. 1. circa finem. M. Soto li. 3. de Natura, & gratia ca. 4. Caietanus. 1. 2. q. 1 1. art. 3. & 4. Neque hoc est contra D. Tho. nam licèt. 1. 2. q. 1 14. art. 4. in corpore, & ad. 3. & 1. p. q. 62. art. 4. ad. 2. & communiter Theologi dicãt, esse necessarium ad rationem meriti, vt sit à gratia, & charitate: non tamen per hoc intelligunt, quòd debeat elici ab ipsis habitibus gratiæ, & charitatis: sed sufficit, quòd sit à motione gratuita, & ab auxilio speciali Dei, & ab his referatur in ipsum finem charitatis, & gratiæ; & ex alia parte ipse homo sit iam in gratia, & charitate constitutus.

Hoc supposito: concesso antecedenti negatur consequentia. Ratio discriminis est, quia nemo potest mereri id, quod iam præhabet secundùm rem. Vnde cùm illa contritio informetur gratia coassistente, & homo in illo instanti iam sit in gratia, & amicitia Dei, nequit talis contritio esse meritoria gratię, per quam actu informatur; non eliciriuè, sed coassistenter. Cæterùm illa contritio est meritoria gloriæ; quia primus gradus gloriæ, quando sit debitus per meritum contritionis, nondum habetur in re, sed tantùm in spe. 117

Sed contra. Nam repognat, quòd quis mereatur id, quod iam habet, vt patet in homine iusto, eliciente actum charitatis intensiorem habitu; tunc in ipso instanti, quo elicit meritum, habet præmium; nam statim augetur ille habitus propter meritum actus intensi: ergo licèt gratia secundùm rem sit in homine, quando elicit contritionem; potest nihilominùs cadere sub eius meritum. Resp. quòd cùm illud, quod debet cadere sub merito, & habere rationem præmij, non solum est in eo instanti, in quo est meritum: sed etiam prærequiritur ad meritum, vel vt principium eliciens, vel saltem vt coassistens: sub tale meritum cadere non potest. Et quia gratia habitualis debet necessariò esse in homine, in eo instanti, in quo elicit contritionem ex auxilio speciali Dei, ideò nequit cadere sub meritum contritionis: quæ quidem in esse meriti informatur gratia coassistente. At verò actus intensior charitatis nõ prærequirit charitatem intensam, vt principium illius actus. Etenim quamuis in eodem instanti, in quo actus intensus elicitur, intendatur etiã charitas: at charitas, vt intensa, est terminus illius actus, & non principium eliciens, neque coassistens: & ideò potest esse præmium illius. 118

Sed dices: charitatem intensam debere esse principium illius actus intensi, quia remissa non habet vim ad actum perfectiorem, & intensiorem se: ergo illa charitas intensa nequit esse præmium illius actus: siquidem est eius principium. Resp. charitatem, vt intensam, non esse principium illius actus, sed vt remissam. Contra: quia remissa nequit esse principium actus intensi. Negatur, quia licèt sit remissa, adiuuatur tamen auxilio Dei, quo redditur fortior ad eliciendum actum intensum. Secundò: quia habitus supernaturales, quantumuis remissi, habent virtutem in actum cuiuscumque intensionis. 119

sionis:cùm sint causæ æquiuocæ suorum actuum: atq; adeò sint maioris perfectionis, nā sunt omninò supranaturales, à solo Deo producti: actus verò à talibus habitibus procedentes, quamuis secundùm suam substantiam, & entitatem sint supranaturales, & ordinis Diuini: non tamen à solo Deo secundùm se totos babent produci, sed etiam à libero arbitrio; ac proindè hac ratione, hoc est, ex ea parte, qua à libero arbitrio exercentur, sunt minoris perfectionis, quàm sint habitus. Fauet etiam D. Thô. 1. 2. q. 114. art. 8. ad. 2. vbi sic ait. *Augmentum gratiæ, non est supra virtutem præexistentis gratiæ, licèt sit supra quantitatem ipsius: sicut arbor, etsi sit supra quantitatem seminis, non tamen est supra virtutem ipsius.* Et de verit. q. 9. art. 1. ad 14. adducit exemplū huic rei valde accōmodatum, de pullo equi, qui statim natus, est minor, quàm asinus iā adultus, secundùm actualem quantitatem: at secundùm virtutem longè est maior. Ad eundū modum, habitus remissus potens est generare, & elicere actū intensum. Præterea asserendum est, quòd licèt charitas aucta Physicè præcedat in casu posito actum intensum, quia est eius causa Physica: at verò moraliter prior est actus, quoniam est meritum, & charitas aucta præmium: & sic in esse meriti prior est actus, & ex consequenti potest mereri tale præmium.

120 Circa illam differentiam assignatam in solutione tertij argumenti, quòd Satisfactio non respicit commodum Satisfacientis, sed eius, cui fit Satisfactio; meritum verò intendit commodum ipsius merentis, nempe præmium dandum à præmiante; quò fit, vt remissio culpæ, quamuis pertineat ad Satisfactionem, non tamen sit obiectum meriti: sic obijcitur. Remissio peccati est magnum commodum, & bonum pœniten
121 tis: ergo est obiectum meriti. Confirmatur. Remissio pœnæ æternæ est magnum bonum pœnitentis; ergo pœnitens meretur remissionem pœnæ æternæ. Resp. contritionem, prout est Satisfactoria, per se primò respicere Diuinum bonum: intendit enim compensare Deo pro injuria, & offensa in illum commissa: secundariò verò respicere remissionem peccati, & pœnæ æternæ: vtraque enim remissio habet se consequenter ad compensationem pro offensa: ratio autem meriti, aut Satisfactionis non est pensanda ex eo, quod se habet consequenter, sed ex eo quod per se primò intenditur. Quare contritio, cùm per se primò non intendat proprium commodum pœnitentis, sed bonum Diuinum; quamuis secundariò, & consequenter cedat in bonum pœnitentis, videlicet in remissionem culpæ, & pœnæ, opus meritorium censeri non debet, sed Satisfactorium.

122 Ad Quartùm principale concesso antecedenti, negatur Consequentia. Et ad probationem Resp. quòd premium non Respondet contritioni, quatenùs est Satisfactoria, sed quatenùs est meritoria gloriæ: ipsa autem remissio peccati non est Satisfactioni debita, neque illi Respondet, sicut merces merito, vt ostensum est in quinta ratione secundæ conclusionis, & ampliùs ostendetur.

123 Ad Quintùm negatur, quòd Satisfactio pro culpa præsupponat remissionem culpæ, imò verò ad hoc ordinatur, & fit Satisfactio, vt remittatur culpa. Cùm enim Satisfactio sit via ad reconciliandum Personas, offensam & offendentem, nō supponit ex se remissionem offensæ, sed potiùs ad illam terminatur.

Ad confirmationem Resp. contritionem esse Satis- 124
factionem pro culpa, quæ est saltem reatu, ad cuius remissionem, & condonationem terminatur ipsa Satisfactio: quod infra apertiùs constabit.

Ad Sextum concedo, hominem non Satisfacere per 125
contritionem, vt subsequitur gratiam, vt latè ostensum est in prima conclusione, & similiter in secunda; nego tamen non Satisfacere per contritionem, vt gratiam antecedit. Et ad primam probationem Resp. contritionem, vt est vltima dispositio ad gratiam, esse Satisfactionem pro culpa; quæ contritio considerata in ordine ad gratiam, ad quam vltimò disponit, non transcendit genus causæ materialis. Considerata verò in ratione Satisfactionis pro culpa, pertinet ad genus causæ efficientis, saltem moraliter. Imò ipsa contritio est actio quædam, elicita à libero arbitrio, Diuina gratia excitato, & adiuto: quæ in ordine ad gratiam habet rationem dispositionis ad genus causæ materialis attinentis; in ordine verò ad culpam, & peccatum, quod expellit effectiuè, nō tātū moraliter, sed etiā Physicè, est Satisfactio ad genus causæ efficientis spectās. Sicut calor disponit materialiter ad formam ignis inducendā in ligno, effectiuè verò expellit, & corrumpit formam ligni: sic etiam cōtritio in genere causæ materialis disponit ad gratiam, & effectiuè expellit peccatum, & Satisfacit pro culpa.

Sed obijcitur. Si contritio effectiuè expellit peccatū 126
antecedenter ad gratiam habitualem; ergo remissio peccati antecedit gratiam: sed consequens est falsum, ergo. Probatur Sequella: nam contritio causat expulsionem peccati effectiuè, vt concessum est, & expressè asseritur à D. Thoma infra q. 85. art. 2. ad 3. Neque intelligi potest actus contritionis in aliquo signo, in quo non intelligatur peccatum remissum, ergo antè introductionem gratiæ iam est expulsum, & remissum peccatum. Falsitas consequentis probatur: quia effectus
formalis, & proprius gratiæ est remissio peccati. Resp. 127
Verum esse, quòd contritio effectiuè expellit peccatū: sed hoc habet, inquantùm procedit à gratia, non quidem habituali, sed actuali, nempe ab auxilio speciali Dei. Implicat autem, quòd contritio, vt procedens à gratia habituali, possit effectiuè peccatum remittere: quia omnis forma priùs communicat subiecto effectum suum formalem, quàm aliquid efficiat, vt patet in calore, qui priùs informat aquā, quàm in illa rem aliā calefaciat, & lux priùs recipitur in aere, & facit illum lucidum, quàm illuminet domum; ergo similiter gratia habitualis priùs dat suum effectum formalem, qui est remissio peccati, & iustificatio impij, quàm aliquid efficienter agat: & ex consequenti si contritio efficienter procederet à gratia, iam præintelligeretur ordine rationis peccatum expulsum: quia ille est suus effectus formalis: ac proinde ipsa contritio efficienter illud expellere non posset, siquidem in instanti naturæ, quo ipsa contritio intelligitur esse, iam intelligitur expulsum peccatum. Quare si contritio effectiuè debet expellere peccatum, vt vult D. Thomas, necessariò id debet efficere, quatenùs procedit à gratia actuali, nempe, ab auxilio speciali Dei, & gratiam habitualem antecedit.
Ad argumentum ergo dicendum est, contritionem in 128

genere

genere causæ efficientis expellere inchoatiuè peccatū, quantùm ad conuersionem inordinatam voluntatis ad creaturam; sicut illuminatio actiuè expellit tenebras,& actio virtutis expellit habitum contrarium; & actio peccati expellit effectiuè habitum charitatis, & gratiæ; vt docet D.Tho.1.2.q.14.art.10.& 11. Vbi legendi sunt Bañes, & Aragon. Verùmtamen in genere causæ formalis, sicut iustificatio fit per gratiam cum habitibus infusis;ita similiter expulsio,& remissio peccati formaliter fit per gratiam: etenim sola contritio non est tota,& efficax causa expulsionis, & remissionis peccati,quia requirit actum Fidei,Spei, & Charitatis,& insuper completur iustificatio per habitum gratiæ,& iustitiæ, per quem de essentia animæ expellitur priuatio gratiæ,& iustitiæ,quæ pertinet ad culpam; vt colligitur ex D.Thoma.1.2.q. 76. art. 1. ad 1. Itaque peccatum,quantùm ad conuersionem,effectiuè expellitur per actum contritionis.quantùm verò ad auersionem,formaliter expellitur per gratiam. Et ideò ante gratiam habitualem non intelligitur peccatum per contritionem omninò expulsum,& remissum,cùm per illam non expellatur quātùm ad auersionem, sed solùm quoad conuersionem;quod est inchoatiuè tantùm esse remissum,& expulsum.

129 Sed pro huius maiori intelligentia aduertendū est, quod sicut est duplex contrarietas, & formalis, & effectiua; ita duplex est expulsio peccati; altera quidem formalis,& altera effectiua: vnumquodque enim expellitur à suo contrario.V.G. scientia, & error opponuntur contrariè formaliter, & ita error expellit formaliter scientiam,& vice versa, scientia formaliter expellit errorem;si tamen scientia, & error sint circa idē obiectum. Cæterùm assensus scientificus effectiuè contrariatur errori,qui est circa illud obiectum, cuius est assensus: & similiter assensus erroneus etiam contrariatur effectiuè scientiæ. Atque adeò sicut ibi est contrarietas effectiua,est etiam expulsio effectiua. Ad eundem ergo modum dicendum est, obliquitatem habitualem peccati formaliter contrariari conuersioni, & rectitudini habituali,in ordine ad Deum, quomodocū que illa sit,siue intelligatur esse per habitus superadditos animæ,& potentijs, qui sunt qualitates distinctæ à subiectis;siue per rectitudinem animæ, & potentiarū, etiā si nō ponātur habitus distincti. Verùmtamen actio illa, quæcūq; sit,per quam fiat hæc rectitudo habitualis,est contraria peccato effectiuè, & ex consequenti peccatum in habitu expellitur formaliter per rectitudinem habitualem; quæ sanè est quædam iustitia inhærens,habitualis,distincta ab anima, & potentijs secundùm rem,continesq; gratiam habitualem, & alios habitus infusos,nempe Fidem, Spem, & Charitatem. Effectiuè autem expellitur ab actu cōtritionis causante illam rectitudinem.

130 Vnde constat,contritionem,vt est vltima dispositio ad gratiam,aliquo modo esse causam efficientem expulsionis, & remissionis peccati: vt docet D. Thomas infra.q.85.art.2.ad.3.& q.86.art.6.ad.1.& 4.quod quidem de efficientia morali, & Physica intelligendū est. Et de morali nulla est difficultas, & potest sic explicari;nempe,quod actus contritionis ideò dicitur effectiuè expellere peccatum: quia re vera Satisfacit pro ipsa culpa. Etenim cùm peccatum dupliciter intelligatur remitti;vno modo, per hoc quòd deordinatio, quæ erat in voluntate, excluditur per oppositam rectitudinem,quam efficiunt charitas,& reliquæ virtutes; aliò modo,per hoc quòd Deus remittat iniuriam sibi illatam per peccatum: & quantùm ad hoc requiritur Satisfactio ex parte hominis,qui peccauit, & hæc Satisfactio in paruulis quidem, & his, qui per solam attritionem cum Sacramento iustificantur, fit per solam Christi Satisfactionem applicatam per Sacramentum: in illis verò,qui per proprium actum iustificantur, Satisfactio fit per contritionem, quæ est Satisfactoria pro culpa,quatenus procedit ex auxilio speciali Dei, & Christi Domini Satisfactione innititur, quæ per illum actum applicatur. Et sic dicitur contritio peccatum effectiuè expellere,efficientia morali, quatenus pro illo Satisfacit.

Sed tota difficultas est in explicanda Physica causalitate, nempe, quo pacto contritio efficienter Physicè expellat peccatum.Quam rem sic explicant quidam recentiores.Contingit enim interdum, vt licet idem effectus positiuus, nequeat esse à duabus causis totalibus, non subordinatis:destructio tamen alicuius rei optimè potest pluribus causis adscribi; secundum quòd illæ causæ aliquid operantur,ex quo talis rei destructio cōsequitur.Est autem aliquale exemplum ad id explicandum:nam,ex sententia D. Thomæ infra. q. 77. art. 5. quando ex Sacramento corrupto aliquid generatur, destructio ipsius Sacramenti adscribitur & ipsi Deo, conuertenti miraculosè quadam mutatione quantitatem in substantiam: & similiter causæ naturali, quæ sicut ex illis speciebus aliquid generat: sic etiam ipsum Sacramentum corrumpit: cùm generatio vnius sit corruptio alterius. Itaque desitio quantitatis tribuitur duabus causis:quoniam ex effectu positiuo,quem vtraque causa operatur,sequitur illud non esse, & desitio quantitatis.Est etiam aliud exemplum. Quando anima rationalis creatur in corpore immediatè à Deo, est etiam generatio hominis. Et creatio suum terminum positiuum sortitur,nempe,animam existentem in corpore,& generatio similiter terminatur ad esse substantiale hominis.Cæterùm desitio embrionis, id est non esse embriunis, & est à Deo creante animam in corpore effectiuè, & ab homine etiam generante. Ad eūdem ergo modum in proposito: quamuis,actio Diuina,per quam immediatè producitur gratia habitualis cum suis habitibus, & potentijs supernaturalibus, habeat suum terminum positiuum,videlicet,quòd homo sit habitualiter iustificatus, & ab statu peccati ad statum Filiorum Dei translatus, vt docet Concilium Trident.Sess.6.cap.4. & similiter actio liberi arbitrij habeat suum terminum positiuum,nempe, conuersionem habitualem in Deum, quæ ex natura rei consequitur ex conuersione actuali, etiā si nihil superadditū potentiæ intelligatur:licet, inquam, istæ actiones in terminis positiuis distinguantur; nihilominus in expulsione contrarij,quæ est obliquitas peccati,omninò conueniunt:atque adeò non esse peccati est ab vtraque actione;quia vtraque actio habet terminum, qui si ab alio termino intelligeretur distinctus, esset sufficiens, vt ex illo destructio,& non esse peccati consequeretur. Hæc explicatio est satis elegans,& acuta,sed a viris doctissimis impugnatur. 131 132 133

Primò.

134 Primò. Actus charitatis necessariò præsupponitur ad contritionem,& realiter distinguitur ab illa;sed actus charitatis habet contrarietatem cum peccato, vt docet D.Tho.2.2.q.24. art. 12. Ergo expellit peccatũ effectiuè, atq; adeo quando aduenit contritio, iam est expulsum peccatum;cùm actus charitatis ordine naturæ sit prior contritione. Maior patet,quia contritio causatur ab actu charitatis,vt docet D.Thomas. 1.2.q. 113.art.2.ad.5. & art. 8.& in hac. 3.p.q. 85.art.5.& 6. Resp.verissimum esse,Peccatum effectiuè expelli ab actu dilectionis Dei super omnia, qui antecedit actum contritionis. Sed quia contritio secundùm ordinem naturæ præsupponit illum actum charitatis,& ab ipso imperatur, ideò contritio potest dici effectiuè expellere peccatum ratione charitatis, iuxta illud Lucæ.7. *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

135 Secundò Resp.contritionem,secundùm quòd est actus iustitiæ, per quam delictum cōtra Deum commissum compensatur,effectiuè etiam expellere peccatum: quia licèt contritio præsupponat actum charitatis, similiter expellentem peccatum; aliter tamen, & aliter expellitur à charitate, & aliter à contritione: etenim peccatum,quatenùs cōsequitur ex actu odij Dei, quod in omni peccato mortali virtualiter includitur, expellitur quidem ab actu amoris Dei. Inquantùm verò est inæqualitas in ordine ad Deum,consequens ex offensa Dei injuriosa;sicut compensatur ab actu contritionis, quæ est iustitia Satisfaciens Deo etiam pro culpa; sic etiam expellitur secundùm istam rationem inæqualitatis ab actu contritionis.

136 Sed contra vtramque solutionem objicitur secūdò. Sequitur,quòd actus contritionis de facto non expellit efficienter peccatum,sed tantùm est expulsiuus: quia si esset peccatum,posset contritio illud efficienter expellere:sed hoc non saluat in actu contritionis Physicam efficientiam respectu expulsionis,& remissionis peccati:ergo &c. Probatur Sequella. Priùs naturà peccatum est expulsum per actum charitatis, quàm sit contritio: ergo licèt contritio sit sufficiens ad expellendum peccatum,si esset,cùm iam non sit,illud de facto non ex-

137 pellit. Dices, licèt peccatum sit expulsum secundùm rem,non tamen esse expulsum omnibus modis; cùm non sit expulsum quantùm ad inæqualitatem. Sed cōtra est,quia expellere peccatum,quantùm ad inæqualitatem,non est aliquid efficere Physicè, sed moraliter duntaxat;etenim Satisfacere, & constituere æqualitatem,aliquid morale est,& non Physicū.Item illa exempla adducta ad explicationem Physicæ causalitatis,quę in contritione reperitur respectu peccati expellendi, non faciunt ad rem:nam in primo exemplo, dispositiones introductæ à generante aliquid ex speciebus Sacramentalibus,præcedunt in aliquo genere causæ, & actio similiter generantis antecedit in aliquo genere causæ actionem Dei corrumpentis,& sic non præsupponunt in omni genere causæ rem corruptam.Verùm tamen iuxta eam sententiam,quæ Physicam causalitatem constituit, contritio in omni genere causæ præsupponit peccatũ iam expulsum secundùm suam substantiam;ita vt iam non sit,neque remaneat substantia peccati.Item in secundo exemplo, licèt creatio animæ rationalis præcedat ipsam generationem in vno genere causæ:in alio tamen genere præcedit generatio,quia præcedunt dispositiones, quarum interuentu generans corrumpit embrionem,

Ad hoc argumentum rectè est iam Responsum; & ad 138
impugnationem dicitur,quòd Physica efficientia conuenit contritioni ratione suæ entitatis naturalis; & similiter actiuitas illius, sicut in omnibus actibus humanis,non tantùm procedit ex naturali specie, sed etiam ex morali,& ex grauitate ipsius, sicut etiam causalitas dispositiua contritionis ad infusionem gratiæ ex hoc duplici capite procedit.Vnde Satisfacere, & æqualitatem constituere,estò sit quid morale,includit etiam aliquid Physicum.

Ad exempla autem Resp. quòd licèt contritio præ- 139
supponat, peccatum esse expulsum secundùm aliquam rationem,per actum charitatis, sed non omni modo, quo potest expelli;nempe, quantùm ad illam inæqualitatem,quam constituit in ordine ad Deum. Sed hæc pressiùs examinare non est huius loci, sed pertinet ad materiam de Pœnitentia, vbi Deo dante disputabuntur.

Alij dicunt,Peccatum non expelli per contritionem 140
effectiuè,neque formaliter;sed tantùm dispositiuè, & in genere causæ materialis, eo modo, quo causat ipsam gratiam: ita vt causet gratiam, & remissionem peccati disponendo ad vtramque, & ideò vtrique præsupponitur.Et ad Diuum Thomam dicentem infra.q. 85.art.2.ad.3. contritionem effectiuè expellere peccatum,Respondent,esse intelligendum de efficientia morali,quæ ad genus causæ efficientis referri potest;quod facit contritio disponendo ad gratiam,qua formaliter expelluntur peccata,ac proinde non sequitur, antè infusionem gratiæ præintelligi remissa peccata per cōtritionem. Sed de his suo loco.

Ad secundam probationem posterioris partis ar- 141
gumenti sexti, Respondetur Primò; non esse necessariam ad Satisfactionem amicitiam, vt constat ex ipsamet ratione,& fine intrinseco Satisfactionis: est enim quasi via quædam ad reconciliandas Personas inter se dissidentes,& ideò ex se non supponit amicitiā factam;sed potiùs debet ad illam terminari.Vnde ratio compensationis non requirit, vt procedat à Persona grata, nam inimicus & extraneus Satisfacit creditori absque amicitia,& satis est, vt in eo temporis instanti homo contritus non sit inimicus Dei. Potest autem hoc declarari ex differentia iam assignata inter meritum,& Satisfactionem: nam meritum tendit in commodum eius,qui meretur, & vt aliquo modo faciat debitam mercedem,& illum, qui præmiũ daturus est, aliquo modo debitorem efficiat.Et ideò,vt sit condignum meritum, supponit Personam dignam, & amicā Dei,quoniam inimicus Dei, cùm sit indigens omniũ bonorum,nequit Deum facere debitorem. Satisfactio verò per se tendit in honorem, & quasi commodum alterius,& vt ei recompenset injuriam illatam, vnde non constituit illum debitorem, sed potiùs illi debitum soluit, & ideò non necessariò supponit amicitiam, sed potiùs ad illam tendit,& quodammodò terminatur.

Secundò Resp.cōcedendo, *Satisfactionem esse opus* 142
amici;negatur verò contritionem, vt antecedit gratiā, non esse opus amici Dei:etenim contritio de facto sem

per

per procedit ab homine grato,& amico secūdùm rem. Vnde cùm in eodem instanti temporis simul sint contritio,& dilectio Dei, & gratia; quamuis ordine rationis,& naturæ,si considerentur contritio,& dilectio, vt antecedunt gratiam, vt sic non dicantur procedere ab homine grato plenè,iusto, & amico Dei:nihilominus dimanant ab amico secundùm rem;quia enim illorum actuum rectitudo in illo priori sit transiens per modum actus secundi, obliquitas verò peccati sit per modum habitus,& actus primi, non opponuntur hæ duæ formæ. Et ideò in illo priori primæ contritionis antecedentis gratiam, intelligitur homo per modum actus primi esse inimicus,& in peccato: per modum verò actus secūdi, & incompletè est amicus Dei, & iustus;& gratus Deo,& hoc sufficit,vt contritio elicita ab homine dicatur opus amici.

143 Sed pro maiori huius rei intelligentia,recolendū est ex supradictis in responsione ad tertiū argumentum principale huius disputationis,vt contritio, quatenùs gratiam antecedit,sit Satisfactoria pro culpa, imò & meritoria gloriæ,non esse necessarium,vt procedat ex habitu gratiæ,& charitatis;sed quòd eliciatur ab auxilio speciali Dei,& pro illo instanti homo habeat gratiam habitualem,quæ illum in amicitia,& iustitia Dei constituat, & quæ informet ipsum actum contritionis. Vndè cùm actus contritionis procedat ex influxu gratiæ præuenientis,& sit supranaturalis, & in eodem instanti posteriùs naturâ habeat coniunctum, & vnitum habitum gratiæ,& charitatis, per quem talis actus ab homine elicitur,qui in eodem instanti fit Filius Dei adoptiuus,redditur Deo gratus, id sufficit, vt contritio dicatur,etiam vt antecedit gratiam, opus amici.

144 Sed obijcitur. Potentia nequit elicere actum secundum,nisi priùs sit constituta in actu primo; sed actus contritionis,& dilectionis Dei super omnia,est verus actus secundus supernaturalis: ergo nequit elici ab homine,nisi priùs sit constitutus in actu primo gratiæ Dei,& charitatis.Ergo gratia,quæ est actus primus,ordine naturæ antecedit omnem actum secundum Satisfactorium supernaturalem,cuiusmodi est actus cōtritionis, & dilectionis. Respondetur concedendo, quòd nisi homo constituatur in actu primo supernaturali,non producet actum secūdum supranaturalem: at verò per illud auxilium supernaturale,vt antecedenter se habens ad contritionem,sufficienter constituitur liberum arbitrium in actu primo supranaturali ad eliciendam contritionem,quæ dicitur esse à gratia, actuali quidem,& nō habituali,& ab habituali coasistente,sed non eliciente.

145 Sed contra. In illo Priori,quo contritio, & dilectio Dei super omnia intelliguntur antecedere gratiā, homo diligit Deum super omnia; ergo Deus diligit eum. Ergo in illo priori habet gratiam habitualem, quæ reddat eum, obiectum congruum Diuinæ dilectionis,& à qua elicitur contritio, & dilectio Dei super omnia. Resp.quòd in illo priori contritionis, & dilectionis Dei super omnia, antecedenter ad habitum gratiæ prioritate naturæ tantùm, Deus etiam diligit illum hominem,per modum actus secundi:hoc est, diligit illum actum,non tamen intelligitur adhuc homo pro illo priori simpliciter dilectus,sed quasi secundùm quid: quoniā adhuc pro illo priori intelligitur homo sub peccato per modum actus primi, & non per modū actus secundi:& ideò non requiritur, vt in illo priori intelligatur, vt habens gratiam habitualem per modū actus primi.

Sed instatur.Ille actus dilectionis est eiusdem speciei cum alijs actibus charitatis;ergo est actus mutuæ amicitiæ:ergo non stat intelligere hominem illum,vt diligentem Deum, sine eo quòd etiam Deus diligat illū. Resp.quòd Deus diligit illum eo modo, quo ipse Deū. Ipse verò non diligit Deum in illo priori perfectè, neque intelligitur adhuc pro illo priori,vt perfectus eius amicus,nisi tantùm secundùm quid, id est,in actu secundo, remanente inimicitia quasi per modum actus primi, & ita Deus diligit illum per modum actus secundi,id est,diligit illum actum, & odio habet peccatorem. 146

Ex quibus constat, quòd licèt in illo priori naturæ, quo contritio antecedit gratiam, nondum consideretur homo,vt gratus,sed vt tendens in gratiā, & remissionem peccati,non indè sequitur, quòd nondum se habeat,vt amicus:aliud enim est dicere: in illa ratione non consideratur vt gratus, & amicus; aliud, verò,tunc non est amicus,sed inimicus: sicut aliud est dicere,materia vt recipiens formam,& vt comparatur formæ,in genere causæ materialis, nondum intelligitur sub forma,aliud verò, quod materia sit tunc informis,aut sine forma. Vnde ista consequentia est nulla: materia,quatenùs est causa formæ, non habet formam;ergo tunc est materia sine forma: arguitur enim à secundū quid ad simpliciter,siue à disparatis;est enim illatio disparata,ab eo,quod mente consideratur,inferre,ita esse in re. 147

Tertiò Respondetur,quòd in illo priori, quo consideratur contritio,vt disponit ad gratiam, & Satisfacit pro culpa,non consideratur homo, vt amicus, neque vt inimicus.sed consideratur ille actus,qui,vt procedit à gratia operante,& vt tendit in solutionem debiti, satisfacit imperfectè ex Diuina acceptatione. Neque valet: iste actus vt sic est Deo acceptus: ergo est opus amici: quia minùs requiritur, vt sit acceptus imperfectè,& in via,quàm ad hoc, vt sit opus amici. Et est instantia in actu dilectionis, vt est dispositio ad gratiam,& vt est priùs ratione,quàm quòd homo, qui diligit, sit amicus: qui actus in illo priori est Deo acceptabilis, & illi placet,& tamen homo tunc non consideratur, vt gratus, & amicus: quare acceptabilitas actus non infert pro illo instanti naturæ gratitudinem operantis. Hoc tamen rectè colligitur, talem actum à Persona grata necessariò esse eliciendum, & esse cum gratia, & amicitia coniunctum: neque acceptari à Deo, quandiu homo non est gratus: sed rectè consideratur vt acceptabilis, & Deo compensans, antequam intelligatur sub gratia habituali. Imò verò in eodem actu possunt plura rationis signa distingui: nam priùs consideratur, vt elicitus ab homine excitato Diuino auxilio: deinde vt disponit: Tertiò, vt tendit in destructionem peccati: Quartò, vt acceptatur à Deo:Quintò, vt compensat. 148

Quartò Respōdent alij ad secundam probationem, quòd cùm contritio non expellat peccatum,nisi vt dispositio moralis, vel effectiue Physicè, vt est pars 149

Sacramenti: non repugnat ex vi ipsius, vt simul intelligatur homo contritus, & expulsum peccatum; quia in instanti, in quo est contritio, est primum esse gratiæ: & ideò est etiam primum non esse peccati. Et ex hac parte in instanti, in quo intelligitur homo contritus, intelligitur etiam exclusum peccatum.

150 Sed contra obijcitur. Gratia supponit hominem cõtritum; ergo supponit hominem in peccato: quia gratia aduenit peccatori ad tollendum peccatum. Resp. quòd licèt gratia adueniat peccatori, & homo contritus, vt prior naturâ quàm gratia, censeatur peccator: nõ tamen sequitur, in eodem instanti esse peccatum, & cõtritionem: quoniam licèt forma adueniat materiæ nudæ; sed non ita, vt in illo instanti sit nuda, sed spoliata forma, quæ antea erat. Similiter anima est peccato spoliata, quod ante illud instans erat.

151 Ad tertiam probationem Resp. cõcedendo, omnem valorem contritionis de facto sumi à gratia in genere causæ formalis; posse tamen considerari, vt est dispositio ad gratiam: & sic actus, & valor illius erit secũdùm quid prior ipsa gratia: sicut in naturalibus calor, & virtus caloris, & quicquid habet in re, procedit ab igne, & tamen ipse calor secundùm virtutem, quam participat

152 ab igne; disponit ad formã ignis. Secũdò Resp. & meliùs, valorem Satisfactoriũ imperfectè, & in tendentia conuenire contritioni, vt procedit à gratia operãte, & quatenùs ex suâ naturâ elicitus ex tali principio supranaturali, tendit ad compensandum, quantùm potest: valor enim sequitur naturã actus moralis. Neque potest intelligi actus supernaturalis moralis in viatore existẽte in gratia; quin habeat valorem. Is autem valor Satisfactorius, qui reperitur in contritione, vt antecedit gratiam habitualem ordine naturæ, non sumitur præcisè à gratia operante, & auxilio speciali Dei: sed ab auxilio, & ab homine, qui pro instanti, in quo cõteritur; est Deo gratus secundùm rem: ac proindè actus contritionis habet valorem, non solùm Satisfactorium, sed etiam meritorium ad sensum supra explicatum, nem-

153 pe, respectu diuersorum. Ad replicam contra solutionem assignatam, patet responsio ex dictis. non enim est eadem ratio de alijs operibus antecedentibus iustificationem, & de contritione, vt est vltima dispositio ad gratiam, & iustificationem: nam in instanti, in quo est contritio, procedit secundùm rem ab homine grato, & amico Dei. cùm in eo temporis instanti iam homo habeat gratiam: ac proindè contritio non solùm desumit valorem ab auxilio supranaturali, à quo elicitur; verùm etiam ab homine ipso grato secundùm rem, siue ab ipsa gratia, vt coassistente. Reliqua verò opera, quæ iustificationem antecedunt, cùm non sint vltimę dispositiones ad illam, quamuis procedãt à gratia operante, siue ab auxilio speciali Dei: quia tamen non procedunt ab homine grato; sed potius ingrato, & inuiso Deo: non habent valorem ad Satisfaciendum, neque ad merendum.

154 Ad quartam probationem, concessa maiori, negãtur minor, quoniam etsi iustificatio essentialiter, & secundùm suam substantiam sit effectus gratiæ operantis. tamen quantùm ad dispositiones, quæ ex parte liberi arbitrij requiruntur, pertinet ad gratiam cooperantem: contritio enim non est opus solius gratiæ operantis, sed etiam cooperantis, vt constat ex Concilio Tridentino Sess. 6. cap. 5. Vbi expressè dicitur, dispositionem in adultis ad iustificationem fieri cooperantibus nobis, & liberè consentientibus. Et idem definitur Cano. 4. sub his verbis. *Siquis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac præparet neque posse dissentire, si velit: sed velut inanime quoddam nihil omninò agere, mereq́; passiuè se habere, anathema sit.* Ex quo canone apertè colligitur, adultum, cùm ad Deum conuertitur, per actus liberi arbitrij, contritionis, & dilectionis Dei super omnia, fidei, etiam ac spei: licet hæc non agat, nisi à Deo specialiter adiutus; nihilominùs esse verũ agens, & verè actiuè, & efficienter concurrere ad actum contritionis, & ad actualem dilectionem Dei super omnia, & ad actum Fidei, & Spei. Et ratio etiam suffragatur; quia conteri, diligere, sperare, credere, & actualiter conuerti ad Deum, vt ad finem supernaturalem per actũ, & motionem liberam, sunt actiones vitales, ad quas adultus nequit non concurrere, vt agens vitale, & vt viuens efficiens. Imò verò illæ actiones dicunt ordinem intrinsecum ad principium actiuum viuens. Quare necessariò fatendum est, contritionem, etiam vt antecedit gratiam, esse opus gratiæ cooperantis.

Sed quia contritio interdum appellatur actio gra- 155
tiæ operantis, aduertendum est; cõtritionem, & quemcumque actum supernaturalem posse dupliciter considerari. Vno modo, vt est elicitus ab ipsa potentia voluntatis, quantùm ad substantiam operis: alio modo, vt excedens facultatem naturæ. Si priori modo consideretur, neque est à gratia operante, neque cooperante; sed est à voluntate circa suum obiectum, vel ex viribus naturæ producta. Si verò posteriori modo perpendatur, est quidem à voluntate efficienter; volũtas enim est, quæ conteritur, & diligit: sed quia ad talem actum contritionis, & dilectionis, estò voluntas liberè conteratur, & diligat; non se applicat, neque determinat ex aliquo principio creato, sed potiùs determinatur ex Diuina motione: ideò gratia operans, & non cooperãs vocari solita est; quia in nobis nulla est virtus ad talem actum efficiendum, ante illam motionem. Vnde contritio, cùm sit actus supernaturalis secundùm substantiam, est præparatio, & dispositio ad gratiam; non prout est à libero arbitrio tantùm, sed prout est etiam ab auxilio speciali Dei. Et ideò pœnitens propriè ad talem contritionem non se mouet, sed mouetur à Deo. Nihilominùs quantùm ad substantiam operis ipse homo se mouet; nam posita motione Dei, & influxu gratiæ præuenientis, per quam in actu primo supernaturali constituitur: mouet se ad eliciendum, & producendum actum secundum supernaturalem contritionis.

Sed obijcitur. Cõtritio est actio vitalis, dicens intrin- 156
secum ordinem ad principium viuens efficiens, à quo vitaliter elicitur; ergo per talem actũ vitalem mouet se homo, & non mouetur. Patet cõsequentia, quia hoc est propriò viuentium, vt sint causæ efficientes suorum motuum. Pro solutione nota, voluntatem mouere se, dupliciter contingere. Vno modo perfectè, scilicet, quando ex præintento fine mouetur voluntas ad electionem mediorum: alio modo, per hoc duntaxat, quòd

Physicè

Physicè suum actum efficienter producit. Hoc notato ad argumentum Resp. quòd voluntas, cùm conuertitur in Deum, non dicitur mouere se perfectè; sed imperfectè tantùm: quia tunc non intendit finem, neque ex fine præintento operatur, quamuis sit causa effectiua illius
157 operationis. Secundò Resp. concedendo, voluntatem, quatenùs elicit actum contritionis, in illo primo instanti infusionis gratiæ seipsam perfectè mouere: cuius ratio est; quoniam ex præintento fine per actum charitatis, qui contritionem anteuertit, homo quidem operatur ad Satisfaciendum pro culpa; & compensan-
158 dum injuriam Deo illatam. Ex hac autem solutione Primò colligitur intelligentia Concilij Tridentini Sess. 6. citata, cùm docet, liberum arbitrium cooperari gratiæ Dei, quādo est in vltima dispositione ad gratiā: etenim si motus liberi arbitrij consideretur, vt est actus charitatis, dicitur cooperari ad gratiam, vt cooperari sumitur, prout distinguitur contra pati ex necessitate, & idem pollet, quod producere liberè operationem: at verò non vult dicere Concilium, quòd tunc cooperetur homo; quasi se mouens ex fine præintento. Cæterùm si in ea vltima dispositione ad gratiam consideretur actus contritionis, nihil vetat, vt tunc dicatur homo cooperari perfectè ad Satisfaciendum pro peccato, & compensandam injuriam Deo factam.
159 Sequitur secundò, vltimam dispositionem ad gratiam, quatenùs est meritoria gloriæ; dici etiā effectū gratiæ cooperantis: ad quod sufficit, quòd sit motus liberi arbitrij hominis existentis in gratia secundùm rem; quāuis ab illa nō eliciatur: sed eam tantùm exigat, vt consistentem.
160 Ad quintam probationem M. Suarez hîc Disput. 4. Sectio. 10. concedit, contritionem esse meritoriam de congruo primæ gratiæ, & remissionis peccati: quia cū illis habet quādam proportionem, & congruentiam; & est eiusdem ordinis. Sed quia hoc meritum congrui in Schola D. Thomæ non admittitur respectu primæ gratiæ, & remissionis peccati; de quo disputatur. 1. 2. q. 114. neganda est Sequella. Et quod attinet ad gratiam, supra in obiectione contra solutionem tertij argumenti principalis, assignata est ratio; propter quam gratia sub merito contritionis cadere non possit: quod enim actu iam possidetur, nequit sub meritum cadere. In eodem autem instanti, in quo est contritio, est etiam gratia in subiecto, quod secundùm rem est gratum: ac proindè non potest contritio mereri primam gratiam. Quod verò attinet ad remissionem peccati, Resp. in præsenti materia non esse legitimum discursum à Satisfactione ad meritum: quia licet vtraque actio, & Satisfactoria, & meritoria ad iustitiam spectet: est tamen inter eās latissima differentia; nam contritio, vt est Satisfactio, non exigit condignè remissionem peccati, neque adæquat latitudinem injuriæ, quatenus est contra Deum, sed tantùm compensat inæqualiter & imperfectè: meritum verò secundùm condignitatem iustitiæ requirit præmium, & illi commensuratur; ac subinde confertur illi ad æqualitatem, & simpliciter sibi facit debitum tale præmium. Quæ omnia cùm nequeant contritioni conuenire respectu remissionis peccati, conficitur necessariò, non posse talem remissionem promereri.
161 Ad probationem, qua dicitur, contritionem, vt est dispositio ad gratiam, esse opus Deo acceptabile &c. Resp. esse opus acceptabile, quatenùs Deus acceptat iustitiam illius. Etenim contritio priùs consideratur, vt Satisfactoria, quàm vt meritoria; quia ad rationem Satisfactionis minùs exigitur, quàm ad meritum. Et quatenùs est Satisfactoria, est etiam Deo acceptabilis; & ex consequenti priùs, & independenter habet, quod sit accepta in ratione compensæ, & Satisfactionis: quàm in ratione meriti. Et ita non rectè concluditur: est Deo accepta in ratione compensæ: ergo tanquàm meritum. Neque similiter infertur: Satisfacit pro culpa, ergo meretur remissionem culpæ. Præsertim quòd est Deo acceptabilis pro offensa imperfectè.

Secundò Resp. contritionem, quantumuis acceptabilem Deo, nullo modo mereri remissionem culpæ: 162
quoniam talis remissio est formalis effectus, quasi secū darius gratiæ: ac proindè, cùm non sit meritoria ipsius gratiæ: neque etiam erit meritoria effectus formalis illius.

Ad sextam probationem negatur cōsequentia; & ad probationem Respondetur, hanc imperfectam Satisfactionem nō obstare, quominùs remissio peccati simpliciter, & absolutè detur gratis; quia illud, Gratis, in toto rigore solùm excludit debitū de iustitia, cui opponitur, & ideò quod fit ex liberalitate, & gratitudine, gratis fit. Quare cùm hæc Satisfactio imperfecta non sit condigna, neque æqualis, neque æquiualens secundùm se, & ex natura rei; sed tantùm acceptetur à Deo, ac si adæquaret offensam, non inducit debitum, & obligationem iustitiæ, & ideò non obstat, quominùs gratis detur remissio peccati, sicut & ipsa gratia. 163

Sed obijcitur. Quod fit ex aliquali Satisfactione, etsi omninò exacta non sit, non fit omninò gratis, ergo si remissio peccati præsupponit Satisfactionem, quamtumuis imperfectam, non datur gratis, sed ex debito iustitiæ. Antecedens patet, quia ad donationē gratuitā requiritur, vt vndique sit gratia, sed non est gratia omni ex parte, vbi ratio iustitiæ, & Satisfactionis interuenit, ergo &c. Resp. si illud, omninò gratis, excludat omne debitū iustitiæ, verū esse, remissionem fieri omninò gratis. Et quia hæc Satisfactio nō inducit debitū iustitiæ, ideò remissio peccati omninò gratis datur. Si verò illud, omninò gratis, excludat omnem diligentiam, & cooperationem peccatoris, ita vt ex parte illius nihil exigatur in compensam, & per modum Satisfactionis, non remittitur illi peccatum omninò gratis, hoc est, omnibus modis ex gratia, & nulla interueniente iustitia: quoniam aliquid ab eo exigitur, & aliquid de suo cum Diuina gratia offerre debet, vt remissio illi concedatur. Hoc autem est Satisfactio eius, quamuis imperfecta, quæ cùm non inducat debitum, & obligationem iustitię, non tollit, quin peccati remissio fiat gratis. 164

Sed cōtra est. Pœnitens reddit totū, quod potest, & quantū ab eo exigitur: ergo perfectè Satisfacit, & de iustitia illi debetur remissio peccati. Negatur consequentia, quia perfectio Satisfactionis nō debet attendi ex potestate Satisfacientis, sed ex æqualitate rei ad rem. Et ideò, licèt pœnitens possit dici suæ obligationi Satisfacere perfectè, quia nemo ad impossibile obligatur, nequie tamen perfectam Satisfactionem exhibere, quæ ad æqualitatem in re constituendam esset necessaria. 165

T 2 Ad

166 Ad confirmationem negatur cõsequentia; quia ius iustitiæ nõ acquiritur ad remissionem peccati, nisi per Satisfactionem condignã, æqualem, & æquiualentem, cuiusmodi nõ est Satisfactio hominis pro culpa: quæ ob sui imperfectionẽ non inducit obligationem, & ius iustitiæ.

167 Ad septimã probationem Resp. Deũ esse pacatũ, & cõtentum per actum contritionis, vt antecedit gratiã; per modũ actus secundi, vt explicatum est in Solutione ad secundam probationem: manente inimicitia per modũ actus primi. Neque indè infertur, ad placabilitatem, & acceptationem ex parte Dei non præstare gratiam; quia iam ostensum est, vt cõtritio sit Satisfactoria pro culpa, esse necessarium; quòd pro illo instanti homo habeat gratiam habitualem: quæ in iustitia, & amicitia Dei eũ cõstituat: & quæ informet ipsum actũ contritionis, nõ ipsum eliciendo, sed potiùs coassistendo ei: & ratione huius coassistentiæ, & principij supernaturalis, à quo eliciiur, nempe ab auxilio speciali Dei, habet cõtritio, & placare Deum, & esse illi acceptam. Prætereà ex eò quòd per contritionem intelligitur Deus pacatus, intelligitur etiam remissa offensa, & expulsa effectiuè, siue moraliter, siue Physicè. Vnde si actus contritionis ex sua specifica ratione perpendatur; priùs habet Satisfacere, & compensare Deo, quàm destruere peccatũ, & malũ ab homine remouere: quia ex sua specifica ratione respicit peccatum, vt compensabile. Si autem cõsideretur, vt est actus subiecti, priùs habet contrarium gratiæ expellere, & ad gratiam disponere.

168 Ad confirmationem Resp. quòd in illo priori non consideratur homo gratus, & iustus perfectè, sed tantùm secundùm quid; hoc est: in actu secundo, remanente obliquitate peccati per modum habitus, & actus primi. Hoc tamen non tollit, quin faciat iustitiam imperfectam, vt Satisfaciat imperfectè pro offensa.

169 Ad octauam probationem Resp. verum esse, contritionem, inquantùm est actus iustitiæ, esse dispositionem ad gratiam, ac proindè sicut gratia proportionatur contritioni, prout est dispositio, sic etiam proportionatur, & correspondet illi, quatenùs est actus iustitiæ. Negatur tamen, quòd gratia non purè gratis conferatur: quoniam non respondet illi de Iustitia, sed ex Misericordia, & liberalitate Dei acceptantis illam Satisfactionem de se inæqualem, ac si esset æquiualens. Et ideò purè gratis confertur gratia, & remissio peccati, nam cùm hæc Satisfactio sit tantùm imperfecta, licet ex parte peccatoris sit actus iustitiæ, eò quòd reddit, quantùm habet, & potest: verùmtamen quòd Deus illam acceptet, & propter illam remittat offensam; non est propriè actus Iustitiæ, sed Misericordiæ: quia non oritur ex debito Iustitiæ; & ideò simpliciter dicitur Deus hoc facere gratis, quamuis aliquem modum, & formam Iustitiæ seruet, non negando gratiam facienti ex Diuino auxilio, quod est in se; sed potiùs illam infundendo iuxta dispositionem hominis ex Dei viribus comparatam, & eò maiorem, quò maiorem habet dispositionem, in quo saltem modum iustitiæ distributiuæ seruat.

170 Ad Nonam probationem concedo, inter hominem & Deum non esse perfectam Iustitiam; atque adeò, vt illi Satisfaciat ex Iustitia, debere interuenire liberalitatem Dei acceptantis talem Satisfactionem; ac si adæquaret offensam. Concedo similiter, huiusmodi acceptationem fieri per gratiam, siue actualem, siue habitualem; ac proindè Satisfactionem præsupponere gratiam actualem elicientem: habitualem verò, non nisi vt coassistentem. Item dicitur Satisfactio supponere gratiam, idest, beneplacitum, & voluntatem Dei acceptantis Satisfactionem hominis; ac si esset æquiualens, & æqualis. Sed huiusmodi acceptatio gratiosa non obstat, quominùs actus contritionis, vt antecedit ordine naturæ gratiam, sit imperfectè Satisfactorius pro culpa.

Superest modò dissoluere argumenta secundæ opinionis, quatenùs militant contra nostram secundam conclusionem. Ad Primum ergo Resp. remissionem 171
peccati, ex parte Dei non esse opus iustitiæ, sed puræ misericordiæ erga peccatorem: cuius signum est; quòd in Sancta Scriptura hoc opus semper tribuitur misericordiæ, & nunquàm iustitiæ; nunquàm enim vocatur merces, aut corona iustitiæ, vel alijs similibus titulis, quæ iustitiam indicent. Vnde peccator, quantumuis sit contritus, nunquàm dicere audebit: remissio peccati mihi debetur tanquàm corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: sed orabit semper: miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam, &c. Et propitius esto mihi peccatori, &c. Vnde locus ille. 1. Ioan. 1. *Si confiteamur peccata nostra &c.* De venialibus est intelligendus, vt docet D. August. in expositione illius loci. Vel si extenditur ad mortalia: intelligitur cum distributione accommoda: est enim Deus fidelis, & iustus remittens nobis pœnitentibus peccata nostra. Fidelis, nobis. Iustus, Christo: cui iustitia seruatur, quando nobis propter eum peccata remittuntur. De qua iustitia posset etiam exponi alter locus ad Hebræo. 6. Sed vera Responsio est, ibi non esse sermonem de remissione peccati; sed de mercede bonis meritis debita: quæ merita propter peccatũ fuerunt mortificata. Et si homo pœniteat, & sui peccati remissionem consequatur, de iustitia debetur merces: quamuis remissio peccati ex misericordia fuerit obtenta.

Ad secundùm latè Responsum est supra Disputatio- 172
ne. 12. Non enim reddit homo per contritionem tantum bonum, quantum intulit damnum per peccatum: quia licèt homo possit reddere actum æquè bonum in ratione obiectiua, cum ratione obiectiua peccati: pro illo tamen ad æqualitatem Satisfacere non potest: quia Satisfactio respicit peccatum, quatenùs est iniuria & offensa Dei, secundùm quam rationem peccatũ habet quandam infinitatem: eò quòd offensa crescit ex infinitate Personæ offensæ: & ita maiorem injuriã continet peccatum contra Deum commissum: quàm sit Satisfactio in actu charitatis inclusa; nam peccatum est contra Personam infinitam, à cuius dignitate habet injuria, & offensa crescere. Actus verò contritionis, & charitatis est à Persona finita, & ex ea parte, vnde potissimùm sumitur ratio Satisfactionis, non habet infinitatem. Recolenda sunt, quæ adnotauimus Disputat. 12. in obseruatione præmissa antè Responsiones ad argumenta.

Ad tertium iam Responsum est in discursu quintæ 173
rationis pro secunda conclusione, vbi ostendimus, huiusmodi promissionem non fundari in dignitate, &

æqualitate

æqualitate operis, prout est à tali operante; & ideò non continere pactum ad iustitiam pertinens, sed solâ simplicem promissionem, seu decretum Dei immobile, de hoc beneficio exhibendo peccatori pœnitenti, in quo talis cōditio requiritur, vt sit capax, & dispositus ad tale beneficiū recipiendū. Aliàs eodem argumento probaretur, posse hominem mereri primam gratiam per talem dispositionem; quia etiam de hac re facta est promissio. De quo legendus est Robertus Bellarminus libro. 1. de Iustificatione cap. 21.

QVINTA DECIMA DISPVTAT. §. I.

1 VTrùm purus homo possit ad æqualitatem Satisfacere Deo saltem pro peccato veniali. Hoc est: An qui existens in gratia habet formalem pœnitentiam de veniali peccato, per talem actum pœnitentiæ Satisfaciat ad æqualitatem pro peccato veniali, vt est offensa Dei: vel potiùs remissio peccati venialis fiat gratis à Deo, sicut fit remissio peccati mortalis, & nullo modo sit debita de iustitia. M. Petrus de Soto lib. de Insti. Sacer. lectio. 18. de Pœnitentia tuetur partem negantem, & oppositam affirmantem, non solùm falsam, sed parùm tutam in fide existimat. Probat primò: quia in oratione Dominica postulamus à Deo, nobis venialia remitti: ergo illorum remissio non est nobis ex iustitia debita, sed omninò gratis conceditur. Cōsequentia patet: quia per orationem solùm petimus à Deo gratuita beneficia. Antecedens verò constat ex illis verbis orationis Dominicæ. *Et Dimitte nobis debita nostra:* Quibus nō solùm mortalia, sed etiam venialia significari, docent communiter sancti, & Cōcilium Milleuitanum cap. 2. definire videtur.

2 Confirmatur. Primò ex ipsa significatione Verbi. Dimittere, quod propriè gratis, & liberaliter cōdonare significat. Vnde obijcitur. Debitum, quod iustè, & ad æqualitatem debitor persoluit, non remittit creditor: sed Deus, qui est veluti noster creditor, absolutè, & simpliciter nobis venialia remittit; ergo nos illorum debitum non persoluimus iustè, & ad æqualitatem: atque adeò pro illis de condigno non Satisfacimus.

3 Confirmatur secundò: quia in sacris literis remissio peccati, cuiuscumq; generis sit, tribuitur Deo, quasi solius Dei opus sit peccati remissio, vt constat Lucæ. 5. *Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus:* Et ad Roma. 4. inquit Paulus, peccati remissionem gratis fieri; dicens; beatitudinem hominis esse, si illi Dominus peccatum non imputauerit. Vbi secundùm D. Thomā infra. q. 87. art. 4. loquitur Paulus etiam de venialibus.

4 Secundò. Cùm quis ex iustitia, & ad æqualitatem pro injuria alicui facta Satisfacit, debitam sibi ex iustitia facit remissionem illius: sed iustus per actus charitatis non facit sibi ex iustitia debitam venialium remissionem, ergo pro illis de condigno non Satisfacit. Maior cū cōsequentia patet, & probatur minor: quia Deus potest iustè homini offerenti in venialium compensationem actum charitatis, minimè peccata illi remittere: ergo non debet ex iustitia remissionem illorum. Dices, non debere absolutè; debere tamen Supposita promissione, & lege ipsius. Sed contra est: nam vel actus charitatis ex se, & ex naturá suá est æqualis valoris cū veniali culpa, vel non. Si non; ergo adhuc Supposita promissione, & lege Dei; nū erit Satisfactorius pro illa de condigno. Si autem ex se æqualis valoris sit: ergo seclusa lege Dei erit æqualis cōpensatio illius. Ergo per se, & formaliter destruet venialem culpam, non expectata gratuita remissione illius. Hæc vltima cōsequētia patet ex superiùs dictis; ostendimus enim, moralem injuriā ex natura rei dupliciter destrui; nempe, per gratuitam condonationem, aut per Satisfactionem cōdignā.

5 Tertiò. Actus charitatis nequit esse æqualis valoris moralis in ratione Satisfactionis, ac est peccatum veniale, prout est offensa Dei: ergo homo per actum illā de condigno, & ad æqualitatem Satisfacere nō potest. Consequentia est euidens, & antecedens probatur. Valor moralis actus charitatis, prout est Satisfactorius, sumitur ab ipsa Persona Satisfaciente; grauitas verò injuriæ in peccato veniali à Persona offensa, nempe Deo: sed Persona offensa per peccatum veniale excedit infinitè Personam Satisfacientem per actum charitatis: ergo & grauitas peccati venialis, prout est injuria Dei, excedit infinite, saltem proportionaliter valorem moralem actus charitatis, prout est Satisfactio.

6 Confirmatur: quia hac præcisè ratione supra probatum est Disp. 12. Peccatum mortale, prout est offensa Dei, excedere quemcumq; actum Satisfactorium puræ creaturæ, quia ex infinita dignitate Personæ Diuinæ, contra quam committitur, accipit infinitatem quandam inadæquabilem per creatæ Personæ Satisfactionem: sed peccatum veniale est etiam offensa Personæ infinitæ dignitatis, nempe, Dei: ergo ex hoc ipso capite moralem quandam sumit infinitatem, omninò inadæquabilem per Satisfactionem Personæ creatæ: atq; adeò iustus pro peccato veniali de condigno, & ad æqualitatem Satisfacere non poterit.

7 Quartò: Peccatū veniale secùdùm propriā rationem importat separationem quandā à Deo, & offensam, tametsi imperfectā: sed pro offensa contra Deū cōmissa, quamtumuis leuissima nihil potest homo offerre, tanquàm condignam, & æqualem Satisfactionem, neque seipsum in Deum conuertere potest, si ab illo aliqua ratione fuerit auersus, imò verò hæc opera sunt Diuinæ gratiæ: ergo ipsi tribuenda est remissio peccati venialis.

Quintò. Sequeretur ex opposita sententia, peccatū veniale remitti nō posse, quin tota pœna temporalis pro illo debita remittatur. Probatur Sequella: quia actus pœnitentiæ est ad æqualitatem Satisfactorius pro peccato veniali, vt est culpa ergo etiam est Satisfactorius pro tota pœna. Patet cōsequentia, quoniā Satisfacere ad æqualitatem pro aliqua offensa, est soluere totum, quod pro illa debetur; videtur autē æquitati repugnare, vt homo oblata Satisfactione æquali, & condigna pro aliqua offensa, sit maioris Satisfactionis debitor.

8 Hanc eandem sententiam videtur tenere M. Zumel 1. 2. q. 114. art. 5. Disput. 2. conclus. 4. Sed oppositam tuetur M. Martinus Ledesma. 1. p. quarti. q. 28. art. 2. & M. Suarez hîc Disp. 4. sectio. 11. Vnde pro explicatione sit prima conclusio.

Prima Conclusio. §. II.

9 HOmo existens in gratia nō potest, etiam de potentia absoluta, ex perfecta, & rigorosa iustitia pro peccatis venialibus Satisfacere; de lege tamē potest, imò de facto pro illis de cōdigno, & ad æqualitatē Satisfacit. Hæc cōclusio est cōmunis Theologorū

Digitized by Google

cum Magistro in 4. d. 15. & 16. Prior pars constat; quia vt iustus pro peccato veniali Satisfacere possit, necessariò debet Deus priùs illi gratiam iustificantem, & auxilium supernaturale concedere, necessarium ad eliciendum actum Satisfactorium: sed vbi interuenit ex parte Personæ offensæ gratia, nequit esse Satisfactio exactæ, & rigorosæ iustitiæ, vt ex superioribus patet: ergo &c. Secunda pars conclusionis est expressè D. Tho. infra q. 87. art. 3. ad 3. vbi concedit, remissionem peccati venialis esse effectum pœnitentiæ, & condonari virtute alicuius Satisfactionis. Et in art. 4. non docet contrarium; sed solùm dicit, gratiam esse necessariam ad huiusmodi Satisfactionem. Et 1. 2. q. 72. art. 5. ait: peccatū veniale esse reparabile per virtutem intrinsecā, in quo potissimùm differt à mortali. Hoc est; per virtutem gratiæ, quam non tollit sicut mortale: ergo non est reparabile per solam gratuitam condonationem; quia hæc propriè non habet intrinsecum principium in homine, sed per æqualem Satisfactionem, cuius principiū est gratia, quæ in homine manet.

10 Item probatur ex illo. 1. Ioan. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus, & Iustus, vt remittat nobis.* Quem locum licèt de mortalibus explicent nōnulli; tamen D. Augustinus ibidem tracta. 1. necessariò intelligendū docet de remissione venialium: quia paulò antè dixerat Ioannes, omnes esse peccato infectos. *Si dixerimus, inquit, quòd peccatū nō habemus, &c.* Sed peccatum, quo omnes infecti sunt, non est mortale, sed veniale: ergo de illius remissione loquitur Ioannes. Cùm igitur Deus non tantùm vt fidelis, sed etiam vt iustus ea nobis remittere dicatur; planè sequitur, nos per actus charitatis ita pro venialibus Satisfacere, vt illorum remissionem debitā nobis ex iustitia faciamus. Deinde probatur ratione, & quidem à priori sic.

11 Iustus ratione gratię habet ius ad gloriam: ergo habet ius ad tollenda impedimenta, quæ illius consecutionem prohibent, aut retardant. Huiusmodi autem sunt peccata venialia; ergo habet ius ad illa tollēda. Sed hęc, prout sunt offensa Dei, ex iustitia tolli non possunt, nisi per æqualem, & cōdignā Satisfactionem: ergo potest iustus cum gratia pro illis de condigno Satisfacere. Dices cū Scoto, peccata venialia tolli ex iustitia per tolerantiā pœnæ temporalis debitæ illis: neq; enim aliter iustis in purgatorio venialia remittuntur: & huiusmodi tolerantiam non esse Satisfactionem, sed satispassionem tantùm. Verùm contra hoc obijcitur. Ad compensandam offensam per actū liberū, & injuriosum factā, ex natura rei magis acōmodata est voluntaria, & libera actio in obsequiū Personę offensę exhibita, quàm tolerantia, aut passio pœnæ debitæ illi: ergo si iustus per solam tolerantiam pœnarum ex iustitia compensat peccata venialia, prout sunt Injuria Dei; à fortiori per liberos actus charitatis ex iustitia recōpensabit veniales culpas: atq; adeò pro illis de cōdigno Satisfaciet: cùm compensatio libera sit formaliter Satisfactio: vt supra ostensum est.

12 Præterea. Tunc fit Satisfactio condigna, & ad ęqualitatem, quando in compensationem injuriæ exhibetur Personæ offensæ obsequiū maioris, aut ęqualis valoris moralis, quàm fuerat injuria: sed iustus per actum charitatis exhibet Deo in cōpensationem injuriæ, illi per veniale peccatum illatæ, obsequium æqualis, imò & maioris valoris moralis; ergo de condigno, & ad æqualitatem pro veniali Satisfacit. Maior cum cōsequentia patet. Et minor probatur. Primò: quia peccato veniali correspondet veluti pœna æqualis, & condigna, pœna sola temporalis: sed actui charitatis hominis iusti correspōdet vt præmium condignū ex iustitia ęterna beatitudo; ergo maior est valor moralis actus charitatis hominis iusti, quàm grauitas culpæ venialis. Secūdò: quia injuria per peccatū veniale Deo irrogata nō est infinita, si ex parte auersionis consideretur; sicut fit in peccato mortali; quoniā veniale nō auertit à Deo, sed à perfectione vnionis actualis cum Deo, quæ in perfectione actualis dilectionis Dei consistit: sed actus charitatis ab homine iusto elicitur, cùm sit ex motione Spiritus Sancti, & in finem supernaturalem ordinetur, habet infinitatem ex parte principij, à quo procedit, & ex parte finis, in quem ordinatur: ergo valor Satisfactionis hominis iusti, & grati non solùm adęquat, verùm etiam superat venialis peccati malitiam.

Insuper. Peccatū veniale in eo differt à mortali, quātùm ad esse reparabile, quòd mortale tantùm est reparabile in ordine ad virtutem Diuinam, & gratuitā Dei cōdonationem: sed nō est reparabile in ordine ad principiū internum, nam peccatum mortale deordinat animam ab vltimo fine, & ab ea tollit radicem, & fundamentum reparationis, quæ est gratia: peccatum autem veniale non deordinat à fine: ergo existens in gratia habet in semetipso virtutem ad reparandam inordinationem per veniale peccatū effectā. Hoc autem efficere nō potest, nisi pro illo Satisfaciendo: ergo iustus per actum charitatis, & alia opera ex gratia profecta poterit de cōdigno, & ad ęqualitatē pro peccato veniali Satisfacere. 13

Sed obijcitur contra hoc, & probatur, eam Satisfactionē nō esse condignā; quia ex D. Tho. hîc in respōsione ad secūdū, illa sola Satisfactio censetur cōdigna, quæ est perfecta, & ex rigore iustitiæ. Sic enim ait D. Tho. *Satisfactio dicitur sufficiens perfectè, quia est condigna per quandam adæquationem ad recompensationem culpæ cōmissæ: & sic puri hominis Satisfactio nō potest esse perfecta pro peccato.* Supra autem ostensum est, nomine puri hominis, cū à D. Tho. intelligi, qui nō sit Deus, etiam si in gratia, & charitate existat. Rursus inquit. *Oportuit ad condignam Satisfactionem, vt actus Satisfacientis haberet infinitam efficaciam, nempè Dei, & hominis existens.* Nihilominùs Respondetur, D. Thomam loqui de Satisfactione hominis pro culpa mortali, quam negat D. Thomas esse condignam, sed non de Satifactione pro veniali, quæ in subiecto satisfaciente supponit gratiā habitualem, quæ operibus condignitatem confert. 14

Secunda Conclusio. §. III.

SATISFACTIO hominis iusti pro peccato veniali, formaliter & ex vi sua non expellit peccatum veniale; sed necessariò pendet ex Diuina acceptatione. Hęc assertio patet ex dictis Disp. 13. & ratio est in promptu, quia nulla Satisfactio potest Deo offerri, quæ pluribus alijs titulis sibi non debeatur: ergo propter illos titulos potest Deus illum actum exigere, vel acceptare sine ordine ad Satisfactionem. Item, quia nullam Satisfactionem potest homo pro culpa Deo offerre, quam ipse Deus repellere nō possit, & non acceptare. 15

Sed

16 Sed obijcitur. Deus poteſt non acceptare Satisfactione hominis iuſti pro peccato veniali: ergo iuſtè poteſt homo Iuſtus perpetuò priuari gloria propter ſolum veniale peccatum. Negatur conſequentia, quia pœna pro peccato veniali debita ex vi iuſtitiæ, & ex meritis talis cauſæ eſt temporalis. Item cùm ſit gratiæ connaturale, per ſua opera peccatum veniale expellere poſſe, eſt etiam illi debitum connaturalitatis debito, vt opera eius in compenſationem pro peccato veniali acceptentur. E contrario autem eſt peccato veniali intrinſecum, vt propter illud ſolum Iuſtus priuari gratia non queat: licèt de potentia abſoluta poſſit Deus, vt omnium Dominus, Satisfactionem hominis iuſti pro veniali peccato non acceptare: quia non promittere potuiſſet, cùm hoc illi liberum fuerit, & ſecluſa promiſſione nihil ſit, quod Deum ad acceptandum neceſſitet.

Solutio Argumentorum. §. IIII.

17 ARGVMENTA In contrarium ſolùm probant, iuſtum non poſſe ex perfecta, & rigoroſa iuſtitia pro venialibus Satisfacere, vt dictum eſt in priori parte primæ concluſionis. Vnde ad primum Reſpondetur. Sicut enim cùm Deum oramus, vt gloriam, & augmentum gratiæ concedat, non petimus, vt gratis hæc nobis conferat; ſed vt auxilium, quo ea promereri poſsimus, nobis gratis largiatur: ſic cùm nobis venialia dimitti per orationem Dominicam poſtulamus, Deum oramus, vt nobis benignè conferat auxilium neceſſarium ad eliciendos actus, quibus pro venialibus condignè Satisfacere poſsimus.

18 Ad primam confirmationem Reſpondetur, creditorem dupliciter poſſe debitum ſuo debitori remittere. Primò, ſi gratis illud condonet non expectata vlla debitoris ſolutione. Secundò, ſi gratis illi pretium conferat, quo debitum iuſtè perſoluat. Hoc poſteriori modo Deus iuſtis venialia remittit, nam gratis dat illis auxilium ſupernaturale, quo actus charitatis eliciant, quibus de condigno, & ad æqualitatem pro venialibus Satisfacere poſsint. Ad ſecundam confirmationem Reſpondetur. Remiſsionem peccati in ſacris literis tribui Deo, vt authori principali remiſsionis peccati: hoc tamen non obſtare, quominùs Satisfactio fiat ad æqualitatem pro illo. Locus verò D. Pauli ad Roman. 4. Sic eſt intelligendus, opera noſtra non habere, quòd ſint ad æqualitatem pro culpa veniali Satisfactoria, niſi ex gratia procedant: ſed non quòd non remittātur per æqualem, & condignam Satisfactionem.

19 Ad ſecundum quidam recentiores Reſpōdent, Deum eò ipſo, quò iuſtis auxilium concedit ad eliciendos actus charitatis, de condigno, & ad æqualitatem Satisfactorios pro peccatis venialibus, virtualiter velle illis remittere huiuſmodi peccata. Perinde enim eſt, huiuſmodi auxilium præſtare, ac pretium debitori tribuere, quo debitum perſoluat. Sicut ergo ſuppoſito, quòd creditor gratis dat debitori pretium, quo iuſtè debitum perſoluat, debitori ſoluenti illud nō poteſt non remittere debitum: ita Deus ex hypotheſi quòd dederit auxilium ad eliciendum actum Satisfactorium ex Iuſtitia pro veniali peccato, ſi iuſtus mediante illo Satisfaciat, non poterit non remittere peccatum. Sicut enim iuſta debiti ſolutione ex natura rei tollitur moralis obligatio debitoris: ſic per actualem Satisfactionem condignam, & æqualem pro peccato veniali, ex natura rei tollitur veluti per formam moralem incompoſsibilem, habitualis offenſa moralis, ratione cuius peccator erat quaſi reus, & obligatus Deo.

20 Sed dices. Deus potuit huiuſmodi Satisfactionem, tametſi condignam, non admittere: ergo potuit non remittere peccatum veniale. Conſequentia patet, & antecedens probatur. Satisfactio Chriſti fuit infinitè maioris valoris moralis, quàm Satisfactio à iuſto exhibita pro peccato veniali: ſed Deus potuit abſolutè non admittere Chriſti Satisfactionem, ſed illa non obſtante homines in peccato relinquere: ergo à fortiori poterit Satisfactionem iuſti pro venialibus non admittere, & ex conſequenti ea non remittere. Reſpondetur; Chriſti Satisfactionem eſſe quidem maioris valoris moralis Satisfactione, quam iuſti pro peccatis venialibus exhibent: non tamen habere ex natura rei vllam oppoſitionem moralem cum peccatis noſtris: & ideò Indigere Dei acceptatione, vt pro illis Satisfacere poſsit. At Satisfactio hominis iuſti pro venialibus exhibita, ex natura rei opponitur veniali culpæ: non enim eſt actus extrinſecus alterius ſuppoſiti, ſicut Chriſti Satisfactio; ſed actus intrinſecus ipſiuſmet Perſonæ, quæ venialiter peccauit. Vnde ſi actus hic ex natura ſua eſt æquiualens, & condigna peccati Satisfactio, ex vi illius manet Perſona iuſti libera intrinſecè à reatu, & obligatione morali, quam ex peccato veniali intrinſecè contraxit: nam ſi ſemel iuſtè, & condignè pro illo Satisfecit; ergo non poterit Deus aliam pro eo compenſationem iuſtè poſtulare. Quidam Reſpondent, iuſtum ex vi huius Satisfactionis manere liberum à reatu pœnæ pro veniali peccato debitæ, non ab ipſo peccato formaliter. Neq; enim hoc conſiſtit, vt falsò Scotus, & Durandus cenſuerunt, in prædicto reatu, ſeu condignitate ad pœnam, ſed in habituali ratione offenſæ per modum termini relictæ ex actuali peccato. Sed contra eſt: nam actus charitatis ex gratia procedens non eſt ſolùm iuſta ſolutio pœnæ debitæ pro culpa veniali, ſed condigna etiam eius, quatenùs fuit iniuria Dei, compenſatio. Ergo ſiqua ratione eſt condigna pœnæ ſolutio, ex natura ſuâ non expectata libera Dei remiſsione, tollit moraliter reatum pœnæ. Eodem modo quatenùs eſt condigna offenſæ Diuinæ compenſatio, per ſe, & ſuapte natura non expectata gratuita Dei acceptatione debebit moraliter ipſam rationem venialis culpæ, quatenùs dicit offenſam Deo factam. 21

22

23 Hæc ſolutio non eſt improbabilis. Nihilominùs cōmunis opinio magis placet, nempe potuiſſe Deum actus charitatis à iuſtis in ſuorum venialium compenſationem oblatos non acceptare, & ex conſequenti neq; illis remittere peccata huiuſmodi propter tales actus: quia actus puræ creaturæ, quantumlibet perfecti ſint, Deum ex ſe obligare non poſſunt, niſi ipſe priùs liberè velit ratione illorum obligari. Vnde ad argumentum Reſpondetur in forma, remiſsionem venialium ex iuſtitia deberi actibus charitatis à gratia procedentibus; ſuppoſita tamen lege, qua Deus ſe illa remiſſurum propter tales actus promiſit, non verò ſecluſo huiuſmodi pacto. Et cùm obijcitur: Secluſa hac lege, vel huiuſmodi actus ſunt æqualis, & condigna venialium compenſatio, vel non. Reſpōdetur eſſe quidem æqualis,

aut maioris valoris moralis,& ex consequenti propor-
tionatos ad compensandam injuriam Deo per venia-
lia illatam. Vnde per se sunt Satisfactorij ex iustitia pro
illis, quasi in actu primo, non tamen sunt in actu secun-
24 do iusta,& condigna eorum Satisfactio. Quemadmo-
dum licèt actus iustorum ex gratia procedentes, ex se,
& ex naturâ suâ in actu primo sunt condigni, & quasi
proportionati ad gloriam; non tamen illam in actu
secundo merentur ex iustitia, nisi priùs Deus gloriam
in præmium huiusmodi actuum se daturum statuat:
ita licèt iusta, & æquiualens Satisfactio pro injuria in
actu secundo sumpta, illam moraliter destruat, sicut ac-
tualis debiti solutio moralem debitoris obligationem;
quia tamen ex se actus iustorum non sunt actualis pec-
catorum venialium Satisfactio, sed solùm proportio-
nati, vt supposita Dei lege pro illis Satisfaciant: ideò ex
se illa non destruunt moraliter, sed solùm dolent sup-
posita promissione,& pacto Dei.

25 Ad tertium Respondet M. Suarez hic Disput. 4. se-
ctio. 11. Peccatum veniale esse solùm offensam secun-
dùm quid,& ideò posse de condigno,& ad æqualitatem
per actus nostros compensari: cuius rationem inquit
esse, quòd peccata venialia non sint directè contra Deũ,
sed contra media, per quæ in ipsum, vt in vltimum fi-
nem tendimus. Sicut ergo, ait, pro leuibus injurijs, qui-
bus subditi Regem non in seipso, sed in bonis eius ex-
ternis offendunt, de condigno Satisfacere possunt: ita
& nos pro peccatis venialibus, quibus leuiter Deum ip-
sum, non tam in se, quàm in medijs, quæ ad illum ex-
trinsecè se habent, offendimus, de condigno Satisfacere
26 possumus. Placet solutio, sed displicet ratio: quia falsum
est, nullum peccatum veniale directè esse contra ipsum
Deum; nam omnium Theologorum consensu possu-
mus venialiter delinquere contra virtutes Theologa-
les, quæ ipsum Deum immediatè respiciũt. Siquis enim
ex imperfecta deliberatione in actum Hæresis, despera-
tionis, aut odij Dei prorumpat; venialiter duntaxat
peccat:& tamen huiusmodi peccata sunt directè contra
ipsum Deum, sicut & mortalia. Solùmq; est differen-
tia in modo libertatis,& deliberationis, quo tẽdere de-
berent contra ipsum Deum, vt mortaliter peccarent.
27 Dicendùm igitur est, quòd licèt aliqua venialia peccata
sint directè contra Deum, quia tamen illum duntaxat
secundùm quid offendunt,& non simpliciter,& absolu-
tè: ideò nullam infinitatem in ratione offensæ per ac-
tus nostros inadæquabilem accipere possunt. Quemad-
modùm (vt in eodem exemplo, quo idem Suarez vti-
tur, persistamus) si subditus Regem leuiter offendat,
quamuis talis injuria immediatè contra Regis Perso-
nam sit facta; nihilominùs talem offensam ad æquali-
tatem compensare potest, non obstante Personarum
inæqualitate: sic etiam quamuis nonnulla peccata ve-
nialia sint immediatè contra Deum, qui Personam
quamcumq; Satisfacientem infinitè excedit: quia ta-
men non simpliciter, sed tantùm secundùm quid ipsum
offendunt: ideò per actus iustorum de condigno re-
compensari possunt.

28 Ad confirmationem Respondetur, non ex eo solùm
peccatum mortale esse incompensabile per Satisfac-
tionem puræ creaturæ, quòd contra Personam infini-
tam ipsius Dei immediatè committatur: sed quia sim-
pliciter, & absolutè Deum offendit. Quotiescumq;
enim aliquis mortaliter peccat, tollit à Deo rationem
vltimi finis, illiq; creaturam præfert: vnde & grauem
ipsi injuriam infert, ob quam eius amicitiam, & gra-
tiam perdit. At qui venialiter peccat, non tollit à Deo
rationem vltimi finis, neq; enim auertitur ab ipso, vt
est vltimus finis, neq; illius gratiam amittit. Dices. Er- 29
go si directè,& formaliter per actum non plenè delibe-
ratum, quid tantùm est veniale peccatum, velit quispiam
tollere à Deo rationem vltimi finis, injuriam inferret
simpliciter irrecompensabilem per Satisfactionem
Personæ creatæ? Respondetur, hoc argumentum eui-
denter conuincere, rationem à M. Suarez adductam, es-
se absolutè falsam, nihilq; contra nos probare: quia non
ex eo solùm peccatum irrecompẽsabile dicimus, quòd
ipsam Dei Personam immediatè offendat, sed quia sim-
pliciter ei iniuriam infert. Vt autem moraliter aliqua
injuria cẽseatur simpliciter talis: oportet fiat cum om-
nimoda,& plena libertate, seu deliberatione.

Ad quartum Respondetur, peccatum veniale, licèt sit 30
Dei offensa, stare simul cum gratia,& ideò posse in eius
compensationem aliquid offerri, videlicet opus pœna-
le ex gratia profectum. Auersio autem, quæ est in pec-
cato veniali non separat à Deo in ratione vltimi finis:
& ideò est in homine iusto principium ad illud tollen-
dum.

Ad quintum Respondetur, veniale peccatum amici- 31
tiam Dei, quam facit charitas, quodammodò lædere,
quatenùs impedit feruorem, & intensionem actus cha-
ritatis, & ex hoc habet, quòd sit offensa Dei. Lædere
etiam eius iustitiam, quatenùs est contra præceptum,
quo prohibetur: nam Deus non solùm iure amicitiæ
exigere potest, vt nihil contra charitatis perfectionem
committatur: sed etiam iure iustitiæ, vt sua præcepta
obseruentur. Quare cùm ex peccato veniali duplex fiat
læsio,& in amicitia Dei,& in iustitia Dei, ideò fieri po-
test, vt homo offerat Satisfactionem æqualem in ordi-
ne ad læsionem, quæ fit contra amicitiam Dei, & non
in ordine ad læsionem, quæ contra iustitiam efficitur;
& ex consequenti vt remittatur veniale peccatum quo
ad culpam,& offensam,& non remittatur quantùm ad
læsionem iustitiæ, sed remaneat reatus pœnæ tempo-
ralis. Et ideò argumentum nihil concludit.

SEXTADECIMA DISPVTATIO. §. I.

VTRVM Potis homo, saltem vt membrum 1
Christi, possit Deo ex perfecta iustitia Satisfa-
cere pro peccato suo. Pro tituli intelligentia
aduertendum est ex Caietano, Christum Dominum
respectu nostræ Satisfactionis, dum sumus in gratia,
posse dupliciter considerari. Vno modo, vt est causa ef-
ficiens,& meritoria gratiæ, & charitatis in nobis for-
maliter existentis, à qua Satisfactio nostra valorem su-
mit,& efficaciam,& propter quam est Deo accepta. Se-
cundo modo, vt est pro nobis Satisfaciens. Etenim
vnusquisque nostrum, dum est in gratia, suppositis, &
applicatis meritis Christi, potest dupliciter considerari.
Primò, vt est Persona quædã particularis, ab alijs om-
nibus, etiam à Christo distincta. Secũdò, vt membrum
est Christi: nam teste Paulo. 1. Corint. 12. tota Ecclesia
est vnum corpus mysticum, cuius caput est Christus,&
fideles sunt illius corporis membra. Fit autem perfecta
istorum vnio per fidem charitate formatã. Vnde iusti,

vt

Digitized by Google

vt sunt membra huius corporis, efficiunt cum Christo vnicam mysticam Personam. Et ideò dubitatur, An Satisfactio hominis iusti, vt est Christi membrum, illi per fidem, & charitatem vnitum, & nullo modo condistinctum à Christo, & ab alijs membris, sed potiùs, vt constituit vnum cum capite, & cum membris, sit perfecta, & de rigore iustitiæ denominatione intrinseca. Negatio his argumentis potest suaderi.

2 Primò. Satisfactio nostra, vt à nobis est, etiam supposita gratia Christi, est finiti valoris, neque ita est propria nobis, quin multò magis sit Dei, cui Satisfacimus: ergo non est de rigore iustitiæ. Patet consequentia; quia non est ex proprijs, & aliàs indebitis.

3 Confirmatur. Nostra Satisfactio, etiam si consideretur, vt vnita Satisfactioni Christi, est ex acceptis, & misericorditer donatis; ergo etiam in hac consideratione est imperfecta.

4 Secundò. Esse membrum Christi est gratia facta ipsi iusto: ergo iustus, etiam vt est membrum Christi, non Satisfacit de rigore iustitiæ. Probatur consequentia; quia rigor iustitiæ excludit gratiam: qua ratione neque ipsa humanitas Christi Satisfacit de rigore iustitiæ: ergo neque alij iusti.

5 Confirmatur: quia ex eo præcisè dicit D. Thomas cum alijs Theologis, Christum Satisfecisse de rigore iustitiæ, quia eius opera immediatè procedebãt à Supposito Diuino, & infinito: sed hoc non habet locum in nostris operationibus: ergo operationes nostræ, etiam vt sumus membra Christi, non sunt Satisfactoriæ de rigore iustitiæ.

6 Tertiò. Si iustus, vt est membrum Christi, Satisfaceret de rigore iustitiæ, sequeretur, quod opera iusti formaliter essent Satisfactoria per Christi Satisfactionem sibi imputatam. Similiter sequeretur, omnes iustorum Satisfactiones esse æquales, sicut fuerunt operationes Christi: quarum quælibet fuit infinitè Satisfactoria: quia in omnibus fuit vna, & eadem ratio Satisfactionis, nempe, procedere à Supposito infinito. Et tandem sequeretur, vnum non esse magis iustum, aut Satisfacientē, quàm aliū, quæ omnia sunt dogmata Hæretica.

7 Confirmatur exemplo ex corpore naturali desumpto. Etenim in corpore naturali, licèt omnia membra à capite virtutem desumant, & recipiant; omnia tamen non eodem modo operantur, aut cum æquali perfectione, aut cum eadem virtute: quia non omnia membra eundem actum habent, vt ait Paulus: ergo licèt iusti sint membra Christi, & vt talia operentur, non tamen operantur cum eadem perfectione, neque eodem modo, quo Christus operabatur: atque adeò nullo modo dicendum est, opera iustorum formaliter, & intrinsecè esse de rigore iustitiæ Satisfactoria.

8 Quartò. Si per illam mysticam vnionem iusti, vt membri, ad Christum, vt caput, propria perfectio Satisfactionis Christi, quæ est rigor iustitiæ, potest tribui membris Christi, etiam viuis: pari ratione posset dici membrum Christi infinitè Satisfacere, & vnam guttam sanguinis martyris cuiusuis, vt est membrū Christi, esse infiniti valoris: quod est absurdum. Probatur sequela: quia non est minùs proprium Christi, Dei, & hominis Satisfacere de rigore iustitiæ: quàm Satisfacere infinitè. Ergo si primum diei potest de iusto, similiter & secundum.

Confirmatur. Satisfacere est actus vitalis ipsius Satisfacientis: ergo nequit propriè tribui ipsi Satisfacientis, nisi secùdum illum modum, & perfectionem, quam habet, prout est ab ipso Satisfaciente. Sed purus homo proximè Satisfaciens nō habet in se gratiam, vnde possit de condigno Satisfacere: ergo etiam vt membrum Christi, nequit verè dici, condignè, & rigorosè Satisfacere. Minor probatur: quia Christus, vt caput, non influit in illum virtutem ad ita Satisfaciendum: licèt influat effectum suæ infinitæ Satisfactionis: & ita contingit in Satisfactione pro peccato mortali. At si homo iam habeat gratiam ad condignè Satisfaciendum, poterit hoc modo dici, Satisfacere, non tamen de rigore iustitiæ eo modo, quo Christus, nam Christus etiam non influit in suum membrum virtutem ad Satisfaciendum illo perfectissimo modo, & sibi proprio, qui est de rigore iustitiæ, & infinitus: sed alio inferiori, sicut etiam Christus Satisfecit per modum causæ primæ in illo genere; hoc est, vt independens ab alio principaliori Satisfaciente: non tamen communicat suo membro, vt hoc modo Satisfaciat. 9

Quintò: sequitur ex opposita sententia, quòd etiam sine Christi Satisfactione posset de potentia Dei absoluta, puri hominis Satisfactio esse perfecta ex toto rigore iustitiæ: consequens est falsum, & contra ea, quæ supra diffinita sunt: ergo. Probatur sequela. Quicquid Deus potest facere cum causa secunda, se solo efficere potest: ergo si nostra Satisfactio coniuncta cum Christi Satisfactione potest esse rigurosa: poterit similiter esse sine illa per potentiam Dei absolutam. 10

Sextò. In Satisfactione hominis iusti, secundùm quamcumque rationem, nulla alia reperitur dignitas, quàm quæ prouenit ex gratia iusto communicata per Christum: sed hæc gratia est eiusdem rationis, & valoris, siue detur ex meritis Christi, siue non: ergo similiter etiam quatenùs datur ex meritis Christi, Satisfactio ex illa proueniens est imperfecta. 11

Septimò. Satisfactio hominis iusti, etiam vt innititur Satisfactioni Christi, non est tanta, quin maiorem pro culpa commissa Deus ab illo exigere posset: ergo non est de rigore iustitiæ perfecta. Consequentia est euidens: quia si hominis iusti Satisfactio, prout est coniuncta Satisfactioni Christi, redderet æquale, & condignè, & rigorosè Satisfaceret; non posset Deus maiorem exigere: imò neque homo maiorem præstare, & exhibere valeret. Antecedēs verò probatur: quia illa Satisfactio, etiam per ordinem & habitudinem ad Christum, non dignificatur, aut eleuatur infinitè, cùm non adæquet valorem Satisfactionis Christi, neque sit tantæ dignitatis, ac si immediatè à Persona Christi produceretur: ergo potest Deus maiorem Satisfactionem ab homine iusto postulare. 12

Referuntur Opiniones. §.II.

IN Hac difficultate quidam recentiores, inter quos est M. Zumel. 1.2.q.114. art.3. Dispur.8. conclus.3. affirmant, iustum, quatenùs est membrum Christi, absolutè loquendo, non posse de rigore iustitiæ Satisfacere. M. Suarez hîc Disput. 4. sectio. 12. asserit, rectè posse dici, passiuè nos iustificari, nobis remitti peccatum, nostras Satisfactiones accep tari ex perfecta, rigorosa, 13

Digitized by Google

rosaq; iustitia e quia Christus nobis ex perfecta iustitia meruit illa omnia, & pro nobis perfectè Satisfecit, vt nobis remitterentur peccata ex perfecta iustitia, sibi debita, non nobis. Actiuè autem asserit non posse nos verè, & propriè dici, Satisfacere de rigore iustitiæ, præsertim pro culpa mortali.

14 Caietanus hoc loco docet duo. Primum est, hominem existentem in gratia ex Christi meritis comparata, si consideretur secundùm se, & quatenùs est Persona particularis, condistincta à cæteris corporis Christi membris, & ab ipso Christo capite: quamuis Satisfaciat pro suis peccatis condignè: non tamen de toto rigore iustitiæ. Hoc assertum probat Caietanus: quia nostra Satisfactio ex duplici capite habet efficaciam: primò ex gratia, à qua procedit. Et quia hæc gratia liberaliter, & ex misericordia homini iusto collata est, ideò eius Satisfactio nequit esse perfecta, & de toto rigore iustitiæ. Secundò habet efficaciam ex Christi meritis, & Satisfactione. At verò Christus, etsi de toto rigore iustitiæ pro nobis meruerit, & Satisfecerit; tamen quòd Christus datus sit nobis ad sic merendum, & Satisfaciendum; ex gratia, & liberalitate processit. Tum etiam, quia hæc meritorum, & Satisfactionis Christi communicatio, non fit transferendo in nos omnem æqualitatem simpliciter, quam Christi Satisfactio habuit, sed iuxta mensuram, & æqualitatem nostræ dispositionis.

15 Secunda assertio Caietani est, hominem existentem in gratia, si consideretur, vt est membrum corporis Christi, non vt condistinctus à capite, & à cæteris membris: sed potiùs, vt constituit vnum, & cum capite & cum membris: Satisfacere pro suis peccatis de toto rigore iustitiæ. Probatur: quia actio membri, vt membrum est, est actio capitis, & suppositi: membrũ enim, vt sic, nullum habet motum, nisi à Supposito, vel capite: ergo Satisfactio iusti, quatenùs est membrum Christi, est Satisfactio Christi. Sed Satisfactio Christi est de toto rigore; ergo & iusti, vt est membrum Christi. Hanc sententiam Caietani sequuntur omnes ferè recentiores Thomistæ paucis exceptis. Soto in.4.d.19.q.1.art.2.conclus.3. Ledesma in.4.2.p.q.15.art.1. Medina hoc articulo, Osius in confess.cap.73. Sed pro maiori explicatione illius, reuocanda est in memoriam ea distinctio hominis iusti, prout est membrum corporis Christi, vitaliter, & perfectè vnitum Christo capiti, & corpori eius mystico, quod est Ecclesia, ex quo capite actualem suscipit influxum ad bene operandum, ad Satisfaciendum, & merendum. Sic autem consideratus homo iustus, vt viuum Christi membrum, actualem ab ipso influxum vitæ spiritualis participans; adhùc potest considerari, vt membrum condistinctum à Christo capite, & ab alijs corporis Christi membris, vel vt membrum non condistinctum à capite, neque ab alijs membris. Hac Supposita distinctione sit

Prima Conclusio. §. III.

16 QVAMVIS De potentia Dei absoluta possit Deus hominis iusti actionem, vt Satisfactoriam acceptare pro peccato, sine ordine, & habitudine ad Christi Satisfactionem: de lege tamen, & de potentia ordinaria, nullius hominis actio est Satisfactoria, nisi quatenùs coniungitur Satisfactioni Christi. Prior huius conclusionis pars est manifesta: nã quicquid Deus facere potest interuentu causæ secundæ efficientis, per seipsum immediatè efficere potest, sed Satisfactio Christi est causa meritoria, & efficiens nostræ Satisfactionis: ergo &c. Confirmatur ex D. Augustino lib. 13. de Trinit. cap. 10. vbi ait. *Ostendamus, non alium modum possibilem Deo defuisse, cuius potestati cuncta æqualiter subiacent; sed sanandæ nostræ miseriæ conuenientiorem modum alium non fuisse.* Legendus est D. Thomas in.4. d. 15. q. 1. art. 2. Est tamen aduertendum, quòd huiusmodi Satisfactio, quæ Christi Satisfactioni non inniteretur, non esset tam perfecta, neque tam secundùm iustitiam, quàm est Satisfactio hominis iusti, qui à Christo iustitiam recepit, & huic capiti vt membrum insitum meretur & Satisfacit.

Secunda pars est expressum dogma fidei. 1. Ioan. 4. 17
Aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum, ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Et ad Roman. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, & per Redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.* Et ad Ephes. 1. *Gratificauit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus Redemptionem per sanguinem eius remissionem peccatorum.* Et infra. *Proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporũ instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terris sunt in eo.*

Præterea probatur ratione. Satisfactio Christi est 18
veluti causa vniuersalis respectu Satisfactionis nostræ; sed influxus causæ vniuersalis necessariò prærequiritur, vt causa secunda operetur; ergo nulla hominis actio potest esse Satisfactoria sine influxu, & applicatione Satisfactionis Christi. Patet consequentia: & minor constat ex Phylosophia. Maior autem probatur ex Sancta Scriptura. Ioan. 1. *De cuius plenitudine nos omnes accepimus.* Et ad Ephes. 4. vocatur Christus caput nostrum. *Veritatem facientes crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus Iesus.* Et Ioan. 15. Vocatur Christus vitis, & iusti appellantur palmites; & de se cõstat, vitem iugiter influere in palmites. Et ibidem ait Christus Dominus. *Sine me nihil potestis facere.* Item probatur ex illo Apocalip. 7. *Ij sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stollas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni.* Ergo non solùm prima stollæ ablutio, quæ est prima iustificatio, verùm etiam dealbatio, idest, quando homo ampliùs iustificatur per noua merita, & Satisfactiones, fit in sanguine agni. Et ad Hebræos. 9. *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Probatur similiter ex Concilio Tridentino. sess. 14. cap. 8. vbi ita dicitur. *Dum Satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Iesu, qui pro peccatis nostris Satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur.* Et rursus. *Neque verò ita nostra est Satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exoluimus, vt non sit per Christum Iesum. Nam qui ex nobis, tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus; ita non habet homo, vnde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo viuimus, in quo meremur, in quo Satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.* Idem etiam habetur capite. 9.

sequenti.

sequenti, & canone. 14. definitur, pœnitentes per Christum Iesum peccata redimere.

Secunda Conclusio. §. IIII.

19 SI Iustus consideretur vt membrum Christi, à Christo, & ab alijs mẽbris condistinctũ, nequit perfectè, & de rigore iustitiæ Satisfacere. Probatur; quia totus influxus à Christo deriuatus in talem iustum, licèt vt procedit à Christo, perfectam iustitiæ rationem inducere valeat; non tamen prout recipitur in ipso iusto; nam omne, quod recipitur, ad modum recipientis recipitur: sed nulla pura creatura est capax suscipiendi influxus, qui suæ Satisfactioni conferat talem valorem, qui constituat perfectam, & rigorosam iustitiam inter Deum, & Satisfacientem: ergo &c. Probatur minor; quia talis influxus nequit puræ creaturæ competere, nisi præsupposita gratia Dei ex parte ipsius creaturæ: etenim quicumque influxus virtutis Christi ad purum hominem deriuatus, ex Dei gratia & misericordia dimanat: imò habet sibi intrinsecam ipsam Dei gratiam, & misericordiam. Valor autem Satisfactorius in gratia fundatus nequit inducere rigorem, & perfectionem iustitiæ.

20 Confirmatur; quia ex opposita sententia sequeretur, omnia merita, & Satisfactiones iustorum esse æqualia, & æqualis valoris: quod est Hæreticum, vt constat ex illis Verbis Christi Ioan. 14. *In domo Patris mei mãsiones multæ sunt.* Sed probatur sequella: quia omnia sunt perfecta, & ex rigorosa iustitia; cùm æqualiter innitantur meritis Christi. Denique hanc conclusionem probant omnia argumenta initio Disputationis proposita pro parte negante.

Tertia Conclusio. §. V.

21 QVAMVIS Iustus, vt est membrum corporis Christi, à capite, & ab alijs membris condistinctum, non Satisfaciat de rigore iustitiæ: ex eo tamen quòd eius Satisfactio Christi Satisfactioni innititur, & ex actuali Christi influxu, tanquam ex capitis influxu pendet; maiorem valorem, perfectionem, & efficaciam participat, quàm ea seclusa. Hæc conclusio est communis Theologorum, & colligitur ex pluribus locis Sacræ Scripturæ, quæ specialem abũdantiam gratiæ ex Christo nobis promanasse ostendunt. Ioan. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia.* Et cap. 10. *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Et ad Roman. 5. *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Et ideò Deus propter Vnigeniti Filij sui Incarnationem, & merita rigorosa, & abundantissima, appellatur diues in misericordia. Attendenda est similiter illa copiosissima gratia, quam Deus in nos effudit abundè per Iesum Christum, vt ait Paulus, & vehemens ille Spiritus replens omnes in die Sancto Penthecostes. Vnde D. Augustinus lib. de Correctione, & Gratia cap. 11. dicit, gratiam nobis per Christum collatam, esse potentiorem, & efficaciorem, quàm quæ Adamo fuit collata. Atque adeò opera nostra, siue ad meritum, siue ad Satisfactionem, maiorem habent virtutem, & perfectionem. Probatur etiam conclusio ratione.

22 Ex Christi meritis, & Satisfactione confertur iusto maior, & abundantior gratia: ergo Satisfactio ex tali gratia procedens est efficacior, & intra rationem imperfectæ Satisfactionis magis sufficiens. Antecedens probatur: quia ex Christi meritis, & Satisfactione dantur iusto Sacramenta, quæ ex opere operato augent in illo gratiam: seclusis autem meritis, & Satisfactione Christi, non essent talia Sacramenta: quia nõ esset opus operatum, quod per illa applicaretur: vnde augmentum gratiæ, quod tunc iusto daretur, esset duntaxat ex opere operantis: ergo &c. Item etiam si nulla essent Sacramenta, efficacior adhùc esset Satisfactio iusti, prout innititur Satisfactioni Christi, quàm illa seclusa: quia suppositis Christi meritis, & Satisfactione, Satisfactio hominis iusti non solùm inniteretur gratiæ, & motioni Diuinæ; sed etiam Christi meritis, & Satisfactioni; quibus seclusis solùm inniteretur gratiæ Dei: ergo esset efficacior &c.

Est tamen aduertendum, huiusmodi maiorem efficaciam, & valorem, quem iusti Satisfactio participat, ex eòquòd innititur Christi Satisfactioni, in eo potissimùm cõsistere, quòd Satisfactio iusti, quamuis imperfecta, reducitur ad Satisfactionem perfectam, quæ in humana natura reperitur; quæ quidem sicut primariò cessit in dignitatem naturæ humanæ, in communi cõsideratæ, ita etiam secundariò cedit in dignitatem, & gloriam cuiuscumque particularis indiuidui eiusdem naturæ, & in excellentiam Satisfactionis illius. 23

Quarta Conclusio. §. VI.

SI Iustus consideretur vt membrum Christi, cõstituens vnum cum Christo capite, & cum cæteris corporis mystici membris; eius Satisfactio est perfecta, & rigorosa, imò & infinita. Explicatur conclusio. Nõ enim vult, Satisfactionem iusti participare aliquã infinitatem, à Christi Satisfactione deriuatam; hoc enim procedebat secundùm priorem considerationem causæ influentis in effectum: sed asserit, Satisfactionem Christi, quæ in ipso est infinita, reputari Satisfactionem cuiuscumque hominis iusti: quatenùs iustus consideratur, vt membrum Christi. Itaque Christus, prout est caput iustorum, non solùm in eos influit bona spiritualia: sed etiam in eisdem recipit præmium suæ Satisfactionis, & meriti: & iusti è contra cõsiderati vt membra Christi, quæ ipsius Christi gerunt vicem; Satisfaciunt perfectè, & ex toto rigore iustitiæ. Quare Deus tenetur ex toto rigore iustitiæ, acceptare nostrã Satisfactionem: quæ, vt nostri Satisfactoris: hoc est, Christi; est, nostra est, & pro nobis est. 24

Sic autem explicata conclusio colligitur ex D. Thoma hîc ad secũdum vbi ait. *Quia omne imperfectum supponit aliquod perfectum, à quo sustentetur: inde est, quod omnis puri hominis Satisfactio habet efficaciam à Satisfactione Christi.* Et infra. q. 48. art. 2. vtitur hac analogia capitis, & membrorum, quantùm ad Satisfactionem, dicens: opera Christi capitis sic se habere tam ad se, quàm ad sua membra, sicus se habent opera alterius hominis in gratia constituti ad ipsum. Et art. 2. ad. 1. ait, caput, & membra esse quasi vnicam Personam: & ideo Satisfactionem Christi ad omnes fideles pertinere, sicut ad sua membra. Et q. 49. art. 1. docet, totam Ecclesiam, quæ est corpus mysticum Christi, cõputari quasi vnam Personam cum suo capite Christo. Et adhibet exemplum hoc. *Sicut si homo per aliquod 25

opus

Digitized by Google

opus meritorium, quod manu exerceret, redimeret se à peccato, quod oculis, vel pedibus commisisset: sic per Satisfactionem capitis nostri, quod est Christus, liberamur à peccatis, quæ nos commisimus.

26 Secundò probatur. Christus Dominus est caput omnium hominum, influens motum, & sensum, & pro omnibus Satisfecit: ergo Satisfactio iustorum est effectus Satisfactionis Christi. Ergo valor Christi, & suæ Satisfactionis coniungitur Satisfactioni iustorum, ergo ex tali coniunctione participat valorem. Sed valor Satisfactionis Christi est de rigore iustitiæ: ergo valor deriuatus ad Satisfactionem iustorum erit etiam de rigore iustitiæ.

27 Tertiò. Christus cum suis membris facit vnam mysticam Personam, & vnũ corpus, cuius caput est Christus sed quicquid Persona per suum caput efficit, id omnia membra facere censentur; ergo quodlibet membrum Christi, & quilibet iustus, vt membrum huius capitis, & vt innititur Satisfactioni illius, Satisfacit de rigore iustitiæ. Minor probatur à simili. Si aliqua societas debet aliquid alicui, & vnus socius nomine totius societatis persoluat debitum, tunc tota societas, & quilibet eius socius de toto rigore iustitiæ Satisfecisse dicitur. Imò verò quod facit Rex, & Magistratus Reipublicæ, tota respublica illud facere censetur. Et similiter si dux victoriam consequitur; milites dicuntur vicisse. Ad eundem ergo modum dicendum est in præsenti, cùm Christus de rigore iustitiæ Satisfecerit, omnes iusti, qui sunt membra illius, Satisfaciunt cum illo de rigore iustitiæ, licèt ipsi in se non haberent, vnde talem possent exhibere Satisfactionem. Itaque sicut ex Christo, & fidelibus coaflatur vna mystica Persona, constans capite, & membris: ita ex Satisfactione Christi in propria carne, & iustorum Satisfactione integratur vna Satisfactio, culpam contra Deum commissam mysticè adæquans. Vnde quando iustus per gratiam Satisfacit, quam à Christo capite suscepit; Christus est, qui in suo membro Satisfacit, per Spiritum suum, & gratiam; & ex consequenti Satisfactio hominis iusti est Christi Domini Satisfactio.

28 Confirmatur primò: quia opera capitis tribuuntur membris, & opera membrorum eundem habent valorem, quem capitis operatio sortitur, vt constat in moralibus: sed Christus est caput iustorum, & iusti sunt eius membra, vt patet ex Paulo ad Ephes. 4. & 1. Corint. 12. ergo &c. Probatur consequentia à simili. Etenim membrum non est, quod absolutè operatur, sed corpus mediante membro: sed totum corpus, vt Christum includit, Satisfacit de rigore iustitiæ: ergo etiam membrum, vt mouetur à tali corpore.

29 Confirmatur secundò: quoniam iuxta modum loquendi Sacræ Scripturæ, quæ dicuntur de capite, de membris etiam verificantur, vt habet celebris regula Tychonij approbata à D. Augustino lib. 3. de doctrina Christiana cap. 30. & 31. & D. Paulus ad Rom. 8. postquam dixit. *Si Deus pro nobis, quis contra nos:* Explicat modum, quo Deus pro nobis est, dicens. *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Hoc est, vt vice omnium mactaretur, & puniretur. *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit.* Ergo donauit nobis, vt Satisfactio nostra etiam esset de rigore iustitiæ: si enim fieri potest, vt nobis donetur, quòd de rigore iustitiæ Satisfaciamus, sequitur, de facto nobis illud donasse, quatenùs sumus Christi membra.

Quartò probatur. Satisfactio Christi rigorosa pertinet ad Christum, prout est caput Ecclesiæ: ergo ex ipso deriuatur ad Ecclesiam, & ad membra eius. Sed tota Ecclesia dicitur Satisfacere de rigore iustitiæ: ergo similiter quodlibet membrum eius. Antecedens probatur: quia Christus neque sibi soli mortuus est, aut resurrexit, aut in cœlũ ascendit; sed hæc omnia ad nos quoque pertinẽt, & propter nos sibi Christus illa assumpsit: ergo verè, & propriè dicitur Satisfecisse, vt caput Ecclesiæ. 30

Confirmatur: quoniam Christus dicebat, se pro suis peccatis Satisfacere, cum pro nostris peccatis Satisfaciebat: peccata autem nostra ob id Christi peccata dicebantur: quia erant peccata corporis eius, cuius ipse Christus est caput. Quare si peccata membrorum capiti attribuũtur, & illius esse dicuntur: cùm ratio peccati nullo modo ad caput ex mẽbris deriuetur, maiori cum ratione Satisfactio Christi rigorosa tribuetur corpori eius mystico, & singulis membris, prout vnum constituunt cum Christo capite. 31

Quintò probatur ex D. Paulo ad Ephes. 2. asserente. *Cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos (nempe Deus) in Christo, & conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu.* Ex quo loco colligitur hæc ratio. Christo à mortuis resurgente, nos quoque resurreximus: Christo ascendente in cœlum nos quoque ascendimus: ergo eadem ratione, Christo Satisfaciente ex rigore iustitiæ, nos quoque similiter Satisfecimus. Patet consequentia: quia ideò ait Paulus, Christo resurgente nos resurrexisse, quia surrexit, vt caput nostrum, & vt primitiæ dormiẽtium: similiter nos cum ipso considere ad dexteram Patris, quia ipse, vt caput nostrum illîc sedet: sed pari ratione Satisfecit, vt caput nostrum: ergo &c. 32

Sextò. Quãdo iustus Satisfacit, Christus offert illam Satisfactionem Patri, vt constat ex Concilio Tridentin. sess. 14. cap. 8. Vbi definitur, fructus pœnitentiæ à Christo vim habere, & ab illo offerri Patri, & per illum à Patre acceptari: ergo iustus verè Satisfacit de rigore iustitiæ, quatenùs cum Christo coniungitur: atque adeò cum Christi Satisfactio sit rigorosa, facit, vt iusti Satisfactio rigorosè acceptetur. 33

Confirmatur. Satisfactio hominis iusti solùm habet vim, vt est coniuncta Satisfactioni Christi, ità vt nullo modo Satisfaciat, nisi Christo Satisfaciente: ergo talis Satisfactio iusti secum defert omnem Satisfactionis Christi virtutem, ac proinde de rigore Satisfacit. Antecedens est certum secundùm fidem, vt ostensum est in prima conclusione. Consequentia verò probatur; quia Satisfactio hominis iusti cõiuncta Satisfactioni Christi adæquat offensam cum omni rigore. 34

Septimò. Actiones personales à persona, à qua eliciuntur, participant virtutem in esse Physico, & dignitatem in esse morali; similiter actus humani, qui à voluntate, seu à charitate imperantur, liberi sunt, & eius meritum participant: quia ei in ratione imperantis subordinantur: ergo Satisfactiones iustorum, vt coniunguntur Satisfactioni Christi, participant virtutem Satisfaciendi ex rigore. Probatur consequentia, quia innituntur, 35

tuntur, & connectuntur Christi Satisfactioni, & eius virtuti, tanquàm causæ influenti, & agenti, aeque dirigenti: imò verò sunt vnum cum illa in esse morali; ergo habent eandem virtutem ad Satisfaciendum de rigore.

36 Postremò. Hæc sententia est D. Augustini in Enchiridio. cap. 41. vbi explicans illum locum Pauli. 2. Corint. 5. *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in illo.* Ait. *Ipse ergo peccatum, vt nos iustitia; neque nostra, sed Dei, neque in nobis, sed in Christo fiat.* Quæ verba Augustini necessariò intelligenda sunt de iustitia rigorosa: alioqui hæreticum esset dicere, nobis non inesse formaliter iustitiam, qualemcumque imperfectam: iustitia autem rigorosa non est in nobis, vt in nobis, sed vt in Christo capite nostro. Et sic nos efficimur iustitia Dei, vt ait Paulus: tum, quia talis iustitia est Dei Personaliter, imò & nostra Personaliter iuxta istam mysticæ Personæ considerationem: tum etiam, quia talis iustitia est sufficiens perfectè coram tribunali Dei. Dicitur autem Christus factus peccatum, quia factus est fideiussor pro peccatis, debitor pro eisdē, Satisfactor, Sacrificium, & victima pro eisdem peccatis. Vnde constat, quid caput membris, & quid membra capiti communicauerint: illud enim suis membris iustitiam contulit; membra verò peccata capiti tribuerunt.

37 Hæc conclusio est Domini Caietani, qui eam expressè docet in hoc articulo, imò addit nostram iustitiam sic consideratam, quandoq; superexcedere Satisfactionem Christi. Quæ doctrina Caietani reijcitur vt falsa à plærisque interpretibus D. Thomæ, sed si rectè perpendatur, est verissima; sic autem est intelligenda. Sicut Christus modò dicitur pati in suis membris, & magis ac magis pati: sic etiam dicitur crescere, & fieri maior Satisfactio pro peccatis à membris Christi. Etenim licèt Satisfactio Christi in propria carne fuerit infinita, quoàd sufficientiam; finitè tamen applicatur ipsis membris: & ita maior, & maior potest esse quoad efficaciam. Itaque Satisfactio nostra Satisfactioni Christi coniuncta, potest adæquare, imò verò & superare æqualitatem pœnæ, quæ Deo pro peccatis debetur, ita vt alijs possit impertiri; cuiusmodi sunt Satisfactiones Sanctorum: quæ in Ecclesiæ thesauro reseruantur. Quòd autem quorundam Sanctorum Satisfactiones in alia Christi membra redundent, apertè ostendit D. Paulus ad Colos. 1. *Gaudeo in Passionibus meis pro vobis: & adimpleo ea, quæ desunt Passionum Christi, pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Quibus verbis significat D. Paulus se in vtilitatem Ecclesiæ pati, & vltra afflictiones, & acerbitates, quas Christus in propria pertulit carne, superaddit etiam alias, quas ipse Paulus patiebatur: quæ tamen dicuntur Christi, quatenùs afflictiones membrorum dicuntur etiam capitis, cuius virtute dicuntur membra operari, & Satisfacere. Item hoc testimonium Pauli aliter explicatur. Videlicet: id, quod pro vobis patior, nolo mihi acceptum referatis, sed Christo, qui in nobis, idest, membris suis, patitur: hoc enim vnum illi deesse poterat: quia in semetipso ampliùs pati non potest. Tertiò intelligitur, Christum in corpore suo non perfecisse omnia: non enim sufficit ipsius Passio ad conuersionem gentium, nisi Euangelium prædicetur. *Adimpleo (inquit Paulus) ea, quæ desunt Passionum Christi.* Prædicando, docendo, & grauissimas iniurias humiliter patiendo. Alias huius loci explicationes supra retulimus Disputatione. 4. num. 61. 63. & 64.

Pro dissoluendis autem argumentis, quæ militant aduersùs hanc assertionem, animaduertendum est, nullam rem denominari talem formaliter, & simpliciter; nisi ab eo, quod est tale simpliciter, & realiter: non tamen ab eo, quod est tale per additum, & secundùm quid. Vnde quia gratia est in homine iusto realiter, & formaliter: ideò quod conuenit iusto, quatenùs est in gratia præcisè, conuenit illi realiter, & simpliciter. Quòd verò sit membrum Christi, licèt sit aliquid reale: quia iustus realiter denominatur membrum Christi, qui est caput morale, realiter, & Physicè, atque moraliter influens in omnes iustos, qui eidem capiti copulantur Physico, & morali nexu; Nihilominus quia huiusmodi denominatio realis conuenit iusto secundùm methaphoram, & iuxta mysticum sensum: ideo, quod conuenit iusto, vt est membrum Christi, etsi realiter conueniat, non absolutè, & simpliciter, sed cum addito, & diminutione illi tribuitur: quemadmodùm cùm dicitur, fructum esse in arbore, est quidem denominatio realis, sed cum addito & secundùm quid; quia fructum esse in arbore est, esse secundùm quid: ita similiter dicitur iustus esse in Christo, & esse vnum cum illo, & in eo conuiuificari, & conregnare, quod tamen est, secundùm quid in illo manere, viuere, aut conregnare. Item dicitur Satisfacere in Christo; sed hæc Satisfactio simpliciter non est ipsius iusti, sed tantùm secundùm quid: sicut neque Satisfactio iusti est simpliciter Satisfactio Christi. Legendus est D. Thomas infra. q. 58. art. 4. ad. 1. Vbi explicans illud ad Ephes. 2. *Conresuscitauit, & consedere nos fecit, &c.* Ait: Christum esse caput nostrum, & ideò quod Christo collatum fuit, nobis etiam in ipso fuisse collatum. Et quoniam ipse resuscitatus est, inquit Paulus, quòd Deus nos quodammodò ei conresuscitauit. Expendendum est illud aduerbium. Quodammodò, vt intelligatur, id, quod conuenit iusto, vt est Christi membrum, non illi tribui simpliciter, sed cum addito: imò verò non esse illi tribuendum, sed Christo: nam quòd iustus Satisfaciat de toto rigore iustitiæ, prout est membrum Christi, nihil est aliud, quàm quòd Christus sic Satisfaciat in membris, & membra in illo, vt sunt cum eo vnum. Etenim iuxta istam considerationem hæc Satisfactio est Christi, non solum vt efficientis: sed etiam vt suppositi Satisfacientis. Cæterùm iustus, vt est membrum Christi ad sensum explicatum in hac quarta conclusione, participat huiusmodi Christi Satisfactionem, per quandam realem denominationem, & imputationem, quasi extrinsecam: sicut Rex Hispaniæ dicitur Regem Galliæ vicisse, per hoc solùm, quòd duces, & milites victoriam sunt consequuti: & hoc etiam modo Christus Dominus nostra peccata vocat sua, iuxta illud Psalmi. 21. *Longè à salute mea, verba delictorum meorum.* Non quòd in ipso essent formaliter, sed quia illi

realiter imputantur, quateuùs sumpsit Personam peccatoris ad Satisfaciendum pro peccatis.

39 Vnde constat, iustum diuersa consideratione dici Satisfacere perfectè, vel imperfectè: si enim consideretur, vt est membrum Christi, & corporis mystici, faciens vnum cum Christo in ratione corporis mystici, dicitur ex toto rigore iustitiæ Satisfacere; quæ Satisfactio non tam est illius, quàm Christi, vt suppositi: sed censetur quasi propria per quandam imputationem extrinsecam ipsius iusti, & aliorum membrorum, secùdùm quòd sunt vnum in hoc corpore mystico cum Christo capite. Si verò consideretur iustus, vt est membrum quoddam particulare istius corporis mystici, condistinctum ab alijs membris, & ab ipso etiam capite Christo, à quo recipit virtutem, & influxum gratiæ, & aliorum donorum supernaturalium; in qua consideratione Christus Dominus tenet se ex parte Dei, & tanquàm causa efficiens, atque meritoria gratiæ, & Satisfactionis: quia tunc accipitur iustus secundùm illud, quod sibi conuenit realiter, & simpliciter, ideò dicitur

39 Satisfacere imperfectè solùm: quia talis Satisfactio, quamuis sit ex meritis Christi, nō est Satisfactio Christi, vt Suppositi; sed vt efficientis solùm: quod non sufficit ad constituendam perfectam hominis Satisfactionem: nam secluso Christo, Deus esset principium efficiens talis Satisfactionis, & tamen illa Satisfactio non esset perfecta. Est autem hæc Satisfactio imperfecta, de qua est sermo, ipsius iusti Satisfacientis; qui consideratur, vt membrum distinctum à Christo capite, & ab ipso recipiens virtutem finitam ad Satisfaciendum. Quo fit, vt iustus in hac consideratione simpliciter sit iustus, & simpliciter Satisfaciat; quoniam à Christo participat iustitiam sibi formaliter inhærentem, & opera illius ex gratia profecta censentur digna: et ò non adæquent offensam; ac proindè non Satisfaciant perfectè. Si verò consideretur iustus, vt in Christo dicitur iustitia illius; sic est iustus secundùm quid, & dicitur Satisfacere ad æqualitatem per Satisfactionem Christi, quodammodò, & non simpliciter.

40 Sed obijcitur. Iustus, prout est in gratia, absolutè & sine addito dicitur Satisfacere imperfectè pro suis peccatis: ergo eâdem ratione dicetur Satisfacere ex toto rigore. Probatur consequentia: quia iustus existens in gratia sine addito dicitur membrum Christi. Respondetur, de homine iusto absolutè, & sine addito dici, quòd meretur de condigno, & Satisfacit, quia consideratur secundùm illud, quod sibi realiter, formaliter, & simpliciter conuenit, non tamen dicitur mereri, & Satisfacere de toto rigore, nisi cum addito, hoc est, inquantùm est membrum Christi mysticum, quia non competit illi per aliquid in eo formaliter existens, sed duntaxat per methaphoram, & mysticè. Et quamuis iustus dicatur sine addito esse membrum Christi, nihilominùs tamen, eò ipso, quòd dicitur membrum Christi, explicatur illud esse mysticum, & methaphoricum. His suppositis ad argumenta Respondendum est.

Solutio Argumentorum. §. VII.

41 AD Primum argumentum Respondetur, conuincere quidem, Satisfactionem hominis iusti, vt est particularis quædam Persona, à Christo capite, & ab alijs membris distincta, esse finiti valoris; quoniam etsi innitatur meritis Christi, non tamen participat omnem virtutem meritorum Christi: est enim à Christo tanquam à causa efficiente, & meritoria, sed non tanquàm à Supposito eliciente ipsam, & ideò non habet tantum valorem, quantum sortitur actio, quæ elicitur à Supposito Christi. Vnde in præsenti non loquimur de Satisfactione hominis iusti, hoc modo considerati; sed quatenùs est membrum Christi, constituens vnum cum capite, & cum membris: & sic eius Satisfactio est rigorosa: & quæ de capite dicuntur, tribuuntur membris; nam secundùm istam considerationem, caput & membra non ponunt in numero.

Ad confirmationem Respondetur, si iustus consideretur vt particulare membrum corporis mystici, eius Satisfactionem, etiam vt vnitur Satisfactioni Christi, esse imperfectam: cùm sit ex acceptis gratiosè à Christo capite, & à Deo: etenim hac ratione consideratur iustus, vt membrum distinctum à Christo capite, & ab alijs membris, habens Satisfactionem sibi propriam, ad eundem modum, quo in corpore naturali vnum membrum V. G. manus, habet virtutem à capite, & operationem sibi propriam ab alijs membris distinctam, & ita in corpore naturali vnum membrum est dignius, & nobilius altero. Si verò consideretur, vt facit vnum corpus mysticum cum Christo, & alijs membris, sic eius Satisfactio est ex proprijs, & indebitis, & ex consequenti perfecta: quia hac ratione non tam considerantur membra, quàm totum corpus, seu potiùs consideratur totum corpus, vt suis membris est connexum; vel membra, vt sunt vnum in toto corpore. Constat autem, Satisfactionem totius corporis Ecclesiæ, vt caput, & membra includit, esse perfectam, & rigorosam. 42

Ad secundum Respondetur, quòd esse membrum Christi, est gratia ipsi iusto facta; at postquàm per gratiam effectus est membrum Christi, constituens vnum cum illo, & cum cæteris membris, dicitur de rigore iustitiæ Satisfacere ad sensum explicatum in quarta conclusione, & ex proprijs, & indebitis. 43

Ad confirmationem concessa maiori, distinguitur minor: si enim opera iusti considerentur, vt procedunt à quadam particulari Persona, condistincta à Christo, & alijs, sic non sunt infiniti valoris, & Satisfactionis, sed finiti, vt pote, à Supposito finito deriuata. Si verò perpendantur, vt procedunt à iusto, prout est membrum Christi, non vt condistinctum à Christo capite, & à cæteris membris, sed potiùs vt constituit vnum, & cum capite, & cum membris: sic censentur procedere à Supposito infinito, esseq; Satisfactoria de rigore iustitiæ, ad sensum explicatum. 44

Ad tertium argumentum Respondetur, negando omnes sequellas. Et pro explicatione aduertendum est, omnes iustos esse tales per iustitiam intrinsecè, & formaliter sibi inhærentem, & similiter eorum opera ex gratia, & charitate esse iusta, meritoria, & Satisfactoria, nempe, per iustitiam, & bonitatem supernaturalem, realiter & formaliter illis inhærentem, vt constat ex Concilio Tridentino sessione. 6. cap. 8. & 16. & Canon. 10. 11. 26. & 32. Et ideò vnus iustus potest esse magis iustus, quam alius, & vna Satisfactio maior, quàm altera, & vnum meritum maius, quàm aliud. 45

Sic

Sic autem considerantur iusti, vt sunt quædam particulares Personæ à Christo capite, & inter se se inuicem distinctæ, & ideò eorum Satisfactiones non sunt rigorosæ, sed finitæ, & imperfectæ, & illis applicatur meritum, & Satisfactio Christi, iuxta mensuram suæ dispositionis, quæ conuenit illis, quatenùs sunt particulares Satisfacientes, & ideò inter illos est inæqualitas in merito, & Satisfactione. Si verò considerentur iusti, vt sunt membra Christi ad sensum explicatum, sunt æquales in merito & Satisfactione rigorosa; quia omnes æqualiter participant Satisfactionem Christi ex toto rigore iustitiæ; & omnes collectiuè sumpti, & quilibet seorsum, tanquàm membra mystici corporis Christi, dicuntur de rigore iustitiæ, & perfectè Satisfacere per Christum; illisq; imputatur Satisfactio Christi rigorosa, & perfecta. Itaque iustus formaliter est iustus per iustitiam sibi inhærentem: sed hæc iustitia, quæ in iusto est formaliter, habet, quòd sit infinita, & ex rigore iustitiæ, à iustitia, quæ est in Christo formaliter, & subiectiuè. Item Satisfactio hominis iusti, quæ in ipso est, infinita est, & de rigore iustitiæ à Satisfactione Christi, quæ in ipso est, eòquòd cum illa coniungitur in vna mystica Persona.

46 Per hoc etiam Respondetur, ad confirmationem: etenim iusti, si considerentur vt membra Christi, actualem ab ipso influxum spiritualis vitæ participantia, sed nihilominùs vt membra condistincta, & à Christo capite, & ab alijs corporis Christi membris; non operantur cum eadem perfectione, neque eodem modo, quo Christus: & sic non est dicendum, quòd de toto rigore iustitiæ Satisfecerint, atque Christus. Si verò considerentur vt membra Christi, non condistincta à Christo capite, & ab alijs membris; sic eodem modo operantur, atque Christus, ad sensum supra explicatum.

47 Ad quartum similiter Respondetur, concedendo, iustum, vt membrum Christi, cum eo vnum constituens, infinitè Satisfacere: negatur tamen, quòd vna gutta sanguinis alicuius martyris, vt est Christi membrum, sit infiniti valoris; quia sanguis martyris non censetur sanguis Christi: & ideò non participat infinitum sanguinis Christi valorem. Satisfactio verò iusti, vt est membrum Christi, censetur Christi, imò verò est realiter Satisfactio Christi, quæ suis membris communicatur, & imputatur.

48. Ad confirmationem distinguenda est minor: si iustus proximè Satisfaciens consideretur, vt particularis Persona, à Christo capite, & ab alijs membris condistincta, sic non habet gratiam, vnde de condigno, & de rigore iustitiæ Satisfacere possit. Si verò consideretur secundùm esse mysticum iam explicatum, habet vnde possit rigorosè Satisfacere.

49 Ad quintum Respondetur, licèt Christi Satisfactio fuerit de facto perfecta, & iusti hominis similiter fuerit perfecta, ad sensum supra explicatum; fieri tamen non posse, etiam de potentia absoluta, vt detur aliqua perfecta Satisfactio sine Christo, vel aliquo alio supposito Diuino in natura assumpta: quia perfecta Christi Satisfactio dicit intrinsecum, & formalem ordinem ad suppositum Diuinum, tanquàm ad principium immediatum, & elicitiuum: & ita dependet ab ipso supposito Diuino, etiam in genere causæ formalis, quæ à Deo suppleri non potest. Vnde illud commune proloquium, quicquid Deus potest per se potest facere &c. Intelligitur de actionibus, quæ dependent à principio effectiuo tantùm in genere causæ efficientis: quæ verò dependent à principio effectiuo in genere causæ formalis, cuiusmodi sunt illæ actiones, quæ ad principium elicitiuum dicunt essentialem, & intrinsecum ordinem, qui quidem pertinet ad genus causæ formalis, non possunt à Deo immediatè produci, vt patet in actionibus vitalibus.

50 Ad sextum Respondetur ex dictis; tantùm enim probat, Satisfactionem iusti, vt est membrum quoddam particulare, à Christo capite & ab alijs membris condistinctum, esse imperfectam: secus autem est, si consideretur, vt faciens vnum cum Christo, & alijs membris. Item secundùm priorem considerationem, gratia & Satisfactio hominis iusti, perfectior est ex meritis Christi, quàm sine illis, quia iusto confertur copiosior gratia, & per plura Sacramenta ex meritis Christi, quàm sine illis daretur. Habet etiam gratia iustorum, secundùm quòd deriuatur ex Christo, & meritis eius, valorem quendam maiorem moraliter, quàm sine illis haberet, licèt iste valor finitè participetur, ac proindè sit finitus.

51 Ad septimum Respondetur, concedendo antecedens, & consequens, si iustus consideretur vt particularis Persona, à Christo capite distincta. Sic enim eius Satisfactio est imperfecta, & maior, ac maior potest à Deo exigi pro iniuria commissa. Si autem consideretur vt membrum totius corporis mystici, Christo capiti vnitum, sic Satisfacit perfectè, & ex rigore iustitiæ: quia Satisfactio illius coniuncta Satisfactioni Christi per modum vnius, adæquas offensam, pro qua nequit Deus maiorem Satisfactionem postulare, neque homo maiorem exhibere. Atque hactenus de hac Disputatione, & de toto articulo secundo.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm si homo non peccasset, Deus Incarnatus fuisset.

ARTICVLO Præcedenti ostendit D. Thomas necessitatem Incarnationis ad Satisfaciendum Deo ex toto rigore iustitiæ pro hominum peccatis: in præsenti verò inuestigare nititur, quam dependentiam habeat Incarnatio à primorum parentum peccato, & An futura esset, quamuis huiusmodi peccatum de medio tolleretur. Hic est enim huius articuli scopus, vnde sensus tituli est, An ex Suppositione illius motiui, propter quod Deus de facto Incarnari decreuit, rectè sequatur, quòd si Adam de facto non peccasset, Deus non esset Incarnatus. Et Respondet D. Thomas tribus conclusionibus. Prima est.

Conuenientiùs dicitur Incarnationis opus ordinatum fuisse in remedium peccati. *Probat D. Thomas in argumento sed contra ex D. Augustino sermo. 9. de Verbis Apostoli dicente.* Nulla causa veniendi fuit Christo Domino, nisi peccatores saluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est medicinæ causa. *Et idem affirmat Augustinus de Verbis Domini, explicans illud Lucæ.* 19. Venit filius hominis quærere, & saluum facere, quod perierat. *Vnde infert Augustinus.* Ergo si homo non peccasset, filius hominis non venisset. *Secundò probat D. Thom. in corpore hac ratione. Ea, quæ ex sola Dei voluntate proueniunt, & superant omne debitum creaturæ, nobis innotescere non possunt, nisi quatenùs in Sancta Scriptura traduntur: sed in Sacris literis vbique Incarnationis ratio ex peccato primi parentis assignatur; ergo conuenientiùs dicitur, Incarnationis opus primò, & per se ordinatum esse à Deo in remedium contra peccatum,*

Secunda conclusio.

Si homo non peccasset, Filius Dei non Incarnaretur. *Non explicat D. Thomas de quo homine loquatur, aut de quo hominis peccato: sed sine dubio sermonem facit de primo homine, & de transgressione, qua de ligno vetito comedit, vt constabit articulo sequenti. Hanc conclusionem non probat D. Thomas, sed tantùm infert ex præcedente. Vis tamen illationis hæc est. Sublato motiuo præcipuo, & primario decreti Incarnationis, tollitur decretum Incarnationis; sed sublato peccato, aufertur motiuum præcipuum, & adæquatum Incarnationis, nempe, remedium peccati: ergo de primo ad vltimum ablato peccato tolleretur Incarnatio.*

Tertia conclusio.

Deus potuit, etiam peccato non existente, Incarnari. *Probat D. Thomas, quia Dei potentia non est limitata, & opus Incarnationis per se est conueniens; quod supponit ex primo, & secundo articulo.*

Est primum argumentum D. Thomæ. Manente causa, manet effectus; sed præter Redemptionem à peccato, sunt multæ aliæ causæ Incarnationis, vt docet Augustin. lib. 13. de Trinit. cap. 17. Ergo etiam si non esset peccatum, esset Incarnatio. Negat D. Thomas consequentiam; quia omnes causæ, quæ assignantur, Incarnationis, sunt in remedium peccati: quod si non fuisset, Deus hominem illuminasset ad omnia agenda, & cognoscenda. Sed quoniam carne peccauit, carne sanatus est.

Secundum argumentum D. Thomæ. Deus debuit se ad extra communicare per aliquem infinitum effectum (cùm sit omnipotens) sed nulla pura creatura potest dici effectus infinitus Diuinæ potentiæ, sicut Incarnatio potest sic appellari: ergo &c. Respondet D. Thom. infinitam Dei potentiam in rerum creatione ostendi: ad perfectionem autem vniuersi sufficere, vt creaturæ naturaliter ordinentur in Deum, vt in finem. At creaturam vniri Deo, est supra limites naturæ.

Est tertium argumentum D. Thom. Humana natura post peccatum est capax gratiæ vnionis: ergo etiam nullo existente peccato esset capax huius gratiæ: neque Deus illi subtraxisset bonum, cuius capax erat. Negat cõsequentiã: quia licèt Deus semper adimpleat capacitatẽ naturalem creaturæ; non tamen semper adimplet capacitatem creaturæ, in ordine ad suam potentiam: quæ capacitas dicitur obedientialis: alioqui non posset aliud in creatura efficere, nisi quod efficit. Subdit autem D. Thomas Deum non permittere malum, nisi vt indè aliquid melius eliciat, iuxta illud ad Rom. 4. Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. *Et illud, quod in benedictione cerei Paschalis canitur.* O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem. *Ex quo sequitur, Deum Adami peccatum permisisse, ex intentione manifestandi suam gloriam in opere Incarnationis, ita vt aliàs non permitteret, nisi vt talem, ac tantum haberet Redemptorem; & vt gratia superabundaret per Christum Dominum nostrum.*

Quartum argumentum D. Thomæ. Deus prædestinauit Incarnationem ab æterno, antequàm esset peccatum: ergo etiam si non extitisset peccatum, fuisset Incarnatio, vt Dei prædestinatio adimpleretur. Negat D. Thomas consequentiam; quia prædestinatio supponit præscientiam futurorum, atque adeò præscientiam peccati.

Quintum. Primo parenti fuit reuelatum mysterium Incarnationis, vt constat ex eo quod asseruit. Hoc nunc os ex ossibus meis, &c. *Quod Paulus ad Ephes. 5. ait,* Esse magnum Sacramentum in Christo: *Sed homo non potuit esse præscius sui casus: ergo etiam si non peccasset, Deus fuisset Incarnatus. Negatur consequentia, quia potest alicui reuelari effectus, non reuelata causa: & ita Adæ fuit reuelata Incarnatio, & non Incarnationis causa, quæ fuit ipsius lapsus. Hæc D. Thomas.*

Commentarius.

Digitized by Google

Commentarius.

1 PRIMA Conclusio D. Thomæ est adeò certa, vt oppositum non tam conuenienter dicatur, quia illud dicitur conuenientius, quod magis consonat modo loquendi Sacræ Scripturæ, à qua patenda sunt occulta, & abscôdita, præsertim circa quæstionem, An est, Incarnationis; cuiusmodi sunt, si veniret, si non veniret, si fieret tale opus existente, vel non existente peccato: esset; temerarium in huiusmodi quæstionibus magis assentiri his, quæ rationibus innituntur, quàm quæ ex sacris literis piè deducuntur. Cùm igitur in Sancta Scriptura vbiq; ratio Incarnationis ex peccato primi hominis assignetur, multò conuenientius dicitur, Incarnationem fuisse ordinatam in remedium peccati. Ex hoc autem non sequitur, oppositam sententiam esse dissonam, ac deuiam à Sancta Scriptura, & ex consequenti improbabilem: quia licèt conclusio D. Thomæ sit Sacris literis consentanea ad hunc sensum, quòd infertur conuenientiùs, & illis magis consentit, non tamen quasi per euidentem consequentiam ex Scripturis Diuinis colligatur. Vnde hæc illatio nullius momenti est. Hæc sententia est conformior sacris literis, ergo necessariò est tenenda, ita vt opposita sit improbabilis iudicanda: magis enim consonat Scripturæ, Diuinas Personas innotescere, & constitui relationibus: & tamen opposita opinio non est improbabilis. Ad eundem modum in præsenti conformius est sacris literis dicere, Redemptionem à peccato fuisse solam, & adæquatam rationem Incarnationis; nihilominùs etiam probabile est, alias esse causas præstantiores: atque adeò Redemptionem hominis fuisse finem secundùm quid, & quasi inadæquatum. Sic colligitur ex D. Thoma in hac conclusione: illud enim comparatiuum. Conuenientius, non dicitur nisi inter modos opinandi, quorum alter altero præstat. Vnde sensus illius est, conuenientiùs dici, peccato non extante, Incarnationem non esse futuram; quia magis consonat, & cohæret Sacris literis: ac proindè oppositam sententiam esse censendam minùs conuenientem, & minùs probabilem.

2 Ratio D. Thomæ, quæ probat hanc conclusionem, est demonstratio Theologica, vt infra magis constabit. Maior verò illius rationis non est vniuersaliter vera, si nomen Sacræ Scripturæ strictè vsurpetur. Quare vel limitanda est circa subiectam materiam, videlicet, vt intelligatur duntaxat de voluntate Incarnationis; vel nomen Sacræ Scripturæ extendendum est ad omnem reuelationem. Præterea voluntas Dei multipliciter nobis per Sacram Scripturam, vel reuelationem innotescit; primò, explicitè, & formaliter, secundò per illationem, quæ vel potest esse certa, vel tantùm probabilis: sed D. Thomas omnem huiusmodi modum cognoscendi voluntatem Dei, per Sacram Scripturam, vel reuelationem comprehendit.

3 Circa minorem verò rationis D. Thomæ M. Suarez hic asseris, eam esse difficilem creditu. Sed in sequente Disputatione eam confirmabimus. Nihilominus objicitur contra illam, quia videtur aduersari D. Thomæ. 2. 2. q. 2. art. 7. asserenti, Adamum antè peccatum habuisse explicitam fidem Incarnationis Christi, prout ad consummationem gloriæ ordinabatur; non verò, prout ordinem dicebat ad liberationem à peccato per Passionem, & Resurrectionem: ergo ex mente D. Thomæ reuelata est Adæ aliqua causa Incarnationis independens à peccato. Respondetur, Adamo non fuisse reuelatam, explicitè Incarnationis causam, sed implicitè duntaxat: ipsa enim consequutio gloriæ, vt est causa Incarnationis, intrinsecè supponit liberationem à peccato. Plures autem rationes sunt sufficientes, ob quas Adamo explicitè non fueris reuelata præcipua Incarnationis causa, quæ sanè nobis est reuelata per Sacram Scripturam, in qua, vt dicis D. Thomas, adueniente plenitudine temporis, vbique non fit mentio alicuius causæ Incarnationis, distinctæ à Redemptione generis humani, vt latiùs infra probabitur.

4 In Responsione ad secundum docet D. Thomas, creaturas naturaliter ordinari in Deum, vt in finem. Ex quo videtur sequi, creaturam rationalem naturaliter ordinari in Deum clarè visum, tanquam in finem, vel totum ordinem gratiæ, & gloriæ non fuisse necessarium ad perfectionem vniuersi. Respondetur, argumentum D. Thomæ duabus partibus constare. Prior sumitur ex Diuina omnipotentia, cui maximè congruebat, vt se per aliquem infinitum effectum manifestaret; cuiusmodi solùm est Incarnatio, & huic parti Respondet D. Thomas, infinitam Dei virtutem satis se manifestare per creationem, quæ infinitam virtutem requirit, licet sit rerum finitarum. Altera pars argumenti sumitur ex perfectione vniuersi, quod ad suam perfectionem hypostatica vnione maximè indigebat: & huic parti Respondet D. Thomas, sufficere ad perfectionem vniuersi, quòd naturali modo ordinetur in Deum, sicut in finem naturalem: Deum autem vniri creaturæ, excedit, inquit, limites perfectionis naturæ, & ita vniuersum, vt hoc nomine significatur, cùm sit quid naturale, ex sua natura, solùm exigit perfectionem naturalem. Quare cùm vnio naturæ humanæ cum Deo sit supra omnem naturam, non est firma illatio, ex perfectione vniuersi ad existentiam vnionis hypostaticæ. Et eodem modo, qui ex perfectione vniuersi ordinem gratiæ, & gloriæ vellet inferre, non rectè argumentaretur; quia licet inferret consequens verum, non bene tamen inferret. Et hæc est mens D. Thomæ, quod ampliùs ex solutione ad tertium potest confirmari.

Responsio ad quartum argumentum explicabitur infra Disputatione sequente. Circa istum articulum, & præsertim circa secundam conclusionem D. Thomæ, est maximum Dubium.

DISPVTATIO VNICA.

1 VTRVM Redemptio à peccato fit potissimum motiuum faciendæ Incarnationis, ita vt nullo extante peccato Filius Dei carnem humanam non assumpsisset. De hac disputatione est maxima inter Theologos controuersia, & dissensio; quibusdam eorum affirmantibus, alijs verò negantibus: quamuis veteribus Patribus nunquam venerit in mentem, de ea dubitare. Sunt autem in hac re, quædã certa,

& secundùm fidem accipienda; quædam verò probabilia, & in Scholasticorum opinione posita.

1 Primò certum est; nullam esse quæstionem de causa, seu ratione finali vltimata Incarnationis; cùm hæc sit ipse Deus, & suæ gloriæ, ac bonitatis manifestatio. *Omnia enim propter semetipsum operatus est Dominus.* Prou. 16. quia verò inter effectus; quos Deus ad extra producit, quosdam vult immediatè, & proximè propter se; quia est in eis sufficiens ratio, propter quam amentur, & in ipsum Deum immediatè referantur: alij verò sunt, qui ad alios effectus ordinãtur, propter quos amantur immediatè, & ad quos referuntur, vt docet D. Thom. 1. p. q. 19. art. 5. ad. 2. & 3. Hinc est, vt inter Theologos maximè fuerit controuersum, An Incarnationis opus fuerit à Deo volitum immediatè propter suam solam bonitatem, sistendo in eius intrinseca conuenientia; An verò fuerit ordinatum ad aliquod aliud opus, quod vt motiuum, seu rationem formalem sumpserit Deus ad Incarnationis opus exequendum.

2 Secundò certum est, Deum Incarnatum fuisse, non tantùm ad Redemptionem, sed etiam ad iustitiam promissam in lege veteri implendam: ad erudiendos homines verbis, & factis; & ad dona spiritualia conferenda, quibus animæ sanctificentur: & ad tribuenda merita iustitiæ, quibus vitam æternam consequerentur: & tandem ad manifestanda, quæ sunt propria Dei, non solùm quæ spectant ad ordinem gratiæ, sed quæ sunt ordinis naturæ, vt quòd sit iustificator, & glorificator, quòd habeat Filium, eumq; ex amore mittat in mundum. Sic colligitur ex illo Ioan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita &c.* Et cap. 18. *In hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati.* Et Ioan. 3. *Scimus, quia à Deo venisti magister.* Quasi esset per se notum, Incarnationem verbi eò tendere, vt doceret homines, quæ sunt Dei, maximè vt est author gratiæ. Ad idem pertinet illud ad Titum. 2. *Apparuit gratia Saluatoris nostri Dei omnibus hominibus, erudiẽs nos &c.* Et ad Roman. 1. postquàm dixit Paulus, Christum prædestinatum, vt esset Filius Dei, illicò subiunxit. *Secundùm Spiritum sanctificationis & renouationis.* Et ad Ephes. 1. dicitur Deus benedixisse nos omni benedictione in cœlestibus in Christo. Et ad Galat. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant redimeret.* Et Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et Isaiæ. 19. Christo Domino varia nomina imponuntur propter diuersa officia. Et in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 21. Anathemate notatur, qui dixerit, Christum venisse vt Redemptorem, cui fidamus, & non vt legislatorem, cui obediamus.

3 Præterea dogma fidei est, naturam humanam, maximam consequutam fuisse dignitatem per Christi Incarnationem; & similiter animam Christi Domini innumera suscepisse beneficia, per hoc, quòd ad esse Verbi Diuini assumpta est: etenim exaltata est super omnes cœlos, & effecta est Deo gratissima super omnes alias creaturas. Postremò certissimum est; per Incarnationem totam vniuersi naturam fuisse perfectiorem effectam, vt ostensum est articulo. 1. huius quæstionis Disputatione. 1. Quoniam in perficiendo homine perficitur tota natura, quæ in homine continetur.

Hæc sunt certissima, & ab omnibus recepta. Sed dissensio, & dubitatio in eo consistit, vtra ex his causis sit prima, & adæquata, atque potissima Incarnationis, Redemptio ne; An instructio, & legislatio: vel potiùs dignificatio naturæ humanæ, & perfectio vniuersi, vel animæ Christi exaltatio. Gabriel in. 3. d. 2. q. 1. & Maioris ibidem, & Richardus distinct. 2. affirmant, esse temerarium, asserere, vel negare, quid de facto accideret secluso peccato; quia hoc ex sola voluntate Dei pendent; quæ autem sunt Dei, nemo nouit, nisi spiritus Dei, & cui reuelare voluerit. Reuelatio autem, quæ est in Sacra Scriptura, & dicit, Christum propter peccatum venisse, non excludit aliam causam; neque dicit eam solam fuisse; ergo affirmare, vel negare, quid secluso peccato esset de facto, nihil aliud est, quàm pro libito, & sine ratione sententiam ferre. In eadem sententia videtur esse D. Thomas in. 3. d. 2. q. 1. art. 3. vbi pro vtraque parte Respondet, illum, qui natus est, & oblatus, verè nosse, quid de facto accidisset. Cæterùm hæc sententia esto sit vera, quatenus asserit, neminem certò & infallibiliter scire posse, quid de facto succederet, si nullum esset peccatum: est nihilominùs falsa, in quantùm docet, esse temerarium, aliquid determinatè affirmare, vel negare: possunt enim esse rationes efficaces, & vrgentes, quæ intellectum moueant, vt vni, aut alteri parti probabiliter adhæreat: & sic videmus graues Theologos vtramq; partem sectari. 4

Insuper aduertendum est, hanc quæstionem ex illius controuersiæ resolutione pendere, An Christi prædestinatio, siue, quod idem est, decretum de Incarnatione Verbi futura in mente Diuina præcesserit præscientiam peccati originalis: ita vt hoc peccato non extante, Verbum caro non fieret. Vtraque autem quæstio est simul disputanda, & examinanda. 5

Obseruationes ad vtramq; Disputationem. §. I.

AD Vtriusque igitur quæstionis decisionẽ præmittendum est, omnium rerum possibilium, & in aliqua temporis differentia futurarum, vnicam esse, & simplicissimam Dei cognitionem; & similiter omnium volitorum vnicam & simplicissimam volitionem: ita vt non detur ordo prioris, & posterioris secundùm rem, neque in cognitione, neque in volitione Dei ex parte actus, siue vt tendit in obiecta: quia cùm sit simplex, & vnica (cùm tam Diuina cognitio, quàm volitio sit ipsamet diuina essentia) non datur vna prior, & altera posterior, neque priùs fertur in vnum obiectum, deinde in alterum. Nihilominùs cum hoc rectè stat, in Diuina cognitione, & volitione esse aliquem ordinem rationis; idest, per operationem intellectus, & rationis. Cùm enim intellectus noster Diuina cognoscat consentaneè ipsis rebus, in quibus reperitur ordo, quatenùs alia sunt alijs priora secundùm naturam, potest considerare Diuinam cognitionem, & volitionem; primò, vt terminatur ad vnam rem, deinde vt terminatur ad aliam; sicut nos priùs intelligimus hominem esse rationalem, quàm risibilem, quia re vera priùs secundùm 6

naturam

Digitized by Google

naturam est, hominem esse rationalem, quàm risibilem ita imaginamur, Deum prius velle, hominem esse rationalem, & post, esse risibilem: quoniam Diuina voluntas secundùm nostrum intelligendi modum priùs ad vnum obiectum, quàm ad aliud terminatur. Itaq;
6 licet Deus vnico, simplicissimo actu sui intellectus, & voluntatis omnia simul ab æterno præuiderit, & efficaciter voluerit: quia tamen hic simplicissimus Dei actus virtualiter, & eminenter continet actus re ipsa diuersos, quibus nos ordinatè procedentes, vnum priùs alio vellemus; ideò ordinem realem prioris, & posterioris, qui in nobis realiter reperitur, in Deo ponimus eminenter; & nostro modo intelligendi concipimus, Deum similiter vnum priùs altero cognoscere, & velle. Et quidem magno cum fundamento: est enim inter res à Deo simul, & vnico actu visas, ac volitas realis ordo, & connexio causæ, & effectus, finis ac medij, ratione cuius dici potest, vnam rem propter aliam, atq; adeò & vnam priùs altera à Deo fuisse scitam, ac volitam: si enim quæratur (inquit D. Bonauentura) Cur Deus voluerit hominibus dare gratiam; rectè Respondebitur, quia priùs voluit gloriam illis conferre. Hæc igitur appellatur prioritas rationis, non qualem ordinem habent res à Deo volitæ: talem nos in diuina volitione balbutiendo consideramus. Qui sanè rationis ordo in Diuina volitione ad prioritatem causalitatis reducitur, quam Aristoteles in Postprædicamentis cap. de modis prioris constituit: nó quia secundùm rem vnus actus sit causa alterius, cùm ibi non sint plures actus, sed vnus & simplicissimus, sed quoniam secundùm rationem, vnum cognoscitur esse volitum propter aliud, ac si verè essent plures actus, & vnus esset causa alterius. In qua prioritate vnum intelligitur procedere ab alio, sed non cognoscitur vnum esse sine alio; Quæ alijs verbis dici solet, prioritas à quo, non in quo: quia neque secundùm nostram considerationem est dare instans, vel signum, in quo Deus vnum attingat, & non aliud: si enim vnum attingit, vt finem, attingit aliud, vt materiam, vel fundamentum, quia non se excludunt ista signa, vel ordines, sed potiùs habent necessariam connexionem in suo ordine.

7 Secundò obseruandum est, quòd res omnes, quæ vnica Dei cognitione continentur, & futuræ sunt, quia plerumq; habent inter se ordinem, per quem vna necessariò pendet ab alia, tanquàm effectus à causa, vt causæ inferiores à superioribus, & gloria à gratia, & merito; & Deus vult omnia fieri ordinatè: propterea in rebus, quæ cognoscuntur à Deo, rectè asserunt Theologi, vnam priùs altera cognosci, & eligi; non ex parte cognitionis Diuinæ, in qua nihil est prius, aut posterius, vt dictum est, sed ex parte ipsarum rerum, quemadmodum instituuntur, & ordinantur à Deo, & à nobis etiam intelliguntur. V. G. quia prædestinatio Christi est causa efficiens, & exemplaris nostræ prædestinationis, vt dicitur ad Roma. 8. *Quos prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui, &c* Et sicut definit D. Thomas infra q. 24. art. 3. & 4. ideò dicunt Theologi, priorem esse in Diuina cognitione prædestinationem Christi, prædestinatione aliorum hominum. Sic docet Capreolus in 3. d. 2. q. 1. art. 3. & Ferrar. 4. cōtra Gent. cap. 55. in fine. Et hoc modo intelligendi sunt Theologi, cùm dicunt in actibus intellectus, & voluntatis Diuinæ esse quædam instantia, & signa rationis, quibus nostro modo intelligendi priùs Deus vnam rem, quàm alteram præuidit, & voluit. Quorum instantium distinctio rationis secundùm veriorem opinionem sumitur ex ipsarum rerum, quæ Diuino intellectui, & voluntati obijciuntur, vero, & reali ordine; non 7
quidem dignitatis, & perfectionis, neque temporis, & durationis, quo vna res est altera prior in executione: sicut enim nos simul res nobis propinquiores, & distantiores videmus, & non vnam priùs alia cognoscimus, si nullus sit aliud inter ipsas præterquàm loci ordo: sic Deus res omnes futuras, si nullum alium, quàm temporis habeant inter se ordinem, pro eodem rationis instanti ab æterno & vidit, & voluit; licèt hanc priùs tempore, illam posteriùs esse, & voluerit, & nouerit. Quare ordo, & distinctio rationis horum instantium in Deo peti debet ex reali causalitatis ordine, aut saltem ex vera dependentia vnius rei ab altera: nisi enim vnum obiectum habuerit rationem causæ, vel occasionis respectu alteriùs, tametsi priùs dignitate, vel tempore sit, non dicetur à Deo priùs præuisum, aut præuolitum.

Tertiò aduertendum est ex D. Thoma 1. p. q. 14. ar. 8. Scientiam Dei, quamuis sit vnica, & simplicissima secundùm se, nostru tamen intelligendi more esse triplicem. Prima dicitur scientia simplicis intelligentiæ, per quam Deus cognoscit res, vt possibiles fieri, abstrahendo ab existentia; & ob id est scientia purè speculatiua. Secunda est, & dicitur scientia approbationis, per quam cognoscit res, vt ab ipsomet Deo faciendas, vel immediatè, vel medijs causis secundis: Vnde hæc scientia est practica, & ad illam pertinet Dei prouidentia, & ad eandem reducitur scientia permissionis, siue permissiua, qua Deus cognoscit peccata, vt futura per malitiam liberi arbitrij creati, quod ex permissione Dei sua libertatè abutitur. Tertia dicitur scientia visionis, per quam cognoscit Deus, res omnes futuras in aliqua temporis differentia, vt suæ æternitati coexistentes, & sibi præsentes. An verò præter huiusmodi triplicem scientiam, sit in Deo constituenda alia scientia media inter scientiam visionis, & simplicis intelligentiæ, qua Deus cognoscat futura conditionata, quæ à libertate arbitrij dependent, non constat inter Doctores. M. Ludouicus Molina in Concordia q. 14. art. 13. Disp. 50. (quem, vt fertur, sequuntur omnes ferè suæ societatis Magistri) tuetur partem affirmantem. Alij verò Theologi, præsertim Thomistæ, negant huiusmodi scientiā; 8
de qua non est locus hic disputandi, nihilominùs infra Dubio primæ Disputationi annexo Parag. 19. nōnihil de ea attingetur. Quicquid autem sit de hac re, in præsenti cùm inquiritur, quidnam fuerit priùs cognitum, aut volitum, & intentum à Deo in Incarnatione, non dubitatur de scientia simplicis intelligentiæ, quæ ad res possibiles terminatur, quia in ratione possibilis omnia æquè primò obijciuntur Deo, neque hic disputatur de cognitione possibilium, sed existentium, & futurorū. Præterquàm quòd illa scientia antecedit in Deo omnem actum liberum suæ voluntatis. Vnde tantùm est quæstio de cognitione absoluta, quæ actum liberum, & efficacem voluntatis Dei, quo ab æterno res in tali differentia temporis futuras decreuit, intrinsecè præsupponit: siue huiusmodi actus scientificus pertineat ad

Digitized by Google

scientiam approbationis, siue ad scientiam visionis, qua Deus rem vt sibi præsentem; vel per veram coexistentiam in æternitate, vel per obiectiuam præsentiam intuetur. Cùm enim enim omnia non sint æquè primò volita à Deo, sed prius finis sit volitus, quàm media, necessariò debet assignari aliquis ordo prioris, & posterioris secundùm rationem, & nostrum intelligendi modum in Diuina volitione, & cognitione, quatenus concernit, aut præsupponit voluntatem.

9 Vnde constat, quòd cùm ratio possibilis sit communior ex natura rei, & prior, quàm ratio futuri, ideò prior ordine est in Deo simplex intelligentia, quàm visio: est enim illa cognitio necessaria, omnem libertatem Diuinæ voluntatis nostro modo intelligendi anteuertens. Rursus: quia ex natura rei prius est, aliquam rem esse futuram, quàm verè cognosci vt futuram, & totalis causa propter quam reliquæ res sunt futuræ, est Diuina voluntas; fit etiam necessariò, vt prior in ordine sit actus Diuinæ voluntatis, quàm actus scientiæ visionis, & priùs sit, Deum velle aliquam rem fore, quàm illam cum sua existentia videre. Vnde priùs est in Deo intelligere, quid sit factu possibile, secundò ex his, quæ fieri possunt, eligere hæc, vt fiant; tertiò, id quod facere elegit, videre scientia visionis. Et sic; scientia simplicis intelligentiæ antecedit in Deo actum voluntatis; actus verò voluntatis antecedit visionem: sicut prior est potentia, quàm actus, & executio; vt constat ex. 3. de Anima cap. 7. & intelligendo aliquid ad faciendũ, priùs est conferre media, & excogitare, quæ sunt possibilia, deinde eligere, postremò exequi. 3. Ethico. & 1. 2. quæst. 14.

10 Postremò præmittere oportet tres esse duntaxat rerum ordines, intra quos posuit Deus seipsum ad extra communicare. Primus est ordo naturæ: secundus, ordo gratiæ, tertius, ordo vnionis hypostaticæ. Quantùm ad executionem primus ordo præsupponitur ad secundum, & tertium, & est vtriusque fundamentum. Secundus etiam præsupponitur ad tertium. De ordine verò intentionis est dissensio inter Theologos, quis ordo horum trium fuerit in intentione Dei priùs volitus, & intentus, atque adeò præcognitus per scientiam approbationis.

11 His positis, punctus controuersiæ est, de ordine, & antecessione, quam nostro intelligendi more, qui in re habet fundamentum, sortitur Christi prædestinatio in intellectu Diuino, comparatione ad dispositionem omnium aliarum rerum futurarum: An scilicet, Christus priùs ordine rationis fuerit prædestinatus, quàm Deus aliquid de aliarum rerum creatione cogitauerit. Et similiter, An præuisio peccati originalis antecesserit decretum de Incarnatione Verbi futura, & Christi prædestinationem, ita vt priùs ex parte volitorum Deus scientia visionis peccatũ præuiderit, & deinde ad illius expiationem, Incarnationem Verbi decreuerit, taliter vt ipsa peccati expiatio fuerit ipsimet Deo prima ratio, & motiuum adæquatum, & sufficiens Incarnationis faciendæ, vel potiùs supposita scientia simplicis intelligentiæ, quatenùs intelligitur antecedere scientiam visionis in illo primo æternitatis signo, in quo Deus suam bonitatem communicare decreuit, statuerit per vnionem hypostaticam se communicare, & omnia, quæ deinceps in alijs signis posterioribus facere proposuit, ad Christum tanquam ad finem retulerit: & statim post illud decretum viderit peccatum scientia visionis, quo viso carnem passibilem assumere decreuerit. De qua re sunt variæ Theologorum sententiæ, & opiniones.

Prima Opinio Scoti, §. II.

PRIMA sententia affirmat, Christum Dominũ fuisse prædestinatum antè præuisionem peccati originalis, voluntatemque Incarnationis antecessisse voluntatem permittendi peccatum Adæ, atque adeò Redemptionem à peccato non fuisse Deo primam rationem, & motiuum Incarnationis. Sic docet Scotus in. 3. d. 7. q. 3. & d. 19. q. vnica, Parag. In ista quæstione, quem sequuntur Albertus Magnus in. 3. d. 20. art. 4. Alexander Alensis. 3. p. q. 2. membro. 13. & omnes discipuli Scoti. Potissimum autem huius sententiæ firmamentum est, quia existimat, præcipuam causam Incarnationis non esse expiationem peccati, sed ipsius operis præstantiam, & excellentiam, in quo opere Diuina bonitas, & potentia relucet; & ipsum vniuersum perficitur. Itaque hoc, quod est, Deum fieri hominem, excellentius, & præstantius bonum est, quàm ex alia parte vniuersum condidisse, & genus humanum à peccato liberasse; atque ita propter hoc venisset Christus, secluso etiam omni peccato. Totam autem vim suæ opinionis collocat Scotus in Christi prædestinatione, quàm dicit antecessisse in æterna Dei ordinatione præscientiam peccati originalis. Imaginatur enim Scotus in Diuina cognitione, & volitione quendam ordinem, constituens quinque instantia, siue signa, in quorum primo asserit, Deum seipsum cognouisse, & tanquam vltimum finem voluisse. In secundo, ait, cognouisse, & voluisse omnes mundi creaturas: in tertio ordinasse prædestinando creaturam rationalem in beatitudinem, ita vt inter prædestinatos, Christum primò prædestinaret: in quartò, vidisse lapsum primi hominis, & in ipso omnium posterorum. In quinto deniq; Christum, quem iam in tertio instanti prædestinauerat, destinasse, & ordinasse ad delendum peccatum humanũ, atque adeò decreuisse, vt foret passibilis, & mortalis. Contendit autem Scotus hanc suam sententiam aliquibus argumentis confirmare, quorum potissima hic proponentur, & alia efficaciora adijciemus.

Primum sit. Prædestinatio hominis neque supponit peccatum ipsius hominis, neque præuisionem illius, vt constat ex Paulo ad Roma. 9. *Cùm nondum nati fuissent, aut boni aliquid egissent, aut mali, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, &c.* Ergo neque prædestinatio Christi præsupponit præscientiam peccati originalis. Patet cõsequentia; quia vtriusque eadem est ratio, alioqui prædestinatio Christi esset posterior hominum prædestinatione; quod est contra Sacram Scripturam, vbique insinuantem, Christum fuisse primum prædestinatum, & alios in Christo prædestinatos fuisse. *Elegit nos in ipso ante mundi cõstitutionem,* ait Paulus ad Ephes. 1. 13

Confirmatur primò: quia ex opposito sequeretur, dari causam reprobationis hominum ex parte ipsorũ, sed consequens est contra D. Thomam 1. p. q. 23. art. 5. Propter illud testimonium Pauli ad Roma. 9. in quo omne demeritum ex parte reprobati ab eius reprobatione 14

tione excludere videtur: ergo &c. Probatur Sequella. Reprobatio hominum præsupponit in mente Dei prædestinationem Christi: ergo si prædestinatio Chisti præsupponit præscientiam peccati originalis, similiter reprobatio eandem peccati præscientiam præsupponit: sed peccatum originale est sufficiens causa reprobationis. ergo reprobatio præsupponit demeritum ex parte reproborum.

13 Confirmatur secundò. Si Christus fuit prædestinatus in remedium peccati; ergo hominum prædestinatio præcessit prædestinationem Christi; atque adeò primus prædestinatus non fuit Christus. Probatur consequentia: quia si Christus fuit prædestinatus in remedium hominum; ergo prædestinatio Christi præsupponit absolutum, & efficacem hominum amorem in Diuina voluntate: sed hic amor pertinet ad prædestinationem; ergo &c.

14 Confirmatur tertiò. Non consonat rationi, vt Deus maius bonum amauerit propter minus bonum, sed è contra: ergo Christi amor, & prædestinatio ortum nó habuit ex amore hominum, sed potiùs amor hominú ex Christi amore, qui est coniunctus cum ipsa prædestinatione.

15 Confirmatur quartò. Id, propter quod aliud amatur, magis amatur, quam id, quod propter illud amatur: sed id, quod minus bonum est, non debet magis amari, quàm id, quod maius bonum est; ergo id, quod maius bonum est, non debet amari propter id, quod minus bonum est: atque adeò neque Incarnatio propter expiationem peccati. Maior est certa ex illo Aristotelis axiomate, propter vnumquodque tale, & illud magis; & propterea principia certiora sunt conclusionibus, & magis illis assentimur. Minor probatur Bonitas est ratio amandi, ergo secundùm prudentem rationé vbi fuerit maior bonitas, ibi erit maior ratio amádi. Ergo qui obiectum minùs bonum magis amat, quàm obiectum magis bonum; contra rectã rationem operatur, & injuriam facit maiori bono. Vnde qui virtutem amaret propter solam delectationem, inordinatè operaretur, & esset Epicureus: sic etiá qui vitá propter solas diuitias amaret.

16 Secundò principaliter arguitur. Ordinatè volens priùs vult finem, & deindè ea, quæ sunt fini propinquiora: sed gloria animæ Christi est propinquior vltimo fini à Deo volito, qui est ipsemet Deus; cùm gloria animæ Christi sit præstantius bonum, quàm gloria aliorum prædestinatorum: at gloriam cæterorú prædestinatorum voluit Deus ante quamcumque præuisionem peccati, vt ex citato Pauli testimonio constat; ergo & gloriam animæ Christi, & ex consequenti ipsum Christum esse.

17 Confirmatur Primò. Perfectius bonum secundùm rectam prudentiam non ordinatur in minus perfectum, tanquam medium in finem; sed Incarnatio Verbi est præstantior, quàm salus, & Redemptio generis humani, ergo non debuit, neque potuit à Deo ordinari in illam, tanquam medium in finem.

18 Confirmatur secundò Gloria Christi est causa finalis Redemptionis: ergo Redemptio non est causa finalis Incarnationis. Antecedens est certum ex Concilio Trident. Sess. 6 cap 7 Vbi agens de iustificatione, vt includit etiam dispositiones remotas, & proximas infusionis gratiæ, ait, gloriam Christi esse causam finalem illius. Consequentia probatur: quia si Redemptio est causa finalis Incarnationis Christi, etiam est causa finalis gloriæ Christi; sed consequens est falsum: ergo & antecedens. Maior probatur: quia finis gloriæ Christi est Incarnatio, ergo si finis Incarnationis est Redemptio, de primo ad vltimú finis gloriæ Christi erit Redemptio. Quare Redemptio, & gloria Christi erunt sibi inuicem causæ in eodem genere causæ finalis.

Confirmatur tertiò. Christus est finis omnium rerum: ergo si Redemptio est finis Christi, Christus & Redemptio erunt sibi inuicem fines. Dices, sub diuersis rationibus id esse possibile. Sed contra est: quoniam vt hoc possibile sit, quando Redemptio intenditur vt finis Incarnationis; intendi debet independenter ab Incarnatione in ratione finis, & similiter, quádo Christus est finis Redemptionis, intendi debet independenter à Redemptione in ratione finis: aliàs, quatenùs causa erit effectus, & dabitur circulus formaliter in eodem genere causæ, quod apud omnes est impossibile. 19

Tertiò obijcitur. Rationi dissonum est, vt Incarnatio, quæ est maximum, & summum bonum inter omnia opera Dei, per accidens & occasionaliter fuerit à Deo dispositum, & effectum: at si Incarnatio est decreta dependenter à motiuo Redemptionis, occasionaliter duntaxat, & per accidens esset volita, & disposita à Deo ergo Incarnatio secundùm suam substantiam nó est volita à Deo omninò dependenter à motiuo Redemptionis. Maior probatur: quia reliqua bona vniuersi, quatenùs bona sunt, per se intenduntur: ergo Incarnatio, quæ est præstantissimum bonú, quod est in vniuerso, debuit esse per se intenta à Deo, & non per accidens, & ex occasione peccati, quod Deus neque fecit, neque intendit. Minor probatur. Peccatum ex accidenti se habuit in natura humana, & nullo modo fuit intentum à Deo, sed Redemptio necessariò præsupponit peccatum: ergo Redemptio per accidens & occasionaliter est à Deo intenta, atque adeò Incarnatio. 20

Confirmatur Primò. Anima Christi, & eius gloria magis diligitur à Deo, & maioris est valoris, quàm omnes prædestinati, vt rectè sentit D. Thom. 1. p. q. 20. art. 3. ad. 1. & q. 23 art. 6. ad. 4. ergo magis per se primò est intenta à Deo, quàm omnes homines, & Angeli: ergo nó primò, & per se est amatus Christus propter homines, & eorum salutem, atque adeò primarium motiuum Incarnationis non fuit Redemptio. 21

Confirmatur secundò. Si Incarnatio fuit omninò dependens à miseria hominum, & ab eius remedio: ergo amor Christi, vt hominis fuit dependens ab amore peccatorum: & sic non tam essemus electi nos peccatores in Christo, vt ait Paulus ad Ephes. 1. quàm Christus in nobis, quod est absurdum. Confirmatur tertiò: quia aliàs esset nobis lætandum de peccato primi parentis; quia ex eo tantum reportauimus bonum, quãtum est Incarnatio Filij Dei, quod non reportaremus, si Adam non peccasset. 22 23

Confirmatur quartò. Permissio peccati ortum habuit ex intentione Incarnationis: ergo peccatum Adæ non fuit occasio decreti Incarnationis. Consequentia probatur: quia aliàs eadem Incarnatio esset prior, & posterior ratione se ipsa, quod impossibile apparet. Si enim peccatum est eius occasio; ergo peccatú est prius ratione 24

ratione Incarnatione. Et rursus. Si peccatum est permissum ex Intentione efficaci Incarnationis; ergo Incarnatio est prior ratione peccato, atq; adeò prior ratione seipsa, quæ est posterior ratione peccato, quod manifestam innoluit repugnantiam.

25 Est quartum argumentum principale. Si attendamus infinitam Dei potentiam, bonitatem, & sapientiã, oportebat de facto esse Christum secluso hominis peccato: tum, quia oportebat infinitam Dei potentiam nõ solùm in modo productionis creaturarum nobis manifestari, scilicet creando, verùm etiam in aliquo effectu infinito, qualis est Incarnatio: tum, quia summum bonum summo modo oportebat se creaturis communicare, quod maximè fit per Incarnationem. Tũ etiã, quia oportebat, vniuersum esse ex omni parte perfectũ, cùm à Deo sit sapientissimè cõstitutum: deesset autem alli aliqua maxima perfectio, si non esset Christus. Et tandem ad perficiendum ordinem gratiæ: quoniam gratia extra Christum nullum habet proprium, & adæquatum subiectum, neque in alio potest totam sibi debitam plenitudinem habere.

26 Confirmatur primò. Prædestinatio Christi, cùm sit aliis perfectior, debet esse cæteris firmior, & stabilior; sed homines prædestinarentur, etiam si nullum extitisset eorum peccatum: ergo similiter Christus prædestinaretur secluso omni peccato. Item, quia aliàs magis nobis deberet anima Christi, quàm nos illi: patet, quia nos illi nostram debemus iustificationem, & glorificationem; illa verò nobis debet, quòd sit, & quòd beata sit, & quòd Diuino Verbo hypostaticè vniatur: quod est quid maius, & excellentius.

27 Confirmatur secundò. Genus humanum, & totum vniuersum non est melioris conditionis existente peccato, quàm eo secluso: sed extante peccato oportuit, genus humanum assumptione humanitatis nobilitari; oportuit etiam vniuersum ipsum perfici, tum omniũ creaturarum coniunctione cum sua prima causa secundum seipsam, quæ coniunctio facta est per assumptam humanitatem: tum etiam per omnem differentiã natiuitatis, nam in eo est natiuitas hominis ex viro & fœmina: fuit etiam homo sine viro & fœmina productus, sicut Adam; fuit etiam homo sine fœmina productus, vt Eua, est similiter homo ex fœmina genitus sine viro, vt Christus: ergo à fortiori fatendum est, hæc omnia debuisse in mundo existere secluso peccato. Patet consequentia, quia peccatum de se potiùs ponit impedimentum Diuinis perfectionibus, & beneficijs.

28 Confirmatur tertiò ex Paulo ad Roma. 5. dicente: *Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius: multò magis iam reconciliati salui erimus in vita ipsius.* Ex quo desumitur argumentum. Deus maiorem curam habet hominum, postquàm sunt à peccato liberati, quàm dum erant peccatores: ergo si perseuerassent in gratia, multò magis illos dilexisset, & maioribus affecisset beneficijs: sed peccatores adeò dilexit, vt illis Christum tribueret: ergo iustis etiam, si perseuerassent, multò magis eundem Christum donaret.

29 Confirmatur quartò. Nullo existente peccato, adhuc Ecclesia Dei esset vnum corpus; ergo deberet caput habere homogeneum, quod in membra vitam influeret, & motum: ergo debuit Deus fieri homo, vt hac ratione Ecclesia tale caput haberet. Item secluso hominis peccato, homines essent grati per participationem, sicut sunt illo existente, sed quod est tale per participationem, debet ad id, quod per se est tale, reduci: ergo secluso peccato debuit Deus fieri homo, vt hac ratione homo esset gratus per se, à quo cæteri omnes, quòd essent grati, participarent.

Sit quintum argumentum. Sicut existente peccato nequit esse perfecta Satisfactio sine Christo; ita peccato secluso nequit esse perfectum meritum sine Christo; hoc est, per Christum: sed non minùs cõueniens est, quòd secluso peccato sit aliquis, qui nobis perfectè mereatur, quàm illo posito sit, qui perfectè satisfaciat: ergo secluso peccato adhuc esset Christus. 30

Confirmatur primò. Licèt Adam non transgrederetur præceptum sibi impositum de non comedendo fructu ligni vetiti, ex quo pendebat perseuerantia iustitiæ originalis, posset alia præcepta transgredi; & gratiam gratum facientem amittere, non amisso dono iustitiæ originalis neque sibi, neque posteris; & eâdem ratione possent alij progeniti ab Adamo peccare, quãuis Adamus non peccasset: ergo etiam pro statu innocentiæ esset necessaria Incarnatio ad Satisfaciendum Deo pro hominũ peccatis, atq; adeò independenter à Redemptione humani generis decreta est Incarnatio. 31

Confirmatur secundò: quia præcipuæ conuenientiæ Incarnationis sumuntur ex promotione in bonum, & remotione mali; sed omnes conuenientiæ, quæ ex promotione in bonum desumuntur, & similiter plures earum, quæ sumuntur ex remotione mali, essent in statu innocentiæ, in quo humana natura non indigeret Redemptione: ergo verisimilius est, Incarnationem de facto non fuisse à Deo volitam omninò dependenter à motiuo Redemptionis. Maior videtur esse Diui Thomæ. Minor etiam probatur ex his, quæ docet idem D. Thomas articulo. 2. præcedente in corpore, quoniã ad perfectionem fidei, ad firmitatem spei, ad feruorem charitatis, ad imitationem & exemplum virtutis, ad plenam Diuinitatis participationem, quibus maximè homo in bonum promouetur, necessaria esset Incarnatio, etiam pro statu innocentiæ non minùs, quàm in statu naturæ corruptæ. Secundò probatur eadem minor, quantùm ad remotionem mali. Primò, quia tanto mysterio instrueretur homo, ne sibi diabolum præferret, & illi subderetur per peccatũ. Secundò. Naturæ suæ dignitatem cognosceret, ortam ex consortio Diuinæ Personæ, ne illam peccato fœdaret. Tertiò. Præsumptionem deponeret videns se gratia Christi indigere. Quartò. Superbiam fugeret tanto Incarnati & exinaniti Verbi humilitatis exemplo. Quintò. Si quando in seruitutem peccati incideret, perfectiùs ab ea per Christi Satisfactionem liberaretur. Quare tam necessaria esset Incarnatio pro statu innocentiæ, ac pro statu naturæ corruptæ: ergo credibilius est, decretam fuisse Incarnationem, etiam pro statu innocentiæ, si ille perseuerasset. 32

Est sextum argumentum.

Eo modo credendum est, Deum Incarnari decreuisse, quo magis manifestaret suam infinitam charitatem; sed hanc Deus magis patefaceret, si decreuisset Incarnari, non solùm propter Redemptionem nostram, tanquàm propter motiuum adæquatum, & omninò sufficiens, sed etiam propter nostrã Sãctificationem, & 33

humanæ

Digitized by Google

humanæ naturæ exaltationem,ac gloriã Christi,independenter ab omni occasione peccati; ergo credibilius est,solam Redemptionem à peccato non fuisse adæquatum Incarnationis motiuum. Consequentia patet, & probatur maior. Primò; quia propterea Incarnationis opus in Sacra Scriptura plerumque Diuinæ charitati tribuitur;secundo;quia sicut ex bonitate oritur donorum communicatio,ita etiam ex summo amore, qui bonitati correspondet, ortum habere debet summa communicatio,qualis est Incarnatio. Minor verò probatur;quia Incarnatio, vt decreta à Deo adæquate ex motiuo Redemptionis, non minùs manifestat amorem Dei erga homines, si decreta simul sit propter aliud motiuum à Redemptione independens. Et insuper,addito hoc motiuo, ostenditur summa propensio Dei ad se communicandum,non solùm hominibus, sed etiam alijs creaturis, quæ ex hoc mysterio nobilitantur:& præsertim Angelis, qui fructum gratiæ, & gloriæ ex hoc mysterio recipiunt:sic etiam multò magis manifestatur amor Dei erga homines, quorum naturam cæteris omnibus Deus prætulit, si non tantùm ob peccati indigentiam,sed etiam per se se,ex sola charitate,qua decreuerit delicias suas cum Filijs hominum habere. Postremò. Hoc modo magis ostenderet Deus singularem beneuolentiam ad Christi humanitatem, quod ex solo suo beneplacito absque vllo singulari motiuo,quod ex parte illius præcesserit,eam cæteris ad tãtum bonum prælegerit.

34 Confirmatur Primò:quia si Deus ita existimetur affectus ad humanum genus, vt non nisi ob extremam necessitatem, & indigentiam,illi esset hoc summum Incarnationis beneficium præstiturus, neque solam beneficientiæ rationem, & humanæ naturæ exaltationem reputauerit sufficiens motiuum, ad hoc tantum bonum naturæ humanæ tribuendum,nisi simul misericordia, & subleuatio à summa miseria interueniret, minùs ostenderetur charitas Dei erga homines, quàm si in vtroque statu intelligatur voluntas Dei propensa, & inclinata ad se se hominibus communicandum, eisq; benefaciendum iuxta illorum statum, & capacitatem:sicut inter homines maiorem amorem ostẽdit, qui omnia bona sua vult cum amico communicare, non solùm vt eum ab aliqua indigentia & miseria liberet,sed etiam vt eum in altiori ordine, aut dignitate constituat, quàm si ei tantùm in extrema necessitate constituto subuenire velit.

35 Confirmatur secundò. In vnoquoque genere Deus statuit vnum,quod sit metrum, & mensura reliquorũ; ergo inter homines in genere sanctitatis id debuit statui,atque adeò Christus veniret pro quocumque statu naturæ.

36 Confirmatur tertiò; quia Deus propter suam gloriam intendit Incarnationem: ergo illam etiam intenderet,quamuis non esset peccatum. Consequentia probatur: nam ablato Incarnationis mysterio, non esset, qui Deum infinito modo glorificaret.

37 Septimò. Peccatum originale à Deo permitti non potuit,nisi vt virtus Verbi Incarnati in eius remedio manifestaretur; ergo voluntas Dei permissiua peccati præsupposuit prædestinationem Christi: & ex consequenti non fuit occasionata ex peccato originali: imò verò ipsa permissio peccati ex Christi prædestinatione orta fuit. Antecedens probatur: quia Deus nullum permittit malum,nisi vt indè aliquod bonum eliciat, vt docet D. Tho. in hoc articulo ad tertiũ: ergo non permisit tam grãde malũ, cuiusmodi est peccatum originis,nisi vt indè magnum bonum Redemptionis eliceret,vt verè dicat Paulus, *Vbi abundauit delictum, superabundauit gratia.*

38 Octauò. Si Peccati præscientia præcedit prædestinationem Christi,vel illa præscientia est simplicis intelligentiæ,vel visionis. Hoc est,vel est peccati, vt possibilis,vel vt futuri:sed nũ potest esse præcognitio simplicis intelligentiæ;quia nõ debuit prędestinari Christus in remedium peccati,vt est possibile, quia etiam si Christus non esset futurus, adhuc peccatum esset præcognitum simplici intelligentia. Sed neque esse potest præscientia visionis, quia voluntas antecedit in Deo cognitionem visionis,vt ostensum est Parag. 1. obseruatione. 3. Sed prædestinationem aliorum voluit Deus propter Christi prædestinationem,priùs volitam ordine præsuppositionis; ergo antequàm haberet scientiã visionis peccati,vt futurum est,prædestinatus est Christus per actum Diuinæ voluntatis. Minor patet quia prior est finis, quàm cætera ipsum finẽ cõsequentia:sed prædestinatio Christi est finis prædestinationis hominũ,vt definitur in Conc. Trident. Sess. 6. c. 5. Vbi decernitur, omnem beatitudinẽ,& gratiã hominũ, & dona illis tollata,esse propter Christi gloriã, tanquàm propter finem:ergo &c. Probatur consequentia. Prædestinatio,& gloria animæ Christi est finis,propter quẽ Deus permisit peccata;ergo priùs fuit præuisio prædestinationis,& gloriæ animæ Christi,quàm permissio peccati,& illius præuisio.

39 Confirmatur. Si Christus fuit prædestinatus in remedium peccati, vel eius prædestinatio præsupposuit præscientiã peccati pertinentem ad scientiam permissionis,quæ respicit peccatum,vt futurum, vel ad scientiam visionis,quæ respicit peccatum, vt præsens Deo in eius æternitate:sed neutrum dici potest: ergo prædestinatio Christi non supposuit peccati præscientiam. Probatur minor quoad priorem partem. Peccatum non est cognoscibile infallibiliter, vt futurum: ergo per illam scientiam,quæ respiceret peccatum originis, vt futurum,non potuit Deus certò & infallibiliter cognoscere ipsius peccati euentum,sed cognitione tantùm coniecturali,& fallibili,quæ cognitio repugnat Diuino intellectui propter sui perfectionem, & ipsi etiam prædestinationi Christi,quæ debuit esse efficax, & absoluta,& non dependens à coniecturali, & fallibili cognitione. Antecedens probatur. Peccatum, quandiu intelligitur vt futurum,consideratur, vt quoddam futurum contingens,quod neque in seipso,neque in aliqua sui causa habet esse determinatum; ergo est incognoscibile per determinatã, & infallibilem cognitionem; nam quælibet res non aliter est cognoscibilis, quàm secundùm illum modum,quem ipsa res habet, aut saltem nequit cognosci sub modo contrario: ergo Deus per scientiam permissionis non potuit certò & determinatè peccatum, vt futurum præcognoscere. Posterior pars eiusdem minoris probatur, quia aliàs neque Christus fuisset priùs prædestinatus etiam in genere causæ finalis, quàm Deus statueret humanam naturam producere. Probatur Sequella: nam Christi prædestinatio

tio neceſſariò præſupponeret cognitionem naturæ humanæ, vt exiſtentis, & creatæ; quia nequiuit præcedere cognitio viſiua peccati inexiſtentis humanitati, quin etiam præcederet viſio ipſius humanitatis exiſtentis; at ſi Chriſti prædeſtinatio præſuppoſuit huiuſmodi cognitionem, intelligi non valet, quomodo in genere cauſæ finalis præcederet decretum creationis humanæ naturæ. Sit nonum argumentum.

40 Nonò. Deus abſoluta voluntate priùs voluit gloriã animæ Chriſti, quàm gloriam hominum & Angelorum, & quàm reparationem hominum; ſed abſoluta Dei voluntas ſemper impletur abſque dependentia ab aliquo alio: ergo etiam nullo exiſtente peccato, imò etiam ſi nullus Angelus, aut homo eſſet beatificandus, Verbum nihilominùs fieret homo. Probatur maior. Gloria animæ Chriſti eſt maius bonum, quàm gloria omnium hominum, & Angelorum, ac proindè magis Deo propinqua: ergo primum debuit eſſe volita à Deo abſoluta voluntate, & independenter ab omni alio, præſertim cùm ipſa ſit finis totius humanæ, & Angelicæ gloriæ.

41 Decimò. Prædeſtinatio Chriſti anteceſſit præſcientiam peccati Angelorum, ſed præſcientia peccati Angelici anteceſſit in intellectu Diuino cognitionem peccati originalis: ergo prædeſtinatio Chriſti fuit prior præſcientia peccati originalis. Maior præſupponitur vt certa ex probabilitate illius ſententiæ, quæ docet, peccatum Angeli fuiſſe inuidiam Chriſti, & eius odiũ. Minor patet: quia primum hominis peccatum præſuppoſuit Angelicum peccatum, cùm ex dæmonis ſuggeſtione ortum habuerit ipſum Adæ primum peccatum: ergo &c.

42 Vndecimò. Ante peccatum Adæ, & ante ipſius præſcientiam fuit Chriſtus prædeſtinatus, & in Diuino intellectu præceſſit decretum Incarnationis eius: ſed prędeſtinatio hominum præſuppoſuit in mente Diuina præſcientiam peccati originalis; ergo præceſſit prædeſtinatio Chriſti ipſam hominũ prædeſtinationem. Minor eſt recepta omnibus diſcipulis D. Thomæ. Maior probatur. Adam, antequàm peccaret, pręſciuit Verbum Incarnandum, atque adeò præcognouit ipſam Chriſti prædeſtinationem; ergo prædeſtinatio Chriſti in Diuino intellectũ anteceſſit ipſius peccati præſcientiam, ac ſubinde etiam ſi non extaret peccatum, foret Chriſtus ex vi ſuæ prædeſtinationis.

43 Confirmatur primò. Priùs ratione eſt prædeſtinatus Adam à Deo, quàm eius peccatũ fuerit præuiſum: ſed Chriſtus fuit prædeſtinatus priùs ratione quàm Adam; ergo & priùs quàm Adæ peccatum fuerit præuiſum. Conſequentia eſt euidens, & minor nota ex materia de Prædeſtinatione Chriſti, infra q. 24. Vbi probabitur, Chriſtum eſſe cauſam meritoriam, & finalem prædeſtinationis omnium hominum; & ex conſequenti Chriſtum fuiſſe prædeſtinatum priùs: vt ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.* Et ad Roma. 8. *Quos præſciuit, ac prædeſtinauit, conformes fieri imaginis Filij ſui* Maior verò probatur. Prima gratiæ Adæ fuit effectus prædeſtinationis ipſius, ſed decretum de danda prima gratia Adæ, præceſſit pręuiſionem peccati illius: quia in executione data eſt omninò independenter ab illo; ergo prædeſtinatio Adæ præceſſit in Deo præuiſionem peccati ipſius.

Confirmatur ſecundò. Gratia collata Adamo in ſtatu innocentiæ, & ſimiliter iuſtitia originalis, fuit ex meritis Chriſti: ergo prædeſtinatio Chriſti non præſuppoſuit præſcientiam peccati originalis, neque Chriſtus per ſe primò fuit prædeſtinatus in remedium talis peccati. Conſequentia patet: tum: quia volitio cõferendi gratiam Adæ præceſſit in Deo cognitionem peccati, quod in eiuſdem gratiæ priuatione conſiſtit, aut talem priuationem habet annexam: ergo etiam volitio Incarnationis, quæ eſt cauſa talis gratiæ, debuit præſupponi cognitioni peccati. Tum etiam: quia gratia, & iuſtitia originalis fuit Adamo collata independenter à peccato futuro, ita vt illi daretur, tametſi peccatum non eſſet futurum: ſimiliter fuit illi data, vt in poſteros transfundenda, licet peccatum non eſſet futurum. Imò ſub hac lege, quòd Adam non peccaret: ergo etiam prędeſtinatio Chriſti, quæ fuit cauſa talis gratiæ, & eſſet cauſa ſuæ transfuſionis, fieret, tametſi peccatum non eſſet. Antecedens verò probatur: quia vt docet D. Thomas. 2. 2. q. 2. art. 7. Adamus antè peccatum habuit fidem Chriſti, vt conſummatoris gloriæ, & ex conſequenti vt authoris gratiæ; quia non eſt ſperanda gloria ab eo, qui non eſt author gratiæ; cùm gratia ſit acceptatio ad gloriam, & ſemen illius: ergo obtinuit in eo ſtatu gratiam, ſiue primam, ſiue eius augmentum ex meritis Chriſti. Quod quidem de prima gratia videtur etiam concedendum: quia ſicut Adam in primo inſtanti habuit gratiam; ſic etiam habuit motum liberi arbitrij procedentem ex fide; qui vt informatus gratia, vel eliciente, vel ſaltem coaſſiſtente, eſſet meritorius primæ gloriæ: ſiue talis motus eſſet diſpoſitio ad primam gratiam, ſiue non. 44

Confirmatur Tertiò. Ex vi illius prouidentiæ, qua collata eſt Adamo gratia, & iuſtitia originalis, eſt etiã data fides Chriſti, per quã credidit in Chriſtũ, tãquàm in authorem gratiæ, & iuſtitię, ſibi in eodem ſtatu collatæ, & tanquàm in conſummatorem gloriæ, ergo ex meritis Chriſti eſt illi collata gratia, vel ſi non, ſaltem veniret Chriſtus etiam non exiſtente peccato. Antecedens probatur: quia fides Chriſti fuit vnum ex donis gratiæ, & iuſtitiæ collatæ Adamo in ſtatu innocentię: ergo in eodem ſigno rationis, & per eandem prouidentiam decreuit Deus dare Adamo gratiam, & fidem Chriſti. Conſequentia verò probatur: quia ex vi illius prouidentiæ conferretur gratia Adæ, etiam ſi eius peccatum non eſſet futurum. Ergo ſi per eandem prouidentiam eſt illi collata fides Chriſti, ſequitur, quòd etiã daretur ei huiuſmodi fides, quamuis nullum eſſet futurum peccatum, ac proindè in eo caſu etiam veniret Chriſtus, quoniam fides Diuina eſt infallibilis. 45

Duodecimò: quoniã ex Sacris literis colligitur pręcipuam cauſam prædeſtinationis Chriſti, & Incarnationis eius, fuiſſe exaltationem naturæ humanæ, & nõ Redemptionem à peccato: nam Paulus. 1. Corint. 2. inquit. *Loquimur ſapientiam, quæ in myſterio abſcõdita eſt, quam prędeſtinauit Deus ante ſæcula in gloriã noſtram.* Hoc eſt, vt noſtram naturam extolleret, ac dignificaret. Vbi nullum Verbum dixit de remedio peccati; ergo ſignum euidens eſt, prædeſtinationem Chriſti fuiſſe priorem præuiſione peccati originalis. 46

Confirmatur ex illo, quod Chriſtus dixit Ioan. 10. *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeãt.* 47

Ergo

ergo causa aduentus Christi in mundum non fuit pec- cati expiatio, sed nostra vivificatio. Item Ioan. 17. orabat Christus Patrem, vt illum clarificaret claritate, quam habuit apud ipsum, antequàm mundus fieret: sed non postulauit à Patre claritatem Diuinitatis, quoniam eam à se habet, vt Deus est, & vt homo est, illam habere nõ valet, ergo loquitur Christus Dominus de claritate sua, quam habuit apud Patrem, antequàm fieret mundus. At cùm Christus hanc claritatem in re non habuerit, sed tantùm in intentione, & decreto Diuino, concluditur necessariò, eum loqui de claritate, quam habuit, antequàm mundus decretus esset in mente Diuina, atque adeò de claritate sua independente à peccato. Insuper. Ioan. 8. dixit Christus Iudæis. *Pater vester Abraham exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauisus est.* Ac si dicat. Abrahæ reuelatum est primò illud antiquum decretũ, quo Deus statuit Filium suum in mundum mittere in carne impassibili, & immortali, & tunc exultauit Abraham nimio gaudio repletus.

48 Præterea ad Philipenses. 2. ait Paulus. *Christus exinaniuit semetipsum formam serui accipiens.* Sed nõ exinaniuit semetipsum secundùm diuinitatem: ergo exinaniuit se secundùm humanitatem. Quod aliter intelligi non potest, nisi dicamus, Christum in primo decreto suæ prædestinationis non fuisse prædestinatum in forma serui, ipsum verò propter nostram salutem, forma Domini deposita, voluisse formam serui induere. Adhæc. 2. Corint. 8. loquens Paulus de Christo ait, illum, cùm diues esset, egenum pro nobis, factum esse, vt illius inopia nos diuites essemus. Ergo in primo decreto non est Christus prædestinatus egenus & pauper, cùm ipse voluntariè egestatem elegerit pro nobis, diuitijs contemptis, quas ex vi suæ prædestinationis habere potuisset. Rursus. Christus, vt ait Paulus ad Hebræ. 12. *Propositio sibi gaudio sustinuit crucem cõfusione contempta.* Ergo in primo decreto non est prædestinatus in carne passibili. Consequentia probatur: quoniam si esset prædestinatus in carne passibili, nõ esset illi data optio gaudio perfruendi, & passibilitatis molestias non sustinendi, vt hic Paulus docere videtur.

49 Postremò confirmatur hæc sententia Sanctorum Patrum testimonijs. Etenim D. Augustinus lib. de Spiritu & Anima cap. 9. & in Manuali cap. 26. docet, Verbum esse Incarnatum, vt homo tam in anima, quàm in corpore beatificaretur, & vbique inueniret pascua. Hæc autem Augustini ratio eandem vim habet sine peccato in natura humana, atque ipso existente. Item D. Cyrillus lib. 5. Thesauri cap. 8. ait. *Sicut sapiens architectus profunda iacit fundamenta propter suspicionem ruinæ, ita Deus prædestinauit Christum propter suspicionem peccati futuri Adę.* Et cap. 3. disputans contra Arrianos ait. *Si vt hæretici dicunt, vt nos produceret Deus, filium suum produxit, erit ipse propter nos factus, nõ nos propter ipsum. Cur ergo nobis non aget gratias, qui propter nos est? Erit ergo ipse sic gloria nostra, vt fœmina viri, non enim vir creatus est propter fœminam, sed fœmina propter virum.* Et ipse. *Si propter nos Filius factus, primi nos erimus apud Deum, sic enim Deus nos primò, deinde Filium propter nos intendisse videbitur.* Hęc Cyrillus. Item D. Anselmus, lib. 2. Cur Deus homo, cap. 18. generaliter docet, nullam animam esse in cœlo, quæ sibi persuadeat sine peccato alterius se non fuisse gloria fruituram. Ergo à fortiori anima Christi, quæ in cœlo neque in terra sibi persuasit, neque nos id credere debemus, illam non fuisse Deificandam per Vnionem hypostaticam, sine alterius peccato nempe Adami.

Præterea Rupertus Abbas lib. 13. de Gloria & honore Filij hominis in Matthæum, & lib. 13. de Gloria Trinitatis, & processione Spiritus Sancti, cap. 20. & 21. docet, homines & Angelos creatos esse propter Christum hominem, vt haberet præparatam ex vtroque latere familiam. Et sumens: coniecturam ex D. Augustino lib. 14. de Ciuita. cap. 23. inquit. *Si teste Augustino absurdum esset dicere, Adam non peccante, generationes hominum non fuisse futuras, ac si propter homines, vt nascerentur, peccatum fuisset necessarium: quid de isto capite, & rege omnium electorum, Angelorum, & hominum sentiendum, nisi quod & ipse, maximè omnium necessarium non habuerit peccatum, vt homo fieret ex hominibus, delitias suæ charitatis cũ illis habiturus?* Hanc coniecturam confirmat D. Tho. 1. p. quæst. 89 art. 1. Vbi sic probat generationes futuras, licèt Adam non peccasset, quia alioqui peccatum hominum fuisset valde necessarium, ex quo tantum bonum consequutum est. Et ibidem docet, animam rationalem, eò quòd est immortalis, esse per se primò intentam à Deo, etiam in indiuiduo. Ergo multò maiori iure non erit necessarium Adæ peccatum, vt tantum Incarnationis bonum habeamus. Ergo anima Christi per se primò in indiuiduo intenta est à Deo, & non ex occasione peccati.

Hæc est sententia Scoti pluribus, ac validis argumentis confirmata, quam sectatores illius diuersimodè interpretantur. Quidam dicunt, primum decretũ Incarnationis nõ solùm fuisse independens à Redemptione generis humani, sed etiam ab exaltatione humanæ naturæ, & creatione omnium hominum, & Angelorum, quia asserunt Deum in huiusmodi decreto solùm statuisse Incarnari, ad communicandum animæ Christi summam gloriam, & gratiã. Sic docet Lichetus in 3. d. 7. q. 3. Alij verò Scotistæ dicunt, primum motiuum decreti Incarnationis abstrahentis ab assumptione carnis passibilis, vel impassibilis, fuisse naturæ humanæ exaltationem, & totius vniuersi perfectionem, vt sic Deus illi se communicaret omni modo possibili cõmunicationis, naturæ, gratiæ, & Vnionis hypostaticæ: quæ sententia est inter Scotistas communior, & præcedente probabilior. Vnde iuxta istam explicationem, primò Deus Incarnationem decreuit, nihil cogitans de qualitatibus, aut circumstantijs naturæ humanæ, An videlicet futurus esset Christus passibilis, vel impassibilis; si in hoc tempore, aut in illo: si in salutem hominũ, vel propter suam gloriam; sed absolutum fuisse decretum de Deo homine, in quo substantia huius mysterij consistit, abstrahendo ab omnibus illis circunstantijs, de quibus in secundo signo decreuit. Hanc expositionem amplectitur Franciscus de Carthagena libro de prædestinatione Angelorum, & hominum discursu. 10. & alij recentiores studiosi Scoti.

52 Alij verò asserunt, Deum ab æterno antè omnem peccati præuisionem prædestinasse Christum venturum in carne impassibili, & immortali. Posteà autem in alio signo rationis præuidens Deus peccatum Adæ decreuisse, vt Christus qui iam erat prædestinatus venturus in mundum, veniret in carne passibili, vt redimeret genus humanum. Si autem deesset peccatum, veniret quidem Christus in carne impassibili, & immortali. Alij autem per oppositum docent, in primo signo Deum voluisse, vt veniret Christus in carne passibili, non quidem passurus, & moriturus propter homines, sed hoc definitum est in secundo signo. Alij verò asserunt, quòd licet Christus passibilis, & passurus respondeant primo instanti, nihilominus passibilitas, aut passio, vel aliæ singulares circunstantiæ non terminabant per se illud decretum primi signi; sed decretum per se terminabatur ad Christum, passibilitas verò, & circunstantiæ erant modi adiacentes ipsi termino: vt constat in prædestinatione hominis, cuius terminus est beatitudo, delectatio autem, & fruitio habent se consequenter, & tanquàm modi ipsius termini totalis, & formalis prædestinationis; & ita non dicitur homo prædestinatus ad fruitionem, sed ad visionem. Ad eundem modum Christus dicitur prædestinatus, vt sit homo, non verò vt sit passibilis, aut quòd patiatur: quia ista consequenter se habent. Quò fit, vt ex vi illius decreti, & per ordinem ad terminum per se, Christus veniret, etiam si non esset peccatum, quia in termino per se talis decreti nihil est, quod peccatum respiciat. Alij denique affirmant, terminum per se illius intentionis & decreti, pro illo primo signo esse Christũ, passibilitatem verò, & reliquas circunstantias pertinere ad electionem, & præsentari Deo tanquàm media ad nostram salutem.

Secunda Opinio. §. III.

53 EX Defensoribus autem Scoticæ sententiæ, quidam affirmant, Deum prædestinasse Christum, priusquàm decreuisset aliquam creaturam spiritualem, vel corpoream creare. Vnde in illo primo signo rationis Deus nihil decreuit de alicuius puræ creaturæ productione, sed de ipsa tantùm Diuini Verbi Incarnatione. In secundo verò rationis signo, decreuit Angelos, & homines prędestinare, quos in Christo de facto prædestinauit. In tertio signo statuit omniũ rerum naturalium creationem, quas omnes Deus in Christum tanquàm in finem retulit, in quem, & propter quem, vtrumque ordinem, & naturæ & gratiæ disposuit. Est autem in hac sententia aduertendum, ad secundum decretum prædestinationis hominum, & Angelorum pertinuisse totum ordinem gratiæ, in quo includitur etiam omnium peccatorum permissio, prout gratiæ opponuntur. Ad tertium verò decretum pertinuit etiam permissio peccatorum, quatenùs rationi naturali per se, & formaliter aduersantur. Itaque iuxta istam sententiam ordo intentionis omninò opponitur ordini exequutionis, quia in intentione Dei primum locum obtinuit ordo hypostaticæ Vnionis, secundum vero ordo gratiæ, tertium ordo naturę. Rursus hæc tria diuini intellectus decreta sic se habuerunt, quòd primum fuit omninò absolutum, & ab alijs duobus independens, ita vt in Christi prædestinatione nulla fuerit facta mentio prædestinationis hominum, & Angelorum, aut creationis vniuersi. Et multò minùs vllam habuit dependentiam in aliquo genere causæ, vel ab ordine naturæ, vel ab ordine gratiæ. Cæterùm duo posteriora decreta dependebant ex parte rerum decretarum à primo decreto in genere causæ finalis, quoniam Christus fuit finis in intentione Dei totius vtriusque ordinis, & naturæ, & gratiæ.

Hanc sententiam sic explicatam tuentur Ambrosius Catharinus lib. 1. de eximia Christi prædestinatione, Albertus Pighius lib. 1. de libero arbitrio cap. 5. art. 2. & 3. Melchior Flauius lib. de Regno Christi, Iacobus de Valentia Psal. 81. Viguerius in institutione Theologiæ in materia de Incarnatione cap. 16. Parag. 1. Versiculo. 3. Iacobus Naclantus in Epistolam ad Ephes. cap. 1. Claudius Taurinensis lib. de Prouidentia q. 1. art. 2. & Petrus Galatinus lib. 7. de Archanis Catholicæ veritatis à capite. 3. vsque ad. 9. dicit hanc fuisse olim doctissimorum Hebræorum sententiam, & Alfonsus Mendoça in Quodliberis quæst. 1. Scholastica: quamuis hic author neget Christum venturum non extante peccato, vt concedunt præfati authores. Hæc sententia probatur eisdem argumentis, quibus præcedens sententia Scoti; & præterea confirmatur alijs desumptis ex ordine causæ finalis, quæ latè proponit M. Suarez Disput. 5. Sectio. 2. conclusione. 1. & M. Mendoça q. 1. Scholastica. 54

Primum igitur argumentum desumitur ex D. Paulo ad Colossenses. 1. vbi Christum appellat primogenitum omnis creaturæ. Ex quo sic arguitur. Christus non est primogenitus omnis creaturæ in tempore, vt constat; ergo ordine prædestinationis & intentionis vocatur à Paulo primogenitus omnis creaturæ. Confirmatur ex his, quæ in contextu sequuntur. Sic enim habent. *Quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cœlis & in terra, visibilia, & inuisibilia, siue throni, siue Dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis.* Ex quo loco colligitur, Paulum loqui de Christo, vt est homo, etenim loquitur de Christo, vt Christus est, idest, vt habens naturã humanã hypostaticè vnitã, hac enim ratione est Redemptor, & caput corporis Ecclesiæ, & primogenitus ex mortuis, & primogenitus omnis creaturæ. Infertur secundò, ideò omnia in ipso esse creata, quia ex vi primi decreti, quo Deus Verbi Incarnationem statuit, omnia pertinentia ad ordinem naturæ & gratiæ voluit esse creata, & disposita, vt Christo deseruirent. Elicitur tertiò diuini decreti antecessio de Christi prædestinatione ad decretum vtriusque ordinis, & gratiæ & naturę: id enim indicant illa verba, *Et ipse est ante omnes,* Quia supposito, de Christo, vt homine, esse intelligenda, non aliter verificari potest, Christum esse ante omnes creaturas. Idem colligitur ex illis verbis. *Vt sit in omnibus ipse primatum tenens.* Quæ verba ad Christum, vt hominem, esse referenda, docent Chrysostomus, & Theophilactus, & communiter illius loci interpretes. Quòd si Christus, vt homo, in omnibus tenet 55

princi-

principatum; ergo etiam in intentione Dei inter omnes creaturas tenet principatum.

56 Secundum argumentum sumitur ex illo Pauli ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Vbi Paulus loquitur de Christo, vt homine, vt patet ex contextu, & ibidem aduertit D. Hieronymus. Quò fit, vt electio prædestinatorum in Christo præcesserit in Diuino intellectu ipsam mundi constitutionem, id est, diuini intellectus decretum de temporali mundi fabricatione, ac proindè ordo naturæ in intentione Dei fuit posterior decreto Incarnationis Christi: & idem dicendum est de ordine gratiæ. Ex quo loco sic desumitur argumentum. Prædestinatio hominum, & Angelorum fuit prior in diuino intellectu, decreto creationis omnium rerum ad naturæ ordinem spectantium; sed prædestinatio hominum & Angelorum fuit posterior decreto prædestinationis Christi; ergo de primo ad vltimum decretum creationis rerum fuit posterius decreto prædestinationis Christi. Maior constat ex testimonio citato, quatenùs in eo dicitur, Deum elegisse nos in Christo: id est, homines in Christo prædestinasse. Non enim intelligi potest, in Christo fuisse homines prædestinatos, quin ipsa Christi prædestinatio antecesserit. Maior probatur ex illo Pauli. 1. ad Corint. 3. *Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Cephas, siue Apollo, siue mundus, siue præsentia, siue futura, omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Vnde colligitur, sicut Christus est Dei, id est, propter Deum, vt finem, nam caput Christi Deus: ita prædestinatos esse Christi, id est, propter Christum, vt propter finem; & omnia denique alia esse prædestinatorum, hoc est, propter prædestinatos, vt propter finem. Insuper. Ergo decretum prædestinationis Christi præcessit ordine intentionis electionem omniũ prædestinatorũ, & decretum creationis omnium rerum; electio verò prædestinatorum præcessit ipsum decretum creationis rerum. Patet consequentia: nam quod habet rationem finis, præcedit in intentione electionem omniũ, quæ sunt ad finem: etenim nisi finis præcedat in intentione, ratio mediorum ab illo desumi non potest, neque respectu ipsorum potest causalitatem finis exercere, quia causa finalis mouet, & causat, prout in intétione procedit.

57 Confirmatur ex illo Pauli ad Roma. 8. *Expectatio creaturæ reuelationem Filiorum Dei expectat.* Id est, omnis creatura, siue tota mundi fabrica ingemiscit, & expectat, quasi parturiens, gloriam consummatam prædestinatorum, quæ in resurrectione futura est: quoniam in primo creationis mundi decreto vniuersæ creaturæ propter electos, & propter eorum gloriam conditæ sunt. Et ita per quandam prosopopœiam dicuntur hunc finem expectare. Et quia spes, quæ differtur, affligit animam, dicuntur ingemiscere, & electorum gloriam quasi parturire, sicut flumina dicuntur plaudere, & exultare montes. Vnde constat, ordinem naturæ ad ipsos prædestinatos, tanquàm in finem ordinari; atque adeò electorum prædestinationem antecessisse in intentione Dei decretum constitutionis mundi, & totius ordinis naturalis. Et cùm decretum prædestinationis Christi antecesserit prædestinationem hominum, & Angelorum, necessariò dicendum est, ipsum simpliciter præcessisse, fuisseque primum decretum diuini intellectus.

58 Confirmatur prætereà ex Paulo ad Ephes. 1. *Proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt in ipso.* Illud autem Verbum, *Instaurare,* idem pollet, quod recapitulare, & quasi in epilogum reducere; vnde sensus est, voluisse Deum omnia, quæ sunt in cœlis, & in terris ad ordinem naturæ, & gratiæ pertinentia reducere in Christum, tanquàm in omnium epilogum, & finem. Item Prouerb. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequàm quicquam faceret à principio.* Vel, vt habet alia lectio, *Dominus creauit me.* Vbi fit sermo de Sapientia Incarnata, quam ibi Spiritus Sanctus introducit, loquentem secundùm humanitatem assumendam, vt exponunt Patres. Clemens Papa lib. 5. cõstitutionum Apostolicarum cap. 21. Basilius contra Eunomium lib. 4. Athanasius sermo. 3. contra Arrianos. Gregorius Nazianzenus oratione. 2. de Filio. Cyrillus Alexandrinus lib. 5. Thesauri cap. 8. Augustinus sermo. 59. de Verbis Domini, & lib. 1. de Trinit. cap. 12. Ambrosius lib. 1. de fide cap. 7. Hilarius. 12. de Trinita. Gregorius Nissenus de fide ad simplicium. Cæsarius Dialogo. 1. Chrisostomus sermo de Sancta Trinitate, & Hieronymus in Epistolam ad Ephes. 2. loquit, in Hebræo non haberi, *Creauit me,* Sed possedit me, vtrumque tamen Verbum esse referendum ad Sapientiam Incarnatam. Et eandem intelligentiam recipit Concilium Hispalense. 2. cap. 13. & Ecclesiastes. 24. dicitur. *Ab initio, & ante sæcula creata sum, & vsque ad futurum sæculum non desinam.* Loquitur autem Sapientia Incarnata de seipsa, quæ ideo dicitur ante sæcula creata, quia antequàm Deus quicquam facere decreuisset, disposuit Verbi Incarnationem futuram. Et dicitur creata in initio viarum Dei, quia fuit primum initium operum Dei in æterna eorum prædefinitione, & dispositione, non in temporali executione.

59 Tertiò. Prædestinatio Christi ordine rationis antecessit prædestinationem hominum, cùm sit finis illius: sed prædestinatio hominum præcessit in intentione Dei decretum creationis totius vniuersi; ergo absolutè decretum de Verbo Incarnando præcessit in intentione Dei decretum creationis rerum, siue ad ordinem naturæ, siue gratiæ spectantium. Consequentia patet, & minor similiter est euidens, quia prædestinatio hominum habuit rationem finis, propter quem Deus condidit vniuersum; sed finis antecedit in intentione operantis: ergo &c.

60 Quartò. Finis, propter quem omnia sunt principaliter creata, est gloria Dei, quæ in suę perfectionis manifestatione consistit: ergo prima volitione, qua Deus voluit sibi eam gloriam, quę in suæ perfectionis manifestatione consistit, fuit volita Incarnatio. Ergo si Incarnatio comparetur cum reliquis operibus Dei, ipsa fuit volita priùs in genere causæ finalis. Prima consequentia probatur: quia nullum opus Dei erat adeò aptum, ad manifestandum eius bonitatem, Sapientiam, & reliqua attributa, sicut opus Incarnationis; vt art. 1. Disput. 2. ostensum est. Ergo in illa

Digitized by Google

volitione, quæ pro fine sui obiecti, hanc Dei manifestationem habuit, non fuit prætermissum opus Incarnationis. Consequentia patet: quia ad perfectionem Diuinæ prouidentiæ pertinere videtur; vt Deus illud mediũ non prætermitteret, quod in ordine ad finem intentũ erat magis proportionatum; præsertim cùm ex illo nullum sequeretur inconueniens: sicut in humanis ad sapientiam eligentis media ad finem spectat, illud medium non prætermittere, quo finem intentum faciliùs, & meliùs consequeretur. Secunda consequentia probatur. Incarnatio excedit reliqua obiecta illius primę volitionis, quantùm ad proportionem, quã vnumquodq; eorum habet in ordine ad finem intentum; nempe, ad manifestationem Diuinæ perfectionis: ergo illa prima volitio terminata fuit ad incarnationem, vt ad medium proximius fini principaliter intento; & sic vt ad id, quod in genere causæ finalis erat prius. Patet ista cõsequentia: nam cùm plura media ad eundem finem simul ordinantur, illud dicitur priùs volitum in genere causæ finalis, quod est fini proximius.

61 Confirmatur Primò: quia tam ex parte Dei, quàm ex parte vniuersi, prout omnia continet, quæ terminum adæquatum primæ volitionis condendi creaturas, constituunt, decebat: vt Incarnatio per eandem volitionem esset volita, vt finis aliorum operum Dei: ergo re ipsa ita fuit volita. Consequentia patet: quia licèt Deo sit liberum id non efficere, quod ex parte obiecti est decentius: nihilominùs re ipsa semper facit, aut vult res, sicut ex parte ipsarum magis decet. Antecedens probatur quoad singulas partes. Et primò, quòd ex parte Dei magis decuerit, Incarnationem fuisse volitam per illam primam volitionem, probatur ratione D. Thomæ, art. 1. huius quæstionis; nam quod est Diuinæ naturæ consonantius secundùm propriam rationem, est decentius, & conuenientius ex parte Dei: sed Deum per Incarnationem seipsum creaturis communicare, est Diuinæ naturæ consonantius, quàm non se communicare: ergo etiam ex parte Dei est magis decens, & conueniens. Probatur ista maior: quia Deus secundùm suam naturam, & essentiam est ipsum summum bonum, naturæ autem summi boni est consonum se summo modo communicare: summus verò modus, quo Deus creaturis se communicare potuit, est per Vnionem hypostaticam. Quòd autem ex parte vniuersi fuerit etiam magis decens, probatur ratione ei simili, qua D. Thomas vtitur. 1. p. q. 50. art. 1. ad probandum, in hoc vniuerso substantias omninò immateriales esse productas: quia quod vniuersum omnes rerum gradus contineat, non solum secundùm ordinem naturæ, verùm etiam secundùm ordinem gratiæ, & Vnionis hypostaticæ: requiritur, vt ipsum vniuersum sit absolutè perfectum. ergo est magis decens, & conueniens ex parte ipsius vniuersi, quàm aliquo istorũ gradu carere. Etenim habere id, quod requiritur, vt aliqua res sit absolutè perfecta, est magis decens, & cõueniens ex parte talis rei, quàm eo carere.

62 Dices, non requiri ad ordinem Vnionis hypostaticæ, vt hoc vniuersum sit absolutè, & simpliciter perfectum. Sed contra est; quia hoc vniuersum non ideò sic appellatur, quia omnia, quæ à Deo sunt facta, contineat: aliàs etiam si vnam creaturam tantùm contineret, quia nõ esset alia facta, ita posset appellari: sed quia vniuersa, quæ à Deo fieri potuerunt, comprehendit; non quidem quoàd indiuidua, aut species, vel etiam genera, sed saltem quoàd gradus, & ordines communes entis creabilis. Ergo vt sit simpliciter perfectum in ratione vniuersi, requiritur, vt omnes rerum gradus, & ordines, qui à Deo fieri possunt, contineat, ac proindè ordinem Vnionis hypostaticæ. Nec sat est dicere, ordinem Vnionis hypostaticæ rebus creatis non esse debitum, quia etiam ordo gratiæ ordini naturæ non debetur, & tamen si vniuersum solùm constaret ordine naturæ, & ordine gratiæ careret, non esset simpliciter perfectum.

Denique probatur vltima pars antecedentis, nempe, quòd per illam volitionem fuerit Incarnatio volita, vt finis reliquorum operum Dei: quia maximum bonũ vniuersi est ordo suarum partium inter se, vt omnes Theologi, & Philosophi fatentur, aliàs enim, esset veluti aceruus quidam confusus: ergo per illam primã volitionem, qua huius vniuersi quoàd omnes eius partes creatio fuit volita: fuit etiam volitum in eo hoc bonum, quod est suarum partium inter se ordo. Tunc vltra. Ergo volitum est, quòd partes inter se hunc ordinẽ haberent, quòd minùs perfectæ ad perfectiores, tãquam ad finem, ordinarentur: & ex consequenti quòd ordo naturæ in ordinem gratiæ, vt in finem, ordinaretur: & ordo gratiæ in ordinem Vnionis hypostaticæ. Patet ista cõsequentia: quia credendũ est, Deũ, si aliquẽ ordinem in rebus cõstituit, illũ potiùs cõstituisse, qui naturis rerũ magis cõsonaret. Exigit autem rerũ natura, vt id, quod est minùs perfectũ, ad id, quod est magis perfectũ, ordinetur, illiq; aliqualiter deseruiat. Propter quod Aristoteles asseruit, corporalia omnia ad hominem ordinari; simplicia ad mixta, & insensibilia ad sensibilia. 63

Confirmatur secundò. Per primã volitionẽ, qua fuit volitus à Deo ordo naturæ, fuit etiã volitus ordo gratiæ, & gloriæ, vt finis ordinis naturæ: ergo etiam fuit volitus ordo Vnionis hypostaticæ, vt finis reliquorum ordinum. Antecedens probatur; quia Deus per illam volitionem voluit condere humanam naturam, & illam ad supernaturalem beatitudinẽ ordinare, atq; adeò illi conferre gratiam, & gloriam: quia sicut à parte rei humana natura nunquam habuit statum, in quo in suum finem naturalem tantùm fuisset ordinata, & non in supernaturalem: sic etiam neque in Diuino decreto, aut volitione efficaci. Consequentia autem probatur: quia omnes effectus gratiæ & gloriæ, qui hominibus conceduntur, ordinãtur in Christum, vt in finem; ergo ordinantur ex vi primæ volitionis, qua Deus nobis illos concedere voluit: & ex consequenti ex vi illius primæ volitionis, qua se creaturis voluit communicare secundùm ordinem gratiæ. Patet hæc consequentia: quia ex vi volitionis Diuinæ, qua res habent esse à parte rei, prouenit, quòd in fines, quos à parte rei habent, ordinentur. Antecedens verò huius probationis probatur: tum, quia omnes illi effectus gratiæ, & gloriæ cedunt in honorem, & gloriã Christi: tũ etiam, quia in Tridentino Sess. 6. cap. 7 definitur, Christũ esse causam finalem nostræ iustificationis. Vbi sub nomine iustificationis comprehenduntur omnes dispositiones à prima vocatione. 64

Cõfirmatur tertiò ratione Scoti. Quicũq; ordinatè volens, priùs vult, quæ sunt fini propinquiora, quàm 65

ea,

ea, quæ ab illo magis diſtant: ſed Incarnatio Chriſti eſt propinquior fini, quem habuit Deus, ſcilicet, bonitati ipſius, quàm remedium peccati, imò, & quàm cætera omnia, quæ Deus ab æterno præordinauit: ergo priùs voluit Incarnationẽ Chriſti, quã omnia creata. Dices, maiorẽ intelligi de propinquitate ordine cauſalitatis, & nõ dignitatis; Chriſtũ autem eſſe magis propinquũ vltimo Dei fini, nempe, bonitati ipſius, non cauſalitate, ſed dignitate. Sed contra eſt, quam Chriſtus non ſolùm eſt digniſsimus omnium creaturarum, ſed etiam vniuerſalis ipſarum finis: quæcumq; enim à Deo ordinata ſunt, ſiue ordinis naturalis, ſiue ſupernaturalis, facta ſunt propter Chriſtum: ergo Chriſtus eſt omniũ creaturarum finis; atque adeò vltimo Dei fini non ſolùm dignitate, ſed etiam cauſalitate propinquior. Ex quo colligitur alia ratio: nam finis priùs ratione eſt prædeterminatus, & volitus iis, quæ in ipſum referuntur: ſed Chriſtus fuit finis omnium creaturarum, iuxta illud Pauli. 1. Corint. 3. *Omnia veſtra ſunt, vos autẽ Chriſti, Chriſtus autem Dei:* ergo priùs ratione fuit à Deo prædeterminatus, & volitus, quàm cætera omnia creata.

66 Quintò. Prædeſtinatio Chriſti præceſsit noſtro intelligendi more in Deo cognitionem certam, & infallibilem peccati originalis: ergo Chriſti prædeſtinatio intelligitur cõpleta in Deo, ſine vllo ordine ad peccatũ hominũ, vt certò futurũ; & ex conſequenti intelligitur vt efficax ad hoc, vt in tempore ei reſponderet executio, ſiue peccatũ eſſet futurũ, ſiue non. Cõſequentia eſt nota, & probatur antecedens. Prædeſtinatio hominum præceſsit illam peccati cognitionem: ergo etiam prædeſtinatio Chriſti. Patet conſequentia: quia Chriſti prędeſtinatio eſt cauſa exemplaris, & finalis prædeſtinationis hominum, vt quantùm ad exemplarem cauſalitatẽ docet D. Tho. infra q. 24. art. 3. ex Aug. lib. de Prædeſt. Sanctorũ, cap. 5. Et probat ex illo ad Rom. 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit, conformes fieri imaginis Filij ſui.* Et quantùm ad cauſalitatem finalem conſtat ex ſupradictis. & ex illo ad Epheſ. 1. *Prędeſtinauit nos in adoptionem Filiorũ per Ieſum Chriſtum, in ipſum.* Vbi particula, Per, cauſalitatem meritoriã importat; & particula, In, finalem. Antecedens verò huius probationis probatur: quia priùs intelligimus, Deum ordinaſſe homines ad gratiam, & gloriã; quàm cognouiſſe certò, & infallibiliter ipſos peccaturos; quoniam hæc ordinatio pertinet ad primã volitionem creandi ipſos homines; ſiquidem affirmari non poteſt, Deum priùs voluiſſe creare homines, ordinando eos tantùm ad finem naturalem; & poſtea cognito eorum peccato eos in finem ſupernaturalem ordinaſſe. Volitio etiam condendi homines præceſsit procul dubiò cognitionẽ certam peccati ipſorũ, ſicut natura hominum in omni genere cauſæ præſupponebatur peccato.

67 Dices, illã hominũ ordinationem in gratiã, & gloriã, nõ fuiſſe prædeſtinationem, ſed tantùm volũtatem quandã, quaſi generalem ordinandi homines in beatitudinem ſupernaturalem, & cõferendi eis auxilia ſufficientia, quibus eã cõſequi poſſent. Sed contra eſt. Vel ex vi illius generalis voluntatis, quę cognitionem peccati præceſsit, nõ habendo noſtro intelligendi more nouũ, aut efficaciorem modũ ordinandi homines in beatitudinem, poſſent aliqui homines re ipſa ſaluari, aut nulli: ſi dicatur primũ, ſequitur, quòd illa voluntas, ſaltẽ reſpectu eorum, qui beatitudinem conſequerentur, eſſet prædeſtinatio. Si verò dicatur ſecundũ, ſequitur, Deum cũ hominibus ante peccatũ, & in ſtatu innocentiæ nõ fuiſſe vſum perfecta prouidentia in ordine ad finem ſupernaturalem; quia ea prouidentia nõ erat ſufficiens, vt finem hunc re ipſa conſequerentur. Idem etiã argumentum fieri poteſt de illa voluntate generali, quod de prædeſtinatione eſt factũ; tũ, quia ſi Chriſti prædeſtinatio præceſsit in genere cauſæ exemplaris, & finalis hominũ prædeſtinationẽ, nulla poterit aſsignari ratio, propter quã eodem modo illam volũtatem generalem nõ præceſſerit. Tum etiam, quia effectus illius volũtatis generalis præſupponit Chriſtũ, tãquàm cauſam finalem, & meritoriã, vt patet in gratia iuſtificãte, & auxilijs ſupernaturalibus, quæ in hac vita reprobis cõcedũtur: ergo etiã ipſa volũtas Dei pręſupponit ſecũdùm rationẽ prędeſtinationẽ Chri: quia talis eſt ordo ſecũdũ rationẽ inter actus Dei, qualis eſt ſecũdũ rẽ inter eorũ obiecta.

Confirmatur. Si Chriſti prædeſtinatio noſtro intel- 68
ligendi modo non præceſsit cognitionem certam, & infallibilem peccati originalis, ergo fuit illa poſterior. Sed hoc affirmari nõ poteſt: & probatur. Vel peccatum originale in illo inſtanti rationis fuit cognitum ſcientia viſionis, qua videretur vt pręſens ſaltem in æternitate: vel ſcientia ſimplicis intelligentiæ, qua vt poſsibile cognoſceretur, vel alio genere ſcientiæ, quo vt certũ, & infallibiliter futurũ cognoſceretur. Si dicatur primũ, ſequitur, antè prædeſtinationem Chriſti fuiſſe viſum peccatũ originale, vt exiſtens in hominibus, eoſq; in particulari inficiens. Patet Sequella. Scientia viſionis terminatur ad obiectum, vt exiſtit à parte rei: ſed originale peccatũ nũquàm habuit, neq; habiturum eſt exiſtentiã à parte rei ſeparatum ab hominibus, ſed in eis. ergo tantùm potuit cognoſci per ſcientiam viſionis vt exiſtens in hominibus ſingularibus. Ex hoc autem deducitur, Beatiſsimã Virginem fuiſſe in eodem inſtãti viſam cũ peccato originali, quod ab omnibus cõmuniter reputatur falſum. Probatur autem iſta Sequella. Vel in illo inſtanti, quo peccatũ originale fuit viſum, vt exiſtens in hominibus in particulari, fuit etiam in Virgine viſum, & ſic habetur intentum: vel non: hoc vero affirmari non poteſt; quia illud inſtans prædeſtinationem Chriſti præceſsit, & ex conſequenti ſuorũ meritorũ cognitionem, propter quæ Beatiſsima Virgo à peccato præſeruari potuiſſet. Si verò dicatur ſecũdum, ſequitur, Chriſtum non fuiſſe prædeſtinatum in remediũ peccati, vt certò futuri, ſed vt poſsibilis; & ex conſequenti etiam ſi peccatũ non eſſet, mandaretur executioni prędeſtinatio Chriſti. Si tandem dicatur tertium, obſtant duo. Primum eſt, illam ſcientiam fortè nõ eſſe poſsibilem, quia niſi peccatũ originale in ſeipſo videretur, vt certò futurum, cognoſci non poſſet, niſi aut ex vi prædefinitionis Diuinæ voluntatis, ſaltem quoad materiale peccati; quæ ſanè prædefinitio Diuinæ bonitati repugnare videtur, ſiue quoad formale, ſiue quoad materiale. Aut ex vi permiſsionis Diuinæ circa idem peccatum, & hoc ſimiliter dici non poteſt, quia exiſtentia, aut futuritio peccati non habet infallibilem connexionem cum eius permiſsione: ſiquidem poſita etiam eius permiſsione, & in ſenſu compoſito manet voluntas creata indifferens ad peccandum, & non peccãdum;

licèt ex permissione, & hominis fragilitate in statu naturæ lapsæ peccatum infallibiliter sequatur. Alterum est, quod licèt talis scientia esset possibilis, non ordinaretur Incarnatio in remedium peccati, vt per eam cognitis; quod sic probatur. Non sufficeret cognosci isto modo peccatum, vt futurum, ad hoc, vt homo maneret subiectus alicui pœnæ, aut alicui debito: ergo neq; ad hoc, vt in eius remedium Incarnatio, prout includens Redemptionem, aut Satisfactionem, ordinaretur.

69 Sextò. Deus priùs ordine rationis, quàm videret peccatum ab homine commissum, vidit reuelationem ipsi factam de futuro Incarnationis mysterio: ergo priùs ordine rationis infallibile fuit apud Deum, futurum esse mysterium Incarnationis, quàm esse futurum hominum peccatum, & ex consequenti foret Incarnatio, tametsi nullum esset peccatum. Antecedens probatur: quia in tempore illa reuelatio præcessit peccatum, vt constat ex D. Thoma. 2. 2. q. 2. art. 7. de Fide Christi, quam habuit Adamus ante peccatum, & ex eo, quod ibi, & hic ad quintũ expresse docet, hoc mysterium fuisse primo parenti reuelatum antè peccatum, licèt eius causa nõ fuerit reuelata: iuxta illud Pauli ad Ephes. 5. Vbi referens Verba, quæ Adamus antè peccatum dixit, Genes. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis, &c.* Subdit. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Ergo etiã in visione Dei fuit prior illa reuelatio, quàm Adæ peccatum. Probatur ista consequentia: quia illa reuelatio in tempore peccatum Adami præcessit, ergo etiam in æternitate; & ex consequenti in ratione obiecti Diuinæ visionis. Hæc secunda cõsequentia patet; quia res habent, quòd sint obiecta Diuinæ visionis, quatenùs sunt in æternitate præsentes ergo eo ordine, quo sunt præsentes in æternitate, sunt Diuinæ visionis obiecta. Prima autem probatur. tum, quia licèt æternitas formaliter sit tota simul, & successione careat, nihilominùs virtualiter habet partes, & successionem per correspodentiã ad tempus; & ita dicitur priùs coexistere tempori præsenti, quàm futuro. ergo similiter prius est in ipsa, quod est in tempore præsenti, quàm quod erit in futuro. Tum etiam, quia vt res sint præsentes in æternitate, præsupponitur, quòd habeant existentiam in aliqua temporis differentia: ergo id, quod in tempore habet priùs esse, etiam in æternitate est prius.

Tertia Opinio. §. IIII.

70 EST tertia aliorũ sententia, quæ docet, Christum fuisse primum omnium prædestinatorũ, decretumque prædestinationis illius antecessisse decretum creationis vtriusque ordinis, & naturæ & gratiæ: nihilominùs decretum Incarnationis Christi depēdisse quoad exequutionem ab vtroquè ordine; quæ dependentia intrinsecè claudebatur in decreto prædestinationis Christi, vt se tenet ex parte exequutionis, non verò ex parte intentionis. Itaque iuxta istã sententiam licet in intentione Dei prędestinatio Christi sit prior præuisione peccati, neque in decreto Incarnationis Christi fuerit explicita humani generis Redemptio; nihilominùs ex vi illius decreti non veniret Christus, non existente peccato: quia posita hac hypothesi, vel conditione, necessariò tollitur illud decretum, quoniam licet sit prius, includit tamen aliquid, ratione cuius habet intrinsecam connexionem cum posteriori, id est, cum permissione, & præuisione peccati; à quo in exequutione dependet. Est simile. Sicut Deus priùs ratione eligit prædestinatum ad gloriam, quàm velit, vel videat eius merita, & tamen ita vult illi gloriam, vt non velit eam habere sine meritis; vt sit verum dicere, talem hominem non habiturum gloriam, nisi habeat merita: ita similiter Christi prædestinatio est prior præuisione peccati, nihilominùs exequutioni non mandaretur, nisi esset peccatum.

Confirmatur, quia licèt aliquid sit prius in genere causæ finalis, vel exemplaris, potest tamen à posteriori dependere, vel tanquam ab efficiente, vel tanquam à medio necessario, vel tanquam à modo, seu conditione, sine qua res esse non potest. Sic etiã in proposito dicendum est. Prædestinatio Christi, & ordo Vnionis hypostaticæ, prior est in intentione Dei, vtroque ordine, & naturæ, & gratiæ, & præuisione peccati. Verùmtamen quòad executionem dependebat ex vtroque illo ordine, tanquam à medio, ad ipsam Verbi Incarnationem destinato. Et similiter ab originali peccato habuit dependentiam, quatenùs Deus liberæ suæ volũtatis cõsilio voluit res ita disponere, & ordinare. 71

Confirmatur prætereà: nam Christus in genere causæ finalis & exemplaris priùs est in intentione, & voluntate Dei, quàm alij homines, & Angeli, vel totum etiam vniuersum, & tamen nõ sequitur, Christum esse venturum, etiam si homines, vel Angeli, vel aliæ creaturæ non fuissent, quia ita est in vno genere priùs volitus, quàm illæ, vt tamen alia ratione sit volitus, etiam vt coniunctus cum illis ita vt eius prædestinatio quandam habeat connexionem cum cæteris rebus, quia nõ erat Christus prædestinandus, vt esset solus. Eodem modo dicendum est de prædestinatione Christi, & permissione peccati, quod licèt priùs fuerit præordinata, non tamen vt futura sine permissione peccati: quemadmodùm etsi artifex priùs in genere causæ finalis præordinauerit superpositionem tecti in aliqua fabricanda domo, nihil cogitans de fundamentis & parietibus: nõ tamen superponet tectum in exequutione, nisi iactis fundamentis, & erectis parietibus. 72

Vnde iuxta istam sententiam postquàm Deus scientia simplicis intelligentiæ cognouit illum triplicem ordinem, quo se creaturis poterat communicare, in primo signo rationis practicæ decreuit se Vnione hypostatica communicare, in quo signo nulla fuit facta mentio peccati, aut remedij eius, imo neque alicuius creaturæ producendæ. In secundo signo statuit Deus vtroque ordine naturæ, & gratiæ se communicare, atque adeò hoc totum vniuersum condere decreuit, cũ omnibus perfectionibus naturæ & gratiæ, quibus de facto fuit productum: ipsumq; ad Christum tanquam ad finem retulit. In tertio signo vidit Deus creaturam rationalem colapsam, & originali culpa infectam; & tandem in quarto signo explicitè destinauit Christum in Redemptorem naturæ lapsæ. Constat autem ex hac sententia, Redemptionem generis humani non fuisse Deo primarium motiuũ intendendi Incarnationem; fuisse tamen primarium motiuum illam exequendi: vt sacrificium Samuelis fuit motiuum exequendi profectionem in Bethleem, iam destinatam à Deo ad vnctionem Dauidis in Regem. 73

Hæc

Digitized by Google

74 Hæc sententia placet multis recentioribus Thomistis, & putant esse D. Thomæ in Responsione ad. 4. huius articuli: & pro maiori illius intelligentia aduertunt, quòd licèt ordo rationis secundùm prius & posterius in actibus Diuinis sumatur ex ordine reali, qui in rebus inuenitur, ad quas terminantur; non tamen potest sumi ex ordine executionis rerum, neque etiam ex ordine temporis, & subsistentiæ; quia iste ordo est idem cũ ordine executionis rerum. Quare necessariò sumendus est ex ordine causalitatis, quoniam authore Aristotele in postprædicamentis cap. de Priori, nullum est aliud genus Prioris in rebus. Nihilominùs ex ordine causæ materialis desumi non potest, quia is ordo est etiam executionis, & ideo sumendus est ex ordine causalitatis, vel efficientis, vel exemplaris, aut finalis, qui in rebus secundùm rem inuenitur.

75 Vnde colligunt authores huius sententiæ, nunquam asserendum esse, Deum velle, seu videre aliquod obiectum, priùsquàm aliud, nisi illud habeat rationem alicuius causæ istarum respectu alterius. Et quia præuisio peccati originalis non est causa prædestinationis, siue Incarnationis Christi, sicuti neque nostræ, quia neque nos, neque Christus prædestinati sumus ex peccato Adæ, seu ex præuisione illius, quamuis non sine eius præuisione: ideò absolutè, & simpliciter loquendo, non est dicendum, peccati præuisionem in Diuina ordinatione antecessisse prædestinationem Christi.

76 Colligunt secundò, prædestinationem Christi secundùm ordinem intẽtionis præcessisse præuisionem peccati originalis, si attendatur ordo rationis, qui in actibus Diuinis est secundùm causalitatem finalem: nam cùm Deus ab æterno instar sapientissimi artificis omnia ordinauerit, quæ in tempore operatus est, imaginari oportet, id, quod primò voluit, ex quo cætera creata fuerunt volita, fuisse manifestationem suæ gloriæ, potentiæ, sapientiæ, & bonitatis, suam perfectionem rebus creatis communicando. Et quia gloria Dei per Incarnationem maxime illustratur, cùm nequeat Deus magis, quàm hoc modo se creaturis communicare; ideò secundò Verbi Incarnationem voluit. Et quia gloria Dei similiter manifestatur Diuinitatis suæ participatione, ideò tertiò voluit hominum & Angelorum gloriam. Et quia hæc omnia voluit, etiam voluit omnia, quæ ad huiusmodi fines præsupponuntur, & sunt necessaria, tam naturalia, quàm supranaturalia, tam defectus naturales, & permissionem peccati, quàm omnium rerum perfectiones. Ecce quo pacto secundùm ordinem causæ finalis priùs fuerit intenta à Deo Verbi Incarnatio, quàm præuisum peccatum originale: quod ex eo maximè confirmatur, quòd secundum fidem Catholicam in Concilio Tridentino definitam sess. 6. cap. 7. Incarnatio Christi est finis reparationis humanæ, atque adeò secundùm hanc rationem est prior in Diuina intentione, quàm reparatio nostra, & quàm præuisio peccati, à quo reparamur.

77 Secundò aduertunt authores huius sententiæ, eundem ordinem causalitatis rationis, qui in actibus Diuinæ voluntatis inuenitur, seruandum esse in actibus Diuini intellectus, siue sint visionis, siue intelligẽtiæ simplicis: esseq; duntaxat differentiam, quòd isti duo actus intellectus Diuini solùm distinguuntur ratione in ordine ad Diuinam voluntatem, nam actus Diuini intellectus dicitur visio, prout secundùm rationem sequitur Diuinæ voluntatis determinationem; quia visio est rei præsentis, vt sic, & res habet, quòd sit præsens in æternitate pro temporis differentia, qua futura est per determinationem voluntatis: at idèmet actus Diuini intellectus, prout ratione antecedit determinationem Diuinæ volũtatis, est simplex intelligentia. Ita enim existimandum est habere se huiusmodi actus Diuini intellectus secũdùm rationem, sicut se habent in nobis secundùm rem, cùm aliquid ordinatè facere volumus. Tunc enim præcedit iudicium rei faciendæ, deinde sequitur electio voluntatis, posteà imperium intellectui practici, atque adeò rei factæ visio. Eodem etiam modo intelligendum est in Deo prouenire: quamuis sit differentia, quòd in nobis visio rei factæ est posterior tempore electione voluntatis, in Deo autem simul, quia omnes res sunt sibi simul præsentes in æternitate. Cæterùm sicut in nobis iudicium præcedens electionem non est visio, quia non est rei præsentis, sed faciendæ: sic etiam in Deo illud iudicium ratione præcedens electionem, non est visio, sed simplex intelligentia.

Tertiò obseruant: quòd licèt ista prioritas rationis 78
in actibus Diuini intellectus constituatur, ita vt vnus altero sit prior causalitate rationis, nunquam tamen intelligendum est, vnum posse esse sine altero. Itaque ista prioritas non ita se habet, vt ille actus, qui est prior, intelligatur esse etiam in illo priori sine actu posteriori etiam per nostram considerationem: sed quamuis actus posterior causalitate rationis sit talis, semper comitatur priorem, & cum illo simul est subsistendi consequentia; & ideò licèt Deus primò omnium Christi Incarnationem voluerit, vtpote fini vltimo propinquiorem: tamen adhuc in illo priori non voluit eam esse sine nostra prædestinatione; neque sine permissione peccati, & omnibus alijs, quæ ad ista prærequiruntur, atque adeò neque sine præuisione omnium futurorum. Quòd autem in Diuinis actibus secundùm hãc rationis prioritatem stet simultas eorũdẽ actuum, probatur, & declaratur. Primò. Res ipsæ, ad quas Diuini actus terminantur, ita se habent in æternitate, vt re vera ibi ordinem causalitatis habeant; nam vna in rei veritate est causa alterius, & vt sic prior; & tamen prout in æternitate, vna non est sine altera: ergo eodem modo, quamuis vnus actus Diuinus sit altero prior ratione, tamen neque est, neque esse potest sine altero posteriori. Secundò, quia Deus ad manifestationem suę gloriæ voluit, & intendit facere vniuersum, prout constat rebus, tam naturalibus, quàm supranaturalibus, quia hoc medium erat conuenientius ad finem intentum. Et quamuis secundùm hanc intentionem vniuersum 79
sit prius, quàm partes, & inter partes illæ sint priores, quæ nobiliores sunt: tamèn, quia totum nequit esse, neque intelligi sine partibus; ideò sicut cum prioritate istarum partium inter se stat simultas earundem, prout conficiunt totum; sic etiam cum prioritate actuum Diuinorum, quæ ex his partibus sumitur, stat simultas eorundem actuum, prout Deus intendit & eligit totum vniuersum ad suæ gloriæ manifestationem. Item in rebus naturalibus inter causam actu operantem, & suum effectum est prioritas secundum naturam; quia causa, dum operatur, causa est, & vt sic prior natura suo effectu, est etiam simultas, quia vt sic necessariam habent

 bent

bent connexionem. Nihilominùs in Diuinis actibus secundùm rei veritatem, licèt vnus non sit causa alterius; secundùm tamen nostrum intelligendi morem, vnus intelligitur vt ratio alterius actus ergo vt sic necessaria est connexio prioris cum posteriori, & è contra. Quare cum hac prioritate ex causalitate rationis bene stat, vnum neque esse, neque intelligi posse sine altero. Quò fit, vt huiusmodi prioritas in Diuinis actibus reperta, non sit prioritas in quo, sed à quo; quia secundùm rem, neque secundùm intellectum non est vnus, quādo non est alius, licèt vnus sit ad alium.

80 Ex hac sententia infertur, simpliciter loquendo prædestinationem Christi esse priorem secundùm rationem in ordinatione Diuina, quàm sit præuisio peccati originalis, ex cuius præuisione non est talis prædestinatio Christi: sed quia non est sine præuisione peccati; non sequitur Christum futurum secluso peccato: sicut prædestinatio & reprobatio hominum non est ex præuisione bonorum operum, aut peccati, quia nos nullo modo sumus causa prædestinationis, aut reprobationis nostræ: sed quia ista prædestinatio, & reprobatio non est sine præuisione operum, & libertatis nostræ; qua finaliter assentimur, vel dissentimur Deo auxilianti: ideò non est huiusmodi prædestinatio, & reprobatio seclusis nostris operibus. Item certum est, prius ratione Deum voluisse facere hominem, quàm elementa, atque adeò posteriùs ratione præuisa sunt fore elementa, quàm homo. Ex hoc tamen non sequitur futurum esse hominem seclusis elementis; & hoc non ob aliud, nisi quia non sine præuisione elementorum à Deo statutum est hominem fore. Ad eūdem ergo modum dicendum est, licèt prædestinatio Christi simpliciter loquendo, sit prior præuisione peccati originalis; non tamen inde sequi, Christum esse futurum, si non extaret peccatum, quia decretum est, ipsum fore cum præuisione peccati.

81 Sed contra hanc doctrinam est argumentum Caietani in hoc articulo. Prouidentia rerum naturalium est prior in Deo, quàm prædestinatio, quæ est rerum supernaturalium; ergo præuisio rerum naturalium præsupponitur prædestinationi, siue Christi, siue nostræ, ergo similiter præuisio peccati, cùm ad res naturales pertineat: atque adeò falsum est, prædestinationem Christi non supponi à præuisione peccati. Respondent authores huius sententiæ, prouidentiam habere se ad prædestinationem, & reprobationem, sicut genus ad speciem, & non sicut speciem imperfectam condistinctam contra perfectam; & ideò nullam esse in Deo prouidentiam secundùm absolutam voluntatem, quæ non sit prædestinatio, vel reprobatio: sicut nulla est absoluta voluntas faciendi genus, quæ non sit faciendi speciem. Et ob id non oportet, præuisionem rerum naturalium præsupponi prædestinationi, vel reprobationi: quia etiam ipsæ res naturales factæ sunt per prædestinationem, vel reprobationem, & non per aliam prouidentiam ab his distinctam. Itaque bene posset Deus omnes res naturales efficere, & eas in suos fines naturales ordinare, per quandam prouidentiam, quæ non esset prædestinatio, vel reprobatio, si noluisset creaturam rationalem in finem supernaturalem ordinare: at supposito id voluisse, omnia futura, siue naturalia, siue supernaturalia facta sunt per prædestinationem, vel reprobationem, quia omnia propter creaturam rationalem facta sunt.

82 Vnde sequitur, illam distinctionem Caietani de futuris factis per prædestinationem, vel non factis, sed duntaxat ordinatis, locum non habere; quia omnia facta sunt per nostram prædestinationem, iuxta istam sententiam; nostra verò prædestinatio per Christi prædestinationem, ita vt intelligamus Deum voluisse hæc omnia sensibilia facere, quia voluit facere hominem: voluisse verò hominem efficere, quia voluit esse Christum. Quam rem videtur Paulus docere 1. Corint. 3. vbi cum electis loquens, ait, *Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura, omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus verò Dei.* Solet autem aliquid dici suum respectu alterius, quādo est gratia illius. Et ita Paulus hoc testimonio docet, finem Christi esse Deum, Christum verò esse finem electorum, electos autem esse finem omnium aliarum rerum. Sicut igitur tota ratio, quòd sit Christus, est Deus; & tota ratio, quòd sint electi, est Christus: sic etiam tota ratio, quòd sint omnia futura, siue naturalia, siue supernaturalia sunt electi, atque adeò omnia fiunt per prædestinationem, qua electi ordinantur in vitam æternam, & non postquàm facta sunt, in electos ordinantur.

83 Cæterùm si authoribus huius sententiæ opponamus D. Thom. in Respons. ad quartum vbi ait, præscientiam futurorum præsupponi prædestinationi, sicut oratio alicuius hominis, per quam alterius prædestinatio adimpletur, præsupponitur illi prædestinationi: ac proinde falsum esse dicere, omnia futura fieri per prædestinationem, aliàs enim eorum præscientia non præsupponeretur. Respondent, propositionem D. Thomæ posse intelligi, & de scientia simplicis intelligentiæ, & de scientia visionis. Si intelligatur de scientia simplicis intelligentiæ, inquiunt, verissima est, vniuersaliter intellecta de omnibus futuris: primò, quia in ordinatione artificis prius est iudicium, quo aliquid esse agendum iudicat, quàm quòd illud eligat & præcipiat. At in Deo, hoc iudicium, prout ratione antecedit electionem voluntatis, & præceptum intellectus practici, in quibus prædestinatio consistit, est simplex intelligentia: quia non est rei præsentis, vt præsens est. Secundò, quia sic facilè soluitur argumentum D. Thomæ: contendebat enim, futurum esse Christum secluso peccato: quia prædestinatio Christi est æterna, peccatum verò temporale: & Respondet, quòd licèt peccatum sit temporale, illa verò scientia simplicis intelligentiæ, qua præuidetur à Deo ante Christi prædestinationem, est æterna, sicut est ipsa Christi prædestinatio: atque adeò potuerunt inter se connexionem habere, ita vt vnum sine altero non sit.

84 Si autem objiciatur, quòd illam notitiam Dei appellat D. Thomas præscientiam futurorum, sed futura non cognoscuntur à Deo simplici intelligentia: quin potiùs visione; cùm illa sit tantùm rei possibilis, secundùm quod abstrahit ab esse, & non esse: ergo non loquitur de hac scientia. Respondetur: illud iudiciū posse appellari (& de facto appellatur) præscientiam: quia ratione præcedit ipsas res, etiam vt sunt in æternitate. Similiter potest etiam appellari futurorū præscientia, non

Digitized by Google

non quòd res sint futuræ per huiusmodi cognitionem; sed quia statim sequitur istam cognitionem determinatio Diuinæ voluntatis, per quas res habent, quòd sint futuræ.

85 Si verò propositio D. Thomæ de scientia visionis intelligatur, est etiam vera, & à D. Thoma magis intenta, vt ex eius exemplo constat. Loquitur autem D. Thomas hoc loco de prædestinatione, quantùm ad exequutionem, & sic prædestinatio potest ordinari tanquàm ad finem proximum ad aliquod medium, per quod ad impletur: sic enim nostra prædestinatio ordinatur ad gratiam, & prædestinatio Christi in reparationem generis humani: & ideò in hoc genere, in quo illud medium secundùm exequutionem est finis prædestinationis, dicitur, & est illud medium præuisum à Deo antè prædestinationem. Et hac ratione asserit D. Thomas, orationes Stephani fuisse præuisas à Deo, antequàm Paulus prædestinaretur. Simpliciter tamen loquendo dicendum est, prædestinationem semper esse priorem præuisione cuiuscumque effectus illius; quia prædestinationem secũdùm rationem sequitur in Deo scientia visionis.

Quarta Opinio. §. V.

86 Magister Suarez in Commentario ad hunc articulũ Disput. 5. sect. 2. 3. 4. & 5. Scoti sententiam amplectitur, multisq; amplificat, dicens decretũ prædestinationis Christi ordine rationis antecessisse præuisionem peccati originalis, atque adeò ex vi illius decreti venturum esse Christum, etiam si nullum extaret peccatum: quia existimat, primam rationem, quæ Diuinam voluntatem inclinauit ad volendam Incarnationem, fuisse ipsius mysterij excellẽtiam, & alia bona, quæ Ipsum per se cõsequuntur absque occasione, vel remedio peccati. Remedium verò peccati, siue Redemptionem nostram fuisse etiam rationem mouentem, & inclinantem Diuinam voluntatem ad volendam Incarnationem quòad substantiã, & quòad modum, licèt hæc non fuerit prima, sed secunda ratio
87 ordine intentionis. Vt autem explicet hanc suam sententiam, animaduertit Suarez sect. 4. duplicem posse esse causam, quæ ad aliquid efficiendum operantem inducat. Altera est motiua, & altera impulsiua. Illa dicitur causa motiua, propter quam primò intelligitur agens determinatum ad operandum. Illa verò dicitur Impulsiua, quæ agens iam determinatum ad operandum, vel magis determinat ad idem opus præstandum, vel vt præstet aliquo excellentiori, aut vehementiori modo. Adhibetur autem exemplum. Siquis habeat propositum vehemens adeundi Romam propter aliquod cõmodum proprium, postea verò sciat amici, vel filij necessitatem, & ægritudinem, & tunc libentiùs adit Romam, vt infirmum visites: in hoc casu visitatio infirmi non fuit illi homini motiua causa Romam eundi, quia iam paratus erat illùc adire propter instans negotium; sed fuit impulsiua, & potest dici motiua secundùm quid, nempe, respectu illius effectus, qui est infirmum visitare.

88 Secundò obseruat Suarez, duplicem esse causam motiuam, alteram adæquatam, & quasi totalem, alteram verò inadæquatam, & partialem. Illa dicitur adæquata, & totalis, quæ sola est sufficiens ad mouendũ agentem, vt operetur, & illa sublata nulla sufficiat. Illa verò est inadæquata, & partialis, quæ ita mouet agentem ad operandum, vt illa sublata, possit alia causa remanere, quæ sit sufficiens ad mouendum agentem ad operandum, vt in exemplo posito, si ille homo propter vtramque causam adiret Romam, ita vt vtramque tanquàm sufficientem assumeret, taliter vt sola causa visitandi amicum, etiam si alia non extaret, esset illi sufficiens causa motiua ad tale iter agendum, & similiter negotium tractandum, quamuis de infirmo nihil sciret, esset sufficiens causa iter illud faciendi, tunc illæ duæ causæ, quæ seorsum sufficerent, concurrunt simul, & vtraque, vt sufficiens, & quasi totalis.

His positis, asserit M. Suarez, remedium peccati non 89
fuisse Deo primam rationem, & motiuum sufficiens Incarnationis, sed Deum priùs ratione decreuisse incarnari abstrahẽdo à carne passibili, vel impassibili propter intrinsecas cõuenientias Incarnationis. In quo conuenit Suarez cum Scoto: addit tamen remedium peccati fuisse non solùm causam impulsiuam, sed etiam motiuam, & per se inclinantem voluntatem Diuinam ad volendam Incarnationem, quòad substantiam, & quòad modum in carne passibili: fuisseq; adæquatam, & totalem causam, & præcipuum motiuum, propter quod Deus ipsam substantiam Incarnationis intenderit, ita vt ex vi illius, quamuis per intellectum præscindatur omnis alia ratio, quæ Deum ad Incarnandum mouerit, Incarnatio futura esset: hac tamen sublata nõ tolleretur Incarnatio; quia est alia causa prior, nempe, excellentia ipsius mysterij, à qua reliquæ omnes dependent, illa verò ab omnibus alijs est independens. Itaque 90
ob duplicem rationẽ sufficientem docet Suarez, Deum Incarnationem intendisse. Primò quidem, propter intrinsecam Incarnationis bonitatem; secundò, propter Redemptionem generis humani. Neque reputat inconueniens, duplicem rationem adæquatam eiusdem decreti constituere; id enim in humanis sæpiùs etiam contingit, nam propter nouam rationem, quæ post aliquod decretum nobis occurrit, ita eidem decreto adhæremus, vt quamuis secundo loco accesserit: adhuc tamen firmiùs propter illam, quàm propter præcedentes adhæreamus, vt patet in exemplo posito. Etenim ille homo, qui Romam adire decreuerat, sciens posteà infirmitatem amici, ita priorem sententiam adeundi Romam confirmat: vt multò firmiùs illi, quàm anteà, adhæreat. Ad eundem modum quamuis ob mundi amorem, & ad ostendendas gratiæ suæ diuitias, priùs Deus Incarnari decreuerit: postquàm tamen in secundo instanti rationis, primum hominem in peccatum lapsum vidit, & in eo totam corruisse naturam, & ab vltimo fine defecisse: ita decreto Incarnationis iam constituto adhæsit, vt nostro intelligendi more vehementiùs illi adhæserit, illiq; addiderit, passibilem carnem assumere, vt sic meliùs hominem à peccato liberaret, & ab inimicis redimeret. Concludit tandem Sua- 91
rez, causam motiuam sufficientem, & adæquatam volendi Incarnationem, non fuisse vnicam tantùm, sed plures, non tantùm partiales, & quasi constituentes vnã adæquatam causam motiuam: sed totales, & per se sufficientes. Vnde Redemptionem à peccato ait sufficientem causam fuisse, vt propter eam solam Deus hoc mysterium vellet, & similiter esse alias causas, per se sufficientes,

sufficientes,quarum potissimæ sunt, quæ ad sanctificationem hominum & Angelorum ex perfecta iustitia pertinent, & ad exaltationem totius vniuersi, quæ in Christo facta est. Multis rationibus confirmat Suarez hāc suā opinionē sectione secūda,& sequētibus,quæ ferè sunt eædem cum his, quæ in confirmationem sententiæ Scoti propositæ sunt Paragrapho.2.&.3.Præterea non solùm reijcit Suarez conclusionem D. Thomæ, sed eius etiam rationem, vt infirmam, & inualidam euertere conatur, sed hæc omnia simul examinabuntur Paragrapho 15.huius Disputationis.

Quinta Opinio. §.VI.

92 MAGISTER Ioannes Vincentius in relectione q. 6. pag. 683. & sequentibus, asserit, postquam Deus cognitione speculatiua cognouit tres illos modos,quibus se creaturis potuit communicare; statim in primo signo rationis practicæ decreuisse absolutè seipsum illo triplici modo communicare, per modum vnius integræ, & totalis communicationis; sine eo quòd in tali decreto vlla prioritas formaliter intelligatur inter illos tres communicationis modos, licèt implicitè, & virtualiter voluerit Deus,vt vterque ordo & naturæ & gratiæ essent propter vnionem hypostaticam. In qua etiam voluntate implicitè continebatur voluntas permittendi defectus,& peccata circa vtrumque ordinem naturæ & gratiæ, & ex consequenti implicitè continebatur permissio peccati originalis in humana natura. Rursus in illo priori decreto non fuit in particulari definitum, quænam ex tribus Diuinis Personis esset assumptura naturam creatam, Angelicam, vel humanam: sed tantùm quòd Deus seipsum communicaret in vna, vel in alia, aut in tribus Personis vniendo sibi naturam tali vnioni congruam, qualis est natura Angelica, vel humana. Post illud primum decretum incœpit Deus tractare de singulis modis communicationis,& inchoauit ab infimo ordine, nempe naturæ, quia erat aliorum fundamentum,statuitq; totum ordinem creaturarum constituere, in quibus Principem locum tenent creaturæ intellectuales, & rationales. Deinde transiuit ad ordinem gratiæ,& tunc decreuit Angelis gratiam conferre iuxta quantitatem suorum naturalium:& similiter naturam humanam in Adamo totius naturæ capite donis gratuitis exornare.Videns autem Angelum peccantem,& eius peccatum Dæmonis suasione ad hominem transfusum,decreuit per vnionem hypostaticā, vtrumque ordinem & naturæ & gratiæ reparare,& Vnigenitum eius Filium fieri hominem. Et ita in illo postremo rationis signo prædestinatus est Christus, vt esset homo,& hominum Redemptor.

93 Ex hac autem sententia sic explicata sequitur primò, Redemptionem generis humani non fuisse Deo primā rationem, & motiuum vniendi sibi in aliqua Persona ex tribus Trinitatis aliquam naturam intellectualem,siue humanam,siue Angelicam.Ex quo infert Vincentius, Deum non decreuisse communicare se per vnionem hypostaticam ex peculiari hominum amore. Secundò elicit iste author, motiuum huius decreti vnionis hypostaticæ fuisse ipsam intrinsecam bonitatem huius mysterij,& perfectionem totius vniuersi,atque adeò,licèt homo non peccasset, adhuc Deus vniretur hypostaticè, alicui naturæ intellectuali, & ita aduentus Dei in mundum propriam rationem, & motiuum non fuisse Redemptionem generis humani. Infert tertiò: Redemptionem generis humani fuisse Deo primam rationem, & motiuum intendendi Incarnationem Filij sui, quo motiuo cessante, non aduenire Filius Dei in mundum factus homo, & ex consequenti ex peculiari hominum amore intendit Deus Filium suum in mundum mittere, vt genus humanum à peccatis eorum saluum faceret.

Sexta Opinio. §.VII.

EST Aliorum sententia negans Incarnationem Filij Dei prius ratione decretam fuisse abstrahendo à carne passibili, vel impassibili propter intrinsecam excellentiam huius mysterij, & in posteriori signo rationis decretam fuisse à Deo propter Redemptionem generis humani.Secundò asseris in eodem signo rationis Deum incarnari decreuisse, tum propter excellentiam ipsius operis Incarnationis; tum etiam propter remedium peccati: ita tamen hæc duo intenta fuisse à Deo, vt quodlibet ex his motiuis sufficienter, & efficaciter mouerit Deum ad substantiam Incarnationis intendendam: licet ex vi solius prioris motiui,non decreuerit Deus Incarnari in carne passibili,sed ex vi posterioris motiui duntaxat, scilicet, remedij peccati: atque adeò iuxta istam sententiam duæ rationes adæquatæ substantiæ Incarnationis assignantur. 94

Est autem septima aliorum sententia, asserentium adæquatam, sufficientem, & efficacem rationem volendi Incarnationem fuisse Deo tum excellentiam ipsius mysterij; tum etiam Redemptionem generis humani:ita vt quodlibet horum per se non fuerit sufficient, & adæquatum motiuum Incarnationis, sed vtrumque simul per modum vnius. Hæc sententia videtur esse Cyrilli Alexandrini lib. 5. Thesauri cap. 8. Gregorij Nazianzeni oratione. 38. in Natali Domini. Athanasij serm.3.contra Arrium,& lib.de Humanitate Verbi. 95

Vltima sententia est D. Thomæ ex diametro opposita opinioni Scoti, & sectatorum illius, affirmans Filium Dei non esse in carne venturum,nisi existente peccato, ita vt Christus ex vi suæ prædestinationis veniret in mundum ad hominem redimendum. Sequuntur D. Thomam omnes eius discipuli, Capreolus in. 3. d. 2. Ferrariens.4.contra Gentes cap.55. Caietanus & Medina in hoc articulo,Richardus in.3.d.1. q.4. art.2.Marsilius.q.1.art.3.Driedo lib.de Captiuitate, & Redemptione generis humani,tract.1.cap.2.art.6. 96

Aperitur nodus difficultatis. §.VIII.

INTER Omnes has sententias tota controuersia posita est in explicando, quid fieret ex vi illius decreti absoluti,quod Deus de facto habuit circa hoc mysterium,si Adam non peccaret: An videlicet tale decretum ex parte sui obiecti cōnexionem habuerit cum remedio peccati,quia si ipsum obiectum esse, non fuit volitum,aut statutum per illud decretum, nisi in ordine ad remedium peccati, sequitur manifestè, quòd secluso peccato non fieret tale obiectum ex vi illius decreti. Vt autem hoc apertiùs intelligatur, præsupponendum 97

sendum est, quot actus efficaces nostro modo intelligendi fuerint in illo decreto circa suum obiectum. Pro quo aduertere oportet; quòd sicut in hominum prædestinatione distinguimus secùdùm rationem in Deo, intentionem conferendi gloriam ab ordinatione, & electione mediorũ, per quæ homines sunt ad gloriam ipsis intentam, & volitam peruenturi; sic etiam in decreto, quod Deus de facto habuit circa mysterium Incarnationis, potest distingui volitio, quæ per modum intentionis terminata est ad ipsam Incarnationem, ab ordinatione & electione mediorum, quæ erant necessaria; vt ipsa intentio ex parte rei intentæ mandaretur exequutioni. Et ita decretum Dei circa hoc mysterium nostro intelligendi more quasi integratur ex duobus istis actibus efficacibus ad voluntatem pertinentibus, nempe, ex intentione ipsius mysterij, & ex electione mediorum, quæ ad exequutionem requirebantur. Et licèt secundus ex his præsupponat mediorum excogitationem sine vlla imperfectione discursus, aut reductionis de potentia ad actum, & iuxta sententiam D. Thomæ ad imperium practicum præsupponatur, in quo ipsum decretum consummatur omninò; satis tamen erit explicare de intentione, & electione id, quod propositum est, quia excogitatio mediorum, donec accedat approbatio, quæ per electionem fit, non intelligitur vt efficax. Et de imperio est eadem ratio quantum ad hoc, quæ de electione absoluta, & non omnes admittunt esse necessariam. Hoc supposito sit prima conclusio.

Prima Conclusio. §. IX.

98 DECRETVM Dei absolutum, & consummatum huius mysterij, quatenùs includit illos duos actus nunc explicatos, habuit connexionem ex parte obiecti cum Redemptione à peccato, tanquam cum fine, aut motiuo præcipuo. Probatur. Incarnatio, prout in exequutione facta est, habuit connexionem cum remedio peccati, tanquam cum fine, & motiuo primario: ergo eandem habuit connexionem in decreto Diuino, prout intelligitur includere omnes actus ad exequutionem requisitos. Consequentia est euidens, quia nihil conuenit rebus in exequutione (præter peccatum) quod ab æterno statutum, & ordinatum non fuerit Diuino decreto: aliàs non esset effectus Diuinæ prouidentiæ. Antecedens autem probatur. Incarnatio in exequutione facta est in carne passibili: ergo habet connexionem cum Redemptione à peccato, tanquam cum fine & motiuo primario. Patet hæc consequentia: quia nihil aliud præter Redemptionem à peccato potuit esse prima ratio Incarnationis, prout factæ in carne passibili.

99 Respondent autem aduersarij, antecedens esse verum de Incarnatione quantùm ad circunstantiam passibilitatis, non tamen quoad substantiam suam; nam quòd Verbum Diuinum assumeret humanitatem in statu passibili, fuit in remedium peccati ordinatum, non autem quod simpliciter & absolutè humanitatem assumeret. Similiter dicunt ad consequentiam, in eodem sensu consequens esse verum, nempe si intelligatur de Diuino decreto, prout ad circunstantiam passibilitatis se extendit, non tamen prout ad substantiam Incarnationis præcisè terminabatur. Quod si illis objiciatur, quòd decretum Diuinum extendatur ad circunstãtiam passibilitatis, non fuisse extra rationem propriam talis decreti, vt includit non solùm intentionem finis, sed etiam electionem mediorum, aut circunstantiarum, quæ ad exequutionem Incarnationis sunt necessariæ: ergo Incarnatio in hoc decreto habet necessariam cõnexionem cum remedio peccati.

100 Respondent negando antecedens, quia illud decretum, etiam prout includit electionem, solùm postulat, quantùm est ex parte suæ propriæ rationis, determinari eas circunstantias, quæ ad Incarnationis indiuiduationem erant requisitæ. At verò quòd Incarnatio fieret in carne passibili, aut impassibili, non pertinet ad eius indiuiduationem; quia esset eadem numero, siue caro esset passibilis, siue impassibilis: sicut idem numero homo, qui prius habuit corpus passibile, post Resurrectionem habebit corpus impassibile, & gloriosum. Itaque dicunt, quòd determinatio status, quem humanitas assumpta erat habitura, non pertinuit per se ad rationem prædestinationis, veluti quædam extensio eius facta in alio signo rationis iuxta occasionem oblatam ex cognitione peccati hominum, quibus Deus per Incarnationem remedium præstare voluit.

101 Sed contra hanc solutionem objicitur. Ad completam rationem prædestinationis, vt includit non solùm intentionem finis, sed etiam electionem mediorum, pertinet determinatio circunstantiarum, quæ ad exequutionem huius mysterij requiruntur: sed vna istarum circunstantiarum est, quòd caro sit determinatè passibilis, aut impassibilis; ergo ad propriam rationem prædestinationis Christi ita consideratæ pertinuit determinari, An caro esset futura passibilis, vel impassibilis: & cùm non fuerit determinatum, quòd esset impassibilis, quia exequutio repugnaret prædestinationi: sequitur fuisse determinatum, vt esset passibilis. Maior videtur euidens: tum, quia actus electionis procedit ex iudicio particulari, & practico prudentiæ, quod circa singularia versatur, quatenùs exequutioni mandanda sunt: explicatur enim his Verbis. Hic & nunc faciendum est hoc. Tum etiam, quia ipsa electio est sufficiens principium exequutionis, vel per ipsam, vel per adiunctum imperium. Minor probatur: quia Incarnatio in exequutione fieri non potuit, nisi caro aliquem statum determinatè haberet, videlicet, passibilitatis, vel impassibilitatis, quoniam in re, & in exequutione nequit fieri aliqua caro in abstractione ab vtroque statu, idest, vt neque sit passibilis, neque impassibilis; quia inter opposita contradictoriè in subiecto capaci non datur medium, neque in vtroque statu simul, ita vt simul sit passibilis, & impassibilis: quia hoc implicaret contradictionem: ergo fieri debet in altero eorum determinatè.

102 Confirmatur primò. Christus ex vi suæ prædestinationis habet, quòd sit hominũ Redemptor; ergo etiam ex vi suæ prædestinationis habet conditiones requisitas, vt sit Redemptor: sed vna earum est, quòd eius caro sit passibilis: ergo &c. 103 Confirmatur secundò. Incarnatio non solùm quantùm admodum, nempe, quantùm ad circunstantiam passibilitatis, sed etiam quò ad suam substantiam est in hominum Redemptionem ordinata, vt constabit ex pluribus locis Sacræ Scripturæ, qui sequente conclusione adducentur; in quibus

Incarnationis

Digitized by Google

Incarnationi subijcieret, & sine vllo aliquo tribuitur nostra salus: ergo ex vi illius decreti, quo determinata sunt ea, quæ ad substantiam Incarnationis pertinent, fuit etiam determinatum, vt in remedium peccati ordinaretur. Patet consequentia; quia postquam intelligitur absolutum decretum, quo determinata sunt ea, quæ ad Incarnationis substantiam pertinent, nihil intelligitur fuisse statutum, & immutatum circa ipsam substantiam.

104 Confirmatur tertiò; quia Christus ex vi suæ prædestinationis habuit, vt mereretur, & satisfaceret pro nobis; sicut & quod esset caput nostrum: ergo ex vi suæ prædestinationis habuit etiam conditiones ad merendum, & satisfaciendum requisitas. Sed vna earum erat passibilitas humanitatis, quia sua Passione Satisfecit pro humano genere: ergo Christus ex vi suæ prædestinationis habuit, quòd eius caro esset passibilis. Hæc conclusio amplius confirmabitur in sequente conclusione, & in refutatione aliarum opinionum.

Secunda Conclusio. §. X.

105 Illud Decretum Dei, quod de facto habuit circa hoc mysterium, quatenus solum importat actum intentionis, quo mysterium istud secundùm se est volitum, abstrahendo à circumstantijs, habuit formalem connexionem cum remedio peccati, tanquam cum fine, aut motiuo primario. In hac conclusione omnes Thomistæ consentiunt. Et ad eius probationem est primò aduertendum, cùm dicimus, remedium peccati fuisse finem, & motiuum primarium illius primæ intentionis ex parte sui obiecti, non esse sermonem de fine, aut motiuo primario simpliciter; quia certum est, omnium operum Dei finem primarium simpliciter esse ipsam Dei bonitatem, quæ est prima ratio, propter quam omnia sunt volita à Deo, vt docet D. Thomas. 1. p. q. 19. art. 4. sed loquimur de fine, aut motiuo Diuinæ bonitati subordinato, vt docet D. Thom. in solutione ad tertiū illius articuli; quamuis Diuina bonitas sit finis, in quem simpliciter & vltimò omnia Dei opera ordinantur, & ex consequenti sit prima ratio, propter quam sunt volita, aut facta; possunt alij fines reperiri, inter quos etiam sit ordo, ita vt vnus ad alterum referatur; & ille, qui inter illos habet rationem vltimi, est primaria ratio, & primum motiuum, vt obiectum voluntatis sit volitum. Vnde sensus conclusionis est quòd ad hanc partem, si fiat comparatio inter reliquos omnes fines, quos præter Diuinam bonitatem Incarnatio potuit habere, quatenus erat obiectum illius primæ intentionis, remedium peccati habuisse rationem vltimi, & ex consequenti fuisse primariam rationem, & principale motiuum, vt Incarnatio esset volita.

106 Secundò aduertendum est, dupliciter posse intelligi, Incarnationem, quatenus fuit obiectum illius primæ intentionis, habuisse connexionem cum remedio peccati, tanquam cum fine, aut motiuo primario: videlicet, virtualiter, & formaliter. Vt autem haberet virtute talem connexionem, satis esset, vt Deus illa volitione voluisset fieri Incarnationem meliori modo possibili, & vt supposita cognitione peccati iudicaretur, optimum modum faciendi Incarnationem, esse ordinare ipsam in remedium peccati, nam in eo casu ex vi illius primæ volitionis proueniret, quòd Incarnatio in remedium peccati ordinaretur, & non posset stare illa primæ volitio, supposita cognitione peccati, in eius remedium non ordinaretur Incarnatio. Vt tamen haberet formaliter talem connexionem opporteret, vt eius obiectum illius primæ volitionis, & ex vi eius ordinari formaliter, & actu in remedium peccati: & in hoc sensu accipienda est conclusio. Et probatur primò ratione D. Thomæ in hoc articulo, quæ proculdubiò est efficacissima, & talis est.

Ratio primaria, propter quam fuerit à Deo volitum, id, quod nulli creaturæ debitum est, cuiusmodi est mysterium Incarnationis; excedit vires nostri intellectus, ac proinde nequit nobis constare, nisi ex Dei reuelatione, quæ in Sacra Scriptura, & doctrina Ecclesiæ, & Sanctorum continetur: sed ex Sacra Scriptura, & doctrina Ecclesiæ, ac Patrum constat, præcipuam rationem, propter quā hoc mysterium fuit volitum à Deo, fuisse nostram Redemptionem, ergo asserendum est, primariam, & præcipuam rationem, propter quam fuit volitum hoc mysterium in prima illa volitione, quæ modum habuit intentionis, fuisse nostram Redemptionem. Tunc vltra. Ergo per illam primam volitionem fuit volitum hoc mysterium formaliter, & actu in ordine ad nostram Redemptionem. Vtraque consequentia probatur: prima quidem; nam quòd de ratione, propter quam id, quod supra totam naturam est volitum à Deo, debeat iudicari ex Diuina reuelatione, intelligitur potissimùm de ratione primaria, & de volitione, quæ habet modum intentionis; quoniam ad has, quia sunt primæ, notius est, non præsupponi aliquid, ex quo iudicare possimus, quid sit de ipsis dicendū. Secunda verò, nam quodcumque obiectum est actu, & formaliter volitum in ordine ad id, quod est præcipua ratio, & primarium motiuum volendi ipsum. Minor probatur. Primò testimonijs Sanctæ Scripturæ. 108 Lucæ. 19. *Venit Filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat.* Et Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mūdum, vt Filium suum Vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipsum nō pereat, sed habeat vitam æternam.* Et Marci. 2. & Lucæ. 5. *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus: non enim veni vocare iustos, sed peccatores.* Et Matth. 20. & Marci. 10. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in Redemptionem pro multis.* Item, ad Galat. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.* Et 1. ad Timot. 1. *Venit Iesus peccatores saluos facere.* Et ad Heb. 2. *Quia ergo pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem, vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium.* Idest, diabolum. Et statim subdit: *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit, vnde debuit per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex apud Deum, vt repropitiaret delicta populi.* Quorum Verborum hic est sensus. Quia homines constant carne & sanguine, ipse Filius Dei voluit eisdem constare: hoc est, hominem fieri. Cuius voluntatis rationem, & motiuum exponens Paulus subiūgit, illud esse, vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium: nempe, fortem armatum, & principem huius mundi qui describitur Lucæ. 11. Rursus. 1. Ioan. 4. *In hoc est charitas, non quia nos dilexerimus Deum, sed quo-

niam

siam ipse dilexit nos, & misit Filium suum propitiatorem pro peccatis nostris.* Idem innuitur Lucæ. 15. in Parabola pastoris, qui relictis nonaginta nouem ouibus, venit ad quærendam ouem perditam. Ex quibus testimonijs sic concluditur ratio. Vbique, & semper ratio Incarnationis in Scriptura nobis traditur ex Redemptione nostra, & nulla alia datur, quæ ad hanc non pertineat, vel in illa non contineatur: ergo hæc est potissima causa, quæ Deum ad hoc mysterium peragendum mouit, neque potest alia confingi, nisi voluntariè.

109 Et quamuis in his locis fiat sermo de ipsa executione aduentus Christi; tamen ex eo quòd in eisdem dicitur, Redemptionem à peccato fuisse motiuum Incarnationis quoad exequutionem; potest colligi, fuisse motiuum, vt Incarnatio esset volita; quia idem fuit motiuum respectu Incarnationis, quantùm ad exequutionem, & quatenus fuit obiectum Diuinæ volitionis. Confirmatur præterea: nam ratio sub qua in veteri testamento promittitur, petitur, & figuratur Incarnatio, semper est Redemptio, & remedium peccati. Genes. 3. Promittitur semen mulieris; vt serpentis conterat caput. Et Isaiæ. 9. promittitur Puer, cuius imperium sit super humerum eius, iuxta illud Psalmi. 95. *Regnabit à ligno Deus.* Et Isaiæ. 64. sub hac ratione desideratur, & petitur. *Vtinam dirumperes cœlos, & venires, vt notum fieret nomen tuum inimicis suis.* Et cap. 8. nomen Christi est. *Velociter spolia detrahe, festina prædari.* Vbicumque etiam hoc mysterium adumbratur in lege veteri, semper præfiguratur, vt remedium contra peccatum. Etenim aduentus Christi figuratur Exodi. 3. in Moyse misso ad liberandum populum dura seruitute oppressum, & Genesis 22. in immolatione Isaac, in Ioseph vendito, in Abele occisso, in Iona misso in mare ad sedandam tempestatem, qui fuit Christi figura, vt constat Matth. 12. & Lucæ. 11. & in omnibus sacrificijs, & oblationibus veteris legis, aduentus Christi in carne passibili figuratur in Redemptionem, & remedium peccati. Legatur Genebrardus in Chronologia in annotationibus post quamlibet ætatem; & Naclantus tractatu de Typis Euangelicis per omnes mundi ætates. Præterea probatur eadem veritas ex illis verbis symboli Niceni, quod à Concilijs, Ephesino, Chalcedonensi, & Toletano. 6. & 11. est approbatum. *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis, & Incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est.* Hæc ratio D. Thomæ ampliùs examinabitur, & confirmabitur Paragrapho. 15.

110 Rursus confirmatur conclusio grauissimis Sanctorum Patrum Testimonijs, qui nullam assignant aliam finalem causam Incarnationis, præter nostram Redemptionem, aut remedium peccati; vt constat ex D. Dionysio cap. 3. de Ecclesiastica Hierarchia parte. 3. ad medium, Irenæo lib. 5. contra Hæreses cap. 20. Tertulliano libro de Carne Christi, Iustino martyre libro de Recta Fidei Confessione, Epiphanio libro. 1. contra Hæreses tomo. 2. cap. vltimo. Athanasio lib. de Humanitate Verbi, & sermone. 3. contra Arrianos, ait. *Nostra indigentia anterior est, quàm Christi Natiuitas.* Et paulò inferiùs. *Vt fieret homo, numquam prædestinatum fuisset, nisi hominum necessitas huic rei causam præbuisset.* Idem docet Gregorius Nissenus de Baptismo, & in quodam sermone de Natali Domini. Et Gregorius Nazianzenus oratione. 38. in Natali Saluatoris. *Natus est, inquit, inter nos, vt qui esse dederat, bene esse conferret, seu potiùs ob scelera à bono esse deflectentes, rursus per Incarnationem ad illud reduceret.* Item Cyrillus Alexandrinus lib. 5. Thesauri. *Sciebat, inquit, mortales nos futuros propter peccatum, ac ideò ex misericordia sua ante sæcula constituit, vt Verbum suum homo fieret, renouaretq; hominem in seipso.* Vbi est aduertendum, Cyrillum ante decretum Incarnationis constituere in Deo præscientiam peccati. Idem docet lib. 8. contra Iulianum. Item Cyrillus Hierosolymitanus Cathechesi. 5. & 6. *Cognoscis, inquit, quid mouerit à dextra throni descendere Vnigenitum? Spernebatur Pater, necesse erat, vt Filius corrigeret errorem.* Idem docet Cathechesi. 12. Item Basilius homilia in Christi Natiuitate. *Disce, inquit, mysterium, propterea in carne est Deus, vt in ea mortem occidat, propterea Deus est in carne, quia maledictam hanc carnem oportebat sanctificari.* Vbi arguit eos, qui quæreunt, cur Deus factus est homo, cùm constet id factum esse, & propter nostram salutem. Item Damascenus lib. 3. Fidei cap. 1. & lib. 4. cap. 4. Chrysostomus homilia. 2. & 3. in Matthæum præter remedium peccati nullam aliam Incarnationis causam assignat. Et sermone. 3. in Lucam, circa parabolam Samaritani, & homil. 1. in Psalm. 9. Quæ habetur tomo. 1. post expositionem eiusdem Psalmi. D. Hieronymus in caput. 7. Ecclesiastes. *Quia homo infœlix, inquit, infixus est in limo profundi, indiguit maiori auxilio, idcircò venit ipsa sapientia.* Idem docet Cyprianus sermone de Passione Domini, Theodoretus in Epithome Diuinorum Decretorum cap. de Incarnatione. Et lib. 6. de Curatione Græcanicarum affectionum ad finem. D. Prosper lib. Sententiarum Augustini cap. 314. D. Anselmus lib. Cur Deus homo. D. Bernardus sermone. 1. in Vigilia Natiuitatis, & Epistol. 109. ad Innocentium, vbi sic ait. *Quid lex, quid Prophetæ, quid Apostoli, aliud nobis Euangelizant, quàm Deum factum esse hominem, vt hominem liberaret? Et si Angelus Dei de cœlo aliud nobis Euangelizauerit, Anathema sit.* D. Leo in sermone. 3. Penthecostes sic ait. *Si enim homo ad imaginem, & similitudinem Dei factus in suæ honore naturæ mansisset, & nec diabolica fraude deceptus à lege sibi posita per concupiscentiam deuiasset, Creator mundi creatura non fieret, neque sempiternus temporalitatem subiret, aut æqualis Deo Patri Filius Dei formam serui, & similitudinem peccati assumeret.* D. Augustinus hanc veritatem perpetuò docet, legendus est concione secunda super Psalmum. 36. ad illa verba. *A Domino gressus hominis dirigentur.* Vbi sic ait. *Si tu, homo, non dimitteres Deum, non fieret pro te Deus homo.* Et sermo. 8. de verbis Apostoli.* Si homo, inquit,

non periisset, filius hominis non venisset.* Et tract. 4. in Ioan. *Si peccatores Deus non amaret, à cœlo ad terram non descenderet.* Eodem ferè modo loquitur D. Gregorius lib. 4. in caput. 8. lib. 1. Regum. *Si Adam, inquit, non peccasset, Redemptorem nostrum carnem suscipere nostram non oporteret: non enim venit vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Idem dicit lib. 17. Moral. cap. 15. Et in benedictione cerei Paschalis, quam Ecclesia in Sabbatho Sancto decantat, ait Gregorius. *O verè necessarium Adæ peccatum &c. O fœlix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem.* Certè si Incarnatio futura esset, quamuit Adam non peccasset, nec tanta fœlicitas in eius peccato infœlicissimo, nec tanta necessitas agnosceretur, & prædicaretur à D. Gregorio his grauissimis verbis.

113 Vnde constat, nonnulla ex his Patrum testimonia non posse admittere illam expositionem, quam aduersarij ad ipsorum intelligentiam adhibere solent: nempe, quòd Patres non intendunt docere, Christum non venturum, si homo non peccaret, sed non venturum passibilem & mortalem. Hanc, inquam, interpretationem non admittunt, præsertim Athanasij verba. *Vt esset homo, nunquam prædestinatum fuisset.* Et similiter verba Leonis, Augustini, & Gregorij, quæ non hoc, vel illo modo negant Christum venturum non extante peccato, sed absolutè affirmant, non venturum, idest, nullo modo venturum: cùm enim negatio omnia post se posita neget, idem pollet, non veniret, atque nullo modo veniret. Quare cùm nullus inter Patres, & authores graues (vno forsan excepto Ruperto Abbate) oppositam sententiam docuerit: imò nullus sit, qui expressè D. Thomæ sententiam non affirmauerit, & omnes absolutè, & absque vlla distinctione asseruerint, Christum non venturum nisi existente peccato, voluntariè, & sine fundamento explicantur de aduentu in carne passibili. Imò verò M. Medina & & alij censent, huiusmodi explicationem esse temerariam. Hæc & alia Sanctorum Patrum testimonia ampliùs expendentur infra Paragrapho quintodecimo, vbi sententia Magistri Suarez cōfirmabitur pluribus Sacræ Scripturæ locis, & Sanctorum Patrum dictis, & efficaciter refutabitur.

114 Hanc etiam veritatem confirmat Antiquus Ecclesiæ hymnus ad B. Virginem. *Peccatores non abhorres, sine quibus nunquam fores, tanto digna Filio.* Et quamuis hymnus iste modò non extet, neque satis constet, An fuerit ab vniuersali Ecclesia receptus, vel solùm ab aliqua particulari Ecclesia: sententia tamen his verbis expressa desumi videtur ex Augustino in primum caput Matthæi ad illa verba: *Ipse enim saluum faciet populum suum &c. Si homo, inquit, non peccasset, virgo non peperisset.* Quæ verba citat D. Thomas in 3. d. 1. q. 1. art. 3. in corpore, & addit alia verba ex eodem Augustino oratione ad B. Virginem, hunc ferè sensum continentia. *Vt quid enim, ait, nescium peccati pro peccatoribus pareres, si deesset, qui peccasset? Ad quid Mater fieres Saluatoris, si nulla esset indigentia salutis.*

Præterea probatur conclusio vnica ratione ex supradictis desumpta, quæ est huiusmodi. Sacra Scriptura, & Concilia citata, quotiescumque agunt de ratione propter quam Deus voluit Incarnationem, docent eam esse Redemptionem, & remedium peccati: item Sancti Patres, & Doctores Ecclesiæ ex professo agentes de causis Incarnationis, nullam assignant vt sufficientem, quæ à remedio peccati sit independens, & sæpiùs negant quamcumque aliam, & plures eorum absolutè asseruut, illa deficiente Deum non suscepturum carnem: ergo ex mente Sacræ Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, remedium peccati fuit ratio, propter quam Deus carnem sibi hypostaticè vnire decreuit. 115

Confirmatur hæc ratio, quia in Sancta Scriptura non solùm substantia huius mysterij nobis reuelatur, sed etiam prædicta causa, nempe, remedium peccati: neque vlla alia in tota Scriptura insinuatur; imò incredibile est, hanc non fuisse solam, & præcipuam; præsertim cùm Scriptura omnes alias prætermiserit: quarum manifestatio valde conduceret ad huius mysterij excellentiam, si omnes, vel aliqua earum esset prior Redemptione, & magis à Deo intenta. 116

Confirmatur secundò. Quoties Sacra Scriptura designat certam causam alicuius facti, aut determinatè aliquid affirmat, argumentum est infallibile, eam esse solam causam, aut saltem præcipuam, sine qua res non fieret; sed in Sacra Scriptura, & Patribus nihil est frequentiùs repetitum, quàm Christum venisse ad redimendum genus humanum: ergo hæc sola fuit causa, vel saltem ita principalis, vt illa seclusa Christus non veniret. Consequentia cum minori patet. Maior probatur, quia ex eo quòd Scriptura vnius duntaxat mundi mentionem facit, inde colligitur, vnicum tantùm mundum à Deo fuisse creatum, & quia Scripturæ tres tantùm nominauit Personas in Deo, & non plures, credimus secundùm fidem, tres duntaxat Personas in Diuinis reperiri. Et quoniam Scriptura dicit, per peccatum mortem introductam fuisse, & non adjicit aliam causam, asserimus hominis peccatum fuisse causam mortis. Vnde argumentum negatiuum ex Sacris literis desumptum, tunc est validum, quando res, de qua agitur, est grauis, & magni momenti, & Scriptura de tali re ex professo loquitur, & non obiter: tunc enim negatiua æquipollet affirmatiuæ, vt constat in exemplis positis. Neque hinc infertur, argumentum D. Thomæ in hoc articulo esse negatiuum, vt aduersarij illi imponunt, quasi ita collegerit D. Thomas. Scriptura non dicit Christum venisse nisi propter hominis peccatum; ergo non extante peccato non veniret: etenim ratio D. Thomæ affirmatiuè procedit, & ita affirmanter concludit. Vbique Scriptura assignat peccatum hominis tanquam rationem Incarnationis: ergo deficiente peccato, non esset Incarnatio. Imò verò etiam si argumentum D. Thomæ esset negatiuum, quod nullo modo habet verum, adhùc esset efficax, vt ostensum est. 117

Neque Responsio, quam aduersarij Sanctis Patribus, & Scripturæ adhibere solent, est congrua, nempe, 118

nempe, ex huiusmodi testimonijs solùm concludi, Christum non venturum in carne mortali,& passibili; sed non excludi, quòd non veniret immortalis, & impassibilis ad exaltandam naturam humanam. Hæc, inquam, expositio est improbabilis, & falso nititur fundamento: tum, quia eadem ratione posset D. Thomas explicari, videlicet, quòd intellexerit Christum non venturum in carne passibili, non existente peccato; sed non negasse venturum in carne impassibili. Tum etiam, quia si Sacra Scriptura apertè expressisset, non venturum Christum in carne, nisi in remedium peccati, posset dici, quòd veniret: & exponeretur Scriptura, quòd non veniret in carne mortali. Tum denique, quia si Patres id solùm asserere voluissent, non loquerentur verbis omninò independentibus à passibilitate, vt loquuntur Augustinus, Irenæus, Leo Papa, Gregorius Magnus, & alij supra relati.

119 Confirmatur tertiò. Propterea credimus firmiter rationem assumptæ passibilitatis in carne esse remedium peccati; quia Scriptura docet, Christum esse mortuum propter scelera nostra: ergo cùm eadem Scriptura, & Concilia similiter doceant, Filium Dei propter nostram salutem descendisse de cœlis, & de Spiritu Sancto esse Incarnatum; sequitur manifestè, Redemptionem & salutem nostram assumptæ humanitatis causam fuisse: vtrobique enim eodem modo loquitur Scriptura.

120 Confirmatur quartò. Sequitur ex opposita sententia, esse absolutè concedendum, Christum non venisse ad redimendum genus humanum; sed consequens est contra Scripturam: ergo &c. Probatur sequella. Priusquàm Deus statuisset hominem redimere: imò priusquàm eius videret peccatum, iam decreuerat Filium suum in mundum mittere: ergo cùm aliàs esset venturus, & alia fuisset causa principalis sui aduentus, nequit propriè dici, venisse propter Redemptionem, nisi saltem secundùm quid: quod aduersatur symbolo fidei, absolutè & simpliciter asserenti, Filium Dei propter nos homines, & propter nostram salutem descendisse de cœlis.

121 Ad hæc omnia variè Respondent aduersarij. Quidam dicunt cum Scoto esse intelligenda de Incarnatione, non quoad eius substantiam, sed quoad circumstantiam carnis passibilis. Sed hæc Responsio facilè impugnatur, quia ex ea sequitur, Incarnationem secundùm suam substantiam non esse factam propter nostram salutem, sed solùm secundùm circumstantiam passibilitatis; quod apertè est contra Scripturam, & symbolum Nicenum, vt ostensum est: & similiter probatur esse falsum, quia Christus non solùm secundùm circumstantiam passibilitatis; sed etiam secundùm substantiam suam fuit causa nostræ salutis: ergo etiam fuit ordinatus in nostram salutem secundùm substantiam Incarnationis, & non solùm quoad circumstantiam passibilitatis.

122 Dices, nomine carnis in Sancta Scriptura significari non carnem absolutè, sed substantiam peccato obnoxiam, corruptioni, & Passionibus expositam iuxta illud Isaiæ. 40. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri.* Et illud Psalm. 77. *Recordatus est, quia caro sumus, spiritus vadens, & non rediens.* Quare cùm Scriptura loquitur de Incarnatione, semper loqui de assumptione carnis passibilis, & huius assumptionis motiuum esse remedium peccati. Sed contra. Quia Concilia, Nicenum, Chalcedonense, & Ephesinum apertè asserunt, Filium Dei esse hominem factum propter nostram salutem: homo autem secundùm propriam huius vocis significationem non hominis passibilitatem, sed naturam significat secundùm prædicata essentialia. Item Sacra Scriptura locis supra citatis ex Euangelistis, loquitur de aduentu Filij Dei ad nos, vel de eius missione, aut descensu è cœlis ad terram, quo nomine solùm significatur substantia huius mysterij, & principaliùs assumptio naturæ humanæ, quàm eius passibilitatis indicatur.

Alij dicunt: cùm in Sancta Scriptura assignatur 123 Redemptio generis humani tamquam ratio, & motiuum Incarnationis, non fieri mentionem solius substantiæ Incarnationis, sed etiam Passionum, quas Christus pro mundi Redemptione voluit sustinere; atque ita totius coniuncti rectè assignari vt causam, Redemptionem à peccato: quo etiam modo intelligendos esse docent Sanctos Patres, cùm asserunt, nullam aliam fuisse Incarnationis causam; non enim Sancti de Incarnatione duntaxat loquuntur, sed addunt, Passionem, & mortem, & formam serui susceptam. Sic Paulus ad Galat. 4. Non solùm ait, Deum misisse Filium suum factum ex muliere, vt eos, qui sub lege erant, redimeret; sed addit, factum sub lege, scilicet, mortis. Vtriusque autem rationis, non est alia causa, nisi Redemptio. Et similiter Concilium Nicenum postquàm dixit, propter nos, & propter nostram salutem descendisse de cœlis &c. Statim subdit. *Crucifixus, mortuus, & sepultus est.* Sic etiam D. Augustinus lib. 1. de Peccator. Meritis & remissio. cap. 26. cùm dixit, non aliam ob causam venisse Dominum Iesum Christum; non ibi sistit, sed addit; ac forma serui accepta factum obedientem vsque ad mortem: & ad hunc modum reliqui Patres intelligendi videntur.

Sed contra hanc solutionem est primò, quia si 124 Paulus, & Concilium Nicenum, & Augustinus sentiunt; remedium peccati non fuisse motiuum assumendæ carnis, sed tantùm passibilitatis, nequiret Paulus verè affirmare, Redemptionem eorum, qui sub lege mortis erant, fuisse motiuum, propter quod Deus misit Filium suum factum ex muliere: hæc enim duntaxat esset causa mittendi illum factum sub lege. Deindè Concilium Nicenum non verè affirmasset, propter nos, & propter nostram salutem hominem factum esse; quia propter salutem nostram, iuxta istam sententiam, est tantùm crucifixus, mortuus, & sepultus. Et idem dicendum est de D. Augustino: etenim si alicui Romam proficiscenti, vt beneficium aliquod Ecclesiasticum sibi acquireres, Ecclesia Cordubensis alicuius negotij curam committeret, propter quod ipse nulla ratione ad illud iter agendum moueretur, promitteret tamen curam, & diligentiam in eo negotio Romæ procurando;

Digitized by Google

certè si talis gloriaretur, quòd Romam esset profectus ob Ecclesiæ Cordubensis vtilitatem, vt ibi eius negotium ageret; manifestè mentiretur. Ergò similiter cùm Deus non decreuerit de cœlis ad terram propter hominum Redemptionem descendere factus homo: sed tantùm statuerit propter hominum salutem, passibilitatem, & mortem sustinere; non verum assereret Concilium Nicenum affirmans, Filium Dei propter nostram salutem de cœlis ad terram descendisse, hominem factum esse, crucifixum, mortuum, & sepultum: cùm mortuus fuerit duntaxat propter nostram salutem.

125 Alij Respondent, in Incarnatione Filij Dei, eo modo, quo facta est, & de illa loquuntur Patres, & Concilia, duo includi. Primum est ipsa carnis assumptio; alterum est assumptio passibilitatis. Dicunt præterea duo etiam includi in Redemptione nostra, vt à Patribus absolutè significatur. Primum est sanctificatio, iustificatio, & glorificatio nostra ex toto rigore iustitiæ: alterum est liberatio à peccato originali. Dicunt tertiò: cùm Patres asserunt, Incarnationem esse factam, vel decretam à Deo propter Redemptionem à peccato, esse intelligendos secundùm quandam accommodationem; vt substantia Incarnationis intelligatur à Deo intenta propter sanctificationem, & glorificationem nostram ex toto rigore iustitiæ; in quo nostræ Redemptionis substantia consistit. Modus autem Incarnationis, nempe, quòd facta vel decreta fuerit in carne passibili, intelligatur factus & intentus à Deo propter liberationem à peccato, quæ est quidam modus nostræ sanctificationis, & ita verum est, quod sancti absolutè asserunt, Incarnationem à Deo esse decretam propter nostram Redemptionem; si tamen bene intelligantur, vt substantia nostræ Redemptionis correspondeat substantiæ Incarnationis, & modus modo.

126 Huius solutionis meminit M. Suarez æditione. 2. pag. 178. & illam impugnat, & meritò, quia videtur potiùs figmentum, quàm solutio: primò, quia in liberatione à peccato intrinsecè & essentialiter includitur sanctificatio, & iustificatio nostra, & ius ad gloriam; vt enim constat ex Concilio Tridentino sess. 6. Illa fit per infusionem gratiæ, & donorum ex meritis Christi; ergò impossibile est intelligere, assumptam esse passibilitatem in carne propter liberationem nostram à peccato; & carnem passibilem non esse assumptam propter iustificationem, & glorificationem nostram. Et sic Paulus Christum Resurrexisse, ait, propter iustificationem nostram: ergo si iustificatio nostra est causa Incarnationis secundùm substantiam, vt docent aduersarij; cùm eadem sit causa, propter quam Deus assumere decreuit passibilitatem in carne, & in ea à mortuis resurgere, eadem certè est causa carnis assumptæ, quæ secundùm aduersarios est causa assumptæ passibilitatis, quod erat probandum.

127 Secundò: quia liberatio à peccato essentialiter includit iustificationem nostram: ergo voluntas Dei, qua nos à peccato liberare decreuit, essentialiter includit voluntatem iustificationis nostræ: sed Incarnatio decreta est à Deo secundùm aduersarios propter nostram iustificationem: ergo in voluntate, qua decreuit Deus propter nostram à peccato liberationem assumere passibilitatem, includitur etiam voluntas assumendi carnem. Consequentia probatur: quia includitur efficax voluntas iustificationis nostræ ex toto rigore iustitiæ: ergo includitur efficax voluntas medij vnici, & necessarij huius nostræ iustificationis ex toto rigore iustitiæ, quod, vt est ostensum, est Incarnatio.

Tertiò: quia Patres locis citatis plærumque docent, 128
liberationem à peccato, vel remedium peccati esse causam Incarnationis: ergo eorum dicta huiusmodi explicationem non admittunt. Quartò. Redemptio, vt Redemptio est, essentialiter dicit tanquam formam, liberationem à peccato: Deum autem fieri hominem, aut fieri temporalem, aut de cœlis descendere, vt supra ostensum est contra primam solutionem, non dicunt passibilitatem, sed ab ea abstrahunt: ergo violenter interpretantur testimonia Sacræ Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, asserentium Deum factum fuisse hominem, temporalem &c. Propter Redemptionem nostram; qui dicunt, vel Redemptionis nomen in huiusmodi propositionibus supponere pro sola iustificatione, à remedio peccati abstrahente, vel nomen Incarnationis, hominis, creaturæ &c. Passibilitatem significare, ad quam significandam non est impositum. Profectò si hoc modo liceret nominum significationes immutare, nihil ex Sanctâ Scriptura, Concilijs & Patribus firmiter poterit vnquam probari.

Postremò. Sublato peccato asserunt Sancti non 129
futuram Incarnationem: ergo asserunt, sanctificationem nostram ex toto rigore iustitiæ, vt præscindit à liberatione peccati, non esse causam motiuam adæquatam substantiæ Incarnationis. Consequentia probatur; quia illa maneret sublato peccato, atque adeò firmum maneret decretum Incarnationis, quoad substantiam.

Alij recentiores Respondent, his rationibus pro- 130
positis solùm probari, Incarnationem, quatenùs fuit obiectum illius primæ intentionis, fuisse ordinatam in nostram Redemptionem, vt in finem præcipuum; negatiuè: hoc est; non subordinatum alteri, non tamen positiuè; idest, in quem ordinarentur cæteri omnes fines, propter quos fuit volita per illum actum Incarnatio; quia per talem actum potuit Incarnatio esse volita in ordine ad nostram Redemptionem, & simul in ordine ad alios fines, quos supra in principio huius disputationis recensuimus; ita vt huiusmodi fines fuerint voliti, & intenti absque vlla subordinatione ad Redemptionem nostram, & æqualiter eum ipsa.

Cæterùm hæc solutio impugnatur primò; quia 131
impossibile est, voluntatem eodem actu simul intendere duos fines totales, & non subordinatos, aut inter se, aut in ordine ad alium tertium finem; sicut impossibile est, eundem effectum habere duas causas totales, & eiusdem ordinis, aut nullo modo inter se subordinatas. Secundò: quia vel alij fines sunt intenti per illam primam volitionem, vt nostræ Redemptioni subordinati, aut vice versa Redemptio nostra est intenta, vt subordinata illis finibus, vel alicui eorũ: aut tãdem tertiò, tã nostra Redẽptio, quàm illi fines

pertinuerunt

pertinuerunt ad obiectum illius intentionis sine vlla subordinatione inter se. Si dicatur primum, habetur intentum; nempe, nostram Redemptinnem fuisse volitam per illam intentionem, vt finem vltimum positiuè respectu Incarnationis. Si dicatur secundum, sequitur, actum, quo Incarnatio fuit formaliter ordioata in nostram Redemptionem, non fuisse primam intentionem, sed alium actum, qui electionis modum habuerit; quoniam fuit quidam actus terminatus ad finem subordinatum, atque adeò habêtem rationem medij. Denique si dicatur tertium, sequitur, vnam intentionem secundùm eandem rationem formalem fuisse nostro intelligendi more principium eligendi media opposita, quod manifestam inuoluit repugnantiam. Probatur sequella: quia illa intentio, vt terminata ad nostram Redemptionem, erat principium eligendi carnem passibilem; & vt terminata ad alios fines, qui cum nostra Redemptinne nullam connexionem haberent, erat principium eligendi carnem Impassibilem.

132 Magister Suarez sectione 3. & 4. ait illa testimonia Scripturæ, & Sanctorum Patrum, non intelligi de prima intentione Incarnationis, sed de volitione; quæ nostro intelligendi modo est ad eam subsequuta per modum electionis circunstantiarum, videlicet, passibilitatis, vel impassibilitatis humanitatis assumptæ. Itaque iuxta huius authoris sententiam, Incarnatio non fuit ordinata formaliter in nostram Redemptionem per primum actum, quo fuit volita, sed per illum actum, quo sunt determinatæ circunstantiæ. Sed hæc solutio est insufficiens, primò, quia non explicat satis propriè sensum Sacræ Scripturæ, & Patrum, & Ecclesiæ, cùm dicunt Incarnationem factam fuisse propter nostram salutem, & Redemptionem; nam multa sunt, ex quibus colligi potest, tam in Scriptura, quàm in symbolis Ecclesiæ fieri sermonem de fine, ad quem ordinata fuit per primum actum, quo à Deo volita fuit. Primum est modus, quo hic finis proponitur; nam cùm toties reperatur, & nunquam fiat mentio alterius, qui cum eo aliquam connexionem non habeat: significari planè videtur, esse finem, in quem primò fuit ordinata Incarnatio. Secundum est, quoniam absolute dicitur, Incarnationem factam fuisse propter nos, & propter nostram salutem; quod tamen propriè non diceretur, si prima intentione in alium finem, & non in istum fuisset ordinata. Tertium est finis, propter quem hoc dicitur, nempe, excitare nos in amorem Dei, qui tale nobis contulit beneficium, vt propter nostram salutem carnem assumere voluerit. Etenim licèt magnum esset beneficium, modum, & circunstantias Incarnationis in nostram salutem ordinare; non tamen ita magnum, neque adeò aptum ad excitandum in nobis Dei amorem, sicuti si ipsa Incarnatio secundùm suam substantiam ex primaria intentione in nostram salutem fuerit ordinata. Accedit etiam ad huiusrei confirmationem authoritas Sanctorum Patrum, quorum plures, vt vidimus, affirmant, nullo extante peccato non futuram Incarnationem; atque adeò supponunt, per nullam volitionem absolutam fuisse volitam Incarnationem propter alium finem.

133 Secundò obijcitur contra solutionem, quia ratio ferè omnium; quæ ad Incarnationis exequutionem pertinent, cuiusmodi sunt circunstantiæ loci, temporis, modi &c. Desumi debet ex nostra Redemptione tanquam ex fine primario, & potissimo: ergo etiam ratio Incarnationis in intentione debet sumi ex nostra Redemptione. Patet consequentia, quia ex eo, quòd est ratio motiua in exequutione, potest optimè colligi, tanquam à signo, & à posteriori, quòd fuerit ratio motiua in intentione.

Tertiò obijcitur. Vel per primam intentionem fuit 134
volitus Christus, vt Redemptor, vel non; si dicatur primum, habetur intentum. Si secundum; sequitur, illam priorem intentionem non fuisse efficacem, etiam per modum intentionis; & ex consequenti frustra poni, imò verò in Deo non esse ponendam; quia Dei perfectioni repugnare videtur, in ipso esse formaliter actum absolutum, qui non sit efficax. Probatur sequella. Intentio non dicitur efficax per modum intentionis, nisi sit sufficiens electionis principium; sed illa intentio non fuit sufficiens principium electionis; ergo non fuit efficax. Probatur hæc minor. Electio, quam Deus circa hoc mysterium de facto habuit, iuxta dictam solutionem, fuit determinatio modi, quo de facto erat efficiendum, & circunstantiarum, quas reipsa erat habiturum; nempe, carnem fore passibilem, & assumendam ex tali matre, & tali tempore &c. Sed intentio, qua absolutè esset volita Incarnatio sine ordine formali ad nostram Redemptionem, nequiuit esse principium huius determinationis, nisi concurrente alia intentione; qua Incarnatio in nostram Redemptionem ordinaretur: quia de se erat indifferens ad has circunstantias, & ad oppositas, ergo neque fuit sufficiens principium electionis, quam Deus circa hoc mysterium de facto habuit.

Postremò obijcitur: quia ex ea solutione sequitur, 135
Incarnationem, quantùm ad circunstantiam passibilitatis duntaxat, & non secundùm substantiam fuisse ordinatam in Redemptionem nostram, quod iam impugnatum est. Ergo &c. Probatur sequella: quia per actum, qui habuit modum electionis, tantùm sunt determinata ea, quæ ad circunstantias Incarnationis pertinebant; nam eius substantia præsupponebatur per actum intentionis determinata. Respondent autem aduersarij, per eam intentionem non fuisse volitam Incarnationem absolutè, sed vt faciendam modo magis conuenienti: & ita ex vi illius intentionis factum est, vt supposita cognitione peccati ordinaretur Incarnatio in remedium peccati, quatenùs illa intentio per quam Incarnationis substantia definita est, hoc remedium virtualiter respiciebat. Verùm tamen neque hoc modo vitatur illud incunueniens, primò, quia ex locis Sacræ Scripturæ satis apertè colligitur, Incarnationem fuisse formaliter volitam in ordine ad remedium peccati; & cùm non sit dicendum, hoc tantùm intelligi quoad eius circunstantias: sequitur esse concedendum, Incarnationem secundùm suam substantiã in peccati remedium fuisse formaliter ordinatam.
Secundò: quia neque saluatur, Incarnationem secun- 136
dùm suam substantiam fuisse virtualiter volitam in ordine ad remedium peccati. Probatur. Per illam volitionem duo intelliguntur esse volita, videlicet, substantia Incarnationis, & vt fieret conuenientiori modo:

sed istud obiectum non importat ordinem ad remedium peccati ex parte substantiæ Incarnationis, sed solum ex parte modi: ergo per hanc volitionem non fuit volita substantia Incarnationis virtualiter in ordine ad remedium peccati, sed modus fuit ita volitus. Consequentia patet: quia per nullam volitionem dicitur aliquod obiectum virtualiter volitum in ordine ab aliquem finem, nisi in quantùm est obiectum talis volitionis, importet determinatè ordinem ad illum finem. Minor autem probatur. Quoniam substantia Incarnationis secundùm se non importat determinatè ordinem ad remedium peccati, & modus præstantior faciendi ipsam, potest talem ordinem importare.

137 Confirmatur. Velle, vt Incarnatio fiat modo magis conuenienti, iuxta exigentiam rei importat in Deo duos actus distinctos secundùm rationem, quorum vnus sit intentio substantiæ Incarnationis, & alter, electio modi conuenientioris in communi; sed ex his actibus prior, qui ad substantiam Incarnationis terminatur, nullo modo, hoc est, neque formaliter, neque virtualiter respicit remedium peccati; & posterior qui aliquo modo, idest, virtualiter, aut potiùs in confuso, & sub ratione communi respicit remedium peccati, non terminatur ad substantiam Incarnationis, sed ad hunc modum, qui est conuenientiori modo fieri: ergo ex vi illius volitionis non ordinatur virtualiter in remedium peccati substantia Incarnationis, sed modus duntaxat. Probatur maior: tum quia fieri modo conuenientiori inter eos, qui non sunt simpliciter necessarij ad substantiam finis intenti, pertinet ad ordinem mediorum: tum etiam, quia iudicium, quod præsupponitur volitioni huiusmodi pertinet ad prudentiam, quæ circa media versatur. Et tandem probatur exemplo: nam licèt velle dare eleemosynam modo conuenientiori, quantùm ad circunstantias, quæ ad bonitatem moralem misericordiæ simpliciter requiruntur, sit actus intentionis: velle tamen dare eleemosynam modo conuenientiori, quantùm ad circunstantias, sine quibus potest simpliciter saluari bonitas moralis eleemosynæ, quamuis non tanta, non est intentio; sed vel est electio talis modi, vel importat duos actus, quorum vnus sit intentio bonitatis eleemosynæ, & alter electio huius modi, qui est dare modo conuenientiori inter omnes, qui non sunt ad bonitatem eleemosynæ simpliciter necessarij. Hæc secunda conclusio ampliùs confirmabitur in refutatione aliarum opinionum in contrarium.

Tertia Conclusio. §. XI.

138 NVLLO Hominum peccato extante, non fieret Incarnatio ex vi decreti, quod Deus circa eam de facto habuit, siue tale decretum consideretur quò ad actum intentionis finis, & electionis circunstantiarum simul; siue solùm, quòad primum actum intentionis. Hæc conclusio est omnium Thomistarum: ad cuius intelligentiam aduertendum est, hoc esse eius sensum, quòd stante illo decreto, siue quòad vtrumque actum, siue quòad alterum eorum, non fieret Incarnatio, si homo non peccasset: sed quòd secluso hominum peccato, atque adeò seclusa remedij indigentia ex tali peccato orta, non esset in Deo illud decretum de facienda Incarnatione, neque quò ad actum electionis, neque quoniam ad actum intentionis: & ita Incarnatio fieri non posset ex vi alicuius ex his actibus, quia neuter esset in Deo. Hoc supposito probatur primò, quia ex præcedentibus apertè colligitur: etenim ablato eo, quod est præcipuum motiuum, vt aliquid sit volitum, aufertur etiam actus, quo est volitum: sed in vtroque actu, quo à Deo fuit volita Incarnatio, nempe, in intentione, & electione præcipuum motiuum, nostro modo intelligendi fuit remedium peccati, ergo sublata hac necessitate neuter actus esset in Deo.

Confirmatur: quia multi sancti non solùm docent, 139
præcipuam rationem, propter quam Incarnatio effecta est, fuisse hominum indigentiam; sed etiam absolutè dicunt, si homo non peccasset, non futuram Incarnationem, vt constat ex Athanasio serm. 3. contra Arrianos, & Irenæo lib. 5. Aduersùs Hæreses, Gregorio Nazianzeno oratione. 36. quæ est quarta de Theologia: Leone Papa sermone. 3. in Penthecoste, & Augustino locis supracitatis.

Confirmatur secundò. Quòd Deus assumpserit car- 140
nem propter remedium peccati, alioqui non sumpturus, magis illustrat, & commendat charitatem Dei in nos; quam si aliàs esset sumpturus: etenim maioris charitatis inditium est, si Deus, qui aliàs non erat homo futurus, voluerit hominem fieri ad delendum peccatum, quàm si enim alioqui futurus esset homo, voluerit saluare, & liberare hominem in carne passibili, & mortali. Vnde Paulus ad Roman. 5. nir. *Vt ostendat charitatem suam Deus in nobis, cùm adhùc essemus peccatores, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est.*

Ex his conclusionibus colligitur refutatio aliarum opinionum, quæ sententiæ D. Thomæ aduersantur sed maioris claritatis gratia, sigillatim refellentur.

Confutatur sententia Scoti. §. XII.

OPINIO Scoti, quatenus affirmat, Christum 141
venturum, etiam si nullum esset peccatum, estò sit falsa, tamen in seipsa probabilis est, & à multis Theologis non infimæ classis, qui sub vexillo D. Thomæ non militant, defenditur. Vnde grauiter deceptus est quidam Vldericus, qui referente Dionysio Carthusiano in 3. d. 1. q. 2. asseruit, eam esse temerariam, quia in re grauissima, & quæ ex sola Dei reuelatione dependet, sine authoritate, aut Scripturæ, aut Sanctorum loquitur. Sed certè is author sine causa talem sententiam nota temeritatis inurit, cùm sit certum, eam rationibus non parui momenti, & Doctorum grauium authoritate fulciri, adeò vt D. Bonauentura affirmet, hanc sententiam esse magis rationi consonam, quamuis opinio D. Thomæ sit fidei decretis, & dogmatibus conformior.

Cæterùm præfata sententia Scoti, vt ab illo explica- 142
tur, & defenditur, est omninò improbabilis, quia ex ea sequitur, aliquam mutationem in Deo esse necessariò constituendam. Et probatur. Si in tertio instanti prædestinatur Christus ante alios, tunc quæritur ab Scotistis An prædestinetur Christus in illo signo venturus mortalis,

talis, vel Immortalis, vel Indifferens. Non indifferens, quia cùm prædestinatio sit pars prouidentiæ, est de re singulari,cum omnibus suis circunstantijs, & dispositionibus: ergo ex vi prædestinationis illius tertij signi futurus erat Christus in mundo cum determinata dispositione. Ergo necessariò mortalis, vel immortalis. Confirmatur.Prædestinatio non est actus speculatiuus, præscindens substantiam rei prædestinatæ à modis, præsertim requisitis ad eius existentiam; sed practicus, respiciens formaliter rem ipsam,vt ponibilem, imò vt ponendam efficaciter,& infallibiliter in executione,ex vi ipsiusmet prædestinationis: sed substantia Incarnationis in re,& in executione nullo modo potuit poni sine passibilitatis,aut impassibilitatis conditione: ergo neque prædestinari potuit indifferent,sed sub alterutra harum conditionum.Quòd autem non fuerit prædestinatus Christus,venturus mortalis,probatur, quia omnes fatentur, si Christus veniret secluso peccato, venturum immortalem,& impassibilem. Neque etiam immortalis,quia tunc aut ordinatio tertij instantis mutaretur per decretū quinti instantis, aut ordinatio quinti instantis repugnaret ordinationi tertij, quæ omnia impossibilia sunt.

143 M.Suarez Sectio.5.respondet pro Scoto,& pro se,in illo tertio signo fuisse Christum prædestinatum, & volitam à Deo eius Incarnationem, quò ad substantiam tantùm mysterij in hac Persona, & in hac indiuidua natura,modum tamen eius non fuisse definitum,donec præuideretur peccatum;quia licet Deus non velit rem, nisi cum omnibus circunstantijs,& modis,quibus futura est;secundum tamen diuersa signa rationis priùs intelligimus interdum velle rem , quàm modum eius, quia intelligimus ab aliquo fine vel occasione pendere modum,à quo res secundùm se non pendet.

144 Sed certe hæc solutio stare non potest, quoniam perfecta prouidentia,cuius actus perfectissimus est prædestinatio,statuit, & ordinat non tantùm in communi,& in abstracto, sed etiam in particulari cum omnibus circunstantijs;ergo si per illud decretum prædestinatus est Christus homo in tertio signo,in eodem prædestinatus est passibilis,vel impassibilis,imò quo loco, quo tempore,& sub quibus circunstantijs. Ad hoc argumentum Respondet ibidem M. Suarez , esse sophisticum,& adhibet instantiam in generationibus hominum ex Adamo.Certum est enim,ante præuisum peccatum originis decreuisse Deum, vt Adam filios generaret; cùm pro se & sua posteritate dederit illi iustitiā; & tamen pro illo signo non absolutè decreuit , An illi essent generādi mortales & immortales: sed solùm vo-
145 lūtate antecedente.Nihilominùs hęc responsio rationē propositam non labefactat, neque illā ostendit sophisticam:imò est valde efficax; quia prædestinatio ita respicit finem & media , vt sine habitudine ad vtrumque intelligi non possit. Et ideò definitur,quòd sit præparatio gratiæ in præsenti,& gloriæ in futuro : aut quod sit destinatio creaturæ rationalis in beatitudinem per certa media:ergo prædestinatio Christi terminatur ad ipsum Christum in particulari , & secundùm omnes conditiones, & qualitates, circunstantias, & modos, quibus erat futurus.Patet consequentia, quia prædestinatio Christi non tantùm dicit voluntatem efficacem in Deo communicandi se per Vnionem hypostaticā, & gloriam dandi : sed etiā efficacem ordinationem ad istum finem per hæc media determinata carnis passibilis,& Redemptionis hominum : atque adeò intelligi non potest,quòd sit volita Christi prędestinatio quoad substantiam tantùm,& non quoad modum: quia inter vtramque est intrinseca habitudo,sine qua intelligi nō potest prædestinatio Christi.

146 Et licèt nos intelligamus, priùs Deum interdū velle rem,quā modū ; non est firmum argumentū à nostro modo intelligendi ad Diuinum decretum ; neque ab ordine nostræ cognitionis ad ordinem Diuini intellectus:contingit enim,vt illa,quæ in nostra consideratione diuiduntur,in Diuino decreto sint simul:& quæ respectu nostri intellectus non sunt connexa , sed per accidens se habent, respectu Diuini decreti necessariò & per se coniungantur. Exemplum est in prædestinatione nostra,quæ terminat Diuinum decretum. Vnde terminus per se,& adæquatus prædestinationis, & decreti ex parte Dei est nostra beatitudo perfecta per determinata media ; ita vt neque beatitudo sine medijs neque media sine beatitudine cadant sub termino totali,& per se prædestinationis,licèt nostro intelligendi more,prius sit Deum velle beatitudinem, quàm talem beatitudinem:& prius sit velle media ; quæ in gloriam Dei tendant,quàm velit talia media in particulari. Sicut ergo in termino nostræ prædestinationis non licet argumentari ab eo,quod est prius,aut per accidens, aut independent nostro intelligendi modo , ad illud, quod respondet Diuino decreto: ita & in prædestinatione Christi, priùs intelligimus , Deum interdum velle rem,quam modum,sed inde non sequitur , quòd Diuinum decretum terminetur ad rem sine modo , vel ad rem per se,& ad modum per accidens,& consequenter. Vnde cùm signare volumus terminum, aut finem Diuini decreti, illud necessariò signare debemus , quod adæquatè & per se terminat. Quò fit , vt in illo signo nullo modo fuerit volita Incarnatio quoad substantiam,& non quoad modum, vt ait M. Suarez. Neque 147
instantia illius aliquid probat:quia decretum prædestinationis Christi fuit absolutum,& efficax , atque adeò efficaciter respicit finem , & media in particulari cum omnibus circunstantijs,& modis.Decretum verò,quo voluit,vt Adam filios generaret,fuit inefficax, & veluti conditionatum , pertinens ad voluntatem antecedentem;quæ æquiualet conditionatæ;& ideò non impleta conditione potest non habere effectum sine vlla mutatione : ac proinde potuit tale decretum abstrahere à conditionibus mortalitatis,vel immortalitatis. Quòd si illud decretum,quo Deus statuit,vt Adam filios generaret,fuisset absolutum & efficax,cùm mutari non potuisset,neq; effectu carere;necessariò decerneretur modus,quo essent generandi, vel mortales , vel immortales.

Præterea Respondet M.Suarez , Christi prędestinationem fuisse in illo signo inchoatam , consummari verò, & compleri quoad circunstantias in posteriori signo. Vnde cùm dicitur, prædestinationem esse perfectam prouidentiam, hanc verò ad particularia descendere, vtrumque (ait Suarez) est verum de prædestinatione & prouidentia completa,& absoluta,prout est in re;non tamen prout est inchoata. Verùmtamen,neque hæc Responsio Satisfacit,quia ex illa sequitur,Christum 148

in illo priori signo non fuisse prædestinatam. Probatur Sequella. Prædestinatio formaliter dicit rationem omnium mediorum, per quæ effectus prædefinitus est executioni mandandus; sed prædestinatio Christi, vt inchoata, non est ratio mediorum, & circunstantiarũ: ergo non est prædestinatio. Patet consequentia; quia prædestinatio est actus perfectæ prouidentiæ; sed perfecta prouidentia intrinsecè & formaliter disponit de medijs ad finem intentum necessarijs: ergo prædestinatio inchoata, vt non includit rationem omniũ mediorum, non est prædestinatio.

149 Confirmatur primò, quia prædestinatio essentialiter, & intrinsecè aspicit finem & media, ita vt sine ordine & habitudine ad vtrumque intelligi non valeat: sed prædestinatio Christi inchoata non respicit media, quibus est executioni mãdanda, sed tantũ finem; ergo non est prædestinatio essentialiter. Confirmatur secundò, quia chimericum est, & fictitium, vocare decretum prædestinationis, illud, in quo non disponuntur, & determinantur singulares circunstantiæ, & omnia media necessaria, vt sequatur terminus prędestinationis etenim prouidentia disponit media, quæ sunt ad finis consequutionem necessaria; ergo illud decretum, in quo talia media non disponuntur, non est actus perfectæ prouidentiæ, qualis est prædestinatio.

150 Præterea. Si Christus fuit prædestinatus in illo tertio signo ante præuisionem peccati, & in illo non fuerunt disposita omnia media, & circunstantiæ Incarnationis, quia in illo signo non fuit completa tota prædestinatio: quære, Cur in illo primo decreto prædestinatio Christi non fuit absoluta, sed tantùm inchoata; & in posteriori signo fuit absoluta, & completa? Dices: in illo priori signo non fuisse præuisa omnia singularia ex parte naturæ humanæ, & totius vniuersi, ex quibus poterat dependere ipsa Diuini Verbi Incarnatio; & ideo, quasi expectauit Deus aliud rationis instans, in quo præuideret omnia singularia contingentia, vt ipsam Christi Incarnationem illis accõmodaret. Si hoc asserat, sequitur primò, falsum esse, quod inquit Scotus, nempe, in tertio rationis signo fuisse celebratum prædestinationis Christi decretũ: quia nõ est prædestinatio, neque consummata, neque inchoata, vbi nõ est efficacium mediorum dispositio. Sequitur secundò, falsum esse, ex vi illius decreti venturum Christum in mundum, cùm fuerit necessarium aliud decretũ, quod singulares circunstantias, & media ad Christi Incarnationem necessaria disponeret.

151 Rursus cõfirmatur; nam cùm prædestinatio sit perfectissima pars prouidentiæ, præsertim quod attinet ad Christum, qui fuit primus, & potissimus prædestinatus, voluntariè asseritur, ex vi prædestinationis eius nõ fuisse complete & totaliter determinatum, & definitũ, An futurus esset passibilis, vel impassibilis; sed hoc relinqueretur ad signum vsque posterius. Item si in illo priori decreto prædestinationis Christi non est determinata Incarnatio quoad modum, sed duntaxat quoad substantiam, sequitur, quòd nõ extante peccato Christus ex vi suæ prædestinationis non veniret in mundũ, quod est contra Scotum. Probatur Sequella. Non poterat venire in mundum nisi in carne passibili, vel impassibili: sed neutrum horum fuit definitum ex vi illius decreti, ergo ex vi illius non veniret Christus in mundum. Patet consequentia: nam quandiu qualitas carnis Christi non fuisset determinata, & similiter circunstantiæ temporis, loci, & modi Incarnationis, non fuissent à Deo dispositæ, Verbum Incarnari non poterat: quia necessariò pendet Incarnatio ab illis circunstantijs, & ab ea præsertim, quæ est ex parte modi: ergo impossibile fuit, quòd ex vi illius decreti veniret Christus in mundum.

Insuper. Sententia Scoti refutatur eisdem inconuenientibus, quæ ipse infert ex opinione D. Thomæ: nã primo, si principalis causa aduentus Christi fuit humani generis nobilitas, & vniuersi perfectio, ergo iã perfectius bonum, nempe Incarnatio Christi, in minus perfectum ordinaretur. videlicet, in nobilitatem hominum, & perfectionem vniuersi Secundò: quia Incarnatio esset ex occasione vniuersi, & ex consequenti priùs Deus voluisset, quod est remotius vltimo fini. Oporteret etiam Christum lætari, & generi humano gratias agere, & toti vniuerso, quia propter eius nobilitatem, & perfectionem Deus ipsum Christum esse decreuit. Et denique sicut colligit Scotus secluso peccato, etiam Christum venturum propter vniuersi nobilitatem & perfectionem, sic etiam ex eisdem principijs concluditur, ex vi prædestinationis Christi adhùc venturum seclusa hac vniuersi perfectione, & nobilitate: quia in eo casu minus bonum esset perfectio vniuersi, quàm Christus; ergo Deus priùs voluisset esse Christũ, quàm quòd vniuersum perficeretur, ita vt ante præuisionem vniuersi Deus decreuisset, Christum futurum: ergo ex vi talis prædestinationis manifestè sequitur, Christum venturum secluso vniuerso. Constat igitur, quòd sicut in sententia Scoti ex vi prædestinationis Christi non sequitur, Christum venturum secluso vniuerso, neque est inconueniens dicere in hac opinione, Christum non venturum, si non extaret vniuersum; ita similiter cùm in sententia opposita D. Thomæ remedium peccati asseritur esse causam aduentus Christi præcisam; non sequitur, Christum ex vi suæ prædestinationis secluso peccato venturũ; neque est aliquod inconueniens dicere, nullo existente peccato in mundum non esse venturum.

152

153 Præterea. Quod docet Scotus, in tertio instanti priùs animam Christi fuisse à Deo electam ad summam gloriam, quàm ad Vnionem hypostaticam, est similiter falsum; nam è contra se res habuit; priùs enim prædestinatus est Christus Filius Dei naturalis, quàm eius humanitas ad gratiam & gloriam fuerit ordinata. Ex quibus omnibus colligitur, quàm falsæ & fictitiæ sint omnes illæ explicationes sententiæ Scoti, quas supra Parag. 2. recensuimus. Prima, quæ fuit Licheti, facile cõuincitur falsitatis. Secunda, quæ fuit Francisci de Carthagena, est improbabilis, quoniam prædestinatio, vt dictum est, disponit de rebus futuris, non in communi, sed in singulari, & secundùm particulares circunstantias, sine quibus effectus prædestinationis constare non potest: alias prædestinatio non esset infallibilis in suis effectibus: sed Christi prædestinatio nequiuit effectum sortiri, nisi determinatè in carne passibili, vel impassibili; ergo Christi prædestinatio disposuit determinatè qualitatem carnis Christi.

154 Secundo sequitur ex sententia Scoti, non esse simpliciter & absolutè cõcedendum, Deum misisse Filium suum

suum in remedium peccati, & Filium Dei Incarnatum fuisse propter nostram salutem. Probatur Sequella. Antequàm Deus quicquam cogitasset de remedio peccati, decreuit mittere Filium suum in carne humana, & cùm cogitauit de remedio peccati, disposuit, vt Christus, qui aliàs venturus erat, veniret in carne passibili in remedium peccati; ergo simpliciter non est concedendum, venisse Christum in remedium peccati, sed cum addito; nempe, venisse passibilem, & mortalem in peccati remedium. Franciscus de Carthagena libenter cōcedit consequentiam, & consequens: sed audacter & temerè loquitur; quia Sacra Scriptura, & Ecclesia quàm sæpiùs clamant, Filium Dei venisse, vt saluum faceret, quod perierat, & propter nos homines, & propter nostram salutem descendisse de cœlis, & Incarnatū fuisse. Et Ioan. 3. dicitur. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ecce vbi in hominum remedium dicitur Filius Dei absolute, & simpliciter nobis datus.

155 Tertia explicatio sententiæ Scoti est error manifestus, quia ponit mutabilitatem in diuina volitione, nam ante præuisionem peccati voluit Deus mittere Filium suum in carne immortali, præuiso autem peccato mutata fuit voluntas, & decreuit illum mittere in carne mortali. Secundò, quia prædestinatio infallibiliter consequitur effectum: quare si Christus prædestinatus est, vt veniret in carne immortali, ita venit de facto: hoc autem Fidei Catholicæ aduersatur: ergo.

156 Præterea. Quarta explicatio cum reliquis omnibus in eo deficit, quod ponit prædestinationem Christi terminari ad illum sine connexione, aut dependentia à passibilitate, & alis qualitatibus, vel actibus; qui conueniunt Christo, vt est Redemptor. Illa verò explicatio, quæ ponit passibilitatem, & alias circunstantias habere se vt modos, & non tenere se ex parte termini prædestinationis, sed consequenter adiacere, sicut fruitio se habet ad terminum prædestinationis nostræ; falsa est: quoniam hic consideratur Christus, quatenus est terminus prædestinationis, & decreti Diuini statuentit de illo, & volentis eius Incarnationem: qua consideratione est finis & terminus talis decreti, & intentionis, & terminauit in particulari istam prædestinationem secundùm omnia, quæ habuit in effectu. Verum est, passibilitatem, & actiones Christi, imò & ipsum Christum, quatenùs est mediator Dei & hominum, & vt Redemptor noster, pertinere ad electionem, & non ad intentionem; sed in præsenti non consideratur hoc modo. Item cùm de ratione beatitudinis, vt terminat prædestinationem, sit fruitio, perpetuitas, & securitas, isti modi nō se habent per accident, & extra rationem termini completi & perfecti, non enim dicetur D. Paulus prædestinatus, ex eo quòd decreuerit Deus suam essentiam illi in raptu ostendere; quia licèt tale decretum terminetur ad visionem Diuinæ essentiæ, in qua substantia beatitudinis consistit; non tamen cum perpetuitate, & ita non est formaliter prædestinatio. Argumenta in fauorem Scoti proposita Parag. 2. dissoluentur infra Parag. 16. huius Disputationis. Sequitur refutatio secundæ opinionis.

Confutatur secunda Opinio. §. XIII.

SECVNDA sententia Parag. 3. proposita, quatenùs asserit, decretum prædestinationis Christi fuisse omninò absolutum, & absque vllo respectu ad ordinem naturæ & gratiæ, est similiter falsa, & improbabilis, & parùm consentiens cum modo loquendi Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum: quia omnia testimonia Sacræ Scripturæ, quibus hæc opinio à suis authoribus confirmatur, affirmant, Christū fuisse prædestinatum cum habitudine ad vtrumque ordinem, naturæ & gratiæ. Etenim in eis habetur, prædestinatum fuisse Christum, vt esset caput, vt primatum teneret supra omnes res mundi, vt esset initiū viarum Dei, & vt esset finis rerum omnium: sed hæc verificari non possunt de prædestinationis Christi decreto, si fuit omninò absolutum, & nullum dicens respectum ad ordinem naturæ & gratiæ, quia nullius corporis Christus esset caput, nullius ordinis esset finis, nullarum viarum esset initium, & denique nullum primatum teneret: ergo &c. 157

Præterea. Christus fuit Adæ reuelatus, vt consummator gratiæ ipsi Adamo collatæ: ergo ex illa reuelatione constat, decretum prædestinationis Christi intrinsecum habuisse respectum ad vtrumque ordinem, & naturæ & gratiæ; ita vt vterque ordo ex vi illius primi decreti necessariò, necessitate suppositionis esset futurus: quia licèt nō formaliter, virtualiter tamen, & radicaliter vterque ordo in illo priori decreto fuit constitutus, & dispositus, quatenùs de perfectione, & consummatione eius per Christum facienda in tali decreto tractabatur. Rursus illud testimonium Sap. 8. *Dominus creauit me, &c.* A Sanctis Patribus intelligitur per comparationem, & respectum ad Ecclesiam, & omnes Patres antiqui explicant prædestinationem Christi per respectum ad humanā naturam, & ad eius sanctificationem, & exaltationem, quæ explicatio illis verbis Pauli ad Roma. 1. nititur. *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundùm spiritum sanctificationis.* Hoc est, ad sanctificandam naturam humanam. 158

Postremò confirmatur. In Incarnatione maximè splenduit diuina bonitas; sed hæc in eo potissimùm apparet, quòd pluribus communicetur: ergo Christus ex vi suæ prædestinationis prædestinatus est in bonum rationalis naturæ, & totius vniuersi. Argumenta huius sententiæ dissoluentur in fine Disputationis, Parag. 27. 159

Tertiæ Opinionis Confutatio. §. XIIII.

TERTIA sententia Parag. 4. relata est valde probabilis in se, & quæ mihi olim multùm placuit, quia non aduerteram esse D. Thomæ contrariam: sed iam mihi displicet; primò, quia falsum est in illo priori signo rationis, practicè decreuisse Deum, se per Vnionem hypostaticam communicare, sine respectu ad ordinem gratiæ, & naturæ, & ad remedium peccati: quia vnio hypostatica necessariò supponit naturalem entitatem humanitatis assumendæ: hæc autem pertinet ad ordinem naturæ: ergo &c. Confirmatur, quia nullum subiectum potest perfici nisi præuisa ipsius subiecti existentia, vel saltem præuisa, vt infallibiliter futura: ergo prædestinatio Christi ad reparandum, vel eleuandum ordinem gratiæ, & naturæ, fieri non 160

potuit

Digitized by Google

potuit in illo priori signo, nisi præsupposita vtriusque ordinis præscientia.
161 Secundò. Nisi præsupponatur præscientia, & præuisio subiecti, nullum bonum superadditum potest illi cōferri; sed bonum, quod Christus humanitati, imò toti vniuerso contulit, fuit superadditum, & quasi supererogatiuum, & non ipsum esse substantiale creaturæ: ergo præsupponitur præscientia creaturæ rationalis ad prædestinationem Christi. Est enim inintelligibile, quòd Deus velit aliquem prædestinare, & tamen non præsupponatur ille à Deo priùs volitus, & præuisus, cui, videlicet, ea prædestinationis gratia fiat.

162 M. Alfonsus Mendoça in Quodlibetis q. 5. Scholastica Respondet, causam finalem posse à subiecto, & materia quoad exequutionem pendere, & de facto pendet, quia causæ sunt inuicem causæ: sed in intentione nullo modo pendere posse, imò verò finem simpliciter esse priorem, sicut est prior electione mediorum. Vnde colligit is author, Christi gloriam, & prædestinationem fuisse intentam, & volitam absque vlla præscientia subiecti præsupposita. Et similiter inquit, in nullo genere causæ præscientiam ordinis naturæ, & gratiæ præsupponi prædestinationi Christi, sed totam eius antecessionem habere se ex parte exequutionis. Nihilominùs hæc responsio falso nititur fundamento, nempe, intentionem causæ finalis esse à subiecto, & materia absolutam, sicut est independens à medijs, quæ ad finis assequutionem ordinantur: hoc, inquam, est falsum, quia in intentione finis non solùm explicatur finis, Qui, seu cuius gratia, verùm etiā finis, Cui, siue, Quo. Itaque ex vtroque fine integratur totale obiectum intentionis; ergo in intentione Dei, quâ Deus voluit Christi Incarnationem ad extollendum, vel reparandum vtrumque ordinem naturæ & gratiæ, non solùm ipsa Christi Incarnatio habuit rationem obiecti; sed etiam vterque ordo naturæ & gratiæ includebatur in illa intentione, in ratione finis, Cui, veluti partiale eiusdem Diuinæ intentionis obiectum: imò verò in genere causæ materialis priùs ad ipsam Dei intentionem pertinuit, quàm Incarnatio Christi.

163 Præterea falsum est, quod asserit hæc sententia, nempe, Incarnationem Christi nō esse futuram à parte rei, siue in exequutione, si non fuisset peccatum. Probatur. Remedium peccati non est causa prædestinationis, & Incarnationis Christi, vt concedit hæc sententia; neque etiam est effectus, qui necessariò consequatur ipsam Christi prædestinationem, vt patet, neque etiam est medium necessarium, vt in exequutione ponatur ipsa Christi Incarnatio; quia poterat Verbū Incarnari etiā nullo existente peccato: ergo si Christut fuis prædestinatus absque præscientia peccati, & absque vlla facta mentione Redemptionis humanæ, nequit verisimiliter dici, quòd Christi Incarnatio non esset absque Redemptione generis humani.

164 Rursus refutatur prædicta sententia. Si Redemptio generis humani respectu Incarnationis, solùm est ratio quoad exequutionem, proculdubiò illa est motiuū minus principale Incarnationis, cuius oppositum constat ex dictis conclusione prima, & secunda: quia in Scriptura non solùm hæc ratio frequentiùs assignatur; sed etiam nullius alterius fit expressa mentio, imò vt infra constabit contra quartam opinionem Parag. 15. Vix potest ex Sancta Scriptura alia causa Incarnationis colligi à Redemptione independens, quod est euidens signum, hanc esse præcipuam Incarnationis causam, atque adeò non esse solùm motiuum quoad exequutionem.

165 Confirmatur. Plures & Sanctissimi Patres manifestè affirmant, nullam aliam dari Incarnationis causam præter remedium peccati; ergo iudicarunt, hanc fuisse Deo rationem intendendi Incarnationem. Explicatur exēplo. Etenim si Samuel, cùm in Bethlehem est profectus, vt Dauidem vngeret in Regem, & dixit, ad sacrificandum Domino veni, adderet, solùm ad sacrificandum Domino veni, non verum diceret: ergo cùm Patres asserunt, Filium Dei nullam ob aliam causam in mūdum venisse, nisi vt peccatores saluos faceret; apertè indicarunt, non dari aliam causam quoad intentionem, propter quàm Deus in mundum venire decreuerit, vel si illam cognouerunt, manifesto mendatio nos voluerunt decipere.

166 Confirmatur secundò hæc ratio. Nullus Patrum duplicem causam assignauit Incarnationis, vnam, quoad exequutionem, & alteram, quoad intentionem: ergo cū asserunt absolutè, Incarnationis causam fuisse remediū peccati, manifestè loquuntur de causa præcipua, quæ est illa, quoad intentionem. Vnde Augustinus in Manuali cap. 26. apertè ait. Deum peccatorum misericordia motum misisse Filium suum. Athanasius sermone 3. contra Arrianos, * Vt fieret, * Inquit, * Homo, nunquam destinasset, nisi hominum necessitas id exegisset. * Quibus verbis ordo intētionis significatur. Et eodem modo loquuntur plures Patres locis citatis. Item. Scriptura, Concilia, & Patres eodem modo affirmant Filium Dei esse Incarnatum propter nostram salutem, quo asserunt, esse mortuum propter eandem salutem; sed cùm dicunt, mortuum esse propter nostrā salutem, significant causam in ordine intentionis: ergo eandem significant, cùm affirmant, Incarnationem esse propter nostram salutem. Antecedens probatur ex dictis in secunda conclusione Parag. 10.

167 Insuper. Quamuis aduersarij possint ad Patrum testimonia vtcumque Respondere, videlicet, cùm asserunt, Deum Incarnatum fuisse propter remediū peccati, eos loqui de motiuo, quoad exequutionem; ad illa tamen congruè respondere non valent, in quibus docent, Deum Incarnari decreuisse, vt nos à peccato liberaret: ergo eorum sententia est insufficiens. Antecedens probatur exemplo ab illis adducto: quia estò sit verum, Deum conferre hominibus gratiam, & gloriam post hanc vitam propter eorum merita; falsum tamen est, Deum propter merita præuisa decreuisse, eos infallibiliter ad gloriam perducere, & finalem gratiam tribuere: & hoc ideò est, quia merita nō sunt causa gloriæ quoad intentionem, sed quoad exequutionē. Ergo similiter si nostra Redemptio solùm est causa exequutionis Incarnationis, & non mouit Deum ad prædestinandam Incarnationem; falsum erit dicere, Deum decreuisse propter nostram Redemptionem carnem sumere, vt frequenter docent Sancti citati.

168 Confirmatur. Sancti Patres ex remedio peccati plures colligūt congruentes rationes, propter quas potiùs à Deo fuerit decretum, vt Persona Verbi Incarnaretur, quàm alia Trinitatis Persona; ergo antequàm decretū esset,

Digitized by Google

esset, vt Persona Verbi fieret homo, præcognitum fuit remedium peccati & ex illo sumptę sunt rationes motiuæ, propter quas Diuina voluntas potiùs voluit hypostaticam Vnionem cum Persona Verbi fieri, quàm cum alia Trinitatis Persona. Consequentia est certa, antecedens probatur ex D. Augustino de Fide ad Petrum cap. 2. D. Anselmo lib. de Incarnatione cap. 4. & lib. 2. Cur Deus homo, cap. 9. Athanasio lib. de humanitate Verbi, Bernardo serm. primo Aduentus. Richardo de Incarnatione Verbi cap. 10. & 11. Damasceno lib. 3. Fidei cap. 4. Antonino 3. p. titulo. 31. cap. 2. Parag. 1.

169 Postremò. Sancti Patres propterea docent, naturam humanam assumptam esse à Deo, & non Angelicam, quia humana cum dignitate naturæ intellectualis cõiungit necessitatem, & Indigentiam reparationis, & maiorem aptitudinem ad illam, quàm Angelica: ergo in ipsa causa motiua, propter quam potiùs determinata est Diuina voluntas ad assumendam naturam humanam, quàm Angelicam, includitur remedium peccati. Cõsequentia est certa, antecedens est D. Augustini tomo. 1. lib. de vera religione cap. 16. vbi ait, *Ipsa natura suscipienda erat, quæ liberanda.* Tertulianus etiam, & alij Patres propter hanc rationem docent potius assumptam fuisse à Deo humanam naturam, quàm Angelicam.

170 His omnibus impugnationibus Respõdent aduersarij, propterea in Sacra Scriptura expresiùs, & frequentius fieri mentionem Redemptionis nostræ, quæ solùm est causa Incarnationis, quoad exequutionem, & non alteriùs, licèt excellentioris, quæ est quoad intentionem, primò, quia rarissimè Diuina Scriptura explicat primas rationes Diuini Consilij, & voluntatis; tũ, quia altiores, & profundiores sunt, quàm vt nobis proponi debeant. Tum etiam, quia earum cognitio est minùs nobis necessaria. Et adducunt exemplum de glorificatione hominum, cuius in sacris literis frequentiùs & expresiùs causa assignatur, quæ solùm est quoad exequutionem, causa verò prima quoad intentionem, & valde obscurè, & rarò assignatur.

171 Cæterùm hæc solutio est insufficiens; primò, quia ipsi aduersarij docent, altissimam rationem Diuini Cõsilij, & voluntatis assumendę passibilitatis in carne, esse remedium peccati: & tamen huius expressa mentio fit in Sancta Scriptura; ergo similiter debuit fieri expressa mentio causæ assumendi carnem. Secundò. Falsum est, Sanctos Patres ex professo agentes de causis, & rationibus alicuius Consilij, & voluntatis Diuinæ, non significasse nobis altissimas illius rationes, quin potiùs oppositum potest aduersarijs manifeste pluribus exemplis probari, ipsi verò nullum pro se afferre valent.

172 Tertiò. Exemplum adductum de glorificatione, cuius ratio in exequutione frequentiùs in Sacra Scriptura significatur, cùm rarò, & valde obscurè eius, quæ in intentione causa est, fiat mentio, est contra ipsos aduersarios: tum, quia plures & grauissimi Patres de ea agentes, altissimam eius causam, quoad intentionem nobis manifestè explicarunt, & efficacibus rationibus probarunt, illa non fuisse merita nostra, vt constat ex materia de Prædestinatione: tum etiam, quia D. Paulus satis apertè hanc veritatem nobis manifestauit. Et tandem, quia propterea inter ipsos Patres Ecclesiæ est maxima dissensio in assignãda ratione prædestinationis quoad intentionem; quia licèt Scriptura sæpiùs verbis ferè expressis doceat, merita nostra præuisa non fuisse motiuum, propter quod Deus decreuerit hos potiùs, quàm illos ad vitam æternam efficaciter eligere, quia tamen in alijs locis asseritur absolutè, Deũ propter bona opera gloriam prædestinatis tribuere plures affirmant, illa fuisse motiuum efficacis electionis ad gloriam. Et testimonia Sacræ Scripturæ, quæ sibi contraria videntur, diligenter explicare conantur. At in præsenti nulla est inter Doctores Ecclesiæ de hac re dissensio, sed omnes vnanimiter docent, eam esse Redemptionem nostram: ergo nullum in diuinis literis fundamentum reperierunt, propter quod affirmarent, Redemptionem nostram non fuisse Deo causam assumendę carnis motiuam. Si enim inuenissent, Cur sicut de glorificatione agentes distinxerunt causam finalem illius ordine intentionis ab ea, quæ est ordine exequutionis, similiter non distinxerunt agentes de Incarnatione?

Confirmatur hoc ampliùs. Si ex Sacra Scriptura solùm constaret, Deum dare nobis gloriam propter merita nostra, & non essent alia testimonia, ex quibus colligitur, Deum electione sua sancta prædestinatos elegisse ad gloriam, vt essent sancti, probabilius esset, Deum efficaciter elegisse prædestinatos ad gloriam propter merita præuisa: ergo cùm in præsenti solùm constet ex Scriptura & Patribus, Deũ propter nostram salutem carnem assumpsisse; probabilius est asserere, hanc esse rationem, propter quam Deus carnem assumere decreuit: propterea enim ex locis, in quibus Scriptura docet, Deum creasse cœlum & terram, & quę cœli ambitu continentur propter hominem, rectè infertur, hominem fuisse causam finalem, propter quã Deus hæc omnia producere decreuit. 173

Præterea. Altera ratio, cui aduersariorum solutio nititur, est insufficiens, & falsa. Primò, quia non minùs vtile, & necessarium est nobis, primam rationem motiuam Incarnationis agnoscere, ac est cognoscere primam rationem motiuam prædestinationis; sed illius fit mentio in Sancta Scriptura, & eam non accuratè satis Patres docuerunt: ergo hanc etiam debuerunt docere. Secundò: quia perfecta huius mysterij cognitio, si non toti Ecclesiæ est necessaria, est tamen maximè necessaria Doctoribus, & Magistris, qui parati esse debent rationem reddere omni poscenti, eius, quæ in nobis est, fidei; sed ad perfectam cognitionem huius summi operis Dei valde necessaria est cognitio rationis finalis motiuæ illius: ergo falsum est, propterea altissimam rationem motiuam Incarnationis non esse traditam à Sanctis Doctoribus, & Scriptura, quia illa necessaria non erat. 174

Alij Respõdent, propterea nostram Redemptionem frequentiùs in Sancta Scriptura, & Patribus, vt causam Incarnationis assignari, licèt solùm fuerit quoad exequutionem, quia hæc est vtilissima nobis ad exagerandam grauitatem peccati, ad declarãdum Dei amorem erga peccatores, & ad meliùs cognoscendam Incarnationis necessitatem. Sed contra hanc solutionem obijcitur: Primò, quia non solùm frequentiùs fit mentio huius motiui, sed nunquàm fit mentio alterius, vt ostendetur infra Parag. 15. sequenti. Et licet hoc vtcumque verosimile esset de Scriptura: at omninò incredibile videtur, si de Sanctis Patribus sit sermo: si enim illi 175

aliam

Digitized by Google

aliam cognouissent causam adæquatam Incarnationis ordine intentionis, quo pacto omnes ita vnanimiter ad illam reticendam conspirarunt: præsertim cùm apertissimè de hoc mysterio disputauerint locis,& temporibus valde diuersis,& nullum sit, neque appareat inconueniens, propter quod hanc causam non exprimere decreuerint? Quòd si hoc inconueniens est, Cur aduersarij propter illud suam sententiam, licet veram, non retinent exemplo Sanctorum Patrum? Quòd si dicant aduersarij, hanc causam ab illis non fuisse cognitam, cùm videant, nullam posse probabilem rationem afferre, quare Sancti Patres eam tanto studio celauerint; hoc certè peius erit, & eorum sententiam magis euertet, quia si hoc ita est, ergo omnes Sancti, quos supra conclus. 1. Parag. 10. citauimus, nostram Redemptionem, vt causam vnicam Incarnationis cognouerunt, & ex consequenti arbitrati sunt eam esse causam non solùm quoad executionem, verùm etiam quoad intentionem. Quare contra communem, & maximè receptam Sanctorum Patrum sententiam erit oppositũ affirmare,& non vacat temeritate.

176 Secundò obijcitur contra eandem solutionem, quia omnes rationes ab aduersarijs assignatæ sunt prorsus inefficaces. Et primò, contra priorem est, quia ad exaggerãdam peccati grauitatem, satis est, si cognoscamus, Christum Dominum tot labores,& ærumnas ab instãti natiuitatis, & tandem crucem, & mortem propter nostra scelera sustinuisse, cui rationi nihil derogat, decretum carnis assumendæ fuisse propter aliam causam à peccato independentem, & illam nobis fuisse manifestatam. Deinde credendum non est, Deum intendisse simulatione aliqua, & occultatione veritatis, peccati grauitatem exaggerare, quin potiùs ipsa veritate verũ in nobis conceptum grauitatis peccati generare intendit. Quòd si cognitio alterius causæ Incarnationis ab aduersarijs excogitatæ occasionem præbet ad non ita perfectè cognoscendam grauitatem peccati: Primò satis hoc indicat eam non esse intentam à Deo in opere Incarnationis, siquidem eo modo credendum est, Deũ Incarnationem intendisse, quo magis in nostram cederet vtilitatem. Secundò, ex hoc manifestè sequitur, sententiam aduersariorum esse perniciosam, siquidem occasionem præbet his, qui illi adhæserint, ad non ita perfectè grauitatem peccati cognoscendum.

177 Adhæc. Secunda ratio impugnatur: quia eo modo credendum est, Deum Incarnationem intendisse, quo magis nos in suum amorem inflammaret, ergo si vt magis in Dei amorem accendamur, oportet, vt causa, propter quam aduersarij dicunt, intentam esse à Deo Incarnationem, nobis occultetur, hoc ipsum apertissimè probat, Deum in opere Incarnationis huiusmodi causam non intendisse: opus enim Incarnationis, vt est argumentum summi amoris Dei, iuxta illud Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum vt Filium suum vnigenitũ daret;* Sic etiam est opus, quo Deus in suum amorem nos inflammare maximè intendit. Quòd si cognitio huius causæ ab aduersarijs assignatæ amorem nostrũ erga Deum non impedit, aut vllo pacto amoris Dei erga nos cognitionem imminuit, quin potiùs auget, vt certè, si causa est, augere debet, Cur in Scriptura, aut Patribus nulla illius expressa mentio facta est? Qui est nodus ab aduersarijs soluendus, neque hactenùs solutus.

Tertiò obijcitur contra tertiam rationem: quia nõ 178
magis Incarnationis necessitatem declarat nobis Satisfactio ex toto rigore iustitiæ, quàm sanctificatio ex toto rigore iustitiæ; etenim tam necessaria est Incarnatio ad hoc, quàm ad illud. Secundò: quia si Deus non intendit Incarnationem propter nostram Redemptionem, sed tantùm propter illam intendit passionem, & mortem sustinere; nõ magis significatur necessitas Incarnationis assignando Redemptionem, vt motiuum Incarnationis quoad executionem, & reticendo illius principalius motiuum, quoad intentionem, quàm si illud non reticeretur. Quòd si explicato Incarnationis principaliori motiuo, aliquo modo necessitas Incarnationis minuitur; falso certè nititur fundamento tãta persuasio necessitatis Incarnationis. Neque tãta erit, quanta à nobis creditur propter nostram ignorãtiam. Non est autem credendum, Deum in hac nostra falsa persuasione sibi complacere, neque eum, neque Sanctos Patres propterea hanc causam nobis occultasse, vt ex hac ignoratione maiorem Incarnationis necessitatem inferre possemus.

Vltimò hæc sententia est contra D. Thomam. Pri- 179
mò, quia D. Thomas in hoc articulo manifestè negat dari aliam causam Incarnationis præter remedium peccati; siquidem ait, in Scriptura vbique fieri mentionem huius causæ,& non alterius. Secundò: quia ex remedio peccati sumit D. Tho. rationem q. 3. art. 8. propter quam Deus potiùs decreuerit, vnionem hypostaticam fieri in Persona Verbi, quàm in alia Persona Trinitatis. Et q. 4. art. 1. ex lapsu humanæ naturæ in Adamo, sumit rationem, propter quam potiùs decreuerit Deus humanam naturam assumere quàm Angelicam: quæ duo vera esse non possent, si remedium peccati solum esset motiuum, quoad executionem. Tertiò: quia 180
indignum est discipulo D. Thomæ asserere, tantũ virum præcipuam causam ignorasse, propter quam Incarnatio à Deo fuerit intenta. Quod si id concedere aduersarij vereantur, nullam possunt probabilem rationem assignare, propter quam D. Thomas neque in hoc articulo, neque in 3. scot. d. 1. q. 1. art. 3. illius non fecerit mentionem, cùm his duobus locis de motiuo Incarnationis disputet ex professo. Fundamentum verò aduersariorum, quod desumitur ex responsione ad. 4. Diui Thomæ, vbi comparare videtur orationes alicuius respectu prædestinationis alterius, cum remedio peccati respectu prædestinationis Christi, non illis fauet, quia non asserit D. Thomas, eodem modo pendere decretum Incarnationis à remedio peccati præcogniti, sicut adimpletio prædestinationis V. G. Pauli ab orationibus Stephani præcognitis,& præuisis: Etenim tota prædestinatio Pauli ex sententia D. Thomæ non dependet ab orationibus Stephani præcognitis; sed tãtùm pendet executio prædestinationis Pauli ab orationibus Stephani præscitis, quoad aliquem peculiarẽ effectum prædestinationis. At verò decretum Incarnationis secundum D. Thomam pendet tãquam à motiuo primario,& per se à remedio peccati præcogniti. Quare inter hæc duo, iuxta sententiam D. Thomæ est quædam similitudo, non tamen paritas omnimoda. Similitudo autem in eo posita est, quòd sicut adimpletio prædestinationis alicuius (esto talis prædestinatio sit ab æterno) potest pendere ex orationibus alicuius,

quæ

Digitized by Google

quæ sunt in tempore, vt prædestinatio Pauli ex orationibus Stephani ab æterno præcognitis, ita licèt peccatum sit commissum in tempore, quia tamen præscientia illius fuit ab æterno, quæ est prior decreto Incarnationis; ideò Incarnatio pendere potuit à peccato, quatenùs fuit ab æterno præuisum: & in hoc sensu affirmat D. Thomas, prædestinatiunem supponere præscientiam futurorum. Ex quibus constar, hanc sententiam falsam esse, nec veritatem attigisse, nihilominùs tamen ad illam accedere proximiùs, quàm omnes aliæ sententiæ, constisuentes prædestinationem Christi omninò à peccato, & eius remedio independentem.

Impugnatur Quarta Opinio. §. XV.

181 QVARTA sententia Parag. 5. proposita, quæ fuit Magistri Suarez, est similiter falsa, atque sententia Scoti, & in multis diuinat, & ad libitum loquitur, & absque sufficienti fundamento. Etenim licèt plures fuerint rationes, & causæ prædestionis Christi ex parte rei prędestinatę, nempe, ad illustrandam gloriam Dei, ad communicandam summo modo creaturis suam bonitatem, ad perficiendum vniuersum, ad deificandos homines, ad primam gratiam illis conferendam ex perfecto merito, & denique ad perfectè Satisfaciendum pro eorum peccatis, verùmtamen omnes illæ causæ, & motiua, propter quę Deus Christum prædestinauit, fundata fuere in Redemptione generis humani, vnde omnem vitã, gratiã & gloriã, & omnem denique rationalis naturæ exaltationem, propter quam Christus fuit prædestinatus, intendebat Deus per modum integri, & totalis effectus, ipsam Redemptionem consequentis. Imo neque ipsam suã gloriam, quam Deus principaliter intendebat, voluit aliter assequi, nisi media Redemptione. Ideò Paulus ad Ephes. 1. dixit. *Qui prædestinauit nos in adoptionem Filiorum per Iesum Christũ, in ipsum, secundùm propositũ voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus Redemptionem per sanguinem eius remissionem peccatorum secundùm diuitias gratię eius, quæ superabũdauit in nobis.* Sunt autem expendenda illa verba. *In laudem gloriæ gratiæ eius.* Significant enim, & denotant finem prædestinationis nostræ in Christo, & per Christum; & finem prædestinationis ipsius Christi, qua prædestinatus est, vt esset caput, & exemplar omniũ prædestinatorum. Hic est finis, vt simus omnes prædestinati in laudem gloriæ gratiæ eius, hoc est, gloriæ resultantis ex gratia eius, & in eius gratia fundamentũ
182 habentis. Ex quo loco infertur, gratiam, ex qua oritur gloria, cuius laudem Deus à nobis exigit, totam in Redemptione per Christum, & eius sanguinem fundari; ex qua tanquàm ex fonte dimanant omnes diuitiæ, gratiæ Dei, quæ in nobis superabundat. Itaque in hoc sensu asserendum est, nostram Redemptionem fuisse vnicam prædestinationis Christi causam, quia omnes aliæ causæ in ipsa Redemptione fundantur, & ex ea, tanquam ex prima radice oriuntur, ac proindè faciunt vnum cum illa, & omnes simul vnica reputantur causa. Vnde D. Thomas solam Redemptionem generis humani, vt condistinctam ab excellentia mysterij Incarnationis, nunquam dixit esse rationem finalem Incarnationis, vt ei videtur tribuere Suarez Sectio. 4. imò verò in corpore huius articoli, & in responsione ad primum, omnia officia Christi, quæ ex se ab officio Redemptoris independentia videbantur, sub Redemptoris munere comprehendi docet, esseque illi subordinata.

183 Vnde omnes operationes Christi, & effectus, qui ab illis profecti sunt, ab eisque dependent, non efficiunt vnam causam totalem Incarnationis, neque fuerunt motiuum adæquatum decreti Diuini, si intrinseca perfectio, & excellentia Incarnationis præscindatur. In quo maximè deceptus est M. Suarez, distinguens duplex motiuum adæquatum Incarnationis, quorum alterum dicit fuisse intrinsecam excellentiam Incarnationis & vtilitates, quæ ex illa consequuntur secluso peccato; alterum verò Redemptionem, & quidquid boni ex illa sequitur ad Diuinum honorem, vel ad nostrum commodum spectans. Sed contra hoc obijcitur: quia tota ratio creata, propter quam Deus Incarnari decreuit, vel est perfectio intrinseca Incarnationis, seu potius Christi, vel perfectio operationum eius, & effectuum, qui ex his operationibus resultant: sed omnia hæc in Redemptione includuntur: ergo illa sola est adæquata, & sufficiens causa Incarnationis. Maior patet, & conceditur à Suarez. Minor verò probatur. Et primò, quòd excellentia intrinseca Incarnationis includatur in Redemptione, probatur. Generatio hominis est propter substantiam hominis, & propter intrinsecam essentiæ hominis perfectionem: ergo etiam Incarnatio ordinata ad Redemptionem est propter substantiam Christi, & propter perfectionem intrinsecam, & essentialem illius. Consequentia probatur: quia sicut anima rationalis, & caro vnus est homo: ita Deus & homo vnus est Christus; ergo sicut generatio hominis est propter perfectionem intrinsecam sui termini, ita etiam generatio Christi, hoc est, Incarnatio, est propter perfectionem intrinsecam ipsius Christi. Terminus enim actionis est finis intentus ab agente, neq; vlla potest assignari ratio, quare Deus hunc Incarnationis terminum non intenderit.

184 Secundò. Nullum debet dari Incarnationis decretum adæquatum, & efficax ex vi alicuius motiui, propter quod Deus non intenderit suam gloriam, & infinitam perfectionem in perfectißimo opere Incarnationis perfectißimè manifestare: sed id, in quo Dei omnipotentia, sapientia, ac cætera eius attributa maximè manifestantur, non tam sunt actus dimanantes à Christo, quàm ipsa substantia Vnionis hypostaticæ naturæ humanæ cum Verbo Diuino: ergo Christus non est adæquatè intentus à Deo propter solam perfectionem aliquarum operationum eius, quibus nostram salutem est operatus, sed etiam propter perfectionem intrinsecam, & substantialem totius compositi, nempe, Dei & hominis.

185 Tertiò. Christus in ordine ad nostram Redemptionem est intentus à Deo secundùm totam perfectionem, quam importat hoc nomen, Iesus; sed hoc sanctissimo nomine præcipuè significatur perfectißima excellentia substantiæ Christi: ergo propter illam est intentus à Deo, etiam in ordine ad nostram Redemptionem. Quòd autem operationes Christi in Redemptione includantur, probatur. Opera Redemptionis Christi

propterea placent Deo, quia Christus infinitè placet Deo, & propterea illa habent infinitam dignitatem, & valorem, quia Christus est Persona infinitæ dignitatis: sed opera Redemptionis Christi ea ratione sunt motiua Incarnationis, quatenùs infinitè placent Deo, & sunt infiniti valoris; ergo si propter illa vt sic intenta est Incarnatio à Deo, saltem inadæquatè intenta est Incarnatio propter propriam, & intrinsecam perfectionem, ex qua resultat operationum perfectio. Confirmatur. In omnibus alijs operibus à Deo conditis, cælo, Angelis, & homine &c. Nō habuit Deus pro motiuo adæquato operationes eorum, sed etiam intendit intrinsecam perfectionem substantiæ ipsorum: potiùs enim accidentia sunt propter substantiam, quàm substantia propter accidentia; ergo in hoc summo, & perfectissimo opere non ita Deus ordinauit substantiam illius ad operationes, vt tota & adæquata ratio illud volendi fuerit operationum perfectio, præscindendo à perfectione substantiæ: nam sicut in alijs rebus bonitas Dei, & cætera attributa non solùm resplendent in operationibus, sed maximè in essentiis, & substantijs eorum; sic etiam bonitas Dei, & Diuina attributa in ipsa substantia, & intrinseca perfectione Incarnationis multò magis resplendent, quàm in operationibus à Christo dimanantibus: ergo non est intenta adæquatè Incarnatio à Deo propter solam bonitatem operationum Christi, quæ ordinabantur ad Redemptionem, & vtilitatem nostram, quæ ex illis dimanauit.

186 Præterea. Primum decretum Incarnationis, quod Magister Suarez constituit à munere Redemptoris independens, non solùm includit operationes Christi abstrahentes à munere Redemptoris, & vtilitatem nostram inde consequutam; verùmetiam includit intrinsecam perfectionem Incarnationis: ergo pari modo secundum decretum Incarnationis propter motiuum Redemptionis non solùm debet esse propter intrinsecam perfectionem operationum, pertinentium ad Redemptionem: sed etiam propter intrinsecam, & substantialem perfectionem Incarnationis, à qua oritur tota perfectio, & dignitas actionum Christi, quibus nobis libertatem à peccato meruit. Consequentia probatur: quia nō est maior ratio, quare actiones Redemptoris, & effectus, qui ex illis sequuntur, efficiant vnum motiuum adæquatum Incarnationis, & actiones Christi, quæ non pertinent ad Redemptionem, & effectus, qui ex illis consequuntur, non efficiant aliud motiuum adæquatum Incarnationis, & ita erunt contra M. Suarez tria motiua adæquata, nempe, excellentia & intrinseca perfectio Incarnationis quoad substantiam; perfectio, & bonitas operationum abstrahentium à Redemptione, & effectus earum; & perfectio ac bonitas actionū Redemptionis, & effectus earum: quod sine dubio est absurdum, & sine vllo fundamento in Scriptura dicetur. Quare si duo motiua adæquata constituenda sunt, in vtroq; includi debet excellentia, & intrinseca perfectio Incarnationis, vt motiuum inadæquatum, & dependens à perfectione operationum, & effectibus earū.

187 Postremò Redemptio, vt fuit motiuum completū Incarnationis non sumitur solùm pro Redemptione in nobis recepta, quæ dicitur passiua, sed præcipuè vsurpatur pro Redemptione, quæ est in Christo Iesu, vt constat ex Paulo ad Ephes. 1. quæ sanè est Redemptio actiua, & est causa Redemptionis passiuæ, quæ in nobis recipitur: sed Christus non solùm virtute, perfectione, & valore suorum operum fuit, & est causa Redemptionis, quæ in nobis recipitur; verùmetiam sua propria substantia, & potentijs: ergo Incarnatio, vt est propter Redemptionem, non est propter solam perfectionem, & bonitatem operationum Christi, sed etiam propter perfectionem intrinsecam, & substantialem ipsius Christi. Maior patet, & minor probatur; quia non solùm actiones Christi sunt causæ nostræ Redemptionis, sed etiam ipsæ potentiæ, & virtutes, à quibus dimanant: sanguis etiam pretiosissimus ipsius, vt hypostaticè vnitus Diuinæ Personæ, pretium est, & fuit nostræ Redemptionis, in qua proculdubiò includi debet ipsum pretium, & Christi corpus in cruce oblatum in sacrificium est causa aliquo modo nostræ reconciliationis. Deniq; ipsa Christi caro in eucharistia est causa augmenti gratiæ, qua perfectè natura à peccato sanatur, & roboratur in vita, & à peccato præseruatur. Et ita Paulus non solùm ait, nos in Christo Iesu Redemptionem habere, sed etiam. 1. Corint. 1. ipsum Christum appellat Redemptionem nostram. Ergo si propter nostram Redemptionem intentus est Christus, propter propriā perfectionem, & bonitatem intrinsecam intentus est, & non solùm propter bonitatem & perfectionem operationū eius. Ex quibus constat, in Redemptione, quæ dicitur causa Incarnationis, necessariò includi ipsam perfectionem, & excellentiam intrinsecam Christi, ac proinde non esse ponendum duplex motiuum adæquatum Incarnationis, vnum ab altero condistinctum, sed sufficere vnum, in quo reliqua omnia continentur.

188 Prĕtereà Sancti Patres sententiæ M. Suarez expressè aduersantur, etenim Athanasius lib. de Incarnatione Verbi ait. *Ob nostrā salutem, ita humanus, (id est, Filius Dei) extitit, vt in humano corpore & esse vellet, & appareret.* Et Greg. Nazianzenus oratione. 36. nu. 6. ait. *Quæ autem humanitatis à Deo propter nos susceptæ causa extitit? Profectò, vt nobis salus pararetur. Quid enim aliud causæ afferri potuit?* Item Ambrosius lib. de Incarnationis Dominicæ Sacramento c. 6. *Didicistis,* inquit, *Quia sacrificiū de nostro obtulit; nam quæ erat causa Incarnationis, nisi vt caro, quæ peccauerat, per se redimeretur.* Et Augustinus lib. 1. de peccat. merit. & remissio. cap. 26. dicit, non ob aliam causam Christū in carne venisse, nisi vt nos redimeret. Et sermo. 9. de Verbis Apostoli ita inquit, *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores saluos facere. Tolle vulnera, & nulla causa est medicinæ.* Ecce quomodò Patres doceant, nullā aliā causam fuisse Incarnationis Christi, præter remedium peccati. Quare qui causas totales & adæquatas Incarnationis Chri multiplicat, doctrinę Patrū aduersatur.

189 Rursus improbatur prædicta sententia hac ratione D. Thomæ: quia in Sancta Scriptura nulla alia causa Incarnationis Christi assignatur, nisi Redemptio à peccato, vt ostensum est conclusione. 1. Parag. 10. Ergo sine fundamento aliæ confinguntur independentes à Redemptione. Probatur consequentia: nam quæ ex sola Dei voluntate pendent, & sunt supra omne debitum creaturæ, per solam reuelationem possunt nobis innotescere; sed in Sacra Scriptura ratio Incarna-

Incarnationis semper assignatur ex peccato primi hominis: ergo ex illo sumpta est prima ratio, quæ Diuinā voluntatem mouit ad hoc mysterium faciendum: atque adeò sine fundamento dicitur, aliam intendisse causam, præter eam, quàm nobis Sacræ literæ manifestant. Hanc rationem D. Thomæ nō probat M. Suarez Sectio. 2. dicens, Incarnationem secundùm suā substantiam, de facto fuisse à Deo præordinatam, propter plures fines motiuos principales, independentes, & totales in suo genere, nempè propter exaltationē humanæ naturæ, veluti finem intrinsecum, consequutum ex vi ipsius operis, & propter remedium peccati, veluti propter extrinsecum finem proximum, etiam totalem; Quam doctrinam non aliter probat, nisi quia impossibile non est, præsertim Deo, velle aliquid facere propter plures fines totales, non subordinatus Et quòd ita fecisse in præsenti proposito cedat in maiorem ipsius gloriam, & Christi laudem, qua supposita doctrina; inquit, Scripturæ testimonia saluātur; solùm enim docent, Christi Incarnationem in salutem hominum fuisse præordinatam. Ex quo colligere, non fuisse de facto in alium finem, quem simul Deus intendere potuit, ordinatam, est de Diuino Consilio diuinare. Cæterùm hæc Responsio est planè Diuinatoria; nam cùm Deus æquè potuerit Incarnationis mysterium in solam hominū salutem præordinare, tanquàm in finem proximum principalem, ac in plures alios fines; vnde colligit, non in hunc solum finem Redemptionis generis humani, defacto præordinasse? Etenim occultum Dei iudicium non leuibus coniecturis, & argumentis à ratione ductis inuestigandum est, sed ex reuelatione in Scripturis facta. at in Diuinis Scripturis solùm nobis reuelatum fuit, Deum Christi Incarnationem in remediū peccati præordinasse, & nulla alia redditur causa, quæ huic fini subordinata non sit: quare absolutè dicendum est, Deum propter solum remedium peccati defacto Incarnari voluisse. Qua enim alia ratione, quæso, Scotus, & sectatores illius efficaciter probare intendunt, Christū secluso peccato non venturum passibilem, & mortalem, nisi quòd Diuinæ literę passionis, & mortis eius nullā aliā assignāt rationem, præter Redemptionē generis humani? Cùm ergo Incarnationis hanc solam reddant causam; eodem modo nos efficaciter probamus; Christum minimè in carne venturum, si homo non peccasset: saltem ex vi prædestinationis, qua defacto prædestinatus est.

190 Verùmtamen M. Suarez Sectio. 3. labefactare contendit rationem Diui Thomæ, cuius maiorem propositionem non vsquequaq; veram arbitratur, asserens non oportuisse specialiter in Sancta Scriptura rationem Incarnationis à peccatò independentem declarari, vt inde inferatur, Deum illā habuisse, quia extra reuelationem ex ipsa operis exhibitione potest congruenti ratione colligi. Etenim licèt Diuina voluntas sit libera; nihilominus perfectissimè, & prudentissimè omnia operatur, & vult. Et ideò sicut vniuersas res per se voluit propter earum perfectiones, & ad completam sui communicationem; ita multò maiori ratione credendum est hoc modo mysterium Incarnationis voluisse. Neq; oportuit hanc rationem specialiter in Sancta Scriptura nobis reuelari, vt supponere videtur Diuus Thomas, quia in Scriptura oportuit quidem Diuinorū operū extrinsecas rationes, & motiua explicari: nam cùm illa sint extrinseca, & ad finem duntaxat operantis pertineant, nobis aliter innotescere non possunt. Motiuum autem intrinsecum ex intrinseca rei perfectione petitū, cùm ex re ipsa producta manifestetur, satis est, si non excludatur: quia nisi hoc specialiter reuelatum sit, nulla est ratio cogitandi Deum tale motiuum exclusisse. Vnde in cæteris Dei operibus, cælo, Angelis, & hominibus, nusquā legimus singula voluisse creare propter eorum perfectionem, vniuersi complementum, & perfectam Diuinæ bonitatis communicationem; sed tantùm in communi legimus, Deum propter se vniuersa creasse, vt omnibus seipsum communicaret, & in omnibus, quandā sui similitudinem aliquo modo perfectam intendisse. Ex quo principio, inquit M. Suarez, concludit Diuus Thomas. 1. p. q. 50. art. 1. Deum creasse aliquas creaturas in gradu intellectuali propter earum perfectionem, & maiorem cū Deo similitudinem. Quocirca licèt in Scriptura aliqua extrinseca creationis ratio huiusmodi rerū declaretur, vt de Angelis, quòd sint in hominū ministeriū creati, & de homine, quòd fuerit ad reparandas Angelorum ruinas creatus; semper supponi intelligitur illa intrinseca ratio ex gradu perfectionis vniuscuiusque rei desumpta. Et eodem modo de hoc altissimo mysterio philosophandum est.

Cæterùm contra hanc Responsionem obiicitur: nā cùm bonitas intrinseca cuiuscumque obiecti creati Diuinā voluntatem necessariò ad eius electionem nō moueat, ineptus erit philosophādi modus, ex creatione ipsius inferre, bonitatem intrinsecam talis rei fuisse Deo sufficiens, & efficax motiuū independenter à quocūque aliò extrinseco, eius decreti, quo illam primò creare decreuit: quod apertè potest confirmari ex ipsismet exemplis, quæ M. Suarez in suæ Solutionis confirmationem adducit: etenim licèt cælum bonitatem intrinsecā habeat, & quædam sit Diuinæ bonitatis participatio, adhùc eius intrinseca perfectio nō fuit Deo totale motiuum, & sufficiens ad illud creandū. Idem dicendum est de terra, & elementis, & de mixtis irrationalibus, tam animatis, quàm inanimatis, quia hæc omnia nō essent à Deo creata, nisi vt homini inseruirent. Secundò idem probatur ex sententia ipsius Suarez, iuxta quam idem dicendum est de creatione hominum & Angelorum, qui propter Christum, tanquam propter finem præcipuum, & primarium creati sunt, vt probare conatur tota Sectione secunda. Idem etiam est asserendum de eleuatione hominum, & Angelorum ad ordinem gratiæ, & gloriæ, adeò vt ex sententia ipsius Suarez, hæc conditionalis sit vera. Si Christus non foret, neque homines, neque Angeli ex vi præsentis decreti Diuini eleuati essent ad ordinem gratiæ, & gloriæ; imò neque creati: ergo licèt ordo naturæ, & ordo supernaturalis gratiæ habeant proprias bonitates intrinsecas, propter quas amabiles, & eligibiles sunt, vt perfectæ quædam Diuinæ bonitatis participationes: adhùc tamen de facto eorum intrinseca bonitas, & perfectio non fuit Deo ratio sufficiens motiua, à quacumque alia extrinseca independens ad hos ordines creandos, nisi Christi gloria accederet, quæ est ratio motiua extrinseca. Cùm igitur in Sancta Scriptura vbicumque fit Incarnationis mentio, Spiritus Sanctus, qui Dei profunda scrutatur, assignet remedium contra peccatum tanquàm 191

rationem,& motiuum illius diuinare omninò est, aliā rationem motiuam à remedio peccati independentem tanquam sufficientem assignare, quæ ex ipsa perfectione intrinseca operis Incarnationis desumatur. Confirmatur: quia non omne, quod ex parte obiecti est magis volibile,est magis volitum à Deo, nam salus omnium hominum,& Angelorum est maius honū,quàm salus paucorum, & tamen magis volita est à Deo salus paucorum,quàm omnium, vt rectè hic adnotauit Caietanus contra Scotum circa tertium Dubium; ergo ex sola perfectione intrinseca operis producti à Deo non bene colligitur aliquod motiuum à quocumque alio extrinseco independens; quamuis in Sacra Scriptura hoc intrinsecum motiuum nō excludatur. Firma igitur manet illa maior D.Thomæ.

192 Alij Respondent concessa maiore & minore huius syllogismi D.Tho.negando consequentiam,quia argumentum ab authoritate negatiua nullum est, aut certè est valde inefficax, ex eo enim quòd Scriptura aliā Incarnationis causam non docuerit præter remedium peccati,neq; Sancti Patres illius meminerint (eùm tamen non negauerint) nequit firmum argumentū duci ad probandum non esse aliam; quia nō omnia debent in Sacra Scriptura exprimi,sic enim essent de fide,neq; expressè tradi à Patribus, qui plura Disputationibus Theologorum relinquunt. Sed hæc solutio parum habet probabilitatis.Primò, quia vel Sancti Patres citati cōclus.1.Parag. 10. cognouerunt aliam causam Incarnationis à Redemptione independentem, vel non. Si cognouerunt, Cur illam occultarunt, & non tradiderunt?Si non cognouerunt,ergò arbitrati sunt,Redemptionem esse vnicā causam sufficientem Incarnationis. Quare dicendum est, vel Sanctos Patres in hac re grauissimè fuisse deceptos, vel nullam aliam causam esse præter Redemptionem. Quam autem vim habeat argumentum negatiuum ex Scriptura desumptū, ostensum est Parag.10.num.117.

193 M.Suarez pagina.180.columna.1. asserit,minorem D.Tho.non esse veram,neq; posse ex Scriptura probari,scilicet quòd in Sacra Scriptura ratio Incarnationis semper assignetur ex peccato primi hominis. Vnde affirmat primò,illis testimonijs ex Sacra Scriptura, Cōcilijs & Patribus,adductis Parag.10.solùm probari cōtra Scotum;& sectatores illius, Redemptionem à peccato non tantùm fuisse causam assumptæ passibilitatis,verùmetiam assumptæ carnis. Affirmat secundò,ex his locis citatis euidenter colligi, Redemptionem frequentiùs in Sancta Scriptura & Patribus vt causam Incarnationis assignari, hoc tamen non esse indicium, quòd Redemptio ita sit Incarnationis causa, vt quæuis alia à peccato independens sit excludenda, propter quā Deus Incarnari efficaciter decreuerit; nam plures, inquit,sunt rationes,& congruentiæ, propter quas, licèt detur alia sufficiens causa, potiùs & plerumque Scriptura & Patres Redemptionis meminerint. Prima est, quia non semper, imo rarò Diuinæ literæ explicant primas rationes,& causas Diuini Consilij, & voluntatis, tum quia altiores & profundiores sunt, quàm vt nobis proponi debeant: tum etiam, quia earum cognitio nobis minus est necessaria. Secunda est,quia hæc est hominibus vtilissima,tum ad exaggerādam peccati grauitatem, tum ad declarandum Dei amorem erga peccatores.Tertia est,quia hæc ratio maximè declarat Incarnationis necessitatem.Quarta,quia hæc quodammodò reliquas omnes causas cōplectitur. Quinta,quia frequentiùs Scriptura,& Sancti tractant de Incarnatione Christi,prout in re facta est,ac mysteria passionis & mortis includit, cuius vt sic sola Redemptio est causa adæquata,non solùm modi,sed etiam substantiæ Incarnationis; & propterea in Scriptura frequentiùs hæc, quàm alia assignatur, & similiter à Sanctis Patribus, quorum institutum non erat primas rationes Diuini Consilij subtiliter inuestigare,& omnia Diuinæ voluntatis motiua, & eorum ordinem secundùm nostram rationem inquirere: sed explicare mysterium, prout factum est,& causam eius, vel ad instruendum fideles, vel ad Satisfaciendum infidelibus, qui magis de modo,id est,de passione,& morte Christi,quàm de mysterij substantia admirari solent, & ideò eam causam, plærumque assignant, quæ ad Satisfaciendum omnibus est magis accommodata,& adæquata,cuiusmodi est Redemptio.

Tertiò & vltimò asserit M.Suarez, neq; ab Scriptura,neque à Patribus fuisse prætermissam aliam causam Incarnationis sufficientem à remedio peccati independentem.Et probatur primò ex illo Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret.* Vbi dilectio mundi dicitur primum motiuum sufficiens Incarnationis. Secundò ex illo Ioan. 10. *Ego veni,vt vitam habeant,& abundantiùs habeant.* Quæ ratio est à peccato independens. Tertiò ex ca.18. *Ego ad hoc natus sum, vt testimonium perhibeā veritati.* Quæ ratio non cessat cessante peccato, nam veniret Christus,vt Magister veritatis Verbo & opere: sic Ioelis.2.promittitur Christus vt Doctor iustitiæ. Et sæpè alibi in Scriptura. Quartò probatur idem ex illis Verbis Christi Lucæ.12, *Ignem veni mittere in terram, quid volo,nisi vt accendatur.* Ergo est sufficiens motiuū Incarnationis, Ignem charitatis in cordibus nostris accendere: quod deficiente peccato non deficeret. Certum est enim Deum,etiam pro illo statu intendisse ignem charitatis in nobis accendere, vt eum toto corde diligeremus. 194

Præterea idem probatur nonnullis D.Pauli testimonijs,Primum est ex.1.Corint.1. vbi dicitur à Paulo Sapientia,Iustitia,& Sanctificatio nostra:quæ rationes vt sic non dependent à peccato.Secundùm, ex cap.2.eiusdem-Epistolæ,vbi Paulus de Christo agens, quem Sapientiā vocat absconditā in mysterio, sic dic. *Quem prædestinauit Deus in gloriā nostrā.* Ecce gloria nostra assignatur vt causa prædestinationis Christi, quæ vt sic nullo modo supponit peccatū.Tertiū est,ex Epistola ad Coloss.vbi Paulus tradit,Christū,vt hominem, esse caput hominū,& Angelorū,influxus autem capitis in Angelos, & in omnes homines etiā pro statu innocentiæ independens omninò est à remedio peccati. Quartùm ad Ephes.1.vbi Paulus de Deo loquens sic ait. *Qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cęlestibus in Christo sicut elegit nos in ipso ante mundi cōstitutione, vt essemus sancti & immaculati &c.Qui prędestinauit nos in adoptione Filiorū per Iesū Chrū in ipsū secūdū propositū volūtatis suę, in laudē gloriæ gratię suę,in qua gratificauit nos in dilecto Filio suo.* Ecce omnes benedictiones spirituales, omnis electio prædesti- 195

prædestinatorum ad gloriam, omnis etiam gratificatio nostra in Christum reuocatur, & ipsa etiam Christi dilectio & prædestinatio in laudem gloriæ gratiæ Dei reducitur, quæ est causa omninò à peccato independens, ex vi cuius permaneret Incarnationis decretum.

196 Rursus idem probatur ex omnibus illis locis Sacræ Scripturæ, in quibus docemur, Christum venisse, vt Prophetam, Sacerdotem, Pastorem, Ducem, Regem, Magistrum &c. Quæ omnia munia, & officia independentia sunt à munere Redemptoris, atque adeo etiam si Christus non veniret vt Redemptor secundùm Scripturã, veniret vt Propheta, Rex, Sacerdos &c. Item probatur ex illis locis Diuinæ Scripturæ, ex quibus colligitur, Christum fuisse primum prædestinatorum omnium, tam hominum, quàm Angelorum, & causam exemplarem prædestinationis omnium illorum: tum etiam ex illis, ex quibus infertur Christũ fuisse causam finalem, propter quam decreuit vniuersa condere, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt, quia hæc duo nulla ratione consistere possunt, si Christus solùm in remedium peccati prædestinatus est.

197 Postremò idem probatur ex Patribus asserentibus Angelos in primo instãti suæ creationis habuisse fidem in Christum, quod præter D. Thomam. 1. p. q. 64. art. 1. ad. 4. docere dicuntur D. August. 5. de Genesi ad literam cap. 19. D. Bernar. serm. 17. in Cantica. D. Cyrillus lib. 5. in Isaiã tom. 2. Rupertus Abbas ad illud Ioan. 8. *Ille homicida erat ab initio.* Et fauent illi Patres, qui dæmones peccasse docent hominum inuidia, appetendo hypostaticam vnionem, sibi à Deo reuelatam cum humana natura, pro qua sententia Alexander Alensis. 3. p. q. 2. membro. 13. citat Bernardum super illud Ionæ. *Si propter me orta est tempestas, &c.* Citatur etiam ab aliis sermo. 17. & 22. in Cantica. Idem docere tenentur, qui dicunt, gratiam Angelis collatam in primo instanti fuisse propter merita Christi, vt docet Gregorius lib. 1. Reg. cap. 2. & homil. 14. in Ezechiel. Laurentius Iustinianus serm. de Ascensione, Bernardus locis citatis, Rupertus lib. 3. de Processione Spiritus Sancti cap. 21: quod magis confirmatur ex illis Patribus, qui asserunt, Adamum in statu innocentiæ in Christum fidem habuisse, quod nõ solùm docet d. Tho. 2. 2. q. 2. art. 7. verùm etiã D. August. lib. 5. de Genesi ad literã, cap. 19. & D. Hieronymus in caput. 5. ad Ephesios, D. Prosper de prædictionibus, & promissionibus Dei parte. 1. cap. 1. D. Bernardus sermo. 2. de Septuagesi. & serm. 6. in vigilia Natiuit. Epiphanius hæresi. 48. Tertullianus lib. de Anima cap. 11. & 21. & lib. 3. contra Martionem, cap. 5. Leo Papa Epistola. 22. non longè à fine. Ex quibus colligitur non tantùm Angelos, sed etiam Adamũ per fidem Christum cognouisse, tanquàm suæ gratiæ, & gloriæ principium, vt D. Tho. expressè concedit, & est rationi maximè consentaneum, quia proprium capitis est, aliquem in suum iu membra habere: ergo cognouit Adamus Incarnationem, prout ordinabatur in cõsummationem gloriæ, atq; adeò tam ille, quàm Angeli aliquam Incarnationis causam cognouerũt à peccato independentem; siquidem vt ait D. August. lib. 11. de Genesi ad literã cap. 18. non oportuit, vt Adam esset præscius sui peccati, ne in ipso instanti primo suæ creatio-

197 nis miser esset. Adiungunt etiam aduersarij aliquos Augustini testimonia. Primum citat Alexander loco citato ex libro de Spiritu & anima ca. 9. vbi ait. *Propterea Deus factus est homo, vt totum hominem in se beatificaret, vt siue homo ingrederetur per intellectũ, siue extra egrederetur per sensum, in creatore suo pascua inueniret.* Quæ ratio omninò est independens à peccato. Alterum testimonium adducit M. Suarez, ex lib. 1. de Nuptijs & concupiscentia cap. 21. vbi ait Augustinus matrimonium etiam in statu innocentiæ fuisse Sacramentum vnionis Christi cum Ecclesia, & habiturum illud bonũ, si status ille duraret: ergo Incarnatio Christi tam independens fuit à peccato secundùm Augustinum, sicut matrimonium Adæ & Euæ. Aliud testimoniũ adducit M. Suarez Sectio. 5. ex libro de de Natura & gratia cap. 25. vbi Augustinus, *Nõ dicemus,* inquit, *Vt esset causa misericordiæ Dei, necessarium fuisse peccatum! Quare absque illo esset opus Incarnationis, quod est maximæ misericordiæ opus.* Idem etiã probatur ex Anselmo lib. 1. Cur Deus homo cap. 18. vbi ex eo probat, homines futuros esse beatos, etiã si Angeli nõ peccassent, quoniã alioqui esset hominibus gaudendum, quòd Angeli peccassent. Vbi generaliter infert, nullã animam esse in cælo, quæ sibi persuadeat, quòd sine peccato alterius non esset gloriã assequutura. Ergo multò magis hoc iudicat verũ Anselmus de anima Christi, atq; adeò Christũ fuisse prædestinatũ independenter à peccato.

Hæc sunt potissima loca Sacræ Scripturæ, & sanctorũ, quibus ad impugnandã minorem rationis D. Tho. & suã cõfirmandã sententiã vtuntur aduersarij, quibus de medio sublatis, aduersariorũ sententiã corruere necesse est. Etenim licèt sit verũ primũ, & secundũ assertũ M. Suarez, & similiter illæ quinq; causæ sint cõgruentes, propter quas Scriptura & sancti frequentius assignent nostrã Redemptionem, vt causam Incarnationis, quã aliã independentem à peccato, (quæ tamen non omninò probo, vt cõstat ex dictis Parag. 14.) Nihilominùs eas nemo congruentes iudicabit, propter quas nũquã in Scriptura & Patribus sit facta expressa mentio alicuius causæ Incarnationis à remedio peccati independentis. Quare si testimonia Scripturæ, & Patrũ, quæ aduersarij in suæ tertiæ assertionis confirmationem adducunt ad illam persuadendam, sufficientia non fuerint, nulli dubium erit, quin illorũ sententia reijcienda sit, & ratio D. Thomæ tanquam omninò firma admittenda. Iam igitur singula perpendamus. 198

Primũ igitur testimoniũ ex Ioan. 3. pro nobis est, si antecedentia, & subsequentia, quæ aduersarij reticent, expendantur: etenim cùm Christus ibidem paulò ante Nichodemo dixisset, oportere, hominem nasci denuò; & ille vix posset tantũ mysteriũ capere, primò Christus illũ reprehendit, quòd cũ esset Magister in Israel, hoc ignoraret, quod tã apertè docetur in lege, cuius ipse peritiã profitebatur. Et vt maiorem fidem suæ cælesti doctrinæ faceret, addit secũdò, se testẽ oculatũ esse corũ cælestiũ mysteriorũ, quæ prædicabat, & asserit se de cælo descendisse, nec tamen reliquisse cælũ, sed in cælo esse: quo licèt obiter & obscurè suã Diuinitatẽ indicauit. Et vt saltẽ diuinũ aliquid, & eximiũ in ipso agnosceret, & veneraretur Nichodemus, ac sic magis illi se crederer, & fidem adhiberet, & hac ratione aptior fieret excellentioribus mysterijs intelligendis, subdit tertiò Christus, se præfiguratũ esse in illo æneo serpẽte, quẽ Moyses in 199

deſerto exaltauit (illo enim aliquod eximium ſignificari myſterium, certum erat apud legis peritos) vt Filij Iſraël in eum aſpicientes, à venenoſis ſerpentum morſibus, quibus interibant, liberarentur. Ad cuius ſerpentis ſimilitudinem ſe fore in cruce exaltãdum docet Chriſtus, vt omnes, qui in illum crediderint, à peccatorum morte liberarentur. Quo obiter oſtendit Nichodemo, quàm eſſet neceſſarium non tantùm ipſi, verùm & toti mundo ſuis dictis fidem adhibere, quod maximè pertinet ad eam Magiſtri authoritatem, quam Chriſtus ſibi conciliare intendebat, vt Nichodemus cæleſti doctrinæ adhæreret, quamuis ſupra ſuum eſſet captum. Nè
199 autem Nichodemus, vel quiuis alius, ex eò quòd dixerat ſe in cruce fore exaltandum, ſicut exaltatus eſt ſerpens in deſerto, ſcandalum pateretur, id tribuens aut neceſsitati fati, aut impotentiæ Dei non valentis aliter homines à morte liberare: aut infirmitati Chriſti, qui ſe ab aduerſarijs defendere nequiret, aut culpæ ipſius, qui tanquam facinoroſus crucis patibulum ſuſtineret; veram cauſam huius ſuæ exaltationis in cruce oſtendit, & ſtatim expoſuit his verbis. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum Vnigenitum daret.* Quibus manifeſtè docet, potiſsimam cauſam, propter quam Deus mundo Vnicum Filium ſuum in cruce exaltandum dedit, nullam aliam fuiſſe, quam eximium amorem, quo miſertus noſtri dilexit nos, nolens propter peccata noſtra punire nos, & condemnare: hanc enim vim habet illa particula, *Enim,* quæ frequẽter in Scriptura, & præſertim apud Ioannẽ ſumitur pro, *Quia,* Ex quo verborum contextu manifeſtè apparet, illationem aduerſariorum hanc eſſe. Deus propter nimiam charitatem ſuam, nè mundus periret, Filium ſuum in Cruce exaltandum dedit; ergo independenter à noſtra ſalute decreuit Incarnari. Quæ ſanè nulla omninò eſt, ſed potiùs apertè ex hoc loco probatur noſtra ſententia.

200 Item alter locus ex cap. 10. Ioan. manifeſtè etiam pro nobis facit, ſi antecedentia & ſubſequentia attendamus, à principio enim capitis intendit Ieſus Phariſæis probare ſe eſſe proprium Iſraelitici populi, & totius gregis Domini paſtorem, atque adeò Meſsiam promiſſum in lege, Phariſæos autem mercenarios eſſe, imò & fures, qui ſuis ſolùm commodis, & vtilitatibus, gregi non parcentes inhiarent, & quia hoc obſcurè perpetua quadam allegoria propoſuerat, illam explicat his verbis. * Amen, amen dico vobis, quia ego ſum oſtium ouium, omnes quotquot venerunt:* Nempe, aliunde, quàm per me, fures ſunt & latrones. *Ego ſum oſtium, per me ſiquis introierit, ſaluabitur.* Quibus verbis & oues indigere remedio, atq; ſalute Chriſtus oſtendit, & ſe eſſe vnicum earum remediũ atq; refugiũ, non ſecus ac eſt ouile ouibus. *Fur non venit, niſi vt furetur & mactet & perdat, ego veni vt vitam habeãt, & abundãtius habeant.* Quæ verba Auguſt. tract. 45. in Ioan. & Chryſoſt. homil. 58. de prima gratiæ collatione, & de eius augmento intelligũt, & ſenſus eſt. Ego veni, vt oues, quæ perierant, vitam gratiæ primò acquirerent, & in ea magis ac magis creſcant. Alij interpretãtur. Vt vitam gratiæ habeant in hoc mundo, & in futuro abundantiùs habeant, & æterna gloria perfruantur. Venit enim Chriſtus, vt qui in eum crediderit, non pereat, vt ipſe dixit cap. 3. quod eſt vitam habere, ſed habeat vitam æternam, quod eſt abundantiùs vitam habere. Poſt quæ verba, vt confirmet, quod dixerat, ſe eſſe proprium, ac bonum paſtorem gregis Dominici, explicata differentia mercenarij, & boni, ac proprij paſtoris, ſubdit. *Ego ſum paſtor bonus, & animã meam pono pro ouibus meis.* Vt ſcilicèt, vitam habeant, &
abundantiùs habeant. Ex quo verborum contextu, quo 200
ſanè nullus aptior huic loco quadrare poteſt, apertè colligitur, illationem aduerſariorum hanc eſſe. Chriſtus venit, vt tanquam bonus paſtor, ac proprius animã ſuam daret pro ouibus ſuis; vt ſic illæ vitam habeant, & abundantiùs habeant; ergo venit propter motiuum independens à peccato. Profectò meliùs intuliſſent aduerſarij oppoſitum, vt conſideranti conſtabit. Quod ampliùs confirmari poteſt ex illis verbis, quæ paulò poſt ſubdit Chriſtus. *Proptereà me diligit Pater, quia ego pono animam meam, vt iterùm ſumam eam.* Quæ ſic videntur intelligenda. Hãc ob cauſam, & propter hunc finem me diligit Pater, hoc eſt, maxime ſibi in me complacet, & complacuit; quia ego pono animã meã pro ouibus meis, & pro ſalute earum, vt iterũ pro earundem ouiũ ſalute ſumã eam. Surrexit enim propter iuſtificationem noſtram. Ex quo manifeſtè cõſtat, ſalutem ouium cauſam, ſeu rationem finalem fuiſſe propter quam Deo complacuit, Chriſtũ prædeſtinare, vt daret animam ſuam, & iterũ eam ſumeret pro ouiũ ſalute reſurgendo, In quo non negatur, quin Chriſtus ratione vnionis hypoſtaticæ Deo maximè placuerit: ſed oſtenditur, non habiturum hanc vnionem hypoſtaticã, niſi propter finem Redemptionis; & ideò propter Redemptionem dixit Chriſtus ſe dilectum à Patre.

Prætereà locus ex cap. 18. Ioan. Vel nihil iuuat ad- 201
uerſarios, vel pro nobis maximè facit, nam ſi nomine veritatis intelligant ſolam doctrinæ veritatem, ipſi etiã dicere tenentur, hunc non eſſe finem adæquatum aduentus Chriſti. Si verò nomine veritatis intelligant nõ ſolùm doctrinam veram, ſed etiam vitam huic doctrinæ veræ conſentientem; quo pacto vſurpari ſolet veritatis nomen in Scriptura, Ioan. 3. & ad Rom. 2. & aliàs ſæpè, pro nobis quidem facit hic locus: proptereà enim venit Ieſus Chriſtus, vt ſuo exemplo, & bona cõfeſsione doceret iuſtitiam, & ſanctitatem vitæ eſſe anteponendam: hoc enim eſt præcipuum teſtimonium, quod pro veritate ferri poteſt. Et ita Paulus. 1. ad Timo. 6. hoc Chriſti teſtimonio vtitur ad confirmandum diſcipulum ſuum in obſeruatione præceptorum his verbis. *Præcipio tibi coram Deo, qui viuificat omnia, & Chriſto Ieſu, qui teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato bonam confeſsionem, vt ſerues mandatum ſine macula, vſque in aduentũ Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Quare aduerſarij dum ex hoc loco ſic expoſito ſuam colligunt ſententiam, ita argumentantur. Chriſtus venit vt ſuo exemplo, & bona confeſsione teſtimonium perhiberet veritati, oſtendendo; illam omnibus bonis, etiã ipſi vitæ eſſe præferendam; ergo venit independenter à peccato. Quæ ſanè illatio infirma eſt, nam ſi venit ad teſtimonium pro veritate reddendum, etiam vitæ ſuæ diſpendio; ergo venit dependenter à peccato.

Rurſus. Illud teſtimonium ex Lucæ. 12. pro nobis 202
eſt, qui vt ex verbis Chriſti conſtat, venit Chriſtus Dominus ignem charitatis mittere in terrã, quæ illo erat deſtituta: etenim qui venit ignem mittere in aliquam

Syluam

Digitized by Google

Syluam, supponit eam igne non esse incensam. Secundò. Idem indicant illa verba. *Quid volo, nisi vt accendatur?* Qui enim expectat accensionem ignis, manifestè supponit, adhuc ignem non esse accensum. Tertiò. Ad illam terram venit Christus ignem missurus, ad quam venit mittere separationem, & gladium, vt paulò inferiùs dicit: sed hæc terra est Deo inimica, & cælo infensa; ergo & igne charitatis priuata. Quartò. Si inspiciatur modus, quo Christus ignem venit missurus, manifestè colligitur, non venisse mittere hunc ignem independenter à peccato. Statim enim postquàm dixit: *Quid volo, nisi vt accendatur?* Subdit. *Baptismo habeo baptizari, & quomodò coarctor, vsque dũ perficiatur.* Hoc sanè est illud desiderium, quo Christus maximè flagrat, vt charitatis ignis in nobis accendatur.

203 Item in primo loco ex. 1. Corint. 1. loquitur Paulus de Christo crucifixo, quem Iudæis dixerat esse scandalum, gentibus stultitiam, Dei autem vocatis, nempe, fidelibus, Dei virtutem, & Dei sapientiam. Quod cùm aliquantulùm declarasset, subdit Paulus. *Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu.* Quod Theodoretus ait intelligendum esse non ratione creationis, sed ratione Redemptionis. *Qui factus est nobis sapientia à Deo; iustitia, sanctificatio, & Redemptio.* Sapientia quidem, quia iam dixerat, Christum crucifixum esse nostram sapientiam, hoc est, sapientiæ nostræ authorem, & Magistrum. Iustitia, quia ex toto rigore iustitiæ soluit debitum pro peccato; Sanctificatio, quia nobis sanctitatem meruit: Redemptio, quia hac sanctitate nos à iugo seruitutis peccati liberauit. Quæ omnes rationes in cruce & morte Christi fundamentum habent, vt ex contextu verborum manifestè colligitur.

204 Hæc expositio confirmatur primò, quia Christus Dominus nõ est factus nobis Sapientia, Iustitia, Sanctificatio, & Redemptio, nisi quatenùs est causa nostræ sapientiæ, iustitiæ, sanctificationis, & Redemptionis: sed non est causa horum, nisi quatenùs obediens vsq; ad mortem iuxta illud Pauli ad Heb. 5. *Et quidem cùm esset Filius Dei, didicit ex his, quæ passus est, obedientiam, & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex iuxta ordinem Melchisedech.* Ergo Christus non est iustitia nostra, neq; sanctificatio, nisi vt cõsummatus & oblatus pro nobis in ara Crucis. Confirmatur secundò ex modo loquendi D. Pauli: eadem enim est ratio, propter quam Deus est nostra sapientia, sanctificatio, & Redemptio: sed non est Redemptio, nisi vt pretium sanguinis exhibuit; ergo neq; sanctificatio. Loquitur ergo Paulus de Christo crucifixo. Vnde aduersariorum illatio hæc est. Christus Iesus, hoc est, Saluator atq; Redemptor noster factus est nobis cruci affixus sapiẽtia, Iustitia, sanctificatio, & Redemptio: ergo independenter à Redemptione nostra factus est nobis sapientia, iustitia, & sanctificatio: quæ illatio nulla est.

205 Præterea ille locus ex cap. 2. eiusdem epistolæ pro nobis etiam est, constat enim Paulum ibidem nomine sapientiæ absconditæ in mysterio Christum crucifixum intelligere, quia paulò antè dixerat, se non iudicare aliquid scire, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Ignorat ergo Paulus illum Christum, quem aduersarij confingunt à Passione & morte Crucis abstrahentem, & solùm agnoscit Christum crucifixum, quem capite superiori dixerat à sapientibus huius mundi stultitiam iudicari. Quare cùm hîc docet, se contempta huius mundi sapientia loqui sapientiam inter perfectos, manifestè ostendit se agere de sapientia mundanæ sapientiæ opposita, quæ non est alia nisi Christus crucifixus: quem dixerat gentibus stultitiam esse. Et vt apertiùs ostenderet se de Christo crucifixo loqui, non simpliciter dixit, se loqui sapientiam inter perfectos, sed addidit sapientiam absconditam in mysterio; quam nullus principum huius sæculi agnouit. *Si enim, inquit, cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Hanc igitur sapientiam prædestinatam à Deo esse in gloriam nostram, hoc est, in glorificationem, hîc docet Paulus. Vnde hæc est aduersariorum illatio. Christus crucifixus prædestinatus est in gloriam nostram; ergo propter gloriam nostram prædestinatus est independenter à morte: quæ nullius est roboris.

Ad hæc. Ille locus ex cap. 1. ad Colos. Nulliùs est efficaciæ, primò, quia licèt Christus sit Angelorum caput, 206
& in eos tanquam in membra habeat influxum; adhùc potest esse prædestinatus dependenter à peccato, vt infra apertiùs constabit. Secundò, quia ex hoc loco potiùs colligitur oppositum sententiæ contrariæ, quod sic ostendo. Influxus vniuersalis gratiæ, & gloriæ, tam in omnes homines, quàm in Angelos, est adæquatum Incarnationis Christi motiuum, vt constat ex hoc loco; sed omnis influxus gratiæ & gloriæ, quem Christus habet in homines, dependet à Passione, & morte ipsius; ergo etiam influxus gratiæ, & gloriæ, qui Christo competit, vt est generale caput hominum, & Angelorum, necessariò pendet à Passione ipsius. Maior est recepta etiam aduersarijs. Minor probatur: quia omnis gratia Sacramentorum datur propter merita Christi; Sacramenta autem in virtute Passionis Christi operantur, vt docet D. Thom. infra. q. 62. art. 5. & est communis Theologorum sententia. Similiter omnes ferè sancti docent, Ecclesiam ex latere Christi dormientis in cruce eductam esse, cuius typus fuit Adam, ex cuius latere educta est Eua, vt docet August. tracta. 9. in Ioannem, & D. Hieronymus ad Ephes. 5. Tertullianus lib. de Anima, & passim hac figura vtuntur reliqui Patres, quę maximum habet fundamentum in Paulo ad Ephes. 5. dum verba Adami dicentis, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea:* Magnum Sacramentum docet continere in Christo, & in Ecclesia. Influxus ergo Christi in Ecclesiam, tanquam capitis in membra, dependens omninò est à morte ipsius, sicut eductio Euæ ex Adamo à sopore in Adam immisso; qui sopor fuit mortis Christi vmbra.

Postremò. Si Christus non moreretur, solus maneret, nec fructum afferret: ergo omnis influxus, quem 207
in sua membra habet, ex Diuina ordinatione dependet à Passione & morte ipsius. Consequentia est certa: antecedens probatur ex illis Verbis Christi. Ioan. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Quam similitudinem de Ipso Christo esse intelligendam, constat ex contextu Verborum, & ex communi Patrum intelligentia. August. in hunc locum, Cyrillus lib. 8. in Ioan. Chrysostom. Beda,

Iansenius, & Toledo in hūc locum, vt rem manifestam supponunt. Ergo nullus fructus est Christi, qui ab eius morte non dependeat: ipse enim docet, quod solus maneret, nec fructum afferret, si mortuus non esset; sicuti granum frumenti non affert fructum, nisi moriatur.

208 Nec dicere possunt aduersarij, similitudinem non consistere in primo, sed in secundo; hoc est, non dixisse Christum, quod sicut nisi granum frumenti moriatur solum manet, ita ipse maneret solus nisi moreretur: sed quod sicut granum frumenti, dum moritur, multum fructum affert, ita Christus dum moritur, magnum fructum gratiæ attulit: quia nullus sanctorum indicauit non esse similitudinem in primo, sed in secundo solum. Item contextus non solum petit, vt sit similitudo in posterioribus verbis, sed etiā in prioribus, illa etiam quæ sequuntur manifestè id declarant, subiungit enim Christus. *Qui amat animam suam, perdet eam &c.* Ergo nullus fructus est Christi, qui à morte ipsius non dependeat. Et in hoc sensu optimè dixit Gregorius in benedictione cerei Paschalis. *Nihil nasci nobis profuisset, nisi redimi profuisset.* Et Petrus Chrysologus serm. 150. *Nisi impleisset carnis ordinem:* Hoc est, mortem obiret, *Carnis in eo esset otiosa susceptio.* Quia scilicet ex Diuina ordinatione omnia Christi merita dependebant ab illa prima oblatione, qua ingrediens in mundum se obtulit cruci, in qua voluntate, vt inquit Paulus ad Hebræos. 11. sanctificati sumus. Quare iuxta supradicta hæc est vis argumenti aduersariorum ex hoc loco. Generalis influxus capitis in omnia membra fuit motiuum prædestinationis Christi: ergo independenter à morte constitutus est caput vniuersorum, hominum, & Angelorum. Certè oppositum melius intulissent, cùm ex dictis constet, Christum habere non posse generalem in homines influxum, nisi dependenter à morte.

209 Quod si dicant aduersarij, influxum Christi vniuersalem in omnia membra pendere quidem à Passione & morte, illum tamen influxum, quem in Angelos habuit in prima sui creatione, & in Adamum in statu innocentiæ, non fuisse dependentem à peccato Adami, atq; adeò neque à morte Christi, & ex consequenti ex illo influxu optimè inferri, Christum esse prædestinatum independenter à passibilitate & morte, si enim ille peculiaris influxus non dependebat à peccato, & ille dependebat à Christo, de primo ad vltimum rectè sequitur, Christi prædestinationem esse à peccato independentem.

210 Sed contra hoc obijcitur. Primò, quia aduersarij non probant, nec probare possunt ex hoc loco, Christum habuisse influxum gratiæ in Adamum in statu innocentiæ, & in Angelos in prima creatione, neq; enim omnis influxus capitis in membra debet esse respectu vitæ, maximè in capite mystico; satis est si gubernationem influat &c. Et aliqua alia accidentia. Et ita plures negant, Christum Dominum meruisse Angelis & Adamo primam gratiam: & est probabilis sententia. Secundò licet gratia data Adamo & Angelis in primo instāti fuerit data propter merita Christi, potuit etiam dari propter aliam causam adæquatam, & sufficientem à meritis Christi independentem: sicut enim ipsi aduersarij concedunt, dari duplicem causam sufficientem Incarnationis: ita etiā potest dari duplex causa sufficiens collationis gratiæ factæ Adamo & Angelis: quod nec potuerunt aduersarij, neq; ex hoc loco, neq; ex alio sufficienter improbare, nos autem efficaciter probauimus, omnem gratiam à Christo dimanantem ex morte ipsius, & effusione sanguinis dependere.

211 Præterea ille locus Pauli ex capite primo ad Ephes. fit pro nobis est, quod sic ostendo. Primò, quia ex hoc loco colligitur, omnem nostram spiritualem benedictionem esse rationem finalem aduentus Christi; sed omnes nostræ benedictiones spirituales pendent à Passione, & morte Christi: ergo si ex hoc loco colligitur, omnem nostram spiritualem benedictionem esse causam aduentus Christi, ex eo idem etiam colligitur, aduentum Christi dependere à Passione & morte ipsius. Consequentia probatur, quia Christus non est prædestinatus ad peculiares aliquas benedictiones, sed vt in ipso benedicerentur omnes gentes, ad Galat. 3. Minor etiam probatur, nam maior ab aduersarijs conceditur: quia omnis peccatorum remissio, omnis gratia, quæ per Sacramenta confertur, omne deniq; gratiæ augmentum, & gloriæ meritum, quod no bis per propria opera datur, in virtute Passionis Christi nobis confertur: nam sine sanguinis effusione non fit remissio, & omnes, quotquot agnum sequuntur Apocal. 7. dealbauerunt stolas suas in sanguine agni.

212 Secundò idem probatur: quoniam Paulus non ait hoc loco ab aduersarijs citato, Deum prædestinasse nos per Christum in ipsum, hoc est, præordinasse per Christi merita in seipsum tanquam in vltimum finem glorificandum, hoc enim significant illa verba. *In ipsum.* Quæ secūdùm probabiliorem expositionem ad Deum referuntur, non ad Christum: sed ait Paulus, Deum nos prædestinasse per Iesum Christum, hoc est, per Saluatorem, & Redemptorem nostrum: id enim significat nomen. *Iesus.* Sed Iesus non est Saluator, ac Redemptor: hoc est, *Iesus.* Nisi dependenter à sanguinis effusione, & remedio peccati: ergo neq; secundùm Paulum prædestinati sumus à Deo per merita Christi, quæ vt sic non essent merita Iesu Christi, atq; adeò Redemptoris & Saluatoris. Et ideò Ioannes cap. 1. cùm dixisset, de plenitudine Christi nos omnes accepisse gratiam pro gratia, hoc est, omnem gratiam, vel gratiam adoptionis Filiorum Dei pro gratia vnionis Filij naturalis, vt vult Cardinalis Toletus intelligendum esse, subiungit, hanc gratiam per Iesum Christum factam esse, hoc est, per Saluatorem, & Redemptorem nostrum vnctum à Deo, & prædestinatum ad gratiam nobis promerendam per mortem & Passionem, quod etiam videre est in Paulo: nam omnibus ferè locis, vbi Christum authorem gratiæ constituit, non Christum solùm, sed Iesum Christum appellat. Et ita D. Leo serm. 8. de Passione explicans illum locum Ioan. 12. *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum,* Christum alloquens ait. *Crux tua omnium est fons benedictionum, & causa gratiarum omnium.* Quo modo loquendi sæpè vtuntur Patres agentes de cruce, de morte aut Passione Christi. Hieronymus in hunc locum Pauli sic ait. *Vniuersa mysteria, & omnis dispensatio vetustatis (hoc est, æconomiæ ratio & prouidentia) non solùm quæ in terris, sed etiam quæ in cælis gesta est, in Christi Passione completur.* Et hoc modo ait omnia esse instaurata, hoc est, recapitulata in Christo. D. Chrysost.

Chrysost. tomo. 2. homil. 5. in Matth. cap. 58. de Cruce agens, *Gloria, inquit, nostra, caput, & origo beatitudinis, libertas, & corona, crux est.* Et post pauca. *Hæc bonorum omnium largitio.* Et tomo, 3. homil. 1. de Cruce & latrone, *Crux, ait, totius spiritualis gratulationis est substantia.* Et Paulò infra ait, eam totius beatitudinis esse causam. Ecce Patres Christum crucifixum docent causam fuisse meritoriam nostrarum benedictionum: ergo sicut Pasio, quæ est causa omnium benedictionum non est independens à peccato, sic etiam neq; Christus, licet sit causa omnium nostrarum benedictionum, independenter à peccato ast prædestinatus.

213 Tertiò idem probatur: quia cùm dixit Paulus, Deum prædestinasse nos per merita Iesu Christi in laudem gloriæ gratiæ suæ, hoc est, ipsius Dei, statim subdit. *In quo* Scilicet, Christo Iesu, *Habemus Redemptionem per sanguinẽ eius secundùm diuitias gratiæ eius.* Hoc est, Christi. *Quæ superabundauit in nobis.* Vbi Paulus omnem affluentiã, & diuitem vbertatem gratiæ Christi, quæ superabũdauit in nobis, in effusionem sanguinis ipsius reuocare videtur: quasi nulla sit gratia Christi, quæ ab effusione sanguinis dependentiam non habeat. Ergo verisimilius est, Paulum hoc loco de illis benedictionibus agere, & de illis diuitijs gratiæ Dei, quæ data est nobis per Christũ Saluatorem: hoc enim verbum; *Superabundauit,* Semper coniungitur à Paulo cum gratia data per Christum Redemptorem, cui vt sic tribuis omnem superabundantiam gratiæ. Legatur totum caput. 5. ad Roman. *Vbi abundauit delictum, superabũdauit & gratia.* Et Paulò inferius. *Magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes in vitam regnabũt per vnum Iesum Christum.* Et 1. Timot. 1. *Superabundauit autem gratia Domini nostri, quæ est in Christo Iesu.* Præmisserat autem infidelitatem suam. Quartò. Ipse Paulus ad Galat. 3. ait, Christum pro nobis factũ fuisse maledictum, vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu: illa autem Abrahæ benedictio omnium gentium benedictiones includit, & omninò à Filij Vnigeniti immolatione dependet. Omnes deniq; promissiones benedictionum tam in veteri, quàm in nouo testamento factæ, vt firmæ & ratæ sint, à morte testatoris dependet, vt habetur ad Hebræ. 9. ergo omnis benedictio Dei per Christum & propter Christum nobis promissa verè dependet à morte ipsius. Ex quibus omnibus colligitur; hanc esse aduersariorum illationem ex isto loco Pauli. Deus propter merita Christi Redemptoris benedixit nos omni benedictione, & prædestinauit nos in laudem gloriæ gratiæ suæ: ergo independenter à Redemptione benedixit nos, & prædestinauit, atq; adeò independenter à peccato. Quam illationem nullus admittet, cùm potius ex hoc loco oppositum sequatur.

214 Præterea ex omnibus illis locis, ex quibus aduersarij colligunt, Christum prædestinatum esse in Regem, Pastorem &c. independenter à Redemptione, manifestè probatur oppositum; etenim Christus missus est vt Propheta ad Euangelizãdum. Ad quos autem, ad quem finem, & quid missus fuerit Euangelizare, explicat ipse Christus Lucæ 4. interpretans illud Isaiæ. 61. *Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me.* (Nempe, diuinitatis oleo, quo vnctus est Christus in Regem, Sacerdotem, & Caput totius Ecclesiæ, in qua non tamquam seruus, vt olim Moyses, sed tanquam Filius naturalis, ac verus Deus omnia pro sua voluntate disponeret. Sequitur in textu. *Euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde.* (Ecce finis Redemptionis.) *Prædicare captiuis Redemptionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis.* Si singula expendantur, manifestè constabit, aduentum Christi, & munus Propheticum illius omninò à nostra Redemptione pendere. Item missus est Christus vt Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech; qui vt ait Paulus ad Hebræ. 5. & 7. panem & vinum obtulit: quod sanè de incruento altaris sacrificio intelligendum est; quod est figura sacrificij cruenti: victima autem huic Sacerdoti ad sacrificiũ attributa est corpus ipsius iuxta illud Psalm. 39. *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi. Holocaustum & pro peccato non postulasti, tunc dixi, ecce venio:* Iuxta interpretationem Pauli ad Heb. 10. Denique pro peccato, vt constat ex loco citato iubetur hic Pontifex corpus suum in oblationem offerre.

Promittitur etiam vt pastor ouium, & eas quærere venis, quæ perierunt. Lucæ. 15. eas liberare, quæ dissipatæ erant, & bestijs terræ erans in rapinam. Ezechiel. 34. Promittitur vt dux tam itineris, quàm belli, vt reducat errantes in viam, & inimicos debellet. Promittitur vt Rex, sed ad conterendas gentes, & regendas in virga ferrea Psalm. 2. ad euertenda regna cõtraria, & ad constituendum vnum Regnum ex omnibus. Ezechiel. 37. Ad saluandum populum suum Isaiæ. 33. *Dominus iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse veniet & saluabit nos.* Deniq; promittitur vt præceptor, & Magister, vt suæ doctrinæ splendore errorum tenebras, & ignorantiæ noctem discutiat, ad dãdam scientiam salutis in remissionem peccatorum, & propterea appellatur Sol iustitiæ. Quare hæc est illatio aduersariorum. Hæc omnia officia Christi possunt esse independentia ab officio Redemptoris; ergo de facto illi sunt à Deo tributa independenter à munere Redemptoris. Quæ omninò est infirma, cùm constet ex Sancta Scriptura, non esse illi de facto tributa, nisi in ordine ad Redemptionem, vt de munere Doctoris optimè docuit D. Thomas in hoc art. ad 3. 215

216 Rursus. Ex illis locis, ex quibus aduersarij colligunt, Christum esse primum prædestinatum omnium, tam hominum, quàm Angelorum, & causam finalem, propter quã decreuit Deus vniuersa creare, sine quæ in terris, siue quæ in cælis sunt, potest quidẽ probabiliter inferri aduersariorũ sentẽtia; nã si his fundamentis careret, esset improbabilis: at ipsi aduersarij cõcedere tenentur, nullũ dari in Scriptura locũ, in quo apertè affirmetur, Christũ Dominũ ordine originis esse primũ prædestinatorum omnium, nam de ordine dignitatis nulla est controuersia, & idem dicendum est de causalitate finali respectu omnium rerum. Vnde constat, principia, quibus hæc sententia nititur, esse incerta, & dubia, & similiter illatio, quæ ex his principijs infertur aliqua causa Incarnationis sufficiens, & adæquata, independens à Redemptione, est etiam debilis, & infirma, cuius signum euidens est, quod D. Thom. qui vbiq; in Scriptura, docet,

docet, rationem Incarnationis sumi à remedio contra peccatum, non negat aduersarijs hæc sua principia, neq; Sancti Patres, qui constanter docent, nullam aliam esse causam aduentus Christi præter Redemptionem, & ea cessante Christum non venturum; sæpè concedunt, Christum esse causam finalem, propter quam Deus omnia creauit, & causam meritoriam gratiæ & gloriæ Angelorum, & hominum in statu innocentiæ; ergo nisi dicamus illos repugnantia dixisse, asserendum est, aduersariorum illationem esse nullam.

217 Deniq; si ex his locis bene colligitur causa Incarnationis à Redemptione independens, propter quam Christus veniret, etiam si Adam non peccasset, quo pacto nullus Sanctorum hoc vidit, neq; tali vnquam visus est illatione, asserens Christum venturum, etiam si Adam non peccasset. Hoc enim valde pertinebat ad exactam status Innocentiæ cognitionem, de quo latissimè disputarunt Sancti Patres, & ad explicãdum mysterium Incarnationis, & illius conuenientias, & ad plenam intelligētiam plurium locorum Scripturæ, quam ipsi diligentissimè exposuerunt. Quare mihi omninò incredibile est, quòd in tanto Patrum Ecclesiæ numero, si illi aliquod Incarnationis decretum à remedio contra peccatum independens cognouerunt, nullus omninò eius expressè meminerit, & affirmauerit, Adam non peccante Christum venturum: quia id erat tam coniunctum cum his, de quibus sancti disserebant, vt nulla ratione probabile sit, eos consultò id prætermisisse. Quòd si non cognouerunt tale decretum, certum esse debet, illud non dari, quia ex hoc sequitur, Sanctos Patres vnicum duntaxat Incarnationis decretum propter solam Redemptionem cognouisse: quare contra illorum mentem erit aliud decretum vel aliam Incarnationis causam assignare.

218 Sed iam veniamus ad illa Sanctorum Patrum testimonia examinanda, quæ aduersarij in suæ sententiæ confirmationem adducunt. Ac primò quidem nullum proferunt testimonium, in quo aliquis Patrum docuerit, Christum venturum, etiam si Adam non peccaret, vel dari aliam causam sufficientem Incarnationis à Redemptione independentem: sed id colligere conantur per nescio quas consequentias. Nos autem plura Sanctorum Patrum testimonia conclus. 2. Paragrapho 10. adduximus, qui absoluté negãt aliam causam præter Redemptionem, & affirmant Christum non venturum, si Adam non peccasset, vt docet Augustinus, Gregorius, Ambrosius, Leo Papa, Irenæus, Gregorius Nazianzenus, Athanasius, Clemens Romanus, & Clemens Alexandrinus, & alij complures. Et propterea Gregorius Magnus necessarium appellauit peccatum Adæ, & infœlicissimam eius culpam fœlicem nũcupauit, quæ occasio extitit fœlicissimi aduentus Iesu Christi: cuius authoritas maxima esse debet, siquidem recepta est ab vniuersali Ecclesia Romana in benedictione cerei Paschalis. Cùm igitur sententia D. Thomæ expressis Sanctorum testimonijs innitatur, altera verò minimè, sed quibusdam consequentijs velit suam sententiam à Patribus extorquere; probabilius est, sententiam D. Thomæ & Patribus & Scripturæ esse conformiorem. Nec dum quòd longè probabilius est dicere, D. Thomam & D. Bonauenturam, duo fulgentissima Scholasticorum lumina, meliùs penetrasse Sãctorum Patrum mentem, in quorũ lectione diu multumq; exercitati sunt, quàm Scotum, vel quemuis alium ex aduersarijs. Illos enim propter excellentem sanctitatis, & doctrinæ gloriam Ecclesia Romana non solùm in Sanctorum numerum retulit, sed etiam toti Ecclesiæ, & præsertim Theologis Scholasticis Doctores & Magistros constituit: quos eodem Spiritu afflatos esse, quo Sãcti Dei loquuti sunt, quos vt parentes, & Doctores veneramur, dubitabit nemo. Omnis autem Scriptura eodem Spiritu intelligenda est, quo est scripta, vt docet D. Petrus. Cùm igitur his duobus grauissimis, ac doctissimis Patribus visum fuerit, cõformius esse Scripturæ & Patribus, nullam aliam esse sufficientem Incarnationis causam præter remedium cõtra peccatum, durus sanè & insolens est, quem horum duorum Patrum authoritas non frangit, vt eorum sententiæ assentiatur. Sed ad singula Patrum testimonia veniamus.

Ac primò ex illis testimonijs Sanctorum, qui docent Angelos habuisse fidem in Christum in primo instanti creationis, & similiter Adamum in statu innocentiæ, nihil concluditur contra nostram sententiam: quia hæc duo bene possunt cohærere, nempe, Angelos & Adamum habuisse fidem Incarnationis in primo instanti creationis, & cognouisse Christum, vt authorem gratiæ & gloriæ ipsorum, & hoc præcise vt sic cognitum non fuisse sufficientem causam aduentus Christi. Sed dices: ergo iam Deus reuelauit Angelis & Adamo causam Incarnationis independentem à peccato. Negatur consequentia, quia aliud est non fuisse cognitam ab Adamo dependentiam, quam Incarnationis causa ipsi reuelata ab ipsius peccato habebat, aliud verò, fuisse illi reuelatam causam Incarnationis ab eius peccato independentem: sicut aliud est cognoscere Sacramenta, & non cognoscere dependentiam eorum in causalitate gratiæ à Passione Christi, & aliud, cognoscere Sacramenta independentia in causatione gratiæ à Passione Christi: qui enim hoc secundum inferret ex priori, manifestè Paralogizaretur, quo pacto in præsenti argumentantur aduersarij. 219

Sed dices, nos ex Scriptura probare non posse, Christum non esse authorem gratiæ, nisi dependenter à Redemptione, vt efficaciter probari potest, Sacramenta non esse instrumenta gratiæ nisi in virtute Passionis Christi. Sed contra obijcitur. Primò, quia neq; ipsi probare possunt, illam gratiam collatam Adamo fuisse independentem à Redemptione: ergo ex illa reuelatione præcisè nequeunt inferre causam Incarnationis à Redemptione independentem. Secundò, iam supra ostensum est, Christum, nisi mortuum ex Diuina ordinatione non posse fructum afferre. Tertiò, quia sancti sæpè docent, nullam aliã esse causam aduentus Christi præter Redemptionem: ergo cùm dicunt, Adam habuisse fidem in Christum, & illum cognouisse, vt authorem suæ gratiæ & gloriæ, docent, gratiam collatam Adamo propter Christum dependentem fuisse à Redemptione, quamuis ab Adamo non fuerit cognita vt dependens. Quartò Angeli & Adamus non cognouerunt Christum, vt authorem solùm suæ gratiæ, sed vt authorem totius gratiæ, tam Angelis concessæ, quàm hominibus concedendæ, hoc enim pertinet ad vniuersalem rationem capitis, sub qua tam Angeli, quàm Adamus per fidem Christum cognouerunt: sed Christus 220

non

Digitized by Google

non est fons & origo totius gratiæ ex Diuina ordinatione, si munus Redemptoris excipias: ergo Angeli & Adamus verè cognouerunt gratiam à Christo dependentem, vt à Redemptore, licet non cognouerint prout dependentem.

321 Neq; potest dici, Angelos & Adamum non cognouisse Christum, vt authorem totius gratiæ, in quouis statu, sed tantùm pro statu innocentiæ; atq; adeò non cognouisse gratiam dependentem à Christo, vt à Redemptore, quia Adamo hæc conditionalis erat omninò certa. Quamuis peccem, & præceptũ mihi impositum transgrediar, teneor pœnitere, vt oportet, ad salutem consequendam, & veniam à Deo sperare. Sed hæc venia non est nisi per Christum Redemptorem; ergo Adamus cognouit gratiam dependẽtem à Christo Redemptore, licet non cognouerit prout dependentem. Consequentia est firma. Maior probatur, quia aliàs licitè posset Adamus desperare de venia sui peccati. Minor etiam probatur, quia ex communi Sanctorum Patrum sententia, Satisfactio pro peccato non est nisi in virtute Passionis Christi: etenim in ea voluntate, qua se obtulit cruci, sanctificati sumus. Quintò, quia eorumdem Patrum authoritate, qui docent, Adamum habuisse fidem in Christum, manifestè etiam probatur, gratiam cognitam ab Adamo propter merita Christi, fuisse à morte ipsius dependentem, nam ij, qui docent, Adamum cognouisse Christum, cùm à somno excitatus dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ,* Docent etiam, Adamum cognouisse mysterium mortis Christi, reprobationem Sinagogæ, & fabricationem Ecclesiæ ex latere ipsius dormientis in Cruce: quod docet D. Hieronymus ad Ephes. 5. Augustinus tract. 9. in Ioannem, & lib. 9. in Genesim ad literam cap. 19. & lib. 12. cõtra Faustum Manichæum: ex quo desumpsit Beda in Genes. cap. 2. Idem docent Rabanus, Eucherius, & Glossa Interlinearis, & Prosper de Promissio. & prædictio. Dei. *Hoc est, inquit, magnum mysterium, quod sperauit Adam, & futurum præuidit, fundandam, scilicet ex latere Christi pendentis in Cruce Ecclesiam.* Ergo licèt cum Augustino lib. 11. de Genes. ad literã cap. 18. & D. Thom. hîc ad 5. & 2.2. q. 2. art. 7. dicendum sit, Adamum non expressè & clarè cognouisse Sacramentum mortis Christi, quia non oportuit, vt esset præscius sui peccati: dicendum tamen est, illud implicitè cognouisse. Et hoc pacto explicãdi sunt sancti, quos paulò ante citaui. Quare etiam secundùm aduersarios, & illos Patres, quos ipsi pro se afferunt, asserendum est, Adamum cognouisse gratiam à Christo prout Redemptore dependentem, licèt non cognouerit illam explicitè, prout dependentem, quod erat probãdum. De hac re fusior erit sermo infra in Responsione ad vndecimum argumentum pro sententia Scoti, Paragrapho. 24.

322 Hæc sufficiunt pro confutatione huius fundamenti, quod Suarez valde magnificat in commentario huius articuli, & infra sectio. 4. Sed ne falsæ citationes aliquem decipiant, aduertendum est, D. Augustinum. 5. de Genesi ad literam cap. 19. non asserere, Angelos habuisse fidem Incarnationis, vt existimant aduersarij, sed tantùm docet, eam in Verbo videre. Cyrillus etiam Alexandrinus lib. 5. in Isaiam tomo. 2. id non docet, sed tantùm cap. 54. non longè ab initio ait, omnem fructificationem tam in sanctis Angelis, quàm in nobis esse à Christo. Ibidem autem loquitur manifestè de ipso Christo, vt Deus est. Bernardus similiter serm. 17. in Cantica non docet, Angelos habuisse fidem in Christum. Et serm. 1. de Aduentu Domini ad illud Ionæ, mittite me in mare &c. Non asserit peccatum diaboli fuisse inuidiam Christi, vt homo est, sed vt Filius Dei est, & figura substantiæ eius: propterea enim docet Filij Personam potiùs Incarnatam fuisse, quia eius occasione Pater suas creaturas amisisit; nam Angelus in cælo altitudinem Filij affectauit, cùm dixit. *Similis ero altissimo.* Quæ similitudo est propria Filij. Homo etiam in terra thesauros sapientiæ; & scientiæ Dei appetijt, qui in Persona Filij, quia Verbum est Patris, absconditi sunt, & proptereà perierat. *Vt igitur, inquit Bernardus, eos per Filium reciperet Pater, quos quodammodò propter Filium amisisse videbatur, Filius inquit; si propter me orta est tempestas; mittite me in mare. Omnes inuident mihi, ecce venio, & talem eis exhibeo meipsum, vt quisquis inuidere voluerit, quisquis gestierit imitari, fiat ei æmulatio ista in bonum.* Ecce apertè loquitur Bernardus de Filio Dei, vt est Verbum Patris, non verò vt est homo. Item serm. 17. & 22. in Cantica id non docet, nam primo loco non agit de inuidia diaboli in Christum, sed in homines, eo quòd ad eandem beatitudinem cũ Angelis creati sunt. Quo etiam modo loquitur Cyprianus sermone de Zelo & liuore, & Basilius oratione de inuidia, dum aiunt, diaboli peccatum fuisse inuidiam, quam habuit, hominis. Et hoc pacto Tertullianus lib. 1. de Patientia nõ longe à principio ait, diabolũ impatienter tulisse, quòd Deus vniuersa opera sua homini subiecisset. Ex quo aliqui suspicati sunt, hos Patres docuisse, peccatum diaboli fuisse inuidiam in Christum, cùm id non asserant. In altero verò loco Bernardus solùm asserit, Christum, vt est Deus, & Verbum Patris, quodammodò redemisse Angelos à captiuitate, dum gratia sua præseruauit, ne caderent in peccatum: quo pacto loquitur serm. 1. de Circuncisione. Deinde Epiphanius Hæresi. 84. solùm ait, Adamum vaticinatum esse futura, cùm dixit; propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem, nihil verò dicit de Fide in Christum, neq; ex contextu colligi potest. Quòd si Leo primus Epist. 22. ad finem ait, ab ipso principio generis humani Christum omnibus hominibus esse denuntiatum in carne venturum, & Leo etiam secundus serm. 14. de Passione paulò post initium ait, vnam fidem iustificare vniuersorum temporum Sanctos, & ad eandem spem pertinere, quicquid per mediatorem Dei & hominum Iesum Christum vel nos confitemur factum, vel Patres nostri adorauere faciẽdum: inde constat omni tempore à principio mundi creditum esse Christum, vt mediatorem Dei, & hominum, atq; adeò Redemptorem: neq; aliquando fuisse in mũdo Christi fidem, quæ non esset fides Redemptoris, licèt necessarium nõ fuerit, vt omni tempore explicitè crederetur Christus, vt Redemptor.

Postremò. Quòd illi sancti, qui docere videntur (neq; enim aliquis expressè id docuit) gratiam Angelis tributam esse in primo instanti propter merita Christi, loquantur de meritis Christi Redemptoris, manifestum videtur: nã Gregorius. 1. Reg. cap. 2. cùm dixisset. 323

*Non

Non est sanctus vt est Dominus, quia quisquis potuit sanctus existere, eius accepit munere, vt sanctus esse potuisset. Statim subdit. *Hoc enim Sancta Ecclesia subsequenti Verbo insinuat ad eundem Redemptorem ex nimia charitate conuertitur dicens. Neq; enim est alius extra te.* Et à principio capitis de Domino loquitur vt Redemptore, non quòd respectu Angelorum sit Redemptor; sed quia per eosdem actus, quibus nos redemit, promeruit Angelis sanctitatem. Et homil. 14. In Ezechielem in illa verba. *Et ecce murus forinsecus &c.* Cùm dixisset, murũ intus nobis esse Deum, & murum foris esse Deum hominem, ad hoc probandum adducit illud Abacuch. 3. *Existi in salutem populi tui.* Vbi nullam aliam causam huius egressus agnoscit Gregorius, nisi salutem populi. Et post pauca propterea docet hunc murum dici à Propheta esse vndiq; in circuitu domus Domini, quia Vnigenitus Patris, qui sursum est firmitas Angelorum, ipse deorsum factus est Redemptio hominum. Illis fortitudo, ne caderent, nobis adiutorium, vt surgamus post casum. Vbi aduertendum est, Gregorium ea ratione cognoscere Christum, vt firmitatem Angelorum, qua docet, illum esse Redemptionem nostram. Item Laurentius Iustinianus sermone de Ascensione Domini, non quacumque ratione de Christo loquitur, cùm ait, illum esse parietem hominũ & Angelorum; sed loquitur de Christo Iesu angulari lapide pretioso, atq; perfecto. Et serm. de Assumptione B. Virginis, cùm ait, fructum ventris Mariæ fundasse Ciuitatem Hierusalem ex Angelis & hominibus constantem, sanctitate, exultatione & iubilo; manifestè loquitur de fructu ventris Mariæ, qui est Iesus, vt est in oratione Ecclesiæ.

224 Præterea. Testimonia Augustini & Anselmi, quibus aduersarij nituntur, nihil eis prosunt: nam liber ille de Spiritu & anima, ex quo primũ testimonium adducit Alensis, non est Augustini, sed alterius longè inferioris, neq; magnæ authoritatis, nam cap. 37. citat Boetium, qui centum annis post Augustinum floruit. Et cap. 48. Multa citat ex libris de Ecclesiasticis Dogmatibus, qui Gennadio tribui solent, & plus mille annis post Augustinum scripsit. Et licet hoc testimonium esset D. Augustini, adhuc esset piè interpretandum, vt explicat D. Bonauentura in 3. d. 1. art. 2. q. 2. de causa minus principali, & inadæquata Incarnationis: sicut enim Scriptura non semper assignat causam adæquatam, ita neq; opus est, vt vbiq; Augustinus causam adæquatam assignet; cùm suam mentem satis explicuerit locis supra citatis conclus. 1. Paragrapho. 10.

225 Alterum testimonium Augustini ex cap. 21. libri primi de Nuptijs & concupiscentia, nihil fauet aduersarijs, ibi enim August. non asserit, matrimonium in statu innocentiæ, si Adam non peccasset, futurum fuisse signum Incarnationis Christi, nam cùm à cap. 18. explicare conetur Augustinus, quo pacto ex sancto coniugio nascantur filij iræ, & à parentibus Redemptis generentur filij captiui, cap. 21. hanc causam iam incipit aperire, & bonis coniugij annumeratis, quæ essent in Paradiso, scilicet operatione propagandæ prolis, fidei pudicitia, connubij Sacramento, cum illis per prosopopœiam tanquam cũ amicis agit, & sciscitatur, Ah ab illis deriuetur peccatum in posteros. Et cùm ad tertium bonum nuptiarum peruenit, nempe, ad connubij Sacramentum, sic pro illo Respõdet Augustinus. *Respondebit, inquit, etiam connubij Sacramentum. De me antè peccatum dictum est in Paradiso, relinquet homo Patrem & Matrem, & adhærebit vxori suæ, & erũt duo in carne vna: quod magnum Sacramentum dicit Apostolus in Christo & in Ecclesia. Quod ergo est in Christo & in Ecclesia magnum, hoc in singulis quibusq; viris ac vxoribus minimum, sed tamen coniunctionis inseparabile Sacramentum.*

226 Vbi aduertendum est cum Bellarmino tomo. 2. lib. 1. de Matrimonio cap. 2. dupliciter accipi Sacramenti nomen ab Augustino, cùm matrimonium appellat Sacramentum. Primò accipitur pro signo Sacræ, & indissolubilis coniunctionis, quo pacto libro de bono coniugij cap. 18. docet, matrimonium esse Sacramentum, cùm ait, Sacramentum singularium nuptiarum. Hoc est, vnius vxoris significare coniunctionem vnius Ecclesiæ ad vnum Deum. Et lib. 1. de Nuptijs & Concupiscentia cap. 10. cùm ait, Sacramentum nuptiarum commendari fidelibus à Paulo ad Ephes. 5. & significare coniunctionem Christi cum Ecclesia. Alio modo accipere solet Augustinus nomen Sacramenti, cùm matrimonium Sacramentum appellat, non quidem pro signo Sacræ coniunctionis, sed pro ipsa sacra coniunctione significata ad eum modum, quo nos obiectum conceptus mentalis, appellare solemus cõceptum. Et sic intelligendus est Augustinus tract. 9. in Ioan. cùm ait: Sacramentum, de quo Apostolus loquitur, non esse in coniugio viri & fœminæ, & docet tantùm esse in Christo & in Ecclesia. Erunt, inquit, duo in carne vna, Sacramentum hoc magnum est. Et nequis istam (inquit August.) Magnitudinem Sacramenti in singulis quibusq; hominibus vxorem habentibus, intelligeret, ego autem, inquit Paulus, dico in Christo & in Ecclesia. Et hoc modo loquitur hic, cùm ait, Sacramentum, quod est in Christo & in Ecclesia magnum, in singulis viris & vxoribus esse minimum, sed tamen coniunctionis inseparabile Sacramentum. Constat ergo, Augustinum hic non loqui de Sacramento vt signo, sed de re significata, hoc est, de Sacra & inseparabili coniunctione. Vnde cùm subdit: quid horum, nempe, ex tribus bonis enumeratis nuptiarum, est in nuptijs, vnde peccati vinculum transiret in posteros, & Respondet, nihil: & certè his tribus bonis perfectè se haberet bonitas nuptiarum, quibus bonis etiam nunc bonæ sunt nuptiæ. Quibus verbis nituntur aduersarij: sed nihil omninò colligunt ex Augustino contra nos, quia ibidem solùm asserit, in statu innocentiæ matrimonium esse sacram, & indissolubilem cõiunctionem viri, cum vxore, non verò quòd esset signum coniunctionis Christi cum Ecclesia: quæ quidem coniunctio, vt significata per illa verba Adami Diuino Spiritu afflati. *Hoc nunc os ex ossibus meis &c. Propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem &c.* Rectè potest appellari res significata per Sacramentum, atq; adeò Sacra & indissolubilis coniunctio, & ita Christus Matth. 19. ex verbis istis Adæ infert matrimonij indissolubilitatem, cùm ait. *Quod Deus coniunxit, homo non separaret.*

227 Rursus. illud testimoniũ Augustini ex libro de Natura & Gratia cap. 25. Potiùs est contra aduersarios, quia ibi agit August. de peccato, quod Passionis Christi, & nostræ Redemptionis fuit occasio. Quare meliùs

intulissent,

Digitized by Google

intulissent, absq; illo secundùm Augustinum non esse futurũ opus Redemptionis. Sicut igitur peccatũ Adami nõ est intentum à Deo & volitũ, seu procuratũ, vt esset causa siue occasio Redemptionis nostræ, & propterea malũ non est causa boni, neq; peccatũ Adami causa decreti Redẽptionis, & misericordiæ Dei, licèt ab illo vt præcognito dependens fuerit Redẽptionis decretum, & proptereà permissum sit, vt ibidẽ docet August. ad meliùs liberãdum hominem à superbia, & peccato, ita etiã peccatum non est causa Incarnationis, licèt ea dependens fuerit à Redemptione dependente à peccato.

228 Ad D. Anselmũ Resp. Primò nullã aliã causam præter Redẽptionẽ cognouisse. Nam lib. 1. Cur Deus homo cap. 4. docet, Filiũ Dei cũ Patre & Spiritu Sancto dispo-suisse, se nõ aliter quàm per mortẽ celsitudinẽ omnipotẽtiæ suę ostẽsurũ mũdo, quod decretũ repugnat omninò cũ decreto Incarnãdi independẽter à Redẽptione, vt illi tribuunt aduersarij. Et 1. ad Timot. 1. ad illa verba. *Fidelis sermo &c.* Sic ait. *Christus Iesus:* Idest, Rex & Saluator; *Venit in mũdũ, peccatores saluos facere.* Idest, à peccatis saluare. nulla enim fuit causa ei ad nos veniẽdi, nisi vt peccatores saluos faceret. Secũdò Resp. Anselmũ eo capite initio satis indicasse, se magna cũ formidine loqui de re valde dubia, & ita mirum nõ est, si eius argumẽtũ non sit ita firmũ, nã plures patitur instãtias. Etenim D. Mathias non eligeretur in Apostolũ, nisi Iudas cecidisset, neq; Dauid vngeretur in Regẽ, nisi Saul voci Domini fuisset inobediens, & tamẽ neq; D. Mathias Gauisus est de lapsu Iudæ, neq; etiã Dauid de reprobatione Saulis: Et ita quamuis homines fuissent creati ad beatitudinem, ea duntaxat ratione, vt sedes reficerent Angelorum, qui ab illa ceciderunt, non deberẽt eorum casum optare, sed de sua electione gaudere, & de casu Angelorum dolere.

229 Tertiò Resp. Anselmũ hoc loco solũ velle probare, quòd homines nõ sint electi ad gloriã, & beatitudinem cõsequẽdã cõditionaliter, si Angeli cecidissent antè prę-cognitũ Angelorũ casum: tunc enim si homines simul cũ Angelis creati essent, vt videtur supponere Anselmus ex probabili opinione, & homines agnouissent, neminẽ eorũ fuisse ad beatitudinẽ cõsequendã absolutè electũ, sed tãtũ cõditionaliter, si aliqui cecidissent: tũc certè illis aliqua esset occasio desiderãdi Angelorum lapsum, nece sitas autẽ nulla foret. Si autẽ homines certo cognouissent, illos esse creatos ad sedes illorũ Angelorũ reficiendas, quos Deus peccaturos vidit, tũc cognouissent se nõ esse electos conditionaliter ad beatitudinẽ, sed absolutè ex præcognitione peccati Angelorũ, quod supponeretur præcognitũ infallibiliter futurum, & ita homines dolerent de peccato Angelorũ, & de sua electione gauderet, vt D. Mathias de peccato Iudæ doluit, & de sua electione gauisus est. Nos autẽ nõ asserimus Christũ prædestinatum cõditionaliter antè præcognitum Adæ peccatũ, & veluti secũdariò fuisse intentum à Deo, quin potiùs principaliùs est intẽtus, quàm ipse Adã, licèt non sit intẽtus nisi ex præcognitione peccati Adæ, quo pacto posset quis probabiliter asserere, Dauidẽ magis per se primò fuisse intẽtum à Deo, vt esset Rex Israel, quàm Saul, licèt nõ sit intentus, nisi ex præcognitione inobediẽtiæ Saulis, & depẽdenter ab eius reprobatione; quia id magis pertinebat ad gloriã Dei manifestãdã: qua in re verosimile valde est, Saulem Typum Adami gessisse, Dauidẽ autẽ Christi, & ita Anselmus nõ asserit, nullum hominẽ esse electũ ad beatitudinẽ depẽdẽter ab alterius peccato; sed nullum esse conditionaliter electum, si alter peccaret, quamuis sit electus dependenter à præuisione peccati alterius, vt electus est Christus. Ex quibus omnibus constat, quàm sit aliena à mente Scripturæ, & Sanctorum Patrum sententia aduersariorũ, & quàm verè docuerit D. Thom. vbiq; in Scriptura rationem Incarnationis à remedio contra peccatum desumi.

Sed M. Suarez pag. 136. col. 1. adhuc non conquiescit, nec desinit canere bellicũ, & Respõdet, his omnibus 230
ad summũ probari, rationes Incarnationis abstrahẽtes à Redẽptione, quarũ mẽtio fit in supradictis Scripturæ testimonijs, assignari vt inclusas in Redemptione & vt cõponentes vnũ integrũ motiuũ Incarnationis, vt facta est in carne passibili: nõ tamẽ probari ex his locis, neq; ex alijs, huiusmodi rationes, quæ secũdũ suã naturã abstrahunt à Redẽptione, de facto nõ inclinasse Diuinã volũtate ad efficaciter volendã Incarnationẽ abstrahẽdo à circũstantijs, quæ à remedio peccati petuntur: etenim negari nõ potest, quin huiusmodi rationes Deum actu mouerint ad Incarnationis opus intẽdẽdũ. Si ergo ex citatis locis colligitur, actu mouisse, non est cur sit credendum, quòd actu nõ mouerint vt motiua totalia, cùm illa sint ex natura sua sufficiẽtissima ad efficaciter & cõplerè inclinãdã Diuinã volũtatem, vt Incarnationẽ sapientissimè & cõueniẽtissimè velit. Et si aliquis obijciat, inquit, sine sufficiẽti fundamẽto ex Scriptura affirmari, rationes indepẽdẽtes à Redemptione habuisse rationẽ integri motiui totalis, cùm possit Diuina voluntas ab illis etiã conuenientijs ex Redẽptione desumptis, & adiunctis prioribus adæquatè moueri tãquã ab vno motiuo totali ad Incãrnationẽ volẽdã, Respõdet primò, sicut negari nõ potest, Deũ potuisse velle Incarnationẽ propter hæc motiua, quasi partialiter tãtùm eis vtẽdo; sic etiam negari nõ posse, quin similiter potuerit Deus intẽdere, seu attẽdere ad hæc motiua, vt totalia & sufficiẽtia. Quare sicut nos illi obijcimus, hũc posteriorem modũ nõ constare ex aliqua reuelatione, ita ipse nobis obijcere potest, ex nulla reuelatione probari posse, nostrum priorem modum: cùm neq; possit colligi ex motiuorũ imperfectione, aut insufficiẽtia, neq; ex eo quòd simul numerẽtur, neq; ex aliqua alia probabili ratione.

Secũdò Respõdet Suarez, sufficiẽter posse probari, il- 231
la motiua numerata locis citatis esse sufficiẽtia, quãuis nõ intelligantur coniuncta cum motiuo Redẽptionis, quia ad hoc asserendum est sufficiens fundamentum in ipsis rebus, hoc est, in perfectione Diuinæ voluntatis, & ipsius mysterij, & vniuscuiusque motiui ex supradictis. Ex perfectione autem motiuorum id probat Suarez; quia cùm nobis constat, Deum velle aliquid propter aliquod motiuum, ita credẽdum est Deum vti illo motiuo, sicut ipsum motiuũ dignũ est. Ergo si ipsum motiuũ de se est sufficiens & totale; verisimilius est, Diuinã voluntatẽ ita illud intendere, sicut est ipsum secundùm se, & cõsequenter quamuis multa occurrãt similia motiua, nihil proptereà alicui eorum derogari, quin omnia intendantur, vt totalia, si per se & secundùm se sunt totalia. Antecedẽns probat; quia valde credibile est, Deũ vnumquodq; amare, sicut ipsum amabile est.

Secũdò probat suã sententiã ex perfectione Diuinæ 232
voluntatis, & ex perfectione operis Incarnationis, vt à

Diuina voluntate egreditur; quia Diuina voluntas pro sua perfectione, & capacitate facilè potest adæquare intendere omnia, & singula motiua, quæ secūdùm suā naturā sunt totalia, & sufficiētia, sed hoc ad maiorē perfectionē ipsius operis, prout à tali volūtate egreditur, pertinet; ergo credibilius est, Deū intēdisse opus Incarnationis adæquatè propter illa motiua, quæ secūdùm suā naturā sunt sufficiētia, atq; totalia. Maior est certa. Minorē probat dupliciter. Primò, exēplo humanæ voluntatis; quia siquis simul ieiunet propter Satisfactionem pro peccatis, & propter honestatē tēperantiæ, & etiā vt eleemosynam faciat ex his, quæ sibi subtrahit, lōgè perfectiùs operabitur, si hæc omnia, & singula intendat, vt totalia motiua, quàm vt partialia tātùm. Itē siquis amico indigēti cērū tribuat hac volūtate, & animo, vt nō solùm propter eius indigētiā, sed etiā propter liberalitatē, & amicitiā erga illū id faciat; ita vt singulas ex his rationibus existimet sibi sufficiētes, & hoc modo de facto singulis & omnibus moueatur: meliùs sanè & studiosiùs erga illū se geret, quàm si collectionē omniū illarū rationū requirat, eaq; solùm tāquā sufficienti, & adæquata causa moueatur ad id præstādū: ergo in Deo etiā perfectius erit, si moueatur ad Incarnationē intendēdā adæquatè ab excellētia ipsius mysterij, & conuenientijs, quæ illi necessariò sunt annexæ, secluso peccato, & similiter moueatur adæquatè à Redemptione nostra, & liberatione à peccato, quàm si solùm moueretur inadæquatè à quolibet horum motiuorum, & adæquatè ab omnibus simul sumptis.

233 Secūdò probat eandē minorē exēplo Diuinæ volūtatis in alijs operibus, nā ex Cōcilio Trident. sess. 6. cap. 16. Deus vitā æternā iustis proponit, & tāquā gratiā & hæreditatē Filijs Dei per IesumChristū cōcessam, & tāquā mercedē ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddēdā. In hac autē volūtate dandi gloriā iustis, nō intelligimus, inquit Suarez, hos titulos, seu rationes esse tātùm partiales, sed totales, ac per se singulas sufficientes, & ita intelligimus Deum propter illas operari, & ad maiorē perfectionē pertinere, quo pacto intelligit illud Psal. 24. *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas.* Ita enim intelligimus Deū in singulis operibus suis velle iustitiā, & misericordiā ostēdere, ac seruare, vt singulas ex his rationibus intēdat, vt sufficiētes, & totales ad sic operādū, & idē existimat esse dicēdū de quacūq; alia ratione pertinente ad aliquam virtutem, seu ad aliquod Dei attributum.

234 Deniq; cōfirmat suā sentētiā exēplo illius decreti, quo Deus voluit, vt Ioseph in AEgyptū deferretur, cuius duo fuerūt motiua, alterū ipsius Ioseph exaltatio, alterū verò saluatio pluriū populorū, vt ipse dixit fratribus suis Genes. 50. *Vos cogitastis de me malū, sed Deus conuertit illud in bonū, vt exaltaret me, & saluos faceret multos populos.* Melius enim, inquis Suarez, hæ rationes, vt totales, quàm vt partiales sumūtur. Quare sicut Ioseph fuit figura Christi, ita etiā hæc verba optimè Christo acōmodātur. Tertiò Respōdet Suarez, in Sancta Scriptura sufficiens haberi fundamentū ad inferendū, motiua independentia à Redemptione fuisse totalia & sufficiētia respectu decreti Incarnationis. Sed nihil noui addit præter ea, quæ supra iam adduximus. Nihilominus istæ tres solutiones adhuc insufficientes sunt.

235 Ac primò cōtra primā solutionē sic obijcitur. Deus potuit nō moueri adæquatè ad Incarnādū propter motiua à Redēptione independētia, vt nos docemus: sed si ita motus esset, nō aliter Scriptura de motiuis Incarnationis loqueretur, quàm modò loquitur, neq; Sācti Patres aliter Incarnationis causas nobis exposuerent: ergo præter expressam reuelationē Dei, quæ in præsenti non est à nobis exigēda (aliàs opposita sentētia aduersariorū esset Hæretica) nihil deest nostræ sentētiæ, vt credamus, illā esse conformiorē Sacræ Scripturæ. Maior est certa, cōsequētia etiā videtur legitima, quia volūtas Diuina ex sacris literis nobis debet innotescere, in quibus ita frequenter agitur de hoc mysterio Incarnationis: ab illo enim vniuersa lex pendet, & Prophetæ; Deus autem suā volūtatem semper nobis significat præsertim in rebus grauibus per Scripturā. Minor probatur, & quidē efficaciter, si quinq; perpēdatur. Primū est, nullū esse locū in Scriptura, in quo agatur de motiuo Incarnationis, in quo nō fiat mētio Redēptionis, vel alicuius effectus ab illa depēdentis, aut supponatur natura lapsa erigēda per talē effectū. Alterū est, sæpiùs in Scriptura solā Redēptionē assignari, vt motiuū Incarnationis: & quidē in præcipuis locis, vbi agitur de aduentu Filij Dei in carne, vt cōstat ex dictis cōclus. 3. Parag. 10. & ex dictis paulò antè in hoc Parag. 15. Tertiū est, nullū esse nomē Christo impositum in Scriptura, cuius impositionis, & significationis ratio, vt in Scriptura traditur, non pendeat à significatione huius nominis, *Iesus,* & per illā cōpleatur. Et eādē ratione nullū est officiū, aut munus Christo in Scriptura tributū, cuius propriæ functiones, vt in Scriptura tradūtur, nō depēdeāt à functionibus Saluatoris, ac mediatoris Dei & hominū. Si enim Christus Agnus, Leo, Petra Angularis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis &c. Appellatur, omnia hæc salutē significāt, & Redēptionē. Si deniq; Prophetæ, Sacerdotis, pastoris &c. Munera exercet, id certè nō aliter præstat, quàm officiū Redēptoris obeūdo, vt iā vidimus in hoc Paragrapho. Et ita D. Gregor. Nazianz. orat. de Natali Domini, cùm omnia Christi munera sigillatim enumerādo recēsuisset, his verbis cōcludit. *Quorū omniū summa est vna perfectio, & restauratio mea, & ad primū Adā reuersio.* Quartū est, vbicumq; in Scriptura vel promittitur, vel adūbratur Incarnatio, semper promitti cōtra peccatū, vel cōtra aliquē effectū illius, & ex suppositione nostræ miseriæ, & semper adūbratur figuris, & signis Redēptionē nostrā significātibus, & mortē Christi, & Passionem eius. Quintū est, frequentissimè in Sacra Scriptura opus Incarnationis appellari opus misericordiæ, imò authonomaticè ipsam misericordiam; vt Psal. 89. *Misericordiam autem meam non dispergam ab eo.* Misericordia autem miseriam supponit. Neque vnquam insinuatur Incarnatio decreta in Scriptura, nisi vt opus misericordiæ.

Ex his ergo quinq;, si perfectè, vt par est, expendantur, luce clariùs constabit, quòd non aliter Scriptura de causa aduentus Filij Dei loqueretur, si nostra sententia vera esset, non tamen expressè reuelata, quàm modò loquitur, quæ erat minor probāda. Quare præter expressam reuelationem, qua contraria sententia, vt hæretica damnaretur, nihil ampliùs à nobis iure possunt exigere aduersarij, & propterea Sancti Patres huic innitentes fundamento, cùm de Incarnatione disserunt, nullam aliam causam præter Redemptionem assignant, & sæpiùs 236

Digitized by Google

pijs aliam negant, & frequentiſsimè docent, hac deficiente non futuram Incarnationem. Et ita D. Bonauent. 3. d. 1. art. 2. q. 2. Cùm vtriuſq; ſententiæ fundamenta propoſuiſſet, ſic ait. *Quis autē horũ modorũ melior ſit, nouit ipſe, qui pro nobis Incarnatus eſt. Quod etiã horũ alteri præponẽdũ ſit, difficile eſt videre, pro eo quòd vterq; modus Catholicus eſt, & à viris doctis ſuſtinetur, vterq; etiã excitat ad deuotionē ſecũdũ diuerſas cõſiderationes. Videtur autē primus modus (qui eſt aduerſariorũ) magis cõſonare iudicio rationis, ſecũdus autē, ſicut apparet, plus conſonat pietati fidei. Primò: quia authoritatibus Sanctorũ & Scripturæ magis cõcordat, nã tã nouũ, quàm vetus teſtamẽtũ, vbi de Filij Dei deſcenſu loquũtur, generis humani liberationē rationē reddũt. Quod patet per ſingula diſcurrendo. Sancti etiã hoc dicũt, vt cõſtat ex authoritatibus ſupra poſitis. Et ideò ſi Diuina eloquia nobiliſsimã & præcipuã Incarnationis rationē aſsignãt liberationē generis humani, nihil etiã nobis dicẽdũ eſt præter ea, quæ ex Sacris eloquijs claret. Ideò magis videtur pietati fidei cõſonũ, quòd præcipua Incarnationis ratio ſit liberatio generis humani, quã aliter ſentire.* Quã ſententiã ait, manifeſtè eſſe Auguſtini, & Deũ magis honorificare, quàm oppoſitam: vt nos infra latiùs oſtendemus.

237 Præterea Benedictus Tertius in Cõcilio Lateranenſi tom. 2. conſultatio. 5. cap. quod incipit. Quoniã prædictis &c. Definiēt Chriſtũ nõ ſolũ corpus, ſed etiã animã, intellectũ & volũtatē, & operationē humanã aſſũpſiſſe, hac vtitur cõditionali. *Si dimidius peccauit Adã, iuxta quod Theologus Gregorius ait, dimidius etiã aſſumptus eſt & ſaluatus.* At niſi ſupponatur, Chriſtum dũtaxat fuiſſe Incarnatũ ad liberandũ Adã, hoc eſt, omninò depẽdenter ab eius peccato, nõ video, qua ratione hæc cõditionalis propoſitio ſit digna Põtifice fidei veritatē definiēte, & D. Gregor. Nazianz. quē per anthonomaſiã Theologũ appellat. Ergo ſupponit Pontifex certũ eſſe, Incarnationē Chriſti dependenter à peccato Adami fuiſſe definitã. Antecedẽs probatur: quia ſi ratio Incarnationis definita eſt, quãuis nõ peccaſſet Adã, manifeſtè hæc conditionalis eſt falſa, ſi dimidius peccauit Adã, hoc eſt, ſolũ caro Adami peccauit, dimidius aſſũptus eſt, & ſaluatus: hoc eſt, ſola caro aſſumpta eſt, vt dicebant Hæretici. Etenim ſicut eſtò nihil Adami peccaret, totus Adã aſſumeretur ex vi præcedentis decreti, ita quãuis aliquid ſolũ Adami peccaret, nempe, ſola caro, manifeſtè totus Adam aſſumeretur, atq; adeò falſa eſſet propoſitio Pontificis, & D. Gregorij.

238 His adde, omnia Cõcilia generalia, quæ ad hoc myſteriũ Incarnationis ſtabiliẽdũ præcipuè cõuocata ſunt, cùm cauſam vnionis Perſonæ Filij Dei cũ noſtra natura aſsignãt, ſolius Redemptionis, & ſalutis noſtræ mẽtionē facere, vt cõſtat ex Cõcilio Niceno, Chalcedonenſi, Epheſino, ex ſexta ſynodo generali, & ex Lateranẽſi ſub Martino primo cõſultatione. 5. cano. 4. Idē etiã Põtifex Martinus primus cõſultatione. 1. nõ longè à principio hanc vnicam cauſam Incarnationis reddit. Cùm igitur Scriptura, Cõcilia, & Patres tã apertè nobis ſignificent Incarnationis depẽdẽtiã à remedio cõtra peccatũ, & independentia ab illo ex nullo Scripturæ loco colligi poſſit, à mẽte Scripturæ, & Patrũ omninò erit alienũ, aliquod decretũ Incarnationis agnoſcere à remedio contra peccatũ independens. Quare M. Suarez nobis obijcere non poteſt, ſine ſufficienti ratione & fundamento nos aſſerere, alia motiua Incarnationis à peccato independentia fuiſſe inadæquata reſpectu decreti Incarnationis, quod ex Scriptura nobis innoteſcit.

Rurſus ſecunda ſolutio à Suarez aſsignata falſis ſine 239
dubio nititur fundamẽtis, vt cõſtabit ex ſingulorũ euerſione. Primũ fundamẽtũ ductũ ex perfectione motiuorũ Incarnationis, ſecũdùm ſuã naturã à Redẽptione independentiũ, nõ ſolũ eſt falſum, ſed etiã ipſi Suarez cõtrariũ, vt iã ex parte ſupra vidimus in hoc Paragrapho. 15. contra primã ſolutionē. Etenim cùm Suarez negare non poſsit, Deũ valde rationabiliter poſſe, inadæquatè ſolũ moueri à motiuo, quod ex ſe poterat eſſe adæquatũ, neceſſariò tenetur cõcedere, huiuſmodi argumentãdi modũ ſophiſticũ eſſe, ſiquidē tã indifferens eſt ad inferẽdũ verũ, quàm falſum, poſsibili enim poſito in eſſe,
nullũ ſequitur incõueniens. Cõfirmatur hæc ratio. Lõ- 240
gè aliud eſt, motiuũ aliquod poſſe eſſe totale reſpectu alicuius operis Dei, aliud verò, quòd ex natura ſua exigat eſſe totale, vt homo exigit eſſe riſibilē, & ignis eſſe calidũ, vel ergo cùm dicit Suarez, motiua Incarnationis indepẽdẽtia à Redẽptione, ex ſe & ex ſua natura eſſe totalia, hoc intelligit priori, vel poſteriori modo. Si priori, eius argumẽtũ nullius eſt efficaciæ, ſi poſteriori, falſo nititur fundamẽto, quia nullũ motiuũ creatũ datur, quo Deũ adæquatè nõ moueri, eſſet miraculũ, vt eſſet producere ignē ſine calore. Vnde cõſtat, quòd licèt Deus inadæquatè moueatur ab aliquo motiuo, quod poſſet eſſe totale, & adæquatũ, adhuc tamē illud amat, vt amabile eſt; quia illud eſt indifferens, vt adæquatè, vel inadæquatè intẽdatur à Deo, prout illi placitũ fuerit. Quare cũ dubium eſt, An Deus ſit motus adæquatè, vel inadæquatè ab aliquo motiuo ad aliquod opus efficiẽdũ; certior regula ad id cognoſcẽdũ debet eſſe nobis ea reuelatio, ex qua cognoſcimus, Deũ eſſe motum à tali motiuo. Quocirca ſi ex tali reuelationis modo veroſimilius eſt, illud motiuũ eſſe inadæquatũ, non eſt dubiũ, quin abſolutè hoc cęferri debeat probabilius, quãuis ratio naturalis aliud dictare videatur: quia illa eſt valde infirma ad iudicãdũ de Diuinis cõſilijs, & ſæpiſſimè circa illã paralogizãtur, qui rationi naturali multũ innitũtur; nã ſicut exaltatur cœlum à terra, ita exaltantur viæ Dei à vijs noſtris, & conſilia Diuina à conſilijs noſtris. Et propterea D. Bonauentura prudentiſsimè, vt vidimus, poſtpoſita ratione naturali, Scripturæ, & Sanctis adhæſit. Nullus autem negabit, quin noſtra ſententia Scripturæ & Sanctis ſit conformior.

Item hoc fundamentũ nõ ſolùm eſt falſum, verùm- 241
etiã ipſi Suarez cõtrariũ; quia ſufficiẽs motiuum eſt ad producendũ hominem, & totũ vniuerſum, ipſa bonitas naturalis hominis, & vniuerſi; de facto autem Deus nõ eſt vſus hac bonitate naturali, vt adæquato motiuo; ſicut etiam neq; bonitate ſupernaturali ad prædeſtinandos homines & Angelos, & ad homines etiam redimẽdos; ſed propter Chriſtum & dependenter ab illo hanc
Redẽptionē efficere voluit, & liberationem à peccato.

Secundùm etiã fundamentũ nõ eſt vniuerſaliter ve- 242
rum, & quàuis in humanis verum eſſet, cõſequentia ad Diuina eſt omninò debilis & infirma; quia licet poſitis aliquibus circũſtãtijs cõuenientius ſit aliquod opus honeſtum exercere, nõ ſolùm propter motiuum vnius virtutis, ſed etiam propter motiuũ alterius, illis tamen

circunstantijs ablatis, conuenientius esse potest, illud opus non exercere propter motiuum talis virtutis; sed conuenientius esset oppositum opus præstare: ergo non quandocumq; potest aliquis conuenienter vti motiuo alicuius virtutis ad aliquod opus exercendum, conuenientius est illud exercere adæquatè, & efficaciter propter motiuum talis virtutis independenter à motiuo alterius. Consequentia est certa; antecedens probatur eisdem exemplis, quibus pro se vtitur M. Suarez; quia fieri potest vt ex suppositione alicuius peccati cõmissi, aut grauissimæ tentationis, conuenientius sit, Regem aliquem & prælatũ ieiunijs se & vigilijs macerare, quàm valetudini inseruire; & hac occasione supposita, conuenientius sit moueri etiam ad ieiunandũ ex affectu temperantiæ, & ex affectu eleemosynæ, vt scilicet, id, quod voluptati carnis subtrahit, impendat charitati proximi: adhuc tamen tali occasione sublata, conuenientius sit, vt talis Rex, vel prælatus magis prospiceret valetudini suæ propter bonum Regni, vel Ecclesiæ, vt non ita se ieiunijs & vigilijs maceraret, quamuis absolutè hoc non esset inhonestum, etiam hac occasione cessante. Ergo quamuis illa supponatur, nõ erit honestius, si talis Rex, vel prælatus adæquatè moueatur ad ieiunandum ex motiuo charitatis, vel eleemosynæ, quàm si moueretur inadæquatè ab his motiuis, & omninò dependenter à motiuo pœnitentiæ, aut victoriæ tentationis molestæ. Consequentia probatur: quia si in tali casu honestiùs appetitur maceratio corporis, si adæquatè intendatur propter motiuum temperãtiæ, quàm si appetatur inadæquatè propter illud: ergo talis appetitio macerationis independens omninò est à motiuo pœnitentiæ. ergo cessante motiuo pœnitentiæ etiã honestius esset talem macerationẽ carnis appetere propter solum motiuum temperantiæ; quod in Rege, vel prælato valde necessario Reipublicæ iam supponimus esse falsum. Quare vniuersaliter loquendo falsum est, quod quandocumq; operari possumus ex pluribus motiuis, inadæquatè propter singula: honestius & conuenientius sit adæquatè propter singula operari, vt supponit M. Suarez in hoc fundamento.

243 Confirmatur ampliùs exẽplo, quo secundo loco vtitur ipse Suarez: quia dari potest casus, in quo non sit honestius, pro amico magnam pecuniæ copiam effundere adæquatè ex solo motiuo liberalitatis, & amicitiæ, quia licèt hoc posset esse honestum; adhùc tamen honestius esset, huiusmodi pecunias in veros Christi pauperes distribuere. Si tamen amicus esset in extrema necessitate, conuenientius & honestius esse posset, hanc magnam pecuniæ copiam illi tribuere non solùm titulo charitatis, sed inadæquatè etiam titulo liberalitatis: ergo non semper, quando aliquis potest honestiùs operari, si inadæquatè moueatur à pluribus motiuis sigillatim sumptis, honestius est, si adæquatè moueatur à singulis. Consequentia probatur eodem modo, atq; superior.
244 Neq; solùm falsum est antecedens huius secundi fundamenti, sed etiam consequentia ad actus Diuinos nulla esset, quamuis omninò esset verum in humanis; & ratio est, quia si in humanis opus, quod propter plura motiua fit adæquatè, propter singula perfectiùs fit, quàm si fieret inadæquatè propter singula, id quidem est, quia opera nostra in esse moris sumunt perfectionem à motiuis, propter quæ fiunt, at verò in Deo actus Diuini, neq; etiam nostro intelligendi modo perfectionem aliquã sumũt in esse moris ex motiuis creatis, propter quæ fiunt: quia huiusmodi motiua creata semper sunt respectu Diuinorũ actuũ obiecta materialia; omnis enim actus Diuinæ volũtatis solũ habet pro obiecto formali Diuinã bonitatẽ; sicut omnis actus charitatis pro obiecto formali solùm potest habere Diuinam bonitatem: & ita Incarnationis opus, vt à Diuina voluntate egreditur, non est perfectius in esse moris, siue intendatur adæquatè, siue inadæquatè ab vno vel pluribus motiuis creatis sigillatim sumptis, ac proptereà nulla est consequentia ex nostris actibus humanis ad Diuinos.

Secundò probatur nostra sentẽtia illo eodem exem- 245
plo, quod ex Cõcilio Tridentino adducit M. Suarez, nã certũ est, Deũ ex vi præsentis decreti nõ statuisse nobis gratiã & gloriã donare, nisi per Iesum Christũ. *Non enim est aliud nomen (vt inquit Petrus Actor. 4.) in quo oporteat nos saluos fieri.* Ergo Deus non intendit dare nobis gratiam & gloriã adæquatè propter aliquod motiuũ omninò indepẽdẽs à meritis Christi. Cõsequẽtia probatur: quia aliàs hæc cõditionalis esset vera. Quãuis Christus nõ esset mortuus pro nobis, Deus condonasset nobis omnia delicta, & participes efficeret Regni cœlestis. Cõsequẽs est falsum, ergo & antecedẽs. Maior probatur quia propterea aduersarij docẽt Christũ venturũ, quãuis Adã nõ peccasset; quia assignãt motiuũ adæquatum Incarnationis omninò independens à peccato: ergo si assignans motiuũ independens à meritis Christi, propter quod Deus decreuit nobis peccata remittere, & dare gratiã & gloriã; hæc cõditionalis erit vera. Quamuis Christus non esset mortuus pro nobis, Deus cõdonasset nobis omnia peccata &c. Quã quidẽ cõditionalẽ nullus audebit concedere; cùm expressè cõtradicat Scripturæ; ergo cùm Cõcilium Trident. docet gloriã proponi nobis à Deo tãquã hæreditatẽ filijs, & tanquã mercedẽ, nõ intendit docere, quòd ita sit nobis à Deo gloria promissa tãquã hæreditas, vt nulla ratione huiusmodi hæreditas sit promissa depẽdenter à formalitate mercedis, quã respectu Christi habet. Imò si loquatur respectu nostri, licèt pueris sit proposita solũ vt hæreditas, & nulla ratione tãquã merces respectu eorũ: adultis tamẽ ea gloria, quæ bonis ipsorum operibus in Christo factis, tãquã merces correspõdet, nulla ratione est illis proposita, solũ vt hæreditas, hoc est, independẽter à ratione mercedis. Falsum igitur est, illis verbis Cõcilij Tridẽt. Duplex motiuũ adæquatũ assignari dandi gloriã, vt mercedem, scilicet, & vt hæreditatẽ: quia pueris nõ proponitur vt merces, augmentũ verò gloriæ & gratiæ, quod respectu adultorũ habet rationẽ mercedis, non proponitur illis adæquatè sub ratione hæreditatis independenter dandum à meritis iustorum.

Tertiò probatur nostra sententia, quia non semper 246
Deus in omnibus suis operibus adæquatè mouetur à motiuo misericordiæ, & à motiuo iustitiæ: ergo non semper quãdo aliquod opus fit à Deo, cõuenientius est, vt adæquatè intẽdatur à Deo tã propter motiuũ iustitiæ, quàm propter motiuum misericordiæ adæquatè propter quoduis eorũ. Antecedens probatur manifestè exẽplo ducto de remissione peccatorũ, quã Deus noluit dare nisi præmissa Satisfactione Christi ex toto rigore iustitiæ: ergo nulla ratione dici potest, quòd indepen-

denter

dêter à motiuo iustitiæ sit à Deo remissio peccatorum adæquatè intenta solùm propter motiuum misericordiæ. Secundò probatur idem antecedens: quia opus Incarnationis nulla ratione dici potest, esse intentum à Deo adæquatè ad ostensionem suæ iustitiæ, independenter omninò à motiuo misericordiæ; quia hæc iustitiæ ostensio essentialiter supponit gratiam vnionis, omninò gratis concessam humanitati Christi: ergo in opere Incarnationis essentialiter includitur liberalitas & misericordia. Ergo intelligi non potest, quòd à Deo fuerit adæquatè intentum ad ostensionem iustitiæ in-
247 dependenter ab ostensione misericordiæ. Tertiò: quia creatio & iustificatio tam Angelorum, quàm Adami in primo instanti non est intenta à Deo ex solo motiuo iustitiæ omninò independenter à motiuo liberalitatis. Quartò: quia punitio damnatorū nulla ratione potest intelligi à Suarez adæquatè volita à Deo ad ostensionem suæ misericordiæ; nam licet Deus puniat citra condignum, non tamen punit ex solo misericordiæ motiuo, quamuis ex misericordia aliquid ex supplicio remittat, in quo resplendet eius misericordia in punitione damnatorum; quæ nulla ratione est constituenda, vt actus independens à motiuo iustitiæ, cùm sit actus iudicij. Quare omninò falsum est, propterea omnes vias Domini esse misericordiam & veritatem; quia quodlibet opus Dei adæquatè fit ex motiuo misericordiæ, independenter à motiuo iustitiæ, & è contra. Ex verbis autem Ioseph Genes. 50. Nullo modo colligitur, Deum intendisse deductionem illius in AEgyptum adæquatè, propter solam eius exaltationem independenter à salute plurium populorum, quinpotiùs oppositum meliùs colligitur ex dicto loco, quia Scriptura vtrumq; finem coniungit; ergo magis consentaneum est Scripturæ vtrumq; finem coniungere. *Quis enim cognouit sensum Domini; aut quis consiliarius eius fuit?* Nam vt potuit quemlibet horum finium sigillatim, & adæquatè intendere: ita sine vlla imperfectione potuit quemlibet inadequatè intendere; ergo si Scriptura vtrumq; simul proponit, non est cur ab in-
248 uicem à nobis diuidantur. Cōfirmatur hæc ratio: quia Ioseph fuit figura Christi, vt sancti communiter tradunt, sed Deus non intendit exaltationem Christi independenter ab vtilitate nostra: ergo neq; exaltationem Ioseph independenter à salute plurium populorum. Minor probatur: quia in omni sententia dicendum est, Christum in primo decreto Incarnationis fuisse vt caput nostrum intentum: ergo intentus est in vtilitatem nostram, & vt nobis mereretur ex toto rigore iustitiæ sanctitatem, & gratiam. Accedit, quia ad exaltationem Christi maximè pertinet beneficentia; ergo in ipsa Christi exaltatione intenta est beneficentia respectu nostri, atq; adeò salus plurium populorum, quod in ipso Ioseph aperitiùs apparet; fuit enim maxima illius gloria, quòd prospicere posset, & verè prospexerit vtilitati & saluti non tantùm AEgypti, sed etiam plurium populorum. Et propterea ad maximam nominis eius exaltationem pertinet titulus Saluatoris, quē accepit; ergo exaltatio Ioseph intenta non est à Deo independenter à salute populorum, vt vult M. Suarez.
249 Tertia deniq; solutio Suarez, quæ Sacræ Scripturæ testimonijs innititur, ex dictis satis est confutata; quia vt visum est, neq; ex reuelatione facta Adamo, neq; ex aliquo Scripturæ loco colligi potest independentia Incarnationis à motiuo Redemptionis, quinpotiùs oppositum deducitur secundùm mentem sanctorum, & communiorem expositionem huiusmodi locorum Sanctæ Scripturæ. Manet igitur firma & certa minor syllogismi D. Thomæ, in cuius probatione, & defensione hactenùs insudauimus, & vtinam fæliciter, nempe, conformius esse Scripturæ, & Patribus, nullam esse Incarnationis adæquatam causam à Redemptione independentem, cuius probationis summa est, quia vt dixit D. Thom. vbiq; in Scriptura Incarnationis ratio ex remedio contra peccatum sumitur, quod verissimum esse hactenùs ostendimus.

Secunda ratio principalis, qua sententia Suarez re- 250
fellitur, est: quia in primo decreto Incarnationis, vel Incarnatio est intenta in carne impassibili, vel abstrahendo à carne passibili, vel impassibili; sed neutrū dici potest: ergo intenta est in carne passibili, atq; adeò in remedium contra peccatum. Consequentia videtur certa, & minor probatur. In primo decreto non est intenta Incarnatio solùm in carne gloriosa, vt videtur docere Catharinus, & clarè docet Naclantus super Epist. ad Ephes. cap. 1. digrestio. 5. ad finem, & in cap. 1. Epistolæ ad Rom. ergo intenta est in carne impassibili: sed non gloriosa, vel abstrahendo ab vtraq;, nihil enim horum dici potest: ergo solum est intenta in carne passibili. Maior probatur: quia dupliciter intelligi potest, in primo decreto Incarnationem solùm esse intētam in carne gloriosa. Primò, vt pro omni statu fuerit intenta in carne gloriosa, & hoc sine errore affirmari nequit: quia aliàs voluntas Dei efficax esset frustrata: cùm Christus actu venit in carne passibili. Secundò, Ita vt pro primo 251
instanti, aut signo rationis fuerit Incarnatio duntaxat decreta in carne gloriosa pro statu termini, nihil decernendo pro statu viæ, & hoc similiter est falsum: quia Christus etiam in primo decreto Incarnationis, non ita propter semetipsum est tantùm intentus à Deo, vt non fuerit intentus in ordine ad nostram vtilitatem, & vt caput totius Ecclesiæ, vt suis membris mereretur ex toto rigore iustitiæ gratiam & gloriam: sed status gloriosus non est status merendi, qui proprius est viatoris; ergo quamuis explicitè in primo decreto sis Christus intentus pro statu glorioso, implicitè tamen est intentus pro statu viatoris, qui solùm est status merendi. Ergo vel vt sic est intentus à Deo pro statu innocentiæ, atq; adeò in carne impassibili, sed non gloriosa, aut nihil circa hoc statuit Deus in primo decreto Incarnationis: sed neutrum dici conuenienter potest: ergo solùm pro statu viæ intentus est Christus in carne passibili. Consequentia est certa, minor probatur; quia voluntate absoluta & efficaci non potuit intendi Incarnatio in primo decreto in carne impassibili: quia aliàs talis voluntas Dei efficax esset frustrata, quod implicat. Neq; etiā voluntate antecedente, vt ait Suarez sectio. 5. 252
seu quod idem est, conditionata, nempe, si Adam non peccasset, Incarnatio esset in carne impassibili; si verò peccasset, esset in carne passibili, quod cum eo coincidit, quod alij dicunt, in primo decreto intentam esse Incarnationem in ea carnis qualitate, quam homines haberent eo tempore, quo executioni esset mandanda Incarnatio, quia prudens indeterminatio voluntatis nequit prouenire nisi ex indeterminatione intellectus,

qui illi rationem sufficientem nondum ostendit, propter quam voluntas ad vnam potiùs partem, quàm ad aliam determinaretur: sed hæc voluntatis Diuinæ indeterminatio in primo Incarnationis decreto respectu qualitatis carnis assumendæ pro statu viæ, reduci non potest in defectum rationis sufficientis ad assumendam pro viæ statu potiùs carnem passibilem, quàm impassibilem, quæ vt sic non esset repræsentata à Diuino intellectu pro eo instanti rationis, pro quo voluntas Diuina Incarnationem intendit: ergo primum Incarnationis decretum non fuit indifferens respectu qualitatis
253 carnis assumendæ. Maior probatur, quia si pro illo signo & instanti rationis, in quo voluntas indeterminata manet, intellectus illi repræsentat rationem, propter quam conuenientius est rem illam cum tali modo, aut qualitate intendere, quàm sine illa, non est, cur voluntas rationabiliter rem intendat abstrahendo à tali modo, quem tamen posteà propter illammet rationem repræsentatam est electura, sed conuenientius est, si in primo signo, in quo rem intendit, illam intẽderit cum tali modo, & qualitate. Et propterea nō dicimus, Deum priùs ratione mundum producere decreuisse, & posteà hunc mundum producere voluisse constantem ex his elementis, & mixtis taliter inter se dispositis ac distributis, quia pro illo instanti, in quo mundum creare decreuit, vidit etiam hunc mundum, vt possibilem, & conuenientiorem; ergo similiter in præsenti, si pro instanti, in quo decreuit Incarnari, vidit hunc modum Incarnationis in carne passibili, vt possibilem, & propter aliquam rationem tunc temporis repræsentatam vidit illum vt conuenientiorem, non est, cur expectauerit, & non decreuerit tunc determinatè Incarnari in carne passibili. Minor etiā probatur à priori; quia pro illo instanti rationis, in quo Deus primò intendit Incarnationem, habuit certam scientiam peccati Adami, quod sufficiens occasio fuit, propter quam Deus carnem passibilem assumere decreuit: sed peccatum Adæ sic præcognitum per talem scientiam potuit esse sufficiens occasio assumendi carnem passibilem; ergo pro primo instanti rationis intellectus Diuinus repræsentauit voluntati sufficientem rationem ad determinandam qualitatem carnis assumendæ pro statu viæ,
254 scilicet, assumendi passibilitatem. Maior est certa, & conceditur à Suarez; minor verò negatur ab illo. Sed probatur efficaciter: quia primum decretum Incarnationis terminatum est ad ipsam illam numero humanitatem Christi, & ad illam ipsam hypostaticam vnionem, quæ de facto extiterunt in rerum natura: aliàs tale decretum non esset huius numero Incarnationis, sed Incarnationis in communi, quod non admittit Suarez, neq; esset consonum Scripturæ, & Patribus id admittere, vt constabit Paragrapho sequenti. 16. Sed non poterat eligi hæc numero humanitas Christi, nisi vt dependens est, secundùm suam indiuidualem rationem ab ea generationum serie, qua actu descendit ab Adamo: ergo si electa est humanitas in indiuiduo, etiam electa est in carne passibili. Maior, vt vidimus, est certa, minor probatur: quia nulla ratione probabili negari posse videtur, quin ex diuersitate numerica causarum, & ex diuersitate numerica materiæ, bene inferatur diuersitas numerica indiuidui materialis, præsertim substantialis; ergo si hæc numero humanitas Christi electa est in primo decreto ad vnionem hypostaticam, etiam electa est, vt descendens ab his progenitoribus, nempe, ab Abrahamo, Isaac, & Iacob, & ab alijs etiam, qui hos 255
antecesserunt, & sequuti sunt vsq; ad Beatissimā Virginem: ergo electa est humanitas Christi in carne passibili. Consequentia probatur, quia Christi progenitores à Noe omnes electi sunt in carne passibili, & nullo modo in abstractione à carne passibili, & impassibili; ergo neq; etiam humanitas Christi electa est abstrahendo à carne passibili. Consequentia probatur: quia nulla est ratio, cur non debuerit per omnia Patribus assimilari absq; peccato. Antecedens probatur, quoniam si Adam non peccasset, diuersa omninò esset vsq; ad Christum generationum series, nam plures ex Christi progenitoribus ex damnato concubitu geniti sunt, qui in statu innocentiæ non ita generarentur: ergo neq; ab his parentibus omninò generarentur, imo neq; ab alijs: si enim Adam non peccasset, longè probabilius est, alios homines numero diuersos nascituros ab his, qui modò nascuntur, nam plures modò vitam cælibem ducunt, quam in statu innocentiæ non ducerent, atq; adeo generarent plures filios, quàm modò generantur. Multi 256
etiam nunc ob infirmitatem naturæ steriles sunt, quæ infirmitas in statu innocentiæ non esset: quàm plurimi etiam ex turpi copula generantur, qui tunc non generarentur. Deniq; illi omnes, qui in diluuio interierunt, plures alios generarent, & illi alios diuersos omninò ab his, quos genuerunt filij Noe, & filij eorum. Deniq; illi, qui morte naturali, aut violenta à filiorum propagatione impediuntur, qui plures sunt, quàm pro numero, si status innocentiæ duraret, non impedirentur; ergo non esset eadem series progenitorum Christi in statu innocentiæ, ac est modò. Ergo progenitores Christi non sunt electi à Deo in abstractione à carne corruptibili, & incorruptibili; sed solū electi sunt in carne corruptibili, siquidem pro statu innocentiæ electi non sunt. Vnde cōstat, concedendum esse ab aduersarijs, vel 257
quòd in primo instanti nō est electa humanitas Christi hæc numero, quæ assumpta est, quod est prorsus falsum; vel quòd ex diuersitate progenitorum non bene infertur diuersitas numerica hominum, qui ab illis generantur; quod similiter non est minùs falsum, cùm saltem necessariò sequatur diuersitas materiæ in filijs generatis ex diuersitate materiæ progenitorum; nam materia, quæ modò semini & proli subministratur, omninò diuersa est ab ea, quæ in statu innocentiæ subministraretur propter ciborum diuersitatem, & maiorem materiæ resolutionem, quæ modò est in statu naturæ corruptibilis, tum propter frequentes infirmitates, tum etiam propter deteriorem primarum qualitatum temperiem. Quare ad minùs materia Christi, quæ in primo instanti electa est, non esset eadem numero cum ea, quæ modo est, si progenitores eius essent omninò diuersi, vel etiā concedere debent aduersarij, esse futuros eosdem Christi progenitores, siue Adam peccaret, siue non: quod videtur incredibile, quia non ita differretur aduetus Christi, si Adā nō peccasset, quia vt ipsimet aduersarij cōcedūt cū Basilio & Gregorio Nisseno supra conclus.a Paragrapho. 10. & alijs Patribus, causa huius dilationis aduentus Christi ex occasione peccati assumpta est, vt docet D. Thom. art. 5. huius quæstionis. & cōcedit etiā, & probat Suarez Disput. 6. sectio. 2.

Ergo

Ergo Christus in statu innocentiæ non tot progenitores haberet, quare neque eosdẽ,quot modo habuit: ergo nõ esset idẽ numero Christus, qui in statu innocentiæ veniret,cũ eo,qui actu venit;cũ ex diuersitate numerica causarũ bene inferatur,secluso miraculo,diuersitas numerica effectuũ. Quæ omnia cùm nõ videãtur veritati cõsentanea, solùm relinquitur, vt probabilius,hàc numero Christi humanitatem non esse electam à Deo independenter ab hac generationũ serie præcognita,quę cùm dependentiam habeat à peccato,non esset hæc,sed alia peccato non interueniente, à quo etiam peccato præcognito dependentiam habuit primum decretum Incarnationis.

258 Sed dicet, causam immediatam Christi eandem numero fore in statu innocentiæ,scilicet,Beatissimã Virginem:quod sufficit ad vnitatem numericam humanitatis Christi.Contra:quia B. Virgo secũdùm propriam indiuiduationem petit, esse filiam sanctissimæ Annæ, & Ioachimi, qui etiam secundùm indiuiduationem à suis parentibus dependent, & sic de alijs. Neque enim haberet B. Virgo eandem numero materiam in prima sui conceptione, si ab alijs parentibus numero diuersis generaretur. Dices,propterea B.Virginem fuisse miraculosè genitam. Contra: quia licet fuerit miraculum, quòd steriles generarent,collata tamen illis miraculose virtute generandi,nullum fuit miraculum, quòd B. Virginem generarent,& non aliam numero diuersam, quàm ex natura rei generaturi essent: etenim miracula quæ ex Sancta Scriptura, vel aliquo graui authore nõ constant, minime sunt à nobis pro nostro capite confingenda.

259 Si dicas, humanitatem Christi non esse indiuiduatã ex Virgine, quia mater passiuè tantùm concurrit ad generationem.Contra:quia iuxta istam philosophiam ijdem filij numero generarẽtur ab aliquo viro, siue ex vna vxore,sine ex alia,quod falsum omnino est, ergo mater concurrrit ad indiuiduationem filiorum. Accedit,quòd mater, licèt solùm concurrat passiuè, proli tamen subministrat materiam, & hoc pacto maximè ad eius indiuiduationem concurrit.

260 Dices,Deum potuisse efficere, vt eadem numero materia,in qua decreta est Incarnatio, sumeretur ex Virgine sanctissima, poterat enim aliqua peculiari prouidentia illa materiæ pars desumpta esse ex aliquo cibo conuerso in substantiam alicui.Sed contra: quia iam B. Virgo non esset hæc eadem numero, naturaliter loquendo, si ab alijs parentibus progeneraretur. Secũdò: quia in primo decreto Incarnationis non est electa hęc numero humanitas Christi solùm vt considerata in primo instanti conceptionis,sed principaliter, vt modò regnat in cælo: quod enim est vltimum in executione,est primum in intentione,præsertim cùm hic status sit longè perfectissimus, & in æternum duraturus. Quare ad perfectionem illius primi decreti, quo Deus Incarnari intendit, pertinere videtur, vt Vnionem hypostaticam cum natura humana etiam intenderit in perfectissimo statu: sed quòd materia Christi sit hæc numero,quam modò habet in cælo, protsus dependet ex cibis,& potibus,quibus in hac mortali vita vsus est, & ex laboribus, quos in carne passibili pertulit; ex inedia,siti,& fame,quibus in statu innocentiæ careret: ergo sine miraculis fieri non posset,vt hęc eadem numero materia fuerit à Deo electa in primo instanti decreti Incarnationis, & quòd adhùc decretũ indifferens sit pro statu innocentiæ,& pro statu naturæ corruptę. Solum igitur fuit pro statu naturæ corruptæ, atque adeò non fuit abstrahens à passibilitate.

Confutatur Quinta Opinio. §. XVI.

261 QVINTA sententia Parag. 6. relata, quæ fuit M.Ioãnis Vincentij,quatenùs docet decreuisse Deum eam natura intellectuali hypostatice vniri in abstractione à peculiari Persona assumente,& natura assumenda, est chimericum figmentum ex suo cerebro ortum,& excogitatum,nullo modo consentiens cum his, quæ docet Sancta Scriptura. Etenim illud decretum ab Vnione cum humana natura abstrahens non constat ex Sacris literis, in quibus vbicumque fit mentio Vnionis hypostaticæ Dei cum natura creata, semper fit mentio Vnionis hypostaticæ Personæ Verbi cũ natura humana,& neq; Patres, neq; Concilia,neque Theologi ex Sancta Scriptura tale decretum collegerunt, atque adeò sine fundamento fingitur à Vincentio. Præterea impugnatur. Argumentum negatiuum ex Sancta Scriptura desumptum, tunc est efficax & validum,quando res est grauis,& magni momenti,& Scriptura non obiter & in transcursu, sed ex professo,& magna consideratione de tali re loquitur, tunc enim affirmatiua æquipollet exclusiuæ; sed in Sãcta Scriptura nulla fit mentio alicuius decreti Vnionis hypostaticæ,abstrahentis ab Vnione Personæ Verbi cum natura humana, & res est grauis, & de qua Scriptura ex professo, & magna consideratione loquitur:ergo absolutè dicendum est, non dari tale decretum.

Secundò obijcitur contra hanc sententiam. Hoc decretum abstrahens à Persona, & natura imperfectionem inducit,ac supponit in Deo: ergo admitti non debet.Antecedens probatur eodem argumẽto, quo idem Vincentius vtitur contra Scotum pagina. 661. & 664. ad excludendum decretum Vnionis hypostaticæ cum humana natura abstrahens à passibilitate,& impassibilitate; quia hæc tanta voluntatis indeterminatio supponit in diuino intellectu confusam quandam cognitionem,& repræsentationem rationum vniuersalium, propter quas Diuina voluntas ad electionem Vnionis hypostaticæ moueri potest. Si enim hæc non supponatur,nequit congrua ratio assignari, quare Deus ita confusè, & indeterminatè eligere decreuerit Vnionem hypostaticam alicuius Diuinæ Personæ cum aliqua natura intellectuali, non determinando Personam assumentem,& naturam assumendam. 262

263 Huic argumento Respondet Vincentius, Deum simul sine vllo successionis vestigio,simplicissimo quodam actu decreuisse,vt secunda Persona Trinitatis hypostaticè vniretur humanæ naturæ.nos tamen considerationc nostra secundùm ordinem obiectorum hũc simplicissimum actum in duos partiri, alterum, quo intelligatur volita,& decreta Incarnatio, vt est quædã vnio hypostatica naturæ intellectuali cum aliqua Diuina Persona;alterum verò,quo intelligatur volita & decreta,vt est vnio secundæ Personæ Diuinæ cum natura humana: qui modus distinguendi vnum actum in duos per nostram rationem,& considerationem, fun-

Digitized by Google

damentum habet in rationibus, secundùm quas obiec-
ta apta nata sunt ex natura sua se intellectui præsenta-
re. Et quia ratio vniuersalior, & communior apta nata
est, se priùs intellectui præsentare, quàm seipsam eidem
intellectui obijcere singularibus differentijs concretã;
hinc est, vt satis consentaneè naturis rerum; licet Deus
simul vnicó actu simplicissimo decreuerit, vt secunda
Persona Trinitatis naturæ humanæ hypostaticè vni-
retur, nos possimus rationabiliter, hunc actum simpli-
cissimum nostra consideratione in duos diuidere; illũ
primò intelligendo præcisè, quatenùs terminatum ad
rationem Personæ Diuinæ in communi, & ad naturã
intellectualem in communi, quia hæ rationes commu
niores, sicut priùs aptæ natæ sunt se intellectui offerre;
ita per consequens voluntati: & secundò intelligendo
eundem actum, quatenùs terminatum ad hanc Diuinã
Personam in particulari, & ad hanc naturã intellectua-
lem in particulari: cui doctrinę inniti docet M. Vincen
tius eam, quam D. Tho. 1. p. q. 19. & cæteri Theologi
in primo tradunt de voluntate antecedente, & genera-
li, qua Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad veri
tatis agnitionem venire.
264 Nihilominùs hæc Responsio non satisfacit. Et pri-
mò non est ad rem illa doctrina de voluntate antece-
dente, qua Deus vult omnes homines saluos fieri, nam
propterea Deus dicitur volũtate antecedente velle om-
nium salutem, quia omnibus hominibus cognitis in
particulari vult auxilia particularia, & sufficientia cõ-
ferre, quibus, nisi per ipsos stet, salui fieri possint. Quare
in hac voluntate, neque ex parte hominum, neque ex
parte auxiliorum vlla est confusio, sicut est in casu præ
senti. Secundò falsum supponit Vincentius, nempe,
quòd Deo priùs aptæ natæ sint se offerre rationes cõ-
munes, quàm particulares; hoc enim imperfectionem
inuoluit: quia Diuina essentia tam perfectè represen-
tat omnes rationes particulares, quàm communes,
265 imò has immediatiùs repræsentat. Præterea. Quam-
uis ratio communis Vnionis hypostaticæ Personæ
Diuinæ cum natura intellectuali, priùs ex sua natura
apta nata esset se Diuino intellectui offerre, quã Vnio
hypostatica Personæ Verbi cum natura humana; cùm
ex cognitione Vnionis hypostaticæ in communi, non
sequatur necessariò voluntas illius, qua, vt sic præsenta-
ta eligatur à Deo; sed hic actus sit omninò liber, nõ est
firma hæc consequentia. Priùs nostro modo intelligen
di est præsentata Vnio hypostatica in communi, quàm
hypostatica Vnio Verbi cum natura humana; ergo
priùs est volita à Deo, vt in cõmuni præsentata, quam
vt repræsentata in particulari: quoniam ex hac doctri-
na sequeretur, quòd priùs etiã esset volita à Deo Vnio
hypostatica cum natura substantiali, quàm cum natu-
ra intellectuali: quia ratio Vnionis hypostaticæ cum
natura substantiali est vniuersalior, atque adeó secun-
dùm M. Vincentiũ ex sua natura apta nata est priùs se
Diuino intellectui præsentare, & ex consequenti vo-
luntati.
266 Si autem dicat Vincentius, defuisse motiuum, prop-
ter quod Deus vellet se naturæ substantiali, vt abstra-
henti à rationali, & irrationali communicare; simili-
ter etiam dicam ego, defuisse motiuum, propter quod
Deus defacto efficaciter voluerit, naturæ intellectuali
in abstractione ab humana, & Angelica se communi-
care; quia in Sancta Scriptura nulla fit mentio istius-
modi decreti, ab Vnione cum humana natura abstra-
hentis, sed solùm eius, quo Deus, vt Verbum humanæ
naturæ vniretur, decreuit: cuius decreti ipse Vincentius
docet non dari aliud motiuum sufficiens, & completũ,
nisi nostram Redemptionem, quod satis confirmaui-
mus Parag. præcedenti.
Vnde cõstat, falsum esse id, quod M. Vincentius suppo- 267
nere videtur, nempe, nos intellectu nostro sine vlla fal-
sitate, quemuis actum voluntatis determinatum ad
aliquod particulare obiectum, in duos actus ratione
distinctos diuidere posse, quorum alter ad rationem
communem talis obiecti terminetur, alter verò ad ra-
tionem particularem specificã, aut numericam illius:
primò, quia hac ratione nullus daretur actus volunta-
tis omninò liber quòad specificationem, siquidem res-
pectu boni in communi non datur libertas, nisi tãtùm
quòad exercitiũ. Etenim si quando aliquod particula-
re bonum amamus, eodem etiam actu rationem boni
in communi amamus, cùm respectu istius rationis nõ
detur libertas, quòad specificationem, totus actus secũ-
dùm illud totum, quod includit, non erit liber quòad
specificationem. Secundò, quia vt constat in exemplo
adducto, ita Deus potuit velle Vnionem hypostaticam
cum natura intellectuali, vt sine falsitate hunc actum
in duos distinguere non possimus, alterum, quo Deus
Vnionem hypostaticam cum natura substantiali, à ra-
tionali & irrationali abstrahente voluerit: alterum ve-
rò, quo Vnionem hypostaticam cum natura intellec-
tuali voluerit. Ergo falsum est, simplicissimum decre-
tum Diuinæ voluntatis, quo voluit Vnionem hyposta
ticam cum natura humana in Persona Verbi, posse à
nobis sine vlla falsitate in duos actus distingui; quorũ
alter intelligatur terminari ad rationem Vnionis hy-
postaticæ in communi, alter verò ad Vnionem cum
humana natura.
Confirmatur hæc ratio: quia similiter teneretur di- 268
cere M. Vincentius, priùs fuisse in Deo decretũ assumen
di naturam humanam abstrahendo ab hac, & ab illa:
& posteà decreuisse hãc numero assumere. Eádem etiã
ratione diceret, quòd priùs decreuerit baptismũ insti-
tuere in aliquo elemento, quàm in aqua, & Eucharis-
tiam in aliquo cibo, quàm in pane & vino: quæ omnia
absurda sunt.
Confirmatur secundò: quia Deus potuit actum ex- 269
plicitum habere, quo decerneret, vt nulla alia Persona
Trinitatis naturæ intellectuali hypostaticè vniretur,
nisi Persona Verbi, & vt hæc natura non esset alia, nisi
hæc numero natura, & hic actus non est incompossi-
bilis cum illo, qui expressè in Scriptura habetur, quo
statuit Deus, vt Persona Verbi propter nostrã salutem
homo fieret, ergo impossibile est, vt hic actus sine fal-
sitate in duos possit distingui, quorum alter ex diame-
tro pugnat cum actu iam explicato compossibili cum
simplicissimo actu, quo ex sacris literis credimus, Deũ
Incarnari decreuisse. Ille enim actus indeterminatus
M. Vincentij manifestè pugnat cum actu determinato
Dei non assumendi aliam naturam præter humanam,
qui non pugnat cum actu, quem defacto habuit. Ratio
autem à priori, qua magis ostenditur falsitas huius sen
tentiæ & modi, vnum actum in duos distinguendi, ea
est, quia sæpè contingere potest, vt voluntas aliquod
obiectum

obiectum particulare velit propter bonitatem duntaxat,quæ illi ex differentia particulari prouenit, vel ſaltem ab ea omnìnò dependenter; ergo nulla ratione poteſt ſine errore hic actus in duos noſtra conſideratione diſtingui, quorum altero intelligatur per ſe volita ratio communis,altero autem ratio particularis. Cõſequentia probatur : quia ex ſuppoſitione non datur motiuum ſufficiens, propter quod talis actus in rationē vniuerſalem,vt vniuerſalem tendat. Quæ ſanè doctrina magis debet in Deo verificari propter ſummam claritatem,& diſtinctionem; qua Diuinus intellectus volutati ſuum obiectum repreſentas, & omnes res poſsibiles,propter quas ſit eligibile.Quare cùm intelligimus,Deum ſimplicisſimo aliquo actu obiectũ aliquod particulare elegiſſe,non poſſumus ſine errore illũ ſimplicisſimum actum in duos diſtinguere, quorum altero Diuina voluntas in obiectum confusè ſumptum tendat; altero verò in illud clarè & perſpicuè repreſentatũ,ſecundùm omnes conditiones particulares, & indiuiduas; quia obiectum nunquam eſt confusè repreſentatum à Diuino intellectu.

271 Sed forſam dicet M. Vincentius, hæc omnia ſolùm probare, in illo generali decreto Vnionis hypoſtaticæ alicuius Diuinæ Perſonæ cum aliqua natura intellectuali, ſaltem virtualiter debere includi decretum ſpeciale Vnionis hypoſtaticæ Perſonæ Verbi cum hac natura humana,non verò explicitè,quod ipſe tantùm aſſeruit.Quam doctrinam innuere videtur pagina.684. Corollario primo. Cæterùm hæc Solutio manifestè pugnat cum ſententia eiuſdem Vincentij, & contradictionem implicat:quod ſic probo.Primò, quia fieri nequit,vt illud decretum ſit generale reſpectu Vnionis hypoſtaticę alicuius Diuinæ Perſonæ cũ aliqua intellectuali natura, & implicitè cõtineat efficacem volũtatem Incarnationis Filij Dei. Etenim eo ipſo excluditur quæuis alia Perſona Diuina, & quælibet alia intellectualis natura ab illo generali decreto. Secundò. In illo priori ſigno rationis, in quo iſtud generale decretum intelligitur,vt ipſe Vincentius docet pag.681. Neque ex parte finis intenti,nempe, manifeſtationis gloriæ,& mageſtatis Diuinæ, neque ex parte ipſius hypoſtaticæ Vnionis, aliqua ſe obtulit Deo ſpecialis ratio, ob quam potiùs vna Perſona Diuina, quàm altera, naturam creatam aſſumeret, aut potiùs natura humana, quàm Angelica aſſumeretur, & hoc exiſtimat eſſe veriſsimum; ergo in illo vniuerſali decreto neque implicitè includitur voluntas efficax Incarnationis. Conſequentia eſt firma, quia ſine præuia cognitione alicuius rationis, propter quam aliquod obiectum ſit eligibile,fieri non poteſt, vt neque implicitè cum alio eligatur,ita vt ex vi decreti expliciti neceſſaria conſequentia ſit ad decretum implicitum, cuius adhùc nulla ratio motiua eſt repreſentata voluntati ab intellectu.

272 Tertiò.Si in illo decreto virtualis voluntas Incarnationis includitur;ergo falsò aſſerit M.Vincentius,in eo non oſtendiſſe Deum peculiarem Amorem erga homines. Item falſum eſt, quòd ex vi huius primi decreti Deus in mundum infallibiliter veniret, non tamen eſſet infallibilis Filij Dei aduentus,vt etiam ipſe M. Vincentius docet,quia, vt ipſe concedit, peccatum infallibiliter eſſet futurum ex permiſsione illius in eo priori decreto incluſa, quare infallibiliter eſſet remedium peccati;ergo ex vi illius generalis decreti infallibilis eſſet Filij Dei aduentus,quia nõ eſt aliud nomen, in quo oporteat nos ſaluos fieri.Si dicat M. Vincentius, ex vi expliciti decreti non eſſe infallibilem Filij Dei aduentum,ſed ſolùm ex vi implicita; Cõtra:quia hæc infallibilitas aduentus Filij Dei ex vi eſſentiali; licèt implicita huius decreti,omninò deſtruit abſolutam indifferentiam aduentus Filij Dei ex vi explicita talis decreti.

273 Poſtremò impugnatur prædicta ſolutio : quia tunc vnum decretũ in alio dicitur virtualiter includi,quando obiectũ decreti expliciti ex ſua natura; aut ob alias circunſtantias, neceſſariam habet connexionem cum obiecto decreti impliciti,cognitã tamen aliquo modo ab operante:etenim ſi connexio nõ ſit cognita ab operante, vel nulla ſit, dici non poteſt obiectum ſecundi decreti implicitè volitum in obiecto primi decreti: ſed in præſenti obiectum primi decreti expliciti, nempe, Vnio alicuius Diuinæ Perſonæ cum aliqua natura intellectuali, non habet neceſſariam connexionem cum obiecto ſecundi decreti, nempe, cum Vnione Perſonæ Verbi cum natura humana;quia à ſuperiori ad inferius affirmatiuè nulla eſt conſequentia; ergo in voluntate, qua Deus explicitè voluit Vnionem hypoſtaticam cũ aliqua natura intellectuali, neque implicitè includitur voluntas Vnionis hypoſtaticæ cum natura humana.

274 Si dicas,in illo includi voluntatem permittendi peccatum Adæ,ex qua infallibiliter ſequitur peccatũ Adæ, & ex conſequenti neceſsitas Incarnationis:Contrà eſt, quia ſecundùm M.Vincentium, illa permiſsio peccati Adæ ortũ habuit ex intentione Incarnationis,vt docet pagina. 667.698.& 721. Ergo non ſequitur voluntas Incarnationis ex permiſsione peccati, & propterea dicitur implicitè volita in illo decreto,quin potiùs è cõtra; permiſsio ſequitur ex intentione Incarnationis; quæ intentio, vt eſt prior permiſsione,non habet neceſſariam connexionem cũ primo decreto explicito, atque adeò non continetur implicitè in illo. Secundò contra hoc eſt,quia non ſunt cognitæ rationes, propter quas intendenda eſt Incarnatio, quando Deus intelligitur habere,ſecundùm M.Vincentium, illud primum decretum explicitum Vnionis hypoſtaticæ, vt ipſe M.Vincentius concedit:ergo in illo priori decreto non eſt intenta,etiã implicitè,Incarnatio. Quare hæc ſententia non ſolùm eſt falſa, ſed & ſibimetipſi repugnans eſſe videtur.

Confutantur aliæ Opiniones. §. XVII.

275 SEXTA Opinio eſt longè probabilior, quàm ſententia Magiſter Suarez, quoniam eſtò aſsignet duas cauſas adæquatas Incarnationis; & alteram earum à peccato independentem,cùm nulla earũ ſit à Deo intenta dependenter ab altera,ſed ex æquo vtraque ſit intenta, non eſt cur dicendum ſit,priùs ratione Incarnationem eſſe intentã à Deo,abſtrahendo à carne paſsibili,& impaſsibili, & in poſteriori ſigno intentã fuiſſe in carne paſsibili:ſed iuxta ſextã ſententiã dicendũ eſſet,ex vi præciſa motiui independentis à peccato decretã fuiſſe Incarnationem ſecundùm ſuã naturã: ex motiuo verò dependenti à peccato decretam fuiſſe non tantùm ſecundùm ſuam naturam, ſed etiam ſecũdùm rationem indiuidualem: ſic enim, licèt ſimul intelligatur volita Incarnatio propter intrinſecas conue-

nientias

Digitized by Google

nientiat abstrahentes à peccato, & propter Redemptionem: non intelligitur priùs ratione volita secundùm
276 se, quàm in indiuiduo. Sed adhùc hæc sexta opinio mihi non probatur: tum propter primam rationem D. Thomæ, quam cōtra M. Suarez defendimus: tum etiã, quia ex vi talis decreti Incarnationis secundùm se, Incarnatio non esset in statu innocentiæ, nisi adderetur decretum determinationis indiuidualis ad hanc numero naturam assumendam. Et denique, quia cùm Incarnatio à Deo sit sufficienter volita, non solùm in indiuiduo, sed etiam secundùm speciem propter Redemptionem: impertinenter ponitur aliud decretum Incarnationis ad naturam humanam secundùm se terminatum, & non ad aliquod determinatum indiuiduũ illius. Septima opinio est valde probabilis, & multis Thomistis grata, & habet magnum fundamentum in doctrina Diui Thomæ. Nihilominùs ex dictis constat, quid veritatis, aut falsitatis contineat. Modò essent dissoluenda argumenta contra sententiam D. Thomæ proposita Parag. 2. & 3. sed eorum solutio dependet ex decisione illius controuersiæ, An decretum de Incarnatione Verbi futura in mente diuina præcesserit præscientiam peccati originalis, vel è contra.

DVBIVM DISPVTATIONI *huic annexum.* §. XVIII.

277 CONFVTATIS iam contrarijs opinionibus, & vt parùm probabilibus reiectis, sententia D. Thomæ, vt verissima, & cæteris præferenda triumphat, iuxta quam ostensum est, decretum Incarnationis à motiuo Redemptionis omninò fuisse dependens. Consequitur iam dubitatio de modo, quo Deus nostro intelligendi more, propter nostram Redemptionem decreuerit Incarnari. Et quia omnis actus voluntatis dependet ab aliquo actu intellectus, qui eius regula sit, primùm inquirendum est, cui scientiæ innitatur hoc decretum Incarnationis, in remedium contra peccatum ordinatæ. Quæ disputatio est valde necessaria ad intelligendum ordinem, quem Incarnationis decretum habuit cum alijs decretis liberis Diuinæ voluntatis respectu creationis vniuersi, hominum, & Angelorum, & eorum eleuationis ad ordinem gratiæ & gloriæ. Itaque dubitatur, An præscientia peccati Adæ, à qua fuit dependens decretum Incarnationis in remedium peccati ordinatæ, fuerit scientia visionis, An simplicis intelligentiæ, An verò scientia abstractiua peccati absolute futuri. De qua re sunt variæ Theologorum sententiæ, præsertim eorum, qui cum D. Thoma ad quartũ huius articuli admittunt, quòd prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum.

278 Quidam enim intelligunt D. Thomam de scientia simplicis intelligentiæ. Sed hæc expositio expressè aduersatur Diuo Thomæ in citata Solutione ad quartũ, nam tota causa, ob quam Deus ante Christi prædestinationem peccatum præuidit, est, quia prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum; sed futura non pertinent ad scientiam simplicis intelligentiæ, sed visionis: ergo &c. Item Si Christi prædestinatio solùm præsupponit peccatũ simplici intelligentia cognitum; ergo non supponit illud, vt futurũ, sed vt possibile: at vt possibile nequit esse ratio Incarnationis, quia vt sic nihil ponit à parte rei; ergo &c. Præterea hæc explicatio incidit in opinionem Scoti; nam si Christi prædestinatio supponit duntaxat peccatum in esse possibili cognitum, proculdubiò etiam si non esset futurum, veniret Christus. Præterea D. Thomas apertè loquitur de præscientia peccati, quæ Deum ad prædestinandum Christum in ipsius remedium immediatè, & proximè permouit, vt ex Verbis eius satis constat: sed scientia simplicis intelligentiæ, vt pote purè speculatiua, & necessaria, ad opus liberum, quale fuit Christi prædestinatio, proximè, & immediatè non mouet, ergo non loquitur de hac præscientia, sed de præscientia visionis, hoc est, de absoluta peccati Adæ, vt hìc, & nũc facti præuisione.

M. Alfonsus Mendoça loco citato asserit, nullius futuri præscientiam præsupponi ad diuinam prædestinationem, sed omnia, & singula futura, tam naturalia, quàm supernaturalia; tam bona, quàm mala prouenire, aut positiuè, aut permissiuè ex æterna Dei prædestinatione generali, vel etiam particulari. Vocat autem generalem prædestinationem, secundùm quòd refertur ad totam congregationem, & corpus mysticum sanctorum, qui sunt, vel erunt in gloria cum Christo, qui est caput omnium; particularem verò, quatenus refertur ad hunc, vel illum sanctum in particulari. Et ita inquit is author, nihil in mundo penitùs fieri, quod ex ista supernaturali electorum prædestinatione non proueniat, Deo faciente, aut permittente. Quò fit vt nulla futurorum præuisio ad prædestinationem supponatur; sed potiùs sit consequens illam. Nihilominus hæc interpretatio ex diametro contradicit sententiæ D. Thomæ in Solutione ad quartũ asserentis, quòd prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum: & ideò non debet inter explicationes ad D. Thomam connumerari, cùm doctrinæ illius expressè aduersetur. 279

M. Suarez hìc explicat D. Thomam de præscientia non absoluta, sed conditionata: etenim præter scientiam simplicis intelligentiæ, approbationis, & visionis, constituit is author aliam scientiam mediam, ratione distinctam ab alijs, quæ omnem actum liberum Diuinæ voluntatis anteuertit, qua comprehendit, quid vnaquæque voluntas in quacumque opportunitate, & cum quocumque concursu, auxilio, tentatione, aut alijs similibus circunstantijs applicata ad operandum, & suæ libertati relicta, esset operatura. Dicit ergo M. Suarez, quòd prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum, non absolutè, sed conditionatè. Hoc est. Antè prædestinationem præcessisse in mente Diuina cognitionem omnium futurorum, siue spectantiũ ad ordinem naturæ, siue gratiæ, siue Vnionis hypostaticæ, non quia Deus absolutè nouit, ista esse futura, sed ex hypothesi, & conditionatè, si condere vellet illum totum ordinem rerum, naturæ, & gratiæ, & Vnionis hypostaticæ: quæ futura sic præuisa non sunt ratio ipsius prædestinationis, sed solùm sunt media præuisa, vt possibilia ad exequendam ipsam prædestinationem, si Deus illis vti voluerit. Et sic potuit antecedere præscientia orationis Stephani totam Pauli prędestinationem. Et eodem modo præsciuit Deus, antequàm voluisset Adamum creare, vel eius peccatum permittere, ipsum fuisse peccaturũ, si in tali statu crearetur, & permitteretur tentari, 280

& cum

& cum talibus auxiliis suæ libertati relinqui. Eandem sententiam tenet M. Molina. 1. p. q. 13. art. 4. & 5. Disput. 1. membro. 5. & omnes, qui admittunt scientiam mediam.

281 Vt autem apertiùs intelligatur necessitas huius scientiæ mediæ, quæ ab his autboribus est modò excogitata, aduertendum est, esse quædam contingentia conditionata, quæ quidem re ipsa nunquam sunt futura; nihilominus forent, si aliqua apponeretur conditio : vt V. G. ex hypothesi, quòd in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ in Corozain, & Bethsaida factæ sunt, futura fuisset pœnitentia in Tyrijs & Sidonijs in Cinere & Cilicio. Item. 1. Reg. 23. Consuluit Dauid Deũ, An si maneret cum hominibus Ceilæ, esset ab eis tradendus in manus Saulis. Et accepit responsum à Deo, quòd esset tradendus, si apud illos maneret. Hæc igitur & alia similia contingentia conditionata, cùm à Deo cognoscantur, & nequeant per scientiam visionis cognosci, quia hæc contingentia conditionata nunquam erunt defacto, neque per scientiam simplicis intelligentiæ, quoniam ad hanc tantùm pertinent possibilia, cõtingentia verò conditionata non solùm sunt possibilia, sed etiam futura sub conditione: relinquitur à sufficiente diuisione esse in Deo ponendam aliquam scientiam mediam inter vtramque, per quam hæc contin-
282 gentia conditionata cognoscantur à Deo. Asserunt prętereà authores huius scientiæ mediæ, eam non esse liberam, quia antecedit omnem actum liberum voluntatis Diuinæ, & per huiusmodi scientiam non fuit in potestate Dei scire aliud, quàm re ipsa sciuit, & nouit. Dicunt insuper, non esse scientiam naturalem in eo sensu, quasi ita sit Deo innata, vt oppositum eius, quod per illam cognoscit, non potuerit scire, si enim liberum arbitrium creatum esset acturum oppositum, vt re vera potest, id ipsum sciuisset Deus per eandem scientiam, non autem quod reipsa scit. Quare non est magis innatum Deo per hanc scientiam cognoscere, hanc partem contradictionis pendentem ab arbitrio creato, quàm oppositam. Vnde colligunt isti autbores, hanc scientiam mediam habere partim conditionem scientiæ naturalis; quia non fuit in potestate Dei aliud scire, & quia antecedit, & præuenit actum liberum voluntatis Diuinæ : partim verò habere conditionem scientiæ liberæ; quatenùs, quòd sit vnius potiùs partis, quàm alterius, habet ex eo, quòd liberum arbitrium, ex hypothesi quòd crearetur in vno, aut altero ordine rerũ, esset potiùs facturum vnum, quàm aliud, cùm vtrũque indifferenter posset facere.

283 Rursus appellatur hæc scientia à suis anthoribus, media inter scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis, quæ sunt duæ scientiæ extremæ: hæc autem scientia media tam ex parte obiecti, quàm ex parte modi cognoscendi participat rationem vtriusque extremi. Etenim obiectum scientiæ simplicis intelligentiæ est omne possibile sub præcisa ratione possibilis; obiectũ autem scientiæ visionis est omne futurum absolutè in aliqua temporis differentia sub ratione futuri absoluti. Et quia res nõ habent esse possibiles nisi ex Dei omnipotentia, & ex propria illarum natura, habent autem quòd sint futuræ absolutè ex determinatione Diuinæ voluntatis, ideò scientia simplicis intelligentiæ antecedit realem determinationem Diuinæ voluntatis: sed scientia visionis (nostro intelligendi modo) sequitur
talem voluntatis determinationem. Ex quo efficitur, 284
scientiam simplicis intelligentiæ esse Deo omninò naturalem, & necessariam, nec potuisse illi deesse : tum quia antecedit omnem actum liberum Diuinæ voluntatis, à quo deberet participare rationem libertatis : tũ etiam, quia respicit esse possibile, & essentias rerũ, quæ naturalem determinationem, & necessitatem habent. At verò scientia visionis est in Deo omninò libera, quam, si vellet non creare res, posset nõ habere, eâdem duplici ratione, tum, quia hæc scientia sequitur actum liberum Diuinæ voluntatis, à quo habet, quòd sit, ideò enim Deus res futuras videt, quia vt essent futuræ, diuina voluntas se determinauit: tũ etiam, quia ista scientia visionis respicit esse futurum rerum, & illarũ existentias, quæ nullam ex se habent determinationem, & necessitatem, sed possent esse, & non esse. Inter has igitur duas scientias, quæ sunt duo extrema, mediat scientia conditionatorum, vtriusque rationem in seipsa participans. Primò, quia hæc scientia media respicit res, nõ tantùm sub esse possibili vt sic, sicut scientia simplicis intelligentiæ, nec sub esse futuro absoluto, sicut scientia visionis; sed sub esse futuro cõditionato. Videt enim res futuras; quod non habet prima scientia, sedtamen conditionatè futuras, quod non habet hæc secunda, &
sic ex parte obiecti mediat inter vtramque. Secundò: 285
hæc scientia conditionatorum priùs ratione antecedit liberam determinationem Diuinæ voluntatis secundùm suam existentiam realem, in quo conuenit cũ scientia simplicis intelligentiæ, supponit verò eandem determinationem voluntatis, quasi futuram, & in esse obiectiuo, in quo participat rationem scientiæ visionis. Ac denique tertiò est aliquo modo naturalis, sicut prima scientia, & aliquo modo libera, sicut secunda. Naturalis quidem, quia antecedit omnem actum liberum voluntatis, tam creatæ, quàm increatæ secundum realem existentiam : & sic non fuit in potestate Dei per illã scire aliud, quàm re ipsa sciuerit : cæterùm aliquo modo est libera, quia supponit determinationẽ liberam voluntatis, quasi futuram, & in esse obiectiuo. Et sic potuit Deus scire oppositum eius, quod per eam cognoscit: nam si liberum arbitrium creatum, vel increatum acturum esset oppositum, vt re vera potest, id ipsum sciuisset Deus per hanc scientiam, non autem, quod re ipsa scit.

Hanc sententiam sic explicatam probant Authores 286
illius. Primò: quia Deus cognoscit huiusmodi futura cõditionata, quæ ex libero arbitrio creato dependent, quæ nunquam erunt in rerum natura: ergo cognoscũtur per scientiam mediam. Patet consequentia, quia nõ existunt in æternitate, neque sunt à Deo prædefinita. Confirmatur. Datur medium inter absolutè futurum, & possibilites futurum, nempe conditionaliter futurũ, ergo etiam debet dari scientia media : Deus enim certò cognoscit omnes differentias entis, & modus essendi. Confirmatur secundò; quia ista conditionata habent specialem rationem scibilis, ergo respectu illorũ debet dari scientia specialis, media inter visionem & simplicem intelligentiam.

Secundò. In Deo est prouidentia, & prædestinatio 287
certa circa contingentia futura; ergo est hæc scientia conditionata, & media, qua præcognoscit antè decre-
tum

tum suæ voluntatis, quid futurum, aut non futurum sit ex hypothesi, quód hoc vel illud auxilium conferat, aut res hoc, vel illo modo disponat. Cõfirmatur. Deus permittit peccata, vt constat, sed illud dicitur quis permittere, quod præuidet futurũ, nisi ipse impediat, & potest impedire, sed non vult: ergo cùm peccata sint de numero futurorum contingentium, ante decretum Diuinæ voluntatis, qua Deus aliquod bonum velit, vel aliquod malum permittat, certò præcognoscuntur à Deo talia futura conditionata, ex hypothesi quód Deus illa impedire non velit: ergo cõstituenda est alia scientia media, qua præuideantur.

288 Tertiò. Deus per suam scientiam naturalem seipsum comprehendit, & in seipso omnia, quæ in ipso eminenter sunt, atque adeò liberum arbitrium creatum; ergo antè omnem determinationem liberam suæ voluntatis, ex altitudine suæ scientiæ naturalis, quæ in infinitũ excedit singula, quæ in ipso Deo eminenter continentur, penetrat, quid liberum arbitrium creatum pro sua innata libertate esset operaturum, si in hoc vel illo rerum ordine constitueretur, cum his vel illis circunstantijs, aut auxilijs. Ergo antè omne decretum liberum voluntatis cognouit futura conditionata, non quidem absolutè esse aut non esse futura, sed ex hypothesi, si ipse hunc, aut illum rerum ordinem, cum his, aut illis circunstantijs creare statuisset. Quare non indiget Deus existentia eorũ in sua æternitate, vt illa certò cognoscat, sed sufficit scientia media.

289 Confirmant postremò authoritate D. Augustini libro de sex quæstionibus contra Paganos q. 2. tomo. 2. vbi ait, ideò non venisse Christum alio tempore, vel loco, quia præuidebat Deus, quòd si alio tempore aut loco venisset, nulli erant in ipsum credituri. Et multis alijs locis solet citari, vbi videtur hanc sententiam insinuare.

290 Sed quicquid sit de hac sententia, de qua; cõclusione secũda huius dubij disseretur, Parag. 22. Vident M. Suarez, hanc explicationem non esse Diui Thomæ doctrinæ consentientem: quia ipse scientiæ mediæ nusquam mentionem fecit, & similiter non solet simpliciter vocari scientia futurorum, quia, ea, quæ per talem scientiam (si talis datur) cognoscuntur, non sunt futura absolute, sed ex suppositione: ideò relicta hac explicatione aliam aggreditus dicens: quód cùm prædestinatio significet rationem mediorum omnium in Diuino intellectu existentem, quamuis neque voluntas efficax, quæ est radix prædestinationis, neque tota ratio prædestinationis supponat præscientiam futurorum, semper tamen secundùm aliquid, id est, antequàm completa intelligatur vsque ad vltimum effectum, supponit præscientiam alicuius rei futuræ. V. G. prædestinatio Pauli quoad ipsam electionem, & quoad primum suũ effectum nõ supponit præscientiam orationis Stephani, sed hæc potius ad electionem consequitur: nihilominùs inquantùm prædestinatio Pauli omnium mediorum rationem includit, supponit præscientiã orationis Stephani. Iuxta hanc igitur expositionem non est necesse, præscientiam absolutam peccati futuri præsupponi antè prædestinationem Christi, sed satis est, si supponatur antè consummatam prædestinationem, secundùm omnia media, per quę erat exequutioni mãdanda. Atque adeò in exequutione decretum prædestinationis Christi dependens fuit à scientia visionis peccati Adæ.

Hæc explicatio non est improbabilis, sed à mente Diui Thomæ est prorsus aliena, vt constat ex Responsione ad quartũ, vbi docet absolutè, prædestinationem supponere præscientiã futurorum. Sic enim argumentatur. Deus ab æterno prædestinauit Incarnationem, antequàm esset peccatum, ergo licèt non fuisset peccatum, fuisset Incarnatio, vt Dei prædestinatio impleretur. Et Respondet negando consequentiam, & reddit rationem; quia prædestinatio supponit præscientiam futurorum. Ac si diceret. Prædestinatio Incarnationis supposuit præscientiam peccati, & ideò licèt antecesserit ipsum peccatum, prout in tempore factum, non tamen vt ab æterno præuisum. Et ideò non sequitur, nõ existente peccato fuisse Incarnationem futuram; quia si peccatum non fuisset in tempore committendum, neque etiam fuisset ab æterno præuisum, & si ipsum nõ fuisset præuisum; neque Incarnatio fuisset prædestinata. Vnde constat, esse contra D. Thomam asserere, absolutam præscientiam peccati futuri non præsupponi antè decretũ prædestinationis, & Incarnationis Christi, sed duntaxat antequàm completa, & consummata intelligatur, secundùm omnia media, per quæ erat exequutioni mandanda. 291

M. Medina in hoc articulo. 3. pag. 81. columna prima asserit, decretum Incarnationis non dependere à scientia visionis peccati, sed à scientia abstractiua illius, vt absolutè futuri ex vi decreti, quo Deus permittere illud statuit, quę scientia à Thomistis appellatur permissiua. Ex hoc autem principio colligit M. Medina hic conclusione. 4. in actibus pertinentibus ad diuinum intellectum, eum ordinem esse constituendum, qui est inter ipsos ordines, quorum sunt cognitiones, ita vt actus, quibus præuidentur ea, quæ ad primum ordinem naturæ pertinent, eos præcedant, qui pertinent ad secundum ordinem gratię, & ad tertium ordinem Vnionis hypostaticæ. Secundò colligit, inter actus pertinentes ad Diuinam voluntatem hunc esse ordinem prioris, & posterioris nostro intelligendi modo, vt primò Deus cognoscens seipsum, vt vniuersorum finem, suam gloriam manifestare voluerit. Secundò, cognoscens creaturas voluerit illis dare esse naturale, in quo signo cognouit peccatum Adæ, vt ad naturæ ordinem pertinet. Tertiò cognouit gratiam, & gloriam in communi, quatenùs voluit dare gratiam, & gloriam in cõmuni tam hominibus, quàm Angelis, & in hoc signo cognouit peccatum Adæ, vt aduersatur gratiæ. Quartò cognouit, & prædestinauit Christum in remedium contra peccatum. 292

Hæc autem M. Medinę explicatio est valde diminuta, & non loquitur consequenter asserens, peccatũ Adæ non fuisse à Deo præcognitum scientia visionis antè decretum Incarnationis. Neque vllam potest assignare rationem, Cur Deus non potuerit scientia visionis peccatum Adami cognoscere antè decretum Incarnationis. Et prætereà contra dicit Diuo Thomæ, qui in corpore huius articuli, & in solutione ad quintum, expressè docet, Christum prædestinatum fuisse in remedium peccati Adæ, & non propter peccatum vagè, & in confuso præcognitum. 293

Sententia Caietani explicatur. §. XIX.

Caietanus

294 CAIETANVS in hoc articulo docet, Incarnationis decretum à scientia visionis peccati Adæ fuisse dependens, ita vt tale peccatũ præsupponatur prædestinationi Christi, præcognitũ quidem scientia visionis, ex cuius præuisione ordinauit Deus Christũ in eius remedium. Vt autem hoc probet Caietanus, cõstituit hanc regulã generalem, quòd præscientia futurorũ, quæ nõ sunt per prædestinationem, est in Deo prior secũdùm rationem ipsa prædestinatione: prædestinatio verò tãtùm est prior præuisione rerũ futurarũ, quæ sũt per ipsam prædestinationem. Itaque distinguit Caietanus inter effectus prædestinationis, nã quidam sunt nõ solùm ordinati, sed etiam constituti per prædestinationem, vt gratia, & gloria; quidã verò sunt tantùm ordinati per prædestinationem, vt est, Petrum esse secundùm naturalem existentiã, & reliqua ad naturalem vniuersi ordinem spectãtia; quæ omnia habent rationem futuri ab æterno ex diuina prouidentia, & nõ ex prædestinatione; quinpotiùs ipsa prædestinatio, quasi superueniens, ordinat animam Petri in beatitudinem supernaturalem mediante gratia, sicut ordo
295 gratiæ superuenit ordini naturæ. Ex illis igitur tribus modis, quibus Deus seipsum potuit cõmunicare, nẽpe, ordine naturæ, ordine gratiæ, & ordine Vnionis hypostaticæ, inquit, ordinem naturæ, in quo cõtinentur omnes res naturales cum omnibus suis perfectionibus, & effectibus naturalibus, & per Diuinam prouidentiã in suos fines naturales ordinantur, præsupponi ordini gratiæ, quo res mentis participes in beatitudinem supernaturalem, atque adeò in finem supernaturalem, per gratiam, & media supernaturalia diriguntur. Et vtrumq; ordinem, & naturæ & gratiæ, ait, præsupponi ordini Vnionis hypostaticæ, nõ solùm in executione, quod est verissimum, verùm etiam in intentione Dei, ita vt Deus priùs præuiderit ordinem naturæ, quã ordinem gratiæ, & illum totum per quandã cõmunem naturalem prouidentiã, præordinauit. Post ordinem naturæ prædefiniuit Deus, quæ ad ordinem gratiæ attinent, & tandem ordinem Vnionis hypostaticæ disposuit, & ordinauit ad vtriusq; ordinis, & naturæ & gratiæ reparationem, & cõsummationẽ. Ea quia peccata sunt defectus perfectionũ naturaliũ, & habitus, & priuatio ad eãdem pertinent scientiã, & consideratione; in illo priori, in quo Deus præuidit, & ordinauit res secundũ esse naturale, priusquàm ordinasset de bonis gratiæ, & Incarnationis, vidit omnia hominũ peccata, & similiter mõstra, siue Physica, siue moralia, atq; adeò peccatũ Adæ fuit præuisum, & præsuppositũ decreto Incarnationis
296 Christi. Vnde ex sententia Caietani vnũquodq; indiuiduum priùs præuidetur à Deo secũdùm futura sibi (sic loquitur Caietanus) secũdùm ordinẽ simplicis prouidẽtiæ Diuinæ, quàm secundũ futura sibi secundũ ordinẽ diuinæ prædestinationis, nempe, gratiæ. Et ita hic ordo est inter decretũ Incarnationis, & reliqua decreta libera diuina; vt in primo signo rationis decreuerit Deus omnes res naturales creare, & eisdem conferre media propria finibus naturalibus accommodata. In secũdo verò signo præuiderit Deus scientia visionis omnia illa futura, quæ ad ordinem naturę spectauerint, cuiusmodi sunt omnia peccata. In tertio, statuit Deus creaturas mente præditas ad beatitudinem supernaturalem per gratiam, & media supernaturalia ordinare. In quartò præuidit Deus omnia illa futura contingentia, quæ ex gratia Dei, & auxilijs supernaturalibus ortum habent. In quinto viso Adami peccato, & totius naturę humanæ lapsu, vnire sibi decreuit per Vnionem hypostaticã humanitatem Christi, ad liberandũ genus humanum. Postremò præuidit scientia visionis Christũ, & omnes ipsius actiones, tã satisfactorias, quàm meritorias. Denique infert Caietanus ex hac sua explicatione, quòd prædestinatio Christi pręsupponit quidem præscientiã peccatorum, non autem supponit præscientiam omnium futurorum. Et sic explicat D. Thomam ad quartũ asserentem, prædestinationem præsupponere præscientiam futurorũ, videlicet, quorundã, & nõ omniũ.

Cæterùm hæc Caietani interpretatio refutatur ab 297
omnibus ferè sectatoribus D. Thomæ, tanquam falsa, & ipsi Caietano cõtraria, & veritati repugnans. Etenim & ipsimet Caietano aduersari videtur, quia iuxta eius doctrinã, ordo gratiæ præsupponitur ordini hypostaticæ Vnionis; ergo secundùm Caietanum prædestinatio nostra est prior prædestinatione Christi. Patet consequentia, quia nostra prædestinatio, cùm sit maxima gratia ad secundũ ordinem gratiæ pertinet: Christi verò prædestinatio ad tertium ordinem. At respondens Caietanus ad quintũ argumentum Scoti, dicit, Christi prædestinationem esse priorem in Dei ordinatione, quàm nostra prædestinatio: ergo &c. Quòd verò repugnet veritati. Probatur primò; quia vt colligitur ex D. Paulo ad Rom. 8. & ad Ephes. 1. & 3. Christi pręsdestinatio est prior prędestinatione hominũ; ergo non supponit illam. Confirmatur. Prędestinatio nostra, & gratia 298
nobis collata ex vi talis prędestinationis, pertinent ad secundum ordinem; & tamen non sunt priùs præuisa, quàm Christus, ergo falsum est, quæ pertinent ad secũdum ordinem priùs esse visa, quàm quæ ad tertiũ. Minor probatur: quia Christi prędestinatio est causa nostrę prædestinationis, & gratiæ, non solùm meritoria, sed etiam finalis: ergo priùs debuit necessariò præuideri, quàm nostra gratia, & prædestinatio.

Secundò. Eo ordine res sunt in tempore factæ, quo 299
ab æterno sunt à Deo præuisę: sed in tempore priùs fuit homo, V.G. Adã in gratia, quàm in peccato: ergo prior fuit pręcognitio gratiæ Adæ, quę pertinet ad secũdum ordinem, quàm sui peccati præuisio, quę spectat ad primum; & ex consequenti secundus ordo antecedit primum. Antecedens est manifestum, & probatur consequentia. Peccatum Adæ est priuatio gratiæ, & iustitiæ originalis, per quam gratiam ordinabatur in finem supernaturalem; sed cognitio habitus præcedit ordine naturæ cognitionem priuationis: ergo priùs fuit cognitus Adam in esse grati, quam in esse peccatoris.

Confirmatur: quia illa gratia collata primo parenti, 300
fuit illi data per Christum; ergo Christi prædestinatio præcedit cognitionem Adę in gratia. Antecedens probatur, tum quia Christus est causa totius gratię, & glorię, quæ hominibus cõfertur, vt ostenderetur infra q. 19. tum etiam, quia illa gratia fuit effectus prędestinationis ipsius Adę: sed in Christo, & per Christum prędestinati sunt, quotquot prędestinãtur, iuxta illud ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mũdi cõstitutionẽ.* Et ad Roma. 8. *Quos pręsciuit & prędestinauit cõformes fieri imaginis Filij sui, &c.* &, *Qui prędestinauit nos in adoptionem Filiorũ Dei.* Ex quo aliud desumitur

argumentum. In secundo signo est præuisio aliorum hominum prædestinatorum; ergo antecessit prædestinatio Christi, & non est sequuta in tertio signo: quia omnes prædestinantur secundùm fidem ad imaginem, & exemplar Christi, vt ostensum est.

301 Tertiò. Dicere Deum priùs ordinasse res secundùm esse naturale, quàm secundùm esse gratiæ, & Vnionis hypostaticæ, est falsum; quia aliàs sequeretur, quòd priùs homo præuideretur à Deo mortuus, quàm esset prædestinatus. Patet, quia mors est defectus naturalis: quod tamen ex eo falsum esse constat; quia prædestinatio non solùm est præparatio gloriæ in futuro; sed etiã gratiæ in præsenti: ergo ex vi prædestinationis priùs datur gratia, quàm moriatur homo.

302 Quartò. Similiter est falsum; in illo priori, quando Deus res ordinabat secundum esse naturale, vidisse omnes defectus, & omnium peccata; quia peccatum Adæ non fuit defectus à lege naturali, sed fuit violatio præcepti sibi supernaturaliter impositi, & pertinentis speciatim ad ordinem supernaturalem: ergo Deus nequiuit videre tunc illud peccatum: imò secundùm Caietanum. 1. 2. q. 1 1 3. art. 2. per peccata commissa contra supernaturalia præcepta non violatur lex, aut rectitudo ordinis naturalis, neque offenditur Deus, vt est author naturæ: ergo illud Adæ peccatum non violauit ordinem naturæ. Patet consequentia, quia lex, quam Adam fuit transgressus de non vescendo de ligno vetito, non pertinebat ad ordinem rationis naturalis, neque fuit à Deo statuta, vt est author naturæ; sed vt est author gratiæ.

303 Quintò. Falsum est; omnia peccata esse comprehensa sub ordine naturæ, vt ait Caietanus: quia multa peccata sunt commissa contra ordinem gratiæ, qualia sunt peccata contra legem fidei, & sacramentorũ. Item multa peccata sunt opposita Incarnationi, cuiusmodi sunt eorum, qui Christum crucifixerunt, & ipsi prædicanti contradixere: ergo hæc peccata non potuerunt à Deo præuideri antè ordinem gratiæ, & Vnionis hypostaticæ.

304 Confirmatur. Permissio peccati est prior, & præcognoscitur antè ipsum peccatũ; prius enim est, quod Deus permittat peccatum, quàm quòd peccatum sequatur: at permissio Diuina non fuit absoluta, sed vt indè maximum bonum eliceret, cuiusmodi est Christus, & Deus homo, atque Redemptor; ergo Deus non præuidit peccatum absolutè, & in ordine naturę duntaxat, sed in ordine ad Christũ, & ad statum gratiæ, tanquàm in finem talis permissionis. Probatur cõsequentia: quia si permissio non fuit absque Christi præuisione, neque ipsum peccatũ fuit permissum absque præuisione Christi.

305 Sextò. Sequitur ex hac Caietani doctrina, in illo priori, quando Deus res secundùm esse naturæ ordinabat, similiter ordinasse, vt humanitas Christi esset futura secundùm illud esse naturale, quod habuit à matre sine Patre, Spiritu Sancto Patris vicem gerente: ergo similiter etiam in illo priori voluit, vt illa humanitas eo admirabili modo nasceretur, & fieret. Ergo etiã voluit in illo priori, vt humanitas Verbo Dei hypostaticè copularetur. Patet cõsequentia, quia nulla erat causa, Cur vellet tunc illam humanitatem tali admirabili modo fieri, nisi quia volebat eã Verbo copulari. Ergo etiam in illo priori vidit, & ordinauit Incarnationem, atque adeò falsum est, omnia pertinentia ad ordinem naturæ præsupponi ordini Vnionis hypostaticæ.

306 Confirmatur. In primo ordine præcognouit Deus omnem naturam, & posteritatem Adæ; ergo præuidit humanitatem Christi, & nõ aliter, quàm secundũ proprium subsistere, quod à Verbo accepit, ergo vidit, & præcognouit Christum in primo ordine, & non in tertio. Patet consequentia; quia non præuidit humanitatem illam in abstracto, aut in subsistentia creata.

307 Septimò. Omnia peccata, etiam quæ sunt contra ordinem gratiæ, pertinent ad ordinem naturæ ex parte sui principij: & tamen nequeunt præuideri, antequàm præuideatur gratia, qua priuant; ergo falsum est, quæcumque pertinent ad ordinem naturæ priùs esse visa, quàm quæ pertinent ad ordinem gratiæ.

308 Confirmatur primò. Deus ordinauit naturam ad gratiam, & quæ pertinent ad ordinem naturæ, in gratiam tanquàm in finem direxit: similiter destinauit ordinem gratiæ in perfectionem naturæ, & vt quid eleuans eius formam, & complementum; ergo non præuidit ordinem naturæ antè ordinem gratiæ, neque è contra. Antecedens patet, & consequentia probatur: quia cognitio Dei practica, & eius decretum respicit res cum eo ordine, & dependentia, cum qua ex Diuina dispositione producuntur: nam illud decretum est efficax, & ex vi illius causantur in tempore, quæ à Deo præordinata sunt, & qualiter ipse decreuit: ergo respicit naturam cum ordine ad gratiam, & similiter gratiam, vt est perfectio naturæ, & ex consequenti connexa, & indiuisa, & non vnum sine altero. Probatur consequentia, quia si illud decretum, & præuisio terminatur in ordinem naturæ præcisè, & secluso ordine gratiæ, vel producet in tempore illam naturam absque ordine & dependentia à gratia, vel non. Primum dici non potest, quia ordo naturæ ad ordinem gratiæ fuit ordinatus, & à Deo propter illum productus. Si dicatur secundùm: ergo producit aliter, quàm in illo decreto, & præuisione dispositum est; nam producit cum dependentia à gratia, & cum ordine ad illam, tanquam in finem: sic autem non terminatur, sed absolutè & sine ordine. Quò fit, vt decretum non sit efficax, quia ex vi sua non producit rem, qualiter succedit in tempore.

309 Confirmatur secundò. Si Deus præuidit naturã sine ordine ad gratiam; ergo postmodùm intelligimus ordinasse naturam ad gratiam; ac proindè prior præuisio nõ erat practica, & cõpleta, sed semipræuisio, quę partim attingebat naturam producendam, partim verò non; siquidem non attingebat cum habitudine, & dependentia, quam de facto erat ad ipsum habitura.

310 Confirmatur tertiò. Mors, ægritudines, & morbi pertinent ad ordinem naturę: sed nõ potuerũt semper præuideri ante ordinem gratiæ: quia plerumque per prædestinationem præparatur tempus, & genus mortis, vt patet in martyribus, & alijs, quibus per gratiam specialem acceleratur mors, ne malitia mutet intellectum eorum: ergo &c. Item, certum est, aliquos homines fuisse progenitos propter orationes Sanctorum, qui ipsorum generationem, & natiuitatem impetrarunt, vt patet de Ioanne Baptista, cuius generatio non fuit secundùm ordinem naturæ disposita, sed potiùs secundùm

ea, quæ

ea; quæ pertinent ad Vnionis hypostaticæ ordinem: fuit enim procreatus ex parentibus ad generandũ ineptis, vt esset Christi præcursor. Et multæ ægritudines, & mortes naturales fuerunt sanctorum precibus impeditæ. Multa denique bona naturalia sunt effectus prædestinationis, quæ proinde ad ordinem gratiæ debent pertinere. Quò fit, vt licet ordo gratiæ præsupponat ordinem naturæ, quantùm ad eius substantiam, & primariam constitutionem (gratia enim naturam præsupponit, ac perficit) non tamen præsupponit totum ipsum ordinem, quoad omnia eius singularia, & particulares rationes, quinpotiùs permixtim se habent in huiusmodi singularibus illi tres ordines.

311 Octauò. Quamuis sit verum, naturam præsupponi gratiæ, & vtramque Incarnationi, non tamen sequitur ex hoc, Deum priùs ordinasse res secundùm esse naturæ, & deindè secundùm esse gratiæ, & vltimò secundùm esse Vnionis hypostaticæ: quia ex hoc, quòd natura supponatur gratiæ, duntaxat sequitur, quòd cùm res fiũt in tempore, & exequutioni mandãtur, priùs fiant secũdùm esse naturale, posteà secundùm esse supernaturale, non tamen cùm res ordinãtur fieri in intentione Dei, priùs ordinentur fieri secũdùm esse naturale, deinde secundùm esse supernaturale, quinpotiùs è contra accidit, vt quod est primũ in exequutione, sit vltimum in intentione, & vice versa: in quo manifestè videtur Caietanus deceptus, volens conformare ordinem intentionis, qui est in diuinis actibus secundùm rationẽ, cũ ordine exequutionis, qui in ipsis rebus est secundùm rem, quod ex dictis cõstat esse falsum. Vnde omnia Caietani argumenta solùm probant, ordine exequutionis naturalia esse priora, & à Deo priùs visa supernaturalibus, & supernaturalia Incarnatione.

312 Similiter etiã cõstat, distinctionem Caietanĕ de futuris factis, vel nõ factis, sed solùm ordinatis per prædestinationem, esse impertinentem ad explicandam Diui Thomæ sententiã; nempe, quòd prædestinatio præsupponit præscientiam futurorũ, imò vero est cõtra D. Thomã, qui in eãdem solutione ad quartũ postquàm dixit, prædestinationem præsupponere præscientiam futurorum, statim subdit. *Sicut cũ Deus prædestinat salutem alicuius adimplendam per orationem alterius, illa oratio futura præsupponitur prædestinationi.* Constat autem illam futuram orationem non esse de numero eorum, quæ per prædestinationem duntaxàt ordinantur, sed ex his, quæ fiunt per ipsam, quoniam est effectus illius.

313. Constat prætereà falsum esse, quod docuit Caietanus, nempe, totũ ordinem prædestinationis, & reprobationis superuenire toti ordini naturæ, quasi Deus priùs in Petro præuideat peccata, & omnia ad ordinem naturæ pertinentia, quàm illum vel prædestinet, vel reprobet, quinpotiùs peccatum sæpè est occasio gratiæ recuperandæ, vt patet, cùm Deus aliquem cadere permittit, vt fortiùs resurgat, & perseueret. Et è contra sæpè gratia in aliquo est occasio, vt peccet, vt cum de donis receptis superbit: sæpè igitur vnum sine alio præuideri non potest.

314. Constat denique absurdum esse, quod affirmat Caietanus, priùs Deum videre leporem cursurum, & alia huiusmodi, quàm cuiuslibet, etiam Christi, prædestinationem; quia hæc impertinenter se habent ad prædestinationem, cùm enim Deus omnia simul videat, nũ dicitur priùs videre vnum, quàm aliud, nisi quia vnum ordinatur ad aliud, vel vnum est causa alterius.

315 His, atque alijs id genus argumentis communiter reijcitur à Thomistis, hæc Caietani explicatio. Sed profectò si rectè intelligatur, non est reijcienda, sed potest ad bonum sensum reuocari. Etenim Caietanus nõ omnia peccata intra ordinem naturæ cõprehendit, neque de omnibus peccatis fuit loquutus, sed de peccato tantùm originali, & ea duntaxat ratione, qua rectitudini naturali repugnabat, & Deum finem naturalem offendit. Itaque ex sententia Caietani triplex est rerum ordo. Primus naturalium, quæ à Diuina prouidentia causantur. Secundus supernaturalium, sine gratuitarum, quæ ad ordinem gratiæ habitualis spectant, & dimanant à generali quadam prouidentia supernaturali, qua Deus vult omnes homines saluos fieri. In hoc tamen secundo ordine non comprehenduntur bona gloriæ; nam per hæc secundi ordinis bona, nullus homo deberet defacto bona gloriæ, correspondentia suæ gratiæ obtinere, & saluus fieri. Huiusmodi sunt omnes res supernaturales collatæ primo parenti, & in ipso toti posteritati, nempe, iustitia originalis cum gratia habituali, cæterisq; virtutibus ex illa profectis antè hominis peccatum. Tertius ordo est rerum supernaturalium, & gratuitarum, pertinentium ad ordinem gratiæ Vnionis, & in hoc ordine constituuntur non solum ipsa gratia Vnionis, & ipse Christus, sed omnia ab ipso instituta, videlicet, sacramenta, & omnia dona supernaturalia gratiæ, & iustitiæ, charitatis, &c. Quæ post peccatum ex meritis Christi sequi debent ex Christi prædestinatione, tanquam ex causa.

316 Hoc triplici rerum ordine constituto, triplex genus peccatorum assignat Caietanus, iuxta triplicem rectitudinem, qua peccatũm priuare potest. Primum, quod priuat rectitudine naturali. Secundum, quod priuat rectitudine supranaturali, proueniente ex iustitia originali, & cæteris donis pro statu innocentiæ collatis. Tertium, quod priuat alia rectitudine supernaturali, proueniente ex gratia sacramentorum, & ex iustitia per Christũ collata. Ex quibus colligit Caietanus, D. Thomam in hoc articulo ad quartum cùm dixit, prædestinationem Christi supponere præscientiam peccati futuri, loqui de peccato opposito rectitudini primi, & secundi generis; quia illa duplex rectitudo præsupponitur etiam ad prædestinationem Christi. Cæterùm peccatum oppositum tertiæ rectitudini, & similiter ipsa tertia rectitudo, nõ supponitur prædestinationi Christi: quia esset absurdum asserere, quòd peccata contrà Christum commissa, & contra sacramenta, & contra gratiã per Christum nobis collatam, viderit Deus antè ipsam Christi prædestinationem. Vnde verissimum est iuxta mentem Caietani, peccatum originis, quod priuabat illa duplici rectitudine, nempè, naturali, & ea, quæ proueniebat à iustitia originali, priùs esse visum, quàm Incarnatio, & prædestinatio Christi.

317 Sic autem explicata sententia Caietani non refutatur plærisque argumentis supra positis, vt rectè obseruauit M. Mendoça loco citato, vbi sic explicat Caietanũ, & eius expositio est vera, & à Caietano intẽta, quãuis in omnibus eius doctrinã nõ saluet. Sed potest saluari etiã ex mente Caietani, si dicatur, ordinem naturæ præsupponi ordini gratiæ, & vtrumq; ordini Vnionis

hypoſtaticæ in generæ cauſæ materialis: at rem aliter ſe habere iu genere cauſæ finalis, vt Parag. ſequenti explicabitur. Itaque in cognitione & volitione Dei non reperitur priùs & poſteriùs etiã noſtro intelligendi more, niſi in his, quæ à ſe mutuò pendent in aliquo genere cauſæ, & illud intelligitur eſſe prius, à quo aliud dependet, id verò poſterius, quod pendet ab alio. In his autem, quæ inter ſe connexa non ſunt, vel ex intrinſeca & cõnaturali connexione, & dependentia ipſorum inter ſe, vel ex habitudine, quã inter ſe habent in ordine ad Diuinam voluntatem, ordinãtem vnũ ad aliud, & volentem vnũ propter aliud; vel vt exactiùs loquamur, volentem, vt vnum ſit propter aliud: in his, inquam, non reperitur ordo prioris & poſterioris. V. G. Deus ab æterno non priùs vnum cælum præuidit, quàm aliud: quia vnum non ſupponit aliud in aliquo genere cauſæ, neque Petrum priùs vidit, quàm Paulum; quia Paulus non ſupponit Petrum, neque pendet ab illo. Nihilominus priùs cauſam præuidit, quàm effectum; quia effectus ſupponit cauſam, & dependet ab illa: & ſimiliter ſecundùm intentionem priùs finem præuidit, quàm media; quia media ſupponunt finem, ab eoq́ue dependent: & è contra priùs media, quàm finem in exequutione, quia in hoc genere finis ſupponit media, & ab illis dependet.

318 Ad eundem ergo modum quia iſti ordines naturæ, gratiæ, & Vnionis hypoſtaticę, reſpectu cognitionis practicæ Dei, aut in ordine ad eius voluntatem ſunt inter ſeſe connexi ex habitudine & dependentia, quam inter ſe habent in ordine ad voluntatem Diuinam, volentem vnũ propter alium, vel vt vnus ſit propter aliũ; ideò ordo gratiæ præſupponit ordinem naturæ in genere cauſę materialis, non ſolũ in exequutione, ſed etiã in intentione, & præuiſione Dei. Et ſimiliter ordo hypoſtaticæ Vnionis eundem præſupponit. Et quia peccatũ pertinet ad ordinem naturæ, quatenùs naturali rectitudini opponitur: & priuatio ad eũdem ordinem pertinet: ideò Deus priùs peccatum Adæ futurũ præuidit, quàm Chriſtũ prædeſtinaret, quia prædeſtinatio Chriſti præſupponit ipſum peccatũ, in cuius remedium ordinatus. Nõ quòd peccatũ fuerit cauſa per ſe, ſed cauſa ſine qua non, nempe occaſio. Et hoc intendit D. Thom. in ſolutione ad quartum; cùm inquit, prædeſtinationem præſupponere præſcientiam futurorum. Non enim intendit, ſupponere præſcientiam futurorum quorumcũque, etiam naturaliũ: ſed eorum, quæ antecedunt, & ſupponuntur in aliquo genere cauſæ; vt patet in exemplo allato, cùm Deus aliquem prædeſtinat per orationes alterius, tũnc enim prædeſtinatio ſupponit orationes futuras. Et ſimiliter modò, quia Deus præordinauit aduentum Chriſti in remedium peccati, prædeſtinatio Chriſti præſupponis peccatum futurum, & hoc voluit ſignificare Caietanus, cùm dixit, prædeſtinationem, quamuis non ſupponat futura, quæ per ipſam conſtituuntur, ſupponere tamen futura, quæ per prouidentiã conſtituuntur, quæ ſanè ad ordinem naturæ pertinent, etiam ſi ſint defectus.

Cõmunis Thomiſtarũ ſentẽtia explicatur. §. XX.

319 THomiſtæ ſic Diuum Thomam communiter interpretantur, vt dicant, decretũ prædeſtinationis Chriſti dependens fuiſſe à ſcientia viſionis peccati in genere cauſæ materialis, & in hoc ſenſu prædeſtinationem Chriſti præſuppoſuere præſcientiã futurorum: eſſe verò præſuppoſitam in genere cauſę finalis. Itaque licèt Chriſtus in genere cauſæ finalis anteceſſerit in diuina intentione vtrumq́ue ordinem, & naturæ & gratię; in genere autem cauſæ materialis vterq́ue ordo præcedit Chriſti prædeſtinationem: quia Deus non prædeſtinauit Chriſtũ niſi dependenter ab vtroq́ue ordine, & naturæ, & gratiæ, non ſolùm vt à medio neceſſario ad exequutionem Incarnationis requiſito; ſed etiam vt à materia circa quã, & à qua pendet per ſe Diuini Verbi Incarnatio, non tantùm vt in exequutione ponitur, ſed etiam vt in intentione Dei præhabetur. Ex parte verò materiæ comprehenduntur peccata, & præſertim originale, quatenùs in hoc ordine cauſalitatis materialis in Dei præſcientia nõ ſolùm præceſſit ordo naturæ & gratiæ, ſed etiã præcognitio omniũ moraliũ defectuũ, qui rectitudini vtriuſq; ordinis aduerſantur, præſertim defectus originalis, qui totã naturã humanã corrupit.

Explicatur hæc ſententia exemplo ex Phyſicis deſumpto. Qui intendit aliquod totum, quod ex materia & forma intrinſecè componitur, licèt per ſe primò nõ intendat materiã, & formã, ſed duntaxat ipſum totum; ſecũdariò tamen intendit materiã & formã, à quibus ipſum totũ, & ipſa forma totius compoſiti dependet, quaſi in genere cauſæ materialis. Et ſicut totum, quod eſt primariũ intentionis obiectũ, quatenùs eſt illius obiectũ, nõ ſolùm pendet quòad exequutionem à materia & forma, verùm etiam quòad intentionem; ita materia & forma ſunt partiale ipſius intentionis obiectũ, materiale tamen, & non intrãt in intentione totius compoſiti, vt media extrinſeca, quibus finis intentus eſt cõparandus, videlicet; ipſum compoſitum, vt medicamenta intrant ſanitatis intentionem; ſed tãquam id, ex quo ipſa finis intenti forma, & ratio per ſe & eſſentialiter pendet, vt à propria materia. Simili ergo modo ordo naturæ & gratiæ intrat decretum prædeſtinationis 321
Chriſti, quia Chriſtus, quatenùs obiectum formale talis decreti, habet neceſſariam dependentiam tanquàm à materia, ab vtroq́ue iſto ordine; nam Chriſtus Dominus non fuit abſolutè prædeſtinatus, ſed vt repararet naturam humanam, vel vt eam extolleret, vt alij volunt. Vnde decretum prædeſtinationis Chriſti per ſe loquendo, vtrumq́ue ordinem, & naturæ & gratiæ, vt reparabilem, imò vt reparandum per Chriſtum reſpiciebat. Et ita Chriſtus fuit prædeſtinatus accommodatè ad hanc materiam, nempe, naturam, aut reparandam, aut exaltandam, & ad hunc effectum, ſcilicet, reparationem, aut exaltationem naturæ, imò & vtriuſq́ue ordinis, & naturę & gratiæ. Quò fit, vt ordo naturæ & gratiæ vt reparandus, fuerit materia circa quam Incarnationis Chriſti. In hoc igitur ſenſu intelligendum eſt, decretum prædeſtinationis Chriſti ex parte rei prędeſtinatæ dependentiam habuiſſe in genere cauſæ materialis ab ordine naturæ & gratiæ, quòd nõ potuit illud decretũ cõſtare, niſi prçſuppoſita in aliquo priori ſigno præſcientia vtriuſque ordinis: quæ dependentia nõ pertinet ad rationem mediorũ, ex quibus aſſequutio finis dependet; quia finis dependentia à medijs non exigit præuiſionem mediorum, quorũ totum eſſe ex finis volitione dependet, & finis volitio nõ pendet ex medijs, neque ex ipſorũ præſcientia, quamuis pendeat

pendeat in executione. Quo fit, vt prędicta dependentia prædestinationis Christi à præscientia ordinis naturæ, aut gratię pertineat ad rationem causalitatis, quã dicimus esse materialem.

322 Neque est inconueniens, cùm vterque ordo naturæ & gratiæ per se pendeat in genere causę finalis à Christo, & ab eius prædestinatione, è contra prædestinationem Christi ex parte termini pendere ab vtroque ordine naturæ & gratię in genere causæ materialis; ita vt illa duo signa rationis, ad quorum alterum pertinet pręscientia ordinis naturę, & gratię, & ad alterum ipsa Christi pręedestinatio, nostro modo loquendi integrét vnum signum rationis totale, & completum; in quo fuit celebrata tota Christi prędestinatio: sicut instans introductionis formę substantialis in materiam, imbibit in seipso duo instantia naturę, in quorum altero dispositio in genere causę materialis pręcedit formã, & in altero ipsa forma in genere causę formalis antecedit dispositionem. Sed quia hoc posterius naturę instans est principalius, & formalius: ideò absolutè loquendo illi tribuitur tota substantialis generatio; & aliud naturę instans, quod ad dispositionem pertinet, consideratur vt extrinsecum ipsi generationi, & quasi ei pręsuppositum, licet re vera illud vtrumque naturę instãs intrinsecè claudatur in ipsa substantiali generatione.

Ita similiter in prędestinatione Christi, quamuis tota substantialis prædestinatio Christi cõplectatur duo illa rationis signa iam exposita; quia tamen illud signum, quod pertinet ad Christi Incarnationem, attinet principalius, & formalius ad ipsam Christi prædestinationem: ideò licet aliud rationis signum pertinens ad præscientiam ordinis naturæ, & gratiæ, per se etiam spectet ad eandem prædestinationem, consideratur tamen quasi extrinsecum, & materialiter præsuppositum ad ipsam Christi prędestinationem, & est sermo de illo, ac si esset aliud rationis instans ab instanti prædestinationis distinctum.

323 Præterea aduertunt huius explicationis Authores, naturam humanam, & ipsa mediante, prout est virtute omnis creatura, totum vniuersum habuisse rationem materiæ ex qua, & in qua. Ex qua, quia humanitas à Verbo assumpta fuit ex ipsa natura humana accepta, atque adeò ex ipso ordine naturæ, licèt supra totum ordinem naturæ fuerit disposita, & præparata. Materia in qua, quia in ea Vnio hypostatica quoad substantiam, & quoad eius effectus sit suscepta. Ordo autem gratiæ habuit rationem materiæ circa quam; quoniã habuit rationem reparabilis, & perfectibilis; quatenùs per Incarnationem hic ordo fuit in natura humana reparatus, & in tota intellectuali natura creata perfectio-

324 nem, & consummationem fuit assequutus. Peccatũ similiter habuit rationem materiæ circa quam, quatenùs erat destruendum, & auferendum: & ideò eius pręscientia in genere causæ materialis antecessit prædestinationem Christi. Itaque in genere causæ materialis priùs fuit peccatum præuisum à Deo, quàm Christus: sed in genere causæ finalis Christus fuit præuisus antè peccatum; quia hæc sic se habent, vt peccatum fuerit reparationis materia, permissio verò peccati, & ipsum peccatum ex Diuina ordinatione in prædestinationem Christi ordinantur: & quia sunt sibi inuicem causæ, & quatenus subsunt diuino decreto, sunt coordinatæ, & connexæ, ideò in eis inuenitur ratio prioris, & posterioris. Et præuisio Dei tendit ad vnum, vt dicit ordinem, & dependentiam ab alio. Id verò ampliùs potest explicari in aliorum peccatorũ permissione; Deus enim permisit Petrum peccare, vt indè maius bonum eliceret, sed non præuidit peccatum antè pœnitentiam Petri absolutè, sed cum ordine, & habitudine ad lachrymas illius, & ita peccatum Petri fuit præuisum in genere causæ materialis, pœnitentia autem in genere causæ finalis. Et sicut illa duo ordinatè visa sunt, imò ex vi diuini decreti sunt ordinata; sic etiam & ordinatè præuisa sunt, & in diuina cognitione considerantur à nobis vnum priùs altero secũdùm diuersam rationem causæ.

Vnde constat, hanc propositionem absolutè loquendo, esse veram. Peccatum est præuisum à Deo antè prædestinationem Christi; quia prioritas causæ materialis sufficiens est ad eius verificationem, quamuis totius sit rationem prioritatis explicare, nempe, fuisse præuisum in genere causæ materialis, vt prioritati causæ finalis honor debitus deferatur, in quo ordine prædestinatio Christi præcessit: hanc autem propositionem: Christus prædestinatus est antè præscientiam peccati, non esse absolutè concedendam: quia licèt peccatum comparatum ad Christi Incarnationem, habuerit rationem materiæ circa quam: ipsum tamen peccati remedium fuit non solum effectus in Christi prædestinatione per se intentus per ipsam eius Incarnationem, verùmetiã habuit quandam finis rationem collatũ ad Christũ secundum eũ humilitatis statum, quo vixit in mũdo, qua ratione fuit humanæ naturæ reparator, & medicus. Et quia non aliter fuit prædestinatus, nisi vt medicus, non solùm morbi præuisio in genere causę materialis eius prædestinationem antecessit, nam tolle morbos, & tolle vulnera, & non est necessarius medicus, dicebat Augustinus: sed etiam ipsum remedium peccati, quod est morbus spiritualis, præcessit in Dei præscientia in ge- 325

326 nere causę finalis prædestinationem Christi, prout Christus ratione prædicta in statu humilitatis officiũ medici erat gesturus. Non est autem inconueniens, vt id, quòd simpliciter est finis, secundùm aliquem modũ induat respectu eiusdem rationem medij. Et quia Christus fuit prædestinatus, vt esset Filius Dei per gratiam Vnionis, eum hac conditione, vt esset Redemptor, & medicus, ideò peccati remedium in genere causæ finalis pręcessit ipsam Christi prædestinationem. Et ob id, quamuis prędestinatio Christi absolutè & simpliciter fuerit prior in genere causę finalis: nequit absolutè cõcedi, Christum fuisse prædestinatum antè præscientiã peccati: quia peccatum, vt delendum & expellendum, fuit prçuisum per modum materiæ circa quam, & ipsum peccati remedium fuit præuisum per modũ finis intenti, & præordinati, in quem prædestinatio Christi illo modo explicato fuit ordinata.

327 Insuper. Præscientia peccati in genere causæ materialis præsupposita, ex sententia istorum Thomistarum, pertinuit ad scientiam visionis: quia peccatum habuit rationem pręsuppositæ materiæ, quæ secundùm præexistentiam debuit præsupponi: atque adeò Deus præsupposuit peccatum, vt inexistens naturæ, & non vt futurum infallibiliter. Peccati verò remedium in præscientia Dei antecedens in genere causæ finalis

finalis non præcessit vt præexistens, sed vt infallibiliter futurum; quia licèt præcesserit vt finis, est tantùm finis effectus, qui erat efficiendus ab ipso Christo Incarnando, atque adeò neque debuit, neq; potuit præsupponi in ordine intentionis, vt præexistens, sed vt infallibiliter futurum.

328 Ex his colligũt ij Authores ordinem, quem in Christi prædestinatione ex parte rerum Deum intelligimus obseruasse. Etenim postquàm Deus scientia simplicis intelligentiæ cognouit illum triplicem modum suæ communicationis, statim in primo signo rationis prędestinauit Christum, vt esset Filius Dei naturalis, & hominum Redemptor, & vt teneret principatũ super omnia, tam ordinis naturæ, quàm ordinis gratiæ: quorum omnium cognitio, & præordinatio secundùm generalem quãdam prouidentiam pertinuit ad hoc primum rationis signum. Itaque in hoc primo signo non fuit Christus prædestinatus solus, sed simul cum ipso fuerũt præordinatæ aliæ creaturæ, quæ ad essentialem, & cõsummatam vniuersi perfectionem spectant, tam in ordine naturæ, quàm gratiæ. Et quamuis illud instãs solius Christi prædestinationi specialiter tribuatur, quia in hoc instanti Christus specialissima prouidentia fuit prædestinatus, & eius prædestinatio fuit absoluta, & consummata, prout ad Christum pertinebat, at verò in hoc signo neque ordo naturæ, neque ordo gratiæ, habuerunt complementum prædestinationis, & prouidentiæ, sed solùm quoad id, quod erat necessarium, vt Christi prædestinatio esset completa, & consummata.

329 Alia enim, quæ in particulari ad vtriusque ordinis cõplementum spectabant, in posterioribus signis fuerunt disposita, & præordinata. Quoniam ergo ad prædestinationem Christi, quatenus prædestinabatur, vt mediens, & Redemptor, necessum fuit, vt vtriusque ordinis, naturæ, & gratiæ præordinatio quoad primariam vtriusque substantiam antecederet, quorum prior exigebat Angelorum, & hominum, & totius vniuersi cõsistentiam, posterior verò, vt in omnibus Angelis sigillatim (cùm omnes differant specie) & in aliquo vno homine, vt in primo capite totius naturæ humanæ fundaretur ordo ad finem supernaturalem, dando illis supernaturalem cognitionem, spem, & amorem, quæ gratiæ Dei inniterentur, ideò hæc omnia ad illud primum instans rationis in Deo pertinuerunt, & similiter peccatum præcognitum, vt inexistens naturæ, quatenùs dispositioni vtriusque ordinis fuit repugnans. Et ad idem etiam pertinuit peccatum Angelicum, prout ex eo occasionaliter ortum habuit primum hominis peccatum, quod ad primariam ordinis gratiæ constitutionem pertinuit. Hæc igitur omnia ad illud primum rationis instans reducenda sunt, & omnia propter Christum vel præordinata, vel permissa fuerunt. Et ob id in illomet signo prædestinatio Christi simpliciter præcessit in genere causæ finalis, omnium aliorum præscientiam; sed in genere causæ materialis præscientia horum omnium, quæ retulimus, præcessit.

330 In secũdo signo Deus quosdam homines in Christo capite iam in primo signo prædestinato, & per Christum elegit, ac prædestinauit. Ad hoc autem signũ pertinuit dispositio omnium singularium ordinis naturę; quia electorum prædestinatio in hoc secundo signo celebrata cõstare non potuit, nisi esset certa, & statuta omnium horum singularium ordinis naturæ dispositio: quia ex pluribus eorum pendebat prædestinationis ordo, qui in absoluta, & determinata efficaciũ mediorũ dispositione, & præordinatione consistit: quibus certissimè saluantur, quicumque saluantur, vt ait Augustinus. Hæc autem media disponi non potuerunt, nisi pręmissis illis singularibus, indiuiduis, operationibus, & factis &c. Quæ ad ordinem naturæ spectãt. Vnde sicut primaria constitutio rerum naturaliũ in genere causę materialis in primo signo antecessit prædestinationem Christi, ita in secũdo signo ea, quæ secundariò ad eundem ordinem naturæ spectant, præcedunt electorum prædestinationem; ita vt eorum electio absolutè fuerit prior, eo quòd eorũ prædestinatio habuit rationem finis cõparatione ad ordinem naturalem. Prædestinatio verò, quæ formaliter est efficax mediorũ præordinatio in genere causæ materialis, supposuit horum, quæ diximus, præscientiam, imò & præscientiam omnium singularium peccatorum, quia ex pluribus eorum assumit Deus occasionem prædestinatos saluandi. Item ad hoc secundum signum pertinent ea, quæ ad Christi vitam & mortem in particulari attinebant; quia licèt in primo signo fuerit prædestinatus Redemptor per mortem & sanguinem suum; at quæ, & qualis futura esset eius mors, imò & vita; quas, & quantas à peccatoribus passurus erat contradictiones, non potuerunt euidenter prævideri, nisi dependenter in genere causæ materialis ab horum singularium præscientia.

331 Rursus. Præscientia omnium singularium, quæ ad Christi Incarnationem necessariò fuerunt præsupposita, fuit habita in primo rationis signo, inter quæ singularia principem locum obtinuit Beatissima Virgo, & eximia eius sanctitas, quæ ad Christi Incarnationem fuit secundùm decentiam necessaria. imò valde probabile est, prædestinationem Virginis in illo primo rationis signo fuisse celebratam, & ideò in genere causæ materialis fuit præmissa B. Virginis gratia & sanctitas, vt prædestinationis effectus, quamuis in genere causæ finalis, & meritorię fuerit effectus Incarnationis Christi.

332 Sed obijcitur. B. Virgo in Christo, & per Christũ fuit prædestinata, ergo in nullo genere causæ potuit Christi prædestinationem antecedere. Negatur consequentia: quia sanctitas B. Virginis antecessit, vt dispositio tenens se ex parte materiæ proprię ipsius Christi. Etenim cum caro Christi ex purissimis sanguinibus B. Virginis fuerit desumpta, ipsa eius sanctitas erat veluti dispositio præparans, & disponens propriam Christi materiam. At illa B. Virginis sanctitas, quæ in genere causæ finalis, & meritoriæ fuit effectus Incarnationis Christi, potuit esse prior eadem, etiam ordine intentionis Dei in genere causæ materialis, & dispositiuæ.

Hanc explicationem sequuntur communiter recentiores Thomistæ, tanquam cæteris probabiliorem, & menti Diui Thomæ magis consentaneam. Vt autem resolutoriè dicamus, quid nobis probabilius videtur, sit prima conclusio.

Prima Conclusio. §. XXI.

333 Decretũ Incarnationis Christi, siue prędestinatio Christi Dñi presupponit præscietiã peccati. Sic asserit D. Tho. in Respõsione ad quartũ. Et videtur

Et videtur sententia D. Athanasij lib. de Incarnatione Verbi paulò post principium: & serm. 3. cōtra Arrium, vbi ait, nostram indigentiam anteriorem esse, quàm fuerit Christi Natiuitas. Et non solùm loquitur de exequutione, quia in hoc nihil diceret speciale, cùm fide constet, peccatum hominis antecessisse Christum; sed loquitur de præuisione, & intentione Dei, quia ibi considerat peccatum, vt causam, aut saltem tanquam occasionem prædestinationis Christi; cùm dicat, indigentiam nostram esse anteriorem. Ex quo sumitur argumentum. Peccatū fuit occasio prædestinationis Christi, vt concedunt omnes Thomistæ; ergo fuit præuisum antè prædestinationem Christi. Patet consequentia, quia occasio antecedit occasionata, & quæ ab illa desumuntur.

334 Confirmatur primò. Christus fuit prædestinatus, vt Redemptor, & in remedium peccati; ergo peccatum priùs fuit à Deo præuisum, in cuius remedium prædestinatus est Christus. Consequentia est euidens. Et antecedens probatur ex Paulo ad Roman. 3. *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.* Et ad Ephes. 1. *Gratificauit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus Redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum.* Et 1. ad Timot. 1. *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Vnde constat, impiam esse & Hæreticam sententiam cuiusdam Basij Hæretici, contemporanei Apostolorum, qui negabat Christum fuisse prædestinatum, & in remedium peccati venisse: quem postea sequutus est Petrus Abaylardus, contra quem disputat D. Bernardus Epist. 190. ad Innocentium Papam. Legendus est Castro lib. 4. aduersus Hæreses, Verbo Christus, Hæresi. 8. Oppositum huius Hæresis definitum est in Concilio Trident. sess. 6. Cano. 21. vbi definitur, Christum Dominum non tantùm venisse vt Redemptorem, sed etiam vt legislatorem. In eo enim quod decernitur venisse, vt Redemptorem, definitur etiam venisse in remedium peccati.

335 Secundò confirmatur. Prædestinatio præsupponit prouidentiam vniuersi; ergo præsupponit præscientiam rerum pertinentium ad ordinem naturalem: sed hæ non solùm sunt res naturales, ex quibus constat vniuersum, sed etiam defectus naturæ, vt monstra: & animalium, vt ægritudines: & rationis, vt ignorantia; & animi denique & morum, vt peccata; quia peccando deficere non pertinet ad ordinem gratiæ, sed ad ordinem naturæ; cùm in manu nostra positum sit peccare iuxta illud Oseæ. 13. *Perditio tua ex te &c.* Ergo præsupponit præscientiam peccati. Antecedens probatur: quia gratia aduenit, & accedit naturæ; ergo ordini gratiæ præsupponitur ordo naturæ, nam gratia recipitur in natura: sed prædestinatio pertinet ad ordinem gratiæ, prouidentia verò ad ordinem naturæ; ergo prædestinatio præsupponit ordinem naturalem vniuersi.

336 Tertiò. Occasio, ob quam agens liberum efficaciter determinat aliquid facere, quod aliàs facturus non foret, necessariò antecedit illius rei sic occasionatæ determinationem; sed præuisio peccati fuit occasio, ob quā Deus opus Incarnationis, quod aliàs minimè facturus erat, determinauit facere: ergo præuisio peccati antecessit in Deo efficacem determinationem, & absolutam voluntatem futuræ Incarnationis.

337 Confirmatur. Voluntas remedij peccati antecessit in Deo ordine rationis prædestinationem Christi, & primum decretum Incarnationis ipsius: sed absoluta præuisio peccati antecessit in Deo voluntatem remedij illius: ergo & prædestinationem Christi. Consequentia est euidens; & minor ex terminis est nota; priùs enim Deus malum præuidit, quàm illi remedium adhibere absolutè voluerit. Maior verò probatur. Remedium peccati fuit finis motiuus proximus Incarnationis Christi; ergo priùs absoluta voluntate à Deo intentum, & efficaciter præuolitum, quàm ipsa Incarnatio: atq; adeò præuisio peccati, & voluntas remedij illius efficax præcesserunt in Deo prædestinationem Christi, seu primum decretum Incarnationis illius.

Secunda Conclusio. §. XXII.

338 PECCATVM, in cuius remedium prædestinatus est Christus, non est præcognitum per scientiam mediam, neque talis scientia est in Deo collocanda. Hæc assertio est contra tertiam opinionem Parag. 18. relatam: & prior pars probatur. Christi prædestinatio decreta est à Deo in remedium peccati absolutè futuri; sed tale peccatum nō cadit sub obiectum scientiæ mediæ (etiam si daretur) ergo non est præuisum, & præcognitum per talem scientiam. Consequentia est euidens, quia nulla scientia extendit se, neque pertingit vltra latitudinem sui obiecti. Maior similiter est manifesta, quia non debuit Christus prædestinari in remedium peccati possibiliter, vel conditionatè futuri. Sed probatur minor. Obiectum scientiæ mediæ ex sententia aduersariorum, est futurum conditionatum, quod re vera nunquam erit, quamuis posset esse, si ponatur talis conditio: sed peccatum, in cuius remedium prædestinatus est Christus, est absolutè futurum in aliqua temporis differentia; ergo non cadit, neque comprehenditur sub obiecto scientiæ mediæ.

339 Secundò. Quicquid à Deo cognoscitur, vel est absolutè futurum, vel possibiliter futurum, vel conditionatè futurum. Si est absolutè futurum, cognoscitur per scientiam visionis, si est possibiliter futurum, cognoscitur per simplicem intelligentiam; si est conditionatè futurum, cognoscitur etiam per scientiam simplicis intelligentiæ: ergo nullum datur obiectum scientiæ mediæ, neque per illam aliquid cognoscitur. Vltimā pars minoris probatur. Futurum conditionatum nunquam erit, sed poterit esse, si ponatur conditio: ergo est possibiliter futurum. Patet consequentia: quia illa conditio nunquam est in re ponenda, atque adeò tale conditionatum potest esse futurum: sed non est futurum: quia nunquam erit, neque habuit initium suæ futuritionis: & ex consequenti tantùm est cognoscibile in ratione possibilis per scientiam simplicis intelligentiæ.

340 Dices, Deum cognouisse peccatum Adæ futurum ex hypothesi, quòd illum vellet condere in eo statu, & rerum ordine, in quo de facto creauit, atque adeò per scientiam mediam. Sed contra est: quia peccatum præuisum, & præcognitum cum dependentia ab aliqua cōditione, & hypothesi, quæ secūdùm rem est in exequutione ponenda, est absolutè futurum, atque adeò pertinens ad scientiam visionis, non ad scientiam mediam, cuius obiectum est futurum cōditionatum, quod nunquam erit; quia nunquam ponetur in re conditio, à

qua dependet in futuritione, ac proindè semper remanet in potentia suæ causæ; & solùm habet esse possibilibile. Quòd si exiret ab esse possibili, continuò accederet ad esse actu, præsertim in opinione horum Theologorum, qui asserunt actualem existentiam nihil aliud esse, quàm rem esse extra suam causam, & extra eius potentiam. Secunda verò pars conclusionis, nempe, non esse talem scientiam mediam in Deo collocandam, probatur.

341 Primò. Inter absolutè futurum, & possibiliter futurum nullum datur medium; ergo neque inter scientiam naturalem Dei, quæ dicitur simplex intelligentia, & habet pro termino possibiliter futurum, & scientiam liberam, quæ dicitur visio, & terminatur ad absolutè futurum, nulla datur scientia media, per quam cognoscatur conditionatè futurum. Consequentia est euidens: & probatur antecedens. Futurum conditionatum, quod isti authores ponunt medium inter absolutè, & possibiliter futurum, est simpliciter loquendo possibiliter futurum, ergo non est medium inter vtrumque. Probatur antecedens. Futurum conditionatum re vera non est futurum, neque fuit futurum, neque habuit initium suæ futuritionis; sed solùm potest esse futurum ex hypothesi, & suppositione, quòd Deus talem, aut talem ordinem rerum statuisset, si tunc liberè decreuisset illud fore: ergo &c. Et quòd non sit futurū, probatur; quia

342 illud dicitur verè futurum, quod licet nō sit, est tamen habiturum esse in seipso in aliqua temporis differentia; sed futurum conditionatum nunquam habebit esse secundùm se in aliqua duratione temporis futuri; ergo nunquam est futurum. Item probatur, quòd nunquam fuit futurum: quia nunquam exit in aliqua temporis, & durationis differentia, ergo nunquam fuit futurum. Et quòd non habuerit futuritionis initium, probatur. Futuritio rei dicit ordinem, & respectum ad existentiam; sed futurum conditionatum nunquam est habiturum existentiam, vt supponimus in casu quæstionis: ergo nunquam habuit futuritionis initium. Quare solùm de illo verificatur, quòd fuit possibiliter futurū, siue quòd potuit esse futurum, quia potuit Deus de illo liberè decernere, & simul potuit de adimpletione conditionis statuere. Ac proinde cadit sub obiecto scientiæ naturalis, & non exigit scientiam mediam.

343 Confirmatur. Omne scibile, vel est in potentia scibile, vel in actu; hoc est, vel est possibile, vel in aliqua temporis differentia existens: sed futurum conditionatum est quoddam scibile, & non in actu, quia nunquam est habiturum existētiam in mensura temporis, aut in alia vlla duratione de facto: ergo in potentia; & ex consequenti pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ, quæ respicit rem secundùm suam naturam, & vt possibilem.

344 Secundò. Hęc scientia media, quam constituit hæc opinio, tollit à Deo perfectam prouidentiam; ergo in illo collocari non debet. Probatur antecedens, nam per hanc scientiam Deus præuidet, quid sit facturum liberum arbitriū ex hypothesi, quod in hoc, vel in illo ordine rerum constituatur: ergo cognoscit, quid operaturum sit liberum arbitrium de facto, quibus modis, & quo pacto, antequàm Deus in particulari de his quicquam prędeliberet, aut præordinet per liberum eius decretum: sed hoc non est habere perfectam prouidentiam, qualem Deus potest habere: ergo &c. Prætereà falsum est, per scientiam mediam Deum cognoscere, quid sit facturum liberum arbitrium determinatè, antequàm Deus quicquam statueris per eius decretum liberum: quia de actibus liberis istud cognosci non posse. Et probatur. Antequàm actus liber à libero arbitrio procedat, cōtinetur in ipso indifferenter, & in quadam indeterminatione: ergo vt sic nequit per illā scientiam cognosci.

Item si actus liber consideretur, prout est extra suam causam indifferentem, iam cognoscetur per scientiam visionis: si verò consideretur, quatenus ab essentia Diuina repræsentatur, adhùc talis cognitio non abstrahit à libera voluntatis Diuinæ determinatione; aliàs ille actus futurus in essentia Dei repræsentari non posset: nam dato quòd ille actus non esset futurus, non repræsentaretur in essentia Dei; ergo neque etiam potest repræsentari, antequàm sit de facto. Etenim essentia Diuina nihil potest repræsentare sub ratione futuræ existentiæ in aliqua durationis mensura, nisi re vera illud sit futurum: sed antequàm sit illud futurum, non habet in libero arbitrio magis quòd sit futurum, quàm quòd non sit futurum: ergo nequit magis repræsentari in essentia, quòd sit futurum, quàm quòd non sit futurum, nisi hoc aliunde proueniat, nempe ex eo, quòd vel Deus id decreuit ita fore, vel quia intellectus Diuinus præuidit ad quid Diuina voluntas se determinare debuisset. 345

Insuper. Antequàm Deus statuat cōdere liberum arbitrium, vel antequàm prævideatur libera determinatio Diuinę voluntatis, liberum arbitrium solùm intelligitur vt possibile, & ex consequenti actiones liberę ab ipso eliciendę solùm cognoscuntur vt possibiles, non vt futurę: aliàs cognoscerentur, vt determinatę ad alteram partem: sed nequeunt ad alteram partem determinari ex indifferentia, quam habent ad esse, & non esse, nisi ex libera Dei prædefinitione: ergo nulla datur scientia media, per quam Deus præuideat, quid liberum arbitrium sit acturum, antequàm statuat illud condere ex hypothesi, quòd in tali rerum ordine constituatur, vel non ponatur. Confirmatur: quia rationi valde dissonum est dicere, aliquid esse futurum antè determinationem liberam Diuinæ voluntatis: ergo quidquid futurum est, cognoscit Deus per scientiam liberam. Ergo quomodocumque sit futurum, non potest non dicere ordinem ad liberam Dei determinationem; & ex consequenti esse scibile per liberam Dei scientiam. Patet consequentia: quoniam rei futuritio dicit ordinem ad existentiam futuram in aliqua temporis differentia; sed existentia rei nequit esse sine Dei voluntate: ergo fieri non potest sine determinatione eiusdem Diuinæ voluntatis. Ergo repugnat per hanc scientiam præuidere Deum, quid sit facturum liberum arbitrium, antequàm decernat illud creare, vel antequàm prædeliberet de operibus bonis ab ipso efficiendis. 346

Tertiò probatur Scientia media non est certa neque infallibilis; ergo non est in Deo collocanda. Probatur antecedens. Certitudo illius non sumitur ex connexione illationis, quia futurum conditionatum acceptum in vi illationis, qualiter accipitur à dialecticis, non solùm non est certum, sed est falsum, & impossibile: conditionalis enim, quæ non est bona consequentia, impossibilis est, sicut hæc: si Petrus non mouetur, Paulus dormit 347

dormit, Neque sumitur certitudo ex merito terminorum,quia sunt disparati,vt constat; neque etiam sumitur ex voluntate Dei sic statuentis de tali conditionato:cùm hæc scientia anteuertat omnem actionem Diuinæ voluntatis,iuxta istam sententiam : ergo non habet,vnde sit certa scientia.

348 Dices,in se habere certitudinem.Sed contra est,quia obiecta sibi Respondentia non sunt certa , nec proponuntur sub infallibili, & certa ratione. Nec dicuntur certa in suis causis,quia causæ futurorum conditionatorum sunt merè contingentes, & indifferentes ad illa, & ad sibi opposita. Neque etiam dicuntur certò à Deo cognosci ex comprehensione perfectissima suæ essentiæ,in qua repræsentantur non solùm futura , quæ sunt in aliqua temporis differentia , verùmetiam conditionata futura:vt dicunt aduersarij , quia in Diuina essentia non repræsentantur,nisi vt possibilia , & non magis repræsentantur hæc,quàm sibi opposita seclusa Dei voluntate,non enim ibi relucet magis,quòd si Petrus non moneretur, Paulus dormiret, quàm oppositum huius. Quòd autem in Diuina essentia solùm repræsententur vt possibilia, patet , quia Deus nondum statuit , vt illa forent,sed potuit de eorum futuritione decernere.

349 Sed dicunt aliqui ex aduersarijs , non repræsentari in Diuina essentia,vt merè possibilia, sed vt futura conditionate,quia licet Deus nõdum decreuerit , vt illa sint, vel forent aliquãdo,prædeterminauit tamen, vt essent, positis talibus conditionibus,& circunstantijs.Sed hæc Responsio friuola est,& in Deo imperfectionem constituit.Si enim Deus non præfiniuit,vt tales conditiones ponerentur,neq; etiam prædeterminauit , vt essent talia futura conditionata:quia tales conditiones apponi non possunt nisi ex Diuino decreto ; ergo si de illis nihil decreuit , neque statuit , vt essent , ex consequenti non prædeterminauit , vt essent talia futura conditionata.

350 Dicunt prætereà aduersarij,ex comprehensione perfectissima liberi arbitrij creati in ipsamet Diuina essentia , cognoscere Deum certò , quidquid esset facturum liberum arbitrium , si in tali rerum ordine collocaretur: & quia illa comprehensio est naturalis , & necessaria,ideò scientia conditionatorum est certa. Sed contra hoc est,quoniam ex comprehensione liberi arbitrij creati iudicat Deus posse illud,& oppositum succedere: ergo indicat se posse scire oppositum illius conditionati.Antecedens patet. Quia indicat, hominem in tali rerum ordine constitutum adhuc esse liberum,& indifferentem:ergo posse illud,& oppositum. Et ex cõsequenti id ipsum scit Deus ac proinde scit se posse cognoscere oppositum talis conditionati,si fieret ab homine. Cõfirmatur : quia Deus cognoscit liberum arbitrium esse indifferens ,positis omnibus circunstantijs , quæ eius actum antecedunt ; ergo ex vi huius cognitionis non certò cognoscit determinationem illius ad alterã partem conditionati.

351 Item confirmatur: quia ex comprehensione liberi arbitrij solùm comprehenditur eius essentia,& natura, & quod ex ipso prodire possunt actus liberi, isti, vel illi, nõ tamen quòd determinatè isti infallibiliter prodeãt, seclusa omni prædefinitione circa hûc actum liberum in particulari: quoniã actus liberi & contingentes continentur in libero arbitrio indeterminatè & indifferenter ad esse , & non esse pro sua libertate : ergo &c. Rursus.Sequitur ex opposita sententia , hanc scientiam mediam mensurari à libero arbitrio creato , & ab eo pendere eius certitudinem,in illudq; reduci ; sed consequens est absurdum:ergo,Probatur sequela: quia Deus eò cognoscit certò illud conditionatum,quia comprehendit hominem in tali rerum ordine,cum talibus circunstantijs constitutum,sic operaturum.

Tandem sequitur, quòd Deus certò cognosceret voluntatis creatæ determinationem, & veritatem determinatam futurorum conditionatorum,sine vlla dependentia & subordinatione à Diuina voluntate ; sed cõsequens est plusquàm falsum:ergo. Probatur sequela:quia scientia media,iuxta istam opinionem,anteuertit actum Diuinæ voluntatis, & vt sic certò tendit in actus futuros voluntatis creatæ,& in veritatem conditionatorum ; ergo illi actus, & talium conditionatorum determinata veritas non pendent à Diuina voluntate, neque illi subordinantur in suo esse, nec in veritate,quam habent, & quam Deus de illis certò , & determinatè cognoscit. Sed minor probatur : quia actus liberi arbitrij , siue qui essent, siue qui erunt , subduntur primæ voluntati,& primo libero,cuiusmodi est Deus, & ab illo per se pendent. 352

Quartò probatur.Obiectum scientiæ mediæ,nempe futurum conditionatum,non est ratio formalis distincta à ratione possibili, quam respicit scientia simplicis intelligentiæ;ergo non est ponenda talis scientia. Consequentia indè patet, quia scientiæ distinguuntur penes diuersa obiecta formalia. Antecedens autem probatur primò. Conditio de possibili addita impossibili nõ extrahit illud à ratione impossibilis, neque confert , aut communicat ei aliquam rationem possibilis : vt si V. G.dicatur , si Chimæra esset animal, esset sensitiua : illa conditio nihil possibilitatis communicat Chimeræ,sed semper est Chimæra, & remanet intra ordinem impossibilium : ergo similiter conditio de futuro addita possibili non extrahit illud à ratione possibilium,ad ordinem futurorum. 353

Secundò probatur idem antecedens. Distinctus ordo rerum penes possibile futurum , vel præsens attenditur penes maiorem propinquitatem ad actualem existentiam:sed illa conditio de futuro, quæ facit futurũ conditionatum,non communicat possibili maiorem propinquitatem ad esse,quàm habeat ex sola ratione possibili:ergo &c. Maior patet;nam illi status rerum distinguũtur per ordinem ad actualem existentiam , præsens quidem,quoniam habet eam, futurum verò , quia eius causæ sunt ad illam causandam inclinatæ:possibile autem,quia eam potest habere. Minor est certa,quia conditio nihil ponit in esse, poneret autem , si hanc maiorem propinquitatem ad esse triburret. 354

Confirmatur , quia conditio de impossibili addita futuro,vel possibili,non minuit futuritionem,aut possibilitatem illius, neque constituit diuersum obiectum formale scientiæ; ergo neque conditio de futuro addita possibili confert vllam futuritionem , aut constituit diuersum aliquod obiectum formale scientiæ. Tertiò probatur idem antecedens. Huiusmodi conditiones, si cadant super futura,quæ procedunt ex sola Dei voluntate , non tribuunt eis nouum essendi modum , neque extrahunt illa à ratione,& ordine possibilium, vt concedunt 355

cedunt aduersarij, præsertim Molina, propter quod negat cognosci à Deo per talem scientiam: ergo idem erit de alijs futuris, quia tales conditiones non habent maiorem efficaciam in futuris pendentibus à nostra libertate, quàm in pendentibus à voluntate Dei.

356 Quintò principaliter probatur. Deus non cognoscit, quos actus haberet, si hæc, vel illa conditio poneretur; ergo neque actus nostros pendentes à talibus conditionibus. Antecedens conceditur à Molina, & probatur consequentia: quia nostri actus pendent à similibus actibus Dei, & propterea si sciret, quos actus haberet creatura in tali conditione, sciret etiam, quòd ipse haberet similes actus, & saltem auxilium cõcomitans tribueret ad huiusmodi operationes. Neque valet dicere, quòd à tali scientia Dei solùm subtrahitur actus, qui solùm pendet à voluntate Dei: nam illud auxilium concomitans conditionale à sola Dei voluntate pendet tãquam à causa efficiente. Et præterea, quia rationes, propter quas à tali scientia subtrahitur, conuincunt etiam secundùm sententiam aduersariorum subtrahendos esse illos, quos simul cum creatura operatur: nam si præsciret, quos actus ipse solus haberet, tollit ab eo libertatem in prædictis actibus, quia nõ stat præscire illos futuros, & non facere, etiam non stat præscire, quos actus habebit simul cum creatura, & non habere illos, & ex consequenti eos præscire, tolleret ab illo talium actuum libertatem.

357 Sextò probatur. Futurum absolutum, cuiusmodi est illud: *Niniue subuertetur,* pertinet ad scientiã simplicis intelligentiæ, sicut possibile, ergo etiam futurum conditionatum. Antecedens patet, quia non scitur per scientiam visionis; cùm in seipso existentiam non habuerit. Consequentia verò probatur: quia magis accedit ad existentiam futurum absolutum, quàm conditionatum, cùm habuerit causas determinatas: & magis pendet à voluntate creata, quàm conditionatum; nam illa Niniue subuersio, & destructio pendebat à peccatis liberis ciuitatis: ergo si talis conditio determinata causarum non extraxit ipsum futurum absolutum ab obiecto scientiæ simplicis intelligentiæ, multò minus subtrahentur futura conditionata propter huiusmodi conditiones.

358 Septimò. Si admittatur talis scientia media, sequitur, talium futurorum cognitionem prouenire Deo à casu ex aliquo extrinseco, quod est falsum. Probatur sequela. Nam illa cognitio aduenit Deo, quia voluntas in tali conditione, vel occasione est volitura hoc, & non illud, & non prouenit ex aliqua Diuina prædeterminatione. Quod autem accidit sine determinatione Diuina, est à casu respectu illius, quia non est à Deo intentum, & similiter est etiam extrinsecum respectu Dei: ergo &c.

359 Octauò: quia ex positione talis scientiæ mediæ tollitur perfecta prouidentia, & determinatio Dei circa actus liberos nostros, quoniam actus conditionati non habent determinatam rationem entis nisi in causa determinata, nam antè huiusmodi determinationem est indifferens ad tales actus eliciendos, vel non eliciendos, ac proindè antè talem determinationem certò cognosci non possunt.

360 Nonò. Ex tali scientia sequitur, certitudinem Diuinæ prædeterminationis non sumi ex decreto Dei, & auxilijs Diuinis, quibus homo à Deo infallibiliter dirigitur in beatitudinem infallibilem, cùm possit ea abijcere: sed esse desumendam ex tali scientia, qua Deus nouit hominem sub talibus auxilijs constitutum, bene illis vsurum: imò verò sequitur, prædestinationem pendere ex præuisione bonorum operum prædestinati antè omnem effectum prædestinationis: sed consequens videtur esse contrarium doctrinæ Catholicæ: ergo &c. Vtraque sequella conceditur à Molina. 1. p. q. 23. art. 4. & 5. Disput. Vnica membro. 11. conclus. 3. & 4. Et probatur manifestè: nam si Deus antè omnem suam prædeterminationem præuidit illa opera futura; ergo antè decretum suæ prædestinationis habet infallibilem certitudinem de salute prædestinati, & prædestinatio pendet ex præuisione talium operũ; ergo de primo ad vltimum prædestinatio pendet ex præuisione operũ, quæ est ante omnem prædestinationem, & effectum illius. Minor autem ostenditur à Thomistis. 1. p. q. 23. art. 5. vbi docent, nullum opus prædestinati, propter quod Saluatur, esse effectum prædestinationis, & non præsupponi ad illam. Et art. 6. docent, prędestinationem, quia est pars prouidentiæ, ex sua ratione esse certam, & infallibilem. Legendus est D. Augustin. lib. de Correptione & Gratia cap. 7. Et D. Thom. q. 6. de Veritate art. 3. vbi ostendit esse cõtra Sanctam Scripturam, & Patres, asserere, prædestinationis certitudinem desumi ex præscientia Dei, & non ex infallibili ordine ipsius prædestinationis, quia ex hoc sequitur, præscientiam esse causam prædestinationis, & prædestinationem non esse per electionem prædestinantis, quod est Hæreticum.

Decimò: quia impium est asserere, perfectionem naturalem Dei pendere à voluntate creata etiam taquam à conditione; sed hoc admittit ista sententia: ergo. Maior est certa, nam omnis creatura liberè existit, perfectio autem naturalis Dei inest illi necessariò ante omnem actum liberum voluntatis Diuinæ: ergo non dependenter à creatura, aliás creatura cõferret aliquid Diuinæ perfectioni, & Deus non esset infinitè perfectus sine opera creaturæ, quę omnia sunt manifestè falsa. Sed minor probatur: quoniam ex sententia aduersariorum ista cognitio prouenis ex infinita comprehensione voluntatis creatæ, ergo naturaliter: cùm ista comprehensio naturaliter competat Deo. Sed hæc non sciret, nisi voluntas creata in illa consentiret: ergo ista naturalis perfectio Dei, nempe, infinita comprehensio voluntatis creatæ, dependet ex consensu ipsius voluntatis creatæ tanquàm ex conditione. 361

Vndecimò. Ad comprehensionem creaturæ satis est illius actus cognoscere tanquam possibiles, vt dicitur in. 1. Phys. vbi legendus est M. Soto. q. 2. ad. 2. Et est receptum Theologis: ergo ex vi talis comprehensionis non requiritur cognoscere illos tanquam futuros conditionatos. Confirmatur: quia nulla maior comprehensio creaturæ reperitur in Deo, quàm ea cognitio, ex qua procedit verbum; sed non procedit ex comprehensione, per quam hæc futura manifestentur: ergo non datur talis cognitio. Minor patet: nam Verbum procedit ex cognitione naturali, & omninò necessaria, quę non potuit non esse; hæc autem, vt fatentur aduersarij, potuit non esse in Deo, si voluntas creata aliud vellet: ergo &c. 362

Postremò

363 Postremò deficit hæc sententia in eo, quod asserit, solùm per hanc scientiam posse cognosci talia futura, & illam non posse communicari alicui creaturæ, nam vt cõstabit infra q. 1. art. 3. Disput. 4. & q. 11. art. 1. Disput. 10. Christus Dominus habuit cognitionem huiusmodi futurorum, & similiter Prophetæ; ac proindè possunt per aliam scientiam cognosci, vel saltem scientia media potest alicui creaturæ communicari. Quòd autem cognitio futurorum conditionalium infallibilis, & probabilis secundùm exigentiam causarum & conditionum possit creaturis communicari, & de facto fuerit communicata Christo, constat ex eo, quod Matth. 11. dixit. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in tè, pœnitentiam egissent.* Et Matth. 26. ait Christus. *An putas, quia non possum rogare Patrem, & exhibebit mihi modò plusquàm duodecim legiones Angelorum?* Et Lucæ. 16. *Si Moysem & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis Resurrexerit, credent.* Ecce Christus certò & infallibiliter nouit hos euentus conditionatos, qui tamen nunquam futuri erant, neque cum causis, & conditionibus illis habebant necessariam connexionem. Item fuit communicata huiusmodi futurorum cognitio D. Paulo, vt
363 constat 1. Corint. 4. vbi ait. *Si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Fuit etiam alijs communicata, vt Sapient. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius.* Ecce Sapiens cognouit, quòd malitia erat immutatura intellectum illius hominis immaturè rapti de vita. Et Isaiæ. 6. *Excæca cor populi huius, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis suis, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum.* Et Ezechiel. 3. *Non ad populum profundi sermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris, & si ad illos mittereris, ipsi audirent te.* Et Exod. 34. *Ne accipias vxorem de Filiabus eorum Filijs tuis, ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciãt & Filios tuos.* Præterea probatur ratione. Primò: quia ad talium futurorum cognitionem sufficit scire connexionem causarum, & conditionum cum ipsis futuris; sed non repugnat creaturæ cognoscere talem connexionem, neque ad hoc requiritur virtus infinita, cũ talia obiecta cognoscibilia sint finitæ perfectionis: ergo &c. Secundò, quia futura, quæ prædicunt Prophetæ, sunt illis euidentia quantùm ad duo, nempe, quantùm ad hoc, quòd reuelantur à Deo, & quantùm ad hoc, quòd erunt eo modo, quo reuelantur; vt patet ex D. Thoma, & Caietano 2. 2. q. 171. art. 4. Sed Prophetæ sæpè prædicunt futura, secundùm connexionem causarum conditionalium, nam talia futura non referuntur, vt sunt in seipsis, neque vt sunt in causis determinatis; cùm neutrum eorum habeant, sed vt sunt in causis conditionalibus: ergo. Ex quibus cõstat, Scientiam mediam nõ esse in Deo constituendam præter scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis.

364 Cæterùm licèt gratis concedamus aduersarijs huiusmodi scientiam mediam, adhuc non fauet illis, præsertim M. Suarez ad suam opinionem stabiliendam. Ait enim Disp. 5. sectio. 5. quòd si decretum Incarnationis, quod Deus habuit de facto, diuidatur à scientia conditionata, quam habuit (iuxta huius authoris sentẽtiam) peccati, vt futuri ex suppositione; & posset non habere, si Adam non esset peccaturus, tunc Deus Incarnaretur, etiam si Adam non peccasset. Si verò decretum perfectissimo modo Incarnandi, quod Deus habuit de facto, componatur cum scientia conditionata peccati, in tali casu, & in sensu composito scientiæ cum decreto Incarnandi, decretum, inquit, Incarnationis necessariam habet connexionem cum permissione peccati. Et ita in hoc sensu cõposito, licèt motiuum Incarnationis fuerit abstrahens à remedio peccati, adhuc Deus non Incarnaretur, si Adam non peccasset, quia deesset medium necessariũ, nempe, permissio peccati. Quo autem mo- 364
do idem decretum Incarnationis independens à scientia conditionata peccati (siquidem maneret ea nõ existente in intellectu Diuino, supposita scientia conditionata peccati) sine sui variatione includat virtualem electionem permittendi peccatum, atq; adeò dependentiam quò ad executionem à peccato Adami; explicat Suarez exemplo eius, qui vouisset suas facultates optimo modo distribuere iuxta occurrentes necessitates, cui si occurrerent pauperes, teneretur ex vi voti facultates suas in illos distribuere; quia hic esset honestior modus tali suppositione facta. Si verò non occurrerent, teneretur in alios pios vsus distribuere. Sic Deus facta suppositione scientiæ conditionatæ peccati, ex vi sui decreti optimo modo Incarnandi, peccatum permittere tenebatur. Quòd si illud non permisisset, iam deesset illi medium necessarium ad exequendum suum propositum optimo modo Incarnandi, & ita non Incarnaretur, si Adam non peccasset. Si verò talis suppositio scientiæ conditionatæ peccati non fiat, tunc permissio peccati non est medium necessarium ad exequendam Incarnationem: & ita quamuis Adam non peccasset, adhuc Deus ex vi sui propositi Incarnaretur.

Nihilominùs hæc sententia M. Suarez multa cõtinet 365
falsa: etenim existente scientia cõditionata peccati Adæ antè omnem actum liberum Diuinæ volũtatis, si Deus intendit Incarnari optimo modo, vt docet Suarez, & hoc intendit independenter à tali scientia conditionata peccati, propter motiuum abstrahens à Redemptione, si simul nollet peccatum Adæ permittere, & ita de facto Adam non peccasset; ex vi talis Suppositionis, & cõpositionis actuum, hæc tria sequerentur. Primũ, quòd si Adam non peccasset, Deus Incarnaretur in carne passibili. Secundum, quòd non Incarnaretur in carne passibili. Tertium, quòd absolutè Incarnaretur in carne impassibili: quæ omnia manifestam inuoluunt repugnantiã, & ex concessis à M. Suarez euidenter deducuntur. Et primum probatur: quia si stante scientia conditionata peccati Adæ, Deus liberè decreuit optimo modo Incarnari, cùm Deus illa stante videret clarissimè, optimum modum Incarnandi esse, in carne passibili Incarnari; ad minus eo actu efficaciter, tametsi implicitè, voluit Deus Incarnari in carne passibili: ergo ex vi huius actus Incarnaretur in carne passibili, quamuis Adam non peccasset: quia actus efficax Dei frustrari nõ potest. Secundum probatur. Si Deus stante decreto optimo modo Incarnandi, & posita scientia conditionata peccati Adæ, nollet illud actu permittere, certè illud non foret. Si autem Adam non peccasset, natura humana incorruptibilis maneret: ergo nõ Incarnaretur Deus in carne passibili: quia hæc passibilitas solùm est volita

à Deo

Digitized by Google

à Deo propter motiuum Redemptionis: ergo si Adam non peccasset, non Incarnaretur Deus in carne passibili. Tertium probatur: quia posita scientia conditionata peccati, quamuis Deus nollet permittere peccatũ Adæ, & ita illud de facto non sequeretur, adhuc Deus haberet sufficiens motiuum ad Incarnandum, ab ipso efficaciter intentum, ex vi cuius Incarnaretur, etiam si talis scientia in Deo non esset. Ergo huiusmodi intentio efficax Incarnandi non impediretur, tametsi Deus posita scientia conditionali peccati Adæ, siue per possibile, vel impossibile, nollet peccatum permittere; atq; adeò ex vi talis actus naturam humanam assumeret, & non ad eam redimendam; quare assumeret illam immortalem, vt esset de facto. Vnde licet Suarez loco citato rectè probauerit, decretum optimo modo Incarnandi, supposita scientia conditionata peccati Adæ ante omnem actum liberum suæ voluntatis, repugnantiam habere cum actu, quo Deus peccatũ permittere nollet tali scientia supposita: non tamen probauit, hac impossibili suppositione admissa, vt admittitur, cùm supponimus in sensu composito cum scientia conditionata peccati, quòd Adam non peccasset, quòd, inquam, absolutè sequatur, Deum in hoc sensu composito non Incarnandum, quia ad hunc sensum compositum admittendum supponenda est in Deo quædam compositio actuum sibi omninò repugnãtium: quorum altero vellet Deus perfectissimo modo Incarnari, etiam supposita scientia conditionata peccati; altero verò nollet permittere peccatum, quod videbatur futurum ex suppositione; qua impossibili suppositione, & compositione actuum facta, cùm actus efficax Incarnandi à remedio contra peccatum independens omninò non auferatur, quamuis peccatum non esset, quia Deus illud permittere nollet, adhuc Deus Incarnaretur ex vi sui decreti, quod ablatum non fuisse supponimus.

366 Dices, quòd in tali casu, & sensu cõposito ex voluntate efficaci non permittendi peccatum, auferretur voluntas efficax Incarnandi, atq; adeò tolleretur etiam decretum creandi mundum, Adamum, Angelos &c. Quæ omnia propter Christum, & dependenter ab illo creata sunt. Sed contra est: quia si posita scientia conditionata peccati, & voluntate efficaci optimo modo Incarnandi Deus creare mundum non posset, neq; Adamum, nisi ille esset peccaturus; cùm in Deo nunquam possit deficere aliqua scientia, qua sciret Adamum peccaturum in aliqua ex infinitis circumstantijs, sub quibus vidit Deus ante omnem actum suæ voluntatis se illum potuisse creare, nunquam dabitur casus, in quo actus Diuinus optimo modo Incarnãdi non supponat scientiam aliquam peccati cõditionatam: ergo nullus casus erit possibilis, in quo Deus ex vi huius actus optimo modo Incarnandi, Incarnaretur in carne impassibili: quod est manifestè contra M. Suarez. Etenim licet sciret Deus, Adamum non esse peccaturum positis his auxilijs, quæ de facto sunt posita, & tali tentatione permissa, adhuc vidit Deus, positis minoribus auxilijs, & maiori tentatione esse peccaturum in aliquo casu. Quare ex vi sui propositi optimo modo Incarnandi, teneretur Deus Adamum creare in alijs circunstantijs, & minora auxilia illi tribuere, & vehementiorem illi tentationem permittere, vt sic propositum efficax optimo modo Incarnandi exequeretur. Non enim priùs naturâ decreuit Deus Adamum in his circunstantijs creare, & hæc illi auxilia tribuere, quàm decerneret perfectissimo modo Incarnari; sed è contra se res habuit secundùm sententiã Suarez: ergo cùm in Deo necessaria sit aliqua scientia peccati Adæ in aliqua ex infinitis suppositionibus, quæ à Deo ante decretum Incarnationis præcognitæ sunt; nunquam erit casus possibilis, in quo Deus optimo modo Incarnari decreuerit, & peccatum Adæ ad exequendam optimo modo Incarnationem permittere non statuerit. Ex his patet, quàm violenta sit ea Patrum expositio, qua M. Suarez iuxta hanc suam sententiam interpretari conatur eos Patres, qui absolutè asserunt, Christum non venturum, si Adam non peccasset: 366
non enim illi asserunt, ex hac suppositione sequi, Christum esse venturum, & non venturum, sed absolutè, & constanter affirmant, illum non venturum; quod sine dubio repugnat sententiæ Suarez. Exemplum autem, quo vtitur ad explicandam suam sententiam iam supra Parag. 15. ex parte contra illum retorsimus. Ex suppositis his, quæ hîc docet sectio. 5. in illa eadem incidit incommoda, quæ nobis obijcit sectio. 3. Etenim posita scientia conditionata peccati, quam ipse constituit in Deo, si ante vllam scientiam visionis peccati Adæ liberè Deus voluit non solùm Incarnari, sed optimo modo Incarnari, ita vt nollet Incarnari nisi optimo modo: liberè etiam voluit ante vllum peccatum præuisum Incarnari in carne passibili. Et cùm caro passibilis non sit volita à Deo nisi propter motiuum Redemptionis, certè ante sciẽtiam visionis peccati liberè etiam Deus intendit Redemptionem nostram, quod tantopere Suarez veretur concedere. Neq; refert dicere, id quidem non esse volitum à Deo explicitè, sed tantùm implicitè, & virtualiter; primò, quia licèt id virtualiter voluerit, apertè tamen & explicitè cognoscebat, quòd id efficaciter vellet. Secundò, quia si inordinatum non est, Deum implicitè velle Incarnationem in carne passibili ad redimendos homines ante scientiam visionis peccati, neque etiam inordinatum erit id explicitè velle: si enim amor medij, qui in amore efficaci finis implicitè continetur, non est illicitus; neq; etiam erit illicitus explicitus eiusdem medij amor. Sed his missis ad argumenta quæ pro sententia contraria proposita sunt Parag. 18. Respondendum est.

Primum argumentum petit, An Deus cognoscat huiusmodi futura conditionata. Quidam Theologi negant, alij autem affirmant: & ex his quidam asserunt, 367
conditionalia vera ex merito terminorum, & ex vi illationis cognosci certò & infallibiliter à Deo per scientiam simplicis intelligentiæ, sicuti & essentias rerum, & alias propositiones necessarias, quæ in sua veritate non includunt existentiam. Huiusmodi sunt conditionales, quæ sunt formales illationes, & bonæ cõsequentiæ, vt hæc, si Deus cõderet alium solem, haberet aliam lucem, & illuminaret Diaphanum: si essent plures homines, essent plura peccata, quàm modò sunt. Illa verò conditionata, quæ sunt vera ex determinatione Diuinæ voluntatis, nempe, quia Diuina voluntas decreuit, vt forent, si talis poneretur conditio, qualis est conuersio Tyriorum, & Sydoniorum, si illis prædicatum fuisset Euangelium, & alia huiusmodi, de quibus Deus statuit esse futura, positis talibus conditionibus, hæc, inquam, conditionata cognosci aiunt à Deo per scientiam visionis,

visionis, non qua videat talia condicionata extra suas causas, aut extra genus rerum possibilium, sed qua videat voluntatem suam de talibus conditionatis determinantem. Vnde scientia visionis secundùm istos non est, quæ terminatur ad rem existentem in aliqua temporis differentia, sed quæ respicit rem, vel existentem, vel Respondentem liberæ determinationi Dei, quæ verè ponitur in re, & verè terminat scientiam visionis: Deus enim verè intuetur suæ voluntatis determinationem circa hæc futura conditionata. Alij dicunt, hæc conditionata partim pertinere ad scientiam simplicis intelligentiæ, nempe, ratione conditionatorum, quæ nunquam erunt, sed remanent solùm intra genus rei possibilis; partim verò ad scientiam visionis spectare, quatenùs ex determinatione Dei certò cognoscuntur.

368 Nihilominùs pro decisione veritatis dico primò, non omnia futura conditionata cognosci à Deo infallibiliter, & certò cum omnibus suis circunstantijs in particulari, vt sunt ea, quæ ex vi conditionum non sequuntur infallibiliter. Probatur primò, quia Deus illa futura contingentia certò, & infallibiliter cognoscit, quæ secundùm esse actuale reale sunt æternitati Diuinæ præsentia; sed futura conditionata nunquam erunt præsentia in æternitate: ergo nequeunt certò & infallibiliter cognosci à Deo. Maior est certa in doctrina D. Thomæ, & minor est per se nota. Secundò. Futura cõditionata non habent veritatem infallibilem, & determinatam: ergo nequeunt à Deo infallibiliter cognosci. Consequentia patet, quia obiectum cognitionis infallibilis debet esse veritatis infallibilis. Antecedens autem probatur; quia veritas conditionalis illatiuæ consistit in illatione, & bonitate consequentiæ, vt cùm dicitur, si Petrus currit, mouetur: sensus est, ex hoc quòd currit, bene sequitur, quòd moueatur: vnde ad veritatem illius requiritur, quòd sit bona consequentia, & antecedens non possit esse verum sine consequenti: ex quo fit, vt omnis conditionalis vera, sit necessaria, falsa verò, impossibilis: sed in multis propositionibus de futuro conditionato non est huiusmodi necessaria connexio inter antecedens, & consequens: ergo licet Deus cognoscat consequentiam esse malam, & propositionem impossibilem, non tamen cognoscet determinatè veritatem consequentis ex positione antecedentis.

369 Ad hanc rationem solent aduersarij Respondere, primò, huiusmodi conditionales non esse sumendas in vi conditionalium hypotheticarum, sed in vi Cathegoricarum, vt si dicamus. Si Petrus esset Rex, occideret. Hæc propositio sumitur in vi istius, Petrus constitutus Rex occidet. Secundò Respondent, non esse sumendas tales propositiones in vi conditionalium illatiuarum, sed promissiuarum; ad quarum veritatem non requiritur bonitas consequentiæ, sed quòd posita conditione impleatur promissum.

370 Cæterùm: neutra harum solutionum Satisfacit. Et prima quidem est insufficiens, quia tales conditionales constant ex duabus Cathegoricis, & non sunt disiunctiuæ, neque copulatiuæ: ergo sunt hypotheticæ conditionales, ac proindè de illis, vt sic iudicandum est, An sint veræ, vel falsæ. Secundò, si vt cõditionales nõ sunt veræ iuxta hanc solutionem, ergo vt sic non sciuntur à Deo. Tertiò, quia etiam si sumantur in vi Cathegoricarum, sunt affirmatiuæ de termino non supponente: ergo vt sic sunt falsæ, & non sciuntur à Deo. V.G. Si Petrus esset Rex, occideret: hæc propositio debet iudicari per istam, Petrus constitutus Rex occidet. Sed ista est falsa, quia subiectum nunquam supponet, ergo non scitur à Deo. Secunda solutio etiam nõ habet firmamentum, nam multæ huiusmodi propositiones non possunt habere neque speciem promissiuarũ. V.G. vt alias omittam, illa Matth. 11. *Si in Tyro, & Sydone &c.* Et 1. Regum. 23. Quòd si Dauid maneret apud Ceilam, traderetur, & Sap. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret &c.* Et illa Genes. 3. *Ne forte mittat manum, & comedat de ligno vitæ, & viuat.* Et tandem illa Deut. 32. *Iras inimicorum distuli, ne forte superbirent hostes eorum.* Omnes istæ significant futura libera cõditionata, & tamen ibi nihil prorsus promittit, aut minatur Deus: non enim promittit superbiam inimicorum, aut mutationem mentis in malum &c. Ergo nullo modo sumuntur in vi promissiuarum.

371 Secundò, quia in huiusmodi promissis non reperitur determinata veritas: ergo nõ cognoscũtur à Deo etiam in vi promissiuarum. Antecedens patet: quoniam ad veritatem promissiuæ requiritur, quòd posita conditione impleatur promissio: sed nunquam est ponenda talis conditio; ergo illæ propositiones in vi promissiuarum nunquam erunt falsæ, neque veræ.

372 Tertiò probatur principaliter. Deus non cognoscit certò futura conditionata, quæ dependent ex sua voluntate; ergo neque ea, quæ ex nostra libertate pẽdent. Antecedens probatur primò, quia aliàs Deus antecedenter ad omnem actum suæ voluntatis cognosceret certò futura absoluta, sed consequens est falsum: ergo. Sequella probatur: si Deus cognoscit, quid sit operatura sua voluntas in quocunque statu, & conditione ponatur: ergo scit quid sit volitura circa creationem, & prædestinationem hominum, & Angelorum antè omnem actum suæ prædestinationis: non enim prædestinatio est ratio, ob quã ista futura absoluta cognoscat. Minor autem probatur; nam cognitio futurorum absolutorum est cognitio visionis, & libera; ergo supponit actũ Diuinæ volũtatis: omnis enim cognitio visionis præsupponit volitionẽ creãdi rem visam. Secundò probatur idẽ antecedẽs. Hæc cognitio futurorũ in Deo est libera: ergo supponit actũ Diuinæ volũtatis. Antecedens patet, quia est actus Dei circa productionem creaturarum: erga quam Deus nihil operatur necessariò. Et probatur cõsequentia, quia in intellectu non reperitur formaliter libertas, sed per participationem à voluntate; ergo antè formalem libertatem voluntatis nullo modo erit libertas in actu intellectus Diuini.

373 Tertiò probatur idem antecedens, nam aliàs talis actus intellectus necessariò præcederet productionẽ Verbi; sed talem Verbi productionem solùm præcedit in Deo simplex intelligentia creaturarum: ergo. Probatur maior, nam cognitio Dei, quæ eius voluntatem non supponit, præcedit productionem Verbi, vt ostenditur 1. p. q. 34. Sed minor probatur, quia aliàs Verbum procederet ex tali cognitione futurorum conditionalium, & necessariò representaret illa; nam ideò procedit ex cognitione simplicis intelligentiæ creaturarum, & necessariò representat illas, vt possibiles, quia talis earum cognitio præsupponitur ad productionem Verbi; sed hoc est falsum: ergo.

374 Confirmatur. Verbum procedit ex cognitione Dei omninò necessaria,& nullo modo libera,aliàs Verbum procederet aliquo modo liberè;sed ista scientia futurorum conditionallum est aliquo modo libera : quia ex sententia aduersariorum potuit non esse in Deo, si voluntas creata in tall occasione posita aliud esset volitura ; ergo &c. Probatur autem consequentia rationis principalis, quia si conditionales respicientes Diulnam voluntatem non cognoscuntur à Deo , qui cognoscit omne verum, ideò est, quia illæ non sunt determinatè veræ: ergo multò minus propositiones de futuris conditionatis à nostra libertate pendentibus erunt determinatè veræ. Neque valet dicere, quòd quia Deus infinito excessu superat voluntatem creatam,ideò ex comprehensione illius cum tali excessu potest cognoscere futura conditionata illius, nõ verò pendentia à sua voluntate;quia nõ superat illam isto excessu infinito:nam quamtumuis sit infinitus excessus, quo talem voluntatem comprehendit, nequit de ea scire, quod non est determinatè verum: sed istæ conditionales non sunt determinatè veræ; ergo &c. Item iste excessus non facit, vt res meliùs cognoscantur ex parte obiecti : ergo non tribuit cognitionem huiusmodi futurorum,quam non tribuit sola cõprehensio Antecedens patet,nã aliàs Deus meliùs cognosceret creaturã , quã isto infinito excessu cõprehendit,quàm seipsum, quem nõ sic comprehẽdit.

375 Præterea, quia id dicitur cõprehendi, quod cognoscitur adæquatè,quantùm cognoscibile est; ergo ille infinitus excessus non tribuit maiorem cognitionem de voluntate creata,quàm sola comprehensio; nihil enim potest ex parte obiecti meliùs cognosci,quàm ipsum sit cognoscibile.Item ex tali comprehensione cum infinito excessu sublatis illis conditionibus nõ scit Deus certò,quid sit volitura voluntas creata, quia sine illis de se est indifferens;sed positis multis ex his cõditionibus adhùc manet indifferens ad talem effectum: ergo. Probatur minor in illa,si Petrus esset Rex,occideret: nam adhùc adepto Regno manet Petrus de se indifferens ad occidendum vel non occidendum.

376 Confirmatur ad hominem ; quia aduersarij tenent, quòd scire infallibiliter futurum , tollit libertatem ad volendũ oppositum.Ex quo sequitur, quòd si Deus antecedenter ad omnem actum suæ voluntatis scit, quid Petrus faceret in tali occasione, ex suppositione nõ potest velle,vt Petrus faciat oppositum : sed cõsequens est falsum : ergo. Probatur sequella,nam scit infallibiliter, quid debeat facere in tali occasione, sed cum tali scientia non stat libertas ad volendum,vt faciat oppositum: ergo.Minor autem probatur,nam illa suppositio,quòd Deus sciat,quid Petrus facere debeat , non pendet à Diuina voluntate,cùm antecedat omnem eius actum; ergo iuxta hãc sententiã dicẽdũ est, Deũ nõ habere libertatem ad volendũ,& nolẽdũ, quid Petrus facere debeat in tali occasione, cùm tamẽ secũdùm fidem certum sit, Deum semper esse liberum erga ea, quæ creaturarum productionem,& operationes concernunt.

377 Quartò. Futura tantùm possunt cognosci à Deo vel in seipsis, vt sunt præsentia æternitati , vel in suis causis determinatis:sed futura cõditionata neutro modo possunt certò à Deo cognosci :ergo nullo modo. Maior est D. Thom.1.p. q.14.art.13.& q.57. Sed minor probatur.In seipsis vt presentia ęternitati cognosci nõ possunt,cùm nũquã sint habitura esse , neque in suis causis determinatis , quia nullæ causæ cõditionales sufficieter determinatæ ad hominis occisionem representãtur per hãc cõditionalẽ,si Petrus esset Rex, occideret:ergo. Dicũt aliqui,talia futura posse cognosci in seipsis propter præsentiã cõditionalẽ,quã habẽt ad æternitatẽ, quia sicut futura absoluta absolutè sunt illi præsentia , ita futura cõditionata sunt illi præsentia,quia habẽt existẽtiã cõditionalẽ. Dicũt secũdò,posse cognosci in suis causis determinatis conditionaliter;quia Deus habuit vnã generalem prædefinitionem, qua prædeterminauit , quid esset volitura quælibet voluntas,in quacumque occasione constitueretur.

378 Sed hæc friuola sunt,& primũ reijcitur, quia conditionalis præsentia Antichristi ad speciẽ, vel cognitionẽ Angeli , nõ sufficit vt certò cognoscatur ab Angelo per cognitionẽ naturalẽ,cũ cõditionalis nihil ponat in esse: ergo similis præsentia ad æternitatẽ nõ sufficit,vt cognoscantur hæ futura à Deo. Itẽ quia aliàs eorũ cognitio pertineret ad sciẽtiã visionis, cùm exigat aliqualem præsentiã in æternitate.Secũdũ etiã refutatur, quia ille actus generalis prædeterminationis nũ pertinet ad creationẽ,gubernationẽ,vel prouidẽtiã creaturarũ,cùm nũquã sit habiturus effectum : ergo de facto nõ est in Deo cũstituendus.Itẽ quia ille actus nõ est naturalis in Deo, cùm sit circa productionem creaturarum, neque liber, aliàs hęc scientia nõ conueniret naturaliter Deo, quod est contra aduersariorum sententiam,nam dependet ab hac prædeterminatione,quæ est libera:ergo &c.

379 Dico secũdò, Deũ certò, & infallibiliter cognoscere futura conditionata, quæ necessariò & infallibiliter sequũtur ex cõditione proposita;quæ verò tãtùm probabiliter inferũtur,aut nullo modo cõnectũtur cũ tali cõditione , nõ cognosci à Deo infallibiliter & certò ex vi illius conditionis. Prima pars de his, quæ necessariò sequũtur,probatur;quia istæ cõditionales sunt necessarię veritatis;Si Petrus currit,mouetur,Si disputat,loquitur, Si stuppa poneretur in quarto cœlo iuxta Solẽ,cõbureretur ab illo : Si Iudas decessisset in gratia , obtinuisset gloriã:ergo cognoscuntur à Deo, qui cognoscit omne verũ.Antecedẽs patet,quia illi euẽtus cõditionati necessarij habẽt necessariã habitudinẽ , & cõnexionẽ siue ex natura rei,siue ex lege Dei cũ suis causis. Item in causis sufficiẽter determinatis ad effectũ possunt futura certò cognosci,vt ostẽditur.1.p.q.14.art.13 Sed causæ necessariæ sunt maximè determinatæ ad suos effectus,in quacũque occasione ponãtur:ergo ex illarũ cognitione possunt certò cognosci earũ effectus futuri conditionati.

380 Secũda pars procedit de illis effectibus, qui liberè sequũtur, sed infallibiliter ad determinationẽ suarũ causarũ; vt quòd actus à Deo efficaciter prædefiniti eliciãtur,quòd homo cõuertatur cũ efficaci auxilio Dei,quòd sine gratia homo in natura corrupta diu nõ seruet mãdata,quòd prædestinatus moriatur in gratia, quòd homo cõtritus iustificetur.In his ergo,& alijs similibus asserimus, quòd talia futura conditionata, tametsi liberè sequantur ad determinationem suarum causarum;quia tamen sequuntur infallibiliter,cognoscuntur infallibiliter à Deo. Et probatur. Ad bonitatem consequentiæ in conditionatis sat est , quòd inter antecedens & consequens sit connexio infallibilis, quamuis liberè cõnectantur; ergo istæ cõditionales,si Iudas haberet contritionem,

Digitized by Google

contritionem, iustificaretur; si Pharao habuisset auxilium efficax ad conuersionem, conuerteretur, & aliæ id genus, in quibus consequent liberè, sed infallibiliter coniungitur cum antecedenti, erunt veræ, quia earum veritas consistit in bonitate consequentiæ, & ex consequenti erunt scitæ à Deo, qui omne verum cognoscit. Præterea. Deus certò cognoscit omnia futura contingentia absoluta in determinatione suæ voluntatis, & omnium aliarum causarum vsque ad actualem productionem ipsius effectus; sed huiusmodi determinatio causat infallibilitatem effectus, salua causarum libertate, vt ostenditur. c.p.q. 14. & 19. Ergo similiter cognoscit Deus, quòd si ipse determinasset voluntatem Iudæ ad contritionem in fine vitæ, moreretur in gratia.

381 Tertia pars, nempe, quòd Deus certò non cognoscat illa futura conditionata, quæ ex vi conditionum non sequuntur infallibiliter, patet, quia D.Thom. 1.p. q. 14. art. 13. & q. 16 de Malo art. 3. docet, in causis indeterminatis nullum futurum absolutum posse certò cognosci, quia in illis non habent entitatem, & veritatem determinatam: ergo multò minùs futura conditionata possunt certò cognosci in talibus causis indeterminatis. Sed esse Regem, V.G. non est causa determinata, vt Petrus occidat; ergo ex vi illius causæ & conditionis, si Petrus esset Rex, nō cognoscit Deus, quòd occidet. Hæc denique pars probatur omnibus argumentis factis pro primo dicto, quod de istis futuris conditionatis intelligitur, & non de alijs.

382 Dico tertiò, futura conditionata, quę aliquo modo, non tamen infallibiliter, connectuntur cum conditione posita, ex vi illius cōditionis cognosci à Deo probabiliter tantùm, & secundùm efficaciam, & inclinationem conditionis positæ, certò tamen cognosci in ratione possibilium. Hæc secunda pars est manifesta, nam sine tali conditione cognoscebantur à Deo in ratione possibilium, & conditio nō tollit rationem possibilis. Prima pars intelligitur de cognitione nō ex parte Dei cognoscentis, qui omnia certò, & infallibiliter cognoscit, sed ex parte obiecti cogniti, & asserit talia futura duntaxat esse capacia probabilis cognitionis. Et probatur, quia huiusmodi futura cū talibus cōditionibus solùm habent connexionem probabilem, & non infallibilem: ergo ex vi illarum poterūt cognosci probabiliter, & non infallibiliter. Dixi ex vi talium conditionum; nam eadem futura conditionata posset Deus certò cognoscere ex vi aliarum conditionum, ad quas infallibiliter sequerentur talia futura. V. G. Pœnitentiam Tyriorum, quam Deus probabiliter cognouit ex vi prædicationis exterioris, cognosceret infallibiliter ex vi auxilij efficacis, & prædeterminationis, si ipse ad illam Tyrios efficaciter prædeterminaret.

383 Sed obijcitur cōtra superiùs dicta. Deus nō cognoscit certò futura, nisi sint præsentia suæ æternitati secūdùm esse quod habitura sunt in seipsis, vel secūdùm esse quod iā habēt in suis causis determinatis; sed futura conditionata nequeunt esse præsentia æternitati; cùm non habeāt esse in seipsis secundùm aliquā tēporis differentiā, neq; in suis causis determinatis, quia nullas habent determinatas; ergo nō possunt certò cognosci. Respōdetur, nō esse necessariū, quòd futura conditionata sint Deo in sua æternitate præsentia, neq; quòd in aliquibus causis cōtineantur vt determinatè futura. Nihilominùs illa, quæ necessariā habēt habitudinē, & connexionē, siue ex natura rei, siue ex lege Dei cū suis causis, quamuis re ipsa nūquā futura sint, possunt tamē certò cognosci propter necessariā cōnexionē, quā habēt cū suis causis. Exempli gratia: si homo ascenderet ad Spherā ignis, calefieret ab illo: si Pharao haberet auxiliū efficax, cōuerteretur. Isti effectus nūquā erūt, quia illæ causæ nūquā ponetur. Sed quia ex illis causis positis necessariò habēt sequi tales effectus; ideò in illis causis possunt certò & infallibiliter cognosci tales effectus, tametsi re ipsa nūquā sint futuri. Effectus verò pēdentes à causa omninò libera, & cōtingenti, & qui nūquā futuri sunt, cognoscit Deus in prædeterminatione suæ volūtatis, quatenùs illos prædeterminauit, non vt sint, sed vt essent, si tales causæ, & cōditiones apponerentur. Etenim si Adam non peccasset, nō est dubiū, quin determinatū, ac decretū penes se Deus habuisset ab æterno, quid nā esset dispositurus circa Verbi Incarnationē. Et perfectissimè scit, quid tunc foret, ad alibi, quàm in prædefinitione suæ voluntatis, qua statuit, & decreuit, quid tūc fieret, si tales conditiones apponerentur.

Vnde nostro intelligēdi modo Deus ab æterno definiuit, ac determinauit, quòd si talis apponeretur conditio, sequeretur talis effectus, & quòd si hoc fuerit, illud erit, & illud, si illud. Sin aliter, erit illud aliud: & sic infinitas rerū cōbinationes nō futuras, sed possibiles, & cōditionatas Deus per scientiā simplicis intelligentiæ cognouit, & similiter cōprehēdit omnē ordinē, & proportionē, quæ inter quascumque creaturas potest reperiri: ac proindè cognouit illū ordinē, quo inter se cōiūgebātur prædicatio Christi, & cōuersio Tyriorū. Et quāuis Deus nō decreuerit, ac prædefinierit, vt tales ponerētur causę, & cōditiones, prædeterminauit tamē, vt essent talia cōditionata futura, si quouis modo possibili tales conditiones ponerētur. Vnde futura cōditionata partim pertinēt ad simplicē intelligētiā ratione cōditionatorum, quæ nunquam erunt, sed solum remanent intra genus possibilium, partim verò ad scientiam visionis, quatenùs ex prædeterminatione Dei cognoscuntur. 384

Hæc solutio probabilis est, sed multis patet calūnijs, quas non vacat in præsenti Adamussim explicare. Ideò alij Respōdēt, Deū cognoscere huiusmodi cōditionata futura in sua essentia cognita vt obiecto primario, ante omnē determinationē explicitā & expressam suę volūtatis. Itaque Deus cōprehendendo seipsum, & suā essentiā totaliter, cōprehendit etiā suū intellectū, voluntatem, & omnem actū illius, & Verbum Diuinum, Processiones, & omnia quæ sunt in Deo, & cum Diuina essentia identificantur, & similiter cōprehendit per scientiam naturalem liberum arbitrium creatum, & certò scit ante omnem determinationem voluntatis Diuinæ explicitam, quid tale liberum arbitrium sit facturū pro sua libertate ex hypothesi, & conditione, quòd illud creet, & constituat in tali ordine rerū. Sed de his aliàs. 385

Secundò obijcitur. Omnis propositio conditionalis vera, est necessaria, vt affirmāt Dialectici; ergo illa propositio, Si Dauid mansisset apud Ceilitanos, erat ab illis tradendus: si certò, ac determinatè est vera, debet esse necessaria; sed non est necessaria, vt cōstat, sed cōtingēs; ergo neque est determinatè vera. Probatur hæc consequentia, nam cùm dico, si essem Romæ, obtinerem beneficium, vt hæc cōditionalis sit vera, debet ex vi huius, 386

quod est me esse Romæ, sequi necessariò necessitate consequentiæ obtentio beneficij, si enim fieri potest, vt ego sim Romæ, & illud non obtineam, iam conditionalis non erit omninò vera, & infallibilis, nisi morali quadã, & coniecturali certitudine. Sed posito quòd Dauid maneret apud Ceilam, non erat certum, quòd esset tradendus, & nulla erat necessitas siue cõsequentiæ, siue consequentis, ex eo quòd ibi maneret, quòd Ceilitani eum traderent; sed quædam probabilitas attentis circunstantijs: ergo non erat determinatè verum, & ex cõsequenti neque Deus id determinatè cognouit, quòd Dauid ibi manens esset tradendus.

387 Respondetur, nõ esse vniuersaliter verum, quòd omnis propositio conditionalis vera, sit necessaria; nam sunt quædam conditionales illatiuæ, vt si Petrus currit, mouetur, si disputat, loquitur, & istæ sunt necessariæ propter necessariam habitudinem antecedentis ad cõsequens; quoniam in illis non potest poni antecedens, quin ex vi ipsius sequatur consequens. Aliæ sunt veræ, sed contingentes, cuiusmodi sunt promissiuæ, vt si viceris, dabo tibi librum &c. Ad quas redeuntur alię innumeræ, vt, si essem Romæ, obtinerem beneficium. Si Rex pugnasset, vinceret: si Dauid mansisset apud Ceilam, traderetur Sauli. Si Christus prædicares Tyrijs, illi conuerterentur omnes istæ non sunt necessariæ, siquidem ex vi illarum conditionum, siue antecedentium, non habebat sequi consequens. Et posses esse, vt posito antecedenti non poneretur consequens. Nihilominùs tamen fieri potest, vt istæ propositiones sint verę, si de facto ita esse debet, vt posita conditione ponatur illud aliud. Sed quia ignoramus, An ita sit de facto futurum, ideò nescimus, an sint veræ, nam cùm non sit necessaria habitudo antecedentis ad consequens, non poterit nobis aliundè constare, an ita sit, quòd posita conditione ponetur consequens, ac proinde nec poterit innotescere, an illæ propositiones sint veræ, quod Soli Deo est manifestum; Deus enim scit, si Christus prædicaret Tyrijs, illos fore conuertendos.

388 Tertiò obijcitur. Nihil est certò scibile, nisi quod determinatam habet rationem entis, aut in se, aut in suis causis; sed futura conditionata, neq; habent esse in seipsis, vt constat, neque in suis causis, cùm nullas habeant determinatas suæ productionis: ergo à nullo intellectu possunt certò cognosci. Respondetur concessa maiori, & minori negando consequentiam, quia licèt non habeant esse in seipsis, aut in suis causis extra Deum, habent tamen esse representabile, quatenùs in Diuina essentia representantur. Itaque quamuis futura conditionata non sint entia, quæ extra Deum existant, aut aliquando existere debeant in rerum natura, non tamen sunt omninò expertia entis rationis. Vnde cognoscuntur à Deo, non quidem vt habentia esse productum, & determinatũ, sed eo modo, quo habent esse: habent autem esse possibile, & conditionatũ, quod nihil est aliud, quàm ratio æterna, & idealis, in qua omnia possibilia relucent, & illa cõditionata representãtur, quia propiùs accedũt ad esse, quàm possibilia. Legẽdus est D. Thom. 1.p.q.15.art.3. vbi docet, Deũ nõ habere ideã practicã, & exẽplarẽ rerũ possibiliũ, aut nunquã futurarũ, habere tamen ideam, secũdùm quòd idea significat rationem: hoc est, habere ideã speculatiuã, quæ est ipsi Deo ratio cognoscendi omnia possibilia, & omnia conditionata.

Ex dictis cõstat, quid sit dicẽdũ ad primũ argumẽtũ 389
aduersariorũ, est enim cõcedẽdũ antecedẽs, nempe, Deũ cognoscere futura conditionata, sed negatur, quòd illa cognoscat per sciẽtiã mediã, sed ea cognoscit per suam sciẽtiam naturalem comprehensiuam totius representationis Diuinæ essentiæ, quæ cognita vt obiectũ primarium est ratio certa, ac rata cognoscendi omnia, quæ in ea eminenter continentur, siue sint possibilia, siue futura conditionata, siue absoluta.

Aliqui recentiores docẽt, Deũ cognoscere futura cõ- 390
ditionata sua infinita virtute intelligẽdi, penetrãdo immediatè veritatẽ, quæ in ipsis est, seu cõcipi potest, neq; indigere aliquo alio medio, vt illa cognoscat. Ratio est, quia ex parte Dei, & principij cognoscẽdi non oportet quærere aliũ modũ, vel rationẽ cognoscẽdi, quã ipsum lumẽ infinitũ Dei, & perfectionẽ, ac æternitatẽ scientiæ ipsius, ex vi cuius apprehẽsa quacũq; re, seu quacunque cõplexione rerũ à nobis enũtiabili, naturaliter ex luminis efficacia indicat, quid veritatis sit in quacũq; re, siue in vnoquoq; obiecto cognoscibili: siue illud sit realiter futurũ in aliqua tẽporis differẽtia, siue esset futurũ possibiliter, & conditionatè, si Deus voluisset creare illud. Itẽ ex parte obiecti, seu rei cognoscẽdæ nõ est necessariũ, vt aliquod mediũ intercedat, quia ipsa veritas in se, & sine alio medio videtur à Deo, cùm nullũ mediũ habeat, & vnũquodq; cognoscitur à Deo, sicuti est, neque etiã requirit entitatẽ aliquã realem, præter eã, quã habet obiectiuè in intellectu Diuino, quia nõ cõcurrit ad eã cognitionẽ, vt principiũ illius, sed merè terminãdo, ad quod nõ requiritur actualis existẽtia, si aliàs in cognoscente sit sufficiens virtus, & principium talis cognitionis. Hæc solutio est etiam probabilis, quamuis multas ac graues patiatur calumnias, & difficultates: quæ modo examinari non possunt.

Ad primã cõfirmationẽ negatur antecedens, iã enim 391
ostensum est, futurũ cõditionatũ, solũ habere esse possibile, & remanere in potẽtia suæ causæ, atque adeò non esse mediũ inter absolutè futurũ, & possibiliter futurũ.

Ad secundam confirmationem Respondetur, huiusmodi futura conditionata habere specialem rationem scibilis, & pertinere ad specialem scientiã, non quidem mediam, sed ad scientiam simplicis intelligentię.

Ad secũdũ cõcesso antecedenti negatur cõsequentia, 392
quia ad cognoscendũ quid futurũ, aut non futurũ sit ex hypothesi, quòd Deus hoc, vel illud auxiliũ cõferat, aut isto, vel illo modo res disponat, nõ est necessaria scientia media, sed sufficit sciẽtia naturalis Dei cõprehensiua suæ essentiæ, & omniũ quæ in ea eminẽter cõtinẽtur: & ex vi huius infinitæ cõprehensionis cõprehẽdit Deus liberũ arbitriũ creatũ per scientiã naturalẽ, & certò cognoscit, quid tale liberũ arbitriũ pro sua libertate sit facturũ ex hypothesi, & cõditione, quòd illud creet, & cõstituat in tali rerũ ordine. Vnde ex eo quòd Deus suã essentiã cõprehẽdit, & cũcta, quæ in eo eminẽter cõtinẽtur, cognoscit per sciẽtiã naturalẽ futura conditionata, quia in essentia Dei cõtinetur, & representatur cõditionata eorũ veritas: ad quã cognoscẽdã extẽdit se scientia Dei ex vi suæ æternitatis, quoniã illud immutabile iudiciũ Dei est tale, vt nõ solùm attingat, quidquid futurũ est in aliqua tẽporis differẽtia realiter futura, verùm etiã quidquid futurũ esset in quacũq; differẽtia tẽporis possibili, si Deus illud creare voluisset: ac proindè licèt futurũ conditionatum

Digitized by Google

conditionatum nunquam sit habiturum esse, nihilominus eius veritas cognoscitur per conformitatem, & comparationem ad ipsum futurum, prout in tali tempore, & modo existet sub conditione; & propositio conditionata est vera per habitudinem, & conformitatem ad ipsum futurum sub existentia apprehensum cum conditione. Et Diuinus intuitus ratione suæ infinitatis poterit extendi ad videndū, quid tali rei cōiungeretur, aut quid ab illa prodiret, si tali modo constitueretur.

Ad confirmationem patet Responsio ex dictis: iam enim ostensum est, qualiter Deus cognoscat futura contingentia, vnde negatur vltima consequentia.

393 Ad tertium concedendum est antecedens, videlicet, Deum per suam scientiam naturalem comprehendere se, & suam essentiam, & in ipsa omnia repræsentabilia, siue sint futura, siue tantùm possibilia. Et cùm infertur; ergo ante omnem determinationem liberam suæ voluntatis ex altitudine suæ scientiæ penetrat, quid sit facturum liberum arbitrium &c. Resp. Quòd hæc non penetrat in ipso libero arbitrio creato, cùm in seipso sit causa indifferens antecedēter ad sui determinationem, sed penetrat illud in ipsa Diuina essentia, in qua repræsentantur omnes veritates, possibiles, & futuræ, & similiter in ea repræsentatur, quid sit volitura Diuina volūtas. Et quia omne futurum in eâdem Diuina essentia continetur, in eadem etiam repræsentatur id, ad quod se determinauit Diuina voluntas. Atque adeò non est necessaria scientia media, ad hæc omnia cognoscenda.

394 Testimonium autem D. Augustini non facit huic sententiæ, quia solùm docet Augustinus, Deum infallibiliter, & certò cognoscere huiusmodi conditionata, quod etiā docent Anselmus Laudunensis, author Glossæ Interlinearis, super illum locum Matth. 11. "Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida &c." Et D. Remigius in eundem locum, D. Thomas in Cathena, & Abulensis super 1. Reg cap. 23. q. 13. & super Matthæum cap. 11. q. 52. Cæterùm neque ex Augustino, neque ex alio authore graui colligitur, ad huiusmodi cognitionem requiri scientiam mediam, sed sufficere scientiam naturalem. Sed de his satis, ne extra chorum saltare videamur. Sic tertia conclusio.

Tertia Conclusio. §. XXIII.

395 PRædestinatio Christi, siue decretum Incarnationis fuit depēdens à scientia visionis peccati. Hæc assertio est communis Sanctorum Patrum, & Theologorum consensus, qui omnes vnanimiter affirmant, Deum Incarnationem in carne passibili minimè intendisse, nisi post permissum, & præuisum peccatum Adæ scientia visionis, sed supra Paragrapho ostensum est, Incarnationem non fuisse à Deo decretam, nisi in carne passibili: ergo decretum Incarnationis fuit depēdens à scientia visionis peccati. Probatur cōclusio. Qui vult aliquod obiectum, vult etiam quidquid cum illo habet necessariam cōnexionem, seu habitudinem, saltem virtualiter, si illud non supponatur vt actu existens, atque præuisum: ergo actuale remedium peccati per Christi mortem nequit esse actualiter prædefinitum, & volitum à Deo, nisi ex suppositione peccati futuri, & ex absoluta præscientia eius, quæ permissionem supponit. Antecedens probatur: quia si Deus antè præscientiam peccati D. Petri, absoluta & efficaci voluntate vellet, vt de trina negatione eum pœniteret, implicitè vellet talem negationem. Et si absoluta voluntate antè præuisum peccatum Iudæ intenderet pœnam, quam modò patitur in inferno propter proditionem Christi, etiam implicitè vellet talem proditionem: ergo si Deus voluit absoluta voluntate Satisfactionem Christi pro peccato Adæ antè præuisionem peccati, implicitè voluit existentiā talis peccati. Et si voluntate efficaci voluit mortem Christi in pœnam peccati Adæ, implicitè etiam voluit culpam, cuius erat pœna, quia pœna, vt pœna, non est nisi propter culpam, & Satisfactio, vt Satisfactio propter offensam.

Secundò. Deus non voluit, neq; fecit mortē, vt constat ex Sancta Scriptura, Sapient. 1. sed solùm est introducta ex occasione peccati; ergo id multò magis credendum est de morte Christi, atque adeò mors Christi nō fuit per se intenta à Deo, sed occasione peccati, quod à Deo permissum est, vt sic per mortē Christi destrueretur. Confirmatur primò: quia ex Sacra Scriptura cōstat, Deum absoluta voluntate non prædefinisse passibilitatem, & mortem Adæ & posterorum eius, donec permisit, & præuidit scientia visionis peccatum Adæ; ergo neq; passibilitatem, & mortem Christi ante scientiam visionis peccati Adæ. Consequentia patet, & antecedens probatur: quia non propterea permisit Deus peccatum, quia voluit nos esse mortales; sed solùm, quia vidit nos in Adamo peccasse, voluit vt morte puniremur: ergo passibilitatem Christi non aliter prædefiniuit Deus. Hæc consequentia patet ex paritate rationis, imò à fortiori; quia si passibilitatem & mortem Christi ideò prædefiniuit Deus ante scientiam visionis, quia sciebat, quòd si Adamum tali modo crearet, & tentari permitteret, esset peccaturus, idem de morte nostra poterit dici; quia non minùs Christi mors fuit nostri peccati pœna, quàm mors nostra. 396

Secundò, quia ex D. Paulo ad Hebr. 2. Christus ordinatus est passibilis, ac mortalis, vt nobis assimilaretur, & misericors fieret: ergo sicut immortalitas Christi est exemplar nostræ immortalitatis, ita mortalitas nostra est exemplar mortalitatis Christi, atque adeò erit prior mortalitate, & Passione Christi. Sed mortalitas nostra non est volita efficaciter à Deo antè scientiam visionis peccati Adæ; ergo neque mortalitas Christi Domini. Tertiò: quia Passio & mors nō sunt per se amabiles, sed solùm vt mediū ad Redemptionem peccati; ergo cùm Passio secūdùm Scripturā sit mediū ad tollendum peccatū, & permissio peccati non fuerit medium electum propter Passionem & mortem Christi, necessariò efficitur, vt priùs Deus peccatū permittere voluerit, quàm Christi Passionem & mortem intendere. 397

Sed cōtra istā cōclusionē obijcitur primò. Permissio peccati fuit depēdēs secūdū D. Thomā ex intentione, & decreto Incarnationis; sed permissio peccati nō dependet, neque depēdere potest à scietia visionis peccati existētis extra causas suas: ergo de primo ad vltimū decretū Incarnationis secūdùm D. Thomā nō depēdet à scietia intuitiua peccati Adæ. Cōsequētia est firma, maior patet; quia Deus nō permisit peccatū Adæ, nisi vt inde tā magnum bonum eliceret, cuiusmodi est Incarnatio. Sed probatur minor. Peccatum, vt actu existens extra suas causas, intelligi non potest, quin sit permissum à Deo, sed prius est, Deum velle permittere peccatum, 398

Digitized by Google

quàm quòd sit peccatum: ergo illa permissio non dependet à scientia visionis peccati, sed potius è contra, peccatum dependet à permissione.

399 Confirmatur primò: quia eò ipso quòd supponatur peccatum in rerum natura existens, voluntas est iam actu determinata ad illud; ergo vt sic nulla ratione potest esse prius Diuina permissione. Patet consequentia; quia aliàs daretur peccatum non permissum à Deo. Confirmatur secundò. Res, dum est, necesse est, esse; ergo si iã peccatũ est, nõ datur ad illud vt sic permissio. Patet cõsequẽtia; quia permissio est indifferẽs ad id quod potest nõ esse; ergo permissio nequit dependere à scientia intuitiua ipsius peccati, cuius est permissio.

400 Pro solutione aduertendum est, quòd scientia visionis peccati præintelligitur antecedere voluntatem permittendi ipsum peccatum, saltem in genere causæ materialis, & in intentione, quia permissio debet esse alicuius permissio, & ex ipsa existentia peccati sumpta est ratio, seu occasio ad volendam talem peccati permissionem, nam cùm voluntas nequeat moueri nisi ex re cognita, & excitari intelligatur ad permittendum peccatum, ex eo quòd illud futurum est, necessariò debuit peccatum prius fuisse cognitum scientia visionis, quàm eius permissio fuerit volita. In exequutione verò prior est permissio peccati, quàm ipsum peccatum, quia non esset peccatum à parte rei, nisi esset permissum à Deo, atque adeò dependet peccatum ab ipsa permissione in genere causæ efficientis, tanquam à remouente prohibens: nam ex eo quòd Deus vult, & decernit subtrahere auxilium efficax, sequitur peccatum.

401 Ad argumentum ergo negatur minor, quia permissio in genere causæ materialis, & subiectiuæ præsupponit peccatum, vt subiectum, & materiam circa quam, & in quam debeat cadere permissio: etenim permissio debet præsupponere id, cuius debet esse permissio. In exequutione verò permissio peccati antecedit, & est prior ipso peccato. Atque adeò in intentione, & in genere causæ materialis permissio peccati depẽdet à scientia intuitiua ipsius peccati: quamuis in exequutione & in alio genere causæ dependeat peccatum à permissione.

402 Ad confirmationem Resp. in exequutione ita esse, secus verò in intentione. Vnde negatur consequentia, & ad eius probationem Resp. peccatum supponi permissioni, vt subiectum, & materia, cui ipsa permissio conueniat: & in illo priori non supponi, neque considerari peccatum actu existens, vt permissum, sed vt permittendum. Ad secundam confirmationem Respondetur, quod necessitas, quæ conuenit rei, dum est, non est simpliciter, sed ex suppositione, atque adeò non tollit indifferentiam intrinsecam, & ideo licet peccatum in genere causæ materialis præsupponatur, vt subiectũ permissionis, datur ad illud permissio, quia non supponitur, neque consideratur vt permissum, sed vt permittendum, non enim potest intelligi permissio, quin sit alicuius permissio.

403 Secundò obijcitur. Vt Deus Incarnationem intendit perfectissimo modo, quo illam intendere potest, non indiget scientia visionis peccati, sed perfectissimus modus Incarnationis Deo gloriosior, Christo honorificentior, & nobis vtilior est in carne passibili & modo Redemptionis, vt de facto Incarnationem Deus intendit; ergo huiusmodi decretum non pendet necessariò à scientia visionis peccati. Consequentia patet, & maior est euidens, quia nulla potest assignari ratio, propter quam Deus in primo actu libero, cognitis omnibus modis, quibus potest incarnari, non potuerit modum omnibus perfectissimum eligere, primus autem actus liber Dei à scientia visionis dependere non potest. Minor patet ex dictis in tota hac Disputatione, & probatur, quia peccatum tantum abest, vt impediuerit de facto gloriam Dei, honorem Christi, & vtilitatem nostram, vt potius occasionaliter hæc omnia auxerit, & propterea culpa Adami à D. Gregorio fœlix appellatur, aliàs quid esset in ea fœlicitatis?

Resp. Potuisse quidem Deum intendere Incarnationem sine scientia visionis peccati, sed de facto illam nõ intendisse nisi supposita scientia visionis peccati in genere causæ materialis, & subiectiuæ. Negamus autem quod primus actus liber Dei non dependeat à scientia visionis rei, quæ intenditur, tanquam à subiecto, & materia. Etenim eò ipso quòd intelligimus Deum velle communicare alicui suam gloriam, vel quidpiam aliud, in illa voluntate intrinsecè continetur, velle illud esse, vel formaliter, vel præsuppositiuè. Et sicut in prædestinatione, præscientia futuri subiecti semper præsupponitur prædestinationi, nam prædestinatio, sicuti & prouidentia est circa media, & ideo supponit finem, & consequenter ordinationem subiecti ad finem; atque adeò, existentiam subiecti, seu præscientiam illius: ita in eo decreto Incarnationis, quo Deus summo modo intendit se creaturis communicare, præsupponitur ordo naturæ in ratione subiecti, & materiæ, & similiter peccatum scientia visionis præcognitum, vt auferendum, & destruendum. 404

Tertiò. Prædestinatio, & reprobatio Angelorum est independens à præuisione peccati Adæ: sed prædestinatio Christi antecedit prædestinationem, & reprobationem Angelorum; ergo prædestinatio Christi non dependet à scientia intuitiua peccati Adæ. Maior est certa: quia ante scientiam visionis peccati Adæ, præuisus est Dæmon tentans illum. Minor probatur, quia secundùm D. Thom. infra q. 7. art. 9. Christo data est plenitudo gratiæ simpliciter, quia data est illi, vt vniuersali principio in genere habentium gratiam, vt eam ad alios transmitteret: sed Angeli sunt sub genere habentium gratiam; ergo Christus illam ad Angelos transmisit, atque adeò gratiam prædestinationis, quæ omnes gratias includit. Respondetur negando maiorem; imò in genere causæ materialis præsupponitur præscientia, & peccati Angeli, & peccati Adæ ad prædestinationem Angelorum. Cùm enim Angeli non sint prædestinati, nisi in Christo, & per Christum, & propter Christum, tanquam propter finem, & caput totius Angelicæ gentis: prædestinatio verò Christi præsupponat præscientiam peccati Adæ in genere causæ materialis, & similiter præuisionem peccati Angelici, quod etiam simpliciter modo causa peccati Adæ fuit, inducens, & suadens: constat apertè, prædestinationem Angeli præsupponere præscientiam peccati Adæ. 405

Quarta Conclusio. §. XXIIII.

DEcretum Incarnationis Christi, siue prædestinatio Christi in genere causæ finalis antecedit nostram prædestinationem, & præuisionem peccati, 406

Digitized by Google

ut præcogniti scíẽtia visionis sed in genere causæ materialis subsequitur. Prior cóclusionis pars probatur. Inter Christũ,& alios prædestinatos est ordo; in quo vnũ est propter aliud; sed quod est potissimũ in hoc ordine, est primum: ergo primò voluit Deus Christum prædestinatum, deinde alios propter Christum. Confirmatur ex Paulo ad Ephes. 1. ✱Elegit nos in ipso.✱ Id est, propter ipsum. Hanc partem probant omnia argumenta illorum, qui contendunt Verbum assumpturum carnem, etiam si Adam non peccasset. Legendus est M. Suarez Disp. 5. Sectio. conclusione. 1. & M. Mendoça loco citato. Quòd autem præcedat in hoc genere præui-
407 sionem peccati, probatur. Deus propter aliquem magnum finem permisit peccatũ originale; sed huius permissionis nullus alius finis potest assignari, nisi manifestatio diuinæ bonitatis, quæ in mysterio Incarnationis effecta est, ergo Incarnatio Christi præcessit in mente diuina in ratione causæ finalis: atque adeò priùs in genere finis præuisa fuit Christi Incarnatio, quàm fuerit præuisum peccatum. Maior patet ex illa regula Augustini, quòd Deus est adeò bonus, vt nullum permisisset peccatum, nisi ex illo intenderet elicere bonum: ergo non permisisset tan grande malum, quale fuit peccatum originis, nisi ex illo magnum bonum elicere intenderet. Minor probatur, quia, nullum bonum intendi potuit pertinens ad ordinariam Dei gubernationem, & prouidentiam, quoniam potiùs videbatur derogare peccatum originis ordinariæ prouidentiæ, quam Deus habet de rebus, quàm promouere illam. Etenim quod tota natura humana in omnibus suis indiuiduis deficeret à fine, in quem Deus ipsam destinauerat, non pertinet ad ordinariam Dei prouidentiam, quæ ex sua ratione exigit, vt licet aliqua indiuidua deficiant à fine, non tamen omnia: ergo præter bonum regularis prouidentiæ assignandum est aliquod altius bonum, propter quod Deus permisserit peccatum totius humanæ naturæ.

408 Posterior pars conclusionis, videlicet, quòd nostra prędestinatio sit prior in genere causæ materialis, probatur; quia nostra prædestinatio est quid imperfectius, & ex consequenti habet rationem materiæ respectu illius: omne autem imperfectum est prius subiectiuè, & materialiter perfecto: ergo &c. Idem dicendum est de illo triplici ordine, naturæ, gratiæ, & Vnionis hypostaticæ, quòd in genere causæ materialis ordo naturæ præsupponitur vtrique ordini, & gratiæ, & Vnionis hypostaticæ. Et similiter ordo gratiæ in eodem genere præsupponitur ordini Vnionis hypostaticæ. At in genere causæ finalis è contra se res habet; nam vterque ordo & gratiæ & Vnionis hypostaticæ præsupponitur ordini naturæ, & ordo hypostaticæ Vnionis ordini gratiæ. Probatur. Ordo naturæ præsupponitur ordini gratiæ, tanquam subiectum, & vterque ordo, nõ solùm vt subiectum, sed etiam vt finis, Cui, præsupponitur ordini Vnionis hypostaticæ: ergo decretum ordinis gratiæ præsupponit scientiam visionis ordinis naturę, & decretum Incarnationis supponit scientiam visionis vtriusque ordinis in genere causę materialis. Cõsequentia patet; quia vterque ordo præsupponitur vt subiectũ reparandum, atque adeò debet præuideri eius existentia. Et cùm peccatum pertineat ad vtrumque ordinem secundùm diuersas considerationes, necessariò debet præsupponi, vt destruendum, atque adeò priùs in genere causæ materialis.

Ex dictis colligitur modus cognitionis, & ordinatio- 409
nis, quem in Deo intelligimus esse. Primò cognouit Deus scientia simplicis intelligentiæ triplicẽ illũ ordinem communicationis possibilis, iam explicatum: qua cognitione supposita intelligimus in Deo voluntatem se creaturis communicandi ad ostensionem suarum perfectionum, præsertim misericordiæ, & iustitię summæ, quę in operibus Dei maximè splendet. Et hac voluntate supposita, in genere quidem causę finalis priùs intelligimus voluisse, se per Vnionem hypostaticã naturę humanę communicare; quia hęc communicatio est perfectissima, & finis aliarũ. At in genere causę materialis priùs intelligimus, Deum voluisse communicare se in esse naturali, permittendo defectus, & peccata in natura, in quo priori intelligimus etiam, Deum voluisse determinatè vnicum mundum, & determinatos homines, & Angelos creare. Secundò intelligimus, voluisse Deum communicare se in ordine gratiæ, & gloriæ permittendo simul peccata contra illum ordinem: in quo rationis signo intelligimus etiam Deum vidisse naturam infectam peccato, & in ordine naturę, & in ordine gratiæ.

Tertiò intelligimus, voluisse Deum Vnionem hy- 410
postaticam Verbi in hominum Redemptionem, & peccati remedium, vt sic ostenderetur summa misericordia, & rigorosa iustitia: nisi enim Deus Incarnatus pro peccato satisfaceret, nulla ratione rigorosa Dei iustitia ita perfectè ostendi posset, & ideò in ordine ad istum finem perfectissimæ manifestationis misericordiæ, & iustitiæ Dei, necessum fuit, vt Christus in carne passibili, & in remedium peccati determinatè prædestinaretur, in quo signo intelligitur Christus Dominus prædestinatus per certa & determinata media: & ita Christus est primus prædestinatus omnium hominum, tanquam illorum caput & Redemptor. Vltimò intelligimus, supposita iam prædestinatione Christi, Deum in ipsomet Christo, & ex meritis eius præuisis, aliquos homines elegisse, illosq; prædestinasse determinando omnia suæ prædestinationis media; alios verò reprobasse, permittendo, vt in peccata laberentur, & in illis perseuerarent. Itaque decretum prędestinationis Christi non intelligitur nisi præuiso iam ordine naturæ, & gratiæ, & peccato contra vtrumque ordinem inficiente naturam. Prædestinatio verò nostra in particulari non intelligitur nisi præuisa iam & volita Christi Domini prædestinatione.

Sed contra istam conclusionem est primum argu- 411
mentum. Illud tantùm est prius altero ordine intentionis diuinæ, quod ab eo per se pendet in ordine ad finem, quem Deus per se primò intendit; sed in ordine ad finem per se primò intentum à Deo, ordo naturæ non pendet ab ordine gratiæ, neque ordo naturæ & gratiæ pendet ab Vnione hypostatica: ergo non fuit priùs intenta à Deo in genere causæ finalis Vnio hypostatica, quàm fuerit intentus vterque ordo naturæ & gratiæ. Maior patet ex dictis, quia prioritas rationis diuinæ non est pensanda ex parte diuini actus, sed ex ipsis obiectis, & ex ordine, quem inter se habent. Minor probatur, Ordo naturæ ex sua propria ratione, & intra proprium genus habet, quò sit manifestatiuus diuinæ bonitatis

Digitized by Google

absque coniunctione ad superiorem ordinem, vel gratiæ, vel Vnionis hypostaticæ: etenim quamuis Deus nō decreuisset per gratiam, aut Vnionem hypostaticam se communicare, posset nihilominùs in bonorum naturalium communicatione suam bonitatem ostendere, etsi minùs perfectè. Idem argumentum fieri potest de ordine gratiæ, imò & vrgentiùs, quia per gratiā multò perfectius Dei bonitas ostenditur, quàm per naturam, & totum eius ordinem: sed finis, quem Deus per se primò intendit, est ipsa suę bonitatis manifestatio: ergo &c.

412 Confirmatur. Ordo naturæ ex se non ordinatur ad ordinem gratiæ, neque ad Vnionem hypostaticam; ergo ad manifestationem diuinæ bonitatis eo modo, quo in communicatione bonorum naturalium manifestari potest, non pendet ab ordine gratiæ, vel Vnionis hypostaticæ. Dices, quòd licet ordo naturæ ex se nō sit ordinatus ad ordinem Vnionis hypostaticæ, est tamen ordinabilis, & referibilis, sicut omne imperfectum est ordinabile ad id, quod est perfectius, & ita Deus de facto ordinauit totum ordinem naturæ ad Vnionem hypostaticam Verbi. Sed contra est: quia licèt ita fieri potuerit, non tamen constat ita esse factum. Item, quāuis Deus in exequutione vtrumque ordinem naturæ, & gratiæ retulerit ad ipsam Vnionem hypostaticam, tanquam in finem proximum, quo mediante retulit eandem in finem pręcipuè intentum, videlicet in ipsam Dei gloriam; in illo tamen primo diuinæ intentionis signo ordo prioritatis & posterioritatis attendi nō debet nisi ex ipsa duntaxat obiectorum dependentia: quia sola maior, aut minor perfectio non est sufficiens ad hunc prioritatis ordinem constituendum. Ex hoc autem, quòd Vnio hypostatica sit perfectior diuinæ bonitatis communicatio, duntaxat colligitur, fuisse magis à Deo volitam, quàm fuerint voliti ordo naturæ & ordo gratiæ; sed de prioritate nihil infertur.

413 Respondetur, vtrumque ordinem & naturæ & gratiæ, & præsertim naturæ, per se nec referri, nec pendere ab ipsa Vnione hypostatica. Nihilominùs ad diuinam prouidentiam spectauit, vtrumque ordinem omninò subordinare, & subiicere Vnioni hypostaticæ, ita vt nō solùm ordine exequutionis, sed etiam ordine intentionis ipsa Vnio hypostatica habeat rationem finis respectu vtriusque ordinis, & naturæ & gratiæ: sicut omnia sacramenta ordinantur in Eucharistiam, tanquam in finem, quia in ea verè & realiter est Christus totius gratiæ sacramentalis author, & fons, quamuis in suis institutionibus, & in proprijs materijs & formis ab Eucharistia non pendeant.

414 Est secundum argumentum: quia videtur manifesta repugnantia, quòd decretum Incarnationis sit dependens à scientia visionis peccati, & in genere causæ finalis sit prius peccato, & permissione illius, ac decreto creationis mundi: probatur. Decretum creationis mundi nequit esse dependens à scientia visionis ipsius mundi, ergo neque potest esse dependens à decreto Incarnationis dependente à scientia visionis peccati: atq; adeò à scientia visionis mundi. Consequentia patet: quia si decretum creandi mundum dependet à decreto Incarnationis, & decretum Incarnationionis dependet à scientia visionis peccati: ergo saltem mediatè decretū creationis mundi dependet à scientia visionis peccati, atque adeò mundi. Antecedens probatur: quia intentio finis nulla ratione potest esse prior ea scientia, per quam regulatur, & à qua dependet; sed omnibus modis debet esse posterior; ergo intentio creandi mundum nequit dependere à scientia visionis ipsius mundi. Consequentia probatur: quia scientia visionis mundi necessariò debet esse posterior ipso decreto creandi mundum; nō enim ideò Deus intendit creare mundum, quia vidit illum existentem scientia visionis, sed è contra, ideò videt illum existentem, quia illum creare decreuit in tali tempore. Antecedens probatur: quia si intentio finis alia ratione potest esse prior illa scientia, per quam regulatur, necessariò vt sit talis intentio ferri debet in finem non cognitum, quod est impossibile: nam si fertur in finem cognitum, iam præsupponitur cognitio finis ante intentionem ipsius finis; quod erat probandum. Confirmatur: quia permissio peccati nequit à scientia visionis peccati dependere: ergo neque decretū Incarnationis dependere potest à scientia visionis peccati, si ab illa necessariò dependet permissio peccati.

Respondetur, nullum esse inconueniens, vt decretū Incarnationis sit prius in genere causæ finalis permissione peccati, & posterius in genere causæ materialis, & eādem ratione non esse inconueniens, vt decretum Incarnationis sit prius scientia visionis peccati in eodem genere causæ finalis, & posterius in genere causæ materialis. 415

Sed contra hanc solutionem replicatur: quia licèt possit dari mutua dependentia inter permissionem peccati, & decretum Incarnationis; illa tamen dari nō potest inter decretum Incarnationis, & illam scientiam, quæ præsupponitur in diuino intellectu, vt regula dirigens huiusmodi Incarnationis decretum: ergo &c. Probatur antecedens, quia ex sententia omnium ferè Theologorum; electio prædestinatorum non dependet à scientia visionis bonorum operum ipsorū, cùm talis electio sit ante decretum conferendi illis hæc, vel illa opera, quibus vitam æternam assequantur, nō enim sunt à Deo electi, quia visi sunt sancti, sed vt essent sancti. Ergo eādem ratione primum decretum creationis mundi nequit esse dependens à scientia visionis ipsius mundi, & ex consequenti decretum Incarnationis non potuit dependere à scientia visionis ipsius mundi, neque etiam à scientia visionis peccati. 416

Confirmatur. Impossibile est, vt assensus antecedentis sit aliquo modo dependens ab assensu consequentis; ergo impossibile est, vt intentio finis sit aliquo modo dependens à scientia prærequisita ad illum finem intendendum. Consequentia probatur, quia non minùs dependet assensus consequentis ab assensu antecedentis, quàm consensus voluntatis à propositione intellectus: semper enim voluntas ferri debet in cognitum, neque priùs naturâ intelligi potest obiectum amatum, quàm cognitum: ergo intentio Incarnationis, si nititur scientiæ visionis peccati, vt regulæ dirigenti, nequit vllo pacto intelligi prior hac scientia. 417

Ad replicam negatur, non dari mutuam dependentiam inter decretum Incarnationis, & scientiam visionis peccati, & vtriusque ordinis, naturæ & gratiæ, & creationis mundi: etenim decretum Incarnationis est prius in genere causæ finalis omnibus alijs, sed posterius in genere causæ materialis. Ad probationem antecedentis 418

Digitized by Google

ecedentis conceditur, electionem prædestinatorum non pendere à scientia visionis bonorum operum ipsorum; pendere tamen ab existentia, & productione prædestinatorum in esse naturæ, & ab operationibus, quæ præcisè pertinent ad ordinem naturæ, etsi nullam habeant proportionem cum fine supernaturali, neque cum gratia, & gloria, aut cum diuina electione: cui diuinæ electioni præsupponuntur illa omnia in genere causæ materialis, & subiectiuæ. Et eadem ratione decreto creationis mundi præsupponitur scientia visionis mundi in genere causæ materialis, & subiectiuæ: decretum autem Diuinum præsupponitur in genere causæ efficientis, & finalis. Et eadem ratione scientia visionis peccati præsupponitur vt subiectum & materia ad decretum Incarnationis.

419 Ad confirmationem, quicquid sit de antecedenti, negatur consequentia, propter rationem iam dictã: quia intentio Incarnationis præsupponit vt subiectum, & materiam, peccatum, vt destruendum: etenim intentio finis supponit subiectum, quod consequitur finem, vel includit volontatem illius, non enim potest intelligi finis, nisi sit alicuius finis.

420 Est tertium argumentum. Si prædestinatio Christi in genere causæ finalis priùs fuit à Deo absoluta, & efficaci voluntate præuolita, quàm salus hominum, & permissio peccati: ergo ex vi huius voluntatis futura esset prædestinatio Christi, & eius Incarnatio, etiam nõ existente peccato. Etenim quod est prius non dependet à posteriori, nisi cum eo habeat necessariam connexionem. Sed Christi Incarnatio cum permissione peccati, & eius remedio nullam habet necessariam connexionem; ergo si priùs in genere causæ finalis fuit efficaciter, & absolute præuolita, quàm remediũ peccati, futura esset ex vi huius voluntatis, & intentionis, cessante peccato, & eius remedio.

421 Cõfirmatur. Ex voluntate causæ efficientis, & ex absoluta, & efficaci finis intentione, non licet necessariò colligere voluntatem efficacem effectus, vel electionem medij, nisi talis effectus, & medium cum causa & fine præintenta, & præuolita intrinsecam, & necessariam habeat connexionem, vt constat in causa, & effectu; & in essentia, & operatione: sed Incarnatio Christi nullam habuit necessariam connexionem cum permissione peccati, & eius remedio; tum, quia huiusmodi remedium peccati propriè non fuit medium ordinatum in Incarnationem: neque enim sumus à peccato Redempti, vt fieret Incarnatio, sed potiùs contra Incarnatio facta est propter nostram Redemptionem. Tum etiam, quia licet esset medium, non esset vnicum, aut necessarium; siquidem Incarnatio multis alijs medijs fieri poterat: ergo ex efficaci, & absoluta voluntate, seu præintentione Incarnationis Christi, vt finis, colligere non licet, huius medij, nempe, remedij peccati, absolutam, & efficacem electionem. Consequentia probatur; quia ex D. Thoma. 1. 2. quæst. 13. Tunc solum ex vi intentionis finis necessariò consequitur electio mediorum, cùm vel medium est vnicum, vel necessarium simpliciter ad finis consequutionem. Etenim cùm sunt plura media, per quæ finis præintentus comparari potest, post absolutam finis voluntatem liberum est homini hoc, vel illud eligere, & ad huius determinati medij electionem non restringitur.

Dices, ideò Redemptionem à peccato, & illius permissionem fuisse vnicum medium ad Incarnationem, 422 eo modo, quo de facto fuit prædestinata, seu præordinata, quia Christus in illo primo rationis signo, quo fuit prædestinatus, fuit prædefinitus Redemptor hominum. Ex qua prædestinatione necessarió fuit permissum peccatum, vt Redemptio foret veluti vnicum medium, & necessarium simpliciter ad prædestinationem Christi Redemptoris. Quò fit, vt ex vi huius prædestinationis non esset futura Incarnatio, si peccatum non foret.

Cæterùm in contrarium objicitur. Nam primò hæc 423 solutio supponit, peccatum infallibiliter futurum ex vi solius permissionis; quod tamen ab his, qui scientiã mediã nõ admittunt, defendi non potest. Secundò; quia hæc sententia inuertit ordinem prædestinationis, quẽ defendere conatur. Etenim si Christus prædestinatus est primò, & per se vt hominũ Redẽptor, sequitur, finẽ huius prædestinationis fuisse hominum Redemptionem: ergo hominum Redemptio non fuit mediũ per se ordinatum ad Christi Incarnationem. Tertiò: quia prædestinatio Christi Redemptoris præscientiam peccati præsupponit: ergo eò ipso, quod Christus fuerit prædestinatus, vt Redemptor ex primaria Dei intentione, fuit absolutè, & simpliciter prædestinatus post peccati præuisionem. Antecedens probatur: nã si Deus ex primaria voluntate antè peccati præuisionem, voluisset Christum, vt Redemptorem; necessarió etiam absoluta, & efficaci voluntate voluisset peccatum hominis: sed hoc nullo modo ex se velle potuit, ergo neq; Christũ, vt Redemptorem potuit ex se velle antè peccatum præuisum. Prima consequentia probatur: nam qui ex se vult aliquid absolutè, vult etiam ex se id, sine quo illud esse non potest: sed Christus non potuit esse Redemptor sine peccato: ergo si Deus ex se, & antè præuisum peccatum voluit, Christum esse Redemptorem, absolutè etiam & ipsum peccatum voluit.

Dices, Deum ex vi voluntatis, qua efficaciter præuoluit Christum, vt Redemptorem, voluisse etiam pecca- 424 tum, non positiuè, sed permissiuè solùm. Contra: quia ex permissione peccati, præsertim in statu innocentiæ, de quo loquimur, non sequebatur necessarió, & infallibiliter peccatum, nam permissio neque determinat ipsam voluntatem ad peccandum, neque tollit auxilium sufficiens necessarium, cum quo solo in statu innocentiæ poterat homo omnia peccata, non solùm diuisiuè, sed etiam collectiuè vitare: ergo non sat erat post absolutam voluntatem Christi Redemptoris, quòd Deus peccatum permitteret, sine quo Redemptio esse nõ poterat; sed insuper necessarium fuit, vt Deus absoluta, & efficaci voluntate futurum peccatum determinaret, vt esset Redemptioni locus.

Præterea: quidquid de hoc sit, videlicet, An peccatũ 425 infallibiliter sequatur ex vi permissionis, de quo modò non disputo, ex prædicta solutione euidenter colligitur, Deum non solam permissionem peccati præuoluisse, sed ipsum etiam peccatũ, vt proximam Redemptionis materiam. Quoties enim aliquis finem efficaciter intendit, ex vi talis intentionis non solum vult media remota, verùmetiam proxima; imo tanto magis illa vult, quanto proximiùs, & immediatiùs ad talis finis consequutionem conducunt. Seu permissio peccati

ad

ad finem Redemptionis est medium remotum duntaxat, huic fini intantùm deseruiens, inquantùm ex eo sequitur peccatum, quod est materia necessaria, & proxima Redemptionis: ergo si Deus primaria voluntate ex se finem Redemptionis intendit; ex vi talis intentionis non solùm permissionem peccati, sed ipsum etiam peccatum efficaciter voluit. At peccatum ex se velle nō potuit; ergo neque ex se primaria intentione potuit velle Christum Redemptorem, nisi post peccati præuisionem.

426 Confirmatur quia ex eo Damascenus. 2. de fide cap. 29. probat, correctionem hominū non esse opus voluntatis antecedentis Dei, id est, primariæ suæ intentionis; sed consequentis, & præsupponentis aliquam occasionem à nobis oblatam; eò quòd correctiò culpam præsupponat, quam Deus velle non potest: sed Redemptio etiam culpam necessariò præsupponit; ergo primeria intentione, & ex se nequiuit Deus velle Christū, vt Redemptorem, sed secundaria, & cōsequente peccati præuisionem.

427 Pro solutione huius argumenti aduertendum est, hanc consequentiam non semper esse firmam. Hoc est prius in aliquo genere causæ, quàm illud aliud, siue quò ad esse, siue quò ad rationem obiecti Diuinæ voluntatis: ergo hoc esset, quamuis illud non esset: suntq; plures instantiæ quò ad vtrumq;. Et primò quò ad esse non valent istæ consequentiæ. Impressio pedis in arena est prior in genere causæ efficientis, quàm arenam recedere, & dare locum pedi: ergo quamuis arena non recederes, pes imprimeretur. Item. Prius est in genere causæ efficientis aerem ingredi impellendo fenestram, quàm fenestram aperiri: ergo quamuis fenestra non aperiretur, ingrederetur aer. Rursus quò ad rationem obiecti Diuinæ voluntatis, non valent istę consequentiæ. Gloria priùs est efficaciter, & absolutè volita prædestinatis in genere causæ finalis, quàm merita, & media sint eisdem prædestinatis volita; ergo ex vi illius volitionis daretur eis gloria, quamuis nulla essent ipsorum merita. Item: priùs in genere causæ finalis fuit volita creatio hominis, quàm elementorum, & reliquarum creaturarum corporearum; quoniā omnia propter hominem sunt facta: ergo ex vi illius volitionis crearetur homo, tametsi elementa non crearentur. Similiter in eodem genere causæ finalis priùs fuit volitus ordo gratiæ, & gloriæ, quàm ordo naturæ; ergo esset ordo gratiæ, & gloriæ, quamuis non esset ordo naturæ. Ratio in his omnibus est eadem, videlicet, causam habere aliquem modum connexionis necessariæ cum suo effectu, saltem vt cum conditione sine qua nō: & finem cum medio, aut ex natura rei, aut ex determinatione intendentis, & volentis finem, quia scilicet, finis aut ex natura rei postulat determinatè tale medium, aut non est volitus nisi per certa, & determinata media.

428 Ex hoc sequitur, quòd licèt Incarnatio sit volita à Deo vt finis permissionis peccati, & ex consequenti priùs in genere causæ finalis; si tamen non fuit volita sine vllā dependentia, aut connexione ad permissionem peccati, non infertur, quòd ex vi illius volitionis, quantùmcumq; efficacis, esset futura, tametsi neque permissio peccati, neque ipsum peccatum esset. Etenim sicut per illam volitionem non fuit volita, nisi cum aliqua dependentia à permissione peccati: ita neque ipsa volitio erit efficax, aut effectum sortietur respectu ipsius, nisi seruata eadem dependentia inter ipsam Incarnationem, & permissionem. Ea autem est, quòd Incarnatio fuit volita, vt finis permissionis, quatenùs Deus in humanæ naturæ imbecillitate efficaciā, & abundantiam gratiæ per Incarnationem hominibus conferendæ manifestare, & ostendere voluit. Et è conuerso permissio peccati fuit à Deo volita, & ordinata, vt medium ad hunc finem, nempe, ad manifestationem illius efficaciæ, & abundantiæ. Ac proinde in diuersis generibus causarum mutuam inter se habuerunt dependentiam Incarnatio, & permissio peccati, quatenùs fuerunt Diuinæ volitionis obiecta: permissio enim ab Incarnatione pendebat in genere causæ finalis, contra verò Incarnatio à permissione in genere causę materialis: cùm media ad hoc genus causæ reducantur. Ex his patet Responsio ad tertium argumentum.

Respondetur ergo ad argumentum tertium negando consequentiam; & probationi dicitur, quòd licèt Incarnatio ex natura rei non habeat necessariam connexionem, & dependentiā à permissione peccati, & eius Redemptione; illam tamen habet ex ordinatione Dei, volentis, & ordinantis, vt Redemptio à peccato nō nisi per Filij sui Incarnationem executioni mandaretur. Et quamuis pluribus alijs medijs Incarnatio potuisset esse volita: tamen quia in ordine ad remedium peccati determinatè fuit volita; rectè concluditur, volitā fuisse dependenter à permissione peccati, sine qua ipsum peccatum, in cuius remedium ordinabatur, committi nō potuisset. Quemadmodùm licèt Deus velle potuerit, vt per alia media, quàm per merita gloria adultis conferretur: ex eo tamen quod voluit eam determinatè dare, vt coronam, & præmium, colligitur, efficacem voluntatem sine meritis eam conferendi minimè habuisse. 429

Ad id autem, quod dicitur, permissionem peccati, & eius remedium, non fuisse propriè medium ordinatum in Incarnationem, Respondetur, verum esse, si loquamur de Incarnatione absolutè, & ex natura rei; non tamen si sermo sit de ea, quatenùs fuit volita à Deo, vt causa nostræ salutis, & gratiæ. Et quia permissio peccati ordinatur ad ostensionem efficaciæ Incarnationis in nostra salute; ideò ordinatur ad ipsam substantiam Incarnationis. Sicut ex eo quòd creaturæ in gloriam Dei ordinantur, quatenùs Diuinæ perfectiones in eis relucent, & manifestantur, rectè sequitur, ordinari vt in finem vltimum in ipsum Deum, quatenùs nostræ salutis est causa. Item licèt essent plura media, quibus Incarnatio fieri posset; nihilominùs quia non fuit volita nisi per tale medium, nempe, permissionem peccati, & cum dependentia ab eo: ideò dicitur medium vnicum, & necessarium. Sicut estò sint plura media ad consequendam sanitatem, siquis tamen eam consequi intendat per aliquod determinatum medium, puta, certum pharmacum; tametsi alia plura efficaciora sint: tunc tale medium erit necessarium ad consequutionem sanitatis; ita vt si infirmus à talis medij electione desistat, necesse sit, ab intentione sanitatis desistat. 430

Præterea cùm dicitur, permissionem peccati fuisse volitam, & ordinatam vt mediū, ad manifestationem gratiæ per Incarnationem hominibus conferendæ, dupliciter potest intelligi. Primò ratione cogniti peccati; 431

vt

vt infallibiliter futuri, ita vt Deus in ordine ad prædictum finem voluerit vti permissione, qua posita cognoscebat, futurum esse infallibiliter peccatum ex culpa hominum. Secundò ratione peccati cogniti vt præsentis per scientiam visionis, ita vt sicut ipsum peccatum fuit occasio manifestandi efficaciam, & abundantiam gratiæ: sic etiam permissio, sine qua committi non potuit, ad eundem finem deseruire dicatur. Et hoc posteriori modo debet intelligi: nam in priori difficile est explicare, qua ratione satis fuerit, poni permissionem, vt Deus infallibiliter cognosceret, futurum esse peccatum. Ratio autem difficultatis est, quia cognoscibilitas fundatur in entitate rei: ergo futuritio, quæ nullo modo; hoc est, neque secundùm se in superiori mensura, neque in suis causis habet esse determinatum, non ha-
431 bet cognoscibilitatem determinatã. Nec sufficit, quòd ab aliquibus dicitur de cognoscibilitate in propositione, per quam talia futura significantur: nam sicut ab eo, quòd res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa: sic etiam ad determinatam veritatem propositionis determinatio in esse rei significatæ requiritur. Et quamuis istud genus cognitionis esset possibile: de quo disputatur. 1. p. q. 14. in præsenti tamen locum habere non potest: nam si propter peccatum consideratum præcisè vt futurum, non debetur pœna, aut satisfactio, neque homo dicitur captiuus; concluditur necessariò, in remedium ipsius ita considerati Incarnationem ordinatam non fuisse: ac proindè neque ipsum peccatum, neque eius permissionem extitisse medium ordinatum ad manifestationem gratiæ. Reliqua, quæ in eodem argumento petuntur, non sunt cõtra nostram sententiã, vt patet ex dictis, & ampliùs ex infra dicendis cõstabit. Ex hac doctrina colligitur Responsio ad argumenta omnia Parag. 19, proposita contra illum triplicem ordinem à Caietano assignatum.

Soluuntur Argumenta cõtra Caietanũ. §. XXV.

432 AD Primum igitur argumentum contra Caietanum Respondetur, nullam esse in eo contradictionem, quia nostra prædestinatio est prior prædestinatione Christi, vt materia, quia est imperfectior, & ex consequenti habet rationem materiæ respectu illius, sed Christi prædestinatio est prior, vt finis. Quomodò autem nostra prędestinatio habeat rationem finis respectu prædestinationis Christi, explicabitur Parag. 26. sequenti. Et per hoc patet responsio ad confirmationem.

433 Ad secundum concesso antecedenti distinguendum est consequens. Etenim in genere causæ finalis prior est gratia, quàm peccatum, & ordo gratiæ, quàm ordo naturæ: quia natura est propter gratiam, & gloriam: sed in genere causæ materialis, & veluti occasionaliter prius est peccatum, quàm gratia, quia imperfectũ præcedit id, quod est perfectum, peccatum autem pertinet ad ordinem naturę directè, tanquam defectus illius: ordo autem naturæ præcedit tanquam quid imperfectũ ordinem gratiæ.

434 Ad confirmationem conceditur, gratiam collatam primo parenti fuisse ex meritis Christi, atque adeò pręcessisse prædestinationem Christi in genere causę finalis gratiam Adæ, & peccatum illius, sed è contra se res habuit in genere causæ materialis. Ad tertium conceditur consequentia, & negatur, mortem esse posteriùs præuisam prædestinatione, sed esse priùs. Etenim sicut vita præsupponitur ad prædestinationem tanquam id quod pertinet ad prouidentiam & naturam; sic etiam & mors in illo priori præcognoscitur tanquam conditio quædam ipsam naturam consequens. Vnde semper inspiciendum est ad ordinem causæ & causati, fundamenti, & eius, quod fundatur, quem res habent inter se se. Et quia natura cum omnibus suis conditionibus est fundamentum gratiæ, & prædestinationis, præsupponitur in diuina cognitione, vt materia.

Ad quartum Resp. peccatum primi parentis ad vtrũque ordinem & naturæ & gratiæ pertinere iuxta duplicem rectitudinem, qua priuat, vt ostensum est in explicatione sententiæ Caietani Parag. 19. Etenim cùm omne peccatum sit contra rationem, consequenter est contra naturam, atque adeò pertinet ad naturam, quæ est prior, quàm gratia materialiter, cùm in natura tanquam in subiecto recipiatur. Et hac ratione peccatum Adæ pertinuit ad ordinem naturæ. Sed quatenùs erat violatio præcepti supernaturaliter impositi, & priuabat rectitudine supernaturali proueniente ex iustitia originali, & cęteris donis pro statu innocentiæ collatis, pertinuit etiam ad secundũ ordinem, & materialiter supponitur decreto Incarnationis. 435

Ad quintum patet solutio ex dictis: iam enim ostensum est, non comprehendisse Caietanum omnia peccata intra ordinem naturæ, neque de omnibus peccatis fuisse loquutum, sed tantùm de originali, & ea duntaxat ratione, qua rectitudini naturali repugnabat, & Deum, vt finem naturalem offendit. Peccata verò, quæ priuant rectitudine supranaturali, proueniente ex iustitia originali, & alia supernaturali rectitudine, proueniente ex gratia sacramentorũ, & ex iustitia per Christum collata, non comprehendit Caietanus intra ordinem naturæ, sed pertinent ad ordinem gratiæ, & Vnionis hypostaticæ, vt supra explicatum est Parag. 19. & hoc satis est ad intelligentiam, & defensionem Caietani. Sed nihilominùs dico, omnia peccata, quatenùs sunt contra rationem & naturam, directè pertinere ad primum ordinem naturæ. Et sic peccatum crucifigentiũ Christum, si consideretur, vt aduersatur rationi, & naturæ, est quidem primi ordinis. Vnde dupliciter potest considerari. Vno modo formaliter, id est, secundùm apprehensionem, & existimationem eorum, & sic erat primi ordinis. Altero modo materialiter, id est, secundùm rem, & obiectum reale, & sic pertinet ad tertium ordinem. 436

Ad confirmationem Resp. Deũ non præuidisse peccatũ sine Christo, quia permissum est à Deo, vt Christus veniret in remedium illius, ita vt Deus non decreuerit permittere, nisi vt inde tale ac tantum bonũ educeret: atque adeò diuinum decretum, siue præuisio, aut præscientia non terminatur ad vnum, sine ordine & dependentia ad aliud. Sed quia hæc sunt sibi inuicem causæ, & vt subsunt diuino decreto, & prædefinitioni, sunt cõnexa & coordinata; ideò potest inter illa reperiri prioris & posterioris ordo secundùm rationem. Vnde peccatum fuit priùs à Deo præuisum in genere causæ materialis, Christus verò fuit præuisus ante peccatũ in genere causæ finalis: quia ista sic se habent, vt peccatũ fuerit reparationis materia; permissio verò peccati, & ipsum 437

& ipsum peccatum ex diuina ordinatione in aduentũ Christi destinatur. Item permissio peccati, vt supra ostensum est, in exequutione est prior ipso peccato, quod à permissione dependet in genere causæ efficientis, tanquam à remouente prohibens: cæterùm in intentione, & in genere causæ materialis prius est peccatum permissione, nam hæc præsupponit id, cuius debet esse permissio.

438 Ad sextum concedo, in illo priori, quando Deus ordinabat res secundùm esse naturæ, similiter ordinasse humanitatem Christi futuram secundùm esse naturale, quod habuit à matre, quod quidem esse fuit materialiter, & subiectiuè præsuppositum Incarnationi Verbi. Atq; adeò neganda est consequentia.

439 Ad confirmationem Resp. Deum in illo priori signo præuidisse omnes alias humanitates in suis existentijs, cum naturalibus proprietatibus, & effectibus. Humanitatem verò Christi (quæ, vt erat entitas naturalis, pertinebat ad illud primum signum: vt autem erat vnita, spectabat ad tertium:) licèt præuiderit subsistentem, non tamen vt subsistentem, id est, præuidit humanitatem, quæ re vera subsistebat, sed non præuidit modũ, seu subsistentiam, qua subsistebat, nam cùm hæc subsistentia sit increata, nempe, Diuina Verbi Personalitas, pertinet ad tertium ordinem, & non ad primum: aliæ verò subsistentiæ pertinent ad primũ, quia omnes sunt naturales.

440 Sed obijcitur. Deus in illo primo ordine præuidit humanitatem Christi subsistentem: ergo præuidit Christum in primo ordine, & nõ in tertio, vt ait Caietanus. Probatur cõsequentia: quia nequibat distinctè cognoscere hanc humanitatem subsistentem, nisi cognosceret esse ipsius Christi; & ex consequenti cognouit Christũ. Resp. quòd in illo primo ordine Deus cognouit Christum materialiter duntaxat, sed nõ formaliter. Hoc est, cognouit humanitatem, quæ re vera erat Christi, & subsistentia illius subsistebat, sed non cognouit eam, vt erat Christi; quia Christus vt sic, dicit subsistens in diuina & humana natura; huiusmodi autem subsistens est formaliter tertij ordinis.

441 Sed contra. Ergo præscientia humanitatis Christi erat confusa, & non distincta. Probatur consequentia, quia non distinctè cognouit Deus hanc humanitatem Christi, vt Christi. Negatur consequentia, quia humanitas Christi, vt Christi, non erat cognoscibilis in illo primo ordine, neque ob id est imperfecta, & confusa Dei cognitio, quia non cognoscat, quod non est cognoscibile. Deus enim, vt author naturæ, tantùm cognoscit naturalia, quæ ad naturæ ordinem spectant.

442 Ad septimum concedimus, omnia peccata, etiã quæ sunt contra ordinem gratiæ, pertinere ad ordinem naturæ, quatenus priuant rectitudine naturali: negamus tamen, verùm antè gratiam præuideri non posse, quia materialiter, & veluti subiectiuè præsupponuntur ad gratiam.

443 Ad primam, & secundam confirmationem Resp. nõ esse contra sententiam Caietani, iam enim ostensum est in ordine ad diuinum decretum, & prædefinitionem hæc ista esse inter se connexa, vt scientia practica, & approbationis: neque Deus præuiderit gratiam sine natura, neque naturam sine gratia: neque gratiam & naturam sine Christo, neque Christum sine peccato: neque peccatum sine Christo; quia diuinum decretum, & præuisio non tendit, neque terminatur ad vnum sine ordine, & dependentia ad aliud: sed cùm cognoscitur vnum vt finis, simul etiam cognoscitur aliud, vt materia. Cæterùm quia hæc habent inter se dependentiam, & sunt sibi inuicem causæ, & quatenus subsunt diuino decreto, sunt connexa, & coordinata; ideò in eis ordo prioris & posterioris secundùm rationem inuenitur, & sicut ex vi decreti diuini sunt ordinata, sic etiam & ordinatè præuisa sunt, & in diuina cognitione considerantur à nobis vnum priùs altero secundùm diuersam rationem causæ, vel materialis, vel finalis. Itaque ad explicandum, quo pacto diuinum decretum efficax ordinauerit, quæ pertinent ad Christum, ad naturam, & ad gratiam; & qua ratione ibi interfuerit peccatum: solùm debet considerari in Deo actus scientiæ simplicis intelligentiæ, quo omnes modos cognouit, quibus se poterat communicare, & actus scientiæ practicæ, siue decretum, quo de rebus omnibus, naturæ, & gratiæ, & Vnionis hypostaticæ ita disposuit, qualiter de facto decreuit, & secundùm rem successit: Et in hoc signo rationis, quo Deus de rebus prædefinisse intelligitur, potest nostro intelligendi more cum fundamento in re distingui ordo, & dependentia ipsarum rerum inter se se, & quatenùs à nobis cognoscuntur.

444 Ad tertiam confirmationem concessa maiori, negatur minor, quia mors, & morbi semper præsupponuntur prædestinationi, vt materia, vt dictum est in solutione ad tertium. Et idem dicendum est de omnibus alijs in argumento relatis, quæ vt materia præsupponuntur.

445 Ad octauum negatur Sequella, neque vlla est deceptio in Caietano, si rectè intelligatur, vt illum iam explicuimus: semper enim est præ oculis habendum in dispositione horum ordinum, siue considerentur in intentione, siue in exequutione, ad inuicem præsupponi in ratione finis, & materiæ. Neque instantia contra Caietanum est alicuius momenti, videlicet quòd in exequutione priùs fiant res secundum esse naturale, & deinde secundùm esse supernaturale, secus autem est in intentione: hoc, inquam, friuolum est, quoniam ea, quæ in re ordinata sunt, & in diuerso genere causæ comparantur, sic debent ab æterno ordinari à Deo, & in eius intentione, & scientia diuina præcognosci. Item supra Parag. 13. ostensum est, non esse firmum argumentum ab eo, quod nos cognoscimus de rebus diuino decreto respondentibus, ad ipsam rem, vt terminat diuinum decretum: quia nos rectè intelligimus Deum volentem producere naturam, absque eo quòd intelligamus gratiam, aut aliquid eius, nec voluntatem Dei statuentis de ordine gratiæ: sed nullo modo concedendum est, decretum, aut præuisionem Dei tendere in naturam præcisè, sine ordine & dependentia à gratia. Cætera verò quæ contra Caietanum obijciuntur, ex dictis Parag. 19. facilè soluuntur.

446 Illud verò vltimum, quod vt absurdum infertur contra Caietanum, nempe, Deum priùs videre leporem cursurum, quàm cuiuslibet, etiam Christi, prædestinationem, certè non est absurdum; quia cursus leporis, & alia naturalia non se habent impertinenter ad prædestinationem, cùm non sint extra ordinem, siué

respectum

reſpectum ad prædeſtinationem: ſeruatur enim inter iſta formaliter ſumpta ordo ſuperioris & inferioris, quia omne prædeſtinatum eſt prouiſum, & non è cótra. Vnde qua ratione dicitur prædeſtinatio præſupponere prouidentiam, per modum ſequellæ neceſſario ſequitur, noſtræ, aut Chriſti prædeſtinationi præſupponi illius animalis curſum & motum, quod ſine Dei voluntate, & prouidentia moueri non poteſt.

His ita conſtitutis iam nobis aperitur via ad ſoluenda argumenta aduerſariorum, quæ propoſita ſunt Parag. 2. & 3.

Soluuntur Argumenta primæ Opinionis. §. XXVI.

446 AD primum argumentum conceſſo antecedenti, negatur conſequentia, quia eſt diuerſa ratio prædeſtinationis Chriſti, & noſtræ reſpectu peccati; etenim noſtra prædeſtinatio, & peccatū nullū inter ſe habent ordinem, & connexionem, neque in aliquo genere cauſæ ſubordinantur, & ideò peccatum nõ antecedit noſtram prędeſtinationem. Secundo Reſp. concedendo peccatum eſſe prius in genere cauſæ materialis noſtra prædeſtinatione, ſi hæc conſideretur, vt ſubeſt prædeſtinationi Chriſti, & quatenùs ab illa deriuatur: quia peccatum fuit occaſio prædeſtinationis Chriſti, & illam antecedit in genere cauſæ materialis. Et ſicut non derogat, quòd peccatum originis ſit præuiſum antè prædeſtinationem Chriſti, vt materia; ita non derogat, eſſe præuiſum ad noſtram prædeſtinationem, vt ſubordinatur prædeſtinationi Chriſti: cum quo bene ſtat, abſolutè loquendo, noſtram prędeſtinationem, & peccatum nullam habere connexionem. Illud autem D. Pauli teſtimonium, Antequàm quidquam boni vel mali egiſſent &c. Solùm ſignificat, non dari cauſam in particulari, ob quā Iacob fuerit potiùs prædeſtinatus, quàm Eſau, comparando vnum cum alio; quia in lapſu, & in viribus æquales erant. Itaque ſenſus Pauli eſt, Deum antè præuiſa opera Perſonalia Iacob, vel Eſau, prædeſtinaſſe Iacob, & reprobaſſe Eſau, & ideò dixit. *Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, dilexi Iacob &c.* Supponit tamen Paulus, Deum iam præuidiſſe eos conceptos in peccato originali.

447 Ad primam confirmationem M. Medina in hoc articulo, quinque adhibet ſolutiones, ſed quinta, quæ ſibi magis placet, in eo eſt poſita, antè prædeſtinationem Chriſti Deum non præuidiſſe peccatum hominis, vt commiſſum, & actu in humana natura exiſtens, ſed illud præſciuiſſe, vt infallibiliter futurum, & vt committendum. Peccatum autem futurum nequit eſſe reprobationis cauſa. Vnde nullum peccatum etiam originale, præceſſerat ex parte hominum in diuina præſcientia, antequàm prædeſtinaret electos, & reprobaret præſcitos.

448 Hæc tamen ſolutio non probatur, & meritò, alijs Theologis, quia ex ea ſequitur, Chriſtum non fuiſſe formaliter prædeſtinatum, vt Redemptorem, quod eſt falſum, vt ſupra oſtenſum eſt. Probatur Sequella: quia in eo ſigno, in quo fuit prædeſtinatus, nulla erat ſeruitus in natura humana, nullumq; debitum contrahendi ſeruitutem; ergo pro illo ſigno Chriſtus habere non potuit rationem formalem Redemptionis: imo verò ſequitur, etſi poſteà nullum eſſet peccatum, Chriſtum venturum in mundum ex vi decreti prædeſtinationis ſuæ, quia fuit prædeſtinatus non præſuppoſito peccato: prius autem nõn pendet à poſteriori. Secundò. Si Deus præſciuit peccatum, vt infallibiliter futurum, iam datur ſufficiens cauſa reprobationis, quia omnes Theologi de reprobatione diſputantes concedunt, ſi Deus, antequàm homines reprobaret, certò præſciuit, eos ſua vocatione, & gratia malè vſuros, illos ex cauſa reprobaſſe, & non ex mera ſua voluntate: nam diuinæ volūtatis, qua Deus illos homines reprobare vellet, vera aſſignatur cauſa, nempe, malus eorū vſus futurus à Deo præſcitus. Quòd ſi reprobatio eſſet formaliter opus iuſtitiæ vindicatiuæ, ita vt eſſet vera punitio, neceſſariū eſſet, vt eius cauſa eſſet peccatū actu cōmiſſum. At reprobatio formaliter non eſt punitio, ſed opus prouidentiæ ſpecialiſſimæ permittentis defectum in natura defectibili, & ſubtrahentis auxilium mere liberale, & nulla ratione debitum. Vnde ſufficiens cauſa erit ad aliquem reprobandum eius peccatum præuiſum, vt infallibiliter futurum, impertinens enim eſt illud cognoſcere vt præſens, vel vt futurum ad reprobationem.

Prætermiſſa ergo Medinæ ſolutione ad argumentum 449 Reſp. reprobationem præſuppoſuiſſe præſcientiam peccati originalis actu exiſtentis; ſed inde non ſequitur dari cauſam reprobationis, quia licèt illud peccatum ex ſe eſſet ſufficiens reprobationis cauſa, Deus tamen non aſſumpſit illud, vt cauſam, quod ex eo maximè conſtat, quia ſi Deus illud, vt cauſam aſſumeret, omnes reprobos propter illud peccatū reprobaſſet; quod tamen eſt falſum, quia multis reprobis per baptiſmum remiſſum eſt peccatum originis, ac proindè nequit in eis dici cauſa reprobationis: tum etiam, quia Deus dedit toti naturæ humanæ paſſionem Chriſti, vt per ſe primò eſſet ſufficiens remedium in omnibus pro peccato originali. Ex quo probabiliter infertur, ſi Deus toti naturæ dedit hoc commune, & ſufficiens remedium, & ex primaria intentione ad remittendum peccatum originale, noluiſſe aſſumere hoc peccatum pro ſufficiente cauſa reprobationis.

Secundò Reſp. licèt detur ſufficiens cauſa reprobationis in executione, ſuppoſita præuiſione peccati originalis, id eſt, cauſa, vnde Deus damnet reprobos, non tamen dari cauſam reprobationis abſolutè; quia non datur cauſa primi effectus reprobationis, ſed in diuinam voluntatem reducitur. Etenim primus effectus reprationis eſt permiſſio peccati in paruulis quidem, qui ſine baptiſmo decedunt, eſt permiſſio peccati originalis, quæ ipſum peccatum antecedit, in adultis vero, qui iam ſunt iuſtificati à peccato originali, primus effectus reprobationis eſt permiſſio peccati actualis, à quo non ſunt iuſtificandi. Et quia huius permiſſionis nulla ex parte reprobi datur cauſa, ideò non datur cauſa reprobationis, etiam ſi Deus reproborum peccata præuiderit. Ad hoc autem quòd detur cauſa reprobationis ex parte noſtra, debet dari cauſa primi effectus reprobationis. Et quamuis iſte effectus, qui eſt permiſſio peccati in communi, non inferat neceſſariò reprobationem alicuius in particulari, cùm etiam in prædeſtinatis permittat Deus peccata; nihilominus talis permiſſio pertinet ad reprobationem in communi, quatenùs illa reprobatio continetur in prouidentia generali, 450

Digitized by Google

& supernaturali Dei, ad quam pertinet velle permittere, quod aliqui peccent, & à fine beatitudinis de facto excidant. Reprobatio ergo, quatenus includit hanc voluntatem permittendi peccata, & actualem permissionem, nequit habere causam ex parte reprobi, quia antè illam permissionem non præuidetur peccatum ex parte illius. Similiter etiam quando aliquis adultus reprobus est à peccato originali iustificatus, primus effectus reprobationis istius in particulari, non est permissio peccati originalis, cùm iam propter ipsum non damnetur, sed permissio cadendi in peccatum actuale, à quo non est iustificandus: cuius permissionis nulla datur causa ex parte illius, quia illa primi peccati permissio, postquàm iam homo est iustificatus, non est pœna alicuius peccati, & ideò sola Dei voluntas est causa illius.

451 Ad secundam confirmationem Resp. prædestinationem Christi fuisse priorem simpliciter in genere causæ finalis hominum prædestinatione, at in genere causæ materialis antecessisse præscientiam naturæ humanæ, & peccati originalis, & prædestinationis hominum. Secundò Respondetur, prædestinationem nostram esse fine, Cuius, siue, Qui, prædestinationis Christi, siquidè Christus fuit prædestinatus, vt hominum Redemptor, & Saluator, & non aliter: atque adeò propter nostram Redemptionem. At verò prædestinatio Christi fuit finis, Cui, prædestinationis hominum, quatenùs Deus nõ solùm voluit animam Christi esse beatiorem, verùm etiam omnium electorum beatitudinem in Christi gloriam & beatitudinem redundare. Quò fit, vt hominum prædestinatio fuerit prior & magis volita, vt finis, Cuius, siue Qui, contra verò prædestinatio Christi antecessit, & fuit priùs, & magis volita, vt finis, Cui, nã in Christi gratiam, gloriam, & honorem intenta est à Deo hominum prædestinatio, & Redemptio.

452 Sed contra est argumentum. Sequitur, Christũ fuisse à Deo prædestinatum in nobis, & non contra, nos in Christo, sed consequens est contra Scripturã ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso antè mundi constitutionem.* Et ibidem. *Prædestinauit nos in adoptionem Filiorum per Iesum Christum in ipso.* Sequella probatur. Hominum prædestinatio, & Redemptio est finis prædestinationis, & Incarnationis Christi; ergo hominũ prædestinatio est causa & ratio prædestinationis Christi, ita vt Deus de Filij sui Incarnatione, & de ipsius gratia & gloria statuerit, quia de gratia & gloria hominum decreuerit. Negatur Sequella: & ad probationem Resp. prædestinationem hominum esse finem, Cuius, siue, Qui, proximum, & immediatum prædestinationis Christi, at Christi prædestinationem esse finem, Cui, per se primò intentum, & præuolitum à Deo, atq; adeo non sequitur, Christum in nobis, sed potiùs nos in Christo esse prædestinatos. Etenim Christi prædestinatio priùs & principaliùs est à Deo ordinata, & volita vt reparatiua naturæ humanæ collapsæ; secundariò vero, vt reparatiua quorundam hominum, quos Deus in Christo, & per Christum in Filios adoptauerat. Atque adeò priùs secundùm rationem prædestinatio Christi antecessit horum hominum prædestinationem, & Deus priùs de Christi gloria decreuit, quàm de gloria istorum hominum, imo verò de gloria hominum electorum statuit, quia de Christi gloria statuerat.

Hæc doctrina nullã in se continet repugnantiã, neq; 453
in aliquo derogat dignitati Christi Domini, nam cùm ratio formalis, propter quã Deus omnia appetat, sit infinita bonitas ipsius, reliqua verò omnia obiecta creata habeant se, vt obiecta materialia, optimè intelligitur, qua ratione Deus propter suam bonitatem infinitam possit Christum amare, illum in nostram prædestinationem, & Redemptionem ordinando, similiter ab ipso Deo amatam propter suam infinitam bonitatem, tanquam propter rationem formalem, quo pacto amatur Christus, vt medium prædestinationis, & Redemptionis nostræ, & prædestinatio, & Redemptio nostra amatur à Deo, vt finis. Sed quia hanc ipsam Redemptionem non intenderet Deus propter suam infinitam bonitatem, tanquam propter rationem formalem, nisi illa simul esset perfectissimum medium gloriæ Christi, & in illam a Deo ordinaretur: hinc etiã est, vt Christus, prout amatus à Deo, habeat rationẽ finis, Cui, respectu prædestinationis, & Redemptionis à Deo intentæ, vt medium gloriæ Christi. Quare cùm Redemptio, & nostra prædestinatio cõsideratur vt finis, Cuius, respectu prædestinationis & Incarnationis Christi, Incarnatio, & prædestinatio Christi habet se vt medium respectu Redemptionis, & tunc voluntas Redemptionis intelligitur dependens ab Incarnatione, vt à medio vnico & necessario ad illam: non enim Deus intendit Redemptionem, nisi vt copiosam, quo pacto satisfactionem includit ex toto rigore iustitiæ, atque adeò necessariò exigit Incarnationem. Cùm verò Incarnatio, seu potiùs Christus cõsideratur vt finis, Cui, respectu Redemptionis, Redemptio habet se vt mediũ necessariũ, nõ quidem ad cõmunicandũ esse Christo, sed ad cõmunicandum illi eam gloriã, cum qua intentus est à Deo, quo pacto omnes creaturæ, & ipsa Redemptio habent se vt media gloriæ Christi, ipsumq; respiciũt, vt finem, Cui, quod satis insinuauit Conciliũ Tridentinum, cùm dixit, gloriã Christi esse causam finalem iustificationis.

Ex hoc autem sequitur, vt prima voluntas prædesti- 454
nationis, & Incarnationis Christi, neque præcisè fuerit intentio, neque etiam præcisè electio, sed intentio, & electio simul, virtualiter & eminenter vtramq; continens rationẽ sub vna indiuisibili formalitate; ea enim decreuit Deus Filium suum Vnigenitum Incarnari, tum vt esset finis rerum omnium, quatenùs illæ cederent in gloriam illius: tum vt esset medium nostrę Redemptionis, & prædestinationis, vt omnis qui crederet in ipsum, non periret, sed haberet vitam æternam. Et eâdem etiam ratione prima voluntas nostræ Redemptionis, & prædestinationis, neq; præcisè fuit intentio, neque præcisè electio, sed intentio & electio simul: ea enim ita intendit Deus Redemptionem in bonum & commodum nostrum propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos; vt simul illam decreuerit propter summam gloriam, quam Christo erat allatura, quo pacto electa est Redemptio tanquam medium gloriæ Christi.

Quod verò non repugnet indiuisibili actu rem ali- 455
quam amare, tum vt finem, tum etiam vt medium respectu eiusdem, manifestũ est: etenim si ex motiuo charitatis, qua Summus Pontifex Ecclesiam aliquam, & virum etiam aliquem prosequeretur, illum Pastorem, & Episcopum talis Ecclesiæ constitueret, tum, vt

eius

Digitized by Google

eius dignitati prospiceret, quam optimo regiminè sciret talem Episcopum sibi comparaturum: cum etiam, vt vtilitati & cōmodis talis Ecclesiæ prouideret, quod dubium non est, quin sit possibile: tunc bonum regimen, & commodum talis Ecclesiæ est finis, in quem ordinatur electio talis Pontificis, & rursus ipse Episcopus est finis in cuius gratiam, honorem, & gloriam ordinatur bonum regimen, & vtilitas Ecclesiæ. Neque in hoc inuenitur circulus in eodem genere causæ, quia cùm duæ res propter eandem rationem formalem amantur, vt medium, & finis ad inuicem: vt constat in exemplo allato, neutra sub ea ratione præcisè, qua altera ab illa dependet, causatur ab illa: quod manifestè patet in Christo, & Redemptione nostra, ne ab instituto recedamus. Christus enim est causa efficiens, & meritoria Redemptionis, & propterea dicitur medium ordinatum à Deo in Redemptionem; Redemptio verò non habet rationem medij; & causæ efficientis respectu Christi, sed solùm est medium morale, ex quo resultat maxima gloria Christi. Ecce non eodem modo sunt media sibi ad inuicē, Christus & Redemptio: similiter etiam non eodem modo sunt sibi inuicem fines, nam Christus est finis (Cui) respectu Redemptionis, & Redemptio est finis (Cuius) respectu Christi: at Christus, prout à Deo intentus vt finis (Cui) respectu Redemptionis non dependet à Redemptione, vt à fine (Cuius) sed vt à medio; & Redemptio intenta à Deo, vt finis (Cuius) respectu Christi, vt sic formaliter non dependet à Christo vt à fine (Cui) sed vt à medio.

456 Sed obijcitur. Ergo Christus intentus vt finis rerum omniū, non est intentus propter motiuum Redemptionis, atque adeò iam dabitur decretum Incarnationis independens ex propria ratione formali à motiuo Redemptionis. Negatur consequentia; quia licèt Christus quatenus præcisè intentus, vt finis (Cui) rerum omnium, non dependeat à Redemptione vt à fine, sed vt à medio; adhuc tamen, quia completum decretum Incarnationis, vt visum est, non est sola & mera intentio, hoc est, amor Christi, vt finis præcisè, sed etiam est electio, id est, amor Christi, vt medij nostræ salutis: hinc est, vt hæc consequentia nulla sit. Christus præcisè intentus tanquam finis non dependet à motiuo Redemptionis, vt à fine; ergo Redemptio non est motiuum respectu decreti Incarnationis; quia ex vi huius decreti, quatenus completum decretum est; non est intentus Christus vt finis solùm, sed simul etiam eodem indiuisibili actu propter eandem rationem formalem electus est vt medium respectu Redemptionis, & ita Redemptio habet rationem finis, & motiui materialis, respectu completi decreti Incarnationis.

457 Sed quæritur, quodnam sit motiuum Incarnationis Christi intenti præcisè vt finis rerum omnium, si illud non est Redemptio? Resp. formale motiuū esse infinitā Dei bonitatem, materiale verò esse bonitatem, & perfectionem propriam Christi, quam aduersarij docent esse motiuum adæquatum, nos vero asserimus esse inadæquatū respectu integri decreti Incarnationis. Similiter si quæratur, quodnā sit motiuum decreti Redemptionis intentæ præcisè, vt finis Incarnationis; respondendū est, motiuum formale huius decreti esse ipsam infinitam Dei bonitatem, materiale vero esse intrinsecā bonitatem ipsius Redemptionis, quo pacto non sumitur Redemptio in tota sua latitudine. Si rursus petatur 458
loquendo de integro decreto Incarnationis, quodnam sit integrum motiuum illius? Resp. motiuum formale esse infinitam bonitatem Dei, materiale verò esse Redemptionem in tota sua latitudine sumptam, vt supra ostendimus esse motiuum adæquatum, & sufficiens Incarnationis, quia cùm huiusmodi decretum non sit sola intentio, neque sola electio, motiuum materiale integrum illius est bonitas intrinseca Incarnationis, & bonitas intrinseca operationum Christi, & intrinseca bonitas effectuum ab illis dimanantium, quorū Princeps est gloria Dei. Quare sicut motiuum adæquatum electionis medij, veram & realem conuenientiam cum fine habentis, non est sola bonitas finis, sed etiam bonitas propria, & intrinseca, vt suppono ex Philosophia, & ex prima secundæ: sic etiam motiuum adæquatum decreti Incarnationis, eminenter includentis intentionem, & electionem, non est sola bonitas finis, sed etiam bonitas medij, & propterea dixi, Redemptorem, vt includentem perfectionem, & bonitatem intrinsecam Incarnationis, esse motiuum adæquatum decreti Incarnationis, quo pacto habet rationem finis.

459 Sed obijcitur, quia in motiuo decreti Incarnationis non debet includi ipsa Incarnatio, aliàs Incarnatio esset propter Incarnationem, & esset causa sui ipsius. Negatur antecedens, & probationi dicitur, Incarnationem esse propter Incarnationem nihil aliud esse, quàm esse amatam propter intrinsecam ipsius bonitatem, quod est verum; finis autem amatus propter suam intrinsecam bonitatem, prout est in intentione, sine dubio est causa sui ipsius, prout in executione, hoc est, productionis ipsius, vt suppono ex Philosophia.

460 Ex his constat, inconsideratè asseruisse Magistrum Vincentium pagina. 633. Christum Dominum diuersis temporibus fuisse finem, & medium Redemptionis, nam pro statu viæ, ait, fuisse medium Redemptionis nostræ; esse verò finem, quatenus sedet ad dexteram Patris, gloria & honore coronatus. Nihilominus dicendum est, Christum pro vtroq; statu vtramq; rationem medij, & finis verè habuisse, nam modò vt ad dexteram Patris sedet, est medium nostræ Redemptionis; quatenus eius humanitas est causa instrumentalis illius, & quatenus pro nobis interpellat, vt optimus aduocatus apud Patrem: non enim solùm mortuus est propter delicta nostra, sed etiam resurrexit propter iustificationem nostram. Nec solùm est medium nostræ Redemptionis, vt causa meritoria, verùm etiam vt causa exemplaris, & efficiens: ergo etiam modò in cælo est mediū nostræ salutis. Similiter dum erat in terris, non solùm medium, sed etiā finis erat Redemptionis nostræ; quia omnia ipsius miracula, & omnes actiones, quibus nostram salutem est operatus, ordinatæ sunt à Deo in gloriam ipsius, etiam pro illo viatoris statu, vt scilicet agnosceretur, & reuereretur vt Deus, si non ab omnibus hominibus, quia id tunc non expediebat: at certè à pluribus, & maximè probatis, & ab vniuersa curia cælesti. Vnde Incarnatio non solùm secundùm quid, vt ait Vincentius pagina. 634. habet rationem medij respectu Redemptionis, sed simpliciter & absolutè loquendo potest appellari mediū respectu illius. Sic loquitur D. Tho. in hac quæstione art. 2. cùm Incarnationem

Digitized by Google

docet esse necessariam ad Redemptionem, tãquam ad finem. Sic loquuntur omnes Theologi, cùm docent, Christum nobis meruisse omnia media nostræ Redemptionis, præter suam Incarnationem, quæ est primũ, & excellentissimum mediorũ omnium. Sic deniq; sancti absolutè vocant Redemptionem finem Incarnationis, & causam illius. Hæc quæ diximus occasione illius secundæ confirmationis, sunt maximè aduertenda ad plurimas difficultates intelligendas.

461 Ad tertiam confirmationem Resp. nullum esse incõueniens, vt maius bonum interdum referatur ad minus bonum, vt medium ad finem, quando minus bonũ non propter se principaliter appetitur, sed propter bonum altius, & eminentius, & habet rationem finis, non vltimi, & principalis, sed duntaxat proximi, & immediati. Etenim Princeps potest prudenter totum exercitum periculo exponere, propter cuiusdam parui castri expugnationem, quatenùs castrum per se ordinatur in bonum totius regni. Et mercator propriam vitam periculo maris propter comparandas diuitias, quatenùs eædem diuitiæ ordinantur, & cedunt in eiusdem vitæ sustentationem. Ad eundem modum dico, nullam esse ordinis peruersitatem, si Deus Christum vt hominem, & omnia ad ipsum, vt hominem, pertinentia in humani generis Redemptionem, vt in quendam finem ordinasset, quatenùs ipsa Redemptio cedit in maiorem diuinæ bonitatis manifestationem, qui est finis præcipuus à Deo in eius operibus præintentus. Item Deus ideò Christi vitam, passionem, & mortem in hominũ Redemptionem destinauit, vt in finem proximũ, quia ipsa humana Redemptio in Dei gloriam, & in ipsius Christi excellentiam cedit, tanquam in finem intrinsecum, assumendo vt quoddam intermedium ipsam hominis Redemptionem.

462. Ad quartam confirmationem distinguenda est major: dupliciter enim potest aliquid dici, amari propter aliud; primò, quia amatur in ordine ad illud, & ideò dependenter ab illo, vt à fine materiali, seu potiùs vt à termino, in quem talis res ordinatur, & dirigitur ab intendente illam: & hoc modo falsum est vniuersaliter loquendo, omne id, propter quod aliud amatur, magis amari, quã id, quod amatur propter illud. Alio modo dici potest, aliquid amari propter aliud, quia bonitas alterius sit tota ratio mouens ad alterum amandũ, vel saltem præcipua: & hac ratione vera est maior, & rectè probatur ex illo Aristotelico Axiomate, Propter vnũquodq; tale &c. Ex hac etiã doctrina distinguenda similiter est minor, nã id, quod minus bonum est, dupliciter potest amari. Primò per se, & propter suam bonitatem, & perfectionem; secundò propter bonitatem excellentioris finis, cui subordinatur, & propter quem amatur. Priori modo minus bonum nequis secundùm prudentem rationem magis amari amore appretiatiuo, quã bonum maius, & hoc probant exempla in argumento adducta: posteriori autem modo id, quod per se est minus bonum, si ametur propter aliquod eximiũ bonum, potest magis amari, & maiori bono præferri, vt ostensum est exemplis in confirmatione præceden-
463 te. Vnde constat, Redemptionem sumptam pro actibus Christi, & pro effectibus ab illis causatis, vt videtur sumere Scotus dupliciter posse amari. Primò præcisè propter perfectionem, & bonitatem intrinsecam veluti absolutã; & hac ratione nõ esset rationi cõsonũ, vt tota ratio amãdi Incarnationẽ, esset bonitas Redemptionis. Secũdò potest amari Redemptio propter gloriã Dei, & ex intentione illius, nempe, vt est aptissimũ medium ad illam consequendam; & hac ratione Deus est finis, propter quem amatur Redemptio. Et sic non est inordinatum amare Incarnationem propter Redemptionem, & illam ad Redemptionem ordinare, tãquam ad effectum, & terminum ipsius. Sicut non est inordinatum, Incarnationem amare propter gloriam Dei, & vt est mediũ ad illam acquirendam: sic enim non amatur Incarnatio præcisè propter minus bonum, sed propter diuinam bonitatem, ad cuius honorem ipsa ordinari debet, sicut alia opera, quæ propter se operatur altissimus, Prouerb. 16. Quæ doctrina ab omnibus est in hac Disputatione admittenda, siue cũ Scoto, siue cũ D. Thoma sentiant, nam ad minus Incarnatio debet esse propter sanctificationem, & iustificationem tam hominũ, quàm Angelorum, de qua idem argumentum fieri potest, quod fit de Redemptione; quinpotius cùm Redemptio sit perfectior iustificatione, & sanctificatione secũdùm se consideratis, magis militat hoc argumentum contra aduersarios, quàm contra nos.

Ad secundũ argumentũ principale, quod est Scoti, 464
Respondet Caietanus quatuor distinctionibus. Sed pro explicatione aduertendũ est, quòd aliquid esse priùs volitũ, quã aliud, stat dupliciter, vel secundùm causam, vel secũdùm subsistentiã. Si cõpararentur Christi prædestinatio, & Incarnatio ad hominũ prædestinationem, vel reprobationem, prædestinatio & Incarnatio Christi sunt priùs volitæ à Deo secundùm triplicem causam, finalem, efficientem, & exemplarem; quia hoc triplici genere causæ prædestinatio Christi est causa nostræ prædestinationis, vt colligitur ex Paulo ad Roma. 8. ad Ephes. 1. & 2. & ex D. Tho. infra q. 24. art. 3. & 4. in genere verò causæ materialis, vt ostensum est, è contra se res habet. Si autem comparentur Incarnatio, & Redemptio secundùm subsistentiam, Incarnatio de possibili potuis esse priùs volita à Deo, quàm nostra Redemptio, quia posset Deus velle de potentia absoluta Christum fore antè nostram Redemptionem. Defacto autem vtrumque est volitum simul à Deo, ita vt valeat secundùm subsistendi consequentiam ab vno ad alterum: & ita secundùm hanc rationem non voluit
vnũ priùs quàm alterum, sed simul vtrumq;. Ad ar- 465
gumentum ergo Resp. verũ esse, Deũ, qui ordinatissimè vult, priùs voluisse causalitate rationis Incarnationem & gloriã animæ Christi, vtpote propinquiorem vltimo fini, quàm gratiã & gloriã nostrã, idq; in genere causæ finalis; at in genere causæ materialis priùs voluisse gratiã, & gloriã nostrã, quã Chri Incarnationem. Itẽ secũdùm subsistentiã simul illã voluit cũ gratia & gloria nostra, & cũ remedio peccati cõiũctã: quia Deus nõ voluit Chri Incarnationem, nisi vt humani peccati Redemptiuã, & ita eã voluit, quatenùs cũ ista Redemptione habet cõnexionem, & non separatim. Itẽ nõ semper quod est propinquius fini, priùs ratione appetitur ab ordinatè intendente talem finem, vt constat ex ipso exẽplo Scoti de gloria, & gratia. Nõ enim priùs ratione intẽdit Deus gloriã dare hominibus, quàm gratiã, quia nõ intẽdit dare gloriã nisi Filijs, sicut nõ priùs intendit Deus beatitudinẽ naturalem hominibus, quàm ipsum

esse

Digitized by Google

esse substantiale, & naturale: sic neque priùs intendit dare beatitudinem supernaturalem, quàm ipsum esse supernaturale, quod alijs pluribus exemplis posset confirmari. Et ita quamuis Deus voluerit Christum esse sibi proximiorem omnibus alijs prædestinatis, non priùs ratione, hoc est, in aliquo rationis signo voluit Christum, in quo cæteros prædestinatos non voluerit. Ex quibus constat non priùs voluisse Deum gloriam Christi, quàm Adæ peccatum præsciuerit scientia visionis.

466. Ad primam confirmationem Resp. Incarnationem Christi esse finem nostræ Redemptionis, & vice versa, vt dictum est in solutione ad secundam confirmationem primi argumenti. Vnde illa maxima Scoti est vera, quando bonum præstantius ordinatur in minus bonum tanquam in vltimum finem, non autem quando maius bonum ordinatur in minus tanquam in finem proximum: sic enim motus passiuus cælorum, & actiuus intelligentiarum in generationem horum inferiorum ordinatur, & ob id dixit Aristot. 2. de Cælo cap. 3. tex. 17. Vnumquodque esse propter suam operationem, & in illam tamquam in proximũ finem ordinari. Sic etiam licet Incarnatio Christi sit nostræ reparationis finis, potest etiã in eandem reparationem ordinari, tãquàm in finem, non quidem vltimum, sed proximum. Sicut enim in diuerso genere causandi, causæ possunt sibi inuicem esse causæ; sic etiã fines in diuersis generibus causæ finalis possunt esse sibi inuicem fines: scilicet, Cuius, & Cui, vt supra explicatum est.

467. Sed pro maiori huius doctrinæ explicatione aduertendum est ex Arist. 2. Phys. textu. 32. duplicem esse finem, alius est enim finis effectus, alius verò est finis efficiens. Finis effectus est ille, qui in genere causæ efficientis procedit à medio, quod in ipsum ordinatur, vt sanitas est finis medicinæ in genere causæ efficientis proueniens ab ipsa medicina, quæ est medium ad sanitatem ordinatum. Finis autem efficiens est, qui non procedit à medio, quod in ipsum ordinatur, sed potiùs ipsum efficit, qua ratione Deus est finis creaturarum, & vnumquodque dicitur finis suæ operationis. Differunt autem ij fines, quòd finis effectus semper ordinatur ad suum efficientem, & simpliciter est propter ipsum; vt operatio propter operantem: finis autem efficiens non est simpliciter propter finem effectum, sed quandoque ordinatur ad ipsum, non quia indigeat perfectione finis effecti, sed propter manifestandam suam virtutem in fine effecto: etenim effectus causæ efficientis est manifestatio virtutis, & gloriæ eiusdem causæ. Et quia vnumquodque est propter suam gloriã & perfectionem, ideò est propter effectum manifestatiuum suæ gloriæ, atque ita effectus potest esse finis causæ efficientis. In proposito ergo, Incarnationis Christi finis effectus est nostra salus & Redemptio, quatenus Incarnatio ordinatur in salutem nostram efficiendam, tanquam in finem manifestatiuum virtutis Incarnationis Christi: at salus, ac Redemptio nostra simpliciter ordinatur in incarnationem Christi tanquam in finem, à cuius virtute pendet. Sed obijcitur.

468 Ergo Incarnatio Christi nequit esse finis Redemptionis nostræ, sicut neque medicina est finis sanitatis. Probatur consequentia: quia Incarnatio ordinatur in Redemptionem, tanquam in finem effectum. Item sequitur, Deum in creaturas tanquam in finem secundo modo ordinari, cùm sit finis efficiens earum, quod est absurdum. Resp. differentiam assignatam esse verissimam, sed non esse sic accipiendam, vt omnis causa efficiens, & eius effectus semper sint sibi inuicem causæ finales, imò verò efficiens, vt sic nunquam est finis effectus, neque effectus vt sic est finis efficiens; sed quod asserimus, est, causam efficientem, & eius effectum posse interdum habere rationem finis adinuicem in diuerso genere causæ finalis; scilicet, efficientis & effecti. Vnde quòd causa efficiens sit finis sui effectus, non prouenit ex eo; quòd est efficiens, sed ex eo, quòd est maius & illustrius bonum; & quia Incarnatio Christi est huiusmodi bonum respectu nostræ Redemptionis, medicina verò non est tale bonum respectu sanitatis; ideò Incarnatio potest esse finis efficiens Redemptionis, non autem medicina sanitatis. Item effectus est finis causæ efficientis, non inquantùm effectus præcisè, sed quatenus est manifestatio virtutis, & gloriæ causæ efficientis. Id est, inquantùm efficiens indiget effectu ad suæ gloriæ manifestationem. Et quia Deus ista imperfectione & indigentia caret, ideò creatura nequit esse finis eius. At verò, quia Christus, vt homo, indiget suæ gloriæ manifestatione, quæ nostra Redemptione maximè illustratur, ideò hominum reparatio, & Redemptio potest esse finis effectus, seu proximus Incarnationis Christi.

Vnde constat, Incarnationem Christi, & nostrã Redemptionem à se inuicem pendere in diuerso genere causandi, nam, quia Incarnatio est finis efficiens Redemptionis, ipsa Redemptio dependet ab Incarnatione in esse, & fieri, quia Incarnatio est causa efficiens omnium effectum supernaturalium, quibus genus hominum à peccato reparatur. Et quia Redemptio est finis effectus Incarnationis; ideò Incarnatio pendet à Redemptione in manifestatione suæ gloriæ. Imò verò potest dici, ab illa dependere in esse, & fieri saltem in genere causæ materialis, quia Incarnatio, vt supra diximus, est facta ex reparatione hominum, & præuisione peccati, atque ita reparatio non solùm est causa, quòd gloria Incarnationis manifestetur, sed etiã fuit causa, saltem materialis, quòd sit Incarnatio. Neque mirum est, fines esse sibi inuicem causam finalem in diuerso genere causandi finaliter, quia hoc etiam reperitur in causis efficientibus secundùm diuersam rationem causæ efficientis: substantia enim est causa efficiens suorum accidentium quoad esse, fieri, & cõseruari simpliciter: at verò accidentia sunt causa substãtiæ, non quantùm ad esse, & fieri, sed quantùm ad conseruari saltem remouendo prohibens. 469

Ex hac doctrina, & ex responsione ad secundam confirmationem primi argumenti soluuntur secunda & tertia confirmatio huius argumenti. 470

Ad tertium argumentum principale, quod est Scoti, distinguenda est maior, nam dupliciter intelligi potest, Incarnationem volitam esse à Deo occasionaliter. Primò, vt nõ sit volita, nisi præcognita occasione peccati, qua posita, perfectiori modo intendi posset Incarnatio, quàm si illa nõ esset, & hoc modo licet verum sit, non esse rationi consonum, vt Incarnatio, quæ summũ bonum in entibus est, sit per accidens volita; falsum 471

tamen est; quod sit dissonum rationi, occasionaliter Incarnationem amare, quin potiùs si amanda erat Incarnatio secundùm perfectissimum modum & statum, quo ad gloriam Dei & Christi maximè deseruiebat, amanda erat hoc modo occasionaliter dependenter ab occasione peccati. Alio modo potest dici aliquid occasionaliter volitum, quia non ratione sui, sed ratione alterius, & ex occasione mali habet rationem boni, quo pacto occasionaliter amatur pœna, & hac ratione dici non potest, Incarnationem esse amatam occasionaliter à Deo, quia taliter est amata ex occasione peccati, vt ipsa occasio peccati permissa sit à Deo ad perfectissimo modo intendendã Incarnationẽ. Vnde negatur minor in hoc secundo sensu, & ad probationem cõcedenda est maior, non enim peccatum est intentum à Deo in natura humana, quin potiùs fuit contra voluntatem Dei. Minor verò concedenda est, nempe, Redemptionem vt intentam à Deo præsupponere peccatum, vt ostensum est Parag. 2. sed hoc tamen non sequitur, Redemptionem, & Incarnationem non fuisse per se primò intentas à Deo, vt facilè constat exemplo passionis Christi, quæ vt sacrificium oblatum à Christo, per se primò intenta est à Deo in genere causæ finalis antè scientiam visionis peccati crucifigentium Christum, à quo non minùs depẽdet passio in genere causæ materialis, quàm Incarnatio in carne passibili à peccato Adami.

472 Ad primam confirmationem concesso antecedenti, & prima consequentia, neganda est secunda, nam Concilium Nicenum manifestè affirmat, propter nos homines, & propter nostram salutem Filium Dei esse Incarnatum. Quare ex antecedenti à nobis concesso solùm potest inferri, Christum non solùm propter nos homines, & propter nostram salutem volitum esse à Deo, sed etiam propter intrinsecam perfectionem ipsius, & gloriam Dei.

473 Ad secundã cõfirmationem cõcesso antecedenti negatur cõsequentia: quia licèt amor Christi à dilectione mundi fuerit dependens, iuxta illud Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundũ &c.* Adhùc tamen mũdus nõ est causa meritoria amoris Christi; nã aliud est, Deum ex affectu misericordiæ erga homines prædestinasse Christum; & hoc modo prædestinationem eius dependentẽ fuisse à nostra miseria, vt ab occasione: aliud vero, quòd ratio, & causa amãdi Christũ fuerit bonitas mundi, quod falsum est, quia potiùs occasio fuit malitia mũdi, propria verò causa fuit bonitas Dei, quæ accepta occasione ex hac malitia voluit inimicis benefacere: & ideò Christus non est electus in nobis, licèt dependenter à nobis: nos verò electi sumus in Christo, quia dependenter ab illo, vt à causa finali, exemplari, & meritoria. Accedit, quòd idem argumentũ fieri potest cõtra aduersarios; siquidem in omni sententia Christus electus est dependenter ab amore mundi, neq; enim neganda sunt Verba Christi Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundũ &c.* Quibus verbis apertè significatur, Incarnationis opus ex mundi amore ortum habuisse, quod in omni sententia verum, & certum esse debet.

474 Ad tertiam confirmationem negatur Sequella, & ad probationem negatur consequentia: aliàs lætandũ nobis esset de peccato crucifigentium Christum, quia ex eorum peccato tantum reportauimus bonum, quãtum fuit sanguis Christi pro nostræ Redemptionis pretio oblatus; quod non reportaremus ex vi præsentis decreti, si Iudæi minimo suo peccato Christum non crucifixissent. Similiter lætandum esset Ecclesiæ de peccatis Tyrannorum, quia sine illis careret martyribus, qui sanguinis effusione fidem cõfirmarent, & suis victorijs Ecclesiam illustrarũt: quod tamen est falsum: Et denique si fieri potest, vt quis gaudeat de effectu, & non de causa, vt in rebus moralibus docent Theologi, multò magis gaudere quis poterit de effectu, & non de occasione. Et hoc modo licèt Ecclesia ex D. Gregorio fœlicem prædicet culpam Adami, quia fuit occasio tanti boni, non tamen de illa lætatur; quin potiùs dolet de omni offensa Dei, & maximè de illa, quæ omnium maxima fuit. Itaque ex illo antecedenti tantùm sequitur, gaudendum nobis esse de bonitate & misericordia Dei, qui ex tanto malo tantum bonum voluit elicere; atque ita omnia accepta referenda sunt ipsi Deo; non autem peccato, quod potiùs Incarnationi obstabat. Vnde si posito peccato datus est nobis Christus, solùm datus est ex infinita bonitate, & misericordia Dei, de qua lætari debemus. Neque obstat, quod 475
canit Ecclesia ex D. Gregorio, O fœlix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem; quia ista voce lætabunda exultat Ecclesia, non quia commissum fuerit peccatum, sed quia tali, ac tanto remedio fuerit deletum. Vbi est aduertendum, culpam appellari fœlicem, non ea fœlicitate, quæ est beatitudo, quia illius non est capax, sed ea fœlicitate, quæ appellatur bona fortuna, quatenùs omne bonum alicui proueniens præter eius intentionem, & præuisionem appellatur bona fortuna, & ipse bene fortunatus & fœlix: sicut malum hac ratione proueniens vocatur mala fortuna, & ipse dicitur infœlix. Et quia Incarnatio Christi accidit primo parenti, ipso nihil tale intendente, & præuidente; ideò eius culpa appellatur fœlix, & ipse potiùs debet dici fœlix. Quod verò ibi dicitur, (Meruit,) non est in rigore accipiendum, quasi ex iustitia deberetur Incarnatio primo parenti peccanti; sed vsurpatur pro eo, quod est, obtinuit, in qua significatione communi vsu loquendi sumi solet hæc vox, (Meruit.)

Ad quartam confirmationem concesso antecedenti 476
negatur consequentia, & ad probationem Resp. peccatum esse prius in genere causæ materialis ipsa Incarnatione, at Incarnationem esse priorem peccato in genere causæ finalis.

Ad quartum argumentum principale Resp. quòd se- 477
cluso peccato diuina potentia satis ostenderetur in modo productionis creaturarũ, scilicet, in creatione. Item satis esset summum bonum creaturis cõmunicari per suam similitudinem, & participationem per effectus naturales, & supernaturales. Et ipsum vniuersum esset à Deo sapientissimè constitutũ; quia tũc nihil ei deesset eorum, quæ ad naturalem eius perfectionem attinent. Et tandem ordo gratiæ similiter esset perfectus, quia nulla ei defuisset perfectio ex his, quæ ad suam consistentiam spectant.

Ad primam confirmationem Resp. quòd si nullum 478
extitisset hominum peccatum, prædestinarentur quidem homines, sed non ea ratione, qua modo sunt prædestinati, quia nunc prædestinantur liberati, & Redempti à captiuitate peccati, & non quacumque Redemptione,

sed

478 sed copiosa & perfecta; quam solus Christus exhibere potest. Tunc verò prædestinarentur duntaxat gratificati & iustificati per gratiam Dei, atq; ita non oporteret esse Christum, siquidem non prædestinarentur liberati, & Redêpti perfectè. Cùm verò infertur, quòd aliàs anima Christi magis nobis deberet, quàm nos illi, negatur; sicut non sequitur, martyres debere palmam martyrij suis persequutoribus, sine quibus illam nō haberent. Neq; sequitur Christum sui corporis gloriam, ac sui nominis exaltationem suis crucifixoribus debere, sine quibus illam nō consequerentur. Ratio horum omnium est, nam cùm aliquid est tantùm occasio, vel causa sine qua non prouenit aliquod bonum, tale bonum nulla ratione est occasioni, siue causæ sine qua non, tribuendum. Et quia peccatum fuit duntaxat occasio Incarnationis Dei, non sequitur, animam Christi aliquid nobis debere, sed potiùs nos debere & ipsi Christo, & Deo Patri, quicquid boni habemus. Christo quidem, quia nobis meruit, quidquid boni in nobis est ad vitam æternam pertinentis: Deo autem, quia ex tanto peccato & malo secundùm suam misericordiam tantum bonum elicuit, atq; ita ipsi debemus non solùm ea dona, quæ in nobis sunt, verùmetiam ipsum Christum, & omnem gratiam, & gloriam, quā beatissima Christi anima habet.

479 Ad secundam confirmationem Resp. quòd licèt scluso peccato per aduentum Christi genus humanum nobilitaretur, & vniuersum perficeretur, & essent omnes differentiæ Natiuitatis humanæ: non tamen probatur, quod de facto secluso peccato esset Christus, quia satis esset tunc genus humanum nobilitatum, & vniuersum perfectum ea nobilitate, & perfectione, quæ sibi secundùm esse naturale esset debita, alioqui probaretur etiam, quòd secluso homine, & peccato deberet Deus fieri Angelus, quia hac ratione maximè perficeretur vniuersum. Nec oporteret, esse tunc quartum genus Natiuitas humanæ, quia nulla ratio iustitiæ hoc postulabat, sicut postulat existente peccato: nam posito peccato ratio iustitiæ exigit perfectam Satisfactionem, quam solus Christus potuit exhibere, in quo inuenitur quarta Natiuitas humana.

480 Ad tertiam confirmationem desumptam ex Paulo, Resp. D. Paulum eo loco sic argumentari. Si gratia data est indignis, multò magis dabitur dignis. Vnde argumentum procedit à non debito ad non debitum. Ex quo aduersarius nihil contra nos colligere potest, quia Verbi Incarnatio sicut nō est debita indignis, ita etiam neq; debita est non indignis, atq; adeò non sequitur, si data fuit peccatoribus, similiter fore iustis dandam, si perseuerassent, quia neutris debuit dari. Sed contra. Si non debitum datur Indispositis & indignis: ergo potiùs debuit dari non indispositis, quales essent homines secluso peccato. Negatur consequentia, quia potest contingere, vt indispositi, & indigni magis indigeant, atq; adeò magis prouocent misericordiam, ex qua illis non debitum conferatur. Sic Lucæ. 15. Vitulus saginatus datus fuit filio Prodigo, qui erat indispositus, & non filio morigero, quia ille magis indigebat, licet neutri esset debitus.

481 Ad quartam confirmationem Resp. Secluso peccato non esse necessarium, Ecclesiam habere caput Homogeneum, sed satis esset, habere caput AEtherogeneum, quod est Deus: nam quòd modò Ecclesia supposito peccato habeat caput Homogeneum, quod ex se in membra influat, & de toto rigore iustitiæ nobis vitam animæ mereatur: inde prouenit, quòd Adam fuit caput Homogeneum, quod de se influxit, & nobis meruit dānationem ex toto rigore iustitiæ, alloqui non esset tam iusta saluatio, quàm fuit damnatio. At verò secluso peccato hæc ratio locum nō haberet, & ideò nō oporteret esse tale caput, aliàs etiam in Angelis deberet esse huiusmodi caput, & eâdem ratione probaretur, debuisse Deum fieri Angelum. Similiter dicendum est, non fuisse necessarium, id, quod est gratum per participationem, reduci ad hominem gratum per se, sed satis esset, reduci ad primum gratiæ authorem, qui est Deus. Etenim licèt sit verum, omne imperfectum essentiali ordine præsupponere aliquod perfectum, in quo sustentetur: non tamen oportet, vt illud perfectum sit eiusdem ordinis, & nominis cum imperfecto, quod indiget sustentatione; nisi quando imperfectum in sua ratione intrinseca non includit imperfectionem: sic enim sapientia creata præsupponit sapientiam increatam, & bonitas creata bonitatem increatam. At verò homo non præsupponit hominem per essentiam: sed sic est, quòd esse gratum per participationem in sua intrinseca rationa includit imperfectionem: ergo non opportet, perfectum, quod præsupponit, esse eiusdem ordinis, & nominis, sed alterius ordinis: alioqui esse gratum, quod est in Angelis, non posset esse sine esse grato Dei, & Angeli, quod est falsum.

Ad quintum argumentum principale Resp. Quòd licèt Satisfactio & meritum in hoc conueniant, quòd neutrum potest esse perfectum, & de toto rigore iustitiæ, nisi per Christum; est tamen inter vtrumq; latum discrimen: nam Satisfactio præsupponit peccatū, quod de toto rigore iustitiæ meruit nostram dānationem; & ideò vt perfectè tollatur, est necessaria perfecta Satisfactio, quam solus Christus exhibere potuit. At verò meritum non supponit peccatum, vt patet in Angelis, & in Christo in primo instanti sui esse, & ita nulla ratio iustitiæ postulat, vt sit perfectum meritum secluso peccato, sicut eadem iustitiæ ratio postulat, vt sit perfecta Satisfactio supposito peccato; & ex cōsequenti quod sit Christus. Solutio igitur argumenti posita est in negatione consequentiæ; quia Deus est Dominus suæ gratiæ, & quamuis motiua essent paria, potest velle Incarnari propter vnum, & non propter aliud; maximè cùm in præsenti non sint cætera paria; quia Incarnatio Filij Dei est Deo honorificentior, & Christo gloriosior prout ordinata ad totius generis humani Redemptionem, & Satisfactionem pro peccatis omnium hominum, quàm si solùm ordinaretur ad meritum ex rigore iustitiæ. 482

Præterea licèt posita intentione meriti in Deo ex rigore iustitiæ tā necessaria sit Incarnatio ad meritum, quàm fuit ad Satisfactionem ex rigore iustitiæ, quia ad vtrumq; excellentia Diuinæ Personæ requiritur; adhuc tamen conuenientius est, & dignius Deo, vt posito peccato Deus Satisfactionem ex toto rigore iustitiæ intendat, quàm illo ablato meritum ex toto rigore iustitiæ: quia posito peccato iustitia pro offensa illata Deo condignam exigit Satisfactionem, quam licèt Deus posset absq; iusta Satisfactione remittere; adhuc tamen 483

si id faceret, non ita perfectè iudicis munere fungeretur, præsertim si peccata essent maxima, & valde frequẽtia. De quo legẽdus est D. Anselmus lib. 1. Cur Deus homo cap. 10. & 13. & 19. neq; ita perfectè ostenderet Deus, quanto odio peccatum prosequatur. At ablato peccato neq; iustitia, neq; misericordia ita exigerent rigorem iustitiæ, vt Deus Filijs suis benefaceret, & omni cœlesti benedictione benediceret, quia Patris officiũ nõ ita exigit, vt munera filijs collata ex debito iustitiæ procedãt. Accedit, quòd posito peccato obtulit se se Deo maxima occasio summè iustitiam suam manifestandi, misericordiam, & infinitam sapientiam suam, qua efficere potuit, vt summus iustitiæ rigor summam misericordiæ bonitatem adeò exaltaret, vt quò maior esset rigor, maior esset lenitas misericordiæ. Quod quidem motiuum cessante peccato cessaret. non ergo essent cætera paria in statu innocentiæ.

484 Ad primam confirmationem Resp. Ex vi decreti Incarnationis, quod Deus habuit de facto, deficiente peccato originali Christum nõ venturum, quia remedium peccatorum actualium de facto nõ fuit Deo sufficiens, & adæquatum motiuum eius decreti, quo de facto Incarnari statuit, & ideò asserit D. Thom. art. 4. sequenti, Christum principaliùs venisse ad tollendum peccatum originale, quàm actuale. Vnde in casu argumenti cùm deficeret peccatum originale, ex vi decreti Incarnationis non esset necessaria Incarnatio ad Satisfaciendum. Sed Deus alio modo Satisfactionem intenderet, quamuis non rigorosam.

485 Ad secundam confirmationem neganda est minor, quia non omnes conuenientiæ, quæ sumuntur ex promotione in bonum, & remotione mali in statu naturæ lapsæ, essent in statu innocentiæ, nam de cõuenientijs, quæ ex remotione mali sumuntur, negari hoc non potest à M. Suarez, cuius est hæc confirmatio Dispur. 5. sectio. 4. Deinde illæ quæ sumerentur ex promotione in bonum, non ita perfectæ essent in statu innocentiæ, ac modo sunt: non enim ex quauis promotione in bonum desumptæ sunt illæ conuenientiæ, propter quas Deus Incarnari decreuit, sed ex summa, & perfectissima promotione in bonum, quæ vt summa sit, supponit in natura humana maximam talis boni indigentiam, & dicit ordinem ad Incarnationem in carne passibili, quo pacto perfectius, & efficacius medium est promotionis in bonum respectu nostri, quàm prout in carne impassibili. Vnde ad probationẽ huius minoris Resp. Christum perfectiori, & excellentiori modo docuisse nos fidem, firmasse Spem, & auxisse Charitatem, prout venit in carne passibili; quàm si venisset in carne impassibili in statu innocentiæ. item maius, & excellentius virtutum omnium præbuit exemplum, quàm tunc præberet: & deniq; licet humanitas Christi non participaret Diuinitatem minùs tunc, quàm modò, quia vnio hypostatica esset eadem, nos tamen pro hoc statu, ipsius Diuinitatẽ perfectiùs participamus, quàm in statu innocentiæ homines participarent: quoniã in Eucharistiæ Sacramẽto, ipsi Christi humanitati magis vnimur, eam in nobis recipiẽdo. Sacramentum autem Eucharistiæ, sicut & Sacrificium proprium esse videtur huius status. Ex quo patet, argumentum Suarez esse à maiori ad minus affirmatiue, quod genus argumentandi vitiosum est.

Secundò Resp. Concessis maiore & minore negando consequentiam, quia in his, quæ ex mera Dei volũtate pendent, non est legitima consequentia ex vno ad alterum à paritate rationis, aliàs plura debuisset Deus facere, quæ non fecit, vt pluribus exemplis posset confirmari. Quare licèt pro statu innocentiæ Incarnatio esset æquè conueniens, tam ad promotionem hominis in bonum, quàm ad remotionem mali, adhuc tamen sapientissimè potuit Deus nolle incarnari pro statu innocentiæ, & velle Incarnari pro statu naturæ lapsæ, vt sic ostẽderet, quàm esset Dominus suæ gratiæ, & quàm liberaliter Incarnationis opus pro hominum salute est operatus. Hanc ob causam pluribus peccatoribus solet Deus plura & maiora dona gratiæ tribuere, vt V. G. Diuæ Magdalenæ, & D. Paulo, quàm pluribus iustis. Propterea etiam *Infirma mundi elegit Deus, vt fortia confundat, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt, destrueret, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis, ne glorietur omnis caro in conspectu eius.* Vt docet Paulus. 1. Corint. 1. & 2. ad Corint. 4. Et propterea etiã satis congruenter dicere possumus, noluisse Deum pro statu innocentiæ Incarnari, ne homines hinc occasionem acciperent suspicandi, tantum beneficium ex dignitate naturæ humanæ ortum habuisse, & propter merita hominum Deum Incarnari statuisse. Propterea etiam conueniens fuit, vt Deus non incarnaretur nisi post elapsum longissimum tempus à peccato Adami, vt homines suam indigentiam & infirmitatem magis cognoscerent, imò etiam indignitatem, vt sic eum maiori humilitate tantum beneficium susciperent, nulla ratione illud sibi appropiando, hoc est, proprijs meritis, aut dignitati attribuendo. De quo legatur. D. Thom. artic. 5. huius quæstionis. Propterea etiam, vt sancti docent, sæpiùs differt Deus sua donadare, imò etiam permittit, vt indigniores reddantur illis hi, quibus statuit illa conferre, vt sic suam imbecillitatem meliùs cognoscant, & humiliores effecti in gratiarum actione sint feruentiores, imò & sic dona quodammodò maiora redduntur, quò indignioribus dantur, de quo videatur D. Augustinus de Natura & Gratia à cap. 13. vsq; ad 16. atq; hæc sola esset congruentissima ratio; propter quam Deus potuit nolle pro statu Innocentiæ Incarnari, licèt Incarnatio æquè esset conueniens pro illo statu, ac pro isto naturæ lapsæ. Quare cùm ex sacris literis sufficiens fundamentum non colligatur ad asserendum, Deum independenter à remedio peccati Incarnari decreuisse, non est rationi consentaneum, id ex paritate conuenientiæ colligere velle. Sicut enim ex paritate conuenientiæ non rectè cõcluderetur: sicut D. Paulus vidit Diuinam essentiam in hac vita, sic etiam D. Ioannem, aut D. Petrum vidisse; quia ex Sancta Scriptura nullum est sufficiens fundamentum ad id affirmandum, vt est de D. Paulo. Hæc autem dona grauita singulis diuidit Spiritus, prout vult, atq; adeò ex communi & ordinaria regula nullus excipiendus est, nisi ad id ex sacris literis fundamentum habeamus, ex quo Diuina voluntas nobis innotescat. Accedit quòd pro statu innocentiæ non ita esset necessaria Incarnatio, neq; ad promotionẽ hominis in bonũ, neq; ad remotionem mali, ac in statu naturæ lapsæ, atq; adeò non est bona consequentia, quòd si Incarnatio in statu naturæ corruptæ est ordinata à Deo propter

propter hominis promotionem in bonum, & remotionem mali, etiam in statu innocentiæ propter hanc ipsam rationem esset ordinata.

488 Ad sextum argumentum principale; quod sumitur ex M. Suarez pag. 180. col. 1. Cõcedẽda est maior, si illud, Magis, sumatur intensiuè & non extensiuè: si enim maior intelligatur de maiori manifestatione extensiua charitatis, est falsa, quia magis extensiuè significaret Deus suam charitatem intendendo Incarnationem, vt medium efficax salutis omnium hominum, & tamen non ità intendit. Item limitanda est etiam illa maior, vt vera sit, nam illud, Magis, etiam intensiuè sumptum sic limitatè est intelligendum, si aliunde sint cætera paria; nam cùm Deus in opere Incarnationis non solùm intendat suam charitatem manifestare, verùm etiam omnia alia attributa, potentiam infinitam, summam sapientiam, suauissimam prouidentiam, absolutum rerum omnium dominium & summam libertatem, eatenùs solùm conuenientius erit, Incarnationem intendere eo modo, quo magis manifestet charitatem suam, quatenùs huiusmodi maior manifestatio charitatis nihil impediat manifestationem aliorum Diuinorum attributorum, nam si aliquid derogat huic perfectissimæ aliorum attributorum manifestationi, non erit conuenientius, & dignius Deo, eo modo Incarnationem intendere, quo magis per illam Dei charitas manifestetur, & propterea non dicimus fuisse conuenientius, quòd Deus ita pro omnibus hominibus esset Incarnatus, vt adæquatè pro singulis Incarnaretur, licèt hoc pacto magis intensiuè Deus suam charitatem erga singulos homines manifestaret. Concessa igitur maiori cum his duabus limitationibus (nam sine illis est neganda, vt falsa) negatur minor, nempe, quòd magis intensiuè Deus suam charitatem manifestet, nihil impediens manifestationem aliorum attributorum, intendendo Incarnationem adæquatè, tũ propter Redemptionem, tum etiam propter aliud motiuum à Redemptione independens.

489 Ad primam probationem huius minoris negatur maior, nam Incarnatio decreta ex motiuo Redemptionis, & simul etiam ex alio motiuo priori, vt ponitur à M. Suarez, minùs manifestat amorẽ Dei erga nos, quã vt decreta primò & per se solùm ex motiuo Redemptionis, vt nos docemus: & probatur. Primò: quia si Incarnatio vt decreta ex duplici motiuo assignato à Suarez perfectiùs significat amorem Dei, sine dubio frequentissimè in Scriptura proponeretur nobis Incarnatio sic decreta à Deo. Propterea enim plærumq; repetitur motiuum Redemptionis in sacris literis, quia illo magis manifestatur charitas Dei: ergo si Incarnatio prout decreta ex vtroq; motiuo simul adæquatè propter quodlibet magis manifestat charitatem Dei, frequentiùs in Scriptura fieret mentio Incarnationis, prout decretæ ex vtroq; motiuo. Cõsequentia probatur; quia hoc Incarnationis opere maximè intendit Deus ignem charitatis in nobis accendere: ergo eo modo proponendum erat in Scriptura, quo magis charitatem accenderet: sed vt vidimus, nunquam ita proponitur in Scriptura. Et quamuis non careat omnimoda probabilitate subobscurè aliud motiuum à Redemptione independens in Scriptura aliquando adumbrari, certum tamen est, rarissimè id fieri, & obscurissimè. ergo signum est ex hoc incerto, & obscuro motiuo inferri non posse maiorem charitatis ostensionem in opere Incarnationis; nulla enim esset ratio sufficiens, propter quã hoc motiuum ita esset occulsatum. Accedit, quòd sancti dũ maximè curant amorem nostrum ex opere Incarnationis excitare, ad aliud motiuum non confugiunt, præter quàm ad motiuum Redemptionis: ergo signum est non magis manifestari charitatem Dei in opere Incarnationis, si dicamus, illud fuisse decretum à Deo ex duplici motiuo adæquato; & independenter à nostra miseria.

Secundò idem probatur. Supposito, Incarnationem in carne passibili esse Deo gloriosiorem, & Christo honorificentiorem, & nobis vtiliorem, magis manifestaret Deus amorem suum erga Christum, & erga nos intendendo primò & per se Incarnationem in carne passibili propter Redemptionem nostram, quàm illam intendendo primò & per se abstrahendo à carne passibili, propter motiuum abstrahens à Redemptione, & secundariò intendendo illã in carne passibili. Hic enim modus primò & per se intendendi Incarnationem secundùm modum perfectiorem absolutè, magis manifestat amorem Diuinum, & summam Diuinæ voluntatis propensionem in maius bonum nostrum, quæ est perfectissima significatio charitatis. Tertiò idem probatur: quia si Incarnatio electa est primò & per se independenter à peccato Adami, etiam electa est primò & per se independenter ab amore nostro: ergo magis significaret Deus amorem suum erga nos, qui modò in hoc statu naturæ lapsæ sumus eligendo Incarnationem primò & per se in carne passibili, & omninò dependenter à nostra Redemptione, quàm si illam primò & per se eligeret abstrahendo à carne passibili propter motiuum independens à nostra Redemptione. Antecedens probatur, quia hæc series, & coordinatio harum generationum, & eorum hominum, qui modò sunt, omninò est dependens à peccato Adami; ergo si Incarnatio est decreta primò & per se independenter à peccato Adami, etiam est decreta primò & per se independenter ab amore horum numero hominum, qui modò sumus in statu naturæ lapsæ. Consequentia est firma, antecedens probatur: quoniam in statu innocentiæ ex Abel plures generarentur, qui modò non generantur, & ex Filijs & filiabus illius matrimonio iunctis Filijs & filiabus Cain, etiam generarentur diuersi Filij, quàm de facto sint generati: parua autem diuersitas in principijs maxima esset in fine sæculorũ. Præterea Adam & Eua non eosdem omninò filios generarent in Paradiso, ac postea genuerunt eiecti ab ipso, nam in Paradiso diuersis vterentur cibis, ex quibus diuersa materia proli generandæ subministraretur: magis etiam resoluerentur partes materiæ in statu naturæ lapsæ, quàm cùm essent incorruptibiles in Paradiso: ergo credibile non est, nisi ad miracula confugiatur, quòd eosdem numero filios generarent Adam & Eua in statu naturæ corruptæ, ac generarent in statu incorruptibili, atq; adeò diuersi essent homines saltem maxima ex parte in statu innocentiæ, ac sunt modò in statu naturæ corruptæ: ergo Incarnatio intenta per se primò independenter à peccato Adami, & ab his numero hominibus, qui de facto ex ipso procreati sunt, non ita manifestat amorẽ Dei erga nos peccatores, qui ex Adamo peccatore

tore

sote descendimus, ac manifestat, si dicamus, Incarnationem per se primò intentam esse à Deo in carne corruptibili, & omninò dependenter à determinato amore nostro, quod erat probandum.

492 Quartò idem probatur, nã quò beneficium est magis voluntarium, & indignioribus tribuitur, eò magis manifestat charitatem donantis; at si Incarnatio fuit decreta solùm propter motiuum Redemptionis, absolutè est magis voluntaria respectu totius naturæ lapsæ, & indignioti tribuitur per se primò: ergo absolutè vt sic magis significat charitatem Dei erga peccatores, quos venit Christus quærere & saluos facere. Maior est certa ex D. Thom. 2. 2. q. 106. art. 5. & 6. vbi asserit, magnitudinem beneficij præcipuè æstimandam esse ex eo quod gratis omninò, & sine obligatione fiat. Minor probatur quia si priùs natura, & omninò independenter à peccato Deus Incarnari decreuit propter hominum sanctitatem, quamuis homo peccasset; iam tenebatur Deus Incarnari, & ex consequenti ex vi primi decreti non esset homo sine remedio, nec desperata esset eius salus, etiam post peccatum, vt verè fuit, nisi misericorditer succurrisset Deus: ergo magis voluntaria est Incarnatio, si primò & per se sit à Deo instituta in remedium peccati absq; alia præcedente obligatione, orta ex priori decreto Incarnandi independenter à peccato. Sic etiam per se primò beneficium Incarnationis indignioribus tribuitur, siquidem per se primò tribuitur inimicis; ergo vt sic magis manifestatur charitas Dei, & summa illius liberalitas per Incarnationem per se primò decretam in remedium peccati, quàm si secundariò & ex præcedenti obligatione Deus Incarnari statueret.

493 Quintò. Incarnatio primò & per se intenta à Deo propter solum motiuum Redemptionis in carne passibili magis manifestat charitatem Dei erga humanitatem Christi, quia vt supra ostendimus, nequit pro statu innocentiæ electa esse à Deo eadem numero humanitas, quæ de facto electa est in statu naturæ lapsæ, nisi aduersarij ex suo capite miracula confingant; maximè autem pertinet ad significationem amoris respectu huius numero humanitatis, vt primò & per se electa, & prælecta sit à Deo, non autem secundariò. Sextò. D. Bonauentura apertè testatur affectum animæ fidelis magis excitari credendo, Incarnationem per se primò decretam fuisse ob Redemptionem duntaxat generis humani, quàm si alio modo esset decreta, ergo viro experto credendum est, magis quàm aduersarijs, qui fortè nunquam id experti sunt. Accedit, esse prorsus incredibile: Deum voluisse Sanctissimum Doctorem D. Thomam hoc maximo motiuo priuare, quo in amorem Dei incenderetur, credendo Incarnationem ex duplici motiuo aduersariorum fuisse decretam. Nullus etiam sanctorum hoc tali motiuo est vsus ad amoris affectum erga Deum inflammandum: ergo nullum est tale motiuum: si enim esset, non deberet esse otiosum, neq; id Deus in re tanti momenti permitteret. Vnde constat, argumentum Suarez potius esse pro nobis, imò vnam ex potissimis confirmationibus nostræ sententiæ esse refutationem huius maioris syllogismi Magistri Suarez.

494 Similiter minor etiam est falsa, nempe, addito alio motiuo independenter à Redemptione magis manifestari summam Dei propensionem ad se se communicandum non solùm hominibus, verùmetiam alijs creaturis, & præsertim Angelis. Primò, quia si Deus decreuisset etiam Incarnari pro statu innocentiæ, si Adam non peccasset, solùm extensiuè magis ostenderet summam propensionem suam ad se se communicandum, non verò intensiuè, vt iam probatum est, magis ostenderet Deus, hoc est, perfectiori modo propensionem se se cõmunicandi, eligendo primò & per se perfectissimum Incarnationis modum, qui ordinem dicit ad carnem passibilem, ex intentione reparandi naturam collapsam. Secundò. Quia si Deus noluit primò & per se Incarnari ex peculiari amore Angelorum, id fuit ad significandum excellentiori modo infinitũ amorem suum, voluit enim Incarnari ex peculiari amore inimicorũ, quo maximè ostentauit suæ misericordiæ diuitias, & ideò præcipuè propter homines, à quibus grauissimè erat offensus, per se primò Incarnari voluit, qui præcipuè indigebant hac amoris manifestatione. Homines 495
autem si scirent, etiam propter Angelos Filium Dei fuisse Incarnatum, imò magis per se primò propter illos, aliquam possent sumere occasionem credendi non ita se à Deo amari, ac modò credunt, dum considerant, primò & per se propter ipsos etiam vt inimicos Deum Incarnari voluisse. Sicut enim ex eo quod Deus Angelos non apprehenderit, sed semen Abrahæ, homines ad Dei amorem maximè accenduntur: sic etiã ex eo quod contemplentur se præ Angelis dilectos, cùm essent omninò indignissimi amore, in dilectionem Dei magis accenduntur, & hac ratione non solùm illis, verùmetiam Angelis Deus suæ charitatis nimietatem manifestauit, siquidem pro inimicis Incarnari, & mori voluit, cùm nullo priori decreto ad id teneretur. Sicut enim ille, qui inimico valde se beneuolum, & officiosum exhiberet post injuriam acceptam ab eo, vt vitam pro illo profunderet, quàm ante injuriam illatam non profudisset, neq; statuisset profundere; non solùm significaret nimiam charitatem suam inimico, pro quo vitam profunderet, sed etiã omnibus alijs, qui id viderent, quamuis nihil boni illis redundaret ex tali charitatis officio: ita Deus Angelis summè manifestauit charitatem suam primò & per se Incarnando pro hominibus inimicis &c. Tertiò iam ostensum est, excellentiori modo Deum ostendisse amorem suum erga Christum, eligendo eum dependenter prorsus à munere & gloria Redemptoris.

Ex his patet Responsio ad primam cõfirmationem, 496
negatur enim antecedens, quia maiorem amorem intensiuè ostendit Deus primò & per se Incarnando ob amorem inimicorum, quã si Incarnari statueret propter illos post decretum Incarnandi non solùm propter homines, sed etiam per se primò propter Angelos. Ad exemplum autem, quo antecedens probatur: Resp. Non esse ad rem, quia deficit similitudo in præcipua amoris significatione, quæ in opere Incarnationis cernitur, à Deo per se primò intento solùm ob nostram Redemptionem; nam qui nollet amico benefacere nisi in extrema necessitate, non seruaret leges amicitiæ: si tamen plura beneficia contulisset, aliquod tamen valde eximiũ & excellens ea intentione nollet amico exhibere nisi eo tempore, quo summè illo indigeret, & summè se illo indignum agnosceret, minimèque illud ab amico

sperarct,

speraret, vt vel sic magis illum in suũ amorem accenderet, magisq; firmaret amicitiam; in tali casu, maior esset amoris significatio, si amicus non esset paratus tale beneficium alteri exhibere, nisi pro statu summæ indigentiæ. Sic viri sanctissimi sæpè pro inimicis à quibus summè sint offensi, aliqua opera charitatis efficiũt, quæ certè illis non efficerent, nisi ab eis essent offensi,
497 quæ etiam pro amicis suis non faciunt. Sic Christus magis manifestauit suam charitatem erga suum amicum Lazarum, illum à mortuis suscitando, quàm si, ne moreretur, impediret: vidit enim ipsi Lazaro magis id ita expedire. Sic etiam Deus peccatoribus ad pœnitentiam conuersis, imò & rebellibus plura exhibet beneficia, quæ non exhiberet, si non peccassent, vt sic cognoscant, quàm ex animo eos diligat, & de hoc conquerebatur filius obediẽs, cùm pater filium Prodigum tanta amoris significatione suscepit in domum suam lautissimo exhibito conuiuio, quod filio obedienti numquam exhibuit. Et ita Deus charitatem suam erga hominem magis manifestauis, statuens tantum Incarnationis beneficium illi non tribuere, nisi pro statu, in quo summè illo esset indignus, & summè etiam illo indigeret, ipsa beneficij magnitudine talem occasionem exigente, vt perfectiori modo exhiberetur beneficium, magisq; proficuum esset homini, cui erat impensum.

498 Aliter etiam potest Responderi ad hanc confirmationem, & ad præcedentem etiam huius minoris probationem, concedendo antecedens, & negando consequentiam: quia dato quòd Deus intensius suam charitatem manifestaret, intendens Incarnationem ex duplici motiuo pro vtroq; statu naturæ, adhùc hoc absolutè non esset conuenientius; quia Deus in opere Incarnationis solam charitatem manifestare non intendit, sed summè etiam ostendere omnia alia ipsius attributa, & summè etiam patefacere Christi Domini excellentiam, & propterea conuenientius esset, & infinita Dei sapientia, & dignitate Christi summa dignius, illum in mundum non mittere, quàm sine summa magestate & gloria mittere, cum qua de facto venit, quæ saltem ex quadam condecentia est illi veluti naturaliter debita. Si autem veniret Christus in statu innocentiæ, summa gloria careret; quam de facto habuit: nec fructus aduentus eius tantus, ac tam perfectus extitisset; aliàs Deus Adami peccatum ob maius bonũ nostrum,
499 & ob maiorem gloriam suam non permisisset: hoc enim Redemptoris munere secluso veluti obscurantur cætera Christi munera, Prophetæ, Sacerdotis, Pastoris &c. Et summum splendorem amittunt. Neq; efficacia & virtus gratiæ Christi, neq; ipsa Diuina bonitas tam apertè & clarè manifestantur, neq; tam copiosè Deus supereminẽtes suæ gratiæ diuitias suis creaturis communicaret. Quare sicut magis decet infinitam Dei sapientiam, & potentiam, nullam creaturam perfectissimam creare, quàm illam creare nõ ordinando ad perfectissimas operationes sibi proportionatas; ita magis decet Diuinam sapientiam, Christum non prædestinare, vt sit Filius Dei, & vt sit suppositum Diuinum, & humanum, quàm illum prædestinare sine ordine ad perfectissimas operationes, quæ illi vt supposito Diuino, & Vnigenito Patris Filio sunt veluti connaturales. Apelles enim sine dubio cõuenientius indicaret, & magis suo honori consentaneum, Alexandrum non depingere, quàm illum pingere & nõ perfectissimo modo, quo iuxta exigentiam artis, & dignitatis Prototypi posset. Similiter igitur Deus suæ sapientiæ conuenientius duceret, Christum non producere, quàm illum producere, & non perfectissimo, quo posset, modo. Ex hoc autem non infertur, quòd esset indecens, Christum pro statu innocentiæ mittere, id enim non asserimus, sed solùm dicimus, esse minùs conuenlens, quia vt ait D. Bonauentura, conuenientius est tãtum mysterium non fieri; quàm illud effici sine vrgentissima causa, & sine ordine ad excellentissimum finem.

Ad secundam confirmationem Resp. Quòd in statu 500 innocentiæ Adam esset caput totius naturæ, & ita quodammodò esset metrum, & mensura reliquorum. Accedit quòd cùm gratia sit supra omne debitum naturę, & per illam reddantur homines Diuinæ naturæ consortes, sofficit, Deum in genere gratiæ esse primã mensuram cæterorum. Ad tertiam confirmationem concesso antecedenti negatur consequentia, & ad probationem negatur etiam consequentia, quia Filius naturalis Dei non debuit ordinari, vt quouis modo etiam infinito honorificet Deum; sed vt summo modo etiam inter infinitos Deũ honorificaret & glorificaret: summo, scilicet, idest, in genere suo, quia nõ est abeundum in infinitum.

Ad septimum argumentum principale concesso an- 501 tecedenti negatur consequentia, nempe, quòd voluntas permissiua peccati originalis præsupponat prædestinationem Christi, imò è contra prædestinatio Christi, qua ex præuisione peccati originalis fuit prædestinatus Redemptor, & reparator generis humani, præsupposuit illam præuiam Dei voluntatem, qua illud peccatum permittere voluit, vt Deo occasionem offerret Christum prædestinandi. Vnde potissima causa, quam Deus implicitè vel explicitè intendit permittendo peccatum originale, quod totam naturam infecit: fuit Christi Incarnatio, vt in ipso remedio peccati originalis ostenderet Deus ineffabiles suæ gratiæ thesauros: quæ ostensio fieri non posset, nisi peccatum originale in humana natura præextitisset. Quanta verò bona ex permissione peccati originalis fuerint subsequuta, ostẽdit Caietanus 1.p.q.21.art.1.ad 2.

Ad octauum Resp. Peccatum esse præuisum scientia 502 visionis, & similiter conceditur, Deum voluisse prædestinationem hominum propter Christum tanquã propter finem: negatur tamen consequentia; solùm enim probat in genere causæ finalis fuisse priorem præuisionem prædestinationis, & gloriæ animæ Christi, quàm fuerit permissio, & præuisio peccati: at in genere causæ materialis prior est peccati præuisio.

Ad cõfirmationem Resp. Peccatum fuisse præuisum 503 in genere causæ materialis ante prædestinationẽ Christi, vt præexistens per scientiam visionis, nam sicut totus ordo naturæ, & gratiæ potuit ex parte materiæ, vt fundatus & existens præintelligi ad Christi prædestinationem; sic etiam peccatum originale potuit eodem modo præsciri, vt inexistens humanæ naturæ.

Ad nonum argumentũ Resp. Gloriã animæ Christi 504 fuisse priùs volitam & intentam à Deo in genere causæ finalis, quàm fuerit præuisum peccatum origiale; & quàm fuerit volitus & intentus ordo naturæ, & gratię

Digitized by Google

at in genere causæ materialis aliter se res habet. Item argumentum solùm probat, gloriam Christi magis fuisse volitam, & intentam, quàm fuerit vterq; ordo, & naturæ & gratiæ, nō vero probat, priùs fuisse volitam, & intentam.

505 Ad decimum conceditur, prædestinationem Christi antecessisse præscientiam peccati Angelici in genere causæ finalis: at in ordine causæ materialis peccatum Angelicū fuisse præuisum antè prædestinationem Christi.

506 Ad vndecimum negatur maior, & ad probationem fatemur, Adæ in statu innocentiæ fuisse reuelatam Incarnationem, & Christum futurum esse totius gratiæ consummatorem; at non fuisse illi reuelatū modū, quo Christus erat gratiam consummaturus. Ex hoc autem non sequitur, Christum fuisse prædestinatum absq; præscientia peccati; sed solùm sequitur, cùm Adamo fuit hoc reuelatum, iam Christum fuisse prædestinatum, & eius Incarnationem prædefinitam: quam quidem voluit Adæ manifestare, quantùm ad id, quod non derogabat integritati illius status, in quo adhuc nullum erat peccatum reparandum, sed gratia, quæ poterat cōsummationem accipere. Neq; verò debuit Adamo præcipuus Incarnationis Christi finis manifestari, qui totus in remedio peccati originalis fundabatur, ne ipse Adam sui futuri casus præscius fieret, quia talis præscientia magna ex parte impediret illius status felicitatem.

507 Ad primam confirmationem negatur maior. Et ad probationem concessa maiori neganda est minor, & similiter eius probatio, vt latiùs constabit ex infra dicendis.

508 Secunda confirmatio vndecimi argumenti petis explicationem illius dubij, An gratia, in qua Adam fuit creatus, ei fuerit collata ex meritis Christi. Negatio ita suadetur. Primò: quia ex D. Thoma, si Adam non peccasset, Diuinum Verbum carnem non assumpsisset: ergo Incarnatio Verbi præsupponit peccatum Adæ, sicut medicina vulnera & morbos. Tunc sic. Merita Christi præsupponunt Incarnationem: ergo necessariò præsupponunt hominem lapsum in peccatū. Ergo antequàm Deus cognosceret merita Christi, cognouit Adamum peccato infectum: sed ante peccatum est illi collata iustitia originalis, & prima gratia: ergo nullo modo Deus tribuit Adamo iustitiam originalem, & gratiam per merita Christi.

509 Secundò. Gratia fuit collata Adæ omninò independenter à peccato ipsius: ergo non ex meritis Christi. Cōsequentia patet, & probatur antecedens: quia fuit illi data cum pacto illam transfundendi in posteros, vnà cum iustitia originali: sed non potuit hoc modo dari dependenter à peccato, eo enim ipso quòd peccaret, nō poterat illam in suos posteros transfundere: ergo.

510 Confirmatur primò. Christus prædestinatus est in remedium peccati, & restitutionem donorum, quæ per illud amisimus: ergo sicut hac ratione Christi prædestinatio præsupponit intrinsecè peccatum præuisum (vt diximus) præsupponit quoque gratiam amissam per illud peccatum: ergo etiam collatam antè prædestinationem Christi; & ex consequenti non ex meritis ipsius.

511 Confirmatur secundò: quia D. Thom. de Veritate. q. 29. art. 4. ad. 3. asserit, supposita illa opinione, quòd Christus non veniret, si Adam non peccasset, antè peccatum, Christus solum esset caput Ecclesiæ secundùm Diuinitatem, non verò secundùm humanitatem.

Tertiò Gratia collata ex meritis Christi, data est per fidem in Christum venturum, omnis enim gratia, quæ data fuit antiquis patribus, fuit recepta per fidem credentium in Christum venturum; sed primus parens non recepit illam gratiam per huiusmodi fidem: ergo &c. Probatur minor. Vt docet Augustinus, & omnes sancti mysterium Incarnationis fuit Adæ reuelatum, cùm dixit illa verba Genes. 2. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: sed tunc Adam erat iam iustificatus; ergo per gratiam non habitam ex fide Christi venturi. 512

Quartò. Si Adæ fuit illa prima gratia collata ex meritis Christi: ergo pro illo statu fuit membrum Christi, & Ecclesiæ; sed peccando amisit illam gratiam; ergo tunc māsit Ecclesia sine vllo iusto, atq; adeò sine communione sanctorum, quæ est de ratione Ecclesiæ. Ergo defecit tunc Ecclesia; quod est absurdum. 513

Confirmatur. Ecclesia Christi ideò dicitur sancta, quia in tota illa, gratia iustificans deficere non potest; sed in tota illa Ecclesia, quæ fuit in statu innocentiæ, defuit gratia sanctificans: ergo illa non fuit Ecclesia Christi. Maior probatur: quia vna ex proprietatibus Ecclesiæ est, quòd sit Sancta. Minor probatur; quia tam Adam quàm Eua fuerunt simul in peccato mortali. 514

Quintò. Quicumq; iustificatur ex meritis Christi, non consequitur gloriam antequàm Christus; propter hoc enim veteres patres detinebantur vsq; ad Christi mortem in sinu Abrahæ: & propter hoc etiam Angeli cōsequuti sunt beatitudinem, antequàm Christus, quia gratiam, in qua conditi sunt, ex meritis Christi non habuerunt; sed primus parens, si non peccasset, consequeretur beatitudinem, antequàm Christus, quia seclusio peccato Christus non veniret: ergo illa gratia, in qua conditus fuit, non est illi collata ex meritis Christi. 515

Sextò. Quia oppositum apertè repugnare videtur causæ assignatæ in Scriptura aduentus Christi; etenim causa, quæ ibi datur, est remedium peccati: ergo Christus non venit ad conferendam gratiam nisi lapsis in peccatum: at verò Adam in illo statu, & secundùm illam primam gratiam non fuit lapsus, sicut neq; Angeli in primo instanti suæ creationis; ergo illa gratia non fuit collata primo parenti ex meritis Christi. Confirmatur. Finis adæquatus Incarnationis, & aduentus Christi, fuit Redemptio generis humani: ergo omnia eius merita sunt in hunc finem relata: ergo nihil promeruit, quod ad istum finem Redemptionis non pertineat. Sed gratia collata Adæ in statu innocentiæ non pertinebat ad Redemptionē humani generis, imò erat omninò independens ab illa: ergo non fuit data ex meritis Redemptoris Christi. Idipsum dicendum est de fide, & reliquis donis concessis Adæ in statu innocentiæ. 516

His argumentis suasi quidam recentiores Thomistæ, de quorum numero est Mag. Soto. lib. 1. de Natura & Gratia cap. 6. negant, gratiam collatam Adæ in statu innocentię esse ex meritis Christi, licèt ea gratia esset per Christum consummanda in hoc sensu, quòd merita, quæ habuit Adam in statu innocentiæ erat per Christi 517

Christi gratiam viuificanda, & suam cõsummationem acceptura, & hoc satis fuit, vt Christus aliqua ratione ad statum illum pertineret, & lueris eius Incarnatio Adamo reuelata. Eũ maximè, quia Christus ex vi suæ prædestinationis erat reparaturus totum illud damnum, quod statui innocentiæ intulit peccatum originale, & in animam & in corpus, quæ reparatio integrè consummabitur in statu Resurrectionis futuræ. Et hoc satis fuit, vt ille status aliquo modo pertineret ad Christum, & illi tanquam suo reparatori, & consummatori subijceretur, licet non cognosceretur ipsa reparationis futuræ causa, neq; Christus in ratione reparatoris.

518 Nihilominùs opposita sententia est longè probabilior, & pluribus recentioribus Thomistis recepta, & est D. Thomæ, qui explicans illud Ioan. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus, ait. *Omnes Apostoli, Patriarchæ, & Prophetæ, omnes iusti, qui fuerunt, sunt, & futuri sunt, omnes etiam Angeli de plenitudine gratiæ Christi acceperunt.* Et infra q. 7. art. 11. dicit, datam fuisse Christo gratiam tanquam vniuersali principio gratificationis humanæ naturæ: ergo quotquot gratificati sunt, ab isto vniuersali principio gratificationis gratiam acceperunt: sed Adam secundum illam primam gratiam fuit Deo gratificatus: ergo &c. Item q. 8. sequente art. 3. asserit, Christum esse caput omnium hominũ pro omni statu, & pro omni tempore: ergo fuit caput Adæ pro illo tempore, quo primam gratiam accepit. At de ratione capitis est, vt ostẽdit D. Thom. art. 1. eiusdem quæst. 8. inter alia, vt in membra gratiam influat: ergo illa prima gratia Adæ ab isto capite dimanauit: ergo ex meritis istius capitis. Item 2. 2. q. 2. art. 7. Docet D. Thomas, Adamum habuisse in statu innocentiæ fidem explicitam Incarnationis Christi, non quidem vt ordinabatur in remedium peccati, sed vt referebatur ad cõsummationem gloriæ. Ex quibus verbis colligitur hæc ratio. Adamus in illo statu habuit fidem Christi cõsummatoris suæ gloriæ: ergo & authoris suæ gratiæ. Consequentia patet: quia gratia est semen gloriæ; ergo non potuit credere, Christum futurum authorem suæ gloriæ, quin pariter crederet, vt authorem suæ gratiæ.

519 Confirmatur. Nam Adam per istum actum fidei in Christum vel obtinuit primam gratiã, vel saltem augmentum illius: ergo vel tota gratia, quã habuit in statu innocentiæ, fuit illi data ex fide, & meritis Christi, vel saltem aliquis gradus illius. Sed non solùm gradus; quia non magis totam gratiam datam fuisse ex meritis Christi in statu innocentiæ repugnat, quàm partem illius: ergo tota fuit collata Adæ ex fide, & meritis Christi.

520 Secundò. Hæc sententia est valde consentanea Sacræ Scripturæ, nam Sapient. 10. dicitur. *Per sapientiã placuerunt Deo, quotquot ab initio placuerunt.* Et ad Ephes. 1. loquens Paulus vniuersaliter de omnibus iustis inquit: *Gratificauit nos in dilecto Filio suo.* Sed Adam secundum illam gratiam, in qua conditus fuit, licèt non dicatur propriè Redemptus, neq; reconciliatus, dicitur tamen propriè gratificatus: ergo fuit gratificatus in dilecto Filio Dei Christo Iesu.

521 Tertiò. Christus fuit primus omnium prædestinatorum in genere causæ finalis, & exemplaris, vt supra ostensum est: ergo Christus est causa in hoc duplici genere causæ cuiuscumq; effectus prædestinationis in omnibus prædestinatis. Ergo etiam respectu Primorũ Parẽtum fuit causa finalis, & exemplaris: aliàs nõ esset Christus Primogenitus respectu Primorum Parentum, quod est contra Paulum ad Rom. 8. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui, vt sit ipse Primogenitus in multis fratribus.* Si ergo fuit Christus causa finalis, & exemplaris: ergo in illo genere prius præuisus est Christus, & omnia eius merita, quàm aliquod donum gratuitum Primis Parentibus tribueretur: ergo ratione meritorum Christi tributum est.

Confirmatur: quia illa gratia in qua fuit conditus Adam, fuit effectus prædestinationis Adæ, cum per illam esset acceptus ad vitam æternam, & supra ostensum est, omnia futura, siue naturalia, siue supernaturalia esse effectus prædestinationis creaturæ rationalis: ergo Christus fuit causa illius primæ gratiæ per sua merita iam anteà à Patre præuisa, & acceptata.

Prætereà probatur: nam quicquid dignitatis, prærogatiuæ, 522
& excellentiæ Christo Domino tribui potest, non est illi denegandum, modò Scripturæ, vel doctrinæ Ecclesiæ, vel Sanctorum, vel rationi naturali non repugnet; sed Christum esse vniuersale totius gratiæ principium pro omni tempore, est maxima dignitas, & excellentia, & supradictis non repugnat, imò verò maximè consonat: ergo non est Christo denegandum. Item confirmatur, quia ex opposito sequeretur, Primum Parentem modo aliquem gradum gloriæ possidere, & non ex meritis Christi, quod est contra fidem, iuxta quam tenendum est, omnem gloriam, quæ modo datur, & antiquis Patribus est data, esse ex Christi meritis tributam, hoc enim expectabant Patres in sinu Abrahæ. Probatur sequella, quia Adam postquàm peccauit, egit pœnitentiam, vt olim contra Encratitas, & Tatianum Encratitanæ sectæ authorem; & contra Seuerum, & Seuerianos Hæreticos docuerũt D. Augustinus de Hæresibus, Hæresi. 25. Eusebius lib. 4. Historiæ Ecclesiast. cap. 27. Epiphan. lib. 1. Hæresi. 45. & colligitur ex illo Sapient. 10. vbi Sapiens loquens de Adam inquit. *Et eduxit illum Deus à delicto suo.* Ergo per illam pœnitentiã surrexit ad merita mortificata, quæ præcesserunt peccatũ: ergo etiam ad gloriam, quæ illis meritis Respõdebat. Sed ex opposita sententia illa merita nõ habuit per Christum, quia neq; gratiam, quæ fuit illorum meritorũ principium; ergo modò habet aliquem gradum essentialem gloriæ, illi gratiæ correspondentem, & non ex meritis Christi; quod sine dubio concedere impium apparet, cùm dicat Paulus ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi cõstitutionem, vt essemus sancti.* Et subdit. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Vnde sicuti à capite procedit quæcumq; motio, & vitalis operatio in corpore animalis, ita à Christo quamcumq; gratiam dimanare tenendũ est in quacumq; rationali creatura.

Rursus. Adam in illo statu & reuelatione credidit in 523
Christum; ergo per illam fidem aliquo modo iustificatus est, siue iustitiam ipsam, siue augmentum eius per eam fidem obtinendo: ergo pari ratione totam iustitiam per Christum obtinuit, quia non est credibile aliquos gradus gratiæ per Christum habuisse, & alios sine Christo: aliàs pari ratione aliquid gloriæ per Christum sperare deberet, & aliquid sine Christo,

Et quod

quod est absurdum. Adhæc. Christus est prædestinatus ex præuisione peccati Adæ; ergo similiter prædestinatus est ex præuisione gratiæ, quæ Adamo data est, & ex consequenti prædestinatio Christi antecessit voluntatem Dei conferendi istam primam gratiam. Ergo prima gratia, in qua conditus fuit Adam, fuit illi collata ex prædestinatione, & merito Christi.

524 Postremò: Christus fuit prædestinatus vt finis totius ordinis naturalis, & supernaturalis, & cuiuscumq; status rationalis naturæ, etiam status innocentiæ, & iustitiæ originalis, atq; adeò horum omnium præscientiam antecessit in genere causæ finalis Christi prædestinatio; licèt in genere causæ materialis præscientia vtriusq; status, nempe, peccati originalis, & innocentiæ, & totius ordinis naturalis antecesserit Christi prædestinationẽ. Vnde Christus prædestinatus est vt finis vtriusq; status prædicti, & in vtrumq; debuit habere aliquem influxum, sed specialiter fuit secundo statui peccati originalis accommodatus; quia fuit prædestinationis Christi occasio, & illo non extante non fuisset Christus prædestinatus, nec veniret.

525 Confirmatur, nam matrimonium inter Primos Parentes in statu innocentiæ celebratum, ex Christi meritis accepit esse signum spiritualis matrimonij inter Christum & Ecclesiam; vt docet D. Augustinus lib. de Nuptijs & concupiscent. cap. 21. Ergo etiam gratia Adæ fuit præmium meritorum Christi. vt ipse Christus propriè & verè dici possit Agnus occisus ab origine mundi, idest, à primo instanti creaturæ rationalis, quod fuit primum instans, in quo mundi constitutio fuit consummata.

An verò Angelis fuerit data gratia ex meritis Christi, disputabitur infra q. 7. art. 4. vbi cum D. Thoma partem affirmantem sustinebimus.

526 Ad primum argumentum in contrarium Resp. Verbum non assumpturum carnem, nisi fuisset peccatum, quod in genere causæ materialis præsupponitur Incarnationi, sicut morbus præsupponitur medicinæ: at in genere causæ finalis Incarnatio præcedit peccatum. Itaq; in genere causæ materialis peccatum Adæ fuit priùs cognitum & præuisum à Deo, quàm Incarnatio, & merita Christi: sed in genere causæ finalis priùs cognouit Deus Incarnationem, & merita Christi, & propter illa contulit Adæ gratiam, & reliqua dona.

527 Ad secundam concesso antecedenti negatur consequentia: quia cùm volitio dãdi gratiam Adamo, vt capiti, à quo in posteros deriuaretur, fuerit simul etiã secundùm rationem cum visione peccati, bene potest intelligi, quòd Deus in executione voluerit dare hãc gratiam Adæ propter merita Christi, tametsi illã esset daturus, etiam si Christus non esset futurus. Verum est, huiusmodi gratiam quãtùm ad illam circũstantiã transfusionis in posteros, nõ dicere ordinẽ ad merita Christi; sed solùm quò ad suam substantiam.

528 Ad primam confirmationem concesso antecedenti, negatur vltima consequentia, vt patet ex dictis.

529 Ad secundam confirmationem Resp. D. Thomam solùm asserere, Christum non fuisse caput Ecclesiæ, ante peccatum præcognitum, & præuisum, hoc enim solùm petit argumentum, cui ipse Respondet. Quæ Responsio ampliùs confirmatur ex Responsione ipsius ad nonum argumentũ eiusdem articuli, vbi ait, quòd ante Incarnationem non poterat dici Christus caput Ecclesiæ, secũdum actionem, qua nobis meruit, & Satisfecit, quãuis antè Incarnationem esset caput Ecclesiæ secundùm actionem nostram in ipsum, quatenùs per fidem in ipsum iustificabãtur, quicumq; iustificabãtur. At secũdùm D. Thomam certum est, Adamum iustificatum fuisse per fidem in Christum, siquidem eum cognouit vt authorem suæ iustitiæ. Cùm ergo ait, non fuisse, vt hominem, caput Ecclesiæ antè peccatum, solùm intelligit antè peccatum præcognitum.

Ad tertium Resp. Omnem gratiam, quæ ex meritis Christi præuisis fuit antiquis patribus collata, receptam fuisse in illis per fidem implicitam, vel explicitã Christi venturi. Loquimur autè de gratia illis collata, aut virtute operis operantis, aut virtute alicuius Sacramenti, in quo fidem illam protestabantur. Et quia prima gratia Adami non fuit hoc modo sibi data: ideò non fuit necessarium, priùs habuisse fidem Christi vẽturi, quàm cõferretur gratia, sed simul cum natura est vtrumq; ex meritis Christi illi tributum, posteà verò explicatũ est illi hoc mysterium, cùm dixit. *Hoc nunc os ex ossibus meis &c.* Secundò Respondetur; Adamum recepisse gratiam in illo statu per Christum, & per fidem eius, vel explicitam, licèt minùs perfectam; vel certè per implicitam, & in ordine ad explicitam paulò post obtinendam. 530

Ad quartũ Resp. Æquè militare contra aduersarios, sicut cõtra nos, quia licèt Adã nõ habuerit eã gratiã ex meritis Christi, aut tunc erat membrum Ecclesiæ Dei, aut non. Si primũ; ergo cùm peccauit, defecit Ecclesia. Si secundum, idem dicendũ erit, supposito quòd habuerit gratiã ex meritis Christi. Aliqui dicũt Ecclesiã incœpisse, vel à creatione Angelorum, vel à iusto Abel, & sic nunquã defecisse iustos in Ecclesia, neq; Sãctorũ communionem, siue Adã ex meritis Christi gratiã habuerit, siue nõ; quia Ecclesia, inquiunt, cõstat ex iustis Angelis & hominibus, atq; adeò licèt in Primis Parentibus defuerit gratia, nõ tamen defecit in iustis Angelis, ac subinde in Ecclesia Sanctorũ cõmunio nõ defecit. Nihilominùs hæc solutio verũ habere potest loquẽdo de Ecclesia Dei largè, nempe, vt est congregatio aliquorum ratione vtentium, & fidem Dei habentiũ; sic enim accepta Ecclesia à creatione Angelorũ incœpit, vt ait D. August. lib. 12. de Ciuit. cap. 1. Si verò sit sermo de Ecclesia strictè & propriè, nempe, prout est congregatio fidelium aliquo signo visibili fidem Dei protestãtium, qua ratione Ecclesia à Theologis communiter vsurpatur, sic neq; incœpit ab Angelis, neq; à Primis Parentibus, sed à iusto Abel secũdum D. Augustinum in Psalm. 142. & lib. 15. de Ciuit. per multa capita. & ratio est manifesta, nam primus, qui signo visibili fide Dei protestari cœpit, fuit Abel; Genes. 3. Quòd si de Ecclesia iuxta huiusmodi acceptionem loquamur, certum est, Adamum huius Ecclesiæ membrum non fuisse, quia nondum cœperat: & similiter est certum, & de fide, postquam cœpit à iusto Abel, nunquam in ea Sanctorum cõmunionem defecisse. Legatur Turrecremata lib. 1. summæ Theolog. à cap. 21. & deinceps. 531

Ad cõfirmationẽ Resp. Nõ esse incõueniẽs cõcedere, Ecclesiã Christi in suo initio antè propagationem pro aliquo paruo tempore, gratia iustificante caruisse: neque enim Adam & Eua propriè dicebantur Ecclesia, 532

sed

Digitized by Google

ſed initium Eccleſiæ, vt docet Bellarminus lib. 3. de Eccleſia cap. 16. ad primum argumentum. Neque Eccleſia Christi propterea ſolùm dicitur ſancta, quia in illa gratia ſanctificãs deficere non poſsit, ſed quoniã profeſsione ſancta eſt, & ſanctis legibus gubernatur.

533 Ad quintum Reſp. Illam propoſitionem. Qui iuſtificatur ex meritis Chriſti, non conſequitur gloriam ante Chriſtum, eſſe duntaxat veram de Redemptis per Chriſtum, quia iſti non fuerunt prorſus à peccati vinculis liberati vſque ad plenam ſolutionem pretij, quod Chriſtus ſua morte, & Paſsione exhibuit. At verò quia Angeli & Adam ſecundùm illam gratiam, in qua conditi fuerunt, non dicuntur per Chriſtum propriè Redempti, ſed tantùm gratificati, & iuſtificati per Chriſtum, ideò Angeli antè Chriſtum ſunt gloriam conſequuti, & eandem conſequeretur Adam, ſi nõ peccaſſet; quia nullis tunc detinebantur vinculis peccati Angeli, neq; detineretur Adam, à quibus per ſolutionem pretij liberarentur. Quòd verò ſecundùm illam gratiam non propriè dicantur per Chriſtum Redempti, ex eo conſtat, quia is dicitur propriè per Chriſtum Redemptus, dum iuſtificatur; qui vel à peccati captiuitate liberatur, ſicuti nos omnes, vel à neceſsitate incurrendi captiuitatem peccati, vt Beatiſsima Virgo. At verò Angeli, & Primi Parentes in illo primo inſtanti, quo gratiam acceperunt, neq; fuerunt captiui, neq; neceſsitatem habuerunt incurrendi in captiuitatem peccati, atq; adeò ſecundùm illã gratiã non propriè dicuntur Redempti.

534 Ad ſextum Reſpõdeũ Caietano, qui noſtram tuetur ſententiam infra. q. 7. art. 11. Quòd licèt præciſa cauſa Aduentus Chriſti fuerit peccati remedium, cùm hoc tamen ſtat, vt eius aduentus ad plura ſe extenderit: quia licèt venerit ſuppoſito peccato, venit tamen tamquam vniuerſale totius gratiæ principium pro omni ſtatu, & pro omni creatura; & ideò hæc duo poſſunt ſtare ſimul, quòd præciſa cauſa aduentus Chriſti fuerit remedium peccati: & quòd fuerit cauſa omnis gratiæ, non ſolùm eius, quæ hominibus poſt lapſum confertur: ſed etiã illius, quæ Angelis, & Primis Parentibus ante lapſum data fuit. Et per hoc patet Reſponſio ad cõfirmationẽ.

535 His ſuppoſitis ad ſecundam confirmationem vndecimi argumenti principalis, conceſſo antecedenti negatur cõſequentia, quia hæc duo rectè cohærent, nempe, in ſtatu innocentiæ gratiam fuiſſe collatam Adamo ex meritis Chriſti, & non eſſe futuram Chriſti prædeſtinationem, Adæ peccato non exiſtente. Ad primam probationem conſequentiæ negatur antecedens; ſcilicet, quòd volitio conferendi gratiam Adamo præceſſerit in Deo ſimpliciter viſionem peccati: quia inter hos duos actus neq; ex naturali modo operandi intellectus, & voluntatis, neq; ex parte obiectorum eſt aliqua ratio ordinis; & ideò ſimpliciter erũt ſimul, etiam ſecundùm noſtrum modum intelligendi. Ad probationem Reſpondetur, peccatum mortale non conſiſtere formaliter, & ſecundùm ſpeciem in priuatione gratiæ, ex eo autem quòd habeat annexam conſequenter huiuſmodi priuationem, non colligitur intentum: quia bene intelligitur, voluntatem conferendi gratiam eſſe in Deo ſimul cum viſione peccati eam expellentis. Et licèt peccatum in priuatione gratiæ formaliter conſiſteret, non ſequeretur, quòd ad cognitionem peccati deberet præſupponi cognitio gratiæ, quò ad exiſtentiam: & ex cõſequenti nec volitio producendi eam: quoniam ad cognitionem priuationis ſatis eſt, præſupponi cognitionem habitus oppoſiti quòad eius quidditatem; & non requiritur eius cognitio quò ad actualẽ exiſtentiã.

Ad ſecũdã probationẽ patet ſolutio ex dictis in ſolutione ad ſecũdũ argumẽtũ huius dubitationis num. 529. 536

Ad tertiã cõfirmationẽ diſtinguendũ eſt antecedens. Etenim ſi prouidẽtia, quia illa gratia eſt Adamo colla- 537
ta, cõſideretur per modũ intẽtionis, falſum eſt, quod per eãdem prouidẽtiã fides Chriſti ei fuerit tributa. Si verò perpẽdatur, prout includit executionẽ, verũ eſt: quia cũ hoc, quòd Deus Adamo gratiã cõferre voluerit ſuppoſita cognitione ſupernaturali, tanquàm diſpoſitione, ſtat, quòd in executione decreuerit, huiuſmodi cognitionẽ eſſe fidẽ Chriſti. Et ſic negãda eſt cõſequentia. Et ad probationẽ Reſp. cùm dicitur, quòd ex vi illius prouidẽtiæ, qua de facto eſt Adæ gratia collata, daretur ei, tametſi Adã nõ peccaret; intelligi de illa prouidẽtia, cõſiderata quãtũ ad intẽtionẽ cõferẽdi gratiã, & nõ quãtũ ad executionẽ: nã quantũ ad hãc eſſet magna diuerſitas.

Sed obijcitur. Intẽtio Dei eſt efficax: ergo ex vi illius 538
prouidẽtiæ ſumptæ quãtùm ad intẽtionẽ, habuit Deus præſentẽ in æternitate ſuũ effectũ, nempe, gratiã collatã Adamo, & ſine fide Chriſti: ergo intelligi non poteſt, quòd in executione collata fuerit Adæ eadẽ gratia cum fide Chriſti præſuppoſita per modũ diſpoſitionis. Prima cõſequẽtia patet: quia actus Dei abſolutus, & efficax ponit ex vi ſua effectũ præſentẽ in æternitate. Et ſecũda probatur: quia executio in tẽpore eodem modo fit, atq; pro æternitate neque cõcurrũt alia media ad executionẽ rei in tẽpore, atq; pro æternitate. Reſp. Intentionem Dei dupliciter poſſe intelligi, terminari ad effectũ nẽpe, determinãdo omnes circũſtãtias, quæ ad eius executionẽ requirũtur: aut ſolùm determinando abſolutè, quòd fiat: & vtroq; modo intentione Dei eſſe efficacẽ. Cæterùm nõ ſecũdùm eãdẽ rationẽ; quia priori modo dicitur efficax ſecũdùm ſe, & immediatè: poſteriori autem modo dicitur efficax, quia habet omnia annexa, quę ad executionẽ requirũtur; nẽpe, determinationẽ omniũ circũſtãtiarũ. Quãdo igitur priori modò eſt efficax, ponit ſtatim ſuũ effectũ præſente in æternitate: quando verò eſt efficax poſteriori modo, nõ ponit ſuũ effectũ ita pręſentẽ, niſi quatenus habet adiũctã determinationẽ omniũ circũſtãtiarũ. Et quia præſuppoſitio fidei Chriſti nõ requirebatur ad indiuiduationẽ gratiæ dãdæ Adamo, ideò intelligi poteſt, Deũ habuiſſe actũ efficacẽ per modũ intẽtionis cõferẽdi gratiã Adamo, nõ determinãdo ex vi illius dare etiam fidem Chriſti: ac proindè ex vi talis actus præciſè ſumpti non habuiſſe præſentem in æternitate gratiam Adami.

Sed obijcitur; quia ex ea ſolutione ſequitur, intelligi 539
nõ poſſe, Deũ prius voluiſſe Adamo gratiã cõferre ſine ordine ad peccatũ, & ex cõſequenti ad merita Chriſti. & poſteà in executione voluiſſe dare eãdẽ gratiã propter merita Chriſti: quia nõ ſolùm reſpectu primæ intẽtionis, verùmetiã reſpectu executionis conſideratur gratia ſecũdùm ſuã ſubſtãtiã, & ſine ordine alicuius circũſtantiæ. Negatur ſequella, & probationi dicitur, quòd cum gratia reſpectu executionis ſumitur ſecũdùm ſubſtãtiã, nõ cõparatur cũ circũſtãtia trãſfuſionis in poſteros. Si verò cõparetur ad executionẽ, & intẽtionẽ, tũc in executione habet adiũctam quãdam circunſtantiam, quam,

vt præscisè terminabat intentionē,non habebat. Est autem huiusmodi circūstantia,præsuppositio fidei Christi,tāquàm dispositio.Itaque Deus per intentionem voluit Adamo conferre gratiā præsupposita cognitione supernaturali,tāquàm dispositione:sed non determinauit omninò in particulari, cuius obiecti esset futura illa cognitio.In executione verò determinauit, illā cognitionē esse fidei Christi. Et ita ex vi illius intentionis præcisè sumptæ non intelligitur,gratiam Adæ fuisse in æternitate præsentem , nec visam à Deo , sed vt in executione illi adiungitur nostro intelligendi modo huius circunstantiæ determinatio.

540 Ad duodecimum argumentum principale. Resp.Incarnationem Christi cessisse in hominum gloriam, & exaltationem,nam *Erit germen Domini in magnificentia & gloria.* Isaiæ. 4. Sed in eā tamen exaltationem,& gloriā, quæ præsupposuit ipsius naturæ humanæ Redemptionem,& reparationē, atq; adeò hæc glorificatio nō ponit in numero eum peccati remedio , & reparatione per Christum facta.Per hoc etiam Resp. ad confirmationem,nam vita,quā per Christū accepimus, præsupposuit mortem,quam intulit peccatū, & de hac vita loquebatur Christus Ioan. 10. in illo autem loco Ioan. 17.Petebat Christus à Patre, vt apud Ipsum, nēpe, in cælis,eum,quatenus homo est,exaltaret, & clarificaret claritate digna Filio Dei,quam Christus,vt Verbum Patris habuit apud Deum , apud quem fuit à principio, antequàm fieret mundus quæ sane exaltatio & glorificatio illa est, de qua Ioan.cap.1.dixit. *Vidimus gloriā eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre.* Et quā illi tribuebant sancti omnes Apocal.5.cùm dicebāt. *Dignus est Agnus,qui occisus est,accipere virtutem, & Diuinitatem,& sapientiā,& honorē &c.* His autē verbis non postulat Christus humanitati suæ eandem numero claritatem,quæ ipsi,vt Deus est,debetur,& quā ipse habuis apud Patrem,antequàm mundus fieret:sed postulat clarificari humanitatem suam claritate dimanente ab ea claritate infinita,quam, vt Deus est, habuit apud Patrē, quæ naturaliter sequeretur in Christo ex vi vnionis hypostaticæ,nisi per miraculū esset impedita propter nostrā Redemptionem : qui enim peteret solis claritate illustrari,non peteret eadem luce illuminari, qua Sol est lucidus,sed claritate,& luce dimanante ab hac luce. Ita exponūt hūc locū Athanasius, Hilarius,Cyrillus,Chrysost.Ambrosius, quos citat Cardinalis Toletus in hunc locum Ioannis : quam expositionem Ambrosius ait ab omnibus esse receptam.Solus Augustinus tract. 105. in Ioannem explicat hūc locum de claritate,quā Christus habuit apud Patrem ab æterno, vt homo est , non quidem in re,sed in intentione,& in decreto suæ prædestinationis,& hanc ait,Augustinus,Christum petere à Patre.Quæ expositio,vt refert Tertullian.lib.de Trinit.fuit Arrianorum,eamq; acriter impugnat,vt verbis Domini contrariā. Sed adhuc licet intelligatur hic locus iuxta expositionem Augustini, nihil habens inde aduersarij : petit enim his verbis Christus à Patre eam claritatem, ad quam ipsum prædestinauit antè mundi constitutionem, hoc est,antè creationem, nō antè decretum creationis post consummatum opus Redemptionis. Alij explicant hunc locum, quòd Christus peteret à Patre,vt notum fieret omnibus, ipsum esse verum & naturalem Dei Filium: in hac enim Diuinitatis manifestatione consistit præcipua Christi , vt hominis, gloria, & vltima, ac suprema ipsius humanitatis exaltatio.

Illud autem testimonium Ioan.8. Sic est intelligendum, quòd Abrahæ reuelatum est mysterium Incarnationis,primò quò ad substantiam eius , & finem proximum,qui est Redemptio , & reparatio humanæ naturæ, & ob id exultauit. Deinde reuelatum est illi, huiusmodi Redemptionem esse per mortem Christi efficiendam, & tunc non exultauit vt anteà , sed moderatè gauisus fuit. Alias adhibet huius loci expositiones D. Augustin.in sermone.7. de Tempore, & lib. 1. de Gratia Christi , seu de peccato originali contra Pelagium , & Cælestium cap.27. 541

Ad locū Pauli ad Philip. 2. Resp. Proptereà Verbum dici exinanitum , quando humanitatem suscepit , quia illa quodammodò occultauit suam Diuinitatem,comparatione cuius, humana natura est quasi nihil , & inane,iuxta illud Isaiæ. 40. *Omnes gentes quasi non sint sic sunt coram eo.* Ita explicant hūc locum Ambrosius lib.de Interpellatione Dauid,Athanasius lib.de Humanitate Verbi,Basilius lib.4.contra Eunomium, Cyrillus lib.de Incarnatione cap. 4 & 11. August. lib. 83. quæstionum , quæstione 73. Fulgentius de Fide ad Petrum cap.2. Chrysost. ad Philip. 2. & communiter expositores. Itaq; verbum , vt Deus est, per communicationem idiomatum dicitur exinanitum , quatenùs inanem naturam assumpsit.Item locus ille ex 2.Corint.8. sic intelligitur,quòd Christus est diues , quatenùs Deus est,& egenus,in quantùm homo est, non quòd diuitias Diuinitatis amiserit , cùm paupertatem , & egestatem nostram suscepit homo factus ; sed quia cùm anteà absolutè esset diues , & ad ipsum pauperies nullo modò pertineret , voluit pro nobis paupertatis incommoda sustinere, non in natura Diuina , sed in humana à se assumpta:sicut enim dici potest, Christū, cùm esset æternus,factum esse pro nobis temporalem,non quòd æternitatem amisserit , sed quòd temporalitatem acquisierit in natura humana ; sic etiam dici potest factus pro nobis egenus, cùm esset diues,licet Diuinitatis diuitias non amisserit. 542

Postremò locus ille Pauli ad Hebr. 12. declarat potestatem,quam Christus habuit non moriendi , sed potiùs perfruendi gaudio,& honore,quod tamē gaudium pro salute nostra noluit sibi eligere,quin potius confusionem crucis. Ex hoc autem nihil sequitur cōtra nostram sententiam: quia Verba Pauli vel sunt intelligenda de Christo,vt Deus est,qui vt sic posset sibi humanitatem gloria & honore coronatam assumere , noluit tamen pro nostra salute,pro qua mortem gustauit : vel si hæc verba intelligantur de Christo, vt homo est, dicendum est,Christo eatenùs liberum fuisse, & oblatum à Deo,perfrui gaudio , quatenùs præceptum moriendi illi impositum dependens fuit ab eius voluntate : posset enim Christus efficaci voluntate orare Patrem , vt ab eo calix ille transiret iuxta illud Matth.26. *An putas quòd non possum orare Patrem , & exhibebit mihi plusquàm duodecim legiones Angelorum &c.* Quod tamen à Patre petere noluit , & ab eo impetrare , cùm posset,sed sustinuit crucem sibi à Patre impositam, nec retrorsum abijt, neq; contradixit iuxta illud Isaiæ. 50. *Dominus Deus aperuit mihi aurem , ego autem non contradico, retrorsum non abij.* 543

544 Ad tertiumdecimum argumentum ex testimonijs Patrum desumptum Resp. D. Augustinum præsertim in Manuali loqui de felicitate, & Pascuis, quæ Redemptionem per Christum factam præsupponunt, vt ipse satis semetipsum explicat. Neq. D. Cyrillus negauit, prædestinationem Christi præsupposuisse in Diuino intellectu præscientiam, ac præuisionem peccati nō solùm existentis in natura humana, sed etiam vt infallibiliter futuri: sed explicat peccatum originale, vt futurum in Diuina præscientia; quia in ordine ad nostrum tempus adhùc erat reuera futurum; cùm Christus in eius remedium fuit prædestinatus. Et supponit id, quod iam ipse docuerat, nempe, ea, quæ nobis futura sunt, iam Deo esse facta, idest, eius æternitati coexistere, esseq; præsentia Deo. Illa autem verba Cyrilli ex cap. 3. habent vim contra Arrianos, ex quorum dictis primò infertur vt absurdum, Filium Dei non esse Deum, sed creaturam; nam proprium est Dei non esse propter aliud, & omnia esse propter ipsum: manifestè autem docet Scriptura, omnia esse propter Verbum, & per Verbum. Secundum absurdum, quod Cyrillus infert ex eo quòd Filius esset propter creaturas, vt instrumentum quoddam earum, est, quòd illis deberet gratias agere. Ex quo manifeste colligitur, Cyrillum supponere, Arrianos omninò negare, vt verè negabant, Filium Dei non esse finem principalem creaturarū. Ex quo rectè infert, quòd illis deberet gratias agere, & quòd esset propter illas, sicut fœmina propter virum: ac non ita nos dicimus Christum factum esse hominem propter nos, nam factus est homò propter nos, vt nobis benefaceret, & pro nobis sanguinem, & vitam funderet, non vt à nobis perficeretur, quin potiùs vt nos perficeret, regeret, ac gubernaret. Quare ex hoc potiùs sequitur, nos teneri maximas Christo agere gratias, quòd ita propter nos factus sit homo. Eadem etiam ratione infert Cyrillus vt absurdum contra Arrianos, quòd creaturæ primò & per se essent intentæ; Filius verò minùs principaliter, & secūdariò, quod in nostra sententia non sequitur, vt iam su-
545 pra ostensum est. Præterea D. Anselmus non asserit, quod illi in argumento tribuitur, neq; id verum est à quocumq; dicatur, eo enim capite solùm ait Anselmus, nullam animam esse in cœlo, quæ sibi persuadeat, quòd vbi est, nullatenus foret, si inde alius nō cecidisset, nempe, Angelus. Quare solùm ait, nullam animam sibi persuadere, prædestinatam fuisse conditionaliter ad alterius sedem occupandam, si ab illa defecisset. Et hac ratione nihil inferunt contra nos aduersarij, nam Christus non est ita prædestinatus ad supplendum locum alterius. Quòd verò plures sint in cœlo, qui in eo non essent, imò neq; in rerum natura, si Adam non peccasset, ex eo satis efficaciter probátur, quòd plures homines sunt modo in statu naturæ lapsæ, qui in statu innocentiæ non essent, atq; adeò neq; essent prædestinati. Etenim negari non potest, plures modo esse reprobos, quàm prædestinatos. Quo fit, vt plures homines sint in statu naturæ lapsæ, quàm essent in statu innocentiæ. Ex his autem qui nunc sunt, & tunc non essent, quis poterit probabiliter negare, nullum eorùm esse prædestinatum, cùm ferè innumeri sint, imò verò omnes ferè qui modo sunt, non essent in statu innocentiæ, vt colligi potest ex secunda ratione, qua Paragrapho. 15. num. 150. sententiam Magistri Suarez impugnauimus: ergo omnes istæ animæ prædestinatorum vident se non fuisse fruituras gloria, imo neq; esse naturali, si Adam non peccasset, quod erat probandum.

Ad coniecturam Ruperti ex D. Augustino desumptam Resp. Illam non esse firmam, quia Deus in potestate Adami reliquit non peccare, & præcepit illi, nè peccaret, & tamen imposuit illi præceptum de propaganda natura; ergo peccatum illius non fuit necessarium ad naturæ propagationem, quia adimpletio vnius præcepti secundùm prouidentiam iustam, & prudentissimam Dei, non debet dependere ex transgressione alterius præcepti eidem Adamo impositi, & hoc est, quod docuit Augustinus, cùm dixit, peccatum Adæ non fuisse necessarium, vt generationes essent. Ex quo non rectè colligitur, vt Christus nasceretur, non fuisse necessarium Adæ peccatum, quod aduentus ipsius esset occasio, nam hoc sensu Ecclesia ex Gregorio canis in benedictione cerei. *O verè necessarium Adæ peccatum.* Hæc autem Ruperti coniectura authoritate D. Thomæ confirmari non potest: quia solùm asserit D. Thom. Peccatum Adæ non fuisse necessarium, vt adimpleretur præceptum propagationis naturæ, in cuius bonum & vtilitatem tale præceptum ordinatur: quod ita certum est, vt à nemine negari possit. Ex hoc tamen non sequitur, peccatum Adæ, vt docuit Gregorius, non fuisse necessarium ad summum bonum Incarnationis; quo pacto etiam secundùm aduersarios necessarium fuit ad summum bonum Redemptionis nostræ includentis septem Sacramenta, & præcipuum eorum, quod est Eucharistiæ. Deus enim propterea permisit peccatum Adæ etiam iuxta sententiam Suarez, vt conuenientiori modo Incarnationem exequeretur, & propterea non absoluto actu decreuit in carne impassibili Incarnari, & noluit, cùm optimè posset, peccatum Adæ impedire, vt scilicet, inde maius bonum eliceret. Deniq; anima Christi optimè potuit per se primò intendi, etiā in indiuiduo, licet non sit intenta nisi supposita occasione peccati. 546

Soluuntur argumenta secundæ opinionis.
§. XXVII.

AD Primū argumētū secūdæ sentētiæ Resp. Nō esse certū, An illa verba Pauli. *Primogenitus omnis creaturæ,* AdChristū ratione humanitatis, an potius ratione Diuinitatis sint referenda, nam in hoc variant expositores. Etenim Theodoretus in hunc locum, & D. Chrysostomus, D. Thom. Theophylactus, Glossa Ordinaria, & Magister Sententiarum, D. Ambrosius lib. 1. de Fide cap. 4. Et D. Cyprianus lib. 2. Aduersùs Iudæos cap. 1. Et in expositione symboli, quæ Rufino tribuitur, & plures recentiores, vt Gagucius & alij, de Christo Domino intelligūt, vt est genitus ab æterno ante vllā creaturā, vt etiā intelligit Ignatius epist. 7. ad Tralles, & Theophilus Antiochenus lib. 2. ad Antolicū vltra mediū, & Marius Victorinus lib. 1. in Arriū, & lib. 4. qui habentur in Bibliotheca Sanctorū Patrum tomo. 5 Sed hæc eadem verba de Christo, vt homo est, intelligūt Cōciliū Sardicēse Epist. ad omnes fideles, & Cōciliū Ephesinū tomo. 1. cap. 4. & 5. & tomo. 4. cap. 26 & Cyrillus lib. 10. Thesauri cap. 3. & lib. de Fide ad Theodosiū circa mediū, & libro de Incarnatione Vnigeniti cap. 1. & Dialogo de Trinit. cap. 4. Gregorius 547

sæcula creata, quatenùs in æterna humanationis eius præordinatione fundata fuit tota Ecclesia,& vita Enāgelica, quam Christus inter nos viuens instituit, & fundauit.

553 Ad tertium Resp. in genere causæ finalis decretum Incarnationis antecessisse decretum creationis rerum; at in genere causæ materialis esse posterius statuto de mundo condendo.

554 Ad quartum concesso antecedenti negatur prima consequentia,& ad probationem negatur,quòd Incarnatio Verbi seclusō peccato esset medium maximè aptum ad manifestationem diuinorum attributorum. Cæterùm quicquid de hoc sit,nō sequitur, Incarnationem esse à Deo volendam in ordine ad illum finem; quia non semper exigit prudentia, aut prouidentia, vt media maximè efficacia in ordine ad finem intentum apponātur:sed sæpè postulat,vt illis prætermissis, quia propter aliquas causas iudicatur expediens,apponantur media sufficientia.

555 Ad primam confirmationem negatur antecedens quo ad vtrāq; partem, nempe,tam ex parte Dei, quàm ex parte vniuersi fore conuenientius, quòd Deus per primam volitionem, qua vniuersum condere voluit, Incarnationem etiam facere voluerit,quàm quòd eam prætermisserit. Ad probationem primæ partis patet solutio ex dictis art. 1. Disput. 1. & hic in Responsione ad quartum argumentum principale huius Disputationis. Ad probationem secundæ partis Resp. illam rationem D. Thomæ,qua probat, esse productas in vniuerso substantias omninò immateriales, fundari in eo, quòd gradus istarum substantiarum est omninò creatus, & naturalis; & ideò pertinet ad complementum, quod ipsum vniuersum secundùm conditionem suæ naturæ postulat. Ex eo enim quòd est creatus,sortitur, vt ad integritatem vniuersitatis creaturarum requiratur. Ex eo autem quòd est naturalis, habet, quòd vniuersum connaturaliter perficiat. At verò gradus Vnionis hypostaticæ, nec est omninò creatus, videlicet, ex parte vtriusq; extremi, cùm ex parte Diuinæ Personæ sit quid increatum: neque est connaturalis ipsi vniuerso,& ideò ad illud complementum,quod exigit vniuersum secūdùm ordinem suæ naturæ,non pertinet. Itaq; gradus Vnionis hypostaticæ non requiritur,vt vniuersum sit secundùm suæ naturæ exigentiam simpliciter perfectum.

556 Ad obiectionem contra hoc factam,nempè, vniuersum ita appellari,quia omnia continet, quæ à Deo fieri possunt,saltem quò ad gradus communes entis creabilis: Respondetur,debere intelligi de his, quæ sunt omninò creata, & cum ipso vniuerso connaturalitatem habēt. Ad id,quod vlteriùs obijcitur de ordine gratiæ; Resp. quòd vniuersum diceretur simpliciter perfectum in eo sensu,quòd omnibus, quæ iuxta exigentiam suæ naturæ sunt illi debita,constaret,tametsi ordine gratiæ careret.

557 Ad secundam confirmationem concesso antecedenti,negatur consequentia. Et ad probationem concedendum est antecedens,si tantùm intelligatur de effectibus gratiæ, qui post peccatū hominibus conceduntur:non verò de alijs, qui in statu Innocentiæ concedebantur. Et eodem modo intelligendum est testimonium Cōcilij Tridentini.

Ad tertiam confirmationem rectè ibidem Respondetur,eum,qui ordinatè vult, priùs velle medium propinquius fini, id est, quod proximiùs conducit ad eius consecutionem,siue magis,siue minùs dignus sit. Quia ergo ad finem præintentum à Deo,nempe, manifestationem bonitatis,& misericordiæ suæ,proximiùs conducebat humani generis Redemptio,quàm Christi Domini Incarnatio: etenim efficiente Deo Incarnationem in Redemptionem hominum,per Redemptionem sic factam,immediatè,& proximè manifestatur gloria,& misericordia Dei: ideò Deus ordinatè volens,priùs voluit Redemptionem,& remedium peccati,quàm Christi Incarnationem. Aliam solutionem assignauimus supra Parag. 16. ad secundum principale Num. 465. 558

559 Ad quintum distinguitur antecedens. Etenim in genere causæ finalis prior est prædestinatio Christi cognitione certa,& infallibili peccati originalis. At in genere causæ materialis prior est cognitio peccati. Et hæc prioritas in cognitione peccati est sufficiens ad hoc, vt etiam nostro modo intelligendi prædestinatio Christi non fuerit completa sine ordine ad peccatum,vt certò, & infallibiliter futurum. Vnde peccatū, prout destruendum per Christi satisfactionem,& meritum,ordinatur ad ipsum Christum,siue ad eius gloriam,vt ad finem: & similiter Incarnatio ad peccatum, vt ita destruendum, refertur. Ad probationem antecedentis Respondetur concedendo, prædestinationem Christi esse priorem prædestinatione hominum:sed negatur,prædestinationem hominum fuisse priorem cognitione peccati originalis; quia non est mutua prioritas etiam in diuersis causarum generibus inter prædestinationem hominū, & cognitionem peccati originalis,sed hæc simpliciter, & absolutè est illa prior.

Ad obiectionem contra hoc propositam, conceditur, ordinationem generalem hominum ad gratiam, & gloriam, fuisse priorem nostro modo intelligendi, cognitione certa, & infallibili peccati originalis. Sed indè non sequitur,prædestinationem etiam fuisse priorem: quoniam illa ordinatio non habuit rationem prædestinationis, sumptæ pro hominum electione in particulari,quæ antecedenter etiam ad cognitionem visus libertatis ipsorum, esset efficax, & absoluta. Ad replicam, quæ duabus partibus constat, Resp. quò ad priorem partem,concedendo, ex vi illius ordinationis generalis potuisse homines, in statu innocentiæ re ipsa,& defacto saluari. Sed negatur,propterea illam ordinationem esse prædestinationem in eo sensu, quo sumitur prædestinatio, cùm dicitur fuisse posterior nostro intelligendi more cognitione originalis peccati. 560

Cur autem Deus cum hominibus, quatenùs ad illum statum pertinebāt,non fuerit vsus prædestinatione ita sumpta,sicut pòst peccatum; sed illa solùm ordinatione generali; Ratio est,quia homines in illo statu propter naturæ integritatē,cum auxilijs gratiæ, ab illa generali voluntate prouenientibus,re ipsa,& de facto beatitudinem consequi potuissent. At verò pòst amissam per peccatum naturæ integritatem, non ita id possent. Et ideò Deus aliquos eorum in particulari ad beatitudinem prædicto modo prædestinare, & eligere voluit. Quantum verò ad posteriorem partem, negatur, esse eandem rationem quātùm ad hoc, aut posse fieri idem argumentū de illa ordinatione generali,& de prædesti- 561

natione. Ad primam autem probationem dicitur, magnam esse inter hos duos actus disparitatem, & ideò negatur, prædestinationem Christi fuisse nostro modo intelligendi priorem ordinatione generali, sicut fuit prior prædestinatione hominum. Ea verò est, quòd hominum prædestinatio sumpta in sensu explicato liberationem à peccato originali includit, & ideò necessariò præsupponit prædestinationem Christi, cuius beneficio fit huiusmodi liberatio. Cæterùm illa generalis ordinatio talem liberationem minimè includit; & ideò necessarium est, vt Christi prædestinationem præsupponat.

562 Ad secundam probationem negatur, effectus illius ordinationis præsupponere Christũ, tanquàm causam finalem, & meritoriam: & similiter negatur, gratiam iustificantem, & auxilia supernaturalia, quæ in hac vita reprobis conceduntur, esse illius ordinationis effectus: quia licet non sint effectus prædestinationis ipsorum, neque etiam reprobationis, sed vniuersalis prouidentiæ, ad supernaturalem ordinem pertinentis: non tamen sunt effectus eius prouidentiæ, quæ peccati originalis cognitionem præcessit; sed alterius, qua Deus pòst cognitionem peccati omnibus hominibus media sufficientia ad beatitudinem consequendam, propter Christum conferre voluit, ac decreuit.

563 Ad confirmationem Resp. cognitionem infallibilem, & certã peccati originalis, fuisse priorem in Deo, in genere causæ materialis, prædestinatione Christi: eamq; cognitionem fuisse scientiam visionis, qua ipsum peccatum fuit visum, vt præsens, & vt existens in natura humana. Ad obiectionem contra hoc, conceditur, pro illo instanti peccatum fuisse præuisum, vt existens in hominibus in particulari. Sed negatur, fuisse visum, vt existens in Beatiss. Virgine; quia illud instans, pro quo peccatum originale dicitur præuisum, non præcessit simpliciter prædestinationem Christi, & eius merita, sed tantùm in genere causæ materialis: cũ quo stat, quòd simul, aut etiam priùs in genere causæ finalis merita Christi visa fuerint; propter quæ Beatissima Virgo à peccato originali præseruaretur.

564 Sed contra. Ergo datur causa reprobationis: nã hæc cognitio peccati originalis, sicut hominum prædestinationem præcessit: sic etiã antecessit reprobationem. Peccatum autem originale, vt in aliquo homine existens erat causa sufficiens suæ reprobationis. Nihilominùs negatur consequentia: quia licet peccatum originis sit sufficiens reprobationis causa, & Deus pro illo instanti rationis peccatum originale in hominibus præuiderit, & aliqua prouidentia erga homines eo infectos vsus fuerit, non tamen ipsum vidit, vt motiuum ad reprobandum, sed potiùs vt occasionem, ad vtendum cũ hominibus hac misericordia; quòd in eorum remediũ Diuini Verbi Incarnationem ordinauerit. Itaq; Deus pro illo instanti rationis, quo sic peccatum originale cognouit, nihil circa hominum prædestinationem, aut reprobationem statuit; sed solùm illis Christum liberatorem, & Redemptorem dare decreuit: & per Christũ, & eius merita vti cum eis prouidentia quadam generali in ordine ad supernaturalem finem; virtute cuius ipsis de auxilijs, & medijs ad illius finis consecutionem sufficientibus, prouideret: quibus omnibus propter originale peccatum erant iure, ac meritò priuati.

565 Ad sextum argumentum principale, negatur antecedens: & ad probationem, concesso antecedenti neganda est consequentia. Probationi autem huius cõsequentiæ dicitur, hunc discursum non esse legitimum. Hoc est prius illo in tempore; ergo etiam in æternitate, & in Diuina Visione est prius. Ad primam autem oppositi probationem Resp. dupliciter posse intelligi, quod cõceditur, nempe, in æternitate esse virtualiter partes, & successionem. Primò, quòd in æternitate, nostro intelligendi more, sit partiũ successio, per correspondentiã ad priores, & posteriores temporis partes; ita vt secũdum nostrã rationem illa æternitatis pars dicatur prior, cui prior temporis pars coexistit. Secundò; quod æternitas propter suam eminentiam virtualiter contineat, totam partium temporis successionem simul, & sine vlla successione in se ipsã, etiam secundum nostrum intelligendi modum: quemadmodùm Deus propter suã eminentiam omnia materialia, & mutabilia virtualiter continet, absq; vllã in seipso materialitate, aut mutatione, etiam secundùm nostrum intelligendi modum. Priori modo falsum est, æternitatẽ habere virtualiter partes; cùm id suę simplicitati, & immutabilitati repugnet. Posteriori autem, est verum. Et ita non sequitur, illud esse in æternitate prius, quod est in priori temporis parte: quia neque prior temporis pars priùs in æternitate continetur, quàm posterior: sed totum tempus simul continetur, quantum est ex parte æternitatis.

566 Ad secundam probationem, concesso antecedenti negatur consequentia, quia æternitas simul, & sine vlla successione omnes temporis differentias ambit, atque adeò continet omnia, quæ in eis continentur.

567 Sed obijcitur. Quod in tempore priùs existit, priùs est volitum à Deo: ergo etiam est priùs visum. Consequentia patet: nam cùm primum est aliquid volitum à Deo volũtate absoluta, & efficaci: est etiam visum. Antecedens probatur: quia quod priùs existit, est priùs effectum à Deo: ergo & priùs volitum. Resp. negando antecedens, si de eo intelligatur, quod in tempore priùs existit. Etenim quod habet rationem finis, est priùs à Deo volitum, quàm media ad ipsum ordinata; & tamen media priùs in tempore existunt, quàm finis. Ad probationem concesso antecedenti, negatur cõsequentia: quia antecedens intelligitur de prioritate temporis, in quo tanquàm in propria mensura res omnes creatæ existunt, & efficiuntur à Deo. Consequens autem intelligitur de prioritate respectu æternitatis, quæ nostro intelligendi more est propria Diuinę volitionis mensura. Et interdum contingere potest, vt id, quod in tempore posteriùs existit, & efficitur: sit in æternitate priùs volitum à Deo: vt si habeat rationem finis respectu eorum, quę priùs existunt, & efficiuntur.

568 Sed replicatur. Scientia visionis dicitur illa, qua res, prout sunt à parte rei, videntur: ergo quod priùs est à parte rei, est etiam priùs cognitum scientia visionis. Resp. Antecedens sic esse intelligendum, quòd scientia visionis terminatur ad res, quatenùs actu existunt: & ex eo in isto sensu non licet inferre, quòd eo ordine ad res terminetur, quo ipsę in tempore existunt: quare neganda est consequentia. Tandem instatur. Ordo, qui secundùm nostram rationem est in Diuina visione respectu diuersorum obiectorum, sumitur ex ordine reali, qui inter ipsa obiecta versatur: ergo sumitur ex ordine, quo

ipsa

ipsa obiecta in tempore existunt. Negatur consequentia quia inter obiecta duplex realis ordo reperiri potest. Vnus quidem secundùm causalitatem: alter verò secundùm subsistentiam. Ordo autem rationis, qui in Diuina Visione cernitur, ex priori, & non ex posteriori desumitur. Cuius ratio est; quòd res ex Diuina voluntate potissimum habent, esse Diuinæ visionis obiecta: & per Diuinam voluntatem magis est intentus ordo causalitatis inter obiecta, quàm ordo subsistentiæ. Quare cùm inter aliqua obiecta nullus reperitur causalitatis ordo, quamuis sit ordo subsistentiæ, sicut inter reuelationem Incarnationis, & peccatum: necessariò dicendū est, nullum esse rationis ordinem in Diuina visione, prout ab ipsa terminatur.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm principaliùs Christi Incarnatio facta fuerit ad tollendum peccatum originale, quàm actuale.

HACTENVS *ostendit D. Thomas potissimam causam Dominicæ Incarnationis positam fuisse in Redemptione à peccato, hoc autem cùm sit duplex, nempe, originale, & actuale, inquirit modò, quod istorū Princeps sit Incarnationis causa, originale nè, An actuale. Est autem sermo de hominum peccato, nō Angelorum, quia vt inquit D. Thomas in opusculo contra Sarracenos cap. 5. Angelus naturâ suâ apprehendit immobiliter, & ideò si vni rei semel adhæserit, liberum eius arbitrium in contrarium flecti non potest. Quare cùm semel peccauerunt, manserunt impœnitibiles, nunquàmq; pœnitentia facti ducuntur, quæ sanè est simpliciter necessaria ad expiationem peccati in habentibus libertatem. Respondet D. Thomas duplici conclusione.*

Prima. Christus venit, ad delendū vtrūq; peccatum, & originale, & actuale. *Secunda conclusio.* Absolutè, & simpliciter loquendo Christus principaliùs venit ad delēdum peccatum originale, quàm actuale. *Probatur. Licèt peccatum actuale sit intensiuè maius, quàm originale, quia plus habet de voluntario: tamen extensiuè originale est peius malum; quia plures infecit: Sed ex Aristotele. 1. Ethicorum cap. 2. bonum gentis est diuinius, & præstantius, quàm bonum particulare: ergo ad Diuinam prouidētiam spectabat, præsertim mendicantem morbum, peius malum tollere, atque radicem, qualis erat culpa originalis. Sic exponit Beda illud Ioan. 1.* Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi, *De peccato originali, quod est commune.*

Est primum argumentum D. Thomæ contra secundam conclusionem. Peccatum actuale est grauius, quàm originale; ergo principaliùs venit ad tollēdum actuale. Probatur antecedens; quia maior pœna debetur actuali, nempe, damni, & sensus, quā originali, cui non est debita pœna sensus sed damni duntaxat. Respondet D. Thomas, peccatum actuale esse maius intensiuè, sed originale esse maius extensiuè.

Secundū argumentū est. Christus magis satisfecit pro peccato actuali, quā pro originali; ergo principaliùs venit propter illud. Antecedēs probatur, quia originali debetur pœna dāni, actuali verò pœna sensus; sed Christus assumpsit pœnā sensus, & nō damni, ergo principaliùs satisfecit pro actuali, quā pro originali. Respondet D. Thomas negando antecedens. Et ad probationem dicit, quòd peccato originali non debetur pœna sensus in limbo, sed in hac vita meretur pœnam sensibilem; quia omnes pœnalitates, quas hîc patimur, oriuntur ex peccato originali, & ideò Christus, vt pro illo plenè satisfaceret, eas in se sumere voluit.

Tertium argumentum facile est, in cuius responsione docet D. Thomas, peccatum originis ita esse in quolibet purgatum, ac si in vno solo esset curatum, ac subindè propter Vnionem charitatis, debet quisq; sibi attribuere, quod omnibus collatum est, sicut dicebat Paulus ad Galatas. 2. Dilexit me, & tradidit semetipsum propter me.

Commentarius.

PRIMA conclusio est dogma fidei expressum in sacra Scriptura, vt cōstat ex illo Matthæi. 1. *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Et. 1. ad Timote. 1. *Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Vbi peccatores dicit absolutè, in quocumq; genere peccati sint. Et. 1. Ioan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, & non pro nostris tantùm, sed pro totius mundi.* Et ad Hebræ. 1. inquit Paulus de Christo, fecisse purgationem omnium peccatorum. Et Isaiæ. 53. *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Ex mox. *Posuit in eo Dominus iniquitates omnium nostrum.* Et Apocalip. 1. *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Vnde in Concilio Toletano. 6. Cano. 1. dicitur. *Ex tribus diuinitatis Personis solum Filiū fatemur ad Redemptionem humani generis, propter culparum debita, quæ per inobedientiam Adæ originaliter, & nostro libero arbitrio contraxeramus, resoluenda à secreto Patris arcano prodisse.* Et Leo Papa sermo. 1. de Natiuitate Domini ait. *Dominus noster*

Iesus

Iesus Christus peccati, mortisq; destructor, sicut nullú
à reatu liberum inuenit, ita pro liberandis omnibus
2 venit.* Et ratio id manifestè conuincit. Primò, quia
Christus venit in mundum, vt nos in vitam æternam
induceret; ergo vt remoueret omnia impedimenta hu-
ius introductionis. At quodcumq; peccatum, siue ori-
ginale, siue actuale est impedimentum: ergo &c. Secũ-
do, quia de fide est, per baptismum, & pœnitentiam, &
reliqua sacramenta remitti nobis omnia peccata: sed
de fide est, in omnibus sacramentis applicari Christi
passionem, ergo &c.
3 Est autem aduertendum, hanc cõclusionem esse ne-
cessariò intelligendam, quò ad sufficientiam, non ta-
men quò ad efficaciam, licèt enim Christus Dominus
ad tollenda omnia peccata venerit, iuxta illud Pauli ad
Roma. 5. *Nõ sicut delictum, ita & donum, iudicium
enim ex vno in condemnationem, gratia verò Christi
ex multis delictis in iustificationem.* Quasi diceret, Si
Adæ peccatum fuit sufficiens ad totius naturæ huma-
næ infectionem, multò magis iustitia, & satisfactio
Christi erit sufficiens ad omnium hominum iustifica-
tionem, quia vbi abundauit delictum, superabundauit
4 & gratia. Nihilominus tamen, Christus in effectu non
deleuit omnia hominum peccata: vnde Ioan. 3. *Venit
lux in mundum, & dilexerút homines magis tenebras,
quàm lucem.* Etenim sol de se sufficiens est ad om-
nes illuminandos. Cæterùm ponentes obicem, vel ali-
quod aliud impedimentum non illuminabit. Sic sol
iustitiæ Christus sufficientissimè fuit radiis omnes ho-
mines illustrabat; sed ipsi in tenebris delitescere magis
5 elegerunt. Idem docet parabola de inuitatis ad nuptias
Matth. 22. ad quas non omnes admittuntur, & parabo-
la de Virginibus fatuis, quibus Ianua clausa est, Matth.
25. & tandem constat ex Sancta Scriptura, aliquos ob
sua scelera esse damnatos, qualis est Iudas Actorum, 1.
6 & Diues ille iniquus, Luc. 16. Ratio verò huius rei est,
quia Christi Domini Incarnatio habet se veluti causa
vniuersalis, hæc autem non agit, nisi modificata per
causas secundas, quamuis de se sufficientiam habeat: sic
etiam Incarnatio Filij Dei in hominibus effectum nõ
habet, nisi per fidem, per sacramenta, & per bona opera
7 applicetur. Idem etiam constat ratione Caietani, nam
actus actiuorum sunt in patiente disposito: vnde sicut
ignis non agit nisi præcedente dispositione ex parte
subiecti, ita neque aduentus Christi nisi per subiecti
dispositionem.
8 Sed obijcitur ex illo D. Pauli testimonio ad Roma.
5. quia gratia Christi fortior est ad iustificandum, quàm
fuerit peccatum Adæ ad omnes homines inficiendos:
sed peccatum Adæ efficaciter infecit omnes homines:
ergo multò magis Redemptio Christi efficaciter sal-
uauit omnes. Respond. efficaciam, & potentiam cau-
sæ non esse attendendam ex actuali effectu, sed ex pos-
sibilitate effectus, & sufficientia virtutis in causa ad
producendum maiorem, atque maiorem effectum. Et
9 ita Redemptio Christi, & virtus illius habet in se mul-
tò maiorem virtutem ad omnes homines sanandos,
quàm peccatum Adæ habuerit ad omnes inficiendos.
Defacto tamen Adam omnes suos posteros infecit,
Christus verò non omnes in effectu saluat, cuius diuer-
sitatis ratio est, quia vt peccatum Adæ defacto omnes
inficiat, nulla ex parte hominum requiritur dispositio,
sed id duntaxat, quòd in eo, tanquàm in totius naturæ
humanæ capite contineantur, neque vllus actus liberi
arbitrij est necessariò requisitus. Incarnatio verò Chris- 10
ti aliquam dispositionem ex parte hominum requirit,
nã in adultis exigit actũ liberi arbitrii, quo ex auxilio
Dei supernaturali, & meritis Christi in Deum conuer-
tantur: in paruulis verò, quòd sibi sacramentum in re-
missionem peccati originalis applicetur. Et quia adul-
ti non semper hunc habent actum, quia nolunt habere,
neque etiam defacto paruulis applicatur sacramentum
remissionis originalis peccati, ideò non omnes in effec-
tu saluantur.
Vel secundò Resp. licèt peccatum Adæ plures extẽ- 11
siuè attingat, quàm Redemptio Christi, intensiuè ta-
men plures effectus producere Redemptionem Christi:
quia maior virtus, & potentia requiritur ad liberandũ
hominem à peccato, quàm ad eum inficiendum. Ma-
ior etiam gratia, & virtus nobis per Christum commu-
nicatur, quàm sine Christo, etiam Adam non pec-
cante communicaretur, & ad maiorem dignitatem
eleuatur natura.
Secunda conclusio quamuis expressè non contine- 12
tur in corpore articuli, colligitur tamen ex illo, nam in
calce corporis articuli ponit D. Thomas rationem,
qua probat, non solùm Christum principaliùs venisse
ad delendum originale, quantùm ad extensionem, sed
ad hoc absolutè principaliùs, & simpliciter venisse, vt
constat, quia dicit, bonum quod abstulit peccatum ori-
ginale, esse commune: bonum, verò commune ex Aris-
totele. 1. Ethicorum, cap. 2. est Diuinius, & eminentius,
quàm particulare; ergo magis expetendum, quàm par-
ticulare ergo malum, quod huic bono opponitur, ma-
gis est delendum, quàm particulare. Secundò, id etiam 13
constat, quia argumentum sed contra insolutum relin-
quitur à Diuo Thoma, cùm eò tenderet, vt probaret
Christum principaliùs venisse absolutè, ad delendum
originale, quàm actuale. Et licèt in corpore, cum addi-
to, & non simpliciter concludere videatur dicens, &
quantùm ad hoc Christus principaliùs venit ad tollen-
dum originale peccatum: illa tamen particula: Quan-
tùm ad hoc, non est diminuens, aut limitans cõclusio-
nem; aliàs non satisfecisset quæsito simpliciter & abso-
lutè, sed habet vim causalis, ac si diceret. Et propter hoc
principaliùs venit Christus propter originale pecca-
tum.
Sic autem explicata conclusio est certissima, quam 14
docet D. Thom. Opusculo. 10. art. 28. & Opusculo.
11. art. 23. & colligitur ex Sancta Scriptura ad Roma.
5. & 1. ad Corint. 15. vbi Christus opponitur Adæ,
vt Redemptor totius naturæ corruptori eiusdẽ. *Si-
cut per vnum hominem peccatum intrauit in mun-
dũ &c.* Hanc etiã conclusionem latissimè confirmat
Caius Papa Epistola ad Felicem Episcopum, & Leo
Papa Epistola. 82. ad Episcopos Palæstinos cap. 3. &
Epistola. 97. ad Leonem Augustum cap. 2. Cæterùm
quia D. Thomas probat hanc conclusionem ex illo
Ioan. 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollis peccata mun-
di,* Aduertendum est, hanc conclusionem non pro- 15
bari de fide tali testimonio, quamuis Beda citatus in
in Glossa ordinaria, Augustinus lib. 12. contra Faus-
tum cap. 30. & Cyprianus lib. de Duplici martyrio, &
Biblia Complutensia legant peccatum mundi in sin-
gulari,

gulari, ficut omnes Græci expoſitores ſequentes Græcam editionem, vt Irenęus lib. 3. cap. 11. & Theophilactus ſuper Ioannem. Nihilominùs per peccatum mundi non ſolum intelligunt originale, ſed totam peccatorũ congeriem, vel numerũ ſingularem pro plurali poſitũ affirmant, vt ſacræ literæ frequenter vſurpant, quod rectè obſeruauit Martinez ex D. Hieronymo, lib. 6. Hypothepoſeon cap. 4. tùm etiam, quia æditio vulgata, quam approbat Concilium Tridentinum Seſſ. 4. legit peccata in plurali. Et quamuis hic locus vulgatæ æditionis à D. uo Thoma, & multis alijs, de peccato originali intelligatur, quod quidem, ex eoquòd eſt omniũ peccatorum radix, ea omnia virtute continens, dicatur peccata in plurali, iuxta illud Pſalmi. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum:* Adhùc tamen illa explicatio non eſt habenda, vt fidei dogma, ita vt de peccato originali duntaxat intelligatur; quia multi alij Doctores de cũctis peccatis intelligunt. Et ita concluſio ſecunda D. Thomæ non probatur de fide hoc teſtimonio, ſed probatur efficaciter ratione ſupradicta; & poteſt adhùc ſuaderi, & confirmari: tum, quia peccatũ originale contrahitur nobis invitis propria voluntate: tum, quia eſt radix omnium infirmitatum tam culpæ, quàm pœnæ; tum etiam, quia eſt grauius ſimpliciter, cùm ſit malum totius naturæ: atque adeò principaliùs debuit auferri, quàm actuale.

16 Vnde conſtat, peccatum actuale dupliciter diſtingui ab originali. Primò: quia hoc eſt peccatum naturæ, illud verò Perſonæ. Secundò: quia originale non eſt propria voluntate contractum, ſed aliena: actuale verò propria voluntate eſt commiſſum. Quò fit, vt ſicut natura, quæ erat per propagationem communis, efficitur vnicuiq; propria; ſic etiam peccatum originis eadem propagatione fiat vnicuiq; proprium: atque ita tot ſint peccata originalia numero, quot homines: quãuis ſecundùm ſpeciem ſint idem.

17 Conſtat ſecundò, qua ratione peccatum originis ſit extenſiuè grauius, quàm actuale: quoniam de ſe natum eſt infinitos homines inficere, ſi producibiles eſſent. Quia verò ex alia parte peccatum non eſt, niſi in quantùm eſt voluntarium, & quod eſt voluntate propria voluntarium, ſicut actuale, ſit magis volitum: hinc eſt, quòd actuale intenſiuè eſt grauius, quàm originale.

18 Sed contra hoc objicit Caietanus. Quicumque eſt in originali peccato, eſt etiam in actuali, ſi ad vſum rationis peruenerit, & gratia Dei non præueniatur; ſed in omnibus, in quibus eſt actuale, continuò non eſt peccatum originis, vt patet in Chriſtianis: ergo extenſiuè grauius eſt actuale, quàm originale. Reſpondet Caietanus, peccatum actuale per ſe, & ſua naturâ non eſſe niſi vnius, quia eſt peccatum perſonale: per accidens verò fieri poſſe, vt idem peccatũ actuale ſecundùm ſpeciem ſit in multis: & hoc conuenit ei ex peccato originali, quod eſt omniũ peccatorum radix: ſic enim videmus, quia neque in Chriſto per naturam, neque in Beatiſſima Virgine per gratiam fuit peccatum originale, ideò in illis nullum fuiſſe actuale. Peccatum autem originale per ſe, & ex ſua natura eſt peccatum multorum, quia eſt peccatum naturæ, quod cum ipſa natura transfunditur. Sed D. Thomas vtrumque peccatum comparauit ſecundùm id, quod habet per ſe, & ex ſua natura, & quia ſecundùm hoc, originale eſt grauius extenſiuè, actuale verò eſt grauius intenſiuè, ideò D. Thomas aſſeruit, Chriſtũ principaliùs veniſſe propter originale, quod eſt maius extenſiuè. Et principaliùs etiam dicendum eſt veniſſe propter actuale, quod eſt maius intenſiuè.

DISPVTATIO VNICA.

CIRCA iſtam cõcluſionem eſt dubitatio, An Chriſtus principaliùs venerit ad tollendum actuale, quàm originale peccatum. Et videtur principaliùs veniſſe ad auferendum actualé.

Primò. Peccatum actuale eſt omnibus modis grauius, quàm originale: ergo principaliùs venit Chriſtus ad ipſum tollendum. Probatur antecedens. Actuale eſt maius intenſiuè, quàm originale, vt concedit D. Thomas; cùm ſit magis voluntarium; eſt etiam maius extenſiuè; quia plura ſunt in mundo peccata actualia, quàm originalia: in vno enim homine vnicum eſt tantùm originale peccatum, ſunt autem plura actualia. Item regulariter, & moraliter loquendo in tot ſuppoſitis reperitur actuale, in quot originale: vt excipiamus infantes ante vſum rationis, ergo ſimpliciter maius eſt peccatum actuale. 1

Confirmatur. In peccato grauior eſt ſimpliciter intenſio, quàm extenſio eiuſdem peccati; ſed peccatũ actuale magis habet de intenſione, vt concedit D. Thomas ergo ſimpliciter eſt maius. 2

Secundò. Peccatum Adæ fuit maximum, nempe, malum totius naturæ, & omnium malorum cauſa; ſed illud peccatũ fuit actuale: ergo principaliùs venit Chriſtus ad illud tollendum. Maior patet; quia illud peccatũ infecit totam naturam, & Adamo peccante omnes in illo peccauerunt, vt ait Paulus Roma. 5. Probatur minor, quia fuit contractum propria voluntate Adæ, non per originem transfuſum. 3

Tertiò. Grauitas peccati principaliter ſumitur ex modo tendendi in obiectum; ſed peccatum actuale in hoc ſuperat originale: ergo eſt grauius originali. Minor probatur, quia actuale peccatum actualiter, & in actu vltimo, atque completo aduerſatur regulæ, & ipſi Deo opponitur, originale verò ſolùm habitualiter: ſed maius malum eſt actualiter eſſe Deo injurium, & inimicum, quàm habitualiter: ergo &c. 4

Confirmatur: quia peccatum actuale maiori affectu tendit in obiectum diſſonum, cùm ſit magis voluntarium. Item quia maius ſupplicium Reſpondet peccato actuali, cùm ſit pœna damni, & pœna ſenſus, quàm peccato originali, cui ſola pœna damni debetur: ergo actuale eſt maius originali, ac proindè principaliùs venit Chriſtus ad tollendum actuale, quàm originale. 5

Pro explicatione aduertendum eſt, totam iſtam cõtrouerſiam in eo eſſe poſitam, An remedium contra peccatum originale magis mouerit Deum ad Incarnandum, quàm remedium contra peccatum actuale, præſertim mortale, vel potiùs è contra. In qua quæſtione duo inuoluntur. Primum eſt, An voluntas Incarnationis ita pendeat à remedio contra peccatum originale, vt ex vi illius duntaxat huiuſmodi voluntas maneret, quamuis præſcindatur remedium peccati actualis. Alterum eſt, An voluntas Incarnationis ita etiam dependeat à remedio contra peccatum actuale, vt præciſo remedio peccati originalis, adhùc ex vi talis mo- 6

tiui

eius præsens decretum Incarnationis maneret. Ex his enim dubiis pendet necessariò resolutio huius difficultatis.

7 Circa priorem dubitationem M. Suarez Disput. 5. Sectione 6. docere videtur, remedium contra peccatū originale ita Deum ad Incarnandum mouisse, vt quouis alio motiuo remedij peccati actualis præciso, adhuc ex vi talis motiui ad Incarnandum moueretur. Circa posteriorem verò dubitationem asserit, quòd si consideretur voluntas Dei, qua de facto Christum in carne passibili venire voluit, vt nos à peccatis actualibus redimeret: Incarnationem non esse futuram ex solo motiuo Redemptionis à peccato actualium, quia omnia peccata actualia post peccatum Adæ pendent à peccato originali tamquàm à prima radice. Vnde voluntas remedij contra huiusmodi peccata supponit peccatum originale, & voluntatem remedij illius, tum etiam, quia si peccatum originale non esset, fortasse non essent eadem peccata, quæ modò committuntur, quare neque voluntas redimendi nos ab illis, esset eadem. Secundò asserit, quod non admissa captiuitate totius naturæ propter peccatum Adæ, probabilius esse, Deum non venturum in carne passibili ad redimenda paucorum peccata, quæ essent in statu innocentiæ. Addit tertiò, quòd si fingamus in statu innocentiæ maiorem hominū partem in peccatum actuale mortale, fuisse lapsuram, fortassè pro illis Christus veniret in carne passibili, quia moraliter eadem esset necessitas, quæ modò est.

8 Pro resolutione huius controuersiæ præsupponendum est, nos in præsenti non comparare voluntatem, quam Deus haberet Incarnandi, cum motiuo remedij cōtra peccatum, quod de facto habuit, sed hoc motiuū cōparatur cum ea voluntate Incarnandi, quā habuit de facto, cuius dependentiam à remedio tam peccati originalis, quàm actualis, explicare conamur. Vnde sit prima conclusio.

9 Remedium peccatorum actualium de facto nō fuit Deo sufficiens, & adæquatum motiuum eius decreti, quo de facto Incarnari statuit. Probatur, quia natura non esset mortalis, nisi supposito peccato originali, ex vi autem præsentis decreti, quo Deus voluit venire in remedium peccati, voluit in carne mortali venire: ergo hæc voluntas permanere non potest, præuiso remedio peccati originalis. Secundò: quia propterea voluit Deus redimere nos à peccatis actualibus, vt vitam haberemus, & abundantius haberemus, vt ipse docet Ioan. 10. Sed præciso remedio contra peccatum originale, non possumus habere vitam æternam, neque vitam gratiæ: ergo remedium contra peccatum actuale nulla ratione fuit adæquatum motiuum, & sufficiens eius voluntatis, qua de facto Deus Incarnari statuit. Confirmatur: Quoniam peccata actualia mortalia secundùm leges à Deo de facto statutas, remitti non possunt, non remisso peccato originali: ergo remediū peccati actualis præcisum à remedio contra peccatum originale, nulla ratione fuit Deo motiuum ad Incarnandum sufficiens. Secunda conclusio.

10 Posita in Deo scientia infallibili, quam Deus de facto habuit, videlicet, quòd ex peccato originali infinita propemodùm peccata actualia grauissima erant promanatura, remedium peccati originalis solitariè sumptum, & præcisum à remedio actualium mortalium, non fuit Deo sufficiens motiuum eius decreti, quo de facto Incarnari statuit. Vnde in motiuo adæquato decreti Incarnationis non solùm remedium originalis peccati includitur: verùm etiam peccatorum actualium mortalium: & hoc præciso non remaneret sufficiens talis decreti motiuum. Hæc videtur manifesta sententia D. Thomæ, quam magis explicuit Opusculo. 1. art. 13. & probatur ex ratione, qua ibidem vtitur D. Tho. quia Christus principaliter venit, vt hominem in vitā æternā introduceret, vt ipse docet Ioan. 10. Ego veni, vt vitam habeant. Sed præciso motiuo peccatorū actualium, nequit intelligi in Deo hæc voluntas, qualem de facto habuit; ergo præciso motiuo remedij peccatorum actualium non manet in Deo sufficiens motiuum eius voluntatis, qua incarnari voluit. Maior patet, & minor probatur: quia præciso remedio peccatorum actualium rarissimi essent, qui cum solo remedio peccati originalis salutem consequerentur: sed Christus non venit, neque decens fuit, vt veniret ad paucos saluandos: ergo &c. Maior probatur, quoniam ex adultis rarissimi sunt, qui in iustitia baptismali vsque ad finem vitæ perseuerent.

11 Confirmatur, quia peccatum originale in adultis habentibus peccata actualia, nequit remitti sine remissione actualiū; ergo impossibile est, intelligere in Deo voluntatem redimendi nos ab omni peccato originali: quin in ea voluntate remedium multorum peccatorum actualium includatur. Confirmatur secundò, quia non esset conueniens, vt Christus veniret, nisi propter perfectam Redemptionem naturæ humanæ. Quare, supposito, quòd ex illo peccato originali præuidebat Deus innumera peccata actualia, & grauissima subsequutura fore: non satis dignitati Christi prouidisset, si illum ad peccati originalis, & non actualium remediū mitteret. Sic enim in primo decreto, quo Christus fuit prædestinatus Redemptor, fuisset prædestinatus Redemptor imperfectus: ergo remedium peccati originalis præcisum à remedio peccati actualis, nulla ratione fuit Deo sufficiens motiuum Incarnandi.

12 Dices, eodem argumento probari, remedium peccati originalis, & mortalis non fuisse sufficiens motiuum Incarnationis, remedio venialium præciso, quia dignitati Christi nulla ratione consentaneum videtur, vt in remedium originalis, ac mortalis, & non venialis veniret. Resp. negando Sequellam, quia sicut in homine alia sunt, quæ ad essentialem eius spectant perfectionem; alia verò ad integralem: sic etiam in munere Redemptoris, & in motiuo propter quod Deus Incarnari decreuit, quædam pertinent ad perfectionem illius essentialem, & huiusmodi sunt remedium originalis, & actualium peccatorum mortaliū, quæ homines à regno cælorum excludunt, & supernaturali beatitudine priuant. Remedium verò peccatorum venialium attinet ad integritatem perfectionis muneris Redemptoris, & ideò, quamuis in motiuo incarnationis de facto fuerit inclusum, etiam si per intellectum præscindatur, adhuc tamen remanet essentia muneris Redemptoris, & motiui, propter quod Deus Incarnationem decreuit. Præterea probatur conclusio.

13 Adæquatum motiuum, propter quod Deus de facto Christum prædestinauit, non fuit remedium solius

peccati

peccati originalis, sed omnium actualium: ergo deficiente hoc motiuo non veniret Christus ex vi prædestinationis, qua de facto est prædestinatus. Consequentia patet, & antecedens probatur. Nam Christus de facto, & in executione non venit ad tollendum solum originale, sed etiam omnia actualia: ergo ab æterno non præordinauit Deus Incarnationem Christi in remediū solius originalis, sed etiam omnium actualium.

14 Rursus. Si ob aliquam rationem Deus Christum priùs prædestinasset in remedium peccati originalis, & independenter à peccatis actualibus, maximè quia pro illo signo rationis, quo peccatum originale præuidit, & Christum prædestinauit, nondum scientia visionis præuiderat vllum peccatum actuale distinctum à peccato Adæ: sed horum vtrumque est falsum; ergo &c. Minor quoad priorem partem constat: quia peccatum originale in aliquibus præuideri non potuit, quin actualia præuiderentur, vt in his, qui ex adulterio, vel alio illicito concubitu nati sunt, satis patet. Vt enim hos in peccato originali actu conceptos scientia visionis Deus videret, necessariò debuit intueri ipsorū generationem, vt hic, & nunc factam: sed hæc generatio vt hîc, & nunc facta, fuit intrinsecè adulterij, vel incestus peccatum: ergo non fuit priùs visum peccatum originale in istis, quàm peccatum actuale suorū parentum. Secundum vero, nempe, non fuisse prædestinatum Christum antè præuisum peccatum actuale. Probatur: quia pro illo indiuisibili rationis instanti, in quo primùm prædestinatus est Christus in peccati Redemptionem, prædefinita est passio Christi, quā mediante efficienda erat huiusmodi Redemptio generis humani; sed passio Christi prædefiniri non potuit, nisi præuideretur peccatum crucifigentiū Christum, quod habuit rationem actionis respectu talis passionis: ergo in illo primo rationis signo, quo prædestinatus est Christus in remedium peccati, non solùm præuisum est originale, sed etiam actuale: & ex consequenti eius Incarnatio non fuit primò, & per se ordinata in remedium solius peccati originalis Adæ.

15 Vnde constat, non propterea D. Thomam asseruisse, Christum principaliùs ad tollendum originale, quàm actuale peccatum venisse: quia remedium originalis iudicauerit fuisse Deo sufficiens Incarnationis motiuum, non verò remedium peccati actualis, quia quodlibet horum per se sumptū est inadæquatum Incarnationis motiuum, secundùm D. Tho. Sed nihilominùs adhuc asserit D. Thomas, remedium originalis peccati magis Deum ad Incarnandum mouisse, quàm remedium peccati actualis: idque probat vnica ratione in corpore articuli, quæ si bene expendatur, magnam habet vim, & non est tantùm probabilis coniectura, vt hic docet M. Suarez, sed efficax confirmatio. Impugnatur autem. Primò, quia non semper bonum commune est maius quouis malo particulari, quare neq; semper malum commune erit maius malo particulari. Secundò, quia conuenienter non dicitur, peccatum actuale esse malum particulare: quia licèt non necessariò & per modum naturæ in omnia indiuidua diffundatur, vt peccatum originale diffunditur, ac certè re ipsa totam ferè naturam inficit in omnibus ferè indiuiduis, quoniam etsi per accidens sit considerata vniuscuiusque indiuidui libertate, per se tamen est, & infallibile moraliter loquendo, cōsiderata debilitate naturæ, & propensione ad malū, & carnis rebellione, quæ post peccatum mansit.

16 Sed his non obstantibus dicendum est, D. Thomam in hac sua ratione vnum assumere tanquàm certum ex communi Philosophorū moraliū sententia, aliud verò tacitè supponere. Ac primo quidem assumit illud commune Philosophorū, Aristotelis, & Platonis axioma, scilicet bonum cōmune, vt commune, secundùm moralem, & prudentē æstimationem bono particulari præstare, hoc est, pluris esse faciendū, licèt secundùm naturā propriā sit inferioris perfectionis, id est, Methaphysicè loquendo sit imperfectius. Quo pacto, etsi diuitiæ sint inferioris ordinis bonum, quàm fama, aut vita: adhùc tamen diuitiæ totius regni secundùm prudentem, & moralem æstimationem pluris fieri debent, quàm fama, vel vita vnius particularis ciuis. Et ita totius regni ægestas maius malū est, absolutè loquendo, morte vnius ciuis, imò & plurium, qui pro defensione diuitiarum regni vitam in prælio profundere possunt. Cui veritati non obstat, quòd interdum bonum particulare possit esse tantæ dignitatis, & excellentiæ secundùm propriam rationem, vt etiam secundùm prudentem æstimationem moralem bonū aliquod cōmune nulla ratione sit illi comparandum: quo pacto ipse D. Thomas asserit, minimum gradum gratiæ esse maius bonum, & pluris faciendum toto bono naturæ, & ita vnū peccatum mortale absolutè est maius malum, vt est priuatiuum gratiæ, omni malo naturali, opposito bono naturali, licèt cōmunissimo.

16 Vt verò D. Thomas ex hoc principio sic exposito (quo modo ab ipso est sine dubio intellectum) suam inferat conclusionem, supponit tacitè, peccatum actuale mortale ratione maioris malitiæ intensiuæ, quā originale peccatū excedit, nihil addere, quo adæquare possit excessum malitiæ, qua peccatum originale, ratione communitatis, quæ sibi ex natura sua competit, superat peccatum actuale: quod fortè D. Thomas vt manifestum supponit: potestque facilè hac vnica ratione probari: quoniam supposito, quòd peccatū originis gratia, & beatitudine supernaturali priuat, sicut & peccatum mortale actuale priuat, sine dubio respectu naturæ humanæ tantum bonum aufert, quantum tollit peccatū actuale. Et quamuis actuale deteriori modo, essentiali, & magis culpabili istam gratiā auferat à subiecto, & sæpiùs auferre possit ab eodem subiecto, quàm originale, adhùc tamen peccatum actuale absolutè loquendo, considerata natura ipsius, non infert naturæ humanæ tantū malum, quantū ex se, & ex propria natura infert peccatum originale: siquidem hoc totam naturam inficit, & gratia priuat ex sua natura; illud verò ex se non inficit totam, imò neque maiorem partem naturæ, sed per se & ex se solùm respicit particulare subiectū.

17 Quo supposito manifestè constat, peccatū actuale ratione intensionis, grauitatis, & malitiæ, quam habet, nihil addere, quo malum adæquare possit, quod toti naturæ infert peccatū originis ex propria natura: etenim sicut esset maius malū respectu totius humanæ naturæ, illud, quo omnia indiuidua statim post cōceptionem, morbo aliquo ea genere suo nō ita graui afficerentur, ex quo tamē antè partū perirent, quàm illud, quo plura indiuidua tabe, aut pestilētia, aut alio grauissimo morbo interirent:

ita peccatum originale, quo omnia indiuidua necessariò inficiuntur, statim atq; concipiuntur, licèt ex se nõ sis morbus animæ ita grauis, ac peccatũ mortale, quo plura indiuidua naturæ humanę voluntate propria tabescunt: adhùc tamen secundùm prudentem æstimationem, est maius malum, & commiseratione dignius, quàm peccatum actuale mortale, præsertim cũ ex illo extensio, & numerositas peccati actualis, tanquàm à radice promanet. Quare nihil est, quod nõ sit firmum, & solidum in hac probatione D. Thomæ.

18 Ex dictis soluitur prima impugnatio rationis D. Thomæ; nam sicut est verum, posse aliquod malũ particulare absolutè loquendo, esse maius aliquo malo communi: sic etiam verum est, malum aliquod particulare, licèt intensiuè maius, posse esse absolutè loquendo, secundùm prudentem æstimationem, minus malũ aliquo malo communi, vt contingit in casu præsenti: neque contrariũ ex intensiore malitiæ actualis peccati mortalis probari potest. Eodem modo soluitur secunda impugnatio, quia communitas, & multiplicitas, quę de facto actuali peccato competit, tota illa est effectus peccati originalis, atque adeò originale peccatũ omnia alia actualia crimina veluti in radice continet; & propterea peccatum mundi appellatur. Ex his etiam soluuntur argumenta initio Disputationis proposita.

19 Ad primum principale negatur antecedens, & ad probationem Resp. peccatum originale per se respicere totam naturam, quia est peccatum naturæ, & omnium indiuiduorum in capite, & principio illius naturæ; atque adeò per se dicit huiusmodi extensionem: actuale verò peccatum per se respicit determinatam peccantis Personam, estq; omninò accidentarium respectu naturæ, quòd hæc peccata multiplicentur.

20 Ad confirmationem Resp. quòd cæteris paribus peior est in peccato intensio, quam extensio. Sed in præsenti non sunt cætera paria: quia originale peccatũ est peccatum naturæ, & tollit bonum commune, quod est præstantius.

21 Ad secundum Resp. peccatum Adæ dupliciter posse considerari; vno modo, vt est culpa vnius particularis Personæ, per propriam ipsius voluntatem commissa, & sic est peccatum actuale. Alio modo in ordine ad reliquos homines, qui in Adamo peccauerunt, & sic est peccatum commune, per originem in posteros traductum.

22 Tertium argumentum cum sua confirmatione probat; peccatum actuale esse grauius intensiuè peccato originali, licèt hoc sit grauius extensiuè, quia per se est malum naturæ, & ex consequenti commune, quod in omnes homines diffunditur: actuale verò peccatum, etsi moraliter loquendo, multos inficiat, illud est per accidens; nam per se est peccatum singulare, & Personale, cui accidit in multis reperiri, ac proindè secundùm moralem, & prudentem æstimationem minus malum censetur peccato origioali, quod est commune per se.

23 Ex quibus constat falsum esse primum assertum Magistri Suarez, videlicet, remedium peccati originalis sic fuisse motiuum Incarnationis faciendæ, vt secluso remedio peccati actualis adhùc esset Incarnatio: hoc, inquam est falsum, nam supposito, decretam fuisse Incarnationem pro vtroque peccato, tam actuali, quàm originali, ex vi illius decreti non fieret Incarnatio pro originali duntaxat, aut pro solo actuali, secluso originali. Etenim decretum, quod Deus de facto habuit, erat determinatum simul tendens in finem, & media cum omnibus circunstantijs.

24 An verò Deus habuisset tunc illud decretum, nescimus, quia solùm pendet ex Diuina voluntate, & tale decretum non colligitur ex Scriptura, neque ex aliquo Sanctorum Patrum; atque adeò quicquid de facto asseratur futurũ, erit pura diuinatio, cùm hactenus nihil fuerit de hac re Ecclesiæ reuelatum. Coniecturis vero innixi dicemus, quod probabilius videtur.

25 Primò videtur dicendum, si in mundo esset duntaxat peccatum originale, & nullum actuale, Deus statuisset Incarnationem ad illud delendum. Probatur, quia est malum totius naturę, oppositum bono gentis, atque adeò commune.

26 Secundò dicendum est; si in mundo tantùm essent venialia peccata, Deus Incarnari non decreuisset, neque illorum remedium esset sufficiens Iocarnationis motiuum: quia licèt de facto Christus venerit ad delenda venialia, & pro illis satisfecerit, vt constat ex illo 1. Ioã. 1. *Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato.* Et vt intelligatur de venialibus loqui, subditur statim, *Si dixerimus, quòd peccatum non habemus; &c.* Quod de mortali tantùm intelligi non potest: tum etiam, quia si quis cum solis venialibus ad pœnitentiæ sacramentum accederet, potest sacramentaliter absolui; ergo virtute passionis Christi. Cæterùm hoc posito casu non esset causa sufficiens Incarnationis; quia tunc per venialia peccata nulla esset captiuitas: ergo non esset opus Redemptione. Probatur antecedens: quia peccatum veniale stare potest cum supernaturali & naturali rectitudine voluntatis ad vltimum finem; ergo potest stare cum gratia & charitate. Ergo ad eius remissionem non requiritur infusio gratiæ, sed satis est actus contrarius habentis gratiam: tum etiam, quia peccatum veniale est offensa amici Dei; ergo ad eius deletionem non requiritur satisfactio de rigore iustitiæ: quia tanta satisfactio non est exigenda ab amico, ergo &c.

27 Tertiò asserendũ est, dupliciter posse intelligi, quòd peccata actualia possint esse in mundo sine originali. Vno modo, ita vt homines in puris naturalibus crearentur, & suæ naturæ relinquerentur: & isto casu posito, videtur doctrinæ D. Tho. valde consentaneũ, quòd delere actualia mortalia, esset sufficiens Incarnationis motiuũ: quia in tali casu nõ minùs peccatũ actuale per totũ hominũ genus extenderetur, (quãuis ex accidenti) sicut peccatũ originis modo extenditur per se; nã quantùm ad peccandi necessitatem, ita se haberet tũc homo, sicut modò se habet, quia vt rectè aduertit Caietanus. 1. 2. q. 109. art. 2. homo lapsus, & homo in puris naturalibus solũ differũt, sicut homo spoliatus, & nudus: ergo eãdẽ existente indigentia, & miseria æquè extensa, credendũ est de diuina misericordia, quòd idẽ afferret remediũ: Secundò potest intelligi, hoc euenire posse, ita vt Primis parentibus in gratia, & iustitia creatis, & in ea perseuerãtibus, aliqui ex eorum posteris, mortaliter peccarent, quod re vera fieri posset, quãuis de facto nõ fieret, quia ex sententia D. Anselmi lib. 1. Cur Deus homo cap. 18. D. Greg. lib. 4. moral. 3. & multorũ Theologorũ cũ

Magistro

Digitized by Google

Magistro in 3. d. 24 Primis parentibus in gratia perseuerantibus, solum nascerentur electi, qui nunquam peccarent, neque mortaliter, neque venialiter. Et idem videtur indicare D.Tho. 1. p.q 100.art. 2. qui licet in corpore articuli doceat, non nascituros confirmatos in gratia; in solutione tamen ad primum Respondens testimonio D.Greg inquit, quod ex peculiari Dei prouidentia tunc esset factum, vt nullus vnquam peccaret. Et rationem huius reddit D.August.lib 14 de Ciuitate Dei cap 10. quia illa hominum societas non esset minus fœlix, quàm fuerint primi parentes antè peccatum, sed ista fœlicitas in hoc erat posita, quod nullus animi perturbationibus agitaretur, nullus etiam læsionibus corporis læderetur. at si aliquod esset peccatum in illa societate non posset non esse aliqua animi perturbatio in cæteris non peccantibus: ergo ob hanc causam speciali Dei prouidentia factum esset, vt nullus peccaret. Posito igitur casu de possibili, si desur, similiter peccatum actuale mortale totam Adę posteritatem inficere, eadé esset ratio, quæ de peccato originali, & de actuali in casu præcedenti, atq; ita fieret Incarnatio, nã eadem esset tunc indigentia, & æqualis miseria: parùm enim refert, quod infectio totius generis humani per se conueniat peccato originali: per accidens verò actuali, quia vndecumque proueniat ista miseria, esset malũ totius generis, & vita æterna in omnibus priuaret. Ergo idé credendum est de Diuina misericordia, quòd idem remedium afferret.

28 Si vero in hoc casu de possibili posito, peccatum actuale totam Adæ posteritatem non inficeret, sed esset tantùm in pluribus, vel in paucioribus, aut etiã in vno solo, res est dubia, An tunc fieret Incarnatio. Quidam enim affirmant, si peccatum actuale mortale esset in pluribus, vel in paucioribus, quod Deus Incarnari decreuisset: alij vero asserunt adhuc fore Incarnationis decretum, si peccatũ dũtaxat esset in vno. Ratio priorum sumitur ex D.Thoma, qui articulo. 2. præcedenti ad 2. duas assignauit causas necessitatis Incarnationis Christi: alteram ex infinitate extensiua peccati originalis desumptam, alteram vero acceptam ex intensiua infinitate peccati mortalis actualis. Quæ sane causæ, cùm perfecta satisfactione indigeant, vt tam iusta fit solutio, quàm fuis damnatio: oportuit satisfactorem esse Deum & hominem. Ergo in casu posito licet non sit prima causa, est tamen secunda necessitatis perfectæ satisfactionis. ergo existente peccato mortali siue in pluribus, siue in paucioribus, Deus Incarnari decreuisset, vt perfectè satisfaceret. Ratio autem posteriorum sumitur ex authoritate Chrysostomi adducta à D. Tho. in 3. argumento: explicans enim illa verba Pauli ad Galat 2. *Dilexit me, & tradidit semetipsum propter me.* Sic inquit. *Quilibet nostrum ita tenetur gratias agere Deo pro beneficio Incarnationis, ac si pro illo solo venisset: non enim erat recusaturus pro vno tantùm mori, adeò diligit singulos.*

29 His tamen non obstantibus dicendum est in casu posito, si peccatum actuale mortale non inficeret totã Adæ posteritatem, quamuis eam magna ex parte inficeret, eius remedium non esset sufficiens Incarnationis causa. Probatur, quia potissima ratio contrarium asserentiũ est, quam modo ex D.Tho. adduximus, nempe, necessitas perfectæ satisfactionis. Hæc autem ratio ex eo quòd multùm probat, nihil probat, ex ea enim sequitur, quòd vno existente peccato mortali, imo quod amplius est, vno peccato veniali existente futura fuisset Incarnatio, quod satis absurdum est: nam purus homo nequit perfectè satisfacere, neque pro peccato mortali, neque pro veniali, neque pro pœna debita vtrisque, vt constat ex dictis art. 2. Dicere autem, quòd vno existente mortali, vel veniali in mundo, fuisset decretum Incarnationis, est maximum absurdum: nam licet peccatum fuerit Incarnationis occasio: at tantum bonum habere non debuit quamcumque leuem occasionem, sed maximam quidem, qualis esset originale peccatũ, vel actuale totam posteritatem inficiens.

Ad D Chrysostomum Resp. eum loqui per hyperbolem, & nimium rem exaggerando, vt hac ratione ostenderet summam Dei erga nos dilectionem, nostram etiam obligationem, quæ ratione huius tanti beneficij ita illi sumus obnoxij, ac si pro vnoquoque nostrũ tantùm venisset, quia in vnoquoque fideliũ ita perfectè curatũ est peccatũ originale. ac si in illo solo saturum esset, & pro illo solo venisset. Et ita etiã peccata actualia curarentur perfectè, nisi per nos stetisset, & hoc ipsum significauit Paulus loco citato, commune Incarnationis beneficium sibi soli attribuens propter egregium effectum, quem in ipso præstitit, ac exhibuit. 30

ARTICVLVS V.

Vtrùm fuerit conueniens Deum Incarnari ab initio mundi.

PRIMA Conclusio. Non fuit conueniens statim ab initio mundi antè peccatum Deum Incarnari. *Ratio est, quia medicina adhiberi non solet, nisi post morbum: & Incarnatio ordinata est in remediũ cõtra peccatũ. Vnde Matth.* 9. Non est opus bene habentibus medico.

Secunda conclusio. Non fuit conueniés statim post peccatum Deum Incarnari. *Probatur primò; quia oportuit medicinã tã præcipuã, & excellentẽ, quæ à Deo propter hominis superbiã ordinata est, summa animi præparatione, & humilitate ab homine suscipi. Secũdò, quia cùm homo paulatim proficiat in bono de imperfecto ad perfectũ, & Incarnationis opus sit inter omnia bona præstãtissimũ; oportuit vltimo loco adhiberi. Tertiò, quia cũ Incarnatio esset Regis aduẽtus, debuit diu prænuntiari, & multipliciter figurari. Quarto, ne prolixitate tẽporis deuotio, & feruor fidei in hominibus tepesceret.*

Est primũ argumẽtũ D. Tho. cõtra primã cõclusionẽ. Incarnatio processit ex nimia charitate, & amore Dei iuxta illud ad Ephes. 2. Deus, qui est diues in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo: sed charitas non tardat subuenire amico in necessitate

constituto secundùm illud Prouerb. 3. Ne dicas amico tuo, vade, & reuertere; cras dabo tibi, cum statim possis dare: ergò Deus nō debuit Incarnationē differre, sed statim à principio humano generi subuenire. Respōdet D. Tho. ad minorē, quòd charitas nō differt beneficiū, nihilominùs tamē salua opportunitate, & personarū cōditione. Vt medicus si statim daret medicinā, minus iuuaret, vel obesset. Ita Deū statim à principio mundi carnē assumere non decuit, nè homo per superbiā tantū beneficium contemneret, si priùs suā infirmitatē non agnosceret.

Secundum argumentū est. Christus venit in mūdum peccatores saluos facere, vt dicitur. 1. ad Timoth. 1. Sed plures saluarētur, si in principio mūdi venisset: ergò. Respondet negando minorem; quia eo tempore Incarnatus est, quo plures præsciuit esse in eum credituros: vt docet D. August. Sed quia idem Augustinus retractauit hāc sententiā, respōdet secundò D. Thomas, quidquid sit de antecedēti negando consequentiā propter occultū prædestinationis mysterium. Quarè eo tempore venit, quod ad salutē prædestinatorū fuit cōuenientius. Tertiū est. Gratia non est minùs ordinata, quàm natura: sed natura sumit initiū à perfectis, vt inquit Boetius lib. 3. de Cōsolatione Prosa. 10. ergo & gratia. Sed in opere Incarnationis est gratia in sua summa perfectione, iuxta illud, Verbum caro factū est &c. Plenum gratiæ, & veritatis. *Ergò ab illo debuit initiū sumi. Respondet negādo vltimā consequentiam: quia licèt in diuersis perfectū sit prius tempore, quàm imperfectum (quod enim alia perficere debet, oportet esse perfectum) at verò in vno, & eodem imperfectum est prius tempore, quàmuis sit posterius natura. Ad eundem modum imperfectionem naturæ humanæ præcedit duratione æterna Dei perfectio, sed sequitur ipsam consummata perfectio eius in vnione ad Deum.*

Commentarius.

1 AD intelligentiā vtriusq; cōclusionis aduertendū est, D. Tho. nō loqui de possibili, quia sic cōstat, potuisse Incarnationem ab initio mōdi, vel ante peccatū, vel post peccatū fieri. Si tamen de possibili secundùm potentiam ordinariā sit sermo, certum est etiam, fieri non potuisse nisi eo tempore, quo ex Diuina præordinatione, & Prophetarū prænuntiatione statutum erat fieri. Et ob id tempus Incarnationis vocatur à D. Paulo ad Galatas. 4. Temporis plenitudo, quia promissiones Patribus factæ in eo fuerunt cōpletæ, & quia modò est abundatior, & plenior gratia. Vnde Ioā. 1. dicitur, *Gratia, & veritas per Iesum Christū facta est.* Veritas, inquam, quantùm ad impletionem promissionum, & complementum legis, & promissionū; gratia, quia est abundātior, & ex Christo, sicut ex causa efficiente accepta secundùm illud Ioan. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus.*

Sed obijcitur Sancti Patres vehementer petebāt huius mysterij accelerationem, iuxta illud Psal. 30. *Accelera, vt eruas me.* Et Psal. 69. *Domine ad adiuuādū me festina.* Et tamēn Dei ordinationem ab æterno non nonerant: ergò illa ordinatione posita, adhuc poterat anteà venire. Resp. eas Sanctorum Patrū voces sanctū fuisse ad huius mysterij affectū exprimendō, non tamēn fuisse verba volentiū absolutà volūtate, vt Christus antè tempus à Deō prædefinitū veniret. Sermo igitur est de cōuenienti eo modo, quo articulo primo diximus, fumi conueniens, quià Deū nō incarneri ab initio, vel antè peccatum, vel post peccatum, non solùm fuit conueniens Diuinæ ordinationi, & per respectum ad Dei voluntatem; sed etiàm in ordine ad finem proximum, vt explicans rationes D. Thomæ, atq; ita iuxtà hunc sensum vtraque conclusio D. Thomæ est de fide tenenda, iuxta illud ad Galatas. 4. *Vbi venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum.* Vbi per temporis plenitudinem intelligunt Sancti tempus à Deo præfixum, & Diuinæ determinationis complementū.

In solutione ad secundum notanda est retractatio cuiusdam solutionis, quam D. August. aliquandò huic argumento adhibuit in libello enim de sex quæstionibus contrà paganos. q. 2. Respondens cuidam Gentili, qui dicebatur Porphirius, asseruit, causam, cur Christus hoc tempore adueneris, & nō anteà, esse, quia Deus prævidis, multos esse futuros, qui in eū crederent hoc tempore magis, quàm in alio. Quam sententiam meritò retractat libro de Bono Perseuerantiæ cap. 9. & 11. & lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 9. & lib. 1. retractatio. c. 31. Præsertim ex illo Lucæ. 10. *Væ tibi Bethsaida, væ tibi Corozaim, quia si in Tyro, & Sydonē, facta fuissent hęc signa, olim in cilicio, & cinere pœnitentiā egissent.* Ex quibus verbis colligitur, quòd credituris in Christum non est prædicatū Euangeliū, non credituris verò est prædicatum: ergò causa, quòd Christus hoc tempore venerit, & non anteà, non est, quià prævisi sunt credituri. Secūdò, quià ex hac solutione sequeretur, dari causam perdestinationis, & reprobationis ex parte nostra; quod falsum est, inquit Augustinus: quia prædestinati ex sola misericordia saluantur, sicut ex sola misericordia venit Christus. Atq; ità licèt Deus sciret, multos ex prioribus esse in illū credituros, si ad illos venisset, sicut multi ex posterioribus in illum crediderūt, ad quos venit, at ex sola misericordia ad istos venit, & nō quià erāt credituri ex iusta verò voluntate ad illos nō venit, quàmuis occulta. Vbi per voluntatē iustā nō est intelligendū, fuisse in illis causam, quòd Christus ad illos nō veniret, vel reprobationis eorū; sed tāntùm voluit dicere August. ex quodā insto Dei iudicio nobis quidēm occulto, & ignoto factū esse, vt ad illos non veniret.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm Incarnatio differri debuerit vsq; ad finem mundi.

CONCLVSIO *est negans, quam probat D. Thomas, primò ex parte vnionis vtriusq; naturæ: quià sicùt in eo, quod perfectiue,*

citur, priùs tempore procedit imperfectũ, & sic natura humana, quæ per Incarnationẽ summo modo perficitur, præcessit Incarnationẽ: ita Diuini Verbi Incarnatio, quæ erat causa efficiens nostræ perfectionis, quæ consistit in gloria, ad quam natura humana in fine mũdi est perducenda, nõ debuit in hoc tẽpus differri: quoniã perfectũ in genere causæ efficientis præcedit. Secũdò probat ex effectu humanæ salutis, quia in fine mundi esset abolita cognitio Dei, & honestas morũ: ac proinde venit, quãdo erat opus beneficio, & gratũ fore sciuit. Tertiò, vt Christus esset causa nostræ salutis omnibus modis, nẽpe, per modum præteriti, præsentis, & futuri.

Est primum argumentum D. Tho. Tempus Incarnationis est maximè tẽpus misericordiæ, iuxta illud Psalmi. Quoniã venit tempus miserẽdi eius: *Sed hoc tẽpus debet esse nouissimũ, vt inquit glossa, secundùm illud Psalmi.* Senectus mea in misericordia vberi: *Hoc est, in nouissimo; ergo Incarnatio debuit differri vsque in finem mundi. Respondet, tempus Incarnationis comparari iuuentuti propter feruorem fidei; senectuti verò, quia Christus venit in sexta ætate. Secundũ argumentũ est. In eodem perfectum est posterius tẽpore, quàm imperfectũ: sed Incarnatio est summa perfectio naturæ humanæ; ergo debet esse vltima in tempore. Respondet, opus Incarnationis nõ solùm esse vt motum ab imperfecto ad perfectũ, sed etiã vt principiũ perfectionis in natura humana; & ideò misericordiam differri non debuisse vsque ad finem mundi. Tertium. Vnus Christi aduentus in fine mundi sufficere poterat ad hominum salutem: ergo superfluus erat primus aduentus: cùm frustrà fiat per duo, quod per vnum fieri potest. Respondet, duplicem Christi aduentum fuisse necessarium, vnum misericordiæ, & alterum iustitiæ. Et si primus non fuisset antè finem mundi, omnes periissent.*

Commentarius.

1 CIRCA istam conclusionem est difficultas ex vna parte, quatenùs confirmatur à D. Thoma testimonio Abacuch. *Domine opus tuũ, in medio annorum viuifica illud. In medio annorum notum facies.* Ex quo loco colligitur, Christũ Dominũ venisse in medio durationis temporis, atq; adeò sequitur, facilè posse diem iudicij cognosci, cùm tamen sit contra illud Matth. 24. *De die illa nemo scit, neque Angelus in cælo &c.* Ex alia verò parte, est similiter difficultas; quia tempus Messiæ in Sacris literis appellatur nouissimũ, Isaiæ. 9. *Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini &c.* Et 1. Ioan. 2. *Filioli nouissima hora est.* Et 1. Corint. 10. *Nos sumus, in quos fines sæculorũ deuenerũt.* Ergo Incarnatio Christi, de qua prædicta testimonia loquũtur, nõ in medio annorum, sed in fine sæculi facta est.

2 Resp. tempus Messiæ appellari mediũ annorũ à Propheta, non quidèm secundùm cõputationẽ Arithmeticã, vt contendit argumentum; sed iuxta moralem diuisionem, & communem modum loquendi, quo illud tempus, quod inter principiũ, & finem intercedit, appellatur mediũ. Itaque totum tempus secundùm suã continuitatem in tres partes imaginatione diuidi potest; & in tertia illa, quæ media est, dicit Propheta, factã fuisse Verbi Incarnationem: nõ autèm in instanti medio temporis secundùm computationem Arithmeticam. Item. Licèt secundùm prædictam considerationem tempus Messiæ appelletur mediũ; verùmtamèn secundùm aliã dicitur nouissimũ, vel nouissima hora, vel nouissimus dies, vt pote, quia venit in sexta ætate, quæ inter alias, quæ à sanctis computantur, est vltima. Etenim Patres 3
diuidunt tempus in sex ætates, quibus, vt sex diebus ad laborem deputatis succedit Sabbathum ad quietem: id est, septima ætas futuræ beatitudinis. Prima est ab Adã vsque ad Noe. Secunda à Noe vsque ad Abrahã. Tertia ab Abraham vsque ad Moysem. Quarta à Moyse vsque ad transmigrationem Babilonis. Quinta vsque ad primum Christi aduentum. Sexta à primo Christi aduentu vsque ad secundum. Vbi cum D. Augustino lib. 1. super Genesim contra Manichæos cap. 23. aduertendum est, huiusmodi ætates, non fuisse inter se æquales; nam duæ priores denas continent generationes: tres verò sequentes quaternas; sexta verò nullũ habet determinatũ, neq; præfixum annorum numerũ, vt hac ratione similis videatur sextæ hominis ætati, aut vltimæ: nam eùm priores ætates ab infantia vsq; ad senectutem certũ habeant tempus, vltima verò nullũ habet determinatum; sed siue multùm siue parùm homo vixerit in ea, pro ea ætate cõputatur: ita similiter inquit Augustinus, sexta mundi ætas nullum habet præfixum terminum, sed durabit, quandiù Deus voluerit; ita tamen vt maior cæteris ætatibus intelligatur, vt hac ratione verum etiam dixerit Abacuh, mysterium Incarnationis factum esse in medio annorũ secundùm temporis continuitatem; quamuis secundùm illam discretionem ætatum factũ sit in nouissimo tempore: vt pote in sexta ætate, & senectute mundi, iuxta illud Psalmi. 91. *Et exaltabitur sicut vnicornis cornu meum, & senectus mea in misericordia vberi.* Et iterum de Apostolis eodem Psalmo. *Adhuc multiplicabuntur in senecta vberi, & benepatientes erunt, vt annũtient.* Ex quibus sequitur, omnia loca Sacræ Scripturæ, quæ de Christi aduentu loquuntur, inter se cõuenire, nã iuxtã vnam considerationem tempus illud appellatur medium, & secundùm aliã nouissimũ. Quinimò D. August. lib. 83. quæstionũ q. 44. secundùm aliã cõsiderationem, tempus gratiæ, & aduentus Christi appellat iuuentutem mundi, nõ quidem secundùm temporis durationem, sed propter gratiæ plenitudinem, & abundantiam: nã sicut in homine potest fieri, quòd in senectute non sit robustior secundùm corporis vires, quàm in alijs ætatibus, benè tamen secundùm vires, & dona animæ: sic etiam, quia sexta mũdi ætas, & vltima senectus cæteras in plenitudine gratiæ excedit; proptereà à D. Augustino iuuentus mundi appellatur. Quot verò annos durauerint illæ quinque priores mundi ætates, explicat diligenter M. Suarez in hoc articulo Disputatione. 6. Sectione. 1.

Ff 3 Postremò

4 Postremò aduertendum est, antiquam fuisse traditionem Hebræorum, mundum sex mille annis esse duraturum, quorum duo millia priora præcesserunt ab initio mũdi vsque ad Moysen: alia duo à Moyse vsque ad aduentum Christi: alia verò duo millia durant ab aduentu Christi vsq; ad finem sæculi. Quam traditionem videntur amplecti multi, quos refert Sixtus Senensis lib. 5. Bibliothecæ annotatione. 190. Sicuti optimè explicant D. Ambrosius lib. 7. in Lucam, super illa verba, *Post dies sex assumpsit Iesus Petrũ &c.* Et Augustinus super Psalmum. 89. ad illa verba. *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tãquàm dies hesterna, quæ præterijt.* Hæc tamen traditio Hebræorum, vt minimùm, est temeraria, quia iuxta eã sciremus quidem, quantum superest durationis vniuersi, & quo tempore dies iudicij futurus sit. Sancti verò, qui illam traditionem sequi videntur, non ex propria sententia eam asserunt, sed ex Hebræorum opinione, tantùm referunt. Atque hactenus de ista quæstione.

QVÆSTIO. II.

De modo Vnionis Verbi Incarnati.

DIVVS Thomas hactenus absoluit quæstionem, An sit Incarnatio, iam incipit disputare de his, quæ ad quæstionem, quid est, Incarnationis spectant. Et quia in Incarnatione duo potissimùm sunt consideranda, & Vnio ipsa, & extrema Vnionis, quæ sunt Persona assumens, & natura humana assumpta. De his agit in sequentibus, & primum locum obtinet Vnio, cuius quidditas, & essentia sumitur ex illo vno, in quo extrema coniungũtur. Ideò in hac quæstione inuestigat D. Thomas de hoc vno, & de termino Vnionis, & de eius proprietatibus. Et in primo articulo quærit:

ARTICVLVS. I.

Vtrùm Vnio Verbi Incarnati sit facta in natura.

PRO explicatione tituli quæstionis notat D. Thomas ex Aristotele 5. Metaph. ca. 4. Naturam tripliciter sumi. Primò pro generatione viuentium, quæ natiuitas, pullulatio, seu quasi nascitura appellatur; quo pacto exponi potest illud Pauli ad Ephes. 4. Eramus natura filij iræ. *Id est, ex generatione, & nostra natiuitate. Secundò sumitur natura pro intrinseco principio huius generationis. Et quia internum principium est materia, & forma, ideò vtraq; appellatur natura, vt docet Aristoteles 2. Phys. Tertiò sumitur natura pro termino completo generationis viuentium, & quia iste terminus est quidditas, & natura specifica rei, quam exprimit definitio: ideò quidditas rei appellatur natura: qua ratione Boetius lib. de Duabus naturis in Christo, naturã sumpsit, dicẽs.* Natura est vnamquamq; rem informans specifica differẽtia. *Et hoc modo sumitur natura in titulo quæstionis.*

Sic autem acceptà natura potest præsens quæstio triplicẽ habere sensum. Primus est, vtrùm natura humana fuerit Vnita Diuinæ, & è contra: & in hoc sensu quæstio nõ procedit: quia hoc iam ex fide supponitur, eo ipso, quòd supponitur tãquã de fide, Verbũ carnem factũ: quia cũ Diuinũ Verbũ idem sit realiter cũ Diuina natura, impossibile est, humanitatẽ Verbo vniri, quin Diuinæ naturæ vniatur; propter quã Vnionẽ plures sancti, vt Cyrill. Greg. Nazianz. & Damasc. docent, affirmari posse, naturã Diuinam esse Incarnatam, & humanam Deificatam. Ita affirmat D. Tho. in Solutione ad. 3. & Magist. in. 3. d. 5. c. vlt. Secũdus sensus est, vtrùm Diuina natura assumpserit humanã: hoc est, vtrũ sit tota ratio, quare humanitas vnita sit naturæ Diuinæ, & in hoc sensu non procedit quæstio similiter, nã de hac re disputat D. Tho. q. 3. sequente. Tertius sensus est, An ex coniunctione naturæ Diuinæ, & humanæ in Persona Verbi resultauerit tertia quædã natura, quidditas, & essentia. Et in hoc sensu quæritur in hoc articulo, in quo etiã explicuit eandem quæstionem D. Thomas. 4. contra Gent. cap. 35. & 41. & in eodem versant hanc quæstionem Theologi in. 3. d. 5.

Secũdò aduertit D. Tho. tripliciter posse aliquid ex pluribus cõstitui. Primò, ex pluribus perfectis, in sua perfectione, & integritate manentibus, qualia sunt ea, quæ per aggregationẽ sunt vnũ. Secũdò ex pluribus perfectis, & in aliud transmutatis, qua ratione fit mixtum ex elementis. Tertiò ex pluribus imperfectis, & in sua natura manẽtibus, qua ratione fit homo ex anima, & corpore, & totum ex suis partibus, vt corpus ex mẽbris. His positis cõstituit D. Tho. conclusionẽ. Vnio Verbi Incarnati non est facta in natura, ita vt ex hac Vnione resultauerit vnica duntaxat natura, ex illa duplici conflata. *Hanc conclusionem probat D. Tho. ratione trimembri, & quodlibet eius mẽbrum constat alia triplici ratione. Summa illius hæc est.*

Si ex Diuinitate, & humanitate fit vnũ, vel fit vnũ ordine & cõpositione, eo modo, quo ex pluribus lapidibus fit vnus aceruus, vel vna domus: sed hoc dici nõ potest: quia Christus non esset vnus per se, sed per accidens: item non esset vnus simpliciter, sed multa simpliciter, & vnum secundũ quid: quorum vtrumq; derogat veritati Incarnationis. Vel fit vnũ per se per transmutationẽ eo modo, quo ex elementis fit mixtum, & hoc affirmari non potest; tum, quia natura Diuina est omninò immutabilis, & sic neque ipsa potest in aliud conuerti,

neque

neque aliud in ipsam: tũ, quia id quod ex mixtione resultat, vt constat ex Aristotele. 1. de Generat. cap. de mixtione, non est eiusdem substantiæ cum miscibilibus; & sic Christus neque esset consubstantialis Patri, neque Matri, quorum vtrumque fidei aduersatur. Vel fit vnum per se absque vlla transmutatione; sed neque hoc potest dici, nam fieret vnum modo quantitatiuo, sicut ex diuersis membris fit vnum corpus: & hoc non, cùm natura Diuina sit incorporea; vel eo modo, quo ex materia & forma fit vnũ: & hoc est adhùc impossibilius; tum, quia natura Diuina, & humana sunt entia completa in actu, & ex duobus entibus in actu nequit vnum per se fieri: tum; quia natura Diuina nullius potest esse forma, præsertim corporis: tum quia aliàs speciei indè resultans esset pluribus communicabilis, & ita essent plures Christi: tum denique, quia Christus aliàs, neque esset naturæ Diuinæ, neque humanæ; differentia enim addita variat speciem, sicut vnitas numerum.

Primum argumentum D. Thomæ desumitur ex authoritate Cyrilli, quæ adducitur in Cõcilio Chalcedonensi actio. 1. vbi ait, non oportere intelligere duas naturas, sed vnam naturam Dei Verbi Incarnatam: quod sanè non esset, nisi vnio fieret in natura: Sed Respondetur, Cyrillum non esse intelligendum, quòd ex duabus naturis sit facta vna; sed quòd natura Verbi sibi vniuit carnem in Persona.

Secundum argumentũ desumitur ex illo Athanasij. Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus. *Sed ex vnione animæ, & carnis resultat vna natura: ergo ex vnione Diuinæ, & humanæ naturæ cõstituitur vna natura. Respõdet D. Thomas, in homine fieri duplicẽ vnionem, alterã naturæ, & alteram Personæ. Similitudinem autem attendi non quò ad priorem, sed quò ad posteriorem, qua homo est vnum subsistens in carne, & anima.*

Tertium sumitur ex testimonio Cyrilli asserentis, Diuinam naturam esse Incarnatam: & Gregorij Nazianzeni in Epist. 1. ad Clidonium dicentis, humanam naturã esse deificatam: ergo ex duabus naturis facta est vna natura. Respondet, quòd sicut natura dicitur Incarnata, idest, carni Personaliter vnita, & non in carnem conuersa, sic etiam caro dicitur deificata.

Commentarius.

CONCLVSIO Huius articuli constituitur à D. Thoma aduersus eos Hæreticos, qui in Christo facta vnione vnam tantùm naturam posuerunt, sicut vnam Personam: quorum primus fuit Eutyches Præsbiter Constantinopolitanus, quem sequtus est Dioscorus Episcopus Alexãdrinus. Ij enim affirmabant, ex vnione naturæ Diuinæ, & humanæ facta per conuersionem, vel mixtionem, resultasse in Christo vnam tantùm naturam. Posteà quidam Seuerus, quem sequutus est Ioannes Grammaticus cognomento Philoponus, asseruit, ex vnione naturæ Diuinæ, & humanæ facta per compositionem, resultasse vnam tantùm naturam in Christo, eo modo, quo ex anima & corpore resultat vna natura humana. Quò fit, vt primũ membrum rationis D. Thomæ non sit contra istos Hæreticos, qui non dixerunt ex Incarnatione vnam in Christo resultasse naturam, eo modo, quo in illo membro dicitur, scilicet, per compositionem, quæ est plurium aggregatio: quia potiùs hic modus dicendi est proprius illorum Hæreticorum, qui sicut in Christo duas naturas constituunt, sic etiam & duas personas; quorum princeps est Nestorius, vt articulo sequenti constabit.

Cæterùm his non obstantibus, dogma fidei est, facta Incarnatione duas naturas Diuinam, & humanam, inconfusas, integras, & discretas manere in Christo, vt definitum est ab Ecclesia. Et prædictus error damnatus est in Concilio Chalcedonensi. actione. 1. 2. & 5. & in 5. Synodo generali actio. 7. & in Sexta. actio. 4. præcipuè contra Seuerum. Et in Concilio Hispalensi. 2. & Toletano. 4. 8. & 11. Et in Lateranensi sub Martino. 1. consultatione. 5. à Canone. 4. vsq; ad nonum. Et in Lateranensi sub Innocentio 3. quod habetur in cap. firmiter extra de summa Trinit. & fide Catholica, & in Florentino in literis vnionis, & recipitur tanquàm fidei dogma in edicto Iustiniani Imperatoris ad Ioan. 2. Cõtra hunc errorem scripsit Gelasius Papa libro de duabus naturis contra Eutychem; qui habetur tomo. 5. Bibliothecæ sanctæ Leo Papa primus in Epistol. 10. ad Flauianum. Boetius lib. de duabus naturis. Damascenus lib. 3. à cap. 1 vsque ad 4. Vigilius lib. 1. & 2. contra Euthychetem, Theodoretus in Dialogo, Inconfusus, Fulgentius lib. 1. ad Transimundum. Idem etiam error repugnat similiter sensui Sacræ Scripturæ, nam quomodocumq; dicatur, manere vnam naturam post vnionem, manifestè sequitur aliquid contra id, quod in sacris literis expressè continetur. Si enim dicatur, vnam naturam fieri ex duabus per conuersionem, sequitur, Christum vel non esse Deum, vel non esse hominem. Si dicatur fieri vnam per compositionem, vel cõmistionem; sequitur, Christum neq; esse Deum, neque hominem; constat autem ex sacris literis, Christum esse verum Deum, & hominem: ergo &c.

Circa secundum membrum rationis D. Thomæ aduertendum est, quòd in prima eius ratione asserit, quia natura Diuina est Ingenerabilis, nihil posse in eam cõuerti, sicut quoniam est incorruptibilis, nequit ipsa in aliud transmutari: hoc autem videtur falsum: quia in corpus Christi gloriosum quotidiè fit transmutatio substantiæ panis, & tamen ipsum est ingenerabile.

Dominus Caietanus Respondet, rationem D. Thomæ solùm habere vim de trãsmutatione naturali, quæ fit eo modo, quo ex elementis consurgit mixtum. Loquitur enim de ea vnione, in qua ex pluribus perfectis, & corruptis vnum tertium compositum constituitur: hac enim ratione dicebant Hæretici factã fuisse vnionem in natura: at verò transsubstantiatio non est vnio

aliqua, ſed potiùs eſt totalis ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti conuerſio. Si autẽ objiciatur: quid ſi Hæreticus diceret, vnionem factam eſſe in natura; ita vt tota humanitas in Diuinitatem tràſubſtantiaretur, tunc enim inefficax eſſet ratio D. Thomæ. Reſp. Rationẽ D. Thomæ contra hoc adhuc eſſe efficaciſsimam; quia vniuerſaliter eſt verum, nullam creaturam conuerti poſſe, ſine tranſmutatione, ſiue tranſſubſtantiatione in aliam naturam, quæ non ſit generabilis, vel factibilis illo genere conuerſionis. Etenim ſi eſt conuerſio naturæ in naturam, cùm ſit ſubſtantialis, debet fieri ab agente habente vim, ſicut deſtruendi vnam, ita & ponendi alteram, in quam conuertitur illa, quæ deſtruitur. Et quia natura Diuina à nullo agẽte fieri poteſt, ideò nihil valet in ipſam aliquo conuerſionis genere conuerti. At verò, quia corpus Chriſti ſiue glorioſum, ſiue mortale factibile eſt à Deo, & virtute verborum conſecrationis fieret, ſi non eſſet factum, ideò poteſt ſubſtantia panis in ipſum tranſſubſtantiari.

3 Hanc explicationem Caietani non probat M. Suarez primò, quià petit principium. Secundò, quià reddit mutilam & imperfectam doctrinam D. Thomæ, qui tamen abſolutè & ſimpliciter omnes modos, qui falsò fingi poſſunt, nititur impugnare. Tertiò, quia Caietanus admittit, id quod in argumento ſumitur, cùm tamen ſit falſum: quoniam Diuina ſubſtantia eſt omninò immutabilis, & in eam nihil conuerti poteſt etiam per tranſſubſtantiationem; ergo malè excipit Caietanus mutationem conuerſiuam per tranſſubſtantiationem. Antecedens probatur, nam id, in quod aliud conuertitur, acquirit ex tali conuerſione aliquod eſſe, vel ſaltem aliquem modum eſſendi, aut nouam dependentiam in illo eſſe, quod iam habebat: quod ex eo maximè conſtat, quia conuerſio eſt vera actio, non tantùm deſtructiua, ſeu priuatiua, ſed poſitiua tendens in aliquem terminum; ergo impoſſibile eſt, quòd non ponat aliquid nouum in tali ſubſtantia, cùm hoc ſit de intrinſeco conceptu talis actionis; hoc autem totum non fit ſine aliqua mutatione eius, ad quem terminatur conuerſio; vt in corpore Chriſti, quandò in illud conuertitur panis, ponitur noua præſentia, vel dependentia; ac proinde fit in illo aliqua mutatio; quæ omninò repugnat immutabilitati Dei. Quartò, quia ſi fieri poſſet, vt aliqua natura in Diuinam conuerteretur, ſine mutatione Diuinæ, proculdubio Incarnatio per talem cõuerſionem effici non poſſet: probatur, nam cùm aliquid ita conuertitur, non manet, & ideò illud, in quod fit conuerſio, non fit id, ex quo fit conuerſio, neq; manet eiuſdem

4 naturæ cum illo, vt conſtat ex conuerſione, quæ fit in Euchariſtia. Chriſtus enim non fit verè, ac propriè panis, neq; ſubſtantia panis manet in Chriſto, at verò per Incarnationem Deus factus eſt homo, & humana natura verè manſit in Deo. Sic ergo impugnata explicatione Caietani, affirmat Suarez D. Thomã loqui de omni immutatione, etiam imaginabili, ita vt omnes modos

5 impugnet, qui ab Hæreticis falsò cõfingi poſſunt. Quare cùm inquit D. Thomas naturam Diuinam in humanam conuerti non poſſe, cùm incorruptibilis ſit, neque humanam in Diuinam, cùm ſit ingenerabilis, per incorruptibile, & ingenerabile intelligitur omne illud, quod eſt immutabile.

6 Nihilominus explicatio Caietani eſt legitima, & menti D. Thomæ valdè cõſentanea ad refellendos Hæreticorum errores in hac ratione procedentes de conuerſione, quæ eſt per tranſmutationem: etenim in hoc ſecundo membro rationis huius intendit D. Thomas impugnare errorem dicentium, vnionem factam eſſe per modũ complexionis plurium in vno, aut per modum commiſtionis in aliqua tertia eſſentia. Ergo extra propoſitum eſt probare, ſi natura humana in Diuinam per tranſſubſtantiationem conuerti potuerit. Probatur conſequentia: nã quod per tranſſubſtantiationem conuertitur, deſinit eſſe, & neque manet vllo modo in aliquo termino, neq; ſicuti in mixto manent elementa, neq; ſicut in complexo manent componentia: & Hæretici concedunt, hanc vnionem ita fieri, vt Chriſtus maneat homo, & Deitas nullo modo deſinat eſſe.

Præterea. Omnes Catholici, & Hæretici; quantùm attinet ad præſens, in hoc cõueniunt; quòd aliqua vnio fuerit effecta inter humanam naturam, & Verbum Diuinum, ex qua vnione reſultat aliquid: ſed tranſſubſtantiatio eſt talis naturæ, quòd in ea nulla eſt vnio inter naturam, quæ tranſſubſtantiatur, & illam, in quam cõuertitur; nam cùm primùm incipit eſſe corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis, deſinit eſſe tota ſubſtantia panis, & ita nulla vnio ibi poteſt intelligi. Item nihil reſultat ex tranſſubſtantiatione compoſitum ex duabus naturis, non enim fit aliquid ex corpore Chriſti, & ex ſubſtantia panis: & ideò tranſſubſtantiatio non attinet ad præſentem diſputationem. Quarè de illa non fecit ſermonem D. Thomas, ſed tantùm de conuerſione, in qua eſt aliqua vnio. Imò verò quamuis daretur, in tali trãſubſtantiatione eſſe aliquam vnionem; facilè poſſet impugnari talis modus vnionis ad hunc modum. Sequeretur enim ex tali poſitione, quòd Chriſtus Dominus non eſſet verus homo, ſed apparens tantùm, quemadmodum in Euchariſtia poſt conuerſionem non manet verus panis, ſed tantùm apparens. 7

Vnde conſtat, rationem D. Thomæ neque eſſe diminutam, neq; inefficacem; quia procedit de vnione naturæ Diuinæ & humanæ in aliam tertiam eſſentiam, per miſtionem & complexionem, & hoc probat eſſe impoſsibile, quià natura Diuina eſt incorruptibilis, & ingenerabilis; & implicat miſtionem, & complexionem fieri in natura incorruptibili, & ingenerabili. M. Medina aliter Reſpondet dicens, naturam creatam poſſe in aliam naturam creatam tranſſubſtantiari, etiàm ſi ingenerabilis, & incorruptibilis ſit, vt lapis poteſt in cælum, vel in Angelum tranſſubſtantiari, vt infra. q. 75. art. 4. oſtendetur: ſed non poſſe naturam creatam in Diuinam tranſmutari, quia neceſſum eſt, vt res, inter quas fit tranſſubſtantiatio, communicent entitatem, & naturam traſmutabilem, Deus autem, cùm ſit purus actus, eſt omninò immutabilis. Quare cùm D. Thomas reddit rationem huius impoſsibilitatis, quia Deus eſt ingenerabilis, intelligit nomine ingenerabilis, ideſt, infactibilis, per quamlibet mutationem, etiàm per tranſſubſtantiationem. Et cùm ait, quià eſt incorruptibilis, intelligitur, ideſt, nequit deſinere eſſe per quamlibet mutationem, ita vt ingenerabile, & incorruptibile explicent perfectam, & completam rationem immutabilis. 8

Alij Thomiſtæ non recipiunt hanc doctrinam Medinæ, & dicunt, nullam inuolui repugnantiam in eo, quòd 9

quòd creatura possit in naturam Diuinam trāsubstantiari absque vlla Dei mutatione. Neque esse necessariū, vt inquit Medina, quòd transubstantiatio vnius in alterum supponat vtriusq; conuenientiam, quiā in ordine ad omnipotentiam Diuinam non requiritur conuenientia eiusdem generis, ita vt natura corporea. V. G. solùm posset in corpus conuerti: eam tunc saltèm sequeretur, quòd spiritus possit in spiritum per transubstantiationem conuerti, & in ipsum Deum: cum quo est sufficiens cōuenientia. Item, quia Deus in spiritum agit corporeo instrumento, vt in inferno igne corporeo, & materiali cruciat animas damnatorum: & similiter causa spiritualis agit in corpus: ergò ad miraculosam conuersionem non est necessaria conuenientia eiusdem generis inter extrema talis conuersionis. Vndè iuxtà hos authores, isti termini, ingenerabile, & incorruptibile, sumentur propriè, & nō pro eo, quod est immutabile: ac proindè affirmant, hanc consequentiam esse nullam: essentia Diuina est immutabilis; ergo nihil potest in ipsam conuerti: si non sit sermo de conuersione per transmutationem; quiā si intelligatur de cōuersione per transubstantiationem, nulla est ratio. Vtràque explicatio est satis probabilis, & à doctissimis viris defenditur, & infra q. 79. examinabitur. Sed quantùm attinet ad explicationem Caietani, iam ostensum est, eam esse menti D. Thomæ valdè consonam, neque rationes Suarez illam labefactant, vt constat ex dictis. Ad tertiam verò rationem, quæ nonnullam habet apparentiam, Resp. negando id, in quod aliud conuertitur, debere acquirere aliquod esse, aut aliquem modum, præsertim si non sit capax talis acquisitionis. Neque sequitur; transubstantiatio est vera actio: ergo debet aliquid in termino ponere: sed satis est, si ex vi sua ponat terminum, & substantiam pro substantia: nam eàdem ratione probaretur, quòd assumptio, & vnio aliquid in Persona Verbi constituerent, quiā verè & propriè sunt positiuæ actiones. Sicùt ergò intelligimus, quòd per veram actionem assumendi Deus vnit sibi naturam, licèt nullum esse, neq; modum aliquem nouum essendi acquirat: ita in proposito posset intelligi, qualitèr terminaret conuersionem, & transubstantiationem absque vlla mutatione sui. Et per hoc patet responsio ad quartam obiectionem M. Suarez.

10 Circà tertium membrum rationis D. Thomæ, de eius secunda ratione dubitat Caietanus. Primò, quiā falsum videtur, quòd natura corporea sit multis communicabilis, cùm natura solis sit huiusmodi, & tamen pluribus non communicetur: atque ita nihil actum est contra Hæreticos ex hac ratione, nam licèt Christus constaret ex natura Diuina, & humana, tanquàm ex materia, & forma, non communicaretur pluribus, neque essent plures Christi. Secundò: quia falsum videtur, quòd Diuinitas nequeat esse alicuius rei forma, cùm in esse intelligibili sit forma intellectus beati.

11 Ad primum Respondet Caietanus, corpoream naturam, quæ constat tota materia possibili, non posse pluribus communicari, secundùm Aristotelem 1. de cœlo textu 92. & 93. Et ideò Sol, mundus, cœlum, nequeunt pluribus communicari, quiā vnumquodq; eorum cōstat tota sua materia, quam naturaliter informare potest. At verò si Christus cōstitueretur ex natura Diuina, & humana gerentibus vicem materiæ, & formæ, vt fingunt Hæretici, non constaret tota materia possibili; nam in illa natura, ex qua constat Christus, non est tota materia, ex qua potest similis natura constare; atque adeò illa posset secundùm numerum multiplicari, & Christus esset pluribus communicabilis, & possent esse plures Christi.

Hæc Responsio Caietani, licèt naturaliter loquendo sit vera, non tamen eam vim tribuit rationi D. Thomæ, quam ipsa habet; nam posset dicere Hæreticus, quòd Christus sic constitutus constaret tota materia possibili: quiā eius materia propter Diuinitatem, qua informaretur, esset alterius rationis ab omnibus alijs, sicut materia cœli propter excellentiam suæ formæ est alterius rationis à materia horum inferiorum, atque ità constat tota materia possibili. Resp. ergò, rationem D. Thomæ non solùm procedere naturalitèr, sed etiàm supernaturalitèr, & de potentia Dei absoluta, secundùm quam licèt aliquid constet tota materia possibili, potest multiplicari: nam de potentia Dei absoluta, nihil constat tanta materia, quod maiori constare non possit, vt patet in vniuerso, quod secundùm hanc potentiam maius, ac perfectius esse potest. Ergò licet demus Hæreticis, Christum sic constitutum constare posse tota materia possibili; de potentia tamèn Dei absoluta posset pluribus cōmunicari, & possent esse plures Christi, quod est absurdum. 12

Ad secundum Respondet Caietanus consultò asseruisse D. Thomam, Diuinam naturam non posse esse formam, præsertim rei corporeæ, sed non dixisse absolutè, nullo modo posse esse formam alicuius rei. Vndè solùm negauit, posse esse formam rei in esse naturali, non tamen in esse intelligibili; sicut de facto gerit vicem formæ intelligibilis in intellectu beati, vt docet idem D. Thom. 1. p. q. 12. art. 2. ad 3. & 3. contra Gentes cap. 51. 13

Hanc Responsionem Caietani non probat Medina in commentario huius articuli; primò, quiā nō minus repugnat Diuinæ naturæ, esse formam alicuius spiritualis, quàm corporei, ergò si potest esse forma intellectus beati, poterit similiter esse forma corporis. Probatur antecedens. Ideò repugnat Diuinæ naturæ esse formam, quiā informare est quædam imperfectio: tum etiàm, quia id, quod resultaret ex tali informatione, esset perfectius Diuina essentia, sicut totum est suis partibus perfectius: sed hæc ratio æquè militat in spiritualibus, quàm in corporalibus: ergò &c. Secundò. Diuina essentia licèt actuet intellectum beati, non tamen ipsum informat, vt est receptum omnibus sectatoribus D. Thomæ: sed eodem modo potest actuare corpus, non ipsum informando: & de facto Diuina existentia actuat corpus, & humanitatem corpoream Christi absque aliqua informatione; ergò explicatio Caietani non est consentanea D. Thomæ, qui vniuersaliter tradit doctrinam. Sed addidit illam particulam, præsertim corporei, quiā hæc repugnantia informationis, quæ est in Diuina essentia, manifestior est respectu corporis. Eandem etiàm responsionem Caietani reijcit Suarez in hoc articulo, dicens, Diuinitatem nō posse esse corporis, aut spiritus formam, quiā ratio formæ semper includit imperfectionem partis, & alicuius dependentiæ. Vndè negat Suarez, in beatitudine Diuinam essentiam esse propriè formā intellectus beati, quiā re vera 14

non

nem informat; sed solùm supplet efficientiam formæ intelligibilis, & hac ratione dicitur habere vicem formæ, non quoad rationem informandi, sed quoad vim efficiendi. Sed certè, si Caietani sententia rectè perpendatur, est verissima, nempe, Diuinam essentiam posse esse, & de facto esse formam intellectus beati in esse intelligibili, quia pro eodem reputat Caietanus, esse formam in esse intelligibili, & esse formam per modum speciei intelligibilis; de cuius ratione iuxta eius doctrinam. 1. p. q. 12. art. 2. Non est informare, aut inhærere, sed constituere intellectum in actu primo, ipsum determinando, quantùm ad specificationem actus. Vnde D. Thom. in præsenti loquitur tantùm de forma informante, & non de illa, quæ sine informatione, aut inhæsione constituit in actu primo: vt latius ostendetur Disputatione secunda huius articuli, vbi omnia ad hanc rem pertinentia diligenter discutientur.

15 Circa responsionem ad primum D. Thomæ aduertendũ est, illa verba adducta à D. Thoma nomine Cyrilli, vt habentur in exemplaribus Concilij Chalcedonensis, quæ apud nos circumferuntur actione. 1. non referri dicta à Cyrillo, sed ab Eutyche, & Dioscoro. Quibus verbis auditis, Patres astantes in illo Concilio eos hæreticos anathematizarunt. Vnde fortasis D. Thomas aliud nactus est exemplar, in quo illa verba dicta à Cyrillo referuntur. Quòd si illa dixit, exponenda sunt, sicut ait D. Thomas, & quemadmodum ea interpretatur Damascenus lib. 3. cap. 11. vbi inquit, Cyrillum solum negasse naturarum diuisionem in Christo; agebat enim tunc contra Nestorium, qui duas naturas diuisas esse in Christo affirmabat, idest, non esse in eadem Personalitate coniunctas, sed vtramq; habere suam propriam Personalitatem. Vnde contradicens Cyrillus huic hæresi, dixit; non oportere intelligi duas naturas in Christo, sed vnam Verbi naturam Incarnatam, idest, quod natura Verbi non est separata, & seiuncta Personalitate, à natura humana, sed potius sibi coniuncta.

16 Circa responsionem ad secundum D. Thomæ, aduertendum est cum Caietano, illam similitudinem Athanasij. *Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus.* Non tenere in omnibus: nam primò non tenet in eo, quòd sicut ex anima, & carne fit vna natura humana; sic etiam ex duabus naturis fiat vna natura in Christo. Secũdò non tenet in eo, quòd sicut ex anima & corpore vnitis resultat Persona, quæ antea non erat. ita ex humanitate, & Diuinitate vnitis resultet aliqua Personalitas. Etenim Persona hominis constituitur ex anima & corpore, tanquàm ex partibus, à quarum qualibet pendet in suo esse. At vero Persona Christi, quamuis ex duabus, & in duabus naturis subsistat, ex illis tamen tanquàm ex partibus non constat, neque à qualibet earum in suo esse dependet, quia non à natura humana. Vnde similitudo tenet in hoc, quòd sicut in homine manentibus duabus naturis, corporea, & spirituali in sua integritate, & perfectione naturali, est tantùm vna Persona hominis; sic etiam in Christo natura Diuina & humana manentibus integris, & perfectis, est tantùm vna Persona Christi. Item consistit in hoc, quòd sicut anima & caro sunt in eodem supposito, & eadem Persona subsistit in duplici natura partiali: sic natura Diuina & humana subsistunt in vna Persona. Et ideò D. Athanasius dicit. *Ita Deus & homo vnus est Christus.* Hoc est, coniunguntur in vnitate Personæ, & non in vnitatem naturæ. Itaque vnitas Personæ non resultat in suo esse absolutè & simpliciter ex vi vnionis Diuinæ naturæ cum humana: quia Persona Verbi est æterna, sed ex hac vnione resultauit, quòd Persona, quæ antea simpliciter erat, & Diuina tantùm erat, deinceps post vnionem duas naturas sustentet, & ita incipit esse persona humana.

Circa Responsionem ad tertium D. Thomæ notandum est, illum modum loquendi, natura Diuina est Incarnata, & humana deificata, qui in Sanctis Patribus reperitur, quamuis sit verus & Catholicus, non esse extendendum. Quod enim sit verus, ex eo constat, quia in illo nulla significatur mutatio naturæ Diuinæ, aut conuersio humanitatis in Diuinitatem, sed dumtaxat vnio, & coniunctio vtriusque naturæ in Persona Verbi. Quod verò non sit extendendus, docet Damascenus lib. 3. cap. 11. vbi ait. *Licèt dicatur Diuina natura Incarnata, seu humanata, non tamen dicitur passa, vel fatigata, vel mortua.* Et quamuis dicatur natura humana Deificata, non tamen dicitur increata, & infinita. Ratio huius est, quia istæ duæ naturæ non vniuntur in Christo per seipsas, si enim hac ratione vnirentur, quicquid dicitur de vna; diceretur de altera: sed in Persona Verbi dumtaxat coniunguntur, atque adeò præter illa prædicata, quæ vnionem vtriusq; naturæ significant, vel ab ista vnione sumuntur, qualia sunt prædicta, quæ in sanctorum loquutionibus vsurpantur; nulla alia prædicata sibi communicant; nisi prout dicuntur de Persona. Et quia de Persona non dicitur natura nisi in concreto, ideò prædicata naturæ Diuinæ in concreto sumptæ, dicuntur de natura humana in concreto, & è contra, atque ita dicitur, Deus est passus, fatigatus, & mortuus, non tamen natura Diuina. Similiter homo, ostenso Christo, est increatus, & infinitus, non autem natura humana. 17

Postremò aduertẽdum est, quòd licèt naturæ sumptæ in abstracto sibi inuicem communicent ea prædicata, quæ ab vnione sumuntur; vt quòd natura Diuina est Incarnata, & humana Deificata, non tamen ita est Philosophandum naturis in concreto sumptis, & iuxta eadem prædicata, quæ ab vnione desumuntur. Vnde quamuis dicatur, Deum esse incarnatum, & humanatum, non tamen dicitur, hominem esse Deificatum, cuius discriminis ratio ea est, quia natura in concreto supponit pro supposito; & quia in Christo est tantùm vnum suppositum Diuinum, cui humanitas est vnita: ideò vere dicitur, quòd Deus est Incarnatus, vel humanatus. Quia verò non est proprium humanum suppositum, pro quo supponit ly, homo; ideò non verè dicitur, homo est Deificatus; quia significaretur, vel esse in Christo proprium suppositum humanum, vel supposito Diuino extrinsecè vnitã fuisse Diuinitatem, eo modo, quo vnitur humanitas. 18

PRIMA DISPVTATIO.

CIRCA Conclusionem huius articuli est prima Disputatio, An terminus huius vnionis sit tertia natura ex Diuina & humana resultans. 1
Et pro parte negante est primum argumentum. Non repugnat quòd natura Diuina vniatur personalitati humanæ, sicut modo natura humana vnitur Personalitati 2

Digitized by Google

litati Diuinæ; ergo neque repugnat, quòd natura humana vniatur Diuinæ in vna tertia natura distincta ab vtraque.

2 Confirmatur primò: quia non repugnat, quòd natura Diuina vniatur humanæ secundùm aliquem ordinem, vel compositionem accidentalem; tûc enim nullo modo mutaretur Deus; ergo non repugnat, quòd saltem in aliqua natura accidentali vniantur natura Diuina, & humana: & ex consequenti si in natura accidentali possunt vniri, etiam in substantiali vniri potetunt, & de facto vniuntur.

3 Confirmatur secundò. In transsubstantiatione panis in corpus Christi de facto vnitur panis in natura ipsi corpori Christi, non enim retinet panis propriam naturam, sed tãtùm naturam corporis Christi: ergo etiam non repugnat, quòd natura humana vniatur Diuinæ in vnitate naturæ, saltem per transsubstantiationem in eandem naturam Diuinam. Neque erit inconueniens, quòd natura Diuina sit incorruptibilis: quia etiam corpus Christi est modò incorruptibile, & tamen vnio panis fit per transsubstantiationem cum ipso.

4 Cõfirmatur tertiò. Natura humana Christi de potentia Dei absoluta potuit immediatè vniri substantialiter cum essentia Diuina communi tribus Personis: sed in tali casu vna natura resultaret: ergo. Maior est D. Thomæ infra q. 3. art. 3. vbi docet, naturam Diuinam præcisis personalitatibus potuisse assumere aliam naturam substantialem. Minor verò probatur, quia ex tali vnione non resultaret vna Persona, vel hypostasis: ergo vna natura: quia vnitas personalis adæquatè diuiditur in essentialem, & personalem.

5 Confirmatur quartò. Deus potest ex Diuina & humana natura tertiam constituere, vt patet, quia siquid obstaret, maximè, quia Deus supplere non potest vicem formæ, & actus intrinsecè informantis: sed essentia Diuina non minùs continet eminenter perfectionem formæ actuantis, quàm Persona Verbi perfectionem subsistentiæ creatæ; ergo essentia &c. Et sic constituere per modum formæ, & actus seclusa imperfectione simul cum humana natura vnam substantialem.

6 Secundò. Nihil dicitur esse vnum ex duobus, nisi illa duo vnum conficiant; sed Christus est vnum quoddam ex duabus naturis, vt ait D. Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 17. vbi ait. *Sic Deo coniungi potuit humana natura, vt ex duabus substantijs fieret vna Persona.* Ergo humana natura, & Diuina in Christo fiunt vnũ, quemadmodùm anima & corpus in homine, vt inquit Athanasius. *Sicut anima rationalis & caro est vnus homo, ita Deus, & homo est vnus Christus.* Sed homo est vnum conflatum ex duabus naturis in vnum coeuntibus: ergo Christus est vnus ex duabus naturis in vnam redactis.

7 Confirmatur primò. In Christo ex vnione vtriusque naturæ tantùm resultat vna Persona; ergo etiam vnica duntaxat natura. Patet consequentia; quia quælibet natura peculiarem sibi vendicat Personam: sed in Christo est tantùm vna Persona; ergo vna tantùm natura ex duabus resultans.

8 Confirmatur secundò. In Christo inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter; sed hoc intelligi nõ potest per solam vnionem ad Personam, vt distinguitur contra naturam: cùm Persona, vt sic, non sit formaliter infinita, vt per hoc quòd vnitur Personæ, vniatur Diuinitati: ergo communicatur sibi Diuina natura per vnionem secundùm omnem perfectionem essentialem, atque adeò vnio facta est in natura, & essentia.

9 Tertiò. Diuina natura est vnita humanæ, & è contra humana Diuinæ: ergo aut vnio fit in esse naturæ, aut in esse Personæ. Si dicatur primum, habetur intentum:
10 si secundum: ergo Christus non est homo Deus. Probatur consequentia, quia vniri Deo in esse Personæ præcisè, non valet ad efficiendum hominem Deum, quia neque ipsum Verbum dicitur Deus mediante Personalitate præcisè, sed mediante Deitate.

11 Confirmatur. Esse Diuinum Personale sic est naturæ humanæ communicatum, vt Diuina Persona fieret Persona eius: ergo etiam esse naturæ Diuinæ potuit humanæ communicari, & de facto communicatum est. Consequentia probatur: quia minùs videtur communicabile esse Personale, cùm Persona sit incommunicabilis: ergo sicut esse Personale Diuinum potuit humanitati communicari, similiter esse naturæ Diuinum poterit eidem communicari, & de facto communicatum est.

12 Quartò. Hæc vnio fuit maxima omnium quæ excogitari possunt, ita vt extrema neque inter se, neque vni tertio intimiùs coniungi valeant: ergo connectuntur in vna tertia natura ex talibus naturis resultante, ac proindè terminus huius vnionis erit natura.

13 Confirmatur primò. Hæc vnio est substancialis, & omnium maxima, vt docet D. Thom. infra art. 9. huius quæst. Ergo extrema per eam vnita, nempe, Diuinitas, & humanitas, sunt maximè vnum in substantia: ergo in essentia. Vtraq; consequentia patet. Prior, quia vnio per se facit vnum: ergo maxima substantialis maximè vnum in substantia. Posterior: quia vnitas in essentia est maxima substantialium. Dices, maiorem esse hypostaticam, & personalem: magis enim indiuisa sunt, quæ in eâdem hypostasi sunt vnum, quàm quæ in natura V.G. humana. Magis enim vnum sunt natura, & personalitas Petri quàm Petrus, & Paulus, licèt sint vnum in natura humana. Sed contra: quia maior vnitas infert minorem, vt indiuidualis specificam: ergo si Diuina, & humana natura sunt vnum in vnitate hypostasis, quæ est maxima substantialium, sunt vnum in natura substantiali.

14 Secundò confirmatur. Fieri potest, quòd duæ naturæ completæ vniantur substãtialiter in vno, & eodem supposito: vt de facto vniuntur in Christo: ergo fieri etiam potest, vt vniantur in eadem natura. Consequentia probatur; quia vnitas suppositi substantialis est indiuisa, imò verò maiorem indiuisionem importat, quàm vnitas naturæ, & essentiæ, saltem in suo modo, cùm sit vltimus terminus indiuisionis, qui in ente cõpleto inuenitur.

15 Dices: ideò Diuinam naturam non vniri in tertia natura, quia tunc esset pars. Contra: quoniam Diuina natura componit Christum, vt artic. 4. huius quæstionis dicetur, quatenùs subest tertiæ vnitati substantiali, licèt non tanquam pars: ergo similiter potest constituere tertiam naturam, & essentiam, seclusa imperfectione partis. Neque ex hoc sequeretur aliqua subordinatio aut dependentia Diuinæ essentiæ ab illa tertia natura resultante: quia etiam natura Diuina substat compositioni,

Digitized by Google

tioni, & vnitati substantiali resultanti, & nihil omnino non est inferior, nec dependens, aut subordinata.

16 Confirmatur tertiò. Ex esse naturæ humanæ, & ex esse increato Verbi resultat vnum esse completum, & perfectum, vt docet Scotus, & Sectatores illius, de quo disputabitur infra q. 17. art. 1. Ergo ex Diuinitate, & humanitate resultat tertia natura, quæ à componentibus substantialiter differt.

17 Quintò, Ex vnione naturæ Diuinæ, & humanæ resultat quoddam totum substantiale; ergo resultat tertia substantia, in qua fit vtriusque naturæ vnio. Antecedens est manifestũ, quia ex illa vnione resultat aliquid vnũ & non accidentale; ergo substantiale. Dices, resultare aliquid substantiale Personale. Contra: quia implicat, vt ex vnione duorum resultet esse substantiale Personale, quin priùs naturæ illæ duæ vniantur in aliqua tertia essentia.

18 Confirmatur. Istæ duæ naturæ essentialiter, & substantialiter sunt vnitæ; ergo in aliquo substantiali, & essentiali vtriusque naturæ. Antecedens patet: quia ex vnione, Verbum essentialiter est homo, & homo essentialiter est Deus. Consequentia verò probatur, nã quæ essentialiter vniuntur, habẽt vnitatem essentialem: quæ autem habent essentialem vnitatem, in vnitate naturæ annexæ erant: sed natura Diuina & humana in Christo essentialiter coniunguntur; ergo habent tertiam vnitatem essentialem, & ex consequenti communem essentiam, ac proindè terminus huius vnionis erit natura.

19 Sextò. Ex intellectu creato, & Diuina essentia vnita in ratione speciei intelligibilis, resultat vnum principium totale, essentialiter distinctum à quolibet constituentium: ergo in hac vnione ex duabus naturis resultat quoddam tertium.

20 Septimò. Magis distinguitur gradus specificus ab indiuiduali, quàm Persona Verbi à Diuina natura: sed implicat, actionem realem terminari ad speciem, nempe, ad hominem, & non ad indiuiduum, nempe, Petrum: ergo implicat, actionem realem vnitiuam terminari ad Suppositum, & Personam, & non ad naturam Diuinam. Ergo sicut Persona est proximus terminus vnionis, ita & natura.

21 Confirmatur. Visio intellectualis terminari non potest ad Personam Verbi, quin ad essentiam Diuinam terminetur: ergo neq; vnio ad Verbum, quin ad Diuinitatem. Antecedens patet ex communi Thomistarum doctrina. Consequentia verò probatur: quia visio est actio intellectus suá naturá potentis adunata diuidere: ergo si hæc actio ad Personam Diuinam terminari non potest, quin simul ad essentiam terminetur; neq; Incarnatio, quæ est actio realis attingans intrinsecè termini entitatem.

22 Pro explicatione huius controuersiæ aduertendum est ex D. Thom. 4. contra Gentes cap. 41. Quòd vniri aliqua in natura non est, quòd duæ naturæ adinuicem quomodocumque vniantur, nam re vera in Christo duæ naturæ vnitæ sunt, sed quòd illæ duæ naturæ conueniant in vna tertia natura, vel essentia, quæ aliquo modo ex naturis vnitis constituatur, sicut quòd aliquæ duæ naturæ in Persona vniantur, dicit, quòd eadem Persona in duabus naturis subsistat, manensq; ac rationem Personæ exercens in ordine ad vtramque naturam, ipsam sustentans, & proprias vtriusque naturæ operationes exercens. Hoc supposito sit Conclusio.

Implicat, vnionem naturæ Diuinæ & humanæ fieri in natura. Probatur. Tunc aliqua duo vniuntur in natura, quando vniuntur in aliqua essentia, quæ ex vnione duarum naturarum resultet; sed implicat, naturam Diuinam & humanam hoc modo vniri: ergò &c. Probatur minor: nam quæ vniuntur in natura, necessariò habent mutuum, & intrinsecum ordinem inter se, imò & essentialem dependentiam adinuicem; sed implicat, naturam Diuinam habere aliquo modo essentialem ordinem, & dependentiam ad naturam humanam: ergo &c. Imò verò etiam natura humana nequit talem essentialem ordinem habere; quia forma totalis, qualis est humanitas, cùm per se loquendo, sit totum, & non pars, nequit intrinsecè, & substantialiter ordinari ad alterius naturæ compositionem. In quo distinguitur humanitas ab anima rationali, quia hæc, & quæcumque alia forma ex propria natura non est substantia totalis, sed potiùs pars alterius naturæ integræ, & ita dicit intrinsecum, & substantialem ordinem ad naturam, cuius est pars, & ad aliam partem simul componentem: at humanitas, & quæcumq; forma totalis non dicit talem ordinem per se, & substantialem: ergo &c. 22

Secundò probatur. Quando aliqua duo vniuntur in natura, talis natura, in qua fit vnio, semper est perfectior alijs naturis, quæ in illa vniuntur; continet enim perfectionem vtriusque: sed implicat, dari naturã perfectiorem essentia Diuina: ergo nulla natura potest esse terminus huius vnionis. Tertiò probatur. In Christo post vnionem sunt duæ formæ: ergo sunt duæ naturæ. Cõsequentia patet, quia forma, natura, & essentia idem pollent. Antecedens probatur ex illo ad Philip. 2. *Qui cùm in forma Dei esset, formam serui accepit.* Sed forma Dei, & forma serui sunt duæ formæ: ergo &c. Quartò. In sacris literis pòst vnionem contraria enunciantur de Christo; nempe, ea, quæ sunt potentiæ Diuinæ, & quæ sunt infirmitatis humanæ, sed contraria de eodem secundùm idem enunciari non valent: ergo enunciantur secundùm aliam, & aliam naturam, & ex consequenti non est in Christo tertia aliqua natura ex duabus resultans. Postremò. Christus est verus Deus, & verus homo, vt constat ex Sancta Scriptura: ergo verè habet naturam Diuinam, & humanam; non enim fieri potest vt natura Diuina & humana fiant vna natura, vt ostendit D. Thomas in corpore. Et est adeò euidens, vt Concilium Chalcedonense asseruerit, eos, qui hoc dogma sequuntur, insanissimè loqui. Legendus est M. Bellarminus lib. 4. de Christo cap. 2. 23

Ad primum igitur argumentum negatur antecedens; implicat enim naturam Diuinam per creatam Personalitatem terminari, cùm ab ea intrinsecum ordinem & dependentiam habere non possit. Secundò. Etiam si admittatur possibilitas antecedentis, negatur consequentia, quia adhùc ex tali vnione non resultaret aliqua tertia natura, sed vna Persona in duabus totalibus naturis, Diuina, scilicet, & humana, subsisteret. 24

Ad primam confirmationem negatur consequentia, videlicèt, si duæ naturæ in aliqua forma accidentali possunt vniri, possint similiter in substantiali vniri, etenim naturæ substantiales totales possunt subdi formæ accidentali, non tamen formæ substantiali, vt constat 25

in

Digitized by Google

in numero, & exercitu. Secundò Resp. Neque Incarnationem, neque vnionem naturæ fieri in aliqua natura accidentali, cùm ipsa sit vnio substantialis: præsertim quòd vnio, quæ fit in forma accidentali, non dicitur propriè loquendo, vnio in natura, vel essentia, sed ea tantùm quæ fit in forma substantiali. Et adhuc etiam si illa esset vera vnio in natura, non esset possibilis Deo, qui est supra totũ ordinem vniuersi, & ordinem creaturarum. Ea autem quæ in forma etiam accidentali vniuntur, necessariò dicunt aliquem ordinem, & habitudinem inter se.

26 Ad secundam confirmationem, etiam admisso contiut argumenti intento, non sequitur possibilitas vnionis Naturæ Diuinæ in aliam, quia in transsubstantiatione non resultat aliqua tertia natura, distincta ab ea, in quam fit transsubstantiatio, vt constat in Sacramento altaris. Ad tertiam confirmationem concessa maiori, negatur minor, quia ex tali vnione non vna essentia consurgeret, sed vnum subsistens in duplici natura: cuius ratio est, quoniam humanitas non vniretur cum Diuina Essentia, vt est natura præcisè, sed vt formaliter subsistent, tametsi communicabiliter.

27 Ad quartam confirmationem Resp. Non satis esse, vt Diuina Natura possit vicem formæ supplere, quòd eius perfectionem eminenter contineat, sed rationem esse, quòd effectus formalis non prouenit à re eminenter tali, sed à forma formaliter tali. Non enim per extrinsecum cõcursum forma causat suum effectum formalé, sed se ipsam intrinsecè præbẽdo subiecto apto ad illam recipiendam. Persona autem Verbi ideò humanam subsistentiam supplere potest, quia potest humanam naturam sustentare: eius dependentiam intrinsecè terminando. In quo sanè nulla imperfectio, sed quodammodò infinita perfectio includitur, vt infra dicetur.

28 Ad secundum argumentũ Resp. Christum esse vnum ex duabus naturis, non quidem per compositionem, ita scilicet, vt illud vnum sit ex vtraque natura confectum; sed dicitur vnum ex duabus naturis per exigentiam: hoc est, quia Christus effectus est duplicis naturæ; constat enim ex duabus naturis, & est subsistens in duabus naturis.

29 Ad primam confirmationem concesso antecedenti negatur consequentia, quia vnaquæque natura habet suam propriam hypostasim, nisi sit præuenta, & assumpta ad esse alterius Personæ, & sic se habet res in proposito, nam humana natura assumpta est ad esse Personale Diuini Verbi.

30 Ad secundam confirmationem Resp. In Christo Domino habitare omnem plenitudinem Diuinitatis corporaliter secundùm omnem suam perfectionem essentialem; sed negatur, quòd sic humanitati sit vnita Diuinitas, quasi ex vtraq; resultet vna tertia natura, & essentia: sed quia conueniunt in vno Supposito, quod in vtraque natura subsistis.

31 Sed obijcitur. Per plenitudinem Diuinitatis nequit intelligi nisi esse Essentiale Diuinum, vt distinguitur à personali; sed tale esse est formale: ergo Diuina Natura in esse naturæ & formæ est communicata humanitati. Negatur consequentia; quia licèt esse Diuinum, quod est esse formale, sit humanitati vnitum, non tamen per modum formæ actuantis intrinsecè: neque enim est necessarium, vt cùm forma vnitur alicui rei, vniatur eidem sub esse formæ, siue sub esse formali, quoniam anima hominis est quædam forma, quæ multis accidentibus vnitur, & illis tamen non vnitur per modum formæ, & quatenùs est forma, sed vt est materia, & per modum subiecti. Item Diuina vita fuit in Triduo corpori Christi coniuncta, & tamen corpus Christi per illam non viuebat; quia non erat illi vnita tanquàm forma tribuens esse. Ad eundem ergo modum, quamuis Diuina Natura humanæ fuerit vnita, non tamen ei actum tribuit tanquàm forma dans esse, neque ex vtraque aliqua tertia entitas resultauit.

32 Ad tertium argumentum Resp. Duobus modis posse intelligi Naturam Diuinam vniri humanæ in esse naturæ. Primò, formaliter, idest, quòd Diuina natura sit actus, & perfectio humanæ naturæ, tribuens illi esse Diuinum formaliter, ita vt humanitas formaliter & essentialiter reddatur Diuina: & in hoc sensu negatur, Diuinam Naturam vnitam fuisse humanitati. Secundò potest intelligi, materialiter & secundùm rem, & sic Natura Diuina est vnita humanæ, & è contrario, quatenùs Natura Diuina est idem realiter cum Persona, & ambæ naturæ in eadem persona conueniunt. Præterea: humanam naturam esse vnitam Diuinæ Personæ in esse Personæ, dupliciter potest intelligi: vno modo formaliter, & præcisè, hoc est, præscindendo ab essentia; altero modo formaliter, non præcisè, idest, non præscindendo ab essentia. Priori modo non est facta vnio in Persona Verbi, alioqui ille homo ex tali vnione non esset Deus: posteriori modo facta est vnio in persona. Vnde ex vi talis vnionis, homo est Deus, quia humana natura non vnitur personæ, quin vniatur Naturæ Diuinæ propter identitatem personæ, & naturæ. Ad argumentum ergo negatur, quòd ex tali vnione in esse personæ non reddatur homo Deus, quia per ipsam vnionem Diuinum Suppositum fit etiam humanum. Legatur Ferrariensis. 4. contra Gent. cap. 35.

33 Ad confirmationem negatur consequentia, quia Personam Diuinam esse personam humanæ naturæ nihil est aliud, quàm humanam naturam subsistere Diuina subsistentia, non quidem formaliter, ita vt subsistentia Diuina sit actus humanæ naturæ; sed per vnionem personalem, quatenùs humana natura vnitur Personæ subsistenti ab æterno. At Diuinam Essentiam communicari naturæ humanæ in esse naturæ, est, quòd ex vtraque constituatur, & resultet tertia quædam essentia, & substantia, quod repugnat: tum ex parte naturæ Diuinæ, quæ si subesset alteri formæ substantiali, actuaretur per illam, & illi subijceretur, vt materia, & sicut partes vniuersi respectu ordinis totalis, & vnitatis, quæ omnia repugnant summæ actualitati Dei, & perfectioni illius: tum etiam ex parte illius tertiæ essentiæ resultantis; quia vel illa esset vna ordine, & hoc non, quia nullus ordo realis, & præsertim substantialis, potest naturæ Diuinæ in tempore conuenire, neque vt vnitur naturæ creatæ: vel esset vna substantialiter & absolutè, & hoc similiter repugnat, quia non esset aliquid increatum; aliàs non resultaret ex creato, & increato, neque fieret in tempore. Si dicatur, quòd esset aliquid creatum; contra: quia non potest componi essentialiter ex Deitate increata. Nec potest dici, Diuinam naturam substare alicui esse creato;

quia Diuinitas mutaretur, & actuaretur per esse superueniens.

34 Ad quartum argumentum Resp. Negãdo cõsequentiã, quia iam ostensum est, repugnare, quòd ex Diuina, & humana Natura cõstituatur, & resultet aliqua tertia Essentia & Natura.

35 Ad primam confirmationem Resp. Hanc vnionem esse omnium maximam, non quidem ex parte extremorũ vnitorum, sed ex parte eius, in quo fit vnio: nempe, Personæ Diuinæ. Vnde non sequitur, extrema vnita, scilicèt, Diuinam, & humanam Naturam ex vi vnionis esse maximè vnum. De quo latiùs infra art. 9. & licèt cum aliquibus Thomistis concedatur, vnitatem hypostasis, quam habent humanitas, & Diuinitas, prout in Persona Verbi subsistunt, maiorem esse vnitate Naturæ compositæ ex pluribus realiter distinctis: non inde colligere licet, hanc naturæ vnitatem habuisse quoq; in Christo Essentiam humanam, & Diuinam; quia tunc tantùm maior vnitas infert minorem, cùm subordinantur: sicut specifica, & indiuidualis genericam &c. At vnitas Naturæ in Christo non subordinatur hypostaticæ, sed est prorsus disparata, & impossibilis.

36 Ad secundam confirmationem negatur consequentia, nam duæ Naturæ completæ, si constituerent tertiam Essentiam, illi essentialiter subordinarentur, & ab ea penderent in genere causæ finalis; quia ordinarentur ad illam constituendam; & similiter in genere causæ formalis essentialis, cùm esset forma vtriusq; naturæ completæ absque tali subordinatione essentiali; quoniam subsistentia, aut suppositalitas, quæ est forma Suppositi, non est actus essentialis, & intrinsecus Naturæ, sed est quasi extrinsecus, & supponens rei Essentiam, vt constat in nostra Suppositalitate. Et similiter, quia Natura Suppositi non subordinatur Supposito, aut subsistentiæ in genere finis, aut in genere formæ, vt patet in Natura Diuina respectu increatæ subsistentiæ.

37 Ad replicam patet Responsio ex dictis, nempe, quòd Natura Diuina nequit esse pars, neq; etiam humanitas est pars Suppositi; quia simul cum Supposito, aut Suppositalitate non constituit aliam tertiam Essentiam, neque aliud tertium, quod ex Suppositalitate, & Natura tanquam ex partibus constet. Quòd si duæ Naturæ tertiam Essentiam constituerent, haberent necessariò rationem partis, & illud tertium partialiter constituerent, eidemq; subordinarentur: sicut cuilibet formæ completæ, & totali subordinantur formæ partiales, & eò ipso quòd constituunt vnum tertium essentiale, partialiter se habent. Sic rationale, & irrationale, vt hominem cõstituunt, habent se tanquàm partes, saltem Methaphysicæ.

38 Ad tertiam confirmationem negatur consequentia, & similiter antecedens: quia vt constabit infra. q. 17. art. 1. Non est in Christo existentia creata: imò verò etiam si admittatur disputationis gratia dari in Christo esse creatum, nullum esse resultat; aliàs Existentia Diuina subordinaretur alteri existentiæ superiori, resultanti ex compositione, in qua Existentia Dei partialiter concurreret, & sub qua contineretur, quæ omnia repugnat Existentiæ increatæ & infinitæ.

39 Ad quintum argumentum concedimus, ex vnione duorum nullum esse personale nouum resultare posse, nisi illa duo inter se in aliquo esse formali priùs vniantur: etenim esse personale nouum sequitur ad naturam, vt est immediatum naturæ totalis complementum. Quare ad aliqua duo diuersa immediate sequi non valet, nisi quatenus vniuntur in aliqua tertia Natura. Cæterùm ex vnione humanitatis ad Verbum non resultat nouum esse Personale, sed esse substantiale, & Personale Verbi denuò humanitati communicatur, atq; ita necessarium non est; vt componentia priùs vniantur in aliquo tertio antè illud esse Personale, quod habet Natura Diuina, & humana.

Ad confirmationem negatur, Naturam Diuinam, & humanam essentialiter & immediatè vniri; quia vnio essentialis duorum propriè non est adinuicem; nisi in vno tertio essentialiter vniantur. Et ideò partes, siue Physicæ, siue Methaphysicæ vniri essentialiter non censentur, nisi prout induunt vnitatem totius. Cum hoc tamen verum est, Naturam Diuinam, & humanam vniri essentialiter, idest, non accidentariò, sed in aliquo, scilicet, in Verbo, quod ex vi talis vnionis essentialiter est Deus, & homo. Hoc autem non est, quia illæ duæ naturæ constituant vnum essentiale respectu vtriusque, sed quoniam vniuntur in aliqua Persona, quæ vtrumq; essentialiter habet. 40

Sed obijcitur. Istæ naturæ vniuntur in aliquo, quod essentialiter habet vtrumque: ergo conueniunt in aliquo vno, quod essentialiter comparatur ad vtramque Naturam. Probatur consequentia, nam quod essentialiter habet vtramq; naturam, habet etiam essentiam, quæ vtramque naturam includit, & ex vtraque consurgit. Resp. Concesso antecedenti, negando consequentiam, & probationi dicitur, verum esse, quòd Christus habet Essentiam, quæ vtramque naturam includit, & ex vtraque coalescit, nam ratio & Essentia Christi, vt Christus est, simul includit Naturam Diuinam, & humanam, & ex illis resultat: sed indè non infertur, tertiam essentiam absolutè constitui, quia Christus non est nomen Essentiæ, sed indiuidui, & Personæ. Et in hoc sensu dici solet, Essentiam Petri, vt Petrus est, includere substantialem, & accidentalem rationem, licèt diuerso modo. Vnde conceditur, quòd ratio totalis Petri, non solùm Essentiam hominis includit, sed etiã indiuidualia principia, quæ spectãt ad rationẽ eius indiuidualẽ, & quatenùs Petrus est. 41

Ad sextum Resp. Ex vnione Diuinæ Essentiæ cum intellectu beati nullum esse resultare, aut aliquam tertiam Essentiam, sed nouam duntaxat determinationem intellectus creati, qui ad videndum Deum, indigebat determinari aliquo superueniente in ratione speciei intelligibilis. Hæc autem determinatio neque est nouum esse, neque etiam nouum inexistere accidentale, neque aliqua Essentia, aut forma, sed modus ipsius intellectus, quo proximè manet aptus ad videndũ Deum. In proposito ergo Natura Diuina & humana vniuntur in Supposito; ex qua vnione non resultat nouum esse, aut noua existentia: sed noua determinatio in Natura humana, vt subsistat per esse Verbi, quæ determinatio est quidam modus Naturæ. Hæc solutio magis explicabitur Disputatione sequente. 42

Ad septimum Respondetur. Gradum specificum non posse esse in rerum Natura sine indiuiduali, neq; è contra: & ideò implicat, actionem productiuam terminari ad vnum, quin ad aliud terminetur. 43

Et

Digitized by Google

Et hoc adinuicem. Sed Persona Diuina potest vniri in ratione subsistentis, quin vniatur in ratione essentiæ, vt sic: & actio vnitiua terminari ad personam, & non ad naturam: sicut generatio, & spiratio in Diuinis terminatur ad Personas Filij, & Spiritus Sancti, & non ad Essentiam Diuinam.

44 Ad confirmationem Resp. Cognitionem quidditatiuam, maximè intuitiuam (qualis est visio beatifica) non sistere in vna, vel altera obiecti cognitione: sed omnia, quæ sunt formaliter in ipso, necessariò pertingere. At vnitio respicit rem, vt proximè vnibilem Quia verò Persona Verbi in ratione Personæ, & non naturæ, erat hypostaticè vnibilis: ideò proximus terminus vnionis fuit Persona Verbi, & non Essentia Diuina.

SECVNDA DISPVTATIO. §. I.

CIRCA illud, quod docet D. Thomas in corpore, videlicet, Diuinam Naturam nullius entis creati, præsertim corporei, posse esse formam, dubitatur, An Deus aliquo modo possit esse forma vel in esse naturali, vel saltem in esse intelligibili, vt dicebat Caietanus. Et probatur, nulla ratione posse esse formam.

1 Primò. Forma sub esse formæ est pars cum altero componibilis, & efficit vnum tertium; sed hæc nullo modo possunt Deo conuenire: ergo &c. Probatur minor. Pars cum altero componibilis dicit naturam imperfectam; sed Diuina Natura est perfectissima: ergo nequit esse pars, & ex consequenti neq; forma sub esse

2 formæ. Confirmatur primò. Si Deus vnitur alicui tanquàm forma illius, necessariò ex illa vnione resultat vnum tertium: ergo illa tertia entitas, vel est Deus, vel creatura. Si Deus: ergo componitur Deus ex materia, & forma, nempe, ex Diuina Essentia, & creatura, cui vnitur. Si creatura; ergo esse Diuinum formaliter conuenit creaturæ: quia forma tribuit esse formaliter rei, cui vnitur, tanquàm forma: sed istud est impossibile, nam esse Diuinum illi soli formaliter conuenit, quod est ipsum esse, & ex se habet esse; creatura verò neque est ip-

3 sum esse, neque habet ex se esse: ergo &c. Confirmatur secundò. Creaturæ, eò ipso quòd est creatura, conuenit esse finitum, & limitatum: ergo si creatura ideò habet esse Diuinum, quia Diuina natura est illius forma, iam creaturæ conueniret esse finitum, & infinitum, quod implicat contradictionem.

4 Dices hoc argumento duntaxat probari, Deum non posse esse formam alicuius rei secundùm esse naturale & Physicum; sed posse, secundùm esse intelligibile. Atque adeò cùm species intelligibilis sit forma intellectus secundùm esse intelligibile, quamuis non secundùm esse naturale, potest quidem Deus esse forma intellectus creati in esse intelligibili vniendo se intellectui in ratione formæ, & speciei intelligibilis. Sed contra hanc solutionem est secundum argumentum.

5 Deus nullius rei potest esse forma secùndùm esse reale, ita quòd formaliter tribuat aliquod esse reale, qualecumque illud sit; sed esse intelligibile est esse reale: ergo non minùs repugnat, Deum esse formam rei secundùm esse intelligibile, quàm secundùm esse naturale Confirmatur. Deus non potest vniri intellectui in ratione speciei intelligibilis: ergo nequit esse forma illius in esse intelligibili. Consequentia patet; nam quod vnitur in in ratione speciei, habet se vt forma; species enim ex propria ratione est actus potentiæ, atque adeo forma. Antecedens verò probatur. Primò; quia species priùs tribuit esse reale, quàm esse intentionale, & intelligibile, vt constat in specie creata, quæ priùs qualificat intellectum, prout est quoddam accidens, quàm illum constituat in esse intelligibili; sed Deus non priùs ratione præstat aliquod esse ipsi intellectui, quod supponatur ad esse intentionale, & intelligibile: ergo non vnitur in ratione speciei intelligibilis. Minor probatur; quia nullum esse potest signari, quod intellectui conueniat ab Essentia Diuina, præambulum saltem prioritate naturæ ad esse intentionale. Secundò probatur idem antecedens. Sequeretur enim, Deum prout vnitum in ratione speciei intellectui creato, perfici, & compleri per visionem beatificā. Probatur sequella. Nam si Deus vnitur in ratione speciei, vnitur in ratione actus primi: sed actus primus completur, & perficitur ab actu secundo; ergo Deus vnitus in ratione speciei perficeretur à visione, quæ est actus secundus. Confirmatur. Quoniam actus primus vt sic, dicit aliquid potentiæ: ea autem potentia completur per actum secundum, ergo si Deus vnitur in ratione actus primi, complebilis est, & perfectibilis per actum secundum. Antecedens patet, quia actus primus est quasi medium inter potentiam, & actum secundum: ergo aliquid habet potentiæ.

Dices: Deum non vniri vt formam informantem, 6
sed vt formam determinantem. Contra. Intellectus nequit determinari nisi per actum absolutum, & intra ipsum existentem; ergo si Deus determinat potentiam intellectiuam, determinat tanquàm actus intra ipsam, & per consequens, vt informans.

Tertium argumentum. Ex omni vnione per se resul- 7
tat aliquod vnum per se; sed ex Deo & intellectu nihil resultat: ergo nulla est vnio per se. Minor patet: quia neque resultat Deus, neque resultat intellectus; cùm vterque supponatur: neque resultat aliquod tertium compositum ex Deo & intellectu; cùm illud non sit possibile, siquidem intellectus est accidens, Deus verò substantia increata: cùm ergo nihil aliud sit excogitabile, quod resultet, nulla ibi erit vnio, quia omnis vnio ad vnum ordinatur.

Confirmatur. Illa vnio non est accidentalis, neque 8
substantialis: ergo nulla. Consequentia patet. Et antecedens probatur quò ad priorem partem; quia Deus nullum tribuit esse accidentarium. Quòad posteriorem verò, quia intellectus creatus non recipit à Deo esse substantiale, imò neque est capax illius.

Quartò. De intrinseca ratione formæ intelligibilis 9
est, vt sit naturalis similitudo rei per ipsam repræsentatæ, vt docet D. Thomas. 3. contra Gentes cap. 51. Sed Deus nequit esse sui ipsius similitudo, cùm nulla res sibi ipsi assimiletur, & similitudo etiam importet essentialem rationem exemplati & effectus; quæ omnia Deo repugnant: ergo ratio formæ intelligibilis nulla ratione Deo competere potest. Confirmatur. Deo repugnat ratio imaginis, ex eòquòd imago essentialiter importat ad alterius similitudinem esse deductam; ergo similiter repugnat Deo ratio formalis speciei intelligibilis, cùm hæc essentialiter, &

formaliter importet rationem similitudinis, & imaginis intellectualis.

10 Quintò. De intrinseca & essentiali ratione formæ intelligibilis est, quod sit forma actuãs intellectum, à potentia in actum, ipsum reducens, sicut de intrinseca ratione albedinis est, esse formã albi: sed repugnat, Deum esse alicuius formam, vel vicem causæ formalis supplere: ergo implicat habere rationem formæ & speciei intelligibilis, & illius vicem supplere. Maior patet: quia sicut albedo in genere albi, & qualis, habet rationem formæ albi, constituentis album formaliter, ita species & forma intelligibilis habet rationem formæ intellectus, qui per speciem actu constituitur talis obiecti intellectiuus. Dices, non esse de ratione speciei intelligibilis, quòd sit forma intellectus, vel quòd ipsum informet, sed quòd illum actuet dempta informationis imperfectione. Contra hoc sit argumentum sextum.

11 Nulla res potest de potentia ad actum transferri, nisi per aliquid sibi intrinsecum in ipsa susceptum, vel tanquam quid substantiale ad illius substantiam pertinens, vel vt accidentariò superueniens; sed Deus in intellectu intrinsecè suscipi non potest: ergo &c. Maior est Aristotelis. 9. Methaph. Et constat inductione, quam materia prima, quæ est pura potentia, ad actum reduci non potest, nisi talem actum in se suscipiat: & quod est potentia calidum, nequit fieri actu calidum, nisi in se calorem suscipiat: ergo similiter intellectus reduci non valet à potentia intellectiua ad actum intelligendi, nisi per formã intelligibilem, & actum in illo intrinsecè susceptũ.

12 Confirmatur primò. Esse actum alicuius potentiæ, saltem passiuæ, nihil aliud est, quàm esse eius formam, cùm proprius, ac necessarius actus potentiæ passiuæ sit pati, & recipere, & non aliter, quàm recipiendo actuatur; sed intellectus respectu formæ intelligibilis, quæ est actus primus, est potentia passiua iuxta illud Aristot. 3. de Anima cap. 1. Intelligere est quoddam pati; quod intelligitur de receptione formæ & speciei intelligibilis: ergo Deo repugnat ratio formæ intelligibilis, & ratio actus actuantis per seipsum immediatè potentiam intellectivam.

13 Confirmatur secundò. Intellectus per speciem & formam intelligibilem assimilatur formaliter rei intellectæ, & actu fit illi similis, fitq; tandem res intellecta in actu: sed hæc omnia præstari non possunt, nisi per formam ipsi intellectui intimam: ergo &c. Maior est euidens in Philosophia, & minor probatur, quia non minùs est impossibile, fieri simile sine similitudine informante, quàm fieri album sine albedine inhærente.

14 Septimò. De ratione intrinseca formæ intelligibilis est, quòd sit actus primus, & potentialitas actuanda per actum secundum, sed hoc repugnat Deo, cùm sit purus actus: ergo nequit esse forma in esse intelligibili. Confirmatur. Forma intelligibilis cum intellectu cõstituit aliquid vnum in esse intelligibili, sicut ex materia & forma constituitur vnum: sed hoc repugnat Deo, quia intelligi non potest, quomodò ex Deo & intellectu fiat vnum, nisi Diuina Essentia sit forma intellectus, tribuens illi aliquod esse formale, quod omninò repugnat: ergo &c.

15 Octauò. Forma intelligibilis concurrit ad intellectionem, vt quo; intellectus enim specie, & per speciem intelligit: sed nequit intelligere per aliquid separatum, quod non sit eius forma, vel pars: ergo Deus, cui repugnat esse formam, vel partem, nequit esse forma intelligibilis. Minor est Aristot. 3. de Anima text. 4. & infra dicentis: id quo aliquid operatur, oportere, esse formam eius, dantem sibi formaliter esse. Vnde D. Thomas desumit argumentũ contra Commentatorem 3. de Anima lectio. 7. super text. 7. & 2. contra Gentes cap. 59. Contendens, nos intelligere non posse per intellectum, si esset substantia separata, vt vult commentator. Et probatur inductione; quia homo per intellectum alienum intelligere non potest, neque aqua per separatum calorem calefacere &c. Ergo similiter neque intellectus per speciem & formam separatam, non informantem intelligere potest.

Confirmatur. Intellectus per speciem intelligibilem 16
producit intellectionem; sed vnumquodque operatur inquantùm est in actu per aliquam formam sibi intrinsecam, & inhærentem, quod quidem Deo repugnat: ergo nequit esse formà intelligibilis.

Dices. De ratione formæ intelligibilis duntaxat esse, 17
vt vniat obiectum cum potentia in esse cognoscibili, quod optimè saluatur sine informatione, & coniunctione intrinseca formæ intelligibilis cum potentia. Contra hoc replicatur: quia hæc vnio fieri non potest secundùm præsentialitatem tantũ: ergo fit per aliquam formam in potentia intrinsecè susceptam. Consequentia est euidens, quia nullus alius modus vnionis est possibilis, vel intelligibilis. Antecedens probatur, quia illa vnio secundùm præsentialitatem est vnio Verbi, & obiecti terminatiui, quæ est distincta ab vnione speciei intelligibilis, & alterius rationis.

Observatio. §. II.

CAIETANVS in commentario huius arti- 18
culi docet, Diuinam naturã posse esse formam entis creati, non quidem in esse naturali, sed in esse intelligibili, & de facto gerere vicem formæ intelligibilis in intellectu beati. Hanc Caietani sententiam reijciunt Medina & Suarez, vt vidimus supra in commentario. Sed pro intelligentia huius controuersiæ aduertendum est cum Caietano. 1. p. q. 12. art. 2. & Soto in. 4. d. 49. q. 2. art 3. in specie intelligibili creata quinque reperiri. Primum est, quòd sit forma inhærens intellectui. Secundum, quòd intellectum actu cognoscitiuum constituat; etenim antequàm intellectus specie actuetur, est in potentia cognoscitiuus: specie autem constituitur cognoscitiuus in actu primo, cũ quo coniungitur quædam potentialitas, per actum secundum actuanda. Tertium, quòd sit naturalis similitudo rei repræsentatæ, siue actualis & formalis, siue causalis, & veluti habitualis. Quartum, quòd species vniat obiectum cum potentia. Quintum, quòd sit principiũ effectiuum cognitionis, ad illam cum intellectu effectiuè concurrens. Ex his autem anumeratis primum non est de essentia speciei; sed per accidẽs se habet ad rationem formalem illius, quòd sit accidens inhærens, aut substantia per se subsistens. Ex alijs verò quatuor, quæ sint essentialia, & de intrinseca ratione speciei intelligibilis, quæ verò non, examinabitur infra. Hoc posito sit

Prima Conclusio. §. III.

Deitas

19 DEITAS potest esse forma intellectus creati in esse intelligibili, suppleréq; vicem speciei intelligibilis, sublatis imperfectionibus quibuscunq; in specie creata repertis, videlicet, inhærentiæ, informationis, potentialitatis, compositionis, & similibus. Hæc conclusio est expressè D. Thomæ. 3. contra Gentes cap. 51. vbi ait, Deum, quamuis nullius entis possit esse forma in esse rei, posse tamen esse formam in esse intelligibili. Et 1. p. q. 12. art. 2. ad 3. ait, Diuinã Essentiam vniri intellectui creato, vt formam Intelligibilem, ipsum intellectum in actu constituentem. Eandem tenet Caietanus in hoc articulo, & 1. p. q. 12. art. 2. & ibidem M. Bañes Dubio. 2. Cõclus. 3. Dicens, Diuinã Essentiam vniri intellectui, vt formam intelligibilem, & in ratione formæ intelligibilis. Idem docet Ferrar. 3. contra Gentes cap. 51. & probatur.

20 Quidquid non implicat contradictionem potest fieri à Deo; sed Deum vniri in ratione formæ intelligibilis non implicat contradictionem: ergo &c. Probatur minor. Huiusmodi vnio non repugnat ex parte intellectus creati: quia cùm sit potentia intellectiua, potest in actum reduci quocumque actu in genere intelligibilium, siue consideretur intellectus vt potentia naturalis, siue obedientialis. Neque repugnat ex parte Dei; cùm sit perfectissimus ac supremus actus in genere intelligibilium; ergo nulla ex parte repugnat huiusmodi vnio. Secundò probatur ratione D. Thom. 1. p. q. 12. art. 2. ad 3. Quæ sic potest formari.

21 Diuina natura est omne suum esse; ergo est suum esse intelligibile, & per seipsam est intelligibilis, principium cognitionis sui ipsius, & id, quo cognoscitur, cõstituitq; proindè in actu, & in esse intelligibili sui ipsius quamcumque potentiã intellectiuã. Cõsequentia patet, & antecedens probatur. Primò, quia cùm Diuina natura sit suum esse, necesse est, sit omne suum esse. Secundò: quia ideò res aliæ creatæ indigent specie à seipsis distincta: quia non sunt suum esse intelligibile; & ideò seipsis intellectum actuare non possunt: ergo illa natura, quæ est suũ esse intelligibile, optimè poterit actuare ad modum formæ intelligibilis, quamcumque intellectiuam potentiam. Sic intelligit Caietanus hanc rationem D. Thomæ, & ab alijs hoc modo formatur. Diuina natura est ipsum esse illimitatum, & ipsa actualitas continens omnem perfectionẽ, omnẽq; actualitatẽ cuiuscũq; speciei creatæ; ergo per seipsam potest in actu cõstituere intellectũ creatũ, secũdùm esse intelligibile lõgè perfectiùs quàm species creata. Cõsequẽtia patet, quia ideò species creata in actũ reducit Intellectum; quia est actus quidã in genere intelligibiliũ: sed omnẽ hanc, ac multò præstantiorẽ actualitatem cõtinet Diuina natura: ergo
21 &c. Eadẽ ferè ratio colligitur ex D. Thoma. 4. d. 49. q. 2. art. 1. & 3. cõtra Gentes cap. 51. Quæ sic se habet. Diuina natura est actus purus in genere intelligibiliũ: ergo potest esse forma, qua intellectus intelligat. Probatur cõsequẽtia. Anima, quia est actus expers materiæ, etsi non purus, in in genere entis, potest esse forma, qua homo sit: sed Deus est actus purus in genere intelligibilis: ergo à fortiori potest esse forma, qua intellectus intelligat. Aliã rationẽ reddit D. Thom. 3. cõtra Gentes cap. 51. citato. Deus est ipsa veritas, quæ est propria forma, & actus in genere intelligibilium, imò verò est ipsa met actualitas in tali genere; ergo vniri potest intellectui creato in esse intelligibili tanquam illius actualitas.

Præterea. Quamuis repugnet, Deũ esse formã alicuius secũdùm esse naturale, nõ tamẽ repugnat, habere 22
rationẽ formæ secũdùm esse intelligibile: ergo nõ repugnat habere ratione speciei intelligibilis respectu intellectus creati. Cõsequentia patet: quia esse speciem, est esse formã intelligibilẽ, secundũ esse intelligibile actuantem & informante. Sed probatur antecedẽs. Esse formã alicuius in esse naturali est, simul cũ illo vnitã constituere tertiam naturam, quod omninò Deo repugnat, cùm in seipso sit perfectissimus: at esse formã in esse intelligibili non est tertiam naturam cum intellectu constituere, sed ipsum ad intelligendum perficere, & eleuare, quod Diuinæ perfectioni non repugnat: ergo &c.

Itẽ habere rationẽ formæ intelligibilis in intellectu 23
creato, importat perfectionem actualitatis absque vlla imperfectione informationis: ergo non repugnat Deo. Cõsequentia est euidens: quia si aliqua ratione denegaretur Deo, esset propter repugnantiam, & imperfectionem informationis, & inhærentiæ. Sed probatur antecedẽs. Et quidẽ quòd actualitas sit perfectio, nemini dubiũ est. Quòd autẽ Deus sine informatione intellectum creatũ possit actuare, ex eo maximè cõstat, quòd Diuinũ Verbũ actuat naturã humanã, & Diuina existentia, ac subsistentia est actus illius naturæ absq; omni imperfectione informationis: ergo similiter potest Deus absque informatione, & imperfectione Intellectũ actuare.
Confirmatur primò: quia maior est vnio Diuini Ver- 24
bi cũ natura humana in vnitate Personæ, per quã Deus factus est homo, quàm vnio Dei cũ intellectu, per quã intellectus non fit simpliciter Deus: sed illa fuit possibilis: ergo & ista. Confirmatur secundò Diuina subsistentia potest quãcumq; creatã subsistentiã supplere, illiusq; vicẽ habere: quia omnis subsistentiæ creatæ perfectionẽ eminentiùs continet: eò quòd sit infinita: sed Deus similiter cõtinet perfectiùs & eminentiùs cuiuscũq; speciei intelligibilis creatæ perfectionẽ, actualitatẽ, & formalitatẽ; cũ in genere intelligibilis sit infinita: ergo vicem potest gerere cuiusq; speciei creatæ intelligibilis.

Postremò. Deus potest supplere vicẽ causæ efficientis, 25
& quicquid per causam efficientẽ secũdã effici potest, se solo efficere valet: sed quicquid præstat species & forma intelligibilis, necessariò & per se ad genus causæ efficientis spectat, vel saltem ad illud reduci potest: ergo à Deo suppleri valet, ac proindè potest Deus rationẽ speciei intelligibilis habere. Minor probatur: quia de ratione essentiali speciei intelligibilis est perficere intellectum, & illum constituere in actu potentem ad intellectionem eliciendam, cum eoq; concurrere ad productionem intellectionis: sed ista omnia in genere causæ efficientis præstari possunt: etenim actuare ad modum extrinseci actus, quo pacto Diuinũ Verbũ actuat naturam humanã, potiùs habet rationem efficientis, quàm formalis causæ: item cõcurrere ad intellectionem cum intellectu, efficere quoddam est: ergo &c.

Secunda Conclusio. §. IIII.

DE Facto Deitas vnitur intellectui creato vt forma intelligibilis, suppletq; rationem ac vicem 26
speciei intelligibilis. Hæc conclusio est D. Thomæ locis citatis, & de Veritate. q. 8. art. 1. Quam recipiunt omnes sectatores illius, & colligitur ex dictis,

nam cùm intellectus beati de se non sit determinatus ad videndum Deum, & repugnet determinari ad talem visionem per speciem creatam, debet necessariò determinari à Diuina natura & ex consequenti illa habere debet rationem speciei. Vnde sic formatur ratio. Intellectus beati de facto intuetur Deum per aliquam speciem, vel aliquid supplens vicem speciei, sed non videt per speciem creatam, vt ostendi solet. 1.p. q.12. Ergo per increatam, quæ nihil aliud est quàm Diuina natura. Maior est manifesta, quia intellectus debet fieri in
26 actu per aliquam speciem, vel aliquid vicem speciei supplens. Confirmatur. Intellectus necessariò debet in actu constitui ad Deum quidditatiuè cognoscendum; sed non constituitur in tali actu, nisi per Diuinam essentiam in ratione speciei & formæ intelligibilis vnitam; ergo necessariò datur hæc vnio secundùm rem. Minor probatur, quia ex Aristotele, intellectus in actu est intelligibile in actu; sed intellectus creatus nequit fieri ipsa res intellecta, quæ est Deus, nisi per similitudinē Dei quidditatiuam, vel per ipsam Diuinam essentiam in ratione speciei vnitam: ergo cùm primum non sit possibile, restat secundum. Rursus. Res, quæ esset suum esse in genere rei, ipsamet esset, & quod est, & quo est; sed Deus est suum esse in genere intelligibilis: ergo & est, quod intelligitur quidditatiuè, & quo intelligitur tãquàm specie. Denique hæc conclusio potest confirmari rationibus conclusione præcedente adductis, & ampliùs corroborabitur Disput. 4. sequente.

27 Vnde constat, reijciendam esse vt falsam quorūdam recentiorum sententiam, qui opinantur, quando obiectum est præsens, & intra potentiam, non requiri speciem, neq; aliquid habens rationem speciei, quia obiectum sua præsentialitate est sufficiens terminare & determinare potentiam. Quare cùm Deus substantialiter sit intra intellectum beati, non indiget speciē determinante. Sed isti sine dubio falluntur, existimantes speciem impressam solùm poni, vt suppleat vicem obiecti absentis, & extra potentiam existentis, cùm tamen proprium, & per se munus speciei sit, determinare potentiam vt principium, vel comprincipium ad attingendum obiectum per actum secundum: & ita secundùm rectam Philosophiam & Theologiam, licèt Angelus sit sibi præsentissimus, nihilominùs priùs intelligitur vt determinans suum intellectum tanquàm principium ad cognoscendum seipsum, quàm vt obiectum actu terminans. Et ita contingit in beatis, quòd cùm intellectus eorum tendat in Deum, & per speciem creatam determinari non possit, determinabitur per essentiam Diuinam in ratione speciei, & principij vnitam. Itaque Diuina essentia in intellectu beati duplicem habet rationem, videlicet, & principij, & obiecti: quatenùs obiectum terminat cognitionem: quatenùs verò principium, determinat ad visionem. Vnde quatenùs principium, nondum beatificat, nisi duntaxat initiatiuè: at verò inquantùm obiectum, satiat, & beatificat potentiam intellectiuam, & animæ appetitum.

Tertia Conclusio. §. V.

28 EX Hac vnione Deitatis in ratione formæ intelligibilis perficitur intellectus Creatus perfectione quadā absoluta, quamuis acquirat relationem realem, quæ in ista perfectione fundatur. Prima pars assertionis probatur. Intellectus est potentia absoluta ordinata ad intelligendum: ergo perfectio, quæ illum determinat, erit etiam absoluta. Probatur consequentia; quia potentia absoluta nequit primo & proximè actuari nisi per actum absolutum. Confirmatur. Deitas vnitur, & perficit intellectū in ratione actus primi, ergo perfectio inde resultans erit absoluta. Probatur consequentia; quia actus & potentia debent esse in eodem genere: ergo cùm intellectus beati, & Deitas in hac consideratione comparentur, vt potentia absoluta, & suus actus, erunt in genere absoluto, & ex consequenti perfectio proueniens à Deitate erit absoluta. Itē; quia illa perfectio est determinatio intellectus ad intelligēdum: ergo est absoluta. Patet consequentia: nam perfectio relatiua non determinat ad agendum, vel patiendum, sicut nec relatio, quæ non est actiua, vel passiua.

Secunda pars conclusionis probatur, nam per istam vnionem ordinatur intellectus, etsi in actu primo, ad Deum in ratione obiecti: ergo intellectus prout sic determinatus, ordinatur ad aliud, & ex consequenti acquirit relationem realem. Antecedens patet; quia constituitur intellectus beati in esse intelligibili, & quatenus potentia tendit proximè ad attingendum obiectum; ergo secundùm quòd sic actuata, tendit in Deum, vt est 29
obiectum. Præterea. In omni vnione reali resultat relatio realis, vel in vtroq; extremo, vel in altero tantùm, si nō sint eiusdem ordinis; ergo etiam in ista vnione, quæ est realis, vt constabit Disput. 3. sequente. Antecedens patet inductione: & manifestatur in vnione ineffabili humanitatis ad Verbum, in qua, licèt ex parte Verbi non resultet relatio realis, quia Verbum nullam habet dependentiam ab humanitate; in humanitate verò resultat relatio realis, quia verè perficitur, & actuatur ex vnione ad Verbum: ergo etiam in præsenti licèt Deus, qui ab intellectu beati non pendet, realem relationem non acquirat: intellectus tamen, qui verè & realiter perficitur, realem comparat habitudinem. Sed de hoc vberior erit sermo Disput. 3. sequente. 30

Quarta Conclusio. §. VI.

INtellectus propriè loquendo per huiusmodi vnionem nullum esse acquirit. Probatur, quia modus causæ, & determinatio agentis ad agendum non est propriè esse causæ, sed supponit esse causæ, & agentis: sed Deitas in ratione formæ intelligibilis vnita intellectui, tribuit illi solam determinationem ad videndum Deum: ergo nullum confert esse, sed modum tantùm essendi, qui supponit ipsum esse in causa. 31

Secundò probatur. Essentia Dei per seipsam potest intellectum ad intelligendum perficere: ergo habet rationem & officium speciei, nullum esse conferens intellectui. Antecedens probatur; quia seipsa est summè intelligibilis, seipsa est quicquid est, seipsa etiam est veritas pura, & summa actualitas in genere intelligibilium: ergo seipsa potest intellectū perficere in ratione speciei. Quod enim habet species creata, illud participat à Diuina Essentia, vt à Summo intelligibili, & Prima Veritate, Summaq; actualitate Prima verò consequētia huius argumenti probatur. Quod per seipsum potest aliud perficere, & determinare ad agendum, non indiget aliquo esse medio, quod ab illo causetur, & distinguatur, vt V. G. lux non indiget aliqua alia qualitate, 32

aut

aut aliquo esse distincto alterius accidentis ad illuminandum; ergo &c. Hæc ratio est D. Thomæ. 3. contra gentes cap. 51. & explicatur exactè à Ferrariensi, qui ex doctrina D. Thomæ ibidem colligit discrimen inter Essentiam Diuinam vnitā intellectui, & speciem creatam etiā intellectui vnitam, quòd species creata actuat intellectum per aliquid aliud à se distinctum, quod sit effectus illius, videlicet per esse, vel per inexistere ipsius speciei, quod sanè esse est quasi effectus ipsius speciei accidentalis, & diuersus ab illa, cùm nihil creatum sit suum esse; Deus verò actuat intellectum absque aliquo esse medio distincto à sua Diuina Essentia, quæ est suum esse.

33 Vt autem hoc discrimen apertiùs intelligatur, aduertendum primò est, speciem creatam, cùm sit forma accidentalis, inhærere intellectui. Quòd si inhæret, necessariò præstat subiecto suum esse, vel suum inexistere. Si verò præstat suum esse, cùm supponitur intellectus, iam etiam supponitur aliquod esse medians inter intellectū & ipsam speciem formaliter, & quidem istud esse, quod supponitur, distinguitur ab ipsa specie, quæ non est suū esse.

34 Secundo notandum est, quòd speciem inhærere, & & inexistere, atque informare, arguit imperfectionem in modo essendi ipsius speciei; & hæc duo considerata manifeste inferunt, quòd esse speciei creatæ est diminutum & dependens, & consequenter officium illius, scilicet, determinare intellectum, conuenit cum dependencia à tali esse inhærentiæ, atque adeò erit imperfectum. Hoc supposito sic formatur ratio D. Thomæ. Diuina essentia est suum esse, & est summè intelligibilis; ergo determinat intellectum independenter ab aliquo esse medio, quod causetur ab ipsa diuina essentia, & à quo essentia pendeat in ratione speciei. Probatur consequentia, quoniam si vt perficiat, & determinet intellectum in actu primo intelligibili, indiget aliquo medio esse: ergo pendet à tali esse medio in hoc, quod est determinare intellectum, & per consequens esse Dei, & ratio speciei illi conueniens, & eius officium, essent dependentia ab aliquo extra Deum, ac propterea ratio, qua Deus intellectui beato vnitur, esset imperfecta, & diminuta.

35 Confirmatur. Si in hac Vnione essentia Dei tribuit aliquod esse intellectui, vel illud esse est substantiale, vel accidentale. Si primum: ergo ex hac vnione intellectus haberet esse substantiale, quod est chimericum; imò verò per esse diuinum existeret, quia Deus seipsum vniens nullum esse substantiale medium producit. Si secundū; ergo datur aliquod accidens medians inter Deum in ratione speciei vnitum, & ipsum intellectum, ratione cuius Deus clarè videretur. Probatur cōsequentia, quia omne esse accidentarium respondet alicui formæ accidentali. Sed consequens est falsum, quia si daretur aliquod accidens medians, iam Deus immediate non vniretur intellectui, imò etiam vniretur dependenter ab aliquo medio extra se, & posset vere dici, quòd tale accidens proximè determinat intellectum ad videndum, ac proindè diceretur species intelligibilis creata.

36 Vnde constat, in Vnione speciei creatæ duas Vniones esse considerandas, alterā in esse rei, quatenus illud accidens informat, & tribuit subiecto suum esse reale. Alteram vero in esse intelligibili, quatenus determinat intellectum ad formaliter intelligendum: cæterùm in Vnione Dei cum intellectu, vnica tantùm vnio est cōsideranda, nempe, intentionalis, prout determinat intellectum ad videndum.

37 Sed contra hoc obijcitur. Omnis forma priùs dat esse, quàm operari: ergo prius vnitur in ordine ad esse, quàm ad operari: Sed Deus vnitus intellectui in ratione speciei intelligibilis, habet se vt forma in esse intelligibili: ergo priùs vnitur intellectui in ordine ad esse, quàm ad operari. Ergo priùsquàm intellectus videat Deum, debet esse Deus. Confirmatur primò: quia esse præsupponitur antè operationem, sicut ante actum secundum præsupponitur actus primus, ergo antèquàm intellectus eliciat visionem Dei, debet constitui in esse Deifico, atque adeò debet esse Deus. Confirmatur secundò ex Auerroe. 3. de Anima dicente, ex intellectu & specie fieri magis vnum, quàm ex materia, & forma: quia ex materia & forma fit vnum tertium, materia verò non fit forma, neque è contrario. Intellectus verò fit ipsum intelligibile, atque adeò priùs naturā intellectus fit leo. V.G. quàm intelligat leonem; ergo videns Deū priùs naturā est Deus, quàm videat Deum. Confirmatur tertiò: quia noua operatio non est sine nouo esse: ergo nequit esse noua visio, quin præcedat nouum esse, ac proindè per Vnionem huiusmodi Dei cum intellectu in ratione speciei, acquirit intellectus aliquod esse Diuinum.

38 Caietanus. 1. p. q. 12. art. 2. ad 3. Affirmat, Vnionem Dei in ratione speciei intelligibilis duplicem Vnionem continere, alteram ad esse, alteram vero ad operari, & Vnionem ad esse præsupponi Vnioni ad operationem: & per illam recipere intellectum in se esse Diuinum, nō quidem in esse rei, sed duntaxat in esse intelligibili. Cæterùm hæc Responsio Caietani non probatur alijs Theologis, & ab omnibus reijcitur, quia illa Vnio quæ fingitur à Caietano in ordine ad esse, est impossibilis, cōstat enim ex Philosophia, nullam Vnionem esse possibilem in ordine ad esse, nisi formæ cum materia, naturæ cum supposito, accidentis cum subiecto; sed nulla ex his, neq; alia in scholis cognita reperitur inter Deū & intellectū: ergo &c. Præterea. Si intellectus beatus ex hac Vnione acquirit esse diuinum intelligibiliter, vel illud esse est reale, vel non. Si non est reale, nihil refert, vt intellectus supposita illa Vnione intelligere possit, & ablata non possit. Si autem est reale; ergo vel increatū, vel creatum. Si est increatum, peto, quid noui aduenit propter quod, illud esse modò sit esse intellectûs beati, & antea non fuerit esse illius. Si autem est creatū: ergo est accidens intellectui, in quo recipitur, ac proinde erit species, quam negat Caietanus. Vel certe erit aliud accidens supernaturale, & tunc debet Caietanus explicare, quodnam accidens sit, & quare non sit species.

39 Ad argumentum ergo distinguendum est antecedens: si enim intelligatur de forma in esse rei, quæ propriè dicitur forma, & est pars rei in essendo, sic antecedens est verum: sed Deus hoc modo nequit esse forma, sed solū in esse veri, seu intelligibilis obiecti, ac proinde non dat priùs esse, quàm operari. Itaque non priùs vnitur in esse rei, & deinde in esse cognoscibilis, sed solùm vnitur intellectui in esse intelligibili sine aliqua priore Vnione reali in esse rei. Vnde antecedens est verum de forma in ordine ad esse, falsum verò de forma, cum ex-

trinsecè duntaxat est forma, vt principium determinâs ad operationem.

40 Ad primam confirmationem Resp. antè operationem præsupponi esse causarum, quæ operari debent; sed nō præsupponi, quòd vna causa informet aliam, & tribuat illi esse. In præsenti ergo antè productionem visionis beatificæ supponitur esse Dei, & eius præparatio ad concurrendum in ratione speciei intelligibilis, & supponitur intellectus beati, sed non supponitur, intellectum informari, & recipere nouum esse intrinsecum alicuius speciei.

41 Ad secundam confirmationem concedendum est, ex intellectu & specie fieri vnum in esse intelligibili, & magis vnum, quàm ex materia & forma; quia intellectus non acquirit intelligibile, sicut materia acquirit formam: materia enim & forma manent distinctæ & vna non transit in aliam; intellectus verò per speciem transit in ipsum intelligibile, & ipsum intelligibile quodāmodò imbibitur in ipso intellectu: & ita in præsenti intellectus beatus transit in Deum, & fit Deus, & Deus quodammodò imbibitur in intellectu, eum quo non constituit vnum in esse reali (hoc enim conuenit speciei creatæ per accidens, & materialiter, per se autem conuenit illi, vnîri in esse intelligibili per Vnionem quandam respectiuam in ordine ad obiectum) sed tantùm in esse intelligibili in ordine ad Deum, per hoc scilicet, quod Deus assistit intellectui, & est præsens illi, & in eo quodāmodò imbibitur. Hoc verò nihil aliud reale est, quàm Deum esse coniunctum, & intimè vnitum intellectui in ratione speciei intelligibilis, & nihil aliud distinctum resultat. Et quemadmodùm in mysterio Incarnationis per Vnionem Verbi cum humana natura resultat, Deum esse hominem, & hominem esse Deum realiter: ita ex hac Vnione Dei cum intellectu nihil aliud resultat, nisi quòd intellectus transformetur in Deū, & fit Deus intelligibiliter, absque vlla priori Vnione in esse rei.

42 Ad tertiam confirmationem, Resp. nouam operationem esse posse, si aliud agens concurrat liberè, quod anteà non concurrebat, quamuis non sit nouum esse. Et aliàs ad nouam operationem requiritur aliquod nouum esse aut virtutis effectiuæ, aut saltem applicationis, vel alterius conditionis.

43 Sed contra superiùs dicta est argumentum. Ex hac Vnione Dei cum intellectu perficitur intellectus perfectione absoluta, vt ostensum est in tertia conclusione: ergo inter Deum, & ipsum intellectum mediat aliquod accidens nouum, & absolutum, & per cōsequens nouum esse ipsius accidentis. Patet consequentia, quia ista perfectio absoluta, est accidens absolutum. Confirmatur: quia intellectus beatus est in seipso actuatus ab essentia Dei; ergo ex tali Vnione Dei aliquid habet, quod anteà non habebat. Sed istud, quod habet de nouo, non est substantia, ergo est accidens. Respondetur, quòd intellectus beati dicitur habere nouam & absolutam perfectionem, quia habet nouā determinationem in ratione potentiæ intellectiuæ, non autem quia habeat nouam formam: hæc autem determinatio nihil aliud est, quàm quidam modus se habendi ipsius intellectus, qui ab illo entitatiuè non distinguitur, quamuis formaliter inter se differant, sicut potentia & modus potentiæ. Itaque intellectus beatus ex Vnione Dei non acquirit nouam formam denuò informantem, sed aliter se habet, & proximè disponitur, atque fit potens videre. Quæ loquutiones solùm denotant diuersum modum se habendi, qui absque aduentu noui accidentis, aut formæ informantis potest conuenire. Exemplum est in Christi humanitate, quæ ex Vnione ad Verbum dicitur completa, & perfecta, & similiter ad actum extra causam redacta, & tamen hæc perfectio non dicit aliquam mediam formam, aut nouum accidens inter subsistentiam Verbi, & ipsam humanitatem, quia nulla talis forma est, sed diuinum esse, & Personalitas Verbi immediatè perficiunt, & complent potentiam naturæ ad existendum, & subsistendum. Solùm ergo ista perfectio ex parte naturæ dicit nouum modum, & nouā terminationem. Similiter in Physicis, materia & quoduis subiectum in aduentu formæ perficitur, & completur; hoc autem, quod est materiam esse completam, & perfectam, absolutè non dicit nouum esse medium inter formam & materiam, sed nouum modum & nouam determinationem materiæ non distinctam entitatiuè ab illa. Item agens, quando actu operatur, secundū cōmunem sententiam non recipit nouam formam, neque nouum esse medium, & tamen in seipso perfectum est, & determinatum actu, & completum, quia reductum de potentia ad actum. Ista verò perfectio agentis dicit solùm nouum modum & habitudinem ipsius ad formam productam. Ita in præsenti intellectus dicitur perfici à diuina essentia, non quia recipiat nouum esse medium, sed quia habet nouum modum, & nouā determinationem nō distinctam entitatiuè ab illo. Multa alia ad hanc rem pertinentia dicentur Disputatione sequente.

Soluuntur argumenta principalia. §. VII.

PRIMVM argumentum tantùm probat, Deū nullo modo posse esse formam in esse rei intrinsecam creaturæ, tribuendo illi esse, sed non probat, quòd non possit esse forma in esse intelligibili. Maior ergo argumenti distinguenda est de forma in esse rei, vel in esse intelligibili. Priori modo, est pars rei in essendo cum altera componibilis, & efficit vnum tertium, distinctum saltem formaliter à componentibus: Posteriori modo non item. Ad primam confirmationem negatur antecedens, quia cum hæc Vnio non fiat in aliquo esse reali, sed tantùm in esse intelligibili per ordinem ad Deum, quatenùs Deus assistit intellectui, & est illi præsens, & in illo quodammodò imbibitur, nihil inde distinctum resultat, nisi quòd intellectus transformetur in Deum, & fit Deus intelligibiliter, vt dictum est in Responsione ad secundam confirmationem argumenti pro sententia Caietani. Ad tertiā confirmationem iam ostensum est in quarta conclusione, intellectum ex huiusmodi Vnione nullum esse acquirere, sed modum tantùm essendi, & nouam determinationem. 45

Ad secundum argumentum principale Resp. de ratione formæ intelligibilis esse, quòd perficiat intellectum, actuet, terminet, & ad intellectionem determinet, quod sine informatione fieri potest, & sine eo quòd aliquod esse reale tribuat intellectui. Ad confirmationem negatur antecedens. Et ad primam probationem illius negatur paritas rationis, quia in specie intelligibili 46

bili ordinis creati est duplex vnio considerãda, vt dictum est, vna in esse rei, & in hac vnione verè inhæret intellectui, & illi tribuit suum esse reale, tanquam accidens illius; vel vnitur, & coniũgitur Vnione quadam reali in esse entitatiuo, sicut essentia Angeli vnitur intimè cum proprio intellectu, tamquàm propria passio, & eius essentia: & primò intelligitur vt vnita in genere rei, & secundò in genere intelligibili. Alia verò est Vnio in ratione cognoscibilis, quatenùs species gerit vicem obiecti, & est similitudo impressa illius. Et hæc secũda Vnio præsupponit primam. Cæterùm in Vnione Diuinæ Essentiæ cum intellectu non considratur nisi vnica duntaxat Vnio, nempe, intentionalis, quatenùs determinat intellectum ad videndum. Vnde Diuina Essentia non habet rationem accidentis, neque formæ actuantis, & informantis in aliquo esse reali & naturali; neque habet aliquam Vnionem cum intellectu nisi in esse intelligibili, & actuat solùm in esse intelligibili, ac proinde nullum præstat esse reale, quod præsupponatur esse intentionali, & intelligibili.

47 Ad secundam probationem antecedentis Resp. quòd Deus Vnitur in ratione speciei, & actus primi seclusis imperfectionibus, & seclusa omni potentialitate ex parte Essentiæ determinantis. Quare non dicitur Deus actus primus, quasi complebilis per actum secundum, sed quia præstat primam potentiæ determinationem, quæ completur in actu secundo: atque adeò nullo modo cōcedendum est, quòd Deus in ratione speciei, & principij vnitus perficiatur.

48 Ad replicam contra solutionem in argumento assignatam Resp. Deum esse actũ intra potentiam, eamq; intrinsecè perficere ad modum explicatum in quarta conclusione, quia scilicet præstat modum, & determinationem ad agendum, non verò tribuit formam. In quo sensu verum est, quod docet Caietanus loco citato, quòd species confert specificationem potentiæ & intellectioni, quod etiam conuenit Deo in ordine ad visionem beatã, nã re vera talis visio specificatur à suo principio formali, quod est Diuina Natura, non quia hæc absolutè sumpta aliquid creatum specificet; quoniam vt sic est infinita, atque adeò neque specificat, neque specificatur: sed quatenùs determinat intellectum modo limitato ad visionem diuinam.

49 Ad tertium principale Resp. ex ista Vnione non resultare aliquod tertium, sed solùm resultare hoc, quod est, intellectum esse determinatum, & aliter se habere. Vnde D. Thomas in hoc articulo dicit, Naturam Diuinam & intellectum nō vniri in essentia & natura, quia ex ista Vnione non resultat tertia essentia, aut substantia. Ad exemplum verò de medium huius Vnionis est exemplum in Vnione puncti, & lineæ, quæ coniungun tur, non vt constituant tertium, sed vt determinetur, & compleatur linea. Similiter in Angelo assistente cælo, ex cuius Vnione nō resultat tertium, sed cælum manet determinatum ad agendum.

50 Quòd si obijciatur illud Auerrois. Ex intellectu & specie intelligibili fit magis vnum, quàm ex materia & forma; sed ex materia & forma resultat quoddam vnum, ratione cuius dicuntur vniri: ergo ex Diuina Essentia & intellectu resultat aliquod vnum tertium, ratione cuius vniantur. Patet consequentia, quia cũ Dei Essentia habeat rationem speciei, debet fieri magis vnũ cum intellectu, quàm materia cum forma. Resp. tamē, quòd intellectus & species dicuntur fieri magis vnum, quàm materia & forma; quia coniunguntur secundùm esse simplicius, videlicet, intentionale & intelligibile: minus enim habent compositionis, & multiplicitatis, quæ intelligibiliter iunguntur, quàm quæ in esse Physico, vt materia & forma vniuntur. Secundò: quia taliter vnitur species intellectui, quòd præstat illi suam rationem & denominationem: nam intellectus informatur specie hominis, dicitur homo; & intellectus actuatus per Essentiam Diuinam, suo modo fit Deus. Materia verò, quamuis actuetur per formam, non tamen est forma. Hæc autem differentia prouenit ex diuersa ratione potentialitatis, quæ in intellectu reperitur respectu speciei, & in materia respectu formæ: nam potentialitas intellectus est in præstantissimo genere essendi, nempe, in genere intelligibili, & ita perfectam Vnionem exposcit in suo genere, vt debitè perficiatur. Ex quo Aristoteles, & omnes Discipuli illius non solùm fatentur, intellectum esse omnium speciorum receptiuum, sed etiam omnia fieri posse. At verò materia, quæ est primum subiectum, & imperfectissima potentia, non ita perfectibilis est, quòd fiat vnum cum suo perficiente, sed taliter quòd à forma recepta recipiat esse, & simul cum illa vnificetur in tertia Vnitate resultante. Vnde si species intelligibilis, & intellectus vnirentur in tertia Vnitate & natura, minùs vnum essent, quàm si vniantur vt modò vniuntur.

Ad cõfirmationem Resp. quòd si Vnio sumatur pro actione, id est, pro Vnitione, est aliquid substantiale, tenens se ex parte Dei, & in ipsa Diuina Essentia. Si verò accipiatur pro Vnitate, quam intellectus ex tali Vnitio ne sortitur, est accidens: & similiter si sumatur pro relatione inde insurgente. Sed ex hoc non sequitur, quòd Diuina Natura præstet aliquod esse medium, quando vnitur in ratione speciei, vt explicatum est in quarta conclusione, & apertiùs constabit Disputatione sequente. 51

Ad quartum principale Resp. cum M. Banes. 1. p. q. 12. art. 2. Dub. 2. ad. 3. de ratione speciei intelligibilis creatæ esse quidem, quòd sit similitudo rei intellectæ, non tamen de ratione speciei intelligibilis vt sic, de cuius ratione est, quòd sit forma intelligibilis, intimè intellectui assistens. Sed quia non omnis species intelligibilis creata est similitudo rei intellectæ, vt patet in specie, qua Angelus se intelligit: ideò aliter Resp. de ratione speciei intelligibilis esse, quòd sit ipsa res intellecta, quando res ipsa est intelligibilis in actu, & per se, vel illius similitudo, vt cùm res est materialis, & non actu intelligibilis, & sic intelligenda est Aristotelis propositio, videlicet, quando res est materialis. Secundò. De ratione speciei intelligibilis ab obiecto causatæ & impressæ est, similitudinem esse obiecti, non tamen de ratione cuiusque speciei, quæ interdum non est effectus obiecti, sed ipsummet obiectum. Tertiò dici potest, de ratione cuiuscumque speciei intelligibilis vt sic esse, quòd assimilet potentiam & intellectum rei intellectæ, cùm omnis cognitio per assimilationem fiat, & intellectus debeat fieri res intellecta non secũdùm se, sed secundùm assimilationem. Ad hoc autem necessarium non est, speciem esse formaliter similitudinem rei intellectæ, sed etiam si sit res ipsa intellecta, quòd vniatur intellectui, 52

53 intellectui, non secundùm esse naturale, sed secundùm esse intelligibile, quo non constituit intellectum rem intellectam in esse naturali, sed in esse intelligibili: quod est esse quoddam simile illi esse naturali. Essentia igitur Diuina assimilat intellectum Deo cognito, & efficit ipsum intellectum Deum quodammodò in esse quodam intelligibili: quod est esse similem Naturali esse Diuinæ, ita vt Diuina Essentia intellectui vnita intimè, cõstituat intellectum Deificatum, Deo similem, & participem Diuinæ Naturæ.

54 Ad confirmationem Resp. nõ esse de ratione speciei intelligibilis, vt sic, esse imaginem & exemplarum; sed hoc esse de ratione duntaxat speciei ab obiecto productæ. De ratione verò speciei absolutè est, vel esse ipsam rem cognitam, vel illius imaginem, ita vt illæ conditiones in argumento adductæ sint conditiones speciei minùs perfectæ, repræsentantis rem imperfectam, quæ non est actu cognoscibilis: non verò sunt conditiones cuiusque speciei essentiales, & ita Diuina Natura rationem obtinet speciei, his imperfectionibus sublatis.

55 Ad quintum Resp. esse de intrinseca ratione speciei, quòd sit forma intellectus, non in esse naturæ, sed secũdùm esse intelligibile, & in ordine intelligibilium: in hoc ergo genere non repugnat Deo, esse formam, vt ostensum est ex D. Thoma. 3. contra Gent. cap. 51.

56 Sed obijcitur. Ergo Deus per seipsum supplere non potest vicẽ speciei intelligibilis creatæ, quod est cõtra superiùs dicta. Probatur consequentia. Deus supplere non potest vicem causæ formalis: sed species secundùm suam formalem rationem est forma intelligibilis secundùm esse intelligibile: ergo illud supplere nõ potest. Resp. causam formalem in esse rei & naturæ suppleri non posse à Deo, quia talis causa, cum eo cuius est forma, vnicam constituit naturã intrinsecè tanquã pars. Cæterùm forma intelligibilis non constituit vnam naturam cum intellectu, cuius est forma, sed illam tantùm ad intelligendum perficit. Supplere autem huiusmodi perfectionem non repugnat Deo, neque importat rationem partis constituentis aliquam naturam, neque aliam imperfectionem: est enim hæc causalitas formalis non ex sua ratione formali intrinseca, sed potest esse extrinseca. Vicem verò causæ formalis extrinsecæ, vel non necessariò intrinsecæ optimè potest Deus supplere. Non dico posse Deum cuiusq; causæ formalis extrinsecæ vicem supplere, nõ enim potest supplere vicem potentiæ vitalis, à qua pendet actus, tanquam à causa formali extrinseca, neque vicem obiecti, à quo pendet similiter actus extrinsecè, ita vt detur notitia aliqua intuitiua rei absentia, supplente Deo præsentiam obiecti, quod in Dialecticis ostenditur impossibile: sed cum duplex sit causa extrinseca formalis (omissa intrinseca) vna, quæ intrinsecam & essentialem habitudinem terminat, vt in exemplis adductis de potentia vitali, & obiecto, hæc suppleri non valet, quia consequenter suppleretur intrinseca causa formalis, quod repugnat. Altera verò, quæ constituit rem in actu ad quidpiam operandum, non quidem in actu essentiali, sed accidentario, quæ causa formalis tantùm habet potentiam perficere, vt tali operationi apta sit & proportionata. & hæc à Deo suppleri optimè potest.

57 M. Bañes 1. p. q. 56. art. 1. Dubio. 1. ad argumenta, Respondet, de ratione speciei intelligibilis non esse, vt sit forma intelligibilis in rigore loquendo, sed tantùm quòd habeat modum quendam formæ intelligibilis, & ad modum formæ se habeat, quod quidem sine inhærentia, & informatione compositiua præstari potest: ita vt licèt species creata intelligibilis sit verè & propriè forma intelligibilis; hoc tamen non sit de Essentia & ratione formali speciei, sed duntaxat, quòd ad modum formæ se habeat. Et hoc significauit D. Thomas q. 8. de Veritate art. 1. dicens, Diuinam Essentiam habere se vt formam intellectus beati: quasi diceret, non esse formam, quæ est pars rei in essendo, sed quòd ita se habet in intelligendo, sicut forma, quæ est pars rei in essendo.

Tertiò Respondetur ad argumentum quintum, de 58
ratione speciei intelligibilis solùm esse, quòd sit actus, non informans, sed actuans, terminans, & determinans. Actuare autem sine informatione fieri potest, vt patet in puncto terminante, & actuante lineam, cuius non est forma: & in subsistentia Diuina actuante naturam humanam, cuius similiter non est forma. Non ergo est de ratione speciei intelligibilis ratio formæ, sed ratio actus duntaxat.

Ad sextum, quod est replica contra has solutiones, 59
Resp. nihil posse transferri de potentia ad actum intrinsecum, nisi per intrinsecam ipsius actus susceptionem, bene tamen posse transferri de potentia ad actũ extrinsecum sine illius susceptione, per hoc tantùm, quòd terminet, & determinet potentiam, sicut natura humana constituta est in actu in Christo per Diuinam existentiam, & subsistentiam, extrinsecè, sine ipsius intrinseca susceptione & informatione. Sed quia argumentum cõtendit, implicare contradictionem, quòd sit actus, & sit extrinsecus, ideò Resp. Secundò cum Ferrar. 3. contra Gent. cap. 51. circa finem, Diuinam Essentiã, quãuis non sit intrinseca intellectui, tanquam pars, vel forma inhærens, esse tamen intimam ipsi intellectui, & intrinsecè assistentem, non omninò extrinsecam, sicut vna creatura alteri non vnita secundùm suppositum, omnibus modis censetur extrinseca: quia intimè adesse non potest. Deus autem intimè assistit intellectui, & est cum intellectu, & in intellectu per essentiam, & præsentiam.

Tertiò Respõdetur ex eodem Ferrar. quòd cùm ac- 60
tus, vel actuans non est suum esse, tunc nihil potest per talem actum actuari, nisi ab illo aliquod intrinsecum esse suscipiat, sicut non potest corpus actu album per albedinem constitui, nisi ab illa formaliter & intrinsecè aliquod esse accidentarium suscipiat, quo albũ cõstituatur. Verùmtamen quando actus est suum esse, vt Diuina Essentia, potest per seipsum actuare intellectũ, absque eo quòd illi esse aliquod formaliter tribuat.

Quartò Resp. etiam admisso, quidpiam non posse 61
de potentia ad actum in esse naturali transferri, nisi per aliquid intrinsecè susceptum, vt constat in exemplis adductis in argumento, rectè tamen posse transferri de potentia ad actum in esse intelligibili sine aliqua susceptione: quia forma & actus secundùm esse intelligibilis non constituit vnam aliquam naturam cum potentia, nec aliquod esse intrinsecum tribuit, sed tantùm terminat, & determinat potentiam ad cognitionem, intimè assistit potentiæ, cum qua obiectum intimè vnit, facitq; illud præsens secundùm esse intelligibile:

quæ

quæ omnia absque eo quòd actuans in intellectu suscipiatur, intrinsecè informando, intelligi rectè possunt.

62 Quintò Resp. actum, & reducens de potentia ad actū in genere causæ formalis, debere esse intrinsecum, & susceptum in re, quam actuat: non tamen actuans in genere causæ efficientis. Et huiusmodi actualitas, & actuandi ratio competit Deo in ratione speciei vniti, actuat enim potiùs effectiuè, quàm formaliter. Alij denique respōdent sextò, actum propriè & in rigore, necessariò debere esse intrinsecam formam: id verò, quod se habet per modum actus, & non est propriè actus, sed terminans & determinans, non esse necesse, sit intrinsecum & informans: & ad istum modum se habet Deus in ratione speciei vnitus; vt cōstat in Diuina Subsistentia respectu humanitatis in Christo.

63 Ad primam confirmationem Resp. esse actum propriè & in rigore, idem esse, quod esse formam, cæterùm habere se ad modū actus terminando, & determinādo potentiam ad aliquam operationem extrinsecè, etsi intimè, non est esse formam, sed esse terminū, quod sine informatione intelligi potest. Item esse actum formalem, in toto rigore est esse formam; at esse actum potiùs effectiuè, nullam informationem innoluit. Intellectus autem dicitur potentia passiua, & est talis in quacumque intellectione secundùm ordinem naturæ, & prout recipit speciem tanquàm formam, & quatenùs actum, quem efficit, suscipit: intellectio enim, quamuis sit actio, est tamen immanens, & informans potentiā, à qua producitur. Respectu autem visionis beatificæ intellectus est actiuus, quia effectiuè producit visionem, non tamen est actiuus respectu speciei, quam suscipit.

64

65 Ad secundam confirmationem patet Responsio ex dictis in solutione ad primum. Et quidem si vera est sententia quorundam Thomistarum, quòd species intelligibilis etiam creata, & ab obiecto producta, non est formalis, & actualis similitudo, sed habitualis & causalis; negatur, per speciem creatam intellectum formaliter assimilari rei cognitæ, sed causaliter; id est, constituitur in actu potens causare similitudinem formalem, quæ est Verbum, vel saltem actum terminatum ad ipsam rem intellectam, vel ad eius similitudinem.

66 Secundò Resp. ex D. Thoma de Veritate q. 8. art. 1. ad. 7. Ad cognitionem ideò requiri assimilationem, vt cognoscens aliqualiter cognito vniatur. Perfectior verò est vnio, qua ipsum cognitum vnitur per suam essentiam intellectui, quàm illa, qua vnitur per suam similitudinem, & ideò, quando illa adest, non est hæc posterior necessaria. Tertiò Resp. in omni sententia, intellectum Deo assimilari per essentiam in ratione speciei vnitā, eo quòd per talem vnionē deificatur, & efficitur quodammodò Deus: at vt deificetur, necessarium non est, vt id, quod intellectui vnitur, sit Dei similitudo, sed longè perfectiùs id præstatur per ipsam Dei Essentiam, ex qua vnione oritur quædam similitudo proportionalis, quòd sicut Deus seipso per suam essentiam intelligit, sic beatus Deum per Diuinam Essentiam intuetur. Et sicut Diuina Essentia secundùm modum significandi significatur vt forma Dei secundùm esse naturale, ita in esse intelligibili sit forma, vel habeat formæ intellectualis modum.

67

68 Ad septimum Resp. cum M. Bañes loco citato q. 12. ad. 5. esse actum primum, vt importat imperfectionem causæ formalis informantis potentiam, quā ad actum reducit, & causæ materialis recipientis actū secundum, vel potentialitatis actuandæ per actum secundum, cōpetere quidem speciei intelligibili creatæ, non tamen competere per se primò speciei intelligibili vt sic, neq; esse de illius ratione, sed creatæ competere ratione imperfectionis, quam in se includit. Si verò esse actum primum, sumatur pro hoc, quod est, vicem supplere actus primi, quantùm ad Vnionem obiecti cum potentia, sic nullam importat imperfectionem, & Essentiæ Diuinæ competere potest. Esse autem de ratione speciei, quòd sit actus primus, nihil aliud esse, quàm vnire obiectum cum potentia in esse cognoscibilis. 69

Alij Thomistæ negant, de ratione speciei intelligibilis esse, quòd sit actus primus, sed id duntaxat conuenire speciei, quando potentia nō habet aliunde aliquod constituens in actu primo. At cùm intellectus ad visionem beatificā constituatur sufficienter in actu primo per lumen gloriæ, ideò Diuina Essentia in ratione speciei vnita non habet rationem actus primi. Si autem illis obijciatur D. Thomas. 1. p. q. 12. art. 2. ad. 3. Vbi dicit, Diuinam essentiā facere intellectum in actu, quod necessariò est intelligendum de actu primo, quia in actu secundo non constituitur intellectus beati per Diuinam Essentiam, sed per actualem considerationem, & per ipsam visionem: Respondent, ideò D. Thomam docere, Diuinam Essentiam per seipsam constituere intellectum in actu primo, quia per seipsam vnit intellectui beato obiectū beatificæ visionis, quæ quidem vnio, cùm prærequiratur intrinsecè ad actū secūdū, scilicet, visionē, tenet se ex parte actus primi, & solet appellari actus primus. Hoc autē nō est cōstituere intellectū in actu primo simpliciter, & ex consequenti nihil potentialitatis ponit in Diuina Essentia vnita in ratione speciei. Hæc Responsio est valde probabilis præsertim in ea sententia, quæ asserit, Diuinam Essentiam in ratione speciei vnitam non concurrere effectiuè ad productionem visionis, quod Disputatione. 6. examinabitur. Sed in contraria opinione, quæ docet concurrere effectiuè, hæc responsio est falsa: & necessariò dicendū est, Essentiam Diuinam constituere intellectum in actu primo seclusis imperfectionibus. Etenim in actu primo coincsumq; rei creatæ est aliquid perfectionis, nempe, ratio actus, & aliquid imperfectionis, quod est ratio quædam potentialitatis; in Deo autem reperitur ratio actus dempta imperfectione potentialitatis. 70 71 72 73

Secundò Resp. quòd actus primus, siue constitutio intellectus in actu primo nullam includit intrinsecè imperfectionem, sed potiùs in sua ratione perfectionē importat, scilicet, intellectum determinare, actuare, & in suo complemento, & efficacia constituere, vimque tribuere ad actum secundum causandum; ità vt actus primus ad secundum comparetur, vt causa efficiens ad effectum: hæc verò comparatio non est imperfectionis ad perfectius, potentiæ ad actum, sed potiùs è contra perfectioris, & actualioris ad id, quod est minùs perfectum, & minùs actuale. Et si in speciebus creatis adiungatur huic causalitati effectiuæ causalitas formalis cū informatione, & materialitas quædam potentialis per actum secundum actuanda; sed id non includit necessariò actus primus, ita vt illa determinatio, Primus, non magis includat imperfectionem, quàm illud determinabile, 74 75

nabile, Actus, ſed primus importat cauſalitatem effectiuam reſpectu ſecundi. Quare cùm ratio actus primi nullam importet imperfectionem, non repugnat, Diuinam Eſſentiam eſſe actum primum noſtri intellectus, vel habere ſe per modum actus primi.

76 Ad confirmationem Respondet M. Bañes loco citato. 1. p. q. 12. art. 2. Dub. 2. ad. 4. Quòd licèt conſtituere vnum cum intellectu cõpetat ſpeciei intelligibili creatæ, non tamen eſt de ratione intrinſeca ſpeciei intelligibilis, vt ſic. Sed contra ſolutionem eſt inſtantia Omnis ſpecies in vniuerſum debet vniri cum potentia, & omnes theologi id fatentur de Eſſentia Diuina, & eo ipſo quòd admittunt habere rationem ſpeciei intelligibilis in intellectu beati, docent cõſequenter eum illo vniri in ratione ſpeciei intelligibilis; ſed omnis vnio intrinſecè & neceſſariò ordinatur ad vnum, ex vnione enim vnum quid neceſſum eſt, reſultet; aliâs vnio non eſſet: ergo de ratione intrinſeca ſpeciei intelligibilis eſt, vt vniatur cum potentia intellectiua.

77 Reſpondetur ergo cum D. Thoma. 4. d. 49. q. 2. art. 2. ad. 8. & quæſt. 8. de Veritate art. 1. in corpore & ad. 5. non eſſe neceſſarium, vt Diuina Eſſentia in ratione ſpeciei vnita, conſtituat vnum cum ipſo intellectu ſecundum eſſe ſimpliciter, ſed solùm quòd fiat vnum, quantùm pertinet ad actum intelligendi. Quod expunens in corpore illius primi articuli in. 4. ait D. Thomas, fieri vnum ex Eſſentia Diuina & intellectu, non eſſe fieri vnum, ſicut ex materia & forma in naturalibus, ſed proportionabiliter ad illam vnitatem, ita vt Diuina Eſſentia ad intellectum ſe habeat, ſicut forma ad materiam; quoniam id, quod eſt perfectius, vnitum imperfectiori, ſemper ſe habet reſpectu illius ſicut forma ad materiam. Et ideo ſicut ex actu naturali, nempe, forma & materia fit vnum ens ſimpliciter, ita ex forma, qua intellectus intelligit, & ex intellectu fit vnum in intelli-
78 gendo. Hanc doctrinam explicat Ferrar. 3. contra Gent. cap. 51. Aſſerens de ratione ſpeciei intelligibilis eſſe, nõ quòd conſtituat cum intellectu vnum compoſitum, quod ſit aliqua vna natura ab vtroq; diſtincta, ſicut ex forma & materia conſtituitur compoſitum ab vtraq; diſtinctum, ſed quòd conſtituatur aliquod vnum, quod eſt ſpecies intelligibilis, & intellectus, vt ſunt vnita ad vnam operationem, quod vnum nihil aliud eſt, quàm intellectus in actu.

79 Poteſt & hoc apertiùs explicari cum M. Soto in. 4. d. 49. q. 2. art. 3. non eſſe de ratione ſpeciei intelligibilis, quòd conſtituat aliquod vnum ſecundùm eſſe naturale, ſed in eſſe intelligibili, & in ratione principij eiuſdem operationis, ita vt non conſtituatur ex ſpecie & intellectu vnicum ens, vnica aliqua natura ex vtroque compoſita, ſed vnicum principium vnius, eiuſdemque operationis, quod eſt vnicum conſtitui non in eſſe rei,
80 ſed in eſſe principij operationis. Deo igitur non repugnat vnicum quid cum intellectu conſtituere, nõ in eſſe naturæ & in eſſe rei, ſed in eſſe intelligibili, & principij operationis. Et huius ratio eſt, quia, vt docet D. Thomas illo cap. 51 citato, cõſtituere aliquod vnum in eſſe naturali, & rei, eſt aliquam vnam naturam ex vtroque
81 compoſitam conſtituere, quod Deo repugnat. At vnũ cum intellectu conſtituere in eſſe intelligibili, & principij operationis, nihil eſt aliud, quàm intellectum ad eliciendam intellectionem perficere, ipſumq; in actu conſtituere, quod ſine informatione fieri poteſt. Similem doctrinam de Eſſentia Angeli in ratione ſpeciei vnita tradunt Capreolus in. 2. d. 3. q. 2. ad. 1. Scoti contra quintam concluſionem, & Ferrar. 2. contra Gentes cap. 98. & communiter omnes Thomiſtæ id cenſent, vt refert M Bañez. 1. p. q. 56. art. 1. Dub. 1.

Octauum argumentum tangit ſpecialem difficultatem Diſputatione. 6. tractandam, ideò eius ſolutio in illum locum reponatur. 82

Ad confirmationem patet Reſponſio ex dictis. Dicendum ergo eſt, non eſſe de ratione intrinſeca actus, 83 quòd informet id, cuius eſt actus, præſertim ſi ſit actus in genere intelligibili, & habeat ſe per modum actus, & non ſit rigoroſè actus. Poteſt itaque actus ad hunc modum eſſe quid intrinſecum rei actuatę, neque actuare neceſſum eſt, ſit ſemper effectus formalis, quamuis habeat aliquem modum illius, ſed poteſt reduci ad cauſalitatem effectiuam, vt in Perſona Diuina reſpectu humanitatis aſſumptæ compertum eſt.

Obiectio autem contra ſolutionem ibidem propoſita petit, in quo conſiſtat hæc Vnio Diuinitatis cum 84 intellectu in ratione ſpeciei intelligibilis, de quo ſit Tertia Diſputatio.

TERTIA DISPVTATIO.

AD Maiorem intelligentiã huius Vnionis Deitatis in ratione formæ intelligibilis cum intellectu creato, dubitatur, An talis vnio ſit vera & realis, An rationis tantùm, ita vt Deum eſſe vnitum intellectui, & eſſe formam illius in eſſe intelligibili, importet aliquid reale ex parte intellectus, vel rationis dũtaxat. Videtur autem importare denominationem tãtùm rationis. Primò. Quod Deus ſit forma intelligibi- 1
lis intellectus, & illi vniatur, eſt mera denominatio ab extrinſeco, ſicut dextrum & ſiniſtrum in columna ſunt extrinſecæ denominationes ab animali deſumptæ, ita & intellectus ab extrinſeco denominatur Deo vnitus; ſed omnis denominatio præciſè ab extrinſeco eſt rationis, vt patet in columna: ergo & iſta &c. Maior probatur. Hæc vnio nihil reale ponit intrinſecum in intellectu ſuſceptum: ergo eſt ab extrinſeco. Antecedens patet: quia ſi aliquid poneret intrinſecum, eſſet quidem Diuina Eſſentia, ſicut id, quod animæ vnio intrinſecè tribuit corpori, eſt ipſa anima in corpore intrinſecè ſuſcepta: ſed Diuina Eſſentia in nullo eſt ſuſceptibilis, ſed permanet ſecundùm ſubſiſtentiam, & exiſtentiam ſeiuncta, atq; omnibus modis extrinſeca; ergo illa vnio nihil ponit intrinſecum &c.

Confirmatur. Omnis relatio, quæ nihil reale ponit 2
in re, quam denominat, nullumq; fundamentum reale intrinſecum exigit, eſt rationis, ſed huiuſmodi eſt hæc vnio: ergo. Minor probatur. Hæc vnio, ſicut & quæcumq; alia, relationem importat, & rurſus fundatur in ea actione, per quam Deus eſt Vnitus, quæ cùm non ponat Deitatem intrinſecè ſuſceptam in intellectu, neq; aliam entitatem denuò aduenientem, nihil certè conſtituit in intellectu.

Secũdò. Vnio Deitatis cũ intellectu in ratione ſpeciei 3
& formę intelligibilis, nõ eſt in natura, neq; in Perſona: ergo nõ eſt realis, ſed tãtùm ſecundùm denominationem rationis. Conſequentia patet ex D. Tho. art. 2. huius quæſtionis aſſerens omnem vnionem vel eſſe in natura,

vel

vel in Persona, ita vt in hæc duo mēbra sufficienter & adæquatè diuidatur vnio, atque adeò tenet consequentia à tota diuisione ad diuisum negatiuè. Antecedens est manifestum; quia illa vniuntur in natura, ex quorum coniunctione resultat aliqua vna natura, & essentia, vt docet D. Thomas in hoc articulo, quæ Vnio Deo repugnat, vt ostensum est Disput. 1. Illa verò vniuntur in Persona, quæ per eandem subsistentiam subsistunt, quorum vnum ad alterius subsistentiam trahitur; sed neq; hoc modo fit Vnio Dei cum intellectu: cùm neque Deus subsistat per subsistentiam intellectus creati, neque è contra: alias esset vnio hypostatica; ergo nulla est vnio realis Dei cum intellectu.

4 Circa præsentem difficultatem quidam Theologi affirmant, Deum intellectui vniri, nihil aliud esse, quā illi extrinsecè assistere, esseque illi præsentem, ita vt per suam existentiam & præsentialitatem vniatur Deus intellectui, per hoc solùm, quòd sit illi præsens. Ita videtur sentire Ferrar. cap. 51. citato circa finem in secunda responsione ad 1. Dubium, asserens, Diuinam Essentiam, cùm sit suum esse, per seipsam intellectum actuare, non tribuendo illi aliquod esse. Quò fit, vt si Dei Vnio nihil tribuat intellectui, Deum esse vnitum, nihil aliud est, quàm esse intellectui assistentem, & præsentem. In eadem sententia videtur esse M. Bañes. 1. p. q. 56. art. 1. Dicens, hanc Vnionem Dei cum intellectu nihil tribuere intellectui, quod ex parte illius se teneat, & sit in eo, ita vt tota huius Vnionis ratio referatur ad obiectum, & tota requiratur propter obiectum, vt intellectui sit intimè præsens. Vniri ergo Deum cum intellectu secūdùm hanc sententiam, nihil est aliud, quàm Deum effici intellectui præsentem in ratione obiecti cognoscibilis.

5 Cæterum hæc sententia, nec videtur vera, nec pro dignitate rem exponere, tum quia extrinsecam tantùm denominationem, ac proinde relationem rationis tribuit intellectui in hac Vnione, quod est maximum inconueniens: tum etiam, quia cùm Deus sit omnibus rebus præsens, & in quocumq; intellectu sit per suā præsentiam, non magis diceretur, neque esset intellectui beati vnitus, quàm alterius non beati. Si dicatur cū M. Bañes, hanc Vnionem non esse in ratione rei tantùm, quo pacto Deus est omnibus rebus præsens, sed in ratione obiecti intelligibilis, quo modo intellectui beati duntaxat vnitur.

6 Contra hoc ita replicatur, quia cùm hæc præsentia in ratione obiecti, non sit obiecti motiui, sed terminatiui, iam talis vnio non esset in ratione speciei, sed in ratione Verbi, quæ est alia Vnio lōgè diuersa ab Vnione, de qua in præsenti agitur. Quod verò hæc præsentia non sit in ratione obiecti motiui, patet, quia præsentia obiecti, vt est motiuum, importat motionem, quæ mouet potentiam, & in ea aliquid necessariò causat; sed iuxta istam sententiam hæc Vnio & præsentia nihil in intellectu causat: ergo non est Vnio obiecti motiui. Item hæc Vnio & præsentia obiecti in ratione cognoscibilis non se tenet ex parte potentiæ, iuxta præfatam sententiam, neque quidpiam confert potentiæ, vt est principium cognitionis actiuū: ergo non est præsentia potentiæ in ratione principij, sed ter-
7 mini operationis. Item, omne intelligibile vt sic, vel est principium effectiuum, vel terminus intellectionis: ergo præsentia in ratione intelligibilis, vel est in ratione principij, vel termini cognitionis: & cùm non sit principij effectiui secundùm illam sententiam, erit termini, ac proinde in ratione Verbi. Tandem obiectum aliquod esse præsens alicui cognoscitiuæ potentiæ, nihil aliud est, quàm esse cognitum ab illa, & cognitionem terminare, ac proinde Vnio obiecti cum potentia secundùm præsentialitatem est Vnio in esse cogni-
ti, ita vt vel esse cognitum sit esse præsens, vel esse præ- 8
sens ex esse cognitum sequatur: sed Vnio in esse cognito est Vnio in ratione obiecti terminatiui, & Verbi, non in ratione speciei intelligibilis, ergo Vnio Dei in ratione formæ & speciei intelligibilis non consistit in hac præsentialitate. Maior probatur. Sensibile esse sensui præsens, nihil est aliud, quàm sensu percipi & cognosci, ita vt non censeatur præsens visui aliquod visibile, quātumcumq; coniunctum, & in prospectu sit visui, si ab ipso non percipiatur, & visionem non terminet; ergo similiter illud erit intellectui præsens, quod cognoscitur, & quatenùs cognoscitur.

Alij verò Theologi docent, Deum Vniri in ratione 9 speciei intelligibilis, nihil aliud esse, quàm Diuinam Naturam & intellectum esse in anima, veluti vnita in aliquo tertio, quod est anima ipsa, in qua est vtrumque: Diuina quidem Essentia sicut ipsam animam intrinsecè operans: intellectus verò sicut proprietas & potentia. Quare hæc Vnio ex parte intellectus ponit ipsum intellectum, productionem & conseruationem illius, imò & ipsam animam intellectus radicem: constituit etiam in intellectu lumen gloriæ causatum & conseruatum, vel auxilium aliquod actuale, quo intellectus vim habet ad eliciendam intellectionem: ex parte verò Essentiæ Diuinæ designat efficientiam, productionem & conseruationem animæ, intellectus, luminis gloriæ, actualisque auxilij, & omnium, quæ ex parte potentiæ ad eliciendam visionem
Dei requiruntur. Sic docet Ferrar. 3. Contra gent. cap. 10
51. Circa finem in prima solutione ad primum Dubium. Et quamuis ibi tantùm exprimat, ex parte intellectus importari in hac Vnione ipsius animæ productionem, & ex parte Dei causalitatem animæ, sine dubio comprehendit productionem & conseruationem cuiusq; vis concurrentis ad productionem visionis, & ex parte intellectus se tenentis. Et videtur hæc doctrina colligi ex D. Thoma. 4. d. 49. q. 2. art. 1, circa finem. Quantùm ad id de animæ productione & cōseruatione, & de lumine gloriæ videtur idem colligi ex D. Tho. 3. Contra gentes cap. 53. ratione. 3. vbi ait, hanc
Vnionem fieri per mutationē intellectus; quæ quidem 11
mutatio aliter esse non potest, nisi per hoc quòd intellectus creatus lumen gloriæ de nouo recipiet. Probat Ferrariensis suam sententiam hac ratione. Deum vniri intellectui est esse in intellectu; sed Deum esse in re, est intrinsecè operari rem, illam efficere, atque conseruare: ergo Deum intellectui Vniri, est ipsum efficere & conseruare cum lumine gloriæ, & alijs requisitis ex parte intellectus ad Deum intuendum.

Hæc tamen sententia Ferrar. non est probanda: quia 12
si Deum intellectui vniri, est, esse in anima, à qua intellectus dimanat, sicut ipsam operātem & cōseruantem, certè vnicuique intellectui indiscriminatim Deus

diceretur vnitus, cùm in quolibet sit animam conser-
uant. Item falsum est, hanc vnionem in causalitate lu-
minis gloriæ, & illius conseruatione consistere; tum,
quia lumen gloriæ omnium Theologorum consensu
est ordine naturæ præuia dispositio ad Vnionem Dei:
ergo causare & conseruare hoc lumen non est vniri
Deum, sed hanc causalitatem sequitur vnio: sicut inep-
te diceretur, productionem octaui gradus caloris, esse
vnionem formæ ignis cùm materia, sed dicendum est,
13 ad illam productionem sequi vnionem formæ. Tum
etiam, quoniam intellectui lumine gloriæ informato
vnitur Deus in ratione speciei, ita vt huius vnionis ex-
trema sint ex vna parte intellectus actuatus lumine glo-
riæ, & ex alia Deus: ergo ista vnio aduenit intellectui
14 illustrato lumine gloriæ. Item de potentia Dei ab-
soluta fieri potest, vt lumen gloriæ sit in intellectu
absque Vnione Dei in ratione formæ intelligibilis,
ita vt non sequatur visio Dei, vt concedit M. Banes.
1. p. quæst. 12. art. 1. Dub. 1. ad. 5. Ergo vnio Dei in
ratione speciei non consistit in causalitate luminis glo
riæ. Item lumen gloriæ constituit intellectum in ac-
tu quodam veluti potentiali, vel habituali, vt docet D.
Thomas. 1. p. q. 12. art. 5. Vnio verò Dei in ratione
speciei intelligibilis cōstituit intellectū in actu primo,
non in habitu: ergo ista vnio non est causalitas luminis
gloriæ.

15 Item falsum est, quòd hæc vnio importet collatio-
nem auxilij actualis specialis ad actum visionis elicien
dum; quia hoc auxilium actuale vel non est aliud,
quàm ipse actus visionis, vt quidam volunt, vel si aliud
sit, præsupponit iam Vnionem Dei; ergo hæc Vnio
non consistit in collatione illius auxilij. Antecedens
probatur: nam postquàm intellectus constitutus est in
actu primo per speciem, indiget hoc auxilio actuali, &
concursu ad actum secundum, ita vt hoc auxilium sit
efficientia actus secundi, sed hæc efficientia præsupponit
actum primum: ergo &c.

16 Alij Theologi asserunt, hanc Vnionem aliquid im-
portare in intellectu receptum intrinsecè, videlicet, ac-
tum cognitionis, & claræ visionis: quod dupliciter po-
test intelligi. Vno modo, formaliter, ita vt vnio spe-
ciei intelligibilis cum potentia, formaliter sit ipsa
intellectio. Quæ sententia tribuitur Caietano. 2. de
Anima cap. 5. de omni speciei receptione, & Vnio-
ne, siue intelligibili, siue sensibili. Et in eadem sen-
tentia fuerunt AEgidius quæst. 1. de cognitione An-
gelorum, Paulus Venetus in Summa de Anima, lib. 2.
cap. 1. & Augustinus Niphus in tractatu de sensu agen-
te. Et Caietanus. 1. p. q. 12. art. 2. Videtur insinuare, hāc
Vnionem in eo consistere, quòd intellectum actu in-
telligentem constituat, intellectionemq; esse formale
obiectum Diuinæ Naturæ consideratæ in ratione spe-
ciei intelligibilis, sicut esse est actus formalis formæ.
17 Secundò potest intelligi, quòd ista vnio sit intel-
lectionis actus, & ponat intellectionem in intellec-
tu, non formaliter, sed effectiuè, ita vt ex hac Vnio-
ne sequatur in genere causæ efficientis ipsa intellec-
tio, & intellectus ex eo quòd habeat Essentiam Dei
sibi vnitam, producat, & habeat in seipso intrinsecè in-
tellectionem.

18 Nihilominùs hæc sententia secundùm priorem ex-
plicationem falsò tribuitur Caietano, qui talem intelli-
gentiam nunquam somniauit, vt posteà explicabitur.
Sed cuiuscumq; sit illa sententia, meritò reijcitur ve-
intelligibilis à Thomistis, & facilè impugnatur. Primò,
quia recipere speciem intelligibilem est quædam passio
intellectus; ergo non est intellectio, quæ est actio vita-
lis: ac proinde Vnio Dei cum intellectu nequit esse in-
tellectio; cùm ad hanc Vnionem non concurrat in-
tellectus actiuè, sed passiuè quodammodo; ad claram
autem Dei Visionem actiuè concurrat, vt ad quam-
cumq; aliam intellectionem. Antecedens multipliciter
probatur. 2. & 3. de Anima, cùm inquiritur, An sentire,
vel intelligere sit agere, vel pati. Legendus est M. Ba-
ñes. 1. p. q. 78. art. 3. Dubio. 1. & q. 79. art. 2. Præterea 19
Intellectio, & visio actualis præsupponit Vnionē prius
naturâ factam; ergo Vnio non est formaliter intel-
lectio. Antecedens probatur; quia operatio actualis
intellectus præsupponit ipsum actuatum & perfec-
tum, cùm vnumquodque operetur, inquantum est
in actu; sed per hanc Vnionem actuatur intellectus
& perficitur ad operandum, & terminatur ad ta-
lem operationem: ergo &c. Secundò probatur idem
antecedens. Omnis cognitio præsupponit assimila-
tionem intellectus cum obiecto, vt supponit Aristote-
les. 3. de Anima, ostendens intellectum debere esse om-
nia, vt omnia cognoscat, ita vt nequeat lapidem, V. G.
cognoscere, nisi lapidi priùs assimiletur; sed hæc assimi-
latio fit per Vnionem speciei intelligibilis cum intel-
lectu: ergo cognitio hanc Vnionem præsupponit fac-
tam. Tertiò. Intellectio est actus vitalis, qui à solo Deo 20
produci non potest, vnio verò speciei cū intellectu nō
est actus vitalis, sed à solo Deo effectiuè causatur, intel-
lectu passiuè se habente; aliàs enim si vnio esset intel-
lectio, cùm Deus absolutè dicatur seipsum intellec-
tui vnire, diceretur absolutè intelligere humana intel-
lectione, & cùm ipse vniat, & causet speciem in visu, di-
ceretur videre. Quartò. Non repugnat per Dei potentiā
intellectui vniri Deū, & non sequi intellectionem, Deo
ad talem actum non concurrente; ergo vnio non est
intellectio formaliter.

Si dicas, iuxta istam sententiam, intellectionem non 21
esse actum primarium Vnionis, sed secundarium, sicut
esse existentiæ est actus formalis secundarius formæ,
ac proinde per Dei potentiam impedibilis: tunc instar-
tur, quia cùm actus, & effectus secundarius primarium
præsupponat, necessariò antè operationem & intellec-
tionem debet fieri vnio, & præsupponi effectus forma-
lis primarius formæ vnitæ: & de hoc inquiritur, An
ponat aliquid in intellectu, vel tandem sit extrinseca
denominatio.

Impugnatur ergo hæc sententia secundùm poste- 22
riorem explicationem; quia ex ea sequitur, Vnionem
hanc formaliter & per seipsam præcisè sumptam nihil
ponere in intellectu, atque intellectum habere Es-
sentiam Dei sibi vnitam, formaliter esse denomina-
tionem extrinsecam, & quòd prius esset Vnio Dei
cū intellectu in esse perfecto, quàm esset aliquid intrin-
secè in intellectu susceptum, cùm priùs sit causa, præ-
sertim efficiens, quàm eius effectus: & quòd in-
tellectu Vnione completa & consummata nondum
intelligeretur aliquid intrinsecum in intellectu, donec
posteà intelligeretur illius effectus. Et tandem posset
Deus de potentia absoluta multo tempore esse vnitus
intellectui,

Digitized by Google

intellectui, impedita intellectione, & toto illo tempore esse denominationem extrinsecam, & relationem rationis, quæ omnia maximum reputantur inconueniens.

23 Vt autem intelligatur sententia Caietani loco citato, aduertendum est, triplex esse considerari à Caietano, quod intellectui ab specia impressa conuenit. Primum, quod dimanat ab illa, quatenùs est quoddam accidens actu inhærens, & hoc appellat Caietanus esse habituale, & primum; quia tunc nondum considera-
24 tur speciei quasi in exercitio, & vigilia. Secundum esse, quod tribuit, est in ratione speciei, quatenùs actu exercet officium speciei, quod est obiectum cum potentia vnire, & hoc appellat actum secundum speciei, non quidem in sensu, quo cõmuniter intellectio appellatur actus secundus, sed quia species in hac ratione comparatur ad esse primum, quod præstitit, vt actus secundus ad actum primũ. Tertium esse, quod confert, est ipsum intelligere, quod quidem dicitur ipsius speciei, quia ab ea procedit, & istud esse est vltimum, & vltimò
25 complens intellectus potentialitatem. Explicatur hoc in exemplo à Caietano adducto de forma. Etenim forma est primò in materia disposita, quasi in habitu, & in radice; secundò tribuit formaliter esse formale, & secundùm hoc dicitur forma in actu. Tertiò est in ipso esse existentiæ, quod à tali forma procedit. Et forma, quatenùs informans dicitur actus secundus respectu eiusdem, vt continetur in materia disposita; existentia verò dicitur actus vltimus. Ita in specie dicendum est. Ex quibus colligit Caietanus, speciem potiùs concurrere vt formam, quàm vt principium acti-
26 onum. Et similiter explicat, quid sit formaliter speciem intellectui vniri, per hoc, quod est, ipsum actu intelligentem constituere: quod non sic est accipiendum, quasi actus proximus, & proprius speciei sit intelligere; sed quia eò ipso, quòd species exercet actum speciei formaliter, intellectus est perfectus in ordine ad obiectum, & simul intelligens illud, quamuis intelligere & actuare intellectum vniendo illi obiectum, differant formaliter, imò & secundùm opinionem communem differant entitatiuè, cui non aduersatur Caietanus, quicquid alij dixerint. Sic autem intellecta sententia Caietani non est reijcienda, nec propositæ obiectiones aliquid contra illam concludunt.

27 Pro resolutione igitur huius controuersiæ aduertendum est, Vnionem tripliciter vsurpari. Primò pro actione & passione, qua res aliquæ coniunguntur, quæ appellari solet, vnitio. Secundò, pro vnitate ex rebus vnitis resultante, quæ est illius vnitatis terminus. Tertiò sumitur pro relatione, quæ inter res vnitas ex vnitione & vnitate consequitur, vt constat in vnione animæ & corporis, in qua hæc tria reperiuntur. Est enim actio, per quam corpus & anima coniunguntur, verbi gratia, generatio. Est etiam vnitas quædam naturæ substantialis ex tali vnione partium resultans: & tandem est relatio inter materiam & formam vnitas, & quodlibet horum
28 nomen vnionis sortitur. Ad eundem modum in præsenti Vnio Dei cum intellectu & sumi potest pro actione, qua Deus cum intellectu coniungitur, quæ est vnitio, & pro vnitate ex Deo & intellectu coniunctis resultante, & pro relatione, quæ inter Deum & intellectum consequitur. Rursus cùm vnio mutuam importet habitudinem inter ea, quæ vniuntur, Dei ad intellectum sibi vnitum, & intellectus ad Deum, inuestigandum est de vtriusque habitudine, & quid importet hæc vnio ex parte vtriusq. extremi, siue in vnitione, siue in vnitate, siue in relatione. Hoc præmisso sit Prima Conclusio.

Vnio Dei cum intellectu creato in ratione speciei 29
& formæ intelligibilis, sumpta pro vnitione, importat ex parte Dei actionem quandam realem; ex parte verò intellectus realem passionem. Hæc conclusio constituit discrimen inter hanc vnionem, & illam, quæ est materiæ, & formæ, & similes, quòd in vnione materiæ & formæ neutra pars est agens, sed aliquod aliud tertium, nempe, generans, quod est vniens effectiuè, ipsæ verò partes vniuntur passiuè, & ideò illa vnio importat actionem generantis, & passionem ex parte materiæ & formæ: cæterùm in præsenti vnione alterum extremum, quod est Deus, est agens, atque vniens sibi intellectum, intellectus verò est veluti patiens, suscipiens vnitionem passiuam, quæ in Deo suscipi non potest. Sic autem explicata conclusio est expressè D. Thomæ, 3. contra gentes cap. 51. Et probatur. Hæc vnio est vera & realis, sed omnis realis 30
vnitio importat actionem realem, vel ex parte alicuius tertij, vel vnius extremorum, & passionem realem ex parte alterius: ergo hæc vnio &c. Maior probatur; tum, quia determinatio intellectus ad videndum Deum est realis; ergo etiam Vnio Dei, quæ fit ad determinandum intellectum, debet esse realis: tum etiam, quia omnia quæ ibi iunguntur, sunt realia, & ad actũ realem coniuncta: ergo & vnio est realis. Antecedens probatur, quia intellectus, lumen, Deus, & cætera requisita ad intellectionem sunt quid reale. Neque derogat realitati huius vnionis, quòd sit, & dicatur intentionalis, nam esse intentionale non necessariò est quid rationis, vt patet in specie, & in Verbo, quæ in intellectu habent esse reale, quamuis formaliter habeant esse intentionale.

Secundò probatur conclusio. Per hanc vnitionem 31
fit Deus præsens intellectui modo quodam speciali, vt omnes concedunt: sed rem spiritualem fieri alteri præsentem præcipuè inferiori, importat actionem realem ex parte illius rei, quæ fit præsens, & passionem ex parte rei, cui fit præsens, vt constat: ergo hæc vnio actionem importat ex parte Dei, & passionem ex parte intellectus.

Tertiò probatur. Vnio Verbi Diuini cum natura 32
humana ex omnium sententia est realis, importans ex parte Verbi, quod est alterum vnionis extremum, actionem realem, ex parte verò humanitatis realem passionem: ergo proportionabiliter Vnio Dei cum intellectu importat actionem, & passionem realem. Secunda Conclusio.

Hæc vnio pro vnitate sumpta importat vnicum 33
completum intellectionis & claræ visionis principium: siue intellectum in actu, & cum actu primo, in quo hæc tria includuntur, nempe, intellectus vt potentia receptiua, Deitas per modum formæ & actus, & modus quidam realis ipsi intellectui intrinsecus, in illoque ex vnitione resultans, identificatus cum intellectu: qui quidem modus est, intellectum esse

actuatum,terminatum, & determinatum ad visionem
efficiendam,completum, & dispositum,principiumq;
illius effectiuum iam actu constitutum. Hæc conclu-
sio probatur primò: quia Vnio pro vnitate sumpta im
portat id,quod ex ipsa Vnitione resultat,nempe,termi-
num Vnitionis: sed quod ex Vnitate Dei cum intellec-
tu resultat,est vnicum visionis claræ principiom com-
pletum, quo intellectus est in actu primo constitutus;
34 ergo Vnio pro Vnitate hæc importat. Secundò pro-
batur, quòd in hac Vnitate & termino Vnionis hæc
tria includantur. Et quidem de duobus primis nulla
est controuersia, sed de illo tertio, nempe, de modo,
& probatur, illum dari ex præcedente conclusione.
Vnitio est vera actio realis Dei,vera & realis passio in-
tellectus; sed per omnem actionem & passionem rea-
lem, saltem producitur in passo aliquis modus realis,
35 vt inductione constat:ergo &c. Tertiò probatur. In-
tellectum esse actuatum, terminatum & completum,
est, intellectum aliter se habere realiter in seipso, & in
ordine ad realem operationem, & esse mutatum, &
illa actuatio est mutatio intellectus à potentia ad ac-
tum,sed id,quod aliter se habet,necessariò debet acqui
rere modum realem,& intrinsecum, mobile similiter
in omni reali mutatione aliquid reale necessariò ac-
36 quirit: ergo &c. Quartò. Ex hac Vnione saltem re-
sultat,Deum esse peculiari modo præsentem intellec-
tui,& non terminatiuè, quod ad Vnionem Verbi per-
tinet; sed res spiritualis nequit esse alicui præsens,nō
terminatiuè, nisi per aliquid transiens, causatum in
illo, cui est præsens, quod habeat habitudinem præ-
sentiæ realis ad illud: ergo aliquid reale necessariò
debet dari causatum in intellectu ex hac Vnione.
37 Confirmatur. Deum esse præsentem omnibus re-
bus,est aliquid in ipsis causare producendo, conseruan-
do &c. Ergo Deum esse præsentem intellectui pecu-
liari modo, est aliquid speciale in ipso intellectu cau-
sare. Quintò. Vnio Diuini Verbi cum natura hu-
mana pro ipsa Vnitate sumpta,importat Verbum, hu-
manitatem, & modum quendam realem identificatū
cum ipsa humanitate,nempe, humanitatem esse com-
pletam & determinatam Personalitate, vt dicunt qui-
dam articulo. 8. huius quæstionis:ergo proportionabi-
38 liter in præsenti dicendum est. Postremò probatur,il-
lum modum in intellectu causatum non esse rem
aliam ab intellectu:quia superfluè multiplicantur enti-
tates sine necessitate, sed nulla est necessitas cogens en-
titatem illam asserere ab intellectu tanquam rem à re
distinctam, cùm modus rei non sit distinguatur à re,
cuius est modus:ergo &c. Tertia conclusio.
39 Huiusmodi Vnio pro relatione sumpta importat
ex parte Dei relationem rationis, qua ad intellectum
refertur,ita vt Deum esse vnitum intellectui, tantùm
constituat in Deo respectum rationis, & extrinsecam
denominationem, ex parte verò intellectus importat
relationem realem,qua ad Deum refertur. Prior pars
cōclusionis probatur. Omnis relatio Dei ad creaturas
est rationis, item omne adueniens Deo in tempore est
respectus rationis, vt patet in relationibus domini,crea
toris,& similibus, ergo hæc relatio Vnionis, cùm sit
Dei ad creaturam,Deo in tempore adueniens, erit ra-
40 tionis dunt. xat.Posterior pars probatur,tum, quia re-
lationes creaturæ ad Deum sunt reales, vt patet in re-
lationibus seruitutis, creaturæ, & similibus: tum
etiam, quia hæc relatio habet terminum & fun-
damentum reale, nam terminus est Deus, funda-
mentum verò est illa actio transiens, nempe,vnitio,
ad modum passionis in intellectu recepta, modusq;
illi intrinsecus ex Vnitione resultans,ergo &c.
Ad primum argumentum patet Responsio ex con- 41
clusionibus suprà positis. Ad secundum concesso an-
tecedenti, negatur consequentia, nec procedit per lo-
cum illū argumentandi: nam licèt sit exacta & suffi-
ciens illa diuisio Vnionis realis,naturalis,vt distinguitur
contra intentionalem, ex qua naturali Vnione resul-
tat semper vel aliqua vna natura, vel vnicum supposi-
tum; at ex Vnione in esse intelligibili, cùm non sit
necessarium, resultet aliquod tertium siue in natura,
siue in supposito, vt docet D. Thomas. 1. contra gen-
tes cap. 51. Datur Vnio intelligibilis neque in natu-
ra, neque in supposito, sed secundùm perfectionem
perfectibilis & perficientis, per quam perficitur in-
tellectus: vel secundùm rationem principii intellec-
tionis, per quam vnicum completum intellectionis
constituitur principium.

DISPVTATIO QVARTA.

VTRVM hæc Vnio Deitatis in ratione formæ intelligibilis cum intellectu creato sit adeò necessaria ad quidditatiuam Dei visionem, vt sine ea etiam de potentia absoluta talis visio haberi non possit. Et quidem quod non sit simpliciter necessaria,probatur primò.

Si daretur species Dei quidditatiua,non esset simpli 1
citer necessaria ad Deum quidditatiuè intuendum; er-
go neque Vnio Dei in ratione formæ intelligibilis est
simpliciter necessaria ad vicem speciei supplendam.
Antecedens probatur. Species est tantùm necessaria ad
præsentiam obiecti, vt per illam fiat obiectum præ-
sens intellectui in ratione intelligibilis,& vt constituat
obiectum actu intelligibile, & ad vniendum obiectum
cum potentia, & denique vt constituat potentiam in
actu primo: sed hæc omnia rectè fieri possunt sine spe-
cie,etiam si illa esset possibilis, & sine Vnione Diuinæ
Essentiæ in ratione speciei, per solam Dei Vnionem in
ratione Verbi & obiecti terminatiui, per quam Vnio-
nem fit præsens intellectui in ratione cognoscibilis, est
etiam secundùm se,& in ratione obiecti actu intelligi-
bilis, & tandem per illam duntaxat Vnionem est cum
ipsa potentia vnitus, ac rursus intellectus fit in actu
ad videndum Deū per lumen gloriæ, per quod actua-
tur,& eleuatur:ergo omnia speciei officia præstari pos-
sunt &c.
Secundò. Deus potest supplere quamcumq; causali- 2
tatem effectiuam,sed Vnio Dei ad quidditatiuam eius
cognitionem requiritur in genere causæ efficientis,ita
vt Deus vniatur intellectui, vt principium effectiuum
intellectionis; ergo potest talis Vnio suppleri à Deo
iuuando potentiam per suam virtutem actiuam absq;
Vnione in ratione speciei.
Confirmatur primò. Cognitio Dei quidditatiua in- 3
tellectus creati nū dependet à Deo in genere causæ for-
malis,nec materialis; cùm horum generum causalitas
Deo competere nequeat: sed quodcumq; aliud genus
causæ

Digitized by Google

causæ ab his duobus Deus potest supplere: ergo potest terminare illam dependentiam sine Vnione in ratione speciei.

4 Confirmatur secundò. Deus potest sine Vnione hypostatica sustentare humanam naturã absque propria Personalitate, supplereque vicem illius Vnionis per extrinsecam manutenentiam, eo quòd Suppositum Diuinum in ea Vnione potiùs sustentat humanitatem in genere causæ efficientis, quàm formalis, vel materialis: ergo similiter eâdem ratione poterit supplere ipsius Vnionem cum intellectu in ratione speciei, & sine tali Vnione vim conferre ad visionem claram.

5 Tertiò. Intellectus creatus potest de potentia Dei absoluta, sine lumine gloriæ Deum quidditatiuè videre, secundum probabilem multorum Theologorum sententiam: ergo etiam sine specie quidditatiua ipsius Dei, quæ est ipsa Diuina Essentia in ratione formæ intelligibilis vnita potest Deum intueri. Consequentia probatur, quia non minùs requiritur ad cognitionem, & actionem quamcumque vis effectiua potentiæ: quàm Vnio obiecti cũ illa, quæ fit per speciẽ: nec minùs cõstituitur in actu intellectus per lumen gloriæ, quàm per Essentiã Vnitã, imò magis: cùm iuxta quorundam opinionem per lumen actiuè concurrat ad visionem, & non per speciem: nec minùs requiritur id, quod est necessarium ex parte potentiæ, quàm quod est necessariũ ex parte obiecti. Sicut ad cognitionem non minùs requiritur potentia, quàm obiectum, imò magis requiritur potentia cum sua vi actiua ad actum producendum, quàm quidpiam aliud. Sed lumen gloriæ est vis & efficacitas intellectus, requiriturq; ex parte potentię, illam in actu constituens, Vnio verò Dei in ratione speciei requiritur tantùm ex parte obiecti, ergo si illud

6 potest suppleri à Deo, & istud similiter. Dices, Deum supplere posse lumen gloriæ, posito tamen auxilio eleuante & actuante potentiam ad actum supernaturalem eliciendum. Sed hoc non obstat, quia eâdem ratione poterit dici, Deum actuali quodam auxilio & motione eleuare posse intellectum creatum, & in actu constituere ad claram visionem eliciendam sine Vnione Dei in ratione speciei per modum formæ permanentis.

7 Quartò. Intellectus creatus de potentia Dei absoluta potest quamcumq; rem creatam sine illius specie quidditatiuè cognoscere, imò & oculis corporeis conspicere coloratum sine coloris specie; ergo non repugnat, intellectum quidditatiuè Deum cognoscere sine Vnione Dei in ratione speciei. Cõsequentia patet: quia non minùs pendet cognitio creaturæ à sua specie, quàm Dei cognitio ab Essentia Diuina, quę est propria illius species, sicut non minùs pendet cognitio creaturæ ab ipsa creatura in ratione obiecti, quàm cognitio Dei ab ipso Deo in ratione Verbi. Antecedens probatur, quoniam non magis repugnat, intellectum sine specie intelligere, quàm aquã, vel ignem sine calore calefacere, cùm tam species, quàm calor sint principia formalia & instrumentalia illarum actionum: sed non repugnat per Dei potentiam aquam calefacere sine calore, vt constat ergo &c.

8 Confirmatur. Beatissima Virgo modò, & omnes beati post diem iudicij videbunt oculis corporis Christũ Dominum absq; specie visibili ipsius corporis Christi, ergo non repugnat Deum videri sine propria specie. Antecedens colligitur ex communi Theologorũ sententia asserentium, corpus Christi esse super conuexam superficiem cæli empirei, ita vt sit in vacuo, ex quo euincitur non emittere sui species in oculos videntiũ, cùm non possint nisi per medium aptum, de cuius potentia educantur, multiplicari.

Quintò. Deus est primum intelligibile; ergo per seipsum intelligitur, & cognoscitur eò ipso, quò in ratione obiecti proponatur absque aliqua alia Vnione. Consequentia patet, quia si proposito Deo intellectui in ratione obiecti, indigeret aliqua alia Vnione, non esset primum intelligibile, neq; per seipsum intelligibilis. Et rursus si est per se, ac primum intelligibile, eò ipso, quò obijcitur potentiæ, ab ea percipi potest. 9

Confirmatur. Quamuis possibilis sit species visibilis lucis, non tamen est ad lucis visionem necessaria, sed eò ipso, quò obijcitur visui absque aliqua sui specie, vel illius Vnione cum potentia visiua, percipitur à visu, eo quòd est primũ visibile; ergo similiter Deus, cũ sit primum intelligibile, absque aliqua specie vel Vnione potest intelligi &c. Antecedens quò ad illam partem, quæ asserit, non requiri speciem ad lucem videndam, docet D. Thomas. 1. p. q. 56. art. 3. Neque dissoluitur argumentum dicendo, ipsam lucem, cùm visum attingat, per seipsam supplere vicem speciei, & quodammodò vniri potentiæ in ratione speciei ad sui visionem: quoniam species, & illius vicem supplens intimè debet inesse ipsi potentiæ, lux autem tãtùm attingit organum, non ipsam potentiam: tum etiam, quia si daretur lux per se subsistens, absque aliqua sui specie videretur, & tunc cùm non esset accidens, sed substantia, inesse non posset potentiæ visiuæ: ergo &c. 10

Sextò. Vnio Dei in ratione speciei intelligibilis non est simpliciter necessaria ex parte potentiæ, neque ex parte obiecti ad quidditatiuam Dei cognitionem: ergo nullo modo est necessaria. Consequentia patet: quia nequit aliunde oriri huiusmodi necessitas: etenim cùm ex obiecto & potentia pariatur notitia, id quod ex parte vtriusque non est necessarium, nullo modo est ad cognitionẽ necessariũ. Antecedens quòad priorem partem docet D. Thomas. 1. p. q. 12. art. 2. Vbi ex parte potentiæ tantùm exigit lumen gloriæ, speciem verò & Vnionem Dei constituit ex parte obiecti. Quòad posteriorem probatur, quia per Vnionem Dei in ratione Verbi & termini cognitionis apponuntur omnia requisita ex parte obiecti, cùm sit illa propria Vnio obiecti. 11

Nihilominùs firma & constans sententia est, Vnionem Dei cum intellectu in ratione speciei intelligibilis, ad quidditatiuam eius cognitionem esse simpliciter necessariã, ita vt non solùm cõcursus Dei per modum obiecti & termini non sufficiat, verùm etiam concursus & Vnio per modum speciei secundùm omnem potentiam requiratur. Probatur primò. Omnis cognitio debet fieri per assimilationem, & ipsum cognoscens debet effici res cognita, & ideò animam, necessum est, fieri omnia cognoscibilia ad omnia cognoscenda, vt docet Aristoteles 3. de Anima cap. 5. tex. 37. & 38. Quæ quidem assimilatio fit per species rerum cognitarum; vel per aliquid intellectui vnitum, 12

habet in persona, sed secundùm alium essendi modum, ita vt tunc non existeret, vt modò, homo, sed humanitas incompleta.

32 Ad tertium argumentum Resp. Iuxta illam probabilem sententiam, posse lumen gloriæ suppleri per aliquam vim naturalem, & supernaturalem intellectui collatam, qua constituatur in illo actu ex parte potentiæ requisito. At siue lumine gloriæ, vel aliquo vicem eius supplente repugnare Deum videre. Quare cùm vnio Dei sit illud, quod vicem speciei supplet, quæ requiritur ad Dei visionem, nec sit aliud, quod illius speciei vicem supplere valeat, cùm id solùm vicem speciei supplere possit, quod potest obiectum, quod est Deus, cum potentia vnire, efficereq; potentiam ipsum obiectum quodammodò, quæ præstari non possunt nisi per naturalem & quidditatiuam similitudinem, vel per ipsammet Diuinam Essentiam; ideò hæc vnio suppleri non potest, & quocumq; alio posito, siue permanente, siue transeunte non constitueretur potentia in tali actu requisito.

33 Ad quartum negatur antecedens, quia implicat, potentiam cognoscitiuam quidpiam cognoscere sine specie, vel aliquo vnito per modum speciei, vt ostendunt Philosophi. 2. & 3. de Anima. Legendus est Cardinalis Toletus. 2. de Anima q. 33 & lib. 3. q. 21. Et D. Thomas id præsupponit vt manifestum in. 4. d. 49. q. 2. art. 1. asserens, in qualibet cognitione necessariam esse omninò aliquam formam, qua res cognoscatur, & hæc est species. Et q. 8. de Veritate art. 6. ait, nostrum intellectum nihil intelligere posse, antequàm forma intelligibili perficiatur. Lege Caietanum 1. 2. q. 49. art. 3.

34 Ad probationem Resp. Magis repugnare, quòd intellectus intelligat sine specie, vel illius vicem gerente, quàm quòd aqua sine calore calefaciat; tum propter rationem actus vitalis, nam eò ipso quòd intelligere & videre sunt actus vitales, pendent in genere causæ formalis à potentia vitali in actu primo constituta: calefactio verò non ita. Tum etiam, quia intellectus, & quæcumq; potentia vitalis nequit ad suos effectus concurrere, nisi tanquam causa principalis: causa autem principalis necessariò debet operari per aliquam formam, quæ sit actus primus, & effectui proportionata: aqua verò potest instrumentaliter calefacere. Et cùm effectus instrumento non correspondeat, dicet forsan aliquis, non requiri formam in instrumento, qua effectui proportionetur. Sed nihilominùs probabilius est, aquam calefacere non posse sine calore, vel aliqua virtute eminentiore communicata vel per modum permanentis, vel actualis motionis.

35 Ad confirmationem negatur antecedens, & ad probationem Resp. Quòd licet ibi non sit medium, per quod species vsq; ad oculum multiplicentur, communicantur tamen oculo per Dei virtutem supranaturalem, quamuis non causentur in medio, quod nullum est, neque hoc contradictionem inuoluit. Potest item dici, quòd cùm Christi corpus secundùm aliquid sui cælum attingat, nempe, planta pedis, sine miraculo causat sui speciem immediatè in cælo suo contactu, & per illum deducitur vsque ad oculum videntis. Legendus est M. Medina. 3. p. q. 58. art 4.

36 Ad quintum argumentũ Resp. Primum cognitum tantùm excludere aliud priùs cognitum, ita vt necessarium nõ sit, per aliud cognitum ad ipsius cognitionem peruenire: non tamen excludere vnionem ipsius cum intellectu prærequisitam ad illius cognitionem; imò verò neq; excludere speciem intelligibilem hac præcisa ratione; nam quamuis esset possibilis species creata Dei, non subinde non esset primum cognitum: quia cognosci per medium, Quo, non excludit primi cognoscibilis rationem: cùm species sit medium, quo res cognoscitur, non quod cognoscitur: sed tantùm excludit medium cognitum, per quod tale cognitum cognoscatur. Cognoscibile ergo per se, hoc est, quod non 37
per aliud cognitum cognoscatur, sicut prima principia per se nota sunt illa, quæ non per alia principia demõstrantur, quamuis cognoscantur medio habitu, & speciebus.

Ad confirmationem, qui censent, lumen, seu lucem, 38
per seipsam non media specie videri, & est probabilis sententia, vt ait M. Bañes. 1. p. q. 56. art. 1. tenentur cõsequenter asserere, lucem seipsa vniri in ratione speciei visibilis cum potentia visiua, quam attingit: nam eò ipso quòd lux attingit organum, attingit etiam potentiam: cùm talis potentia sit actus organi corporei in illo residens: nec solùm attingit lux extimã superficiem oculi, sed intimè pupillam ipsam illustrat, & quicquid est Diaphanum in oculo: habet enim oculus partes Diaphanas, & translucidas, de quo 2. de Anima. Per lucem ergo, quæ est in oculo, videt oculus lucem extra existentem. Secundò Resp. Probabilius esse, requiri 39
speciem ad lucem videndam, neque hoc derogare rationi primi, ac per se visibilis: sed tantùm hæc ratio excludit, quòd per aliud obiectum visibile videatur, species verò non est obiectum visibile. Neq; D. Thomas oppositum docet, sed gratia exempli aliud pertractans adduxit illud de luce; exemplorum autem non requiritur veritas, sed multotiès adducuntur in exemplum probabilia, ab alijs existimata. Neque D. Thomas ibidem affirmatiuè, sed conditionaliter loquitur dicens: 40
sicut si lux videatur in oculo &c. Certè si videretur lux, quæ est in oculo, per seipsam videretur: at cùm lux in oculo non videatur, sed lux duntaxat extra existens, nihil contra nos diffinit, nam cõditionalis nihil ponit in esse. Vel loquitur D. Thomas de luce, si esset per se subsistens. Legendus est Cardinalis Toledo. 2. de Anima. q. 18. Ad instantiam verò de luce per se subsistente Respondebitur Disputatione sequente.

Ad sextum argumentum Resp. Hanc vnionem re- 41
quiri ex parte obiecti, vt obiectum sit actu cognoscibile à tali potentia, illi præsens &c. Quæ potest vocari vnio veluti obiecti motiui, prærequisita ante vnionem obiecti terminatiui, quæ est vnio Dei in ratione Verbi. Quomodò autem hæc vnio requiratur ex parte obiecti, & non ex parte potentiæ, ostendetur Disputatione Sexta.

QVINTA DISPVTATIO.

AN Posse vniri alieno intellectui in ratione formæ intelligibilis, sit adeò proprium Diuinitatis vt nulli creaturæ competere possit etiam de potentia absoluta, vt sit quod cognoscatur, & quo cognoscatur. Dicitur autem, intellectui alieno, quia in doctrina D. Thomæ. 1. p. q. 56. art. 1. Essentia Angeli proprio intellectui in ratione speciei intelligibilis vnitur.

Sed

Sed tota controuersia est de intellectu alieno, An vide-
licet, essentia V. G. Angeli posit humano intellectui
vniri, vel essentia vnius Angeli intellectui alterius in ra-
tione speciei. Et pro parte affirmante sit primum ar-
gumentum.

1 Essentia Angeli respectu intellectus alieni, est imma-
terialis, & intelligibilis actu; ergo potest vicem speciei
supplere, & alieno intellectui vniri. Consequentia pa-
tet, quia munus speciei intelligibilis est, constituere, &
efficere obiectum immateriale, atq; actu intelligibile:
ergo si id potest præstare Angeli essentia cuicumque
intellectui, poterit etiam vicem speciei intelligibilis in
quocumque supplere.

2 Confirmatur. Diuina essentia ideò potest alieno in-
tellectui vniri in ratione speciei, quia est immateria-
lis, & actu intelligibilis: ergo similiter propter eau-
dem rationem Angeli essentia alieno intellectui potest
vniri.

3 Secundum. Essentia Angeli de facto vnitur proprio
intellectui in ratione speciei: ergo & alieno vniri po-
test: quia nihil minus habet respectu alieni intellectus,
quàm proprij, cùm eadem perseueret alieno intellectui
vnita, quæ est in proprio. Dices, Angeli essentiam, quã-
tumuis immaterialem & intelligibilem non posse esse
formam alieni intellectus, & ideò neque ipsum actuare
in ratione speciei, esseq; operandi principium, quæ sunt
de ratione formali speciei; solius enim Essentiæ Diui-
næ, & infinitæ est, actuare posse sine informatione, at-
que esse efficiendi principium.

4 Contra hanc solutionem sit tertium argumentum.
Bonum apprehensum est principium formale, quò vo-
luntas operatue iuxta probabilem sententiam, etsi non
inhæreat voluntati, neq; ipsam informet. Item lux
quamuis non inhæreat colorato, cùm non sit Diapha-
num, secũdùm probabilem sententiam; est principium
formale, quo colores species visibiles causant. Et tan-
dem lumen intellectus agentis non inhæret phantas-
mati, & tamen iuxta verosimilem sententiam est for-
male, & actuale principium, quo phantasma speciem
intelligibilem producit: ergo licèt Angeli essentia in-
hærere non posit, neq; informare intellectum alie-
num, poterit tamen respectu illius esse formale princi-
pium intelligendi, ipsumq; in actu constituere.

5 Quartum argumentum. Lux secundùm probabilem
sententiam potest vniri, & de facto vnitur in ratione
speciei oculis alienis, idest, non sibi secundùm esse natu-
rale vnitis; ergo posse vniri in ratione speciei alienæ
potentiæ non est proprium solius Dei. Et inde sumi
potest argumentum, quòd Angeli essentia posit etiam
vniri: quia luci non repugnat vniri in ratione speciei,
quia est per se visibilis; ergo neq; essentiæ Angeli re-
pugnabit, cùm sit per se intelligibilis. Si dicatur; luci
hoc non repugnare, quia est accidens inhærens oculis,
Informans, & actuans, quod naturæ Angelicæ repug-
nat: Contra est. Si lux solis esset per se subsistens, posset
per seipsam videri sine speciè, vel habente vicem speciei,
vt docet D. Thom. quodlibet. 7. art. 1. & M. Bañes. 1. p. q.
56. art. 1. Et tamen non posset esse forma inhærens,
cùm tunc esset substantia. His tamen non obstantibus
sit conclusio.

6 Ita est proprium Diuinitatis vniri posse intellectui
alieno in ratione speciei intelligibilis, vt cuicumque
substantiæ creatæ id repugnet in ordine ad quamcum-
q; potentiam. Hæc conclusio est D. Thomæ. 3. contra
Gentes cap. 51. cùm inquit, soli Deo competere posse
esse formam intelligibilem intellectus, non alieni subs-
tantiæ alteri separatæ: quod vt rectè obseruauit ibidem
Ferrar. intelligitur respectu alieni intellectus. Et proba-
tur omnibus rationibus. 1. Dispur. adductis conclus. 1.
quæ ostendunt possibilitatem vnionis huius in Diuina
Essentia ex principijs soli Deo conuenientibus, ex qui-
bus hæc ratio desumitur. Illa duntaxat substantia po- 7
test alieno intellectui in ratione formæ intelligibilis
vniri, quæ est ipsa veritas, vt docet D. Thomas. 3. con-
tra Gentes cap. 51. cùm vniri in ratione speciei intelli-
gibilis, sit vniri tanquam formam intellectus, forma
autem intellectus, & illius perfectio est veritas. Vt ergo
res aliqua per seipsam tanquàm per speciem intelliga-
tur ab alieno intellectu, debet esse ipsa veritas. Rursus. 8
Illi soli potest hæc vnio competere, quod est suum esse,
quia cùm sit Quo, & Quod intelligitur ab alieno intel-
lectu, debet esse suũ esse intelligibile. Et tandem illi soli
competit huiusmodi vnio, quod est purus actus, quo-
niam si non est purus actus, ab alia forma habet esse
intelligibile, & non à seipsa, & ideo nequibit esse for-
ma intelligibilis, & species respectu sui ipsius: sed
hæc omnia soli Deo conueniunt, cæteris verò repug-
nant: ergo &c.

Secundò probatur ratione ex D. Thomã desumptã 9
4. d. 49. q. 2. art. 1. Quamuis id, quod est per se subsistens,
non compositum ex materia & forma, sed simplex for-
ma posit alteri vniri vt forma, vt anima rationalis,
subsistens verò compositum ex materia & forma, ne-
quit esse alterius rei forma, vt homo: sed solus Deus in
genere intelligibilium est forma subsistens, & veritas
per se subsistens, non quid compositum ex veritate &
subiecto habente veritatem, & purus actus nihil mate-
rialitatis & potentialitatis habens, ac proinde est ipsa
intelligibilitas: reliquæ verò essentiæ creatæ sunt com- 10
positæ ex veritate, & eo, quod habet veritatem, non est
in illis veritas per se subsistens, sed in tali subiecto deter-
minato: non est proinde aliqua alia forma intelligibi-
lis ab Essentia Diuina, sed compositum quid ex forma
& habente formam, neq; aliqua alia est actus purus, sed
quid constans ex actu & potentia, siue Physica, siue Me-
thaphysica: ergo solus Deus potest esse forma intelligi-
bilis alieni intellectus.

Tertiò probatur. Actualitas sine informatione, & 11
absque aliqua alia vnione naturali, vel partis ad totum,
vel totius ad partem, potentiæ ad essentiam, vel essen-
tiæ ad potentiam est soli Deo propria, cuicumq; alteri
creaturæ repugnans, hoc est, quòd quidpiam actuet non
informando; sed si aliqua substantia creata vniretur
alieno intellectui in ratione speciei intelligibilis, actua-
ret intellectum sine informatione: ergo &c. Minor 12
probatur: quia substantia nihil potest informare inhæ-
rendo, & si esset species actuaret necessariò intellectum,
ergo. Maior patet, quia actualitas sine informatione est
actualitas depurata à cunctis imperfectionibus, inhæ-
sionis &c. Sed esse puram actualitatem est, esse purum
actum, quod soli Deo competere potest: ergo &c.

Quartò. Actuare alienam naturam, complere & sup- 13
positare, importat infinitam perfectionem soli Deo
cõuenientem: ergo similiter actuare intellectũ alienum

inuoluit

Digitized by Google

inuoluit infinitam & illimitatam perfectionem. Consequentia probatur. Supposirare alienam naturam ideò inuoluit illimitatam perfectionem, quia in quantùm suppositalitas aliqua, quæ se habet ad naturam, vt actus ad potentiam, neq; est determinata ad talem naturam, & potentiam, indeterminata est simpliciter in ratione actus, & ad infinitas naturas, si essent possibiles, ex se se extēsibilis, sed similiter essentia V.G. Michaelis quæ in ratione act, & formæ intelligibilis nō est determinata ad proprium intellectum, cuius est naturalis actus, & ad quem comparatur vt actus ad potentiam, simpliciter est illimitata, & ad infinitos intellectus quoscumq; actuandos extendi potest: ergo &c.

14 Ad primum igitur argumentum Resp. Primò, quòd licèt essentia Angeli respectu alieni intellectus sit immaterialis, & intelligibilis, non tamen est ipsa immaterialitas, intelligibilitas, & veritas; quod requiritur, vt sit forma alieni intellectus, non enim sufficit, esse verum & immateriale ex veritate, quæ est forma, & subiecto compositum: sed quòd sit ipsa veritas & forma, vt actuet alienum intellectum. Nec pertinet tantùm ad rationem speciei intelligibilis constituere rem, idest, obiectum intelligibile, sed quòd ipsam potentiam faciat actu intelligentem in actu primo, vniatq; obiectum cum potentia, quod præstare non potest, nisi sit ipsa forma intelligibilis actuans intellectum, quæ est veritas.

15 Secundò Resp. Quòd licèt essentia Angeli sit actu intelligibilis secundùm se, atque etiam respectu illius intellectus, cui est præsens intimè vnita in ratione speciei intelligibilis, non tamen est actu intelligibilis in ordine ad intellectum, cui non est per seipsam naturaliter vnita, intimè præsens; & ideò necessum est, vt per aliquid aliud fiat alieno intellectui actu intelligibilis, vel præsens in ratione intelligibilis.

16 Ad confirmationem patet ex dictis differentia quantùm ad rationem intelligibilitatis inter Diuinam Essentiam, quæ est ipsa veritas, & aliam quamcumq;, quæ hanc rationem non obtinet.

17 Ad secundum Resp. cum Ferrar. loco citato, essentiam Angeli nō posse esse formam intelligibilem alieni intellectus, quia ad hoc requiritur, vt esset ipsa veritas; Angelus autem non est veritas, sed habens veritatem. Respectu verò proprij intellectus habere potest rationem formæ intelligibilis, quia ad hoc non requiritur, quòd sit ipsa veritas, sed sufficit, sit immaterialis, & per se intelligibilis, intimè vnita vnione quadam naturali cum proprio intellectu. Et hæc vnio sufficit, vt per ipsam essentiam proprius intellectus intelligat. Huius

18 discriminis ratio est, quia vt sit forma alieni intellectus, debet esse forma simplex, & nō quid compositum; compositum enim nequit aliud quidpiam informare. Et cùm forma intellectus sit ipsa veritas, id, quod est compositum ex veritate, & habente veritatem, nullius intellectus potest esse forma. Vt autem habeat rationem formæ intelligibilis respectu proprij intellectus,

19 satis fuerit, habeat in seipso formam & veritatem, quia estò non sit ipsa veritas, cùm sit proprio intellectui naturaliter coniuncta, & habens actualitatem, constituere potest intellectum in actu. Est exemplum satis appositum. Essentia ex materia & forma composita, V. G. humanitas, nequit esse alteri principium essendi, quia non est simplex forma, bene tamen suo supposito, cui naturaliter vnitur.

Ad tertium Resp. Primò, licèt demus, naturam creatam posse sine informatione actuare, non proinde sequi, posse esse speciem alieni intellectus, vt ostēsum est. 20

Ad primam instātiam Resp. Quicquid sit de assumpto, An sit verum, vel non, quòd cùm voluntas & intellectus sint potentiæ colligatæ in vna animæ essentia, & boni apprehensio, quæ est actus intrinsecè in intellectu existans, & ipsum bonum apprehensum, quod sumitur pro conceptu, sint etiam intimè in intellectu, non censentur ista, & intellectus & ea, quæ in eo sunt, extrinseca omninò voluntati, cùm intellectus & voluntas in eadem anima coniungantur, sintq; potentiæ eandem essentiam complentes & perficientes: & ideò quod est in intellectu, potest habere rationem formalis principij respecto voluntatis. At essentia Angeli est omninò extrinseca in nullo colligata cum intellectu alieno, & ideò respectu illius rationē formæ obtinere nō potest. 21

Eodem modo Resp. ad tertiam instantiam de lumine intellectus agentis: phantasia enim, & ipse intellectus agens in eadem hominis essentia colligantur, & in vno tertio coniunguntur, suntq; eiusdem hominis potentiæ, & ideò non est intelligibile, quòd phantasma existens in phantasia, operetur lumine intellectus agentis tanquam principio formali, non omninò extrinseco. 22

Ad secundam instantiam respondent authores illius sententiæ, quòd lumen constituit colores tanquam intrinseca forma, ita vt per lucam fiant colores: atque adeò censent, lumen intrinsecè suscipi in colorato, non quidem intimè ad modum, quo corpus Diaphanum penetrat, sed in sola superficie corporis opaci. Sed hæc sentētia falsa est. Legendus est M. Toledo. 2. de Anima. q. 17. 23

Ad illam instantiam de luce, bene ibi responsum est, quòd cùm sit accidens corporeum, non implicat vniri quibuscumq; oculis corporeis tanquam subiecto, & ita erit forma intrinseca, actuans, & informant. Sed pro maiori intelligentia aduertendum est, latum esse discrimen, quòad præsens attinet institutum, inter intelligibile ex vna parte, & visibile, & quodcumq; sensibile ex alia; quoniam intelligibile importat perfectionem simpliciter conuenientem cuicumq; creaturæ & Deo; & ideò soli Deo competere potest esse primum intelligibile, sicut illi primò conueniunt omnes perfectiones simpliciter. At visibile & sensibile importāt perfectionem secundùm quid, inuoluentem imperfectionem aliquam materialitatis, quæ Deo competere formaliter non potest: & ideò non repugnat dari aliquam creaturam per se primò visibilem, idest, non per aliquid aliud visibilem, quæ simul sit, & quo, & quod videtur; quæ sit forma visibilis respectu cuiusq; potentiæ visiuæ actu visibilis secundùm seipsam: quoniam esse formam visibilem, non requirit esse actum primum, sicut esse formam intelligibilem; quin potiùs necessariò inuoluit materialitatem. Neq; esset implicatio asserere, non esse compositam ex visibilitate, & eo, quod est visibile, vel habens visibilitatem, ita vt quicquid esset in luce, esset ipsa perspicuitas, & visibilitas, nihil habens opacitatis, & inuisibilitatis, quamuis aliàs in alio genere sit composita ex actu & potentia, ex esse & essentia. 24 25 26

Vnde

27 Vnde constat, implicare contradictionem, rem aliquam creatam esse formam intelligibilem alicui intellectus, ita vt sit Quod, & Quo intelligatur; non tamen repugnare, lucem per seipsam videri, & esse Quod, & Quo videtur. Si vero daretur lux per se subsistens, cùm per seipsam potentiæ visiuæ intimè vniri non posset, tunc ageret quidem sine informatione. Resp. Ergo D. Thomam ibidem non id desiuisse deluce, sed adduxisse gratia exempli.

28 Vel Resp. Exactius ex D. Thoma ibidem quòd si lux per se subsisteret, sine aliqua similitudine per lumen oculum perficiens videretur. Id est, per lumē causatum in oculo: lumen enim distinguitur à luce tam quam effectus à causa, ita vt lumen sit illud, quod in medio, & in potentia causatur à luce in corpore luminoso existente. Itaque lux in corpore luminoso residet, lu-

29 men verò extrà diffunditur, & causatur à corpore luminoso. De quo legatur M. Toletus secundo de Anima q. 13.

SEXTA DISPVTATIO.

AN Diuinitas intellectui vnita in ratione formæ intelligibilis concurrat efficienter cum illo ad actum visionis. Non est quæstio præsens de efficientia, quæ Deo conuenit, vt est causa vniuersalissima cuiusuis entitatis, nam sic certum est effectiuè cōcurrere ad determinationem & visionem. Similiter nō est sermo de concursu Dei specialiter adiuuantis, & tribuentis auxilium efficax ad actum supernaturalem, nā etiam hoc certum esse debet, quòd Deus vnitus intellectui beato maius auxilium effectiuè confert, quàm tribuit viatoribus ad producendum actum supernaturalē; sed loquimur de concursu speciali, quem habet Deus, vt principium, & species, & dubitatur, An secundùm hāc rationem efficienter concurrat ad visionem, & non solùm formaliter. Negatio autem his Argumentis fundetur.

1 Primò: si Diuinitas, vt vnita in ratione speciei intellectui creato, concurrit actiuè & efficienter ad visionem, sequeretur, quòd in ratione agendi subordinetur intellectui creato: sed consequens derogat celsitudini Diuinæ Magestatis: ergo, &c. Probatur Sequella, quia species subordinatur potentiæ; ergo si Deus, vt vnitus intellectui, concurrit actiuè, iam actiuitas illius, quam habet in ratione speciei, subordinatur intellectui creato. Falsitas consequentis probatur; quia Deus nequit alicui subordinari, vt principali agenti.

2 Secundò. Lumen gloriæ est perfectissimum, præstans sufficienter intellectui efficientiam, quam non habet de se ad visionem: ergo superfluū est ponere aliud principium efficiens talis visionis, superadditum Intellectui, & lumini, & ex consequenti Deus non concurrit effectiuè in ratione speciei. Antecedens probatur, quia lumen gloriæ determinat intellectum non solùm in cōmuni, sed etiam in particulari ad visionem, atq; adeò debet præstare omnem efficientiam, quam exigit intellectus ex parte sua, vt principium efficiens. Confirmatur: quia sequeretur Deum, In intellectu beati habere duplicem efficientiam, alteram, vt est causa vniuersalis, quam habet respectu omnium causarum secundarum: alteram verò, vt particularis, nempe, vt in ratione speciei, quod quidem est falsum, quia efficientia Dei vbicumque operatur, vnica est.

Tertiò. Principium effectiuum, quo aliqua potentia operatur effectiuè concurrens, debet esse intrinsecū potentiæ, tribuens ei formaliter aliquod esse, vt docet Aristoteles. 2. de Anima Text. 4. Sed implicat, Deum hoc modo esse formam intrinsecam: ergo repugnat ei huiusmodi efficientia. 3

Quartò. Principium effectiuum cuiusque operationis immanentis debet esse susceptiuum eiusdem operationis; est enim de intrinseca ratione actionis immanentis, & principij illius, vt maneat in eodem principio, à quo procedit: sed Deo repugnat in se recipere ipsam intellectionem, sicuti & omnis materialitas & potentialitas; ergo repugnat esse actiuum principium actionis immanentis. 4

Quintò probatur ex D. Thoma. 1. p. q. 12. art. 2. Vbi ex parte potentiæ tantùm constituit lumen gloriæ quo potentia redditur efficax ad visionem: ex parte verò obiecti ponit Diuinam Essentiam in ratione speciei intelligibilis; ergo Deus sic vnitus non concurrit efficienter cum intellectu ad visionem. Consequentia est euidens: tum quia vnire obiectum cum potentia, quod est officium speciei, non est efficere; tum etiam quia alias Deus teneret se ex parte potentiæ, quatenus illo mediante vt principio effectiuo, produceret visionem, essetque ipsius intellectus virtus, qua ad visionem efficax redderetur: quod tamen est contra D. Thomam. 5 6

Confirmatur ex eodem D. Thoma quodlib. 7. art. 1. in corpore, vbi ait. * In alijs intellectionibus non solùm lumen effectiuè concurrit, sed etiam species obiecti, quæ est virtus effectiua, ad cognitionem eiusdē obiecti: sed in visione beata lumen gloriæ facit hoc in intellectu beati, quod facit respectu aliorum intelligibilium species rei intellectæ, & lumen. * Vbi expressè D. Thomas in clara visione nullam aliam virtutem effectiuam in intellectu constituit præter lumen gloriæ. Et reddit ibidem huius rei causam, quia Diuina Essentia, quæ est illius visionis obiectum, est lux intelligibilis. Et ita lumen gloriæ ab ipsa Diuina Essentia in intellectum deriuatū facit hoc respectu intellectus, quod facit respectu aliorum intelligibilium, quæ non sunt omninò ipsa lux, species rei intellectæ, & simul lumen. Et ponit exemplum. Quemadmodum si lux corporalis esset per se subsistens, non esset necessaria aliqua similitudo, per quam potentia visiua videret lucem, sed satis esset, ipsamet lux vnita potentiæ visiuæ, vt potentia videat lucem subsistentem: Ergo, &c. 7

In hac difficultate est prima sententia, Deum vt vnitum in ratione formæ intelligibilis cum intellectu, nō concurrere effectiuè ad productionem visionis Beatificæ, sed solùm intellectum cum lumine gloriæ effectiuè producere visionem. Sic M. Bañes. 1. p. q. 12. art. 1. Dub. 1. & q. 56. art. 1. Et M. Toletus. 2. de Anima q. 13. & lib. 3. q. 2. In quibus locis definit, nullam speciem, siue sensibilem, siue intelligibilem esse principiū effectiuum sensationis, vel intellectionis, sed solas ipsas potentias præcisè has operationes efficere; speciem verò concurrere vt dispositionem potentiæ; vel vt alij volunt, speciem formaliter concurrere, quantùm ad specificationē actus. Est secunda sententia Caietani. 1. p. q. 12. art. 2. Asserentis, Diuinam Essentiam in ratione speciei vnitam concurrere ad visionem in genere causæ formalis, quia licet species aliquo modo sit effectiua in 8 9

tellectionis, potior tamen est ratio speciei, quòd sit for
ma in esse intelligibili, quàm quod sit actiua. Pro deci-
ne veritatis sit Conclusio.
10 Diuinitas intellectui vnita in ratione formæ intel-
ligibilis, concurrit cum illo efficienter ad visionem, tã-
quam actus illius, ad modum formæ, & principij, Que,
demptis imperfectionibus, quæ in alijs huiusmodi prin
cipijs reperiri possunt, & solent. Hæc Conclusio colli-
gitur ex D. Thoma pluribus locis, præsertim in. 4. d.
49. q. 2. art. 1. & 3. Contra Gentes cap. 51. & q. 8. de
Veritate art. 1. & Opusculo 107. Vbi docet, Essentiam
Diuinam constituere intellectum in actu ad intelligen
dum Deum, esseq; formam, qua intellectus intelligit,
& ex intellectu & Essentia Dei fieri vnum in intelligen
11 do, idest, vnicum intellectionis principium. Ex quibus
aperte colligitur, Deum cum intellectu effectiue con-
currere tanquàm formam illius. Et 3. contra Gentes
cap. 51. ait, Deum vniri in ratione speciei tanquã for-
mam intellectus, qui se habet vt materiale quoddam:
Et subdit. Forma est principium agendi, materia ve-
ro patiendi. Quare dicam actionem competere intel-
lectui ratione formæ, & Diuinæ Essentiæ, vt principio
12 effectiuo. Item q. 8. de Veritate art. 6. in corpore, de
omni specie, siue sit accidens, siue substantia, creata, vel
increata, docet, quod sit principium effectiuum intel-
lectionis, dicens: intellectum & speciem esse vnũ prin-
cipium huius actus, qui est intelligere sicut materia pri
ma nequit agere aliquam actionem, nisi perficiatur per
formam, & tunc actio illa est quædam emanatio for-
mæ ipsius, magis quàm materiæ, Idest, magis procedit
actio à forma tanquam à principio efficiente, quàm à
materia. Ita, ait, intellectus noster nihil potest intelli-
gere, antequam perficiatur forma intelligibili actu. Et
13 in solutione ad 3. ait, rem intellectam & intelligens, id
est, speciem rei intellectæ in quacumque intellectione,
etiam cùm Angelus seipsum per suam essentiam cog-
noscit, non se habere, vt agens & patiens, sed vtrumq;
vt vnum agens. Si ergo vtrumque est vnum agens, v-
trumque est agens. Et ad 9. inquit, illud, quod intelli-
gitur, quatenus vnitur in ratione speciei, vt Angeli Es-
sentia, non esse vt passum, sed vt principium actionis.
14 Et 1. p. q. 56. art. 1, ait. Ita se habet obiectum vnitum
potentiæ ad actionem illius, sicut forma, quæ est prin
cipium actionis in alijs agentibus. Sicut enim calor est
principium calefactionis in igne, ita species rei visæ
est principium visionis. Et ne quis existimaret de spe-
ciebus accidentalibus duntaxat sermonem facere, sub-
dit. Nihil autem differt ad hoc, quòd forma sit prin-
cipium actionis, quòd ipsa forma sit in hærens, vel per
se subsistens, non enim minùs calor calefaceret, si esset
per se subsistens, quàm calefacit inhærens. Hanc Cõ-
15 clusionem recipiunt omnes Thomistæ veteres, & re-
centiores, Capreolus in 3. d. 14. q. 1. articulo 3. ad 2.
contra. 1. Conclus. & in 4. d. 49. art. 3. ad. 2. Duran-
di, Siluester. 1. p. Conflatorij q. 12. art. 1. ad 11. Soto
in 4. d. 49. q. 2. art. 3. Ferrar. 3. Contra Gent. cap. 51.
Zumel. 1. p. q. 12. art. 2. Conclusione 3. Et Suarez
3. p. q. 9. art. 1, Disput. 24. Sectio. 3. Et his tempo-
16 ribus est communis inter Theologos: Et omnes fatẽ-
tur de ratione formali speciei intelligibilis esse, quòd
sit principium effectiuum: quæ ratio in Diuina Essen-
tia necessariò reperiri debet. Et Caietanus loco citato

non negat speciei efficientiam, sed sit simul coniungi
causalitatem formalem. Et 1. 2. q. 49. art. 3. ait, hu-
iusmodi effectiuam causalitatem esse de ratione speciei
multò magis quàm habitus luminis gloriæ, vel alterius
cuiusque. Et probatur rationibus. 17
Primo. Intellectus beati constituitur in actu primo
ad agendum per Diuinam Essentiam in ratione formæ
actuantis vnitam, ergo secundùm hanc rationem con
currit essentia effectiuè. Patet consequentia, nã quod
est principium constituens agens, vt agat, concurrit
effectiuè ad eadem actionem, vt constat inductiuè in a-
nima, in calore, & in alijs formis agentium. Et huius
ratio est manifesta; quia quod constituit agens ad agẽ-
dum, præstat virtutem actiuam: quod verò tribuit vir-
tutem actiuam, actiue se habet, vt ex terminis constat.
Confirmatur. Actus primus habet se ad actum secun- 18
dum, vt principium actiuum: sed Diuina Essentia vni-
tur vt actus primus; ergo &c. Maior patet, quia actus
primus est, qui proximè constituit causam actiuam in
ratione agendi. Secunda. Obiectum efficienter con- 19
currit cum intellectu ad intellectionem ob obiecto e-
nim & potentia paritur notitia, ipso obiecto actiuè cõ
currente magis quàm potentia, cùm obiectum compa-
retur ad notitiam, vt vir, potentia verò vt fœmina, sed
obiectum non efficit notitiam, nisi per speciem, quæ se-
cundùm Philosophos semini comparatur: ergo species
& quicquid eius vicem gerit, effectiuè concurrit ad in-
tellectionem. Tertia. Intellectus beati in ratione in- 20
telligentis habet esse à Diuina Essentia; vt vnita in ra-
tione speciei, ergo ab eadem habet operari. Consequẽ-
tia patet, quia à quo res habet esse, habet etiam opera-
ri. Antecedens verò probatur, quia noster intellectus
est in potentia indeterminata de se maximè ad Diuinã
visionem; sed à Diuina Essentia determinatur tanquã
per formam, ergo ab eadem recipit esse in ratione in-
telligentis. Quarta.
Concurrere vt principium effectiuum est maxima 21
perfectio, nihil dicens imperfectionis; ergo non est de-
neganda Deo in ratione speciei vnito. Probatur con-
sequentia; quia huic vnioni Dei cum intellectu tribui-
tur, quicquid perfectionis est in vnione speciei cũ nos
tro intellectu: sicut ergo species in nobis actiuè concur-
rit, & hæc est maxima eius perfectio, etiam Dei Essen
tia actiuè concurrit. Confirmatur: quia causalitas ac- 22
tiua maximè conuenit Deo, causalitas verò formalis
illi repugnat; quoniam aliquam imperfectionem inuol
uit, & ideò est communis sententia Theologorum,
Deum supplere posse vicem causæ efficientis, non autẽ
causæ formalis; ergo Diuinæ Essentiæ vnitæ ad visio-
nem maximè conuenit concursus causæ efficientis, imò
verò concursus causæ formalis illi derogat. Quinta. 23
Lumen gloriæ concurrit actiuè cum ipso intellectu, si-
militer in nobis habitus naturales, siue acquisiti effec-
tiuè suos actus producunt: ergo multò magis Deus, qui
intellectui perfectissimè vnitur ad suum vltimum actũ.
Sexta. Diuina Essentia respectu visionis constituit vnũ 24
principium totale simul cum intellectu: sed intellectus
concurrit actiuè, vt patet: ergo etiam Diuina Essentia.
Probatur consequentia: quia si intellectus & Diuina Es
sentia non concurrunt in eodem genere causæ, neque
in eadem ratione principij non constituerent vnum prin
cipium: quæ enim diuersæ sunt causæ, & diuerso modo
causantes,

Digitized by Google

causantes, diuersa sunt etiam principia.

25 Septima. De ratione cognitionis cuiusq; est, vt fiat per assimilationem, ita vt cognoscens, inquantum efficiens cognitionem, sit simile rei cognitæ secundùm formam, per quam operatur; & similiter cognitio procedat à cognoscente simili rei cognitæ, sitque operatio similis; id est, à simili procedens; sed intellectus creatus non assimilatur Deo nisi per Diuinam Essentiam vni-

26 tam; ergo per illam, Dei visionem producit. Dices, assimilationem, quæ ex parte potentiæ requiritur, constitui per lumen gloriæ. Cæterùm hæc responsio nulla est, quia similitudo, quæ à Philosophis exigitur ad cognitionem, debet se tenere ex parte obiecti, quam obiectum vt sic causat in ratione obiecti, quæ est similitudo per speciem constituta, non similitudo, quam interdum causat obiectum, vt est quoddam agens vniuersale, & vt res quædam, potiùs quàm vt obiectum, qualis est illa luminis gloriæ: tum etiam, quia similitudo in præsenti requisita est secundùm eandem rationem specificam.

27 Octaua. Intellectus possibilis vltra lumen intellectus agentis indiget specie effectiuè concurrente cum ipso ad intellectionem; ergo à fortiori vltra lumen gloriæ indiget specie quidditatiua actiuè concurrente ad quidditatiuam Dei cognitionem. Consequentia patet, quoniam magis proportionatur intellectus lumine naturali cum obiecto naturali, quàm lumen gloriæ cum ipso Deo, vt est in se: sed intellectus proportionatus vltra lumen proportionatum indiget specie ex parte principij actiui ad proportionatum obiectum percipiendum: ergo multò magis cum lumine gloriæ indigebit specie ad obiectum improportionatum.

28 Nona. Diuina Natura in ratione speciei vnit potentiam cum obiecto in ratione intelligibilis, vt docet D. Thomas. 1. p. q. 56. art. 1. Et aduersarij fatentur, hanc esse rationem formalem speciei intelligibilis: sed hæc vnio necessariò inuoluit efficientiam respectu cognitionis sequentis, ita vt qua ratione vnit obiectũ cũ potentia species, sit principiũ effectiuũ cognitionis illius obiecti; ergo necessũ est, sit principiũ effectiuũ. Minor probatur primò: Illa vnio obiecti, quæ fit per speciẽ nõ est in ratione obiecti terminatiui, hæc enim pertinet ad Vnionẽ Verbi, sed in ratione obiecti motiui: sed vnio obiecti motiui importat efficientiã, & effectiuã motionem, ita vt obiectũ motiuũ vt sic vniatur mouendo ad operationem, & per illam formam, per quam vnitur ad operationem, mouet: ergo &c. Secundò probatur.

29 Hæc vnio est obiecti in ratione intelligibilis, nõ passiuè constituens intellectum cognitũ: ergo actiuè efficiens intellectum cognoscitiuum. Consequentia patet, quia cognoscibile tantùm importat actionem, vel passionem. Tertiò. Vnire obiectũ cum potentia in ratione intelligibilis per speciem, nihil est aliud, quàm potentiam constituere actu cognoscitiuã talis obiecti, & efficere

30 illam obiecto similem, & deificatã, ita vt species vnita constituat formaliter potentiam intellectiuam talis obiecti, eam illi assimilans: sed constituere intellectiuũ vt sic, est actiuum constituere, cùm intellectiuum sit sit actiuum; assimilareq; intellectum est efficere illum principiũ intellectionis, cùm cognitio à simili debeat causari: ergo forma constituens formaliter intellectiuum actiuum, & formale, est principium effectiuum intellectionis, sicut intelligi nequit, quod aliquid constituat calefactiuum, & non sit principium efficiens calefactionis.

Ex his sequitur primò, quòd species creata, quæ est qualitas inhærens, non solùm habet, quòd sit forma tribuens esse formale intellectui, & specificans actum; sed etiam virtutem præstans agendi: atque adeò effectiuè concurrit ad intellectionem. Ratio est, quia vere est forma informans, & tribuens esse intellectui ad agendum; ergo concurrit actiue. Patet consequentia; quia forma causam agentem vt sic informans, effectiue cõcurrit ad actionem. Et in huiusmodi formis nulla assignabitur, quæ tribuat esse, & non operari: vnde omnes illæ dicuntur formæ actiuæ. Et D. Thomas. 1. Contra Gent. cap. 53. inquit, intellectum formare in se intentionem rei intellectæ virtute speciei impressæ. Illa autem dictio, Virtute, nequit intelligi nisi de virtute actiua. Sed apertiùs id asserit D. Thomas quodlibeto. 7. art. 1. 30 31

Sequitur secundò, valde probabile esse, quòd substantia Angeli vnita suo intellectui in ratione speciei, concurrat etiam effectiuè ad sui cognitionem: quoniam essentia Angeli tribuit esse suo intellectui, & illi præstat omnem virtutem agendi, siue ad cognoscendum alia, siue ad cognoscendum seipsum; ergo dicitur etiam principium actiuum respectu cognitionis sui ipsius, sicut est principium actiuum respectu operationum, quæ ex tali esse essentiæ originantur. Explicatur hoc. Species, quas Angeli habent ad cognoscendas alias res, habent virtutem actiuam profluentem ab esse Angeli, & mediante hac virtute, & influxu actiuo ipsius essentiæ producunt efficienter cognitionem; ergo similiter essentia Angeli influens virtutem intelligendi seipsum in ratione speciei, concurrit efficienter ad talem cognitionem. Antecedens videtur notum, præsertim in ea opinione, quæ tenet, species Angelorum dimanare ab eorum essentijs, vt proprias passiones. Passiones autem & potentiæ actiuæ habent virtutem agendi ab essentia, à qua fluunt. Consequentia verò probatur; nam quicquid perfectionis habent species Angelorum in hoc, quòd determinant intellectum, & concurrunt ad intellectionem, habet essentia Angeli respectu suæ cognitionis; ergo cùm species habeant virtutem actiuam respectu cognitionis, hoc etiam habet essentia Angeli respectu suæ cognitionis. Reliquum est argumenta in contrarium dissoluere. 32 33 34

Ad primum negatur Sequella, & ad probationem cõceditur, speciem subordinari potentiæ, cùm est eiusdem ordinis & rationis cum illa, & ita species intelligibilis creata subordinatur intellectui. Quando verò species est altioris ordinis, non subordinatur potentiæ. Et quia Diuina Essentia est principium formale effectiuum altioris ordinis, quàm intellectus creatus, & tribuit illi virtutem, ideò non subordinatur intellectui. Sic Ferrar. 3. Contra Gent. cap. 51. Sed obijcitur. Diuina Essentia in ratione speciei vnita est principium, Quo, intellectus intelligit, & ex consequenti est cõprincipiũ intellectionis; sed comprincipiũ, siue principiũ, Quo, dependet à principio, Quod, & illi subditur: ergo Essentia Diuina est principium subordinatum 35 36

intellectui, & intelligenti; qui operatur vt agens prin-
cipale; ac proindè est principium inferius, ac minùs
37 principale, & instrumentale intelligentis. Resp. conces-
sa maiori negãdo minorem, quia cùm principiũ, Quod,
& Quo, nõ sint duo principia, & duæ causæ, sed vnicũ
compleant principium, vt docet Caiet. 1.2.q.49.art.3.
Nulla potest subordinatio & dependentia inter illa re-
38 periri. Secundò Resp. quòd licet in principijs creatis,
Quod, & Quo, reperiatur huiusmodi subordinatio;
quia semper principium, Quod, operatur mediante
principio, Quo, & omne principium, Quo, creatum re-
cipit vim & efficaciã ad operandũ à principio, Quod;
39 Cæterùm Diuina Essentia in ratione speciei vnita est
per se subsistens, nullam vim operatiuam & efficacita-
tem recipiens ab intellectu, vel intelligente, & ideò non
est subordinatum principium, neque etiam debet dici
dependens ab alio; cùm à nullo vim habeat operan-
di, & multò minùs instrumentale principium, quia
instrumentum à principali agente vim recipit ope-
randi.

40 Prætereà. Ad eliciendam visionem non concurrunt
duo partialia agentia, vnum alteri subordinatum, sed
vnicum duntaxat, nempe, intellectus creatus factus Deus
mirabili modo. Itaque sicut in quacumque intellec-
tione, intellectus specie informatus in ratione cognos-
cibilis, secũdùm se totũ est cognoscitiuus, nec ibi opor-
tet partialia agentia considerare, sed vnum totale &
perfectum; quemadmodùm visibile, nempe, color
illustratus lumine est vnicum totale, ac perfectum
41 obiectum potentiæ visiuæ, ac proindè intellectus
informatus specie intelligibili secundùm se totum est
productiuus intellectionis, quatenùs intellectus per spe-
ciem fit res intellecta, & vnum transit in aliud; intellec-
tus scilicet in ipsum intelligibile, & hoc quodammodò
imbibitur in ipso intellectu, vt rectè explicat Caietanus
1.p.q.79.art.2. Ita similiter in visione beata non con-
currunt duo partialia agentia, vnum alteri subordina-
tum, sed vnum integrum, scilicet, intellectus creatus
factus Deus in esse intelligibili: ita vt intellectus tran-
seat in ipsum Deum, & ipse Deus quodammodò imbi-
bitur in intellectu.

42 Ad secundum argumentum Resp. lumen gloriæ esse
principium effectiuum visionis beatificæ, tribuereque
intellectui efficientiam, quæ se tenet ex parte potentiæ,
vltra hanc autem efficientiam requiritur alia, quæ se
teneat ex parte obiecti; & hanc tribuit Diuina Essentia.
Prior est veluti potentialis; posterior verò est actualis.
Sed hæc Solutio apertiùs intelligetur in responsione
ad quintum.

43 Ad confirmationem Resp. Deum in intellectu beati
non habere nisi vnicam efficientiam, nã vt est author
gratiæ, & bonorum supernaturalium est causa parti-
cularis, & principalis visionis, & sicut bona ordinis su-
pernaturalis non reducuntur in Deum, tanquã in cau-
sam vniuersalem, sed vt particularem; cùm sint pro-
pria Dei, sicut calor est proprium ignis, & lux Solis: ita
similiter visio reducitur in Deum tanquam in causam
particularem & principalem, ac proindè vnica tan-
44 tùm efficientia ad visionem concurrit. Sed replica-
tur. Deus concurrit effectiue ad visionem, tanquam
causa principalis, cui intellectus beati subordinatur;
ergo vt vnitur intellectui in ratione speciei, nequit
efficienter concurrere; aliàs in eodem genere causæ es-
set Deus subordinatus intellectui, & intellectus Deo.
Resp. quòd si Deus consideretur absolutè, & simplici- 45
ter secundum esse entitatiuum, concurrit vt causa prin
cipalis talis visionis, & illi subordinatur intellectus. Si
verò consideretur Deus in ratione formæ intelligibi-
lis actuantis intellectum, est principium, Quo, effectiuũ
visionis, non tamen subordinatum intellectui. Neque
est inconueniens, quòd secundum diuersas rationes ha-
beat duplicem rationem principij effectiui.

Ad tertium Respondet Ferrar. 3. Contra Gentes 46
cap. 51. Circa finem in solutione ad primum, id, quo
aliquid operatur, tanquam potentia operatiua, vel
tanquam primum & principale principium effecti-
uum, oportere, esse formam eius intrinsecam: at id,
quo aliquid operatur tanquam perfectiuo virtutis ad
operandum, quo pacto Deus est principium, quo in-
tellectus elicit visionem, non est necessarium, sit intrin-
secum.

Secundò Respondet Ferrar. Deum non esse extrin- 47
secum omninò, seiunctum, & separatum ab intellectu,
sed vtrumque vniri, & coniungi in aliquo tertio: quia
vtrumq; est in anima, Deus sicut operans ipsam intrin-
secè, intellectus verò sicut illius proprietas, ad modum
quo vna potentia nõ est alteri omninò extrinseca. Ter-
tiò Respondet Ferrar. quando id, quo aliquid operatur
non est suum esse, informare, & esse intrinsecum illi,
quod per tale principium operatur: at quando est suum 48
esse, potest sine informatione actuare. Ex quibus Solu-
tionibus hæc potest colligi: nempe, hoc esse peculiare
& proprium Dei, vt possit esse principium operationis
alicuius, quamuis sit extrinsecum rei, cum qua opera-
tur; cuius duplex est ratio. Prima; quia actuare potest
rem extrinsecam, & eò ipso, quo rem in actu consti-
tuit, est principium, quo talis res operatur. Et hac ra-
tione licèt suppositum Verbi non inhæreat ipsi naturę
humanæ, tanquam quid intrinsecum; quia illã tamen
actuat, & complet, illius actiones elicit. Secunda: quia 49
Deus adeò intimè assistit intellectui, vt intimiùs sit ibi,
quàm quæuis forma in ipso intellectu suscepta infor-
mãs: imò magis quàm ipse intellectus sibi. Quarè cùm
istæ rationes in rebus creatis reperiri non possint, ac-
tualitas sine informatione, & hæc intima assistentia
ideò alijs repugnat, esse principium, Quo, & non esse
informans intrinsecum.

Ad quartũ Resp. de ratione intrinseca actionis im- 50
manentis esse, vt maneat in principio, Quod, & in illo
suscipiatur, vt V. G. intellectio in intelligente, & non
progrediatur extra ipsum. & similiter quòd maneat in
quocũque principio, siue Quod, siue Quo vitali. Voca-
tur autem principium vitale ipsum viuens, & potentia
vitalis, quæ à viuente promanat. Cætera verò his 51
superaddita, quamuis ad operationem vitalem efficien-
ter concurrant, vt habitus & species, non sunt vitalia
principia, id est, à viuente, vel vita immediatè proma-
nantia. Reliqua verò principia non est necesse, sint sus-
ceptiua vel Quod, vel Quo, neq; est necessarium, quòd
actus immanens suscipiatur in omni principio intrin-
seco, à quo promanat. Quando autem potentia per
aliquod principium extrinsecum operatur, multò mi-
nùs necesse est, in illo suscipiatur, imò neque suscipi
potest.

Ad

Digitized by Google

52 Ad quintum argumentum, prout nititur testimonio D. Thomæ. 1. p. q. 12. art. 2. Resp. quod si aliquid probaret, conuinceret certè, nullam speciem intelligibilem efficienter ad intellectionem concurrere; cùm de omnibus affirmet, requiri, & tenere se ex parte obiecti; quod tamen non concedunt aduersarij; sed dicunt, accidentarias species effectiuè ad intellectionem concurrere. Vnde dicendum est, D. Thomam in eo loco constituere duntaxat ex parte potentiæ vim, & efficaciã potentialem: potentialitatem, loquã, ad actũ eliciendum,
53 & proportionem potentialem cum illo. Vltra istam autem vim potentialem, requiritur etiam forma, qua potentia in actu primo completo constituatur, & qua immediatè operetur; vt vltra potentialitatẽ, quã habet intellectus ex sua natura ex lumine intellectus agentis ad obiecta naturalia percipienda, requiritur species, qua actuatus eliciat actum cognitionis etiam propor-
54 tionatæ. Cùm ergo habitus sint quodammodò virtutis potentialis augmentum, vt docet D. Tho. 3. Contra Gent. cap. 53. Ideò lumen intellectus, quod est quidam habitus, computatur ex parte potentiæ, & vocatur vis, & efficacia intellectus ad Deum videndum. Sed vlterius in potentia requiritur actus primus, qui est forma, per quam operatur: quæ cùm non sit vis potentialis, non constituitur ex parte potentiæ.
55 Dicendum est secundò, speciem constitui ex parte obiecti: quia illud cum potentia in esse intelligibili cõiungit, quamuis simul cum potentia effectiuè concurrat, imò hæc coniunctio efficientiam importat: tum etiam, quia supposita potentia lumine proportionata potentialiter cum obiecto, ad obiectum pertinet illam determinare ad talem cognitionem: quod fit per speciem, qua ad hunc actum eliciendum determinatur. Item quoniam obiecti munus est, potentiam sibi assi-
56 milare, obiecti, inquam, motiui. Et cùm potentia operetur inquantùm obiecto similis, per eam quidem formam, per quam ab obiecto mouetur, operatur. Et illa forma ob hanc rationem dicitur se tenere ex parte obiecti: quia ad obiectum pertinet illam cum potentia vnire suppositis iam potentialibus, & habitualibus.
57 Denique species dicitur ex parte obiecti se tenere, quia licet effectiuè concurrat simul cũ potentia, & per illã operetur potentia, efficientia tamen speciei obiecto tribuitur, & nõ potentiæ. Cùm enim vtrũq; effectiuè cõcurrat ad intellectionem, & potentia & obiectum, quia ex obiecto & potentia paritur notitia: obiectum autem operatur per ipsam speciem: ideò efficientia speciei obiecto tribuitur: efficientia verò luminis gloriæ, & habitus tribuitur potentiæ.
58 Ad confirmationem ex D. Thoma quodlib. 7. Resp. tantùm velle, non dari, neque requiri speciem aliquam à Diuina Essentia distinctam, intellectui impressam, qua Deus videatur: sed ipsammet essentiam esse, Quo, & Quod videtur. Et quòd hęc fuerit mens D. Thomæ, constat; quia ibi probat, sufficere lumen gloriæ ad perficiendum intellectum, vt Deum videat, eo quòd ipsa Diuina Essentia est lux intelligibilis totaliter. Hæc autem ratio tantùm probat, nõ requiri lumen distinctum, id est, speciem distinctam ad hoc, vt Diuina Essentia videatur, cùm seipsa, & per seipsam sit perfectè in-
59 telligibilis. Qua ratione vbique vtitur D. Thomas ad probandum, non videri Deum per aliam speciem distinctam. Et ex similitudine adducta in citato quodlibeto constat, hanc esse mentem D. Tho. quia subiũgit. *Sicut si lux sensibilis per se existeret, ad cius visione sufficeret lumen oculorũ perficiens sine aliqua similitudine, sic &c.* Vbi nõ negat, quòd tũc vniretur lumen in ratione speciei, & cũ potentia visiua effectiuè cõcurreret, sed tantũ negat speciem aliam à lumine distinctã. Cùm verò ait, lumen gloriæ intellectum perficere ad Deũ intuendũ, intelligit, quantùm est ex parte potentię, ita vt nulla alia similitudo requiratur ex parte potentiæ in ipsa potentia suscepta, ei intrinseca, & eã informans; sed non negat aliquid amplius requiri ex parte obiecti.
Cùm verò subdit, lumen gloriæ efficere id, quod in alijs 60
cognitionibus lumen, & species se tenens ex parte potentiæ, hoc tantùm vult, quòd lumen gloriæ præstat id omne, quod in naturalibus cognitionibus præstat lumen, & species creata, quatenùs ex parte potentiæ se tenent. Etenim species creata ab obiecto causata, vt illius similitudo duo habet; alterũ illi formaliter cõueniens, quatenùs est species, quod est vnire obiectũ cũ potẽtia,
& illam obiecto assimilare: alterũ verò materialiter & 61
per accidens cõueniens, quod est esse formã intrinsecã intellectus, illi inhærentem. Quòad primũ considerata species tenet se ex parte obiecti, non potentiæ. Et quia hoc conuenit formaliter speciei, ideò absolutè dicitur tenere se ex parte obiecti. Quòad secundũ verò dicitur se tenere ex parte intellectus tanquã illius forma. Lumẽ ergo glorię cõfert, quicquid ex parte potentiæ se tenet, ita vt necessariũ nõ sit, aliam superaddere formam, vel
speciem inhærentem. Vel dicito, quod ferè idem est, lu- 62
men gloriæ præstare omne id, quod est intrinsecũ intellectui, in ipso susceptũ, ita vt nihil aliud intrinsecum requiratur, vt in alijs vltra lumen requiritur species intrinseca. Et hoc cõtendit D. Tho. quòd cùm obiectum nõ est per se intelligibile, vltra lumen requiratur in potentia species causata intrinsecè in ea suscepta, qua cõstituatur obiectũ actu intelligibile. Ac quando est ipsum per se intelligibile, non requiritur in potentia aliquid aliud susceptũ præter lumen: quia cætera omnia per se
præstat ipsum obiectum. Nec obstat, quod docet D. 63
Thom. 1. p. q. 12. art. 2. ad. 2. quòd intellectus fit in actu ad videndum Deum per lumen gloriæ, & hoc sufficit. Intelligendum est ergo iuxta prædicta, quòd per lumen gloriæ fit in actu intrinseco, ita vt nullus alius actus intrinsecus requiratur; bene tamen extrinsecus quodam-
modò. Secũdò potest intelligi de actu potentiali, vt ita 64
dicam, & habituali, ita vt lumen gloriæ constituat intellectum actu potentem, & proportionatum visioni in ratione potentię, vt docet D. Thom. 3. Contra Gent. cap. 53. Sed vltra istam actualitatem requiritur alia, vt sit completè in actu primo, ad immediatè eliciendam sine alio medio visionem claram. Vel tertiò per lumen gloriæ dicitur intellectus constitutus in actu ex parte potentiæ requisito, sed vltra istam actualitatem requiritur alia ex parte obiecti, vt ostensum est.

SEPTIMA DISPVTATIO.

HACTENVS definitum est, Diuinitatem posse esse formam intellectus creati in esse intelligibili, supplereq; vicem speciei intelligibilis. Modò dubitatur, An possit etiam esse forma in esse sensibili, ita vt vniri possit cũ sensu aliquo, siue interno

fuit externo in ratione speciei sensibilis, taliter vt seipsa speciem visiuam V.G. colorati supplere possit ad videndum colorem sine specie coloris per essentiam visui vnitam. Affirmatio probatur. Primò, quia Deum supplere vicem speciei sensibilis, & vniri potentiæ sensitiuæ in ratione speciei, non implicat contradictionem: ergo &c. Probatur antecedens. Supplere vicem speciei sensibilis, est supplere vicem causæ efficientis, alias neq; vicem speciei intelligibilis supplere posset, cùm vtraq; eodem modo se habeat, sed vicem causæ efficientis suppleri à Deo non implicat contradictionem: ergo &c.

Confirmatur. Quicquid Deus efficere potest cum causa secunda efficiente, se solo facere potest; sed Deus per aliquid aliud in sensu causatum potest supplere speciem sensibilem: ergo & se solo per suā essentiā vnitam poterit id supplere.

3. Secundò. Diuinitas potest supplere vicem speciei intelligibilis repræsentantis V. G. hominem, & per illam melius cognoscetur homo, quàm per propriā speciem: ergo similiter poterit supplere vicem speciei sensibilis, V.G. albi, ita vt per illam vnitam visui, meliùs percipiatur album, quàm per propriam ipsius albi speciem. Cōsequentia patet; quia ideò potest Diuinitas supplere vicem cuiusque speciei intelligibilis, quia perfectionem cuiusq; eminenter continet: sed etiam continet perfectionem cuiusq; speciei sensibilis: ergo &c.

4. Confirmatur. Diuinitas ideò potest supplere vicem cuiusque speciei intelligibilis, hominis, equi, leonis &c. Quia est omnium rerum intelligibilium Idea, omnia intelligibilia repræsentans longè perfectiùs, quàm species propriæ ipsarum; sed similiter est idea omnium rerum sensibilium, omnes perfectissimè repræsentans: ergo &c.

5. Tertiò. Si huic Vnioni aliquid obstaret, illud esset, quia sensus est materialis actus organi corporei, Diuinitas autem omninò spiritualis; cùm nulla alia sit differentia inter sensum cognoscitiuum, & intellectum, quoad præsens attinet: sed hoc non obstat, quia nō repugnat, spiritualem rem esse actum corporis, vt patet in anima rationali, quæ est actus intrinsecus corporis humani, & ipsemet Deus sua subsistētia actuat in Christo humanam naturam, potestq; actuare suppositaliter, & sustentare quamcumq; aliam naturam; ergo non repugnat, Deum quodcumq; corpus actuare.

6. Nihilominus affirmandum est, per nullam potentiam fieri posse, vt Diuinitas vniatur sensui in ratione speciei sensibilis. Ita colligitur ex D. Thoma in hoc articulo dicente, Deū nullius entis creati, præsertim corporei, posse esse formam. Et probatur primò. Vniri in ratione speciei sensibilis est, vniri in ratione speciei materialis, atq; esse formaliter speciem materialem; sed hoc repugnat Diuinitati: ergo supplere vicem speciei sensibilis, quod est fieri speciem sensibilem, sicut supplere vicem speciei intelligibilis est effici speciem intelligibilem, & qua ratione Diuinitas supplet vicem speciei intelligibilis, est formaliter species intelligibilis, vt ex supradictis constat: ergo supplere speciem sensibilem est, effici formaliter speciem materialem.

7. Secundò. Repugnat secundùm omnem potentiam, speciem intelligibilem creatam vniri sensui in ratione speciei sensibilis, ita vt visus colorem videret, per speciem intelligibilem, qua intellectus colorem cognoscit, & non ob aliam causam, nisi quia efficeretur sensibilis, & mutaret proinde speciem & naturam: sed Diuinitas formaliter est forma intelligibilis: ergo repugnat fieri sensibilem.

8. Tertiò. Actus sentiendi essentialiter & in genere causæ formalis pendet ab specie sensibili, sicut actus intelligendi à forma intelligibili, ita vt si Diuinitas non esset formaliter intelligibilis forma, non posset esse intellectionis principium: sed Diuinitati repugnat esse formā sensibilem; ergo esse principium formale sensationis: id est, qua sensus sentiat. Maior patet: quia actus vitalis, qualis est sensatio, non tantùm pendet à potentia vitali, sed ab illa, vt est in actu primo per formam, per quā operatur, sicut intellectio pendet in genere causæ formalis ab intellectu, vt est in actu primo per formā intelligibilem, quæcumq; illa sit. Et constat etiam ex ordine actus primi & secundi, nā actus secundus sentiendi ex actu primo sensibili necessariò dependet.

9. Dices quòd sicut anima rationalis supplet vicem animæ sensitiuæ, quamuis non sit formaliter sensitiua secundùm probabiliorem sententiam, sed specie distincta à sensitiua, & vnitur corpori in ratione sensitiui, tribuens esse sensitiuum in actu primo, estq; principium formale, quo homo sentit, licet non sit formaliter sensitiua: ita similiter Deus, quamuis non sit sensibilis formaliter, poterit vniri in ratione speciei sensibilis constituentis sensum in actu primo, esseq; principium formale sentiendi.

10. Cæterùm hæc responsio non dissoluit rationes propositas, nam cùm anima rationalis in ordine rerum spiritualem infimum gradum obtineat, eo quòd est forma corporis, quamuis simpliciter sit incorporea, & spiritualis; est tamen secundùm quid, & aliqualiter corporea, aliqualem habent in sua operatione à corpore dependentiam, ac proinde quatenùs est forma corporis, tribuit esse corporeum & sensibile. At species intelligibilis est omninò immaterialis, & nulla ratione actus corporis, & Deus infinitè immaterialis, suprēmū immaterialitatis gradum obtinens. Rursus anima rationalis non est principium formale proximum & immediatum sentiendi, sed radicale & remotum, & ideò non est necesse, sit formaliter sensibilis, sed sufficit, sit principium sensus, qui est immediatum sentiendi principium. 11

12. Quartò. Implicat, Diuinitatem aliquo sensu cognosci, vt docent omnes Theologi cum D. Thoma 1. p. q. 12. art. 3. Ergo implicat etiam vniri in ratione speciei sensibilis, & principij sensationis. Patet consequentia: quia si daretur talis vnio, necessariò sensus per illam speciem Deum cognosceret: ergo &c. Probatur hoc antecedens, tum quia Deus immediatè seipsum repræsentat potentiæ, cui vnitur in ratione speciei, multò magis quàm species albi albedinem, cætera verò, quæ repræsentat Deus, veluti secundariò repræsentat: ergo si vniretur sensui in ratione speciei, per illam sensus Deum primario cognosceret, & secundariò quicquid aliud cognosceret: Sicut per visionem albi potentia visiua priùs percipit album, & secundariò quicquid ad visionem albi videt, vt substātiam. Tum etiam: 13 quia quod videtur per Diuinam Essentiam, tanquam per speciem, in ea tanquàm in obiecto videtur: ergo si sensus

si sensus per Diuinam Essentiã vnitam in ratione speciei, aliquid coloratum V. G. videret, in Deo viso videret. Sed implicat per potentiam visiuam, vel quamcumque aliam sensitiuam Deum videre: ergo similiter repugnat per Dei Essentiã aliquid aliud percipere.

14 Confirmatur primò. Impossibile est, Diuinitatem vniri sensui, siue interno, siue externo in ratione Verbi, seu obiecti, ergo etiam in ratione speciei, & principij cognitionis. Consequentia patet; tum quia Vnio in ratione Verbi necessariò consequitur Vnionem in ratione speciei: tum etiam, quia Verbum & species proportionatè sibi correspondent, nam speciei infinitæ Verbum, & terminus correspõdet infinitus; & ideò cognitio beata ad Verbũ Diuinũ terminatur, quia ab Essentia Diuina, tanquàm ab specie procedit.

15 Confirmatur secundò; quia implicat potentiam vitalem eleuari vltra latitudinem sui obiecti, non enim potentia sensitiua vltra sensibilia eleuari potest ad intelligibilia, & immaterialia; at si Diuinitas vniretur sensui in ratione speciei, eleuaretur sensus vltra latitudinem sui obiecti ad immaterialia, & intelligibilia: ergo &c. Minor patet, quia per Diuinam Essentiam proportionaretur rebus intelligibilibus, & immaterialibus, ergo eleuaretur ad illas.

16 Ad primum igitur argumentum Resp. non implicare, quòd Diuinitas suppleat vice speciei sensibilis per aliquid sensibile vnitum sensui, vt si loco speciei ab albo productæ in ipso viso, se solo aliquam qualitatem excellentiorem intra genus tamen formæ sensibilis produceret, qua oculus album videret, vel loco speciei lucis vniret ipsam lucem. Implicat tamen, vel per speciem intelligibilem creatam, vel per suam essentiã, quæ non est sensibilis, supplere vicem speciei sensibilis, quoniam actus sentiendi pendet in genere causæ formalis à principio formaliter sensibili, siue sit propria species, siue supplens vicem speciei. Potest verò Deus supplere vicem speciei intelligibilis, qoia ipse formaliter est intelligibilis, cõtinetur q; sub latitudine obiecti intellectus creati.

17 Ad confirmationem patet ex dictis: quicqoid enim Deus potest efficere per causam secundam, in genere causæ efficientis præesse concurrentem, potest se solo: non tamen per causam secondam, in genere simul causæ formalis causantem, vt in præsenti contingit.

18 Ad secundum negatur consequentia, quia ideò potest Diuinitas supplere vicem speciei intelligibilis, quia est formaliter intelligibilis continens eminenter creatæ speciei perfectionem. Et quia obiectum primò per illam cognitum cõtinetur sub obiecto intellectus, quæ omnia desunt respectu sensus.

19 Ad confirmationem Resp. ideò posse supplere vicem speciei intelligibilis leonis, quia est Idea intelligibilis leonis, & cuiusque rei: at non est Idea sensibilis sensibilium.

20 Ad tertium Resp. quòd licèt spirituale vniri possit cum re materiali in esse rei, vel formæ operantis non vitalem actum, nequit tamen vniri, vt forma sensibilis, & in ratione principij actus vitalis sensationis, vt ostensum est. Neque instantiæ in argumento adductæ aliquid conuincunt. Ad illam verò de anima; patet solutio ex dictis: nempe, obtinere infimum gradum inter immaterialia, esseq; partem, & non quid completum in genere immaterialium; & ideò posse esse formam corporis, & eius actum. Item Deus vniri potest sensui in ratione sustentantis, & suppositantis, nõn verò in ratione formæ, & immediati principij, Quo, sensationis, &c.

ARTICVLVS II.

Vtrum Vnio Verbi facta sit in Persona.

RESPONDET D. Thomas vnica cõclusione affirmatiua. Vnio Verbi Incarnati facta est in Persona. *Pro cuius probatione supponit primò, quo pacto Persona differat à natura, tam in rebus materialibus, quàm in Deo; vt hac ratione intelligatur, possibile fuisse, humanitatem Verbo Vniri absque propria Personalitate. Possibile etiam esse Vnionem fieri in Persona Verbi, & non in natura. Et quia Persona est suppositum rationalis naturæ secundùm Boetium, assignat huiusmodi differentiam inter suppositum & naturam. Dicit ergo, suppositum & naturã in rebus materialibus distingui realiter, non sicut duas res, sed sicut includens & inclusum: in Deo autem solùm distingui ratione, & penes modũ significandi. Ratio vtriusq; distinctionis desumitur ex differentia, quæ versatur inter id, quod natura significat, & id, quod suppositum exprimit: quia natura solũ dicit essentiam, & essentialia rei, suppositum verò præter hæc potest aliquid aliud dicere, sine quo natura intelligi potest, nempe, indiuiduationem, & subsistentiam. Ex quo discrimine optimè sequitur, quòd quia in rebus materialibus est aliquid aliud in supposito inclusum, sine quo natura intelligi potest, nempe, indiuiduatio & subsistentia: ideò in ipsis natura & suppositum realiter distinguuntur. Et quia hæc omnia in supposito includuntur; ideò distinctio hæc est duntaxat includentis, & inclusi, cuius rei signũ est, quòd suppositum per modũ totius significatur, natura verò per modum partis formalis, atq; adeò vnum de altero non prædicatur. Quia verò in Deo nullum est accidens, neque extrinsecum, sed omnia sunt essentialia, quæcumq; in Deo reperiuntur: ideò in Deo suppositum tantùm distinguitur ratione à natura, & per modum significati.*

Secundò supponit D. Thomas, quid sit vniri in Persona, & constituit vniuersalem propositionẽ. Quicquid inest alicui, siue pertineat ad eius naturam, siue non, vnitur ei in Persona. Hic positis probat

probat D. Thomas conclusionem. Humanitas est in Verbo, & ad eius naturam non spectat: ergo vnitur ei in Persona, & non in natura. Patet consequentia, quia quicquid alicui inest, siue ad eius pertineat naturam, siue non, vnitur ei in Persona.

Est primum argumentum D. Thomæ. Persona in Deo non distinguitur à natura: sed vnio non est facta in natura: ergo neque in Persona. Respondet, quòd licèt in Deo suppositum & natura sint idem secundùm rem, differunt tamen ratione; quia natura significatur vt essentia quædam, suppositum verò vt subsistens. Et hæc distinctio sufficit ad hoc, vt vnio dicatur esse facta in supposito, & non in natura.

Secundum argumentum est. Natura humana in Christo non est minoris dignitatis, quàm in nobis, sed in nobis habet propriam Personalitatem: ergo etiam in Christo; atque adeò vnio non est facta in Persona. Negat D. Thomas consequentiam, quia Personalitas dicit perfectionem, prout dicit existentiam. Et ideò natura humana, cùm existat in aliquo digniore se, nempe, in Persona Verbi, perfectiùs existit in Verbo, quàm existeret in se: sicut sensitiuum in homine perfectius est propter coniunctionem ad perfectiorem formam, quàm in bruto.

Tertiùm. Verbum assumpsit naturam humanam, indiuiduam & singularem; ergo natura humana habet in Christo suam propriam Personalitatem: est enim Persona rationalis naturæ indiuidua substantia, vt inquit Boetius lib. de Duabus Naturis; ac proinde vnio non est facta in Persona. Respondet, Christum assumpsisse naturam singularē in atomo; id est, in indiuiduo, vt inquit Damascenus lib. 3. fidei cap. 11. Quæ quidem licèt esset singularis, non tamē erat suppositum, quia in se non subsistebat, ac proinde non habet propriam Personam.

Commentarius.

1 IN his articulis inuestigat D. Tho. terminū assumptionis, qui ex vnione resultauit, qua tota Trinitas humanitatem Verbo coniunxit. Vnde sicut in hoc errauis Eutyches pro termino Incarnationis naturam quandam compositam, ex Diuina & humana resultantem constituens; sic errauit etiam Nestorius existimans huiusmodi terminum esse geminam Personam. Vnde dicebat factum esse ex ista Vnione, vt duæ Personæ resultarent, Diuina, & humana, distinctæ & separatæ interseſe, sicut manserunt duæ naturæ. Negabat etiam Diuinam Personam nasci ex Beatissima Virgine, quod de humana affirmabat, & ex consequenti negabat B. Virginem fuisse matrem Dei, & Personām humanam Christi esse verè Deum: quamuis Christus homo interdum in Sacris literis appelletur Deus, & Filius Dei, quod ipse explicabat per quandam anthonomasiam & attributionem, & per excellentem gratiam, ita vt Christus diceretur Deus, quia esset Deo maximè vnitus per singularem affectū, & excellentissimam gratiam. Legatur Historia Tripartita lib. 12. cap. 4. Et Historia Ecclesiastica lib. 9. cap. 31. D. Damascenus libro 3. Fidei Orthodoxæ cap. 10. Nicephorus lib. 14. cap. 31. & lib. 15. cap. 28. Quem errorem nostris temporibus suscitarunt ab orco quidam Lutherani, vt refert Osius lib. 5. contra Brentium, & Prateolus lib. 2. de Vitis & sectis hæreticorum cap. 4. vbi multa congerunt testimonia ad eius confutationem. Sed satis confutatur conclusione D. Thomæ, quæ est de fide tenenda, videlicet, terminum resultantem ex hac Vnione esse Diuinam Personam subsistentem in natura humana. Quæ conclusio definita est de fide in Concilio Ephesino. 1. Actione. 13. & in quinta Synodo generali actione. 3. Eandem confirmat Gelasius Papa in Epistola aduersus Nestorium, Cyrillus de recta fide ad Theodosium, Ambrosius de Incarnatione cap. 6. Cassianus quatuor libris contra Nestorium, & in Symbolo Athanasij dicitur, * Vnus omninò non confusione substantiæ, sed Vnitate Personæ.* Et expressè colligitur ex illis Verbis Lucæ. 1. ad Virginem dictis, *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Etenim illud, quod B. Virgo concepit & peperit, est terminus resultans per Incarnationem, sed concepit & peperit Personam Filij Dei, vt in humanitate subsistentem: ergo hæc vnio terminata est ad illam Personam. Præterea. Per hanc Vnionem resultat Christus, quia neque humanitas per se, neq; Verbū per se potest dici Christus, & ex coniunctione horum extremorum resultat hic homo, scilicet Christus: sed hic homo Christus dicit quandam Personam, Diuinā & humanam, id est, in vtraque natura subsistentem: ergo hæc Persona vt sic est terminus per hanc Vnionem resultans. Item, Christus est vnus: ergo in Christo est vna tantùm Persona in duabus naturis. Consequentia probatur, quia vbi est dualitas Personarum, ibi non est vnitas: etenim ex duabus Personis nequit fieri vnum. Sed probatur antecedens. Christus est: ergo Christus est vnus, nam ens & vnum conuertuntur. Insuper. Christus secundùm fidem est Deus & homo, sed si non esset vna & eadem Persona Dei & hominis, non esset verum, Christum esse Deum & hominem: ergo vnio facta est in vna & eadem Persona. Minor probatur, quia stando in ratione naturali euidens est, duas naturas perfectas secundùm suam rationem non posse de se inuicem prædicari, nisi ratione vnitatis suppositi, vt patet inductiuè, albedo enim & dulcedo de seipsis inuicem prædicari non valent, nisi in eodem supposito vniantur, ita vt vnum sit album & dulce, iuxta illud vulgatū Aristotelis dictum, si A. est. B. aliquod vnū est. A. &. B. ad eundem modum, si Deus est homo, aliquod vnum est Deus & homo. 2 3

Ex Catholicis verò Durandus in. 3. d. 5. q. 2. non probat hunc communem loquendi modum. Primò, quia terminus huius vnionis non potest esse Persona, ergo, Vnio non est facta in Persona, ita vt ex Vnione resultauerit vna Persona. Probatur antecedens, nam 4

Persona

Persona Christi erat ante vnionem, vt patet ex illo. Antequàm Abraham fieret ego sum. Confirmatur: quia terminus factionis non est ante factionem, vt si Petrus generatur, non est antè generationem; sed Persona Christi erat ante vnionem: ergo non est terminus vnionis. Item. Si ex hac vnione resultat Persona, aut Diuina, aut humana; sed non Persona Diuina, quia iã erat, neque etiam humana; alioqui essent duæ Personæ, vna Diuina, & altera humana: ergo &c. Nihilominus hæc sententia Durandi est temeraria, & sine fundamento asserta, nam eadẽ Persona, quæ secundùm se, & vt subsistit in vna natura, supponitur assumptioni, vt terminãt aliã naturã: & vt constituens eũ illa hũc hominẽ, resultat per vnionẽ. Itaque per Incarnationẽ nõ est simpliciter facta Persona Diuina, sed factũ est, vt Persona Diuina, quæ ab æterno subsistebat in Deitate, subsistat in tempore in humanitate, & hoc ex tempore conuenit Verbo Diuino, & per vnionem. Item concedendum est, ex hac vnione resultasse Personã humanã, nam Christus est persona humana, vt articulo sequente ostẽdetur. Circa istam Conclusionẽ, & ea quæ ad eius confirmationem præsupponit D. Thomas, multæ se offerũt difficultates, quas examinare oportet ad maiorem Cõclusionis intelligentiam. Vnde circa Conclusionẽ est Prima Disputatio.

PRIMA DISPVTATIO.

1 VTRVM Incarnatio facta fuerit in Persona, ita vt terminus illius fuerit aliqua persona. Et pro parte negante sit primum Argumentum. Vnio naturæ humanæ non est facta realiter in Natura Diuina; ergo neque effectã est realiter in Persona Diuina; & ex consequenti terminus huius vnionis non est aliqua Persona. Consequentia patet ex D. Thoma in hoc Articulo supponente, personam & naturã in Deo nõn distingui realiter, sed ratione duntaxat. Confirmatur. Hæc vnio est vera & realis, & ita nequit dependere ab operatione intellectus, inter naturam & suppositum Dei distinguentis; ergo si non est facta realiter

2 in natura, neque etiam facta est realiter in Persona.

Secundò. Implicat, visionem Dei claram terminari ad suppositum Diuinum, quin etiam terminetur ad naturam Diuinam; ergo etiam implicat, vnionem humanitatis terminari ad suppositum Diuinum, & nõ ad Naturam Diuinam. Patet consequentia: quia est summa identitas inter naturam & Suppositum Dei. Dices, distingui ratione: & hoc sufficere, vt aliquid conueniat Personæ, & nõ naturæ. Cõtra sic obijcitur. Hæc vnio est realis: ergo si Persona Diuina, & natura solùm distinguuntur ratione, impossibile est, vnionem fieri in Persona, quin simul fiat in natura: sicut implicat, quòd aliquid realiter albo vniatur, quin pariter coniũ-

3 gatur simili, quod ab eo sola ratione distinguitur.

Confirmatur primò. Distinctio rationis non sufficit falsificare propositionem, vt constat: Sed hæc est vera, vnio facta est in Persona Diuina: ergo hæc etiam erit vera, vnio facta est in natura: quia in Deo natura

4 & Persona non differunt secundùm rem, sed ratione tantùm. Confirmatur secundò: quia distinctio rationis inter Personam & Naturam Diuinam non est sufficiens, vt vnum de altero negetur, nam verè dicitur Persona est natura, & è contra; ergo distinctio rationis nõ sufficit ad hoc, vt vnio cõueniat Personæ, & nõ naturæ 5

Confirmatur tertiò. Persona & natura in Deo tantùm distinguuntur ratione: ergo seclusa operatione intellectus nulla erit inter illa distinctio. Tunc vltra. Ergo seclusa intellectus operatione sicut vnio facta est in Persona, facta est etiam in natura. Probatur hæc vltima consequentia. Quia tunc non est distinctio rationis, propter quam admittatur vnum, & negetur aliud.

Tertiò principaliter Argumentor. Humanitas Christi non existit per existentiam Personæ: ergo non 6 est vnita in Persona. Consequentia patet: quia vniri in Persona, est existere per existentiam Personæ. Sed antecedẽs probatur. Existẽtia Personæ est essentialis & cõmunis tribus Personis, non enim dantur existentiæ personales, vt infra constabit: ergo vnio non fit in Persona. Dices, humanitatem Christi existere per subsistentiam Personalem Verbi, siue dicatur existentia, siue subsistentia, non tamen existere per essentialem existentiam. Contra hoc sit Argumentum quartum.

Subsistentia Verbi, formaliter loquendo, non est qua existit Verbum, sed per quam in esse personali & 7 incommunicabili subsistit; ergo neque humanitas per illam existit. Antecedens probatur: quia subsistentia tam in Deo, quàm in creaturis in eo saltem differt ab existentia, quòd hæc est communis in Deo, & respondet essentiæ, vt actus illius; subsistentia verò est propria tas Personalis, qua Persona formaliter subsistit, & est actus Personæ, Non naturæ: ergo per illam nequit humanitas existere. Probatur consequentia, nam quod vni est subsistentia, non est alteri existentia: ergo quod ex sua ratione actuat Verbum in ratione subsistentis, tanquàm actus personalis illius, non actuat humanitatem assumptam in ratione existendi.

Confirmatur: nam aliàs vnio non fieret propriè in 8 Persona: quia non traheretur humanitas ad subsistentiam, quatenus est subsistentia: sed quatenus tribuit existentiam: ergo talis vnio non terminatur ad subsistens vt sic, & ex consequenti neque ad personam formaliter.

Quintò. Personalitas & subsistentia Verbi est forma relatiua & personalis: ergo humanitas non est as- 9 sumpta ad personalitatem Verbi formaliter. Probatur consequentia: quia sequeretur; quòd ex vi vnionis humanitas per se & immediatè, acquireret esse relatiuum; sed consequens est falsum, quia humanitas est forma substantialis & absoluta, atque adeò per esse absolutum debet perfici, & compleri: ergo. Probatur Sequella: nam si vnio terminatur ad personalitatem Verbi formaliter, & personalitas Verbi est formaliter relatiua: ergo ad esse relatiuum terminabitur. Confirmatur primò. Effectus formalis relationis est facere rela- 10 tiuum: ergo cui relatio formaliter communicatur, similiter communicantur effectus formales illius. Sed personalitas Verbi est relatio: ergo si humanitati formaliter communicatur, esse etiam relatiuum communicabitur, atque adeò ex vi huius vnionis humanitas erit relatiua. Confirmatur secundò: quia subsistentia Verbi est relatio filiationis: ergo si humanitas trahitur 11 immediatè ad esse Verbi, & ad subsistentiam personalem illius, trahitur etiam ad esse filiationis, & ex consequenti denominabitur à filiatione ex vi huius vnionis. Nihilominùs pro explicatione veritatis sit Prima Conclusio.

12 Christus Dominus est vnica duntaxat persona ex duabus, & in duabus naturis subsistens simpliciter: idest, sine aliquo addito. Est dogma fidei expresse definitum ab Ecclesia in Concilio Ephesino. 1. & In Calcedonensi Actione. 1. & in 5. Synodo Generali Collatione. 8. Canon 1. Et in Concilio Lateranensi sub Martino. 5. Vbi dicitur. Siquis non confitetur, ex duabus naturis, Diuina, scilicet, & humana vnitis secundùm subsistentiam vnum & eundem Christum existere, sit condemnatus. Et in Symbolo Athanasij dicitur. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens Et infra. Sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus. Vnde in consecratione Episcoporũ, cùm de Catholica fide interrogantur, inter alia hoc vnum ab eis quæritur, An credant vnicum Dei Filium in duabus, & ex duabus naturis subsistentem. Et respondent, ita credere.

13 Est tamen aduertendum, hunc loquendi modum ab Ecclesia fuisse receptum, vt Nestorij & Eurychetis Hæresim damnaret. Eutychetis quidem, nam cùm ipse Duas in Christo naturas commixtas post Incarnationem constituat, dicebat Christum ex duabus naturis subsistere, non autem in duabus. Nestorius verò, qui duas in Christo ponebat personas, affirmabat, Christum subsistere in duabus, non autem ex duabus naturis, quia quænis Persona per propriam naturam subsisstebat. Ecclesia ergo Catholica aduersùs istos Hæreticos absolutè & simpliciter concedit, Christum in duabus, & ex duabus naturis subsistere, & vbicumque alteram Hæresim damnat, alteram etiam condemnat, vt constat ex locis omnibus iam citatis. Legendi sunt

14 Damascenus lib. 3. Fidei cap. 4. 5. & 7. Vbi dicit, Christum non solùm subsistere in duabus, sed ex duabus naturis. Augustinus lib. 13. de Trin. cap. 17. Leo Papa Epistola 10. ad Flauianum. Cyrillus. 4. Tomo suorum operum, præsertim in 12. Anathematismis, & in eorum defensionibus. Et Edictum Iustiniani Imperatoris ad Ioannem secundum. Et probatur. Christus post

15 Incarnationem permansit verus Deus, & verus homo per veram Diuinitatem, & veram humanitatem; ergo subsistit in duabus, & ex duabus naturis. Patet consequentia: quia essentialis ratio Dei & hominis non solùm requirit subsistentiam in vera Diuinitate & humanitate, sed etiam ex illis; quia homo vel Deus, & omnis in vniuersum substantia non solùm constituitur, & denominatur taliter essentialiter à natura, ex qua facta est, sed potissimum à natura, in qua subsistit, & quæ in reipsa manet, & est quasi forma & ratio, vt talis sit. Confirmatur ex illo Pauli ad Philippens. 2. Qui cum

16 in forma Dei esset. Hoc est, cùm in Diuina natura subsisteret. Non rapinam arbitratus est esse, se æqualẽ Deo, sed semetipsum exinaniuit. (non quidem amittens Dei naturam) sed formam serui accipiens, idest, naturam humanam, per quam est In similitudinem

17 hominum factus, & habitu inuentus, vt homo. Item confirmatur ex illis testimonijs, in quibus Christo interdum tribuuntur proprietates, quæ ratione Diuinitatis illi conueniunt, vt esse Imaginem, & Figuram substantiæ Patris, esse vnum cum Patre, esse Principium Spiritus Sancti, & similia: interdum verò, quæ illi cõueniunt ratione humanitatis, vt esse mortuum, & passum, crucifixum, esse minorem Patre &c. Quæ omnia vera esse non possunt, nisi intelligantur de vna, & eâdem persona, quæ sub vtraque natura subsistat, ita vt idem Christus sit, & dicatur Deus & homo ratione vnius Personæ ex duabus, & in duabus naturis subsistentis. Tandem confirmatur, quia duæ formæ, quæ in abstracto non prædicantur de se inuicem, neque etiã prædicantur in concreto, nisi quia in eodem supposito coniunguntur, vt patet in calore & luce; sed in præsenti sic se habent humanitas & Diuinitas; quia vna non est altera, & tamen Deus est homo, & homo Deus, ergo id est, propter talium naturarum vnionem in vna, eâdemque Persona. Sit Secunda Conclusio. 18

Christus Dominus simpliciter subsistit in humana & ex humana natura, si idem sit, Simpliciter, quod substantialiter. Probatur, quia vt constat ex Philosophia, aliquid fieri, aut esse substantialiter, idem est quod esse, aut fieri simpliciter; quia substantia est ens simpliciter. Quare cùm vnio humanitatis ad Verbum sit substantialis, vt infra dicetur, sit, vt Verbum esse hominem; quod ex illa vnione resultauit, sit esse aliquid substantialiter, & ex consequenti simpliciter. Ergo Persona Christi in natura, & ex natura humana subsistit substãtialiter; ergo simpliciter. 19

Tertia Conclusio. Terminus huius vnionis est aliqua Persona, ac proinde Incarnatio facta fuit in Persona. Hæc assertio patet ex dictis in Commentario, & colligitur expressè ex illo Matth. 16. Tu es Christus Filius Dei viui. Vnde illud pronomen, Tu, indicat tantum vnam personam, in qua Petrus duas naturas confessus est: alteram humanam, quam designat vocabulum; Christus. Hoc est, vnctus per gratiam Spiritus Sancti: alteram verò Diuinam, quam significant illa verba. Filius Dei viui. Et probatur ratione. In omni vnione terminus ex ea resultans est ipsum compositum vel quasi compositum ex rebus vnitis: sed in hac vnione terminus resultans est hic homo; sed hic homo est persona: ergo &c. Confirmatur, quoniam hic homo Christus, vt subsistit in duabus naturis, est verè vnũ quid, vt definitur in Concilio Ephesino, & Calcedonensi Actione. 1. Et in Symbolo Athanasij expressè habetur. Sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo, vnus est Christus. Ergo est vna Persona. Confirmatur præterea, quia terminus huius vnionis est quædam indiuidua substantia rationalis naturæ ergo est persona. Consequentia patet ex diffinitione Personæ tradita à Boetio libro de Duabus Naturis. Antecedens probatur. Terminus huius vnionis est hic homo Christus, vt est vnum quid constans ex Diuina Persona, & humana natura: ergo est rationalis naturæ individua substantia. De hoc termino latius Disputabitur art. 8. huius Quæstionis. 20 21 22

Sed pro solutione Argumentorum aduertendũ est, quòd licèt in Deo sint idem omninò suppositum & natura, in Deo tamen est sufficiens fundamentum ad diuersas propositiones enunciandas, in quibus aliqua de natura affirmantur, quæ negantur de supposito, & è cõtra. Et hoc non tantùm in ordine ad operationem intellectus, sed realiter seclusa omni operatione intellectus affirmatur verè Patrem generare, & Essentiam nõ generare. Item Essentiam esse communicabilem, & Patrem non esse communicabilem. Imò & de ipso Deo non descendendo ad supposita naturæ Diuinæ affirmatur 23 24

tur aliquæ propoſitiones, & aliæ negantur; quia enim
identitate & ſimplicitate naturæ, & illius attributorũ
ſtat diuerſarum veritatum fundamentum; vndè verè
dicitur Deus intelligere per intellectum, & non per vo-
luntatem, quia Diuinæ Naturæ infinitas, & eminentia
eſt tanta, vt fundamentum præſtet ad diuerſificandas
huiuſmodi enunciationes. Perindè enim intelligit Deus
per intellectum, & non per voluntatem, atque ſi intel-
lectus & voluntas in Deo realiter diſtinguerētur, ſicut
in nobis. Similiter Diuinæ Naturæ ſuppoſitum ita ge
nerat, & non ipſa natura, ac ſi ſuppoſitum à natura rea
25 liter diſtingueretur. Ad eundem modum Verbum Di-
uinum, licet omninò ſit idem cum Natura Diuina, ita
tamen ea, quæ ſunt propria ſuppoſiti, exercet, atque ſi
à natura diſtingueretur. Terminare autem naturam
eſt proprium ſuppoſiti, & non naturæ, ac proindè ſe-
cluſa etiam omni intellectus operatione vnio fit reali-
ter in Perſona, quia in illa ſubſiſtit natura humana, ter-
minatur, atque completur: non autem ſubſiſtit in Na-
tura Diuina, neque per illam terminatur, aut com-
pletur.

26 Secundò Aduertendum eſt, licèt inter Perſonam &
eſſentiam in Deo non ſit diſtinctio formalis actu, eſſe
tamen diſtinctionem formalem virtute, & eminenter:
quia ſic ſe habent natura & Perſona quò ad aliqua, ac
ſi inter illa eſſet diſtinctio formalis. De qua re legen-
dus eſt Caietanus de Ente & Eſſentia cap. 6. q. 12. Vbi
conſtituit exemplum in anima rationali, quæ cùm ſit
vna actu, eminenter eſt multiplex, & tribuit eſſe cor-
poreum, ſenſitiuum, & rationale, ac ſi eſſet multæ.
27 His præmiſſis dicendum eſt, vnionem eſſe factam in
Perſona, & non in natura: & ad hoc verificandum ſuf-
ficit diſtinctio rationis ratiocinatæ, habens fundamē-
tum in re, vel diſtinctio formalis virtute, quæ inter
Perſonam, & naturam reperitur: Quod quidem, vt Ca
ietanus rectè obſeruauit in hoc Articulo, eſt verum,
quamuis in Deo eſſet vnicum duntaxat ſuppoſitum, vt
28 Gentiles imaginantur. Rationem huius aſſignat Ca-
ietanus Commendans, & exaggerans reſponſionem
D. Thomæ ad primum, quam dicit eſſe adeò profun-
dam, & formalem, vt altior excogitari non poſſit: quia
explicat veram cauſam, ob quam vnio ſit facta in Per-
ſona, & non ſit poſſibilis in natura; quia natura in Deo
habet rationem naturæ, Perſona verò habet rationem
ſubſiſtentis. Natura autem humana ſic eſt vnita Ver-
29 bo, vt per hanc vnionem nihil ſit additum rationi Di-
uinæ Naturæ, vt ratione diſtinguitur à Diuina Perſo-
na: at humanitas ita eſt vnita Verbo, vt per huiuſmo-
di vnionem aliquid ſit additum rationi Perſonæ, vt à
natura ratione diſtinguitur: nam de ratione Perſonæ
eſt ſubſiſtentia: & quia per hanc vnionem factum eſt,
vt Verbum in humanitate ſubſiſtat, non tamen eſt ef-
fectum, vt humanitas ſit de Eſſentia Naturæ Diuinæ,
neque in ipſam conuertatur (vt dicebāt Hæretici) ideò
verè & realiter dicitur, vnionem factam eſſe in Perſo-
na, & non in natura, ad quod Satis eſt diſtinctio ratio
nis inter Suppoſitum & Naturam Diuinam, vel diſtinc-
tio formalis virtute. Item confirmatur; quoniam per
30 ſonalitas Verbi eſt ratio aſſumendi humanitatem, non
autem Diuina Natura; nam etſi humanitas Diuinæ Na
turæ ſit realiter vnita, ſicuti & Diuinæ Perſonæ, quia
tamē ratio, ob quā humanitas Diuinitati realiter vnia
tur, eſt Perſona, & nō è cōtra; primò enim & immediatè 31
humanitas vnitur Perſonæ Verbi, per cuius ſubſiſtētiā
immediatè ſubſiſtit: & eius dependentia terminatur
& completur: naturæ verò Diuinæ nō immediatè vni
tur, neq; ipſa eſt ratio, ob quā humanitas vniatur Perſo
næ: ideò quamuis Perſona & Natura in Deo ſola ratio
ne diſtinguantur; vel formaliter virtute, verè vnio eſt,
& dicitur facta in Perſona, & non in natura: quia ter-
minare naturam, illique ſubſiſtentiam communicare,
eſt proprium ſuppoſiti, vt ſic; & non naturæ. Hoc
poſito. 32

Ad primum igitur Argumentum Reſp. quòd licèt
in Deo Perſona & natura ſint idem, nihilominus aliqua
tribuuntur Perſonæ realiter, quæ naturæ non tribuun-
tur propter diſtinctionem rationis ratiocinatæ, cuius
fundamentum eſt ipſa eminētia Naturæ Diuinæ & Sup
poſiti. Poterit tamen in ſenſu identico, & quaſi mate-
riali concedi iſta Propoſitio: Vnio facta eſt in re, quæ
eſt Natura Diuina: ſicut etiam conceditur hæc: Eſſen-
tia eſt res, quæ generat: ſed formaliter vtraque eſt fal- 33
ſa. Medina circa ſolutionem ad primum aliter Reſpō
det, videlicèt vnionem eſſe factam realiter in Perſona,
& non in natura; quia ratione vnionis aliquid conue-
nit de nouo Perſonæ Verbi, & non naturæ Diuinæ:
quia Perſona denuò ſubſiſtit in natura humana,
& terminat illam: Natura verò Diuina non ſubſiſtit in
humana, neque terminat illam. Sed hæc ſolutio non
omninò Satisfacit: quia negari non poteſt, ex vnio-
ne naturæ humanæ aliquid cōuenire Deo denuò, quod 34
anteà non conueniebat: Deus enim denuò eſt homo,
quod anteà non erat. Præterea, licèt hæc dicantur de
natura, & de Deo in communi, non tamen immedia-
tè, ſed de Perſona Verbi, in qua primò facta eſt vnio,
immediatè dicuntur, & mediante iſta vnione facta in
Perſona Verbi: dicuntur de natura Diuina, & de Deo:
ideò enim Deitas eſt Incarnata, & Deus eſt homo, quia
Verbum eſt Incarnatum, & homo. Et ita vnio imme-
diatè fit, & terminatur in Perſona Verbi. Et ex his pa-
tet Reſponſio ad confirmationem, nam vnio realis na-
turæ humanæ ad Perſonam verbi realiter terminatur,
& non ad Naturam Diuinam. 35

Ad Secundum Reſp. quòd Perſonam non poſſe vi-
deri ſine eſſentia, non prouenit ex identitate, quæ eſt
inter illa, nam etiam in via D. Thomæ vna Perſona
ſine alia videri non poteſt, & tamen Perſonæ inter ſe
realiter diſtinguuntur. Sed ratio huius eſt, quia viſio
clara Perſonæ cognitionem quidditatiuam importat:
cùm autem de quidditate Perſonæ ſit natura, & rurſus
de ratione formali Naturæ Diuinæ ſit, quicquid ſpec-
tat, ſiue ad abſolutum, ſiue ad reſpectiuum: ideò nequit
eſſentia ſine cognitione Perſonarum cognoſci. De quo
legendus eſt Caietanus hîc ſolutione ad. 5. Dubium.
Ad Argumentum ergo concesso antecedenti negatur
conſequentia, quia cognitio quidditatiua, & euidens
ſuppoſiti haberi non poteſt ſine cognitione quidditati-
ua, & euidenti naturæ & Eſſentiæ ipſius ſuppoſiti. Cæ-
terùm operationes, ſiue terminationes poſſunt ſuppoſi-
to, & non naturæ conuenire: ſicut non eſt inconue-
niens; quòd idem ſuppoſitum, & eadem natura opere-
tur ſecundùm vnam rationem, & non ſecundùm aliā.

Ad replicam contra ſolutionem ibidem aſſignatam 36
Reſp. Eám duntaxat probare, quod humanitas vnitur
realiter

Digitized by Google

realiter Naturæ Diuinæ, sicuti & Diuinæ Personæ, nõ autem quòd vniatur in Natura, sicut in Persona. Primum enim est verum propter realem identitatem in Persona, & Natura Diuina: secundum etiam est verum propter distinctionem rationis inter vtrumque: nam quemadmodùm in Deo Persona & Natura distinguntur ratione; sic etiam hæc duo nempe, vniri aliquid Personæ, et vniri in Persona, distinguũtur ratione: quia ad
38 primum solùm requiritur, vt extrema inter se se realiter vniantur: ad secundum verò præter hoc, quod est extrema inter se realiter vniri, requiritur, vt id, in quo vniuntur, sit tanquam ratio vniendi. Et quia non solùm Diuina Persona, & humanitas inter se se in Christo realiter vniuntur, sed etiam Natura Diuina & humana, id verò, in quo vniuntur tanquàm in ratione vniendi, non est Natura, sed Persona; ideò quamuis humanitas sit Diuinitati realiter vnita, non tamen in Natura, sed in Persona coniuncta est.

39 Ad primam confirmationem Resp. Solam distinctionem rationis non sufficere, falsificare propositionẽ, seruata omni Logica proprietate; sufficere tamen ad hoc, vt vnum prædicatum dicatur de vno, & negetur de alio, & similiter vt prædicata contradictoria dicãtur de illis, quæ sola ratione distinguuntur. Exemplum primi. Hæc est vera, Deus generat, hæc tamen falsa, Deitas generat. Exemplum secundi. Deitas est res generans, Deitas est res non generans. Vtraque est vera, de quo legatur Caietanus. 1. p. q. 39. art. 1. Præ-
40 tereà non sufficit distinctio rationis falsificare propositionem, quando ea, quæ ratione distinguuntur, de se inuicem prædicantur: vt Essentia est Pater, Pater est Essentia. In proposito ergo licèt Diuina Natura & Persona ratione duntaxat distinguantur, & sit verum, Naturam esse Personam, & è contra; non tamen sequitur, quòd si vnio est facta in Persona, sit etiam facta in
41 Natura propter rationem dictam. Exemplum est in creatis. Passiones Entis distinguuntur inter se, & ab Ente, sola ratione, & ideò verè dicitur, Bonum est verum, & è contra: sed hæc est vera, Verum est obiectũ intellectus, & hæc est falsa, Bonum est obiectum intellectus. Similiter hæc est vera, Bonum est obiectũm voluntatis, & hæc falsa, Verum est obiectum voluntatis.
42 Quòd si obijciatur, Bonum est obiectum voluntatis; Verum est bonum, ergo Verum est obiectum voluntatis. Negatur consequentia, quia variatur appellatio, vel committitur fallacia accidentis, quæ tunc accidit, quando ex eo, quòd aliqua duo sint idem aliquo modo, infertur, esse idem omnibus modis, præsertim in his, in quibus differunt.

43 Ad secundam confirmationem patet Responsio ex dictis: etenim distinctio rationis non falsificat omnes propositiones, sed eas potissimùm, in quibus insinuatur, vnum de alio affirmari secundum illam rationem, secundùm quam distinguuntur. Quod alijs Verbis dici solet, nempe, quando ea, quæ ratione distinguuntur, de se inuicem prædicantur secundùm vltimam abstractionem. V. G. Homo & animal distinguuntur ratione, & nihilominus verè conceditur ista, Homo est animal, imò & ista, Humanitas est animalitas. Et tamen hæc negatur, Ratio humanitatis est ratio anima-
44 litatis: nam ista est vltima abstractio. Similiter in Deo, bonitas & sapientia ratione secernuntur, & tamen hæc est vera, Bonitas est sapientia, hæc autem falsa, Attributum bonitatis est attributum Sapientiæ. De quo legendus est Caietanus. 1. p. q. 32. art. 3. Circa finem. Ad tertiam confirmationem Resp. Etiam seclusa intellectus consideratione, vnionem effectam fuisse in Personæ, & non in Natura, nam distinctio rationis inter Naturam & Personam habet fundamentum in re, & hoc sufficit. 45

Ad tertium principale negatur antecedens, & ad probationem conceditur, humanitatem Christi existere 46 per existentiam essentialem, qua existit Deus, & Verbũ. Et licèt ista existentia sit communis tribus Personis, prout tamen est in Filio, actuat, & terminat naturam humanam; non verò prout est in Patre, vel Spiritu Sãcto: & ideò Filius est homo, non Pater neque Spiritus Sanctus. Sicut in Deo Essentia Diuina est in omnibus Personis, & tamen vt est in Patre, est principium generandi, non verò prout est in Filio, aut Spiritu Sancto. Negatur etiam, vnionem fieri immediatè ad aliquid Essentiale, vt est Essentiale, quia etsi terminetur, & existat per esse, quod re vera est Essentiale: terminatur tamen per illud, vt specialiter est in Persona Filij. Et sicut vere dicitur, Deum immediatè vnisse sibi humanitatem, non quia vnio terminetur ad Deum, vt est quid commune, sed prout est in Filio: ita dicendum est de existentia humanitati communicata. Ex vi autẽ vnionis priùs naturã cõmunicatur humanitati subsistẽtia Verbi, quàm existẽtia: quia cùm subsistẽtia sit terminus substantialis, reddens naturã incommunicabilẽ, vt existat; & existentia prætereà sit actualitas substantiæ, sicuti & omnis formæ: ideò licèt existentia Dei priùs intelligatur, quàm subsistentia Personæ Verbi, eo quòd priùs cognoscũtur absoluta & essentialia, quàm Personalia & relata: in ordine tamen ad humanitatem assumptam prius est, quòd illa reddatur incommunicabilis, & intelligatur subsistens, quàm quòd Diuina existentia illi communicetur, præsertim quòd vt iam diximus, prius ratione vnitur humanitas Verbo, & deinde Diuinitati, quia hæc vnio immediatè facta est in Persona subsistente in Natura Diuina.

Ad Quartum, quod est replica contra solutionem 47 ibidem assignatam Resp. Quòd rectè illam impugnat, quia in Deo subsistentia non ponitur nisi ad subsistendum, & per illam formaliter loquendo non existit Persona Diuina, sed per esse, quod est essentiale, & commune tribus Personis. Et eodem modo humanitas Christi per subsistentiam terminatur, eo quòd est terminus naturæ, illam reddens incommunicabilem; existit verò per existentiam, prout est in Filio: iam enim diximus, hanc existentiam, quamuis sit communis tribus Personis, non communicari humanitati, quatenùs est cõmunis, sed prout est in Persona Verbi. Vnde hæc vnio facta est, vt humanitas simul subsisteret, & existeret ordine quodam. Nec per hoc confunditur terminus huius vnionis, sed subsistentia Personalis Verbi cõmunicatur humanitati, vt subsistat, & similiter existẽtia Verbi, prout terminatur in Verbo, terminat etiam humanitatem assumptam, & illi communicatur, vt existat. Confirmatio impugnat etiam præfatam solutionem.

Ad quintum concesso antecedenti negatur consequẽ 48 tia. Et ad probationem Respondetur, humanitatem

ex

ex vi vnionis acquirere subsistere relatiuum, non prout est relatiuum, aut secundùm primarium effectum relationis, sed quatenùs tale relatiuum facit humanitatem subsistentem incommunicabiliter. Etenim relationes Diuinæ, quatenùs relationes sunt, habent quicquid est de Essentia relationis: & illi, cui conueniunt, vt relationes sunt, tribuunt esse relatiuum. Sed quia considerantur etiam, vt subsistentes sunt, & vt constituunt Personas, quod est illis speciale, ex hac parte Naturam creatam terminare possunt, & illam facere subsistentem. Et sic intelligitur, qua ratione vnio fuerit facta in Persona relatiua, & per talem vnionem humanitas assumpta non sit relatiua, aut formaliter habeat esse relatiuum, quamuis habeat esse subsistens, quod est relatiuum: imò verò illud esse subsistens, prout terminat Humanitatem, vt sic præcisè, nec dicit esse relatiuum neque absolutum, sed solùm importat esse incommunicabile, quia de se abstrahit à relatiuo & absoluto. Sed
49 contra obijcitur. Illud esse, quo Humanitas Christi subsistit, est aliquid in re: ergo determinatè est relatiuum, vel absolutum. Respondetur: Quòd in re est relatiuum, sed non facit immediatè humanitatem relatiuam, neque tribuit illi suum primarium effectum, qui est Filium constituere, & ad Patrē referre, sed facit humanitatem subsistere incommunicabiliter. Et insuper ex tali determinatione ad subsistendum efficit, vt illud humanum suppositum sit Filius Dei: de quo dixit Paulus ad Roman. 1. * Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute.

50 Ad Primam confirmationem Resp. Quòd cùm relatio est forma constituens, & intrinseca, facit relatiuum, quandò verò solùm est forma terminans, non constituit relatiuum, quia non terminat naturam extrinsecam, quatenùs est relatio; sed quatenùs est subsistens, & faciens incommunicabile. Et per hoc patet etiam Responsio ad Secundam confirmationem.

SECVNDA DISPVTAIO.

1 VTRVM Sit formalis illatio Diui Thomæ, qua infert, Vnionem non esse factam in Natura, sed in Persona Verbi. Ratio dubitandi est, quia hæc humanitatis Vnio potuit fieri, neq; immediatè in Natura, neque immediatè in Persona, sed in Hoc Deo, qui est communis Tribus Personis, & tūc non esset Vnio in Persona; quia Persona significat subsistens incommunicabile. Pro intelligentia aduertendum est, dupliciter posse intelligi, Illationem Diui Thomæ habere vim, aut Supposita fide, qua confitemur Vnionem Humanitatis factam fuisse ad Diuinum Verbum: aut absolutè, & simpliciter non determinando vnionem ad hanc, vel illam Personam. Priori modo efficacissima est Ratio Diui Thomæ, quia supposita fide, quòd solùm Verbum assumpsit Humanitatem, necessariò sequitur: si vnio non est facta in Natura Verbi, esse factam in Persona. Si enim fieret in Hoc Deo, & in hoc subsistenti in Deitate, quod ponitur medium inter Naturam & Personam, consequenter & mediatè fieret Vnio in omnibus Tribus Personis, quia omnes sunt Hic Deus, atque adeò omnes Humanitatem assumerent, & non solum Verbum Diuinum, quod est cōtra fidem præsuppositam à Diuo Thoma. Quòd autē hæc fuerit mens eius, constat ex titulo Quæstionis huius Articuli, vbi inquiritur de modo Vnionis Verbi Incarnati, An fuerit facta in Persona, vel in Natura. Et sicut titulus Articuli designat Personam Filij præcisè, ita Responsio debet intelligi de sola Filij Persona. Quare immeritò Caietanus in hoc Commentario hanc relecit Solutionem.

Ex quo sequitur Solutionem, quam secundo loco adhibet, insufficientem esse. Ait enim, Rationem Diui Tho. adhùc habere vim, quia licèt Vnio fieret in Hoc Deo, qui ponitur medius inter Naturam & Personam, fieret etiam in Persona, & è contra. Est itaque friuola & superuacanea Solutio, quia estò verum esset, eo ipso quòd Humanitas Huic Deo vniretur, etiam Personæ coniungeretur; non tamen diceretur vnio facta in Persona, sed in Hoc Deo: quia tunc non Persona, sed Hic Deus esset Ratio assumendi humanitatem, sicut rebus vt nunc, eòipso, quòd Humanitas Personæ Verbi vnita est, est etiam vnita Naturæ: sed non dicitur Vnio facta in Natura, quia Natura non est Ratio assumendi Humanitatem.

Sequitur secundò, multò magis esse insufficientem solutionem, quam Caietanus adhibet quarto loco ex 3
propria Sententia, dicens, D. Thomam nomine Personæ intelligere omne subsistens in Natura rationali; siue subsistat communicabiliter, siue incommunicabiliter. Et quia Hic Deus, vel Indiuiduum Deitatis, quod ipse ponit medium inter Diuinam Naturam, & Personam, est subsistens communicabiliter in Natura Diuina, ideò hoc loco appellatur Persona, non quidem completa, sed incompleta: quia non subsistit incommunicabiliter. Vnde infert, Rationem D. Thomæ esse efficacem, quia licèt Vnio Humanitatis fieret immediatè in Hoc Deo, necessariò sequitur, si Vnio non est facta in Natura, esse factam in Persona, completa, vel incompleta.

Sed hæc Solutio tanquam falsa ab omnibus Tho- 4
mistis meritò reiecta est, vtpote nouitatem sine fundamento inducens, contra communem loquēdi modum Diui Thomæ, & Theologū; qui Indiuiduū Deitatis nusquam Personam appellauerunt. Item est implicatio in adiecto, dicere Personam incompletam, sicut dicere, hominem irrationalem, quia tam de intrinseca ratione Personæ est, complementum esse Naturæ, sicut est intrinsecum, & essentiale Homini, esse animal rationale. Præterea, Persona incompletè sumpta nempe, Hic Deus, vel pertinet ad Naturam, vel ad Hypostasim. Si dicatur secundum, ergo falsò ait Caietanus, Hunc Deum esse communem Tribus Personis, quia Persona in Diuinis est incommunicabilis. Debet ergo pertinere ad Naturam, & ideò Hic Deus significat Diuinam Naturam, quatenùs est subsistens, quod ipse etiam Caietanus sensit; cùm inquit, Hunc Deū esse subsistentem in Natura Diuina. Hoc autem non videtur rectè dictum, nam licet subsistere conueniat Diuinæ Naturæ, subsistere tamen in Natura, soli Personæ cōuenit. Sed secundùm Caietanum Hic Deus non significat Hypostasim, sed Naturam Diuinam, secundùm quòd est subsistens: ergo non significat rem subsistentē in Diuina Natura: alias Diuina Natura subsisteret in Diuina Natura. Confirmatur: quoniam si Hic Deus significat rem subsistentem in Diuina Natura, subsistens autem in Diuina Natura est Persona; ergo Hic Deus significat Diuinam Personam. Insuper, quia D. Thomas loquitur

loquitur de Perſona hoc loco, eo modo, quo illam definiuit Boetius; ſed Perſona definita à Boetio eſt ſubſiſtens incommunicabiliter; ergo non rectè ſubſiſtens communicabiliter appellatur Perſona a Caietano.

5 Sequitur tertiò, ſolutionem tertiam, quam reprobat Caietanus eſſe verã, et amplectendam, nempe, ſuppoſita fidei veritate, quod ſolus Filius aſſumpſerit carnem, D. Thomam efficaciter oſtendere, ſi vnio non eſt facta in Natura, eſſe in Perſona effectam. Quòd ſi dicas fuiſſe poſsibilem Vnionem in Hoc Deo; concedimus quidem, ſed illa vnio eſſet alterius rationis ab ea, quæ modo facta eſt, & ex vi illius Vnionis, vt iam oſtendimus, non ſolum Filius eſſet Homo, ſed omnes tres Perſonæ. Neque obiectio Caietani quicquam concludit, videlicet, Verbum eſſe Deitatem, Hunc Deum, & Perſonam, & ſi vnio facta eſſet in hoc Deo, etiam Verbum diceretur homo, & caro factum, quare oportebat, ait Caietanus, vt eſſet Quæſtio de indiuiduo, ſi vnio facta eſt in illo. Hæc, inquam, obiectio nihil valet, quia licet ſit verum, Perſonam Verbi eſſe omnia illa, quæ numerata ſunt, nempe, Deitatem, Deum, & Perſonam, & ſit etiam verum, quòd ſi vnio eſſet facta in Hoc Deo, Verbum diceretur homo, ſed non ſecundùm ſuppoſitionem & veritatem fidei, quòd ſolum Verbum eſſet homo: nam eo poſito Pater & Spiritusſanctus eſſet homo, fides autem ſupponit Verbum duntaxat eſſe hominem, & quærit de modo illius, & conuenientia Vnionis, & ideò efficax proceſſus ſaluatur.

6 Alio modo poteſt intelligi hæc difficultas, de Vnione Humanitatis abſolutè & ſimpliciter, non determinando illam ad hanc, vel illam Perſonam, & tunc intelligentia rationis D. Thomæ pendet ex altera controuerſia, videlicet vtrùm inter Diuinam Naturam & Perſonas detur aliquod medium, nempe, Hic Deus ſubſiſtens in Deitate, communis, & abſolutus, qui Indiuiduum Deitatis appellatur.

7 Pro tituli intelligentia obſeruandum eſt eos, qui Indiuiduum Deitatis, inter Eſſentiam & Perſonas mediũ conſtituunt, non aſſerere, illud ab Eſſentia & Perſonis realiter diſtingui, vt præter Naturam & Perſonas ſit in Deo aliquid ſubſiſtens diſtinctum ſecundùm rem à Natura & Perſonis: ſed duntaxat diſtingui formaliter virtute à Natura & Perſonis. Item qui negant dari huiuſmodi Indiuiduum, neque negant, neque negare poſſunt, eſſe in Deo Naturam Diuinam, eſſe Hunc Deum, & eſſe tres Perſonas. Tota ergo controuerſia in eo eſt poſita, An Hæc Deitas abſtracta, ſiue præintellecta Perſonis, prout ſic habeat aliquam ſubſiſtentiam, quamuis à Perſonis non realiter diſtinctam, ita vt primum materiale ſignificatum, quod Huic Deitati ſic præintellectæ reſpondet, non ſit Perſona, ſed Hic Deus, vel hoc ſubſiſtens in Deitate præintellectum etiam tribus Perſonis. Hæc autem quæſtio procedit ſuppoſita fide Catholica, qua confitemur vnam numero Naturam eſſe in Tribus Perſonis: ſi enim vnicum duntaxat eſſet ſuppoſitum (vt falſò Gentiles imaginantur) omnes concedunt, nullam quantùm ad hoc eſſe differentiam inter Deum & creaturas, ſed quemadmodùm in creaturis non datur medium inter Naturam & ſuppoſitum, ſic etiam neque daretur in Deo. De hac igitur re ſunt Variæ Theologorum Sententiæ.

PRIMA OPINIO. §. I.

8 PRIMA Sententia affirmat in Diuinis non dari ſubſiſtentiam eſſentialem, ſed tres duntaxat ſubſiſtentias Perſonales cum Eſſentiali exiſtentia. Et ita dari quidem Hunc Deum, ſiue Indiuiduũ Deitatis per ſe exiſtens, non tamen per ſe ſubſiſtens, præintellectum Perſonis, quia nullam ſubſiſtentiam poteſt habere ante Perſonas: atque ita materiale primũ, quod Deitati præintellectæ reſpondet, non eſt aliquod medium inter Naturam & Perſonam, ſed ſunt ipſæmet Diuinæ Perſonæ. Quemadmodùm ſi intelligamus eſſe vnum Deum in Perſona (vt Philoſophi imaginantur) licèt Deitas præintelligatur illi Perſonæ, non tamen præintelligitur ipſi Perſonæ aliquid in Deitate ſubſiſtens, quia nullum aliud eſſet, quàm ipſa Perſona. Sic etiam modò, quamuis ſint tres Perſonæ Diuinæ, non intelligitur eſſe aliquid ſubſiſtens in ſe ante ipſas Perſonas, quia pluralitas Perſonarum nihil ad hoc facit. Similiter, licèt præintelligatur Natura Diuina tribus Perſonis, nequit tamen intelligi Perſonata, vel ſuppoſitata, quin ſimul intelligantur tres Perſonæ. Sic etiã non poteſt intelligi ſubſiſtens, quin ſimul intelligantur tres ſubſiſtentiæ Perſonales.

9 Hanc Sententiam tuentur Alexander Alenſis. 3. p. q. 1. Membro. 3. Bonauentura in 3. d. 5. art. 1. Henricus Quodlibeto. 5. art. 8. Richardus in 3. d. 5. Alfonſus Mendoça. q. 3. Quodlib. Dubio vltimo, quibus videtur fauere D. Thomas in hoc Articulo dicens, non eſſe medium inter Naturam & Perſonam. Vnde ex Sententia D. Thomæ colligitur, inter Naturam & Perſonam non eſſe ſubſiſtentiam eſſentialem, ſed Perſonalẽ duntaxat. Et in. 1. d. 26. q. 1. art. 1. In corpore, & ad. 4. ſignificat, abſtractis relationibus eſſentiam non manere ſubſiſtentem. Et d. 4. q. 1. art. 5. Inquit, nomen, Deus, ex ſua ſignificatione, non ſupponere pro Eſſentia, niſi inquantum eſt idem cum Perſona. Et q. 9. de Potentia art. 3. ad. 5. Aſſerit. Ex hoc enim, quòd aliquid eſt ſubſiſtens, habet quòd de pluribus prædicari non poſſit, & conſequenter eſt incommunicabile: ſed Deus, vt Deus, prædicatur de pluribus, nempe, de Tribus Perſonis; ergo Deus vt ſic non eſt ſubſiſtens, ac proinde nulla datur ſubſiſtentia abſoluta, & eſſentialis. Ex quo teſtimonio D. Thomæ deſumitur Primum Argumentum pro hac ſententia.

10 Si daretur Indiuiduum præintellectum Perſonis, ſubſiſtens in Natura Diuina, non poſſet prædicari de Tribus Perſonis, quia ex D. Auguſtino Libro. 2. de Trin. cap. 10. Quem ſequitur D. Thom. loco citato de Potentia, ex eo quòd aliquid eſt ſubſiſtens, de pluribus prædicari non poteſt; ſed conſequens eſt falſum, ergo. Confirmatur, quia ex D. Thoma q. ſequente. 3. art. 1. ad. 1. Ideó vna Perſona nequit pluribus Perſonis communicari: etiam de potentia abſoluta, quia cùm ſit per ſe ſubſiſtens, non poteſt de pluribus Perſonis prædicari: ſed Indiuiduum Deitatis ponitur per ſe ſubſiſtẽs, ergo nequit de Perſonis prædicari, neque illis communicari.

11 Secundò. Si daretur tale Indiuiduum, præintellectum Perſonis & ſubſiſtens, ſequeretur, quod in Diuinis eſſent quatuor per ſe ſubſiſtentes, ſcilicet, tres Perſonæ & Hic Deus; ſed conſequens eſt Hæreticum: quia tunc eſſet

Digitized by Google

esset quaternitas in Deo: ergo non datur Hic Deus per se subsistens præintellectus Personis. Dices, illud indiuiduum subsistens non esse realiter distinctum à Personis, sed sola ratione; ac proinde non ponere in numerū, sed cum tribus Personis subsistentibus identificari, & in illis includi. Sed contra est; quia in Diuinis, etiam si relationes reales non sint omnes inter se distinctæ realiter, nihilominùs ponunt in numero. Et ideò D. Thomas 1. p. q. 28. art. 4. Concedit, esse in Deo quatuor relationes reales; quamuis non sint quatuor realiter inter se distinctæ. Ergo similiter, quamuis illud indiuiduū Deitatis non sit à tribus Personis realiter distinctum, si tamen habet rationem subsistentis, constituit quaternarium numerum subsistentium: quod est absurdum dictu. Quare nullo modo concedendum est, illud indiuiduū Deitatis esse subsistens, ac proinde nec dari subsistentiam essentialem.

12 Tertiò. Actiones sunt suppositorum, vt docet Aristoteles in principio Methaphysicæ; sed indiuiduum Deitatis, siue Hic Deus multas habet actiones, quæ sibi immediatè conueniunt, vt creare, gubernare, iustificare, & similia: ergo Hic Deus primò significat suppositum: sed non de formali, ergo de materiali. At præter tres Personas non est in Diuinis aliud suppositum; ergo primò importat tres Personas Diuinas, vel aliquam earum.
13 Confirmatur. Hic homo de formali importat hanc humanitatem, & de materiali importat primò hoc suppositum, & non hunc hominem præintellectum supposito; ergo similiter Hic Deus de formali importat Deitatem, de materiali verò importat suppositum, & non Hunc Deum præintellectum Personis.

14 Confirmatur secundò. Hic spirator formaliter dicit vim spiratiuam, materialiter verò significat primò Personas Patris & Filij, & non aliquid singulare communicabile; ergo Hic Deus formaliter dicit Deitatem, materialiter autem dicit primò tres Personas.

15 Quartò. Si datur subsistentia essentialis, & absoluta conueniens Huic Deo, vel Huic Deitati, sequitur, Hūc Deum, siue Hanc Deitatem vt præintellectam Personis esse Personam; sed consequens est Hæreticum; ergo &c. Probatur Sequella. Hic Deus, vel Hæc Deitas vt sic est subsistens, & est natura completa per subsistentiam; ergo est suppositum, & Persona. Probatur consequentia; quia Persona nihil est aliud, quàm substantia indiuidua rationalis naturæ per subsistentiam completa. Vnde D. Thomas infra q. 3. art. 3. ad. 1. ait: *Quicquid eorum, quæ attribuuntur Deo in abstracto, si secundùm se consideretur alijs circumscriptis, erit aliquid subsistens, & per consequens Persona; cùm sit in natura intellectuali.* Vbi apertè significat, si aliquid sit subsistens in natura intellectuali, esse Personā. Dices, non esse Personam, quia est communicabilis. Contra sic obijcitur. Implicat contradictionem, rem subsistentem realiter esse communicabilem, quia subsistentia est vltimum complementum naturæ, ac proinde res subsistens realiter, est completa & terminata, ergo non est communicabilis, sed distincta ab omnibus alijs.

16 Confirmatur primò. Si Hic Deus subsistens est cōmunicabilis, vel communicatur vt superior inferioribus, & hoc nōn, quia talis communicatio est imperfecta secundùm rationem, & non rei subsistentis realiter; vel communicatur vt natura supposito; & hæc communicatio est per modum formæ: nam quod sic communicatur, est in eo, cui communicatur, tāquam Quo in Quod; sed hoc repugnat rei subsistenti, vt sic, quia res subsistens non est Quo, sed Quod.

Cōfirmatur secundò. Esse in alio, & subsistere inuoluunt contradictionem; ergo subsistere & cōmunicari. 17
Probatur consequentia, quia quod alicui communicatur, in eo debet esse formaliter, hoc autem maximè repugnat rei subsistenti vt sic; si communicatur tanquam supposito; nihil enim magis repugnat subsistenti, vt sic, quam esse in alio tanquam in supposito, nam ideò Christi humanitas non subsistit propria subsistentia, quia est in Verbo Diuino, tanquam in Supposito.

Quintò. Dei perfectiones essentiales non multiplicantur in Personis, sed subsistentia multiplicatur in tribus Personis: ergo non est essentialis perfectio. Consequentia cum maiori patet: quia erroneum esset asserere, Diuinam Essentiam esse vnam, prout abstrahit à Personis, & in ipsis Personis multiplicari: ex tali enim assertione sequitur, tres Personas esse tres Deos, quod est Hæreticum. Ergo cùm Diuina Essentia in Personis non multiplicetur, nulla perfectio essentialis multiplicatur. Sed minor probatur. In Deo sunt tria supposita realiter distincta; ergo sunt tres subsistentiæ; quia subsistentia nihil est aliud, quàm vltimum suppositi complementum. 18

Sextò. Ex opposita sententia sequitur, Hunc Deum, præintellectum Personis posse generare, sed cōsequens est falsum: ergo &c. Falsitas consequentis probatur. Si Hic Deus, prout abstrahit, & præintelligitur Personis, generat: ergo generat alium Deum realiter distinctum: Hac enim ratione Diuina Essentia non generat; quia alias, generaret aliquid realiter distinctum, quod est impossibile. Sequella verò probatur: tum; quia actus alicuius naturæ primò & per se conuenit illi, qui primò & per se subsistit in tali natura: sed huiusmodi est Deus in Natura Diuina: ergo. Tum etiam, quoniam Hic Deus vt sic dicitur habens essentiam ante omnem generationem: sed essentia est principium generandi in eo, qui habet illam ante omnem generationem: ergo &c. 19

Septimò. Deitas vt sic exprimit omnem perfectionem Dei absolutam; nam dicit naturam infinitè, & simpliciter perfectam, & tamen vt sic non dicit subsistentiam: ergo subsistentia nō est perfectio absoluta. Consequentia est optima. Maior probatur. Deitas, vt exprimitur per istum conceptum, Deitas, non dicit habens Deitatem: ergo non dicit subsistentiam. Antecedens patet, & similiter consequentia, nam per subsistentiam constituitur hoc habens Deitatem. Confirmatur. Natura Diuina tantùm potest esse communis Personis per modum naturæ: quia solùm est communis per modum essentiæ: ergo non est communis per modum habentis naturam, & ex consequenti non datur subsistentia absoluta, & communis. 20

Octauò. Subsistentia absoluta nō est perfectio simpliciter: ergo non reperitur in Deo. Consequentia patet: quia nihil reperitur in Deo, quod non sit perfectio 21

ſimpliciter. Antecedens probatur. Eſſa Perſonam non eſt perfectio ſimpliciter, aliàs in Deo vna perfectio ſimpliciter eſſet in vna Perſona, quæ nō eſſet in alia; argo neque ſubſiſtere dicit perfectionem ſimpliciter. Confirmatur. Licèt ſubſiſtere eſſet perfectio ſimpliciter, poteſt tamen conuenire ratione relacionis, quæ eſt idem cum Diuina Eſſentia, vt conſtat de alijs perfectionibus.

22 Nonò. Natura Diuina vt præciſa à relationibus non intelligitur vltimatè terminata & cōpleta; ergo non intelligitur ſubſiſtens, & ex conſequenti non datur ſubſiſtentia abſoluta. Vltima conſequētia eſt euidens, nam ſubſiſtens conſtituitur per ſubſiſtentiam. Prima verò conſequentia probatur; quia ſubſiſtentia eſt vltimus terminus, & vltimum rei complementum & aſt idem quod ſuppoſitalicas. Antecedens probatur: quia ſi natura Diuina eſſet vltimatè & completè terminata, naquiret per relationes vltra terminari, quod eſt falſum.

23 Confirmatur primò. Si in Deo non eſſet niſi vnicū ſuppoſitum, Natura Diuina, vt præciſa ab illo Suppoſito, non intelligeretur ſubſiſtens: ergo neque modò Natura Diuina præciſa à relationibus eſt ſubſiſtens. Antecedens patet, quia tunc aſſent omninò idem Perſonalitas & ſubſiſtantia. Conſequentia ſimiliter eſt euidens ex paritata rationis. Quòd ſi Natura Diuina à relationibus abſtracta non intelligitur ſubſiſtens, ergo nulla datur ſubſiſtentia abſoluta & eſſentialis, ſed tantùm relatiua. Confirmatur Secundò, quia in creaturis idem eſt habens naturam, & Suppoſitum: ergo etiam in Deo.

Secunda Opinio. §. II.

24 EST Altera Sententia præcedenti oppoſita omninò, videlicèt eſſe in Deo ſubſiſtentiam abſolutam, & aſſentialem, per quam Hic Deus primo & aſſentialitar ſubſiſtit communicabiliter. Vnde iuxta iſtam Santentiam Hic Deus ſignificat de formali hanc Deitatem; de materiali verò, primò ſignificat Hunc Deum ſingularem, & quaſi ſecundariò & mediatè importat tres Perſonas. Sta docet Caietanus in hoc articulo, & 1. p. q. 39. art. 4. aſſarens, hīc intereſſe inter Deum, & reliquas ſubſtantias creatas, quòd in alijs tantùm ſunt duo, nempe; natura, & Suppoſitum, quia in eis idem prorſus ſunt habens naturam, & Suppoſitum: vt in humanis. V. G. Hic homo eſt Suppoſitum habens humanitatem, vt Petrus vel Paulus: atque adeò quod primò ſignificatur de materiali per iſtud nomē, Hic Homo, eſt Suppoſitum habens naturam, videlicèt, Petrus vel Paulus. In Deo autem reperiuntur tria, videlicèt, Natura Diuina, ſiue Deitas, habens Deitatem, & hypoſtaſis naturæ: Pater ſcilicet, Filius, & Spiritus Sanctus. Vnde habens naturam in Deo dupliciter ſe habet: & vt ſuppoſitū, & vt indiuiduum Deitatis, quod eſt Hic Deus, communis & abſolutus, atque Perſonis præintellectus, idem tamen cum eis: quod ſanè indiuiduum eſt adæquatum materiale, ſeu concretum correſpondens Naturæ Diuinæ. Eandem ſententiam tenet Scotus in. 3. d. 1. q. 2. Parag. ad quæſtionem igitur. Et d. 5. q. 1. Et in. 1. d. 4. q. 1. & 2. Et d. 7. q. vnica. Et d. 26. ad. 4. tartiæ viæ. Durandus in. 3. d. 1. q. 2. Richardus art. 1. q. 2. ad. 1. Et omnes ferè recentiores Thomiſtæ, M. Medina in hoc articulo, & infra q. 3. art. 2. M. Zumel. 1. p. q. 30. art. 1. Diſput. vnica. M. Suarez. 3. p. q. 3. art. 2. Diſput. 11. Sectio. 3. Quare hæc ſententia, licèt aliquibus noua videatur, & à Caietano inuenta, non eſt noua, ſed antiqua, neque in ea fuit ſingularis Caietanus. In confirmationem autem huius ſententiæ ſit primum argumentum.

Vni formali, & vni abſtracto primum materiale & adæquatum reſpondens debet eſſe vnum, vt vnum; ſed hæc Deitas præintellecta Perſonis eſt formale quoddam, & vnum quid abſtractum: ergo materiale primū & adæquatum, quod illi reſpondet, debet eſſa vnum, vt vnum. Sed Perſonæ Diuinæ ſunt tres; ergo illæ non ſunt primum materiale, & adæquatum ſignificatum, quod reſpondet Huic Deitati præintellectæ Perſonis. Ergo debet eſſe aliquid aliud medium inter Hanc Deitatem & Perſonas, quod ſanè aſt Hic Deus ſubſiſtens in Hac Deitate. 25

Secundò argumentatur Caietanus. Idem eſt eſſe vnū numero Deum, & eſſe Hunc Deum; ſed datur vnus numero Deus, vt conſtat ex Symbolo Athanaſij, Pater eſt Deus, & Filius eſt Deus, & Spiritus Sanctus eſt Deus, & tamen non tres Dij; vbi apertè Athanaſius loquitur de vnitata numerica: argo datur etiam Hic Deus communis tribus Perſonis, ita vt intelligatur, quòd ſicut datur vna numero Natura Diuina communis, & præintellecta Perſonis, ſic etiam intelligatur dari vnus numero Deus, vel Hic Deus communis, & præintellectus Perſonis; tanquam primum materiale, & concretum Huius Deitatis. 26

Tertiò. In Diuinis omne commune, vt pote eſſentiale, eſt prius ratione, quàm Perſonala; ſed non ſolùm Hæc Deitas, verùm etiam Hic Deus eſt quid commune & eſſantiala: argo ſicut prius ratione aſt, & priùs à nobis intelligitur Hæc Deitas, quàm aliquid Perſonale: ſic etiam Hic Deus præintelligitur Perſonis. 27

Quartò. Hoc eſt in Diuinis ſingulare, quòd Diuina Eſſentia non habeat exiſtentiam à Perſonis; ſed potiùs cùm exiſtentia ſit quid abſolutum, Perſonæ habent ab Eſſentia, quòd exiſtant: ergo Diuina Natura præintellecta Perſonis habet vt ſic ſuam exiſtentiam. Sed ab exiſtentia cuiuſque naturæ creatæ ſumitur concretum, & materiale illius naturæ, ita vt ab exiſtentia dicatur vnumquodque exiſtens per ſe, vel ſubſiſtens in ſua natura: & ſi per impoſſibile per hanc exiſtentiam non conſtitueretur Perſona creata, ſicut præintelligitur hæc exiſtentia Perſonæ, ſic etiam præintelligeretur ſubſiſtens, vel per ſe exiſtens ipſi Perſonæ. Cùm ergo Hæc Deitas, vt præintellecta Perſonis habeat ſuam exiſtentiam, & per iſtam non conſtituantur Perſonæ vltimò, ſed per relationes Perſonales, ab illa exiſtentia ſumendum eſt concretum, & materiale primum, nempe, ſubſiſtens in Natura Diuina, & præintellectum Perſonis. 28

Quintò. Hæc propoſitio eſt immediata, Hic Deus creat, hæc verò mediata, Perſona creat, nam ideò Perſona Diuina creat, quia Hic Deus creat: ergo inter Perſonam Diuinam; & creare medias aliquid aliud, tanquam materiale ſignificatum Deitatis, cui actio creandi immediatè tribuitur Pater conſequentia, nam tunc idem eſſet dicere, Perſona creat, quia Hic Deus creat, ac ſi diceretur, Perſona creat, quia Perſona creat. Confirmatur. Hæc eſt vera, Deus generat, quia Perſona Patris, 29

Digitized by Google

Patris, quæ est Deus, primò genaras: sed hæc causalis sit vera, Persona creat, quia Hic Deus creat: ergo Hic Deus præintellectus Personis primò creat. Ergo datur in Diuinis Hic Deus per se existens & subsistens. Probatur hæc vltima consequentia, quia actio nequit alicui tanquam principio, Quod, seu tanquam agenti, Quod, primò conuenire, nisi sit singulare existens, quia actiones vel sunt suppositorum, vel saltem singularium per se existentium; sed actio creandi, gubernandi &c. Primò & Immediatè conuenit Huic Deo, & ratione eius Personis, & ex consequenti mediatè: ergo datur in Deo Hic Deus per se subsistens, cui huiusmodi Actiones conueniūt.

30 His argumentis fulcitur hæc Sententia Caietani, quæ proculdubiò est Diui Thomæ, pam. 1. p. q. 39. art. 4. ait; Hoc nomē, Deus, interdū pro vna sola Persona supponere, vt in hac, Deus generat: aliquando pro duabus tantùm, vt in hac, Deus spirat: nonnunquam verò pro tribus, vt in hac, Soli Deo honor & gloria. Et tandem pro essentia, vt in hac, Deus creat. Ex quo desumitur argumentū. In hac vltima propositione, nomē, Deus, supponit pro essentia, vt à Personis distinguitur; sed nō supponit pro essentia in abstracto: quia Actiones non dicuntur de abstractis, præsertim si fuerint vltimatè abstracta, vt est essentia; ergo supponit pro concreto Deitatis, vt à Personis aliquo modo distincto. Ergo secundùm D. Thomam in Diuinis datur Hic Deus per se subsistens. Item. 3. p. q. 3. art. 3. ait, quòd abstractis per intellectum Personalitatibus à Deitate, adhuc intelligitur, posse Deitatem assumere naturam humanā: sed Deitas, vt Deitas in abstracto non assumeret, sed vt Deus in concreto: ergo abstractis per intellectum Personalitatibus adhuc intelligitur, & est Deus in concreto secundùm D. Thomam, & ex consequenti nomen, Deus, de materiali non importat primò Personam, sed Hunc Deum per se subsistentem.

31 In hac verò Sententia illud est obseruandum, non negasse Caietanum, Diuinas Personas esse etiam materiale significatum huic Deitati respondens; sed solùm dicere, esse mediatum, & secundarium significatum materiale, immediatum verò, & proprium esse hunc Deum subsistentem in hac Deitate, Personis præintellectum. Vnde quæ infert Bartholomæus Torres contra Caietanum 1. p. q. 39. art. 4. in. 2. Parte Commentarij, re vera non sunt contra Caietanum, si rectè intelligatur: nam Caietanus docet, quòd Deus: cùm pro Indiuiduo Deitatis supponit, etiam supponit pro Personis. Sed immediatè & primò supponit pro indiuiduo subsistenti in natura: mediatè verò & secundariò pro Personis. Verum est tamen, quòd interdum Deus immediatè & primò supponit pro Persona, vt in hac, Deus generat, sed hoc est propter exigentiam prædicati, quod est notionale, vt loco citato dicit D. Thomas.

Obseruationes præmittendæ. §. III.

32 PRO Huius Controuersiæ dilucidatione præmittendum est, quid nomine existentiæ, & subsistentiæ intelligatur. Existentia enim est id, quo res extra suas causas actualiter esse intelligitur. Vnde existentia dicitur quasi extra sistentia: hoc est, actualitas extra potentialitatem, siue id conueniat existentiæ formaliter, siue concomitanter durat, & tanquàm conditioni sine qua non. Subsistentia vero est id, quo res vltimò terminatur, & est per se à cæteris separata. Itaque ex vi existentiæ solùm intelligitur res esse extra suas causas, seu in rerum Natura. Vnde de se est indifferens, vt existat innitendo alteri, vt sustentanti, vel vt existat per se sine dependentia ab aliquo sustentante. Per subsistentiam verò res actu terminatur, & quasi formaliter constituitur in modo per se essendi, sine dependentia ab aliquo sustentante. Vnde subsistere idem sonat, quod per se existere, ita vt in sua existentia non pendeat ab aliquo, cui quasi in existat, & à quo, tanquam ab eo, cui quasi inexistat sustenteтur: quod propriè est existere per se, idest sine adminiculo alterius, cui innitatur, & à quo sustentetur, & pendeat in suo esse. Sic nullum vniuersale subsistit, quia in suo esse dependet à singulari, in quo est: sic etiam nulla forma præter animam rationalem subsistit: quia in suo esse pendet à Supposito, in quo est. Similiter humanitas Christi non subsistit, quia vt habet esse in Christo, à Diuino Verbo pendet, cui quasi inexistit, & à quo sustentatur. Anima autem rationalis in hoc sensu dicitur subsistere, quia licèt dum est in corpore, in eo, & in toto composito existat, ab eis tamen non pēdet in suo esse, sed potest ab eis separata existere. Vnde sola anima rationalis inter omnes alias formas subsistit. Et quia ipsa sola in seipsa subsistit, ipsa sola operatur, vt Quod, reliquæ verò formæ, vt id solùm, quo Suppositum operatur. 33

Controuersia igitur in hoc est posita, An sit in Deo aliqua subsistentia absoluta, idest, aliqua ratio & perfectio absoluta, qua aliquid constituitur vt in se & per se existens, licet non incommunicabiliter. Itaque sensus quæstionis est, An existentia Diuinæ Naturæ habeat perseitatem essendi à solis proprietatibus relatiuis, vel ex seipsa, & per suam rationem absolutam, & consequenter, An Diuina Natura non solùm vt existens, sed etiam vt per se existens sit multis communicabilis, An verò, hoc ipso quòd concipitur vt per se existens, seu esse id, quod est, intelligatur etiam incommunicabilis & Persona.

Præterea aduertendum est, illud per se, siue perseitatem essendi non sumi hîc, vt distinguitur contra esse in alio, vt in subiecto sustentante, quia in hac significatione esse per se conuenit essentialiter omni substantiali naturæ, præsertim completæ, & potiùs significat aptitudinem subsistendi, quàm actualem modum per se essendi: sed sumitur hîc per se, vt dicit complementum, & terminum quendam naturæ substantialis, quo in se & per se constituitur sine adhæsione ad aliud, vt ad sustentans & terminans naturæ dependentiam: quia per illam perseitatem natura redditur incapax, vt vlterius terminetur, siue alteri termino vniatur: hoc enim repugnat rationi termini, & huic perseitati essendi. Conuenit autem hæc perseitas substantijs creatis, non per seipsas, neque per suas existentias, sed per aliquid reale ab eis realiter distinctum, vel saltem formaliter, vt infra q. 4. art. 2. examinabitur: quod Satis constat ex Incarnationis Mysterio, in quo reperitur Humanitas in rerum natura, absque propria perseitate existendi, quam ex se habeat: sed solùm existit per existentiam Verbi, à quo sustentatur, & quasi 34

substantificatur. Quò fit, vt in supposito proprio creato id, quod est ratio per se essendi, sit aliud realiter distinctum ab ipsa Natura, & ab eius existentia, tanquam res à re, siue tantùm sit modus ex natura rei distinctus. Per illud autem Natura ipsa V. G. Humanitas propriè loquendo non est per se, sed compositum ex natura, & ex illa ratione per se essendi: quæ ratio à Thomistis Personalitas, Suppositalitas, siue subsistentia nuncupatur. Præsupponitur verò ordine naturæ,
35 subsistentia ad existentiam, nam quantumuis Natura sit singularis, & indiuidua, non est capax existentiæ saltem secundùm ordinem naturæ, nisi completa & terminata per subsistentiam, & Personalitatē, tanquam per terminum intrinsecum. Itaque cùm actus essendi, siue existentia sit omni creaturæ terminus totaliter extrinsecus: nequit natura hunc extrinsecum terminum habere, nisi priùs terminum intrinsecum habeat, qui est subsistentia, & Personalitas: quia ex D. Thoma infra q. 17. articul. 2. Proprium susceptiuum actus essendi est suppositum iam constitutum per Personalitatem. Et ob id inter alia terminus suppositiconstitutiuus, siue perseitas essendi, appellatur subsistentia, quia constituit proprium, & immediatum existentiæ subiectum. Scio hanc Doctrinam Antithomis non probari, ea tamen est verissima, & infra à calumnijs aduersariorum defendabitur.

Insuper aduertendum est, subsistere, & subsistentiam
36 non reperiri in Deo, si attendatur id, à quo nomen imponitur, neque, subesse, nisi quatenus Essentia subest ipsi esse secundum rationem. Sic docet D. Augustinus Libro 7. de Trinitat. cap. 4. ad finem dicens. *Omnis res ad seipsam subsistit, quantò magis Deus, si tamē dignum est, vt Deus dicatur, subsistere.* Et cap. 5. ait. *Nefas est autem dicere, vt subsistat, & subsit Deus bonitati suæ.* Idipsum docet D. Thomas. 1. p. q. 29. artic. 3. ad 3. Vbi citat Richardum de Sancto Victore dicentem, Personas Diuinas propriè non subsistere. Cæterùm si attendatur id, quod ipsum nomen significat, videlicet, esse per se, in Deo reperitur subsistentia, quia aliud est, à quo nomen imponitur, aliud verò, quod nomen significat: nomen enim substantiæ, vel subsistentiæ impositum est ab hoc, quod est accidentibus substare, vt docet Aristoteles in Prædicamento substantiæ, & in hoc sensu non reperitur in Deo, vt docet Augustinus loco citato, at significat illud, quod est per se, & in hac significatione reperitur in Deo. His positis sit Prima Conclusio.

Prima Conclusio. §. IIII.

37 HIC Deus, siue Indiuiduum Deitatis habet existentiam communem, & Essentialem, qua in se existit, ac subinde datur in Deo vna existentia absoluta, & Essentialis, communis tribus Personis. Hæc Conclusio est contra recentes quosdam Theologos, qui negant in Deo existentiam absolutam, & tres dumtaxat existentias relatiuas constituunt, ita vt sicut Humanitas in Christo non habet propriam existentiam creatam, sed formaliter existit per existentiam Verbi Diuini; sic etiam Diuina Natura secundùm rationem præcisa & abstracta à relationibus, non intelligatur habere existentiam increatam, sed in vna quaque Persona existere per propriam illius relationem. Sed hæc Sententia non est minùs falsa, quàm noua, & nostra Conclusio est adeò certa, vt sine errore, vel saltem temeritate negari non possit: nam primò in ea consentiunt omnes Theologi, præsertim Diuus Thomas, qui nihil frequentiùs docet, quam ipsum esse, siue existere esse ipsam Dei Essentiam, & non loquitur identicè, sed formaliter, vt idem sit dicere, esse essentiam, seu esse de Essentia, seu esse prædicatum essentiale Dei, vt exactè ostendit. 1. parte q. 3. artic. 4. Et ex hac perfectione colligit alias ferè Diuinas perfectiones, vt videre est eadem. 1. p. q. 4. articulo. 2. & q. 6. articulo. 3. & q. 7. artic. 1. & q. 13. art. 11. Vbi probat, nomen, Qui est, esse maximè propriū Dei, quia formaliter significat ipsum esse, quod est ipsa Dei Essentia. Probatur autem Conclusio ex hoc eodem nomine, Qui est. Seu: Ego sum, qui sum. Quod Deus sibi imposuit, Exodi. 3. Quod nomen est essentiale, significans tres Personas, vt sunt vnus Deus, vt rectè docet D. Dionysius cap. 1. de Diuinis Nominibus dicens, illud: Ego sum, qui sum; De tota Deitate dictum esse, sicut, illud, Tu autem idem ipse es. Psal. 101. & illud. Qui est, qui erat, & qui venturus est omnipotens. Apocalyp. 1. Vnde D. Augustinus lib. 3. Contra Maximinum Arrianorū Episcopū cap. 16. & in Opusculo circa ea Verba. Ego sum qui sum. Tomo. 6. & lib. 2. de Moribus Manichæorum, cap. 1. ait, hoc esse nomen immutabilitatis, quia omnia, quæ mutantur, aliquo modo desinūt esse & æternitatis, quia illud, Est, & Sum, idem valet, inquit, quod æternus sum: in quo nihil fuit, nec futurum est, sed tantùm est. Vnde concludit, illo Verbo significari Naturam Diuinam, in se incō- 38
mutabiliter manentem. Est ergo nomen essentiale cōueniens Personis ratione Essentiæ. Vnde sic concluditur Argumentum. Nomen, Qui est, est Essentiale, ergo significat proprietatem absolutam communem tribus Personis. Significat autem existere, seu existentiam; ergo existentia est proprietas absoluta, & maximè Essentialis. Hæc ratio est D. Thomæ q. 2. de Potentia art. 1. Vbi constituit differentiam inter Naturam creatam, & Diuinam, quòd creata non est suum esse, sed ipsum esse Dei est eius Natura, & quidditas. Et indè est, quod proprium nomen eius est, Qui est, quia sic denominatur quasi à propria sua forma. Vnde Basilius relatus à Lippomano in Chatena super Exodū cap. 3. Exponens illud nomen, Ego sum, qui sum, Rectè diait. Istud, Qui sum, vnam, eādemq; ac communem essentiam significat. In quo nomine Deus suam Essentiam & Naturam declarat per hoc, quod est, Esse: quia nomen institutum est ad significandam naturam & essentiam rei, & substituitur loco illius. Vnde Iob. 14. dicitur. *Nonnè tu, qui solus es.* Et cap. 23. loquens de Deo inquit. *Ipse enim solus est.* Quasi significet, quòd esse est proprium Dei & de eius essentia, per quod ab omnibus alijs rebus distinguitur, sed est distinctus ab alijs rebus creatis per suā essentiam, vt est Deus; ergo vtsic habet esse. Ite Christus Ioan. 8. ad illum locum Exodi. 3. diait. *Si non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccatis vestris.* Vbi suā naturam & essentiā explicat illis Verbis, Ego sum. Idest, si non credideritis, me esse verum Deū. Et statim idem repetit dicens. Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum. Id est, me esse Deum, cuius natura & essentia est, esse.

Confirma-

39 Confirmatur. Esse est maximè de Essentia Dei, & illi intrinsecum, & essentiale; sed Essentia Dei distinguitur ratione à relationibus, ergo esse absolutum & essentiale est in Deo. Probatur consequentia; quia Diuina Essentia, vt distinguitur ratione à relationibus, vel includit esse, vel non. Secundum dici non potest; quia esse, vt ostendimus, est essentiale Diuinæ Naturæ. Si includit esse: ergo esse essentiale & absolutum reperitur in Deo; etenim esse, quod conuenit Essentiæ, vt distinguitur à Personis, nequit esse Personale.

40 Præterea probatur Conclusio. Deus est Ens distinctum à creaturis indiuidualiter existens in rerum natura, sed est distinctum & indiuiduatum, etiam prout ratione distinguitur à Patre & Filio, & Spiritu Sancto: quia Diuina Essentia ex eo quòd est forma in alio irreceptibilis, indiuiduatur; & ex eo quòd est ipsum esse abstractum irreceptum; ergo Diuina Essentia, prout ratione distinguitur à Personis, habet esse essentiale,
41 & absolutum, imò est ipsum esse. Confirmatur. Diuina Essentia, etiam vt distinguitur ratione à Paternitate, & vt abstrahit à relationibus, est subsistens in rerum natura; ergo vt sic habet esse essentiale, & absolutum: omne enim, quod subsistit, est in rerum natura. Insuper. Esse, siue existere est perfectio simpliciter, quia in qualibet re est melius ipsum, quàm non ipsum; sed omnis perfectio simpliciter in Deo est absoluta & essentialis; tum, quia necessariò debet esse communis omnibus Personis: tum etiam, quia de ratione entis summè perfecti est, vt includat formaliter omnem huiusmodi perfectionem. Sed Deus essentialiter est ens summè perfectum; ergo esse, seu existere est absoluta & essentialis perfectio. Confirmatur,
42 quia D. Thomas vbique docet, ipsum esse non solùm esse perfectionem simpliciter, sed etiam esse omnium perfectissimam; quia est omnium actus, vt patet. 1. p. q. 4. art. 1. ad. 3. & art. 2. ad. 3. Vbi ex Dionysio cap. 5. de Diuinis Nominibus inquit: ipsum esse, perfectius esse, quàm vitam vel sapientiam, si considerentur, prout ratione distinguuntur. Et idem repetit. 1. 2. q. 2. art. 5. ad. 2. Vbi ait, ipsum Dei esse in sua perfectione includere perfectionem vitæ, Sapientiæ &c. Est igitur hæc perfectio maximè absoluta, & essentialis Rursus. Ex creaturis demonstratur, Deum esse in rerum natura, vt ostendit D. Thom. 1. p. q. 2. Sed nō demonstratur Trinitas Personarum, vt docet idem D. Thomas. 1. p. q. 32. art. 1. Ergo esse conuenit Deo, prout abstrahit à Personis. Confirmatur. Effectus ad extra procedunt ab ipso Deo, prout est vnus; ergo vt sic existit. Probatur consequentia, quia producere & operari nequit nisi rei existenti conuenire.

Secunda Conclusio. §. 5.

43 IN Diuinis datur Indiuiduū Deitatis, siue Hic Deus per se subsistēs, vt præintelligitur, & abstrahit à Personis, ac proinde ponitur in Deo subsistentia absoluta, & essentialis, quæ Hic Deus, & omnes Tres Personæ, quatenus sunt Hic Deus, subsistunt. Hæc Conclusio colligitur ex Doctrina Diui Thomæ multis in locis, in quibus apertè dicit, quòd Deus sit ipsum esse abstractum subsistens. Apertè enim significat, in Deo esse subsistentiam absolutam & essentialem. Legendus est. 1. p. q. 3. art. 2. ad. 3. & q. 7. art. 1. & q. 13. art. 4. & q. 13. art. 1. ad. 2. & q. 44. art. 1. & q. 7. de Potentia art. 2. ad. 5. & in. 1. d. 21. q. 2. art. 1. & in 3. d. 6. q. 2. art. 2. ad 2. & d. 9. q. 1. art. 3. quæstiuncula. 2. ad 2. & q. 9. de Potentia art. 5. ad. 13. Ex quibus locis desumitur hoc Argumentum. Deus vt est ipsum esse; & vt distinguitur à creaturis, est subsistens; vt constat ex dictis; sed est ipsum esse subsistens, quatenus est Hic Deus præintellectus Personis: ergo vt sic est subsistens, ac subinde datur subsistentia absoluta & essentialis: Confirmatur. Hic Deus, vt est Hic Deus abstractus à Personis, distinguitur à creaturis; ergo per aliquod complementum, ac subinde datur subsistentia absolute.

Secundò probatur ex Sancta Scriptura; in qua esse 44
Diuinum significatur non solùm nominibus abstractis, sed etiam in concreto, etiam vt abstrahit à Personis, vt hoc nomine, Deus: sed istud nomen, Deus, significat habens Deitatem, quod est idem, quod subsistens in Natura Diuina, vt constat: ergo Deus, etiam vt abstrahit à Personis, habet subsistentiam absolutam. Idem docet D. Augustinus. 7. de Trinitat. cap. 4. & 5. Vbi ait. *Omnis res ad seipsam subsistit, quātò magis Deus. Vbi apertè significat subsistere in Deo esse absolutum: quia omnis substantia præter Deum subsistit per absolutam subsistentiam. Idem docet D. Hieronymus Tomo 2. Epistol. 57. ad Damasum dicens *Quia ille sola natura est perfecta, & in tribus Personis Deitas vna subsistit, quæ est verè, & vna Natura est.* Et Gregorius Nyssenus libro de Narratione Vitæ Moysis ait, solam Dei essentiam verè subsistere. Eidem Sententiæ videtur fauere Agatho Papa in Epistola Decretali, quæ habetur in 6. Synodo, Actione. 4. & incipit, Pijssimis Dominis, vbi ait. * Confitemur Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum, non tres Deos, sed vnum Deum, non trium nominum subsistentiam, sed trium subsistentiarum, seu Personarum (vt alia litera habet) vnam subsistentiam. * Quæ Verba etsi non contineant fidei definitionem, tamen cùm à Pontifice cum toto Concilio sint scripta, magnum habent pondus; præsertim, quia cùm à latinis sint scripta; videntur in proprietate Sermonis latini scripsisse, atque subsistentiam propriè, & non tantùm pro essentia vsurpasse.

Tertiò probatur Conclusio. In Deo reperitur esse 45
absolutum, siue existentia essentialis, conueniens Deo, vt abstrahit à relationibus, vnde Deus, vt Deus est, præscindendo à relationibus, includit intrinsecè & essentialiter existere: ergo Hic Deus, vt Hic Deus est, præintellectus relationibus includit intrinsecè, & essentialiter subsistentiam essentialem, & absolutam. Patet consequentia: quia esse solùm conuenit rei subsistenti: at esse est vltimus actus, & vltimum complementum rei completæ per subsistentiam, ita vt res completa per subsistentiam sit proprium susceptiuum actus essendi. Confirmatur. Deus vt sic est existens, & habens existentiam, & est ipsum existere; ergo similiter Deus, vt sic, est habens subsistentiam, & est ipsa subsistentia.

Quartò probatur. In Deo non solùm est commu- 46
nis Natura, & Essentia tribus Personis, sed etiā habens naturam; ergo datur aliquod commune subsistens, ac subinde subsistentia est communis, & essentialis.

Vltima consequentia patet, & prima probatur : quia
hæc est differentia inter subsistens in natura, & ipsam
naturam , quòd ratio etiam naturæ huius in particula
ri est pura ratio naturæ, Ratio verò subsistentis in na-
tura, est ratio habentis naturam illã. Quod alijs Ver-
bis dicitur , natura est , vt Quo , subsistens verò,
vt Quod, & hoc constat aperte in hoc homine , & in
hac humanitate. Etenim in mysterio Incarnatio-
nis inuenitur hæc humanitas sine hoc homine pu-
ro , quia ibi non est hic homo , nisi Filius Dei. Ex
hoc enim, quòd huic humanitati nihil deest , nisi pro-
pria subsistentia, & proprium subsistens in hac huma-
nitate, constat non deesse, nisi proprium habens huma
nitatem: ergo Ratio subsistentis in natura, & habentis
naturam eadem est. Antecedens patet ex D. Thoma
infra, q. 3. art. 2. ad. 3. Vbi ait, in Deo idem esse, quo
est, & quod est , idest Deitas , & habens Deitatem:
tum etiam: nam tres Personæ sunt vnus numero Deus:
ergo datur Hic numero Deus communis tribus Perso-
nis ac proinde subsistens.

Quintò Præcisis relationibus ab essentia per abstra-
47 ctionem præcisiuam intellectus, intelligitur, quòd Di-
uina Essentia maneat subsistens, sicut intelligitur, quòd
maneat sapiens, viuens &c. Ergo habet subsistentiam
ex sua ratione absoluta præcisis relationibus . Con-
sequentia patet , & antecedent probatur: quia essen-
tia vt præcisa à relationibus, intelligitur ens comple-
tum , & sufficiens ad operandum , vt constat : er-
go intelligitur subsistens : Consequentia probatur:
quia ad complementum Entis pertinet, quòd sit subsis-
tens , & ipsa subsistentia est complementum rei, & ita
humanitas, quia non habet subsistentiam, neque dicit
illam, est Ens incompletum.

48 Sextò. Deus vt præintelligitur Personis, operatur
res ad extra, creat, & gubernat: ergo Deus, vt præintel-
ligitur Personis, est subsistens, & habet subsistentiam.
Consequentia patet ex communi Methaphysicorum
Axiomate. Actiones sunt Suppositorum , siue sub-
sistentium. Antecedens verò probatur: nam virtus
creatiua, & productiua rerum ad extra est communis
toti Trinitati, vt docet D. Thomas. 1. p. q. 32. art.
1. Et ideò ex creaturis & effectibus Dei non possumus
in trinitatis cognitionem peruenire, vt ibidem docet
D. Thomas. Et. 3. p. q. 3. art. 2. Docet, Diuinæ
Essentiæ, vt præintellectæ Personis conuenire, esse prin
cipium Assumptionis effectiuum illius in Mysterio In-
carnationis : vnde communiter dicitur: Opera Trini-
tatis ad extra esse indiuisa.

49 Dices , immediatum principium creationis non
esse Deum præintellectum Personis, sed tres Diuinas
Personas simul, ita vt Diuina Essentia sit , ratio & vir-
tus creandi, Personæ verò sint, quæ per modum vnius
principij creant , vt Quod. Contra sic obijcitur. Se-
quitur ex hac solutione , Deum pro sua voluntate
posse creare, vel producere aliquem effectum, ita vt vna
Persona Diuina operetur, & non aliæ: consequens est
falsum , quia opera Trinitatis ad extra sunt indiui-
sa: ergo. Probatur Sequella: tum quia in vna Persona
Trinitatis reperitur tota ratio effectiua creationis, &
tota virtus productiua , reperitur etiam principium,
Quod, sufficiens ad creandum, nam quælibet Persona
Diuina est Suppositum perfectum: ergo est prin-
cipium, Quod, sufficiens creationis. Tum etiam, quia
hac ratione vnica Persona Diuina potest terminare as-
sumptionem naturæ humanæ: quia in illa reperitur, &
ratio assumendi , & id , quod assumit: sed in qualibet
Persona reperitur ratio creandi, scilicet, Diuina Essen
tia, reperitur etiam id, quod creat: ergo vna Persona
potest sine alijs creare, & producere.

Septimò . Priùs intelligitur Hæc Deitas indiuidua, 50
& singularis, quàm intelligatur Pater, Filius , & Spiri-
tussanctus: sed omne abstractum habet suum concre-
tum : ergo sicut antequàm intelligantur Personæ,
præintelligitur Hæc Deitas: sic etiam debet præintel-
ligi Hic Deus . Sed non potest esse Hic Deus, nisi sit
subsistens: ergo antè Personas datur Hic Deus subsis-
tens per subsistentiam absolutam. Consequentia patet;
quia cùm nondum cognoscantur relatiuæ subsistẽtiæ,
erit necessariò subsistens per absolutam subsisten-
tiam. Confirmatur primo. Subsistentia est perfec- 51
tio simpliciter simplex , cùm in quolibet melior sit ip-
sa, quàm non ipsa iuxta definitionem Anselmi ca-
pite. 15. Monologion: ergo Hic Deus præintellec-
tus Personis habet subsistentiam, & est subsistens. Pa-
tet consequentia , quia Hic Deus præintellectus Per-
sonis ex se habet omnes perfectiones simpliciter , ne-
que mendicat aliquam perfectionem à Supposito , si-
cut natura creata . Confirmatur secundò : quia in 52
hoc differt natura creata à Natura Diuina , quòd
creata habet esse à Supposito , Diuina verò tribuit
Suppositis subsistentiam , saltem radicaliter: & hoc
ideò est , quia esse Ad , vt sic, non dicit subsistere, sed
potiùs illud habet ab essentia ; ergo Natura Diui-
na præintellecta Personis habet subsistentiam, ratione
cuius præintelligitur Hic Deus subsistens.

Tandem probatur hæc Conclusio omnibus ratio- 53
nibus adductis pro Sententia Caietani, Parag. 2. Quæ
valdè cõfirmant hanc Assertionem; præsertim illa, Tres
Personæ sunt vnus Deus, ergo Hic Deus . Sed Hic
Deus dicit hanc Deitatem subsistentem: ergo datur sub
sistentia communis . Hanc autem rationem Caieta-
ni reijcit M. Suarez Dispur. 11. Sectio. 5. Quoniam
Hic Deus ex vi sui conceptus, seu ad suam vnitatem nõ
requirit subsistentiam communem, & absolutam, sed
formam duntaxat Deitatis vnam & communem:
sicut, inquit, Pater & Filius sunt vnum principium
Spiritus Sancti, & Hic spirator, non propter vnam sub-
sistentiam specialem, sed propter eandem virtutem spi-
randi, & eandem relationem . Similiter casu posi-
to, quòd tres Diuinæ Personæ vnam humanitatem
assumerent, etiam si illam immediatè terminarent
per relatiuas subsistentias, & non per absolutam, essent,
dicerenturque vnus homo, quia ex. 1. p. q. 36. & 39. 54
Ad vnitatẽ substantiui sufficit vnitas formæ. Nihilo-
minùs hæc refutatio non placet , vnde ratio Caietani
est valdè probabilis , nempe, si datur vnus Hic Deus
& vnum subsistens, dandam etiam esse vnam subsisten-
tiam, seu vnam rationem per se existendi : quia Hic
Deus non tantùm dicit hanc Deitatem in concreto,
sed etiam hanc Deitatem subsistentem . Vnde sicut
ad rationem vnius Dei requiritur vna forma Deitatis:
ita similiter ad rationem vnius subsistentis est necessa-
ria vna subsistentiæ forma: quia sicut Deitas est forma,
qua Deus in esse Dei constituitur: ita subsistentia est,
qua

Digitized by Google

qua in esse subsistentis constituitur, ad vnitatem autem substantiui necessaria est vnitas formæ. Neque exempla adducta à M. Suarez aliquid probãt contra Caietanũ, quia est diuersa ratio de Hoc Deo, & de Hoc spiratore: quoniam Hic Deus mediat inter naturam & Personã, tanquam habens naturam; habens autem naturam in suo conceptu intrinsecè includit, vt per se sit, atq; adeò sine subsistentia, seu per se existentia absoluta, & essentiali nequit concipi Hic Deus. Cæterùm Hic spirator non mediat inter naturam & Personam, tanquam habens naturam, & ideò non requirit subsistentiam absolutam, sed immediatè, & de materiali significat Patrem & Filium, qui dicuntur vnum principiũ Spiritus Sancti, & Hic spirator propter eandem virtutem spirandi, & eandem relationem, quæ cùm nõ sit constitutiua Personæ sed supponat illam constitutam, ex proprio conceptu non exigit subsistentiam, sed solùm ex identitate ad Personas, in quibus est. Illud verò de tribus Diuinis Personis assumentibus vnam humanitatem per subsistentias relatiuas, non concludit intentum, quia ex sententia Caietani infra q. 3. art. 3. In eo casu essent simpliciter tres homines, quoniam estò esset vna humanitas communis, non tamen vnum subsistens in humanitate, atque adeò neque vnus homo. Ex quibus constat, sententiam Caietani esse veram.

Tertia Conclusio. §. VI.

55 HIC Deus per se subsistens est tribus Personis realiter communicabilis. Probatur. Hæc Deitas vna & singularis est tribus Personis communicabilis; ergo similiter Hic Deus, qui est eius proprium & adæquatum concretum. Antecedens est manifestum, & consequentia probatur; quia vnicuiq; abstracto singulari, & communicabili correspondet proprium concretum singulare, & communicabile; sed Hæc deitas, quæ est abstractum Huius Dei, est communis tribus per realem existentiam: ergo similiter Hic Deus est communis tribus Personis. Consequentia cũ minori patet; maior verò probatur: quia ipsum concretum, vt præcisè habet esse per suum abstractum, nihil includit, ratione cuius sit incõmunicabile, sed Hæc Deitas de se est cõmunicabilis: ergo similiter Hic Deus, quatenùs præcisè Hac Deitate est Deus. Explicatur, & confirmatur à simili. Quia humanitas non est incommunicabilis, imò pluribus communis cum sui diuisione; ideò homo, qui est eius concretum, est pluribus similiter communicabilis: & sicut natura humana in communi non includit incommunibilitatem, ita neq; homo, vt præcisè humanitate est homo, includit incõmunicabilitatem, ergo neque Hic Deus, vt præcisè hac Deitate est Deus, includit incommunicabilitatem. Sicut igitur Hæc Deitas ex se est communis tribus per realem existentiam sine sui diuisione, ita & Hic Deus.

Quarta Conclusio. §. VII.

56 INdiuiduum Deitatis, siue Hic Deus nõ est Persona completa, neque incompleta, licèt quandam habeat vmbram, & similitudinem Personæ. Prior pars huius assertionis est contra Caietanum, quem omnès recentiores in hac parte deserunt. Et probatur eisdem rationibus, quibus in principio huius disputationis refutata est sententia Caietani. Et quod non sit Persona cõpleta, constat, & conceditur à Caietano. Quòd autem non sit incompleta, patet, quia de ratione Personæ est, quòd sit vltimum complementum naturæ, vt docet D. Thomas infra art. 3. sequenti ad. 1. Ergo implicat esse Personam sine complemento, sicut implicat esse hominem, aut intelligi sine rationalitate. Quare implicatio in adiecto est, dicere, Indiuiduum Deitatis esse Personã incompletam, sicut asserere, Petrũ esse hominem irrationalem.

Secundò. Vel illa Persona incompleta est propriè Persona, vel non. Si est propriè Persona: ergo propriè loquendo sunt in Deo quatuor Personæ, quod est hæreticum. Si non est propriè Persona; ergo fictitiè dicitur esse Persona incompleta. Probatur hæc consequentia; nam quod propriè non est tale, non est verè tale, sicut quod propriè nõ est homo, vel albũ, non est verè homo, seu album: ergo si non est propriè Persona, non erit verè Persona. Sed fictitium est dicere, aliquid esse Personam, quod verè non est Persona, præsertim eum addito essentiam Personæ omninò destruente: sicut fictitiũ est dicere, hominem esse leonem rationalem: si enim est leo, non est rationalis, & si rationalis, non est leo: ergo &c. 57

58 Secunda pars conclusionis est manifesta, quoniam sicut Hic Deus intelligitur subsistens sine ordine ad Personas, sic etiam intelligitur habere aliquam similitudinem Personæ, non quidem secundùm quòd Persona dicit incommunicabilitatem, sed quatenùs dicit aliquid habens naturam, & subsistens in illa. Cui doctrinæ maximè fauet D. Thomas infra q. 3. art. 3. ad. 1. vbi ait, circumscriptis omnibus proprietatibus Personalibus intelligi Hunc Deum subsistentem; & consequenter habere aliquam rationem Personæ. Quasi dicat, eò ipso, quòd intelligitur Deus subsistens abstractis per intellectum proprietatibus, intelligi etiam secundùm aliquam rationem Personæ, non quidem secundùm rem, sed saltem quãtùm ad similitudinem. Reliquum est dissoluere argumenta primæ sententiæ, quæ proposita sunt Parag. 1.

Solutio argumentorum. §. VIII.

59 AD primum argumentum negatur antecedens, & ad probationem Resp. D. Augustinum, & D. Thomam loqui de subsistentia Personali, & incommunicabili, atque adeò quod est subsistens incommunicabiliter, de pluribus prædicari non posse. Quod verò subsistit communicabiliter, bene potest de pluribus prædicari, & sic indiuiduũ Deitatis prædicatur de tribus Personis. Ad confirmationem Resp. ideò vnam Personam non posse pluribus cõmunicari, quia per se subsistit incommunicabiliter; cæterùm Hic Deus subsistit communicabiliter, & ideò potest prædicari.

60 Ad secundum negatur sequella, quia illud subsistens indiuiduum non ponit in numerum cũ Personis subsistentibus incommunicabiliter. Ad probationem concedimus, relationes multiplicari, & ponere in numero, (quãuis non omnes realiter distinguantur) quia inter se habent oppositionem relatiuam, & ideò concedimus quatuor relationes reales. At Indiuiduum Deitatis subsistens nullam habet oppositionem cum Personis subsistentibus, sed cum illis identificatur, & ob id non ponit in numerum, nec dantur quatuor subsistentes, sed

vnum subsistens communicabiliter, & tres subsistentes incommunibiliter.

61 Ad tertium Resp. cum Caietano, actiones esse per se existentium, seu subsistentium, siue sint supposita, siue singularia Actiones autem dicuntur suppositorum denominatiuè, quia vltra suppositum nihil est, quod actionis denominationem recipiat. Ad confirmationem patet responsio ex differentia assignata inter naturam creatam, & Diuinam, quòd naturæ creatæ singulari, cùm sit incommunicabilis, necessariò respondet vnum singulare incommunicabile, quod est suppositum, vt V. G. Huic humanitati correspondet Hic Homo, qui est suppositum, vt Petrus. Cæterùm Hæc Deitas est, Tribus Personis cõmunis, ac proinde materiale, quod sibi adæquatè respondet, est communicabile, nempe, Hic Deus.

62 Ad secundam confirmationem concesso antecedenti, negatur consequentia propter rationem supra assignatam. Et præterea, quia Spiratio ex sua natura est actio Personæ, & ideò non requiritur Spirator communis; subsistere verò est modus essendi per se, & ideò rectè ponitur in essentia, priùs quàm in Personis, nè aliquam perfectionem accipiat essentia ab ipsis Personis, quæ potiùs ab essentia habent suam perfectionem.

63 Ad quartum negatur Sequella, quia de ratione Personæ est incommunicabiliter subsistere; at Hic Deus subsistit communicabiliter, & ideò non est Persona, neque completa, neque incompleta, vt dicebat Caietanus, licèt habeat modum & similitudinem Personæ, prout subsistit, vt Quodvt Cõclusione.4. ostensum est. Ad replicam Resp. primò negando naturam subsistentem, vt sic, non posse esse communicabilem; quia licèt hoc repugnet naturæ finitæ, non tamen naturæ infinitæ, quæ est perfectißima, & potest rebus distinctis identificari; imò hoc est mysterium Sanctißimæ Trinitatis: sicut repugnat in creaturis vnicam rem simplicißimam realiter esse in Tribus Personis; non tamen repugnat Naturæ Diuinæ infinitæ. Secundò Resp. rem subsistentem realiter, & vltimatè completam vltimo complemento, quæ habet rationem suppositi, non posse esse communicabilem; at verò Natura Diuina, licèt sit subsistens, & consideretur, vt Hic Deus subsistens absoluta & essentiali subsistentia, non consideratur vt vltimatè completa, & terminata, donec consideretur cum subsistentia Personali, & relatiua.

64 Ad primam confirmationem Resp. quòd Hic Deus subsistens est communicabilis Tribus Personis communicatione quadam eminentißima altioris rationis, & ordinis, qui explicari non potest. Et omnis modus, quo in rebus naturalibus aliquid communicatur, deficit ab isto, & illum non attingit. Vnde etsi habeat modum & similitudinem superioris, quia Hic Deus est cõmunis Tribus Personis; iste tamen modus celsitudinè Diuinæ communicationis non attingit. Et idem dicendum est de modo, quo forma supposito communicatur, qui sanè modus deficit ab eminentia Diuinæ cõmunicationis, in qua communicatione id, quod communicatur, est subsistens, & est Quo, & Quod.

65 Ad secundam confirmationem Resp. quòd esse in alio, & subsistere repugnat, si esse in alio accipiatur pro hoc, quod est alteri inhærere. Item esse in alio, vt forma præcisè in supposito, etiam repugnat cũ hoc, quod est subsistere, vt conuincit argumentum de humanitate Christi: at esse in alio mirabili modo, tanquam aliquid intimè imbibitum, & nõ solùm tanquam forma in subiecto, sed tanquam quid inclusum intrinsecè, non repugnat cum hoc, quod est subsistere, imò hoc est Sanctißimæ Trinitatis arcano valde consentaneum.

Secundò Resp. de ratione subsistentis non esse, quòd nullo modo sit in alio, sed solùm quòd non existat in alio dependenter ab illo: anima enim rationalis verè est subsistens, & nihilominùs est in alio, nempe, in corpore. Sed verè dicitur subsistere, quia ita existit in corpore, vt ab illo non dependeat. Cùm igitur Diuina Essentia ita sit in Tribus Personis, vt in suo esse ab illis non dependeat, absolutè & simpliciter dicetur subsistens. Lege M. Molina. 1. p. q. 29. Disp. 3. Conclus. 2. 66

Ad quintum Resp. subsistentiam absolutam & essentialem non multiplicari in Tribus Personis, sed potiùs vnam, & eandem numero in Tribus Personis manere, sicut & Diuinam Essentiam. Personæ autem habent peculiares subsistentias relatiuas, quæ inter se realiter distinguuntur, à subsistentia verò essentiali discernuntur ratione. 67

Ad sextum conceditur Sequella, nempe, Hũc Deum, vt præintellectum Personis generare, iuxta illud Symboli, *Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero:* Id est, à Deo generante Deum genitum. Vnde ad probationem minoris Resp. ex D. Thoma. 1. p. q. 39. art. 4. ad. 4. Quòd Hic Deus generat, sed non est necessum, vt alium Deum distinctum generet, sed satis est generare aliam Personam realiter distinctam. 68

Ad septimum Resp. quòd Deitas vt sic exprimit omnem Dei perfectionem absolutam, quæ ei conuenit in abstracto, non tamen exprimit omnem absolutã perfectionem conuenientem illi in cõcreto. Etenim Deus & Deitas, licèt secundùm rem sint idem, differunt tamen in modo significandi, sicut abstractum & concretum, quia Deitas significat Deitatem per modum naturæ abstractæ, Deus vero per modum concreti. Et ita licèt Deitas includat subsistentiam inclusam, non tamen exprimit illam. Sicut etiam Deitas vt sic non exprimit formaliter sapientiam, necessariò tamen in re significata sapientiam includit. Itaque conceptus Deitatis vt sic, est conceptus naturæ essentialiter subsistentis, quamuis in modo significandi non exprimat subsistentiam. Ad confirmationem Resp. eodem modo: etenim Natura Diuina est communis Personis tanquam Essentia perfectißima, & infinita simpliciter, & ideò est communis tanquam Essentia subsistens essentialiter. 69

Ad octauum Resp. subsistentiam absolutam & essentialem esse perfectionem simpliciter, sed illa non constituit Personam. Vnde quamuis esse Personam, non esset perfectio simpliciter, vt argumentum contendit, nihilominùs esse subsistentem, est perfectio simpliciter. At verò esse Personã sit perfectio simpliciter, explicabitur Disputatione. 4. sequente. 70

Ad confirmationem Resp. quòd subsistere absoluta subsistentia non potest conuenire ratione relationis, vt distinguitur ab essentia, quia relatio facit subsistere in ordine ad aliud.

Ad nonum Resp. Naturam Diuinam, vt præcisam à relationibus intelligi completam & terminatam subsistentia 71

sistentia essentiali & absoluta, & in ratione subsistentis absolutè intelligi vltimatè terminatam, non tamen intelligi terminatam subsistentia relatiua, & Personali: & hoc est peculiare in Diuina Natura, vt in ea sit subsistentià absoluta, & subsistentia Personalis, & relatiua. Quare natura, vt subsistens absoluta subsistentia, licèt non sit Persona; habet tamen modũ & similitudinem Personæ, quatenùs subsistit, vt Quod.

72 Ad primam confirmationem negatur cõsequentia, ratio differentiæ est, quam assignat Caietanus inter Deum & creaturas, quia si in Deo tantùm esset vnicum suppositum, esset duntaxat vnum habens Deitatem, & vnus modus habendi Deitatem, sicut in creaturis, V.G. in homine solùm est vnicum habens naturam humanam, & vnus modus habendi illam: at modò in Deo de facto est habens Deitatem absolutè, & habens Deitatem relatiuè, & ita non est eadem ratio. Per hoc etiam Resp. ad secundam confirmationem.

DISPVTATIO TERTIA. §. I.

AN in Deo sint tres existentiæ relatiuæ distinctæ ab existentia Diuinæ Essentiæ. Præcedenti Disputatione Conclusione. 1. definitum est, in Deo dari existentiã absolutam & essentialem: Dubitatur modò, An præter illam dentur aliæ existentiæ relatiuæ, distinctæ secundùm rationem ab existentia absoluta Diuinæ Essentiæ, ita vt alia sit existentia Deitatis, vt sic, & alia relationis, vt sic: atque adeò sicut dantur tres relationes inter se realiter distinctæ, & ab essentia sola ratione, ita similiter dentur tres existentiæ relatiuæ, inter se realiter distinctæ, & sola ratione ab existentia absoluta essentiæ. Affirmatio ita suadetur.

1 Primò. Existentia est vltimũ complementum suppositi, sed in Deo sunt tria supposita: ergo est triplex existentia. Maior probatur, quia ex D. Thoma infra q. 29. art. 2. immediatum susceptiuum actus essendi est suppositum completum, & terminatum per subsistentiam, & non natura, sed in Deo sunt tria supposita, vt constat de fide, ergo est triplex existentia. Patet consequentia, quia actus multiplicantur penes susceptiua propria.

2 Secundò. Relatio realis vt sic secundùm propriam, & vltimam rationem relationis, quæ est ad aliud realiter, intrinsecè includit esse existentiæ, sed in Deo sunt tres relationes, & tria, Ad, realia realiter distincta tanquam res à re, ergo in Deo est triplex existentia realis distincta realiter tanquam res à re. Consequentia patet, & minor similiter, quia in Diuinis sunt tres relationes realiter distinctæ, tanquam res à re, vt constat de fide; ergo sunt tria, Ad, realia realiter distincta tanquam res à re, nam, Ad, reale est vltimus modus relationis. Maior verò probatur. Relatio realis, vt est relatio realis, secundùm vltimum modum, & propriam rationem relationis realis, est ens reale, vt constat; ergo secundùm illum modum habet esse reale, sed non absolutum, vt constat: ergo habet esse respectiuum, ac subinde in Deo est triplex esse respectiuum, distinctum realiter.

3 Tertiò. In Dininis sunt tres res, & tria entia; ergo in Deo sunt tres existentiæ saltem respectiuæ. Consequentia patet, quia existentia est vltima actualitas, & vltimũ complementum, & terminus rei, & entis. Antecedens verò probatur. In Deo sunt tres relationes realiter distinctæ, & tres qualitates relatiuæ, quasi specie differentes, ergo sunt tria entia, & tres res. Consequentia probatur: quia realiter numerato inferiori, numeratur etiam realiter superius: si enim sunt tres homines, sunt tria animalia.

Quartò. Si in Deo non essent tres existentiæ relati- 4
uæ, sed vna tãtùm absoluta, maximè, quia Diuina existentia absoluta est infinita, & illimitata, omnem continens existentiam; sed hoc non obstat, quia etiam Diuina Essentia est infinita, omnem includens rationem, & perfectionem essendi, & tamen in ea sunt tres relationes reales realiter distinctæ, vt est de fide; ergo licet Diuina existentia sit infinita, potest esse vnica existentia absoluta, & tres relatiuæ inter se se realiter distinctæ.

Prima Opinio. §. II.

DE hac re duæ versantur Theologorum sen- 5.
tentiæ. Prima asserit dari in Deo præter existentiam absolutam, & essentialem, tres existentias relatiuas, & Personales, sicut sunt tres relationes. Et quemadmodùm Diuinæ relationes inter se realiter distinguuntur tanquam res à re, ab essentia verò ratione duntaxat secernuntur; ita existentia relatiua Personalis distinguitur realiter tanquam res à re, ab existentia relatiua alterius Personæ: ab existentia verò absoluta, & essentiali sola ratione. Hanc sententiam sequuntur ex recentioribus M. Medina infra. q. 3. art. 2. M. Zumel. 1. p. q. 28. art. 2. Disp. 4. & M. Suarez. q. 3. art. 1. Disput. 11. Sectione. 2. Princeps firmamentum M. Medinæ in eo est positum, quòd existimat, subsistentiam & existentiam esse vnam & eandem rem, atque adeò sicut
dantur in Deo iuxta probabiliorem Theologorũ sen- 2
tentiam, tres subsistentiæ relatiuæ, & vna absoluta, ita de existentia Philosophandum censet. Eodem firmamento nititur M. Zumel. 1. q. 50. art. 2. Disp. 3. Vbi adeò mordicùs defendit, existentiam esse idem cum subsistentia, vt eos, qui contra sentiunt, cæcos appellare non dubitet. Confirmatq; suam sententiam nonnullis rationibus, quæ posteà referentur.

M. Suarez, vt probet suam opinionem, præsupponit, 6
in qualibet re existentiam ita habere rationem primi actus, & primæ formæ, vt repugnet aliquam rem, aut esse, aut intelligi, prout est entitas actualis, nisi per existentiam, ita vt neque conceptu etiam præcisiuo intelligi valeat, & concipi res aliqua in ratione entitatis actualis, quin in tali conceptu intrinsecè, & formaliter claudatur existentia: quia actualitas cuiuscumq; entitatis est effectus formalis existentiæ, quatenùs comparatur esse ad essentiam, sicut actus ad puram potentiam in ratione entis: imò existimat, existentiam cuiusq; rei esse actum entitatiuum, seu actualem entitatem eius: atq; adeò in rebus creatis non distingui in re existentiam ab essentia, si sumatur essentia, quatenùs est entitas actualis, habens aliquod esse extra suas causas, quia in eo statu intelligitur constitui formaliter per ipsam existentiam. Legendus est M. Suarez q. 2. art. 8. Disput. 8. Sectio. 3. ad. 1. argumentum. Et q. 17. art. 4. Disput. 36. Sectio. 1. & Latius in Methaphysica Disput. 31. Sectio. 4. Nume. 4. & Sectio. 6. à Nume. 13. vsque ad 23. Pro 7
intelligentia huius sententiæ notandum est, quod M. Soarez præsopponit cum Scoto in. 2. d. 12. q. 2. Potentiam obiectiuam esse omne illud, quod nondum est, potest

Digitized by Google

poteſt tamen ab aliqua potentia productiua poni in eſſe, vt roſa generanda eſt in potentia obiectiua radicis. Et denique obiectum cuiuſcumque potentię productiuæ, antequàm producatur, eſt in potentia obiectiua. Huic potentiæ correſpondet actus obiectiuus, qui nihil eſt aliud, quàm ipſamet res, quæ erat in potentia obiectiua, & poſtquàm producta eſt, dicitur eſſe in actu obiectiuo, quia quod poterat produci, & habere eſſe, iam eſt productum, & habet eſſe extra ſuam cauſam productiuam. Et iſte actus obiectiuus dicitur etiã actus entitatiuus, quia poſtquàm producta eſt res, iam eſt extra nihil, & in genere entis. Dicit ergo is author, quòd eſſentia rei, quæ ante ſui productionem ab agente, erat in potentia obiectiua, poſt ſui productionem eſt in actu entitatiuo, quia iam eſt extra nihil, & extra ſuam cauſam productiuam, & eſt entitas actualis. Cõſ-
7 tituitur autem in eſſe actualis entitatis per exiſtentiã, quæ eſt ipſe actus entitatiuus: qui ab ipſa eſſentia non diſtinguitur in re ipſa. Et ratio eſt, quia nulla res poteſt intrinſecè & formaliter constitui in ratione entis realis, & actualis, per aliquid diſtinctum ab ipſa; quia hoc ipſo, quod diſtinguitur vnum ab alio, tanquam ens ab ente, vtrumque habet, quòd ſit ens, vt condiſtinctum ab alio, & ex conſequenti non per illud formaliter & intrinſecè. Nec Deus poteſt facere, vt aliqua creata eſſentia ſit actualis eſſentia, ſeu actu ens extra nihil per actualitatem extraneam, & diſtinctam ab ipſa. Quòd autem eſſentia creata formaliter conſtituatur in actualitate eſſentiæ, ſiue in ratione actualis entitatis per exiſtentiam probat M. Suarez Diſp. 31. Sectio. 4. Parag. 4. in Methaphy.

8 Primò. Eſſe exiſtentiæ eſt illud eſſe, quo formaliter & immediatè aliqua entitas conſtituitur extra ſuas cauſas, & deſinit eſſe nihil, & incipit eſſe aliquid; ſed illud eſſe, quo formaliter & immediatè conſtituitur res in actualitate eſſentiæ, eſt huiuſmodi; ergo eſt verum eſſe exiſtentiæ. Minor eſt manifeſta, tum, quia per illud eſſe eſt aliquid in actu, tum etiam, quoniam per illud eſſe formaliter conſtituitur eſſentia extra poſsibilitatem, quam noſtro modo concipiendi habebat ab æterno: nam educi à poſsibilitate idem eſt quod extra cauſas conſtitui. Maior etiam patet ex immediata oppoſitione inter ens actu, & ens in potentia, nam ens actu idem eſt quod exiſtens, alioqui daretur medium inter ens poſsibile, & ens exiſtens, quod tamen intelligi nequit; ergo illud eſſe, quo formaliter conſtituitur ens actu in ſe, & extra cauſas, eſt etiam eſſe, quo conſtituitur exiſtens: ergo illud eſſe eſt verum eſſe exiſtentiæ.

9 Secundò. Iſtud eſſe præciſè ſumptum ſufficit ad veritatem huius propoſitionis, Eſſentia eſt, de ſecundo adiacente; ergo illud eſſe eſt vera exiſtentia. Conſequentia patet; nam, Eſt, de ſecundo adiacente non abſoluitur à tempore, ſed ſignificat actu eſſe in rerum natura, quod ab omnibus intelligitur nomine exiſtentiæ, ſeu per eſſe exiſtentiæ. Antecedens probatur, nam per illud eſſe actualis eſſentiæ formaliter ac præciſè ſumptum talis eſſentia eſt ens in actu, & diſtinguitur iam ab ente in potentia; ergo ex vi illius eſſe talis eſſentia eſt: nam benè ſequitur, eſt ens actu; ergo eſt, quia eſſe ens actu non diminuit rationem entis, quam includit verbum, Eſt.

10 Tertiò: quia illi eſſe actualis eſſentiæ cõueniunt omnia, quæ tribuuntur exiſtentiæ, eſt enim temporale, & creaturæ contingenter, ſeu non neceſſariò conueniens, quæ ſunt conditiones exiſtentiæ: ergo illud eſſe actuale eſt vera exiſtentia, cùm habeat omnes conditiones exiſtentiæ.

Hoc præmiſſo fundamento probat M. Suarez, dari in Deo tres exiſtentias relatiuas præter exiſtentiam abſolutam & eſſentialem. Primò. Vnaquæque relatio intelligitur habere propriam actualem entitatem relatiuam, ratione diſtinctam ab eſſentia, & realiter à relatione oppoſita; ſed in conceptu cuiuſcumq; actualis entitatis includitur exiſtentia, imò in re ſunt omninò idem, quamuis noſtro modo concipiendi exiſtentia ſit formale conſtitutiuum entitatis actualis vt ſic; ergo neceſſum eſt ita diſtingui, vel multiplicari exiſtentias, ſicut diſtinguuntur, vel multiplicantur entitates. Probatur conſequentia; quia impoſsibile eſt aliquid multiplicari, ſeu diſtingui ſecundùm aliquam rationem, & non multiplicari, & proportionaliter diſtingui in proprio conſtitutiuo illius rationis. Etenim ideo tres Diuinæ Perſonæ non multiplicantur, nec diſtinguuntur in eſſe Dei, quia formale conſtitutiuum Dei, quod eſt Deitas, in eis non multiplicatur, nec diſtinguitur. 11

Confirmatur primò. Eſſentia & relatio ſicut in re ſunt vna entitas, ita in re vnica exiſtentia exiſtunt; ſed relatio diſtinguitur ratione ab eſſentia, & aliquid entitatis includit, quod eſſentia non dicit, nempe, realem reſpectum, qui in re ſuam actualitatem, & realitatem habet: ergo ſimiliter exiſtentia relationis eodem proportionali modo diſtinguitur ab exiſtentia eſſentiæ. Et pari modo ſicut tres Perſonæ ſunt tres res relatiuæ, habentes entitates actuales relatiuas realiter diſtinctas; ita neceſſarium eſt, habere exiſtentias relatiuas diſtinctas, quæ nihil alind ſunt, quàm ipſæmet entitates. 12

Confirmatur ſecundò, & explicatur hoc ex creaturis, quia in Perſona creata, in qua natura & ſubſiſtentia in re diſtinguuntur, neceſſariò intelligitur, aliam eſſe exiſtentiam naturæ, & aliam ſubſiſtentiæ. Et ſicut Perſona componitur ex ſubſiſtentia & natura, ita completum eſſe Perſonæ conflatur ex ipſa exiſtentia naturæ, & ſubſiſtentiæ. Vnde in humanitate Chriſti ſicut deeſt ſubſiſtentia creata, ita deeſt completum eſſe, ſeu exiſtere Perſonæ creatæ, quia deeſt illud eſſe, ſeu illa entitas, aut ille modus realis, quem ſubſiſtentia creata importat. Sic ergo in Perſona Diuina licèt natura & Perſonalitas ſola ratione diſtinguantur, eodem tamen modo intelliguntur habere exiſtentiam ratione diſtinctam; quia ibi etiam Perſonalitas ſaltem ſecundùm rationem intelligitur addere aliquid reale actuale, quod eſt formale conſtitutiuum Perſonæ. 13

Confirmatur tertiò. Præciſa eſſentia à relationibus, intelligimus illam habere ſuam actualem entitatem abſolutam, includentem propriam exiſtentiam abſolutam: rurſus intelligimus relationes quaſi ſuperadditas eſſentiæ, illam determinantes, & perſonantes, quæ relationes intelliguntur per modum actualis entitatis addentes ſupra eſſentiam aliquid actuale; ergo ſicut in proprio conceptu eſſentię includitur exiſtentia propria abſoluta, quia illa concipitur vt entitas actualis abſoluta, ita in proprio conceptu relationis includitur propria exiſtentia relatiua, quia concipitur vt habens propriam exiſtentiam relatiuam, ſicut relatio diſtinguitur 14
ratione

Digitized by Google

ratione ab essentia in ratione formali, ita in ratione existentiæ.

15 Confirmatur quartò. Essentia & relatio distinguuntur ratione, prout habent entitatem actualem; ergo prout habent existentiam. Probatur consequentia, nã hæc duo idem sunt; ergo earum existentiæ distinguuntur ratione: est enim impossibile, aliqua duo distingui in aliqua ratione, & tamen id, per quod constituuntur in illa ratione, nullo modo in illis distingui.

16 Secundò. In Deo sunt tres res habentes tres entitates actuales realiter distinctas; ergo similiter habent existentias distinctas. Patet consequentia; quia idem est, esse actualem entitatem, quod habere actualem existentiam, & in Deo esse est ipsamet existentia; ergo si sunt distinctæ entitates actuales in Deo relatiuæ, sunt distinctæ existentiæ.

17 Confirmatur. Id, quo res est actu extra animam, est eius entitas & existentia, nam per entitatem est ens actu, & illa eadem est eius existentia: ergo implicat intelligere in Deo entitates actuales realiter distinctas, & non etiam existentias.

18 Tertiò. Relatio, vt est entitas actualis, in proprio conceptu includit existentiam, vel realiter, vel formaliter distinctam ab omni re, & existentia, à qua ipsa relatio distinguatur realiter, vel formaliter: ergo pari ratione idem dicendum est in Deo, quantum ad distinctionem rationis. Antecedens probatur: quia omnis realitas, quæ est extra animam, includit necessariò in proprio conceptu existentiam: ergo & ipsa relatio, vt est realitas extra animam: & vt sic distinguitur realiter, vel formaliter à re absoluta: ergo includit existentiam simili modo distinctam ab existentia illius.

19 Confirmatur. Relatio, vt relatio, dat aliquod esse subiecto, in quo est, cùm sit forma illius: ergo dat distinctum esse ab omni forma distincta à relatione. Et illud esse non est esse essentiæ, vt sic, quia esse essentiæ abstrahendo ab existentia, non est aliquid reale in actu, sed in potentia tantùm: ergo dat relatio distinctũ esse existentiæ: ergo habet illud.

20 Idem argumentum potest fieri in Diuinis, nam Paternitas dat esse Patris, quod non dat Essentia, vt sic, & illud esse est existentiæ, quia est esse actuale: ergo dat esse existentiæ ratione distinctum ab esse essentiæ, & ex cõsequenti habet illud.

21 Quartò. In Deo sunt tres subsistentiæ relatiuæ realiter distinctæ inter se, & sola ratione ab essentia, & subsistentia absoluta: sed subsistentia & existẽtia sunt idem omninò: ergo si vna relatiuè multiplicatur, & altera. Consequentia est optima, & maior probabitur Disput. sequente: minor verò probatur. Primò. Existentia substantiæ intrinsecè & formaliter importat per se existere, sed subsistere nihil aliud est, quàm per se existere, nã vt ait Caietanus 1. p. q. 54. art. 1. ad. 4. Dubium, subsistere importat affirmationem essendi in rerum natura, & præterea negationem sustentationis in alio; ergo subsistentia non differt realiter ab existentia substantiali. Secundò probatur eadem minor. Subsistere est taliter habere esse in se, quod non pendeat ab alio sustentante, sed hoc importatur in eo, quod est per se existere, ergo. Tertiò. Existentia est vltimum complementum substantiæ; sed subsistentia, vel suppositalitas est id, per quod vltimatè completur substantia in suo genere, ergo. Quartò. Esse realiter distinguitur ab essentia, vt est communis Thomistarum opinio, & similiter subsistentia seu Personalitas distinguitur ab essentia: ergo idem sunt subsistentia, & existentia. Patet cõsequentia, quia aliàs multiplicarentur entitates sine necessitate, cùm sola vna realitas ad omnia sufficiat. Quintò: quia statim atque noster intellectus intelligit aliquid existere in natura rationali, & indiuidua, intelligit esse Personam, & suppositum: quia Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia; ergo esse Personale idem est cum esse existentiæ. Hæc sunt potiora argumenta pro hac sententia: quam tuetur etiam M. Zumel, & eidem nititur fundamento, cui M. Suarez; vt videre est 1. p. q. 28. art. 2. Disput. 4. Conclusione Prima.

Secunda Opinio. §. III.

EST secunda sententia præcedenti opposita, nullam dari in Deo existentiam relatiuam, sed vnicam duntaxat absolutam & essentialem, communem tribus Personis, per quam omnes Diuinæ Personæ existunt. Hanc sententiã sequuntur grauissimi Theologi, & omnes ferè recentiores, paucis exceptis. Et proculdubiò est D. August. lib. 7 de Trinit. cap. 4. in fine vbi ait. *Aliud est Deo esse, aliud Patrẽ esse, quod enim est, ad se dicitur, Pater autem ad Filium.* Vbi apertè significat, existentiam in Deo non esse respectiuam in ordine ad alterum, sed absolutam in ordine ad seipsam. Et ibidem ait: quòd sicut non dicuntur tres Essentiæ Dei, ita neque tria Esse, sicut nec dicuntur tres Sapientiæ, quia vnum est sapere in Deo, quoniam scilicet, in ipso hoc est esse, quod sapere. Et D. Hieronymus idem significat Epistola. 57. ad Damasum dicens. Quisquis tria Esse, tres vsias dicit, & tres naturas conatur asserere. 22

Item hæc sententia est expressè D. Tho. pluribus locis, præsertim. 1. p. q. 28. art. 2. Vbi inquit, quòd in Deo non est aliud esse essentiæ, & esse relationis, sed vnum & idem. Et q. 40. art. 1. ad. 2. ait, Diuinas Personas non distingui in esse, in quo subsistunt, neque in aliquo absoluto. Et 3. p. q. 17. art. 2. ad. 3. ait, quòd in Diuinis Personis non est aliud esse Personæ præter esse naturæ, & ideò tres Personæ non habent nisi vnum esse, haberent autem triplex esse, si in illis esset aliud esse Personæ, & aliud esse naturæ. Et q. 2. de Potentia art. 1. in corpore ait. Quia Diuina Essentia est suum esse, non accipit esse per supposita. Et art. 6. Supponens esse existentiæ in Deo esse tantùm absolutum, inquit. *Non est concedendum, quòd aliquid absolutum in Diuinis multiplicetur, sicut quidam dicunt, quòd in Diuinis est duplex Esse, Essentiale, & Personale, etenim omne esse in Diuinis est essentiale, neque est Persona nisi per esse essentiæ. Et idem docet q. 9. de Potentia art. 3. ad. 19. & q. 8. art. 2. ad. 11. & q. 1. de Verita. art. 5. ad. 18. & in. 1. d. 33. q. 1. art. 1. ad. 1. & quodlib. 12. art. 1. Eandem sententiam tenet Caietanus. 1. p. q. 28. art. 2. Capreolus in. 3. d. 6. q. vnica art. 3. ad. 2. contra. 2. Conclusionem. Et communiter Thomistæ, M. Bañes. 1. p. q. 40. art. 4. Dubio. 2. Conclusione Tertia. 23

Et probatur ratione desumpta ex D. Thoma in. 1. d. 33. Esse existentiæ in Diuinis non est relatiuum, sed omninò absolutum; ergo non multiplicatur in Diuinis Personis, quia in Deo omnia sunt vnum, vbi non obuiat 24

obuiat relationis oppositio. Probatur antecedens. Diuinæ Personæ, prout existunt, non habent esse ad aliud, sed in seipsis; ergo existere non dicitur relatiuè. Confirmatur. Diuinæ Personæ non opponuntur in hoc, quod est existere; ergo existunt eadem existentia. Probatur antecedens: quia eatenus opponuntur, quatenus mutuò se respiciunt in ratione Paternitatis, Filiationis, & Spirationis.

24 Secundò. In Diuinis est tantum vnica Essentia simplicissima omninò indistincta in omnibus tribus Personis; ergo in illis est tantum vnicum esse existentiæ simplicissimum, indistinctum omninò in omnibus tribus Personis, sicut ipsa Essentia. Probatur consequentia, quia esse est actualitas propria essentiæ, & ideò in rebus creatis componit cum essentia, vt docent Methaphysici. Confirmatur. Si relationes Diuinæ aliud esse adderent super esse essentiæ, facerent compositionem cum essentia; quia omnis forma addens aliquod esse super esse substantiale essentiæ facit compositionem cum substantia: sed repugnat, in Deo esse aliquã compositionem; ergo &c.

25 Tertiò. Existentia Essentialis Diuina est infinitæ perfectionis continens omnem rationem existentiæ: ergo Diuinæ Personæ, etiam prout inter se distinguuntur, existunt illa vnica existentia. Antecedens patet, & consequentia probatur: nam Diuina existentia infinita est sufficiens, vt non solùm per illam existat Deus, sed etiã Diuinæ Personæ. Confirmatur. Si præter existentiam essentialem, ponitur in Deo existentia Personalis, per quam existat Persona, vt Persona est, sequitur, quòd existentia essentialis non sit simpliciter & omnibus modis infinita, sed consequens est falsum: ergo. Probatur Sequella, quia non contineret omnem rationem existentiæ, siquidem præter illam ponitur existentia Personalis in Deo.

26 Quartò. Duæ, vel plures rationes vnius rei non demonstrant duplex, vel multiplex esse; sed possunt habere vnicũ esse: ergo plures rationes respectiuæ, quæ sunt in Diuina Essentia, non indicant plura esse, sed habent vnicum, & idem esse absolutum, & essentiale. Cõsequentia patet. Et probatur antecedens: nam ratio rei non dicit esse, sed quid, hoc est, quid aliquid est. Ergo duæ rationes, vel plures vnius rei non demonstrant plura esse illius. Explicatur exemplo: Punctus enim, qui vnicum duntaxat esse habet, duplicem habet rationem, nempe, principij, & finis. Item in doctrina D. Thomæ, in Christo non est nisi vnicum esse existentiæ, & tamen in Christo est duplex quidditas, & ratio, nempe, quidditas Diuina, & humana, vnicum tantùm esse habentes: ergo similiter Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, qui dicunt tres rationes respectiuas in eadem numero essentia, habent vnicum esse, & illud sufficit, ac proinde non est ibi triplex esse respectiuum.

27 Quintò. Quod est in relatione creata inexistentia, & inhærentia, in Deo est substantiale: sed relatio creata, quatenus dicit, Ad, nõ dicit inhærentiam, neque inexistentiam, sed vt dicit, In; ergo Diuina relatio, quatenùs dicit, Ad, non dicit existentiam substantialem, sed quatenùs dicit, In, & est idem omninò cum Diuina Essentia. Consequentia patet ex paritate rationis; antecedens verò probatur. In eo, quod dicitur, Ad, nulla importatur habitudo ad subiectum, vel ad essentiam, sed magis ad suum oppositum; sed Diuina relatio, quatenùs dicit, Ad, non dicit existentiam, sed inquantùm dicit, In; ergo in Deo non est nisi vnicum esse, & nõ tres existentiæ respectiuæ: in Diuinis enim solùm est distinctio realis penes diuersa, Ad.

28 Sextò. In Deo idem omninò intelligere, vt intelligere est, sine vlla distinctione reperitur in omnibus tribus Personis; ergo idem omninò esse existentiæ est in eisdem: ita vt esse Patris non distinguatur realiter ab esse Filij, & Spiritus Sancti. Antecedens est notum, & probatur consequentia. Sicut esse existentiæ est vltima actualitas in esse entitatiuo, ita intelligere est vltima actualitas in esse intelligibili; ergo sicut intelligere est aliquid essentiale, ita & esse.

29 Postremò. Licèt in creaturis existentia respiciat Personam, & suppositum, tanquam immediatum susceptiuum sui ipsius, in Diuinis tamen esse primò & per se respicit Naturam & Essentiam Diuinam, vt immediatum susceptiuum illius; sed Diuina Natura & Essentia est vnica, vt est de fide; ergo existentia in Deo est vnica tantùm absoluta, conueniens Essentiæ, & ratione illius Personis. Consequentia patet, & probatur maior ex differentia inter Deum & creaturas; quia esse est de Essentia Dei, & est ipsa Diuina Essentia: & ideò esse primò debet referri ad ipsam Diuinam Essentiam: at in creaturis esse non est essentiale, sed est quasi complementũ accidentale, & ita primò & immediatè respicit suppositum, & non naturam. Et in hoc sensu asserit D. Thomas infra q. 17. art. 2. Quòd esse non immediatè pertinet ad naturam, sed ad suppositum. Vbi expressè loquitur de creaturis, in quibus esse existentiæ non est de earum essentia. Et ideò essentia non est immediatum susceptiuum existentiæ, sed per subsistentiam & Personalitatem efficitur immediatum, & proprium susceptiuũ existentiæ: & ita verè dicitur: Quia Petrus existit, homo existit. In Deo tamen est diuersa ratio, quia existentia immediatè comparatur ad Naturam Diuinam, tanquam essentiale ipsius prædicatum, cùm sit existens per propriam essentiam.

30 Ex his sequitur primò iuxta istam opinionem, quòd esse Diuinum, vnicum & essentiale, primò & per se cõpetit Deo, & Diuinæ Essentiæ, vt sic, & quasi secundariò, & mediatè nostro modo intelligendi competit tribus Personis. Et ita esse in Deo solùm est essentiale, & nullo modo Personale. Vnde Diuinæ Personæ esto relationibus constituantur, & distinguantur; habent tamen esse existentiæ essentiale, & nullo modo Personale.

31 Infertur secundò, existentiam in Deo habere veluti duplex susceptiuum, Quod, alterum immediatum, & veluti primò & per se, quod est ipsa Diuina Essentia: alterum verò nostro modo intelligendi quasi secundarium, & mediatum, scilicet, Diuina Persona: Sicut est duplex subsistens nostro intelligendi more, nempe, Hic Deus, & Personæ. At in creaturis vnicum tantùm est existentiæ susceptiuum, videlicet, ipsum suppositũ; quia natura, & essentia non est id, quod existit, sed principiũ, Quo, existendi. itaque natura est principium, Quo, immediatum ipsius esse, sed nõ est receptiuum immediatum ipsius existentiæ, sed mediante supposito; ita vt necessarium sit, naturam esse completam, & terminatã per subsistentiã, ad hoc, vt ab ea actualiter deriuetur

ipsum

ipsum esse existentiæ. Hoc autem nō est ex defectu naturæ principiantis, vt Quo, sed quia deficit primum ipsius existentiæ susceptiuum, si natura non sit per subsistentiam completa: suppositum enim est, cui primò, vt subiecto, conuenit esse.

32 Imò verò addiderim, etiam in Deo existentiam primò & per se actuare non posse naturam Diuinam nostru intelligendi modo, nisi natura Diuina etiam considerata vt abstrahit à Personis, priùs intelligatur completa, & terminata per subsistentiam absolutam, & essentialem. Et ita Diuina existentia quasi secūdariò nostro intelligendi more actuat Diuinum suppositū iam complesum & terminatum per subsistentiam relatiuam, & Personalem. Et ita verificatur, quòd esse existentiæ est vltima actualitas præsupponens omnem aliā actualitatem, seu complementum.

33 Colligitur tertiò, licèt in Deo sit vnica tantùm existentia essentialis, tribus Personis communis, esse tamen ibi plures modos existendi, nam aliter existit Pater, aliter Filius, aliter Spiritus Sanctus: nam Pater existit, vt à quo alius: & ipse à nullo: Filius, vt qui à Patre, Spiritus Sanctus, vt qui à Patre, & Filio. Mysterium verò Incarnationis iuxta istam sententiam sic est explicandū, quòd licet esse existentiæ Diuinū sit vnicū absolutū in omnibus tribus Personis, illud tamen prout est in Filio, & in illo terminatur, actuat, & terminat naturam humanam, non verò prout est in Patre, vel Spiritu Sancto, & ideò Filius est homo, & non Pater, neque Spiritus Sanctus. Itaque quemadmodùm concedimus, Deum immediatè vnisse sibi naturam humanam, non quasi vnio terminetur ad Deum, vt est quid commune, sed vt est in Persona Verbi, ita de existentia communicata humanitati assumptæ dicendum est, quòd humanitas existit per esse Diuinum, non quidem, vt est
34 commune, sed vt terminatur in Verbò. Neque ex hoc sequitur, vnionem fieri immediatè ad aliquid essentiale, vt essentiale est, sed quòd terminatur, & existit per esse, quod re vera est essentiale, vt specialiter terminatur in Persona Filij. Explicatur exemplo. Sicut Diuina essentia est principium, Quo, generationis, non quidem vt est in tribus Personis, sed prout est in Patre, & in illo terminatur; quamuis ex tali terminatione non habeat aliquid nouum, aut nouam perfectionem, sed nouam habitudinem specialem: sic etiam vnio terminata est ad Personam, & ex vi talis vnionis existit humanitas per esse Diuinum, vt in Persona Verbi terminatur, licèt tale esse neque terminetur, neque specialem habeat virtutem, sed nouam terminationem, & habitudinem Personalem.

Hæc sententia sic explicata & confirmata est verissima, & priori, vt probabilior, prȩferenda. Soluenda sunt ergo argumenta Parag. 1. proposita, quæ illam impugnant.

Solutio Argumentorum. §. IIII.

35 AD primum igitur argumentum initio Disputationis propositum, negatur cōsequentia, quia non est eadem ratio de existentia, & suppositalitate, siue subsistentia: in creaturis enim distinguuntur realiter, vt constabit infra q. 4. art. 2. Vnde existentia in Deo non est perfectio relatiua & Personalis, sed essentialis, & absoluta, vt diximus: subsistentia verò est Personalis; & ideò non sequitur, si dantur tres subsistentiæ Personales, & relatiuæ, dari similiter tres relatiuas existentias. Ad probationem consequentiæ Resp. actus non multiplicari penes susceptiua veluti mediata, sed immediata; immediatum verò susceptiuum actus essendi in Deo, solùm est vnicum absolutum, scilicet, Diuina Essentia, completa & terminata per subsistentiam essentialem, ita vt priùs secundùm rationem intelligatur Diuina Essentia subsistens essentialiter, & communicabiliter, quàm existens. Solùm ergò conuincit argumentum, in Deo esse triplicem modum existendi, sicut etiam sunt tria susceptiua mediata actus essendi. Ratio verò, ob quam actus essendi non multi- 36
plicantur ex susceptiuis veluti mediatis in Deo, nempe ex Diuinis Personis, cùm tamen multiplicentur ex immediatis susceptiuis, est; quoniam actus dicit ordinem primò & immediatè ad primarium susceptiuum, & mediante illo ad alia; & ita ex illo vel multiplicatur, vel habet vnitatem. Et quamuis quælibet Diuina Persona per seipsam sino dependentia ab alia suscipiat esse, omnes tamen tres Personæ veluti suscipiunt actum essendi nostro intelligendi more interuentu Naturæ Diuinæ, & vt sunt aliquid Diuinæ Essentiæ, intrinsecè & essentialiter imbibitum in ipsa Diuina Essentia. Est simile. Actu essendi, quo V. G. 37
actuatur homo, actuantur omnia, quæ sunt in homine, siue sit pars integralis, siue essentialis, siue prædicatum quidditatiuum, & quælibet ratio formalis, omnia tamen actuantur vnico actu essendi, quo Petrus actuatur, quia illa omnia actuantur, quatenùs includuntur intrinsecè, & essentialiter in Petro. Ita in proposito Diuinæ Personæ, & omnia, quæ sunt in Natura Diuina nostro concipiendi more actuantur, & terminantur per vnicum actum essendi absolutum, & essentialem: quia ea omnia actuantur, & terminantur, quatenùs sunt aliquid inclusum intrinsecè & essentialiter in Diuina Natura & essentia.

Ad secundum Resp. relationem realem vt sic, si con- 38
sideretur in genere, & in abstractione, vt dicit, Ad, non dicere entitatem, neque includere esse existentiæ. Si verò cōsideretur, vt dicit Ad reale, siue habens fundamentum in re, sic dicit entitatem & esse, sed illud esse, quod dicit, actuans & complens illam entitatem in Diuinis relationibus, non est esse respectiuum, sed absolutum, vt ostensum est.

Ad tertium Resp. licèt in Deo sint tria entia, & tres 39
res, non sequi, esse in Deo tres existentias relatiuas, quia vnica actualitas, & existentia absoluta potest illa omnia actuare: sicut in Christo sunt duæ entitates, & realitates, scilicet, Natura Diuina & humana, & tamen in eo nō est nisi vnica tantùm subsistentia, quæ est vtriusque naturæ terminus, & complementum, & vna duntaxat existentia, quæ vtramq; naturam actuat: ita similiter in præsenti &c.

Ad quartum Resp. quòd sicut Diuina Essentia est in- 40
finita continens omnem rationem essendi, quatenùs includit, & quod est absolutū, & quod est respectiuū: sic etiam existentia Diuina habet simpliciter infinitatem, quatenùs nostro modo intelligendi actuat, & quod est absolutū, & quod est respectiuum. Vt verò actuet, quod est respectiuū, nō est necesse dari esse respectiuū, sed sufficit esse absolutū ad actuādū omnes Diuinas relationes.

Sicut è contra, humanitas Christi est aliquid absolutũ, & tamen complementum Personale, quo actuatur, & terminatur, est respectiuum, nam completur per subsistentiam relatiuam Verbi: sic etiam Diuinæ relationes per esse absolutum actuari possunt. Et quemadmodũ Essentia Diuina in tribus Personis relatiuis intimè imbibitur, nihilominùs tamen ipsa Diuina Essentia est vnica absoluta: sic etiam esse, quod intimè actuat Diuinas relationes, est esse absolutum, licèt entitates, quæ actuantur, sint respectiuæ.

Soluuntur argumenta primæ opinionis. §. V.

41 SI omnia, quæ M. Suarez in suo fundamento præsupponit, essent adamussim libranda, & expendenda, necessarium quidem foret, magnum texere tractatum, in quo multa ex Philosophia & Methaphysica peterentur; quæ præter quàm quòd essent terminos, ac limites Theologi transgredi, non possent nõ esse tædio lectori, qui iam Physicum, & Methaphysicũ egit. Sed vt argumenta sufficienter soluantur, nonnulla præmittere oportet. Et primùm statuendum est, per quid vnumquodque ens actuale constituatur intrinsecè in esse entis actualis, An per existentiam, vel per aliquid aliud. Vt autem breuiter, & resolutoriè dicamus, quid in hac re sit certum, & tenendum, sit Prima assertio.

42 Existentia non est forma essentialiter & intrinsecè constituens actualitatem rei. Probatur primò, quia, gradus formalis, quem præstat forma, V. G. sensitiuum, vegetatiuum, rationale, &c. est formalis actualitas, & non prouenit ab existentia. Secundò. Essentia & ratio formalis V.G. naturæ humanæ, non est existere; quia hoc commune est homini, leoni, & lapidi, sed est esse animal rationale: hoc autem non habet homo ab existentia, sed à sua ratione formali: ergo existentia non est forma constituens essentialem rei actualitatem. Tertiò. Existentia non est forma substantialis, neque accidentalis: ergo non constituit actualitatem rei. Consequentia patet, quia omnis actualitas siue substantialis, siue accidentalis à forma substantiali, vel accidentali procedere debet. Antecedens verò probatur. Non est forma accidentalis, vt constat, cùm non sit accidens: neque substantialis, cùm supponat integram, & completam naturam substentia-
43 lem: ergo. Item, quia aliàs, formaliter constitueret ipsam essentiam & naturam. Ea præterea, quia actus existentiæ potest absque informatione suppleri, vt constat in mysterio Incarnationis, in quo Verbũ supplet existentiam humanitatis, cùm tamen illam non informet: ergo existentia non est forma, sed quidã terminus substantialis essentiæ & formæ, necessariò requisitus, vt forma conferat actualitatem entitatiuã. Quartò. Si existentia confert creaturę actualitatem eius entitatiuam & substantialem, vel talis actualitas est creaturæ essentialis, vel non. Si est essentialis: ergo creaturę essentialiter competit existere, sicut Deo: atque adeò cùm essentiæ rerum sint inuariabiles secundùm rationes essentiales, concedendum est, creaturam ab æterno existere, imò quòd à seipsa existat, sicut Deus: quia existere est illi essentiale, sicuti Deo. Neque verò Deus alia ratione ex seipso existit, nisi quia ex sua essentia existit.
44 Si verò non est essentialis prædicta actualitas: ergo alia excogitari debet actualitas in ratione entis, quę sit creaturæ essentialis, ab existentia distincta, vel realiter, vel formaliter. Patet hæc consequentia; quia vnaquæq; res aliquam habet actualitatem sibi propriam, & essentialem intra genus entis, & in ratione entis: aliàs nullam actualitatem poterit habere, siue in ratione substantiæ, siue in ratione animalis, siue in quauis alia, vel generica, vel specifica rationẽ. Quemadmodùm enim, quod non est ens, est nihil, ita quod actualitatem entis essentialiter non cõtinet, nullam habet actualitatem.

Dices, existentiam actualem & exercitam non esse 45
absolutè de essentia creaturæ, esse tamen illi essentialem, prout est entitas actualis, siue actu ens extra nihil, sicut differentia indiuidualis vt sic, seu Eccéitas absolutè non est de essentia indiuidui, V.G. Petri, vt homo est, est tamen de essentia Petri, vt Petrus est. Nihilominùs hæc solutio non satisfacit; quia ex Sancta Scriptura & Patribus hoc est peculiare & proprium ipsius Dei, vt eius actualis existentia sit intrinseca, & essentialis suæ Diuinæ Essentiæ, etiam in ratione entitatis actualis: ergo id non debet concedi creaturæ. Tũ etiam, quia existentia iam conueniret illi per se, ita vt hæc propositio, Creatura est, sit per se. Sed consequens est falsum: ergo. Falsitas consequentis probatur; quia hæc propositio non est perpetuæ veritatis, quia antè mundi creationem erat falsa. Sequella verò probatur. Existentia est de essentia creaturæ, vt est entitas actualis, vt ait præfata solutio: ergo intrinsecè & per se conuenit illi. Etenim rationale, quia est de essentia hominis, intrinsecè & per se conuenit illi, atque adeò hæc est perpetuæ veritatis, Homo est rationalis.

Quintò probatur Conclusio. Constituens est de in- 46
trinseca ratione, & essentiali conceptu rei constitutæ: sed existentia non est de conceptu entis actualis, etiam vt actuale est: ergo non constituit ens in ratione entis actualis. Consequentia patet, & maior similiter ex terminis est manifesta. Sed probatur minor. Ens actuale, vt actuale est, V.G. suppositũ substantiale, quod est ens maximè actuale, potest intelligi absque eo quòd eius existentia intelligatur; ergo nõ constituitur in esse entis actualis per existentiã. Antecedens probatur, quia potest concipi tota linea prædicamenti substantiæ, præscindendo ab existentia, quæ est extrinseca substantiæ creatæ: tũ etiã, quia in coordinatione prædicamentali substantiæ sunt per se substantiæ primæ, & secundæ, & supposita atque hypostases, vt constat ex ipsa arboris coordinatione, & ex Aristotele. 1. Posteriorũ textu. 34. & tamen existentia per se ad illam seriem non pertinet.

Confirmatur. Quælibet creatura etiam, vt est en- 47
titas actualis, potest intelligi sine existentia; ergo existentia formaliter, & intrinsecè non constituit actualitatem creaturæ. Consequentia patet: quia existentia solùm clauditur intrinsecè in cõceptu Dei, cuius essentia est suum esse. Præterea. Si existentia formaliter est constitutiua entis actualis vt sic, & de intrinseca ratione illius, vt est entitas actualis; ergo hæc propositio, Hoc ens, V.G. Petrus, existit, est perpetuæ veritatis, ac subinde Petrus est ab æterno: sed consequens est falsum, vt constat: ergo &c. Probatur sequella. Illa propositio, in qua prędicatum est de intrinseca ratione subiecti, est perpetuæ veritatis: sed existentia ex opposita sententia, est de intrinseca ratione Petri, vt est ens

actuale,

actuale:ergo &c. Item in hac propositione, Petrus exis-
tit, ex parte subiecti ponitur existentia; nã Petrus, prout
est entitas actualit intrinsecè claudit illam iuxta oppo-
sitam sententiam:ergo facit illum sensum, Petrus exis-
tens, existit, sed hæc est perpetuæ veritatis; ergo &c. Se-
cunda Conclusio.

48 Vnumquodque constituitur in esse actualis entitatis
per suam formam specificam, prout hæc affert secum
existentiam, vt conditionem necessariò requisitam. Ex-
plicatur conclusio. Existentia est conditio necessaria,
vt quæcumq; formalis actualitas habeat suum comple
mentum, & actualitatis modum, nam seclusa existentia
omnia sunt potentialia. Nihilominùs ipsa existentia
non confert rei creatæ actualitatem eius substantia-
lem, sed hoc pertinet ad formam, simul etiam concur-
rente ipsa actualitate existentiæ per modum necessariæ
conditionis:existentia enim, vt iam diximus, non est
forma rei in rigore loquendo, sed est quidam termi-
nus substantialis essentiæ, extrinsecus tamen; quia essen
tia actualis vt sit, formaliter & intrinsecè non includis,
nisi actualitatem in genere entis, prouenientem à for-
ma specifica: extrinsecè tamen exigit existentiam tan-
quam conditionem necessariò requisitam, vt forma
actu conferat suam actualitatem entitatiuam.

49 Et quamuis existentia sit aliquid reale, & intrinsecũ
rei existenti; cùm existentia sit illud, quo res extra nihil,
siue extra suas causas constituitur, non tamen ita dici-
tur intrinseca rei existenti, vt sit pars eius, vel eius essen-
tia, vel aliquid essentiale; sed dicitur rei existenti intrin-
seca, quatenùs res dicitur existere non extrinseca deno-
minatione, sicut dicitur esse in loco, sed dicitur, & de-
nominatur existere ab aliquo, quod in seipsa intùs ha-
bet, & hoc modo accidentia, vt albedo, & dulcedo, dicũ
tur intrinseca substantiæ. Sed in eo sensu dicitur existen
tia terminus extrinsecus essentiæ actualis, quia nõ cõs-
tituit illam intrinsecè, & formaliter in esse actualis en-
titatis, sed solùm concurrit ad eius constitutionem tã-
quàm conditio, sine qua forma specifica non constitue
50 ret, neq; conferret actualitatem entitatiuam. Sic autem
explicata cõclusio est Aristotelis, qui vbique docet, om-
ne esse à forma procedere:vt. 5. Methaph. cap. 8. tex. 15.
Vbi ait. Alia est substãtia in rebus, quę est causa existen-
tiæ, vt anima in animali. Et. 2. de Anima cap. 4. textu.
36. inquit, animam esse causam ipsius esse, siue cur sit
animal. Et. 2. Physicorum cap. 1. textu. 12. ait, res per
materiam esse in potentia, & per formam esse in actu.
Et Boetius lib. de Vnitate & vno inquis, à forma fluere
omne esse. Idem docet D. Thomas. 1. p. q. 48. art. 2. Et
lib. 2. Contra Gentes cap. 54. & 55. Et Commentator
2. Physicorum tex. 12. &. 2. de Anima textu. 8. & ratio
est manifesta:nam per formam constituitur res in ac-
tu, & omnis actus est à forma: sed actualitas entitatiua
est potissimus actus:ergo est à forma.

51 Sed dicunt aduersarij, duplicem esse actualitatem, al-
teram entitatiuam, alteram verò formalem; & hanc
dicunt esse à forma, & sic explicant Aristotelem; illam
autem non esse à forma, sed ab existentia. Imò addũt,
ipsam existentiam esse actum entitatiuum, seu actua-
lem entitatem rei. Sed hæc solutio quòad vtramq; sui
partem est falsa. Et quòad priorem probatur, omnem
actualitatem siue entitatiuam siue formalem, esse à
forma. Et primò est expressa sententia D. Thom. 2. Cõ-
tra Gent. cap. 54. Vbi ait, quòd forma se habet ad esse,
sicut albedo ad esse album; sed esse album est effectus
formalis huius formæ, quæ est albedo: ergo omne esse
siue entitatiuum, siue formale est à forma. Et ibidem
ait, quòd forma se habet ad esse, sicut lux ad lucere: nam
quemadmodùm in hoc, quod est lucere, intrinsecè &
essentialiter includitur ordo ad lucem, veluti ad cau-
sam etiã formalem (lux enim admiscetur in hoc, quod
est lucere, ita vt nequeat esse lucere sine luce) ita simi-
liter in esse entitatiuo, & formali. V. G. hominis intrin-
secè imbibitur forma hominis, ita vt sine illa esse non
possis. Et. 1. p. q. 76. art. 6. ad. 1. dicit, quòd vna & eadem 52
forma existens perficit materiam secundùm diuersos
perfectionis gradus, vna enim & eadem forma per es-
sentiã est, per quam homo est ens actu, & per quam est
corpus, & per quam est viuens, animal, & homo. Ecce
ex D. Thoma entitas actualis non prouenit, neque est
ipsa existẽtia, sed dimanat à forma. Et q. de Anima art.
9. docet, quòd primus effectus formalis animæ est esse.
Vbi aperte loquitur de ente completo & perfecto, & vt
est ens actuale habens existentiam: nam subdit. Impossi-
bile enim est intelligere priùs materiam calidam, vel
quantam, quàm intelligatur esse. Loquitur ergo de esse
actu in rerum natura. Prætereà probatur.

Implicat contradictionem, effectum formalem sepa 53
rari à forma; sed esse entitatiuum, siue esse ens actu, &
existere est effectus formalis formæ, sic enim definitur,
forma est, quæ dat esse rei: ergo implicat ponere actua-
litatem entitatiuã, vel existentem sine forma. Etenim
sicut impossibile est, esse album sine albedine, ita esse
actualitatem entitatiuã, siue ens actu, sine forma; nam
actus primus, cuius est dare esse, idem est quod forma.

Posterior pars solutionis similiter est falsa: nempe 54
quòd existentia sit ipsa entitatiua actualitas, siue actus
entitatiuus: quia implicat, aliquid, quod non est purus
actus, sit sua actualitas, & sua existentia: sed ens actuale
creatum non est purus actus, sed habet aliquid poten-
tialitatis admixtum; ergo non est sua existentia, & ac-
tualitas entitatiua, actualitas enim potentialitati repug
nat. Confirmatur. Illa quæ se habent vt proprius actus, 55.
& propria potentia, nõ sunt idem nisi in actu puro; sed
essentia actualis creaturę, & eius existentia actualis ha-
bent se, vt proprius actus, & propria potentia; ergo nõ
sunt idem, ac proindè actualis essentia creaturæ nõ est
absolutè sua existentia. Maior patet, quia ratio actus &
potentiæ inter se realiter distinguuntur: nam actualitas
repugnat potentialitati. Minor verò probatur, quia
propria actualitas essentiæ creatæ est esse. Hac ratione
vtitur D. Thomas. 1. p. q. 54. art. 1. ad probandum,
quòd intelligere Angeli non est eius essentia, quia in-
telligere est vltima actualitat in esse intelligibili: quæ
quidem ratio maiorem habet vim & efficaciam de es-
se, quod est vltima actualitas in esse entitatiuo, & in es-
se absolutè loquẽdo. Item probatur. Sicut se habet ma 56
teria ad formam, ita se habet essentia creata ad esse: sed
materia, etiam vt est entitas actualis informatã forma,
non est ipsa forma, sed ab illa realiter distinguitur:
ergo essentia actualis creaturæ non est existentia, sed
ab illa realiter, vel formaliter distinguitur: cum
sint diuersæ actualitates. Confirmatur, quia Verbum
Diuinum assumpsit humanitatem, & non existentiam
creatã; quod est euidens signum, humanitatem etiã in

ratione entis actualis non esse ipsam actualitatem existentiæ.

57 Secunda pars conclusionis, nempe, existentiam esse conditionem necessariò requisitam ad hoc, vt forma specifica conferat actualitatem entitatiuã, patet; quia forma nõ tribuit huiusmodi actualitatem per seipsam, sicc existentia, quæ est actus distinctus ab ipsa forma: ergo requiritur existentia, vt conditio. Antecedens probatur, quia à forma, V.G. ab anima, non denominatur homo formaliter ens actu, sed animatus, dicitur autem ens actu à forma, vt secum affert existentiam: ergo forma non facit hominem actu ens formaliter per seipsam sine actu existentiæ; ac proinde existentia est condi
58 tio sine qua non. Pro maiori huius intelligentia aduertendũ est ex Ferrariensi. 1. Contra Gent. cap. 22. Quòd res per suam existentiam dicitur esse, & per suam formam, differenter tamen, nam per formam dicitur esse tanquam per principium & causam formalem ipsius actualitatis existendi, vbi existentia distinguitur à re: per existentiam verò dicitur esse, tãquam per vltimam actualitatem essendi, quæ nullum alium requirit actũ. Et sic explicat D. Thomam dicentem ibidem, &. 2. Cõtra Gent. cap. 54. Quòd vnumquodque est per suũ esse. Forma igitur est id, quo aliquid est, tanquam principio formali ipsius esse, ipsum vero esse est id, quo aliquid est, tanquam actu, à quo aliquid formaliter denominatur ens, hoc est, existens.

59 Insuper aduertendum est, quòd licet à parte rei nunquam detur essentia actualis, siue ens actu, quin simul sit existens, quia forma specifica tribuit veramq; actualitatem, & entitatiuam, & formalem, & illam confert mediante actu existentiæ, quæ est conditio sine qua nõ: nihilominus existentia non includitur in conceptu entitatis actualis, vt actualis est, quia in tali esse actuali nõ constituitur formaliter & intrinsecè per existentiam, sed per formam specificam, mediante tamen ipsa existentiæ actualitate.

60 Ex dictis constat falsum esse, quod docet M. Suarez in suo fundamento, nempe, existentiam esse de formali conceptu cuiuscumq; actualis entitatis, ita vt neq; per intellectum possit præscindi actualis entitas ab existentia; iam enim ostensum est, quòd licet existentia sit cõditio necessaria per modum termini, vt quodcumque ens habeat actualem entitatem: nihilominùs extante huiusmodi conditione actualis existentiæ, quælibet res ex sua specifica forma habet actualem entitatem, etiam in ratione entis. Neque oportet, vt in conceptu, in quo explicatur hæc rei actualitas, explicetur etiam ipsa eius existentia, sed sufficit, quòd realiter interueniat ipsa actualis rei existentia, vel quòd vt plurimùm inuoluatur in ipso conceptu tanquam requisita conditio.

61 Dices, existentiam esse actualitatem cuiuslibet entis secundùm rationem entitatis, à forma verò desumi actualitatem specificam, quæ sub formalitate entitatis debet contineri; alioqui neq; erit actualitas, neque aliquid extra nihil. Sed hæc responsio est insufficiens, quia forma dans actualitatem specificam, confert etiam omnem actualitatem essentialem, quamtumuis genericã, & communem, quia in qualibet re non est duplex forma, sed vnica tãtum, ex qua prouenit tota rei formalitas, & actualitas. Et ob id in homine omnis ratio quãtumlibet communis, est perfectior, quàm in equo, quia prouenit à perfectiori forma specifica, nempe, ab anima rationali, & in equo propter eandem causam omnis actualitas est perfectior, quàm in formica.

Sed obijcies insuper. Existentia vt minimum est cõ- 62
ditio necessaria, vt quælibet res habeat actualitatem entitatiuam; ergo nisi in conceptu illius explicetur actualis existentia, non concipietur res formaliter in ratione actualis entitatis, quia deest tali conceptui conditio sine qua non, neq; esse, neq; intelligi potest actualitas entitatiua. Respondetur, ad entitatem actualem, secundùm quòd est in conceptione mentis, non esse necessariam existentiam in actu, sed tantùm requiri, quòd res concipiatur, vt potens existere, ita quòd à conceptu entis actualis, vt sic, nequit excludi esse, sed non oportet, quòd includatur, vt actu terminans entitatem conceptam, sed quòd ipsa entitas concipiatur per modum terminabilis per existentiam.

Hæc Solutio vera est, si tantùm procedat de actuali- 63
tate entitatiua, vt concepta; quia tunc concipitur vera entitas essentialis secundùm actualitatem essentialem, quæ in genere entis est simpliciter actualitas, quando concipitur per modum entitatis aptæ natæ existere. Itaq; ipsa rei quidditas & essentia est vera actualitas, prout concipitur cum ordine ad existentiam. Si verò loquamur de actualitate entitatiua, vt exercita, maior est difficultas, quia sicut omnis actualitas in cõceptione intellectus exigit habitudinem ad existentiam, ita in exercitio & in exequutione posita postulat saltem vt conditionem necessariam, actualem existentiam, exequentem actuale officium existentiæ. Vnde cùm concipitur aliqua res per modum actualis entitatis pertinentis ad exequutionem, necessariò debet intelligi, vt existans. Resp. ergo satis esse ad hanc actualitatem, quòd in 64
eodem instanti, in quo res constituitur in esse actualis entitatis per suam formam specificam, actu existat in rerum natura, ita vt in ipso actuali exercitio adiunctã habeat existentiam; & simul sit in eadem durationis mensura. Hæc autem simultanea, & cõcomitans actualis existentiæ duratio inuoluitur in cõceptu, in quo rei actualitas explicatur, per modũ necessariæ cõditionis.

Sequitur secundò, falsò asseruisse M. Suarez, in rebus 65
creatis essentiam & existentiam, si vtraq; sumatur in actu, sola ratione ratiocinata distingui. Sic docet in Metaphys. Disp. 31. Sectio. 6. nume. 13. & nume. 23. Sed ex dictis constat, maiorem distinctionem, quàm rationis cum fundamento in re, esse inter illas constituendam, quia existentia non est de conceptu essentiæ actualis, etiam vt actualis est, vt supra ostendimus; ergo distinguuntur realiter tanquam res à re: quod in doctrina D. Thomæ est verissimum: vel saltem formaliter. Confirmatur. Si essentia & existentia, vt sunt in re, sunt idem realiter, & formaliter: ergo sunt etiã idem essentialiter; quæ enim differunt formaliter, differunt per definitionem, atque adeò essentialiter: ergo è contra, quæ sunt idem formaliter, sunt idem essentialiter. Sed consequens est falsum; quia existentia actualis de solius Dei essentia actuali est, & in Deo solùm distinguitur ratione ab essentia; ergo &c. Item nulla res potest intelligi cum opposito eius, cum quo est idem realiter & formaliter: sed essentia actualis potest concipi cum negatione existentiæ, vt cùm verno tempore cõsideratur rosa non existere; ergo &c. Præterea. Verbum 66
Diuinum

Diuinum assumpsit humanitatem indiuiduam & singularem, & non assumpsit existentiam creatam, vt docent peritiores Theologi cum D. Thoma infra q. 17. art. 2. Ergo distinguuntur realiter, & non sola ratione. Patet consequentia, nã cùm duo sic se habent, quòd vno in rerum natura existente, alterum non est, neque existit, illa duo realiter distinguuntur; sed existente humanitate Christi in rerum natura, non est existentia creata illius; ergo &c. De hac re legendi sunt interpretes D. Thomæ. 1. p. q. 3. art. 4. Et Caietanus de Ente & Essentia cap. 5. q. 8. Reliqua verò quæ docet de potentia obiectiua, & actu entitatiuo sibi respondente, sunt incerta, & quæ à discipulis D. Thomæ negantur, adeò vt affirmet Caietanus, distinctionem illam actus entitatiui, & informantis esse chimericam, & indignam, vt de illa verba fiant. Legendi sunt Soncinas lib. 8. Methaph. q. 2. & lib. 9. q. 1. & 2. & ibidem Iabellus. M. Bañes. 1. p. q. 66. art. 1. Dub. 2.

67 Argumenta autem quæ adducit M. Suarez in confirmationem sui fundamenti, nihil concludunt contra nostram sententiam, quæ diuersum assignat constitutiuum actualitatis entitatiuæ ab existentia, vt supra ostensum est. Primum argumentum tantùm probat, existentiam concurrere tanquam conditionem sine qua non forma specifica tribuit actualitatem entitatiuam; quia huiusmodi actualitatem non confert immediatè per seipsam solam; sed medio actu existentiæ, qui est complementum, & actualitas prima. Vnde cõcessa maiori negatur minor, quia illud esse, quo res formaliter & immediatè constituitur in actualitate essentiæ, non est esse existentiæ, sed formale ab ipsa forma primariò proueniens, quamuis ipsa existentia ad illud concurrat tanquam conditio sine qua non.

68 Ad secundum Resp. eodem modo: negatur antecedens. Et ad probationem dicitur, quòd licet per esse actualis entitatis & essentiæ formaliter sit ens in actu talis essentia, concurrente ipsa existentia, vt conditione ad tale esse entitatiuũ, non tamen existentia intrinsecè & formaliter constituit illam essentiam in esse actualis entitatis, sed forma. Est tamen aduertendum, quòd illa propositio, Essentia est, est prædicatio quinti prædicabilis, estò prædicetur actus quidam substantialis, quia non est de conceptu essentiæ subiecti.

69 Ad tertium similiter patet, quòd illud esse actualis essentiæ prouenit ab existentia, tanquam à conditione, à forma verò tanquam à causa & principio formali. Hæc satis sint pro confutatione fundamenti contrarij, reliquum est dissoluere argumenta, quæ tali fundamento innituntur.

70 Ad primum concessa maiori, negatur minor: non enim in conceptu cuiuscumq; entitatis actualis formaliter includitur existentia, cùm non sit formale constitutiuum illius, sed tantùm includitur vt conditio necessaria per modum termini, vt quodcumque ens habeat entitatem actualem à sua forma specifica. Neque sequitur, si multiplicantur actuales entitates, multiplicari etiam existentias, sed sufficit vnica existentia absoluta ad actuandam omnem entitatem, etiam respectiuam, quamuis sint diuersi modi essendi, vt supra ostensum est. Itaque licèt in Deo sint tres actuales entitates relatiuæ, inter se realiter distinctæ, esse tamen, quo actuantur, non est necessariũ, sit respectiuum, sed sufficit absolutum: sicut vice versa, humanitas Christi est aliquid absolutum, & tamen actuatur, & terminatur per subsistentiam relatiuam Verbi. Ita similiter entitates actuales relatiuæ Diuinarum Personarum, possunt per esse absolutum actuari, & compleri. Et quemadmodũ Diuina Essentia in Personis relatiuis est intimè imbibita, & tamen Diuina Essentia est vnica, & absoluta; sic etiam esse, quod intimè actuat Diuinas relationes, & Personas, est absolutum; licèt ipsæ entitates, quæ actuantur, sint relatiuæ. Per hoc Resp. ad primam confirmationem.

Ad secundam Resp. falsum esse, quòd existentia relationis ab existentia essentiæ distinguatur, sed omnes relationes existunt eâdem existentia absoluta. Item falsum est, quòd alia sit existentia naturæ, & alia subsistentiæ. At tertiam confirmationem negatur consequentia quantùm ad id, quod dicit, quòd in proprio conceptu relationis includatur propria existentia relatiua: iam enim ostensum est, non includi, nisi tantùm vt conditionem necessariam: at illa existentia non est relatiua, sed absoluta, & per illam actuantur relationes. 71

Ad quartam confirmationem Resp. distinguendo antecedens: si enim sumatur reduplicatiue, vt sit sensus, quòd ratio distinguendi essentiam à relationibus, est existentia actualis, falsum est. Si vero sumatur specificatiuè, vt sit sensus, quòd essentia & relationes, quibus conuenit actualiter existere, distinguuntur ratione; verum est antecedens: sed nihil contra nos; stat enim plures esse entitates, & perfectiones reales, & tamen constitui in actu per eandem omninò actualitatem, existentiæ absolutæ, & essentialis. 72

Ad secundum principale negatur consequentia, & ad probationem dicitur, quòd licèt entitas actualis exigat simultaneam, & concomitantem existentiam, vt conditionem necessariam; non tamen sunt idem entitas actualis, & actualis existentia, sed distinguuntur realiter: ac proindè non est necessarium, si vna multiplicatur, & aliam similiter multiplicari. Quare etiam si multiplicentur entitates actuales relatiuæ, non multiplicatur existentia, sed sufficit vna & eadem absoluta, & essentialis, ad actuandum, & quod est absolutum, & quod est respectiuum, vt supra diximus ad quartum, num. 40. Ad confirmationem Respondetur eodem modo. 73

Ad tertium principale Resp. relationem, vt est entitas actualis, non includere in suo conceptu intrinseco existentiam, sed solùm exigere illam per modum necessariæ conditionis, vt ipsa relatio habeat entitatem actualem. Sed illa existentia non est relatiua, sed absoluta, vt dictum est, & illa sufficit ad actuãdam rem absolutam, & respectiuam. 74

Ad confirmationem Resp. quòd relatio dat esse relatiuum distinctum ab esse proueniente ab omni alia forma, subiecto, in quo est; sed illud esse non est esse existentiæ, sed esse essentiæ, quod per absolutam existentiam ipsius essentiæ actuatur. Et quamuis esse essentiæ præcisum ab existentia non sit aliquid reale in actu, sed tantùm in potentia: verùmtamen cùm essentia præintelligitur vt apta nata existere, non concipitur vt purum nihil, sed per 75

modum veræ & formalis essentiæ, quæ solam simultaneam & concomitantem existentiã requirit, non quidem relatiuam, sed absolutam, quã actuatur & absoluta entitas, & relatiua. Quidam dicunt, essentiam vt cõdistinctam ab existentia esse per seipsam extra nihil, accipiendo nihil, vt opponitur contra eos, quod dicit essentiam in prædicamento constitutam. Itaque essentia distincta ab existentia, etsi sit vera entitas, & realitas, non est in genere entium existentium, sed est in genere entium essentialium.

76 Caietanus de Ente & essentia cap. 4. q. 6. ait, ens reale dupliciter sumi, vno modo vt distinguitur contra ens fabricatum ab intellectu, quod propriè est ens rationis, alio modo, vt distinguitur cõtra non existens actu. Essentia ergo creaturæ secundum se, & vt præcisa ab existentia, est ens reale priori modo, nempe, in potentia, non verò posteriori modo, & in actu. Vnde non solum quod actu est, verùm etiam quod aptum est esse, sub ente reali cõprehenditur ad sensum Caietani explicatum. Denique ad instãtiam adductam in Diuinis, Resp. quod Paternitas dat esse Patris, quod non tribuit essentia: sed illud esse est Personale, & relatiuum, non esse existentiæ nihilominus per esse existentiæ absolutum & essentiale actuatur, & terminatur.

77 Secundò Resp. etiam si admittatur, relationem creatam tribuere subiecto, in quo est, relatiuam existentiam, distinctam saltem formaliter ab existentia absoluta sui fundamenti, quia est verum accident reale determinati generis, quod enti in actu constituto absolutè & simpliciter superuenit; & ideò nequit per alterius generis existentiam existere, sed affert secum propriam existentiam, seu potius inexistentiam, sicut reliqua accidentia: nihilominùs tamen Diuina relatio est substantialis, non quidem per modum essentiæ, sed per modũ Personalitatis, quæ Diuinam Essentiam in ratione Personæ complet; & ideò non importat propriã existentiam, aliquo modo distinctam ab existentia essentiæ, sed actualiter existit per ipsam existentiam essentialem. Et licet concipiatur à nobis per modũ formæ, non dat formaliter esse existentiæ, sed esse Personale, & relatiuum.

78 Ad quartum principale concessa maiori, neganda est minor. Vbi in luce meridiana caligant, ac cæcutiunt, qui existentiam cum subsistentia confundunt, existimantes esse vnam, & eandem rem. Etenim Disputatione præcedente ostensum est, maximè inter se differre, imò asserendum est, realiter distingui tanquam rem à re; nam suppositum prius naturâ constituitur per subsistentiam, quàm sit, & intelligatur existentia: suppositum enim iam cõstitutum est existentiæ susceptiuum; quod autem est prius, siue quod prius constituit, non dependet in illo genere ab alio: atque adeò realiter distinguitur ab eo, tanquam res à re. Item subsistentia est terminus substantiæ, & actus suppositi, qui illud constituit subsistens in ratione subsistentis; existentia verò est actus entis, vt sic, actus, qui constituit existens; ergo non sunt idem, sed realiter distinguuntur. Et tandem, quia subsistentia est intrinseca, & essentialis supposito creato; existentia verò est illi extrinseca, & accidentaria: quod intelligi commodè non valet, nisi realiter, vt res à re secernantur.

79 Ad primã igitur probationem minoris Resp. quòd existentia substantiæ formaliter importat per se existere, vt illa perseitas existendi, seu per se essendi distinguitur contra esse in alio, vt in subiecto sustentante: sic enim per se existere conuenit omni naturæ substantiali, præsertim completæ: sed vt sic non importat actualem modum per se existendi, sed potiùs aptitudinem subsistendi. Subsistentia verò dicit complementum quoddam naturæ substantialis, seu modum per se existendi, quo constituitur id, quod propriè est in se, sine adhæsione ad aliud, vt ad sustentans, & terminans dependentiam naturæ: quod rectè potest explicari per negationem Vnionis in hypostasi, seu ad hypostasim: per hanc enim perseitatem redditur natura incapax talis Vnionis, quatenus sic terminata est adhoc, vt ipsemet terminus vlteriùs termineur, seu alteri termino vniatur: id enim directè repugnat rationi termini; & huic perseitati existendi. Hæc igitur perseitas non conuenit substantiæ creatæ per seipsam, neq; per suã existentiam, sed per subsistentiam, ab alijs realiter distinctam: vt latiùs infra q. 4. art. 2. per quam subsistentiam constituitur per se existens, & omninò incommunicabilis, & cõsequenter Persona, vel suppositũ. Itaq; ratio per se essendi est etiam ratio incommunicabiliter existendi: hoc autem existentiæ conuenire non potest, nam in Deo existentia absoluta & essentialis Diuinam Essentiam omninò incommunicabilem non reddit, cùm nihil sit in Deo absolutum & essentiale, quod per summam identitatem non sit tribus Personis communicabile. Dixi autem, omninò incommunicabilem, quia Diuina Natura ex vi suæ essentialis perfectionis, est incommunicabilis rei à se distinctæ per aliquam Vnionem hypostaticam, qua ipsa, vt Natura, vniatur alteri, tanquam termino suæ existentiæ: hoc enim repugnat perfectioni essentiali talis naturæ. Non tamen est illa natura ex vi suæ existentiæ, vel alicuius modi sui absoluti incommunicabilis per identitatem multis rebus inter se distinctis, quia in hoc consistit mysteriũ Sanctissimæ Trinitatis. Ad secundam probationem Resp. eodem modo. 80

81 Ad tertiam probationem Resp. existentiam esse vltimum complementum substantiæ in hoc sensu, quòd ex ordine naturæ præsupponit naturam completam, & terminatam in supposito, non autem quòd ipsa existentia compleat, & terminet naturam substantialem: hoc enim officium pertinet ad subsistentiam, non ad existentiam; quia existentia nullum aliud complementum præstat, quàm ipsam naturam, & omnia, quæ ad illam pertinent, constituere simpliciter in actu extra suas causas. Vnde si daretur natura existens ab omni supposito abstracta, non esset plenè terminata, & completa, sed adhuc esset terminabilis, quia existentia ex se non habet reddere naturam incommunicabilem, imò ipsa existentia creata redditur incommunicabilis ex subiecto, in quo recipitur, nempe, ex supposito, quod est proprium eius susceptiuum. In Deo similiter existentia absoluta, & essentialis, quæ in existentia creata participatur, non reddit Diuinam Naturam incommunicabilem, quia communicatur existens Deitas tribus Diuinis Personis. Si ergo Diuinæ existentiæ, quæ in ratione existentiæ est perfectissima, non conuenit reddere naturam suppositaliter incommunicabilem, multò minùs id competet existentiæ creatæ secundùm propriam rationem existentiæ, sed illi competit, quatenus

coniungitur

coniũgitur cum Personali, seu suppositali subsistentia.
82 Dicitur autem existentia vltimum complementum, & terminus naturæ, quia complet, & terminat illam extrinsecè, & ideò ex propria ratione existentiæ nõ reddit naturam incommunicabilem: Subsistentia verò est vltimum complementum, & vltimus terminus, qui intrinsecè complet, & terminat naturam, ac proinde reddit illam incommunicabilem. Neque potest natura, quãtumuis singularis, & indiuidua, terminari extrinsecè per existentiam, nisi priùs sit completa, & terminata per subsistentiam, tanquam per intrinsecum terminũ.
83 Ad quartam probationem concedendum est, existentiam, & subsistentiam realiter distingui ab essentia, negatur verò inter se identificari. Neque ex hoc sequitur, multiplicari entitates absque necessitate, quia iã ostensum est, quo pacto se habeant ad naturam Subsistentia, & existentia.
84 Ad quintam concesso antecedenti, negatur consequentia, quia cùm proprium existentiæ susceptiuum sit Suppositum per Personalitatem iam constitutum, nequit res intelligi in natura rationali & indiuidua existens, quin intelligatur esse Suppositum, & Persona. Ex hoc autem non sequitur, quòd esse Personale sit idem, quod esse existentiæ, imò potiùs concluditur realiter distingui, quia existentia præsupponit subiectum susceptiuum illius, quod est suppositum iam per Subsistentiam & Personalitatem constitutum.

QVARTA DISPVTATIO. §. I.

AN in Deo sint tres subsistentiæ relatiuæ. Definitum est Disputatione secũda: in Deo esse vnã subsistentiam absolutam, & essentialem. Modò dubitatur, An præter istam dentur aliæ tres subsistentiæ respectiuæ, inter se realiter distinctæ, & sola ratione à subsistentia absoluta. Negatio his argumentis suadetur.

1 Primò. Subsistere in Diuinis nequit esse relatiuum, sed tantùm absolutum; ergo nequit esse triplex subsistentia relatiua, sed vnica tantùm absoluta. Cõsequentia patet, quia absoluta nõ multiplicatur in Deo. Antecedent verò probatur. Primò, ex D. August. lib. 7. de Trini. cap. 4. vbi ait, Subsistere nõ esse aliquid respectiuũ neq; in Deo, neq; in creaturis. *Omnis, inquit, res ad seipsam Subsistit, quãdo magis Deus.* Secũdò; quia Subsistere dicit perfectissimũ modũ essendi, sed perfectissimus modus essẽdi est aliquid substãtiale, & esse per se & in se, & est quid perfectissimũ in re subsistẽre, esse verò ad aliud non est huiusmodi: ergo. Tertiò. Subsistentia dicit perfectionem simpliciter; ergo si datur triplex subsistentia relatiua, aliquã perfectio simpliciter esset in vna Persona, quæ non in alia. Quartò. Personalitatibus vt sic in Deo non conuenit ratio subsistentiæ: ergo non multiplicantur Subsistentię, sicut Personalitates. Consequentia patet, & probatur antecedens: nam de ratione subsistentiæ est, sustentare naturam; sed Diuinæ Personalitates non sustentant naturam; quia Essentia Diuina ex se est subsistens, & non à proprietatibus Personalibus, vt visum est Disp. 2. ergo.

2 Confirmatur argumentum. Omnia, quæ dicuntur de Deo, vel sunt essentialia, vel Personalia, & nullum est prædicatum simul essentiale, & Personale, nisi sit trãscendens, sed hoc prædicatum *Subsistens,* Non est transcendens, vt cõstat; ergo nequit esse simul essentiale & Personale: nam qua ratione aliquod prædicatũ non transcendens ponitur simul essentiale & Personale, debent omnia similiter constitui.

3 Secundò principaliter obijcitur. Relatio, vt relatio, secundùm vltimum modum relationis, & quatenus dicit, Ad, non constituit Personam subsistentem, sed inquantum dicit, In; ergo in Deo non sunt tres subsistentiæ relatiuæ. Consequentia est nota; quia in Deo solũ numerantur relationes, vt dicunt, Ad, & non prout dicunt, In. Antecedens probatur. Relatio, quatenus dicit, Ad, non respicit Personam, in qua est relatio, sed solùm terminum, vt constat; ergo secundùm illam rationem non constituit Personam. Probatur consequentia: nam quod constituit aliquod suppositum, vel Personã, quatenùs constituit, debet tale suppositum respicere, cùm sit illius constitutiuum.

4 Tertiò. Diuina Persona perfectè subsistit per subsistentiam absolutam, & essentialem, nam est infinita, ac subinde sufficientissima, vt Diuinum Suppositum subsistat; ergo si datur subsistentia relatiua, & Personalis adueniens Personæ subsistenti perfectè per subsistentiã essentialem nostro intelligendi more, illa erit accidẽs, quod est impossibile; quia in Deo nullum est accidens, vt docet D. Thomas. 1. p. q. 3. art. 6. Probatur cõsequentia: nam adueniens enti in actu, nempe, rei subsistenti perfectè, ergo est accidens.

5 Quartò. Subsistentia absoluta est infinita, & illimitata includens omnem rationem, & perfectionem subsistendi: ergo illa sufficit pro vniuersis Personis, & infinitis, si essent, & non est necessaria subsistentia relatiua. Consequentia est firma, quia ideò Disputatione tertia definitum est, in Deo vnicam tantùm reperiri existentiam absolutam, quia est infinita, & illimitata, omnem essendi rationem includens.

6 Confirmatur, quia superfluum est ponere in Deo subsistentiam absolutam, & relatiuam; nam vel altera earum est sufficiens & perfecta, vel neutra. Secundum dici non potest, cùm sit cõtra Diuinam perfectionem. Primum ergo est dicendum. Tunc vltra. Illa est sufficiens, & perfecta; ergo altera illarum est superflua, ac proindè non est ponenda.

7 Quintò. Si requiritur in Deo subsistentia relatiua, maximè, vt Diuinæ Personæ incommunicabiliter subsistant; sed ad hoc non est necessaria subsistentia relatiua, sed sufficit absoluta cum relatione coniuncta: ergo &c. Consequentia patet, & maior similiter: quia subsistentia est vltimum suppositi complementum, per quod incommunicabiliter est, non tamen habet incommunicabilitatem per subsistentiam absolutam, quia non complet rationem huius suppositi, V. G. Patris. Minor probatur. Ad hoc quòd relatio Diuina, & Persona Patris existat incommunicabiliter, sufficit esse absolutum coniunctum cum Paternitate: ergo similiter ad hoc, quòd subsistat incommunicabiliter, sufficit subsistentia absoluta, coniuncta cum eadem relatione.

8 Confirmatur. Christus subsistit incommunicabiliter, non solùm vt est suppositum Diuinum, verùmetiã vt est humanum: sed vt est humanum, non subsistit incommunicabiliter per propriam humanitatis subsistentiam, cùm talem non habeat, sed per Diuinam coniunctam cum humanitate: ergo similiter vt Pater in

Diuinis incommunicabiliter Subsistat, sufficit Subsistentia absoluta coniuncta cum Paternitate.

9 Sexto. De ratione Subsistentiæ est, vt sit terminans naturæ, vt natura est, & quasi illam sustentet, seu faciat per se esse, & consequenter, vt ipsa non terminetur ab alio hoc modo, repugnat enim, id, quod per se est, vt sic, si ex propria ratione tale sit, per aliquid aliud accipere, vt per se sit, & ideò repugnat, suppositum, vt suppositum assumi; sed implicat subsistentiam absolutã & relatiuam coniungi in eadem Persona, quin saltem secundùm rationem vna intelligatur tanquam terminata altera: ergo hoc repugnat rationi Subsistentiæ, quia illa, quæ terminatur, non erit Subsistentia, siquidem non per se, sed per aliud intelligitur habere rationem per se essendi. Hoc enim est terminare, nam hoc addit Subsistentia supra existentiam: vel è contrario, illa, quæ terminat, non erit Subsistentia, quia non terminat naturam, vt naturam; vnde non est ratio per se essendi, nec se habet ad modum sustentantis: quæ omnia sunt contra rationem Subsistentiæ atque adeò non rectè inter se cohærent relatiua Subsistentia, & absoluta, saluа in vtraque vera ratione Subsistentiæ, sed omninò repugnat, Subsistentiam esse communicabilem multis subsistentijs, sicut repugnat esse in se, & esse in alio, vt in supposito.

10 Confirmatur primò. Vel relationes Diuinæ intelliguntur aduenire essentiæ, vt subsistenti, & ita non aduenjant tanquam Subsistentiæ, sed tanquam affectiones rei Subsistentis, nec Diuinitas intelligitur illis cõmunicari, vt forma, & natura, sed potiùs per modum subiecti, quod in se existit, & in se illas recipit: vel illæ relationes intelliguntur terminare naturam, præcisè vt existentem, & quasi per se illam constituere, & sic, iam in tali natura nõ datur Subsistentia absoluta: quia Diuina relatio intelligitur terminare totũ illud, quod in Deo est absolutum, & è contrario, quicquid est absolutum, intelligitur includi in ipsa relatione, vt ibi terminatur.

11 Confirmatur secundò. Vel Subsistentia absoluta includitur essentialiter in relatiuis, vel non; secundum dici non potest, cùm sit certum, totam Diuinam Essentiã in relationibus essentialiter includi, quantumuis abstractè & præcisè concipiantur. Si dicatur primum: ergo nequeunt esse tres Subsistentiæ. Probatur: quia tota ratio subsistendi in omnibus illis relationibus erit essentia, intimè, & essentialiter in illis inclusa. Neque est intelligibile, quo pacto si ratio Subsistentiæ est vna in omnibus relationibus, & de earum essentia, adhuc multiplicetur in singulis: nam ipsa essentia est formaliter Subsistentia; ergo facit Subsistere omne illud, in quo formaliter includitur. Sed in relationibus intimè includitur vsque ad vltimas rationes earum; ergo nõ est in eis alia ratio subsistendi: quia implicat, ad eundem quasi effectum formalem in eadem re duplicem rationem intimè reperiri.

12 Confirmatur tertiò: quia repugnat relationi, vt sit esse rationem Subsistendi; quia tota ratio relationis est ad aliud, ratio verò subsistentiæ est ad se, & in se.

13 Confirmatur quartò. Quoniam aliàs etiam Spiratio actiua, quia intelligitur addere suum proprium esse relatiuum, esset Subsistens sine Subsistentia.

Opiniones. §. II.

PROPTER hæc & alia id genus argumenta, quidam Theologi negant, esse in Deo tres Subsistentias relatiuas, sed vnicam duntaxat absolutam, & essentialem. Quò fit, vt iuxta hanc sententiam tres Diuinæ Personæ per aliud formaliter sint Personæ, & per aliud Subsistant, nam sunt Personæ per proprietates relatiuas, quibus constituuntur, & inter se distinguuntur; Subsistunt verò per solam essentiam. Cùm ergo de ratione Personæ sint duo, nempe, esse Subsistens, & incommunicabile, primum dicunt conuenire ratione essentiæ, secundum ratione relationis, ita vt quamuis ipsa relatio Diuina sit substantialis, & Subsistens, hoc tamen habet ex essentia, quam includit, ex se verò solùm habet referre. Hanc sententiam defendit Durandus in. 1. d. 13. q. 2. nume. 23. & 24. & in. 3. d. 1. q. 2. nume. 7. Marsilius in. 3. q. 29. art. 1. Dubio. 1. & q. 30. art. 4 Capreolus in. 3. d. 1. q. 1. art. 3. ad. 2. contra quartã Conclusionem. Paludanus ibidem q. 2. Deça Hispalensis in. 1. d. 26. q. 1. art. 2. Ferrar. 4. Contra Gentes cap. 16. Et in eadem fertur fuisse M. Victoria. Quibus multùm fauet D. Thomas. 1. p. q. 40. art. 1. ad. 1. vbi ait, Diuinas Personas non distingui in esse, in quo Subsistunt. Ex quo colligitur, Diuinas Personas nõ habere proprium Subsistere incommunicabile, sed commune. Et q. 8. de Potentia art. 3. ad. 7. ait, quòd relatio constituit Personam, & facit eam Subsistentem, inquantùm est Diuina Essentia; quia inquantùm est relatio, neque habet, quòd Subsistat, neque quòd faciat Subsistentem. Alij verò Theologi præter essentialem Subsistentiam constituũt in Deo tres Subsistentias relatiuas inter se realiter distinctas, quibus Diuinæ Personæ incommunicabiliter Subsistunt. Sic Caietanus. 1. p. q. 39 art. 4. & 3. p. q. 6. art. 2. Dubio. 3. & q. 3. art. 3. & communiter recentiores Thomistæ Sed pro huius sententiæ intelligentia aduertendum est, Subsistentiam posse accipi, & in concreto, quatenùs significat Personam Subsistentem, & in abstracto, inquantùm designat ipsam rationem subsistendi, quod est ipsum complementum Personale. Sit ergo Prima Conclusio.

Prima Conclusio. §. III.

IN Deo sunt tres Subsistentiæ relatiuæ, inter se realiter distinctæ, si Subsistentia sumatur in concreto, vt idem sit quod Subsistens. Est dogma fidei, quod nihil aliud significat, quàm quòd in Deo sunt tres Personæ Subsistentes. Ita definitur in. 5. Synodo generali Cano. 1. vnam Deitatem in tribus Subsistentijs esse cõfitendam. Et Cano. 5. idem asseritur. Et in Concilio Constantinopolitano, quod fuit sextum generale, Actio. 13. dicitur. *Trinitatem glorificamus pro tribus Subsistentijs.* Et in Edicto Iustiniani Imperatoris ad Pontificem Ioannem secundum, à quo fuit approbatũ, habetur in Deo esse tres Subsistentias. Quæ testimonia ad minus intelligenda sunt de Subsistentijs in concreto, vt idem valeat, Tres Subsistentię, quod tres hypostases. Secundò. In Deo secundùm fidem sunt tres hypostases, & Personæ: ergo tres Subsistentes. Ergo tres Subsistentię in cõcreto: siquidem Subsistentia in cõcreto idem est, quod Subsistens, seu suppositum. Antecedens probatur, quia ex Simbolo Athanasij, *Alia est Persona Patris,

14 15

Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti.* Ergò necessariò sunt ponendæ secundùm fidem tres Personæ in Diuinis.

Secunda Conclusio. §.IIII.

16 IN Deo sunt tres subsistentiæ relatiuæ in abstracto. idest, tres rationes subsistendi. In hac assertione conueniunt omnes ferè Thomistæ, & Suarez 3. p. q. 3. Disput. 11. sectio. 4. Et Medina 3. p. q. 3. art. 2. existimat esse necessariò asserendam, quia in. 6. Synodo generali actio. 11. definitur, Diuinam Trinitatem esse numerabilem tribus subsistentijs Personalibus. Vbi subsistentia necessariò accipitur in abstracto, pro ratione subsistendi: quia si in concreto sumeretur, fieret nugatoria, & incongrua loquutio: esset enim sensus, quod Trinitas est numerabilis tribus Personalibus hypostasibus. Nihilominùs hoc testimonium, quamuis conclusionem magnoperè confirmet, & eam definitioni illius Cócilij magis consentaneam reddat, non tamen facit illam de fide, ita vt oppositum sit error in fide, quia illa dictio: *Subsistentijs;* ab aliquibus pro proprietatibus vsurpatur, ita vt sit sensus, Trinitatem esse numerabilem tribus subsistentijs, idest, tribus proprietatibus Personalibus. Etenim cùm subsistentia in concreto pro hypostasi sumatur, non est mirum, quòd subsistentia in abstracto interdum sumatur pro constitutiua proprietate Personæ. Sed probatur conclusio. In Deo sunt tres subsistentiæ relatiuæ saltem in concreto, vt ostensum est conclusione præcedente: ergo etiam sunt tres subsistentiæ in abstracto. Probatur consequentia, nam quælibet subsistentia in concreto includit propriam rationem subsistendi in abstracto.

17 Præterea. Eò ipso, quòd Cócilia admittunt tres subsistentias sub hoc nomine, Subsistentia, apertè significant, vnam Personam distingui ab alia per propriam subsistentiam, atque adeò ipsas proprias subsistentias distingui inter se: quod probatur, nam hæc Persona secundùm definitionem Conciliorum, est distincta subsistentia, vel distinctum subsistens ab alia Persona, ergo habet distinctam subsistentiam. Patet cósequentia: quia distinctio Personarum tantùm est in illis, quibus distinguuntur: sed distinguuntur subsistentijs, & vt subsistentes sunt; ergo ipsæ rationes subsistendi distinguuntur inter se, cùm nequeat intelligi distinctio inter concreta, vt sic, nisi sit distinctio in ipsis abstractis: neq; essent distincta relatiua, nisi essent distinctæ relationes. Confirmatur. In Deo sunt tres Personalitates, quia sunt tres Personæ: ergo similiter, quia in Deo sunt tres Subsistentes, sunt etiam tres Subsistentiæ, seu tres rationes subsistendi.

18 Item. Nomen numerale additum termino substantiuo, numerat non solùm Supposita, sed etiam ipsam rationem formæ, & ita negatur esse tres Deos, quia numerarentur tres Deitates; sed Diuinæ Personæ non solùm sunt tres subsistentes adiectiuè, sed etiam substantiuè, & ad id significandum dictæ sunt tres subsistentiæ: ergo habent tres subsistentias distinctas, atque adeò numerantur tres rationes subsistendi. Patet consequentia, quia per subsistentias formaliter constituuntur in esse subsistentium. Concreta autem, seu constituta substantiue accepta non multiplicantur in Trinitate, nisi formis multiplicatis, quibus constituuntur, & ideò non sunt, nisi vnus Deus, quia est vna tantùm Deitas, sunt verò tres Personæ, quia sunt tres Personalitates, vt docet D. Thom. 1. p. q. 39. art. 3. & 4.

Insuper. Relatio Diuina, quæ est proprietas Personalis, vel quatenùs constituit Personam, constituit subsistens, vel supponit subsistens, & quasi adiacet subsistenti eo modo, quo Spiratio actiua intelligitur se habere ad Patrem, & Filium; sed hoc secundum dici non potest, aliàs non posset intelligi, quomodò tres relationes cóstituerent tria Supposita distincta; quia solùm se haberent vt formæ quasi adiacentes eidem subsistenti: ergo primum dicendum est. Et ideò dixit Gregorius Nazianzenus oratione 22. quæ est prima de pace. *Nec tria tanquam vnum accipientes; nec enim einsmodi sunt hæc nomina, vt per se non subsistant, aut de vna tantùm Persona prædicentur: nam si Paternitas, Filiatio, & Processio per se non afferrent suum subsistere, non possent intelligi, nisi vt eidem Personæ aduenientes.* Et ob id etiam dixit D. Thomas. 1. p. q. 40. art. 3. Proprietates Personales non intelligi aduenire hypostasibus Diuinis, tanquam formas subiecto; sed ferre secum Supposita. Et ad secundum ait. Paternitate, non solùm Pater est Pater, sed etiam est quis, siue hypostasis. Et de Potentia. q. 9. art. 4. inquit, Diuinam Personam significare distinctum subsistens in Diuina natura. Et 1. p. q. 29. art. 1. ait: Personam in Diuinis significare relationem, vt rem subsistentem in natura Diuina, & ideò esse in Deo tres res subsistentes, sicut sunt tres Personæ. At intelligi non potest, quòd relatio, vt relatio constituat subsistens distinctum ab alio subsistente, nisi ipsa esset subsistentia distincta ab alia. 19

Rursus. Si in Deo esset vnica duntaxat subsistentia absoluta, & non triplex relatiua, esset tantùm vnum habens Deitatem, & non triplex, quia per subsistentiam terminantem naturam, intelligitur constitui id, quod dicitur habere naturam; & ideò in Christo est vnicum habens Diuinam & humanam naturam, quia est vna vtriusque naturæ subsistentia; sed hoc repugnat distinctioni Personarum, nam quot sunt Personæ, tot sunt habentes naturam, tam adiectiuè, quam substantiuè: ergo. Confirmatur. Subsistentia, vt dicetur infra. q. 4. art. 2. est quoddam Personale complementum, quod intrinsecè constituit, & complet Suppositum in esse Suppositi; sed in Deo sunt tria Supposita realiter distincta tanquam res à re, vt patet: ergo sunt tres subsistentiæ distinctæ realiter tanquam res à re. Item confirmatur. Subsistentia nihil est aliud, quàm Personalitas, & complementum Personæ: sed in Deo sunt tres Personalitates, ergo & tres subsistentiæ relatiuæ. Patet consequentia, quia Personalitas intrinsecè est subsistentia incommunicabilis, neque potest intelligi, quid Personalitas conferat Personæ, si non dat illi subsistere. 20

Postremò. Diuina Persona, V.G. Pater, non subsistit 21
incommunicabiliter per subsistentiam essentialem, & absolutam; vt constat; aliàs illa subsistentia non esset communis tribus Personis: ergo necessaria est aliqua subsistentia relatiua, per quam Persona Patris incommunicabiliter subsistat, & ex consequenti in Deo sunt tres subsistentiæ relatiuæ inter se realiter distinctæ.

Ad hæc argumenta Respondent aduersarij, duo esse 22
de ratione Personæ, nempe, subsistentiam, & incommunicabilitatem. Relationes autè Diuinas esse quidem

subsistentias

Digitized by Google

subsistentias incommunicabiles, nihilominus quicquid est subsistentiæ habere à subsistentia communi, ex proprijs verò solùm habere incommunicabilitatem. Et quia Personalitas formaliter dicit incommunicabilitatem duntaxat, ideò hanc solam tribuit Personæ, & in hoc sensu propriè dici tres Personalitates, & tres Subsistentias. Cæterùm si loquendum est præcisè de Subsistentia, vt dicit rationem per se existendi, vt sic, tota ratio subsistendi est ab Essentia. Et hoc modo dici non possunt tres Subsistentiæ, sed vna duntaxat.

23 Nihilominus hæc Responsio non Satisfacit, quia non est intelligibile, quid sit, vel in quo sit illa incommunicabilitas, quod ad rationem & constitutionem Suppositi pertineat, si non sit aliqua subsistentia positiua Personalis & propria; etenim nihil aliud est, vnam Personam esse alteri incommunicabilem, nisi habere subsistentiam ab alia distinctam. Confirmatur: quia incommunicabilitas non est mera negatio, aut priuatio; ergo est aliquid positiuum ex proprio conceptu distinctum ab alijs, terminans naturam; hæc autem est propria ratio subsistentiæ incommunicabilis, quæ ex propria ratione habet ita esse in se, vt in se habeat distingui ab alijs subsistentijs.

24 Alij dicunt, non esse admittendas tres subsistentias relatiuas, quia sufficit essentialis subsistentia, vt Personæ adiunctis eidem subsistentiæ relationibus Personalibus, à quibus prouenit incommunicabilitas, quæ ad rationem Personæ requiritur, incommunicabiliter & Personaliter subsisterent. Sed neq; hæc Responsio Satisfacit, quia subsistentia essentialis ex sua ratione intrinseca & formali est communis; ergo per nihil adiunctum potest incommunicabilis effici, & propria. Item eadem prorsus subsistentia essentialis, quæ est in Patre, V. G. est alijs Personis communicabilis, imò actu est illis communicata: ergo illa, vt in Patre, non est subsistentia Personalis. Patet consequentia: quia subsistentia Personalis nullo modo est communicabilis. Ex his constat, quòd licet Essentia sit veluti radix totius subsistentiæ relatiuæ, non tamen est ipsa formalis ratio totius Subsistentiæ Personalis.

25 Denique hæc sententia est D. Thomæ multis in locis, præsertim 1. p. q. 29. art. 3. ad. 4. Vbi docet, in Deo esse tres Personalitates: at subsistentia nihil aliud est, quàm Personalitas. Et q. 9. de Potentia art. 4. ait, Personam Diuinam significare distinctum Subsistens in natura Diuina. Vnde colligitur hæc ratio. Persona est distinctum subsistens: at secundùm Subsistentiam essentialem & absolutam non est distinctum Subsistens in natura Diuina, quia in essentiali & absoluta Subsistentia non distinguuntur Diuinæ Personæ: ergo in doctrina D. Thomæ necessariò ponendæ sunt Personales Subsistentiæ in Deo, secundùm quas Diuinę Personæ sunt distinctum subsistens. Vnde iuxta istam sententiam asserendum est, subsistentiam in Deo & esse absolutam & essentialem, & similiter Personalem. Imò secundùm Caietanum Subsistentia magis est prædicatum Personale, quàm essentiale: quia subsistentia idem est quod Personalitas, siue complettiuum, & constitutiuum Suppositi illi intrinsecum, vnde magis est Personale, quàm essentiale.

R. Ad Argumenta. §. V.

26 Ad primum negatur antecedens, & primæ probationi dicitur, Deũ subsistere ad se subsistẽtia absoluta, & similiter Diuinas Personas, quia subsistere ad se est perfectissimus modus subsistendi. At per subsistentiã Personalẽ, & relatiuam Diuina Persona subsistit ad aliud. Itaque in Deo est subsistere ad se, quòd intellexit Augustinus, & nos concedimus. Secundò Resp. Diuinam Personam etiam per subsistentiam relatiuam subsistere ad se, quia dicit relationem, vt subsistentem in se incommunicabiliter, & vt sic non refertur ad aliud formaliter, & in actu exercito, sed implicitè, & in actu signato.

Ad secundam probationem Resp. idem, nempe, quòd perfectissimus modus essendi, & subsistendi est subsistare ad se. Diuinæ verò Personæ subsistunt ad se, quia habent subsistentiam absolutam, & essentialem, & similiter per subsistentiam relatiuam subsistunt ad se.

D V B I V M.

TERTIA Probatio petit illam celebrem difficultatem, An subsistentia dicat perfectionem simpliciter & formaliter. Et eadem est ratio de relatione. Quidam dicunt, subsistentiam siue relationem Diuinam importare perfectionem, neque esse inconueniens affirmare, aliquam perfectionem relatiuam esse in vna Persona, quæ non sit in alia. Sic docet Gabriel in. 1. d. 7. q. 3. M. Suarez 3. p. Disput. 11. sectio. 5. & alij. Sed hæc sententia non placet alijs Theologis; quia ex ea sequitur, Patrem V. G. non esse infinitè perfectum, quod est Hæreticum. Probatur sequella: quia Patri deest aliqua perfectio, sed nihil potest esse infinitè perfectum, cui deest aliqua perfectio, ergo Pater non est infinitè perfectus. Consequentia cum minori patet. Maior probatur. In Patre non est Filiatio; quę est perfectio simpliciter: ergo aliqua perfectio deest Patri. Antecedens probatur: quia omnis perfectio, quæ formaliter est in Deo, & quam Filius habet ratione generationis, est simpliciter perfectio; sed huiusmodi est filiatio: ergo filiatio dicenda est simpliciter perfectio. Ergo si aliqua perfectio est in Filio, quæ non est in Patre, necessariò Pater non est infinitè perfectus. 27

Alij verò Theologi affirmant, relationem, siue subsistentiam, inquantùm est relatio, non dicere perfectionem, neque imperfectionem. Sic docet Caietanus. 1. p. q. 28. art. 2. circa solutionem ad. 3. Capreolus in. 1. d. 7. q. 2. in solutione ad. 3. contra primam conclusionem: Scotus in. 3. d. 1. q. 4. Ratio primi est, quia si relatio in Deo, vt est relatio, hoc est, vt est ad aliud, diceret perfectionem, aliqua perfectio esset in vna Persona, quę non in alia. Ratio secundi, quia aliàs, aliquid imperfectum esset in Deo, quod est absurdum. Idem tenet M. Molina. 1. p. q. 42. art. 6. Disput. 2. 28

Alij dicunt, relationem, siue subsistentiam in Deo dicere quidem perfectionem, sed non distinctam à perfectione essentiæ, ita vt omnes relationes, & subsistentiæ dicant eandem perfectionem. Sic docet Caietanus. 3. p. q. 3. art. 1. Et M. Torres. 1. p. q. 28. art. 2. Disp. 3. Soto in Logica q. 1. in caput de substantia post tertiam conclusionem. Quibus videtur fauere D. Thomas. 1. p. q. 42. art 4. ad. 2. vbi ait, quòd Paternitas in Patre est dignitas, sed inde non sequitur, quòd aliqua dignitas sit in Patre, quæ non sit in Filio: quia mutatur quid in Ad aliquid, idest, absolutum in relatiuum. Vnde sicut eadem essentia est in Patre & in Filio, & in Patre est Paternitas, & 29

in

Digitized by Google

in Filio est Filiatio; ita eadem dignitas est in vtroque, quæ in vno est Paternitas, & in alio Filiatio. Idem habet in.1.d.7.q.1.art 2.ad.4.

30 M.Bañes.1.p.q.28.art.1. Dubio. 2. affirmat relationem, prout est accidens reale, dicere quidem perfectionem, hoc est, prout dicit, In, & respicit subiectum, in quo est: atque adeo relationem Diuinam, vt est Diuina Essentia, importare perfectionem; nam quod relationi creatæ competit propter rationem accidentis, competit relationi Diuinæ propter rationem essentiæ. Si verò relatio consideretur, quatenùs est tale accidens, nempe, Ad aliud, inquit Bañes, neque dicere perfectionem, neque imperfectionem. Addit præterea, simpliciter loquendo, omnem relationem realem, siue creatam, siue increatam esse formaliter perfectionem, quia omne ens reale, vt sic, dicit perfectionem. Ac proindè relatio Diuina, & ipsum Ad Diuinum, cùm intrinsecè sit Deus, continet infinitam perfectionem. Ad argumentum au-

31 tem; Ergo aliqua perfectio esset in Patre, quæ non in Filio: negat consequentiam, quia committitur idem defectus, qui in hac consequentia assignatur à Theologis: Hæc Paternitas est Essentia Diuina, & hæc Paternitas non est in Filio; ergo hæc essentia non est in Filio. Est, inquit, defectus intrinsecus, quia in maiori affirmatiua absolutum prædicatur de relatiuo, in minori verò negatiua, negatur relatiuum oppositum de suo correlatiuo opposito, & sit sensus magis formalis in negatiua, quàm in affirmatiua. Vnde arguitur à negatione entitatis relatiuæ in Filio ad negationem entitatis absolutæ in eodem: ac si diceretur, Paternitas non est in Filio: ergo neque Essentia. Quæ illatio non tenet in Diuinis, vbi relationes non sunt communes tribus Personis. Et quemadmodùm non valet argumentum ab inferiori ad superius negatiuè, vt homo non est Leo, ergo non est animal, sic etiam in Diuinis argumentum à negatione entitatis relatiuæ de vna Persona ad negationem entitatis absolutæ de eadem, nullatenùs tenet, quia virtute arguitur ab inferiori ad superius negatiuè.

32 Cæterùm hæc solutio licèt valeat ad dissoluendum illud argumentum; Paternitas est essentia: sed Paternitas non est in Filio: ergo neq; essentia: Non tamen videtur sufficiens ad soluendum præsentem illationem: quia perfectio formalis, quam dicit Paternitas sub propria, & formali ratione Paternitatis, & relationis, non est absoluta, sed relatiua: ergo cùm sic argumentamur: Paternitas secundùm suum proprium conceptum est perfectio simpliciter, & Paternitas non est in Filio; ergo aliqua perfectio simpliciter non est in Filio; non arguitur à negatione entitatis relatiuæ in Filio ad negationem entitatis absolutæ: sicut in præfato argumento, neq; in maiori prædicatur absolutum de relatiuo, & in minori negatur relatiuum de correlato opposito, & ex consequenti non mutatur Ad aliquid in quale quid. Confirmatur. Hic discursus est legitimus: Paternitas est entitas relatiua, & hæc Paternitas non est in Filio: ergo aliqua entitas relatiua non est in Filio. Ergo à simili hæc illatio est optima. Paternitas est perfectio relatiua, & Paternitas non est in Filio; ergo aliqua perfectio relatiua non est in Filio.

33 M.Zumel.1.p.q.28.art.2. Disput.5.asserit, Diuinam relationem vt sic dicere in sua ratione infinitam perfectionem, distinctam secundùm rationem à perfectione, quam in suo conceptu includit essentia; ac proindè, quamuis perfectio essentialis, & absoluta, quę per essentiam importatur, sit vna & eadem secundùm rem, & rationem in omnibus Diuinis relationibus; perfectio tamen, quæ per relationem, vt sic, importatur, non est eadem secundùm rationem, seu formaliter in omnibus relationibus Diuinis. Ad argumentum igitur; Ergo aliqua perfectio est in Patre, quæ non est in Filio: negat consequentiam, nam totum id, quod est perfectionis in Paternitate, est in Filio Filiatio, & vtraque relatio est idem cum Diuina Essentia, & ob id Paternitas & Filiatio non sunt duæ perfectiones, sed vna & eadem.

Sed profectò hæc sententia non sibi constat, nam si perfectio inclusa in ipsis relationibus consideratur secundùm proprias rationes, non est eadem formaliter in omnibus, sed est alia & alia formaliter, sicut est alia, & alia relatio, inintelligibile est, quòd in vna Persona non sit aliqua perfectio, quæ in alia non sit, cùm in vna Persona sit aliqua relatio, quæ in alia non est. Explicatur & confirmatur. Si sapientia, quæ est in Patre, non esset eadem cum sapientia Filij, sed ab illa distincta, rectè sequeretur, quòd aliqua sapientia esset in Patre, quæ in Filio non esset. Ergo similiter in præsenti, si perfectio Paternitatis non est eadem formaliter cum perfectione Filiationis, rectè concluditur, aliquam perfectionem esse in Patre, quæ non est in Filio. Item implicat hæc sententia contradictionem, quia si vna & eadem est perfectio Paternitatis & Filiationis; ergo est eadem formaliter in vtraque, quod non admittit hæc sententia. Forsam dicet is author, se loqui de perfectione absoluta, quæ intrinsecè & essentialiter in ipsis relationibus includitur; sicut est in omnibus entibus, sed non loqui de perfectione relatiua. Contra, quia prædictus author affirmat, nullam perfectionem esse in vna Persona, quæ non sit in alia, sed hoc verum esse non potest nisi etiam de perfectione relatiua: ergo hanc dicit esse vnam & eandem in Diuinis relationibus: nam si alia, & alia est in ipsis relationibus, iam aliqua perfectio esset in vna Persona, quæ non esset in alia. Item. Tota perfectio, quæ est in Paternitate, est in Filiatione iuxta istam sententiam: ergo vel est eadem prorsus, vel alia, & alia secũdùm rationem. Si eadem omninò; ergo falsò dicit, non esse eandem. Si verò est alia & alia saltem secundùm rationem: ergo aliqua perfectio est in vna Persona, quæ non est in alia. 34 35

Resolutio Dubij. §. VI.

VT Autem omnes istæ sententiæ ad concordiam reuocentur, animaduertendum est, relationem, vt relatio est, importare illud, quod intra genus relationis potest habere, omni alio secluso. Intra genus autem relationis habet tria. Primum, esse reale. Secũdùm, esse reale, In, vel subsistens. Tertium esse ad aliud. Etenim esse reale est quid commune essentiale relatiuis, & absolutis, esse verò reale, In, est magis determinatum, & similiter esse reale subsistens. Esse autem ad aliud est, quod vltimò conuenit relationi ex proprio genere. Rursus esse ad aliud potest sumi præcisè, & vt limitatur per esse reale, & vt dicens ipsum esse reale in suo conceptu & essentia. Præterea aduertendum est, relationes Diuinas, vt V. G. Paternitatem, & Filiationem, 36 37

Filiationem, intrinsecè includere essentiam, quia sunt Diuinæ formæ, & idem formaliter cum Diuina substantia: at verò nostro intelligendi more concipi Paternitatem vt distinctam ratione ab essentia, & talem cōceptum esse purè relatiuum. Postremò notandum est, eam propriè dici perfectionem rei, quæ actuat, & suo modo complet rem, vel secundùm naturam talis rei, vel in ordine ad finem intentum ab authore naturæ, aut ab alio agente inferiori. Vnde perfectum solet dici, quod in propria natura, & in ordine ad finem operantis consummatum est, quo pacto dicitur Genes. 2. *Igitur perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum.* Et Aristotel. 3. Physi. text. 62. & 1. de Cælo text. 5. & lib. 2. de Cælo text. 22. dicit, perfectum esse, cui nihil deest. Vbi loquitur de perfecto consummato. Quo fit, vt omnis actus determinans, & complens rem sit perfectio.

38 His præmissis asserendum est primò, Diuinam relationem V. G. Paternitatem &c. Quantumuis præcisa ab essentia, & quocunque alio absoluto consideretur, esse perfectionem. Probatur primò, quia relatio Diuina est proprietas Personalis, & constitutiua Personæ Diuinæ: ergo est perfectio. Probatur consequentia: quia proprietas Personalis perficit Personam, præsertim si illam substantialiter constituat. Confirmatur, quia Paternitas. V. G. est forma Patris, complens illum, & tribuens esse incommunicabile; ergo est maxima eius perfectio. Consequentia patet ex dictis; nam quod rem cōplet in sua natura, & iuxta sibi debita, est eius perfectio. Antecedens probatur, quia Pater in Diuinis non est incommunicabilis ab aliquo absoluto, cùm omnia absoluta sint communia: ergo redditur incommunicabilis, & ex consequenti Persona completa per relationem Paternitatis. Secundò, quia Diuina Persona in ratione Personæ est perfectissima: ergo quod constituit illam in esse Personæ est perfectio, ac proindè relatio Diuina ex proprio conceptu erit perfectio. Confirmatur, quia Diuina relatio ex nostro modo intelligendi est actus vltimus Personæ, cùm sit formalissimum illius: ergo est eius perfectio: nam actus est perfectio eius, cuius est actus; præsertim si est actus vltimus. Tertiò, quia Diuina

39 relatio ex sua propria ratione est subsistentia Personalis: ergo ex sua ratione est perfectio Personæ: nam subsistentia est maxima perfectio subsistentis. Antecedens probatur, tum quia non est inhærens, sed subsistens: tum etiam quia ipsa subsistentia est ipsa Personalitas. Confirmatur, quia terminare, aut posse terminare alienam naturam hypostaticè, hoc est, per modum Personalitatis, prærequirit infinitam perfectionem in Personalitate terminante; sed hoc conuenit Diuinæ relationi, prout est quædam subsistentia, & Personalitas distincta secundùm rationem ab essentia: ergo etiam conuenit ei vt ita distinctæ infinita perfectio. Minor probatur; quia de facto Personalitas Verbi Diuini, quatenus ratione, aut virtute distinguitur ab Essentia Diuina, non solùm est id, quod primariò & immediatè terminat humanitatem assumptam à Verbo, verùmetiam est formalis, & per se ratio ipsam terminandi, vt docet D. Thomas infra. q. 3. art. 1. & 2. aliàs vix posset saluari, quòd vnio hypostatica non sit communis omnibus Diuinis Personis. Maior autem probatur ex D. Thoma art. 1. citato ad primum, vbi ait, hoc esse proprium Diuinæ Personæ propter eius infinitatem, vt fiat in ea concursus naturarum, nō quidem accidentaliter, sed secundùm subsistentiam.

Asserendum est secundò, relationem Diuinam secun- 40
dùm omnia, quæ in proprio genere relationis habet, esse perfectionem. Probatur, quia in suo relatiuo conceptu tria includit, nempe, esse reale, & subsistentiam realem Personalem, & modum determinantem, vel esse ad aliud. At verò secundùm hæc omnia est perfectio: ergo. Minor sigillatim probatur, & de primis duobus manifesta est, quia esse reale, & esse subsistens in omni opinione est perfectio. De tertio autem probatur, quia modus determinans realiter subsistentiam Personæ est perfectio; cùm sit ad esse huius Personæ; ergo esse huius Personæ ad aliam est perfectio. Consequentia patet, quia esse ad aliud in Diuina natura est modus determinans Personam. Antecedens verò probatur, quia iste modus taliter determinat, quòd vltimò complet, & actuat. Si dicatur, quòd nō determinat realiter, sed secundùm nostrum modum concipiendi, contra hoc replicatur. Primò, quia proprietas Personalis determinat, & complet Personam realiter, illamq; realiter constituit: ergo realiter determinatur Persona Diuina, sicut realiter constituitur, & realiter est completa in suo esse. Secundò, quia saltem sequitur, quòd nos concipiamus esse ad aliud, prout in Patre V. G. determinatur, & determinat talem Personam; ergo concipimus rationem perfe-
ctionis. Si rursus dicatur, esse Ad in Patre non esse per- 41
fectionem, quatenus ad Filium, sed prout est, esse Ad Diuinum, & ex consequenti solum esse perfectionem secundùm absolutum, quod includit, scilicet, secundùm esse Diuinum, non verò secundùm esse ad aliud. Contra instatur. Relationem esse Diuinam nō distrahit ipsam à genere relatiuo; ergo hoc, quod est relationem esse Diuinam, non importat formaliter aliquid absolutum. Consequentia est nota, quia esse absolutum est aliquid extra genus relationis: imò est oppositum relationi. Antecedens verò probatur primò, quia relationem esse creatam non distrahit illam à genere relatiuo; cùm esse creatum reperiatur intra genus relationis, sicut intra genus absoluti: ergo neque relationem esse Diuinam, & increatam distrahit ipsam à proprio genere relatiuo. Secundò, quia esse Diuinum conuenit proprietatibus Diuinis absolutis, & proprietatibus Diuinis relatiuis: sicut enim Diuina bonitas dicit aliquid in genere absoluto, sic etiam Paternitas Diuina dicit aliquid in genere relatiuo: ergo esse Diuinum est commune relatiuo & absoluto, & ex consequenti non dicit necessariò aliquid absolutum, sed erit absolutum in absolutis, & relatiuum in relatiuis.

Confirmatur. Relatio Diuina V. G. Paternitas, con- 42
cipitur vt distincta ab essentia, & ab esse absoluto Dei: ergo ille conceptus relatiuus præcisus ab absoluto repræsentat relationem Diuinam, vel non. Posterius dici non potest, aliàs non esset conceptus determinatus Paternitatis: ergo prius est concedendum, & ex cōsequenti iam in conceptu præcisè relatiuo includitur esse Diuinum, & necessario erit esse Diuinum relatiuum. Vnde si ille conceptus dicit Perfectionem in Patre, non erit
perfectio absoluta, sed relatiua. Prætereà. Paternitas il- 43
la Diuina, non solùm est Diuina, quia reperitur in Deo, aut quia est idem cum essentia, sed etiam ex ratione formali,

formali, & vltima talis Paternitatis: ergo esse Diuinum in illa hoc modo sumptum non dicit aliquid absolutum, sed relatiuum. Antecedens probatur; quia illa est Diuina forma secundùm suam rationem vltimam, & constitutiua Diuinæ Personæ, hoc autem non habet propter absolutum, quod in se includit, sed propter respectiuum, quod importat. Item etiam quia est proprietas increata de se, & Subsistentia Diuina, etiam vt distincta ab essentia, & à subsistentia absoluta; ergo secundùm proprium conceptum illius Paternitatis, vt excludit essentiam, dicetur, & erit Diuina, ac proindè esse Diuinum non solùm importabit aliquid absolutum, sed etiam relatiuum: quod adeò est certum, vt tenendum esse existimem, illam relationem non solùm esse perfectionem, sed etiam non minùs esse Diuinam, quàm ipsa essentia absoluta. Et sicut Diuina Essentia ex merito & ratione sui habet esse Diuinum absolutum; sic etiam illa Paternitas ex merito suo est Diuina relatiua. Sed cōtra hanc conclusionem sunt quædam argumenta.

44 Primum. Relatio secundùm propriam rationem neque dicit esse, neque inesse; ergo nō dicit perfectionem. Antecedens constat ex Aristotele dicente, propriam rationem relationis, vt condistinctam ab alijs generibus esse duntaxat ad aliud. Consequentia verò probatur. Quoniam perfectio vt sic importat actum & formam illius, cuius est perfectio, & actus solùm dicitur respectu illius, quod actuat. Confirmatur ex D. Thoma. 1. p. q. 28. art. 1. ad. 1. vbi ait, quòd propria ratio eius, quod est esse ad aliud, non accipitur per ordinem ad subiectum, cui inest, sed per comparationem ad alterum. Et secundo articulo sequenti eiusdem quæstionis ad tertium inquit, quòd nomen relatiuum formaliter potiùs dicit imperfectionem. Vnde infert, quòd si in Diuinis solùm reperiretur id, quod importat nomen relatiuum, esset imperfectio, vtpote ad aliud se habens.

45 Ad argumentum Respondetur, conuincere quidem, relationem, vt dicit, Ad, præcisè sumptum, & in communi intellectum, neque esse imperfectionem, neque perfectionem: quia vt sic non est aliquid reale, sed abstrahit ab ente rei, & rationis. Si verò sit sermo de relatione reali, præsertim de Diuina, quæ intra proprium genus dicit esse Personæ, & est actus illius, atq; subsistentia, faciens personam incommunicabilem, sic dicit perfectionem. Ex quo sequitur, vt reduplicatiuè loquēdo sit falsum dicere, quòd relatio Diuina, inquantùm relatio, & vt ad terminum, dicit perfectionem, quia facit hunc sensum, quòd eo ipso quòd est relatio, aut quia respicit terminum, est perfectio. Specificatiuè verò concedendum est, quia efficit hunc sensum, quòd relatio in Patre. V.G. & esse ad aliud in illo, est perfectio; & hoc est
46 verum, sicut quòd sit realis. Ad confirmationem Respondetur, quod D. Thomas cōsiderauit relationem secundùm vltimum illius, & quatenus respicit extrinsecum, in qua consideratione affirmauit, quòd si in Diuinis daretur pura relatio, idest, nihil habens, & includens absoluti, esset imperfectio. Ratio huius est, quia relatio purè, & id, quod significat relatiuum, neque est esse, neque inesse, neque aliquid peculiare & determinatum, sed ad aliud esse; ergo si daretur tale significatū ita purum in re, sicut ab intellectu concipitur, esset imperfectio: quia illud est imperfectum in genere rei, quod non dicit esse, neque aliquid determinatum in se, aut cōparatione ad subiectum. Confirmatur, quia si in Diuinis daretur relatio pura, vt significatur per nomen relatiuum, non esset subsistens: ergo illa relatio esset imperfecta. Antecedens probatur. Quia sapientia V.G. non significat subsistens, indè infert D. Thomas, quòd si sapientia daretur in Deo tantùm secūdùm illud, quod per nomen significatur, esset aliquid imperfectum; ergo multò minùs relatio Diuina significans purè hoc, quod est esse ad aliud, importabit subsistentiam; & ita neque dicet perfectionem. Ac proinde si daretur solū id, quod per nomen significatur, non esset Diuina perfectio.

Sed obijcitur. Sequitur ex hoc, nullum nomen Diuinum importare perfectionem in Deo, quia nullum nomen significat Deum, aut proprietatem Diuinam, quomodò est in se: & si daretur Diuinum esse, aut Diuina proprietas, sicut per nomina purè significatur, esset imperfectio in Deo. Respondetur: Verba D. Thomæ solutione citata, quantùm videtur, procedere de quocūque nomine, quod attribuitur Deo. Inquit enim, sapientiam non importare subsistentiam. Et subiungit. Sed quia Diuinæ Essentiæ maior est perfectio, quàm quod significatione alicuius nominis apprehendi potest &c. Ecce qualiter verba D. Thomæ de omni nomine procedere videātur. Sed si rectè inspiciatur, triplicem in prædictis verbis assignauit rationem. Prima est generalis, quia nullum nomen significat Diuinam perfectionem, quo pacto est in se, quare si solùm daretur in Deo, quod significatur, esset imperfectio. Secunda ratio est specialior, quamuis non vltimò explicans intentum, quia scilicet, quemadmodùm Sapientia non dicit subsistens: & ita si reperiretur in Deo, quod nomen sapientiæ purè significat, non esset perfectio, sic etiam in relatiuis. Tertia ratio specialiter probat de relatione, quia relatio secundùm id, quod nomen importat, est ad aliud, & esset imperfectio Diuina, si non haberet aliquod esse præter hoc, quod est esse ad aliud, & ipsum nomen significans purè hoc, quod est esse ad aliud, non importaret perfectionem. 47

Itaque vt satisfiat D. Thomæ, dicendū est, quòd ipse non asserit, relationem puram esse imperfectionem, sed inquit, quòd si daretur pura, sicut significatur per nomen, esset quid imperfectum in genere rei. Si enim fingamus, quòd esset aliqua relatio ad Filium Diuinum, & quòd esse illius relationis non sit aliquid in se, sed ad aliud, neque aliquid subsistens, sed respiciens extrinsecum, esset profectò imperfectissima relatio Diuina, & diminutissima Persona, & similiter imperfectissimus Deus. Et licèt relatio, sit communis relationi subsistenti, & inhærenti, & vt sic neutram dicat, tamen cùm in particulari reperitur, semper habet modum essendi, quem de se non importat: V.G. in Deo habet esse subsistens, & in creatura esse inhærens. Et quidem relatio sic determinata per modum essendi sui generis est perfectio, etiam si nihil absolutū includeret, nā eo ipso quòd est subsistens, est etiam actus, & cōplementum intrinsecum Personæ: & ex consequenti perfectio. Neque id negauit D. Thomas, sed explicuit propriam relationis rationem, vt significatur per nomen. Et rectè stat, quòd vt significatur, non dicat perfectionem; quia non dicit modum essendi determinatum, & nihilominùs à parte rei sit perfectio: quia à parte rei habet subsistere, & modum essendi proprij generis, à quo est perfectio. 48

Similiter bene stat, quòd modò de facto relatio Diuina sit perfectio secluso etiam omni absoluto, & nihilominùs si daretur purum esse ad aliud talis relationis, non esset perfectio, quia non esset subsistens, neque actus alicuius.

49 Secundò objicitur. Perfectio est aliquid absolutum; ergo Diuina relatio, secundùm quòd est relatio, non est perfectio. Antecedens patet; quia perfectio rei sumitur ab esse, & perfectum vnumquodque dicitur, quod est completum per esse iuxta sibi debita. V. G. Perfectus homo dicitur, quia habet esse hominis secundùm illa, quæ requiruntur ad plenam eius rationem. Similiter vnumquodque dicitur bonum, inquantùm perfectum, perfectum autem vnumquodque dicitur, inquantùm est actu; ergo sicut esse rei est quid absolutum, etiam ratio perfectionis erit absoluta, & ideò non conuenit relationi vt sic.

50 Confirmatur. Nam sequeretur, quòd in Deo essent tria perfecta, & tres perfectiones substantiuè; sed consequens est falsum: ergo. Sequella patet; quia est triplex relatio personalis; ergo si quælibet est perfectio ex propria ratione, erit triplex perfectio. Minor patet, quia ille modus loquendi in nullo Sanctorum reperitur; sed sicut Deus dicitur vnum ens, vnum bonum, & vnicum infinitum: sic dicitur vnum perfectum, & completum in genere entis. Ad argumentum negatur antecedens, & probationi dicitur, verum esse, quòd perfectio sumitur ab esse. Cæterùm in genere rei est duplex esse formale, nempe, absolutum, & relatiuum, sicut duplex forma, & duplex actus, & similiter duplex subsistentia, absoluta, & relatiua. Et quamuis esse existentiæ sit propriè aliquid absolutum, & ita in Deo vnica ponatur existentia, vt ostensum est Disputatione præcedente; perfectio tamen sumitur vel ab esse formali, vel ab esse existentiæ.

51 Ad confirmationem Respondetur, perfectionem relatiuam in Diuinis multiplicari: & sicut Sancti Patres concedunt tres subsistentias, sic etiam concedere debent tres perfectiones, & tria perfecta relatiuè: neque oppositum huius vnquam docuerunt Sancti.

52 Tertiò objicitur. Paternitas Diuina excludit Filiationem; ergo neutra relatio dicit perfectionem. Antecedens probatur; quia opponuntur inter se: ergo vna excludit aliam à suo conceptu. Consequentia autem probatur: quia omnis Diuina perfectio est infinita & summa, trahens ad se omnem aliam perfectionem, potiùs quàm excludendo. Respondetur, perfectionem Paternitatis Diuinæ excludere quidem sibi oppositam, & ideò non dicitur perfectio in esse entis infinita, sed in genere relationis. Secundò Respondetur, quód Paternitas Diuina, inquantùm Paternitas, excludit Filiationem formaliter, at quia Diuina, includit eam eminéter.

53 Quartò objicitur. Sequeretur, quòd Pater non communicaret Filio totam suam perfectionem; sed consequens est falsum: ergo &c. Sequella probatur, non communicat Filio Paternitatem formaliter: ergo si Paternitas formaliter dicit perfectionem, Pater non communicat Filio totam suam perfectionem. Dices, quòd Pater per Filiationem communicat virtualiter perfectionem Paternitatis. Sed cótra instatur. Filiatio in sua ratione formali excludit Paternitatem sibi oppositam: ergo ratione Filiationis non communicatur Filio perfectio Paternitatis, vt sic. Dices, Filiationem esse æqualem perfectionem cum Paternitate. Sed contra est, quia 54 per hoc non satisfit difficultati, qua scilicet ratione Pater communicet Filio totam suam perfectionem. Item quia ex hoc sequitur, æqualitatem trium Personarum in proprietatibus relatiuis esse habitudinem realem; sed consequens est falsum: ergo &c. Sequella probatur: quia sunt tres perfectiones relatiuæ; distinctæ quidem, & æquales; ergo æqualitas erit habitudo realis. Minor patet, quia nulla relatio realis est in Deo præter eam, quæ importat originem.

55 Ad argumentum Respondetur, Patrem communicare Filio omnem suam perfectionem, tum quia communicat illi suam Essentiam infinitam, in qua continetur, quidquid perfectionis est in tribus Personis, & propter identitatem essentiæ cum Personis, & relationibus, & propter infinitatem in ratione essendi: tum quia per Filiationem, quam Filius habet à Patre, ita perficitur, vt contineat omnem perfectionem Patris, vel formaliter vel eminenter, vt infra constabit. Tum etiam, quia Filiatio, vt est extremum Paternitatis in esse Diuino, habet, quidquid habere potest in ratione termini ipsius Paternitatis. Nihilominùs non est concedendum, quòd Pater communicet Filio Paternitatem, quia sic sensus formalis, nempe, quòd communicatur Paternitas per modum Paternitatis. Nec valet ista consequentia. Filio 56 communicatur, quicquid perfectionis est in Paternitate; ergo cómunicatur illi Paternitas: nam variatur appelatio, cùm in antecedenti non importetur Paternitas, vt opposita relationi, neq; vt illi correlata, sed vt actus, & perfectio Patris: in consequenti verò importatur esse ad Filium. Sicut non valet, Pater cómunicat Filio omnem suam perfectionem, potentia generatiua, & ipsa generatio est perfectio, ergo communicat potentiam generandi, & ipsam generationem Filio. Similiter non sequitur negatiuè: Paternitas formaliter & in proprio genere relatiuo est perfectio; Paternitas formaliter non conuenit Filio; ergo perfectio Paternitatis non conuenit Filio. In antecedenti enim denotatur, quòd Paternitas secundùm quòd est ad Filium, non conuenit Filio formaliter; in consequenti verò denotatur, quòd non conueniat illi perfectio, neque formaliter, neque virtualiter, quod est falsum.

57 Sed replicatur. Paternitas Diuina, vt est talis relatiua perfectio, est actus Patris respicientis Filium: sed vt sic non communicatur Filio, quin potiùs illi opponitur; ergo non communicatur Filio omnis perfectio Patris. Respondetur, quòd licet non communicetur Filio perfectio Paternitatis, vt Paternitas est, vel vt est perfectio ad Filium, quia non communicatur Paternitas formaliter: communicatur tamen talis perfectio in particulari, prout est talis actus relatiuus: quemadmodùm licet Paternitas ex sententia aliquorum non constituat Patrem, vt opponitur Filio, neque sit perfectio Patris, vt distinguit à Filio: nihilominùs vt Paternitas constituit, & vt talis est perfectio Patris. Et sicut non sequitur; vt Paternitas distinguit à Filio, & illi opponitur, & vt Paternitas est perfectio, & actus ipsius Patris: ergo vt distinguens à Filio constituit: sic etiam non sequitur, Paternitas vt Paternitas est ad Filium, & illi opponitur, & vt Paternitas est perfectio: ergo vt opponitur Filio, est perfectio.

58 Quintò objicitur. Si Paternitas formaliter, & ex proprio

prin conceptu est perfectio, ergo aliqua perfectio est in Patre, quæ non est in Filio. Sed consequens est falsum: Ergo. Probatur sequella; quia Paternitas secundum propriam Paternitatis rationem perficit Patrem intrinsecè, eo autem modo in ratione Paternitatis non perficit Filium intrinsecè; ergo aliqua perfectio est in Patre, quæ non in Filio. Minor probatur, quia Filius in Deo est infinitus, infinitè, ac summè perfectus; ergo non potest non habere omnem perfectionem excogitabilem, neque potest etiam per intellectum ei fieri additio. Confirmatur: quia infinitè perfecto non est magis perfectum, præsertim in eo genere, in quo dicitur infinitè perfectum; ergo cùm Pater in Diuinis sit infinitè perfectus, & in genere entis, & in proprio genere relatiuo, habet omnem perfectionem excogitabilem. Et ita vel
59 Filiatio erit perfectio Patris, quod est absurdum, vel nõ dicit perfectionem, quod est intentum.

Ad argumentum dicendum est primò, nihil perfectionis esse in Patre, quod nõ sit in Filio; imò verò quidquid perfectionis importat Paternitas, includi in Filiatione & è contra: aliàs Pater in Diuinis non esset summè perfectus, siquidem aliqua perfectio non esset in eo, quæ maximè esset in aliis Personis: etenim summè perfectum dicitur, quod habet omnem perfectionem, sicut summè ens illud dicitur, quod habet omnem rationem entis, & omnem modum essendi, saltem eminenter. Dices; Patrem æternũ esse summè perfectum propter absolutam perfectionem, nõ verò relatiuam. Contra. Ergo in relatiua perfectione potest excogitari alius perfectior, nempe, is, qui haberet tres perfectiones relatiuas, vt si fingatur, quòd Filius in Diuinis esset Pater alterius Personæ, & simul spiratus per voluntatem. Imò de facto daretur Persona perfectior Spiritu Sancto, siquidem Filius habet duplicem relationem perficientem, nempe, Filiationem, & Spirationem, & Spiritus Sanctus solam habet Spirationem passiuam. Item sequitur, quòd non esset summa æqualitas in perfectione Diuinarũ Personarũ. Probatur sequella: quia summa æqualitas fundatur in summa vnitate; at si Diuinæ relationes essent perfectiones diuersæ, quarũ vna alterã nõ includit, nõ esset summa vnitas, ergo neque æqualitas. Maior patet, quia ideò æqualitas Diuinarũ Personarũ in Deitate, & proprietatibus absolutis est summa, quia Diuinæ Personæ sunt maximè vnum in Deitate; ergo vt sint summè æquales in perfectionibus relatiuis, debet esse maxima vnitas inter illas relationes, atque adeò quælibet earum alteram includere debet.

60 Secundo pro solutione argumenti fatendũ est, vnam relationem Diuinam includi in altera eminenter, vel proprius loquendo, virtualiter, & ita quicquid perfectionis est in vna Persona, includi etiam in alia eminenter, aut virtualiter. Etenim supposito, quòd huiusmodi relationes sunt perfectiones, etiam secluso absoluto, & ex alia parte nequeat salua perfectione, & æqualitate Personarum & relationũ dari, quòd sint distinctæ, non communicantes, sequitur, quòd vna alteram includat; ac proinde Paternitas saltem virtualiter claudat perfectionem Filiationis. Item etiam; quia Paternitas Diuina est summa in genere relatiuo; ergo includit perfectionem omnium relationum eiusdem generis. Antecedens patet: quia est relatio Diuina, ergo est summa, quæ potest excogitari in genere relatiuo. Consequentia verò probatur; quia summum alicuius generis, maximè Diuinum, continet reliqua illius generis. Dixi autem, proprius dici, vnam relationem cõtinere aliam virtualiter, quàm eminenter; quia in communi acceptione continentur eminenter in aliquo, quæ in illo tanquã in causa, aut tanquam in ratione superiori continentur.
Vna autem relatio Diuina neque est causa alterius, 61
neque comparatur ad illam quasi ratio superior. Potest tamen dici vna relatio Diuina cõtineri in alia eminenter propter celsitudinem, & eminentiam relationis Diuinæ, & maximæ perfectionis: est enim Paternitas Diuina summa in suo genere, quæ cõtinet sibi inferiores, & coæquales. Proprius tamen dicitur virtualiter alias continere, quia habet tantam perfectionem, quæ æquivaleat cuilibet alteri, ita vt omnes Diuinæ relationes nequeant simul magis perficere Patrem, si in illo reperirentur, quàm sola Paternitas, neque aliquid excellentius, aut virtuosius haberet Pater per collectionem omnium relationum, quàm habet per Paternitatem, per illam enim habet, quidquid est debitũ Patri, summo modo excogitabili. Vnde sicut Diuinæ relationes continentur in essentia virtualiter, & radicaliter, non sicut in superiori, aut tanquã in causa, sed propter perfectionem essentiæ, & eius Infinitatem: sic etiam, licèt vna relatio non sit causa alterius, neque ratio superior, potest illam continere eminenter, aut virtualiter.

Est tamen aduertendum, quòd quamuis Paternitas Diuina includat quicquid perfectionis relatiuæ est in Filiatione, aliter tamen perficit Paternitas, quàm Filiatio; quia Paternitas perficit formaliter Patrem, cùm sit formaliter in illo, Filiatio verò non est in Patre formaliter, sed virtualiter. Sed obijcitur. Perfectio est Paternitatis hoc, quod est esse formaliter in Patre, item perfectio est ipsius Patris non solùm habere Paternitatem, sed illam formaliter habere: ergo cùm hoc nõ sit in Filio, aliqua perfectio erit in vno, quæ non est in alio. Confirmatur. Perfectior modus essendi est cuiuscumque actus, si existat formaliter, quàm si solùm existat eminenter: ergo si Filiatio est in Patre virtualiter duntaxat, in Filio autem sit formaliter, perfectiori modo erit in Filio, quàm in Patre, & ex consequenti in modo essendi saltem Filiatio erit perfectior in vna Persona, quàm in alia. Respondetur ad argumentum, quòd Filiationem reperiri formaliter, non importat perfectionem, sed modum. Modus autem diuersus perfectionis necessariò reperitur, vbi plures Personæ reperiuntur. 62

Ad cõfirmationem Respõdetur, quòd esse formaliter interdũ est quid imperfectius, quàm esse eminenter, vt pater in equo, qui imperfectius est in se, quàm in Deo, in quo eminenter reperitur. Interdum verò esse eminenter, aut in virtute, est quid imperfectius, quàm esse formaliter, sicut causa dicitur esse in effectu secundùm virtutem: & similiter genitor dicitur esse in virtute seminis; & certũ est, quòd præstãtiori modo causa & genitor sunt in se, quã in virtute effectuum. In coæqualibus verò, euiusmodi sunt perfectiones Diuinæ, & relationes infinitæ, nõ est quid perfectius cõtineri formaliter, quã eminẽter, sicut Personæ in essentia, & relationes in Deitate nõ sunt imperfectiores, neq. habẽt imperfectiorem modũ essendi, quàm in seipsis. Ex his patet Respõsio ad quintũ argumentũ, & ad tertiã probationẽ antecedentis primi argumẽti principalis, quòd nihil perfectionis, 63

etiam relatiuæ, est in vna Persona, quæ non sit in alia, quamuis alio modo essendi. Vnde licet Paternitas, vt Paternitas, Filium formaliter non perficiat, illum tamen perficit Filiatio habens perfectionem Paternitatis modo eminenti, & secundũ virtutem. Ex quibus etiam patet ad confirmationem.

64 Ad quartam probationem antecedentis principalis, negatur antecedens, quia licet Diuina Essentia de se sit subsistens absoluta & essentiali subsistentia, habet tamen à relatiuis subsistentijs, incommunicabiliter subsistere. Secundò negatur antecedens, & ad probationem Resp. Non esse de ratione subsistẽtiæ in abstracto, quòd sustentet naturam, vt constat, etiam in creaturis, sed solùm est de ratione eius esse quendam modum, & terminum naturæ, & quòd ex tali termino, & natura resultet Suppositum subsistens in tali natura, à qua habet esse, & hoc etiam habent Personalitates Diuinæ perfectissimo modo seclusis imperfectionibus.

65 Ad cõfirmationem primi argumenti iam ostensum est, hoc prædicatum, Subsistens, esse simul essentiale & Personale, etenim prædicatum, quod potest conuenire relationi ex se, & similiter rei absolutæ, vt sic, potest esse simul essentiale & Personale, siue sit in rigore transcendens, siue non. Et huiusmodi est subsistens, quod licet non sit simpliciter transcendens ad omnia entia, est tamen quid commune ad absolutum & relatiuum, vt sic, & est quasi transcendens ad omnes substantias completas, & indiuiduas. Et quia in Deo Essentia Diuina vt sic, est singularis substantia perfecta, & similiter relationes, vt sic, ideò subsistere conuenit vtrisque secundùm proprias rationes, & ex consequenti subsistere dicitur essentialiter, & Personaliter.

66 Secundò Resp. Idem prædicatum secundùm eandem rationem non posse esse simul essentiale, & Personale, bene tamen secundùm diuersas. Subsistere ergo est essentiale, quatenùs dicit esse in se solùm, ita tamen, vt possit alijs communicari, & identificari. Dicitur autem Personale, quatenùs dicitur esse in se omninò incommunicabiliter.

67 Ad secundum principale negatur antecedens, & ad probationem Resp. Quòd relatio, vt relatio, & quatenus dicit, Ad, & vt ratione distinguitur ab essentia, respicit non solam terminum, sed etiam Personam, quam constituit. Pro cuius maiori intelligentia aduertendum est, relationem realem, non solùm, quatenùs dicit, In, respicere subiectũ, verùm etiam quatenùs dicit Ad reale. Imò etiam secundùm quod dicit, Ad, in communi, & in abstractione. Primum patet; secundum similiter constat, nam illa vox, Realis, siue ex natura rei, cùm dicitur relatio realis ex natura rei, indicat, & importat subiectum, & fundamentum; idem enim est, ex natura rei, & fundatum in natura rei; vbi insinuatur respectus ad ipsum fundamentum & subiectum, saltem virtute. Itaque

68 relatio realis, etiam in quãtùm dicit Ad reale ex natura rei, dicit inhærentiam, & rationem accidentis, & in relatione reali nequit ita præscindi, In, ab Ad reali, quin ipsum Ad reale respiciat ipsum subiectum, & dicat inhærentiam. Item, etiam prout dicit, Ad, in communi abstrahendo à reali, & rationis, respicit subiectum, nam relatio prout dicit, In, & Ad, est forma relatiui, & ita respicit ipsum subiectum, tanquàm forma illius. Vnde omnis relatio, siue realis, siue rationis, respicit subiectũ, & est forma subiecti, quamuis diuersò modo: nam relatio realis, etiam prout dicit, Ad, est forma relatiui, & subiecti, illi inhærens; relatio verò rationis est forma relatiui, & subiecti, extrinseca quidem, & quantùm ad denominationem.

Sed obijcitur. Si relatio, vt dicit, In, & Ad, respicit subiectum: ergo habet duplicem inhærentiam, & bis respicit subiectum. Negatur consequentia, non enim sequitur, esse duplicem inhærentiam in relatione, sed tantùm infertur, esse in ea vnicam rationem totalem accidentis, & veluti duas partiales constituentes vnam totalem. Neque hoc est singulare in relatione, nam quantitas, & qualitas respiciunt etiam subiectum secundùm rationem communem accidentis, & secundùm rationem particularem talis accidentis, & tamen nõ habent duplicem inhærentiam, sed vnicã integrã, & totalem. 69

Ad tertium Resp. Subsistentiam absolutam, si consideretur vt abstracta & præcisa à subsistentia relatiua, non considerari vt sufficientem, ad hoc, quòd Suppositum Diuinum incommunicabiliter subsistat; sed ad hoc esse necessariam subsistentiam relatiuam, quæ vna & eadem est cum subsistentia absoluta, sola ratione distincta. Et ita subsistentia relatiua non aduenit rei subsistenti perfectè, & cõpletè nostro intelligendi more, & ideò neque est accidens, neque habet modũ illius. 70

Ad quartũ negatur consequutio, quia licet subsistentia essentialis sit infinita, est tamen necessaria subsistentia Personalis, per quam quælibet Persona incommunicabiliter, & veluti singulariter subsistat. Est simile in Diuina Essentia, quæ licet sit infinita, nihilominùs requiritur proprietas Personalis, per quam Diuina Persona constituatur. Cùm enim in Deo sint tria Supposita realiter distincta, requiruntur tres subsistentiæ, inter se realiter distinctæ. 71

Secundò Resp. Subsistentiam absolutãm, si consideretur, prout includit tres subsistentias relatiuas, & est idem cũ illis, esse infinitam simpliciter, & illimitatam. Si verò consideretur præcisè, quatenùs est subsistentia absoluta, nihil considerando de subsistentijs relatiuis, in se quidem est infinita, sed non consideratur vt infinita, neq; vt sic induit rationem infiniti simpliciter: sicut Diuina Essentia, si consideretur præcisa à relationibus, in se infinita est, sed non cõsideratur à nobis secundùm omnem suã rationẽ, & infinitatẽ. Et ita illa subsistentia vt sic considerata, nõ est sufficiens, vel potiùs nõ cõsideratur, vt sufficiens ad hoc quòd Diuinæ Personæ subsistant. Et non est eadem ratio de esse, quia, vt iã diximus, esse est aliquid essentiale, & nullo modo Personale. 72

Ad confirmationem negatur antecedens; & ad probationem Resp. Subsistentiam absolutam, & relatiuam ac Personalem, non esse duas subsistentias, sed vnicam, & ita subsistentia absoluta est sufficiens, non prout est absoluta, & essentialis præcisè loquendo, sed prout est idem cum subsistentia relatiua, & Personali. Vnde non sequitur, quòd altera illarum sit sufficiens, quia non sunt duæ, sed vnica simplicissima. Quare sicut in Diuina Persona est vna simplicissima res, includens absolutum & respectiuum, quæ secundùm se totam est perfectissima; sic etiam secundùm se totam est per se subsistens per vnicam subsistentiam perfectissimam, adæquatam illi rei, quæ simul includit rationem subsistentiæ absolutæ, & relatiuæ. 73

Secundò

Digitized by Google

74 Secundò Resp. Subsistentiam absolutam vt sic esse sufficientem in sua ratione & genere, nempe, vt Diuinæ Personæ essentialiter, & absoluta subsistentia subsistāt. Non tamen vt sic esse sufficientem, vt subsistant relatiuè, & incommunicabiliter; sed quatenùs illa subsistentia absoluta est omninò idem cū subsistentia relatiua.

75 Ad quintum negatur minor, & ad probationem Resp. Non posse Personam Patris incommunicabiliter subsistere, nisi per subsistentiam relatiuam. Neque est eadem ratio de esse, atque de subsistentia, quia subsistentia, vt diximus, est complementum Personale, suppositi constitutiuum. Existentia verò est aliquid essentiale ad ipsam quidditatem & essentiam pertinens. Vnde ipsum esse existentiæ, quod est veluti vltima actualitas in Deo, quasi modificatur, & determinatur per relationes: quod sanè fieri non potest in subsistentia, quæ est constitutiua suppositi, non autem existentia.

76 Ad confirmationem negatur consequentia, quia est dispar ratio, nam Christus vt Deus, & vt homo, non est nisi vnicum Suppositum, & ita non habet nisi vnicam subsistentiam: licèt enim habeat vicem duplicicis suppositi, re vera non est nisi vnum, quod simul est Diuinum, & humanum: at in Trinitate sunt tres Personæ realiter distinctæ, atque adeò exigunt tres subsistentias realiter distinctas, licèt non distinguantur à subsistentia absoluta & essentiali.

77 Ad sextum Resp. Cum Suarez non repugnare Diuinæ naturæ immediatè subsistere, ac suo modo terminari pluribus subsistentijs, vel re, vel ratione distinctis, quia sicut potest propter suam infinitam capacitatem simul terminari tribus subsistentijs inter se realiter distinctis, licèt non ab ipsa natura: ita potest simul terminari subsistentia absoluta, & relatiua; sola ratione distinctis. Itaque relatio Diuina terminat subsistentiam essentialem proximè ac formaliter; non quidem dando illi per se esse, quoniam hoc ex se, & ex proprijs habet; & ita est per se, & essentialiter subsistens, vt illi repugnet accipere perseitatem essendi per aliquid additum, ratione distinctum ab illa, vt sunt omnes relationes Personales. Sed dicitur terminare Diuinam subsistentiam, quia determinat illam ad hanc, vel illam Personam, veluti illi adiungens quoddam esse relatiuum, etiam per se, & subsistens; quo talis Persona formaliter constituitur, ita vt ipsa Persona secundùm totum esse, quod includit, intelligatur per se subsistens, & existens, tam secundùm esse absolutum Dei, quàm secundùm esse relatiuum Patris, aut Filij, aut Spiritus Sancti: hoc autem nullam implicationem inuoluit.

78 Vnde constat, subsistentiam Dei relatiuam dare quidem esse incommunicabile, & per se, non tamen ipsi naturæ Diuinæ, neque huic Deo, vt sic, sed constituto per ipsam, videlicet, Diuinæ Personæ. Ratio primi est, quia natura Diuina, licèt intelligatur in Patre quasi terminata per Paternitatem, adhuc ipsa manet communicabilis Filio, & sic de alijs Personis. Ratio secundi est, quia illud constitutum; quatenus tale est, incommunicabile est per identitatem, secundum id, quod est sibi proprium: ideò enim sunt tres subsistentes, vt supra ostensum est.

79 Sed pro maiori huius rei intelligentia aduertendum est, maximum esse discrimen inter constitutionem Diuinæ Personæ, & Suppositi creati, nam Personalitas ita terminat naturam in creatis, vt natura in ea intimè nō includatur, sed Personalitas intelligitur veluti affixa ipsi naturæ: & ita ex vtraque resultare Suppositum. Quò fit, vt talis natura nullum habeat per se esse, nisi vt est in Supposito terminata per Personalitatem, cuius signum est, quòd abstracta Personalitate, ipsa natura manet veluti indifferens, & capax vnionis ad Suppositum distinctum. Cæterùm in Deo Personalitas, ita terminat naturam, vt in ea intrinsecè includatur, quantumuis præcisè & abstractè consideretur ipsa Personalitas. Vnde non intelligitur hæc Diuina Personalitas, quasi affixa naturæ, sed quasi intimè habens esse per ipsam naturam, vt rectè docet D. Thom. 1. p. q. 28. art. 2. Ex quo intelligitur, quo pacto etiam si natura Diuina ex vi suâ esse absoluti in se & per se sufficienter esse posit, adhuc posse terminari tribus relationibus, seu Personalitatibus. Etenim quòd illa ex vi sua per se sit, præcisis relationibus, ex eo constat, quòd etiam si præscindantur relationes, adhuc illa natura est incapax vnionis ad suppositum à se distinctum, seu alienum, imò habet formalem repugnantiam cum tali vnione, non solùm ratione relationum, sed ex vi perfectionis sui esse absoluti, quia hoc pertinet ad perfectionem illius esse.

Constat etiam, naturam Diuinam non communicari tribus relationibus propter aliquam indigentiam, vel imperfectionem, nempe, quia illis egeat, vt per se sit, vel vt ab eis sustentetur, qua ratione natura creata intelligitur indigere Personalitate, vel alieno Supposito, sed illis communicatur ex infinitate sua, vt eis det esse. Dicitur autem in illis, aut per illas terminari, non quia ab illis sustentetur, neque quia ab eis vt sic primò & per se accipiat modum per se essendi: sed quia ipsum esse essentiæ ita includitur in singulis relationibus, vt cum vnaquaque constituat quandam rem simplicissimam, & incommunicabilem, ac per se subsistentem, vt neque per identitatem possit ampliùs secundùm illam rationem communicari. 80

Ad argumentum ergo Resp. In forma distinguendo minorem, nempe, repugnare subsistentiæ terminari, si enim intelligatur de termino, qui sit prima ratio per se essendi, vel qui se habeat propriè per modum sustentātis naturam, sic concedendum est, hoc repugnare subsistentiæ. At non est de ratione Personalitatis terminare hoc modo, qui est proprius naturæ creatæ: natura enim increata altiori modo terminatur sua Personalitate. Si autem intendas argumentum, etiam hoc modo repugnare subsistentiæ, quod terminetur, verum est in rebus creatis, quia repugnat, subsistentiam, vel naturam creatam intrinsecè includi in rebus, vel Suppositis distinctis, quod tamen non repugnat subsistentiæ absolutæ, & increatæ. Itaque licèt subsistentia sit ratio per se essendi ipsi constituto per ipsam, vt sic, nō tamen oportet, vt sit prima ratio per se essendi ipsi naturæ, quā terminat, præsertim secundùm rationem, quia est imperfecto modo non terminat, & quasi illi affixa, sed intimè recipiendo esse ab ea. Vnde hæc terminatio potiùs est accipienda per modum cuiusdam modificationis, seu determinationis, quā per modū sustentationis naturæ terminatæ. Et ideò etiā hic modus cōmunicationis nō est per modum vnionis ad aliud, neque per modum essendi in alio, qui repugnet modo essendi per se, sed est per modum intimæ inclusionis, & quasi penetrationis, 81

vt ita dicamus, cum summa Identitate, ratione cuius licèt subsistentia absoluta communicetur multis, non tamen est in alio, quia illa multa nō sunt aliud ab ipsa.

82 Ad confirmationem primam eodem modo Respondetur: etenim Diuinæ relationes intelliguntur addi essentiæ, vt per se subsistenti, & existenti, & nihilominùs intelliguntur addi tanquam rationes subsistendi, non ipsius naturæ primò & per se, sed constituti.

83 Ad secundam confirmationem Resp. Subsistentiam absolutam intrinsecè & essentialiter includi in relatiuis subsistentijs realiter & formaliter, quia licèt intellectus concipere possit præcisè rationem relatiuam Paternitatis, vel Filiationis, non concipiendo expressè, ac formaliter esse aliquod absolutum in illis inclusum, nequit tamen ita præscindere, quin in illa re cōcepta implicitè & realiter contineatur essentialiter totum esse Dei absolutum. Neque potest intellectus abstractione aliqua negatiua separare absolutum à relatiuo, de hoc illud negando, vel saltem negando includi in eo essentialiter in re ipsa, aut concipiendo esse relatiuum in aliquo, in quo concipiat nō reperiri esse absolutum, quod in esse relatiuo respectu absoluti aliter accidit, quia potest ab eo præscindi, & aliquo modo etiam negatiuè abstrahi, saltem ea ratione, qua esse absolutum potest in aliquo reperiri, in quo non sit tale, vel tale esse relatiuum.

84 Itaque licèt subsistentia absoluta in relatiuis includatur, non repugnat multiplicari secundùm proprias rationes, sicut non implicat, res, vel entitates relatiuas multiplicari, etiam si essentialiter sint vna res, vel entitas absoluta, nam quò ad hoc subsistentia induit rationem transcendentis, quia perseitas existentiæ, quæ complet rationem subsistentiæ, vt nunc de illa loquimur, intrinsecè includitur in tali esse, seu tali existentia.

85 Postremò. Quamuis absoluta subsistentia in relationibus Personalibus includatur, non sequitur, quòd eas reddat formaliter subsistentes secundùm propria, sed tantùm quatenùs includunt esse Diuinum absolutum: quia licèt Diuina Essentia in relationibus includatur, nihilominùs relatio Diuina aliquod proprium habet, quo veluti determinat, ac modificat Diuinam naturam, non per modum compositionis, sed per intimam inclusionem cum summa identitate, ac simplicitate. Illud ergo proprium, quod addit relatio ex se, & ex proprijs, est subsistens, & non propriè ac formaliter ex inclusione essentiæ, sicut diximus de existentia, eadem enim est ferè ratio. Vnde eodem modo dicendum est, subsistentiam absolutam non includi in relatione, vt id, quo relatio subsistit, quatenùs relatio est, sed vt id, quo est subsistens ipsamet natura, & Essentia Dei, quæ in relatione includitur, eo quod ipsamet relatio essentialiter est Deus.

86 Ad tertiam confirmationem negatur antecedens, & ad probationem Resp. Quòd sicut relationes accidentales habent inesse etiam secundum esse, Ad, quia illud illud esse, In, est veluti transcendens intimè inclusum in omni modo accidentis; sic etiam Diuina relatio, etiam secundùm esse, Ad, est subsistens, quia quod in creatis est in esse, in Diuinis relationibus est subsistere. Vnde sicut inesse accidentis non est omninò absolutum, sed abstrahens ab absoluto & respectiuo; ita ratio subsistendi eodem modo abstracta est, quia rectè intelligitur, posse aliquam rem omninò esse in se, & per se, & nihilominùs respicere aliam, vt terminum, non vt subiectum, vel suppositum, quod suum esse sustentet.

Ad quartam confirmationem negatur sequella; quia est dispar ratio: etenim relationes Personales secum afferunt sua supposita, quæ constituunt, spiratio autem actiua supponit Personam constitutam, & aduenit illi per modum adiacentis: & solùm est substantialis, quia in re non distinguitur à Personis, non quia ex proprio conceptu sit subsistens. Ad illum locum ex D. Thoma adductum in fauorem Prioris sententiæ. 1. p. q. 40. art. 2. ad 2. Resp. Diuinas Personas non distingui in esse, in quo subsistunt essentialiter, & absolutè: distingui verò in esse Personali, quo Personaliter, & relatiue subsistunt. Ad alium ex q. 8. de Potentia art. 3. Respondetur, quòd relatio, inquantùm est Diuina Essentia, constituit Personam, & facit illam subsistentem absoluta & essentiali subsistentia: vt autem relatio distinguitur ratione ab essentia, constituit Personam subsistentem relatiua, & Personali subsistentia. 87

Dubitationes literales.

CIRCA Fundamentum D. Thomæ dubitat Caietanus, quia videtur falsum, & illa maxima; Omne, quod inest alicui, vnitur ei in Persona: non probatur à D. Thoma, & relinquitur, vt per se nota, cùm tamen sit falsa, quia multa vniuntur Petro, & non in Persona, vt quantitas per materiam, intellectio per animam, & intellectum. Pro explicatione aduertendum est cum D. Thom. 4. Contra Gentes cap. 41. & q. vnica de Vnione Verbi Incarnati art. 1. & 4. Quòd vniri in Persona nihil aliud est, quàm subsistere per subsistentiam Personæ, & per eam sustentari. Vnde sicut vniri in natura est, resultare ex vnione vnam naturam; sic vniri in Persona est trahi, & assumi ad subsistentiam Personæ. Quò fit, vt omnia accidentia, quæ subiectum ab intrinseco denominant, & actiones, aut Passiones, vniantur in Persona: est enim impossibile, albedinem Petro vniri in natura, & non in Persona. Et partes integrales, vt manus, pes, &c. Et essentiales, vt materia, & forma, & ipsa natura ex partibus constituta, vniuntur in Persona. Similiter anima rationalis, quæ separata subsistere potest, nō habet completam suæ speciei subsistentiam, nisi in Persona, quæ est totum compositum in natura completa subsistens. 1

Secundò aduertendum est, quæ in Persona vniuntur, non in eodem gradu vniri, quædam enim vniuntur in Persona, quæ formaliter subsistunt, & sustentantur per subsistentiam Personæ, vt V.G. natura humana vnitur in Persona Petri, quia natura Petri formaliter subsistit per subsistentiam huius Personæ, neque aliam habet subsistentiam. Accidentia verò, quæ in Persona vniuntur, subsistunt formaliter per eandem subsistentiam, per quam subsistit Persona, sed existunt formaliter per suas proprias existentias accidentarias, quæ à subsistentia substantiali causantur, & in ea sustentantur. Vnde constat, quemadmodum omne, quod inest alicui, vnitur ei in Persona, alioqui ei nō vniretur, sed esset extrinsecum vt vestis. 2

Præterea dubitat Caietanus circa ea, quæ supponit D. Thomas, An distinctio realis inter suppositum & naturam in rebus materialibus, habeat etiam locum in Angelis, & creaturis spiritualibus. Quæ difficultas breuiter 3

Digitized by Google

breuiter ac resolutoriè est à nobis discutienda. Pro cuius declaratione obseruādum est, suppositum posse cōparari & cum natura specifica, & cum singulari, vt Petrus cum humanitate communi, & cum hac humanitate. Hoc supposito: dicendum est, suppositum realiter distingui à natura, siue in rebus materialibus, siue in spiritualibus creatis: cuius contrariũ non docuit D. Thomas in hoc loco, quia non dixit hoc tantùm esse verũ in rebus materialibus, sed quòd in illis maximè apparet verum. Cęterùm, estò sit ita, latum est discrimen in-
3 ter vtramque naturam; quia in materiali suppositum distinguitur à natura specifica dupliciter; primò, quia non indiuiduatur per seipsam, sed per accidentia realiter distincta, & ita suppositum includit singularitatem naturæ, quam natura specifica non includit. Secundò, quia non est suum esse, id est, quòd suppositum includit subsistentiam, quæ non est de ratione naturæ specificę. At vero à natura singulari suppositum distinguitur in materialibus hoc duntaxat secundo modo, quo etiam pacto distinguitur in rebus spiritualibus à natura singulari, siue specifica. Quò fit, vt inter naturam indiuiduā materialem, & spiritualem, nulla sit quòad istud differentia, sed eodem modo suppositum distinguitur ab vtraque, nempe, quia suppositum includit subsistentiā, quæ nō est de ratione naturæ indiuiduæ, siue materialis, siue immaterialis.

4 Secundò colligitur, verissimum esse; Quod asseruit D. Thomas. 1. p. q. 3. art. 3. in Angelis suppositum non distingui realiter à natura: quia suppositum vsurpauit pro indiuiduo naturæ, & ideò voluit significare, in Angelis naturam indiuiduari per seipsam, & non per aliquid extrinsecum, sicut in rebus materialibus. Verũ est tamen, quòd vt colligitur ex D. Thoma. 1. p. q. 29. art. 1. Substantia per seipsam indiuiduatur, ad differentiā accidentium, quæ per substantiam indiuiduantur. Itaque substantia non fit indiuidua & singularis per quātitatem, nec per accidentia, quæ superueniunt quanto, neq; etiam per ordinem proximum ad quantitatem, vel accidentia, quia is ordo est accidentalis, indiuidualitas verò est substantialis, quæ ad genus substantiæ reducitur, conuenitq; substantiæ per seipsam. Ratio huius est, quia indiuiduum substantiale formaliter est de prædicamento substantiæ, imò verò non datur propriè indiuiduũ, nisi in substantijs, quia accidentia nec propriè indiuiduantur, neque indiuidua appellantur, vt ex D. Thoma ibidem colligitur: ergo modus cōstituens indiuiduum non est accidens, neque ordo accidentarius, sed est substantialis, & reducitur ad prædicamentum substantiæ.

5 Confirmatur: Quia priùs intelligitur natura vt hęc, & singularis, quàm intelligatur sub accidentibus, & vt illa recipiens: ergo indiuidualitas non est aliquid accidentale, sed modus substantialis. Antecedens est notum, quia priùs intelligitur hæc materia sub ista forma, & è contra ista forma actuans hanc materiam, quàm quòd intelligatur illa subesse accidentibus; ergo priùs intelligitur vt hæc, & in ratione singularis substantialiter, quàm quòd accidentia respiciat. Consequentia probatur: nam per hoc quòd materia est sub ista forma, & forma respicit hanc materiam, vtraq; intelligitur singularis, & determinata. Natura item ex materia & forma consurgens, ex illa coniunctione etiam est hæc; V. G. natura humana Petri, eò ipso quòd ex hac materia & hac forma resultat, est singularis. Prætereà; quoniam hæc forma importat essentialem habitudinem ad hāc materiam, & ista materia dicit habitudinem substantialem ad hanc formam. Similiter humanitas hæc importat essentialem dependentiam ab ista materia, & ab hac forma; ergo ex tali habitudine substantiali, quæ est singularis, habent indiuiduationem substantialem.

Dices, hanc doctrinā aduersari cōmuni dicto Aristo- 6
telis, & D. Thomę, scilicet materiam signatam & quasi sigillatam ipsa quantitate esse indiuiduationis principium. Resp. indiuidualitatem completi in ordine ad quantitatem, vel in ipsa quantitate, quamuis huiusmodi complementum solùm sit accidentarium, & ad maiorem rei perfectionem superadditum. Vnde D. Thomas loquitur de completiuo, in quo explicatur substantialia indiuidualitas, quæ ad quantitatem, & ad istud complementum supponitur: nam antequàm natura signetur quantitate, habet proximum ordinem ad talem designationem, & antequàm illi cōueniat is proximus ordo ad accidentia, quæ sunt quasi sigillum naturæ, sortitur substantialem singularitatis modũ, ex quo sibi vendicat talem accidentarium ordinem, & determinata accidentia. Ex quibus sequitur, quòd in omni 7
natura siue materiali, siue spirituali ratio indiuidui est substantialis, & eius singularitas est de prædicamento substantiæ, de se præueniens quidquid est accidentariũ, & conueniens naturæ immediatè post prædicata essentialia. Sequitur secundò, quòd si Deus ab homine 8
omnia accidentia separaret, imò verò ordinem ad illa, adhuc maneret vt indiuiduum substantię, quia partes illius constituerent quoddā singulare subsistens in particulari. Explicatur autem hæc singularitas naturæ, & substantialis indiuidualitas per indiuisionem, ita vt indiuidualitas, quę diffinitionem Personæ ingreditur, excludat omnem diuisionem per inferiora, aut per partes subiectiuas. Hanc sententiam latè defendit & explicat M. Suarez in Methaphysica Disp. 5. Sectione. 6. à nume. 1. vsque ad. 17. Et M. Alfonsus de Luna in additionibus ad tertiam partem Medinæ.

Sequitur etiam ex dictis verissimum esse quod do- 9
cet D. Thomas in hoc loco, nempe, in Deo suppositum distingui à natura sola ratione, & penes modum significandi; quia in Deo neque indiuiduatio, neque singularitas naturæ, neque subsistentia, vel per se existentia, vel Personalitas distinguitur à natura, sed hæc omnia sunt essentialia, & de ratione intrinsecâ ipsius Naturæ Diuinæ, ita vt si Deitas definiretur, prout est in seipsa, hæc omnia includerentur in eius definitione, tanquam essentialia: quia omnia, quæ formaliter sunt in Deo, vt rectè obseruauit Caietanus. 1. p. q. 28. art. 2. prout sunt in seipsis, non solùm sunt vna res, sed vna etiam formalitas. Sed quia non aliter intelligimus Deum, quàm per cognitionem rerum materialium, in quibus suppositū realiter distinguitur à natura, ideò alium conceptum de Natura Diuina formamus, alium verò de supposito, & Persona, cùm tamen prout sunt in seipsis, sint prorsus idem. Et per hoc soluitur quintum Dubium Caietani. De quo legendi sunt interpretes D. Thomæ. 1. p. q. 3. art. 3.

Sed aduersus hanc doctrinam obijcitur primò. Si in 10
creaturis spiritualibus suppositum realiter distinguitur

à natura, ergo natura non prædicatur de supposito, sicut neque in materialibus. Patet consequentia, quia eodem modo suppositum in illis habebit se per modum totius, & natura per modũ partis formalis, habebuntq; se sicut includens & inclusum, cuius oppositum docere
11 videtur D. Thomas de Ente & essentia cap. 3. Resp. cõcedendo cõsequentiam, quia distinctio realis inter naturam & suppositum per modũ includentis, & inclusi, sufficit, vt vnum de altero non prædicetur. Vnde non solùm hæc propositio est falsa, Petrus est sua humanitas, sed etiã ista, Michael est sua Michaelitas, quia vtrobique natura prædicatur de supposito per modũ partis formalis, non tantùm secundùm nostram cõsiderationem, verùmetiam secundùm rei veritatem. Idcireò hæc regula, tanquam vniuersaliter vera in huiusmodi prædicationibus est obseruanda, quòd neque totũ de parte, neque pars de toto prædicari rectè potest. Quæ regula in creaturis habet verum non solum nostro intelligendi more, sed in rei veritate; quando totum de parte, vel pars de toto prædicatur. Quando verò in ipsis pars de parte, vel in Deo abstractum de concreto, vel è contra, prædicatur, propositio est falsa secundùm nostrũ modum intelligendi, sed non reipsa, & secundùm rei veritatem.

12 Secundò obijcitur: quoniam ex assumptione humanitatis videtur sequi, suppositum Diuinum realiter à natura distingui, quia Naturę Diuinæ aduenit humanitas per Incarnationem: ergo iam aliquid extrinsecum adiungitur Naturæ Diuinæ. Sed in rebus materialibus suppositũ distinguitur realiter à natura, per hoc quòd naturæ aduenit aliquod accidens, siue extrinsecũ, quod non est de ratione naturæ, ergo idem dicendum est in Deo. Resp. negando consequentiam, est enim diuersa ratio; quia id solùm, quod naturæ adiungitur tanquam inhærens, vel informans, probat distinctionem realem naturæ à supposito. Vnde carere huiusmodi adiũcto probat, naturam esse purum actum, quia probat ipsam non esse in potentia ad aliquid. At verò natura humana non sic adiungitur Naturæ Diuinæ, quia neque illi inhæret, neque informat, & propterea habere huiusmodi adiunctum extrinsecum, non probat, Diuinũ suppositum à natura realiter distingui. An verò suppositum aliquid addat supra naturam singularem, & an sit intrinsecum, vel extrinsecum supposito, disputabitur infra quæst. 4. art. 2. Responsio ad primum argumentum D. Thomæ explicata est Disputatione prima.

13 In Responsione ad secundum comparat D. Thomas humanitatem Christi perfectam per subsistentiã Verbi, cum sensitiuo, quod est in homine perfectum per rationale. Similitudo autem in hoc consistit, quòd licèt esse completiuum speciei pertineat ad dignitatem formæ, & sensitiuum, quod est in homine, speciem non compleat; perfectius tamen esse habet in homine propter coniunctionem ad præstantiorem formam, & ordinis superioris quàm in bruto, vbi speciem complet. Sic etiam, licèt per se existere, vel subsistere proprium ad dignitatem naturæ humanæ pertineat, perfectiori tamen modo per se existit, vel subsistit in Verbo Diuino per ipsius subsistentiam, quæ est ordinis superioris quàm in nobis.

14 Est tamen aduertendum, cùm dicitur, formam sensitiuam complere speciem in bruto, & non in homine, duplicitèr posse intelligi, & vtroq; modo verè. Primò, si brutum sumatur pro specie subalterna, tũc enim forma sensitiua complet speciem subalternam in bruto, non specialissimam; in homine verò neque vnam, neque alteram. Secundò. Si brutum sumatur pro specie specialissima, tunc enim forma sensitiua dicitur cõplere speciem in bruto non per seipsam, sed per aliquid sui ordinis: in homine verò neque per aliquid eius ordinis complet speciem. Ex quo sequitur, sensitiuũ vsurpandum esse formaliter, & prout ratione duntaxat distinguitur ab intellectiuo, vt apta sit comparatio: non tamen sumendum esse, vt est quidam gradus entis ab intellectiuo realiter distinctus, qua ratione sumpsit illud Aristoteles. 2. de Anima, cùm dixit, sensitiuum esse in intellectiuo, sicut trigonum in tetragono, hoc est, in virtute, quo pacto omne imperfectum est in suo perfectiori.

In solutione ad tertium explicat D. Thomas diffinitionem Personæ traditam à Boetio, libro de duabus naturis: nempe, Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia. Quò fit, vt Persona distinguatur à supposito, sicut à superiori; nam suppositum est cuiuscumque naturę indiuidua substantia: Persona verò suppositum rationalis naturæ. Item rationale sumitur vt quid cõmune ad intellectiuum sine discursu, & cum discursu. Substantia verò cùm ex Aristotele sumatur & pro essentia, & pro hypostasi, hoc est, pro prima, & secunda substantia, hîc sumitur pro prima substantia, id est, pro per se existente, atque ita indiuidua substantia idem est, quod per se existens, vel subsistens. Ex quo sequitur non oportere, addere, quòd sit substantia incommunicabilis, quia eò ipso, quòd aliquid est Persona, est subsistens incommunicabiliter; quia est vltimò terminatũ, & ideò natura taliter terminata nequit alteri communicari, neque vt subiecto, neque vt inferiori. 15

Sequitur secundò, Caietanũ malè explicare D. Thomam, cùm inquit, quòd natura humana in Christo, licèt sit indiuidua, non tamen est Persona, quia non existit per se separata. Ex quo vult Caietanus, ad rationem Personæ non satis esse, per se existere, quia humanitati Christi, & partibus substantiæ, dum sunt in toto, hoc conuenit, sed necessarium esse, per se existere separatim. In quo deceptus videtur Caietanus existimans D. Thomam pro limitatione posuisse, quod explicationis gratia cõstitutum est, repugnat enim aliquid per se existere, & nõ esse separatum, & hoc significat illa particula, Per se, & D. Thomas maioris explicationis gratia adiecit separatim. 16

Secundò falsum est dicere, humanitatem in Christo, & similiter partes substantiæ per se existere: tum, quia hoc est expressè contra D. Thomam in hoc loco: tum etiam, quia de partibus repugnat sententiæ Aristotelis, qui cap. de Substantia textu. 5. inquit, partes esse in toto sicut in alio, non quidem vt in subiecto, sed vt in supposito. Quasi dicat, quòd licèt partes substantiæ conueniant cum accidentibus in hoc, quod est esse in alio; differunt tamen, quia accidentia sunt in alio inhærendo, & dando esse accidentarium, partes verò sunt in supposito integrando totum, & conferendo esse substantiale. Præterea, cùm per indiuiduam substantiam intelligat Boetius per se existens, vel subsistens, integra est, & perfecta definitio quantùm ad hanc particulam, & nulla 17

indiget

indiget additione, qua sanè indigeret, si, vt dicit Caietanus, per se existere non includeret separatim existere.

18 Vltimò. Per illam particulam, Rationalis naturæ indiuidua substantia, excluditur anima rationalis à ratione Personæ, quia est incompletæ naturæ rationalis indiuidua substantia, illa enim per se existentia animæ separatæ non est completa species rei, sed completiua speciei, ideò non habet rationem Personæ, vt falsò dixit Magister in 3. d. 5.

19 Sed contra obijcitur. Ergo humanitas Petri, vel cuiuscumque suppositi humani non existit per se, quia est in alio à se realiter distincto, videlicet, in supposito. Negatur consequentia; & pro intelligentia notandum est, omnem naturam aut esse in proprio supposito, aut in alieno. In alieno enim est natura substantialis, cùm absque propria Personalitate assumitur, & talis natura non dicitur per se existere, quia per se non constituit proprium suppositum. Natura verò accidentalis est in alio supposito, quando vel violenter, vel supra naturam inhæret alicui, qua ratione accidentia Eucharistię sunt

20 in quantitate gerente vicem suppositi, seu subiecti. In proprio autem supposito est natura siue substantialis, siue accidentalis, diuersa tamen ratione, quia Natura Diuina est in proprio supposito, quod cũ ipsa est idem realiter, & propter hoc non solùm per se, sed à seipsa existit. Accidentalis verò natura est in proprio supposito, quod quia non constituit, ideò per se non existit. Substantialis verò natura creata completa est in proprio supposito, quod quia ab illa est constitutum, ideò, quamuis à seipsa non per se existat, dicitur tamen per se existere. Natura verò substantialis incompleta, & quæ actu est pars, quamuis suppositum constituat, quia tamen illud per se non constituit, sed per aliud, videlicet, per completam naturam, cuius est pars; ideò simpliciter loquendo non dicitur esse in proprio supposito, neque in alieno, sed dicitur esse in alio, vt in supposito, ac proinde non per se existit, vt hac ratione distinguatur à natura completa, quæ sanè cùm nõ per aliud, sed per seipsam suppositum constituat, dicitur per se existere.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm Vnio Verbi facta sit in supposito, vel hypostasi.

RESPONDET D. Thomas vnica *Conclusione affirmatiua.* Vnio facta est in hypostasi, seu Supposito Diuino. *Probat primò in argumento sed cõtra ex Damasceno lib. 3. fidei cap. 3. 4. & 5. dicente. In Domino Iesu Christo duas naturas cognoscimus, vnam autem hypostasim. Deinde in corpore, quia falsa est opinio asserentium, Vnionem factam esse in Persona, & non in hypostasi. Etenim illi distinguentes inter hæc duo, vnam posuerunt Personam, & duas hypostases, alteram Dei, & alteram hominis, & ita secundùm istos non erat facta in hypostasi. Quod quidem est erroneum: primò, quia Persona ad hypostasim non addit nisi determinatam naturam, nempe rationalem: est enim, vt ait Boetius lib. de duabus naturis, rationalis naturæ indiuidua substantia. Ac propterea idem est attribuere propriam hypostasim humanæ naturæ in Christo, & propriã Personam. Vnde in quinta Synodo generali Cano. 5. Vtrumq; damnatum est. Siquis introducere conetur in mysterio Christi duas subsistentias, seu duas Personas, anathema sit: nec enim adiectionem Personæ, vel subsistentiæ suscepit Sancta Trinitas, Incarnato vno de Sancta Trinitate Deo Verbo. Subsistentia autem idem est quod res subsistens; quod est proprium hypostasis, vt constat ex Boetio lib. de duabus naturis. Secundò, quia siquid addit Persona ad hypostasim, in quo facta sit Vnio, id nihil est, nisi proprietas quædã ad dignitatem pertinens. Et ita Vnio facta esset in hac dignitate: contra Synodum Ephesinam primam, Cano. 3. vbi Cyrillus approbante Concilio illud damnauit sub his Verbis. Siquis in vno Christo diuidit subsistentias post adunationem, sola copulans eas coniunctione, quæ secundùm dignitatem quandam, vel authoritatem est, vel secundùm potentiam, & non magis concursu secundùm adunationem naturalem, anathema sit. Tertiò; quia hypostasi tribuuntur operationes: ergo si in Christo est alia hypostasis præter illam Verbi: quæ sunt hominis, non verificabuntur de Verbo; vt esse natum de Virgine, passum, crucifixum, & sepultum: quod est damnatum in Concilio Ephesino primo, Cano. 4. sub his Verbis. Siquis Personis duabus, vel subsistentijs, eas, quæ sunt in Euangelicis & Apostolicis Scripturis, partitur voces, aut de Christo à sanctis dictas, aut ab ipso de se: & quasdam quidem velut homini præter illud ex Deo Verbum specialiter intellecto applicat; quasdam verò velut Deo dignas, soli ex Deo Patre Verbo, anathema sit. Ex quibus colligit D. Thom. esse hæresim olim ab Ecclesia damnatam, dicere esse in Christo duas hypostases, vel duo supposita; siue Vnionem non esse factam in hypostasi, vel supposito. Et idem etiam est definitum in eodem Concilio Ephesino. 1. Cano. 2. Siquis non confitetur, carni secundùm subsistentiam vnitum ex Deo Patre Verbum, vnumq; esse Christum cũ sua carne eundem, scilicet Deum & hominem, Anathema sit.*

Primum argumentum D. Thomæ desumitur ex authoritate Augustini in Enchiridio. cap. 36. vbi sic ait. Diuina substantia, & humana, vtraque est vnus Dei Filius, sed aliud propter Verbum, & aliud

Digitized by Google

aliud propter hominem. Et Leo Papa in Epistola ad Flauianum cap. 4. inquit: Vnū horum coruscat miraculis, aliud succūbit injurijs: sed aliud & aliud differt supposito: ergo Vnio Verbi Incarnati non est facta in supposito. Respondet, Christum dici aliud, & aliud propter naturas; quia sicut Vnio accidentalis facit alterum, quatenus idem numero potest diuersis accidentibus subesse: ita essentialis Vnio facit aliud. Et sicut idem suppositum dicitur alterum, & alterum propter diuersas formas accidentales: ita Christus dicitur aliud & aliud, non propter diuersa supposita, sed propter diuersas naturas. Sed non dicitur alius, & alius, vel aliud, & aliud suppositum, sicut in Trinitate Pater dicitur alius à Filio, tametsi non aliud, quia hoc nomen, Aliud, indicat alietatē, & diuersitatem in natura, & essentia.

Secundum argumentum est. Hypostasis est substantia particularis, vt ait Boetius: sed in Christo est quædam substantia particularis præter hypostasim Verbi, nempe, corpus & anima, & compositum ex eis; ergo in ipso est alia hypostasis præter hypostasim Verbi. Resp. ad rationem Personæ non satis esse singularitatem, sed præterea requiri completionem, ita vt Persona, seu hypostasis significet substantiā particularem, nō quomodocumq; sed in suo complemento, ita vt in alterius complemētum non veniat, vt manus, & natura humana in Christo.

Tertiū est. Hypostasis Verbi nō cōtinetur in genere aliquo, neque sub specie, vt cōstat ex 1. p. q. 3. art. 5. Sed Christus, vt homo, continetur sub specie humana, vt ait Dionysius cap. 1. de Diuinis nominibus; at non continetur sub specie humana, nisi sicut hypostasis quædam humanæ speciei; ergo in Christo est alia hypostasis præter hypostasim Verbi. Resp. Christū esse in specie humana ratione naturæ assumptæ: quia res non ponitur in specie ratione indiuiduationis, sed naturæ.

Commentarius.

i AD explicationem huius articuli est primò aduertendum, titulum quæstionis eodem sensu esse accipiendum cum præcedenti, nempe, An ex Vnione humanitatis ad Verbum resultauerit vnum tantùm suppositum, & vna hypostasis, sicut remansit vna tantùm Persona. Secundò obseruandum est, quòd quemadmodùm quæstio articulorum præcedentium procedebat ex eo, quòd quidam hæretici nescierunt distinguere inter naturam, & Personam, & ideò ponentes vnam Personam, vnam etiam naturam duntaxat in Christo ponere cogebantur, & ponentes duas naturas, similiter constituebant duas Personas, vt docet Boetius libro de duabus naturis: sic etiam fuere alij hæretici, qui nescientes distinguere inter Personam, suppositum, vel hypostasim, ponentes in Christo vnam tantùm Personam non videbantur cogi, ponere vnum suppositū, vel vnam hypostasim. Quinimò Magister sententiarū in 3. d. 6. inter tres opiniones, quas ibi refert de modo vnionis Verbi Incarnati, dicit, hanc esse probabilem. Quòd postrà docuit D. Bonauentura eodem loco sequutus Alexandrum Alensem 3. p. q. 3. a Verùm hæc opinio iam pridem ab Scholis tanquam hæretica reiecta est, nam licèt Laurentius Valla lib. 6. Elegantiarū cap. 38. Plures adducat Personæ acceptiones, inter Theologos tamen iam vsus obtinuit, vt Persona idem sit, quod subsistens in natura rationali, à qua suppositum, vel hypostasis solùm distinguitur tanquam superius ab inferiori. Et quamuis hypostasis apud Græcos, sicut substantia apud Latinos, æquiuocum nomen sit, vt hoc loco aduertit Caietanus, quod desumpsit à Diuo Hieronymo Epistola ad Damasum, ita vt nōnumquam pro essentia, interdū verò pro supposito sumatur: vsus tamen Ecclesiasticus iam habet, vt sicut inter Latinos pro sola essentia sumitur substantia, ita hypostasis inter Græcos pro solo supposito vsurpetur. Et ideò qua fidei certitudine tenetur, Vnionem esse factam in Persona, eâdem tenetur, Vnionem effectam fuisse in supposito, vel hypostasi. Quæ fides definita est ab Ecclesia in omnibus locis supra relatis, in quibus definitur, Vnionem factam esse in Persona, & maximè declaratur rationibus D. Thomæ.

DISPVTATIO VNICA.

CIRCA Responsionem ad tertium est dubitatio, An Christus possit dici Persona humana, vel suppositum humanum, vt sic ponatur in prædicamento. Negatio his argumentis suadetur. Primò. i Persona humana constituitur per humanam Personalitatem: Sed in Christo non est Personalitas humana, alioqui essent duæ Personæ, quod est contra fidem: ergo Christus non est Persona humana. Confirmatur Primò. Suppositum dicitur à subsistentia, & suppositalitate; sed Verbum non assumpsit suppositalitatem humanam, ergo non est, neque dicitur humanum suppositum. Confirmatur secundò. Illud est, & vocatur suppositum humanum, quod per humanitatem constituitur in esse subsistentis; sed suppositum, quod est in Christo, non est huiusmodi, quia ab æterno constitutum est in tali esse per Deitatem: ergo &c.

a Secundò. Si Christus est Persona humana: ergo in Christo est duplex Persona, altera humana, & altera Diuina, quod est hæreticum. Cōsequentia patet, quia Persona humana, cùm resultet in tempore ex Vnione, & Persona Diuina Verbi, nequeunt esse eadem Persona, sed necessariò debent esse diuersæ. Dices, vnam & eandem Personam Verbi esse simul Diuinam, & humanā, nullamque nouam Personam ex Vnione resultare. Cōtra. Terminus huius Vnionis est hic homo, qui est rationalis naturæ indiuidua substantia; ergo terminus huius Vnionis est nouus homo singularis; quia noua Vnio substantialis habet nouum terminum. Tunc vltra. Est nouus homo singularis, ergo est noua Persona humana. Patet consequentia, quia intelligi non potest, quòd resultet hic homo singularis de nouo, & non

resultet

resultet noua persona singularis. Etenim hic homo singularis denuò factus, essentialiter est rationalis naturæ indiuidua substantia, quæ anteà non erat.

3 Confirmatur. Vnio est substantialis & noua: ergo vnum substantiale & nouum resultat, nam terminus vnioni proportionari debet. Quòd si vnum est substantiale, & nouum, cùm illud sit completum & singulare in natura rationali, erit ex vi vnionis incommunicabile; ergo etiam ex vi vnionis erit persona. Probatur hæc vltima consequentia; nam ex vi vnionis habet, quod est de ratione personæ; est enim vnum substantiale singulare, & incommunicabile in natura rationali, in quo ratio personæ consistit.

4 Confirmatur secundò. Modò constituitur Persona ex diuersis constituentibus realiter, ergo est noua persona, & ex cõsequenti diuersa à Persona Verbi, quæ est æterna. Antecedens probatur, quia modò constituitur Persona ex personalitate Verbi, & humanitate, quæ sunt diuersa principia ab his, quibus Diuina Persona constat. Dices, vtrobique esse eandem personalitatem. Contra: quia est diuersa natura; in qua subsistit persona, & ex qua constituta relinquitur persona humana, quæ anteà non erat. Explicatur. Si modò ex personalitate Petri, & natura Pauli constitueretur vna integra persona, esset alia à persona Petri, quæ anteà erat, ex sola naturæ diuersitate, in qua subsisteret; ergo si in Christo constituitur persona humana ex diuersa natura, erit diuersa persona, etiam si supponatur eadem personalitas. His tamen non obstantibus sit Conclusio.

5 Christus Dominus est suppositum humanum, siue Persona humana. Hoc est, Christus non est duplex suppositum, Diuinum & humanum, sed vnum tantùm, quod simul est Diuinũ & humanum. Diuinũ quidem, quatenùs subsistit in Diuina Natura, & quam velutì sustentat nostro intelligendi more; humanum verò ratione humanæ naturæ, quam re vera sustentat, licèt ab ea simpliciter non constituatur, & in seipso, sed duntaxat, prout est humanum. Sic docet Caietanus art. 5. huius quæstionis ad 1. quod desumpsit ex D. Thoma. 4. Cõtra Gentes cap. 49. Vbi soluens septimum argumentum dicit, Filium Dei per naturam humanam constitui hunc hominem, quod est idem, quod suppositum humanum, vel persona humana. Et omnes recentiores eodem modo loquuntur. Sic etiam loquitur Marsilius in 3. q. 6. art. 3. Et Damascenus lib. 3. cap. 11. vbi inquit; hypostasim Verbi factam esse hypostasim carnis. Ac si diceret, suppositum Diuinum factum esse humanum. Et D. Ambrosius Epistola 40. ad Habinũ ait. *Filius Dei in Persona hominis suscepit formam serui.* Idem autem est persona hominis, quod Persona, vel suppositum humanum. Et probatur ratione. Suppositum humanum nihil aliud est, quàm hic homo concretiuè; 6 sed certum est secundùm fidem, Christum esse hunc hominem concretiuè; ergo est suppositum humanum. Item. De fide etiam est, quòd Christus est habens humanitatem, & in ea subsistens; ergo non solùm est suppositum humanatũ, vel Incarnatum, sicut homo veste dicitur vestitus, sed est suppositum humanum, sicut dicitur homo, vt hac ratione catholicus ab hæretico Nestorio distinguatur. Rursus. Ex sententia D. Thomæ infra q. 16. hæc propositio est essentialis, & in materia naturali, Deus est homo: sed natura humana in concreto non prædicatur nisi de supposito; de supposito autem Diuino, vt Diuinum est, nequit essentialiter prædicari: ergo prædicatur de supposito Diuino, vt est humanũ. Confirmatur. Sicut ista est quidditatiua, Petrus est homo, ita & hæc, Christus est homo: quia est vniuocè homo nobiscum: sed in illa prædicatum dicitur de subiecto, vt est suppositum humanum; ergo & in hac. Cõsequentia patet, quia non dicitur de hac humanitate, hæc enim est falsa, hæc humanitas est homo, neque de supposito, vt Diuino, quia licèt post Incarnationem hæc sit vera, suppositum Diuinum est homo, antè Incarnationem erat falsa, & similiter in triduo, ergo dicitur de illo, vt est humanum; ergo Christus est humanum suppositum. Confirmatur secundò. Suppositum in communi est subsistens in natura substãtiali; ergo tale suppositũ in tali natura substãtiali, vt equinum in equina, leoninum in leonina; sed Christus est subsistens in natura humana: ergo est humanum suppositum.

7

8 Cæterùm pro huius conclusionis intelligentia aduertendum est, ex ipsa Verbi Personalitate, & ex humanitate non consurgere nouum suppositum, atque consurgeret ex eâdem humanitate, & ex propria, & naturali ipsius humanitatis personalitate: sed ex eo quòd humanitas vnitur Personalitati Verbi, & per illam terminatur, & completur, simul assumitur ad ipsum suppositum Verbi præexistens: atque adeò non intelligitur etiam secundùm rationis cõsiderationem, ex illa vnione resultasse aliquod nouum suppositum, quod esset & appellaretur homo; sed ipsummet antiquum suppositum Diuini Verbi est humanum, & est homo, & vocatur homo. Itaque Personalitas Verbi non concurrit in Incarnatione per modum proprietatis constitutiuæ noui suppositi, licèt verè terminet & compleat humanitatis dependentiam ineffabili modo: sed complendo & terminando huiusmodi humanitatis dependentiam, trahit naturã humanam ad ipsum Verbi Suppositum, & illud constituit verum hominem, & ipsum hominem verum Deum. Est autem aliquale huius rei exemplum, licèt imperfectum, quod ex compositione accidentis corporei cum subiecto desumitur. Etenim ex accidenti & subiecto non consurgit aliquod nouum esse distinctum ab esse subiecti, & accidentis, sed accidens trahitur ad ipsum esse antiquum subiecti, in quo suscipitur. Hæc autem vnio, & quasi accidentis tractio ad esse substantialis subiecti fit mediante quantitate, quæ vt subiectũ, Quo, terminat immediatè vnionem, seu inhæsionem accidentis.

9 Vnde constat, quòd Persona Diuina & humana in Christo, licèt ratione distinguantur, non tamen se habent vt Personæ omninò condistinctæ, nullum inter se formalem ordinem habentes, sed seipsas mutuò includunt, nam Diuina Persona, quamuis secundùm se considerata non includat humanam, at facta Incarnatione, secundùm illud idem esse Personale, quo est Diuina Persona, est etiam humana, sic humanitati communicans illud esse secundùm propriam rationem subsistentiæ personalis, ac si esset forma & natura sibi propria, & connaturalis; quia ibi nulla interuenit accidentalis, sed purè substantialis, & vnio, & assumptio, & terminatio naturæ per subsistentiam. Verùmtamen Persona humana in Christo secundùm rationem propriam talis personæ includit intrinsecè Diuinam Personam.

Vnde

modo non solùm includit intrinsecè Personalitatem Verbi, vt terminantem complentem & terminantem humanitatis dependentiam; sed etiam includit ipsum Diuinum Verbum, prout suppositum in Diuina Natura subsistens, eo quòd humanitas ex vi vnionis assumpta est, & quasi attacta ad ipsummet esse personale Verbi antiquum, in concreto consideratum.

10. Itaque ex vnione humanitatis ad Verbum resultat mutua quædam, & reciproca communicatio Naturæ Diuinæ & humanæ in eodem supposito, quatenùs Diuinum suppositum, quod intrinsecè in ratione talis suppositi includit Naturam Diuinam, & prout illã includit, & in ea subsistit, participat ab humanitate rationem formalem humani suppositi, ita vt Verbum quatenùs in humanitate subsistit, specificatiuè loquendo, sit humanum suppositum, & sit homo. Natura verò humana habet à Verbo Diuino in Natura Diuina subsistenti, & prout substenti, quòd sit terminata, completa, & personaliter perfecta. Itaque Verbum Diuinũ prout in Diuinitate subsistit, tribuit personæ humanæ rationem personæ, & suppositi substantialis: ab humanitate verò habet, quòd sit suppositum humanum formaliter in ratione humani. Quò fit, vt Christus absolutè loquendo vtrumq; complectatur, & quòd sit Diuinum suppositum à Diuinitate; & quòd sit humanum, ab humanitate. Sed obijcitur.

11 Si ex Personalitate Verbi terminante humanitatem, & ex ipsa humanitate non consurgit nouum suppositum; ergo in Christo non est duplex suppositum sola ratione distinctum inter se se, alterum Diuinum, & alterum humanum. Probatur consequentia. Antè vnionem humanitatis ad Verbum nullum erat suppositum humanum in Deo; ergo si denuò non cõsurgit, nullum erit post vnionem hypostaticam humanum suppositũ in ipso Deo.

12 Confirmatur. Sequitur ex eadem sententia, in Deo non esse duplicem rationem subsistendi; consequens est contra D. Thomam, vt constabit articulo sequenti: ergo &c. Probatur sequella. Personalitas Verbi non est constitutiua humani suppositi: ergo neque est formaliter subsistentia humana. Hæc consequentia est nota, quia sicut ad rationem subsistentiæ pertinet, quòd sit proprietas substantialis suppositi cõstitutiua, ita de ratione humanæ subsistentiæ est, quòd sit constitutiua suppositi humani.

13 Ad argumentum Resp. in humano supposito duo per rationem distingui. Alterum est, quòd sit suppositũ substantiale, alterum, quòd sit humanum. In Incarnatione ergo nulla fuit nouitas, quantùm attinet ad rationem suppositi substantialis, sed illud antiquum Verbi suppositum omninò mansit inuariatum, neque nouum aliud suppositum Deo fuit adiunctum, neque secundùm rem, neque secundùm rationem, sed humanitas est eleuata & assumpta ad illud antiquum suppositũ, & ad eius esse personale. Et ob id hæc vnio à Theologis hypostatica appellatur. Nihilominùs illud antiquum suppositum substantiale accepit nouam denominationem, & rationem ab ipsa humanitate, quam personaliter, & suppositaliter terminauit. Vnde verè & propriè appellatur humanum suppositum.

14 Ad confirmationem negatur sequella, & probationi dicitur, quòd vt Verbi personalitas verè dicatur humana subsistentia, satis est, quòd terminet & compleat humanitatis dependentiam, ipsam trahendo ad esse personale Verbi; nam hac ratione simpliciter constituit suppositum humanum altiori modo, quàm si ex humana natura, & ex propria, & naturali eius personalitate cõstitueretur humanum suppositum: nam ipsum Verbi suppositum in se sustentans, & suppositans humanitatem, æquè perfectè, imò & longè perfectiùs est suppositum humanum, & est homo, quàm esset homo ille ex humana natura, & ex propria eius personalitate constitutus.

Ad primum igitur argumentum Resp. personam humanam puram constitui personalitate humana creata, sed personam humanam, quæ simul est Diuina, constitui in esse personæ humanæ, per hoc quòd suppositaliter terminat humanitatis dependentiam. Itaque simpliciter constituitur per Diuinam Naturam & increatam personalitatem. Sed eadem Persona Diuina, vt subsistit in humanitate, dicitur & est persona humana, & ita non duæ, sed eadem est Diuina, & humana. Secundò Resp. negando minorem: quia eadem Personalitas Diuina est etiam humana. Et quemadmodùm Verbum constituitur in esse Diuinæ Personæ per Diuinam Personalitatem, quatenùs est illi ratio subsistendi in Diuina Natura; sic etiam per eandem Personalitatem Diuinam, quatenùs est ratio subsistendi in natura humana, constituitur in esse personæ humanæ. Vnde sicut eadem Persona Verbi, & est Diuina, & humana, secũdùm quòd subsistit in Diuina, & humana natura; sic etiam eadem personalitas Verbi, & est Diuina, & est humana, inquantùm est ratio subsistendi in Diuina, & humana natura. 15

Ad primam confirmationem negatur cõsequentia, quia sicut non assumpsit hominem, sed humanitatem, & nihilominùs Deus factus est homo per vnionem humanitatis assumptæ: ita licèt non assumpserit subsistentiã, & personalitatem humanam, per vnionem tamen humanitatis ad ipsammet Verbi subsistentiam dicitur persona humana: non quòd Hic Deus, & hic homo sint duo, sed vnicum suppositum, simul Diuinum, & humanum, quod dicitur humanum, quatenùs per suam intrinsecam entitatem subsistit in humanitate; non verò, quia per subsistentiam humanam formaliter, & intrinsecè in ratione personæ constituatur. Quòd si obijciatur: Verbum Diuinum dicitur homo per humanitatem distinctam à Diuinitate; ergo si est persona humana, id erit per distinctam personalitatem à Diuina, vel nullo modo dicitur persona humana. Neganda est consequentia, quia persona humana dicit subsistens in natura humana, & Christus est huiusmodi. Sed quia personalitas humanitatis non est alia à Diuina, ideò non constituitur distincta persona, sed ipsamet Diuina terminans humanitatem, dicitur humana. Sed præterea obijcitur. 16

Sequitur quòd saltem ratione erunt in Christo duo supposita, & quatenùs est humanum, suscipiet prædicationem eorum, quæ Christo ratione humanitatis cõueniunt, & non ratione Diuinitatis, cùm mente sint separata, & quà Diuinum, erit susceptiuum eorum, quæ à Diuinitate oriuntur, & nõ ab humanitate: sed hoc damnatum est in Concilio Ephesino. 1. Can. 4. ergo &c. Resp. quòd licèt suppositum & Persona Verbi, quà 17

Diuina,

Diuina, distinguatur à se ipsa, vt est humana, secundùm rationem; nihilominùs tamen etiam per intellectum duo supposita concipi non possunt, cùm sit in Christo vnica duntaxat personalitas, duplicem terminans naturam, & ideò non verè potest concipi personalitas humana, & nõ Diuina, cùm sit tantùm vnica.
18 Itaque Persona Verbi non dicitur humana propter aliam personalitatem conceptam præter Diuinã, sed propter eandem, vt terminantem naturã humanã. Vnde in Christo tantùm potest concedi diuersa ratio subsistendi, & hoc non est inconueniens; nam præsupposita in Christo diuersa natura in ordine ad vnicam subsistentiam terminantem vtramque, intelligitur subsistendi ratio eiusdem subsistentiæ diuersa. Quare cùm saluetur vnicum subsistens, & vnicum suppositum mediante vnica subsistentia, nihil prædicatur de Christo Deo, quod de Christo homine absolutè & simpliciter non prædicetur propter identitatem suppositi, quamuis propter diuersitatem naturæ, & hanc diuersam rationem subsistendi aliquid dicatur de Christo, vt est suppositũ Diuinũ, quod nõ dicitur de ipso, vt est suppositum humanũ, vt V.G. immortale dicitur de Christo, vt est suppositũ Diuinum, & non humanum, & è contra, mortale dicitur de eodem, vt est humanũ, & nõ Diuinũ suppositũ.

19 Ad secundam cõfirmationem patet responsio ex dictis; cùm enim dicitur, in Christo esse suppositũ humanum, non est sensus, quòd sit propriũ humanitatis suppositum; sed quòd illud suppositũ Diuinũ est etiam humanũ ratione humanitatis. Atque ideò in Christo vnũ & idem suppositum est Verbi propriũ, & alienum humanitatis: & quia alienum, non simpliciter cõstituitur per humanitatem, sed solùm, inquantùm est homo.

20 Ad secundum principale negatur cõsequentia, & ad probationem Resp. quòd neque illa persona, quæ est ab æterno, resultat in tempore, neq; illa formaliter, quæ resultat in tempore, est ab æterno, sed quæ erat ab æterno, fit persona humana: vt autẽ dicatur resultare noua persona, vel nouiter, sufficit, quòd persona præexistens denuò terminet naturam, & ex hoc consideratur, & est noua ratio personæ, quæ antea non erat: sed non requiritur quòd de nouo fiat persona absolutè. At vt sit alia persona, requiritur, quòd sit aliud subsistens in diuersa natura: & hoc non est de Chisto dicendũ. Itaq; ista consequentia non valet. Fit in tempore persona humana, ergo fit persona: quia ad veritatem antecedentis satis est, Verbum denuò terminet humanitatem. Consequens autem denotat, quòd fiat simpliciter persona, id est, post non personam resultet persona: sicut etiam non valet in Physicis: Fit album, & album est ens: ergo fit ens. Similiter non sequitur: Fit hic homo, & hic homo est Deus, & ens; ergo fit Deus, aut ens. Imò neq; valet. Fit, aut resultat noua persona: ergo resultat persona, aut fit alia persona: quia ad veritatem antecedentis sufficit noua terminatio personalis humanitatis: ad veritatem autem consequentis requiritur, quòd persona resultans sit diuersa in suo esse personali.

21 Ad replicam contra solutionem in argumento assignatam Resp. concedendo, hanc vnionem habere nouũ terminum, denuòq; resultare hunc hominem singularem, & nouam personam, hoc est, denuò personantem; negatur tamen quòd sit diuersa persona propter rationem assignatam. Similiter etiam negatur, Christũ esse hoc, & hoc indiuiduum substantiæ, aut hanc, & hanc singularem substantiam, sed est hoc indiuiduum subsistens in hac, & illa natura substantiali, & sic est aliter terminans.

Ad primam confirmationem Resp. quòd si vnio esset formaliter productio, rectè sequeretur: Est vnio substantialis noua: ergo productio nouæ substantiæ indiuiduæ nondum existentis: nõ tamen est productio, & ideo ex illa sequitur vnum substantiale. Quòd autem resultet vnum substantiale, potest esse, vel quia fit, quod non erat, vel quia in vno esse substantiali coniunguntur aliqua, vnde resultet, aut sit vnum. Ex qua etiam vnione habet in natura assumpta, quidquid est de ratione personæ, quoniam habet subsistere, & esse incommunicabilem alteri supposito creato, & tandem esse suppositum rationalis naturæ. Sed non habet propriam personalitatem creatam, neque ex tali vnione resultat, quia hoc non est necessarium, vt persona humana resultet. Itaque resultat vnum substãtiale, incommunicabile in natura rationali, non tamen resultat noua substantia, vt dicit subsistentiam, neq; noua hypostasis diuersa à præexistente. 22

Ad secundam confirmationem negatur antecedens, quia eadem est personalitas in Christo constituens Diuinam & humanam personam, & solùm est diuersitas ex parte naturæ, & in modo terminandi, quia Personalitas Verbi terminat Naturam Diuinam sine vlla cõpositione, & cum omnimoda identitate terminat naturã humanam sibi extrinsecam in tempore, interueniente tamen aliqua compositione. Hæc autem differentia sufficit, vt rationes sint diuersæ, & vt persona habeat diuersas rationes personales, non autem vt absolutè sit diuersa persona. Esset tamen diuersa, si omnia constituentia differrent, aut si ipsæ naturæ essent rationes formales totaliter constituentes, tunc enim differrent personæ, sicut naturæ, quæ constituerent. Quia tamen natura non est, quæ constituit personam, sed potiùs ipsa natura terminatur, & completur per subsistentiam Verbi: non sequitur, personas differre secundùm naturarum diuersitatem. Exemplum autem adductum potiùs est pro nobis, nam si modò ex personalitate Petri, & natura Pauli fieret tertia persona, esset quidem alia. At si persona Petri sua personalitate naturam Pauli terminaret, & sustentaret intra se, non esset alia persona. Et sic est in præsenti. 23

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm Persona, vel hypostasis Christi post Incarnationem sit composita.

CONCLVSIO *est*. Si Persona Christi sumatur prout est in se, nõ est cõposita, si verò accipiatur secundùm rationem personæ vel hypostasis, est composita. *Probatur. Persona Christi considerata prout est in se, est ipsamet Natura Diuina, quæ est simplicissima: considerata verò vt hypostasis, est subsistens in duabus naturis;*

Digitized by Google

ergo est vnum subsistens, & alia, & alia ratio
subsistendi: ergo prout sic est composita.

Confirmat D. Thomas conclusionem authorita-
te D. Damasceni lib. 3. Fidei orthodoxæ cap. 3.
4. & 5. vbi ait. In Domino Iesu Christo duas natu
ras cognoscimus, vnã autem hypostasim ex vtraq;
compositam.

Primum argumentum D. Thomæ est. Persona
Christi est Persona Verbi: sed Persona Verbi est
simplex & non cõposita: ergo Persona Christi non
est cõposita. Distinguit D. Thomas minorem: quia
licèt Persona Verbi secundùm se sit simplex, ipsa
tamẽ secundùm rationem personæ, ad quã pertinet
subsistere in aliqua natura, vt sic, hoc est, prout est
Incarnata, seu terminus resultans per hãc vnionẽ,
est persona composita.

Secundum argumentum. Omnis compositio est
ex partibus; sed Diuina Natura nõ potest esse pars:
ergo neque componere, atque adeò Christus non est
compositus ex duabus naturis. Negat D. Thomas
maiorem, quia compositio per se ac necessariò non
requirit partes, sed solùm vt multæ res conspirent
ad vnum constituẽdum. Vnde hæc compositio non
est per modum partium, sed per modum numeri,
quatenus id, in quo duo conueniunt, potest dici ex
illis compositum.

Tertium argumentum. Quod componitur ex ali-
quibus, est illis homogeneum; sed in Christo duæ na
turæ componunt: ergo compositum erit aliqua natu
ra, & non persona. Respondet D. Thomas negãdo
maiorem, quia non est verum in omni compositio-
ne, compositum esse homogeneum componentibus,
sed in partibus continuis: nam continuum nõ com-
ponitur nisi ex continuis: animal verò componitur
ex anima & corpore, & tamẽ neq; est anima, neq;
corpus: & ideò licèt vnio sit facta ex natura, non
sequitur personam esse naturam.

Commentarius.

1 CONCLVSIO huius articuli, quãmuis non
sit dogma fidei, est certissima, vt iacet, abstra-
hendo à modo compositionis propriè, vel im-
propriæ. Et videtur definita in. 5. Synodo generali Ac-
tio. 8 Cano. 4. Vbi dicitur, vnionem hanc esse secũdùm
compositionem, & subsistentiam Verbi esse composi-
tam. Idem etiã repetitur Cano. 7. & in. 6. Synodo idem
habetur Actio. 4. Epistola. 1. Agathonis. Et in eodem
Concilio Actio. 11. in Epistula Sophronij, & Actio. 13.
cap. 6. & in Concilio Lateranensi sub Martino. 2. con-
sultatione. 4 vbi confirmantur Canones Synodi Ephe-
sinæ, & quintæ Synodi. Et consultatione. 5. cap. 17.
Damnantur illi, qui ea, quæ de Christo in his Concilijs
sunt definita, negant, propriè, & secundùm veritatem
dicta esse. Et ibidem Cano. 6. definitur, propriè & secun
dum veritatem, in duabus, & ex duabus naturis subsiste-
re: qui modus loquendi est frequens in prædictis Con-
cilijs. Illa autem particula, Ex, designat planè composi-
tionem. Confirmatur etiam ex modo loquendi Sanc- 2
torum Patrum, nam Dionysius cap. 2. de Diuinis nomi
nibus, *Ex qua,* inquit, *Ineffabiliter est composi-
tus.* Et cap. 3. de Ecclesiastica Hierarchia parte. 3.
Vnum, ait, *Illud, & simplex ad compositum, atque
visibile sine immutatione sui, per summã clementiam,
benignitatemq; processit.* Idem docet Damascenus
lib. 3. cap. 3. 4. & 5. & lib. Sententiarum cap. 49. vbi copu
lari dicit in Christo duas naturas componentes vnam
hypostasim. Hilarius. 1. de Trinitate. Et. 11. cap. 5. ait,
Quod homini acquirebatur, vt esset Deus, nũquid Dei-
tati illius? numquid humanitati? neutrum, sed homini
constanti ex vtroq;.* Idem tenet expressè D. Hierony.
in illud ad Ephes. 2. *Ipsius enim factura sumus.* Chry
sostomus homilia. 5. in Ioan. Iustinus de vera Fidei ex-
positione, Cyrillus Epist. ad Nestorium, Gregor. homi.
38. in Euãgelia Athanas. oratione, Quòd vnus sit Chris-
tus. Et Petrus Diachonus de Incarnatione & gratia cap.
3. affirmat, Christũ Dominum à Sanctis Patribus adu-
natione Diuinitatis, & humanitatis compositum præ-
dicari. Quod ait fuisse definitum in quodam Concilio
Antiocheno contra Paulum Samosatenum, cuius frag
mentum habetur. 1. tomo Cõcillorum ex Eusebio lib.
7. cap. 22. Alij autem Patres, quamuis nomine compo- 3
sitionis apertè non vtantur, vtuntur tamen alijs, quæ
perindè esse videntur, vt adunationis, copulationis ex
duobus, coniunctionis, vt est apud Chrysostomum ho-
milia. 10. in Ioannem, Iustinum lib. de Vera Fidei expo-
sitione, Nazianzenus oratione. 24. vocat commistio-
nem. Et oratione. 42. Vocat nouam misturam, & ad-
mirandam temperationem. Et Tertullianus de carne
Christi inquit, in Christo esse hominem mistum Deo.
Et Augustinus Epistola. 3. ad Volusianum, *Sicut ho-
mo,* inquit, *Est mistura corporis & animæ, ita*
&c. & lib. 4. de Trin. cap. 13. ait. *Dei Verbo ad vnitatẽ
commistus est homo.* Quæ loquutiones, quæ mistu-
ram, seu mistionem indicant, non sunt extendendæ, sed
piè interpretandæ, quas Patres solùm vsurparunt ad os-
tendendã veritatem huius cõpositionis. Ex quibus cõs-
tat, cõclusionem D. Thomæ, sicut iacet, esse verissimã,
De modo verò, quo Persona Christi est cõposita, dissen
tiũt Theologi, vt cõstabit Disputationibus sequẽtibus.
Circa responsionem ad secundum D. Thomæ aduer 4
tendum est, cõpositionem dupliciter sumi, vno modo
pro aggregatione multarum rerum ad aliquid vnum
efficiendũ; alio modo pro concursu multorũ in aliquo
vno, dũmodò illa multa inexistant. Hoc secũdo modo
intelligitur respõsio D. Thomæ, & hoc est quod dicit
ratione numeri: sed nõ priori modo, quia talis cõposi-
tio cõstat ex multis, tanquã ex partibus, Christus autem
nõ cõstat, ex Diuinitate & humanitate, tanquã ex parti
bus. Vnde sequitur, inconsideratè fuisse loquutum Impe
ratorem Iustinianũ, cùm inquit in Edicto ad Ioãnem
secũdum, & habetur tomo. 1. Conciliorum ad calcem,
Christum ex humana & Diuina Natura tanquam ex
partibus esse cõpositum. Sic enim ait. *Ex vtraque na- 5
tura, id est, ex Deitate, & humanitate vnũ Christũ cõpo
sitũ dicentes, cõfusionẽ vnitioni nõ introducimus, diffe
rentiã autem naturarũ, ex quibus cõpositus est, signifi-
camus, nõ interemptã propter vnitatem, quoniã vtraq;
natura

natura in Ipso est. Cùm enim cōpositionem dicamus, necesse est consiteri, & partes in toto esse, & totum in partibus cognosci, neque enim Diuina Natura in humanam transmutata est, neque humana natura in Diuinam conuersa est.* Itaque colligit Iustinianus sic duas naturas in vno Christo conuenisse, vt nulla sit effecta naturarum confusio, ex eo, quia Christum confitemur ex duabus naturis esse compositum: at compositio distinctionem partium requirit, quia necesse est partes esse in toto, & totum in partibus. Quibus Verbis aperte sentit Imperator Christum ex duabus naturis tāquàm ex partibus constare. Quare minus eruditè, &
5 Theologicè loquutus est, & ideò intelligi debet de partibus impropriè sumptis: vocat enim partes extrema cōponentia, & totū, cōpositū ex illis resultans. Et quòd impropriè fuerit loquutus, inde cōstat, quia in tota cōfessione nusquā idem repetitur, & manifestè patet, nullum ibi esse totū, & ex cōsequenti neq; partem, nō enim est totū integrale, neq; Physicū, neq; Methaphysicum: hoc est, definibile, neq; vniuersale, neque potestatiuum. In eodem sensu improprio etiā intelligendus est D. Damascenus lib. 3. Fidei cap. 4. cū inquit. *Christum interdū ex altera partiū nominamus, Deū, scilicet, solū, aut hominem.* Eodem similiter modo interpretādus est Nicetas in orationem 42. Nazianzeni, quæ est. 2. in Pascha Parag. Proinde agnus, vbi Diuinitatem vocat
6 partem, qua humanitas vncta est. Constat prætereà ex Philosophia, non omne componens esse partem: nam linea suo modo componit superficiem simul cum alijs partibus, & illa non est pars. Et subsistentia componit personam cum natura, & non est pars, sed modus, vel terminus naturæ. Ita in proposito, nec Diuinitas, nec Verbum potest dici pars Christi: quia nomen partis ex vi suæ significationis dicit quid incompletū, & imperfectius toto, & ab alia parte aliquo modo dependens.
7 Sed obijcitur. Totum componitur ex partibus, sed Christus est quoddam totum, ergo constat ex partibus. Item humana natura est vna pars Christi, ergo Natura Diuina erit altera. Resp. si totum sumatur, vt dicit relationem ad partes, sic Christū, vt constat ex humanitate & Diuinitate nō esse aliquod totū. Si verò sumatur totum, vt est quid completum, & perfectum, sic Christus est quoddam totum perfectum sine relatione ad partes. Neque humanitas potest propriè dici pars, sed est vna integra natura huius compositi; altera verò est Diuinitas, & vtraq; appellatur verè componens Christū, nàm cōponens latius patet, quàm pars, & non includit illas imperfectiones, quas indicat nomen partis.

PRIMA DISPVTATIO.

1 CIRCA istum articulum est prima Dubitatio de illa diuisione, qua vtitur D. Thomas dicens, Personam Christi dupliciter posse considerari, & prout est in se, & prout est hypostasis, vel persona. Hæc autem distinctio videtur insufficiens. Primò, quia membra inter se coincidunt in suis rationibus formalibus, nam Persona Christi, prout est in se, est hypostasis, & prout est hypostasis, est in se, & per se ergo.
2 Secundò. Persona Christi prout in se considerata, aut distinguitur contra suam personalitatem, & hoc non, quia sicut Persona Christi, prout est in se, est simplicissima, sic etiam sua personalitas, quia est Diuina: aut Persona Christi prout in se, distinguitur contra seipsam, vt subsistit in natura humana, & hoc dici non potest, quia in secundo membro accipitur Persona Christi, prout hypostasis absolutè & simpliciter, & non prout cōtracta ad naturam humanam: aut tertiò accipitur Persona Christi, prout in se est, quatenùs distinguitur cōtra personalitatem in communi, & neque hoc etiam affirmari potest, nam quod alicui conuenit ratione superioris quidditatiuè, conuenit illi secundùm se: sensitiuū enim secundùm se conuenit homini, quia ratione animalis conuenit. Si igitur Persona Christi, prout est hypostasis est quid commune, superius quidditatiuè ad Personam Christi, prout est in se, cùm Personæ Christi, prout est hypostasis, conueniat esse compositam, conueniet similiter Personæ Christi consideratæ prout est in se, esse compositam.
Caietanus Respondet, hæc duo membra opponi, & distingui ratione, & per primum intelligi Personam Christi, vt dicit ordinem ad intra, per secundùm verò intelligi eandem personam, non solùm prout dicit ordinem ad intra, sed etiā ad extra: ita vt hæc duo nō sint omninò disparata secundùm rationem, sed habeant se sicut includens & inclusum. Et ideò rectè dixit D. Tho. Personā Christi consideratam, vt dicit ordinem ad intra, esse simplicissimam, quia quidquid ad intra est, simplicissimum est. At verò considerata, prout dicit ordinem ad extra, est cōposita: quia vt sic non solùm subsistit in Natura Diuina, sed etiam in humana. Vnde argumenta nihil concludunt, quia Persona Christi secundo modo considerata, id est, prout hypostasis, non accipitur vt quid superius ad Personam Christi, prout est in se: sed vt includens aliquod extrinsecum, quod non includit Persona Christi, prout est in se, atq; ita nihil mirum, si aliquid conueniat personæ, prout est includens, quod ipsi non conueniat, prout illud non includit. 3
Cæterùm hæc solutio Caietani videtur insufficiens, & petere principium, quoniam Persona Christi considerata prout dicit ordinem ad extra, est iam composita: ergo idem est dicere, Persona Christi, prout dicit ordinem ad extra, potest intelligi composita, ac si diceretur, Persona Christi iam composita potest intelligi cōposita. Quòd autem Persona Christi, prout dicit ordinem ad extra, id est, ad humanitatem, sit iam composita, patet, quia hunc ordinem nō dicit ex natura sua, sed ex eo, quòd aliquid extrinsecum vnitur ei, & refertur ad ipsam: nisi enim humanitas vniretur Verbo, & ad ipsum relatione reali referretur, nunquam Verbum, etiam prout hypostasis est, diceret ordinem ad ipsam humanitatem. 4
Respondetur ergo, D. Thomam in hac diuisione nihil aliud voluisse, quàm nobis explicare duos cōceptus, qui in quacumq; persona, siue creata, siue increata reperiuntur: nam quælibet persona considerari potest, prout sustentat aliud, siue illud aliud sit distinctum realiter ab ipsa Persona, vt in creaturis, siue tantùm ratione, vt in Deo. Voluit itaq; docere D. Thomas, quòd sicut in ratione indiuidui duo cōsiderantur, & esse in se, hoc est, indistinctum à se, & distinctum à quolibet alio: & quemadmodùm ratio primi principij potest etiam dupliciter considerari, & prout est in se, id est, non ab alio, & prout dicit ordinem ad alia: hoc est, prout est efficiens aliorum; sic etiam in ratione personæ 5

subsistit, & quia in Christo est duplex natura, Diuina & humana, ideò in Christo est alia, & alia ratio subsistendi. Dicitur autem natura ratio subsistendi, non simpliciter, sed in tali specie. Vnde subsistentia est ratio subsistendi simpliciter, sine addito, & hæc tantùm est vna in Christo. Natura verò dicitur ratio subsistendi in tali specie, humana, vel Angelica, quia constituit personam, non formaliter in ratione Personæ, sed in ratione indiuidui talis speciei, vel essentiæ, & sic duplex natura Christi potest dici duplex ratio subsistendi in esse Per-
8 sonæ Diuinæ & humanæ. Addit insuper M. Medina, has duas rationes subsistendi in Christo non esse duas rationes reales, sed rationem subsistendi in natura Diuina esse relationem realem, nempe, Filiationem; per quam in esse Filij Dei constituitur; rationem verò subsistendi in natura humana esse relationem rationis, sicut est Filiatio, per quam Christus dicitur Filius B. Virginis per natiuitatem temporalem: de quo supra q. 35. art. 5.

9 Potest autem probari hæc sententia M. Medinæ, quia Verbum terminare naturam humanam est ratio propter quam est persona humana, sed hoc nihil reale est ex parte Verbi, ergo &c. Item, quia nihil reale est in Christo præter Verbum, & humanitatem, atque vnionem, nihil autem istorum est ratio personæ humanæ: ergo ratio personæ humanæ in Christo est aliquid rationis. Minor probatur: & de Verbo constat, non esse rationem personæ humanæ. De vnione etiam notū est, quia illa est medium & conditio, vt sit persona humana. De humanitate etiam probatur, quia est natura terminata; & ideò non est ratio terminandi, aut personandi seipsam, nā ratio personæ humanæ est, propter quam Ver-
10 bum subsistit in natura humana. M. Suarez oppositum tenet, nempe; rationem personæ humanæ esse realem. Alij autem Theologi negant hunc loquendi modum D. Thomæ, vt videre est in Dionysio Carthusiano in 3. d. 6. q. 1. vbi ait, non esse in Christo duplicem rationem subsistendi.

11 Pro explicatione aduertendum est, quòd sicut subsistentia est actus, & terminus naturæ, diciturq; per ordinem ad naturam, quam terminat: ita ratio subsistendi respicit naturam, & dicitur per ordinem ad illam, à qua denominatur, & speciem desumit. Quo fit, vt ratio subsistendi diuersificetur per ordinem ad diuersam naturam, & ex modo diuerso illam terminandi. Vnde intelligi non potest; quòd eadem ratio subsistendi, formaliter loquendo, terminet diuersimodè, aut diuersa ratione naturam diuersam, & quòd non diuersimodè terminet formaliter. Ac proinde si alia ratione terminat, necessariò debet esse diuersa ratio terminandi: & multò magis si aliam naturam aliter, atq; diuersa ratione terminat, vt contingit in Persona Verbi, quæ aliter terminat naturam Diuinam, quàm humanam; quia hanc terminat in tempore, eam sibi vniendo: atque adeò terminat alia & alia ratione: nam cùm natura Diuina, & humana inter se maximè, imò infinitè distent, eodem modo, & eadem ratione terminari nō possunt. Hoc præmisso sit Prima Conclusio.

12 Simpliciter & absolutè, & sine aliquo addito affirmandum est, in Christo esse duas rationes subsistendi, realiter illi conuenientes. Probatur prima pars. Christus simpliciter & sine addito subsistit in duabus, & ex duabus naturis, vt ostensum est secundùm fidem supra art. 1. huius quæstionis Disput. 1. Conclusione 2. ergo illæ duæ naturæ sunt illi rationes subsistendi. Ergo sicut est alia & alia natura, ita est etiā alia & alia ratio subsistendi. Secunda consequentia est manifesta, prima probatur; quia sicut subsistentia est ratio subsistendi simpliciter & sine addito, & hæc est vnica duntaxat in Christo, vt docet D. Thomas 4. Contra Gentes cap. 49. & apertè traditur in quinta Synodo Collatione 8. Can. 7. Ita natura dicitur ratio subsistendi in tali specie: sed in Christo est duplex natura: ergo est duplex ratio subsistendi in esse Personæ, Diuinæ & humanæ; seu in esse Dei, & hominis.

Secundò probatur: In Christo est alia, & alia ratio personæ; ergo est alia & alia ratio subsistendi in 13
duplici natura. Consequentia patet; quia ratio subsistendi in natura Diuina est esse Verbi, vt communicatum Naturæ Diuinæ; ratiò autem subsistendi in natura humana, est esse Verbi, vt communicatum naturæ humanæ. Antecedens autem probatur: In Christo est ratio Personæ Diuinæ, & ratio personæ humanæ, cùm Christus sit verè Persona Diuina, & verè persona humana, vt ostensum est art. 3. præcedenti; ergo in Christo sunt duæ rationes personæ. Tum etiam, quia non eādem ratione Verbum personat Naturam Diuinam, & humanam, ergo nō est eadem ratio personæ. Vbi enim est eadem ratio personæ, est eadem ratio terminandi, & personandi, atque constituendi suppositum.

Secunda pars conclusionis probatur, quia vtraq; ra- 14
tio subsistendi in duplici natura, & vtramq; terminādi, cōuenit Verbo in re, & secluso omni actu intellectus; ergo realiter conuenit illi vtraque ratio personæ. Antecedens patet, quia in re Verbū subsistit in Natura Diuina alio modo, quàm subsistit in natura humana: ergo illæ rationes realiter conueniunt Verbo. Vnde constat; licèt non sit certum secundùm fidem, ponere in Christo duplicem rationem subsistendi, esse tamen plusquàm falsum, illud negare, quia ex principijs fidei per certam consequentiam Theologiæ inferri videtur: nam certò creditur, esse in Christo duplicem rationem personæ, & Verbum dupliciter diuersam naturam personare. Fide etiam tenemus, Christum esse propriè Diuinam & humanam personam: ex quibus principijs certò deducitur, esse diuersam rationem subsistendi.

Secunda Conclusio. In Christo non est duplex subsis- 15
tentia, loquendo propriè de subsistentia, quæ est incōmunicabilis. Probatur. Subsistentia incommunicabilis, & personalitas idem sunt, vt communiter concedunt Theologi, sed in Christo non est duplex personalitas, vt est certum secundùm fidem: ergo neque duplex subsistentia. Maior probatur: nam subsistentia siue personalitas est, quæ constituit & complet personam. Et ideò ait D. Thomas 1. p. q. 39. art. 3. ad 4. Quòd forma significata per nomen, Persona, non est essentia, vel natura, sed personalitas; personalitas autem hoc modo nihil est aliud, quàm terminus & complementum naturæ & essentiæ, quæ est subsistentia in rationali natura. Cùm ergo in Christo sit vnica tantùm persona-
litas, non erit duplex subsistentia. Confirmatur: quia si 16
in Christo essent duæ subsistentiæ, necessariò essent duæ personæ, vt dicebat Nestorius, nam quælibet subsistentia constituit propriam personam. Item. Sicut

repugnat, vnam & eandem personam duplici personalitate constitui; ita similiter implicat, vnam & eandem personam duplici subsistentia terminari.

17 Sed obijcitur. Subsistentia est ratio subsistendi, sicut rationale est ratio hominis, & disgregatiuum visus est ratio albi: sed in Christo sunt duæ rationes subsistendi, ergo duæ subsistentiæ. Negatur consequentia, quia licet sint duæ rationes subsistendi quantùm ad exequutionem, & officium in hoc sensu, quòd Verbum duplici ratione subsistit in duplici natura, nō tamen est duplex ratio subsistendi in eo sensu, quòd sit duplex forma cōstitutiua subsistentis. Et ideò non sequitur, si est duplex

18 ratio subsistendi, sit etiam duplex subsistentia. Sed replicatur. Quælibet ratio subsistendi in Christo constituit verè personam, natura enim, vt diximus, cōstituit personam in ratione indiuidui talis speciei, vel essentiæ; ergo non solùm est ratio subsistendi in tali natura, sed etiam est forma verè constitutiua, & ex consequenti vera subsistentia, nam forma constitutiua personæ est subsistentia, siue personalitas. Negatur antecedens: & ad probationem Resp. non rectè concludi: Constituis personam humanam: ergo constituit personam: nam argumentamur à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter. Etenim constituere personam humanam, habet per hoc, quòd Verbum naturam humanam terminet, quod nō est fieri personā simpliciter, sed quòd Persona Verbi, quæ antea erat, vna & eadem perseuerans, denuò terminet naturam humanam, & in ea subsistat. Sed replica-

19 tur. Persona humana est simpliciter persona; sed Verbū constituitur in ratione personæ humanæ: ergo simpliciter constituitur in ratione personæ. Negatur consequentia, & committitur idem defectus, quia minor verificatur per hoc, quòd persona iam constituta in suo esse personali, denuò terminet naturā humanam, & in illa subsistat, hoc autem non est cōstitui simpliciter personam, sed tantùm secūdùm officium, & extensionem, quatenus persona præexistens extendit se denuò ad hu-

20 manitatem personandam. Vnde cùm istæ duæ rationes subsistendi nō diuidant rationem personæ simpliciter, tanquàm duæ species completæ alicuius superioris, ac proinde nec sint simpliciter duæ in ratione personæ & subsistentis: aliàs si essent duæ species, & duo indiuidua personæ, essent duæ personæ simpliciter, quod est hæreticum: necessariò dicendum est, in Christo esse vnicum subsistens simpliciter, & ex consequenti vnicam personam: subsistere verò in tali, vel tali natura, esse diuersum, sed non facere diuersam personam: quia Verbum subsistere in humana natura est tātùm ratio subsistendi secundùm quid; aliàs si esset simpliciter ratio, simpliciter faceret personam, & diuersam à præexistente. Dicitur ergo ratio subsistendi, quia exercet officium Personæ Verbi denuò terminantis naturam humanā, & in illa subsistentis absque vlla nouitate essendi in ipsa Persona Verbi.

21 Tertia Conclusio. Hæc duplex ratio subsistendi, quæ in Christo reperitur, est realis; quamuis vna ab alia sola ratione distinguatur. Probatur. Subsistere simpliciter, vel in tali natura, est effectus realis: ergo ratio subsistendi necessariò debet esse ratio realis in ipsis rebus existens; sed relatio rationis in re nihil est: ergo nequit esse ratio subsistendi. Item. Ratio propter quam Christus est subsistens in natura humana, est realis; ergo ratio subsistendi est etiam realis. Antecedens patet; quia ideò Verbum est subsistens in natura humana, & est persona humana, quia terminat naturam, ex quo etiam habet esse indiuiduum rationalis naturæ. Sed istæ rationes sunt reales; ergo ratio subsistendi in natura humana est etiam realis. Quod autem ratio subsistendi simpliciter sit realis, est per se notum. Insuper: quia in tempore factum est, quòd Verbum realiter subsistat in natura humana. Similiter ex vi generationis maternæ Christus realiter procedit, vt subsistens in natura humana, quod est, esse personam humanam: ergo ratio subsistendi in natura humana est realis in Christo.

Præterea. Aliud est considerare distinctionem inter duo extrema, aliud verò vtriusq; extremi realitatem. 22
Cōtingit enim, quòd duo extrema sint realia, & tamen eorū distinctio sit ens rationis formaliter sumpta: sicut homo & animal in Petro sola ratione distinguuntur, & eorum distinctio formaliter est ens rationis; licèt vtrumque extremum sit ens reale. Similiter Diuina attributa sunt entia realia, & eorum inter se distinctio est ens rationis. Ad eundem modum in Christo est duplex ratio subsistendi vera & realis, nō tamen realiter, sed sola ratione distincta: nam eadem Verbi Personalitas comparata ad Diuinam naturam est realiter subsistentia Diuina; ad humanitatem verò relata, est humana subsistentia, quatenus vicem subsistētiæ humanæ supplet, terminans, & complens humanitatis dependentiā. Et per seipsam, & per suam entitatem relatiuam Diuina Verbi proprietas exequitur in omnibus humanæ subsistentiæ officium, sublatis imperfectionibus.

Et quamuis ex hoc consurgat in ipsa relatio & respectus rationis ad humanitatem, nō tamen ex illo respectu formaliter habet, quòd sit humana subsistentia, licèt explicari nequeat ratio subsistentiæ humanæ in Christi Personalitate, nisi cum tali respectu: quoniam Personalitas Verbi seipsa, eo quòd est infinita in ratione personalitatis, complet, & terminat humanitatis dependentiam, & exequitur humanæ subsistentiæ officiū. Respectus autem rationis concomitanter, & cōsequenter se habet, neque ingreditur humanæ subsistentiæ rationem. Est simile. Sicut Deus per suam omnipotentiā, & non per relationem rationis creaturas produxit, & creauit; quamuis ratio creatoris nisi per respectū Dei ad creaturas intelligi nō possit: ita Verbum per eādem personalitatem relatiuam, qua in semetipso est Diuina Persona, terminat naturam humanā, & eius dependentiam complet, atque adeò habet rationem humanæ subsistentiæ: quæ quidem ratio est vera & realis, quia est ipsa Verbi Personalitas, terminans & complens humanitatem: quod totum est reale, non tamen realiter, sed sola ratione à seipsa distincta. Et sic est intelligendū decretum quoddam quintæ Synodi generalis Canone 7. vbi definitur, hypostasim Christi sola consideratione multiplicari.

Sed obijcitur. In Christo est duplex hypostasis secundùm rationem distincta, vt constat ex præallegato Cōcilio: ergo de fide est in Christo reperiri duplicem subsistendi rationem. Patet consequentia; quia fieri nō potest, vt sit duplex hypostasis, id est, duplex persona secundùm rationem distincta, quin etiam sit ibi duplex ratio subsistentiæ personalis, nam subsistentia personalis. est

est proprium personæ constitutiuum, quo sublato non remanet persona. Resp. Licet non sit de fide; esse tamen maxime fidei consentaneum, distinguere in Christo duplicem rationem subsistentiæ; vt ostensum est conclusione prima.

26 Secundò Resp. Quòd si Verbi subsistentia consideretur vt distincta ab humanitate Christi, sic non habet duplicem rationem subsistentiæ; quia Verbi personalitas seipsa propter sui infinitatem terminat humanitatis dependentiam. Si verò consideretur, vt formaliter includit ipsam humanitatem, quam terminat; sic appellatur subsistẽtia humana, & ratione distinguitur à semetipsa, prout est subsistentia purè Diuina: nam sicut Suppositum Verbi in cõcreto consideratum, quatenùs humanitatem formaliter includit, est homo verè, & ratione distinguitur à seipso, vt est purè Diuinum Suppositum; quoniam in suo formali conceptu aliquid includit, quod in conceptu ipsius Verbi, vt purè Diuini, non includitur; ita Suppositalitas Verbi in abstracto sumpta, prout includit humanitatem terminatam, & completam, nequit non distingui ratione à seipsa purè considerata: & hoc negare est erroneum in fide. Et in hoc posteriori sensu explicanda est definitio ex 5. Synodo generali adducta. Sic Respondet M. Vincentius. q. 7. de Gratia Christi: & fauet M. Suarez in hoc articulo Disput. 7. Sectio. 4. Consectario secundo.

27 Sed hæc solutio mihi non placet, quia ratio subsistendi in natura humana, si illam formaliter & intrinsecè includit, realiter, & formaliter distinguitur à subsistentia Diuina, cùm aliquid reale claudat in sua ratione, quod non includit ipsa subsistentia de se. Vnde alij Thomistæ probabilius reputant, quòd ratio subsistendi in natura humana formaliter & intrinsecè non includit in sua ratione & essentia naturam humanam, sed illam tantùm connotat tanquàm terminum ipsius subsistentiæ, vel rationis subsistendi. Subsistentia enim, & ratio subsistẽtiæ respiciũt naturã, vt supra ostẽsum est in obseruatione antè primã conclusionẽ. Et colligitur ex D. Thoma, qui in hoc articulo loquitur de ratione subsistẽdi in natura humana; ergo vt sic solùm importat rationẽ terminãtẽ naturã humanã, in qua ipsa natura est extrinseca, & extrinsecè connotata. Imò verò est abusus terminorum dicere, quòd ratio terminandi naturam, in suo conceptu formali & essentiali includat ipsam naturam, sicut asserere, quòd ratio videndi colorem essentialiter includit visionem, & colorem. Sed de hoc latiùs Disputatione sequente.

28 Ad argumentum ergo negatur antecedens, quia licèt hypostasis Verbi, quà Diuina, distinguatur ratione à seipsa, prout est humana, non tamen potest concipi duplex hypostasis etiam per intellectum, cùm in Christo tantùm sit vnica subsistentia personalis duplicem terminans naturam, & ideò nequit verè concipi subsistentia personalis humana, & non Diuina; cum sit duntaxat vnica. Itaque persona & hypostasis verbi non dicitur humana propter aliam subsistentiam conceptam præter Diuinam; sed propter eandem, vt terminantem naturam humanam, quam extrinsecè connotat, vt terminum. Et ideò in Christo est duplex ratio subsistendi in duplici natura, quam terminat; sed non duplex subsistentia personalis, neque duplex persona, & hypostasis etiam per considerationem. Et ad hunc modum interpretandum est decretum illius Concilij citati.

Ex dictis constat, qua ratione sit intelligendus Caietanus, nam cùm dicit, Christum non subsistere simpliciter ex natura humana, vult dicere, Christum non habere à natura humana, quòd simpliciter subsistat, cùm per Diuinam naturam ab æterno simpliciter subsistat, & dimissa humanitate subsisteret etiam simpliciter. Legendus est Caietanus articulo secundo huius quæstionis, vbi explicat, quomodò subsistere in humana natura non est subsistere simpliciter, sed supponit subsistere Diuinæ Personæ. Et potest esse exemplum in anima rationali, quæ existit in toto, & illi suam existentiam communicat; & nihilominùs non dicitur anima simpliciter existere, quia in toto existat, nam supponitur eius existentia. Itaque non negauit Caietanus, Christum subsistere in duabus, & ex duabus naturis: sed affirmauit, Christum non subsistere simpliciter ex duabus naturis, & in duabus, sed tantùm ex vna, & in vna, nempe, Diuina; & sic nihil periculi habet doctrina Caietani. Reliquum est dissoluere argumenta in contrarium. 29

Ad primum argumentum Resp. Quòd licèt in Christo sint duæ rationes subsistendi, non tamen sunt duæ subsistentiæ; quia subsistentia secundùm rem dicit personalitatem; ratio verò subsistendi dicit ordinem ad nostrum intellectum. Et ideò cùm in Christo secundùm rem sit vnica tantùm personalitas, & subsistentia realis, & hæc eadem ratione distinguatur à nobis, prout terminat Diuinitatem, vel humanitatem; idcircò ipsa, vt est realis subsistentia, est ratio subsistẽdi vtriúque naturæ, ac proindè est in Christo duplex ratio subsistendi, sed non duplex subsistentia. 30

Ad primam confirmationem Resp. Diuinam Christi Personam simpliciter subsistere per solam Deitatem, ad modum explicatum cum Caietano: subsistere verò per humanitatem, non simpliciter, sed in tali natura, quod supponit subsistere simpliciter Diuinæ Personæ. Potest etiam dici subsistere simpliciter per humanitatem, si ly Simpliciter, idem sit quod substãtialiter: quia aliquid esse, aut fieri substantialiter, idem est, quod esse, aut fieri simpliciter: quia substantia est ens simpliciter; quare cùm vnio humanitatis ad verbum sit substantialis, fit, vt verbum esse hominem, quod ex illa vnione resultauit, sit esse aliquid substantialiter, & ex consequenti simpliciter. 31

Ad secundam confirmationem Resp. eodem modo: cùm enim dicunt Theologi, naturam humanam non tribuere subsistentiam Verbo, sed potiùs trahi ad Verbi subsistentiam, nihil aliud volunt, quàm quòd Verbum ab humanitate subsistentiam simpliciter non sortiatur, sed solùm in tali natura. At in alio sensu dicitur humanitas tribuere subsistẽtiam simpliciter, hoc est, substantialiter: vt explicatum est. 32

Ad secũdũ principale, M. Medina in hoc articulo Dubio. 3. ad. 2. Respondet, concedens esse duas definitiones Personæ Diuinæ & humanæ: nihilominùs non numerari ipsas personas: sicut de homine dantur duæ definitiones, vna Physica, & altera Methaphysica, & tamen non sunt duo homines. Sed hæc solutio non satisfacit, quia definitio Physica, & Methaphysica eandem essentiam & rationem important, licèt diuerso modo explicatam: at Persona Diuina, & persona humana sunt duæ 33

rationes diuersæ, quæ etiam diuersas exigunt definitiones, cùm neutra alteram de se includat, sed sint rationes diuersæ, & accidentario copulentur.

34 Resp. Ergo ad argumentum, quòd licèt sint duæ definitiones Personæ Diuinæ, & humanæ, nō tamen sunt duæ subsistentiæ, & personalitates, quod erat necessarium, vt essent duæ personæ, quia illæ definitiones non explicant subsistentiam, sed modum subsistendi & contingit, vt eadem numero subsistentia manens inuariata, diuersum modum terminandi sortiatur. Vnde neque est inconueniens concedere, has definitiones esse realiter diuersas, & ex natura rei, quia neutra alteram de se includit, & ex alia parte, vna in sua ratione aliquid reale includit, quod altera non includat. Idem etiam dicendum est de suis definitis formaliter cōsideratis; nam sicut se habent definitiones inter se, & in ordine ad definita, sic etiam se habent definita formaliter in se, & in ordine ad suas definitiones. Et probatur: nam Christus, vt persona humana, in suo conceptu includit humanitatem, similiter etiam includit, quòd humanitas sit realiter terminata, & completa per Verbi Personalitatem, perinde ac si terminaretur per propriam personalitatem; sed Persona Diuina in sua ratione nihil horum includit: ergo definitiones, & diffinita sunt diuersa.

31 Sed obijcitur contra hanc solutionē. Ergo in Christo distinguuntur realiter Persona Diuina, & humana, quod aduersatur definitioni 5. Synodi generalis, quòd hypostasis Christi sola consideratione multiplicatur. Neganda est consequentia, quia aliud est loqui de hypostasi Christi, aliud verò de Christo, vt est Persona Diuina, & persona humana. Hypostasis enim Christi sola ratione & consideratione multiplicari potest ad sensum supra explicatum, quia per hoc quòd terminat naturam humanam, nihil acquirit, neq; in aliquo mutatur, sed solum induit habitudinem rationis, & nouam denominationem, eo quòd personat naturam creatam, & hoc intendit definire concilium. Christus autem, vt est persona humana, includit aliquid reale, per quod in ratione humanæ personæ constituitur, quod non includit, vt est Diuina Persona. Et ita conceditur, illud, per quod Christus formaliter est persona humana, esse aliud ab eo, per quod est Diuina Persona, sed inde non sequitur, quòd sit alia, & alia persona, aut duplex suppositum absolute, nam quemadmodum album, & dulce in pomo nō multiplicat supposita, aut entia; sed vnum & idem est album & dulce; nihilominus rationes, & formæ, quibus est album, & dulce, sunt diuersæ etiam entitatiue: ita in præsenti proportionabiliter dicendum est.

36 Ad confirmationem negatur paritas rationis, quia relationes Spirationis, & generationis in Patre sunt reales, & realiter in illo existunt, & diuersos terminos respiciunt, & hoc sufficit, vt verè sint, & dicantur duæ relationes: nomen autem numerale non importat ibi diuersitatem in genere entis, sed in genere relationis. At in Verbo sola ratio Diuinæ Personæ importat in eo aliquid reale, non verò ratio personæ humanæ: quia denominatur persona humana denominatione extrinseca, & ideo neque Verbum est duplex persona, neque in illo est duplex subsistentia personalis, cùm non sit in eo duplex terminus substantialis naturæ, bene tamen est duplex ratio subsistendi.

Ad tertium Resp. Tantùm probare, quòd in Christo sint duæ rationes personæ & suppositi, sed non probare, quòd sint duæ personæ realiter constitutæ. 37

Ad confirmationem Resp. Diuinam Personam non pendere à duabus naturis absolutè, sed in eo tantùm, quòd sit Persona simul Diuina & humana, quia natura requiritur ad personam, & diuersa natura ad diuersam personam, vel ad diuersam rationem personæ. Et ideo nullum est inconueniens, quòd vna numero persona pendeat nunc ab vna, nunc à duabus naturis, si diuersam habeat rationem personandi & subsistendi, & nunc terminet vnam naturam, deinde aliam. 38

Ad argumenta proposita in fauorem Medioæ, Resp. Quòd laborant in æquiuoco: quia aliud est considerare; id, quod Verbum in se habet, prout terminat naturam; aliud verò, quod includit, quatenùs est persona humana. Priori modo nihil reale acquirit, sed solùm respectum rationis. Posteriori autem modo aliquid reale habet, quod est ratio, propter quam dicitur persona humana. Vnde falsum est, quòd terminare actiuè naturam humanam, vt se tenet ex parte Verbi, sit ratio personæ humanæ, sed potiùs est, naturam esse terminatā à Verbo, & per subsistentiam Verbi subsistere, quod est aliquid reale; imò verò terminare actiuè, aut personare, aliquid reale est: est enim Deum fieri hominem, & in facto esse est, Deum esse hominem, Deus autem realiter factus est homo, & nunc realiter est homo, sicut realiter Deus creat: & ita hæc prædicatio, Deus est homo, est realis, & non secundùm rationem: licèt in Deo nulla realis mutatio, aut perfectio de nouo ponatur, nisi sola relatio, & respectus rationis. 39

Ad secundum patet Responsio ex dictis; ratio enim personæ humanæ in Christo non est Verbum, neque vnio, neque humanitas, sed naturam humanam personari, & terminari à Verbo, seu Verbum fieri hominem, vel Deum esse hominem. 40

DISPVTATIO TERTIA.

DEINCEPS Differendum est de compositione Personæ Christi, & quia in Christo Domino est multiplex compositio, aduertendum est dupliciter posse intelligi, Christum esse compositum propriè & verè post Incarnationem. Primò, vt dicatur compositus ratione solius naturæ humanæ, nempe, quia assumpsit humanitatem compositam ex materia & forma, & Christum esse hac ratione verè & propriè compositum, nullus vnquam Catholicus dubitauit, sicut est de fide esse verum hominem ex anima rationali & humana carne subsistentem: aliàs esset incidere vel in errorem Apollinaris dicentis, Verbum assumpsisse carnem sine anima rationali, ipso Verbo vicem animæ gerente: vel in errorem Manichæorum affirmantiū, Verbum assumpsisse animam sine vera carne cum Phantastica & apparenti. 1

Item certum est, Christum esse verè & propriè non solùm compositum ex materia & forma, sed etiam ex natura & indiuiduo, & ex subiecto, & accidenti, quoniā humana Christi natura & est singularis, & in seipsa habet, & recipit omnia sua accidentia. Similiter est certum, Christum vt hominem constare ex genere & differentia, quæ est Methaphysica compositio, constat enim ex animali, & rationali, cùm sit Christus animal rationale, 2

rationale, sicut Petrus. Vnde huiusmodi compositiones, quæ ad solam Christi humanitatem referuntur, ad præsentem disputationem non pertinent, sed de illa tantùm compositione differendum est, quæ ad Christi Personam attinet, quatenus subsistit in duplici natura, nempe, Diuina, & humana: quæ compositio quatuor modis potest considerari. Primò, quòd extrema compositionis sint ex vna parte ratio subsistendi in natura Diuina, & ex alia sit ratio subsistendi in natura humana. Secundò, quòd ex vna parte sit humanitas, & ex alia Diuinitas. Tertiò, vt compositionis extrema sint ex vna parte humanitas, & ex alia ipsa Verbi Personalitas, quæ est proprietas relatiua constituens Diuinam Verbi Personam. Quartò, quòd humanitas sit vnum extremum, & Verbum Diuinum sit aliud. De his omnibus compositionibus sigillatim tractandum est. Et de priori inquiritur in hac tertia disputatione.

3 An Christus sit compositus in ratione personæ terminantis naturam Diuinam & humanam duplici ratione, & in illis subsistentis, ita vt compositio conueniat Verbo per diuersam rationem subsistendi, taliter quòd in hac compositione non concurrat humanitas, vt componens, sed vt terminus rationis subsistendi. Subsistentia autem Verbi censeatur composita, ex eo quòd induit duplicem subsistentiæ rationem, alteram per ordinem ad naturam Diuinam, & alteram per respectum ad humanam, quam actu terminat: quæ humanitas in hac compositione non intret formaliter, sed tantùm terminatiuè, quatenus est terminus habitudinis, vel relationis vnionis, quam Verbum habet ad ipsam humanitatem: ita vt ipsa Verbi Persona intelligatur composita ex eo solùm, quòd eius subsistentia, vt terminans duas naturas, dicatur esse duplex subsistendi ratio. Pro parte autem negante sit primum argumentum.

4 In omni compositione alterum extremum habet se vt actus, & alterum, vt potentia; sed istæ duæ rationes subsistendi in Christo non habent rationem actus & potentiæ, neque sunt partes alicuius totius; ergo non sunt extrema componentia Personam Christi. Maior est D. Thomæ 1. p. q. 3. art. 7. & 8. Minor verò probatur; quia ratio subsistendi in natura Diuina neque est pars, neque actus alterius rationis subsistendi in natura humana.

5 Confirmatur. Persona non dicitur composita, nisi eius subsistentia personalis intret compositionem; sed repugnat, subsistentiam Verbi intrare compositionem: ergo &c. Minor probatur, quia componens habet rationem potentiæ, imò rationem partis, vt colligitur ex D. Thoma loco citato: sed subsistentia Verbi, siue sit ratio subsistendi in Natura Diuina, siue in humana, nequit habere rationem potentiæ; aut partis: ergo.

6 Secundò. Ratio subsistendi in natura humana nihil aliud est in ipsa Persona Verbi, quàm relatio & respectus rationis; sed relatio rationis nequit esse extremum compositionis realis, qualis est hæc, de qua agitur; ergo nulla datur in Persona Verbi compositio ex vtraque ratione subsistendi. Respondebis forsam, quòd sicut materia, & priuatio sunt duo principia rei naturalis, saltem in fieri, quamuis priuatio de formali negationem importet: ita in Christo est duplex ratio subsistendi realis, & ex consequenti realis compositio subsistentis, licèt subsistere in natura humana nihil reale ponat in Verbo, sed satis esse, quòd fundamentaliter sit aliquid reale. Sed contra hanc solutionem sit tertium argumentum.

7 Istæ duæ rationes subsistendi solùm distinguuntur per intellectum, & secundùm denominationem, & habitudinem ad diuersas naturas; ergo non faciunt compositionem realem personalem, qualis est ista, quæ ponitur in Persona Verbi. Antecedens patet ex dictis Disputatione præcedente. Consequentia verò probatur; quia compositio realis ex realibus componentibus debet resultare; ergo ponere Personam Verbi compositam realiter, est ponere componentia realia & diuersa realiter, & ex consequenti non erit duntaxat ipsa natura humana in ratione termini, neq; sola habitudo termini ad naturam humanam terminatam; quia hæc est ens rationis.

8 Confirmatur, quia exemplum adductum de duplici principio rei naturalis, nō facit ad rem, quoniam vtraque ratio subsistendi in Christo est realis, vt ostensum est Disput. 2. conclus. 3. & patet; quia realiter & formaliter Christus terminat naturam humanam, & realiter etiam terminat Diuinam: ergo subsistentia Diuina nullatenus se habet vt priuatio, quæ in negatione formaliter consistit.

9 Quartò. Si hæc distinctio posita inter rationes subsistendi est sufficiens ad veram & realem compositionem efficiendam, sequitur, in actionibus Diuinis esse veram, & realem compositionem, vt V. G. in actu & ratione generandi Filium, & actione producendi mundum: sed consequens est absurdum: ergo. Probatur sequella. Ibi distinguuntur duo actus, & duæ rationes, quarum prima est realis etiam formaliter, secunda verò est fundamentaliter realis, pro formali verò est respectus rationis: ergo erit compositio, sicut in præsenti, vbi est duplex ratio subsistendi, altera omninò realis, altera verò realis fundamentaliter, pro formali verò, rationis. Dices, actiones generandi, & creandi in Deo non esse coordinatas, vt actum, & potentiam. Sed hoc non obstat: quia sicut ratio subsistendi in natura creata est subordinata subsistentiæ Verbi in natura Diuina, & ex ordine ad illam sumit suum esse; ita productio rerum ad extra subordinatur productioni Verbi, & per Analogiam & dependentiam ab illa, habet, quidquid habet.

10 Quintò: quia nulla potest intelligi compositio in Christo, si humanitas non sit extremum verè componens. Probatur, quia Sancti Patres, & Concilia, ex quibus colligitur illa sententia, quæ veram in Christi Persona compositionem constituit, duas naturas, Diuinam, scilicet, & humanam respiciunt, ex quibus dicunt Christi Personam componi; ergo natura humana nō solùm est terminus compositionis, aut rationis subsistendi; sed est extremum verè componens.

11 Confirmatur, quia si humanitas secludatur ab altero extremo compositionis, nempe, ab humana subsistentia, nihil reale manet in vno extremo, quod non sit in alio: etenim humana subsistentia in hoc sensu considerata nihil reale includit, quod Diuina subsistentia non includat, subsistentia enim humana nihil addit supra Diuinam, nisi respectum rationis: ergo impossibile est, veram & realem compositionem ibi intelligi, si humanitas non sit verè componens.

Sextò.

12 Sextò. Ratio subsistendi in natura humana nihil ponit in Persona Verbi, nisi relationem & respectum rationis; ergo Persona Verbi non dicitur realiter composita ex tali ratione subsistendi in natura humana. Patet consequentia, quia respectus rationis non sufficit, vt Diuina Persona in se maneat composita compositione vera & reali.

13 Confirmatur. Sequeretur, quòd Deus diceretur compositus, per hoc quòd vnitur iustis per gratiã, aut beatis in ratione speciei intelligibilis, nam verè & realiter vnitur beatis, & est in viatoribus per gratiam; ergo in illo respectus rationis resultat. Quòd si hos sufficit, vt eius persona dicatur composita, sufficiet etiam, vt dicatur Deus compositus, quando est in iustis per gratiam, & gloriam. Vrgetur amplius argumentum ex D. Thoma in responsione ad secundum huius articuli, vbi dicit, compositionẽ conuenire Personæ Christi, non quia sit compositio partium, sed numeri, quæ reperitur, quoties aliquod conuenit duobus, quæ coniunguntur; ergo similiter Deus vnitus tanquam species, aut per gratiam dicitur compositus, siquidem ex tali vnione aliquid conuenit Deo, & creaturæ, vt vniuntur, & in vna ratione proportionali copulantur.

14 Septimò. Si Persona Christi est composita ex duplici ratione subsistendi in duplici natura; ergo aliquod esse acquirit ab illa duplici ratione componente: sed consequens est falsum, ergo. Sequella patet, quia esse compositi realis est aliquod vnum, verum, & reale, & illud est à cõponentibus: ergo si Persona Christi componitur ex duplici ratione subsistendi, habet aliquod esse in tempore à componentibus communicatum. Dices, hanc compositionem importare solam denominationem extrinsecam, non tamen formam intrinsecam, aut esse intrinsecum. Contra. Hæc compositio est realis, & componentia sunt realia, & realiter componunt, ergo esse compositi, quod in tempore resultat, non est denominatio extrinseca.

15 Confirmatur. Implicat, quòd aliquod fiat compositum ex non composito, quin aliquod esse, vel aliquem modum essendi nouiter acquirat; ergo Persona Verbi, quæ anteà erat simplicissima, ex compositione ex hac duplici ratione subsistendi, aliquod esse, vel aliquem modum realem essendi denuò acquisiuit, quod vtrumque repugnat Personæ infinitæ.

16 In hac difficultate M. Ioannes Vincetius q. 7. de Gratia Christi negat, vllam dari compositionem realem in Christo ex diuersa ratione subsistendi, & existimat esse impossibile, dari huiusmodi compositionem, taliter vt natura humana non intret in ratione compositionis tanquam alterum extremum componens, sed tantùm vt terminus compositionis. Et probat suam sententiam quinto argumento proposito, cum sua confirmatione. Eiusdẽ sententiæ est M. Suarez Disput. 7. Sectio. 4. Cõsectario secundo, vbi ait valde errare eos, qui in Persona Christi in duabus naturis subsistente, fingunt talem compositionem, in qua humanitas, vt alterum illius extremum intrinsecè non includatur, sed tantùm extrinsecè, tanquam terminus habitudinis, vel relationis vnionis, quam Verbum habet ad ipsam humanitatem: ita vt ipsa Persona Verbi intelligatur composita, ex eo solùm, quòd eius subsistentia, vt terminans duas naturas, dicitur esse duplex ratio subsistendi.

Probat autem Suarez, quia nulla compositio in Persona Verbi est intelligibilis seclusa humanitate, vt extremo compositionis; nam aliàs ipsa Persona Verbi esset in se mutata, & aliquid nouiter accepisset præter humanitatem, cum quo, vel ex quo intelligeretur facta cumpositio. Item, quia illa distinctio duplicis rationis subsistendi, seclusis naturis, non facit compositionem, cùm tantùm sit distinctio rationis, vel secundùm quandam denominationem, & habitudinem ad diuersas naturas. Quare tota compositio consistit in adunatione Verbi ad carnem, seu carnis ad Verbum, vt constat ex modo loquendi Conciliorum & Patrum. Alij autem recentiores Thomistæ oppositum sentiunt, quorum sententia his conclusionibus explicatur. 17

Prima cõclusio. Christus Dominus dicitur persona cõposita propter duplicẽ rationẽ subsistẽdi, quãuis hæc cõpositio non sit cõpleta & simpliciter. Hæc conclusio colligitur ex D. Thoma in hoc articulo; & quòad priorem partem constat ex eo quod dicis, Personam Christi esse compositam in ratione personæ, quoniam subsistit in duabus naturis. Et subiungit, quasi se explicans: quòd licet Christus sit vnus subsistens, est tamen ibi alia, & alia ratio subsistendi, & sic dicitur persona composita. Ex quibus Verbis desumitur argumentum pro priori parte conclusionis. In Christo est alia, & alia ratio subsistendi; & vtraque coniungitur in vno; ergo in Christo est compositio ex duplici ratione subsistendi. Consequentia probatur ex eodem D. Thoma in hoc articulo ad secundum vbi ait, omne illud, in quo duo coniunguntur, posse dici compositum. Item. Hæ duæ rationes formales subordinantur inter se, ita vt subsistere in natura humana supponat, & ordinetur ab subsistentiam Verbi in natura Diuina, ergo ibi est aliqua compositio. Patet consequentia, quia vbi duo realiter ordinantur in vno, est aliqua compositio. 18 19

Secunda pars conclusionis sic est intelligenda, quòd quemadmodùm compositio in genere consideratur in fieri, & in facto esse, & compositio in fieri est quasi incompleta, & quæ ad compositionem in facto esse reducitur: sic etiam in Christo est multiplex compositio, & prior est secundùm duas subsistendi rationes, quæ quidem est incompleta, & consummatur in ipso compositio includente duas naturas. Sic colligitur ex D. Thoma in hoc articulo, vbi probat, in Christo esse compositionem, quia in eo est alia, & alia ratio subsistendi. Et subiungit, sic dici personam compositam, inquantũ vnum duobus subsistit, quasi explicans primam radicem, & rationem compositionis in hoc, quòd sit duplex ratio subsistendi: & similiter declarans completam eius rationem in hoc, quod vnum duobus subsistit. Quò fit, vt hæc compositio duarum rationum subsistendi, incompleta, reducatur ad compositionem completam ipsarum naturarum in vno supposito, vt disputatione sequente explicabitur, & constat manifestè ex exemplo priuationis ab aduersarijs adducto. Priuatio enim, vt est pura priuatio, & quatenus consideratur in seipsa, non est principium essendi. Si verò perpendatur, vt ab illa incipit res, & vt ex materia priuationi subiecta producitur, dicitur principium illius, salsem in fieri; quod est, esse principium quasi incompletè, & veluti in quadam tendentia. Ad eundem modum istæ duæ rationes subsistendi præcisè consideratæ, & vt in se, nullam impor- 20 21

sant

Digitized by Google

tam compositionem. Si verò considerentur vt media, & rationes ad vnionem duarum naturarum in eodem supposito, censentur rationes proximæ compositionis, & censentur etiam causare compositionem incompletam, & quasi in fieri, quæ ad compositionem duplicis naturæ reducitur.

22 Secunda conclusio. Inter omnes compositiones, quæ Personæ Verbi conuenire, & accommodari possunt, formalior, & prior est hæc, quæ illi conuenit in ratione subsistendi. Hæc conclusio colligitur ex D. Thoma in hoc articulo, qui ex hac compositione tanquam ex prima & formaliori deduxit aliam compositionem Personæ Verbi ex duabus naturis. Sed quia hæc compositio non est simpliciter compositio in Christo, sed incompleta & imperfecta, vt dictum est conclusione præcedente; ideò D. Thomas non explicuit; An Christus per illam simpliciter esset compositus. Vnde in. 3. d. 3. q. 1. art. 3. ad. 1. Considerans compositionem personæ formaliter, inquit, personam non appellari compositam, quasi suum esse ex multis sit constitutum, sed quia ad multa se extendit, quæ ad illud esse assumuntur. Ex sententia ergo D. Thomæ, compositio Personæ Verbi formaliter, in eo consistit, quòd ad multa se extendat, & suum esse multis communicetur in vnitatem suppositi.

23 Sed probatur conclusio. Illa compositio personæ est formalior, quæ illi conuenit, quatenùs est persona, & prout munus personæ exequitur; sed compositio in ratione subsistendi conuenit personæ, quatenùs est persona, & secundùm quòd exercet munus & officium personæ: ergo illa est formalior. Minor probatur; quoniam ratio personæ principaliter consistit in ipsa subsistentia, & in ratione subsistendi. Similiter officium & munus personæ est personare; & terminare naturam; ergo compositio, quæ conuenit in ratione subsistendi, & terminandi naturam, est formalior & proximior, inter omnes, quæ Diuinæ Personæ attribuuntur. Sententia his duabus assertionibus explicata est verissima, & doctrinæ D. Thomæ magis consentanea, quàm sit opposita: quæ licèt conuincat, ex diuersis rationibus subsistendi non esse compositionem simpliciter & completam, eò maximè, quòd ratio subsistendi in natura humana non includit formaliter ipsam naturam, sed tantùm extrinsecè tanquam terminum habitudinis, vel relationis, quam Verbum dicit ad ipsam naturam humanam: non tamen penetrauit mentem D. Thomæ, neque ipsam veritatem attigit. Et ideò reiecta hac opinione satisfaciendum est argumentis in eius confirmationem adductis.

24 Ad primum igitur argumentum Resp. Compositionem completam, sicut ipsum compositum in facto esse, necessariò includere partes, aut componentia, quorum vnum se habeat, vt actus, & alterum, vt potentia: compositio verò incompleta, & quasi in via, non esse necessarium, quòd sit ex actu, & potentia, aut ex partibus, estò dicat ordinem & habitudinem ad partes, vel ad componentia, quæ tanquam actus, & potentia se habent. Et ideò diuersa ratio subsistendi est per ordinem ad diuersam naturam, & ad componentia in esse completo, & perfecto.

25 Ad confirmationem negatur minor, & ad probationem dicitur, quòd in compositione naturali componentia habent rationem potentiæ, aut partium, secus autem est in compositione ineffabili, cuiusmodi est ista, quæ neque in se, neque in toto, neq; in componentibus vllam dicit imperfectionem.

Ad secundum rectè satisfit in solutione ibidem assignata. Ad tertium Resp. Quòd vt aliqua compositio sit realis, & à parte rei, & in suo esse nullo modo dependens ab operatione intellectus, estò formale alicuius componentis sit rationis, sufficit, quòd fundamentum proximum rationis subsistendi in natura humana sit aliquid reale, & non rationis. Et ita in præsenti, ratio subsistendi, & terminandi naturam humanam, fundamentaliter est realis, & realiter componens, sicut & realiter terminans. Pro formali verò importat respectum rationis; quemadmodùm creare, realiter & fundamentaliter importat Diuinam actionem, formaliter verò dicit habitudinem & relationem rationis ad creaturam. Et ideò sicut creatio intelligi non potest sine ordine rationis, & nostro intelligendi more ex tali ordine & habitudine determinatur, & constituitur; & ab alijs Diuinis actionibus distinguitur; sic etiam ratio subsistendi in natura humana constituitur per respectum & relationem ad ipsam naturam, & per eundem ordinem ad eandem naturam distinguitur à ratione subsistendi in natura Diuina. 26

Ad confirmationem Resp. Exemplum adductum de priuatione, vt est principium rei naturalis, esse valdè accommodatum ad intelligendum, quo pacto possit esse compositio realis, quamuis formale rationis subsistendi in natura humana non sit aliquid reale, sicut materia & priuatio sunt duo principia realia, licèt formale priuationis sit ens rationis. 27

Ad quartum negatur sequella, est enim dispar ratio, quoniam actio creandi non est actio vnitiua, nec per quam effectus trahitur ad esse creantis, & ita non est compositio, neq; completa neque incompleta: quia compositio est per hoc, quòd plura in vno esse coniunguntur, aut saltem in ipsam coniunctionem proximè tendunt. In Persona autem Christi sunt duæ rationes terminandi, quæ etiam sunt media, quibus duæ naturæ coniunguntur in vno esse, & in vno supposito, & ita est compositio rationum subsistendi; licèt incompleta, quæ ad compositionem completam ipsarum naturarum in vno supposito reducitur. 28

Ad quintum Resp. Hanc compositionem Diuinæ Personæ inchoari in rationibus subsistendi, consummari verò in vnione duarum naturarum in vno supposito. Concilia autem, & Patres loquuntur de compositione completa, & consummata. Quòd si aliquando concederent compositionem in ratione subsistendi, dicendum est, illam esse veram compositionem, licèt imperfectam, & quasi in via. 29

Ad confirmationem Resp. Etiam in naturalibus veram reperiri compositionem, vbi vnum componens nihil reale addit supra aliud, vt est videre in rationalitate, quæ licèt gradum realem importet, quem non dicit animal, nihil tamen reale addit ad animal, quia animal, & rationale in homine sunt eadem realitas: vnde consequentia est nulla. Resp. Secundò: si rationes subsistendi considerentur præcisè, & vt non includunt naturam saltem vt terminum, nullam esse compositionem. Si verò comparentur ad naturas, quæ per Verbi Personam subsistunt & terminantur, esse realem compositionem, 30

tionem, quia realiter communicatur subsistentia Verbi vtrique naturæ, & vtriusque naturæ est terminus realis, quamuis ratio subsistendi in natura humana formaliter importet aliquid rationis.

31 Ad sextum negatur consequentia, & probationi dicitur, quòd sicut Verbum realiter vnitur humanitati, & est homo, & in se nihil acquirit nisi respectum rationis; ita similiter dicitur persona composita absque aliquo esse reali, quod sit in Verbo, & ex parte illius se teneat.

32 Ad confirmationem negatur sequella: quia Deus non vnitur iustis per seipsum immediatè terminans esse illorum, sed per gratiam, aut per lumen gloriæ, quod est quoddam accidens, & ideò ex tali vnione non resultat compositum. Quando autem vnitur intellectui beato in ratione speciei intelligibilis, etsi immediatè & per se ipsum vniatur intellectui; non tamen illi tribuit suum esse. Vnde sicut habitus & species non dicuntur composita, quia vniuntur potentiæ ad producendos actus; ita neque Deus dicitur compositus ex vnione ad intellectum. Si verò vniretur, vt subsisteret in aliqua natura, vel vt illi suum esse communicaret, tunc esset compositus. Itaque, licet concedatur, quamcumque vnionem duorum in vno, inferre compositionem saltem secundùm numerum, non tamen infert illam in componentibus, præsertim quòd compositio secundùm numerum, de qua D. Thomas ad secundum, nũ est in eo tantùm posita, quòd plura coniuncta numerentur in aliquo vno: aliàs esset in Trinitate compositio, cùm ibi numerentur tres Personæ in eodem esse realiter coniunctæ. Sed prætereà requiritur, quod vniantur in vno esse, in quo ordinatè concurrant in ratione actus, & potentiæ, aut saltem ita, quòd vnum alteri tribuat esse.

33 Ad septimum conceditur, ex omni compositione reali, præsertim completa & cõsummata resultare aliquid, vel aliqualiter esse. Et ita ex hac compositione resultat, Christum esse compositum in ratione personæ terminantis duplici ratione duplicem naturam, & in illis subsistentis. Vnde non est sola extrinseca denominatio illud, quod resultat ex hac compositione, quamuis in Verbo sit denominatio extrinseca hoc, quod est, illud esse compositum; quia compositio nihil ponit intra Verbum; sicut hoc, quod est fieri hominem, est quid reale, & non solùm denominatio extrinseca: in Verbo tamen nihil ponit; neque esse hominis, quod est reale, est aliquid intra Verbum. Et quemadmodùm Verbum realiter fit homo, & hoc fieri ex parte Verbi nihil est reale, similiter realiter est substantia, & homo, & tamen hoc esse nihil ponit intra Verbum, ita Verbum componi, aut esse compositum, est quid reale, sed non in Verbo, aut intra Verbum.

34 Ad confirmationem Resp. Quòd cùm fit compositum ex non composito, debet fieri aliquid, quod anteà non erat, vel qualiter anteà non erat: & ita Verbum fit subsistens duplici ratione, fit homo, & est Christus, quod antea non erat, sed non est necessarium, quòd in se aliquod esse nouum acquirat.

QVARTA DISPVTATIO. §. I.

VTRVM Persona Christi sit composita ex duabus naturis, Diuina, scilicet, & humana, tãquàm ex componentibus. Videtur vera pars negans. Primò. In omni compositione altera pars componens habet se vt actus, altera verò vt potentia: sed repugnat, naturam Diuinam esse actum, vel potentiam humanitatis; ergo componere cum illa. Minor probatur; quia Diuinitas nequit esse potentia, vt est per se notum. Quòd autem rationem actus habere non possit respectu humanitatis, patet; quia illam informare non potest, aut actuare; esset enim maxima Diuinitatis imperfectio talis actuatio, & informatio, quia fieri non posset absque ipsius Diuinitatis limitatione: nam forma per potentiam, quam informat, limitatur, & coarctatur. 1

Secundò. Ex natura humana & Diuina non resultat in Christo formaliter vnica persona, quæ sit Diuina & humana; ergo non est persona composita ex duabus naturis. Patet consequentia; quia persona ex aliquo, vel ex aliquibus est, quod ex illis resultet, & fiat. Antecedens verò probatur; quia nulla persona potest resultare ex natura creata & increata simul. 2

Tertiò. Ex naturis nihil potest componi nisi natura; ergo si in Christo datur compositio ex duabus naturis, resultabit ex illis vna natura: quod est Hæreticum. Antecedens patet, quia naturæ vt sic, nihil dicunt, quod ad constitutionem personæ spectet. 3

Quartò. In omni compositione compositum habet se vt formale respectu componentium: sed implicat, aliquid habere se vt formale respectu naturæ Diuinæ: ergo implicat, naturã Diuinam intrare aliquam veram, & realem compositionem. 4

Quintò. Componi ex aliquibus dicit concursum causalitatis, & dependentiam à componentibus, & præpositio, Ex, denotat causam materialem, vt dicitur. 1. Physicorum: sed neque Diuinitas, neque humanitas habent rationem causæ respectu Christi, neque ab illis dependet aliquod compositum: ergo &c. 5

Sextò. De ratione compositi, quod verè & propriè est tale, est, vt sit totum, & componentia sint partes; sed repugnat, naturam Diuinam habere rationem partis: ergo Christus componi non potest ex Diuinitate. Primò confirmatur. De ratione veræ compositionis est, vt componens sit simplicius composito; ergo si Persona Christi est composita ex natura humana, iam humanitas est simplicior, quàm Persona ipsius Christi. 6

Confirmatur secundò: quia compositum, vt sic, est posterius naturâ, & dependens à componentibus, & perfectius qualibet parte componente: ergo si Persona Christi ex humanitate est composita, erit posterior natura ipsa humanitate, & dependens ab illa, & ipsa Christi Persona erit perfectior quàm natura Diuina. 7

Septimò. In nulla compositione altera pars componens est idem realiter cum toto, quia totum addit realitatem vnius partis super alteram partem, vnde receptum est illud axioma: Omne totum est maius qualibet sua parte; sed Christus est omninò idem cum natura diuina, & realiter & formaliter hæc propositio est vera, Christus est Deus, & similiter ista, Christus est veritas, Christus est Deitas, & ideò Christus Ioan. 15. de seipso dixit. *Ego sum via, veritas, & vita.* Idem autem est dicere, veritas & vita, quod Deitas: ergo in Christo non reperitur vera, & propria compositio ex Deitate & humanitate, tanquam ex componentibus. 8

Octauò.

Digitized by Google

9 Octauò Extrema compositionis simul sumpta sunt ipsum compositum, & è contra, homo enim nihil est aliud, quàm anima rationalis, & corpus simul sumpta, dicere verò Christum esse duas naturas, nempe, Diuinam & humanam est Hæresis Ioannis Hus, damnata in Concilio Constantiensi, sess. 15. errore. 4. huius Hæretici: ergo Christus non est verè compositus ex humanitate & Diuinitate.

10 Circa istam controuersiam aduertendum est, omnes Theologos in tribus conuenire. Primum est, Christum non dici compositum ex Natura Diuina & humana tanquam ex partibus. Quod assertum est tanquam fidei dogma accipiendum, quia repugnat, naturam Diuinam esse alicuius partem, cùm hoc intrinsecè dicat imperfectionem. Sic docet D. Augustinus lib. 1. ad Simplicianum, vbi ait. *Christus vna Persona est geminæ substantiæ, quia Deus & homo est. Neque tamen Deus pars huius substantiæ dici potest, alioqui Filius Dei, antequàm susciperet formam serui, non erat totum, idest, perfectum, sed creuit, cùm homo eius Diuinitati accessit.* Hoc ipsum expressit D. Thomas ad 2. dicens, hanc compositionem non se habere per modum partis, sed vt numeri.
11 Et vt rectè obseruauit Caietanus, consultò dixit D. Thomas, hanc compositionem non esse numerum, sed habere se vt numerum, tum, quia omnis numerus est aliqua certa, & determinata species: at Christus non est in vna specie, sed ratione humanitatis est in specie humana, & ratione Diuinitatis esset in specie Diuina, si illius esset aliqua species. Tum etiam, quia vnitates numerum constituentes sunt in prædicamento reductiuè, sicut numerus ipse directè; at verò Deus nullo modo est in prædicamento. Dicitur ergo esse compositionem vt numeri, quia omnis multitudo habet se vt numerus, & hîc est multitudo naturarum in vna Persona Dei.

12 Consentiunt secundò omnes Theologi, Personam Christi cum assumpta humanitate non esse compositam accidentaria compositione, cuiusmodi est, quæ ex pluribus per se existentibus fit, quod similiter est certum secundùm fidem; quia iste erat modus loquendi Nestorij. Et præterea, quia aliàs sequeretur, esse in Christo duo supposita contra illud Athanasij. *Qui licèt Deus sit & homo, non tamen duo, sed vnus est Christus.* Vnde sequitur, nulla ratione dicendum esse, Christum esse duo, neque in genere masculino, neque in genere neutro. Non masculino, quia sequeretur, Christum esse duas Personas, & ob id neque etiam dicitur esse alium, & alium. Non etiam in genere neutro, quia aliàs, Christus esset duæ naturæ in abstracto, atque adeò esset humanitas, quod est falsum. Vnde cùm dicitur Christus esse aliud, & aliud, vt concessit D. Thomas art. 3. præcedenti ad 1. & infra. q. 16. art. 1. Si per aliud & aliud intelligantur duæ naturæ in abstracto, falsa est propositio, si autem in concreto, vera est, & in hoc sensu conceditur à D. Thoma, & à Sanctis Patribus.

13 Tertiò conueniunt omnes, hanc disputationem esse accipiendam de compositione reali, ad cuius rationem, quatuor requiruntur conditiones, quas constituit Caietanus. 1. p. q. 3. art. 8. Prima est, vt sit realis distinctio inter extrema, & ob id in Deo non est compositio personæ & naturæ, quia sola ratione distinguuntur. Vnde Christus, vt Deus, nequit dici compositus. In quo sensu D. Basilius libro. 1. contra Eunomium, omnem à Christo compositionem exclusit, dicens, *Christus, cùm sit vnum subiecto, idest, supposito, & vna substantia simplex, & non composita, aliter tamen & aliter seipsum nominat.* Secunda conditio est, quòd extrema realiter coniungantur, & copulentur. Tertia, quòd realis eorum vnio non sit, vel secundùm extrinsecam habitudinem, vel secundùm situalem dispositionem duntaxat, sed in aliquo vno esse reali, siue substantiali, siue accidentali. Quarta, vt extrema habeant se in ratione actus, & potentiæ, vel inter se, vel in ordine ad compositum, aliàs non posset resultare vnum esse vtriusque extremi, ac proinde neque vnum compositum. Si igitur compositio Personæ Diuinæ cum humanitate & Diuinitate est vera, propria, & realis, hæc omnia debent illi conuenire. Et in hoc est totius controuersiæ, & disputationis status.

His suppositis. Omnes ferè antiquiores Theologi affirmãt, Personã Christi post Incarnationẽ nõ esse verè, & propriè cõpositã, sed Metaphoricè tantùm, & secundùm quid. Ita Alexander. 3. p. q. 6. membro. 2. art. 5. Scotus in. 3. d. 6. q. 2. Gabriel eadem distinctione. q. 1. Marsilius q. 6. art. 3. Durandus eâdem distinct. q. 3. Albertus Magnus eâdem dist. art. 6. Richardus art. 6. q. 5. Carthusianus q. 8. Almain. q. 1. conclus. 2. Et D. Thomas eâdem dist. 6. q. 1. in eandem sententiam propendit. Pro intelligentia autem huius opinionis aduertendum est, in rebus creatis duplicem modum cõpositionis reperiri. Vnus est, in quo vnum ex alijs constat, vt homo ex materia & forma: alter est, in quo non vnum ex alijs, sed vnum cum alio, vel alijs coniungitur, vt accidens cum subiecto: subiectum enim non consurgit ex compositione accidentis, sed accidens cum illo componitur, seu illi adiungitur. Dicunt igitur ij authores, illud tantùm esse verè, & propriè compositum, in quo primus modus compositionis reperitur, ita vt de ratione veræ compositionis sit, vnum fieri ex multis. Imò addit Bonauentura, de ratione compositi esse, vt cõstet ex pluribus habentibus inclinationẽ ad vnum constituendum, quia aliàs vnum componẽre non possent. Vnde colligunt, Personam Christi posse dici compositam, vt vnum cum alio, quia est cum natura Diuina & humana; & ideò non esse verè & propriè compositam. Sed nullo modo posse dici compositam ex alijs, tum, quia res sic composita pendet ex his, ex quibus componitur, tãquam ex partibus: tum etiam, quia Persona Christi esto subsistat ex natura Diuina, non tamen ex humana, & ex consequenti dicunt, Christum non esse vnum subsistẽs ex duabus naturis, neque verè & propriè compositum ex Deitate & humanitate, tanquam ex componentibus. Nihilominùs pro decisione veritatis sit Prima Conclusio. 14

Prima Conclusio. §. II.

CHRISTVS Dominus verè & propriè est persona cõposita ex duabus naturis, humana, & Diuina, tãquã ex cõponẽtibus. Hæc assertio est D. Thom. in hoc articulo, in quo mutauit sententiã, quã olim cũ alijs Theologis tenuit in. 3. asserẽs simpliciter, Christũ esse personã cõpositã nõ solũ cũ alio, sed etiam 15

Digitized by Google

ex alijs, quia est vnum subsistens non solùm in vna, & ex vna natura, verùmetiam in duabus, & ex duabus naturis: id autem quod ex alijs constat, est verè, & propriè compositum. Probatur. Primò, in hac re tanquam Ecclesiæ sensum, sequi tenamur modum loquendi Conciliorum, & Sanctorum: sed in his frequenter dicitur Persona Christi composita, vt patet ex Concilio. 6. Generali actio. 4. Vbi expressè definitur, Christum esse ex duabus naturis compositum. Et actio. 11. in Epistola Sophronij idem passim repetitur, vbi Sophronius Nestorium succensuit, quòd timens vbi non erat timor, Christum formidauit vocare cōpositam subsistentiam. *Nos verò, inquit, sensu viuido stantes supra Petram pietatis fatemur Christū esse cōpositum.* Et actione. 13. Omnes Patres Concilij eandem confessi sunt veritatem, Et in. 5. Synodo generali cap. 3. sic dicitur. *Sancta verò Ecclesia vtriusque perfidiæ, scilicet, Euthychetis, & Nestorij impietatem rejiciens, vnionem Verbi ad humanitatem secūdùm cōpositionem factā cōfitetur.* Et Canone. 7. *Manet ergo in Christo numerus naturarum, ex quibus compositus est.* De vera igitur cōpositione accipienda sunt huiusmodi verba.

16 Præterea Sancti Patres eandem sententiam expressis ferè verbis docēt. Augustin. 13. de Trinit. cap. 17. Inquit. *Ex duabus substantijs facta fuit vna Persona.* Facta, idest, composita. Et tractatu. 17. in Ioan. id ipsum insinuat. Leo Papa in Epistola ad Iuli. ait, Christum constare ex tribus substantijs, Verbo, anima, & carne. Chrysostomus homilia. 10. In Ioannem. Iustinus lib. de Recta Fidei expositione Gregorius homilia. 38. in Euangelia, Dionysius lib. 2. de Diuinis Nominibus hāc compositionem vocat ineffabilem. Et deniq; omnes sancti, quos in commentario huius articuli citauimus.

17 Est tamen aduertendum ex his Conciliorum definitionibus, & Sanctorum Patrum dictis non colligi, hanc conclusionem esse certam secundùm fidem: imò verò censuerim non esse contra fidem, neque temerarium absolutè negare, Christum esse personam compositam, nā Concilia & Patres in illis loquutionibus nō rigorosè de compositione definiunt, sed compositionis nomen in lata quadam, ac minùs propria acceptione vsurpant, nempe, pro vera, & reali vnione duarum naturarum in vno & eodem supposito. Sic colligitur ex Concilio. 1. Lateranensi sub Martino. 1. consultatione. 5. Cano. 6. vbi sic definitur. *Siquis non confitetur secundùm Patres propriè & secundùm veritatem in duabus naturis substantialiter vnitis inconfusè, & indiuisè, vnum, eundemq; Dominum, & Deum Iesum Christum, condemnatus sit.* Et Cano. 8. *Siquis secundùm Patres non confitetur propriè, & secundùm veritatem naturarum substantialem vnitionem indiuisè, & inconfusè in eo cognitam, condemnatus sit.* Et idem ferè habetur Canone. 7. præcedenti.

18 Ex quibus constat, quid sit credendum secūdùm Patrum doctrinam, & definitiones, & quæ fuerit eorum mens, cùm Christum asseruerunt esse personam in duabus, & ex duabus naturis compositam. Itaque intentio Cōcilij fuit proponere in hac parte sententiam Patrum, & eam per modum explicationis denuò definiri, constatq; ex his, Patres & Concilia non de propria compositione tractasse, sed aduersus Eutychetem, & alios Hæreticos id tātùm definisse, in vna & eadem Christi Persona duas reperiri naturas, Diuinam, scilicet, & humanam, citra vllam ipsarū naturarū confusionem, sed seruatis omnibus vtriusque naturæ proprietatibus. Quare, qui hoc Catholicè confitetur, non errabit in fide, neque aliquid contrarium menti Conciliorum, & Patrum affirmabit, si propter rationes probabiles dixerit, in Persona Christi propriam compositionem non reperiri, atque adeò neque Christum propriè esse appellandum personam compositam.

Præterea confirmatur conclusio rationibus. Prima sit. Per incarnationem factum est, vt vnum & idem suppositum Diuinum Christi, sit etiam humanum: & sicut ex Diuina natura subsistebat, vt Diuinum, ex humana etiam habeat subsistere, vt humanum; ergo Christus importat Suppositum Diuinum, & humanum. Ergo subsistit ex duabus naturis, vt Diuinum, ex natura Diuina: vt humanum verò ex humana. Ergo Christus est vnum constans ex alijs, & non solùm vnum cum alio, atque adeò est verè, & propriè persona composita. 19

Confirmatur. In Christo est vnica persona, in qua secundùm rem conueniunt duæ naturæ, humana, & Diuina, non confusè, & inordinatè; ergo faciunt veram, & propriam compositionem, atque adeò Christus est Persona verè & propriè ex duabus naturis composita. Probatur consequentia: nam vbi est multitudo rerum absque compositione, nequit nō esse inordinata confusio. 20

Secunda. Humanitas simplicior est, quàm Christus: ergo Christus importat personam compositam ex humanitate, & Diuinitate. Etenim Diuina Persona, si nulla in ea cōpositio intelligatur, est multò simplicior, quàm humanitas. Antecedens colligitur ex modo loquendi Conciliorum, & Patrum. 21

Tertia. Huic compositioni, quæ reperitur in Christo, verè, & propriè conueniunt omnes conditiones cōpositionis realis: ergo &c. Probatur antecedens: quia extrema, nempe, natura Diuina, & humana, vel Persona Verbi, & humanitas, distinguuntur realiter, & coniunguntur secundùm rem, & ex illis constat vnum esse, & vna Persona in duabus naturis. Item Deus habet rationem actus respectu humanitatis, nō quidem informantis, sed sustentantis, & terminantis; humanitas verò habet rationem potentiæ, quia dependet ab esse Diuino, & in seipsa recipit esse Diuinum, sicut quæcumque natura recipit suum proprium existentiæ esse, terminata quidem & sustentata, & non informata ab illo; ergo est vera, & propria compositio. 22

Confirmatur, quia solus Deus, vt Deus, est omninò simplex, cætera autem omnia sunt composita, saltem ex esse, & essentia, vel ex supposito, & natura: sed in Christo natura humana realiter distinguitur ab esse Christi, imo suppositū Christi maiori distinctione reali secernitur ab humanitate sibi vnita, quàm in nobis: at in nobis propter hoc solū, ex Supposito & natura est vera & propria cōpositio; ergo similiter in Christo. Item confirmatur: quia persona nō solùm dicit personalitatem, siue subsistentiam, quæ est terminus naturæ, sed intrinsecè importat etiam naturam subsistentem: V. G. Petrus non solùm importat personalitatem Petri, verùmetiam naturam singularem subsistentem; ergo Christus non solùm dicit Personalitatem Verbi, sed vtramque etiam naturam, in qua subsistit: Christus ergo designat Personam ex duabus naturis compositam. 23

Ex

Digitized by Google

24 Ex dictis deducitur primò, rectè asseruisse Caietanum in hoc loco, ex omnibus naturalibus compositionibus nullam aliam habere maiorem similitudinem cum compositione supernaturali Christi, quam eam compositionem, quæ in nobis reperitur ex supposito, & natura, vel ex esse & essentia, seclusis imperfectionibus: quia in creaturis non tantùm dependet natura ab esse, vel supposito, quantùm ad exercitium, hoc est, in existendo, sed etiam ipsum existere dependet à natura, quantùm ad specificationem; id est, in specie, quoniam ab ipsa procedit, tanquam à propria causa, & ratione. Similiter etiam in Christo natura humana dependet ab esse Dei in existendo, ipsum verò esse Dei dependet à natura humana, tantùm prout est humanum. Quocirca nihil deest ad hoc, quòd Christus dicatur verè & propriè compositus, quia verè & propriè saluatur ratio actus & potentiæ per dependentiam humanitatis ad Verbum. Neque requiritur ad veram compositionem inhærentia, vel aliqua informatio vnius extremi ad alterum, vt patet in creaturis, videlicet, in compositione naturæ, & suppositi, esse & essentiæ.

25 Infertur secundò, fundamentum contrariæ opinionis in multis deficere. In primis falsum est, Christum non esse compositum ex pluribus, cùm iam ostensum sit apertissimis Ecclesiæ & Sanctorũ testimonijs, Christum non solùm in duabus, sed ex duabus naturis subsistere, & esse compositum. Item, Falsum est etiam, in omni compositione ex pluribus, oportere, illa plura naturalem habere inclinationem ad vnũ constituendũ, quia hoc solùm est verũ in naturali cõpositione: at in supernaturali, qualis est Incarnatio, satis est in altero extremo capacitas, & obedientialis potentia ad aliquod vnũ constituendũ. Rursus, Falsum similiter est, nullam cõ-
26 positionem vnius cum altero esse veram, & propriam compositionem, quia compositio subiecti cum accidenti, vera compositio est, & tamen iuxta prædictam sententiam est tantùm vnius cum altero compositio. Insuper falsum est, aliquam compositionem vnius cum altero non esse compositionem ex pluribus, quia in omni compositione semper resultat compositum; illud autem compositum semper est vnum aliquo modo; ergo necessariò ex alijs.

27 Verum est tamen, vt sit verè & propriè cõpositum, non esse necessarium, quòd sit vnum simpliciter, aliàs exercitus, vel vniuersum non esset verè & propriè compositum. Cùm igitur Christus sit vnus simpliciter, eius compositio non est tantùm vnius cum alio, sed etiam ex alijs, atque adeò vera & propria. Sic docent expressè Sacra Concilia citata, Christum ex duabus naturis esse compositum, & illius vnitatem esse per compositionem vnius Dei hominis ex Verbo, & carne, cui vnitur: & ideò Athanasius dixit in Symbolo. *Sicut anima & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus.* Sed homo est vnus per compositionem vnius ex alijs, siue huius ex his; ergo & Christus. Item, quia in omni vera compositione terminus adæquatus per illam resultans necessariò debet esse compositus ex extremis, quæ inter se vniuntur, vt patet in compositione accidentis cum subiecto: etenim ipsum concretum, V. G. Album, suo modo est vnum ex his; ergo idem necessariò reperitur in præsente compositione.

Præterea. Implicat dari à parte rei aliquam compositionem vnius cum altero, quin etiam sit compositio vnius ex duobus, videlicet, ex illis, quorum alterum cum altero componitur: si enim cum altero componitur, ergo vnitur illi; quia nihil aliud esse potest componi cum alio, vel ad aliud, nisi illi coniungi, & vniri, & talis erit compositio, qualis fuerit vnio. Si verò vnum alteri vnitur, necessum est, aliquid vnum ex vtroq; fieri, quia vnum non fit alterum, sed vtrumq; manet, aliàs non esset vnio, sed confusio: ergo necesse est, vt ex vtroq; resultet vnum, ab vtroq; distinctum, & ex vtroque constans: nam omnis vnitio ad aliquam vnitatem tendit, quæ in præsenti mysterio est vnitas personæ compositæ, vel composita est, quæ est Christus Deus homo. Itaq; si loquamur quasi materialiter de Persona Christi secundùm se, sic non est composita, sed est terminus, ad quem fit hæc compositio, siue vnitio. Si autem sermo sit formalis de Christo, vt Christus est, sic est persona composita tanquam aliquid vnum ex his, idest, ex Diuinitate, & humanitate, & vt sic Christus pendet ex vtroque componente, quia neq; Persona Verbi sine humanitate erit Christus; quoniam non erit homo, neque humanitas sine Persona Verbi, quia neque esset persona, neque Diuinitati vnita. 28 29

30 Postremò sequitur, qua ratione accipienda sit huiusmodi compositio Personæ Christi. Sic enim Persona Verbi est, & dicitur vnita humanitati assumptæ, vt talis vnio ponat in humanitate formaliter & intrinsecè ipsam Verbi Personam & Diuinitatem, quod significauit Paulus ad Colossens. 2. dicens, in Christo habitare plenitudinem Diuinitatis corporaliter, idest, substantialiter, & personaliter. Item humanitas sic dicitur vnita Verbo, & eius Deitati, vt talis vnio ponat in ipsa humanitate realem quandam constitutionem sui ipsius in Persona Verbi, & relationem realem, nempe, esse vnitam cum Verbo: sed in Persona Verbi duntaxat constituit respectum rationis. Hoc intendit D. Thomas supra q. 2. art. 1. ad 1. cùm dixit, Verbum Diuinum potiùs sibi vniisse naturam humanam, quàm seipsum humanitati coniunxisse, quia Verbum per hanc admirabilem vnionem duo in natura humana realiter constituit, videlicet, propriam subsistentiam & realitatem, quod est esse increatum, & constitutionem in ipsa Diuina hypostasi, à qua constitutione natura humana dicitur passiue vnita Verbo personaliter: eadem autem vnio in Verbo solùm posuit relationem rationis. Et quamuis Persona Verbi nihil reale, & intrinsecum in se ipsa ex vnione acquisierit, nihilominùs propriè, simpliciter, formaliter, & denominatione intrinseca, Verbum dicitur vnitum humanitati, aliàs non esset essentialiter homo, nisi humanitas inesset illi formaliter & intrinsecè.

Secunda Conclusio. §. III.

PERSONA Verbi, seu Verbum est compositum formaliter ex humana, & Diuina natura, tãquam ex terminis, in quibus compositio personalis exercetur, sed non tanquàm ab extremis compositionis. Pro intelligentia huius conclusionis aduertere oportet, latã esse differentiã inter humanitatem & Diuinitatem 31

Diuinitatem respectu Christi, & respectu Verbi: nam respectu Christi sunt componentia formalia, & habent se tanquam extrema, ex quibus Christus formaliter resultat; Christus enim importat personam, vt incarnatam, & Deitatem subsistentem, sicut humanum importat suppositum, vt affectum humanitate, & album importat corpus affectum albedine. Verbum autem, seu Persona Verbi id non dicit formaliter loquendo, & ideò in sensu formali non est concedendum; quòd humanitas & Diuinitas Personam Verbi cõponant, quasi
32 extrema compositionis. Sic autem explicata conclusio probatur quò ad priorem partem. Duplex ratio subsistendi, quæ reperitur in Christo, vt ostensum est Disput. 1. Item duplex officium Diuinæ Personæ in ratione personæ, quod est personare hanc, & illam naturam, verè terminantur ad Deitatem, & humanitatem, in quibus exercetur communicatio propriæ personalitatis, & subsistentiæ: ergo Persona Verbi est composita ex Deitate, & humanitate, tanquàm ex terminis composi-
33 tionis personalis. Confirmatur. Duplex ratio subsistendi efficit in Christo compositionem incompletam, vt ostensum est Disput. 3. Ergo in aliquo compleri debet. Patet consequentia, quia non manet incompleta, & solùm in fieri talis compositio; sed nihil aliud est, in quo compleatur, nisi in naturis, in quibus exercetur, &
34 ad quas terminatur: ergo. Secundò probatur conclusio quoad posteriorem partem: quia si humanitas, & Diuinitas componerent Personam Verbi, vt extrema compositionis, Persona Verbi esset cõposita per vnionē Deitatis, & humanitatis, & ita priùs essent vnitæ natura Diuina & humana, vt extrema componētia, quod est contra fidem, quæ docet humanitatem immediatè vnitam esse personæ, & ad esse illius personale tractam: naturæ verò ipsæ non vniuntur immediatè, & per se primò, sed media vnitate personæ.
35 Confirmatur, Componi ex aliquibus dicit sensum formalem, & quasi appellat proprium conceptum termini, in quem fertur. sic concedimus, album componi ex corpore, & albedine, tanquam ex subiecto, & forma, sed non concedimus, ipsum corpus componi ex corporeitate, & albedine, quia sic sensus formalis, nempe corporeitatem, & albedinem esse compositionis extrema, quod tamen est falsum. Sic etiam conceditur hæc propositio: Christus est compositus ex Diuina & humana natura, tanquàm componentibus, & extremis, hæc autem negatur, Verbum est compositum, aut Persona Verbi componitur ex Diuina, & humana natura, quia facit istum sensum, quòd Diuina & humana natura sunt extrema, quæ Verbi Personam componunt. Cum addito tamen concedi poterit, vt si dicatur, Verbum in terminando, & personando naturam habet compositionem.

R. *Ad Argumenta.* §. IIII.

36 AD Primum igitur argumentum Resp. In hac compositione humanitatem habere rationem potentiæ respectu Dei, non quidem vt informetur, sed vt sustenteur, & terminetur ad Verbum, & ab illo compleatur, eleuetur & perficiatur. Est tamen aduertendum, quòd Diuinitas non immediatè, & seipsa in ratione Diuinitatis est actus humanitatem perficiens, sed mediante Persona Verbi, quæ est terminus, terminans, & complens humanitatem, communicans illi suum esse personale, & mediante Personalitate Verbi. Itaque hæc compositio, formaliter loquendo, non consistit in coniunctione duplicis naturæ, cùm Diuinitas & humanitas immediatè inter se non vniantur, sed mediatè in vnitate suppositi, & in subsistentia Personæ. Et hoc modo Diuinitas censetur esse actus humanitatis.

Ad secundum concesso antecedenti negatur consequentia, & ad probationem negatur similiter, ex vnione immediatè vtriusque naturæ resultasse tertiam personam, quia vnio naturarum non est immediata, ex eo autem quòd in vno esse personali vniuntur, resultat persona. 37

Ad tertium distinguendum est antecedens, nam cùm duæ naturæ inter se, & vna cum alia proximè vniuntur, ad alicuius constitutionem, tunc ex illis proximè & formaliter componitur natura, vt constat in compositione humanitatis ex anima, & corpore: perfectæ autem naturæ nunquam vniuntur hoc modo; & ideò Christus non componitur hoc modo ex duabus naturis. Quando verò duæ naturæ in vna subsistentia vniũtur, tunc necessarium non est, vt ex eis vna natura resultet, sed vna persona. 38

Sed obijcitur. Quando compositio non est ex homogeneis, terminus compositionis nunquam est eiusdem rationis cum altero componentium, vt patet in exemplo adducto de humanitate composita ex corpore & anima; sed in hac compositione proxima componentia sunt Persona Verbi, & natura humana, quæ non sunt homogenea, vt constat; ergo terminus resultans non erit persona. Negatur maior, & conuincitur falsa in compositione ex linea, & punctis, & similibus. Solùm igitur sequitur, personam non eodem modo in compositionem venire, & ex compositione resultare: componit enim vt simplex, & subsistens in sola natura Diuina; resultat autem composita, & in duplici natura subsistens. 39

Ad quartum Resp. Quòd in compositionibus substantialibus, siue Physicis, siue Methaphysicis compositum habet se vt formale respectu partium, quia illis suum esse communicat, & respectu compositi vtraque pars habet aliquam rationem materiæ. Hæc tamen compositio, de qua in præsenti agitur, neque est Physica, neque Methaphysica naturalis, sed altioris ordinis, & ita compositum in illa non est formale respectu naturæ Diuinæ, neque perfectius, quàm ipsa natura Diuina. 40

41 Ad quintum Resp. Christum in ratione compositi pendere à suis componentibus, quia Persona Christi, vt composita, non sumitur purè, sed vt subest temporaneæ compositioni, & non repugnat, quòd persona in seipsa non pendens, pendeat secundùm rationem superuenientem, sicut Persona Verbi, vt humana, pendet ab humanitate. Pendet autem Persona Verbi ab humanitate, tanquam à materia, quia ratio suppositi resultantis supponit naturam componentem, & natura, vt subest compositioni totali, habet se vt materia. Vel dici potest, quòd pendet quasi à conditione, quia natura ad compositionem concurrit; terminus verò non est natura. Vel potiùs reducitur ad formam, vel tanquam requisitum consideratur.

42 Ad ſextum Reſp. Non eſſe de ratione componentis, vt ſit pars, vt rectè docet D. Thomas ad ſecundum, ſed ſufficere, vt ſit vnum extremum, quod cum alio, vel alijs conſtituat aliquod vnum compoſitum. Hoc manifeſtè patet in Sacramento Euchariſtiæ, quod iuxta omnium Theologorum ſententiam, conſtat ex Sacramento, & re Sacramenti, hoc eſt, ex ſpeciebus cõſecratis, & Chriſto, & tamen Chriſtus non habet rationem partis. Item patet in vniuerſo, quatenùs conſtat Deo, & creaturis; nam vniuerſum vt ſic, compoſitum eſt ex Deo & creaturis, & tamen Deus non habet rationem partis, quia de ratione partis eſt, vt ei aliquid deſit, Deo autem, quia totus, & perfectus eſt, nihil deeſt.

43 Denique licèt compoſitio naturalis includat imperfectionem, non tamen ex eòquòd includat partes, nam compoſitum accidentale, quod ex ſubiecto, & accidenti reſultat, eſt verè compoſitum, & tamen neque ſubiectum in rigore eſt pars, neque ipſum accidens. Similiter ſuppoſitum importat compoſitionem ex ſubſiſtentia, & natura, & tamen propriè ſubſiſtentia non eſt pars, ſed terminus naturæ. Vnde hæc conſequentia non eſt formalis. Habent rationem componentium; ergo habent rationem partium. Materialiter tamen erit bona, loquendo de compoſitione ſubſtantiali, & eſſentiali, qualis eſſet illa, quam Deus haberet, ſi in ſe eſſet compoſitus. Si quando autem D. Thomas docet, compoſitum habere partes, intelligendus eſt de compoſitione eſſentiali, Phyſica, aut Methaphyſica, aut de compoſitione integrali.

44 Sed obijcitur. Si Chriſtus eſt Perſona compoſita, neceſſariò debet componi ex Diuino Verbo, tanquam ex Suppoſito, & ex humanitate, tanquam ex natura: ſed Diuinum Suppoſitum nequit habere rationem partis componentis Chriſtum, quia ſuppoſitum eſt totum perfectum, & completum: ergo &c. Reſp. Suppoſitum componere non poſſe cum ea natura, quæ ſimul cum perſonalitate ipſum intrinſecè conſtituit: vnde Verbum cum Diuinitate nullam facit compoſitionem. At non repugnat ſuppoſito in ratione ſuppoſiti componere cum alia extrinſeca natura, ſuum proprium eſſe perſonale illi communicando, & ab ea eſſentialem ipſius naturæ rationem accipiendo: & ita contingit in præſentia. Quòd verò ſuppoſitũ creatum nequeat cum aliena natura componere, non prouenit ex ratione ſuppoſiti vt ſic, ſed ex tali ratione, quæ propter ſui imperfectionem, & limitationem, nequit extraneã naturam terminare, ac ſuppoſitare.

45 Ad primam confirmationem Reſp. Cum D. Thoma 4. Contra Gentes cap. 49. ad 6. Quòd ea ratione, qua Chriſtus eſt compoſitus, humanitas eſt illo ſimplicior. Dicitur autem Chriſtus compoſitus, prout ſubſiſtit ex duabus naturis, & quatenùs eſt hic homo includens Diuinum Suppoſitum. At hic homo ſignificat habens humanitatem, quod quidem non ſignificat humanitas: & ideò hac ratione dicitur ſimplicior Chriſto. Eandem ſolutionem conſtituit D. Thomas quæſtione de Vnione Verbi art. 1. ad. 15.

46 Sed obijcitur. Tres Diuinæ Perſonæ, licèt inter ſe realiter diſtinguantur, & in eadem Diuina natura ſint vnitæ, non propterea aliquid vnum componunt; ergo è contra, licèt duæ naturæ vniantur in vna perſona, non inde reſultabit aliquod compoſitum. Reſp. Negando ſimilitudinẽ, quia Diuinæ Perſonæ nõ propriè vniũtur in natura, ſed ſunt prorſus idem cum ſua natura, & in ea ſunt vnũ, & ideò in ea nõ faciũt cõpoſitionem, neque inter ſe vniũtur, vt aliquid cõponãt. Cæterùm in Incarnatione duæ naturæ non ſunt idem cum Perſona, quoniam humana diſtincta eſt, quæ per compoſitionem vnitur perſonæ, & ita reſultat perſona compoſita in duabus, & ex duabus naturis ſubſiſtens.

Ad ſecundã cõfirmationem Reſp. Chriſtũ, eo modo, quo eſt compoſitus, eſſe quid poſterius, & dependens à natura Diuina, & humana. Et cùm inſtatur, inde ſequi, Chriſtum eſſe quid perfectius, & maius natura Diuina. Reſp. Verum eſſe, Chriſtum, eo modo, quo eſt compoſitus, eſſe quid perfectius extenſiuè, & formaliter, quàm ſola Diuina natura, non tamen eminenter & intenſiuè; ſicut vniuerſum, prout cõſtat Deo & creaturis, eſt quid perfectius ſolo Deo extenſiuè, & formaliter, non tamen intenſiuè, & eminenter. At quemadmodùm ex hoc non ſequitur, quòd vniuerſum, vt conſtat Deo, & creaturis, abſolutè, & ſimpliciter loquendo ſit quid perfectius, quàm ſolus Deus, quia Deus eminentiori & perfectiori modo eſt, & habet quicquid perfectionis eſt in creaturis: ita eodem modo non ſequitur, Chriſtum cum humanitate eſſe abſolutè, & ſimpliciter quid perfectius, quàm ſola natura Diuina. 47

Ad ſeptimũ Reſp. Primò, in cõpoſitionibus accidẽtarijs ſubiectũ abſolutè eſſe idem cũ toto cõpoſito, & de illo prædicari: album enim componitur ex corpore, & albedine, & ideò hæc eſt vera, Album eſt corpus. Hæc autem cõpoſitio in Incarnatione, licèt nõ ſit facta ſecũdùm vnionem accidentariã duarũ naturarũ, ſed potius ſecũdùm vnionẽ ſubſtãtialem, habet nonnullã ſimilitudinẽ vnionis accidentalis, eoquòd natura humana vnitur Verbo Diuino in ſua natura completè ſubſiſtenti. 48

Secundò Reſp. In compoſitione, quæ fit ſecundùm rationem numeri, nõ eſſe inconueniens, quòd aliqua ex partibus numeratis ſit omninò idem cum compoſito, quia compoſitio tantùm conſiſtit in numero, id eſt, in hoc, quòd duæ naturæ realiter diſtinctæ vniãtur, & numerentur in vnico ſuppoſito. Hæc autẽ numeratio duarũ naturarum æqualiter fit, ſiue Natura Diuina realiter diſtinguatur à Suppoſito Chriſti, ſiue non. Et quia neque realiter neq; formaliter ab ea diſtinguitur, ideò prædicatur de illo in concreto, & in abſtracto. 49

Ad octauum M. Medina hîc refert, Gregoriũ Ariminenſem in. 1. d. 28. q. 2. ad. 18. cõceſſiſſe hãc propoſitionem, Chriſtus eſt natura Diuina & humana ſimul, ſicut iſta conceditur, Homo eſt anima rationalis, & corpus ſimul. Et videtur certè expreſſa ſententia D. Auguſtini tractatu. 78. in Ioannem, vbi dicit, Chriſtum eſſe Deum, corpus, & animam. Et idem habet. 13. de Trinit. cap. 17. & in Enchiridio. cap. 38. Et Leo Papa in Epiſt. 11. ad Iulianum, Damaſcenus lib. 3. cap. 19. D. Bernardus lib. de Conſideratione poſt medium. 50

Nihilominùs hæc propoſitio eſt falſa, nõ ſolũ in ſenſu formali, quod habet cõmune cum alijs compoſitionibus ſubſtantialibus, ſed etiam in ſenſu identico, quia humanitas adhùc vt vnita Verbo, realiter diſtinguitur, & à Verbo, & ab ipſa Deitate. Vnde licèt Chriſtus ſit Perſona Diuina, ſit Verbum, & Deitas identicè, nunquam tamen eſt humanitas etiam identicè. Item in hac propoſitione, Chriſtus eſt natura Diuina & 51

humana simul, subiectum, scilicet, Christus, supponit pro Verbo, & Supposito Diuino, cùm Christus sit nomen personale, supponens pro persona, sed Verbum non est humana natura etiam identicè:ergo &c.

52 Sed obijcitur in fauorem Gregorij. Christus nihil reale includit præter diuinam & humanam naturam; ergo esse reale illius est Diuina & humana natura. Antecedens patet ex sexta synodo generali actione. 18. Vbi expressè habetur, Christum nihil aliud esse, quàm Diuinam & humanam naturam. Confirmatur, quia totum est suæ partes simul sumptæ, neq; distinguitur ab illis simul sumptis, neque compositum à componentibus. Vnde sicut ista conceditur, Petrus est suæ partes, & Homo est corpus & anima simul. sic etiam concedenda est hæc, Christus est Diuina & humana natura.

53 Ad argumentum Resp. concedendo, nihil reale includi in Christo præter Diuinam & humanam naturam, & ita tota eius realitas in illis consistit. Vnde sicut entitas hominis includit materiam corpoream, & animam spiritualem, & personalia, & indiuidualia: sic etiam realitas Christi includit Diuinitatem & humanitatem, & personalia, & nihil aliud præter ista. Et sic intelligitur illud Concilij, nempe, quòd in Christo nihil aliud entitatis est, quàm entitas naturæ Diuinæ, & entitas naturæ humanæ. Et quòd hæc fuerit mens Concilij, patet, quia intendebat propriam humanitatis personalitatem à Christo excludere, & ideò licèt in Christo sit Persona Diuina, quia tamen hæc non est alia entitas à natura Diuina, optimè dixit Cōcilium, Christum nihil aliud esse, quàm duas naturas. Nihilominus nō possunt enunciari de Christo, aut omnia simul, aut singula; quia Christus supponit pro Persona Diuina, quæ neq; est humanitas, & Diuinitas simul, neque etiam est humanitas. Vt album V. G. non est corpus & albedo, neq; ista propositio formaliter conceditur, quamuis entitatiuè & realiter album nihil includit præter corpus, & albedinem, neque ab illis simul sumptis est diuersum.

54 Ad confirmationem concedimus, quòd sicut totum à suis partibus non distinguitur, ita proportionabiliter compositum non distinguitur à componentibus. Sed negandum est; in prædicatione omnia componentia prædicari de toto, sicut prædicantur partes, quia compositum ex partibus semper supponit pro illis simul sumptis, & de illis etiam verificatur, saltem identicè. Compositum autem, cuius componentia non sunt partes, non supponit pro componentibus, vt patet de albo, quod non supponit pro corpore & albedine, sed pro corpore; albedo verò connotatur, aut importatur, vt formale. Et quia Christus est quasi terminus connotatiuus, qui habet aliquod materiale, pro quo supponit, & de quo verificatur, illud autem materiale non est Persona Verbi, vt est humana; quia sic est totum significatum illius termini includens materiale & formale, sed est Persona Verbi, vt Diuina, ideò licèt concedatur, quòd non distinguitur à componentibus in re ipsa, non tamen est cōcedendum in enunciatione, quod est omnia sua componentia.

55 Sed replicatur. In re totus Christus est idem cum his, quæ in illo reperiūtur, & ex quibus componitur, & ita verè est Diuinitas & humanitas; ergo ita licet enunciare. nam quod est in re, enunciatur, & ab eo quod est in re, propositio dicitur vera vel falsa. Resp. Enunciari quidem illud, quod est in re, & qualiter est, sed non per omnem propositionem, nam contingit variari sensum ex diuersitate terminorū. Conceditur ergo, quòd Christus & sua componentia non sunt diuersa entitas, neque aliquid est in Christo, quod non numeretur in componentibus: hæc tamen negatur, Christus est Diuinitas, & humanitas. Sicut conceditur, album non esse aliud à componentibus in re ipsa, hoc est, nullam addere entitatem, quæ in componentibus nō includatur; & tamen ista negatur, Album est corpus, & albedo. Item ista conceditur, Petrus est suæ partes, hæc tamē negatur, Christus est suæ partes: quia illa est absoluta, cuius extrema supponunt pro eodem, & subiectum supponit, aut saltem verificatur de partibus Petri: in secūda autem prædicatum nō dicitur de componentibus Christum, quia Diuinitas, & humanitas non sunt verè partes, & subiectum etiam sumitur tanquam terminus connotatiuus, qui supponit pro Persona Verbi, de qua nō dicitur, quòd sit humanitas & Diuinitas. Similiter hæc est vera, Petrus est anima & corpus simul sumpta, hæc verò negatur, Christus est anima & corpus. Sicut negatur hæc in sensu identico, Verbum est anima & corpus.

Ad Sanctos Patres, qui illam propositionem, Christus est Diuinitas & humanitas, videntur cōcedere; Resp. explicandos esse, vt supra, vel in sensu causali, in quo sensu vera est illa propositio, quia vnitas Personæ Christi constat ex Diuinitate, anima rationali, & carne. Qui modus loquendi in sensu causali familiaris est & Philosophis, & Theologis, secundùm quem sensum dicunt Philosophi. Ira est accensio sanguinis circa cor, hoc est, consurgit ex tali accensione. 56

Vel Resp. quòd Sancti Patres loquuntur contra errores eorum, qui in Christo naturas cōfundebant, contra quos ipsi distinctè fatentur: Christum esse Deum, & corpus, & animam. Vel tertiò Resp. Quòd Sancti non tam curant de modo loquendi, quàm de ipsa re, nec approbant illam propositionem, Christus est Deitas & humanitas, aut corpus, & anima: sed sentiunt in re esse in Christo Deitatem, & humanitatem, corpus, & animam. Item quartò: quòd Sancti loquentes de Christo interdū vtuntur nominibus abstractis pro concretis, & concretis pro abstractis, vt cùm dicunt, Deum hominem assumpsisse, volunt dicere, quòd humanitatem assumpserit: ita præsenti idem est dicere, Christus est Diuinitas & humanitas, ac si dicatur, Christus est Deus, & homo. 57

Postremò, Circa illud, quod diximus in responsione ad confirmationem præcedentem in fauorem Gregorij, nempe, Personam Christi, vt humanam, esse totum signatum illius termini, Christus, quod includit materiale, & formale: aduertendum est, Personam Christi, vt Diuinā, & vt humanā, prout ratione distinctā, habere se quodāmodo vt includens & inclusum: sicut animal, & homo: persona enim Diuina, vt sic, nō includit humanā, Persona verò humana Christi, vt sic, includit Diuinā. Itaque nō solùm includit Personalitatē Verbi, vt terminum naturæ humanæ, sed etiam includit ipsam Personam Verbi in concreto, prout est id, quod sustentat naturam humanam. Quod sic patet: nam persona non solùm includit personalitatem, quæ est ratio formalis terminandi, & sustentandi naturam, verùm etiā id, quod sustentat 58

sustentat naturam; sed id, quod in Christo sustentat naturam humanam, tanquam Quod, est Persona Verbi in concreto: ergo Persona humana Christi, vt sic, intrinsecè claudit Personam Verbi in concreto. Quò fit, vt Persona Christi, vt Diuina, sit materiale, pro quo supponit Christus.

QVINTA DISPVTATIO.

An in Christo reperiatur verè & propriè compositio ex Diuino supposito, & ex humanitate, tãquam ex duobus extremis, ita quòd extrema cõpositionis sint ex vna parte humanitas, ex altera verò sit Persona Verbi. Pro parte negante sit primum argumentum.

1 Non minùs repugnat Personæ Verbi esse compositam, quàm esse partem; sed repugnat perfectioni illius esse partem; ergo & esse compositam. Antecedens est manifestum; quia sicut est proprium Diuinæ Personæ esse actum purum, & totum quoddam perfectissimum, ita est illi propria simplicitas: imò ex hoc, quòd est actus purus, habet simplicitatem intrinsecam; ergo sicut repugnat Diuinæ Personæ esse partem, quia est actus purus, sic etiam repugnabit compositio, quæ illius simplicitati opponitur.

2 Dices: esse compositum ex partibus, importare imperfectionem, non autem esse compositum absolutè. Contra hoc instatur. Simplicitas conueniens Deo, cùm sit summa, omnem compositionem excludit, ita vt nihil illius, quod opponitur simplicitati, debeat Deo cõuenire, ergo non sola compositio ex partibus est imperfectio, & Deo repugnat, sed quæcumque alia.

3 Secundò. Quod componit, ordinatur ad compositum, tanquam ad finem, & terminum talis compositionis; ergo si Persona Verbi componit cum humanitate, ordinatur ad aliud nempe, ad compositum, quod resultat. Sed consequens est falsum: ergo &c. Antecedens patet, nam compositum est finis componentium, & cõponentia, vt sic, eò tendunt, vt componãt; ergo ordinãtur ad compositum, tanquam ad finem & terminum talis compositionis.

4 Tertiò. De ratione compositi est, vt sit factum, sed repugnat, Personam Verbi esse factam: ergo & esse cõpositam. Maior patet; quia omne compositum, factum est, & creatum. Sola enim simplicissima entitas, & perfectio Diuina, est increata, & nõ facta. Tum etiam, quia compositum tunc fit formaliter, quando componit, imò fieri compositi in actuali compositione consistit. Confirmatur.

5 Quod componitur, resultat ex cõponentibus, quasi operatum ab eis, vel quasi constitutum ex illis; sed Persona Christi non est aliquid operatum, vel constitutum post Incarnationem; ergo neque composita.

6 Quartò. Omnis compositio includit imperfectionem; ergo non est tribuenda Personæ Christi. Antecedens patet, quia componentia vel habent rationem partium, vel saltem ordinãtur ad totum, tanquam ad finem, in quo perficiuntur. Confirmatur, quia componi ex his, quę possunt non esse, est imperfectio: ergo si Persona Christi componitur ex humanitate, iam includit imperfectionem. Pro explicatione sit Prima Conclusio.

7 In Christo Domino verè & propriè datur compositio ex Diuina Persona, & ex humanitate, tanquam ex duobus extremis. Hæc assertio patet ex præcedente disputatione, conclusione prima: in qua totam compositionem, quæ est in Persona Christi ex Diuinitate tanquàm ex vno extremo, reduximus ad hoc, quòd Diuinitas, ideò est per se huius compositionis extremum, quia est forma substantialis Diuina, in qua Verbum subsistit, & ex qua habet illam subsistentiam, quam humanitati communicat. Ergo potissima compositio, quæ in Persona Christi reperitur, pensanda est non ex Diuinitate cum humanitate immediatè, sed potiùs ex Persona Verbi, vt est subsistens in Diuinitate.

Confirmatur. Humana natura non vnitur immediatè Diuinæ Naturæ, sed Verbo; nam vnio facta est immediatè in persona, non in natura, atque adeò primariò & immediatè vnita est humanitas Personæ Verbi; mediatè verò & secundariò Naturæ Diuinæ: ergo Persona Verbi est extremum; in quo immediatè consurgit compositio, quæ in Christo reperitur. 8

Secundò probatur. Inter subiectum, & formam accidentariam reperitur quædam compositio, quatenùs accidens sustentatur in subiecto, & ab ipso recipit esse, & subiectum recipit qualificationem, & denominationem ab accidenti; ergo in mysterio Incarnationis reperitur compositio inter humanitatem, & Personam Verbi, quatenùs humanitas à Verbo suppositaliter sustentatur, & in ipso, & ab ipso, habet totum suum personale complementum, & Verbum Diuinum habet ab humanitate, quòd sit suppositum humanũ, & quòd sit homo. In hac Conclusione omnes Theologi consentiunt. Secunda Conclusio. 9

In hac compositione, quæ est inter Diuinum suppositum, & humanitatem, non solùm reperiũtur duo extrema realia, & realiter distincta, quorum vnum ad esse alterius assumitur; verùmetiã inuenitur vnũ ex duobus cõstans. Hæc assertio est cõtra M. IoannẽVincentiũ in relectione q. 7. Conclus. 3. vbi docet, ad veram compositionem sufficere, quòd vnum extremum aliquid ab altero accipiat, & è conuerso, quamuis ex vtroque vnũ non resultet: vt in præsenti humanitas accipit à Verbo subsistentiam; Verbum autem accipit ab humanitate, quòd sit humanum suppositum verum. Sed huius oppositum docet hæc Conclusio, quod etiam docet M. Suarez Disput. 7. Sectio. 4. Corollario. 3. Et probatur primò, quia hæc compositio, siue dicatur esse ex duabus naturis, siue ex Verbo & humanitate, est eadem omninò in re ipsa: ergo quacũque ratione explicetur, necessum est in ea dari non solùm extrema realia, realiter distincta, verùm etiam vnum quid ex eis resultans. Probatur consequentia, quia hoc est de ratione cuiuscumque compositionis realis, nec potest vnum extremum aliquid ab alio accipere per veram vnionem cum illo, nisi quatenùs ex eis vnitis aliquid vnum resultat. Alioqui etiam si vnum aliquid ab alio accipiat, non erit per veram, & intrinsecam vnionem, sed per aliquam aliam magis extrinsecam dependentiam. 10 11

Secundò. Compositio ex duabus naturis, & ex Verbo & humanitate est eadem, vt ostensum est: sed in illa datur vnum resultans ex vtroque extremo: ergo in hac etiam. Patet consequentia, quia sicut Persona Christi, vt composita, distinguitur à singulis naturis, ex quibus cõponitur; sic etiam distinguitur à Verbo, secundùm se, 12

& ab humanitate secundùm se, plus enim includit illa persona, vt composita, quàm solum Verbum, vel humanitas. Et è contra, quemadmodùm Persona Christi secundùm se, & quasi materialiter considerata non distinguitur à Verbo, etsi distinguatur ab humanitate; sic etiam non secernitur ab altera natura, nempe, à Diuinitate.

13 Tertiò. Si ratio M. Vincentij quidquã conuinceret, magis probaret, ex duabus naturis vnum tertiũ compositum non resultare, quàm ex Verbo, & humanitate: quia naturæ permanserunt inconfusæ, & prout sunt naturæ, non vniuntur inter se immediatè: ergo ex illis propriè non resultat vnum, quod sit verum compositum à componentibus distinctum.

14 Quarto. Scotus hoc vtitur argumento ad probandum hanc non esse veram compositionem, & probat rectè, hanc compositionem proximè & immediatè effectã nõ fuisse inter ipsas naturas, quia ex illis, vt sic, nõ resultat aliquid vnum à singulis distinctum, quod est de ratione omnis compositionis realis, quæ fit ex aliquibus immediatè inter se coniunctis. Sed non probat inter Verbum & humanitatem non esse proximè & immediatè veram ac realem compositionem, aut vnũ aliquid ex eis immediatè non resultare, distinctum à singulis componentibus, quod sanè est Christus, vt sic. Quare immediatiùs, & magis propriè verificatur, ex Verbo, & humanitate resultare vnum ex duobus constans, quàm ex duabus naturis, quia hac est verũ ratione illius, & non è contra.

15 Sed obijcitur. Christus, qui est terminus huius cõpositionis, nõ distinguitur à Verbo, quod est alterũ extremũ huius cõpositionis, quia & Verbũ de Christo, & Christus de Verbo affirmatur: ergo non est vera compositio ex Verbo & humanitate. Resp. Christum simpliciter stare materialiter, supponereq; pro ipso supposito Verbi absolutè & secundùm se, prout est Diuinum, & sic non distinguitur à Verbo, & ideò vnum de altero verè prædicatur. Neque hoc modo est terminus & extremũ huius compositionis, sed quatenùs formaliter & intrinsecè includit humanitatem, & est humanum suppositũ. Sic autem aliquo modo distinguitur à Verbo, quia plus includit, quàm Verbum, videlicet, humanitatem, & hoc satis est ad veram compositionem, & proprium terminum ex illa resultantem, licet, quoniam Verbum per se est integrum suppositum, cui humanitas substantialiter vnitur, ab ea verè & propriè dicatur homo: vt cùm homo fit albus, terminus ex illa actione resultans est aliquod compositum, nempe, hoc album distinctũ aliqualiter à supposito, quod albefit, de quo tamen verè prædicatur.

16 Cæterùm contra Conclusionem est primum argumentum. Si ex vnione humanitatis cum Verbo resultat aliquod vnũ ex Verbo, & humanitate cõstans, illud vnum necessariò erit aliqua substantia composita, ergo vel vna natura, vel vna persona. Sed nequit esse vna natura, vt constat ex principijs fidei; ergo erit vna persona. Ergo in Christo erit aliqua persona distincta à Persona Verbi, & ex consequenti erit in Christo alia, & alia persona, quod est hæreticum. Probatur sequella: quia illud vnum ex hac compositione resultans, distinguitur à Verbo, tanquàm totum compositum ab vno componente, vt supra ostensum est; sed illud vnum est persona, ergo est persona distincta à Persona Verbi.

Confirmatur. Persona realiter composita, & persona omnino simplex sunt distinctæ personæ; sed Verbum secundùm se est persona omnino simplex, illud autem vnũ resultans est persona composita; ergo sunt distinctæ personæ. 17

Secundum argumentum sit. Ex humanitate & Verbo non resultat vna persona, quæ omninò & secundùm rationem sit vna, nam in Christo est duplex ratio subsistendi, duplexq; proinde ratio personæ, & ex cõsequenti sunt duæ personæ ratione distinctæ, altera humana, & altera Diuina: ergo formaliter loquendo non est in Christo vna persona composita, nisi tantùm materialiter, eo modo, quo albedo, & dulcedo, cùm in eodem subiecto reperiuntur, componunt vnum quale, quod materialiter est tantùm vnum, & formaliter multiplex. 18

M. Ioãnes Vincentius respõdet ad hanc difficultatem concedendo, in Christo esse duplicem personam, nõ realiter, sed ratione distinctam. Etenim cùm Christus sit suppositum Diuinum & humanum, necessariò debet in eo distingui saltem secundùm rationem duplex suppositum, non tamen secundùm rem, quia suppositũ Christi humanum non est nisi ipsummet Diuinum, prout terminat humanitatem. Sed hæc responsio nõ euacuat difficultatem, quæ non procedit de supposito Verbi, vt præcisè humanitatem terminat, & ab ea terminatione denominatur humanum; sic enim verum est, suppositũ Diuinum, & humanum in Christo sola ratione distingui. At proposita difficultas procedit de toto Christo homine, vt intrinsecè includit humanitatem, tanquàm formam intrinsecè constituentem ipsum Christum in ratione huius hominis, & huius humanæ personæ. Vnde ad satisfaciendum difficultati præsenti nihil refert præfata responsio, quia suppositum Christi sub hac ratione consideratum, non est terminus adæquatè resultans per Incarnationem, neque est persona composita in facto esse, vt iam diximus, quoniam persona sic cõposita intrinsecè includit naturam, & subsistentiam realiter distinctas, ex quibus cõstat. Persona autem sic cõposita est terminus resultans per hanc vnionem, de quo procedit proposita difficultas. Etenim illa persona sic composita, & humana, plusquàm ratione à Persona Verbi distinguitur, vt est Diuina Persona; quia distinguitur, vt intrinsecè includens naturam à Diuina Persona realiter distinctam. At hæc distinctio maior est quàm rationis, & inter reales numeratur, & dicitur includentis & inclusi. Sie enim Christus, & humanitas absolutè dicuntur distingui realiter, quia Christus præter humanitatem includit aliquam rem ab humanitate distinctam. Ergo similiter Christus, vt dicit totum compositum, realiter distinguitur à Verbo, quia præter Verbũ includit aliquam rem à Verbo realiter distinctam: ergo in Christo sunt duæ personæ realiter distinctæ, saltem tanquam includens, & inclusum. Est simile. Supposito, quòd anima rationalis, vt informat corpus, ibi subsistit, verum est dicere, aliud subsistens esse animã, & aliud hominem, atque adeò esse in homine duo subsistentia realiter distincta, tãquàm includens, & inclusum: ergo eodem modo in præsenti dicendum est. 19 20 21

Dimissis ergo alijs solutionibus, quæ facilè possunt impugnari, ad argumẽtũ Resp. cõcedẽdo, hoc cõpositũ, quod 22

quod sit per huiusmodi vnionem, esse personam, sed nō aliam à Persona Verbi. Vnde in forma Resp. ad argumentum. Illud compositum, vt sic est in re ipsa aliquo modo distinctum à Persona Verbi, ratione alterius naturæ, quam includit: ergo est distincta persona. Negatur consequentia, sed tantùm sequitur, esse eandem personam in altera natura subsistentem: nam quod constituit formaliter personam, non est natura, sed personalitas; hæc autem non multiplicatur in Christo, licèt multiplicentur naturæ, & ideò nec persona potest multiplicari, quia in substantiuis non fit multiplicatio, nisi forma constituens multiplicetur, vt ostendi soleт. 1. p. quæst. 39.

23 Sed replicatur. Hoc compositum est persona, & hoc compositum aliquo modo distinguitur à Verbo: ergo est distincta persona. Negatur consequentia, quia variatur appellatio; distinguitur enim ratione alterius naturæ, non ratione personalitatis. Solùm ergo sequitur, quòd distinguatur in esse indiuidui alterius naturæ. Itaque licèt per vnionem hypostaticam adiūgatur Personæ Verbi noua natura, & id, quod inde resultat, sit persona: non tamen est alia persona, sed eadem subsistens in alia natura; quia formale cōstitutiuum personæ semper manet idem omninò.

24 Ad confirmationem Resp. nō esse necessarium, personam compositam distingui à simplici in vnitate personæ, sed solùm in pluralitate naturarum: quod à Theologis dici solet, in Christo non esse alium, & alium, sed aliud, & aliud: vt docet D. Thomas art. 3. ad. 1. quia priores termini significant distinctionem suppositorū, posteriores verò distinctionem naturarum.

25 Ad secundum Resp. totam compositionem considerari in vna Christi Persona, nempe, in persona humana, prout est talis humana persona, quæ in suo esse personali intrinsecè includit Personam Diuinam, & subsistentiam Diuinam, imò & Naturam Diuinam.

26 Ad primum igitur argumentum initio Disputationis propositum Resp. Personæ Verbi repugnare esse compositam in se, non tamen esse compositam denominatione extrinseca, aut per ordinem ad extrinsecam naturam: nam priori modo compositio tolleret summam eius actualitatem, & inferret aliquam potentialitatem intra Diuinam Personam: posteriori verò modo conuenit illi ex summa actualitate; quòd naturam extrinsecam terminare possit. Neque ex eo, quòd sibi naturam creatam vniat, efficitur pars, quia non requiritur ad veram compositionem, quòd aliquid habeat rationem partis: neque ex tali vnione perficitur, sed cōponit, vt perficiat. Quare huiusmodi cōpositio in nullo derogat Deo. Ad argumentum ergo conceditur, ita repugnare Personæ Diuinæ esse compositam in se ipsa, sicut esse partem, in ordine tamen ad extrinsecam non repugnare, neq; componere, neq; esse compositam: repugnare tamen esse partem, quia pars imperfecta est in toto, & ab illo, & per ordinem ad illud perficitur, & habet suum esse.

27 Ad illud quod in eodem argumento tangitur de simplicitate Diuina, quæ est maxima perfectio, omnem compositionem excludens, Resp. cum Caietano cap. 2. de Ente & essentia, quod simplicitas nō dicit perfectionem, quia solùm importat negationem compositionis. negatio autem nullam perfectionem dicit. Vel dicendum, quòd neque compositum in suo conceptu dicit imperfectionem, neque simplicitas vt sic importat perfectionem: sed sicut compositum in naturalibus & est imperfectum, & infert imperfectionem, in composito uero verò supernaturali, qualis reperitur in Christo, neque dicit imperfectionem, neque illam infert: ita simplicitas in quibusdam erit perfectio, in aliis verò imperfectio. Etenim quando ratio simplicitatis, & propter quam conuenit rei, est actualitas, & perfectio, simplicitas etiam erit perfectio: & tantò maior, quantò magis creuerit gradus talis actualitatis: & sic est in Deo, cui conuenit simplicitas ex actualitate, & in illo est maxima perfectio. Quando verò simplicitas conuenit ratione potentialitatis, est imperfectio, sicut & ipsa potentialitas, & tantò maior, quantò fuerit imperfectio potentialitatis, vt patet in materia prima, cui conuenit ex potentialitate, & est imperfectio, quòd sit simplex potentia.

28 Ad secundum Resp. componentia imperfecta, & quę intrant materialem compositionem, ordinari ad compositum, quia in illo perficiuntur, non verò componentia, quæ potiùs intrant compositionem, vt perficiant & determinent. Etenim Persona Diuina, & Diuinitas, & subsistentia Verbi componunt perficiendo: humanitas verò sine vlla imperfectione perficitur, & determinatur.

29 Sed obijcitur. Compositio ordinatur in suppositum, & est propter illud, ergo componentia vt sic ordinantur ad compositum. Resp. ita esse, quòd componentia in executione & exercitio intendunt compositum, & ita vnio Verbi & humanæ naturæ, siue Deitatis & humanitatis est propter Christum, & executio, & exercitium talis compositionis intendebat Christi constitutionem in rerum natura. Sed inde non sequitur, quòd Verbum, aut Deitas sint media à tali fine dependentia, sed potiùs ille finis in exequutione, & actuali positione pendet à talibus medijs.

30 Ad tertium Resp. negando quòd Persona Verbi, quatenùs est composita, dicatur facta simpliciter, quia fieri simpliciter est habere esse de nouo. Dicitur tamen composita compositione, quæ fit in tempore. Neque est inconueniens, quòd dicatur fieri compositum; nam eo modo, quo denuò resultat; dicitur etiam fieri compositum formaliter, hoc est, qua ratione est compositum. Secundò Resp. eo modo, quo Christus est compositus, esse etiam factum, quia est compositus, vt hic homo, & est factus homo.

31 Sed obijcitur. Si Christus, vt compositus, est factus; ergo quodlibet componens est etiam factum. Sed repugnat, Deitatem, seu Verbum esse factum; ergo &c. Negatur consequentia; quia non est de ratione compositi, vt quodlibet extremum sit factum, sed sufficit alterum extremum illorum fieri, ad hoc quòd compositū dicatur factum, vt patet in resurrectione. Cùm enim anima vnitur corpori, compositum quidem dicitur factum, non tamen ratione animę, sed ratione corporis.

32 Ad confirmationem Resp. quòd sicut ex Aristotele. 8. Metaph. textu. 15. cōstat, vt aliquid sit compositum verè & formaliter, necessarium est, vt resultet vnum ex multis, nō quidem in genere causę efficientis, vel quasi efficientis, sed in genere causæ formalis, vel quasi formalis,

malis, sicut ex intellectu beati, & Essentia Diuina resultat vnum. Quemadmodùm ergo, cùm Deus esset ab æterno, vniuersitas creaturarum producta est in tempore, & tamen ex Deo æterno, & creaturarum vniuersitate resultat quoddam compositum, quod dicitur vniuersum; cuius caput est Deus, secundum Aristotelem.12. Metaph.tex.52. Hæc autem compositio ex Deo, & vniuersitate creaturarum non est efficienter ex componentibus, & ponit in creaturis esse reale, & relationem rei, in Deo autem solùm relationem rationis: sic etiam in præsenti dicendum est, quòd cùm ab æterno esset Diuina Persona absque vlla compositione, post effectam hypostaticam vnionem ratione naturæ humanæ assumptæ, quatenùs vnitur Naturæ Diuinæ & personæ, primariò personæ, & secundariò naturæ, reddita est cõposita Persona Christi. Quæ compositio in Persona Verbi aliquid reale constituit, non vt est Persona Verbi absolutè considerata, sed vt subsistit in humanitate; ponit enim naturam humanã, & sic quasi in genere causæ formalis humanitas operata est ad subsistentiam Verbi, quia ex illa habet Verbum, quòd sit homo, & suppositum humanum.

33 Vnde ex hoc, quòd Verbũ in duabus naturis subsistit, dicitur ex illis compositum. Si ergo consideretur Verbum, vt subsistens in illis duabus naturis, sic Natura Diuina dat Verbo esse Deum, & ita secundùm rationem est quasi causa, & quasi operatur in ipso esse Deũ, vt nostro intelligendi modo loquamur. Facta verò Incarnatione humanitas dat Verbo esse hominem, quasi in genere causæ formalis. Et ita quasi causat, & operatur in Verbo, & resultat Persona Verbi incarnata, quasi quid operatum à duabus naturis ipsum post Incarnationem componentibus, ex altera quidem natura secundùm rationem, ex altera verò secundùm rem, videlicet ex Diuinitate, quam Verbum sibi copulauit secundùm rationem, & ex humanitate, quam sibi coniunxit copulatione reali per virtutem vnionis hypostaticæ.

34 Ad quartum Resp. compositionem naturalem vel dicere imperfectionem, vel illam inferre in componentibus; hæc autem, quæ est ineffabilis, & miraculosa, & altioris ordinis à naturali, neque in se, neque in toto, neque in componentibus habet imperfectionem, quia Diuina Persona componit perficiendo.

35 Sed contra. Compositum in vniuersum dependet à componentibus: ergo includit imperfectionem. Resp. quòd cùm aliquid componitur ex alijs, tanquàm ex partibus: dependet quidem ab illis. Secus autem est, si componatur ex alijs, quæ non sunt partes, neque dant esse actuale, sed potius accipiunt. In præsenti ergo si Persona Christi conferatur cum Diuinitate, nulla est inter ea compositio, aut dependentia propriè dicta. Si verò comparetur cum humanitate, non dependet ab ea Persona Christi in ratione personæ simpliciter, imò verò neque in esse personæ humanæ, sed potiùs humanitas dependet ab illa persona, vt à sustentante, terminante, & perficiente.

36 Sed replicatur contra hoc. Persona humana in suo conceptu & intrinseca ratione includit humanitatem, vel ordinem ad humanitatem, est enim persona humana suppositum habens humanitatem; ergo humanitas vel habet se vt forma, vel vt materia; vel vtroque modo respectu personæ humanæ, ergo persona humana dependet ab ipsa in genere causæ formalis, vel materialis. Resp. concedendo inter personam humanam, & humanitatem esse aliquem ordinem intrinsecum, & formalem; sed ille ordo non consistit in eo, quòd talis persona suscipiat esse actuale, & perfectiuum ab humanitate, sed in eo quòd nequit formaliter intelligi sine humanitate. Est simile, sicut Deus, vt est actualis conditor rerum, nequit intelligi sine rebus. Sed iste ordo non efficit, vt Deus à rebus dependeat, sed quòd res dependeant à Deo.

Ad confirmationem Resp. quòd si loquamur de Christo, inquantùm est homo, sic includit formaliter humanitatem, & ab ea, tanquàm à propria forma dependet, & multa dicit humanitas, quæ imperfectionem dicunt negatiuè: natura enim hominis est minor Deo, & omnibus Angelis. Si vero sit sermo de Persona Christi, etiam vt humana, quæ dicit suppositum, vt distinctũ realiter à natura humana, sic, constare ex his, quæ possunt non esse, ita vt ab illis reciperet esse, est imperfectio: constare autem ex eis, eo quòd illis det esse, & perfectionem nõ est imperfectio, & Verbum assumens humanitatem non recipit esse ab illa, sed potiùs tribuit. 37

SEXTA DISPVTATIO.

AN Christus propriè & formaliter possit dici persona composita ex subsistentia & Personalitate Verbi, & ex humanitate, ita vt compositionis extrema sint ex vna parte humanitas, & ex alia ipsa Verbi Personalitas, quæ est proprietas relatiua, Diuinam Verbi personam constituens. Negatio ita probari potest.

Primò. Subsistentia seu Personalitas Verbi non habet rationem extremi in hac compositione, qua Christus dicitur persona composita; ergo propriè non est in Christo compositio ex humanitate, & subsistentia Verbi. Consequentia patet: & probatur antecedens. Quia subsistentia Verbi tantùm se habet, vt medium, quo humanitas trahitur ad ipsum Verbum, quod est suppositum humanitatem sustentans: ergo non habet rationem alterius extremi componentis cum humanitate. 1

Confirmatur. Licèt inter accidens & subiectum, cui inhæret, vera reperiatur compositio; non tamen inter ipsum accidens, & quantitatem, qua mediante inhæret subiecto; quia quantitas non est subiectum sustentans ipsum accidens, & à quo accipit esse, sed est mediũ, quo accidens coniungitur, & copulatur substantiali subiecto. & illi inhæret: sed subsistentia Verbi in hac vnione habet se, sicut quantitas in vnione accidentis ad substantiam: ergo &c. 2

Confirmatur secundò. Compositio non est expendenda ex terminante, Quo, sed Quod, quia terminus, Quo, non tam habet rationem extremi, quàm medij formalis, aut quasi formalis; sed in vnione hypostatica subsistentia terminat humanitatem, vt, Quo, Verbum autem, vt Quod: ergo. 3

Secundò. Compositio ex esse, & essentia, ex natura & personalitate non est propria compositio; ergo compositio in Persona Christi ex humana natura & subsistentia Verbi non est propria & formalis. Probatur antecedens. Essentia, seu natura est totum quoddam; ergo 4

ex

tæ essentia & esse non resultat simpliciter aliquod totum, quod habeat formam totalem, sub qua contineatur vtrumque componens. Ergo talis compositio non est propria & simpliciter. Idem argumentum fit de natura & personalitate.

5 Tertio. Suppositum est quoddam totum includens naturam: ergo nullo modo potest facere compositionem cum natura; & ex consequenti neque suppositum Diuinum Christi, quod intrinsecè includit subsistentiam, & personalitatem, potest componere cum natura humana.

5 De hac difficultate est sententia M. Vincentij q. 7. citata Conclus. 4. asserentis propter primum argumentū cum suis cōfirmationibus, hanc compositionem proximè non intercedere inter subsistentiam Verbi & humanitatem, ita vt subsistentia Verbi præcisè & in abstracto considerata, non sit alterum extremum, cui humanitas vnitur, sed esse quasi formale mediū, quo humanitas ad Personam Verbi trahitur. Vnde propriè loquendo hæc compositio fit immediatè ex Verbo & humanitate, quia Verbum siue Diuina Persona est terminus, siue extremum, Quod, huius cōpositionis: sicut albedo dicitur inhærere quantitati, vt Quo, quia per illam inhæret substantiæ, & ideò non fit propriè compositio ex albedine, & quātitate, sed ex albedine & substantia.

6 Oppositam tamen sententiam tuentur multi recentiores Thomistæ, & cum illis M. Suarez in hoc articulo Disput. 7. Sectio. 4. Dicto. 4. Vnde pro explicatione sit Prima Conclusio.

7 Verè & propriè dicitur Persona Christi composita ex subsistentia Verbi, & humanitate, ita vt terminus proximus & immediatus huius compositionis sit subsistentia Verbi. Hæc assertio colligitur ex D. Thoma infra q. 3. art. 2. Vbi ostendetur, vnionem humanitatis proximè esse factam in proprietate personali, & non in aliquo essentiali, neque in constituto nostro modo intelligendi ex essentiali & personali. Probatur autem cōclusio omnibus rationibus adductis Disputat. 4. & 5. Nam licèt in eis expressè tantùm fiat mentio compositionis ex duabus naturis, nequit tamen intelligi, quòd Persona Christi, quatenùs in ea uniuntur duæ naturæ, sit ex illis composita, nisi præsupponatur, quòd etiam sit composita ratione vnionis naturæ humanæ cum

8 Persona Verbi & eius personalitate. Quod probatur: quia priùs & immediatiùs vnitur humanitas Personæ Verbi & eius personalitati, quàm Diuinitati, imò ratio, quare Diuinitati vniatur, est, quia vnitur personalitati; ergo actio vnitiua priùs habet rationem compositionis, quatenùs terminatur ad vnionem humanitatis cum Personalitate Verbi, quàm ea ratione, qua terminatur ad vnionem humanitatis cum Diuina Natura; ergo etiā vnitū ex humanitate, & personalitate Verbi, quatenùs intelligitur, vt priùs terminās illam vnionē, intelligitur etiā vt priùs compositum. Prior cōsequentia patet, quia vnica est actio vnitiua respectu vtriusque termini; ergo necessum est, quod huic actioni cōueniat ratio compositionis, quæ ad eius speciem pertinet, quatenùs terminatur ad terminum proximum, & immediatum. Posterior verò probatur: quia actio sumit speciem à termino; ergo si actio vnitiua est compositio; etiam vnitum, quod habet rationem termini, est aliquid compositum.

Confirmatur, quia humanitas priùs, & immediatiùs vnitur Personalitati Verbi, quàm Diuinitati; ergo Cōcilia, quæ definiunt, humanitatem aliquid componere propriè, & formaliter cum Diuinitate, supponunt eam priùs, & immediatiùs aliquid componere cum subsistentia, & Personalitate Verbi. Patet consequentia, quia nullæ sunt leges compositionis propriè sumptæ, quę in ea vnione reperiantur, & non in ista. 9

Confirmatur secundò: quia Personalitas Verbi, & humanitas sunt duæ res realiter distinctæ, & realiter coniunguntur ad constituendam vnam Personam Christi in ratione subsistentis in humana natura; ergo propriè & formaliter habent rationem extremorum, ex quibus Persona Christi secundùm illam rationem componitur. 10

Confirmatur tertiò. Christus ratione vnionis Personalitatis Verbi cum humanitate est propriè & formaliter hic homo, sicut Petrus ratione vnionis personalitatis creatæ cum humanitate: ergo etiam est propriè & formaliter cōpositus ratione eiusdem vnionis, sicut Petrus. Patet consequentia, quia hic homo includit intrinsecè personalitatem, & humanitatem: ergo est minùs simplex, quàm quæuis earum per se sumpta. Ergo est compositus. Et de hac compositione loquitur D. Dionysius lib. de Diuinis Nominibus cap. 2. vbi vocat humanam Christi naturam, humanam humilitatem. *Ex qua* inquit, *Simplex Iesus ineffabiliter est cōpositus.* Dicit simplex Iesus, quatenùs ipse Dei Verbū est. Compositus verò, quatenùs ex humana natura, & Diuina Persona factus est hic homo. 11

Confirmatur quartò. Inter Verbum & illius subsistentiam nulla est in re distinctio; ergo nequit vnio in re fieri ad Verbum, quin fiat proximè ad subsistentiam Verbi, & è conuerso; quia hîc est sermo de compositione, prout in re facta est. Antecedens patet, quoniam in re sunt non solùm idem vt Verbum & Diuinitas, sed etiam sunt idem adequatè & conuertibiliter, ita vt neque inter se distinguantur, neque vnum in re posit ab alio distingui, à quo alterum non etiam distinguatur. 12

Dices, nostrum modum concipiendi Personam Verbi in concreto, & personalitatem in abstracto, sufficere, vt vnum dicatur de vno, & negetur de alio: & ita vnio dicitur fieri immediatè & proximè cum Verbo tanquam cum extremo & termino, Quod, & non cū subsistentia. Cæterùm hoc non obstat, quia formaliter loquendo, ratio proxima terminandi hanc vnionem, fuit subsistentia relatiua Verbi, vt constabit q. 3. art. 2. & illi formalissimè & proximè facta est vnio, non tantùm vt Quo, sed potissimū vt, Quod. Et patet, quia eode modo personalitas Verbi terminat dependentiā humanitatis, quo eam terminaret personalitas creata, cuius vicem gerit; sed personalitas creata terminaret eam, vt terminans, Quod, quia nihil aliud posset assignari, quod rationem haberet terminantis, Quod, ergo etiam Personalitas Verbi terminat eam, vt terminans, Quod. 13

Præterea. Sic se habet subsistentia Verbi respectu humanitatis in vnione hypostatica, sicut punctus respectu partium lineæ; sed punctus continuans partes lineæ, non solùm est medium, quo illæ vniuntur, sed etiam ipse est, qui vnitur vtrique extremo tam verè, & propriè, sicut punctus terminans lineam, vnitur illi; ergo 14

subsistentia

Digitized by Google

subsistentia Verbi non solùm est medium, quo Diuinitas & humanitas inter se vniuntur, sed etiam est terminus, & extremū Quod, cui humanitas vnitur, vt Quod, & ob id frequenter dicunt Concilia, hanc vnionem esse secundùm subsistentiam.

15 Item. Nullum est medium, Quo, Coniungens duo extrema, quod non sit vnitum ipsis extremis, nisi tale medium sit ipsa formalis vnio: sed Verbi subsistentia & personalitas non est formalis vnio, vt de se notum est; ergo nequit cōcipi vt medium, & vinculum vniens duas naturas, seu Verbum cum humanitate, nisi quatenus ipsa per seipsam, vt eandem mutri, Quod, concipitur proximè vnita humanitati. Maior patet, quia sublata vnione formali omne aliud vniens duo extrema, non potest esse, aut concipi, nisi vt quoddam tertium; in quo illa vniuntur; ergo priùs, & quasi propinquiùs secundùm rem, vel secundùm rationem illi vniuntur.

16 Insuper confirmatur exemplo, quod M. Vincentius adducit de quantitate, quia albedo, V. G. ita substantiæ inhæret media quantitate, vt cum illa faciat realem vnionem, & compositionem, valentes enim in Eucharistia, seclusa substantia panis manere albedinem vnitā quantitati, & cum illa facere veram compositionem, cum tamen neque nouam acquirat, neque immutet, quam anteà habebat. Et idem dicendum est, de visione, intellectione, & alijs actionibus vitalibus, quæ per suas potentias dicuntur inesse substantiæ, quæ quidem proximè & immediatè vniuntur ipsis potentijs, & eas informant.

17 Dices, quantitatem ita esse medium, quo qualitas inest substantiæ, vt non sit id, cui immediatè accidens inhæret, & vnitur. Sed contra hoc est; quia iam sequeretur, quantitatem non esse proprium ac formale vinculum, seu medium vnionis inter substantiam & accidens, sed esse ad summum veluti dispositionem in substantia prærequisitam, vt possit accidens recipere; qua præsupposita dispositione, accidens & substantia inter se immediatè coniunguntur per formalem vnionem illis superadditam. Quemadmodum qui dicunt, quantitatem, vel alias dispositiones prærequiri in materia, vt recipiat formam substantialem, non asserunt, eas dispositiones esse vinculum, quo vniuntur materia & forma, sed illas præsupponi, vt hæ inter se proximè vniātur.

18 Cæterùm in hoc sensu illud exemplum non faceret ad rem præsentem, quia nullatenùs negari potest, quin subsistentia, & Personalitas Verbi sit vtriusque naturæ vinculum, & quo formaliter Verbum humanitati vnitur. Quare hæc compositio proximè & immediatè est ex Verbi subsistentia & humanitate, siue nomine subsistentiæ intelligatur hypostasis, vt frequenter vsurpatur in Concilijs, siue intelligatur formaliter & abstractè ipsa ratio subsistendi Verbi; de vtrisque enim, etiam vt ratione distinguuntur, est vera loquutio: de Verbo quidem, vt extremo totali, de subsistentia verò & personalitate, vt de extremo formali, quod verè etiam vnitur humanitati. Secunda conclusio.

19 Compositio duarum naturarum in vna Persona Christi est mediata, & cōsequens compositionem Personæ Christi ex subsistentia Verbi & humanitate. Hoc est. Per Incarnationem, quæ est vnica actio vnitiua vnius cum alio proximè & immediatè vnitur humanitas subsistentiæ Verbi, vt ostensum est conclusione præcedente, atque adeò hæc compositio inter Diuinā subsistentiam & humanitatem est immediata, quæ verò fit inter Naturam Diuinam & humanam est mediata, quia humanitas non vnitur immediatè Diuinitati, sed Personæ Verbi, cùm vnio in Persona, & non in natura sit facta: mediatè verò & secundario vnitur Diuinitati. Sic explicata Conclusio patet ex præcedentibus, quia Persona Verbi essentialiter & per se includit Diuinam Naturam. Item subsistentia Verbi, quantumuis abstractè & præcisè consideretur, reipsa essentialiter, & intrinsecè includit totam Diuinitatem: ergo eo ipso quòd Christus proximè componitur ex subsistentia Verbi, & humanitate, fit etiam compositus ex duabus naturis vnitis in eadem subsistentia, cuius compositionis extrema sunt duæ naturæ, quæ manent distinctæ & inconfusæ, vinculum autem est ipsa subsistentia.

Est autem aliquale exemplum ad id explicandum in arbore, in cuius radice vel trunco vniuntur duo rami. Est tamen aduertendum discrimen in hoc exemplo, & in omni alio simili: quia in omni compositione duorum extremorum in vno tertio, quodlibet extremorum per se sumptum facit compositionem cum tertio, quia distinguitur ab illo, sed in hac compositione sola humanitas distinguitur à Persona Verbi, & ideò in hoc mysterio non est alia compositio, præter eam, quæ proximè fit ex humana natura, & subsistentia Verbi. Coniunctio verò duarum naturarum in vna persona non addit aliam compositionem, sed solam simplicem vnitatem personæ cum sua propria natura. 20

Sed obijcitur contra dicta, quia in Concilijs nunquā fit mentio huius compositionis ex subsistentia Verbi & humanitate, sed illius duntaxat, quæ fit per extrema duarum naturarum: semper enim Concilia dicunt, Christum esse compositum ex duabus naturis in vna subsistentia. Ergo signum euidens est, non dari talem compositionem ex subsistentia Verbi, & humanitate. Resp. vtroque modo explicari à Concilijs huiusmodi compositionem, quia & in re est vna tantùm, vt diximus, & vterque modus illam explicandi deseruit ad confutandos errores huic veritati contrarios, quod facere intendūt Concilia. Vnde in 5. Synodo Collatio. 8. Cano. 4. ita definitur. *Siquis non confitetur vnitatem Verbi Dei ad carnem animatam anima rationali, & intellectuali, secundùm compositionem, siue secūdum subsistentiam factam esse, sicut Sancti Patres docuerunt, anathema sit. Et inferiùs dicitur, Eutychetem posuisse vnionem secundùm confusionem, Nestorium autem secundùm affectum. Vnde ita dicitur. *Sancta verò Ecclesia vtriusque impietatem reijciens, vnitionem Dei Verbi ad carnem secundùm compositionem confitetur.* In quibus Verbis apertè significatur hæc compositio inter subsistentiā Verbi, & humanitatem. Et Cano. 7. Dicit Concilium, Christum esse compositū ex duabus naturis. Et Canone. 8. declaratur compositio vtroque modo. 21

Ad primum igitur argumentū negatur antecedens, & ad probationem Resp. subsistentiā Verbi nō solùm esse, seu potiùs considerari secundùm rationem, vt medium, Quo, respectu Verbi, sed etiam esse verè vnitam & coniunctam humanitati, & sub ea ratione non tantùm esse Quo, sed etiam quod vnitur, vt dictum est de puncto. 22

Ad

23 Ad confirmationem negatur, accidentia ita inhærere substantiæ media quantitate, vt cum illa non efficiat realem vnionem, & compositionem: vt ostensum est in prima conclusione. Et per hoc respondetur ad secundā confirmationem, quòd subsistentia non solùm terminat, vt Quo, sed etiam vt Quod formale. Verbū autem terminat vt quod totale. Compositio verò expendenda est ex terminante, Quod, siue sit totale, siue formale.

24 Ad secundum principale Ferrariensis. 2. Contra Gentes cap. 54. docet, compositionem ex esse & essentia, nō esse propriè compositionem ex his, sed cum his, hoc est, non resultare aliquod compositum ex essentia & esse: & idem docet de compositione naturæ & personalitatis. Nihilominùs impertinens est ad præsens institutum, hanc compositionem appellare, ex his, vel cum his, dummodò fateamur esse veram compositionem, in Christo ex natura humana & Personalitate Verbi, tam propriè & verè, sicut in creaturis est compositio ex esse & essentia. Vnde Resp. ad argumentum: absque vlla improprietate posse concedi, compositionem ex esse, & essentia, & ex natura & personalitate esse cōpositionem ex his, quia ad talem compositionem non est necesse, quòd resultet compositum sub noua forma totali, sed sat est, quòd compositum resultans comprehendat realiter ipsa componentia vnita in vno, & eodem esse, & differat realiter à quolibet componentium, vel saltem ab vno. Hæc autem omnia reperiuntur in cōposito resultante ex esse & essentia, & ex personalitate & natura.

25 Ad tertium Resp. quòd suppositum intrinsecè includens aliquam naturam, nequit cum ipsa componere, V. G. Petrus, qui intrinsecè naturam humanam claudit, nō facit compositionem cum ipsa natura humana. At suppositum à natura realiter distinctum, quemadmodū Verbum realiter distinguitur à natura humana, potest facere realem cōpositionem cum ipsa, sicuti personalitas naturæ facit compositionem cum ipsa natura.

SEPTIMA DISPVTATIO.

AN simpliciter & sine addito Christus Dominus, seu Verbum possit nūc dici persona cōposita. Ratio dubitandi est, quia cū attributa sunt propria humanæ naturæ, & non conueniunt personæ nisi ratione humanæ naturæ, imò oppositum illorum cōuenit personæ: talia attributa non prædicantur de Christo simpliciter & formaliter, sed tantū secundum quid, & cū addito, & specificatione naturæ humanæ, vt cōstat in his prædicatis, Creatura, Inceptio essendi, & alijs huius generis, quæ quidem nō prædicantur de Christo simpliciter & formaliter, cùm oppositū eorū formaliter & simpliciter cōpetat Personæ Verbi: prædicantur autem cū addito, & specificatione ad hūc modū. Christus in quantùm homo incipit esse, est creatura &c. Ex quo desumitur argumentū. Non minùs repugnat Personæ Christi compositio, quàm inceptio, & creatio; sed hæc non enunciantur de Christo simpliciter & formaliter, sed cū addito tantū: ergo neq; compositio.

2 Confirmatur ex D. Tho. qui nunquā videtur absolutè & simpliciter hanc compositionem concedere, sed cū addito. Nam in. 3. d. 6. q. 2. art. 3. asserit expressè in hac compositione esse aliquam rationem compositionis, sed non veram rationem. Vnde inquit. Non est in opinione Theologorum modernorum appellare Christi personam compositam. Et q. de Vnione Verbi art. 1. ad 6. ait, vnionem non dici factam esse in Persona Diuina, quasi persona ista constituatur ex duabus naturis sibi vnitis. Deinde in hoc articulo, vbi magis affirmat hāc compositionem, negat Personam Christi secundùm illud, quod est in se, esse compositam Et deinde, non absolutè, sed cū addito asserit esse cōpositam, videlicet in quarum vnum duobus subsistit. Et in responsione ad secundum ait, hanc compositionem personæ ex naturis, non dici ratione partiū, sed potiùs ratione numeri. Quæ sanè verba optimè intelliguntur, si dicatur hæc compositio comparari numero, quatenùs numeratur in vna persona alia, & alia ratio subsistēdi. Et in eadem solutione adhibens exemplum huius cōpositionis ait. Sicut omne illud, in quo duo conueniunt, potest dici ex eis compositum: sic & Persona Christi potest dici composita. Quibus Verbis videtur innuere, hanc compositionem, formaliter & simpliciter loquendo, nō esse dicendam absolutè compositionem, magis quàm dicatur cōpositio subiecti, quod duobus accidentibus substat specie differentibus, cuiusmodi est compositio pomi, prout substat odori, sapori, & colori.

Caietanus in Cōmentario huius articuli Dubio. 3. non vult absolutè negare compositionem in Persona Christi, neque absolutè & simpliciter illam concedere, sed cum aliqua modificatione, & adiectiuo (sic ille loquitur) vt intelligatur compositio quædam ineffabilis, à qua absit omnis imperfectio componentiū. Itaque ex sententia Caietani hæc propositio, Christus est compositus, siue Filius Dei est compositus, absolutè est neganda; sed potest concedi cum addito, & ex parte subiecti, & ex parte prædicati: ita vt dicatur, quòd Christus, quatenùs subsistit ex humanitate, est verè & propriè persona composita ineffabiliter, vel singulariter, vel sine exemplo. Vnde additum ex parte prædicati tollit imperfectionem, quæ nata est conuenire compositioni: additum verò ex parte subiecti explicat rationem, qua sumitur Christus, cùm dicitur verè compositus. 3

Inducitur autem Caietanus in hanc sententiā propter argumentum propositū, nam quotiescumq; aliqua prædicata conueniunt naturæ & supposito, & repugnant supposito Diuino, nequeunt absolutè & simpliciter dici de Christo, nisi cum addito: sed esse compositum conuenit naturæ & supposito quia tam natura humana, quàm persona humana dicitur, & est composita: ergo absolutè & simpliciter de Christo enunciari non potest, nisi cum addito. Hanc sententiam sumpsit Caietanus ex Scoto in. 3. d. 6. q. 3. Et idem docet Gabriel loco citato: vbi affirmat, hoc prædicatum esse vnum ex illis, quæ absolutè Christo conuenire non possunt, sed quatenùs homo est. 4

M. Medina in hoc articulo affirmat, hāc propositionem, Christus est compositus, esse absolutè concedendam; istam verò, Filius Dei est compositus; absolutè negandam. Ratio illius est, quia hæc vox, Compositus, appellat super formale significatū subiecti; ergo in hac propositione, Christus est compositus, appellat supra humanitatem, & ex consequenti est vera propositio: in hac verò, Filius Dei est compositus, appellat supra Deitatem: & ideò est falsa. 5

6 Pro explicatione huius dubij aduertendum est, quòd licèt in re sint omninò idem, Christus, Persona Verbi, & Filius Dei: nihilominùs differunt secundùm rationem, & modum significandi; nam Persona Verbi, siue Filius Dei significat Diuinũ suppositum præcisè, prout subsistit in Natura Diuina; Christus verò significat formaliter idem Diuinum suppositum, quatenùs subsistis in duabus naturis, Diuina, & humana, ita vt quamuis dicat realiter vnicum suppositum, dicit tamen formaliter in illo aliam, & aliam rationem subsistendi; non quidem ex parte rationis terminandi naturas, quia hæc est omninò eadem, & vna simplicissima Personalitas Verbi, sed ex parte naturæ terminatæ, quæ re vera est duplex. Eadem enim simplicissima personalitas, & subsistentia terminat & Naturam Diuinam, & humanam; & ideò Christus formaliter importat aliquid subsistens
7 in duabus naturis, Diuina, scilicet, & humana. Vnde suppositum alicuius naturæ est duplex, alterum materiale, siue physicum, quod re vera sustentat talem naturam, vel formam, etsi non explicet formaliter rationem talis formæ. Sic corpus est suppositum albedinis, quia illam re vera sustentat, illique subijcitur. Aliud verò est suppositum formale, quod non solùm sustentat naturam, sed etiam in sui significatione explicat rationem illius formalis. Sic album non solùm est suppositum physicum & materiale albedinis, quia eam sustentat, verùmetiam est suppositum formale; quia in ipsa significatione explicat rationem albedinis, & sustentationis illius. Et hoc suppositum solet appellari methaphysicum, seu logicum, & secundùm illud attenditur coordinatio prædicamentorum. Sic ergo Filius Dei, siue Verbum est suppositum naturæ humanæ, physicum tamen, & quasi materiale, tũ, quia de facto sustentat naturam humanam; at Christus est formale suppositum eiusdem naturæ humanæ, quia & de facto sustentat illam, & formaliter explicat subsistentiam in tali natura. Hoc præmisso sit Prima Conclusio.

8 Hæc enunciatio, Christus est compositus, siue persona composita, est vera & propria, atque adeò absolutè, simpliciter, & sine addito est concedenda. Probatur, quia hic modus loquendi desumitur ex testimonijs Conciliorum, & Sanctorum, quæ supra retulimus, & in Concilio Calcedonensi Actione. 16. expressè asseritur, quòd sicut ex corpore & anima non resultant duo homines, sed vnus ex illis compositus: sic ex humanitate & Diuinitate resultat vnus Christus ex illis compositus. Idem etiam definitur in Concilio Lateranensi. 1. & refertur cap. Firmiter de Summa Trinitate &c. Probatur autem ratione. Christus cum assumpta humanitate est verè & propriè compositus; ergo absolutè, & simpliciter dicendus est compositus. Probatur consequentia; quia aliàs Christus non posset dici simpliciter, homo compositus, neque posset dici simpliciter compositus ex anima & corpore, quamuis vt sic verè & propriè sit compositus. Patet sequella: quia esse cõpositum ex sententia Caietani conuenit naturæ & supposito, in Diuinis, & repugnat supposito Diuino.

9 Secundò. Sicut omnis cõpositio in creaturis reperta semper dicit imperfectionem ex parte componentiũ, quia accipiuntur vt partes: sic etiam omnis vnio, quæ in creaturis inuenitur, similiter dicit imperfectionem ex parte vnitorum, quia dicunt mutuam dependentiam à se inuicem; & tamen hoc non obstante incarnatio absolutè, & simpliciter, & sine aliquo addito dicitur vnio substantialis, vel hypostatica ex eo solùm, quia ex parte Dei nulla potest intelligi dependentia ad creaturas; ergo similiter eâdem ratione Incarnatio dicetur simpliciter & absolutè cõpositio, & Christus cõpositus, ex eo quòd alterũ extremũ nullã dicit imperfectionem.

Tertiò. Omne fieri in naturalibus dicit imperfectionem, tam ex parte eius, quod fit, quàm ex parte eius, ex quo fit, cum hoc tamen absolutè & simpliciter dicitur, quòd Deus factus est homo, eò duntaxat, quia ex parte Dei nulla importatur imperfectio, quoniam nihil aliud significatur, quàm quod humanitas aduenit de nouo substantialiter Verbo præexistenti: ergo cùm in hac cõpositione, quæ verè & propriè in Christo est, nulla importetur imperfectio ex parte Dei componentis; absolutè & simpliciter dicitur Christus compositus. 10

Quartò. Hęc propositio: Christus, prout subsistens in duabus naturis, est compositus, est simpliciter vera, & conceditur ab aduersarijs; ergo similiter hæc, Christus est persona composita, vel Christus est compositus. Patet consequentia; quia Christus formaliter dicit subsistens in duabus naturis, & non tantùm est suppositum reale, & physicum vtriusque naturæ, sed etiam est formale suppositum illius, vt explicuimus in notabili præcedenti; & ita sicut concedimus, Petrum, nõ solũ prout concipitur singulari conceptu, esse indiuiduum, sed absolutè etiam asserimus esse indiuiduum; sic non solùm est concedendum, Christũ, inquantùm subsistit in duabus naturis, esse compositum, sed absolutè etiam dicendum est, esse compositum. 11.

Quintò. In Christi Persona reperitur vera & propria compositio; ergo absque vlla improprietate, imò absolutè & sine addito dici potest, Christum esse personam compositam. Patet consequentia, quia ab eo quòd res est, vel nõ est, propositio dicitur vera vel falsa. Et similiter ex reali proprietate rerum proprietas loquutionis consurgit, si terminis accommodatis vtendum est. 12

Sed obijcitur. Omnis compositio in creaturis inuenta habet admixtum nõnihil imperfectionis, & potentialitatis; ergo nequit dici, Christum esse compositũ, nisi cũ addito tollente omnẽ imperfectionem ab hac Christi cõpositione. Negatur consequentia, alioqui nullum nomen ex creaturis desumptũ posset ad significandum Diuina accõmodari, atque adeò nõ diceretur propriè in Christo esse iustitiã, misericordiam, sapientiam &c. Quia huiusmodi perfectiones habent in rebus creatis adiunctã imperfectionem, & potentialitatem admixtã. Resp. ergo ex doctrina Diui Thomæ. 1. p. q. 13. art. 3. ad 2. quòd licèt nomina, quibus vtimur, sumãtur ex effectibus creatis imperfectis, quędã tamen ex parte rei significatæ nullã intrinsecã imperfectionẽ designãt, eo quòd rationes importatæ per huiusmodi nomina, abstrahũt à Deo & creaturis, vt entitas, bonitas, veritas &c. Vnde 14 nomina, quæ has rationes absolutè & in cõmuni significãt, possunt de Deo verè & propriè prædicari. Ita similiter in proposito dicendũ est, quòd licèt omnis cõpositio, quę in puris creaturis reperitur, sit imperfecta: hęc tamẽ imperfectio nõ est de essẽtia cõpositionis, atq; adeò potest in Chr̃o cõpositio sine imperfectione reperiri, & ista vox, Cõpositũ, abstrahit in suo significato à cõposito perfecto, 13

perfecto, & imperfecto, & ita verè & propriè dicitur, Christus esse compositus. Quòd si aliquid imperfectionis in hac compositione inuoluitur, tota illa se tenet ex parte humanitatis, quæ perficitur. Imò verò quamuis humanitas in sui ratione imperfectionem includat, illam tamen ad hanc compositionem nõ refundit, quia humanitas in altero compositionis extremo nullam ponit imperfectionem, quamuis denominationem imperfectam illi tribuat, nempe, esse humanum, ipsa verò maximè perficitur à Diuini Verbi subsistentia, & nullã accipit imperfectionem. Secunda Conclusio.

15 Hæc propositio, Filius Dei est compositus, siue Persona Filij Dei est composita, absolutè & simpliciter est falsa: cum aliquo tamen addito potest concedi. Prior pars probatur, quia hoc nomen, Compositus, etiam positum à parte alterius extremi, appellat, seu applicat compositionem ad formale termini, supra quem fertur; ergo in hac compositione, Filius Dei est compositus, seu Persona Filij Dei est composita, applicatur compositio ad formale significatum huius termini, Filius Dei, seu Persona Filij Dei: atque adeò talis propositio est falsa, & hæretica. Probatur antecedens. Hæc propositio est vera, Homo est cõpositus ex corpore & anima rationali, hæc autem, Animal est compositum ex corpore, & anima rationali, vel est falsa, vel saltem omninò impropria, & hoc non est propter aliud, nisi quia illud prædicatum, Compositus, in priori enunciatione applicat compositionem ad formale significatum hominis, & in posteriori ad significatum formale animalis. Et quidem licèt secundùm regulas dialecticas nõ sit appellatio inter terminos diuersorum extremorũ, contingit tamẽ formalis applicatio, quæ appellationi æquiualet. Vnde Dialectici concederent hãc propositionem in generatione Petri, Petrus est terminus generationis, istam verò negabunt, Homo est terminus generationis, propter diuersam applicationem, quã facit illa vox, Terminus.

16 Secunda pars conclusionis est manifesta, nam cùm aliquod prædicatum nequit de Filio Dei verificari, nisi ponendo in supposito imperfectionem, non potest de illo absolutè affirmari, sed vtendum est illa specificatiua, Secundùm quòd homo: & ita est vera illa propositio, Persona Filij Dei, seu Filius Dei, secundùm quòd homo, est compositus, quia illud prædicatum, Compositus, nullam inducit Diuino supposito imperfectionem, sed applicat compositionem ad significatum formale illius termini, Secundùm quòd homo. Et omnis imperfectio, quam importat, tenet se ex parte naturæ humanæ, quæ per hanc ineffabilem cõpositionem mutatur.

17 Sed obijcitur. Per communicationem idiomatum ea, quæ dicuntur de homine, dicuntur absolutè de Deo, & de Filio Dei; sed de homine dicitur absolutè quòd sit compositus ergo etiam de Deo, & de Filio Dei. Confirmatur. Christus, Persona Christi, Filius Dei & Persona Filij Dei, sunt omninò idem: ergo si absolutè conceditur, Christum esse compositum, & Personam Christi esse compositam: idem absolutè concedendum est de Filio Dei, & de Persona Filij Dei. *Resp.* communicationem idiomatum tantùm habere locum, quãdo nulla est diuersitas appellationis, vel applicationis, vel etiã quando non importatur necessariò aliqua imperfectio in subiecto, si absolutè enunciantur propositiones de illo, vt constat in hac, Deus est creatura.

18 Ad confirmationem negatur consequentia propter diuersam applicationem, cuius diuersitatis est manifesta ratio, quia Filius Dei tantùm est suppositum materiale naturæ humanæ, & ita nihil formale dicit, cui possit verè applicari compositio: at Christus dicit formaliter suppositum naturæ humanæ, & ex consequenti explicat aliquam naturam, cui sit propria compositio. Tertia Conclusio.

19 Compositio, quæ in Persona Christi reperitur, est omninò ineffabilis, singularis, dissimilis omnibus alijs, & alterius rationis. Explicatur, & probatur conclusio ostendendo in quibus differat hæc compositio ab omnibus alijs. Primò in hac compositione non reperitur ratio actus informantis, & inhærentis, neque ratio potentiæ naturalis, quamuis humanitas habeat rationem potentiæ obedientialis ad Diuinam Personalitatem, & ipsum Verbum habeat rationem actus sustentantis & terminantis dependentiam naturæ humanæ absque vlla informatione, cùm nullius rei possit esse forma per informationem & inhæsionem.

20 Secundò. Compositum in hac compositione non est perfectius altero componentium, nempe Natura Diuina, seu subsistentia Verbi, neque etiam se habet vt forma respectu componentium. Tertiò. In hac compositione compositum prædicari non potest de componentibus simul sumptis. Et quartò, hæc compositio est sine partibus, & est substantialis. Et quamuis in hac parte sit verum illud Augustini, si exemplum poscitur, non est singulare, potest tamen aliquale exemplũ adhiberi, etsi deficiens valdè. Color, V. G. & sapientia, quæ sunt formæ accidentales, & multùm disparatæ, vniuntur personaliter in Petro, vnione accidentaria, & ratione huius vnionis dicitur Petrus qualis, pertinens ad prædicamentum qualitatis, & quatenùs est hoc quale indiuiduum, dicitur formaliter componi, & constare ex duabus formis, non quia vna forma aliam informet, sicut actus potentiam, cùm vtraq; sit actus, aut quia aliqua forma sit pars ipsius Petri; sed quia ambæ formæ sustentantur in vna, eademq; persona Petri, qui vtrique substat, ita in Christo duæ formæ substantiales vniuntur, & vnam Christi Personam componunt. Sicut ergo vnionis duarum naturarum substantialium non datur exemplum, nisi multùm deficiens, & similiter admirabilis modi, quo Christus in Eucharistiæ Sacramento existit, non datur alius similis modus inter modos essendi in alio, quos Aristoteles docet, & ipsa naturarum similiter neq; illius compositionis ineffabilis datur alia similis compositio.

21 Ad argumentum ergo Caietani initio propositum *Resp.* esse diuersam rationem de hoc prędicato, Esse compositũ, & de illis, Esse creaturam, vel incipere esse, quia hæc duo posteriora conueniunt naturæ & personæ in creaturis, sed tamen naturæ ratione personæ, quoniam esse existentiæ, vel personalitas est terminus creationis, & ideò absolutè & simpliciter de Christo prædicari nõ possunt, quia significaretur, ipsam Personam Verbi esse creatam, vel incæpisse esse. At verò esse compositũ cõuenit similiter naturæ, & personæ in creaturis, personæ tamen ratione naturæ, & non è contra, ex eo enim quòd natura creata est composita, ipsa etiam persona est composita, non autem è contra, vt patet in Angelis,

in quibus persona est composita, non autem natura. Et
21 ob id istud prædicatum, Esse compositum, potest absolutè, & simpliciter dici de Christo, inquantùm subsistit ex natura humana, quia imperfectio in illo inclusa cõuenit ipsi naturæ humanæ, & hoc est manifestum, quia hæc prædicata, Esse natum de Virgine, esse passum, vel mortuum, conueniunt quidem naturæ, & personæ in creaturis; sed quoniam conueniunt personæ ratione naturæ, ideò absolutè, & simpliciter enunciantur de Christo, vel de Deo; simpliciter enim dicimus, Christum vel Deum esse natum de Virgine, passum, vel mortuum.

22 Secundò Resp. antecedens esse verum seclusa appellatione; quòd si aliqua interueniat appellatio, rectè potest aliquid prædicari de Christo, cuius oppositum cõueniat Filio Dei, vt esse in prædicamento, conuenit, & dicitur de Christo absolutè, & simpliciter, quod de Filio Dei absolutè & simpliciter affirmari non potest, nisi cum addito: hæc enim propositio est falsa: Filius Dei collocatur in prædicamento: quia esse in prædicamento habet appellationem rationis.

23 Ad confirmationem Resp. D. Thom. in hoc articulo paulatim processisse ad reddendam primam, & proximam causam conclusionis ex primis principijs. Quare primò asserit, hanc Christi personam in duabus naturis subsistere; quæ quidem est prima huius compositionis causa. Secundò asserit in hac Christi Persona esse aliã, & aliam rationem subsistendi, quæ est proxima causa compositionis, & ex his infert cõclusionem. Verba autem continuò subiuncta post conclusionem, nempe, inquãtùm vnum duobus subsistit, non ponuntur à Diuo Thoma tanquàm additum, sine quo conclusio non esset vera formaliter, & simpliciter, sed ponũtur ad explicationem conclusionis, quæ intellectu erat difficillima. Ad præclarũ enim & egregium doctorem spectat, non solùm conclusionem probare, sed etiam explicare, si sit difficilis.

24 Ex dictis colligitur resolutio illius dubitationis, An sit absolutè concedendum, Christum esse quid resultans ex vnione hypostatica. Quidam Theologi negant huiusmodi modum loquendi, quia resultantia non habet locum, nisi in eo tantùm composito, quod constat ex partibus, ex quibus quasi oritur vna forma ipsis partibus communis: sed Christus non est ita compositus, quod importet aliquod totum à componentibus distinctum, & totalem formã includens, sub qua ipsa cõponentia contineantur tanquã partes, materialitatem quandam & potentialitatem inuoluentes: ergo dici nõ potest, Christum resultasse ex vnione hypostatica.

25 Nihilominùs sine vlla formidine affirmandum est, Christum resultasse ex hac ineffabili vnione, & Sancti Patres frequenter hoc loquendi modo vsi sunt locis supra citatis. Et probatur ratione. Terminus ex hac vnione resultãs est Persona Christi, vt subsistens in humanitate, & Diuinitate, hoc est, Persona Diuina, & humana, ergo Christus resultat ex hac vnione. Antecedens patet ex dictis, quia terminus ex hac vnione resultans est aliqua substantia; sed non est natura: ergo persona. Supponimus enim, hanc vnionem esse propriam Verbi, atque adeo in essentiali subsistentia non fuisse factam.

26 Secũdò. Ex vnione Verbi cũ humanitate resultat hic homo, sed hic homo est Christus; ergo &c. Tertiò. Quod fit, resultat ex factione: sed Christus per vnionẽ est factus: ergo resultat ex vnione. Imò addiderim, in formali significato huius vocis, Christus, importari totam hanc compositionem à nobis hactenùs explicatam: quia eò ipso, quòd Christus importat totale suppositum humanum, denotat per modum naturæ humanitatem, & ex parte suppositi per se includit Diuinũ Verbũ, vt absolutè & simpliciter subsistens in natura Diuina, suã subsistentiam humanitati communicans. Vnde verè dicitur, totale significatum huius vocis, Christus, esse Verbũ Diuinum hominem, siue Deum hominem. At ex vnione resultauit Deus homo; ergo & Christus. Similiter est verum, Christum importare formaliter vnctum Diuino oleo, quia importat in suo significato Verbum Diuinum, prout suam subsistentiam humanitati communicat, & eam in semetipso personaliter sustentat, in quo posita est excellens, & ineffabilis vnctio.

Ad motiuum ergo contrariæ opinionis Resp. falsum esse, quòd resultantia solùm habeat locum in eo composito, quod ex partibus constat: sed abstrahit in suo significato à composito, quod ex partibus constat, vel ex extremis, quæ non sunt partes. Et ideò potest in Christo reperiri. 27

OCTAVA DISPVTATIO.

AN ex vnione humanitatis Christi cum Persona Verbi resultauerit aliquid reale in humanitate Christi productum, realiter, vel formaliter ab illa distinctum, ratione cuius manserit substantialiter vnita Personæ Verbi transacta Incarnationis actione. De qua re non est consentiens Theologorum sententia. Etenim Gregorius in. 1. d. 28. q. 1. ad. 17. & 18. 1
ait, nihil reale absolutum, vel respectiuum esse in humanitate Christi, ratione cuius fiat vnum cum Persona Verbi, sed ipsa extrema nuda, nempe, humanitatem & Personã Verbi secũdùm se vniri, & vt sic præcisè vnita, esse Personã cõpositã, & fuisse terminũ Incarnationis. Probat Gregorius suam sententiam multis argumentis. Sed præcipuè, quia non minùs substantialiter fuit vnitum Verbũ humanitati, quàm humanitas ipsi Verbo, sed vt Verbum vniretur humanitati, nihil reale, absolutum, vel respectiuum reipsa, aut formaliter distinctum, productũ est per Incarnationem in Persona Verbi: ergo neque in humanitate Christi. Maior est certa, & consequentia nota ex paritate rationis; & minor probatur: quia si Verbum acquisisset aliquid absolutũ, vel respectiuum de nouo, mutatum fuisset per Incarnationem.

2 Dices, in Persona Verbi nihil nouum fuisse productum, quia illa Persona, cùm sit purus actus, & infinitè perfecta, est incapax omnis nouæ realitatis: at verò humanitas Christi potuit nouam entitatem recipere, per quam intrinsecè vniretur Personæ Verbi. Sed contra est: quia frustrà huiusmodi entitas de nouo fingitur; multa enim realiter distincta de nouo per aliquam actionem vniuntur, & nullam entitatem realem acquirunt, per quã formaliter vniantur: sed ex vi prætеritæ actionis, quæ semel coniuncta realiter fuerunt, seipsis immediatè, & proximè vnita manent: ergo similiter humanitas Christi ex vi actionis vnitiuæ præteritæ, hoc est, Incarnationis, potuit seipsa immediatè & proximè

proximè manere vnita hypostaticè Verbo, sine vlla superaddita entitate. Consequentia est nota, & antecedeat patet; nam duo corpora seipsis manent localiter coniuncta ex vi præteriti motus localis. Item materia & forma substantialiter vnitæ ex vi generationis substantialis, sicut subiectum & accidens accidentaliter ex vi generationis accidentalis.

3 Dices, in his omnibus quæ ex vi actionis præteritæ manent intrinsecè vnita, necessariò resultare modum realem, quo inuicem vniantur. Contra hoc sit secundum argumentum: nam Aristoteles. 2. de Anima cap. 1. apertè docet, non esse quærendum gluten, quo corpus, & anima coniungantur, sed seipsis vniri; quia alterum habet rationem potentiæ, alterum verò actus. Ergo ex sententia Aristotelis quæcumq; habent rationem potentiæ, & actus, seipsis vniuntur, & non mediante aliquo superaddito. Sed humanitas Christi & Persona Verbi habent rationem potentiæ determinabilis, & actus determinantis; ergo &c.

4 Confirmatur: quia si aliquis modus superadditus essentialiter requiritur, vt vnū alteri intrinsecè vniatur; ergo id, quod nō fuerit talis modi superadditi capax, vt Deus, non poterit alteri intrinsecè vniri, & ex consequenti neque Verbum potuit humanitati hypostaticè vniri.

5 Tertiò: Non minus immediatè & proximè vnita est humanitas Christi Personæ Verbi, quàm vniretur propriæ subsistentiæ, & personalitati creatæ; sed propriæ subsistentiæ, seipsa, & non per superadditam entitatem vniretur; ergo eodem modo vnita est Personæ Verbi hypostaticè. Maior patet; nam Personalitas Verbi gerit vicem propriæ: ergo eodem modo seclusis imperfectionibus vnita est humanitas Personæ Verbi, ac propriæ personalitati creatæ vniretur. Sed quòd immediatè vniatur, non pertinet ad imperfectionem hypostaticæ vnionis, sed potiùs ad eius perfectionem: ergo si propriæ personalitati seipsa immediatè vniretur humanitas, etiam Personę Verbi vnita est immediatè. Minor probatur; nam subsistentia propria comparatur ad humanitatem sicut proprius, & intrinsecus terminus ad rem terminabilem; sed de ratione intrinseci termini est, quòd per seipsum immediatè rei terminatę vniatur, vt patet in puncto respectu lineæ; ergo de ratione etiā subsistentiæ est, quòd proximè, & immediatè naturæ terminatæ per ipsam vniatur.

6 Nihilominus cæteri Theologi per oppositum docent, per Incarnationem aliquid reale distinctum ex natura rei ab humanitate Christi in ipsa fuisse productū, per quod formaliter & intrinsecè mansit vnita Verbo Diuino hypostaticè. Sed dissentiunt in explicāda ea entitate, quæ ex huiusmodi actione in humanitate resultauit. Etenim Gabriel, & Ocham in. 3. d. 5. q. 1. putant fuisse quandam qualitatem ordinis supernaturalis, quā à cæteris Theologis appellari dicunt vnionis gratiam. Scotus verò, & Durandus ibidem q. 1. censent fuisse relationem, non quidem prædicamentalem, sed extrinsecùs aduenientem, ad quam primò, & per se potest actio terminari. Sed pro resolutione sit Prima Conclusio.

7 Necessariò dicendum est, per huiusmodi actionem vnitiuam resultasse in humanitate Christi aliquam entitatem realem, formaliter & ex natura rei distinctam ab ipsa humanitate, per quā dicitur vnita in facto esse Diuino, Verbo hypostaticè. Hanc confirmat multis argumētis M. Suarez hîc Disput. 8. Sectio: 3. Parag. Sed ista sententia. Et probatur breuiter. Humanitas Christi secundùm suā intrinsecam entitatem fuit indifferens, vt vniretur, vel non vniretur hypostaticè Verbo; ergo, vt illi intrinsecè vniretur, fuit necessaria aliqua entitas superaddita. Consequentia patet, quia vt aliquid suapte natura indifferent ad plura, habeat vnum determinatè, necessarium est, vt aliquid ei superaddatur.

8 Dices, necessarium fuisse, quòd per actionem Incarnationis coniuncta fuerit humanitas Verbo, & ex eo præcisè manet substantialiter vnita sine vlla entitate superaddita. Sed contra est, quia actio Incarnationis iam pertransijt secundùm totam suam entitatem, & nihil illius est modò in actu, ergo nequit Christi humanitas per eam actu, & formaliter esse nunc vnita Verbo substantialiter, sed per aliquid reale, ex vi illius actionis productum, quod in ipsa humanitate remansit. Cōfirmatur ampliùs: nam posset humanitas Christi semel per Incarnationem Verbo vnita, ab illo esse separata; ergo non sufficit, quòd semel fuerit per talem actionem coniuncta, vt ei vnita permaneat, sed necessariò debuit ex illa aliquid resultare, quo nunc formaliter humanitas vnita Verbo intelligatur.

9 Dices, nunc esse vnitam per actionem Incarnationis, quatenùs intelligitur à Deo continuari. Sed contra est, quia Deus non dicitur aliter actionem aliquam cōtinuare, nisi quatenùs conseruat terminum per illam productum; ergo continuat actionem Incarnationis, quatenùs conseruat terminum realem per illam de nouo productum, videlicet, modum intrinsecum vnionis, quo humanitas vnitur Verbo formaliter, & dicitur terminus quodammodò, & omninò est de nouo productus.

10 Sed respondet Gregorius, terminum per hanc actionem productum fuisse Christum, hoc est, Deum hominem factum, & hunc solum terminum conseruari à Deo. Sed contra est, quia licèt totalis terminus sit Christus, at Verbum esse hominem non est quid factum per Incarnationem ratione ipsius Verbi, vt patet, neque ratione humanitatis; quia hæc non est producta per hanc actionem formaliter, vt est vnitiua, sed vt est productiua, & ordine naturæ est prior, & præsupponitur in fieri ad seipsam, vt est vnitiua, ac proinde formaliter distinguitur à seipsa, vt est assumptio humanitatis ad Verbum; ergo est quid factum ratione substantialis vnionis, qua ista extrema inter se copulantur. 11 Sicut ergo generatio hominis terminatur ad aliquid de nouo factum, non ratione corporis, quod priùs tempore erat, nec ratione animæ, quæ priùs natura fuerat creata, sed ratione vnionis substantialis, qua forma vnitur materiæ; sic etiam Incarnatio terminatur ad aliquid de nouo factum ratione vnionis substantialis, qua humanitas priùs natura per generationem præsupposita in fieri, & produci, Diuino Verbo copulatur. Sicut enim anima per informationem constituit formaliter hominem; sic humanitas Christi per substantialem vnionem cum Persona Verbi, constituit hunc hominem Christum, & Deum quasi formaliter hominem facit. Ex quo satis patet, per Incarnationem aliquid reale intrinsecum fuisse productum, per quod humanitas

Christi in facto esse intelligitur vnita Verbo hypostaticè.

Secunda Conclusio.

12 Hæc entitas, per quam humanitas formaliter vnitur Verbo, non est accidentalis, sed substantialis. Probatur, quia ratione illius sic copulatur humanitas cum Persona Verbi, vt cum ipsa faciat vnum substantiale; sed nequit copulari ad faciendum vnum substantiale per entitatem accidentariam formaliter: ergo huiusmodi entitas non fuit accidentalis, sed substantialis. Confirmatur; quia qualis est vnio, tale est vnum ex ea resultans; ergo si entitas huius vnionis esset accidentalis, vnum ex ea resultans esset solum vnum accidentaliter. Sed vnum ex hac vnione resultans est vnum substantialiter; ergo & id, per quod formaliter vniuntur, est substantiale, & non accidentale.

Tertia Conclusio.

13 Hæc substantialis entitas, per quam humanitas immediatè vnitur Verbo, non est res ab ipsa realiter distincta, sed modus intrinsecus formaliter tantùm diuersus. Pro intelligentia conclusionis aduertendum est ex Durando in 1. d. 30. q. 1. res esse in duplici differentia, quædam sunt perfectæ, quæ habent suam completam essentiam independentem essentialiter ab vnione cum altero, aliæ verò imperfectæ, quæ concipi nequeunt, nisi vt vnitæ, aut affixæ alteri. Priores absolutè & simpliciter dicuntur res, & aliquid; posteriores verò potiùs sunt modi rerum, quàm res, & potiùs sunt alicuius, quàm aliquid. Huius generis sunt actualis ratio componentis, causantis, tangentis, vniti, & coniuncti &c. Quæ nihil aliud sunt quàm modi quidam, quibus res, aut componentes, tangentes, &c. intelliguntur modificatæ. Ex hac doctrina Durandi facilè probatur conclusio.

14 Si enim vnio in genere sumpta non est entitas realiter à re vnita distincta, sed modus eius diuersus tantùm formaliter, vnio humanitatis ad Verbum non erit res realiter diuersa, sed modus tantùm distinctus formaliter: sicut enim accidens, quàdiu actu est vnitum subiecto, habet modum essendi accidentalem, qui dicitur inhærentia actualis, quem amittit, cùm à subiecto separatur: sic humanitas Christi, quandiu est vnita Verbo hypostaticè, habet modum essendi substãtialem in ipsomet Verbo, quem amitteret necessariò, si ab illo separaretur. Dicit enim hic modus essendi relationem actualis dependentiæ humanitatis in ratione terminatæ ad ipsam Personam Verbi, sicut ad terminum intrinsecè ipsam complentem, & terminantem actualiter. Et licet hic respectus non sit relatio prædicamentalis, sed ordo quidam transcendentalis imbibitus in conceptu absoluto humanitatis, prout vnitæ substantialiter Verbo; nihilominùs ab aliquibus Theologis, vt ab Scoto, & Durando, hic substantialis modus vocatur relatio vnionis, eò quòd in hoc, quod est actu dependere ab altero vnionis extremo, nempe, Persona Verbi, maximam similitudinem habeat cum relatione prædicamentali.

15 An verò præter istum substantialem modum vnionis, quo humanitas intelligitur substantialiter vniri Verbo, & ab illo dependere sicut à sustentante, ponenda sit alia relatio prædicamentalis, in isto modo fundata, per quam humanitas accidentaliter ad Verbum, sicut ad terminum correlatum referatur, non satis cõstat inter Theologos. Quidam absolutè negant; quia dicunt, quòd cũ res per seipsam substantialiter ad aliud refertur, frustrà fingitur in ea relatio, per quam accidentaliter referatur. M. Suarez concedit, in humanitate substantialiter cum Verbo vnita, & transcendentaliter ad ipsum mediante modo vnionis ordinata, relationem prædicamentalem resultasse, qua formaliter refertur ad Verbum, vt correlatum: sicut in agente & patiente præter transcendentales respectus actionis, & passionis, sunt relationes prædicamentales in ipsa actione, & passione fundatæ, per quas inuicem referuntur. Et sicut in partibus componentibus præter habitudinem substantialem, quam dicunt inter se, vt componunt actu, quæ nihil aliud est, quàm actualis earum vnio, assignantur relationes accidentales, quibus partes sic vnitæ inuicem ordinantur. Sed de hoc latiùs infra art. 7. huius quæstionis Disput. 3. & 4. vbi examinatur.

16 Sed contra istam conclusionem obijcitur primò: Substantialis vnio humanitatis ad Verbum, quæ gratia vnionis communiter vocatur, est perfectissima omnium, quæ Deus fecit, imò & quæ facere potest, vt infra constabit: ergo non potest formaliter consistere in modo substantiali à nobis assignato, qui est imperfectissimus, & ferè nullius entitatis. Resp. hanc vnionem dici perfectissimam, quia ratione illius personale, & infinitum esse Verbi communicatur humanitati, & ex hac vnione resultat vnum substantiale intrinsecè constans ex ipsa Verbi Persona, & humanitate: quod sanè compositum ratione vnius extremi componentis, essentialiter in eo inclusi, excedit infinitè, quicquid creatum est, aut creabile.

17 Secundò. Hæc vnio est supernaturalis secundùm substantiam; ergò non est modus identificatus realiter cum humanitate Christi, quæ est substantia merè naturalis. Consequentia probatur; quia res supernaturalis magis differt à naturali, quàm spiritualis à materiali, nam istæ sunt eiusdem ordinis, illæ verò diuersi: sed nequit dari modus spiritualis realiter identificatus cum re materiali, aut è contra; ergo neque supernaturalis potest identificari cum re naturali. Negatur consequentia, & ad probationem, neganda est minor, quia vnio animæ rationalis est modus materialis, vt pote dependens in fieri, esse, & conseruari à materia, & factus per actionem materialem, nempe, generationem, ab homine propria virtute, & non instrumentaliter operante, & tamen identificatur cum anima spirituali. Nec mirum, nam accidens plus distat à substantia, & nihilominus potest cum ea realiter identificari.

18 Secundò Resp. negando maiorem huius probationis, quia modus rei non est aliud, quàm res ipsa; vt talem habitudinem habent, implicat autẽ, quòd res materialis habeat habitudinem spiritualem, non verò quòd naturalis dicat habitudinem supernaturalem, & dependentiam ab agente, aut forma supernaturali tantùm, vt patet in vnione tenente se ex parte animæ cum habitibus gratiæ, & virtutum supernaturalium.

19 Ad primũ argumentum Gregorij Resp. Verbum ita esse vnitum cum humanitate, vt nullam ab ea perfectionem, aut modum essendi intrinsecum in seipso acceperit. At humanitas Christi, quatenùs à Verbo sustentatur, accepit ab ipso modum supernaturalem essendi, qui includit dependentiã essentialem à Persona

Verbi

Verbi sicut à termino actualiter terminante humanitatem: in quo modo essendi consistit vera ratio vnionis hypostaticæ, à qua formaliter humanitas hypostaticè vnita verbo denominatur transacta Incarnationis actione.

20 Sed probatur, Verbum per Incarnationem nouam entitatem realem intrinsecam acquisisse. Primò, Nouus effectus formalis intrinsecus postulat nouam, realem, & intrinsecam formam: sed Diuinum Verbum per Incarnationem acquisiuit nouum effectum formalem, realem, & intrinsecum; ergo & nouam formam. Maior cum consequentia patet, & minor probatur; quia per Incarnationem acquisiuit esse vnitũ realiter & intrinsecè humanitati de nouo; sed sic esse vnitum est effectus formalis realis vnionis; ergo acquisiuit nouam realem vnionis entitatem, seu formam.

21 Dices, verbum trãsacta Incarnationis actione, mansisse vnitum humanitati per vnionem realem intrinsecam, tenentem se ex parte humanitatis. Sed contra, quia implicat, aliquid esse formaliter, & intrinsecè tale per extrinsecam formam, existentem in alio; ergo & verbum esse realiter, & intrinsecè vnitum per vnionem extrinsecam existentem in humanitate.

22 Confirmatur: quia vnio essentialiter est nexus duorum; ergo implicat, vnionem substantialem tenere se tantùm ex parte vnius extremi. Ergo si humanitas Christi vnita est Verbo substantialiter per realem, & intrinsecam vnionem, Verbum similiter est vnitum per realem & intrinsecam vnionem, tenentem se ex parte illius, ipsi humanitati.

23 Confirmatur secundò: quia hac præcisa ratione efficaciter probauimus, humanitatem Christi per Incarnationem comparasse realem vnionis modum, quia ex vi illius humanitas Christi, quæ secundùm suam essentiam non erat coniuncta Verbo, sed indifferens ad talem vnionem, mansit substantialiter vnita Diuini Verbi Personæ: sed similiter ipsa Persona Verbi, quæ secundùm se ante Incarnationem non erat vnita, sed separata ab humanitate, mansit hypostaticè illi vnita ex vi huius actionis; ergo per illam acquisiuit realem, & superadditum vnionis modum.

24 Nihilominus crediderim, hoc esse singulare in hac ineffabili vnione, vt extrema realiter & intrinsecè dicantur vnita per vnicum, & indiuisibilem vnionis modum in altero extremorum tantùm intrinsecè receptum: quidquid sit de alijs vnionibus. Vnde ad argumentum Resp. Quòd sicut est singulare in hac vnione, quòd vnum extremum, nempe, Verbum, sit infinitum, & incapax nouæ entitatis, & perfectionis, ita est singulare & proprium, vt per seipsum vniatur humanitati sine vllo superaddito vnionis modo. Vnde neganda est minor; quia Verbum esse vnitum humanitati, nihil est aliud, quàm ipsam terminare. Quare sicut terminare nihil reale ponit in Verbo, sed in humanitate: ita esse vnitum, nullam superadditam entitatem dicit in Verbo, sed in humanitate. Vt autem Verbum dicatur formaliter & intrinsecè vnitum, satis est, quòd per suammet intrinsecam entitatem, & personalitatem vniatur, & non est necessarium, quòd per intrinsecam formam, idest, per superadditum vnionis modum.

25 Ad primam confirmationem Resp. Quòd sicut relatio vnionis in creatoris semper est mutua, quia eius extrema mutuò inter se dependent, non vero hîc propter omnimodam independentiam alterius extremi, nempe, verbi; sic absolutus vnionis modus in rebus creatis est mutuus, non tamen hîc, quia in hac vnione solùm vnum extremum, videlicet, humanitas substantialiter dependet ab altero, & ita solùm ex parte illius se tenent intrinsecè & modus intrinsecus vnionis, & relatio realis prædicamentalis, quæ ex illo consequitur.

Ad secundam confirmationem Resp. Non ex eo solùm probari, humanitatem per Incarnationem accepisse modum realem superadditum vnionis, quòd post illam actionem manserit vnita vtcumque, sed tali modo, videlicet, intrinseca dependentia à Persona Verbi: quæ dependentia aliud esse non potest, quàm nouus modus substantialis essendi, acquisitus per huiusmodi actionem. 26

Ad secundum argumentum principale negatur, ex vi solius actionis præteritæ manere aliqua realiter distincta intrinsecè vnita, sed insuper est necessarium, vt in ipsis extremis sic vnitis perseueret modus intrinsecus vnionis ex tali actione causatus. Vnde tam in materia, & forma, quàm in accidenti, & substantia; vt inuicem vniantur, necessario debet intercedere media, & superaddita entitas, quæ rationem nexus, & vnionis extrema illa coniungentis, formaliter habet. Neque eam Aristoteles negauit, cùm secundo de Anima dixit, corpus, & animam sine aliquo glutine inter se copulari. Solùm enim voluit excludere medium, quod se habet vt, Quo, in vnione, quale est bitumen, V. G. quo mediante lapides vniuntur, non autem medium, vt, Quod, idest, modus, qui sit ipsamet actualis vnio extremorum, nam hanc implicat non mediare inter extrema actu vnita. 27

Ad confirmationem Resp. Tunc solùm esse necessarium modum vnionis ex parte alicuius extremi vniti, quando tale extremum ex coniunctione cum altero perficitur, aut aliquam entitatem ab eo accipit. Et quia Diuinum Verbum ex hac coniunctione ad humanitatem nihil accipit, ideò vt vniatur intrinsecè cum humanitate, non indiget modo superaddito. 28

Ad tertium Resp. Quòd si subsistentia differat à natura realiter tanquam res à re, veluti proprius naturæ actor, sic inter subsistentiam & naturam mediat modus vnionis. Et idem de puncto respectu lineæ dici potest. Sin autem subsistentia solùm sit modus naturæ, immediatè coniunguntur sine vllâ entitate superaddita. Ex quo non sequitur, quòd humanitas Christi fuerit vnita Personæ Verbi sine aliquo modo substantiali intermedio, quia subsistentia Verbi non est modus naturæ humanæ, sed terminus realiter distinctus, non ipsam modificans, sed actuans, & tribuens modum essendi realiter à Diuina subsistentia distinctum, identificatum tamen cum humanitate. 29

Postremò aduerterim circa id, quod dixi, esse singulare in hac vnione ineffabili, vt extrema realiter, & intrinsecè dicatur vnita per vnum, & indiuisibilem vnionis modum in sola humanitate intrinsecè receptum; quia in reliquis vnionibus censeo, quæcumque naturaliter vniuntur ad constituendum aliquod tertium, se se inuicem perficere, & mutuò inter se depẽdere, ac proindè necessum est, vt per talem vnionem aliquid reale intrinsecum vnumquodque adquirat, & ex consequenti 30

realiter mutetur. Sicut enim materia, quia est potentia per se ordinata ad recipiendam formam, dum illam actu recipit, perficitur, & actuatur; & nouum essendi modum acquirit, in quo consistit ratio vnionis tenentis se ex parte eius; sic etiam forma, quia est actus per se
31 ordinatus ad informandam materiam, dum actu illam informat, intrinsece perficitur, & modum essendi substantialiter suscipit, scilicet, esse in alio per informationem, similem ei, quem accidens habet per inhærentiam. Quem sane modum amittit, cùm à materia separatur, & dum separata est, appetit veluti propriam, & connaturalem perfectionem, vt cõstat in anima rationali. Et in hoc substantiali modo essendi in alio per informationem consistit essentialiter vnio tenens se ex parte formæ. Ex quo patet, in vnione substantiali duplicem reperiri modum vnionis, vnum identificatum cũ ma-
55 teria, alterum cum forma. In accidentali verò quamuis id non sit ita manifestum, quia subiectum solam formam realiter distinctam suscipit, neque ab ea nouum recipit essendi modum; nihilominus in subiecto modum accidentalem vnionis identificatum realiter cum ipso ponendum existimo, qui in hoc formaliter consistit, quòd materialiter sustentet accidentalem formam. Et cùm ista materialis causalitas sit intrinseca, non est res diuersa ab entitate causæ, nempe, subiecti, sed intrinsecus modus illius, vt ex Durãdo supra ostensum est.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm sit facta aliqua vnio animæ, & corporis in Christo.

CONCLVSIO *Est affirmatiua, quam probat D. Thomas in argumento sed contra; quia corpus non dicitur animatum, nisi ex vnione animæ: sed corpus Christi dicitur animatum; ergo in Christo fuit vnio animæ, & corporis. Secundò in corpore. Christus dicitur, & est homo vniuocè cum alijs hominibus; cùm sit eiusdem speciei; sed ad rationem humanæ speciei pertinet, quòd anima vniatur corpori; ergo in Christo fuit anima corpori vnita.*

Contra cõclusionem argumentatur D. Thomas. Primò. In nobis ex vnione animæ & corporis causatur persona, vel hypostasis hominis; ergo in Christo ex vnione animæ, & corporis fuit constituta aliqua hypostasis; sed non hypostasis Verbi Dei, quæ est æterna; ergo in Christo est aliqua alia hypostasis præter hypostasim Verbi. Respondet D. Thomas negando consequentiam, quia hoc accidit in puris hominibus, eòquòd anima & corpus sic in eis coniunguntur, vt per se existant: sed in Christo vniuntur adinuicem, vt adiuncta alteri principaliori, quod subsistit in natura ex illis composita, & propter hoc ex vnione animæ & corporis in Christo non constituitur noua hypostasis, vel persona simpliciter, sed natura quædam singularis, ex anima & corpore composita ita est cõiuncta Personæ Diuinæ præexistenti, vt constituat illam, non quidem in esse personæ simpliciter, sed in eo, vt sit humana persona. Neque ob id hæc vnio est minoris efficaciæ, quia coniunctio ad nobilius non adimit virtutem, vel dignitatem, sed potiùs auget.

Secundò. Ex vnione animæ & corporis constituitur species humana; sed in Christo non est communem speciem accipere, vt docet Damascenus lib. 3. Fidei Orthodoxæ cap. 3. Ergo in Christo non fuit vnio animæ & corporis. Respondet D. Thomas, in Christo non esse communem speciem, quia ex duabus naturis non est facta vna, quæ posit in alias multiplicari: sed assumpsit Christus naturam humanam in indiuiduo, nõ quidem in alio indiuiduo, quod sit suppositum, vel hypostasis illius naturæ, quàm in Persona Filij Dei.

Tertiò. Anima coniungitur corpori, vt ipsum viuificet: sed corpus Christi poterat viuificari ab ipso Verbo Dei, quod est fons, & principium vitæ; ergo in Christo non fuit vnio animæ & corporis. Respondet distinguendo minorem: nam duplex est principium vitæ corporalis, vnum effectiuum, & hoc modo Verbum est principiũ omnis vitæ, nempe, effectiuè. Alio modo est aliquid principium vitæ formaliter: nam cùm viuere viuentibus sit esse ex secundo de Anima textu. 37. Sicut vnumquodque formaliter est per suam formam, sic corpus viuit per animam, & hoc modo non ponitur corpus viuere per Verbum, quod nullo modo potest esse corporis forma.

Commentarius.

MOTIVVM Proponendi hunc articulum desumpsit D. Thomas ex eo, quòd tempore Magistri Sententiarum, vt ipse refert in. 3. d. 6. fuit inter Catholicos quædam opinio, asserens Verbum fuisse vnitum animæ & corpori tanquàm duobus indumentis, ita, vt corpus & anima inter se nõ vnirentur. Et hanc dicit Magister esse opinionem: quæ re vera non opinio, sed hæresis est manifesta, vt hoc loco docet D. Thomas damnata in Concilio Ephesino. 1. cap. 13. vbi Anathemate feriuntur, qui dixerint Filium Dei non assumpsisse corpus animatum; & sic canit Ecclesia in Festo Circuncisionis in laudibus. *Animatum corpus sumens de Virgine nasci dignatus est.* Animatum autem sine animæ & corporis vnione intelligi non potest. Idem definitur in Concilio Chalcedonensi actione. 5. & in Constantinopolitano. 2. actio. 4. Canc. 4. Et in sexta Synodo generali actione. 11. in Epistola Sophronij.

Sophronij. Et in Concilio Lateranensi sub Innocentio. III. Et refertur in cap. Firmiter de Summa Trinitate &c. Sub his verbis. *Christus est compositus ex anima rationali, & humana carne.* Et in Toletano. 15. cap. 3. definitur, quòd cùm dicitur Ioan. 1. *Verbum caro factum est;*. Ibi caro pro toto homine sumitur. Et Athanasius in symbolo. *Perfectus homo ex anima rationali, & humana carne subsistens.* Denique iste error ex professo damnatus est ab Alexandro. 3. in capitulo, Cùm Christus, Extra de hæreticis. Et ratio D. Thom. id euidenter ostendit; quia aliàs saluari non posset, Christum esse verum hominem eiusdem speciei nobiscum, & esse verè vnigenitum ex Virgine Maria, & mortuum, quia anima & corpus, non quomodocumque vnita, sed secundùm rationem materiæ & formæ constituunt hominem, & sunt terminus generationis, & eorum separatio inducit mortem.

2 Sed contra conclusionem obijcitur. Primò. Anima humana vnitur corpori, vt motor secundùm Platonem, non vt forma; ergo vnitur in genere causæ efficientis, atque adeò non erit contra fidem asserere, in Christo animam non informare corpus. Confirmatur, quia ex sententia Altisiodorensis, & Hugonis de Sancto Victore, in triduo mortis Christus fuit homo; ergo vt sit vere homo, non requiritur animam corpori vniri.

3 Secundò. Anima corpori vnita fuit assumpta à Verbo; ergo hæc humanitas præintelligitur, & præsupponitur assumptioni. Ergo priùs naturâ extitit hæc humanitas. Ergo duplex existentia est in humanitate Christi, altera, quæ præintelligitur ante assumptionem, & altera, quæ illi aduenit post assumptionem. Confirmatur: quia viuere viuentibus est esse; ergo si anima viuificat corpus Christi, dat illi esse. Ergo est duplex esse in Christo.

4 Ad primum Resp. Doctrinam Platonis damnatam esse in Clementina Vnica de Summa Trinitate. Secundò Resp. Quòd anima potest comparari, & ad informationem corporis, & constitutionem speciei, siue compositi, & hac ratione vnitur vt forma. Secundò potest cõparari ad operationes, siue illæ sint totius compositi, siue animæ solius. Et hac ratione anima habet se vt mouens, & efficiens: quamuis Plato nunquam id dixisset. Nihilominùs omnes istæ actiones animales & vitales habent adiunctum quendam ordinem formalem ad suum principium effectiuum, ob quem elici non possunt nisi ab anima. Implicat enim, quòd ambulatio, locutio, risus, visio &c. Non fit ab habente animam, & principio viuendi. Ad confirmationem dicitur, illum modum dicendi damnari à D. Thoma, vt erroneum infra. q. 50. art. 4.

5 Ad secundum Resp. Quòd licèt priùs naturâ intelligatur hæc humanitas assumptibilis à Verbo, quam ipsa assumptio, non inde colligitur, illam humanitatem in aliquo priori existere sine verbi existentia; sicut, licèt in genere causæ materialis præintelligatur materia formæ, non inde sequitur, quòd existat in aliquo priori sine forma. Sic ergo, quamuis hæc humanitas præintelligatur assumptioni, non tamen vt priùs existens, sed tanquam id, quòd ad existentiam verbi trahitur. Ad confirmationem Resp. Antecedens esse verum de esse essentiæ, non de esse existentiæ. Et ita forma, quæ in viuentibus confert gradum vitæ specificum, dat etiam esse essentiale. Et in proposito anima rationalis formaliter tribuit corpori viuere, & esse essentiale; esse autem existentiæ non dat forma, sed verbum. Quò fit, vt in Christo sit duplex esse essentiæ, cùm sit duplex natura, est tamen vnicum esse existentiæ. Legendus est D. Thomas. 2. 2. q. 179. art. 1. ad. 1.

Circa Responsionem ad primum, aduertendum est, vnionem animæ cum corpore, & vtriusq; cum Persona Verbi factam fuisse absque vlla vi, & repugnantia. 6
Vt autem hoc apertiùs intelligatur, expendendus est ordo, quem natura in vnione animæ ad corpus, & vtriusque ad suppositum seruat, iuxta probabilem quorundam Theologorum sententiam. Etenim in primo instanti, siue in primo signo, primum, quod ex causis naturalibus ordine naturæ oritur, est essentia rei; in secundo quasi instanti naturæ consequitur suppositum, & in tertio cõsequitur existentia, quæ est vltimus terminus, in quo actio agentis terminatur. Hic autem ordo in hoc admirabili mysterio fuit præuentus, nam in illo priori instanti naturæ, quo humanitas ex causis naturaliter agentibus effluxit, Verbum Diuinum in sua persona humanitatem sibi vniuit ante instans secundum, in quo naturali sequella propria persona erat promanatura, & existentia naturali ordine ipsi humanitati debita.
Itaque simpliciter, & absolutè loquendo simul naturâ sunt facta, tum productio humanitatis, tum etiam productio corporis & animæ essentialis, & vnio humanitatis cũ Verbo. In genere autem causæ materialis priùs fuit humanitatis productio, & animæ & corporis vnio, quàm vnitio cum Persona Verbi, sicut in naturalibus contingit, aliqua duo secundùm diuersum genus causarum adinuicem esse priora, vel posteriora, sicut diffusio lucis in aere in genere causæ efficientis, vel formalis priùs est, quàm expulsio tenebrarum: sed in genere causæ materialis, in qua priuationis expulsio ad introductionem formæ præintelligitur, priùs est tenebrarum expulsio. In præsenti ergo dicendum est, quòd humanitatis productio ex vna parte, & ex alia eiusdem ad Verbum assumptio, se inuicem quasi causauerunt, & fuerunt adinuicem causæ vna respectu alterius in eodem temporis & naturæ instãti. Assumptio enim quasi in genere causæ formalis productionem humanitatis causauit, existentiam creatam sibi ex ordine naturæ debitam præueniendo, & loco illius esse Verbi Personale communicando. Ipsa verò humanitatis productio ministerialiter quasi causauit assumptionem, quoniam naturales causæ, quæ illam humanitatem ex Spiritus Sancti superuentione eleuatam produxerunt, eam ordine naturali cum proprio supposito erant producturæ, & sic ipsum attingere suppositum. Cùm ergo Spiritus Sanctus causarum naturalium circa proprium suppositum attingentiam præuenerit, & illam naturam ad altius suppositum eleuauerit: fit, vt quemadmodùm instrumentum actionem principalis agentis attingere solet, sicut aqua in baptismo, sic etiam illa humanitatis productio, vt à causis naturalibus effluxit, quasi ministerialiter attigit eleuationem à superueniente Spiritu Sancto effectam. Et ob hanc causam B. Virgo dicitur verè Mater Dei, quia Spiritu Sancto superueniente humanitatis Christi productionem attigit; nam B. Virgine ex vna parte ministerialiter se habente in humanita-

tis

Digitized by Google

tis productione, & Spiritu Sancto ex alia obumbrante, & illam humanitatem eleuantẽ, facta est Diuina illa humanitatis ad Verbum eleuatio, & sic Beatissima Virgo extitit quasi causa illius, eamq; per modum ministerij veluti attigit. Hoc est valdè probabile, tametsi oppositum ab aliquibus probabilius censeatur.

10 Est tamen aduertendum, quòd licèt causæ naturales in humanitatis Christi productione quandam instrumenti rationem habuerint, non sunt absolutè & simpliciter causæ instrumentales dicendæ, quia gladius scindere nõ dicitur, aut manus occidere, sed homo mediante manu & gladio. Ita similiter si naturales causæ in humanitatis Christi productione præcisè fuissent instrumenta, B. Virgo absolutè Mater Dei non diceretur. Dicendum est ergo, causas naturales in illa productione humanitatis Christi fuisse causas principales, subordinatas tamen ad finem superioris causæ, sicut ars frenefactoria ordinatur ad equestrem, & equestris ad militiam: ita similiter causæ naturales in ea productione ex virtute Spiritus Sancti superioris agentis ordinatæ sunt in finem intentũ ab Spiritu Sancto in illo priori instanti temporis & naturæ, quo Christi humanitas fuit præuenta, & à propria existentia, & subsistentia ex ordine naturæ sibi debita, impedita, & ad increatam subsistentiam eleuata.

11 Præterea notanda est doctrina Caietani, quæ à nobis explicata est art. 3. huius quæstionis. In responsione ad secundum explicat D. Thomas illam propositionem Damasceni lib. 3. cap. 3. Videlicet, In Christo Iesu non est communem speciem accipere: quæ dupliciter potest intelligi. Primò, vt per communem speciem intelligat naturam humanam in vniuersali, in quo sensu verissima est propositio, quia vt docet idem Damascenus lib. 3. cap. 3. Filius Dei assumpsit naturam humanam in atomo, hoc est, indiuiduam & singularem, vel in atomo: Idest, in indiuiduo, & hypostasi humana, quæ est eadem cum persona humana. Caietano displicet hæc secunda expositio illius particulæ, In atomo, & meritò quidem, nã quod assumitur, debet ordine naturæ præintelligi assumptioni: at Persona Verbi, vt est humana, non præintelligitur assumptioni, sed potiùs fit per ipsam assumptionem. Secũdò potest intelligi, vt per communem speciem intelligatur non natura in vniuersali, sed natura ex humanitate & Deitate composita, quę ob id dicitur communis, quia vtramq; complectitur. Et de huiusmodi natura si sic esset assumpta, rectè dicit D. Thomas, & Caietanus, quòd possent esse plures Christi, vt quælibet persona esset Deus, & homo. Et probatur, quia de ratione essentiæ materialis, & corruptibilis est, vt pluribus indiuiduis possit communicari per diuisionem; sed illa natura sic composita esset materialis & corruptibilis, quia ex materiali & corruptibili constans: ergo posset pluribus per diuisionem communicari, atque adeò possent esse plures Christi: quod tamen repugnat; quia sequeretur, plures esse Deos, vel Deum esse factum; ac proinde propositio Damasceni in vtroque sensu est verissima.

12 Sed objicitur. Etiam si non detur hæc natura, vel species sic communis, adhuc sequitur, esse posse plures Christos, videlicet si Christus generaret alium Christum, vel si dimitteret humanitatem, vel si dimissa, vel non dimissa humanitate assumeret aliam. Resp. Non sequi vllo ex his modis posse esse plures Christos, quia genitus à Christo non esset Deus, & sic non esset alius Christus. Item si Christus aliam humanitatem assumeret, hac, quam habet, dimissa, vel non dimissa, non esset alius Christus, imò neque alius homo, quia alius suppositi diuersitatem dicit, & ille homo esset idem supposito & persona cum Christo. Ergo esset idem Christus, & idem homo habens tamen aliam humanitatem. Denique si Verbum vnitam sibi humanitatem dimitteret, ita vt proprium suppositum constitueret, esset quidem alius homo, quia aliud suppositum, & aliud habens humanitatem, non tamen esset alius Christus, quia non esset Deus. Dico tamen, quòd licèt non esset idem homo, qui fuit flagellatus, & crucifixus, verùmtamen ille alius homo eadem numero haberet vulnera, quæ fuerunt in Christo, quia eandem numero humanitatem cum eisdem accidentibus haberet.

Ex responsione ad tertium colligitur, per nullam potentiam fieri posse, vt Deus sit principium formale viuendi, intelligendi &c. vt anima: tum quia Deus nequit supplere vicem causæ formalis, tum quia non potest esse forma corporis, vt supra ostensum est art. 2 huius quæstionis: ad hoc autem vt Deus vniatur humanitati in ratione animæ & vitæ &c. requiritur vt illi inhæreat, & sit illius forma intrinseca. Est enim de intrinseca ratione viuificationis, quòd in rebus compositis ex materia & forma fiat per intrinsecam formam actuantem corpus: & ideò repugnat, talem viuificationem immediatè fieri à Deo per seipsum, sicut repugnat Deum esse formam tãquam alteram partem compositi: quam compositionem ex partibus formali & materiali dicit essentialiter corpus viuens. 13

Sed objicitur. Si Deus vniret sibi animam separando ab illa intellectum, & voluntatem, tunc anima intelligeret per intellectionem Diuinam; ergo etiam si vniret sibi corpus mortuum, posset illud viuificare. Respondet Medina, quòd fortasis tunc anima intelligeret per intellectionem Diuinam. At hæc solutio admitti non potest, quia implicat intelligere per alienam intellectionẽ, cùm intelligere nihil aliud sit, quàm producere intellectionem, sicut videre est producere visionem. Tum etiam, quia operatio vitalis, qualis est intellectio dicit intrinsecum ordinem ad potentiam vitalem elicientem ipsam. Ad argumentum ergo Resp. quòd in eo casu anima solùm viueret, non tamen intelligeret, aut vellet. 14

PRIMA DISPVTATIO.

CIRCA Conclusionem huius articuli dubitatur, An Christus ratione huius vnionis, & compositionis, quæ est in humana natura ex corpore & anima, dicatur simpliciter, formaliter, & sine addito compositus, ita vt hæc propositio, Christus est compositus, formaliter sit concedenda. Negatio sic probatur. Primò. Si hæc propositio esset vera, & concedenda formaliter, id esset propter rationem D. Thomæ hic in corpore, nempe, quia Christus est vniuocè homo nobiscum, & eiusdem speciei cum alijs: & ex consequenti sicut cæteri homines sunt compositi ex corpore & anima, ita & Christus. Sed hæc ratio est ineficax; quia vniuocatio, & conuenientia in specie compatitur secum hãc differentiam inter Christum & nos, 15

quòd

Digitized by Google

quòd Perſona Chriſti eſt Perſona Diuina, relatiua, & non reſultans in ſuo eſſe ſimpliciter ex vnione animæ & corporis: perſona verò cuiuſcumque alterius hominis eſt tantùm humana, abſoluta, & reſultans in ſuo eſſe ſimpliciter ex illa vnione: ergo ſimiliter illa identitas ſpecifica, & voiuocatio ſecum compatitur hanc differentiam in compoſitione, vt Perſona Chriſti ſit ſimplex, aliorum verò hominum compoſita.

2 Secundò. Si hæc propoſitio eſt concedenda, ſequeretur primò, hanc etjam eſſe veram: Chriſtus eſt caro, & anima rationalis; & hanc ſimiliter eſſe concedendam, Chriſtus eſt creatura: ſed conſequens eſt falſum; ergo. Probatur ſequella. Quia partes identificantur cum toto, & prædicantur de ipſo ſimul ſumptæ ſecundùm probabiliorem ſententiam; ac proindè cùm anima rationalis & caro ſint creatæ, Chriſtus eſſet dicendus creatura. Item ſequitur, Deum eſſe compoſitum ex corpore & anima rationali, quia Chriſtus eſt Deus. Rurſus, Chriſtus eſſet magis cōpoſitus, quàm humanitas; nam Chriſtus includit cōpoſitionem humanitatis, & ſuperaddit accidentia indiuiduantia, quæ vniuntur in Perſona Chriſti, & non in humanitate.

3 Circa hanc difficultatem M. Soto in prædicamento ſubſtantiæ, q. 1. circa finem aſſerit, hanc propoſitionem ſimpliciter & abſolutè non eſſe concedendam, imò ibidem negat, abſolute & ſimpliciter, Chriſtum eſſe compoſitum ex materia, & forma, ſed ait hoc eſſe tantùm concedendum cum addito, nempe, ſecundùm humanitatem. Sicut hæc propoſitio, Chriſtus eſt creatura, eſt neganda, ſed cum addito poteſt concedi.

4 Pro explicatione aduertendum eſt, duplicem compoſitionem poſſe Chriſto conuenire ratione humanæ naturæ. Prima eſt phyſica ratione partium phyſicarum humanæ naturæ, nempe, carnis, & animæ rationalis. Alia eſt methaphyſica ſuppoſiti & naturæ, videlicet, humanitatis cū hoc homine. Hoc præmiſſo ſit Concluſio.

5 Vtraque compoſitio ex his competit Chriſto ſimpliciter & formaliter ratione naturæ humanæ, ita vt hæc enūciatio ſit vera formaliter, & ſine addito, Chriſtus eſt compoſitus, ſi prædicatum intelligatur de huiuſmodi compoſitionibus. Hæc aſſertio quantùm ad compoſitionem phyſicam eſt manifeſta ex illo teſtimonio ſupra citato ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio. 3. Vbi dicitur expreſſè Chriſtus ex anima rationali, & humana carne cōpoſitus. Et ſimiliter ex Athanaſio & Alexandro locis citatis, quamuis ab his non dicatur Chriſtus expreſſè compoſitus, ſed ſubſiſtens ex anima rationali & humana carne: ſed implicitè ibi dicitur compoſitus, quia illa dictio, Ex, compoſitionem importat.

6 Secundò. Diffinitio phyſica hominis eſt, Compoſitum ex corpore, & anima rationali: ſed Chriſtus eſt homo vniuocè nobiſcum, & eiuſdem ſpeciei: ergo hæc definitio competit ei abſolutè & ſimpliciter. Patet conſequentia; quia ea quæ conueniunt in ratione vniuoca & ſpecifica, debent etiam in definitione conuenire.

7 Tertiò probatur quòad vtramq; compoſitionem. Iſte terminus, Compoſitus, ratione appellationis applicat ſuum ſignificatum ſupra formale huius termini, Chriſtus; ſed Chriſtus, prout ſignificatur hac voce eſt compoſitus: ergo ſimpliciter & abſolutè illa propoſitio eſt vera. Probatur minor. Chriſtus in ſuo formali ſignificato importat ſuppoſitum naturæ humanæ, & Perſonam Filij Dei, ſecundùm quòd eſt homo; ergo.

8 Ad primum Reſp. Latum eſſe diſcrimen inter ea, quę pertinent ad rationem indiuidui, & ea, quæ ad ipſam naturam ſpectant. Perſonalitas autem pertinet ad rationem indiuidui tantùm, & ideò eſt omninò extra rationem ſpeciei, quæ à natura ipſa deſumitur, & ita diuerſa perſonalitas non variat ſpeciem, nec tollit vniuocationem. Compoſitio verò pertinet ad ſpeciem, & naturam, ea ſiquidem eſt compoſita ex anima rationali & carne compoſitione phyſica. Item indiuiduū etiam ſuſtentans talem naturam, & ſuppoſitum, aliquid neceſſariò addit ſupra ipſam naturam, quod ad rationem naturæ non pertinet, vnde reſultat compoſitio methaphyſica. Cùm ergo compoſitio ad naturam pertineat, vnde ſpecies deſumitur, ea, quæ conueniunt in ratione ſpecifica, in compoſitione etiam conueniant, neceſſe eſt.

9 Ad ſecundum negatur primum inconueniens: quando enim ſuppoſitum non accipit eſſe ſimpliciter à partibus, ex quibus componitur, ſed potiùs partes phyſicæ trahuntur ad eſſe ipſius ſuppoſiti, non eſt neceſſe partes prædicari de toto. Negatur etiam ſequi ſecundum inconueniens propter variationem appellationis. Illud autem, quod in tertio infertur, nō eſt inconueniens, imò conceditur à D. Thoma 4. Contra Gent, cap. 49. ad 6. & q. de Vnione Verbi art. 1. ad 15. vbi ait, naturam humanam eſſe ſimpliciorem, quàm Verbum, inquantùm eſt hic homo.

SECVNDA DISPVTATIO.

1 CIRCA Id, quod docet D. Thomas, Chriſtum, ſcilicet, dici hominem vniuocè & eādem ratione cum alijs hominibus, dubitatur, An hoc ſit verum. Ratio dubitandi eſt, quia hoc prædicatum, Homo, dicitur de Chriſto denominatiuè & connotatiuè, de alijs verò hominibus prædicatur intrinſecè & eſſentialiter: ergo non dicitur vniuocè. Probatur maior, quia poteſt ſupponere & non ſupponere pro eadem re, manente ipſa re, quæ eſt proprietas termini connotatiui: quod patet euidenter; quia in triduo Verbū non erat homo, & anteà erat homo. Item patet: ſi Verbum nunc dimitteret humanitatem aſſumptam.

2 Confirmatur primò, quia homo non ſolùm ſignificat naturam, ſed etiam ſuppoſitum; ſed Chriſtus & alij homines non conueniunt vniuocè in ratione perſonæ, & ſuppoſiti; ergo. Probatur minor; quia ſubſiſtentia & Perſonalitas Chriſti eſt increata, & relatiua; & non reſultat ex vnione animæ & corporis: perſona verò humana eſt creata, abſoluta, & reſultans ex vnione animæ & corporis: ergo non conueniunt vniuocè in ratione perſonæ.

3 Confirmatur ſecundò. De ratione huius hominis Chriſti eſt natura Diuina, & humana, & quòd ſit Deus & homo; ſed hoc nō eſt de eſſentia aliorum hominum; ergo Chriſtus non eſt eiuſdem ſpeciei & rationis cum cæteris hominibus.

4 Confirmatur tertiò. Si Chriſtus eſt homo vniuocè nobiſcum: ergo ſicut in nobis conſtituitur perſona ſimpliciter ex vnione animæ & corporis, ita in Chriſto

simpliciter debet constitui. Sed consequens est falsum: ergo &c.

5 Nihilominùs asserendum est, hominem dictum de Deo, siue de Christo, & alijs hominibus esse quid vniuocum, atque adeò Christum esse vniuoce hominem cum alijs hominibus. Sic docet D. Thomas hîc, nec videtur posse de hoc inter Catholicos dubitari, quia in Symbolo Athanasij dicitur Christus perfectus Deus, perfectus homo. Et in Concilijs suprà citatis idem dicitur eisdem, vel æquiualentibus verbis, vt constat ex 5. Synodo generali Canone. 8. Vbi Christus dicitur consubstantialis Patri secundùm Diuinitatem, & consubstantialis nobis secundùm humanitatem. Et in Concilio Lateranensi sub Martino. I. Cano. 4. dicitur, verus Deus & verus homo consubstantialis nobis. Et idem dicitur in 6. Synodo actione. 11. Et probatur ratione.

6 Homo significat subsistēs in humana natura ex corpore, & anima rationali composita. sed Christus est huiusmodi, & hoc similiter conuenit omnibus hominibus; ergo est, & dicitur homo secundùm eandem rationem cū alijs. Confirmatur. Quod generatur ex viuente, nequit eius filius dici, nisi procedat in eandem speciem; etenim vermis non dicitur filius animalis, ex quo generatur: sed Christus tam verè, proprie, & vniuocè est Filius Virginis, sicut quilibet homo est filius matris suæ: ergo est tam verè, & simpliciter homo, sicut alij homines. De ratione enim filij est, vt sit eiusdem rationis vniuocè cum eo, à quo procedit. Huic veritati consonat, quod dicit Paulus ad Philippens. 2. In similitudinem hominum factus, &c. Nempe, in similitudinem specificam, atque adeò vniuocam. Et ad Hebr. 2. *Debuit per omnia fratribus assimilari.

7 Ad rationem dubitandi negatur maior, nam Christus tam per se & essentialiter est homo, sicut quilibet alius: Christus enim significat constitutum per humanam naturam, vt constat ex Damasceno lib. 3. cap. 3. Et Cyrillo de Incarnatione cap. 1. Atque adeò vt sic est per se & essentialiter homo. Neq; obstat, quòd sub nomine Christi vtraque natura includatur, quia hoc non impedit, quin simul sit perfectè & essentialiter Deus, vt subsistit in natura Diuina: & homo, vt subsistit in humana; quoniam ad rationem prædicationis vniuocæ sufficit, prædicatum dici de subiecto sub eadem habitudine & ratione, licèt plura in subiecto includantur, quàm per prædicatum significetur. Si verò hoc prædicatum, Homo, comparetur ad Christum, vt est Deus, siue Verbum, siue Filius Dei, maiorem habet difficultatem. Sed dicendum est cum D. Thoma infra q. 16. art. 1. Illam propositionem, Deus est homo, post factam Incarnationem esse per se, quia prædicatum est vnum per se cum subiecto, & non per accidens: & similiter est necessaria, quoniam eius veritas fundatur in vnione ex sua natura indissolubili, & immutabili. Item falsum est, illam esse proprietatem termini connotatiui, nam risibile est terminus connotatiuus, & manente homine non potest nō supponere pro illo. Legēdus est M. Soto lib. 1. Summularum cap. 7. de Termino Connotatiuo, argumento primo.

8 Ad primam confirmationem Resp. Quòd homo formaliter non significat subsistentiam, & suppositalitatem, sed constitutum per humanam naturam. Vnde si natura sit eiusdem speciei, & rationis, etiam homo erit eiusdem speciei, & rationis: atque adeò vniuocè homo. Cùm igitur Christus sub eadem omninò ratione dicatur homo, atque alij, nempe, quia est verum animal rationale, & verum indiuiduum naturæ humanæ, erit homo eiusdem cum alijs speciei. Subsistentia verò & personalitas sunt extra essentiam speciei, & pertinent ad rationem indiuidui, & ideò diuersa personalitas non tollit vnitatem specificam, neque vniuocationem, quæ sumitur ex forma, & natura, non ex principio indiuiduationis.

Ad secundam confirmationem Resp. De ratione huius hominis Christi, vt est hic homo, esse vtramque naturam, hoc autem pertinet ad rationem indiuidui, non ad rationem naturæ humanæ. Itaque de ratione Christi, vt est homo, est, quòd sit animal rationale: sed inquantùm est hic homo, & tale indiuiduum, est Deus, & homo. 9

Ad tertiam confirmationem Resp. rationem vniuocam speciei, atque naturæ humanæ non sumi ex persona, aut ex modo, quo illa constituitur, sed ex principijs essentialibus speciei, & ex ipsa specie, quæ est eadem in Christo, & in nobis. Secundò Resp. esse quidem intrinsecum & necessarium, vt habens corpus, & animam rationalem vniuocè nobiscum, sit persona humana. At quòd illa persona simpliciter loquendo, anteà non fuerit, aut quòd nō sit etiam Diuina, hoc necessarium non est, sed in puris hominibus reperitur, eòquòd eorū natura alteri personæ non adiungatur. 10

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm natura humana fuerit vnita Verbo Dei accidentaliter.

HACTENVS Disseruit D. Thomas de termino huius ineffabilis vnionis, concludens vnionem effectam esse in persona, & non in natura. Nunc disputationem aggreditur de illius qualitate: nam personæ aliquid vnitur, aut substantialiter, aut accidentariò. Substantialiter vniuntur in persona omnia interna, siue totum conficiant, vt manus, pes, &c. Siue spectent ad essentiam, vt ipsa natura, quæ personæ communicatur. Accidentariò verò vniuntur personæ accidentia, siue inhæreant personæ, vt albedo, dulcedo: siue adiaceant, vt vestis. Est igitur quæstio, An huiusmodi vnio naturæ humanæ in Persona Diuina sit substantialis, an potiùs accidentaria. Connumeratis autem quatuor erroribus, & ex Ecclesiæ definitionibus profligatis constituit D. Thomas conclusionem Catholicam.

Vnio humanitatis ad Verbum, neque est essentialis, aut naturalis, neque accidentalis, sed substantialis. *Hoc est, ex hac vnione non resultauit*

reſultauit vna eſſentia, vel natura, neque vnum eſſe accidentale, ſed vnum eſſe ſubſtantiale, ſeu vna ſubſiſtentia, vna perſona, & hypoſtaſis in duabus naturis. Probatur in argumento ſed contra: quia illud, quod accidentaliter prædicatur, non prædicat quid, ſed quantum, vel quale, vel aliquo modo ſe habens; ergo ſi humana natura accidentariò aduenirет Filio Dei, cùm dicitur, Chriſtus eſt homo, non prædicaretur quid, ſed quale, vel quantum, aut aliquo alio modo ſe habens, quod eſt cõtra decretalem Alexãdri in cap. Cùm Chriſtus Extra de hæreticis.

Secundò quia Eccleſia Catholica vnionem Verbi Dei ad carnem ſecundùm compoſitionem confitetur, quod eſt ſecundùm ſubſiſtentiam: ergo humana natura vnita eſt Verbo Dei ſubſtantialiter.

Eſt primum argumentum D. Thomæ. Ad Philip. 2. dicitur de Filio Dei, quòd eſt habitu inuentus vt homo; ſed habitus accidentaliter aduenit ei, cuius eſt: ergo humana natura accidentaliter eſt vnita Filio Dei. Reſpondet, hanc vnionem ſignificatam eſſe per metaphoram habitus, non quia ſit accidentalis, ſed quia, vt homo videtur per veſtem, ita Verbum per carnem, & ſicut veſtimentum mutatur ſecundũ formã eius, qui ipſum induit, nõ cõtra; ita natura eſt meliorata, & Verbũ non eſt mutatũ.

Secundum argumentum D. Thomæ. Hæc vnio humanitatis cum Verbo aduenit enti in actu; ergo eſt accidentaria. Negatur conſequentia, nam quod aduenit enti in actu poſt eſſe completum, accidentaliter aduenit, niſi trahatur in communionem illius eſſe completi, ſicut in reſurrectione corpus adueniet animæ præexiſtenti, ſed non accidentaliter; quia ad idem eſſe aſſumetur, nempe, vt corpus habeat eſſe vitale per animam. In propoſito autem humanitas trahitur ad vnum eſſe cum Verbo, & ideò non aduenit accidentaliter.

Tertium, Quidquid non pertinet ad naturam, ſeu eſſentiam alicuius rei, eſt accidens illius; ſed humanitas non pertinet ad eſſentiam Diuinam Verbi: quia vnio non eſt facta in natura: ergo accidentaliter aduenit Filio Dei. Reſp. Quòd cùm ſubſtantia dupliciter ſumatur, & pro eſſentia, & pro ſuppoſito, ad hoc quòd vnio non ſit accidentalis, ſufficit, quòd fiat in ſuppoſito, & ſic erit ſubſtantialis.

Quartum, Inſtrumẽtum accidentaliter aduenit; ſed humanitas in Chriſto fuit inſtrumentũ Diuinitatis, vt dicit Damaſ. li. 3. cap. 15. Ergo. Reſp. Hãc vnionem non eſſe vt vnionem inſtrumenti cũ cauſa, vt dicebat Neſtorius, quamuis humanitas ſit inſtrumentũ Diuinitatis, quia aſſumptio facta eſt ad hypoſtaſim, propter quã Chriſtus dicitur homo, nõ tãtùm ferens hominem, vt Neſtorius dicebat.

Commentarius.

AD Explicationem huius concluſionis obſeruandum eſt, vnionem dupliciter ſumi, quãtum attinet ad præſens. Primò, pro ipſa actione vniẽdi, ita, vt idem ſit vnio, quòd vnitio, vt ita dicamus. Secundò pro termino illius actionis, & vnitionis, qui ex ipſa vnione reſultat: in qua acceptione idem eſt vnio, quod vnitas ex vnitione reſultans. Intelligitur ergo cõcluſio, & tota huius articuli doctrina de vnione in vtraq; acceptione. Itaque tã vnitas ad quã terminatur hæc vnio ineffabilis, quàm ipſa etiã vnitio eſt ſubſtãtialis, & ſecundùm ſubſtãtiam, & hypoſtaſim. Imò vero ex hoc, quòd vnitas humanitatis cũ Verbo ſit ſecũdũ ſubſtãtiã, & hypoſtaſim, infertur, vnionem humanitatis cũ Verbo eſſe ſecundùm ſubſtãtiam, & hypoſtaſim, quia quæuis actio à termino deſumit ſuã ſpeciem, & rationem. 1

Sic autem intellecta concluſio non ſolùm recipitur ab omnibus Theologis cũ Magiſtro in 3. d. 6. Verùm etiã, quoad omnes ſuas partes eſt de fide tenenda, nam præter definitiones ſextæ Synodi generalis, & Alexandri. III. adductas à D. Thoma, ſunt plurima Eccleſiæ decreta cõtra Eutychetem, & Neſtorium, ex quorũ erroribus colligebatur, hãc vnionem aut eſſe eſſentialem, aut accidentalem, & non ſubſtantialem. Etenim in Concilio Epheſino. 1. Cano. 2. dicitur. *Si quis nõ confitetur carni ſecũdùm ſubſiſtentiã eſſe vnitũ Verbum Dei Patris, anathema ſit.* Et Cano. 11. *Ex Virgine natũ eſt ſacrũ corpus, cui ſubſtãtialiter eſt vnitũ Verbũ Dei.* Et in 5. Synodo Generali actio. 8. Cano. 4. definitur. *Qui non confitetur Filium Dei carni ſubſtantialiter vniri, anathema ſit.* Et paulò inferius. *Qui dixerit, aut ſecũdùm gratiã, aut ſecũdùm operationem, aut ſecũdùm dignitatem, & æqualitatem honoris, aut ſecundùm authoritatem, aut affectum, aut virtutem, factã eſſe vnionem humanitatis ad Verbum, anathema ſit.* Quibus verbis expreſſè definitur cõtra Neſtoriũ, hanc vnionem non eſſe accidentalem, quod ex eius hæreſi ſequebatur. Denique cõtra Eutychetem definitur ibidem Cano. 8. non eſſe eſſentialem. Sic enim dicitur. *Dicentes vnitum Verbum, non naturarum cõfuſionem, ſed vnitionem ſecũdùm ſubſiſtentiã factã cõfitemur.* Idem definitur in 6. Synodo Generali actione. 8. Cano. 3. Et in Cõcilio Toletano. 6. & 11. Idem docet Cyrillus Alexãdrinus Anathematiſmo. 2. Et habetur Tomo. 1. Actorũ Concilij Epheſini, vbi hanc vnionem vocat naturalem vnitionem in eo ſenſu, quo naturale idem pollet, quod verum, & reale, & non imaginatione confictum: atque adeò hæc vnitio eſt naturalis, hoc eſt, vera; quatenus ex duabus rebus diſsimilibus, cuiuſmodi ſunt Deitas, & humanitas, factus eſt vnus Chriſtus. 2

Eſt tamen hîc aduertendũ, in Græcis Concilijs hanc vnionem dici effectã fuiſſe ſecundùm hypoſtaſim, quod Latinè frequenter vertitur ſecundùm ſubſiſtentiam: interdum autem ſecundùm ſubſtantiam, nõnunquã verò ſubſtãtialiter dicitur facta. Cæterùm in Latinis Cõcilijs vnio ſubſtãtialis cõmuniter nũcupatur. In Cõcilio Lateranenſi ſub Martino. 1. Conſultatione. 5. Cano. 6. ex duabus naturis ſubſtãtialiter vnitis, &c. Et Cano. 8. Vocatur ſubſtantialis vnio, & ſecundùm ſubſtantiam. Verum eſt in antiquioribus codicibus nõ haberi ſecũdùm ſubſtãtiã, ſed ſecũdùm hypoſtaſim: at in correctioribus 3

Digitized by Google

Impressionibus non dicitur secundùm hypostasim, sed secundùm substantiam. Et ideò Ioannes Maxentius in Confessione Fidei, quæ habetur in Bibliotheca Sanctorum Patrum Tomo. 5. *Secundùm traditionem Patrum, inquit, duas naturas substantialiter confitemur vnitas.* Et in hunc sensum explicat, & refert Cyrillum, Athanasium, Nazianzenum, & alios Patres, quorum ibi meminit. Damascenus etiam lib. 3. Fidei cap. 3. hanc vnionem appellat substãtialem iuxta versionem Fabri, nã in versione Iacobi Bilij naturalis vocatur hæc vnio. Sed eundem facit sensum, vt ex ipsomet contextu constat, quia naturalis idem est, quod realis, vera, & non ficta vnio. In quo sensu Cyrillus eã naturalem vnionem vocauit. Sic illam appellat Petrus Diachonus lib. de Incarnatione Verbi cap. 1. Dicitur autem essentialis, idest, veram habens essentiam. Sed hic modus loquendi non est imitandus, quia quandam videtur improprietatem præ se ferre.

4 Vnde sequitur, quòd licèt absolutè concedendum sit, vnionem humanitatis ad Verbum esse substantialem, non tamen debet concedi, quòd sit essentialis. Ratio est, quia substantia non solùm denotat quidditatem & essentiam, sed multoties accipitur etiam pro subsistentia & persona. Vnde in præsenti vnio substantialis idem pollet, quod vnio hypostatica, seu personalis. At essentia in vniuersum pro quidditate rei vsurpatur, & non pro subsistentia; atque adeò vnio essentialis idem pollet, quod vnio in quidditate & vnitate essentiæ. Hereticum autem est dicere, Diuinam, & Humanam naturam in Christo vniri in vnitate naturæ & essentiæ. Si quando verò huiusmodi loquutio in Sanctis reperiatur, explicãda est in sensu, quo Ephesinum Concilium Cano. 3. vocat hãc vnionem naturalem: idest, duarum naturarum, quæ ad modum naturæ substantialis in vna, & eadem subsistentia vniuntur.

5 Præterea. Ratio naturalis huic veritati suffragatur. Ad cuius intelligentiã supponendũ est primò, vt aliqua vnio sit substantialis, duo esse requisita. Alterum, vt id, quod vnitur, sit substantia, & non accidens: alterum verò, vt in tali vnione fiat vnum per se, & nõ per accidens. Fieri enim potest, & sæpe contingit, quòd sit vnio substantiæ ad substantiam, & tamen non sit substantialis, sed accidentalis; quia non fit vnum per se, sed per accidens, vt patet in vnione substãtiarum, quæ fit per compositionem, vt aceruus lapidum: vel per ordinem, vt exercitus; vel per figuram, vt in homine vestito, vel domo.

6 Insuper supponendum est, quòd fieri vnũ per se, contingit dupliciter, vel quòd ex pluribus fiat vna essentia, vel vna hypostasis. Quamuis enim in creaturis quoties fit vna essentia, fiat vna hypostasis, vt cùm fit vnio ex materia, & forma, vel ex partibus integrantibus, nõ tamen oportet, vt quoties fit vna hypostasis, fiat etiam vna natura; nam ex esse & essentia in creaturia fit vna persona, & vna hypostasis, & tamen illa hypostasis non est alterius essentiæ à natura, quæ fit, atque ita in creaturis licet omnis vnio essentialis sit etiam substantialis, non tamen necesse est, vt omnis vnio substantialis sit etiam essentialis.

7 Ex quibus constat apertè, Incarnationem neque esse vnionem essentialem, neque accidentalem, sed substantialem. Et probatur. Vnio essentialis dicitur aliqua, non quia sit essentiarum vnio, cùm essentiæ possint accidentaliter vniri, neque accidentalis dicitur, quia tantùm sit accidentium, cùm substantiæ sæpè accidentaliter vniantur; sed essentialis dicitur, quia ex pluribus resultat vna duntaxat essentia; accidentalis verò, quia ex pluribus, vel accidentibus, vel substantijs resultat vnum per accidens. Constat autem ex vnione humanitatis, & Diuinitatis in Verbo non resultare vnicam duntaxat essentiam, neque vnum per accidens, sed per se, aliàs Christus nõ esset per se homo, sed humanatus, sicut homo per vnionẽ vestis nõ est ipsa vestis, sed vestitus. Ergo necessariò dicendũ est, vnionẽ esse substantialem, siquidẽ resultat vna subsistentia, & vna hypostasis in duabus naturis.

8 Præterea. Si Verbum dimitteret humanitatem, & illa in propriam se explicaret personalitatem, vt talis vnio humanitatis cum sua personalitate esset substantialis, nõ requiritur, quòd humanitas denuò fieret simpliciter, sed satis est, vt in proprio supposito & hypostasi fieret. Ad eundem modum vt vnio humanitatis ad Verbum sit substantialis, non oportet Verbi hypostasim fieri simpliciter, sed satis est, vt fiat in humanitate, vel vt humana: nam ratione huius vnionis tam essentialiter, & substantialiter Christus est homo, sicut Petrus ratione suæ humanitatis.

9 Ex his intelligitur, cur huiusmodi vnio singulariter dicitur hypostatica, & personalis. Ratio est, quia in hac ineffabili vnione humanitas vnitur Verbo secundùm suppositum, vel hypostasim, quod in nulla alia vnione contingit, quia vt rectè obseruauit Caietanus in solutione ad tertium, vniri alicui secundùm suppositum, est illi denominationem substantialem tribuere, & trahi ad eius subsistentiam, & existentiam; hoc est, suppositari, vel personari ab illa. At verò in vnione accidentali, licèt accidens in supposito, vel in persona vniatur, quia tamen illi non tribuit substãtialem denominationem, neque ad eius trahitur existentiam, quia vt docet D. Thomas hîc ad secũdum, accidentia distinctam habent existentiam ab existentia substantiæ, quæ cùm sit in existentia, nequit ad suppositi personalitatem trahi; ideò accidens nunquam vnitur secundùm suppositum, & ob id talis vnio dici non potest hypostatica, & personalis. 10 Vnio verò essentialis formaliter loquendo, nõ est vnio secundùm suppositum, sed secundùm essentiam, & ideò hypostatica dici non potest. Denique vnio ex supposito & natura, & ex esse & essentia, quamuis sit secundùm suppositum, & vt sic hypostatica dici possit; quia tamen hoc non habet primò & per se, sed consequenter; quia semper sequitur ex vnione essentiali ideò simpliciter & absolutè non est hypostatica vocanda. At vnio humanitatis ad Verbũ primò & per se sortitur, quòd sit vnio secundùm suppositum; quia ex nulla essentiali vnione sequitur; & ideò absolutè & simpliciter hæc sola vnio dicitur hypostatica, & personalis.

PRIMA DISPVTATIO.

PRæmissa igitur hac fidei veritate, nempe, hanc vnionẽ esse substantialẽ, idest, suppositalẽ, & personalẽ: Dubitatur, vtrùm sine hæresis nota possit dici in aliquo sensu essentialis, vel accidentalis. Et primùm, quòd hæc vnio sit essentialis, videtur expressè definitũ in Cõcilio Ephes. 1. cap. 3. Vbi sic dicitur. *Qui in Christo diuidit substãtias, sola eas cõnexione cõiũgens, quæ

quæ per authoritatem, vel dignitatem, & non potiùs conuentu, qui per vnitatem sit naturalis, anathema sit.* Ecce qua ratione appellat illam naturalem. Et Petrus Diachonus lib. 1. de Incarnatione cap. 3. dicit, hanc vnionem esse vocandam essentialem, & naturalem. Quòd verò sit accidentalis probatur.

2 Secundò. Hæc prædicatio est accidentalis, Filius Dei est homo, non enim est necessaria, cùm multo tempore fuerit falsa, & modò posiit esse falsa: ergo vnio prædicati & subiecti est etiam accidentalis, & ex consequenti non substantialiter vniuntur hæc extrema.

3 Tertiò. Accidentia vniuntur in persona subiecti, in quo sunt, quia vt supra art. 2. huius quæstionis ostensum est, quidquid inest alicui, vnitur ei in persona, & tamen non vniuntur substantialiter: ergo etiam si humanitas vniatur Verbo in persona, nõ sequitur, quòd vniatur substantialiter.

4 Quartò. Omne, quod adest, & abest alicui salua eius substantia, est accidens illi, & accidentaliter vnitur, & est vnio accidentaria; sed humanitas adest, & abest Verbo salua eius substantia; ergo accidit illi, & ex consequenti accidentariò vnitur, & est vnio accidentalis.

5 Quintò. Quidquid est præter essentiã & quidditatem alicuius, est accidẽs illius; sed humanitas est præter essentiã Verbi: ergo vnio, quã facit cũ Verbo, est accidentalis.

6 Confirmatur. Accidit Filio Dei, quòd sit homo, quia non est de Essentia Filij Dei, quòd sit homo; ergo hæc vnio est accidentalis. Confirmatur secundò. Vnio siue sit actio, siue relatio, est accidens quoddam, ergo est accidentalis, imò accidens.

7 Sextò. Quod aduenit enti in actu, accidentaliter aduenit; sed humanitas sic aduenit Verbo. Ergo &c. Dices cum D. Thom. hîc ad secundum, quòd licet humanitas adueniat enti completo, non est accidens illius, quia recipitur ad communionem eiusdem esse existentiæ, & Personalitatis Verbi, sicut corpus cùm vnitur animæ in resurrectione, quamuis adueniat præexistenti in actu, non est accidens, neque ad modum accidentis coniungitur ea duntaxat ratione, quia recipitur ad communionem eiusdem esse existentiæ animæ rationalis. Vnde sicut non est dicendum, quòd corpus in hac vnione inhæret animæ, vel inexistit; sic etiam non est dicendum, humanitatem inhærere Verbo, vel inexistere, sed sustentari à Verbo, & existere existentia Verbi: sicut corpus existentia animæ. Quod verò aduenit enti in actu, & non trahitur ad esse illius, vnitur ei accidentariò, vt patet in albedine, quæ in Petro V. G. non trahitur ad idem esse Petri.

8 Contra hanc responsionem replicatur, quia falsum est, quòd albedo habeat in Petro distinctam existentiam ab existentia Petri: nam ideò albedo existit, quia sustentatur à Petro. Item quia aliàs albedo esset per se ens, & non deberet dici entis ens.

Septimò. Verbo Diuino non solùm vnitur humanitas, sed etiam omnia humanitatis accidentia: ergo saltem ratione illorum hæc vnio dicetur accidentalis.

9 Confirmatur primò: quia multa prædicata accidentalia consequuntur hanc vnionem, nam propter hanc vnionem Verbum dicitur simile, & dissimile. Confirmatur secundò: quia facit prædicationem denominatiuam, nam Deus dicitur humanatus, quod de alio homine non dicitur; ergo est vnio accidentalis.

10 Octauò. Hæc propositio, Deus est homo, vel est essentialis, vel accidentalis. Nõ essentialis, quia humanitas non est de Essentia Dei, ergo est accidentalis, ac proinde vnio humanitatis cum Diuino Verbo est accidentaria.

11 Durandus in 3. d. 6. q. 4. docet, Incarnationem esse appellãdã vnionẽ accidentalẽ, nõ quidẽ ex eo quòd humanitas trãseat in naturã accidẽtis, neque se habeat ad modũ accidentis extrinsecè inhærẽtis, vel formaliter inhærentis; sed dicitur accidentalis, quia sic se habet humanitas ad Verbũ, sicut accidẽs ad suppositũ seclusa inhærẽtia; nã sicut accidens non solùm vnitur in supposito, sed secundùm suppositum: ita humanitas vnitur in supposito Verbi, & secundùm suppositum, vel hypostasim.

12 Alij Theologi cõcedũt, hãc vnionẽ esse accidentariã ab accidenti prædicabili, vt distinguitur cõtra essentiale, & proprium, quod ex essentia intrinsecè dimanat, in qua acceptione importat id, quod potest adesse, & abesse præter subiecti corruptionẽ: sed nõ dici accidentariã ab accidenti prædicamentali, quod distinguitur contra substãtiã, & cõplectitur nouẽ prædicamẽta; & importat ens in alio. Esse autem accidentariã ab accidenti prædicabili, dicũt, nõ tollere ipsam esse simpliciter substãtialem, nã sicut accidens prædicabile potest esse substãtia, ita vnio cũ illo potest esse substãtialis. Cõcedunt ergo, humanitatem, quatenùs potest adesse & abesse præter Verbi corruptionẽ, esse accidens prædicabile, sed sicut 13 hoc nõ obstat, quominus ipsa sit substantia, sic etiã non impedit, quominùs illa vnio sit substantialis, sicut vnio partiũ integraliũ est substãtialis, licèt ipsæ partes possint adesse, & abesse præter essentiæ corruptionẽ. Vnio etiã corporis cũ anima rationali est substãtialis, quãuis ipsum corpus adesse & abesse possit præter animæ corruptionem. Vnio etiã humanitatis cũ proprio supposito substãtialis est, licèt ipsum adesse & abesse possit præter humanitatis corruptionẽ, vt si humanitas à Verbo dimitteretur. Esse igitur vnionẽ accidẽtalẽ ab accidenti prædicabili, nõ tollit, quin ipsa sit simpliciter substãtialis. Huic sentẽtiæ cõsentit M. Medina hîc cõclus. 3. dicẽs; humanitatẽ aduenire Filio Dei quodãmodò accidentaliter, quia potest adesse, & abesse præter subiecti corruptionẽ, & quia nõ est de essẽtia Filij Dei. Palatio. in 3. d. 6. q. 5. asserit, hãc vnionẽ nõ esse dicẽdã formaliter substãtialẽ, neq; formaliter accidẽtalẽ, sed eminenter vtrãque; quia habet omnes conditiones vtriusque. Nihilominus pro decisione veritatis sit Prima Conclusio.

14 Adeò est certum, vnionem humanitatis cum Verbo esse substantialem, vt sine errore affirmari non possit, esse accidentalem. Prior pars conclusionis probatur. Primò, quia ad vnionem substantialem duo requiruntur, & sufficiunt. Primum est, vt id, quod vnitur, sit substantia, alterùm, vt tribuat rei, cum qua vnitur, denominationem, & esse substantiale, & non se habeat, V. G. vt vestimentum ad corpus, quorum vnio est accidentalis, & extrinseca; sed hæc duo inueniuntur in hac mirabili vnione, nam & quod vnitur est substantia, & per eam Verbum habet esse hominis, quod est esse substantiale: ergo est substantialis. Secundò: quia omnis motus, siue mutatio recipit speciem à termino; sed terminus huius mutationis, siue vnionis humanitatis cum Verbo est esse substantiale, quia est esse hominis; ergo hæc vnio est substantialis.

15 Secunda pars conclusionis patet ex definitionibus Cōciliorum, & Patrum, quas in commentario adduximus in confirmationem conclusionis D. Thom. Vnde constat, sententiam Durandi esse erroneam, & vt talem à Schola reijciendam, quia dissentit in duobus à communi Sanctorum Patrum, Conciliorum, & Theologorum omnium sententia. Primùm in eo, quòd cùm Sancti Patres & Concilia semper definiant, Incarnationem esse vnionem substantialem, & nulla ratione accidentalem, Durandus simpliciter illam appellat accidentalem. Neque eius fundamentum alicuius ponderis est, quia non solùm ex eo, quòd humanitas vniretur Verbo, vt vestis vestito, sequeretur, Christum, vt hominem non esse quid, vel aliquid, vt dixit Alexander. III. in cap. Cùm Christus iam citato: sed ex eo quòd se habeat, vt accidens, aut quomodocumque accidentaliter.

16 Et probatur, quia licèt albedo non inesset supposito, nunquam suppositum per albedinem esset quid, sed quale: ergo eodem modo si humanitas se habeat ad Verbum Dei, vt accidens, seclusa inhærentia, per humanitatem Christus non esset quid, sed quale, quod est contra expressam definitionem Pontificis Maximi. Secundò dissentit Durandus existimans, accidens vniri substantiæ secundùm suppositum, vel hypostasim. Et quia hac ratione humanitas vnitur Verbo, ideò Incarnationem appellat vnionem accidentalem. Ostensum est enim supra, quòd vniri secundùm suppositum, soli substantiæ conuenit, & nulla ratione accidenti, & est modus substantialiter vniendi, nō autem accidentariò. Quinimo ex hac sola ratione Sancti & Concilia hanc vnionem simpliciter appellant hypostaticam & personalem, quia humanitas vnitur Verbo secundùm suppositum, vel hypostasim. Nullo igitur modo dicendum est, humanitatem aduenire Verbo accidentaliter, neque Verbum humanitati, sed substantialiter, quia Verbum non aduenit humanitati, neque humanitas Verbo nisi mediante vnione; sed vnio non est accidentalis, vt ostensum est: ergo vnum dici non potest alteri aduenire accidentaliter, aut è contrario, alioqui si accidentaliter adueniret, accidentariò vniretur.

17 Confirmatur. Quod aduenit accidentariò, solùm denominatiuè, & accidentaliter prædicatur; sed humanitas non tantùm prædicatur de Verbo denominatiuè, sed etiam substantialiter; quia Verbum & est humanatum, & est homo: ergo &c. Item, quia implicat aduenire in vnitatem suppositi, seu personæ substantialiter compositæ, & aduenire accidentaliter; quia accidentariò aduenire, est aduenire secundùm aliquod esse accidentale, aduenire autem in vnitatem substantialem suppositi, est fieri vnionem secundùm aliquod esse substantiale. Secunda Conclusio.

18 Vnio humanitatis cum Verbo non potest dici accidentalis ab accidenti, vt est quintum prædicabile, quod potest adesse & abesse præter subiecti corruptionem. Probatur. Ab accidenti prædicabili non sumitur prædicatum dicens quid, vt patet inductione, nam prædicatum dicens quid, necessariò pertinet ad genus, vel speciem, sicut prædicatum dicens quale quid, spectat ad differentiam: sed iuxta definitionem Alexandri III. citatam, propter hanc vnionem cùm homo prædicatur de Verbo, & de Christo, dicit quid; ergo humanitas nullo modo potest dici vniri accidentaliter, etiā secundùm rationē accidentis prædicabilis, quia tale nō dicit quid.

Confirmatur. Per hanc vnionem Verbum non solùm dicitur humanatum, sed verè dicitur factum homo; ergo illa vnio non est accidentalis etiam ab accidenti prædicabili, sed prorsus substantialis. Patet consequentia: quia ratione illius prædicatur de Verbo aliquid substantiale, & per modum substantiæ, & non tantùm per modum accidentis. Etenim quando vnio est accidentalis, vel per modum accidentis, etiam prædicabilis, quod vnitur, licèt in se sit substantia, non prædicatur per modum substantiæ, neque dicit quid; sed per modum accidentis, & dicit quantum, vel quale, vt homo dicitur vestitus, non vestis: sed humanitas non prædicatur de Christo, vt quātū, vel quale, sed tāquā quid: ergo nō aduenit illi accidentaliter ab accidenti prædicabili. 19

Præterea, vt constat ex D. Thom. infra q. 16. art. 1. ad 1. in hac enunciatione, Verbum est homo, prædicatum dicitur per se de subiecto, sicut in hac, Petrus est homo, quia Verbum in ea propositione supponit pro persona, cui est vnita humanitas, in primo modo dicendi per se; ergo falsum est, quòd saltem ab accidenti prædicabili possit hæc vnio appellari accidentalis, contra diffinitiones Conciliorum & Patrum, vocantium hanc vnionem substantialem secundùm hypostasim. 20

Confirmatur. Modus loquendi hæreticis familiaris, quo ipsi suos explicant errores, quamuis admittat aliquem sensum verum, imò etiam si in rigore verum contineat, non est à Catholicis aliquo modo vsurpandus, eò quòd hæresim sapiat, quamuis non sit hæreticus: sed hæretici Nestoriani vocabant hanc vnionem accidentalem, ergo hic modus loquendi fugiendus est, quocumque modo sumatur accidens, etiam si in aliquo sensu possit esse verus: quia semper sapit hæresim. Postremo. Ex vnione accidentali nunquam resultat denominatio substantialis, vt constat inductione: sed ex ista vnione resultat denominatio substantialis, videlicet, Deum esse hominem; ergo non est vnio accidentalis ab accidenti prædicabili. Neque obstat, quòd humanitas possit adesse & abesse Verbo, sine illius corruptione, quia manus potest adesse & abesse Petro sine corruptione Petri, & non vnitur illi accidentariò. Corpus item potest adesse & abesse animæ sine ipsius animæ corruptione, & humanitas Christi, si dimittatur à Verbo, habebit propriam personalitatem, & tamen non vniuntur accidentariò. Tertia Conclusio. 21

Hæc vnio nullam habet similitudinem cum vnione accidentali. Probatur. Primò. De ratione vnionis accidentalis est, vt denominatio ab illa sumpta sit accidentalis; sed vnio Verbi cum humanitate non assimilatur ei in hoc: ergo &c. Secundò. Proprium est vnionis accidentalis, quod res vnita, propriè loquendo, insit, & inhæreat subiecto: sed natura humana non sic inest, aut inhæret Verbo, vt constat, ergo &c. Tertiò. Ad vnionem accidentalem spectat, vt accidens, quando vnitur, adueniat enti in actu, & possit abesse absque eius corruptione; sed humanitas non potest abesse à Persona Verbi præter subiecti corruptionem, prout est persona humana, sine eo quòd desinat esse persona humana. Ergo hæc vnio non assimilatur vnioni accidentali. 22

Ad primum igitur argumentū Resp. Incarnationem dupliciter posse dici essentialem, seu naturalem. Primò, quia ex illa resultauit vna tantùm essentia, & natura, 23

vt

vt dicebat Eutyches. Secundò, quia ex illa resultauit aliquod prædicatum essentiale ipsi Verbo. Etenim supposita Incarnatione tam essentialiter prædicatur homo de Verbo, sicut de Petro. Priori ergo modo negatur à D. Thoma, & ab vniuersali Ecclesia, hanc vnionem esse essentialem, in secundo sensu conceditur à Petro Diachono, & rectè, quia tunc confutabat Nestorium, qui hanc vnionem similem esse dicebat vnioni, quæ est inter indumentum, & indutum, ex qua nō prouenit, quòd extrema de se inuicem essentialiter prædicentur, sicut
23 prouenit ex vnione hypostaticè. Est tamen aduertendum, quòd licèt hac ratione Incarnatio possit dici vnio essentialis, vel naturalis, absolutè tamen appellanda est substantialis, & non essentialis; quia primum, quod ex hac vnione est consecutum, non est, quòd vnum extremum de altero essentialiter prædicetur; sed vna hypostasis in duabus naturis, ad quod necessariò consequitur, vt vnum extremum de altero essentialiter prædicetur: quemadmodùm ex Incarnatione licèt sequatur relatio vnionis, non tamen ob id Incarnatio dicenda est vnio accidentalis; quia relatio non est, quod primò sequitur, sed consequitur ad vnionem substantialem.

24 Ad secundum, quidquid sit de antecedenti, negatur consequentia; quia hæc vnio non fit in aliquo accidentali, sed substantiali, & in ipsa Verbi subsistentia: & ex vi huius vnionis trahitur humanitas ad esse Verbi substātiale, & subsistit ac immediatè terminatur per eandem subsistentiam, per quam subsistit, & terminatur natura
25 Diuina in Persona Verbi. Secundò, negatur antecedens, quia licèt non sit de Essentia Filij Dei, quòd sit homo, humanitas tamen nō accidit illi, quia trahitur ad idem esse Verbi substantiale.

26 Ad tertium Resp. Accidentia non vniri substantialiter; quia licèt vniantur in persona, non tamen secūdùm personam, idest, non trahuntur ad idem esse substantiale, per quod subsistit natura, neque faciunt vnum cum persona in aliquo esse substantiali, sed tantùm in esse accidentali; quia non terminant aliquam potentiam substantialem subiecti, sed tātùm accidentalem. Ex quo sequitur, accidentia habere propriam & accidentalem existentiam distinctam ab esse, & existentia substantiali subiecti, vt colligitur ex D. Thoma in solutione ad secūdum. Cæterùm, etsi aliquibus concedamus, accidentia non habere proprias existentias, sed existere per eandem existentiam substantiæ, adhùc non est dicendum, substantialiter vniri, quia per illam subsistentiam immediatè non terminantur, sed mediante terminatione naturæ substantialis. Primò enim & per se per illam subsistentiam terminatur & completur natura substantialis; mediatè autem terminantur accidentia, & ita esse substantiale non communicatur accidentibus secundùm rationem substantiæ. At natura humana immediatè terminatur per substantialem Personalitatem Verbi; & vnitur illi secundùm rationem substantiæ: potentia enim ad subsistentiam, quæ substantialis est in natura humana, immediatè completur per Diuinam Personalitatem.

27 Ad quartum concessa maiori negatur minor; quia licèt humanitas possit adesse & abesse à Persona Verbi præter subiecti corruptionem, prout habet esse simpliciter in natura Diuina, & vt est Diuinum suppositum; non tamen potest abesse ab illa persona, prout habet rationem personæ humanæ, sine eo, quòd desinat esse persona humana, quemadmodùm neque humanitas à Persona Verbi potest separari, quin eo ipso per talem separationem constituat alium hominem suppositaliter distinctum ab ipso Christo. Cùm igitur humanitas nequeat adesse, & abesse à Verbo, vt est persona humana, & homo, sine corruptione, & generatione, quæ est communicatio substantiæ, vel priuatio illius; sequitur quòd rationem accidentis prædicabilis induere non potest, quia vbi est corruptio secundùm subsistentiam, ibi est corruptio subiecti. Id autem, quod est Christus, est subiectum, cùm sit prima substantia subsistens. Hæc verò corruptio poneret in humanitate realem priuationem subsistentiæ increatæ, in ipso autem Verbo constitueret priuationem secundùm relationem rationis. Sicut etiam dato casu, quòd aliqua anima rationalis post resurrectionem iterùm dimitteret corpus, ex tali corporis dimissione diceretur tantùm perdidisse relationem realem ad corpus dimissum. Corpus autem dimissum non solùm fuisset immutatum, secundùm relationē realē vnionis, sed etiā secūdùm realē corruptionem, quia fuit priuatum subsistentia animæ rationalis.

Ad quintum negatur maior, quia vltima differentia hominis. V. G. Rationale, non pertinet ad essentiam animalis, & tamen non est accidens illius. Item forma est præter essentiam materiæ, & tamen, cùm illi vnitur, talis vnio non est accidentalis. Rursus. Subsistentia, quæ simul cum natura completa personam constituit, est præter essentiam, seu naturam, & nō est accidens illius, sed ipsius naturæ complementum: ita & Verbum non est accidens humanæ naturæ, sed terminus substantialis illius. Et humanitas licèt sit præter essentiam Verbi, non tamen est accidens illius, neque ei accidentaliter aduenit, sed trahitur ad eandem participationem existentiæ Verbi. 28

Ad primam confirmationem Resp. eodem modo, quòd licèt non sit de essentia Filij Dei, vt sit homo, humanitas tamen non est accidens illius, cùm trahatur ad idem esse substantiale Filij Dei. 29

Ad secundam Resp. Quòd licèt vnio sit accidens, ratione tamen extremorum potest dici substantialis, sicut generatio. V. G. quamuis formaliter sit accidens, ratione termini dicitur substantialis mutatio. Et differentia specifica inter duas species dicitur substantialis ratione specierum. 29

Ad sextum, benè responsum est in argumento. Impugnatio verò solutionis nullius est momenti: nam cùm existentia accidentis sit incompleta, & dependeat ab existentia substantiæ, debet ab illa necessariò sustentari: neq; ex eo sequitur, quòd sit ens per se. 30

Ad septimū cōcedendum est, accidentia humanitatis vniri Verbo accidentaliter ab accidenti prædicamētali, nam sicut prædicata essentialia humanitatis, supposita vnione, dicūtur de Verbo essentialiter: sic etiā accidētalia accidētaliter prædicantur, Christus enim erat candidus, & rubicūdus. Neque hoc est aliquod absurdū, nam quāuis habere accidēs sit aliqua imperfectio, tamen, quā mortis imperfectionē subire voluit, nō mirū, si cuiuslibet accidētis immediatè inhærētis humanitati imperfectionē subierit. An verò possibile sit, accidēs immediatè inhærere Verbo, disputādū est q. 4. Quòd verò vniatur media humanitate, nō solū possibile, sed necessariū est. 31

32 Ad primam confirmationem Resp. Prædicata accidentalia, quæ sequuntur ex hac vnione, & dicuntur de Verbo, nō habere rationē termini primarij, sed cōsequētis, & secūdarij, ratione cuius nō est vocāda accidētalis.

33 Ad secundam negatur consequentia, non enim omnis forma, quæ facit prædicationem denominatiuam, prædicatur accidentaliter, vel aduenit accidentariò, sed hoc tantùm est verum vniuersaliter, quando illa forma se habet per modum inhærentis.

34 Ad octauum Resp. Illam propositionem esse essentialem, quia species prædicatur de indiuiduo, siue de supposito naturæ, subiectum verò sumitur pro Persona Verbi Incarnati, quia talia sunt subiecta, qualia ab eorum prædicatis permittuntur, atque adeò Verbum Incarnatum est verè & essentialiter homo, sicut quiuis alius. Sed de hac re latiùs infra q. 16. art. 1.

SECVNDA DISPVTATIO.

CIRCA Solutionem argumentorum D. Thomæ est dubitatio, An in rebus creatis sit aliqua vnio similis Incarnationi, vt per illam possit hæc aliqua ratione intelligi. In qua re exponenda variè laborant Theologi in 3. d. 1. Sunt autem quatuor, aut quinque similitudines, quibus Sancti & Doctores hoc tantum mysterium aliqua ratione exprimere, & adumbrare conantur.

1 Prima est Scoti, accidentis ad substantiam seclusa inhærentia. Dicit ergo Scotus, hanc vnionem esse similem vnioni, qua accidens vnitur subiecto, quia in huiusmodi vnione reperitur duplex habitudo accidentis ad subiectum, vna informantis ad rem, quam informat: altera, posterioris ad id, quod est prius, à quo accidens dependet, non tanquam ex causa (nisi forte vt materia, quod recidit in priorem habitudinem) sed tanquam ex terminante actualem ipsius existentiam, quod genus terminationis dicitur sustentare, siue sostentificare dependentiam. Inter vtramque autem habitudinem est maximum discrimen, quòd prior dicit imperfectionem, nempe, potentiam subiecti, quæ ab accidenti tanquam ab actu secundo perficitur. Posterior verò habitudo nullam imperfectionem ponit in subiecto, sed solùm prioritatem naturæ, & vim ad sustentandam dependentiam alterius naturæ. Dicit igitur Scotus, vnionem Verbi Incarnati esse similem vnioni accidentis cum subiecto, solùm quòad posteriorem habitudinem, quoniam humana natura habet se ad Suppositum Diuinum, tanquam ad id, quod terminat, & sustentat ipsius dependentiam.

2 In eadem sententia, est etiam Gabriel in 3. d. 1. q. 1. Et confirmat, quia accidens, & subiectum habent in concreto communem denominationem, & appellationem; quoniam ex albedine subiectum dicitur album, & quæ insunt subiecto, dicuntur similiter de illo accidenti in concreto, nam album est musicum, deambulans, homo, animal. Ad eundem etiam modum ex humanitate assumpta Verbum Dei denominatur homo. Et similiter quæ sunt propria Dei, dicuntur de illo homine, dicitur enim ille homo creator, Deus, omnipotens &c. Eiusdem etiam sententiæ est D. Bonauent. 3. d. 6. q. 3. Et confirmat, quia accidens aduenit rei iam existenti, & perfectæ, neque tribuit illi esse, sed inherens in supposito alieno, ab eodem sustentatur. Ad eundem prorsus modum natura humana accessit Personæ Diuinæ iam existenti & perfectæ, neque tribuit illi esse, sed assumpta ad communionem esse Diuini, sustentatur in Diuina Persona.

Secunda similitudo est Durandi in 3. d. 1. q. 1. vbi ait hanc vnionem esse similem insitioni, qua ramus vnius arboris, & surculus inseritur alteri: quia in vnione per insitionem sunt tria, nempe continuatio rami insiti cum arbore, cui inseritur, quæ fit per contactum. Est prætereà distinctio vtriusque naturæ, quia quod per insitionem adiungitur, non conuertitur in naturam eius, cui adiungitur. Item est vnitas suppositi, nam idem est truncus vtriusque rami, & vno, eodemq; trunco sustentantur surculi vtriusque arboris. Excepto itaque primo membro, reliquis duobus mēbris est similis hæc vnio Verbi Incarnati, quia humana, & Diuina natura in vna Persona Verbi vniuntur, conseruata vtriusque naturæ proprietate, estq; natura humana in Supposito Diuino quasi insita, & ab eodem sustentata. Consonat autem hæc similitudo Doctrinæ Sacræ Scripturæ, quæ Christū radicē Dauidis appellat. Apocalip. 22. *Ego, inquit, Christus, sum radix Dauid, stella splēdida, & matutina.* Et cap. 5. *Vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid.* Sicut enim ex radice, siue ex trunco, & ex ramo insito fit vnum mediante insitione, ita ex Diuina Persona, tanquam ex radice, & trunco, & ex humana natura ex Dauidis semine propagata factus est vnus Christus mediāte Incarnatione, tanquā quadam insitione. Itaque Diuina Persona est truncus, Diuina natura est naturalis ramus huius trunci; humana verò natura ex Virgine sumpta, & Diuinæ Personæ vnita est ramus insitus, ipsa autem Incarnatio est veluti quædam insitio. 3

Tertia similitudo est illa D. Pauli ad Philip. 2. Vestis ad vestitum, quam adducit D. Thom. hîc in responsione ad primum, Habitu inuentus vt homo. Vbi nomine habitus intelligitur humana natura secundùm August. lib. 83. quæstionū, quæst. 73. Vt sic sensus, Deū fuisse indutū, & quasi vestitum humanitate. 4

Quarta similitudo desumitur ex Damasceno lib. 3. Fidei cap. 15. Vbi humanitatem vocat organū, seu instrumentū Diuinitatis, atque adeò hæc similitudo est instrumēti ad agēs principale: quam adducit D. Thom. in solutione ad quartum.

Quinta similitudo est D. Thom. hîc ad. 2. & 4. Contra Gent. cap. 41. Vbi cōparat hāc vnionē vnioni animæ cū corpore; anima enim vnitur corpori, & vt forma materiæ, & vt instrumēto cōiūcto, quo vtitur ad exercendas vitales operationes, vel quantùm ad hoc, quòd corpus assumitur ad esse propriū animæ, prout est personæ, vel subsistētis. 5 Illa prior vnionis ratio aliena est ab hoc Sacrosancto mysterio, quia anima sic vnitur corpori, vt materiæ, vt ex anima & corpore resultet quædā natura, ex vnione autē humanæ & Diuinæ naturæ nulla resultauit natura. Posterior tamen vnionis ratio huic mysterio maximè cōgruit; nā quemadmodū anima rationalis vnitur corpori tāquàm instrumēto cōiūcto, & corpus ad suā subsistentiā trahit, & suū esse illi communicat: ita Filius Dei vnitur carni tāquàm instrumento cōiūcto, & humanitatem ad sui subsistentiā trahit. 6 Vt autem hoc apertiùs intelligatur, fingamus animam antè corpus existere, sicut de facto animæ mortuorum antè vnionem corporis in futura resurrectione existunt. Tunc anima aduenienti corpori tribuit suum esse & subsistentiam, & resultat homo. Fingamus rursus, animā tribuere esse corpori nō informādo, sed sustentādo.

Sic

Sic Verbum Diuinum confert eſſe humanitati non informando, ſed ſuſtentando. Hoc ſimili vtuntur Athanaſius in Symbolo, Leo primus in Epiſtola. 11. ad Iulianum, Cyrillus in Epiſtola ad Monachos Aegypti, quæ habetur. 4. tomo operum Cyrilli. Ex his ſimilitudinibus quatuor priores reijcit Caietanus in hoc loco, eo quòd, vt ſibi videtur, nihil habent, quo iſtud myſterium aliquo pacto poſsit adumbrari, & ſolã vltimam ſimilitudinem recipit, tanquam aptiſsimam, & accommodatiſsimam. Pro explicatione ſit Prima Concluſio.

7 Nulla eſt vnio in rerum natura, quæ ex toto Incarnationis vnionem exprimat, & ſit ei omnino ſimilis. Sic docet D. Dionyſius cap. 2. de Diuinis Nominibus, vbi dicit hoc myſterium eſſe ineffabile omni Verbo, & incogitabile omni mente. Et D. Auguſtinus Epiſtola. 3. ad Voluſianum, *Si hoc,* inquit, *Myſterium haberet rationem, non eſſet mirabile, ſi haberet exemplum, non eſſet ſingulare.* Damaſcenus etiam lib. 3. cap. 26. idipſum docet, dicens. *Si inter ſimilia eſſet perfecta ſimilitudo ſine diſsimilitudine, iam non ſimilitudo, ſed identitas eſſet.* Et D. Hieronymus ad Theodoram ait. *Vbi ſimilitudo promittitur, veritas negatur.* Hoc eſt, non inuenitur eſſe rei, cui alia aſsimilatur. Et in Concilio Toletano. 11. cap. 1. dicitur de noua filij natiuitate. *Qui partus Virginis nec ratione colligitur, neque exemplo monſtratur. Si enim ratione colligitur, non erit mirabile, ſi exemplo, nõ erit ſingulare.* Et Iuſtinus martyr in libello de confeſsione Trinitatis ait. *Non eſt cur quiquam ex me modum huius vnitionis ſciſcitetur, non pudebit enim fateri ignorantiam, imò gloriabor potius, quòd credam arcana, quibus initiatus ſum, quæ nec ratio, nec mens percipere

8 valet.* Probatur autem concluſio ratione. In omnibus prædictis exemplis ſunt multæ diſsimilitudines, & defectus, ſi comparentur ad Incarnationem: ergo illam non exprimunt ex toto. Probatur antecedens. Inprimis, quòd ſimilitudo accidentis ad ſubſtantiam deficiat ab Incarnatione, eſt manifeſtum, quia illa vnio etiam ſecluſa inhærentia ſemper eſt accidentalis, & non ſubſtãtialis, nã ſecluſa inhærentia, aut intelligitur accidens recipi ad communionem eiuſdem eſſe cum ſubiecto, aut non. Si non: ergo ita ſe habebit accidens ad ſubſtantiam, ſicut accidentia panis ad corpus Chriſti in Sacramento altaris. Ibi autem eſt vnio duntaxat accidentalis, quia accidentia per ſe exiſtunt; ergo &c. Si verò intelligatur accidens recipi ad communionem eiuſdem eſſe cum ſubſtantia; tunc eo ipſo intelligitur non eſſe accidens, aut eſſe accidens, & non accidens, quod repugnat. Probatur, quia eſtò accidens poſsit per ſe exiſtere ſubtracto ſubiecto, tamen quòd eſſe ſubſtantiæ habeat, aut quòd exiſtentia ſubſtantiæ exiſtat, impoſsibile eſt: aliàs nulla poſſet aſsignari differentia inter eſſe partis integrantis, & eſſe accidentis, quæ quidem in rei veritate in hoc conſiſtit, quòd pars eſt in alio tãquàm in ſuppoſito, quia recipitur ad idem eſſe ſuppoſiti: accidens verò eſt, vel eſſe poteſt in alio tanquàm in ſubiecto, eo quòd ad cõmunionem eiuſdem eſſe cum ſubiecto recipi non poteſt.

9 Secundò. Quòd illa exempla arboris ad ramum inſertum, veſtis ad veſtitum, inſtrumenti ad agens principale deficiant ab Incarnatione, eſt etiam notum: quia in his omnibus non ſolùm ſunt duæ naturæ diſcretæ, ſed etiam duo ſuppoſita realiter diſtincta. Quòd autem hoc ſit verum de duobus vltimis, nulla eget probatione. De primò, probat Caietanus, quia in inſitione duæ illæ arbores aut ſunt eiuſdem ſpeciei, aut diuerſæ. Si eiuſdem, certum eſt; deficere ab Incarnatione, quia in inſitione vnica manet natura, duæ verò in Incarnatione. Si verò ſunt diuerſæ ſpeciei, adhuc deficit ab Incarnatione, quia talis inſitio non eſt vnio ſecundùm ſuppoſitum, vel hypoſtaſim, nam manent duo ſuppoſita realiter diſtincta; quia, vt docet Ariſtoteles. 5. Methaphyſ. Quæ differunt ſpecie, nequeunt eſſe eadem nume-

ro, neque continuari, atque adeò ibi quantitas non eſt eadem numero ſecundùm rei veritatem, ſed ſolùm ſecundùm apparentiam: quia non eſt minùs impoſsibile, idem accidens numero eſſe in diuerſis ſubiectis, quàm plura ſolo numero differentia eſſe in eodem. Vnde arbor ad ramum inſertum habet ſe tamquam terra ad arborem, illi præbens alimentum, magis tamen deſiccatum & purum, quàm terra, & ſic non eſt idem ſuppoſitum vtriuſque, ſed diſtincta, & ſic nequit vnio eſſe ſubſtantialis; ſed accidentalis. Vnde conſtat, omnes huiuſmodi vniones eſſe accidentales, & non ſubſtantiales, ſicut eſt Incarnatio. Quinta denique, licèt ſit ſubſtantialis, deficit tamen in multis alijs, tum, quia ibi non ſunt duæ naturæ integræ, tum quia corpus, quamuis adueniat præexiſtenti, non tamen aduenit enti completo, & ſuppoſito: tum etiam, quia hæc vnio animæ & corporis non ſolùm eſt ſubſtantialis, verùm etiam eſſentialis, imò prius natura eſſentialis, quàm ſubſtantialis. Incarnatio verò per ſe eſt ſubſtantialis, & hypoſtatica. Secunda Concluſio. 10

In qualibet vnione inuenitur aliquid proprium & ſingulare huius ineffabilis vnionis. Etenim in vnione animæ & corporis hoc eſt peculiare, quod in nulla alia vnione inuenitur, nempe, quòd ex duabus naturis, licèt partialibus, ſit vnio ſubſtantialis, & manet eadem ſubſiſtentia in vtraque natura partiali; ſicut in Incarnatione manſit eadem ſubſiſtentia in vtraque totali, & integra natura. Item in vnione accidentis ad ſubſtantiam eſt hoc ſingulare, ſimile Incarnationi, quod in nulla alia vnione reperitur, nempe, in vno ſuppoſito duas eſſe naturas integras, & completas, vnamquamq; in ſuo genere, ſicut in Incarnatione. 11

Prætereà in inſitione hoc eſt ſingulare, quòd ſecundùm apparentiam nihil eſt tam ſimile Incarnationi, quàm ipſa inſitio. Primò, quia ibi apparent duæ naturæ integræ, & cõpletæ in eodem ſuppoſito, vel hypoſtaſi. Secundò propter fructus diuerſitatem, quæ diuerſas duarum naturarum in Chriſto exprimit operationes. Tertiò etiam, quia ibi relucet, quàm contrariæ ſint Diuino Verbo operationes humanæ, & quàm propriæ & naturales operationes Diuinæ; cùm tamen idem ſuppoſitum vtriuſque operetur. Et ob id in ſacris literis hoc tantum myſterium iſta ſimilitudine explicatur. 1. Petri. 1. *Suſcipite inſitum Verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras.* Et quamuis iſte locus iuxta vnũ ſenſum literalem de Verbo prædicationis intelligatur, vt ſequentia oſtendũt, nempe, *Eſtote factores Verbi, & nõ auditores tantùm:* In alio tamen literali ſenſu, de Verbo Diuino intelligitur. Vnde gloſſa interlinearis dicit. *Inſitum in die Incarnationis.* Item Iſaiæ. 11. appellatur radix Ieſſe. Et Apocal. 5. radix Dauid. 12

Digitized by Google

13 Rursus in vnione vestis cum homine inuenitur hoc singulare expressum, quòd sicut hæc vnio fit sine aliqua hominis mutatione, sed indumentum est, quod totam mutationem subijt: ita vnio Incarnationis sine aliqua Verbi mutatione effecta est, sola humanitate mutationem subeunte. In eadem etiam similitudine ostenditur, quo scilicet pacto, Verbum humanitatis nube coopertum hominibus apparuerit, propter quod in Sancta Scriptura hoc mysterium frequenter ista similitudine adumbratur. Sic Paulus ad Philip. 2. *Habitu inuentus vt homo.* Et Genes. 49. *Lauabit in vino stolã suam, & in sanguine vuæ pallium suũ.* Et Isaiæ. 63. *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vesti-
14 menta tua tanquàm calcantium in torculari.* Postremò. In vnione instrumenti cum agenti principali singulariter ostenditur humanitatis virtus & efficacia ad diuinitùs operandum. Ex hoc enim, quòd humanitas est instrumentum Verbi coniunctum, non solùm motione, sed supposito, eleuatur ad operandum Diuinitatis opera. Cùm igitur omnia exempla sint insufficientia, omnia simul adduci possunt, vt singula, quæ non prosunt, simul collecta iuuent: quandoque enim exemplũ, quod minùs appositum est, explicat aliquam proprietatem, quam non explicabat exemplum magis appositũ. Tertia Conclusio.

15 Vnio animæ & corporis seclusis imperfectionibus partis, & informationis, excellentiùs exprimit Incarnationem, quàm quæcumque alia vnio creata. Probatur; quia hac sola similitudine vtuntur omnes ferè sancti, & Concilia ad explicationem huius mysterij. Ea vtitur Athanasius in Symbolo, Cyrillus in Epistola ad Monachos Ægyptios, quæ recepta est in. 6. Synodo generali Actione. 1. Leo Papa. 1. Epistola ad Flauianum, recepta in eodem Cõcilio, Bernardus lib. 5. de Consideratione ad Eugenium, Augustinus Epistola. 3. ad Volusianũ. Et Theologi communiter hoc vtuntur, præsertim Thomistæ. Legendus est Caietanus in oratione ad Alexandrum Sextum. Consentit etiam M. Suarez Disput. 8. Sectio. 1. Et probatur, quia hac sola similitudine explicatur id, quod intellectu difficillimum est in Incarnatione, quo, scilicet, pacto sit vnio substantialis. Vnde sicut animæ præexistenti in resurrectione vnitur corpus substantialiter, eò quòd idem suppositum est naturæ corporeæ & spiritualis facta vnione, & idem existere, quod priùs erat solius animæ, per vnionem est animæ & corporis; sic etiam Verbo Diuino præexistenti vnitur humanitas substantialiter, quia ex Diuina & humana natura idem suppositum constituitur, & idem existere, quod priùs erat Verbi, per vnionem fit Verbi, & humanitatis simul.

16 Circa illam similitudinem vestis ad vestitum, qua vtitur D. Paulus ad Philip. 2. Et habitu inuentus vt homo, aduertendum est, D. Chrysostomum, & Æcumenium in eum locum, nomine habitus intelligere figuram, formam, seu speciem, vt sit sensus, Christum inuentum esse in forma, in specie, & figura hominis. Cùm enim dixisset Paulus, factum esse in similitudinem hominum, quasi rationem reddens ait: quia in forma hominis inuentus est. D. Ambrosius per habitum intelligit commercium, seu conuersationem, quod Hispanè solet dici. Vuose como hombre: Trato como hombre. Hanc expositionem sequitur glossa ordinaria super illũ locum, & D. Thomas ibidem. Et adducit illud Baruch. 3. *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus cõuersatus est.* Ad idem etiam propositum adduci potest illud Ioan. 1. qui postquam dixit, *Verbum caro factum est,* Subiungit. *Et habitauit in nobis.* Id est, gessit se, & habuit se, vt alij homines.

Præterea circa illam similitudinem instrumenti ad agens principale, aduertendum est, per huiusmodi similitudinem non propriè, ac formaliter explicari vnionem Incarnationis, quæ immediatè & formaliter non est ad agendum, sicut est vnio instrumenti vt sic: sed est ad subsistendum. Verùmtamen, quia nos per operationes cognoscimus esse rei, ideò à posteriori explicatur hæc vnio per rationem instrumenti, & dicitur caro instrumentum Verbi coniunctum substantialiter, sicut corpus dicitur instrumentum animæ, & manus hominis. Etenim causa & ratio à priori vnionis in ratione instrumenti coniuncti sumitur ex vnione secundùm substantiã & hypostasim, & ideò humana natura vnita est Verbo Diuino, tanquàm instrumentum coniunctum, quia est illi vnita secundùm subsistentiam & hypostalim. 17

Secundò aduertendum est, quòd licèt humanitas, vel caro Christi dicatur in eo sensu instrumentum Verbi, ipse tamen Christus, siue hic homo, nullatenùs potest instrumentum appellari, vt rectè obseruauit Cyrillus in Epistola ad Monachos Ægypti quoniam Christus, seu hic homo, dicit ipsum suppositum, quod neque est assumptum, neque potest esse instrumentum, sed ipsum primum operans; humanitas verò vel caro dicit naturam assumptam, per quam suppositum operatur, & ideò talis denominatio potest illi conuenire. 18

Postremò obseruandum est, humanitatem multò aliter posse dici instrumentum Verbi, quàm Patris & Spiritus Sancti: quia Verbum non tantùm communicauit humanitati influxum ad operandum, quem etiã communicat Pater & Spiritus Sanctus, verùm etiam illi communicat suam subsistentiam personalem, quam Pater & Spiritus Sanctus non communicant; & ideò illa humanitas per vnionem facta est natura ipsius Verbi, & non Patris, neque Spiritus Sancti, & ex cõsequenti instrumentum ipsius Verbi. Quò fit, vt actiones propriæ, & vitales humanitatis, soli Verbo formaliter tribuantur, tanquam supposito immediato illius naturæ, per quam tales operationes exercebantur. Patri verò & Spiritui Sancto non tribuuntur, quia licèt ad earum productionem effectiuè concurrant, non tamen sustentabant tanquàm supposita illius naturæ, per quam fiebant. Sustentare autem aliquam naturam tanquàm suppositum illius, est prima radix, & origo ad operandum actiones talis naturæ, ita vt operanti formaliter tribuantur. Sed dicitur humanitas instrumentum Patris, & Spiritus Sancti eo modo, quo omnes formæ creatæ, siue omnes causæ secundæ dicuntur instrumenta primæ causæ. De qua re legendus est Caietanus Tomo. 3. Opusculorũ Tract. 2. Oratione secunda ad Alexandrum Sextum. 19 20

Articulus

ARTICVLVS. VII.

Vtrùm vnio naturæ Diuinæ & humanæ sit aliquid creatum.

CONCLVSIO D. Thomæ est. Vnio pro relatione est aliquid creatum in humanitate realiter existens, quia est relatio realis ad Verbum: in Verbo autem non est aliquid creatum, quia est sola relatio rationis. *Suppponit D. Thomas ex.* 1. *p. q.* 13. *Deum ad creaturas realiter non referri, quamuis creaturæ ad Deum realiter referantur. Vnde sic colligitur ratio. Hæc vnio est quædam relatio, quæ inter Diuinam & humanam naturam consideratur, prout cõueniunt in vna Persona Filij Dei: sed omnis relatio considerata inter Deum & creaturã, est realiter in creatura, per cuius mutationem innascitur talis relatio; in Deo autem secundùm rationem tantùm, cùm non nascatur secundùm mutationem Dei: ergo hæc vnio est aliquid creatum in creatura realiter existens, in Deo autem secundùm rationem tantùm. In argumento sed contra probat D. Thomas; quia omne, quod incipit esse ex tempore, est aliquid creatum: sed hæc vnio non fuit ab æterno, sed incæpit esse ex tempore; ergo est aliquid creatum.*

Est primum argumentum D. Thomæ. Quidquid est in Deo, est Deus, & increatũ; vnio est in Deo, quia Deus est humanæ naturæ vnitus: ergo vnio est quid increatum. Respondet, vnionẽ esse in Deo secundùm rationem tantùm, & non realiter, nam Deus dicitur vnitus creaturæ, ex eò quòd creatura est realiter vnita Deo absque eius mutatione.

Secundum argumentum. Diuina Persona est finis huius vnionis, quia ad hypostasim terminata est vnio, & ideò habet rationẽ finis: ergo vnio magis iudicanda est secundùm conditionem Diuinæ Personæ, quàm humanæ naturæ: quia finis est potissimum in vnaquaque re; ergo potiùs est increata, sicut hypostasis Diuina, quàm creata, sicut natura humana. Negat D. Thomas priorem consequentiã, quia relatio habet suũ esse à subiecto, estò speciem sumat à termino, vel à fine. Et quia subiectum huius vnionis est creatum, nempe, humana natura. ideò ipsa vnio est quid creatum.

Tertium argumentum D. Thomæ est. Hic homo est creator propter vnionem; ergo ipsa vnio magis erit creator, & non creatura, quia propter vnũquodque tale, & illud magis. Respondet, quòd licèt homo dicatur creator & Deus propter vnionẽ, quatenùs terminatur ad hypostasim Diuinam, non inde sequitur, ipsam vnionem esse creatorem, vel Deum: quia vt aliquid dicatur creatum, magis respicit esse ipsius, quàm rationem. Hoc est. Illa communicatio idiomatum inter hunc hominem & creatorem non fundatur in esse proprio ipsius vnionis, sed fundatur in propria conditione personæ, in qua fit vnio, quæ est increata, & creator. Vnio verò est quasi conditio necessaria ad illam communicationem idiomatum, prout terminatur ad hypostasim Verbi, tanquam ad personam, in qua subsistit humanitas; & ideò non est simile de relatione creaturæ.

Commentarius.

AD explicationem articuli aduertendum est ex Commentatore. 11. Methaphys. Comment. 19. relationem inter omnia prædicamenta esse minimæ entitatis, & ideò suum fundamentum & causam ab alijs prædicamentis mendicare: cuius gratia Aristoteles 5. Methap. tex. 20. relationem prædicamentalem fundat supra quãtitatem, actionem, & passionem, & in ratione mensuræ. Quò fit, vt relatio denuò consurgere non valeat sine præuia mutatione vel subiecti, vel fundamenti: si enim relatio de nouo consurgit, oportet illius fundamentum innouari, quia ad esse fundamenti consequitur relatio. Etenim si Petrus albus incipit esse similis Paulo, oportet, vt denuò albedo in Paulo per alterationem causetur, & sic tria ibi interueniunt. Primũ est alteratio albedinis productiua. Secundum, albedo in Paulo. Tertium, similitudo consecuta in Petro & Paulo. Ad hunc ergo modum in hoc sacrosancto mysterio tria interueniunt. Primũ est, actio quædam toti Trinitati communis, cuius interuentu vniuit efficienter naturam humanam cum Verbo. Deinde posita ista actione Trinitatis subsecutus fuit terminus per illam actionem immediatè productus, qui est, Deum esse hominem; tandem consequitur relatio vnionis. De his tribus differendum est, quo scilicet, pacto vnio hęc debeat dici quid creatum, An solùm sumpta, quatenus intelligitur consequi ad fundamentum, vel etiam vt intelligitur in fundamento, vel quatenùs est actio totius Trinitatis. Vnde sit

PRIMA DISPVTATIO.

PRimò Dubitatur, An vnio sumpta pro illa actione, qua tota Trinitas humanitatem Diuino Verbo coniunxit, quæ dicitur vnitio, sit aliquid creatum. Negatio ita probatur. Primò. Hæc vnio est actio Diuina; sed omnis actio tenens se ex parte Dei est increata, imò est ipsemet Deus: ergo est aliquid increatum, & non creatum.

Secundò. Hæc actio est idem realiter cum suo termino; sed terminus huius vnionis est vnitas increata, vt constabit disput. sequenti: ergo & ipsa actio est aliquid increatum. Maior probatur ex Aristotele. 3. Physicorum. Motus nõ est præter res ad quas est motus, hoc est, motus non est res distincta à suo termino: sed hæc vnio est quædam mutatio; ergo non distinguitur à suo termino.

Tertiò.

3 Tertiò. Si hæc actio esset aliquid creatum, sequeretur, Deum reduci ad actum per aliquid extrinsecum, & creatum sed consequens est falsum; ergo. Probatur Sequella, quia diceretur actu agens per actionem aliquã creatam.

4 Quartò. Actio sumit speciem & denominationem à termino; sed terminus est increatus: terminatur enim vnio ad Diuinam hypostasim; cùm vnio sit facta in hypostasi; ergo hæc actio est increata. Confirmatur, quia sicut in articulo præcedenti vnio dicitur substantialis ratione termini, sic etiã & modò dicetur increata ratione termini.

5 M. Medina in hoc articulo asserit, illam actionem, prout est in Deo, esse aliquid increatum, & ipsum Deũ, quia solùm dicit voluntatem efficacem Dei, à qua tanquàm à principio proximo oritur humanitatis eleuatio ad Verbum Dei. Et hoc est verum, & inconueniens versum. Sed difficultas est de illa actione & vnitione; vt extra Deum consideratur recepta in humanitate, quatenùs est via ad terminum, qui per illam acquiritur. Vnde pro explicatione sit Prima Conclusio.

6 Actio vniendi secundùm id, quod ponit in Deo, & ex parte principij actiui, est increata, & ipsemet Deus. Probatur. Hæc actio tantùm ponit in Deo actum voluntatis, quo efficaciter voluit humanitatem vniri Verbo; sed actus Diuinæ voluntatis est quid increatum, & ipsemet Deus ergo &c. Consequentia cum minori patet, maior etiã est manifesta, & explicatur à simili in creatione, quæ nihil aliud ponit in Deo, nisi actum voluntatis increatæ, & ex consequenti creatio actiua non distinguitur ab ipso Deo. Secunda Conclusio.

7 Hæc actio infert in passum aliquid increatum, nempe, subsistentiam personalem Verbi, quæ in tempore communicata est naturæ humanæ. Hæc conclusio est manifesta, quia humanitas per hanc vnionem acquisiuit subsistentiam personalem Diuini Verbi. Ex quo sequitur, actionem vnionis, prout est extra Deum, nihil aliud esse, quàm Deum fieri hominem. Sicut enim generatio hominis extrinseca, tunc intelligitur, quando anima corpori coniungitur; ita sanè intelligitur vnio in actu exercito, quando humanitas Verbo Dei coniungitur. Tertia Conclusio.

8 Illa actio vniendi communis toti Trinitati, quamuis sit immanens secundum substãtiam & formaliter, potest tamen dici virtualiter, vel eminenter transiens: vel quod idem est, est immanens subiectiuè, transiens autem productiuè. Probatur prima pars, quia illa actio non est formaliter transiens: ergo est formaliter immanens. Consequentia patet, & probatur antecedens, quia sequeretur, aliquam realem perfectionem de nouo aduenire Deo; essèque intrinsecam perfectionem illius: sed consequens est falsum: ergo. Probatur sequella. Vnitio, si est actio transiens, nequit esse, nisi quando actu transit in effectum ad extra, nam de ratione actionis transeuntis est, vt transeat in effectum extra potentiam; ergo vnitio non est in Deo, nisi quando actu transit in humanitatem vnitam. Confirmatur: quia siue vnitio conueniat Deo ex tempore, siue ab æterno, si illa est actio transiens, sequitur, aliquam perfectionem conuenire Deo, quæ potuit non conuenire: sed hoc est falsum: ergo. Probatur sequella: nam vnitio potuit non conuenire Deo.

Secunda pars conclusionis probatur. Illa actio, quæ est formaliter immanens, & ex sua virtute habet producere effectum ad extra, est virtualiter transiens; sed actio vniendi est huiusmodi, nam producit aliquid extrinsecum, nempe mutationem passiuam humanitatis, & similiter facit, vt subsistentia Verbi personaliter terminet humanitatem: ergo &c. Vnde si Deus contulisset meæ visioni virtutem, vt seipsa leonem, aut equũ produceret, tunc visio mea esset formaliter immanens, & virtualiter trãsiens. De hac re legendus est D. Thomas. 2. Contra Gentes cap. 1. & 16. Vbi ait, Deum non agere actione, quę verè & propriè sit transiens. Quod ibidem explicat Ferrariensis; quoniam actio transiens est quædam actualitas, & complementum potentiæ actiuæ ipsius agentis, & quodammodo perfectio ipsius, sed nihil extra Deum potest esse complementum Diuinæ potentiæ, neque perfectio ipsius Dei: ergo respectu Dei non datur verè & propriè actio transiens. 9

Sed contra conclusionem obijcitur primò. Actio immanens nullum habet effectum, aut terminum extra potentiam agentis, nam actio immanens est perfectio agentis; sed vnitio habet terminum realem sibi proprium extra potentiam Diuinam, terminatur namque per se ad hoc, quod est, humanitatem esse vnitam Verbo: ergo vnitio non est actio immanens, sed transiens. Resp. actionem, quæ solùm est formaliter immanens, nullum habere effectum ad extra, aut extra potentiam agentis. actionem verò, quæ non solùm est formaliter immanens, sed etiam virtualiter transiens, inducere effectum ad extra, ac si esset actio purè transiens. Et talis est hæc actio vniendi. 10

Secundò. Omnis actio immanens est ęterna in Deo, sed vnitio conuenit Deo ex tempore, nam in tempore vniuit Verbo humanitatem: ergo. Resp. quòd vnitio secundùm rem, hoc est, ipsa res, quæ est vnitio secundùm se, est æterna Dei actio, vt autem dicit effectum ad extra; & respectum ad humanitatem assumptã & vnitam, non dicitur æterna. Sed contra. Actio vniendi secundùm rem est æterna: ergo humanitas ab æterno est vnita Verbo. Patet consequentia, nam posita actione, si impedimentum nõ adsit, statim sequitur effectus: ergo si actio vniendi fuit ab æterno, vnio etiam humanitatis fuisset ab æterno. Cõfirmatur. Si illa actio vniendi est in Deo, & est ipse Deus; ergo non potuit non esse. Patet consequentia, nam quidquid est in Deo, non potuit illi deesse. Resp. Deum ab æterno voluisse vnire humanitatem Verbo, pro tali tempore, vnde ex illa efficaci volitione subsequitur effectus pro tempore, quo Deus voluit. Ad confirmationem Resp. illam volitionem vniendi humanitatem cum Verbo, quòad suam entitatem & substantiam non potuisse deesse Deo; cæterùm illa habitudo rationis, & respectus, quem importat illa volitio, potuit deesse Deo. Quarta Conclusio. 11

Actio vnitiua, quatenùs recipitur in passo, & subiectatur in natura humana, quæ virtute talis actionis est passiuè immutata, est mutatio quædam passiua creata, & ab ipsa humanitate non distincta realiter. Probatur. Hæc vnio est actio Dei virtualiter transiens, receptã in humanitate tanquam in passo & subiecto: ergo est quid creatum. Confirmatur. Illa vnio passiua nihil est aliud, quàm assumptio, siue eleuatio passiua, qua huma- 12

nitas

Digitized by Google

alias ad subsistentiam Verbi eleuatur; sed hæc est quid creatum: ergo & illa.

13 An verò dicenda sit hæc actio substantialis, vel accidentalis, non constat inter doctores. Quidam dicūt esse actionem accidentalem præcisè & formaliter consideratam: ratione verò termini acquisiti dici actionem substantialem, & cum illo identificari. Ratio illorum est, quia talis actio pertinet ad prædicamentum actionis & passionis, & ex consequenti intrinsecè & formaliter est accidens. Extrinsecè autem & ratione termini dicitur substantialis.

14 Sed Respondetur cum M.Soto. 3. Phys. tex. 4. & Alberto Magno ibidem, quòd sicut actio, quæ est generatio substantiæ, continetur, & pertinet reductiuè ad prædicamentum substantiæ, & est substantia, non solùm extrinsecè, & ratione termini; sed ex sua intrinseca & formali ratione, inquantùm est via efficaciter acquisitiua substantiæ: sic etiam hæc vnitio est actio substantialis, pertinens reductiuè ad prædicamentum substantiæ, vbi reponitur eius terminus: & hoc sibi conuenit ex sua intrinseca & formali ratione, & non ratione termini. Cum hoc tamen stat, quod sit actio pertinens ad prędicamentum actionis, quia generatio est actio substantialis, & hoc non impedit, quominùs in prædicamento actionis reponatur: nam ex D. Thoma 3. Physi. tex. 22. Sex vltima prædicamenta tantùm dicunt denominationes quasdam extrinsecas. Potest autem id, quod est intrinsecè substantia, denominationem extrinsecam accidentariam alteri tribuere, sicut vestis dans esse vestitum, induit rationem prædicamenti habitus. Sic generatio substantiæ pertinet ad prædicamentum actionis, vel passionis, non reductiuè, sed per se, quatenùs tribuit denominationem accidentalem. Cæterùm

15 considerata in seipsa reducitur intrinsecè ad prædicamentum substantiæ, & subiectatur in materia prima, inquantùm substantialiter transmutatur, & hac ratione non est accidens, sed substantia; quia est via efficaciter acquisitiua substantiæ. Cum hoc tamen stat, quòd generatio, prout tribuit extrinsecè denominationem agenti, ad prædicamentum actionis pertineat, quia ab actione denominatur agens, & passum denominatur extrinsecè tale, vt illam ab agente recipit. Ad eundem ergo modum illa vnio, siue vnitio, qua mediante humanitas suis Verbo vnita, fuit actio substantialis, pertinens intrinsecè & formaliter ex sua natura ad prædicamentum substantiæ, quia est via efficaciter acquisitiua substantiæ. Sed hoc non obstat, quin per se pertineat ad prædicamentum passionis, quatenùs extrinsecè denominat passum, nempe, humanitatem, quæ

16 vnitur.

Præterea. Hæc actio, siue vnitio actiua humanitatis ad Verbum, non est terminare humanitatem, quia huiusmodi terminatio est propria Verbi, & in nulla effectione consistit, aliàs esset toti Trinitati communis, imò & in nulla causalitate consistit. Est igitur hæc actio à terminatione distincta, in vera efficientia consistens, & est toti Trinitati communis.

17 Ex dictis constat, perperàm asseruisse M. Medinam, hanc actionem, prout recipitur in passo, nihil aliud esse, quàm subsistere increatum, naturæ humanæ in tempore communicatum. Hoc, inquam, est falsum, quia licet per hanc actionem fiat, vt subsistere increatum humanitati communicetur; nequit tamen talis actio esse ipsum subsistere increatum: quia illa est verè creata, & in humanitate recepta. Et quamuis non sit accidens, vt ostensum est, habet se per modum accidentis humanitati inhærentis, quia recipitur in illa. Quæ omnia subsistentiæ increatæ conuenire non possunt. Et licèt fingeretur hæc actio, vt existens in ipso Deo, nō esset propriè & formaliter ipsum subsistere Verbi, quod nō est toti Trinitati commune: sed esset actus Diuinæ voluntatis de Incarnatione facienda, qui existens vnus, est tribus Personis communis.

Rursùs. Actio transiens, vel significata per modum transeuntis, & habens re vera modum illius, non distinguitur à passo, sed necessariò recipitur in ipso, & est idem cum passione: sed vnitio, quæ est passio, non est subsistentia increata, sed subiectatur in natura assumpta, imò identificatur cum ipsa: ergo vnitio, prout est actio trāsiens virtualiter, nequit esse subsistentia increata, sed subiectatur in natura humana, sicut & passiua vnitio. 18

Ad primum argumentum Resp. quòd tantùm probat primam conclusionem, nempe actionem vniendi secundùm id, quod ponit in Deo, esse increatam. 19

Ad secundum negatur minor, quia vt constabit Disputatione sequenti, terminus totalis, Qui, seu Quod, ex vnione hypostatica per se primò resultans, est quid creatum. Similiter terminus formalis, Quo, est quid creatum. 20

Ad tertium patet responsio ex dictis, Deus enim dicitur agens actu per actionem, quæ prout est in ipso Deo, est aliquid increatum, vt ostensum est in prima conclusione; quatenùs verò consideratur vt extra Deum, & vt ponit effectum ad extra, est quid creatum. 21

Ad quartum negatur minor, vt latiùs disputatione sequente. Secundò Resp. quòd licèt hæc vnio dicatur substantialis ratione termini, non tamen potest dici increata ratione termini. Ratio autem discriminis est, quia in termino nihil reperitur, quod non sit substantia, & ideò ratione illius dicitur substantialis, sed aliquid inuenitur, quod non sit increatum, nempe, natura humana, ratione cuius fundatur relatio, & terminatur actio: vnde vtraque erit quid creatum. 22

Secundò Resp. diuerso modo se habere substantiale ad substantiam, & creatum ad creaturam, nam quod est substantiale, non protinùs est substantia, sed dicitur per ordinem, & habitudinem ad substantiam. Sic generatio dicitur mutatio substantialis, & vnio hypostatica in Verbo dicitur substantialis; quia terminatur ad substantiam, nempe ad diuinam hypostasim. Cæterùm, quod est creatum, eò ipso est creatura, & quod est increatum, eò ipso est creator, & ideò nulla res creata potest dici quid increatum, etiam secùndùm habitudinem, & ordinem ad increatum. Et per hoc patet responsio ad confirmationem. 23

Tota ergo controuersia, & dissensio inter Theologos est de termino resultāte ex hac vnione siue vnitione, qui constat ex persona increata, & natura creata, An sit dicendus creatus, vel increatus. Vnde sit secunda Disputatio. 24

Secunda

SECVNDA DISPVTATIO.

1 AN terminus huius vnionis sit aliquid creatum, vel increatum. Videtur esse, increatum. Primò. Terminus vnionis hypostaticæ est Personalitas Verbi naturæ humanæ communicata; sed Verbi Personalitas est omninò increata, neque fuit effecta, aut creata propter vnionem ad humanitatem: ergo &c.

2 Secundo. Vnumquodque per id est vnũ, per quod est ens, sed esse personale Verbi Diuini, etiã vt cõmunicatũ naturæ humanæ, per quod ipsa subsistit, & ad quod terminatur assumptio, est increatum: ergo terminus huius vnionis est increatus. Maior probatur; quia vnũ supra ens nihil addit reale, sed solam negationem, & priuationem diuisionis. Cùm igitur duæ naturæ sic fuerint in esse personali Verbi copulatę, vt idem habeãt existere indiuisum, illa autem vnitas personæ sit increata, quia nihil reale addit supra esse personæ, necessariò consequitur, terminum huius vnionis esse increatum.

3 Pro explicatione huius difficultatis aduertendum est in termino cuiuscumque actionis duo posse considerari. Alterum est ratio terminandi, & alterum id, quod terminatur, quod alio nomine dicitur, terminus Qui, siue Quod, & terminus Quo. Vt in dealbatione V. G. terminus Quo, est albedo, terminus verò Quod, dealbatum. Terminus, Quod, dicitur totalis & integer: terminus verò, Quo, dicitur formalis, qui in ipso totali termino habet locum formalem, ac proinde formaliùs per actionem intenditur. In hac ergo admirabili vnitione datur terminus, Qui, siue Quod, & terminus, Quo. Sed in explicãdo quisnam sit iste terminus totalis, & quisnam formalis, est maxima inter Theologos dissensio, & ex resolutione huius controuersiæ dependet intelligentia præsentis disputationis, An terminus ex hac vnitione resultans sit creatus, vel increatus.

4 Secundò, aduertendum est, dupliciter aliquid posse dici creatum. Primò, quia omninò, & secundùm se totum est factum ex nihilo. Secundò quia per veram actionem factum est, & potest incipere esse, & desinere. In præsenti non sumitur creatum in priori acceptione, sed in posteriori, ita vt id, quod aliquo modo est factum, dicatur creatum.

5 His positis, Caietanus, & Medina, quos multi Thomistæ sequuntur, existimant, terminum huius vnionis esse increatum, nempe, subsistere personæ Verbi communicatum naturæ humanæ, ex qua communicatione factum est, vt illud subsistere Verbi sit vnum & indiuisum in duabus naturis. Probant suam sententiam argumentis propositis, & explicant non esse impossibile, vt quod est increatum, fiat terminus actionis nouæ, quæ in tempore incipit esse, hoc exemplo. Si fingamus, animam rationalem fuisse ab æterno, & in tempore vniri corpori, illud ad suum existere trahendo, tũc talis vnitionis, & actionis nouæ in tempore factæ terminus esset existere æternum animæ, quia non acquireret nouum esse, neque nouam vnitatem, sed suũ antiquum esse corpori communicaret. Sic in proposito contingit, nam esse Verbi æternum per hanc admirabilem vnitionem denuò naturæ humanę communicatur: & hæc æterna subsistentia, vt naturæ humanæ communicatur, incipit esse in tempore illius vnitionis terminus.

Alij verò Thomistæ affirmant, terminum huius actionis esse simpliciter creatũ: & probant. Primò. Quidquid in tempore fit per veram, & realem actionem, est creatum, sed terminus huius actionis est huiusmodi, vt constat: ergo est simpliciter creatus. Consequentia cum maiori patet, & minor probatur. Ille terminus qui fit est quoddam compositum ex Verbo & humanitate; sed hoc compositum nunc est de nouo, & anteà non fuit: ergo est factum per illam actionem, atque adeò creatum. 6

Secundò. Omnis effectio habet aliquem terminum factum per eam, & ab illa dependentem: sed actio vniendi humanitatem Verbo, est vera & realis effectio totius Trinitatis; ergo &c. Maior patet, quia omnis actio, passio, vel mutatio facit aliquid in subiecto, in quo recipitur; quia hoc est de intrinseco conceptu eius. Minor est manifesta ex dictis. Consequentia verò probatur: quia tota hęc actio vnitiua recipitur, & versatur in humanitate, & eam immutat, neque aliter eam vnit Verbo, nisi illam immutando: ergo facit aliquid in ipsa humanitate. Ergo illud, quod facit, non est increatum, quia repugnat, increatum vt sic fieri, & dependere: est igitur creatum. 7

Tertiò. Terminus resultans ex hac vnione est quoddam compositum ex Verbo, & humanitate; sed hoc cõpositum potest dissolui, & vnitas illius, quæ ab ipsis cõponentibus est distincta, potest destrui: ergo est quid creatum. 8

Quartò. Vnitas illa Diuinæ Personæ in duabus naturis est terminus actionis nouæ, quæ est vnitio: sed terminus cuiuscumq; actionis nouæ est denuò factus per talem actionem: ergo illa vnitas Diuinæ Personæ est aliquid creatum. 9

Quintò. In omni actione, ex qua resultat aliqua relatio realis, terminus talis actionis realiter identificatur cum fundamento relationis, & ipsa relatio similiter identificatur realiter cum fundamento, atque adeò hæc tria sunt realiter idem, licèt differant ratione formali, nempe terminus actionis, fundamentum relationis, & ipsa relatio: sed in hoc mysterio vnitas Diuinæ Personę in duabus naturis est terminus actionis, & fundamentũ vnionis relatiuæ: ergo hæc tria sunt idem realiter in hoc mysterio, quamuis differant ratione formali. Repugnat autem id, quod est creatum, identificari realiter cum increato, & vnio relatiua est aliquid creatum, vt docet D. Tho. ergo illa vnitas, quæ est fundamentum huius relationis proximũ, nequit esse aliquid increatũ. 10

M. Suarez in hoc articulo Disput. 8. Sectio. 2. affirmat, terminum, qui fit, & resultat ex hac vnione esse creatum. Explicans verò, quis sit huiusmodi terminus, inquit, non esse humanitatem, quia hæc præsupponitur ad hanc actionem, vt subiectum illius, neque esse ipsam subsistentiam Verbi; quia actio realiter identificatur cum termino, hæc autem vnio nequit cum Diuina Verbi subsistentia identificari: neque similiter esse totum compositum, videlicet, hunc hominem, quia hæc actio nequit adæquatè identificari cum toto illo, quia in eo includitur subsistentia increata, cum qua nullo modo neque ex parte, neque in totum vnitio ipsa identificatur. Vnde concludit, per hanc actionem verè, & realiter effici quendam realem modũ supernaturalem in humanitate assumpta, secũdùm 11

quam

Digitized by Google

quam ipsa naturæ humanæ dependentia est realiter terminata à Verbo Diuino, qui quidē modus ab ipsa humanitate filiter formaliter distinguitur. Est enim passiua ipsius humanitatis terminatio, & passiuum suæ dependentiæ complementum, & plena satietas naturalis appetitus, qui inest naturæ ad propriam personalitatem & subsistentiam, habens intrinsecam dependentiam ab actiua Verbi terminatione, ita vt si Verbum humanitatem dimitteret; iste terminationis passiuę modus in ipsa humanitate non permaneret.

12 Alij denique Theologi asserunt, hanc vnionem mirabilem nullum habere terminum productū & factū, siue creatum, sed tantùm terminū terminantem, qui est ipsamet persona Verbi. Vnde dicunt, totalem huius vnionis terminum esse ipsam personam Verbi, quatenus terminat dependentiam naturæ humanæ, ita quòd in recto nō includit formaliter humanitatem, sed quasi extrinsece, & in obliquo connotat. Nihilominus pro decisione veritatis sit Prima Conclusio.

13 Integer, & totalis terminus, Qui, siue Quod, vnionis hypostaticę est hic homo, seu Deus homo, seu Verbum Diuinum in humanitate subsistens: quæ omnia vnico Verbo significantur hac voce, Christus. Hæc assertio est D. Tho. art. 6. 7. & 8. huius quæstionis, & in. 3. d. 1. qu. art. 1. quæstiuncula. 3. & est cōmunis Theologorū in illa distinctione, exceptis Scoto, & Durando, qui in modo loquendi tantisper ab alijs Theologis discedūt. Sed probatur primò. In omni vnione substantiali, terminus totalis & per se primò intentus est ipsum totū compositum ex vnione resultans, sed vnio hypostatica fuit vera, & substantialis vnio, ergo proprius terminus illius est hic homo Christus, nempe Verbum in humanitate subsistens. Consequentia patet, & maior inductione constat; quia in generatione humana terminus substantialis est homo genitus, & in resurrectione terminus erit compositum substantiale ex anima & corpore reunitis resultans, & idem est dicendum in omnibus alijs vnionibus substantialibus. Minor est de fide, vt ostensum est articulo præcedenti.

14 Secundò. Terminus substantialis vnionis non sunt partes, quæ vnioni præintelliguntur, aut ea, quæ instar partium ad ipsam concurrunt, sed est ipsum totum ex illis constās: ergo terminus totalis, & Qui, huius substantialis vnionis, neque est Verbum, neque humanitas, sed ipse Christus, hoc est, Verbum in humanitate subsistens, qui est Deus homo.

15 Tertiò. Quod fit, & producitur per hanc vnionem, est persona Verbi, inquantùm humana, non per acquisitionem nouæ personalitatis, sed per additionem nouæ naturæ, quæ additur personalitati iam præexistenti ergo hic homo est terminus totalis, Qui, vnionis. Patet consequentia: quia ille est terminus cuiuscumque mutationis, qui per talem mutationem per se producitur, vt Qui, siue vt Quod.

16 Quartò. Ex vi huius vnionis Verbum caro factū est, & Filius Dei factus est homo, vt constat ex Symbolo; ergo ex vi huius vnionis Filius Dei factus est persona humana, & hic homo. Confirmatur. Nunc est hic homo Christus, & anteà non erat; ergo incæpit esse hic homo Christus, & non per aliam actionem; ergo hic homo Christus Iesus est terminus, Qui, huius actionis.

Præterea probatur cōclusio ex refutatione tertiæ, & quartæ sententię. Et primò opinio M. Suarez, quatenùs docet, terminū huius vnionis nō esse humanitatem, neque subsistentiā Verbi, vera est. Sed prout dicit, terminū resultantem esse illū modū substantialem ipsius humanitatis, neque est vera, neque sufficienter euacuat difficultatem; quia hæc vnio nō tendit per se primò in illā humanitatis terminationem, & illum passiuæ terminationis modum, qui consequenter & concomitanter videtur se habere ad terminum primariò intentum, qui est Verbum in humanitate subsistens: ergo non est id, quod per hanc vnionem agitur, & efficitur, sed aliud quærendum est, quod ipsam vnionem in ratione actiuę vnitionis terminet per se primò. 17

Item sequitur ex hac sententia M. Suarez, quòd Christus non fuerit per se primò, & principaliter per hanc ineffabilem vnionē intentus, sed terminus secundarius, & consequens primarium terminum: sed cōsequens est falsum: ergo &c. Probatur sequella. Id quod fit per hanc vnionem non est humanitas, neque ipsa Verbi subsistentia increata, neque totum compositum, nempe, hic homo, qui est Christus, sed est quidam modus substantialis ipsius humanitatis, quo in Verbo intelligitur existere; ergo iste modus est terminus per se primò & principaliter intentus per hanc vnionem, atque adeò Christus consequenter se habet ad illum, tanquam terminus secundarius. Falsitas consequentis probatur ex Cyrillo Alexandrino, anathematismo. 3. & habetur tomo. 1. Actorum Concilij Ephesini, vbi dicit, quòd in hac ineffabili vnitione ex duabus rebus dissimilibus, Deitate, scilicet & humanitate vnus factus est Christus. Ecce primarium vnitionis terminum, nempe Iesum Christum factum. 18

Neque obstat ratio M. Suarez, quòd fieri illius compositi non possit adæquatè cum toto illo identificari. Dicendum est ergo, illam actionem realiter identificari cum suo termino totali in fieri, quia nihil aliud est, quàm ipsum Verbum fieri, non quidem simpliciter, sed vt subsistens in natura humana. 19

Insuper probatur ex refutatione quartæ sententiæ, quæ asserebat, hanc vnionem non habere terminum factum & productum. Primò, quia hæc vnio siue substantialis vnitio est vera & realis actio; sed omnis actio agit, & efficit suum terminum, seu agens per actionem efficit suum terminum; impropriè enim dicetur actio, illa, per quam nihil agitur, & nullus terminus efficitur: ergo hæc actio efficit suum terminum totalem. Secundò. Totalis terminus huius substantialis vnionis est Christus: sed Christus non solùm connotat in obliquo naturam humanam, sed illam formaliter includit; nam Christus importat suppositum subsistens in natura humana, sicut Petrus, vel Paulus, & ob id Christus vniuocè dicitur homo cum cæteris hominibus; ergo terminus totalis huius vnionis non est solùm Verbum, terminās & complens humanitatis dependentiam. 20

Rursus. Sequitur ex opposita sententia, Christum non fuisse per hanc vnionem per se primò & principaliter intentum, sed potiùs ad eius primarium terminum consequenter se habuisse; consequens autem est falsum: ergo &c. Probatur Sequella. Christus 21

intrinsecè, & formaliter includit naturam humanam,
vt nunc dicebam, sed terminus per se primò intentus, &
per hanc vnionem assecutus nõ includit formaliter hu-
manitatem iuxta præfatam opinionem, sed est ipsa Di-
uina Persona connotans humanitatem, cuius dependen
tiam terminat; ergo Christus est terminus secundarius,
qui primarium terminum consequitur. Falsitas autem
consequentis probatur ex verbis Cyrilli citatis. Et ex
illis Ioannis. 1. *Verbum caro factũ est:* ergo Chris-
tus factus est terminus primarius huius vnionis. Secũda
Conclusio.

22 Iste terminus totalis, Qui, seu Quod, ex vnione hypos-
tatica per se primò resultans, est quid creatum in secun-
da acceptione: id est, per veram actionem factum. Hæc
conclusio est Caietani art. 10. huius quæstionis circa
solutionem ad primum: vbi docet, gratiam vnionis,
quòd substantialem coniunctionem personalitatis cũ
natura, esse donum creatum. Et probatur eisdem argu-
mentis, quibus secundam sententiam confirmauimus:
Et præterea probatur: nam quidquid in tempore fit
per veram & realem actionem, est creatum; sed hic ter-
minus est huiusmodi: fit enim per hanc vnionem, quæ
est vera actio; ergo Christus, vt est totalis eius termi-
nus, est factus.

23 Confirmatur primò. Christus est quoddam nouum
à Deo factum, non habens esse ab æterno, secundùm
quòd ex Diuinitate, & humanitate constat; hæc enim
est illa nouitas, de qua dicebat Ieremias cap. 31. *No-
uum creauit Dominus super terram, fœmina circunda-
bit virum:* Sed hoc, quod est nouum, factum, & crea-
tum, est Christus: ergo prout est totalis terminus vnio-
nis hypostaticæ, factus est per ipsammet vnionem, atq;
adeò resultauit ex eadem vnione, tanquam quid crea-
tum.

24 Confirmatur secundò. Hæc propositio, Deus factus
est homo, est vera & catholica: ergo & ista: Deus factus
est Christus. Antecedens est cõmunis Theologorũ sen-
tentia cũ D. Thoma infra q. 16 art. 7. ad. 4. & habetur
expressè in Symbolo Niceno. Consequentia probatur:
quia D. Cyrillus in defensione anathematismi. 3. conce-
dit illam propositionem: Deus factus est Christus. Et
Sancti Patres eandem concedunt facientes mentionem
de hoc mysterio. Et ratio est in prõptu, quia cùm termi
nus à parte prædicati positus sumatur formaliter, vt do-
cet D. Tho. infra q. 16. art. 6. in hac propositione Chris-
tus sumitur formaliter, vt importat naturam humanã.
Tum etiam, quia iste terminus, Christus, quamuis sin-
gularis sit, sicut Petrus, habet tamen quendam modũ
termini connotatiui, qui à parte subiecti positus sumi-
tur materialiter, à parte verò prædicati accipitur for-
maliter. Et tandem probatur, præfatam enunciationem
esse verã, nam ista propositio est falsa; Deus ab æterno
fuit Christus: ergo ista debet esse vera, Deus incępit esse
Christus. Ergo à fortiori ista erit vera, Deus factus est
Christus.

25 Sed obijcies. Totalis terminus huius vnionis, qui est
Christus, Deus & homo, intrinsecè includit creatum &
increatum: ergo non est cur potius dicatur creatus, quã
increatus. Negatur cõsequentia: quia compositum non
denominatur à partibus secundùm se, sed prout vnitis,
siue ab vnione earum, vel ab vnitate, quæ inde resultat.
Constat autem, illam vnionem fuisse in tempore factã.

Secundò, quia increatum includit negationem omnis
efficientiæ seu dependentiæ, quam affirmat creatum,
& ideò hic terminus, licèt constet creato, & increato,
non debet dici increatus, quia significaretur, nunquam
incæpisse, neque fuisse factum. Quemadmodùm homo
est ò sit compositus ex corpore, & spiritu, dicitur sim-
pliciter corporeus, & non spiritus, quia spiritus inclu-
dit negationem materiæ. Et in exemplo, quo vtitur
Caietanus, si anima, vel materia essent æterna, & in tem
pore vnirentur ad cõponendum hominem, talis homo
simpliciter esset temporalis, & factus in tempore, licèt
partes secundùm se essent æternæ.

Vnde constat, sententiam Caietani & Medinæ, 26
quatenus docet, Diuinam & humanam naturam in illa
vnione, coniungi tanquam in tertio in esse personali
Verbi, & istud esse habere rationem vnius, prout in eo
coniunguntur, & similiter esse increatum, & æternum,
à nullo catholico posse vlla ratione negari. Sed per hoc
non euacuatur præsens difficultas, quia Persona Verbi,
vt sic, nõ est terminus illius actionis, sed vt est Persona
humana; ergo superfluè recurrunt ad esse personæ
æternum, & ad vnitatem personæ, quæ nihil supra
illam addit. Atque hæc dicta sint de termino totali
huius vnionis.

Sed maior difficultas est de termino formali illius. 27
Etenim cùm terminus formalis sit aliquid intrinsecè
inclusum in termino totali, & completo, necessariò de-
bet esse in præsenti vnum de tribus istis, scilicet Perso-
na Verbi, vel humanitate, aut denique modo intrinseco
vnionis, hæc duo substantialiter connectente: quia ex
tribus istis adæquatè componitur Christus, qui est to-
talis huius actionis terminus. Igitur iuxta hæc tria to-
tidem referuntur dissentientes Theologorum sententię
circa formalem Incarnationis terminum.

Prima sententia docet, primarium, & formalem ter- 28
minum vnionis hypostaticæ est ipsam Verbi Personã.
Hæc tribuitur Capreolo in. 3. d. 5. q. 1. & Caietano hic
art. 8. Parag. ad secundũ Dubiũ, & videtur insinuari à
D. Thoma art. 5. vbi præsupponit tanquàm certũ, prin-
cipalem, & primariũ terminũ huius vnionis admirabi-
lis, quæ dicitur vnisio, esse Diuinam Verbi hypostasim.
Quod quidem cùm de termino totali intelligi nõ pos-
sit, quia hic terminus est ipse Christus, vt ostensum est,
necessariò debet intelligi de formali termino. Et proba
tur hæc sententia. Primò. Terminus formalis actionis
est id, quod est principalius in termino totali, & habet
se veluti actus, & forma illius: sed huiusmodi est Perso-
na Verbi respectu totalis termini Incarnationis, ergo
Persona Verbi est terminus formalis huius actionis. Ma
ior est manifesta, & constat exemplo. Etenim, quia ani
ma rationalis est pręcipua pars hominis, qui est totalis
terminus generationis, & similiter est intrinsecus actus,
& forma illius: ideò anima est formalis terminus gene-
rationis. Minor etiã patet, quia totalis terminus Incar-
nationis est Christus: sed in Christo principalius est Per
sona Verbi, quæ ad humanitatem cõparatur sicut actus
determinatiuus ad potentiã determinabilem: ergo &c.

Secundò. Terminus formalis est, per quem totalis 29
formaliter habet esse, sed Christus, qui est terminus to-
talis, habet esse per ipsam Personã Verbi: ergo fuit ista
formalis terminus Incarnationis.

Secũda sententia docet, humanitatem fuisse formalẽ 30
terminum

terminum huius actionis. Probatur, quia Incarnatio est actio, qua Verbum formaliter caro, seu homo factũ est; sed id, quo formaliter, & intrinsecè Verbum factum est homo per hanc actionem, fuit humanitas; ergo hęc
31 fuit formalis terminus Incarnationis. Cõfirmatur: nam quod per se intenditur per hanc vnionem, est, vt Verbũ, quod erat Suppositum Diuinum, esset per Incarnationem humanum suppositum: sed Verbum Diuinum habet ab humanitate, tanquam à forma, quòd sit suppositum humanum, loquendo formaliter de supposito humano, vt est humanũ; ergo humanitas est formalior huius vnionis terminus. Confirmatur secũdò: quia terminus formalis nõ debet attendi ex eo, quod est principalius, aut actualius in re: etenim cùm sit calidũ, subiectũ caloris in re est principalius, quàm calor, & tamen non est terminus formalis calefactionis. Neque etiam debet perpendi ex intentione extrinseca agentis, sed ex intrinseca intentione ipsius actionis; sed in hac actione quod intrinsecè, & per se intenditur, est, vt Deus fiat homo: ergo hæc actio ex sua natura supponit Deum, & illum induit humanitate. Ergo humanitas est formalis terminus illius. Explicatur exemplo actionis, qua homo induit vestem; quia licèt adęquatè terminetur ad esse vestitum, & in ipso composito ex homine & veste præcipuum sit homo: quia tamen ipse supponitur actioni, & vestis est, quæ illi adiungitur; ideò formalis terminus illius actionis est vestis, non secundùm se, sed vt actu induens, & quasi hominem informans.

32 Tertia sententia asserit, neutrum horum extremorũ fuisse formalem incarnationis terminum, sed illũ modũ substãtialem vnionis, quo diximus supra art. 4 Disp. 8. illa intrinsecè & formaliter connecti inter se. Hanc sententiã tenet Scotus in 3. d. 5. q. 1. Sed expresiùs Durãdus ibidem q. 2. nu. 10. Et probatur primò. Terminus formalis est id, quo totalis dicitur factus per actionem; sed id, ratione cuius Christus dicitur factus per actionem Incarnationis est modus vnionis: ergo id fuit formalis terminus incarnationis. Maior est nota ex terminis, & minor constat; nam per istam actionem neq; fuit producta ipsa Persona Verbi, neque verò humanitas, sed solũ modus vnionis denuó resultauit ex vi huius actionis, & ratione illius totus ipse terminus, tametsi nõ totaliter dicitur factus per incarnationem: ergo &c.

33 Confirmatur ratione Durandi: quia terminus formalis alicuius actionis nequit præexistere antè actionem, sed tam Persona Verbi quàm humanitas præexistebant antè incarnationem, & solus modus vnionis ex vi illius incæpit esse de nouo; ergo hic modus tantùm fuit formalis terminus incarnationis. Consequentia cũ minori patet, & maior probatur: quia terminus formalis actionis est, qui formaliter fit, aut producitur per eã: sed implicat, vt quod fit per actione, præexistat, aut prę-intelligatur productum ante illam: ergo &c.

34 Secundò. De ratione termini formalis est, quòd formaliter fiat per actionem, cuius est terminus; sed solus modus vnionis est factus formaliter per incarnationẽ, non verò humanitas, aut Persona Verbi: ergo solus hic modus est formalis terminus incarnationis.

35 Confirmatur. Hæc actio formaliter est substantialis vnitio humanitatis cum Persona Verbi: hoc est, vnio horum extremorum in fieri; ergo eius formalis terminus est substantialis modus vnionis, qui est ipsamet vnio in facto esse. Consequentia patet; quia omnis actio in vniuersum comparatur ad suum terminum formalem, sicut res formaliter in fieri ad seipsam in facto esse.

M. Suarez hìc Disp. 8. sectio. 3. facilè se expedit ab hac quæstione: nam primò censet magis esse de nomine, 36
quã de re, quia tota dissensio inter authores circa præsentem difficultatem orta est ex vario modo, quo accipi debere intellexerũt terminum formalem. Vnde quia authores primæ opinionis nomine termini formalis significari censuerũt id, quod in termino totali est pręcipuum, & perfectissimũ: ideò pro formali huius actionis termino constituerunt ipsam Verbi Personã. Quia verò authores secundæ per formalem terminum intelligunt principiũ formale, constitutiuum termini totalis quoad specificam essentiã, docuerunt, huiusmodi terminũ formalem fuisse humanitatem. Deniq; authores tertiæ opinionis modũ vnionis asserunt esse formalem terminũ, quia de ratione termini formalis existimant esse, vt fiat per actionem, & nullo modo pręsupponatur antè eã. Et quoniã hæc vltima acceptio est magis propria, & philosophica: ideò hanc tertiã sententiã M. Suarez absolutè veriorem censet. Sed docet secundò, has 37
omnes opiniones facilè posse ad cõcordiam reuocari. Etenim si hæc actio consideretur, vt est Diuini esse cõmunicatio; sic formalis eius terminus est ipsa Persona Verbi, non absolutè, & secundùm se sumpta, sed vt suũ esse tribuit, & communicat humanitati. Si verò expendatur vt incarnatio, eius terminus formalis est humanitas; quia hæc actio vt sic importat motum, quo Verbum formaliter homo factum est. Denique si perpendatur, vt est quædam vnio substantialis, hoc est, realis coniunctio humanitatis cum Verbo, sic eius formalis terminus est modus vnionis, quo hæc extrema in facto esse manserunt vnita substantialiter inter se. Et hæc vltima consideratio huius actionis magis physicam eius essentiam declarat; ac proindè meliùs incarnationis naturam explicant, qui docent, terminum formalem eius fuisse hunc modum vnionis per eam formaliter productum.

Cæterùm hic modus Conciliandi has sententias non 38
videtur sufficiens, nam incarnatio siue consideretur formaliter, vt est cõmunicatio Diuini esse, siue vt coniũctio, siue vnio humanitatis ad Verbũ, siue denique vt formaliter est Incarnatio, id est, humanatio, est vna, & eadẽ actio realiter, & formaliter; ergo nequit habere distinctos realiter, & formaliter terminos ad quos. Cõsequentia est euidens; nã actio identificatur cũ termino. Et antecedens cõceditur à M. Suarez in Cõmentario ad articulũ. 8. & illud eruditè explicat docens ex Damasc. li. 3. de Fide cap. 11. Vnã, & eãdem formaliter actionem solo modo concipiendi, & significandi diuersam, esse vnionẽ, Incarnationem, & assumptionem, & distingui dũtaxat per diuersos respectus, quos hæc nomina diuersa importãt: nã vnio dicit actionem vnitiuã extremorũ, sed non explicat, quæ sint ista extrema. Incarnatio verò hãc eãdem actionem formaliter significat, sed simul explicat vnũ ex duobus extremis vnionis, nempe carnẽ, aut humanitatẽ. Assumptio verò importat hãc eandem actionem, sed cũ respectu ad alterũ extremũ, videlicet Personam Verbi, tanquã principium effectiuũ simul, & formale ipsius. Est enim assumptio alicuius ad se sumptio,

& assumere dicit in suo conceptu, quòd eadem sit persona efficiens illam assumptionem, seu vnionem, & cũ quasi alterum extremum eius formaliter terminant.

39 Ex quo patet, tria hæc inter se, solùm tanquàm magis, & minùs explicitum, non verò realiter, aut formaliter differre. Cùm igitur communicatio Diuinæ Personæ, vnio, Incarnatio, & assumptio sint vna, & eadem formaliter actio, quamuis diuersimodè cõcepta, & significata: necessariò debent habere vnum terminũ formalem, sicuti & vnicum habent terminum totalem: nam vnitas formalis actionis sumitur ab vnitate termini formalis, & ideò illo variato, necessariò variatur formaliter actio, vt ex 5. Physi. constat. Neque licet pro libito cõfingere, vt facit M. Suarez, varias termini formalis acceptiones, cùm omnes Philosophi nomine termini formalis semper intellexerint id, quo talis terminus intrinsecè, & formaliter constituitur in esse talis, ac proinde terminus, Quo, solet appellari. Sit ergo Tertia Conclusio.

40 Terminus formalis Incarnationis neque est Persona Verbi, neque modus substantialis vnionis, sed sola humanitas. Prima pars huius conclusionis probatur; quia Persona Verbi respectu termini totalis, videlicet Christi hominis, non se habet vt principium formale, sed potiùs quasi materiale, vt posteà explicabitur. Item, quia Persona Verbi secundùm se non est formalis terminus, vt per se constat, neque per aliquid illi superadditum, quia hoc nihil est præter humanitatem. Neque Persona Verbi, vt vnita, potest habere rationem termini formalis; quia illa reduplicatio, Vt vnita, nihil addit ipsi Personæ Verbi, in se, nisi vel relationem rationis, quæ actionem realem terminare non potest; vel denominationem ab vnione, quæ est in humanitate, sed denominatio nõ potest esse terminus formalis actionis realis, nisi ratione formæ denominantis; ergo formalis terminus potiùs erit humanitas, à qua Persona Verbi denominatur humanata, quod est esse humanitati coniunctam. Secunda pars cõclusionis patet ex dictis cõcl. 2. in refutatione tertiæ opinionis. Tertia verò pars probatur, quia humanitas fuit principiũ formale cõstitutiuũ termini totalis huius actionis, nẽpe, Christi Dñi; Et cõfirmatur rationibus adductis pro secũda sententia.

41 Sed obijcitur. Christus ita essentialiter est Deus, sicut est essentialiter homo, ergo non magis humanitas eius est principium constitutiuum, quàm Diuinitas, & ex consequenti non magis natura humana, quam Diuina Persona fuit formalis terminus Incarnationis. Respondetur, quod vt docet D. Tho. infra q. 16. Per Incarnationem homo non est factus Deus, sed contra, Deus factus est homo, atque adeò terminus totalis Incarnationis fuit Chrus vt homo, & ex cõsequẽti sola humanitas habuit rationẽ termini formalis respectu huius actionis.

42 Sed instatur. Humanitas fuit subiectum receptiuum Incarnationis; ergo non terminus formalis illius. Cõsequentia patet, quia secundùm Aristotelem lib. 2. de Generat. cap. 4. materia & finis nunquam coincidunt. Id est, nõ potest esse idem formaliter subiectũ, & terminus eiusdem actionis. Item. Humanitas est terminus à quo Incarnationis: ergo non habet rationem termini formalis ad quem. Respondetur, nullum esse inconueniens, vt idem secundùm diuersas cõsiderationes habeat ratione subiecti, & termini à quo, & ad quem, nã idem calor secũdũ quòd est in gradu minori habet rationem termini à quo, prout verò est in maiori, habet rationẽ termini ad quem. Ad eundem modum eadem prorsus humanitas habet rationem subiecti, quatenùs per assumptionem mutatur, & habet rationem termini ad quem formalis, quatenùs est illud, quo Verbum est homo. Habet etiã rationem termini à quo, quatenùs tendens ad propriam personalitatem præuenitur à Personalitate Verbi. Sed de hoc latiùs art. 8. sequenti Disp. 3.

Secundò respondetur, humanitatem secundùm se sumptam fuisse quidem subiectũ huius actionis, ad quã præsupponitur vt in fieri, & produci, & prioritate naturæ est illa prior, quia ex mente D. Tho. infra q. 4. art. 2. & 3. Quod assumitur debet præsupponi ad ipsam assumptionem, sicut mobile localiter præsupponitur ad motũ, quod nõ solùm est intelligendum de præsuppositione secundùm rationem, sed etiam secundùm rem, nam ordo causalitatis est ordo realis, & non solùm rationis: & humanitas Christi vero & reali causalitatis ordine præsupponitur in fieri & produci antè vnionem ad Verbũ, cùm sit causa materialis huius vnionis: actio enim vnitiua, sicut & modus substantialis vnionis per illã productus, recipitur in ipsamet humanitate, veluti in proprio subiecto. Cæterùm eadem humanitas, vt vnita, id est, prout includit superadditum modũ vnionis, est terminus formalis. 43

Sed contra. Ergo iam iste modus vnionis est terminus formalis huius actionis, vt tertia opinio dicebat. Negatur consequentia, quia cũ dicimus, humanitatem, vt vnitam, fuisse terminum Incarnationis, illa particula, Vt, non denotat rationem formalem termini, sed conditionem intrinsecè requisitam. Quemadmodùm licèt calor sit terminus formalis calefactionis, vt includit modum inhærentiæ, ipsa tamen actualis inhærentia non est terminus formalis calefactionis. Cuius ratio à priori est, quòd cũ terminus formalis sit id, quo cõstituitur totalis, eo modo pertinet vnio ad rationem termini formalis, sicut pertinet ad intrinsecam totalis termini constitutionem. Vnde quia ad constituendũ totalem terminum non concurrit vt ratio, & principalis forma, sed tantùm vt conditio intrinsecè requisita, & & necessarius modus; ideò vnio dici non potest formalis terminus, sed solùm modus ipsum terminum formalem vltimatè complens. Sed ex solutionibus argumentorum id magis intelligetur. 44

Ad argumenta primæ opinionis respondetur. Et primo ad authoritatem D. Thomæ dicendum est, D. Thomam non tam docuisse, physicos terminos huius actionis, quàm istius vnionis extrema significata per modũ termini à quo, & ad quem, importari nomine assumptionis; assumptio enim ex modo proprio significãdi importat motũ, quo natura humana assumpta trahitur à suo proprio esse ad alienũ esse Diuinæ Personę. Vnde esse ipsius naturæ humanæ significatur vt terminus à quo: esse verò Personæ Diuinæ, ad quod trahitur per assumptionẽ, significatur vt terminus ad quẽ huius motus. Cęterũ quòd natura humana hoc modo ad esse Personale Verbi trahatur, si rẽ ipsam, & nõ modũ cõcipiẽdi, aut significãdi attẽdamus, nõ tã est, Personã Verbi esse terminũ huius actionis, quàm ipsiusmet humanitatis. Et hoc fortè voluerunt authores pro prima opinione relati, neque eorum argumenta ampliùs suadent. 45 46

Itaque

Digitized by Google

Itaque ex mente D. Thomæ Diuina Verbi hypostasis est terminus humanitatis, non tamen huius actionis. Sed quia non terminat humanitatem nisi interuentu huius actionis: ideò discipuli D. Thomæ dicere communiter solent; Personam Verbi secundum D. Thomam terminare huiusmodi actionem, cùm tamen ex mente illius nõ sit terminus actionis, sed solius humanitatis.

47 Ad primam rationem respondetur, quòd sicut actionis, qua corpus album fit, terminus formalis non est corpus, licèt sit entitatiuè perfectius, sed albedo, qua in esse albi formaliter constituitur; sic etiam terminus Incarnationis, per quam Verbum factum est homo, non est ipsum Verbum, quamuis sit infinitè perfectius, sed humanitas, qua formaliter constituitur in esse hominis. Etenim nomen cõcretum, Homo, pro formali significat humanitatem, pro materiali concernit ipsum suppositum. Vnde in totali termino, nempe, Christo vt homine, natura humana habet rationem principij formalis, Persona autem Verbi rationem sortitur principij veluti materialis, ex quibus adæquatè hic homo Christus componitur.

48 Ad secundam rationem conceditur, Personam Verbi perficere humanitatem, & suum esse illi tribuere, verùm inde non sequitur, fuisse terminum formalem huius actionis, quia illud non tribuit per modum formæ physicæ, vel methaphysicæ terminum totalem intrinsecè constituentis, sed per modum principij materialis, vel suppositi sustentantis.

49 Ad primum argumentum tertiæ opinionis respondetur, terminum formalem actionis esse id, quo totalis dicitur factus talis. Vnde quia terminus totalis huius actionis dicitur factus talis, idest, formaliter homo per humanitatem, & non per vnionem, tametsi hæc requiratur per modum conditionis: ideò terminus formalis fuit ipsa humanitas, modus verò vnionis conditio necessaria, vt humanitas terminaret hanc actionem.

50 Ad confirmationem Durandi respondetur, non esse de ratione termini formalis alicuius actionis, quòd per illam producatur, vel fiat, sed sat est, quòd per eam realiter cõmunicetur alteri extremo, vt inde consurgat totalis terminus: quod multis exemplis demonstrat Gregor. in. 1. d. 30. per hoc, quia Essentia Diuina est terminus formalis generationis Verbi: aliàs actio hæc non esset vniuoca. & Essentia Diuina nõ producitur per generationem. Item anima rationalis est terminus, Quo generationis, & resurrectionis, & tamen per neutrã harũ actionũ facta est, sed per creationem. Deniq; si Deus per albedinem præexistentem dealbaret corpus aliquo modo, illa albedo esset formalis terminus huius dealbationis. Nihil ergo obstat, quominùs humanitas potuerit esse terminus, Quo, Incarnationis, quòd non fuisset producta per huiusmodi actionem, satis esset, quòd realiter fuisset Verbo communicata, & ex tali communicatione resultaret formaliter totalis terminus Incarnationis, nempe, Christus vt homo.

51 Secundò respondetur concessa maiori negando minorem, quia licèt Verbũ secundùm se præexisteret ante Incarnationem, Persona tamen Verbi, vt sustentans naturam humanam, nõ præextitit antè istam actionem, sed vt sic fit per illã, & ordine naturæ est quid illa posterius. Similiter natura humana vt terminata Personalitate Verbi non præextitit actioni vnitiuæ, sed fit per illã actionem, non quidem vt est vnitiua, sed vt est productiua, vt latiùs infra art. 11. huius quæstionis Disput. 4. Vnde neque humanitas vt terminata, neq; Verbũ vt terminans possunt esse sine illa actione. Et per hoc patet responsio ad secundum argumentum.

Ad confirmationem respondetur, quòd sicut generatio hominis essentialiter est vnio animæ rationalis 52
cum corpore, & nihilominùs formalis terminus eius est ipsa anima, non modus vnionis: sic licèt Incarnatio fuerit essentialiter vnio humanitatis cum Verbo, terminus eius, vt, Quo, non est substantialis vnio, sed ipsa humanitas, prout includit hunc modum vnionis veluti necessariam conditionem. Quarta Conclusio.

Terminus formalis, Quo, huius vnionis hypostaticæ est aliquid creatum, & in tempore factũ. Hæc con- 53
clusio constat ex præcedentibus. Si enim terminus formalis nõ est Persona Verbi, sed humanitas, vt definitum est conclus. 3. cùm humanitas sit aliquid creatũ, & productũ realiter per hãc actionem, necessariò consequitur formalem terminũ illius esse aliquid creatum. Neque 54
rationes primæ opinionis probant oppositũ. Vnde ad primam respondetur negando maiorem, iam enim ostensum est, Personam Verbi non esse terminum huius vnionis, sed humanitatis. Vnde terminus actionis siue totalis, siue formalis est aliquid creatũ, terminus verò humanitatis per talem actionem productæ, est increatus, nempe Personalitas Verbi. Et forsam hoc voluit significare Caietanus, cùm dicit, terminum huius vnionis esse increatum, quia solùm considerat vnionem duarũ naturarũ in subsistentia, & Personalitate Verbi, tãquàm in quodam tertio, & illam subsistentiã vocat vnitatem, in qua vniũtur illa extrema, quæ subsistentia est increata. Nihilominùs non loquitur propriè Caietanus, quia 55
illa subsistentia, propriè, & formaliter loquendo nõ est dicenda vnitas eorum, quæ in ipsa vniuntur, seu vnitas totius Christi, quia vnitas illius subsistentiæ est omninò simplex, vnitas verò Christi est per compositionem secundùm subsistentiam, vt loquũtur Concilia. Vnde si de illa subsistentia secundùm se nõ sit sermo, sed prout est composita, sic est terminus productus, & resultans per hanc vnionem, atque adeò factus, & creatus, vt dictum est in secunda conclusione. Sed quia Caietanus 56
videtur contendere, quòd totalis terminus huius vnionis sit increatus, quia illud esse in quo naturæ vniũtur, est increatum, respondendum est illi: quòd licèt subsistentia Verbi sit increata, humanitas tamen includit entitatem essentiæ, quæ est creata, & eandem includit ipsum cõpositũ, quod est totalis terminus vnionis, & ideò non sequitur, ipsum esse increatum propter existentiam increatam, qua humanitas existit. Et ad rationem Caietani, quòd vnum nihil addit supra ens, dicitur, quòd ens includit entitatem essentiæ, & existentiæ, & vtrãque includit vnum, & hoc satis est, vt si altera illarum entitatum sit creata, vnitas ex eis resultans sit creata, etiam si detur, vnum nihil addere supra ens, vt vtramque simul entitatem includit. Sed contra. A quo res habet 57
esse, habet vnitatem; sed humanitas à Persona Verbi habet esse; ergo & vnitatem in illa. Sed vnio nõ distinguitur ab ista vnitate, & hæc identificatur cum Persona Verbi; ergo & vnio. Resp. eo modo, quo aliquid habet esse ab alio, habere etiam vnitatem: humanitas autem habet esse à subsistẽtia Verbi, vt à termino ipsius

humanitatis,& hoc modo etiam habet vnitatem. Vnio autem pro actione non identificatur cum termino humanitatis productæ per illam actionem, ſed cum ipſa humanitate. Hactenus diſputatum eſt de vnione, vt eſt actio toti Trinitati communis, modò diſſerendum eſt de illa vt eſt relatio, quæ cõſequitur ex vnione naturæ humanæ & Diuinæ in Perſona Verbi, An ſit quid creatum, quod ex profeſſo quærit D. Tho. in hoc articulo. Vnde ſit

TERTIA DISPVTATIO.

1 VTrùm vnio hęc ſit relatio. Negatio probatur. Primò: quia hęc vnio eſt ſubſtantialis, non accidentaria, vt ſupra oſtenſum eſt: ſed relatio eſt accidens; ergo huiuſmodi vnio Verbi Incarnati non eſt relatio. Secundò.
2 Omnis relatio fundatur in actione, aut paſsione, aut quantitate, vt conſtat ex Ariſtotele. 5. Methaphyſ. Sed hæc relatio in nullo iſtorum fundatur; non in actione, & paſsione, tum quia hæ verſantur in qualitatibus alteratiuis, in quibus tamen hæc vnio minime verſatur: tum etiam, quia huiuſmodi relatio cõueniret omnibus Perſonis Diuinis, quarum actio ad extra eſt indiuiſa. Neque ſimiliter fundatur in quantitate, vt conſtat: ergo &c.

3 Tertiò. Si vnio eſſet relatio, Diuinum Verbum eſſe ſuppoſitum naturæ humanæ, nihil aliud eſſet, quàm terminare dependentiam relatiuam naturæ humanæ ad ipſum Verbum. Itaque fieret, vt Chriſtus eſſet homo relatiuè, & accidentaliter, imó verò eſſet falſum dicere, Chriſtum eſſe hominem, ſed debuiſſet dici, eſſe ad hominem: vnum enim relatum non eſt alterum, ſed ad alterum. Confirmatur. Nihil conſequitur ad ſeipſum, ſed vnio eſt idem quod coniunctio; ergo nõ conſequitur coniunctionem.

4 Quartò. Si vnio eſt relatio, vel eſt realis, vel rationis. Sed neutra eſt: ergo &c. Quòd non ſit realis, patet ex communi Theologorum ſententia cũ D. Thoma. 1. p. q. 13. art. 7. Vbi dicit, in Deo non eſſe ponendam relationem realem ad extra. Et in hoc articulo expreſsè aſſerit relationem vnionis non eſſe realem in Verbo. Et reddit rationem; quia aliàs ſequeretur aliqua mutatio in Deo. Quod autem non ſit rationis, probatur. Si vnio eſt relatio rationis in Verbo; ergo Perſona Verbi non eſt vnita humanitati realiter, ſed duntaxat ratione: ergo Deus non eſt verè & realiter homo, neque è contra, homo eſt verè & realiter Deus, quæ omnia ſunt contra fidem.

5 Præterea impugnatur illa ratio D. Thomæ, qua probat, vnionem non eſſe relationem realem ad extra in Verbo; quia ſequeretur aliqua mutatio in Deo. Hæc, inquam, ratio nullius ponderis eſt: quia etiam ſi concedatur, vnionem eſſe relationem realem, non inde ſequeretur aliqua mutatio in Deo. Primò, quia album præexiſtens non mutatur adueniente alio albo, & tamen in ipſo eſt relatio realis ſimilitudinis; ergo ex hoc, quòd Verbum non mutetur, non rectè concluditur, nõ poſſe in eo eſſe relationem realem ex tempore. Confirmatur. Si humanitas aſſumeretur à Verbo non denuò facta, ſed præexiſtens corrupto ſuppoſito, tũc humanitas non mutaretur, & tamen in ipſa eſſet relatio realis vnionis: ergo ex hoc quòd Verbũ nequeat mutari, non ſequitur, quòd in ipſo nõ ſit relatio realis ex tempore.

Secundò: quia nullum videtur abſurdum dicere, aliquam relationem realem aduenire Deo ex tempore, quæ ab ipſo realiter non diſtinguatur, quia ſic nulla ſequeretur mutatio in Deo, conſtat autem relationem non diſtingui realiter à ſuo fundamento. 6

Tertiò: quia prædicta ratio ſupponit falſum, nempe, quòd Verbum non mutetur: quia omnis mutatio fit per receptionem alicuius formæ de nouo aduenientis; ſed Verbum denuò recepit formam humanitatis: ergo fuit mutatum. 7

Ad explicationem huius controuerſiæ aduertendum eſt, vnionem duobus modis vſurpari: materialiter, ſcilicet, & formaliter. Vnio materialiter eſt ipſa realis vnitorum coniunctio. vnio verò formaliter eſt relatio vnius extremi vniti ad alterum, orta ex ipſa vnibilium coniunctione, vnitum enim non dicitur ad ſe, ſed ad alterum. Sit ergo Prima Concluſio. 8

Vnio formaliter duarum naturarum in Chriſto eſt relatio conſequens vnitatem perſonalem earumdem naturarum: quæ ſanè relatio in natura humana eſt realis, in Verbo autem rationis tantùm. Hæc Concluſio per ſe eſt manifeſta, & magis indiget explicatione, quàm probatione. Vnde pro illius intelligentia aduertendũ eſt ex Ariſtotele. 5. Metaphyſicorum textu. 20. id diſcriminis eſſe inter relatiua tertij generis, quæ fundantur in ratione menſuræ, vt relatio ſcientiæ ad ſcibile, & alia duo genera relatiuorum; quòd in his, relatio, quæ pullulat, eſt mutua, quia extrema ſunt eiuſdem rationis, in alijs verò relatis tertij generis, cùm extrema nõ ſint eiuſdem rationis, relatio neque eſt mutua, neque ex vtroque extremo realis. Eſſe autem extrema eiuſdem rationis, nihil aliud eſt, quàm in vtroque extremo eſſe eandem rationem ſpecificam, vel quaſi ſpecificam fundandi relationem, vt conſtat in primi generis relatiuis, quæ in quantitate fundãtur. 9
10 Æqualitas enim fundatur in quantitate, quæ in vtroque extremo formaliter reperitur. Et idem etiam conſtat in relatis ſecundi generis, quæ in actione & paſsione fundantur: etenim relatio agentis ad paſſum in actione fundatur, quæ & agentis, & patientis eſt perfectio, quatenus omne agens creatum per actionem actuatur, & perficitur: & ſimiliter patiens perficitur, inquantùm ex vi actionis ab agente procedentis, in ſe aliquam ſuſcipit perfectionem; nempe eundem motum ſub ratione paſsionis, à qua paſſum denominatur. At verò in relatis tertij generis, cùm eadem ſpecifica ratio fundandi relationem in vtroque extremo non reperiatur: ideò neque eſt mutua, neque realis in vtroque extremo. Ratio enim fundans relationem eſt vnius duntaxat extremi perfectio: vt V. G. relatio ſcibilis ad ſcientiam fundatur in menſuratione, qua ſcientia à ſcibili menſuratur; quæ menſuratio in ſcientia eſt realis perfectio, quia eſt formalis illius ſpecificatio: ſed in ſcibili menſurante nullam ponit perfectionem.

Ad eundem ergo modum dicendum eſt, hanc vnionem, vt eſt relatio conſequens ex Verbo & humanitate vnitis, eſſe quidem relationem tertij generis, & ideò neque eſſe mutuam, neque realem ex vtroque extremo, ſed in humanitate eſſe realem, in Verbo autem eſſe rationis. Nõ enim eſt eadẽ ratio fundãdi in vtroq; extremo; quia ratio fundandi in humanitate eſt mutatio, & 11

eleuatio

eleuatio illius ad esse personale Verbi, per quã increatæ existentiæ perfectionem acquirit:& ideò ex hac parte relatio consequens est realis in natura humana; quia
12 tam fundamentum, quàm ratio fundandi est realis. Cæterùm ex parte alterius extremi, nempe, Verbi, cùm nulla reperiatur mutatio, quia terminare humanitatis dependentiam per communicationem subsistentiæ non est mutari; nullaq; denuò acquisita perfectio ponatur in Verbo: ideò vnio in Verbo non est ens rei, sed rationis. Vnde de vnione, vt est relatio per comparationem ad Verbum, eodem modo philosophandum est, ac de alijs relationibus, quæ Deo ex tempore aduenire dicuntur, vt esse Dominum, esse creatorem. Sicut ergo esse Dominum non dicit in Verbo relationem rei, sed rationis; in creatura verò dicit relationem realem: quia tam fundamentum, quàm ratio fundandi est realis per-
13 fectio in creatura posita; sic in proposito dicendum est. Et sicut Deus dicitur Dominus, & creator formaliter, & realiter, quamuis relatio in eo existens sit rationis, non tamen eadem ratione: quia Dominus, vel Creator dicitur formali denominatione à relatione rationis in illo existente, quia relatio dominij, quatenùs est forma relatiua, per quam Deus, vt Dominus, ad creaturarum refertur, denominat illum formaliter. At verò, quòd realiter sit Dominus, habet à relatione dominij, quatenùs constituit Deum, non in ratione relatiui ad creaturam, sed in ratione termini terminãtis relationem seruitutis, tendẽtis à creatura ad ipsum. Seruitus enim, quæ realiter denominat creaturam seruam denominatione intrinseca, denominat etiã Deum, realiter Dominum, denominatione extrinseca non quidem immediatè, sed media relatione dominij, quæ ex parte Dei se tenet. Et sic quòd Deus appelletur Dominus formaliter, denominatione formali, habet à relatione rationis in eo existente. Quòd verò realiter sit Dominus, habet à relatione seruitutis, quæ in creatura est realis.

Ad eundem igitur modum affirmandum est, in Ver-
14 bo Diuino esse relationem vnionis, nõ quidem realem, sed rationis, & denominari vnitum realiter, & formaliter, sed non eàdem ratione. Etenim vnitum dicitur formaliter à relatione rationis in illo existente, quatenùs per illam, tanquam per formam relatiuam ad humanitatem vnitam refertur. Dicitur autem realiter vnitum ab eadem relatione vnionis, quatenùs terminat relationem dependentiæ humanitatis in subsistentia. Vnde sicut dici solet, terminum cuiuscumq; rei pertinere ad prædicamentum illius, cuius est terminus, vt punctus ad quantitatem; quia terminat lineam, & dicitur quid reale, quatenùs terminat; sic etiam potest dici, quòd relatio vnionis in Verbo existens, quamuis sit relatio rationis absolutè considerata: si tamen consideretur in ratione terminãdi, quatenùs terminat relationem realem vnionis humanitatis ad Verbum; pertinet ad idem prædicamentum, ad quod pertinet id, cuius est terminus, & sic potest denominare formaliter & realiter Verbum vnitum. Secunda Conclusio.

15 Relatio vnionis creatæ per se primò terminatur ad hypostasim, secundariò autem & per se ad Naturam Diuinam. Hoc est, hæc relatio est tanquam ad primarium terminum ad Personam Diuinam, cui natura humana primò & per se coniungitur; secundariò autem & per se terminatur ad Naturam Diuinam, quæ intrinsecè est in Diuina Persona. Itaque nõ est hîc duplex relatio vnionis, sed vnica duntaxat, per quam natura humana immediatè & primariò refertur ad hypostasim Verbi, cui immediatè & per se primò vnitur ratione personalitatis; secũdariò verò & mediatè refertur ad Naturam Diuinam, cui secundariò, & mediatè vnitur. Neque etiam in hoc mysterio reperitur duplex vnio substantialis, sed vnica tantùm hypostatica, quia ratio & species vnionis ab immediato & per se primo termino desumitur, & denominatur. Sic autem explicata conclusio probatur. Actio vniendi primò & per se terminatur ad personam, secundariò verò & per se terminatur ad naturam; ergo persona est primarius terminus relationis, secundarius verò natura. De hac re latiùs quæstione sequente articulo secundo. Tertia Conclusio.

Humanitas vnita eàdem relatione refertur realiter 16
& formaliter ad hypostasim, & ad Naturam Diuinam. Probatur. Eàdem relatione realiter & formaliter refertur effectus ad agens principale, & ad eius instrumentum, vt imago ad pictorem, & penicillum: quia licèt materialiter sint termini distincti agens principale, & instrumentum, formaliter tamen sunt vnus terminus; quia ambo concurrunt ad vnam actionem, quæ est fundamentum relationis: sed hypostasis Verbi Diuini, & Natura ipsa Diuina concurrunt tanquam vnum principium effectiuum actionis & vnionis, supra quam fundatur relatio & ad Personam, & ad Naturam Diuinam; ergo hæc relatio vnionis est eadem ad vtrumque terminum tanquam ad vnicum terminum formaliter, etsi materialiter sint diuersi.

Ad primum igitur argumentũ Resp. Vnionem ma- 17
terialiter esse substãtiam, formaliter verò esse accidens. Dicitur autem hæc vnio substantialis, quia terminatur ad esse substantiale, nempe, Deum esse hominem. Vnde vnio hæc, quò ad id, quod significat, est relatio: quòad id verò, ad quod terminatur, est substantialis.

Ad secundum Resp. Quòd fundatur in passione, hoc 18
est, in assumptione passiua humanitatis ad subsistentiam Verbi, quæ sanè passio est ratio fundandi, vt disputatione sequenti constabit.

Ad tertium Resp. Verbum Diuinum vnitum huma- 19
nitati primò terminare dependentiam suppositalem naturæ humanæ, secundariò verò, & cõsequutiuè relatiuam eius dependentiam. Vnde Incarnari, siue sustentare naturam humanam, est, ipsam humanitatem sic Diuino Verbo vniri, vt sit vnum subsistens in vtraque natura; deinde verò, & cõsequutione quadam est terminare dependentiam relatiuam ad ipsam Verbi Personam, & ideò Christus est homo absolutè, & non relatiuè, quia non solùm terminat dependentiam relatiuam, sed etiam suppositalem, quam consequitur ipsa relatiua.

Ad confirmationem Resp. Vnionem, vt est rela- 20
tio, esse habitudinem quandam inter vnibilia ortam ex ipsorum vnione, de qua vnione relatiua est modò sermo.

Ad quartum Resp. Vnionem hanc esse in Verbo rela- 21
tionem rationis. Ad impugnationem negatur consequentia, quia vniri realiter contingit dupliciter, vno modo per vnionem realem, formaliter inhærentem; altero, per hoc, quòd vnitum terminat relationem realem vnionis. Priori modo Verbum Diuinum non est

realiter vnitum humanitati, sed tantùm posteriori modo, quatenùs terminat vnionem, siue relationem realem vnionis humanitatis sibi vnitæ. Et inde est, quòd sit verè & realiter humanitati vnitum. Terminat autem relationem realem vnionis, vt est vnum personaliter cum humanitate, & ob hanc vnitatem in persona Verbum dicitur verè & realiter humanitati vnitum.

22 Sed contra solutionem replicatur. Si Verbum dicitur vnitum realiter humanitati, quia terminat relationem realem vnionis: ergo Diuinum suppositum esse humanum, nihil aliud est, quàm terminare dependentiam relatiuam humanæ naturæ: & ex consequenti Christus esset homo relatiuè. Resp. Quòd primò terminat suppositalem dependentiam humanitatis, quam consequitur illa relatiua dependentia.

23 Ad quintum Resp. Rationem D. Thomæ esse efficacem, & veram. Primò, quia hoc est vniuersaliter verum in creaturis, quòd vbicumque est relatio realis, est, aut esse potest aliqua mutatio saltem secùndùm fundamentum proximum, ita vt sit omninò per accidens, præexistens non mutari alio adueniente, quod ad ipsum realiter referatur. Cùm ergo Deus sit omninò immutabilis, non est capax alicuius relationis realis ad creaturas. Secundò, quia cùm relatio realis sit accidens, nequit non facere, vt aliter se habeat id, cui aduenit, quàm priùs se habebat, atque adeò quòd non mutetur aliqua ratione, quamuis non aliqua ex mutationibus ab Aristotele assignatis 5. Physicor. Vnde ad primam obiectionem

24 Resp. Quòd licèt album præexistens non mutetur adueniente alio albo, potest tamen ita mutari, vt sit accidentarium non mutari. Vel secundò Resp. Quòd licèt non mutetur aliqua ex mutationibus ab Aristotele assignatis, quia neque generatione, neque alteratione, neque auctione, neque latione mutatur: aliter tamen se habet accidenti reali, quàm priùs se habebat, atque adeò est aliqualis mutatio, quæ omninò repugnat Deo. Vel tertiò Resp. Quòd relatio realis, cùm sit accidens, necessariò supponit potentialitatem in subiecto, cui aduenit, quæ quidem potentialitas Deo prorsus repugnat.

25 Ad confirmationem Resp. Necessariò ponendam esse mutationem in humanitate, dum assumitur à Verbo, quocumque modo consideretur. Si enim assumitur de nouo facta, est in ipsa mutatio generationis; si assumatur præexistens, erit mutatio transmutationis de vno supposito in aliud, quia necessariò debet amittere suppositum, quod tunc habet, vt à Verbo assumatur.

26 Ad secundam obiectionem Resp. Quòd licèt relatio non distinguatur realiter à fundamento, ipsum tamen fundamentum realiter distinguitur à subiecto. Ponere autem in Deo aliquod fundamentum ab ipso realiter distinctum, falsum est.

27 Ad tertiam Resp. Mutationem, quæ fit per formam de nouo aduenientem, causari dando aliquod esse per informationem, aut inhæsionem: humanitas verò non dat esse Verbo per informationem, sed illa potiùs est, quæ ab ipso Verbo recipit esse.

28 Sed contra dicta obijcitur. Vnio est in rebus vnitis; sed Diuina Persona est vnita humanæ naturæ: ergo relatio vnionis est in vtroque subiectiuè. Sed in humanitate est relatio realis: ergo in Verbo similiter est realis, atque adeò Verbum mutatur.

29 Confirmatur. Si relatio vnionis esset in sola humanitate subiectiuè, absolutum terminaret relationem; sed consequens est falsum, & contra naturam relatorum, quorum esse est ad aliud, videlicet, correlatiuum, se habere, ergo. Resp. Vnionem formaliter sumptam non esse in Verbo subiectiuè, quia Verbum non habet rationem subiecti, sed terminat dependentiam humanitatis ad ipsum terminantis; quæ quidem terminatio potest denuò intelligi in Verbo absque sui mutatione, sicut Deus intelligitur esse in creatura per essentiã, præsentiam, & potentiam, causans & cõseruans in illa esse, & dependentiam ab ipso sine vlla mutatione. Item vnio est in rebus vnitis, quando quodlibet vnitorum est capax nouæ relationis realis, cuius non est capax Diuina Persona: vnde Verbum dicitur vnitũ humanitati, quia terminat realem relationem, & dependentiam humanitatis ab ipso.

30 Sed contra solutionem replicatur. Vnitum dicitur vnione vnitum; ergo id, in quo nulla est relatio vnionis, non dicitur vnitum. Sed in Persona Verbi nulla est relatio vnionis: ergo non est vnita. Resp. Vnitum sumi dupliciter, formaliter, & terminatiuè. Illud est vnitum formaliter, quod vnione reali est vnitum; illud verò terminatiuè, quod terminat relationem vnionis rei vnitæ duntaxat. Verbum Diuinum est realiter vnitum humanitati, non formaliter, sed terminatiuè, quia terminat dependentiam humanitatis sibi vnitæ, siue relationem vnionis.

31 Sed contra. Verbum non est vnitum humanitati vnione reali: ergo non est eidem realiter vnitum. Resp. Quòd realiter vniri potest bifariam accipi. Primò, vt sit idem, quod vniri relatione reali: altero modo, vt idem significet, quod esse indiuisum supposito, & esse. Priori modo Verbum non est vnitum realiter, sed posteriori modo, nam Diuina Verbi Persona non terminat quouis modo relationem vnionis humanitatis ad ipsam, sed vt est vna personaliter cum humana natura, & ex consequenti propter hanc vnitatem in Persona, & hypostasi, Verbum Diuinum dicitur verè & realiter humanitati vnitum.

32 Prætereà licèt vnio formaliter sumpta non sit in Verbo subiectiuè, vnio verò materialiter sumpta, quæ in vnitate, & indiuisione suppositi, & esse consistit, est in Verbo, imò est ipsum Verbum, quia est illud vnum Suppositum Verbi, & illud vnum subsistere Verbi. Ad confirmationem Resp. Primò, quòd in relationibus transcendentalibus, cuiusmodi sunt relationes tertij generis, absolutum terminat relatiuam dependentiam. Etenim relata tertij generis ideò sunt relatiua, quia alia referuntur ad ipsa, non autem, quia ipsa referantur ad alia. Hoc est, dicuntur referri, quia terminant aliorum ad se relationem, non quia ipsa formaliter referantur, ad quod genus relationum pertinent omnes relationes Deo ex tempore conuenientes.

33 Secundò Resp. Inter extrema correlatiua necessariò debere esse aliquam relationem, siue rei, siue rationis. In relatiuis igitur tertij generis oportet in altero extremorum esse aliquam relationem, per quam illud extremũ terminet habitudinem, & relationem alterius correlatiui. Ita in Verbo humanitati vnito oportet cointelligi quandam relationem vnionis, quæ est relatio rationis, per quam efficitur correlatiuum humanitatis.

Quarta

QVARTA DISPVTATIO.

1 DVBITATVR, Quodnam ſis fundamenſum proximum, ex quo reſultat relatio vnionis inter humanitatem, & Verbum. De quo variæ ſunt Theologorum ſententiæ. Caietanus, quem plores Thomiſtæ ſequuntur, aſſerit, fundamentum huius relationis eſſe vnitaté perſonalitatis, & ſubſiſtentiæ vtriuſque naturæ, quia in omni relatione vnionis fundamentum relationis eſt illud, in quo extrema conueniont. Sed hæc ſententia non placet alijs Theologis, quia non videtur aſsignare fundamentum relationis vnionis, quæ proximé eſt humanitatis ad Verbum, ſeu ad ſubſiſtentiam Verbi: ſed illius, quæ eſt inter naturas Diuinam & humanam, quatenùs in vna ſubſiſtentia vniuntur, vt patet ex ratione adducta; quia fundamentum relationis vnionis eſt id, in quo extrema vniuntur. Loquitur ergo Caietanus de vnione extremorum in vno tertio, non autem de relatione eorum, quatenùs immediate inter ſe vniuntur. 2 Quæſtio autem præſens potiſsimùm eſt de relatione humanitatis ad ſubſiſtentiam Verbi, quia hæc ſola relatio realis hîc poteſt conſiderari; quoniam inter naturas inter ſe ſe, vel non eſt nona relatio, ſed denominatio quaſi mediata ab hac relatione; vel eſt tantùm relatio rationis. Itaque relatio vnionis nulla eſt propria inter duas naturas, niſi ea, quæ eſt inter humanitatem, & ſubſiſtentiam Verbi, & ab illa relatione, vel vnione, quam habent ad ſubſiſtentiam Verbi, denominãtur vnitæ. Quædam verò relatio quæ ab aliquibus ponitur inter hæc duas naturas, cõuenientiæ, & quaſi ſimilitudinis, vel potius vnitatis, & identitatis, quatenùs vna, & eâdem ſubſiſtentia terminantur, hæc inquam, relatio, quæ fundatur in vnitate ſubſiſtentiæ vtriuſque naturæ, non eſt realis, ſed rationis; quia fundamentum eſt idem in vtroque extremo. Sicut relatio ſimilitudinis inter duos homines habentes eandem numero albedinem, vel quantitatem, eſt relatio rationis; quia licèt res, quæ denominantur illa relatione, ſint diſtinctæ, id tamen, in quo referuntur, & ratione cuius poſſunt fundare, & terminare relationem, eſt omninò idem, & ita eſt hæc veluti quædam relatio identitatis numericæ.

3 Alij dicunt, fundamentum huius relationis eſſe humanitatem, non abſolutè, ſed vt eſt aſſumpta, & coniuncta Verbo Diuino, & ſuſcipit eſſe Diuinum. M. Victoria, vt hîc refert M. Medina, aſſeruit aſſumptioné paſſiuam, qua humanitas fuit ad eſſe perſonale Verbi aſſumpta, eſſe fundamentum relationis creatæ.

4 M. Suarez loco citato Diſput. 8. ſectio. 2. docet, proximum huius relationis fundamentum eſſe illum ſubſtantialem modum vnionis humanitatis ad Verbum, quia ille proximè, & formaliter fit per actionem Incarnationis, ſeu mutationem humanitatis, & illi conueniunt omnia, quæ ad rationem fundamenti requiruntur. Primò, quia ille modus eſt aliquid creatũ, cùm fiat de nouo, & ex hac parte non repugnat illi affici, vel modificari per relationem realem. Secundò, quia eſt aliquid in humanitate, in qua debet eſſe relatio. Tertiò, quia eſt aliquid realiter diſtinctum à Verbo, ad quod relatio debet terminari. Et tandem, quia ſine illo modo nequit reſultare relatio, & illo poſito neceſſariò reſultat.

Prò reſolutione huius controuerſiæ aduertendum eſt, duplex eſſe relationis fundamentum. Alterum in fieri, alterum verò in facto eſſe. Fundamentum in fieri eſt illud, à quò relatio tantùm dependet in fieri, & non in conſeruari: nam illo pereunte, non perit relatio: & ab aliquibus nuncupatur, non fundamentum, ſed conditio & ratio fundandi. Fundamentum in facto eſſe eſt illud, à quo dependet relatio in fieri & conſeruari, nam quandiu illud durat, perſeuerat relatio, & illo ablato, remouetur relatio. V.G. fundamentum paternitatis, & filiationis in fieri, eſt generare in patre, & generari in filio. Fundamentum verò in facto eſſe filiationis eſt terminus primariò acquiſitus per generationem paſsiuam, paternitatis verò eſt principiũ formale actiuum, nempe, potentia generatiua. 5

Præterea. Fundamentũ relationis in facto eſſe, aliud eſt, Quod, aliud verò, Quo; quod ab aliquibus dicitur ratio fundandi in facto eſſe: vt ſimilitudinis inter duo alba fundamentum, Quod, eſt albedo in illis exiſtens: fundamentum verò, Quo, ſiue ratio fundãdi eſt vnitas formalis: quod ſignificauit Ariſtotel. 5. Methaphyſ. dicens. Vnum in qualitate facit ſimile, ſicut vnum in quantitate facit æquale. Rurſus relatio dependet in conſeruari ab vtroque fundamento in facto eſſe, tam Quod, quàm Quo. Vnde ſi auferatur vnitas formalis, in qua illa duo alba conueniebant, etiam manente albedine in altero extremo, peribit relatio ſimilitudinis. His poſitis, ſit Prima Concluſio. 6

Fundamentũ relationis vnionis in fieri, eſt aſſumptio paſsiua humanitatis ad Verbum, qua eleuatur, & trahitur ad eſſe illius perſonale, & hypoſtaticum. Probatur, quia hæc relatio tantùm dependet in fieri ab illa aſſumptione, non in conſeruari; quia aſſumptio paſsiua iam præterijt, & tamen adhùc perſeuerat relatio vnionis: ergo illa aſſumptio fuit fundamentum in fieri. Secunda Concluſio. 7

Fundamentũ, Quod, in facto eſſe, eſt ipſa natura humãna, prout habet eſſe perſonale cõſequutum per fundamentum in fieri. Probatur. Omnis relatio, quæ eſt creaturæ ad Deum, fundatur in creatura, & nõ in Deo: ſed relatio vnionis in humanitate eſt relatio creaturæ ad Deum, ergo fundatur in humanitate. Vnde D. Thomas in ſolutione ad primum docet, Deum dici vnitum creaturæ, quia creatura eſt vnita Deo. Et ad ſecundum ait, quod relatio habet ſuum eſſe à fundamento, quod fundamentum, quia eſt creatum, ideò relatio vnionis habet eſſe creatum. 8

Præterea. Relatio proximè afficit fundamentum, ſeu eſt in illo, non vt res omninò ab illo diſtincta, ſed vt modus & ratio quædam formalis eius, & eo mediante afficit ſubiectum; ſed relatio vnionis afficit humanitatem, vt habet eſſe perſonale Verbi, & eſt in illa inhærens, & eſt modus eius, neque ab illa realiter diſtinguitur, tanquam res à re, ſed tantùm formaliter: ergo fundatur in humanitate, prout habet eſſe perſonale Verbi. Item, quia poſita humanitate in rerum natura, vt eſt aſſumpta ad eſſe perſonale Verbi, ſtatim conſurgit relatio vnionis: ergo humanitas vt ſic eſt fundamentum illius in facto eſſe. Tertia Concluſio. 9

Fundamentum relationis, Quo, ſiue ratio fundandi in facto eſſe, eſt vnitas Perſonæ Diuinæ in vtraque natura exiſtens. Hæc aſſertio colligitur ex D. Thoma in 10

eorpore

corpore huius articuli, vbi initio dicit, hanc vnionem esse quandam relationem, quæ cōsideratur inter naturam Diuinam & humanam, prout conueniunt in vna Persona Filij Dei: ergo vnitas Diuinæ Persōnæ est ratio, & fundamentum, Quo, huius vnionis.

11 Sed objicitur. Vnitas personalis est terminus huius vnionis, nā vnio terminatur ad personalem vnitatem; ergo non est fundamentum illius. Fundamentum enim & terminus relationis opponuntur inter se, quia fundamentum habet rationem principij, non termini. Confirmatur. Relatio vnionis, quæ est inter partes naturæ humanæ, non fundatur in materia, neque in forma seorsum, sed in vtraq; parte, quatenùs vna alteri cōiungitur: ergo similiter relatio vnionis, quæ est inter naturam humanam & Verbum fundatur in ipsa natura, quatenùs coniungitur Verbo, & non solùm in vnitate personali Verbi.

12 Secundò. Deus nequit esse fundamentum relationis creatæ, qua natura humana refertur ad Diuinam, & ad ipsum Verbum: sed illa vnitas personalis est increata, & ex consequenti Deus: ergo non potest esse fundamentum illius relationis. Confirmatur: quia fundamentum relationis, siue proximum, siue remotū, est intrinsecum illi rei, quæ realiter refertur; sed vnitas personalis nequit esse intrinseca humanitati: ergo &c.

13 Ad primum argumentum Resp. Probare quidem, quòd vnitas personalis non sit fundamentum, Quod, & principale, quod libenter concedimus: non tamen probare, quòd non sit fundamentum, Quo. Ad argumentum ergo Resp. Vnitatem personalem Diuini Verbi habere rationem principij & termini diuersa ratione. Principij quidem, quatenùs est ratio subsistendi in natura humana; termini verò, quatenùs ad hypostasim Diuinam refertur humanitatis vnio. Est simile. Si duo corpora eandem quantitatem haberent, essent æqualia, sed fundamentum huius æqualitatis non distingueretur realiter à termino, sed solùm formaliter. Ita similiter subsistentia & personalitas Verbi, prout est ratio subsistendi in natura humana, est fundamentum, Quo, relationis vnionis. At prout est ratio subsistendi in natura Diuina, est terminus, non quidem vnionis, sed humanitatis.

14 Ad confirmationem Resp. Ex vnione inter materiam & formam in rebus creatis duplicem resultare vnitatem. Altera est vnitas essentiæ, altera verò personæ, & ex consequenti resultat relatio inter ipsas partes, secundùm quod vniuntur in essentia, cuius relationis fundamentum est tota essentia, quæ ex partium coniunctione resultat. Et talis vnio nullam habet proportionem, neque similitudinem cum hac ineffabili vnione, de qua est sermo, quia hæc vnio secūdùm fidem non

15 est facta in essentia. Resultat etiam relatio vnionis inter materiam, & formam in rebus creatis, quatenùs vniuntur in persona, cuius relationis fundamentum est subsistentia personalis, quæ non est alia à subsistentia animæ rationalis; sed eademmet subsistentia animæ communicatur corpori. Et hęc vnio habet aliquam similitudinem cum hac vnione, de qua disputamus: cuius fundamentum, Quo, similiter est subsistentia personalis Verbi Diuini communicata in tempore naturæ humanæ.

16 Ad secundum Resp. Vnitatem personalem non posse esse fundamentum, Quod, sed Quo. Ad cōfirmationem Resp. Hanc vnitatem personalem esse intrinsecam humanitati, quam sustentat Persona Verbi, non quidem vt forma, vel vt accidens, sed tanquam suppositum. Maior autem est coniunctio suppositi cum natura, quàm accidentis cum subiecto.

Ex his constat, proximum huius relationis fundamentum non esse illum substantialem modum vnionis humanitatis ad Verbum, vt dicebat Suarez, quia neque proximè, neque formaliter fit per actionem Incarnationis, vt ostensum est Disput. 1. huius articuli: sed consequenter & concomitanter se habet ad terminum primariò intentum, siue totalem, siue formalem, & est conditio necessariò requisita, vt formalis terminus constituat totalem. 17

Constat secundò, quo pacto sit conciliandus, & intelligendus Caietanus in diuersis locis, in quibus sibi contrarius videtur. Cùm enim dicit in hoc articulo, vnitatem personæ esse huius vnionis fundamentum, loquitur de fundamento, Quo, siue ratione fundandi in facto esse. Et cùm inquit articulo. 8. sequenti, fundamentum esse vnitionem illam passiuam substantialem, intelligitur de fundamento in fieri. Et cùm rursus docet, fundamentum esse Deum hominem, sermonem facit de fundamento in facto esse. Et hoc modo conciliandæ sunt diuersæ Theologorum sententiæ, quæ supra relatæ sunt. 18

De fundamento autem relationis vnionis, quæ est relatio rationis, quæ in Verbo vnito ponitur, solet disputari. Sed breuiter Resp. Quòd sicut relatio scibilis ad scientiam fundatur in eodem fundamento, in quo relatio scientiæ ad scibile fundatur; quia tota ratio fundandi vtràque relationem est passiua specificatio in scientia existens: ita similiter dicendum est, relationem illam vnionis habere idem fundamentum tam in fieri, quàm in facto esse, quod habet relatio vnionis in humanitate existens. 19

QVINTA DISPVTATIO.

IN Responsione ad tertium argumentum docet D. Thomas, quòd homo est, & dicitur Deus propter vnionem, inquantùm ad hypostasim Diuinam terminatur. Sed hoc videtur falsum. Primò, quia in nulla alia actione hoc reperitur, quòd vnum extremum sit alterum propter vnionem, quæ inter ipsa versatur: non enim materia est forma, vel forma materia propter vnionem, qua inter se vniuntur. Secundò. Sequeretur, humanitatem vniri Verbo accidentaliter. Probatur sequella: quia cùm relatio vnionis sit accidens, si tota ratio, quòd homo sit Deus, sit ista relatio, apertè sequitur, hominem esse Deum accidentariò, & non substantialiter. 1 2

Tertiò: quia hæc relatio vnionis, vt ostēsum est disputatione præcedente, fundatur in vnitate Diuinæ Personæ in duabus naturis, tanquàm in ratione fundandi, siue fundamento, Quo, & in hoc, quòd est, Deum esse hominem, vel hominem esse Deum, tāquam in fundamēto, Quod, & in facto esse: ergo priùs naturâ est, quòd homo sit Deus, quàm quòd sit hæc relatio vnionis. Ergo falsum est dicere, quòd propter ipsam homo sit, & dicatur Deus. 3

Ad hanc difficultatem quidam respondent, D. Thomam 4

mam in hac solutione non tam loqui de vnione pro relatione, vel pro fundamento, quàm de vnione pro actione, idest, pro vnitione, & ideò sicut verè dicitur, quòd propter dealbationem paries est albus, & album est paries, quia terminus huius actionis est, parietem esse album; sic etiam verè affirmatur, quòd propter vnitionem homo est Deus, & Deus est homo; quia huius actionis terminus est, hominem esse Deum, & è contra: & sic nihil probat tertium argumentũ D. Thomæ, sumptum ex illa maxima Aristotelis, propter vnumquodque tale, & illud magis: quia illud axioma est verum in his, quæ eandem recipiunt denominationem. Et quia vnitio non recipit denominationem Dei, vel hominis; ideò quamuis propter ipsam homo sit Deus, & Creator, non
5 sequitur, quòd ipsa sit Deus & Creator. Et hac ratione facilè soluuntur argumenta proposita: nam sicut in vnitione albedinis ad parietem vnum extremum est aliud in concreto, quia paries est albus, & album est paries; sic etiam in Incarnatione vnum extremum est aliud in concreto propter vnitionem: quia homo est Deus, & Deus est homo. Item loquendo de vnitione non sequitur, quòd homo sit Deus accidentaliter, quod intendebat secundum argumentum: quia sicut per generationem anima fit in corpore, & corpus vnitur animæ: ita per hanc vnitionem humanitas fit in Verbo, in quantum vtrobique fit vna subsistentia sub vtraque natura. Ergo sicut non obstante, quòd generatio sit accidens, corpus tamen vnitur animæ substantialiter; ita eodem modo non obstante quòd vnitio sit accidens, humanitas vnitur Verbo substantialiter; & homo est substantialiter Deus. Ad tertium dicitur, quòd sicut actio priùs naturâ est, quàm terminus per ipsam productus, & est causa ipsius tã quam via, seu causatio: ita etiam vnitio priùs naturâ est, quàm quòd homo sit Deus, & causa illius tanquam via, atque adeò loquendo de vnitione omnia consonant.

6 Cæterùm hæc explicatio, quamuis in se sit verissima, non tamen est ad mentem D. Thomæ. Primò, quia licèt, quòad hoc, quod est esse creatum, vel increatum, eadem sit ratio de vnione pro relatione, & pro actione; tamen D. Thomas in hoc articulo non agit nisi de vnione pro relatione, vt constat ex corpore articuli, & de hac intendebat tertium argumentum probare, quòd sit aliquid increatum, adducto axiomate Aristotelis.
7 Secundò, quia D. Thomas non dixit simpliciter, hominem esse Deum propter vnionem, sed cum hoc addito, inquantùm terminatur ad hypostasim Diuinam: at verò vnitio non terminatur simpliciter ad hypostasim Diuinam simpliciter & præcisè, sed vt est vna in dua-
8 bus naturis. Tertiò. Articulo. 8. sequenti docet D. Thomas, vnionem de qua fuerat locutus in hoc. 7. articulo, distingui ab assumptione, eo quòd assumptio designat actionem, vnio verò relationem: ergo D. Thomas in hoc articulo tantùm loquitur de vnione, quæ est relatio. Quartò. Vnitio, quatenùs tenet se ex parte Dei, rea-
9 liter est in Deo, imò est ipsa essentia Dei. & ideò nequit esse aliquid creatum, neque factum in tempore. Sicut enim creatio actiua in doctrina D. Thomæ dicit essentiam Diuinam cum relatione rationis ad creaturas, & nullo modo creatio secundùm quòd se tenet ex parte Dei, potest dici esse aliquid creatum, vel factum in tempore, nisi tantùm propter relationem rationis ad creaturam, sic vnitio actiua, quæ dicit actionem Dei vnientis sibi naturam humanam, dicit necessariò essentiam Diuinam cum relatione rationis ad creaturam. Nequit tamen dici, esse aliquid creatum, vel factum in tempore ratione Essentiæ Diuinæ, vt constat, sed ratione duntaxat relationis rationis, quæ est in Deo.

Reiecta ergo hac explicatione, dicendum est cum 10
Caietano, D. Thomam loqui de vnione pro relatione. Vnde considerandum est, hanc relatiuam vnionem & esse inter duo extrema, quorum vnum alteri vnitur, & inter duo extrema, quæ in vno tertio vniuntur. Primo modo humanitas dicitur vniri Verbo, atque adeò extrema sunt Verbum & humanitas. Posteriori modo humanitas & Deitas vniuntur in Verbo, atque ita extrema sunt humanitas, & Diuinitas. Priori itaque modo relatio vnionis realis, quæ est in humana natura, habet pro termino personam, seu hypostasim Diuinam, & iuxta hanc considerationem loquitur D. Thomas in hac solutione de vnione ista relatiua. Posteriori modo habet pro termino naturam Diuinam, qua ratione loquutus est de illa D. Thomas in corpore articuli.

Secundò aduertendum est, idem esse dicere, homo est 11
Deus propter vnionem, inquantùm terminatur ad hypostasim Diuinam, ac si diceretur, homo est Deus propter illam vnitatem Diuinæ Personæ in duabus naturis, ad quam consequitur relatio vnionis; ita vt illa particula, Inquantùm, significet, causam, cur homo sit Deus, non esse præcise relationem vnionis, sed eandem, vt consequuta est ad vnitatem Personæ Diuinæ in duabus naturis; ita vt potior causa sit illa vnitas, quàm relatio. Ex hoc autem non sequitur, relationem esse deum, aut creatorem; tum propter rationem superiùs assignatam, nempe, quòd maxima Aristotelis habet verum in his, quæ eandem denominationem recipiunt: tũ etiam, quia vt dicit D. Thomas hoc loco, creatum respicit esse, & relatio sumit esse à subiecto, non à termino. Vnde quamuis terminus sit Persona Diuina, quæ est quid increatum, quia subiectum est humanitas, quæ est aliquid creatum: ideò simpliciter vnio est aliquid creatum.

Ad primum ergo in oppositum Resp. In alijs vnio- 12
nibus vnum extremum non esse aliud, quia non sunt substantiales, & hypostaticæ, sicut hæc vnio. Ideò enim materia non est forma, neque è contra, quia licèt inter vtramque sit vnio, non tamen est hypostatica. Et licèt in homine materia vniatur formæ secundùm esse substantiale ipsius animæ rationalis; adhùc tamen vnitur illi tanquam pars naturæ, & compositi resultantis ex tali vnione. Humanitas verò tanquam natura integra & totalis Verbo hypostaticè vnitur, ex qua vnione hypostatica necessariò resultat communicatio idiomatum, vt Deus sit homo, & homo sit Deus.

Ad secundum Resp. Ideò D. Thomam non dixisse 13
simpliciter, hominem esse Deum propter vnionem, sed cum addito, inquantùm terminatur ad hypostasim Diuinam, vt significaret, præcisam causam, quòd homo sit Deus, nõ esse relatiuam vnionem, sed vnionem substantialem & hypostaticam, quam vnio relatiua consequitur. Explicaret autem ab effectu, & à posteriori, Deum esse hominem propter relationem vnionis; quia implicat, esse relationem vnionis hypostaticæ naturæ humanæ ad Personam Verbi, quin verè Deus sit homo, & homo sit Deus. Sed huiusmodi ratio, ob quã homo sit

Digitized by Google

sit Deus, non est ipsa relatio, nec de hac loquitur D. Thomas, sed loquitur de vnione relationis, ex qua necessariò colligitur, saltem à posteriori, Deum esse hominem.

14 Ad tertium Resp. Verum esse, quòd prius natura est, hominem esse Deum, quàm quod sit relatio vnionis, verùmtamen propter hoc dixit D. Thomas, hominem esse Deum propter vnionem, non simpliciter, sed cum illo addito.

ARTICVLVS. VIII.

Vtrùm vnio Verbi Incarnati sit idem, quod assumptio.

21 CONCLVSIO. Vnio differt tripliciter ab assumptione. *Primò, quia vnio est relatio, assumptio verò est actio, vel passio. Secundò, quia vnio significatur in facto esse, assumptio in fieri: cuius discriminis duo sunt signa, alterum est, quòd vniens dicitur vnitum, assumens autem nunquam dicitur assumptum; nam Filius Dei & est vniens, & vnitus, at verò est assumens, & non assumptus. Alterum est, quòd Filius Dei dicitur homo, non autem humanitas, ex eo, quia homo exprimit humanitatem in termino, & in facto esse, at verò humanitas solùm in fieri. Tertiò assumptio determinat alterum extremum, vnio verò nullum extremum determinat, quia assumptio est alterius ad se sumptio, vnio verò est relatio æquiparantiæ, & ideò indifferenter dicitur de vtroque extremo, nam & Diuinitas dicitur vnita humanitati, & humanitas Diuinitati.*

Est primum argumentum D. Thomæ. Relationes specificantur ex terminis, sicut & motus: sed idem est terminus assumptionis, & vnionis, nempe, hypostasis Diuina: ergo vnio & assumptio idem sunt. Respõdet, vnionem, & assumptionem, quamuis habeant eundem terminum, diuersimodè se habere ad illum, vt ex corpore articuli patet.

Secundum est. In mysterio Incarnationis idem sunt vniens, & assumens, vnitum & assumptum: sed vnio & assumptio resultant ex actione & passione vnientis & vniti, vel assumentis & assumpti: ergo sunt idem. Negat D. Thomas maiorem, non enim vniens, & assumens sunt omninò idem: nam omnis persona assumens est vniens, & non è conuerso; Pater enim vniuit, & non assumpsit; Filius verò vtrumq; fecit. Similiter non est idem vnitum, & assumptum, quia natura Diuina est vnita, & non assumpta.

Tertium. Sicut vnio solùm dicit copulationem, non determinãdo ad quem sit facta, ita & assumptio: ergo sunt idem. Respondet, assumptionem dicere terminum ex parte assumentis, est enim quasi ad se sumptio: incarnationem verò ex parte assumpti: & ideò assumptio differt ratione & ab vnione, & ab Incarnatione, seu humanatione.

Commentarius.

PRO Explicatione conclusionis aduertendum est, in vsu Ecclesiastico, quinque esse nomina, quibus hoc mysterium explicatur: nempe, vnio, vnitio, assumptio, incarnatio & humanatio. Hæc autem sic differunt inter se, quòd vnio ex vna parte differt ab omnibus alijs ex altera: nam illa est relatio, reliqua verò sunt nomina actionis. Vnitio verò ab assumptione, & incarnatione differt in hoc, quòd vnitio nullum extremum determinat, idem enim est quod copulatio, & coniunctio. Assumptio verò & incarnatio determinant aliquod extremũ, differenter tamen; nam assumptio determinat extremum ex parte assumentis; quia si actiuè sumatur, est alterius ad se sumptio: si passiuè, est sumptio sui ad alterum. Incarnatio verò dicit determinationem extremi ex parte assumpti, nempe, quòd sit caro, nam si actiuè sumatur, idem est, quod facere carnem: passiuè autem fieri carnem. Vnde tres Diuinæ Personæ Verbum carnem fecerunt, cùm tamen solùm Verbum sit caro factum. Humanatio verò idem est omninò, quod incarnatio, sola ratione ab illa differens. 1

Prætereà. Quia differentia constitutiua alicuius rei secundùm doctrinam Aristotelis, & Porphirij in prædicabilibus, distinguit eandem rem ab omnibus alijs: ideò vt colligantur differentiæ à priori inter assumptionem & vnionem, inuestiganda est differentia constitutiua assumptionis. Desumit autem assumptio suam differentiam à terminis, à termino à quo, & præcipuè à termino ad quem. 2

Pro cuius intelligentia aduertendum est, id discriminis esse inter actionem & passionem ex vna parte, & motum ex alia: quòd actio & passio formaliter sunt actus perfecti in suo genere, ac subinde vendicant sibi rectam lineam, & genus prædicamentale. Motus autem formaliter loquendo, est actus imperfectus entis in potentia, vt colligitur ex definitione Aristotelis. 3. Physicorum. Quare essentialiter & quidditatiuè motus includit imperfectionem, & ideò non collocatur in genere & prædicamento, sed est postprædicamentum. 3

Vnde constat, actionem & passionem, quamuis dicant ordinem ad terminum ad quem, tanquàm ad effectum, quem producunt; non tamen dicere ordinem ad terminũ à quo, sed actio dicit ordinem ad agens, quod efficit actionem, à quo etiam procedit; passio verò ad passum, in quo suscipitur. Motus tamen in sua ratione, & quidditate includit vtrumque terminum, à quo, & ad quem. Terminum, inquam, à quo, vt abijciendum, terminum verò ad quem, vt comparandum. V. G. Generatio intrinsecè includit non esse tãquàm terminum à quo, esse verò tanquam terminum ad quem: & ita definitur, mutatio de non esse ad esse. Hæc autem inclusio termini à quo tribuit motui illam imperfectionem quidditatiuã. Ex quibus colligitur prima & potissima differentia, 4

Digitized by Google

differentia, quæ est radix, & origo aliarum, inter assumptionem & vnionem, quòd assumptio importat motum, quia includit & terminum à quo, & ad quem, vt docet D. Thomas in hoc articulo; sed vnio importat vel vnitatem, vel actionem, & passionem, vel relationem. His ergo suppositis:

5 Dubitat primò Caietanus circa primam differentiam inter vnionem & assumptionem, quia falsum videtur, quòd vnio non significet actionem, cùm à Verbo, Vnio vnis, deriuetur, & D. Thom. ad secundum asseruit, tres Diuinas Personas vniuisse humanitatem Verbo. Secundò. Actiones specificantur, & sumunt vnitatem, vel diuersitatem à principijs, vel à terminis; sed idem est omninò principium vnitionis & assumptionis, & idem etiam terminus: ergo vnitio & assumptio sunt omninò idem. Probatur minor: quia principium actionis vniendi, & assumendi est Diuina Essentia, quia illa actio est communis toti Trinitati, terminus verò vnitionis est persona humana, qui est etiã terminus assumptionis: ergo ex nulla parte possunt diuersificari Vnitio, & assumptio.

6 Ad hanc dubitationem Resp. Primò, D. Thomã non loqui de vnione pro actione, sed pro relatione. Secundo respondent alij cum Caietano, quòd etiam si sit sermo de vnione pro actione, adhuc vnio distinguitur ab assumptione per differentiam assignatam à D. Thoma; quia vnire formaliter significat relationem vnionis, quam consequenter facit vnitio, sicut assimilare formaliter significat facere similitudinẽ, quæ ad actionem consequitur. At verò assumere formaliter significat actionem. Itaque assumptio ex vi vocis non importat relationem prædicamentalem per se primò, neque etiam secũdariò: vnio verò vt in plurimum non designat actionem, sed per se primò relationem, & quãdo pro actione sumitur, etiam formaliter dicit relationem, vt terminum secundarium ipsius actionis, quia vnire actiuè est facere vnionem inter extrema. Vnde vnire in hoc differt ab omnibus alijs verbis significantibus actionem in hoc mysterio; quòd reliqua tantùm significant primarium terminum actionis; vnire verò dicit primarium terminum, connotando secũdarium, videlicet vnionem relatiuam, sicut assimilare vltra primarium terminum qualitatis productæ, dicit etiam secundarium, nempe, similitudinem.

7 Cæterùm hæc explicatio non placet, quia licèt sit vera quantùm ad distinctionem inter vnitionem & assumptionem, quia re vera distinguuntur; displicet tamen ratio assignata. Et exemplum de assimilatione deficit manifestè, quia assimilatio in re non est actio aliqua, quamuis significetur per modum actionis, sed est aliquid resultans ex vera actione. Et si admittatur, quòd assimilatio est actio, nequit assignari alius terminus assimilationis præter similitudinem. At vnio, siue vnitio est vera actio, & mutatio ex parte creaturæ, si passiuè significetur, & terminus immediatus istius actionis, siue mutationis non est relatio vnionis; sed aliquid absolutum, vt postea explicabitur. Vnde sicut generare dicit formaliter & præcisè actionem, non dicendo relationem formaliter, neque etiam secundariò, ita vnire dicit actionem formaliter, cuius terminus immediatus est
8 aliquid absolutum. Rursus. Si vnio, vt dicit actionem, dicit etiam secundariò relationem; maximè quia ad terminum talis actionis sequitur immediatè relatio vnionis; sed etiam ad actionem assumptionis sequitur terminus, ad quem consequitur relatio vnionis: ideò enim Verbum refertur relatione vnionis ad naturam humanam, quia assumpsit illam, ergo etiam assumptio dicit illam relationem in obliquo, & secundariò, vel
vnio non dicit illam. Admittimus ergo, vnionem pro 9
actione distingui ab assumptione, non quidem propter eam rationem, sed propter illam, quã assignat D. Thomas; videlicet quia assumptio non tantùm dicit actionem vniendi quomodocumque, sed determinãdo quasi cũ quadã reflexione terminũ ad quem fit talis vnio. Assumere enim est ad se ipsum sumere, & vnire sibi, quod non explicat vnio sumpta pro actione. Et ita licèt in assumente naturã humanã idem sit vniens & assumens, Filius enim Dei verè est actiuè vniens sibi naturam, & assumes ipsam; in re tamen aliquis est actiuè vniens, qui non est assumens realiter, vt constat in Patre & Spiritu Sancto. Assumptio itaque explicat, & determinat terminum ad quem facta est vnio, quem non explicat, neque determinat vnio; quare formaliter distinguuntur
assumptio & vnio. Vnde ad rationem dubitandi Resp. 10
Assumptionem, & vnionem actiuam non distingui ex parte principij actiui, quod est idem in tribus personis; neque ex parte termini resultantis ex tali actione; quæ semper est, Deũ esse hominem, vel personã humanã: sed solùm distingui ex hac determinatione personæ, ad quã fit vnio, quæ determinatio est sufficiens ad huiusmodi distinctionem; quia assumptio nõ significatur quomodocũque vt actio, sed cũ reflexione, vt iã explicatũ est. Assumere enim dicit reflexionem ad ipsum assumentẽ, ita quòd sumit ad se, vnio autem etiã actiuè sumpta nõ
importat huiusmodi reflexionem. Ex quo sequitur, 11
quòd vnire actiuè humanitatem ad Verbum, fuit toti Trinitati commune, ita quòd tota Trinitas vniuit. Assumere verò, si formaliter loquamur, nõ fuit commune toti Trinitati, sed proprium solius Verbi.

Sequitur secundò, vnionem actiuè sumptam dicere 12
ordinem transcendentalem ad totam Trinitatem, tanquam ad vnicum principium actiuum: assumptionem verò sumptam formaliter dicere respectum ad Verbum duntaxat. Dixi, formaliter sumptam, quia si sumatur materialiter, vt idem sit quod vnitio actiua, dicit respectum ad totam Trinitatem, in quo sensu intelligendus est Caietanus in commentario huius articuli, Dubio. 4. dicens, quòd assumptio respicit totam Trinitatem, quatenus ex assumptione passiua naturæ, correspondente assumptioni actiuæ resultat in natura relatio
realis ad totam Trinitatem. Et licet M. Medina in hoc 13
articulo Dubio vltimo conclus. 1. non probet sententiam Caietani, & dicat cautè esse legendam; nihilominus illa est vera. Et probatur; quia vnitio actiua, & assumptio actiua in ratione actionis non distinguuntur: sed quidquid actionis dicit assumptio, dicit etiam vnio, id autem quod assumptio dicit actionis, non est proprium, & personale Verbi, sed commune toti Trinitati, vt constat, quia illa est actio ad extra; ergo passio correspondens tali actioni in natura humana est à tota Trinitate, & ex consequenti fundat relationem in ordine ad totam Trinitatem.

Si autem objiciatur cõtra Caietanũ: quia assumptio 14
passiua ex parte naturæ nihil est aliud, quàm naturã esse

assumptam; sed natura tantùm est assumpta à Persona Verbi secundùm fidem, & non à tota Trinitate; ergo assumptio passiua non est in natura ad totam Trinitatem, & consequenter neque relatio consequens illam passionem. Resp. Quòd in natura humana consideratur duplex relatio in hoc mysterio in ordine ad Deum: vna effectus ad causam, altera vnionis ad alterũ extremum, in quo primò & per se facta est vnio. Prima relatio necessariò est in ordine ad Deum, & ad totam Trinitatem, quia quidquid est actionis in ordine ad naturam assumptam, est toti Trinitati commune. Secunda verò relatio non est ad totam Trinitatem, sed ad determinatam Personam Verbi, quia illa relatio iam non est

15 effectus ad causam, sed ad terminum vnionis. Sententia ergo Caietani in hoc consistit, quòd sicut totum, quod dicit actionis assumptio, non est præcisè à Verbo, sed à tota Trinitate: sic etiam tota passio, quæ in humanitate respondet huic actioni, respicit totam Trinitatem, & similiter relatio consequens talem passionem; quia illa est relatio effectus ad causam, assumptio autem passiua non dicit passionem absolutè, sed determinando personam, in qua fit talis assumptio passiua, & quæ sit terminus illius. Sicut enim in assumptione actiuè significata importatur illa reflexio, ratione cuius solus filius dicitur assumere: sic etiam in assumptione passiua importatur similis reflexio.

16 Ad argumentum ergo distinguendum est cõsequens, quando dicitur, ergo illa relatio non est ad totam Trinitatem, sed ad Personam Verbi: si consideretur relatio effectus ad causam, negatur consequentia, & de hac loquitur Caietanus. Si verò consideretur relatio ad terminum vnionis, conceditur consequentia, quòd illa determinatè sit ad Personam Verbi, quia illa sola terminat. Et quoniam assumptio nõ dicit actionem, vel passionem quomodocumque, sed cum reflexione ad terminum, neque etiam dicit absolutè terminum, sed simul cum actione vel passione explicatur duplex relatio, altera secundùm rationem actionis, vel passionis; altera verò secundùm reflexionem, & rationem termini; absolutè tamen assumptio, vt assumptio est, conuenit præcisè Personæ Filij, & assumptio passiua naturæ. Vt assumptio passiua est formaliter, conuenit naturæ determinatè in ordine ad Personam Filij, & consequenter relatio, quæ consequitur ad assumptionem: vt assumptio est formaliter, conuenit determinatè in ordine ad Personam Filij, quia est relatio ad terminum, neque de hac locutus est Caietanus.

17 Circa secũdam differentiam dubitatur secundò, quo pacto verum esse possit, vnionem tantùm significari in facto esse, assumptionem verò in fieri; quoniam Vnire, à quo deriuatur Vnio, significatur etiam in fieri. Item, quia falsum est vniuersaliter loquendo, quòd vniens sit vnitum; nam pater & Spiritus Sanctus humanitatem vnierunt Verbo, & tamen non sunt homo, humanitas etiam vnita est Verbo, & tamen non est Verbũ vniens. Resp. D. Thomam tantùm agere de vnione pro relatione, hæc autem non solùm secundùm rem significatam, sed etiam secundùm modum significandi dicitur in facto esse, & vtroque modo differt ab assumptione.

18 Secundò dicitur cum Caietano de vnione pro actione adhuc esse veram differentiam D. Thomæ, non quidem in modo significandi, quia vtrumque significatur vt in fieri, sed in re significata, quia Vnire formaliter significat relationem vnionis, prout habet esse adepto iam formali & primario termino. Hoc est, cùm assumptio significet actionem & passionem formaliter, & motum, & viam, significat ex consequenti ipsam fieri, vt ita dicam. Vnio verò significat relationem consequentem terminum actionis, vel passionis, motus & viæ, & ipsum factum esse. Quare ante relationem intelligitur, & priùs saltem naturâ præsupponitur terminus actionis, & passionis iam constitutus in suo esse, & posteriùs naturâ sequitur ipsa relatio tanquàm terminus secundarius actionis resultans ex primario in facto esse. V. G. similitudo secundùm ordinem naturæ 19
præsupponit alterationem, & qualitatem in subiecto, & alteratum esse, ad quod primò terminatur alteratio, & ex inde sequitur similitudo, ad quam secundariò terminatur alteratio. Cuius ratio est, quia secundùm Aristotelem ad relationem nõ est per se motus. Quare omnis actio, & passio, & mutatio nequit ad relationem immediatè terminari, sed ad aliquid absolutum, ad quod relatio consequitur.

Ad secundam rationem Resp. Quòd cùm D. Thomas dixit, vniens esse vnitum, nõ est loquutus vniuersaliter, sed permissiuè, vt hac ratione insinuaret differre ab assumente, quia assumens nunquam est assumptum, propterea quòd assumptum debet semper significari in abstracto: non enim assumitur homo, sed humanitas, & Verbum nõ est humanitas. Benè tamen aliquod vniens potest esse vnitum, quia vnitum significatur vt in termino, & in facto esse, & in concreto, & Verbum vniens est homo. 20

Circa tertiam differentiam dubitat Caietanus, An vnio sit relatio æquiparantiæ, vt dicit D. Thom. Ratio dubitandi est, quia ad relationem æquiparantiæ duo requiruntur: & quòd sit eiusdem denominationis in vtroque extremo, & quòd sit realis in vtroque. Vnde si in vno extremo sit ens rationis, & in altero ens reale, nõ est relatio æquiparãtiæ, sed disquiparãtiæ. Sed relatio vnionis in Verbo est ens rationis, in humanitate verò est ens reale, vt ostensum est articulo præcedenti; ergo relatio vnionis non est relatio æquiparantiæ. 21

Secundò. Relatio æquiparantiæ æqualem in vtroque extremo dependentiam requirit: sed in vnione humanitatis cum Verbo non reperitur hæc par dependentia in vtroque extremo, humanitas enim pendet à Verbo, vt à termino ipsam sustentante, & in se, & in esse hypostatico, Verbum autem nullam habet dependentiam ab humana natura. Prætereà D. Thomas in hac re non sibi constat, nam in hoc articulo dicit, vnionem esse relationem æquiparantiæ: & in. 3. d. 5. q. 1. art. 1. hoc negat: quia relatio vnionis nõ est realis in vtroque extremo. 22

Resp. Ad relationẽ æquiparãtiæ satis esse, vt in vtroque extremo habeat eandem denominationem, siue intrinsecam; siue extrinsecam, quamuis in altero sit tantùm rationis. Et ideò cùm vnio eodem modo denominet vtrumque extremũ, nempe, vnitum, appellatur à D. Thoma relatio æquiparãtiæ. Loca verò D. Thomæ sic cõciliantur à Caietano: quòd in. 3. loquitur de relatione vnionis quoad esse reale, quia in sola humanitate est relatio realis, in Verbo autem est relatio rationis. At in hoc articulo loquitur de illa quoad formalẽ rationẽ, quã 23

Verbum

Digitized by Google

Verbum formaliter refertur ad humanitatem assumptam, non quidem per relationem realem formaliter inhærentem, sed per relationem cointellectam, per quã ipsum Verbum efficitur formaliter correlatiuum alteri extremo.

24 De ipsa conclusione dubitatur, An vnio distinguatur ab assumptione realiter, tanquàm res à re, vel tantùm ratione formali, siue ex natura rei. Caietanus hîc & Capreolus in 3. d. 5. q. 1. dicunt realiter distingui. Et probant primò, quia relatio vnionis consequitur terminum productum per assumptionem; ergo distinguitur realiter ab assumptione, siue actiuè, siue passiuè sumatur: sicut propria passio realiter distinguitur à natura, cuius esse productum sequitur. Secundò; quia assumptio respicit totam Trinitatem, à qua fit, vnio autem tantùm respicit Verbum, cui humanitas vnitur, ergo distinguuntur tanquàm duæ res.

25 Nihilominùs opposita sententia est communis & vera, & expressè est D. Thomæ in hoc loco, quia tres illæ differẽtiæ, quas assignat inter vnionem & assumptionem, ostendunt tantùm distinctionem formalem, & non realem, nam ex eo quòd vnio est relatio, assumptio autem actio, vel passio, duntaxat sequitur distingui genere, & prædicamento, ac proinde formaliter, siue ex natura rei, non realiter tanquam res à re. Etenim relatio secundùm communiorem sententiam sola ratione formali distinguitur à fundamento. Fundamentum autem, cùm sit terminus actionis, formaliter tantùm distinguitur ab actione & passione, atque adeò vnio relatiua sola ratione formali distinguitur ab actione & passione assumptionis.

26 Item. Secunda differentia, quòd vnio significatur in facto esse, assumptio verò in fieri, tantùm ostendit distinctionem formalem, quia vniuersaliter fieri & factum esse, formaliter duntaxat distinguuntur, vt calefactio & calor, illuminatio, & lumen. Tertia denique differentia significat, quòd se habent sicut indeterminatum & determinatum, sicut genus & species; quæ sola ratione distinguuntur. Confirmatur: quoniam D. Thomas ad secũdum ait, assumptionem distingui ab vnione, sicut ab Incarnatione & humanatione; sed ab his sola ratione formali distinguitur, vt author est idem Caietanus. ergo & ab vnione.

27 Est tamen aduertendum, quòd si vnio sumatur pro actione, nõ differt realiter tãquã res à re, neque realiter formaliter ab assumptione, sed tãtùm ratione. Et probatur, quia terminus assumptionis, & terminus vnitionis sola ratione distinguuntur; ergo vnitio & assumptio sola ratione differunt. Antecedens patet, quia terminus vtriusque actionis est, Filium Dei esse hominem, seu Christus: ergo &c.

28 Ad primum igitur argumentum Resp. Oppositum potiùs concludere, quia sicut similitudo, quæ resultat producta qualitate per alterationem, quia sola ratione formali distinguitur ab illa qualitate, & illa qualitas producta formaliter, solùm distinguitur ab actione & passione alterationis: ideò similitudo sola ratione formali distinguitur ab actione & passiona alterationis. Sic etiam eodem modo vnio relatiua, quæ ad humanitatem vnitam & productam in Verbo cõsequitur, quia sola ratione formali distinguitur ab humanitate, vt sic, quia vt sic est suum fundamentum proximum, humanitas verò prout sic sola ratione formali distinguitur ab actione assumptionis, & passione: ideò vnio solùm formaliter distinguitur ab assumptione.

Ad secundum Resp. Quòd sicut alteratio, licèt respiciat agens, à quo fit, & similitudo, quæ inde consequitur, respiciat aliud quale præexistens: inde tamen non sequitur, quòd inter se realiter distinguantur, quia sunt eadem vni tertio, nempe qualitati productæ. Eodem modo quamuis assumptio respiciat totam Trinitatem, vnio verò, quæ est in humanitate, solum respiciat Verbum; inde tamen non sequitur, quòd distinguantur realiter, quia sunt eadem vni tertio, nempe humanitati, vt productæ & coniunctæ ipsi Verbo. 29

PRIMA DISPVTATIO.

MAIOR Difficultas est de termino assumptionis. An id, quod per assumptionem factum est, sit aliquid absolutum, vel respectiuum. Occasionem dubitandi dat D. Thomas in calce huius articuli dicens, naturam humanam adiunctam esse ad Diuinam Personalitatem, ita vt Persona Diuina in humanitate subsisteret. Quibus Verbis insinuat, terminum assumptionis esse Diuinam Personam, vt subsistentem in humanitate, atque adeò esse aliquid absolutum. Contrariam sententiam tenet Scotus in. 3. d. 1. q. 1. art. 3. Et Durandus d. 5. q. 2. vbi dicunt, primarium, & immediatum terminum assumptionis esse relationem vnionis. Probat Durandus. 1

Primò. Terminus primus & per se alicuius actionis est, quod primò fit per illã actionẽ, sed per actionẽ assũptionis nõ fit primò Persona Verbi, cùm fuerit ab æterno, neque humanitas, quia præsupponitur iam facta per generationem in vtero Virginis: ergo quod primò fit, est relatio vnionis. Ergo primò & per se terminus assumptionis est aliquid relatiuum. Patet consequentia: quia nihil aliud reperitur præter hæc tria. 2

Confirmatur. Omnis actio realis noua debet habere terminũ realem, nouum, & realiter distinctum à quolibet præexistente: sed assumptio est actio realis noua; ergo eius terminus debet esse realis, & nouus, & realiter distinctus à quolibet præexistenti. Ergo talis terminus nequit esse Verbum, neque humanitas, quia præexistũt, sed necessariò est noua relatio vnionis. 3

Secundò probat Scotus. Aliquid absolutum est terminus primarius assumptionis: ergo aliquid absolutum assumpsit Verbum præter humanitatem. Ergo cùm non possit esse hoc absolutum, quandiu est vnio, quia est eius terminus, sequitur, quòd aliquid absolutum est in Verbo, quod, quandiu est, nequit esse dimissum à Verbo, vt maneat per se. Sed consequens est falsum, quia licèt quidquid Verbum assumpsit, nunquam dimiserit, potest tamen quidquid assumpsit, dimittere, vt per se maneat. 4

Confirmatur. Si aliquod absolutum est primarius terminus assumptionis: ergo illud est accidens, vel substantia. Non accidens: quia nullum accidens potest esse medium, vt aliqua natura supponetur in proprio, vel alieno supposito. Si substantia; aut materia, aut forma, aut humanitas, sed nihil horum potest esse: quia sequeretur, terminum huius assumptionis posse esse in alia persona, vel supposito, sicut materia, forma, 5

vel humanitas potest esse in alia persona, si à Verbo aliquid istorum dimitteretur.

6 Tertiò. Si terminus assumptionis est quid absolutum, & non est humanitas; ergo aliquid distinctum ab humanitate est assumptum à Verbo, & vnitum illi, quod est falsum, nam Verbum solam naturam assumpsit.

7 Quartò. Si Verbum dimitteret humanitatem, illa humanitas in propria persona subsistens esset homo, & idem homo, qui antea erat; ergo dissoluta illa vnione maneret idem esse hominis. Ergo illud non fuit productum per illam actionem.

8 His tamen non obstantibus opposita sententia est vera, & necessariò amplectenda, quam docet D. Thomas in hoc articulo, & in duobus præcedentibus, quam exactè explicat, & defendit Caietanus in commentario huius articuli. Vnde sit hæc Conclusio.

9 Terminus per se & primarius assumptionis est aliquid absolutum. Probatur primò. Hæc vnio secundùm fidem est substantialis, vt constat ex articulo sexto: sed impossibile est, vnionem esse substantialem, quin vnitio, seu actio, per quam fit ista vnio, sit etiam substantialis, relatio autem nequit esse primarius & per se terminus actionis substantialis; ideò enim generationem, & nutritionem actiones substantiales dicimus, non autem alterationem; quia illarum per se & primarius terminus est substantia, non autem istius, ergo aut relatio vnionis nequit esse primarius terminus assumptionis, aut assumptio nequit dici actio substantialis. Constat autem ex fide esse dicendam actionem substantialem; ergo primarius eius terminus non potest esse relatio vnionis, sed necessariò est aliquid absolutum, & substantiale.

10 Secũdò de fide est, Christum vt hominem esse vnum per se, & non per accidens, & esse aliquid, & non aliquale, vel ad aliquid. Sic definitum est in capitulo Cùm Christus Extra de hæreticis: at si relatio vnionis esset primarius terminus assumptionis, iam terminus huius actionis esset non vnum per se, sed per accidens, & ad aliquid nam quod per istam actionem esset factum, esset humanitas sub relatione, vel relatio in humanitate; cõstat autem hoc esse vnum per accidens, sicut est omne compositum ex subiecto & accidenti: ergo Christus, qui est terminus assumptionis, esset vnum per accidens, & non per se, & ad aliquid, & nõ quid. Ex quibus constat, hanc conclusionem esse fidei maximè consentaneã, quamuis non sit expressè certa secundùm fidem.

11 Præterea probatur, hanc conclusionem esse rectæ philosophiæ magis consonam, quàm oppositam sententiam. In omni actione physica & reali primarius eius terminus, tam formalis, idest, quo aliquid fit, quàm materialis, idest, ipsum quod fit, est aliquid absolutum; ergo idem dicendum est de termino primario & per se assumptionis. Antecedens patet ex omnibus physicis actionibus.

12 Confirmatur ex Aristotele. 3. Phys. text. 10. vbi dicit ad relationem non esse per se motum: hoc est, id, quod primò fit per motum, vel mutationem, non posse esse relationem: cuius ratio est, quia de ratione relationis est, vt consurgat ex proximo fundamento, posito alio termino, atque adeò fundamentum est terminus primò factus per motum, vel mutationem: ergo similiter terminus primò factus per se per assumptionem non potest esse relatio, sed debet esse aliquod absolutum, ad quod tanquam ad fundamentum proximum, consequatur relatio.

Sed Scotus, & Durandus Philosophum inuitum & 13 repugnantem in suam sententiam trahere conantur. Vnde Scotus respondet, dictum Aristotelis esse intelligendum de relationibus intrinsecùs aduenientibus, euiusmodi sunt illæ, quæ positis fundamento, & termino statim consurgunt, non verò de extrinsecùs aduenientibus, quales sunt illæ, quæ non necessariò sequuntur positis fundamento & termino. Hæc autem vnio est relatio extrinsecùs adueniens. Cæterùm hæc distinctio voluntaria est, & sine fundamento inuenta, quia per fundamentum & terminum vel intelligit remotum, vel propinquum. Si remotum, omnis relatio est extrinsecùs adueniens, & vt exemplis ipsius Scoti constet, re- 14 pugnat. V. G. esse Petrum, & locum, & actionem, per quam acquiritur locus, quin sit relatio distantiæ. Item repugnat esse animam & corpus, & esse substantiam, quantitatem, & actionem, per quam vniuntur, quin sit relatio vnionis: ergo sicut in his omnibus quod primò acquiritur, & fit, non est relatio, sed locus, vel substantia, vel quantum: sic etiam in actione assumptionis. Legendus est M. Soto in prædicamẽto ad aliquid. q. 1. & 5. Physicor. q. 2. art. 1. Vbi hanc distinctionem multis argumentis impugnat.

Durandus verò respondet, ad relationem de prædi- 15 camento ad aliquid nõ esse per se motum, benè tamen ad eam, quæ non est tam relatio, quàm modus essendi realis: sicut ad vbi, quod est modus essendi in loco, & de eorum numero est ista vnio, est enim quidam modus essendi, videlicet esse vnitum. Sed hæc etiam distinctio est voluntaria, & sine fundamento & ratione, quia si vnio non est relatio, sed modus quidam essendi, inquirendum est, in quo prædicamento sit. Certum est autem, vt Durandus fatetur, non esse aliquid absolutum, neque etiam esse in aliquo ex sex prædicamentis, nisi 16 forte velit dicere, esse in prædicamento habitus, quod est declinare in errorem Nestorii, quia sicut homo non est vestis, sed vestitus; sic etiam Deus non esset homo, sed indutus humanitate: relinquitur ergo esse in prædicamento ad aliquid. Secundò: quia ista vnio consequitur ad actionem: at verò Aristoteles de his relationibus, quæ actionem consequuntur, asserit, esse non posse primarium & per se terminum actionis ergo &c.

Dicendum igitur est cum D. Thoma, primarium & 17 per se terminum assumptionis esse aliquid absolutum, ad quod relatio vnionis consequitur. Istud verò absolutum neque esse Diuinam Personam præcisè, neque humanitatem præcisè, sed Deum esse hominem, vel Christũ vt hominem, vel personã humanã, vel Personã Diuinã in duabus naturis subsistentem, vel Verbum in humanitate: quæ omnia idem sunt, & vnica hac voce, Christus, significantur: & hoc est, quod primò per actionem assumptionis est factũ. In omnibus enim huiusmodi enunciationibus significatur aliquid factum, vel creatum, vt ostensum est articulo septimo huius quæs- 18 tionis. Itaque volumus dicere, quòd sicut ex humanitate (si dimitteretur à Verbo) & proprio supposito, fieret V. G. Petrus, quia esse existentiæ vnaretur propriæ naturæ; sic etiam ex humanitate & Verbo per actionem

assumptionis

assumptionis sit Christus, vt homo, vel Deum esse hominem. Et sicut Petrus distinguitur realiter à quolibet extremorum, & formaliter ab vtroque simul: sic etiam Deum esse hominem, quod primò fit per assumptionem, ab vtroque extremo secundùm rem distinguitur: quia neque est humanitas præcisè, neque Diuinitas præcisè, & saltem distinguitur formaliter ab vtroque extremo simul.

19 Ad primum argumentum Resp. Quòd sicut in Lazari resurrectione neque anima fuit facta, neq; corpus, quia præexistebant, facta tamen est vnitas personæ & naturæ; sic etiam in assumptione non fit Verbum, neque humanitas, sed fit vnitas, non quidem naturæ, quia non resultat vna natura, sed vnitas personæ: non simpliciter, sed in duabus naturis. Quemadmodùm non fit æs, neque fit sphera, sed fit sphera ænea: vt docet Aristoteles. 7. Methaph. Et si Petrus, & albedo vnirentur, non fieret Petrus, neque albedo, sed fieret album. Similiter in proposito non fit Filius Dei, neque fit per vnionem humana natura, sed Filius Dei factus est homo.

20 Sed obijcitur. Illud esse hominem, neque est entitas incipiens esse in humanitate, quia non est in ea; neque in Verbo, quia in illo non potest incipere esse aliqua entitas absoluta: ergo solùm fit de nouo relatio. Resp. Quòd verè Deus factus est homo, qui anteà non erat homo, & ad hoc sufficit, entitates præexistẽtes aut præintellectas incipere nouo quodam modo substantialiter se habere. Vel dicendum, quòd esse hominem neque est entitas existens in humanitate, neque est inhærens Verbo Dei, cui nihil potest inhærere: sed est esse hominem, & hoc est factum, & quid substantiale, & absolutum.

21 Ad confirmationem Resp. Verum esse, actionis realis nouæ debere esse nouum terminum realem, sed non oportere, vt omninò distinguatur realiter tanquam res à re, à quolibet præexistente, satis est, distingui realiter à quolibet præexistente seorsum sumpto, ab vtroque autem simul formaliter.

22 Ad secundum, quod est Scoti, respondet Caietanus, terminum huius assumptionis, qui est, Verbum esse hominem, esse assumptum à Verbo, & illi vnitum. Existimat enim Caietanus, terminum assumptionis, formaliter loquendo, esse aliquam entitatem creatam absolutam ex vi vnitionis resultantem: quam entitatem simul cum humana natura assumpsit Verbum. Alij verò Thomistæ admittunt quidem illam entitatem absolutam creatam, sed negant, illam fuisse à Verbo assumptam. Huic sententiæ fauet M. Medina hîc.

23 Nihilominus dicendum est, terminum vnionis hypostaticæ non importare aliquam entitatem absolutam, creatam, resultantem ex ineffabili compositione naturæ humanæ cum Diuina. Ad cuius intelligentiam recolendum est, quod supra art. 4. diximus, duplicem esse compositionem. Alteram ex his, qualis est compositio materiæ & formæ, & alteram cum his, cuiusmodi est compositio ex essentia & esse, & ex natura & personalitate. Rursus in compositione ex his resultat ex componentibus aliqua forma totalis, sub qua componentia continentur tanquam sub forma superiori, sicut anima rationalis & corpus continentur sub humanitate. Neque est vniuersaliter verum in compositione ex his resultare aliquàm vnam communem formam, nisi quando compositio fit ex partibus essentialibus, aut integralibus. Hoc supposito, dicendum est, in termino vnionis hypostaticæ, in quo est vera compositio, & ex his, 24 & cum his, vt supra ostensum est art. 4. non resultare aliquam formam communem vtrique componenti, sed hæc tria duntaxat reperiri: nempe, Verbum, humanitatem, & modum quendam realem, cum ipsa humanitate identificatum. Qui modus nihil aliud est, quàm, quòd humanitas sit personaliter terminata, & completa, quatenùs in Diuina Persona subsistit, & hæc tria significantur per modum vnius compositi per hanc vocem, Christus. Ex quo sequitur, terminum vnionis hypostaticæ, formaliter loquendo, addere aliquid supra 25 naturam humanam, & Verbum, etiam si copulatiuè sumantur, nempe, modum realem passiuæ terminationis humanæ naturæ: atque adeò verissimum esse, quod supra art. 7. Disput. 2. dictum est, terminum, Qui, huius vnionis, formaliter sumptũ, esse aliquid creatum, quia in tali termino formaliter includitur ille modus creatus, qui reperitur in humanitate, prout à Verbo personaliter terminatur. Et ob id sine formidine conceditur hæc propositio, Deus factus est Christus, quoniam Christus, qui est huius vnionis terminus, cùm ponatur à parte prædicati, formaliter sumitur.

Ex dictis etiam sequitur, illum modum in termino 26 vnionis inclusum, formaliter loquendo, non dici assumptum à Verbo; quia terminus vnionis, & assumptionis neque est vnitus, neque assumptus: sed sola humanitas est assumpta. Si verò talis modus materialiter sumatur, quatenùs inest naturæ humanæ, imò est eadem res cum ipsa natura, assumptus est à Verbo, quia assumpta humanitate censentur etiam assumpta omnia, quæ in illa sunt. Et in hoc sensu interpretandus est Caietanus cùm dicit, entitatem absolutam creatam, quæ est in termino vnionis, fuisse assumptam à Verbo.

Ex his etiam colligitur solutio argumenti secundi. 27 Ad argumentum ergo negatur, quòd Verbum esse hominem, quod est terminus assumptionis, sit vnitum vel assumptum à Verbo; sed humanitas est assumpta ad subsistentiam Verbi: ex cuius assumptione resultauit ille terminus. Vnde sicut manente vnione, manet etiam humanitas vnita; sic etiam manet terminus assumptionis. Quòd si dimittatur humanitas, non erit huiusmodi terminus, non quidem per dimissionem, quia sicut non propriè dicitur assumptus, ita neque dimissus, sed per dissolutionem.

Ad confirmationem Resp. Terminum assumptionis 28 esse non posse aliquod accidens absolutum, sicut rectè probat Scotus; sed sua probatio confirmat nostram sententiam, quòd non possit etiam esse relatio, quia sicut medium ad suppositandum naturam suppositi sequit esse accidens absolutum, ita neque accidens relatiuum. Vnde concedendum est, terminum primarium esse substantiam, sed non materiam, neque formam, neque humanitatem, sed Diuinam Personam, vt in duabus naturis subsistentem, vel Christum, vt est hic homo.

Ad tertium patet solutio ex dictis ad secundum. Ad 29 quartum negatur, quòd in eo casu maneret idem homo, neque idem esse personale hominis.

SECVNDA DISPVTATIO.

1 Postremò dubitatur de termino à quo huius admirabilis assumptionis, quis sit. Caietanus hîc opinatur, hunc terminum à quo esse humanitatem: Primò, quia ex sententia D. Thomæ in hoc articulo humanitas est terminus assumptionis, & non est terminus ad quem: ergo est terminus à quo. Secundò in omni mutatione terminus à quo præcedit, & supponitur actioni, sed hîc nihil supponitur nisi Verbum, & humanitas, Verbum autem non est terminus à quo, vt patet: ergo humanitas.

2 Alij affirmant, terminum à quo fuisse personalitatem propriam, quæ est debita naturæ humanæ secundùm conditionem naturæ, & quæ re vera inesset, si à Diuina Personalitate non fuisset præuenta. Probant dupliciter. Primò, quia assumptio est ab alio ad se sumptio, vt inquit D. Thomas, in qua definitione illa præpositio, Ab, designat terminum à quo, sicut dictio, Ad, designat terminum ad quem: sed humanitas à sua personalitate, quæ illi inesse debebat, tracta est ad Personalitatem Verbi, & ab illa est præuenta; ergo illa personalitas est terminus à quo.

3 Secundò. Terminus à quo, & terminus ad quem in omni mutatione sunt oppositi, & in assumptione sunt contrariè, & positiuè oppositi; sed propria personalitas, quæ debebat inesse, est opposita ad Diuinam Personalitatem; ergo illa est terminus à quo.
4 M. Suarez in hoc articulo Disput. 8. sectione. 2. inquit, terminum à quo in præsenti actione esse priuatiuum, seu negatiuum, nempe, carentiam termini ad quem.

5 Nihilominus sententia Caietani probabilior mihi videtur, & D. Thomæ magis consentanea. Sic tamen est intelligenda, quòd humanitas ex sua natura tendens ad propriam personalitatem assumpta est ad Personalitatem Diuinam, & vt sic, hoc est, vt ex sua natura tendit ad propriam subsistentiam, & ad illam naturaliter inclinatur, fuitque præuenta & impedita; est terminus à quo. Et hoc probant efficaciter rationes Caietani. Et probatur præterea ex refutatione aliarum opinionum:
6 nam primò personalitas propria nequit esse terminus à quo, quoniam terminus à quo necessariò præcedit: sed propria personalitas nunquam præcessit: ergo. Secundò. In omni actione subiectum prius est in termino à quo, quàm sub termino ad quem; sed humanitas nunquam fuit sub propria personalitate; ergo illa persona-
7 litas non est terminus à quo. Neque satis est dicere, quòd humanitas fuisset sub propria personalitate, nisi præueniretur, & impediretur. Hoc, inquam, nihil valet; quia cùm assumptio sit ab alio ad se sumptio, necessariò debet præcedere aliquod positiuum, qui positiuè sit terminus à quo, sed nunquam fuit positiuè illa propria personalitas: ergo non est terminus à quo. Item. Terminus à quo formaliter excluditur per terminum ad quem, ita vt actu expellatur à subiecto, in quo anteà erat: sed illa personalitas non fuit ita exclusa; ergo non
8 fuit terminus à quo. Insuper quòd carentia & priuatio termini ad quem non sit terminus à quo assumptionis: probatur: quia terminus à quo assumptionis, vt importatur per hanc vocem, Assumptio, necessariò debet esse aliquid positiuum, vt patet ex eius definitione, est enim assumptio, ab alio ad se sumptio. hoc est, ab alio termino positiuo ad se sumptio: ergo non est carentia termini ad quem. Vnde colligitur differentia inter assumptionem, & generationem, creationem, & alias mutationes instantaneas, quòd istæ sunt inter terminos priuatiuè, vel contradictoriè oppositos. assumptio verò inter terminos contrarios, & positiuos.

Sed contra sententiam Caietani solent fieri nonnullæ rationes. 9
Prima. Subiectum mutationis non est terminus à quo; sed humanitas est subiectum assumptionis, ipsa enim est quæ assumitur: ergo non est terminus à quo. Resp. Humanitatem, vt ex sua natura tendit ad propriam personalitatem, esse terminum à quo. Vt sic autem, idest, cum illa tendentia non assumitur, quia vt est in Verbo, neque tendit ad propriam personalitatem, neque ad illam habet inclinationem, vt infra. q. 4. art. 2. latiùs constabit: neque vt est in Verbo, habet
rationem termini à quo. Secundò Resp. Humanitatem 10
esse terminum à quo, & subiectum assumptionis diuersis rationibus. Est enim terminus à quo, quatenùs trahitur ad subsistentiam Verbi, & Persona Verbi ex illa, & in illa subsistit: est autem subiectum, quatenùs est in potentia ad hoc, vt assumatur ad subsistentiam Ver-
bi. Neque est inconueniens vt idem secundùm diuersas 11
considerationes habeat rationem termini à quo, & ad quem; nam idem calor secundùm quòd est in gradu minori, habet rationem termini à quo: prout verò est in maiori, habet rationem termini ad quem. Ad eundem modum eadem prorsus natura habet rationem subiecti, quatenùs per assumptionem mutatur: & habet rationem termini ad quem, quatenùs est illud, quo Verbum est homo. Habet etiam rationem termini à quo, quatenus vt tendens ad propriam personalitatem, præuenitur à Personalitate Verbi.

Secunda. Humanitas habet rationem termini ad quem, quia assumitur, vt subsistat Diuina subsistentia, ergo non est terminus à quo. Conceditur antecedens, sed vt tendit ad propriam subsistentiam, est etiam terminus à quo, & per assumptionem fuit præuenta & impedita, ne illam haberet, & assumpta ad subsistendum Diuina Verbi subsistentia. Vt autem manet in Verbo, iam non tendit in propriam personalitatem. 12

Tertia. In omni mutatione terminus à quo deseritur, & terminus ad quem acquiritur; sed humanitas per assumptionem non deseritur, imò potiùs acquiritur: ergo. Resp. Quòd humanitas, vt tendens ad propriam personalitatem, & illam appetens, deseritur assumptione, acquisitur autem prout assumitur à Verbo, & vt est subsistens per Diuini Verbi subsistentiam, quæ ita humanitatis satiat appetitum, vt quatenùs est Verbo vnita, in propriam personalitatem non inclinetur, neque illam appetat, neque in eam tendat. 13

Quarta. Terminus à quo nõ manet, imò est incompossibilis cum termino ad quem; sed humanitas non est incompossibilis cũ termino ad quem huius assumptionis, sed sub illo manet, & per illum afficitur, & 14
perficitur, ergo. Resp. Quòd humanitas, vt tendens ad 15
propriam personalitatem, & eam naturaliter appetens, est incompossibilis cum termino ad quem: vt sic autem non est assumpta, quia in ea non manet, vt est assumpta, tendentia ad propriam personalitatem, & inclinatio, & appetitus, & hoc modo non est incompossibilis

cum

cum termino ad quē, sed de facto manet sub illo. Quomodo autem hoc debeat intelligi, explicabitur infra q. 4. art. 2. Disput. 8. Vbi constabit, An humanitas Christi habeat aliquem appetitum ad propriam subsistentiam, & personalitatem.

ARTICVLVS. IX.

Vtrùm vnio duarum naturarum in Christo sit maxima vnionum.

PRIMA *Conclusio.* Vnio Incarnationis ex parte naturarum, quæ vniūtur, non est maxima vnionum. *Probatur, quia illæ naturæ & interse distingnuntur, & in infinitum distant.* *Secunda Conclusio.*

Ex parte eius, in quo illæ naturæ vniuntur, est maxima vnionum. *Probatur: quia vnitas Diuinæ Personæ, in qua sunt vnum natura Diuina, & humana, est maxima omnium vnitatū creatarum, quia Diuina & increata, & vnitas per essentiam.* *Tertia Conclusio.*

Vnio Diuinarū Personarum in Essentia, absolutè, & simpliciter est maior, quā vnio Incarnationis. *Probatur, quia in illa vnione qualibet persona est Diuina Essentia, in qua vniūtur, in hac verò, natura humana non est Persona Diuina, in qua vnitur.* *Quarta Conclusio.*

Secundùm quid maior est vnio Incarnationis, quàm vnio Personarum in Essentia. *Hæc conclusio est D. Augustini. 1. de Trinita. cap. 10. vbi inquit.* Magis est homo in Filio Dei, quàm Filius Dei in Patre. *Hoc est, homo est vnum suppositum cum Filio Dei, Filius autem Dei non est vnum suppositū cum Patre. Istæ duæ vltimæ conclusiones continentur in argumento sed contra, & in eius solutione.*

Est primum argumētum D. Thomæ: Hæc vnio non importat maximam vnitatem: ergo non est maxima vnio. Antecedens probatur: quia illud est magis vnum, quod est per se vnū ratione suæ vnitatis, quàm quod est vnum ex eo tantùm, quòd multa in illo sunt vnita, nam esse vnitum deficit à ratione vnius. Vnitum enim dicitur per participationem, vnum autem per essentiam; sed in rebus creatis aliquid dicitur simpliciter vnum, vt constat in vnitate, quæ est principium numeri: ergo. Respondet D. Thomas distinguendo antecedens. Hæc vnio non importat maximam vnitatem ex parte Personæ Diuinæ, negatur: quia Diuina Persona est simplicissima, increata, & independens, nō recepta, & completa, & non est pars; & est multò magis vna, quàm sit ipsa vnitas, quæ est principiū numeri. Non importat maximam vnitatem ex parte naturæ humanæ, sic conceditur, hanc vnionē non esse maximam, nec superare vnitatē numeralem, quæ est principium numeri, quia humana natura non est vnitas Diuinæ Personæ, sed est illi vnita,

Secundum argumentum est. Inter ea, quæ maximè distant, nō est maxima vnio: sed natura Diuina & humana maximè distant: ergo. Respondet, argumentum procedere ex parte eorum, quæ coniunguntur, & sic hanc vnionem non esse maximā ex parte naturarum, quæ vniuntur, sed nō ex parte personæ, in qua vniuntur; sic enim hæc vnio est maxima.

Tertium argumentum D. Thomæ est. Maior est vnio animæ ad corpus, quàm Diuinæ naturæ ad humanam: ergo hæc vnio non infert maximā vnitatem. Probatur antecedens: quia ex vnione animæ & corporis fit vnum in persona & natura, ex vnione autem Diuinæ & humanæ naturæ fit tantùm vnum in persona; ergo. Respondet, vnitatem Diuinæ Personæ esse maiorem vnitate personæ & naturæ in nobis, & ideò vnionem Incarnationis esse maiorem, quàm sit vnio animæ & corporis in nobis. Vnde licèt terminus huius vnionis sit pluribus modis vnus, non tamen est magis vnus.

Commentarius.

PRO intelligentia & examine conclusionum D. Thomæ dubitatur primò, An vnio sumatur à D. Thoma pro relatione, vel tantùm pro fundamento. Caietanus existimat, tantùm sumi in titulo pro fundamento, & non pro relatione; tum, quia D. Thomas initio articuli ait, quòd vnio in hoc loco importat coniunctionem duarum naturarum in vna Persona Verbi; tum etiā, quia vna relatio non dicitur maior, vel minor altera. Alij autem Thomistæ contrariū sentiunt, nempe, D. Thomam loqui de vnione pro relatione, quia in tota ista quæstione absolutè, & indifferenter agit de vnione. Verum quidem est, vnionem relatiuam secundùm se non esse dicendam maiorem, vel minorem, sed ratione fundamenti, videlicet vnitatis, quæ fundat vnionem, sicut similitudo secundùm se nō suscipit magis, vel minus, sed ratione tātùm fundamenti.

M. Suarez censet, D. Thomam loqui de modo vnionis per actionem vnionis, siue Incarnationis producto, qui est ipsa formalis vnio, & coniunctio horum extremorum, nempe, humanitatis, & Diuinitatis in ipsa Verbi Persona. Mihi tamen videtur, per vnionem intellexisse D. Thomam, vnitatem resultantem ex his extremis substātialiter inter se vnitis. Etenim licèt D. Tho. de vnione disputet, quatenus facit vnum formaliter: cō-

sultò tamen non est vsus nomine vnitatis, sed vnionis, vt significaret, se non de quacumq; vnitate loqui, sed de illa, quæ ex plurium rerum distinctarum nexu, & coniunctione oritur, quæ, vt rectè aduertit Durandus in. 3. d. 5. q. 2. vnio potiùs, quàm vnitas appellari potest: & simul ostendere, se hanc vnionem non conferre cum simplici rerum indiuisibilium vnitate, sed cum vnitate rerum compositarum.

3 Præterea. illa diuisio D. Thomæ videtur insufficiens, vt enim intelligatur, An aliqua vnio sit maior, vel minor altera, non solùm est consideranda ex parte vnitorum, & ex parte eius, in quo vniuntur, sed etiam ex parte ipsius vnionis. Prætermittens ergo D. Thomas hoc tertium membrum, insufficienter processit. Probatur antecedens: quia si vnio tantùm consideretur ex parte vnitorũ, & ex parte eius, in quo vniuntur, sequitur primò, non esse minorem vnionem creaturarum in vniuerso, prout vniuntur cum suo principio, nempe Deo, quàm sit vnio Incarnationis. Patet, quia ex parte extremorum non est minor, imò maior, quoniam minùs distant extrema. Ex parte etiam eius, in quo vniuntur, non habet minorem vnitatem, quia non est minor vnitas Dei, in quo tanquam in principio vniuntur creaturæ, quàm vnitas Diuinæ Personæ, in qua Diuinitas & humanitas copulantur.

4 Sequitur secundò, vnionem accidentis cum subiecto non esse minorem, quàm partium integralium, vel naturæ substantialis cum proprio supposito. Patet, quia id, in quo extrema vniuntur, vtrobique est suppositum, nam ex D. Thoma art. 2. huius quæstionis, accidentia etiam vniuntur in persona, vel supposito, sed vtrumque consequens est manifestè falsum, quia neque in vnione creaturarum cum Deo, neque in vnione accidentis cũ supposito, fit vnũ secundùm suppositum, vt supra ostensum est, sicut fit in Incarnatione, ob quã causam vnio Incarnationis est maior qualibet illarum vnionum: ergo vt videatur, quæ sit maior, vel minor vnio, non solùm est consideranda ex parte vnitorum, & ex parte eius, in quo vniuntur: verùm etiam ex parte ipsius vnionis.

5 Confirmatur: quia ex omissione huius membri nõ soluitur quæstio absolutè, & simpliciter, sed cum addito, nempe, ex parte vnitorum non esse maximam, & ex parte eius, in quo vniuntur, esse maximam. An vero sit maxima simpliciter & absolutè, non dicitur: quod sanè ideo est, quia non consideratur ex parte ipsius vnionis; nam quod ipsi conuenit ex hac parte, cùm sit ipsa essentia vnionis, absolutè & simpliciter conuenit.

6 Caietanus hîc respondet, D. Thomã in hac diuisione nihil prætermisisse, quod ad præsentem difficultatem decidendam esset necessarium, quia considerare vnionem ex parte eius, in quo vniuntur extrema, & ex parte ipsius vnionis, si rectè intelligatur, idem omninò sunt. Pro quo aduertendum est, id, in quo aliqua extrema vniuntur, posse dupliciter considerari: videlicet, aut materialiter, hoc est, prout est quædam res: aut formaliter, id est, prout est vnum quid, in quo plura vniuntur. Si priori modo sumatur, verũ est, quod obiicitur, & hoc probãt argumenta, quia diuersa est consideratio vnionis ex parte eius, in quo vniuntur extrema, & ex parte ipsiusmet vnionis: sed hac ratione non vsurpatur à D. Thoma.

7 Si verò posteriori modo sumatur, idest, formaliter, idem omninò est considerare vnionem ex parte eius, in quo vniuntur extrema, & ex parte ipsius vnionis, & ratio est manifesta, quia sicut tota quantitas perfectionis essentialis eius, quod respicit aliquod obiectum, vel terminum, sumitur ex ipso obiecto, vel termino, sic etiam tota quantitas perfectionis essentialis cuiuscumque vnionis, attendenda est ex vnitate, in qua extrema sunt vnum, atq; adeò, quò maior fuerit hæc vnitas, tantò maior erit vnio secundùm rationem formalem, & intrinsecã vnionis. Et quia D. Thomas hac ratione considerauit vnionem, ideò nihil prætermisit, quod esset necessarium.

Ad argumentum ergo respondetur, non eodem modo Deum esse vnum cum creaturis, prout in ipso vniuntur, tanquam in principio, sicut Persona Diuina est vnum, quatenùs in ipsa vniuntur Diuinitas & humanitas, quia Deus tantùm est vnum cum creaturis secundùm habitudinem ipsarum creaturarum ad ipsum. At verò Verbum Diuinum, seu Persona Diuina est vnũ secundùm esse cum Natura Diuina, & humana. Item diuersa ratione suppositum Petri, V. G. est vnum, in quantùm in ipso vniuntur partes integrantes, & natura substantialis, quàm sit vnũ, quatenùs in ipso vniuntur accidentia, quia partiũ integraliũ & naturæ est vnũ secundùm esse substantiale & suppositale: accidentium verò est vnum secundùm subiectum recipiendo illorum diuersa esse, atque ita longè maior est vnio Incarnationis, quàm vnio creaturarum in Deo, & vnio partium integralium cum supposito, quàm accidentium cũ eodem supposito. 8

Ad confirmationem Resp. eo ipso, quòd aliqua vnio est maxima ex parte eius, in quo extrema vniuntur, si formaliter sumatur, esse maximam simpliciter, quia considerare vnionem ex hac parte, est, ipsam considerare secundùm intrinsecam & formalem rationem vnionis. 9

Apertiùs & clariùs potest secũdò satisfieri argumento dicendo, D. Thomam in ea diuisione nullum membrum prætermisisse: diuisum enim illius diuisionis est coniunctio aliquorum. Diuiditur autem, quoniã hæc coniunctio interdum causatur ex parte eorum, quæ iunguntur, quæ sunt partes materiales coniunctionis, & hoc est primum diuisionis membrum. Quandoque autem hæc coniunctio causatur ex parte illius, in quo coniunguntur, quod est veluti formale coniunctionis, & hoc est alterum illius diuisionis membrum. Vndè hæc diuisiò est ex parte causæ: membra verò huius diuisionis sumenda sunt, vt dicunt ordinem ad coniunctionem: aliàs enim non essent membra diuidentia cõtenta in diuiso. Vnde constat id, quod argumentum cõtendebat, esse membrum huius diuisionis, potiùs esse eius diuisum. 10

Ad vtramque autem sequellam Resp. D. Thomam in præsenti considerasse illud vnum, in quo res vnitæ formaliter copulantur, quatenùs est membrum huius diuisionis, videlicet, secundùm quòd copulat res vnitas, & illis coniungitur: ita vt illius vnitas sit vnitas eorũ, quæ copulantur, & vniuntur. Et ita fit in hac vnione Incarnationis, quòd Persona Diuina, in qua naturæ vniuntur, communicat illis suam vnitatem, cùm eadem persona in vtraq; natura subsistat. Accidentia verò, quæ in Persona Christi vniuntur, habent proprias inexistentias, per quas formaliter existunt: & ita vnitas 11

Personæ

Digitized by Google

Personæ Diuinæ non illis formaliter communicatur, neque est vnitas illorum accidentium, sola enim natura humana eum fuit partibus formaliter subsistit per subsistentiam Verbi, & ita vnio accidentium in Christo est accidentalis,non maxima. Deus etiam, quatenùs conseruat res naturales,licèt sit maximè vnus in se,non tamen communicat creaturis suam vnitatem.

12 Circa primam conclusionem aduertendum est, illā esse certissimam apud omnes, quia vnionem aliquam esse maiorem, vel minorem ex parte vnitorum, sumitur penes distantiam extremorum inter se. Et quia inter Naturam Diuinam,& humanā, quæ sunt in Christo,est maxima distātia,nempe,infinita,ideò ex hac parte vnio Incarnationis non est maxima omnium creatarum vnionum.

13 Sed contra hoc est argumentum, quia etiam Inter Personam Diuinam &naturam humanam est infinita distantia ergo vnio inter illa non est maxima, etiam si vnitas ipsius personæ secundùm se sit maxima. Resp: inter Diuinam Personam, & naturam humanam esse infinitam distantiam in genere entis, & in ratione perfectionis. Sed quia inter se habent quādam non repugnantiam,& proportionem quasi actus & potentiæ, seu termini,& terminabilis: ideò possunt inter se maximè vniri,& sic infinitè non distant.Natura verò Diuina,& humana, vt naturæ sunt, in infinitum distant, quia vt sic omninò sunt improportionatæ, vt ex illis fiat vnum.

14 Sed contra instatur.Sequitur ex hac conclusione, & ratione D. Thomæ, minorem esse vnionem materiæ & formæ in composito naturali,& naturæ substantialis,& accidentalis in supposito ex parte vnitorū, quàm sit vnio Incarnationis. Probatur: quia actus & potentia magis distant secundùm se, quàm duo actus: substantia enim & accidens magis distāt secūdùm se,quàm duæ substantiæ.Resp.dupliciter posse intelligi, alicuius vnionis extrema distare inter se se, aut secundùm entitatem, aut secundùm proportionem, & habitudinem. Licèt priori modo actus & potentia, substātia & accidens plus distent inter se,quàm duæ naturæ, quæ sunt in Christo: posteriori tamen modo multò magis distant illæ duæ naturæ, quàm quæcumque alia extrema creata,quia in rei veritate actus & potentia, materia &forma, substantia & accidens maiorem habent proportionem, & habitudinem, vt inter se vniantur, quàm natura Diuina & humana in Christo.

15 Vnde constat, quòd ex parte vnitorum vnio Incarnationis non solùm non est maxima, sed est minima omnium creatarum vnionum,quia nequit esse, neque excogitari minor habitudo inter aliqua extrema, vt vniantur inter se,quàm est inter humanitatem,& Diuinitatem.Etenim in quacumque alia vnione creata,etiā si alterum extremum sit supernaturale, aut violentum, semper saltem ex parte alterius extremi est naturalis inclinatio ad vnionem,saltem ea parte materiæ:in aqua enim ex parte materiæ est naturalis inclinatio, & habitudo ad vnionem cum calore,gratia etiam,& quodcumque donum supernaturale, eò ipso quòd accidens est,naturaliter inclinatur, & propenditur ad vnionem cum anima.Cæterùm in Christo nulla est naturalis inclinatio,aut habitudo,neque humanitatis ad Diuinitatem,neque Diuinitatis ad humanitatem, sed tota ratio facti est potentia facientis ex parte Diuinitatis,& capacitas,& potentia obedientialis ex parte humanitatis.Et hoc est mirabile in hoc mysterio, quòd cùm hæc vnio sit minima omnium ex parte vnitorum:simpliciter tamen sit maxima omnium ex parte eius, in quo vniuntur, & propriè appellatur hæc vnio inscrutabilis, & ineffabilis.

PRIMA DISPVTATIO. §. I.

CIRCA secundam conclusionem dubitatur, An ita sit, quòd hæc vnio ex parte eius, in quo vniuntur extrema,& naturæ,vel secundùm ipsam intrinsecam rationem vnionis sit maxima omniū creatarum vnionum. Id est.An vnitas, quam humana, & Diuina Natura habent in Persona Verbi; vel ipsa Verbi Persona, & humanitas,prout coniunctæ substantialiter, sit maxima omnium vnitatum, quæ ex coniunctione rerum distinctarum consurgit.

Durandus in.3.d.5.q.3.affirmat,vnionem istam esse quidem maximam secundùm dignitatem, & necessitatem,quia est dignissima omniū, & maximè necessaria, non tamen secundùm rationem intrinsecam vnionis. Probat primò;quia illa vnio est maior in ratione vnionis,in qua extrema,quæ copulantur, fiunt magis vnū; sed ex materia & forma in composito naturali fit magis vnum,quàm ex humanitate,& Diuinitate in Christo:quia ex illis fit vnum in natura, & in supposito, ex humanitate autem & Diuinitate fit tantùm vnio in persona;ergo illa vnio est maior in ratione vnionis. 1

Secundò. Illa vnio est maior in ratione vnionis, in qua extrema intimiùs & inseparabiliùs vniuntur; sed materia, & forma sic vniuntur; quia inter se separari non possunt salua vtriusque extremi consistentia: quia si forma à materia separetur,desinit esse, si corruptibilis sit:materia etiam sine forma esse non potest; at verò humanitas potest esse sine Diuinitate, & Diuinitas sine humanitate consistere:ergo &c. 2

Tertiò.Maior est vnitas essentiæ, quàm vnitas personæ;sed ex materia & forma fit vna essentia, non autem ex Verbo & humanitate:ergo &c. 3

Quartò. Materia & forma ex sua natura coaptantur per modum actus & potentiæ: ergo habent maiorem proportionem, vt intimiùs ac perfectiùs vniri possint,quàm Verbum & humanitas. 4

Præterea.Scotus in.3.d 2.q.1.ad primum principale asserit,hanc vnionem,si cum beatifica comparetur, esse maximam absolutè & simpliciter; sed distinguendum esse,nam si hæc vnio præcisè sumatur, vt est hypostatica,sicut est maxima omnium creatarum;quoad actum primum,id est, quantùm ad esse hypostaticum, & personale; sic etiam vnio beatifica est maxima omnium,quantùm ad actum secundum,hoc est, quantùm ad operationem.Verum est etiam,quòd vlterius in calce dicit Scotus, has vniones non esse inter se comparabiles,quia sunt diuersarum rationum, & comparatio debet fieri in specie atoma.Si verò largo modo comparentur, habent se sicuti diximus. 5

Alij Theologi affirmant, hanc vnitatem, siue vnionem absolutè, & simpliciter esse omnium creatarum maximam. Sic omnes ferè Thomistæ, præcipuè Paludanus in.3.d.5.q.3.art.3.Caietanus,Medina, & Suarez in hoc articulo. Idem etiam docent veteres Theologi, vt 6

vt Altisiodorensis.3.p.q.3.art.7.Marsilius in.3.q.2.art.2.conclusione.4.& q.3.art.2. Alexander Alensis.3.p.q.7.membro.2.art.3. & multi alij, quã desumpserunt ex D.Bern.lib.5.de Consideratione ad Eugeniũ prope me diũ,cuius verba sunt. *Arcẽ tenet vnitas Trinitatis, in qua tres Personę sunt vna substantia.Secundo loco illa prçcellit,in qua ẽ diuerso tres substãtię sũt vna in Chro Persona.* Et meritò hoc dicit Bernardus,quia ex hac vnione resultat vna persona plus vna, quàm esse resultans ex quacumque vnione. At Durandus explicat D. Bernardum de perfectione vnionis secundùm dignitatem,non secundùm magnitudinem. Sed hæc explicatio nullius momenti est, vt rectè obseruauit Caietanus, quia aliàs falsò diceret Bernardus,primum locum tenere vnionem Trinitatis,quia non minoris dignitatis est Persona Diuina,in qua sunt vnum illæ duæ substantiæ, quàm Diuina Essentia,in qua sunt vnum tres Personæ. Loquitur ergo de ratione intrinseca vnionis, & de hac euidenter probat ratio D.Thomæ, vnionem Incarnationis simpliciter esse maximam omnium creatarum vnionum,quia vnitas, secundùm quam attenditur cuiuscumque vnionis perfectio essentialis, est simpliciter maior in Incarnatione, quàm in alia quacumque vnione creata,cùm illa sit vnitas Diuinæ Personæ,& ex cõsequenti vnitas per essentiam. Quæcumque verò creata vnitas est per participationem vnitas.

7 Sed obijcitur. Ergo vnio accidentium in Christo est tanta,quanta vnio naturarum. Patet consequentia, quia vniuntur in persona æquè vna,quia eadem. Negatur consequentia,quia humanitas immediatè vnitur in Persona Verbi,accidens verò mediatè, videlicet, media humanitate:tum etiam, quia humanitas substãtialiter, accidentia verò accidentariò vniuntur; vnio verò substantialis in vniuersum est maior,quacũque accidentali.

8 Confirmatur. Ex vnione duarum naturarum in Christo resultat vnum subsistens in vtraque natura:sed illud vnum subsistens est magis vnum, quàm sit aliqua res creata: cùm sit Persona Verbi vna & simplicissima; ergo hæc vnio duarum naturarum in vna persona est maior omnibus alijs vnionibus. Probatur consequentia,quia illa vnio est maior,qua fit magis vnum. Etenim proprius terminus & effectus,ad quem tendit vnitio,est vnum, & quia ex termino sumitur omnis ratio motus,ideò quantò magis fuerit vnum,id, quod fit per vnionem, tantò vnio censeri debet maior. Sed neque vna natura,neque vna persona, quæ in nobis ex coniunctione animæ & corporis resultat, est tam vna, & simplex,quàm est illud vnum subsistens in Natura Diuina & humana, quod ex vtriusque coniunctione resultat:ergo &c. Explicatur magis hæc ratio: nam cùm aliqua duo iunguntur in aliquo tertio formaliter, hoc est,quatenus est id,in quo plura conueniunt, & ratione cuius dicuntur vnita,tantò magis ea dicuntur iungi, & vniri,quantò illud tertium,in quo iunguntur, est magis vnum,& magis simplex: sic enim in illo magis vnitè se habebunt: sed illud tertium, in quo Natura Diuina & humana iunguntur in Christo,est simplicissimũ: ergo illa est maxima vnio.

9 Prætereà probatur hæc sententia. Compositum resultans ex hac vnione est magis vnum quouis alio cõposito: ergo hæc vnio est omnium maxima in ratione vnitatis,siue vnionis. Consequentia est euidens,& antecedens probatur.Illud est magis vnum,quod est minùs compositum:sed Christus, qui ex hac vnione resultauit,est magis vnum,& simplex, eo quòd alterum compositionis extremum,nempe,Diuina Persona, est simplicissimum,& omnis cõpositionis expers: ergo Christus est magis vnus quocumq; alio composito; & ex consequenti eius vnitas est maior omni alia prouenien te excompositione.

Insuper. Vnitas resultans ex compositione naturæ substãtialis cum personalitate,siue subsistentia, est maior ex genere suo omni alia vnitate proueniente ex cõpositione substantiali partium essentialium, aut integralium:sed vnitas Christi in prædicto genere est omnium perfectissima; ergo absolutè, & simpliciter est omniũ maxima.Consequentia patet: quia excedit omnes contentas sub perfectissimo genere vnitatum. Et maior patet; tum, quia vnitas suppositi reperitur formaliter in Angelis,qui sunt simplicissimi, & maximè vnum inter substantias creatas: tum etiam, quia talis vnitas prouenit ex minori compositione, nempe,rei,& sui intrinseci modi. Minor verò probatur: quia vnitas Christi est vnitas suppositi constituti ex humana natura,& subsistentia Verbi gerente vicem propriæ, multò simpliciùs,& perfectiùs,quàm ipsa,vel quæcumque alia creata efficere posset. 10

Dices, vnitatem suppositi ex compositione naturæ cum propria subsistentia prouenientem,esse quidem ex suo genere maiorem vnitate compositi ex materia, & forma,eo quòd natura, & subsistentia propria non tantùm distinguuntur,quantùm materia, & forma,& ideò magis est vnum, quod ex illis,quàm quod ex istis componitur.At humanitas,& subsistentia Verbi infinitè magis distant,quàm materia,& forma: & ideò nequit esse tanta vnitas suppositi, quod ex illis componitur. Sed contra est: quia vnio eò differt ab indiuisibili vnitate, quòd hæc omnem realem distinctionem excludit,vnio verò illam essentialiter postulat: est enim vnio vnitas resultans ex distinctorum coniunctione. Ex quo nouum sumitur argumentum.Illa vnio est maior,quæ extrema magis inter se distincta vnit: sed hæc vnio extrema maximè distincta, imò infinitè distantia substantialiter vnit: ergo absolutè, & simpliciter est maxima vnio.Minor cum consequentia patet: & maior probatur; quoniam hac ratione vnio materiæ, & formæ maximè inter se distantium est maior quacumq; vnione duarum formarum, inter se minùs distinctarum. 11

Dices,non ex solo hoc capite vnionem esse maiorem, sed quia extrema intimiùs vnit,& inter se magis vnum facit. Hæc verò vnio nõ ita intimè extrema cõiungit,& inter se vnum facit, sicut vnio materiæ, & formæ,quæ vnum essentialiter facit. Sed contra: quia per hanc vnionem extrema inter se ita fiunt vnum, vt inuicem prædicentur substãtialiter, & intrinsecè, quod in vnione materiæ & formæ non contingit, imò neq; in vlla creata,aut creabili compositione: ergo hæc est maxima vnio in ratione vnionis. 12

Obseruatio. §. II.

PRO intelligentia huius difficultatis animaduertendum est, D.Thomã has duas sententias quodammodò cõciliasse, dum dixit, hanc vnionem fuisse 13

fuisse maximam ex parte eius in quo fit; non verò ex parte extremorum, quæ per illam vniuntur. Vnde D. Thomas non absolutè, sed cum distinctione, & limitatione illa, *Ex parte eius, in quo vnio facta est,* docet, maximam fuisse hanc vnionem. Quia verò huius quæstionis resolutio dependet ex intelligentia horum Verborum, & distinctionis propositæ, pro illorum explicatione notandum est, dupliciter dici posse, extrema vniri in aliquo tertio, vel tanquàm in termino, hoc est, composito resultante ex eorum cōiunctione; vel tanquàm in medio, & vinculo copulante extrema. Priori modo corpus, & anima in homine vniri dicuntur, & omnis materia, & forma in naturali composito: posteriori verò lapides vniuntur in calce, tabulæ in glutine, &c. Quando ergo asserit D. Thomas, hanc vnionem fuisse maximam ex parte eius, in quo facta est vnio, scilicet, Persona; necessariò debet intelligi de Persona Christi, prout composita, & termino huius vnionis; vel de ipsa simplici Persona Verbi, prout habet rationem nexus, & vinculi, naturam Diuinam, & humanam in eodem supposito coniungentis. Caietanus, Medina, & Suarez priori modo intelligendū censent Diuū Thomam: & ideò consequenter, absolutè, & simpliciter docent, fuisse maximam huiusmodi vnionem. Alij verò, Thomistæ existimant, posteriori modo esse D. Thomam necessariò interpretandum: quia in corpore articuli probas, maximam fuisse istam vnionem ex parte eius, in quo facta est, ex simplicitate, & vnitate Diuinæ Personæ; quam in solutione ad primum dicis, maiorem esse vnitate, & simplicitate ipsiusmet vnitatis, quæ est numeri principium. Tum maximè, quia si per id, in quo facta est hæc vnio, intellexisset D. Thomas Personam Christi, prout compositam, & vnionis huius terminum, non solùm asserere debuisset, maximam fuisse ex parte personæ, in qua facta est: sed etiam ex parte ipsorum extremorum. Implicat enim, quòd resultet compositum maximè vnum, nisi ex maxima extremorum vnione: nam tantò extrema faciunt magis, vel minùs vnum, quantò magis, aut minùs ad eius constitutionem vniuntur. Vnde pro veritatis decisione sit Prima Conclusio.

Prima Conclusio. §. III.

14 VNIO duarum naturarum in Persona Verbi ex parte eius, in quo facta est, est maxima inter omnes, quibus res diuersæ adunantur in vno tertio. (Excipio semper ineffabilem vnionem Personarum Trinitatis in vna essentia.) Probatur autem conclusio: quia tantò maior est aliquorum vnio, quātò simplicius, & magis vnum est medium, quo inuicem vniuntur, & minùs ab extremis vnitis differt: ergo vnio hæc fuit maxima ex parte eius, in quo extrema vniuntur. Maior cum consequentia est euidens. Minor etiam patet, quantùm attinet ad simplicitatem, & vnitatem medij. Quod verò spectat ad minorem eius distinctionem ab extremis, constat: quia subsistentia Verbi non est medium secundùm rem, aut formaliter distinctum ab altero extremo, nempe, Diuina Natura, sed solùm secundùm rationem: omne autem medium in cæteris realibus vnionibus secundùm rem est distinctum ab vtroq; vnionis extremo. Solùm in vnione trium Personarum medium, in quo vniuntur, nempe, Diuina Essentia, identificatur realiter, & formaliter cum omnibus extremis prædictæ vnionis. Ex quo sequitur, solam Trinitatis vnionem, ex parte eius, in quo vniuntur extrema, esse maiorem vnione Incarnationis, hāc verò excedere reliquas omnes. Hanc cōclusionem probant etiam rationes adductæ pro sententia Caietani, Medinæ, & Suarez.

Si verò obijciatur: ex parte eius, in quo fuit facta, nempe, Diuini Suppositi, æqualem fuisse vnionem accidentium in Christo; Respondet Caietanus negando consequentiam; quia ad rationem vnionis non solùm debet attēdi id, in quo fit vnio, sed modus quo fit. Quia verò accidentia in Persona Verbi accidentariò duntaxat vniuntur; ideò minor fuit illorum vnio vnitate substantiali duarum naturarum in eodem Christi supposito. Nihilominùs hæc solutio solùm ostendis, minorem fuisse vnionem accidentium ex parte extremorum, non autem eius, in quo facta est; nempe, Diuini suppositi. Vnde respondetur, ex hac etiam parte non fuisse æqualem accidentium vnionem; quia immediatè, & proximè accidentia in humanitate Christi vnita fuerunt, in supposito autem non nisi mediatè, & remotè. 15

Secunda Conclusio. §. IIII.

VNIO duarum naturarum in Persona Verbi non fuit maxima ex parte extremorum vnitorum. Sic docet expressè D. Thomas in corpore, & ad secundum, vbi dissoluens hoc argumentum Quò magis distant ea, quæ vniuntur: eò est minor eorum vnio: sed duæ naturæ in Christo maximè distant: ergo minor est earum vnio: Respondet; argumentum conuincere, hanc vnionem fuisse minorem ex parte coniunctorum. Vbi cùm apertè nomine coniunctorum intelligas Diuinitatem cum humanitate, prout sunt hypostaticæ vnionis extrema (aliàs insufficiens esset ad propositum solutio) constat; ineptam esse solutionem Caietani asserentis, D. Thomam loqui hîc de his extremis, prout solùm accidentariò vniuntur in ratione causæ principalis, & instrumenti coniuncti. Item D. Thomas in 3. d. 5. q. 1. art. 1. hanc cōclusionem apertiùs tenet, vbi eam ita probas. Tunc vnio est maxima ex parte vnitorum, cùm ea faciunt magis vnum: sed duæ naturæ in Christo non faciunt magis vnum, quàm materia & forma: tum, quia hæc primariò constituunt vnam essentiam, & secundariò vnum suppositum: tum etiam quia inter se sunt proportionatæ, & coaptatæ, vt potentiæ, & actus, essentialiter ordinatæ ad vnius constitutionem: duæ verò naturæ in Christo faciunt tantùm vnum suppositum, & quidem minùs vnum, vt potè constans ex rebus minimè inter se ordinatis, & ad ipsius compositionem naturaliter propensis: ergo vnio harum naturarum in Christo non fuit maxima ex parte vnitorum. Deniq; patet hæc conclusio ex dictis in Commentario à numero. 9. vsque ad. 12. 16

Tertia Conclusio. §. V.

VNIO naturæ humanæ cū subsistentia Verbi non est simpliciter maxima in ratione vnionis. Probatur; quia licèt sit immediata; vnio tamen materiæ, & formæ est etiam immediata, & eam in multis excedit: nam ex vnione materiæ, & formæ resultat 17

resultat vna essentia, quæ simpliciter, & absolutè est magis vna, quàm suppositum resultans ex illa vnione: etenim extrema naturalis compositionis sunt intrinsecè magis vnibilia inter se, quàm natura humana, & Diuinũ suppositũ: nã materia & forma habent naturalem potentiã, & inclinationem ad vnionem substantialem; humanitas verò, & subsistentia obedientialem duntaxat.

17 Confirmatur etiam rationibus pro Durandi sententia adductis: quia per vnionem dicuntur aliqua esse vnum, ratio autem vnius in indiuisione consistit: illa igitur vnio erit maxima, cuius extrema magis intimè fiunt vnum, hoc est, inter se magis indiuisa manent ex vi talis vnionis. Sed sunt aliæ vniones, in quibus extrema fiunt magis vnum, & inter se indiuisa: ergo sunt aliæ vniones essentialiter maiores. Minor probatur: quia in vnione materiæ, & formæ ad constituendam vnam naturam ordinata, hæc extrema fiunt vna formaliter essentia in hac verò vnione duæ naturæ, Diuina, & humana non fiunt vna natura, sed sunt duæ distinctæ completæ essentiæ, habentes distinctas omninò proprietates, & perfectiones. Item materia, & forma magis sunt indiuisæ ex vi suæ vnionis, quàm duæ naturæ vnitæ in Diuina Persona, siquidem materia à forma separari non potest: at verò duæ naturæ integræ, & completæ inuicem separatæ existere possunt.

18 Argumenta proposita pro sententia secunda probãt primam conclusionem, sed quatenus militant contra secundam dissoluenda sunt. Primum diluitur negando, Christum fuisse magis vnum, aut minùs compositum quslibet alia re constituta ex duobus extremis realiter distinctis. Cùm enim quodcumque componens sit magis vnum, ac simplex suo composito, necessarium est, vt humanitas, tametsi ex corpore, & anima physicè cõposita, sit magis vna, ac simplex ipso Christo, quem componit.

19 Ad secundum Resp. vnitatem suppositi constituti ex natura, & subsistentia connaturali, & propria, ex genere suo maiorem esse vnitate physici compositi: vnitatem tamen personæ constitutæ ex natura & subsistentia aliena, qualis est Persona Christi, esse minorem; tum ob maiorem extremorum distantiam: tum etiã propter minorem eorum in ratione vnibilium connaturalitatem, & proportionem.

20 Ad tertium cócedo, vnitatem compositionis, de qua loquimur, exigere realem componentium distinctionem. Hinc tamen non sequitur, vt quò maior est extremorum distinctio, tantò sit maior eorum vnio: aliàs cùm magis inter se differant substantia, & accidens, quàm materia, & forma, maior deberet esse vnitas illa, quam hæc. Maior igitur, vel minor aliquorum vnio non ex maiori, vel minori distinctione eorum entitatiua pensanda est, sed ex maiori, vel minori ipsorum in ratione vnibiliũ proportione, & coaptatione. Vnde cùm materia & forma essentialiter sint magis coaptatæ, vt potè potentia naturalis, & actus, quàm duæ formæ, vel natura humana, & Persona Verbi: ideò maior est vnio materię & formæ, quàm duarum formarum, vel humanitatis cum supposito Verbi.

21 Ad quartum Resp. cum D. Thoma hic in solutione ad vltimum, propositum in argumento sed contra, mutuam naturæ Diuinæ, & humanæ, ac proprietatum ipsarum in concreto prædicationem nõ oriri ex maiori earum vnitate, sed ex identitate suppositi: nam maior est, inquit, vnitas Diuinarum Personarum in essentia, quàm duarum naturarum in Verbo; & tamen Personę Diuinæ, etiam in concreto significatæ, non inuicem prædicantur, sicut duæ naturæ in Christo. Cui addi potest, minorem esse vnionem accidentium in subiecto, quàm materiæ, & formæ; & tamen accidentia in concreto significata mutuò inter se prædicantur, non tamen materia, & forma.

Ex his patet, verissimum esse, quod docet D. Thomas in solutione ad argumentum sed contra, nempe, vnionem Trinitatis simpliciter, & absolutè esse maiorem vnione Incarnationis; at verò secundùm quid hãc esse illa maiorem. Primum docet Bernardus loco citato, & ratio id probat manifestè; quia omnes tres Personæ Diuinæ, quomodocumque sumantur, & qualibet illarum, est vnus Deus, & vna Essentia Diuina, in qua vniũtur. At verò neque illæ duæ naturæ in Christo, neque quælibet illarum est Christus, neque humanitas est Filius Dei, cui vnitur: ergo vnio Trinitatis simpliciter est maior. 22

23 Confirmatur, quia Diuina Essentia, in qua tres Personæ vniuntur, simplicior est, quàm Diuina Persona, in qua sunt vnum illæ duæ naturæ; quia Diuina Persona Verbi, quatenùs vna in duabus naturis, est composita, vt ostensum est articulo. 4. huius quæstionis. Essentia verò Diuina est omninò simplicissima, ergo. Item. Personæ, quæ vniuntur in Diuina Essentia, non distinguũtur ab ea, nisi sola ratione; sed in quibusuis alijs vnionibus est maior, quàm rationis distinctio inter res vnitas; & id, in quo vniuntur, vt inductione constat, etiam in Incarnatione; in qua natura humana realiter distinguitur à Persona Diuina, in qua sit vnio: ergo &c. Rursus. Diuinæ Personæ, quatenùs vniuntur in essentia, sunt quoddam ens maximum, & excellentissimum; ergo sunt vnũ maximũ, & excellentissimũ: quia vnum nullam addit naturã supra ens, sed indiuisionem tantùm.

24 Quòd verò vnio Incarnationis secundùm quid sit maior vnione Trinitatis, explicat exactè Caietanus exponens testimonium D. Augustini supra citatum; quia si extrema vtriusque vnionis in concreto sumantur, hæc inter vtramque inuenitur differentia, quòd in Trinitate extrema, quæ vniuntur hoc est, Personæ Diuinę, quamuis sint omninò idem cum eo, in quo vniũtur, inter se tamen distinguuntur realiter. At verò in Incarnatione extrema, quæ vniuntur, quãuis in abstracto sumpta neque sint idem cum eo, in quo vniuntur, neq; inter se; in concreto verò sunt idem; quia, concreta sumuntur pro suppositis, & ibi vnicum duntaxat est suppositum in duabus naturis: & propter hoc optimè dixit Diuus Thomas edoctus ab Augustino, vnionem Incarnationis secundùm quid esse maiorem vnione Trinitatis. Sed contra hoc est. Eadem est hypostasis, & persona naturarum, quæ in Incarnatione vniuntur; sed in vnione Personarum in Essentia Diuina, sunt diuersæ Personæ, & hypostases, quæ vniuntur: ergo vnio Incarnationis est simpliciter maior vnione Personarum in Essentia. Resp. dignitatem, & excellentiam vnionis desumi simpliciter ex vnitate, & indiuisibilitate illius, in quo fit vnio, quod quidem se habet veluti ratio formalis vnionis. Cùm ergo vnio Diuinarum Personarũ in essentia, à qua sola ratione distinguuntur, excedat 25

vnionem

vnionem Incarnationis, ex hac parte simpliciter est dicenda maior; omnis autem alius excessus est secundùm quid. Argumenta Durãdi, quatenùs aduersantur Primæ Conclusioni, diluenda sunt.

Soluuntur Argumenta Durandi. §. VI.

25 AD Primum argumentum Durandi Resp. tantùm cõcludere, quòd ex materia & forma vnitis plures efficiuntur vnitates, nempe, naturæ, & personæ, sed non efficitur maior vnio ex parte eius in quo vniuntur. Illæ autem vnitates, neque per se singulæ, neque ambæ simul, efficiunt magis vnum, neque tam vnum, quàm est illud vnum subsistens in Natura Diuina & humana, quod in Christo ex coniunctione vtriusque naturæ redundat.

26 Ad secundum Resp. formam corruptibilem nõ posse sine materia consistere, neque materiam sine forma, non prouenire ex eo, quòd intimiùs vniantur in cõposito naturali, quàm duæ naturæ in Christo; sed prouenire ex earum esse imperfecto, quod à se inuicem dependet quantùm ad existere. Humanitas verò cùm sit natura integra, separata à Verbo, potest in proprio esse existere, licet tunc Verbum desineret esse homo, & iam nõ esset Christus; sed inciperet esse alius homo. Et ideò rectè asserit Caietanus, humanitatem Christi separari non posse à Verbo salua extremorum consistentia, quia Verbum desineret esse homo. Itaque, quòd forma dum separatur à materia, desinat esse, non prouenit ex maiori perfectione vnionis, sed ex eo quòd forma habet esse dependens à materia, & imperfectum.

27 Sed instatur. Anima rationalis separari non potest à materia sine eo, quòd & natura humana, & suppositum desinat esse. ergo magis & intimiùs vnita est materiæ, quàm Natura Diuina, & humana iunguntur in Christo; siquidem hæ separari possunt sine desitione alicuius rei. Resp. hoc argumentum, quatenùs inuoluit desitionem humanæ naturæ per separationem animæ, probare quidem, pluribus modis fieri vnum ex anima, & corpore, quàm ex vnione naturæ humanæ & Diuinæ in Christo Domino. Quatenùs verò agit de dissolutione humani suppositi, nihil concludit argumentum, quia etiam natura humana nequit separari à Diuina in Christo sine desitione humani suppositi, vt humanum est. Etenim si illæ duæ naturæ separarentur, iam Persona Verbi ampliùs non esset suppositum humanum, & dissolueretur illud esse hominis, quod per assumptionem resultat.

28 Aduertendum tamen est, in homine aliam esse vnitatem naturæ, & aliã personæ propriæ, & creatæ; istæ enim vnitates ita distinctæ sunt, vt vna ab alia separari possit, vt constat in humanitate Christi: Vbi vnitas naturæ humanæ reperitur sine vnitate personæ creatæ. Quo fit, vt quando ex anima & corpore resultat vnus homo in natura & in persona, quamuis in specie videatur esse vna vnio, tamen secundùm rem sunt duæ, quarum altera est inter partes naturæ, vt sic, quæ ad componendam vnam naturam inter se conueniunt, quæ quidem vnio reperta est inter animã, & corpus Christi: altera verò est totius naturæ cum sua subsistentia. Ex quo sequitur, hanc compositionem, seu vnitatem hominis extensiuè excedere vnionem Incarnationis, quia hæc est tantùm vna, illæ verò sunt duæ, & ob id dicimus, pluribus modis effici vnum ex vnione animæ, & corporis, quàm ex natura humana, & Diuina in Christo. Sed hoc non obstante vnica illa Incarnationis vnio intensiuè est maior quacumq; alia.

Ad tertium negatur, vnitatem essentiæ compositæ ex materia & forma esse maiorem vnitate personæ, formaliter, ac præcisè loquendo, sed potiùs vnitas personæ, quæ resultat ex compositione naturæ cum subsistentia ex suo genere est maior, quàm vnitas resultãs ex materia & forma. Si verò vnitas, vel cõpositio personæ sumatur, quatenùs supponit, vel quandoq; includit compositionem naturæ; sic quodammodò est minor, quia includit in se plures compositiones. Sed hoc modo non rectè fit comparatio, vt per se manifestum est. 29

Ad quartum respondetur concedendo, ex parte eorũ, quæ coniunguntur, maiorem esse vnionem inter materiam & formam, quàm inter Naturam Diuinam, & humanam: quia materia & forma habent inter se maximam proportionem, & coniunctionem; sunt enim actus & potentia, subiectum & forma. Natura autem Diuina, & humana, cùm non habeant talem proportionem, inter se non maximè vniuntur. quod affirmat Caietanus hîc dubitatione secunda, esse per se notum; quia istæ duæ naturæ nõ vniuntur, nisi vt causa, & instrumentũ, quam vnionem constat non esse maximam. Sed hæc sententia Caietani intelligenda est de instrumento coniuncto, vbi iam cõsideratur non vnio instrumenti cũ causa præcisè, sed vnio instrumenti, quantùm ad subsistentiã, & hypostasim cum ipsa causa, quod supra ostẽsum est art. 6. huius quæstionis. Si autem Caietani sententia non ita intelligatur, est manifesta hæresis Nestorij. Ambæ igitur naturæ vniuntur, quatenùs in vna persona conueniunt: sed post vnionem Natura Diuina vtitur humana, tanquàm instrumento. 30

Ad Scotum Resp. quòd licet vnio Incarnationis formaliter non sit secundum operari, sed secundùm esse, vt rectè probat Scotus: nihilominùs sicut possunt inter se comparari vnio substãtialis, & accidentalis ita vt substantialis vnio absolute & simpliciter sit, & dicatur maior quacumque accidentali vnione: sic etiam vnio secundùm esse, & vnio secundùm operari, inquãtùm vna est substantialis, & altera accidentalis, inter se possunt cõparari; & per consequens simpliciter & absolutè vnio hypostatica, quæ est secundùm esse, maior est vnione beatifica, quæ est secundùm operari. Et quãuis in vnione beatifica homo fiat Deus, quia vniuersaliter intelligens est ipsum intelligibile; tamen in hypostatica, & homo est Deus, & Deus est homo. Item, quia in visione beatifica homo est Deus medio aliquo accidenti, nempe media operatione formali intelligendi, & medio lumine gloriæ, at verò in hypostatica, homo est Deus immediatè: quia humanitas absque aliquo medio vnitur Verbo substantialiter. Et ideò Incarnationis vnio simpliciter & absolutè est maior vnione beatifica, & quacumque alia vnione creata. 31

Sed objicitur. Illa vnio est maior, & excellentior, quæ excellentiori naturæ conuenit; sed vnio per gratiam, & amorem cõuenit soli creaturæ rationali, vnio verò hypostatica conuenit etiam creaturæ irrationali. ergo vnio per gratiam, & amorem est maior, & excellentior vnione hypostatica. Confirmatur primò. Vnio hypostatica conuenit creaturæ rationali 32

per id, quod eſt illi commune cum cæteris creaturis, videlicet, eſſe ſubſtantiale: ſed vnio per gratiam, & amorem conuenit illi per id, quod eſt proprium creaturæ rationali, & per quod à cæteris ſubſtantijs diſtinguitur, nempe, eſſe capacem, & conſortem Diuinæ Naturæ per gratiam hoc autem eſt aliquid excellentius, & maius, quàm illud, quod eſt in omni ſubſtantia: ergo. Confirmatur ſecundò: quia gratia habitualis ſanctificat animam, & viſio beatifica replet omni gaudio, & ideò eligibilius eſt, vniri Deo per amorem beatificum, & viſionem, quàm per vnionem hypoſtaticam. Si enim animę Chriſti daretur optio, An vellet magis carere viſione Diuina, amore, & amicitia, quàm hypoſtatica vnione, ſine dubio eligeret ſecundum: ergo vnio beatifica eſt perfectior.

33 Ad argumentum negatur maior, quia ratio ſubſtantiæ perfectior eſt, quàm ratio ſenſibilis, licèt illa poſſit communicari inanimatis, hæc verò ſolis animantibus. Imò ex illa ratione ſequeretur, maiorem perfectionem eſſe, habere ſenſum, quàm ſit vnio hypoſtatica, quia hæc poteſt lapidi communicari, illa verò non. Illa ergo maior perfectio ad ſummũ procedit, vt rectè obſeruauit Caietanus, in connaturalibus perfectionibus, quæ ex proprijs rerum principijs oriuntur, imò debent eſſe perfectiones eiuſdem ordinis, & maximè in his, quæ non ſunt perfectiones ſimpliciter; ſed includunt imperfectionem. Verum eſt tamen, quòd generaliter loquendo vniuerſalior perfectio ex ſuo genere eſt maior, quia eſt ſimpliciter ſimplex. Et ſic eſt in propoſito: quia conſtitutio ſuppoſiti eſt ſimpliciter perfectio, & ſubſtantialis, ac proinde ex ſuo genere eſt maior, licèt pluribus rebus poſsit communicari, quàm viſio, quæ eſt perfectio accidentalis. Item viſio, quatenùs eſt actus vitalis, & ſecundus, quoad modum eſt perfectior ſecũdùm quid vnione hypoſtatica per ſe ſumpta, & ideò ſoli creaturæ rationali poteſt communicari; ſicut nutritio ſimpliciter non eſt perfectior, quàm ratio ſubſtantiæ, vel ſuppoſiti, & tamen propter modum non poteſt eſſe niſi à principio vitali.

34 Ad primam confirmationem negatur conſequentia, quia licèt vnio per gratiam, & amorem ſit aliquid maius, quàm eſſe ſubſtantiale, tamen quod Deus poteſt tribuere creaturæ rationali, quatenùs eſt ſubſtantia, multò maius & excellentius eſt, quàm quod propria operatione conſequi poteſt; nam Deus poteſt creaturæ rationali communicare eſſe Diuinum, quod ipſa creatura ſua operatione conſequi non valet. Itaque ſolùm concludit argumentum, plus perfectionis requiri in creatura ad vnionem beatificam, quàm ad perſonalem.

35 Ad ſecundam confirmationem Reſp. per vnionem hypoſtaticam excellentiori modo ſanctificari, & Deificari animam, quàm per aliud omne donum creatum, quia hæc vnio immediatè coniungit animam, imò etiam corpus Deo, & ſanctificat ſanctitate perſonali. Quòd autem ex illa non ſequatur gaudium niſi media aliqua cognitione, hoc probat, quod ſecũdùm quid viſio beatifica excedit illam, quoniã eſt actus vitalis: ſimpliciter tamen excedit vnio hypoſtatica. An verò ſit eligibilius, Deo hypoſtaticè vniri, quàm per amorem, & viſionem beatificam: quidam affirmant, quia melius eſt, hominem eſſe Deum, quàm frui Deo. Præſertim quòd ex vnione hypoſtatica naturali ſequella conſequitur vnio beatifica. Alij autem negant, & videtur probabilius, vt dicetur Diſputatione ſequente ad ſecundũ, num. 7. Quòd ſi anima Chriſti potiùs eligeret carentiam vnionis hypoſtaticæ, quàm Dei amicitiæ & amoris, hoc non ideò eſt, quia vnio per amicitiam ſit melior, & perfectior vnione hypoſtatica: ſed ex eo quòd Diuina amicitia amitti nõ poteſt, aut offendi ſine peccato, quod nullo modo perpetrandum eſt.

SECVNDA DISPVTATIO.

VTrùm hæc vnio fuerit maxima in ratione perfectionis, ac doni. Vnionem humanitatis cũ Verbo in ratione vnionis non fuiſſe ſimpliciter, & abſolutè maximam, ex diſputatione præcedente conſtat. Modo inquirimus, An fuerit perfectiſsima in ratione entis, ac doni, ita vt nihil perfectius potuerit à Deo fieri, vel maius humanitati concedi. Negatio his argumentis ſuadetur. Primò. Hæc vnio formaliter eſt ſolùm quidam ſubſtantialis modus, vel vnitas ad ipſam conſequens: ergo non eſt maxima in ratione entis, aut perfectionis. Antecedens patet ex dictis, & conſequentia probatur: quia modus eſt eſſentialiter imperfectior, in ratione entis, re, cuius eſt modus, imò & quocumque alio ente, quod habet rationem rei condiſtinctæ à modo.

Quòd autem in ratione doni hæc vnio non fuerit maxima, probatur. Illud donum eſt præſtantius, quod ſecundùm prudentiam eſt magis optabile: ſed ſecũdùm prudentiam optabilius eſt vniri Deo per gratiam, & gloriam, quàm per vnionem hypoſtaticam: ergo maius donum eſt gratia, & gloria. Maior patet: quia ratio appetibilis conſequitur rationem boni, & perfecti; ergo illud ſecundùm prudentiam eſt appetibilius, quod intrinſecè eſt perfectius, & melius. Minor probatur; quia illud eſt appetibilius, quod magis ſatiat appetitũ: ſed vnio per gloriam magis ſatiat appetitum humanitatis, quàm per hypoſtaticam vnionem: ergo magis eſt appetibilis vnio per gratiam, aut gloriam cum Deo, quàm per hypoſtaticam coniunctionem.

Poſtremò. Gratiæ, & gloriæ ſolùm eſt capax natura rationalis, hypoſtaticæ verò vnionis quæcumque ſubſtantia etiam infimi ordinis: ergo in ratione doni perfectiores ſunt eſſentialiter, gratia, & gloria, quàm vnio hypoſtatica. Antecedens conſtabit infra; conſequentia verò probatur: quia illud donum eſt maius, & perfectius, quod ſolùm perfectiori donari poteſt. 3

Propter hæc argumenta Durandus in. 3. diſt. 2. quæſt. 1, Marſilius ibidem quæſt. 3. Richardus quæſt. 4. tuentur negationem, & gloriam eſſentialem tam in ratione perfectionis, quàm doni vnioni hypoſtaticæ præferunt. Oppoſitam tamen ſententiam defendit D. Thomas artic. 10. ſequenti. Et infra quæſt. 4. artic. 1. & in. 3. diſt. 2. vbi reliqui Theologi communiter id ipſum docent expreſſe: cum quibus reſolutoriè aſſerendum eſt, hanc vnionem, tam ſecundùm ſe, hoc eſt, in ratione entitatiuę perfectionis, quàm comparatiuè in genere doni conferibilis cum humanitate, abſolutè, & ſimpliciter maximam fuiſſe. Hanc concluſionem latè confirmat Magiſt. Suarez 4

his

hic Disputatio. Sectio. Sed quia multa miscet falsa, vt infra constabit, breuius, & verius probatur quò ad vtramque partem. Et quidem quò ad primam probatur: quia per hanc vnionem homo verè, & realiter, imò intrinsecè, & substantialiter est Deus, sed nihil potest maius, ac excellentius fieri à Deo: ergo hæc vnio absolutè, & simpliciter est maxima in genere perfectionis, seu entis creati, &c. Quod autem & in ratione doni probatur; quia per hanc vnionem communicata est humanitati substantialiter, & intrinsecè infinita Verbi persona, & ad eius esse ipsa humanitas formaliter est euecta, hoc est intrinsecè Deificata, impeccabilis reddita, Sancta, & infinitè Deo grata, & accepta, sed nullum est possibile, aut imaginabile donũ, quod ita humanitate perficiat: ergo hæc vnio fuit maximũ donũ, quod illi à Deo cõferri potuit. Sed huius cõclusionis veritas magis ex argumentorum solutione patebit.

Ad primum Resp. M. Suarez vbi supra, Paragrapho,
5 Secundo si consideremus, vnionem hanc in se, & præcise consideratam omnium rerum creatarum perfectissimam esse. nam in primis est ordinis superioris, nempe, supernaturalis, in quo omnia naturalia superat. Præterea in hoc supernaturali genere omnia dona supernaturalia excedit, quia ipsa est quid substantiale: hæc verò sunt accidentia. Vnde in forma ad argumentum Resp. cõcesso antecedenti negando consequentiam; quia licet modus naturalis rei sit ea essentialiter imperfectior, modus tamen supernaturalis, cuiusmodi est vnio, optimè potest illã in perfectione excedere. Cæterum hæc Doctrina difficilis videtur; neq; enim potest intelligi, quo pacto modus rei, qui supra illã nihil ferè entitatis addit, sed solum dicit quandam ipsius habitudinẽ, & trãscendentale respectũ in fieri, esse, & conseruari, intrinsecè ab ea dependentem, possit esse perfectior in ratione entis, ee, cuius est modus: aut quomodò res tã debilis entitatis, sicut hæc vnio, possit substantias perfectas, & completas, præsertim intellectuales, in ratione formali substantiæ, aut entis essentialiter excedere? Etenim licet iste modus sit supernaturalis, hæc tamen differentia solum potest illum intra latitudinem sui generis, videlicet, intrinseci modi perficere; non tamen extra illud totaliter euehere, & supra omne aliud genus essentialiter perfectius constituere. Implicat enim, quòd species constituta sub imperfectiori genere, excedat in perfectione essentiali, & entitatiua omnes species sub perfectiori genere contentas. modus autem intrinsecus substantiæ, sub quo, veluti sub genere, hæc vnio essentialiter continetur; est imperfectior, quàm substantia totalis, & completa: imò verò vt Durandus in 1. d. 33. q. 1. eleganter aduertit; tam ens, quàm substantia analogicè dicitur de modis intrinsecis, & essentijs completis.

6 Ad argumentum igitur respondetur, eum Sanctos & Theologi hanc vnionem communiter cæteris rebus præferunt, vel esse explicandos in sensu causali, quasi velint, vnionem hanc dicere perfectissimam, quia ex ea resultauit compositum summè perfectum: vel certè eos de ista vnione loqui, non vt ab extremis præscindit, sed vt ea includit. Vnde vno ex his duobus modis nostra
7 quoque Conclusio est intelligenda.

Ad secundum Resp. optabilius esse, Deo per gratiã, & gloriam coniungi; quàm per hypostaticam vnionem, non quòd perfectius illud sit, sed quia conuenientius. Ratio namque appetibilis conuenientiam rei, potius quàm perfectionem consequitur. In dubium autem reuocari non potest, quin supposito appetenti conuenientior sit vnio per gratiam, quàm hypostatica. Illa enim maximè suppositum perficeret, hæc verò destrueret. Ex quo infertur aduersus nonnullos recentiores, quorum meminimus Disputatione præcedente numer. 35. Deo hypostaticè vniri, non solum non esse secundùm prudentiam magis appetibile, quàm ipsum videre, sed neq; posse vllo modo appeti ab eo, qui vim hypostaticæ vnionis intelligat. Qua ratione. 1. p. q. 63. efficaciter solet ostendi contra Catharinum, Angelum superbè peccare non potuisse, sibi hypostaticã Verbi vnionem appetendo. Si autem quæratur, An si natura propria subsistentia careret, magis Deo hypostaticè vniri desideraret, quam ipsum clarè videre. Resp. Si vnionem istam apprehenderet, vt possibilem, magis eã, quàm Dei visionem appeteret. Neque obstat, quod hæc vnio intellectualem naturã minimè bearet, neque eius appetitum satiaret, sicut Dei visio: nam similiter carere peccato; gratum, & amicum Deo esse; hominem non beat, neque eius explet appetitum. Nihilominùs secundùm prudentiam amicitia Dei potiùs est eligenda, quàm beatifica eius visio, omniũ ferè Theologorũ consensu. Et cum obijcitur. Beatitudo est maxima perfectio: ergo maximè appetibilis. Resp. beatitudinem formalem non esse summam, sed vltimam rei perfectionem; nam vt dicitur. 1. 2. q. 3. Beatitudo non consistit in eo, quod in beato perfectius est, sed in vitali operatione, quam suum vltimum finem assequitur.

Ad tertium Resp. concedendo solam creaturam intellectualem esse capacem gloriæ, vnionis verò hypostaticæ quamlibet completam substantiam, etiam infimi ordinis, vt lapidem. Inde tamen non sequitur, gloriam esse maius donum, quàm vnionem hypostaticam. Primò; quia vnio hypostatica respectu irrationalis naturæ, quæ gratuitæ donationis est incapax, propriè non esset donum: & ita in ratione doni cum gloria concessa creaturæ intellectuali comparari non posset. Deinde, hæc vnio non ita naturam irrationalem perficeret, sicut humanitatẽ perficit: neque enim Sanctificaret illam, aut infinitè gratam, & acceptam redderet, in quo maxima huius doni perfectio consistit, et maior ipsius supra gratiam, & gloriam excellentia. 8

ARTICVLVS X.

Vtrùm vnio duarum naturarum in Christo sit facta per gratiam.

HACTENVS Disseruit D. Thomas de termino, & qualitate huius ineffabilis vnionis; deinceps disputat de causis efficientibus huiusmodi vnionẽ. Possunt autẽ intelligi hæ causæ in triplici differẽtia. Prima potest esse gratia Dei, Secũda meritũ hominis. Tertia ipsa natura humana. De his igitur tribus ordine proposito edisserit. D. Tho. tribus articulis sequẽtibus. Et pro intelligẽtia

præsentis articuli supponit D. Thomas, gratiam tripliciter vsurpari posse. Primò pro gratuita, & liberali voluntate Dei, qua ipse aliquid facit, & habet aliquid gratum & acceptum. Secundò pro dono Dei gratuito, quod gratis à Deo conceditur nullis præcedentibus meritis. Tertiò pro gratia habituali, & gratum faciente. Hoc supposito cōstituit D. Thomas triplicem Conclusionem.

Prima. Si gratia sumatur pro gratuita Dei voluntate & liberalitate, hæc vnio est facta per gratiam. *Probatur ex D. August. lib. 2. de Prædestinatione Sanctorum cap. 15. Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicunque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus: sed homo ille factus est Christus per vnionem ad Diuinā naturam; ergo illa vnio fuit facta per gratiam. Secundò. Natura est eleuata super esse naturale; ergo est ex gratuita Dei voluntate. Tertiò. Vnio Sanctorum ad Deum per coniunctionem & amorem est ex gratuita Dei voluntate; ergo multò magis vnio humanitatis ad Verbum, quæ est excellentior & maior, erit ex gratuita Dei volūtate, Secunda Cōclusio.*

Si gratia sumatur pro dono Dei gratuito, hæc vnio est summa gratia. *Probatur, quia nō est facta aliquibus meritis præcedētibus, sed ex sola Dei voluntate; ergo est gratuitū Dei beneficium.*

Tertia Conclusio. Si gratia sumatur pro dono gratiæ habitualis, vel charitatis, hæc vnio non est facta per gratiam. *Probatur, quia licèt ad perfectè operandum requiratur perfectio potentiæ per habitum: tamen vt natura habeat esse in supposito suo, non est opus aliquo habitu: sed hæc vnio est communicatio ipsius esse personalis Filij Dei, & non aliqua operatio; gratia verò habitualis ordinatur ad operationem: ergo.*

Argumentatur autem D. Thom. Primò. Gratia est quoddam accidens, vt dicitur. 1. 2. q. 110. art. 2. & 3. Sed vnio naturæ humanæ ad Diuinam non est effecta per aliquod accidens: ergo non est facta per gratiam. Respondet, hanc vnionem non esse factam per gratiam habitualem, quæ est accidens animæ inhærens. & rationem assignat, quia gratia habitualis est participatio Diuinæ similitudinis, gratia autem vnionis est participatio esse Diuini, quod est maius: cùm maius quid sit ipsa res, quàm rei similitudo. Cùm igitur humanitas in Incarnatione non participauerit aliquam similitudinem Diuinæ naturæ, sed illi fuerit coniuncta in persona Verbi, ideò hæc vnio non est facta per gratiam habitualē, cùm sit altioris ordinis ab omni gratia habituali.

Secūdò. Anima est subiectū gratiæ, sed in Christo inhabitauit omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter, vt dicitur ad Colos. 2. Ergo illa vnio non est facta per gratiam. Respondet D. Thomas, animam esse subiectum gratiæ habitualis, sed istud donum, quod est vniri, & dicitur gratia vnionis, esse in toto composito. Vnde plenitudo Diuinitatis dicitur in Christo corporaliter habitare, quia Diuinitas est vnita toti, & non tantùm animæ, sed etiam corpori Christi. Vel dicitur habitare corporaliter, hoc est, verè, & non per figuras aut vmbras. Vel tertiò, quia tribus modis habitat, sicut corpus habet tres dimensiones, vno modo per essentiam, præsentiam, et potentiam, sicut est in alijs rebus: alio modo per gratiam gratum faciētem, sicut in sanctis; & tertiò per vnionem personalem, quod est sibi proprium.

Tertiò. Sancti vniuntur Deo per gratiam: ergo si vnio Incarnationis facta est per gratiam, Christus non esset aliter Deus, quàm alij Sancti. Respondet, Sanctos non vniri Deo secundùm subsistentiam & personam, sed tantùm per gratiam habitualem. Hæc autem vnio fit secundùm personam & subsistentiam.

Commentarius,

CIRCA Primam Conclusionem aduertit Caietanus, gratuitam Dei voluntatem dici amorem Diuinum, & liberalem, atque beneuolentiæ, quo Deus aliquid confert alicui absque vlla meriti, & mercedis ratione. Et quia humana natura vnita est Verbo Diuino absque vllo suo merito, & seclusa omni ratione mercedis. ideò hæc vnio dicitur facta per gratiā, id est, per gratuitam Dei voluntatē. Vnde hæc Conclusio iuxta istum sensum est dogma fidei secundùm illud Ioan. 3. ✱ Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. ✱ Assignat autem D. Thomas in hac Conclusione causam efficientem Incarnationis, quam dicit esse solam Diuinam voluntatem, prout eleuat naturam humanam supra totum debitum, & meritum suum: sub qua ratione illa voluntas appellatur gratia; & in hoc genere causæ potest hæc vnio dici facta per gratiam increatam. Vnde solus Deus est proxima causa principalis huius mysterij, ad quod nulla creatura per modum causæ principalis proximæ concurrere potest, Dicitur autem causa principalis proxima, illa quæ per propriam virtutem intrinsecam operatur, etiam si sit causa secunda dependens à Deo, Ratio huius est, quia hæc vnio facta est ad Diuinam Personam sed nulla creatura potest habere virtutem principalem & propriam, vt faciat Deum subsistere in aliena natura; ergo. Et confirmatur: quia nulli creaturæ potest esse connaturale, esse vnitam hypostaticæ personæ Diuinæ; ergo multò minùs potest esse naturalis virtus efficiendi hanc vnionem. Neque potest esse virtus supernaturalis principalis: quia talis virtus deberet esse superaddita & infusa substantiæ creatæ, quia creata substantia per seipsam, nihil habet super-

Digitized by Google

supernaturale; ergo esset virtus accidentaria, ac proinde non posset esse principalis virtus ad efficiendam hãc vnionem substantialem, quæ est ordinis altioris, quàm omnis qualitas supernaturalis. An verò possit creatura assumi à Deo, vt instrumentum Incarnationis, disputabitur statim.

3 Circa secundam conclusionem explicat Caietanus simul cum solutione ad primum; quid sit gratia vnionis, dicens, per gratiam vnionis primò posse intelligi hoc, quod est, humanitatem eleuari ad esse suppositale Verbi. Et hoc appellat Caietanus commutationem passiuam humanitatis eleuatæ. Secundò potest intelligi per gratiam vnionis, relatio vnionis inde consurgens. Tertiò, hoc, quod est, Deum esse hominem substantialiter. Et hoc appellat Caietanus compositionem, & quid creatum. Quartò. Ipsum esse Personale Verbi, quod humanitati communicatum est, & hoc modo gratia vnionis est aliquid increatum, sed tribus alijs modis est aliquid creatum.

4 Quocumque igitur modo sumatur gratia vnionis, est verissima D. Thomæ conclusio, quod est summa gratia, & maximum omnium donorum, quæ & humanitati Christi, & nobis conferri potuerũt. Quod autem iuxta hunc sensum hæc vnio sit gratia, tanquàm dogma fidei tenendum est, secundùm id ad Roma. 5. *Vbi abundauit delictũ, superabundauit & gratia.* Vbi Paulus ipsum Christum, & Incarnationem appellat gratiã. Quasi diceret, secundum Adam cælestem Redemptorem nostrum potentiorem fuisse ad saluandum nos, quàm fuerit primus Adam terrenus ad nos condemnandum. Eundem etiam Christum appellat Ioannes cap. 1. gratiam. *De plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia.* Licet hic locus à multis ita exponatur, vt à Christo, & per Christum gratiam consummatam acceperimus per gratiam inchoatam in hac vita. Multi etiam alij intelligunt hunc locum, vt gratiam adoptionis Filiorum Dei per gratiam vnionis, id est, per Christum, acceperimus.

PRIMA DISPVTATIO. §. I.

1 SVPPOSITO, solum Deum esse potuisse causam principalem physicam Incarnationis, nam cùm hæc actio sit supranaturalis quò ad substantiam, & multò excellentior, quàm productio gratiæ, & transsubstantiatio; sicut repugnat, puram creaturam virtute propria attingere productionem gratiæ, vel transsubstantiationem. sic etiam quòd fuerit principalis causa Incarnationis. Etenim nec fingi quidem potest creatura habens intrinsecam formam, proportionatã termino intrinseco huius actionis; quod sanè necessarium est ad rationem causæ principalis, quæ per formam effectui proportionatam operatur. Hoc, inquã, supposito, est dubitatio de causa physica instrumentali; An Deus se solo; vel interuentu alicuius creati instrumenti physici humanitatem Christi Verbo hypostaticè vnierit. In qua quæstione nonnulli antiqui Theologi, vt refert M. Medina. 3. p. q. 31. art. 4. docuerunt, Beatissimam Virginem fuisse verum, & physicum instrumentum, quo mediante Deus hanc vnionem de facto perfecit. Probatur autem hæc sententia.

2 Primò authoritate Sanctorum Patrum, asserentium per Virginem Deum factum fuisse hominem. Sic Ambrosius Epist. 84. vbi ait. *Per hominem & mulierem caro eiecta est de paradiso, per Virginem verò iũcta est Deo.* Apertius Hiebius homil. 2. de Beata Virgine, vbi absolutè, & sine vlla limitatione docet, Virginem fuisse instrumentum Incarnationis.

3 Secundò probatur ratione. Deus potuit assumere vt instrumentum, Beatissimam Virginem ad efficiendam hanc vnionem: & quòd ita fecerit, cedit in maiorem ipsius Virginis laudem, & Dei gloriam: ergo credendum est, de facto Virginem fuisse sumptam à Deo, vt instrumentum ad efficiendam hanc vnionem. Maior patet: nam quæcumq; creatura, sicut habet potentiam passiuam obedientialem, vt ex ea faciat Deus, quidquid voluerit: sic etiã habet potẽtiam actiuã obedientialem, vt per eam, veluti per instrumentũ, efficiat Deus, quidquid sibi libuerit, vt supra ostẽsum est q. 1. art. 1. Disp. 6. Dub. 6. Cõclus. 1. Maior ex terminis est nota, & probatur cõsequẽtia tũ, quia Deus in ordine supernaturali nũquàm se solo efficit, quod mediante creato instrumento efficere potest; vt patet in productione gratiæ, & aliorum supernaturalium effectuum. Tum maximè, quia simili omninò discursu, & ratione Virginem fuisse à peccato originali præseruatam, probari solet.

4 Tertiò. Non est Virgini denegandum, quòd secũdùm probabilem opinionem conceditur verbis consecrationis: sed secundùm probabilem opinionem communicata est virtus instrumentalis verbis consecrationis ad vniendum corpus, & sanguinem Christi cũ Diuini Verbi supposito; attingunt enim ipsum corpus, & sanguinem Christi, vt Christi est: non est autem corpus, aut sanguis Christi formaliter, nisi prout vniuntur ipsius Verbi supposito, ergo hæc eadem virtus instrumentalis effectiua vnionis humanitatis cum Verbo, fortiori ratione debet Beatissimæ Virgini concedi.

5 Quartò. Beatiss. Virgo fuit verè, & propriè Mater Dei, & Deũ genuit, ac peperit, nõ minùs propriè, quàm reliquæ fœminæ suos filios generare solẽt: sed B. Virgo Deũ propriè generare nõ potuit, nisi humanitatis vnionem cũ ipsa Dei Persona attingeret; ergo de facto fuit illi cõmunicata virtus, qua huiusmodi vnionem attingere valuit. Consequentia patet, & maior est certa secũdùm fidem. Minor autem probatur; quia nequit dici generare Deum, nisi tali generatione ipsam Dei Personam attingat: sed ipsam Dei Personam attingere non potuit, nisi mediante vnione humanitatis; ergo effectiuè attigit ipsam humanitatis vnionem.

6 Dices, satis fuisse, quòd Beatiss. Virgo attigerit humanitatem, per quam formaliter Deus factus est homo, vt verè dicatur, Deum genuisse. Contra hoc est: quia humanitas, vt præscindit ab vnione, nõ est aliquid ipsius Dei; ergo si solùm concurrit B. Virgo ad humanitatem, vt condistinctam ab vnione, non attigit aliquid pertinens formaliter ad ipsam Dei Personam. Ergo ex tali concursu nequit dici Mater Dei, nec verò ipsum genuisse, sed solùm produxisse humanitatem.

7 Confirmatur. Si Deus humanitatem priùs tempore conceptam à Virgine assumpsisset, non diceretur propriè Filius Virginis, neq; ab ipsa substantialiter genitus: ergo neque modò potest dici, nisi præter cõceptionem humanitatis B. Virgo habuerit aliquem concursum respectu vnionis eius cum ipsa Persona Verbi Dei. Antecedens videtur notũ, & cõsequentia probatur:

Circunstantia extrinseci temporis variare non potest rationem formalem actionis:ergo si conceptio humanitatis præcise facta in distincto tempore, non sufficit, vt Virgo dicatur Deum genuisse, neque facta in eodem temporis instanti, in quo vnita est Verbo, sufficit, vt Virgo sit vera Mater Dei.

8 Propter hæc argumenta M. Suarez hic Disput. 10. Sectio. 1. piam, & probabilem hanc opinionem censet. Sed M. Medina vbi supra asserit esse ridiculam, & sine fundamento, imò vt parùm sanum in fide dogma reijciendum. Credit enim implicare, quòd creatura attingat actionem Incarnationis, etiam vt purũ instrumentum. Primò; quia per Incarnationem communicatur humanitati Diuinum esse: sed implicat, creaturã, etiam vt instrumentum, communicare Diuinum esse; ergo & assumi vt instrumentum Incarnationis. Maior cum consequentia patet; & minor probatur: quia quòd alteri effectiuè aliquid communicat, debet illud in virtute, & potentia actiua, principali aut instrumentali continere: sed implicat, creaturam in virtute sua actiua, etiã instrumentali, continere Diuinum esse: ergo & quòd vt instrumentum communicet illud humanitati per Incarnationis actionem: ergo &c.

9 Secundò. Vt agens effectiuè duo extrema inter se vniat, vtrumq; debet subdi potentię effectiuæ, & actioni illius: sed implicat, Personam Verbi, quæ est alterum huius vnionis extremum, subdi potentiæ effectiuæ, aut actioni creati agentis; ergo & quòd creatum agens effectiuè vniat hæc duo extrema, nempe, humanitatem, & Personam Verbi: atq; adeò impossibile omninò est, creaturam assumi, vt Incarnationis instrumentum. Inter has duas opiniones, est media sententia. Vnde pro eius explicatione sit Prima Conclusio.

Prima Conclusio. §. II.

10 PROBABILE est Beatissimã Virginem absolutè potuisse eleuari à Deo, vt instrumentum ad vniendam humanitatem cum Verbo. Probatur, quia nulla in hoc apparet repugnantia. Quod enim Medina inquit, oportere, vt agens, quod esse aliquod efficienter alteri communicat, illud in virtute contineat, verum est, si talis communicatio fiat per actionem productiuam eius, quod communicatur; vel saltem ex parte eius se tenentem: Diuinum autem esse Personale Verbi communicatur per Incarnationem humanitati, nõ quasi per actionem productiuam eius, aut ex parte illius se tenentem, sed per actionem, quæ se tenet ex parte humanitatis, per quam formaliter vnitur ipsi Personæ Verbi. Actionem autem hanc optimè potest pertingere creatura; præsertim à Deo eleuata.

11 Quod verò secundo loco obijcit Medina, non posse agens duo extrema efficienter vnire, nisi illorum vtrũque sit suæ actiuitati subiectum, verum est, cùm talis vnio fit cum intrinseca vtriusque extremi mutatione, & per modum intrinsecum vnionis in vtroque extremo receptum. Quia verò hæc vnio fit cum sola humanitatis mutatione, & per modum intrisecum vnionis, ex parte illius solùm se tenentem: ideò sequitur tantùm, vt sola humanitas subdi debeat necessariò actiuitati creati instrumenti, vt effectiuè valeat illa vniri cum Persona Verbi; tota enim vnitiua actio in ipsamet humanitate, & non in Persona Verbi exercetur.

Secunda Conclusio. §. III.

DE facto B. Virgo à Deo assumpta non fuit, veluti instrumentum ad vniendam humanitatem Christi cum Persona Verbi. Probat M. Suarez; quia priùs ordine naturæ facta est vnio animæ rationalis, & corporis Christi cum Persona Verbi, quàm inter se: sed B. Virgo solùm effectiuè attigit vnionem animæ, & corporis Christi inter se, sicut & reliquę fœminæ; ergo non attigit vnionem eorum cum Persona Verbi. Verùm hæc ratio & falsum assumere videtur, & nihil probat. Primò; quia corpus Christi non priùs fuit assumptum à Verbo, quàm esset capax subsistentiæ, & existentiæ: sed ex vnione cum anima rationali factum est capax Diuinæ subsistentiæ, & existentiæ, ergo priùs est facta vnio corporis Christi cum eius anima, quàm cum Persona Verbi, vt latiùs infra q. 6. constabit. Quòd autem nihil colligat, probatur: quia licèt anima & corpus priùs seorsum vnita fuerint Verbo, quàm inter se; saltem tota humanitas ex vnione harum partium coalescens, nõ potuit priùs vniri Verbo hypostaticè, quàm fuerit producta, & concepta saltem in fieri: ergo ex prioritate assumptionis efficaciter probari non potest, B. Virginem de facto non concurrisse ad vnionem totius humanitatis cũ Verbo, de quo potissimùm est quæstio. 12

13 Probatur ergo conclusio authoritate omniũ Theologorum (nullo excepto) asserentium, Incarnationis opus immediatè fuisse à sola Trinitate perfectum sine vllius creaturæ interuentu, ex quo Theologicum argumentum sumitur. In re graui, qualis hæc est, non licet citra temeritatis notam à communi Scholasticorum opinione discedere sine aliqua vrgenti ratione, aut fundamento: sed in proposito nulla vrget ratio, vel sufficiens fundamentum, ad asserendum, B. Virginem fuisse instrumentũ Incarnationis immediatè attingens vnionem humanitatis cũ Verbo, cõtra communem Doctorum doctrinam cum Magistro in 3. d. 5. ergo &c. Maior patet ex D. Thoma. 2. 2. q. 11. art. 2. Minor verò ex solutione argumentorum patebit.

Soluuntur argumenta. §. IIII.

14 AD Primum ex authoritate Sanctorum Resp. Ambrosium docuisse, carnem fuisse per Virginem coniunctam Deo, nõ quòd hanc vnionem Virgo immediatè attigerit, sed quia in eius vtero, & ex carne ex purissimis eius sanguinibus sumpta, facta fuerit. Et hoc eodem sensu Isichius est interpretandus: non enim accepit instrumentum in ea significatione rigorosa, qua Philosophi sumunt; sed latiori, vt sæpè Patres solent.

15 Ad secundum Resp. non debere tribui Virgini, quidquid nobis gloriosum videtur, nisi vel necessarium sit, vel valdè decens, vt sit vera Mater Dei. Fuisse autem à peccato immunem, valdè Virginem decuit, vt dignum ipsius Dei habitaculum effici mereretur. Ad vnionem verò humanitatis cum Verbo immediatè concurrere, vt vera, aut digna Mater Dei esset, omninò fuisset impertinens, vt ex solutione ad quartum constabit.

16 Ad tertium concedit M. Suarez, verba consecrationis vim instrumentalem habere producendi corpus, & sanguinem

Digitized by Google

sanguinem Christi, & illa immediatè vniendi cum supposito Verbi. Sed primum fortassè est falsum, quia verba consecrationis, vtpotè instituta à Christo, & ab illo immediatè eleuata; ipsum quoad omnem entitatem substantialem productum supponunt, atq; adeò producere non possunt. Sed quidquid sit de hoc primo, secundum nullo modo admitti potest: quia sequeretur, suppositum Verbi Diuini in Eucharistia contineri ex vi Verborum, & non per cõcomitantiam solùm. Id enim ex vi Verborum ponitur sub speciebus Sacramentalibus, quod verba immediatè attingunt ipsa transsubstantiationis actione. Ad argumentum ergo negatur minor.

17 Ad quartum Resp. Non esse necessarium, vt virgo dicatur, & sit vera Dei mater, quòd vnionem hypostaticam humanitatis cum ipsa Verbi Persona immediatè attigerit: etenim quæcumq; creatura potuisset, vt dictum est conclus. 1. eleuari à Deo vt instrumentum ad huiuimodi vnionem immediatè perficiendam; & tamen ex tali concursu nequiret talis creatura dici Mater Dei, aut ipsum genuisse. Solùm ergo requiritur, & sufficit, vt Virgo sit vera Mater Dei, quòd conceperit, & pepererit hunc hominem Christum, qui semper fuit substantialiter Deus.

18 Sed obijcitur, non potuisse hunc hominem, sed hanc indiuiduam humanitatem solùm concepisse, si sua actione nõ attigit vnionem huius naturæ humanæ cum subsistentia Verbi: nam hic homo Deus præter naturam humanam, substantialiter, & intrinsecè includit Diuinam subsistentiam. Resp. Satis esse, quòd virgo attigerit humanitatem à primo suæ conceptionis instanti suppositatam per Verbi Personalitatem. Cùm enim actiones sint suppositorum: idest, vltimatè denominent ipsa supposita, licet immediatè, & proximè ipsam formalem subsistentiam non attingant; sic, vt B. Virgo proximè Christi humanitatem, vltimatè ipsummet Christum Deum verè, & propriè conceperit. Sicut ergo crucifigentes Christum, verè Deicidæ fuerunt; tametsi eorum actio dissolutionem vnionis humanæ naturæ cum Persona Verbi non attigerit, sed ipsam humanitatem suppositatam ab eo: sic B. Virgo verè fuit Mater Dei, tametsi eius actio immediatè, & proximè hypostaticam vnionem non attigerit, sed satis fuit, quòd circa humanitatem in Verbo verè, & realiter subsistentem fuerit versata.

19 Dices, esse disparem rationem de Conceptione humanitatis Christi, & de actione ipsum crucifigentium: hæc enim præsupponebat intrinsecè vnionem humanitatis cum Verbo, fuitq; non solùm naturâ sed tempore illa posterior: vnde formaliter versabatur talis actio circa humanitatem, vt in Verbo subsistentem. At actio, qua Virgo humanitatem cõcepit, ordine naturæ vnionem eius cum Verbo antecessit; quia priùs naturâ humanitas Christi producta est realiter, quàm à Verbo assumeretur: ergo actio, per quam concepta est, priùs fuit completa, & terminata, quàm ipsa humanitas vniretur Verbo: ergo non est formaliter terminata talis actio ad humanitatem, vt in Verbo formaliter subsistentem atq; adeò nullo modo potest suppositum Christi intrinsecè denominari ab hac actione genitum, & ex consequenti B. Virgo ratione illius nec Dei Mater, aut
20 Genitrix. Resp. Negando consequentiam: quia nec reliquæ mulieres immediatè attingũt suo cõcursu vnionem naturarum cum proprijs filiorum subsistentijs; imò neq; vnionem corporum cum eorum animabus, nec dum completas eorum naturas cum proprijs subsistentijs: sed illos generare dicuntur, quatenùs vitali actione materiã aptam formationi fœtus subministrant: hoc est, sanguinem plenè decoctum, & vltimatè dispositum ad humani corporis formationem in vtero suo vitaliter præbent; quod in eodem instanti virtute virilis seminis cum anima coniungitur; vnde vltima resultat hominis essentia, quæ per propriam subsistentiam in eodem temporis momento vltimatè terminatur.
Cùm ergo B. Virgo in Christi Conceptione id totum 21
effecerit, quod reliquæ fœminæ in suorum filiorum generatione immediatè, & proximè præstant: ideò sicut istæ absolutè, & simpliciter suos filios generare dicuntur, & eorum matres propriè esse; sic etiam B. Virgo Christum genuisse, & Dei Mater esse, simpliciter, & absolutè dicetur, eâdem omninò ratione, qua reliquæ
Matres. Etenim sicut in reliquis mulieribus non obs- 22
tat, quominùs per modum causæ partialis generationem Filiorum attingant, quòd ipsarum concursus in genere causæ materialis ordine naturæ vnionem animæ & corporis, naturæ & subsistentiæ propriæ antecedat, quia satis est, quòd ad totius suppositi constitutionem in eodem temporis instanti facti talis concur-
sus ordinetur: ita similiter in Virgine non obstabit, vt 23
per modum causæ partialis generationem Christi veri Dei & hominis attigerit; quòd vitalis concursus, quem ad Christum generandum in genere causæ materialis præbuit, vnionem corporis, & animæ, essentiæ humanitatis cum Diuini Verbi subsistentia ordine naturæ antecesserit. Sufficit enim, quòd prædictus cõcursus per se ordinatus fuerit ad constituendum suppositũ Christi, prout in humanitate subsistens; & quòd in eodem temporis momento completus, & perfectus fuerit per cooperationem Dei supplentis defectum virilis seminis.
Quemadmodum enim vir, & fœmina constituũt adæ- 24
quatum principium generationis huius suppositi, V.G. Petri; sic Deus, & B. Virgo fuerunt totale, & adæquatum principium productionis huius suppositi Christi, prout in humana natura subsistentis. An verò priùs naturâ humanitas Christi fuerit producta, quàm assumpta, & vtrùm actio generatiua B. Virginis terminata sit, antequàm humanitas ad esse Verbi fuerit euecta; examinabitur infra art. 11. huius quæstionis Disput. 1. & q. 17. art. 11.

Ad cõfirmationem Resp. Quòd si humanitas Chris- 25
ti priùs tempore esset concepta à Virgine, quàm Verbo vnita, B. Virgo Deum minimè concepisset, atq; adeò neq; verè fuisset Mater Dei; tunc enim prædicta natura per se existisset, atq; adeò fuisset suppositum, & persona purè creata, ad quam constituendam maternus Virginis concursus vltimatè ordinatus esset, ac proindè non magis Dei Mater foret, quàm mater Petri, vel Pauli, si Verbum eorum naturas modò assumeret destructa propria illorum subsistentia.

SECVNDA DISPVTATIO. §. I.

VTRVM Gratia habitualis fuerit dispositio necessaria humanitati Christi ad vnionem hypostaticam cum Verbo. Affirmatio autem his

1 argumentis ſuadetur. Primò. Maior eſt vnio hypoſtatica, quàm quælibet alia vnio, quæ fuerit inter Deum & hominem; ſed in omni alia vnione eſt neceſſaria aliqua diſpoſitio, ex parte creaturæ, vt ad talem vnionem eleuetur; ergò etiam in vnione hypoſtatica aſsignanda eſt aliqua diſpoſitio, quæ nulla alia eſſe poteſt, niſi gratia habitualis. Maior eſt manifeſta, & minor probatur inductione. Vt homo vniatur cum Deo tanquàm filius adoptiuus, neceſſaria eſt gratia habitualis: item vt Eſſentia Diuina vniatur intellectui beato in ratione ſpeciei, neceſſaria eſt diſpoſitio luminis gloriæ; ergo.

2 Confirmatur: quia in naturalibus vt materia vniatur formæ, neceſſariæ ſunt præcedentes diſpoſitiones, reddentes habilem & idoneam materiam ad huiuſmodi vnionem. in moralibus etiam vt potentiæ vniantur habitibus neceſſarij ſunt actus diſponentes ipſas potentias; ergo etiam in ſupernaturalibus ſicut ad vnionem cum Deo per gratiam eſt neceſſaria diſpoſitio actualis, vel habitualis in anima, & ad vnionem cum Deo per gloriam, & viſionem beatificam neceſſarium eſt ex parte intellectus lumen gloriæ, ipſum eleuans & diſponent ad huiuſmodi vnionem: ſic etiam vt humanitas aſſequatur vnionem cum eſſe Perſonali Verbi, neceſſaria eſt diſpoſitio gratiæ habitualis, eleuans & diſponens ipſam humanitatem ad vnionem. Probatur cõſequentia: quia maior eſt diſtantia & improportio humanitatis ad eſſe Diuinũ perſonale, quàm inter extrema aliarum vnionum.

3 Confirmatur ſecundò: quia aliàs nulla eſſet ratio, cur Verbum potiùs aſſumeret hãc humanitatẽ, quã aliam, ſicut ſecluſis diſpoſitionibus à materia prima, non eſt maior ratio, cur potiùs ſuſcipiat hanc formam, quàm illam.

4 Secundò. Humanitas de ſe non eſt apta & proportionata ad hanc vnionem; ergo debet eleuari, & fieri apta per aliquam diſpoſitionem. Confirmatur primò. Ex parte corporis poteſt intelligi pulchritudo, vel optima eius formatio anteceſsiſſe per modum congruæ diſpoſitionis: ergo ex parte animæ idem poteſt intelligi de pulchritudine ſpirituali, quæ fit per gratiam. Confirmatur ſecundò. Gratia, cùm ſit in eſſentia animæ, non ordinatur immediatè ad operationem, ſed ad conferendum animæ eſſe Diuinum, ſimile naturæ Diuinæ, cuius ipſa eſt quoddam participium, ſed per eſſe naturæ, ſiue per eius participationem optimè diſponitur res ad eſſe perſonale, ergo &c.

5 Confirmatur tertiò. Deus in beatiſsima Virgine ordinauit gratiam habitualem; vt diſpoſitionem conuenientem ad Conceptionem Filij; ergo multò magis ordinauit gratiã habitualem humanitatis à Verbo, aſſumendæ, vt diſpoſitionem ornantem & præparantem eandem humanitatem, vt dignè, & congruè aſſumeretur. Explicatur exemplo. Si Rex ducturus eſſet vxorem inferioris conditionis, priuſquàm illam duceret, eam pro viribus ornaret, ac nobilitaret: ergo Verbum aſſumpturũ humanitatem, priùs eã deificauit per gratiam ſanctificantem.

6 Tertiò probatur ex illo Pſal. 44. *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, proptereà vnxit te Deus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Qui locus à Patribus explicatur de duplici vnctione ſpirituali; & de vnctione, qua per gratiam vnionis vncta fuit Chriſti humanitas, & de vnctione in eadem Chriſti humanitate facta per gratiam habitualem, quæ poſterior vnctio oritur ex priori, & ideò per modum vnius vnctionis refertur à Dauide, & à Paulo ad Hebræ. 1. iuxta illud Ariſtotelicum axioma: Vbi eſt vnum propter aliud, ibi eſt vnum tantùm. Vnum quidem vnitate ordinis, non identitatis. Ex hoc ergo ſic argumentor. In teſtimonio citato aſſeritur, ob id Deum præ cæteris hominibus Chriſtum, vt hominem vnxiſſe, quia dilexit iuſtitiam, & odio habuit iniquitatem: ergo huiuſmodi actus dilectionis iuſtitiæ, & odij iniquitatis fuerunt cauſa prædictæ vnctionis. Sed non potuerunt aliam habere cauſalitatem, quàm diſpoſitiuam. ergo. Vlteriùs. Alij actus, cùm fuerint ſupernaturales, includentes amorem charitatis ſupernaturalis, debuerunt neceſſariò procedere ab habitibus infuſis gratiæ, & charitatis; ergo habitualis gratia Chriſti, vt fuit principium charitatis, & actuum prædictorum, præceſsit in ratione diſpoſitionis vnionem hypoſtaticam.

7 Quartò. Humana natura extremè diſtat à Verbo Diuino, ergo per aliquod medium debuit attingere vnionem cum ipſo. Antecedens patet. quia humanitas eſt natura creata, finita, & ordinis purè naturalis, Verbum eſt increatum, infinitum, & ordinis ſupernaturalis. Conſequentia item patet, quia de extremo ad extremum conueniens tranſitus debet fieri per medium, quod eſt inter vtrumque extremum: ſed gratia eſt huiuſmodi medium; nam eſt forma creata, & non omninò infinita, & eſt ordinis Diuini, & infiniti, in quorum primo conuenit cum humanitate, in ſecundo cum Verbo Diuino, ac proinde eſt medium inter vtrumque extremum. ergo.

8 Quintò. Si contraria ſententia eſſet vera, maximè, quia humanitas in Chriſto non priùs etiam ordine naturæ habuit eſſe exiſtentiæ, quàm eſſet vnita Verbo, atque adeò neque priùs natura fuit capax huiuſmodi accidentalis formæ; quia forma accidentalis præſupponit eſſe exiſtentiæ in ſubiecto: ſed hæc ratio nihil valet, ergo &c. Probatur minor. In inſtanti generationis ſubſtantialis, V. G. ignis, calor priùs naturâ ſuſcipitur in materia prima, quàm forma introducatur in eadem materia, ac ſubinde, priuſquàm materia accipiat eſſe exiſtentiæ à forma ignis, ergo non eſt neceſſarius omninò ille ordo, quem prædicta ratio conſtituit inter eſſe exiſtentiæ, & formam accidentalem. Ergo gratia Chriſti, nihil obſtante illa ratione potuit habere rationem diſpoſitionis antecedentis.

9 Confirmatur primò. Humanitas Chriſti priùs naturâ extitit per propriam exiſtentiam, quàm fuerit Verbo vnita, vt eſt opinio Scoti, & ſectatorum illius: ergo in illo priori potuit gratia priùs recipi in Chriſti humanitate, atque adeò talis gratia potuit habere rationem diſpoſitionis præcedentis vnionem hypoſtaticã. Quòd ſi habere potuit, de facto illam habuit, vel aſsignanda eſt cauſa, cur illam non habuerit.

10 Confirmatur ſecundò, quia non implicat, gratiam eſſe huiuſmodi diſpoſitionem. Probatur. Gratia vnionis, & gratia habitualis in eodem inſtanti ſunt collatæ animæ Chriſti; ergo non implicat, quòd per gratiam habitualem tanquàm per diſpoſitionem effecerit Deus gratiam vnionis. Probatur conſequentia, quia non repugnat, quòd gratia habitualis ſit prior naturâ in

humanitate

humanitate Chriſti, quàm gratia vnionis: ergo potuit aſſumi à Deo, vt diſpoſitio ad illam.

11 Confirmatur tertio. Cauſa diſpoſitiua non ſemper eſt phyſica, ſed interdum moralis, vt patet de actu contritionis, qui eſt in voluntate reſpectu gratiæ habitualis, & tamen ille ordo, vel habitudo moralis ſufficit ad prioritatem naturæ; ergo ſimiliter in præſenti licèt gratia habitualis non eſſet phyſica diſpoſitio ad gratiam vnionis, ſaltem poterit Deus vti illa tanquàm cógruente diſpoſitione morali, vt humanitas ſit decenter diſpoſita ad vnionem: & hoc ſuficit ad prioritatem quandam naturæ.

Referuntur Opiniones. §. II.

12 DE Quæſtione propoſita ſunt variæ Theologorum ſententiæ. Quidam aſſerunt, gratiam habitualem antecedere ordine naturæ in ratione diſpoſitionis vnionem hypoſtaticam, ita vt prius in genere cauſæ diſpoſitiuæ, & quaſi materialis gratia fuerit in humanitate Chriſti recepta, quàm ipſa humanitas fuerit Verbo Diuino perſonaliter vnita. Sic docens Alexander Aleoſit. 3. p. q. 7. membro. 2. art. 1. & q. 12. membro. 1. Gabriel in. 3. d. 2. q. 5. art. 1. Bonauentura. d. 2. q. 2. Dionyſius Carthuſ. eàdem diſt. q. 1. Paludanus ibidem q. 2. Marſilius in. 3. q. 10. art. 1. D. Thomas d. 2. q. 2. Verum eſt, quòd iſti authores non in omnibus conſentiunt. Etenim Alexander gratiam habitualem poſuit medium neceſsitatis, vt humanitas aſſumeretur, & ob id gratiam Chriſti habitualem appellauit gratiam vnionis, quatenùs fuit medium diſponens naturam humanam ad vnionem cum Verbo. Reliqui verò aſſeruerunt, gratiam habitualem fuiſſe medium non quidem neceſſarium, ſed congruum, & decens, ita vt humanitas non aliter, quàm per gratiam habitualem diſpoſita à Verbo fuerit aſſumpta. Oppoſitum tenet D. Thomas in hoc articulo, & infra. q. 7. art. 13. ad. 2. quamuis in. 3. fuerit forſam contrariæ opinionis. Sequuntur D. Thomam omnes eius Diſcipuli, & Scotus in. 3. d. 2. q. 2. Richardus eàdem diſt. art. 2. q. 3. Durandus ibidem q. 3. Suarez art. 12. Diſput. 10. ſectio. 2. Vnde pro reſolutione ſit

Prima Concluſio. §. III.

13 GRATIA Chriſti habitualis non fuit diſpoſitio, neque in aliquo genere cauſæ anteceſſit vnionem hypoſtaticam, ſed omnibus modis fuit ordine naturæ poſterior. Probatur. Si humanitas Chriſti in aliquo inſtanti naturæ præintelligitur diſpoſita per gratiam, antequàm Verbo vnita, ſequitur meruiſſe de condigno hypoſtaticam vnionem ſui ipſius cum Verbo: conſequens eſt contra omnes Theologos in. 3. d. 4. Ergo. Probatur ſequela. In eo inſtanti naturæ in quo humanitas præintelligitur grata, poteſt etiam præintelligi cum habitu charitatis, & actu ipſius; ſed actus charitatis elicitus ab anima grata eſt meritorius de condigno; ergo per iſtum actum poſſet humanitas Chriſti mereri de condigno, vel ſaltem de congruo vnionem hypoſtaticam.

14 Secundò, quia aliàs vnio Incarnationis non eſſet ſubſtantialis, ſed accidentalis, quod eſt contra ſuperiùs determinata. Probatur ſequella, quia ſi gratia habitualis fuit medium, & vinculum, quo humanitas Verbo vniretur; ergo priùs naturâ illud accidens inhæſit Verbo, & fuit hypoſtaticè vnitum, quàm humanitas, atque adeò eſſet vnio accidentalis. Confirmatur. In omni vnione ſubſtantiali, ſiue partium eſſentialium inter ſe ſe, ſiue eſſentiæ cum ſuppoſito, illa vniuntur ſine interuentu alicuius mediæ qualitatis; ſed vnio humanitatis cum Verbo eſt ſubſtantialis: ergo &c.

Tertiò. Prius eſt humanitatem vniri Verbo, quàm habere gratiam habitualem; ergo non vnitur Verbo mediante gratia. Probatur antecedens, quia prius eſt eſſe ſubſtantiale, quàm accidentale, ſed eſſe perſonale eſt ſubſtantiale, eſſe verò gratiæ eſt accidentale; ergo priùs naturâ humanitas habuit eſſe perſonale Verbi, quàm fuerit informata gratia. 15

Quartò. Humanitas Chriſti in eodem inſtanti naturæ, & tam immediatè, & eodem modo ſuppoſitatur à Verbo, quo ſuppoſitaretur à ſua propria perſonalitate, ſi non eſſet aſſumpta; quia Verbum nihil aliud fecit, quàm ſupplere vicem, & officium propriæ & naturalis perſonalitatis, terminando dependentiam humanitatis; ſed priùs naturâ illa humanitas ſubſiſteret propria ſubſiſtentia, ſi illam haberet, quàm afficeretur aliquo accidenti; ergo priùs naturâ eſt Verbo immediatè vnita abſque aliquo accidenti tanquam diſpoſitione interueniente. 16

Confirmatur. Natura ſubſtantialis habet immediatum ordinem ad ſuppoſitum ſubſtantiale, ſicut materia prima habet immediatam habitudinem ad formam ſubſtantialem, quatenùs illi confert eſſe ſubſtantiale, quod eſt primus gradus, quod forma ſubſtantialis tribuit materiæ; ſed materia nullam admittit diſpoſitionem ad formam ſubſtantialem, quantùm ad iſtum primum gradum, propter immediatá habitudinem, quam habet ad ipſam, vt docet D. Thomas. 1. p. q. 76. art. 6. ad 2. Ergo eadem ratione natura ſubſtantialis nullam admittit diſpoſitionem accidentariam ad vnionem cum ſuppoſito ſubſtantiali, ſiue illud ſuppoſitum ſit finitum, ſiue infinitum, nam quoad hoc eadem eſt omninò ratio de vtroque ſuppoſito. 17

Quintò. Humanitas Chriſti non priùs extitit in rerum natura extra ſuas cauſas producta, quàm vniretur Verbo, quia exiſtit per ipſum eſſe Verbi, vt docet D. Thomas infra. q. 17. art. 2. Ergo non fuit priùs naturâ eleuata, & diſpoſita per gratiam habitualem, quàm vniretur Verbo. Patet conſequentia: quia eſſe accidentale, ſiue ſit ordinis naturalis, ſiue ſupernaturalis, præſupponit eſſe exiſtentiæ ſubſtantialis in ſubiecto. 18

Sextò. Omnis gratia habitualis exiſtens in anima Chriſti cóſequuta eſt vnionem humanitatis cum Verbo, iuxta illud ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis:* At quod conſequitur vnionem, nequit eſſe medium & vinculum, quo fiat vnio, ergo vnio Incarnationis non fuit facta media gratia habituali humanitati inhærente. 19

Septimò. Natura ſubſtantialis nulla ratione accidentaria eſt terminabilis à ſubſtantiali ſuppoſito, ſed tantùm eſt terminabilis, inquantùm eſt ſubſtantialis natura; ergo nullã admittit accidentariam diſpoſitionem, ratione cuius fiat terminabilis à ſuppoſito ſubſtantiali, ſiue proprio & creato, ſiue increato, & ſupplente vicem proprij ſuppoſiti. Patet cóſequétia, quia ſi talis ponatur 20

diſpoſitio,

dispositio, iam suppositum immediatè non terminaret naturam substantialem, quatenùs substantialis est, sed mediatè ratione talis dispositionis, hoc est, secundùm quòd est affecta tali dispositione accidentali. Antecedens probatur: quia natura substantialis, vt sic, postulat terminationem suppositalem, aliàs, quandiu est interminata tali terminatione, semper manet imperfecta, & dependens: ergo quatenùs est substantialis natura habet immediatam habitudinem ad suppositum, in quo perficitur, & completur.

21 Postremò. Omne operari, & esse secundùm quid, & existentia accidentis præsupponunt ordine naturæ esse existentiæ, vel subsistentiæ, & esse simpliciter: sed gratia habitualis existens in anima Christi, quæ est illi data mediatè ad operandum, vel immediatè, & sic data est ad esse secundum quid, necessariò supponit suppositum humanum, cuius est operari, & esse simpliciter, sed suppositum humanum non est nisi per vnionem, qua humanitas vnita est ad esse subsistentiæ, & personale Verbi: ergo simpliciter hæc vnio præsupponitur ad omnem gratiam habitualem.

22 Sed obijcitur. Anima Christi est creata à Deo; ergo habet in se aliquam subsistentiam, ratione cuius est terminus illius creationis. Ergo in anima sic creata, & subsistente potuit esse gratia habitualis, disponens & eleuans ipsam. Sed tota humanitas vnita est Verbo mediante anima rationali; ergo tota humanitas vnita est Verbo mediante gratia habituali existente in anima. Resp. Concedendo animam Christi fuisse à Deo creatam, & terminum illius creationis fuisse subsistentiam, sed non aliam, quàm subsistentiam Verbi. Sed contra

23 replicatur. Subsistentia Verbi est increata; ergo nequit esse terminus creationis. Resp. Simpliciter & secundum se, esse increatam: vt verò communicatur, & fit subsistentia animæ rationalis, esse quid creatum, & terminum creationis. Vnde priùs naturâ subsistentia Verbi fit subsistentia animæ rationalis, quàm totius humanitatis, quia vt concludit argumentum, & probat infra D. Thomas q. 6 humanitas assumpta est media anima rationali.

24 Sed iterum obijcitur. Si non media gratia habituali, media tamen gratia actuali inhærente humanitati facta est ista vnio. Probatur: quia ad vniendam humanitatem necessaria est motio supernaturalis, omnis autem motio est aliquid in eo, quod mouetur, & hæc est gratuita: ergo &c. Resp. Quòd sicut motio supernaturalis & gratuita, quæ ad operandum confertur, nihil aliud est, quàm operatio eius, quod mouetur; sic etiam motio supernaturalis, quæ ad essendum tribuitur, non est nisi ipsum esse: & ideò illa motio, vel vnitio, qua humanitas fit in Verbo, non est aliud, quàm ipsum esse humanitatis in Verbo secundùm rem, distincta tamen ratione. Et ob id; quamuis hæc vnitio sit gratia, & vnio fiat mediante ista vnitione, absolutè tamen non dicitur vnio fieri mediante gratia, ne concedatur idem fieri mediante seipso. Vnde cùm D. Thomas hoc negat, non loquitur de motione, sed vnitione gratuita, seu tantùm de gratia habituali: quia hæc realiter distinguitur ab vnione, & de hac erat solùm controuersia.

Secunda Conclusio. §. IIII.

25 Implicat cōtradictionem, gratiam Christi habitualem, vel ex se, vel ex aliqua Diuina eleuatione esse physicam dispositionem, & quasi naturalem ad vnionem hypostaticam. Pro intelligentia huius conclusionis aduertendum est, rationem physicæ dispositionis præuiæ ac præparantis subiectum ad formam, non consistere in hoc solùm, quòd ipsa sit forma realiter & physicè actuans, & perficiens subiectum, sed etiam vt inter illam & formam sit realis, intrinseca, & naturalis connexio, ita vt si illa dispositio sit vltima, nequeat sine illa, seruata rei natura, introduci forma, neque etiam possit, illa posita, non introduci forma, quæ ob naturalem connexionem debetur subiecto ex vi talis dispositionis.

Hoc posito probatur conclusio. Inter formam & dispositionem physicam debet esse intrinseca, realis, & naturalis connexio: sed inter gratiam habitualem, & vnionem hypostaticam non est talis connexio; ergo implicat, quòd gratia habitualis sit physica dispositio ad vnionem hypostaticam. Consequentia patet, & probatur minor: quia gratia habitualis, quantumuis intensa est ordinis inferioris à gratia vnionis, & naturâ sua est compossibilis cum subsistentia creata: ergo ex sua natura neque determinat subiectum, in quo inest, ad vnionem hypostaticam, neque illi debetur debito connaturalitatis. 26

Secundò. Gratia habitualis ex vi suæ naturæ specificæ non ordinatur ad gratiam vnionis, sed ad visionem beatificam, qua consecuta, dicitur consummata, quia iam est in suo proprio & connaturali statu: ergo ex se non est connaturalis dispositio postulās gratiam vnionis. Tertiò. Vnio hypostatica ex sua natura non dependet à gratia habituali, sicut neque propria subsistentia pendet ab aliqua præuia dispositione naturæ: ergo nequit Deus conferre gratiæ habituali habitudinem dispositionis physicæ ad vnionem hypostaticam. Patet consequentia: quia non potest immutare rerum naturas & essentias, in quibus nulla connexio, & habitudo reperitur. 27

Tertia Conclusio. §. V.

HABITVALIS Gratia etiam de potentia absoluta nequiuit esse dispositio præuia moralis ad vnionem hypostaticam. Hæc assertio est contra quosdam iuniores asserentes, non repugnare, quòd per extrinsecam ordinationem agentis potuerit gratia esse dispositio præparans animam ad vnionem, solùm, quia Deus posuit vnam gratiam ad aliam ordinate. Sed probatur conclusio. Primò: quia Deus non potest immutare naturas rerum, sed gratia ex sua natura non est dispositio physica, vt ostensum est, neque moralis, propter easdem rationes ergo fieri non potest à Deo, vt sit dispositio moralis ad vnionem hypostaticam. Patet cōsequentia, quoniam sola extrinseca agentis intentio, etsi possit variare denominationem finis, & medij, vt actu voliti, & electi propter talem finem, cùm hæc habitudo conueniat medio per solam denominationem extrinsecam; nequit tamen variare habitudinem in ratione dispositionis præuiæ, vel consequentis; quia hæc non est posita in sola ordinatione, sed in aliqua alia causalitate, vel physica, vel morali, quæ non ad causalitatem finis, sed ad materialem, vel 28
ad vnam ex alijs debet reduci. Est simile. Contritio ideò 29
est dispositio ad gratiam, vel remissionem peccati, quia

illa,

Digitized by Google

illa, vt posita in homine, seu vt exercita mouet, & determinat, quantum est de se, Deum, ad conferendum effectum gratiæ, & remissionis peccati. Hæc autem ratio, & causalitas dispositionis non consistis, neque potest consistere in hoc tantùm, quòd ab extrinseco agente ordinetur ad aliam formam, sed in hoc potiùs, quòd ratione illius infundatur talis forma, & secundùm aliquam commensurationem ad illam. Sicut dicimus B. Virginem ratione talis sanctitatis & virtutis factam esse dignè capacem Maternitatis Diuinæ, & inclinasse Deum, vt talem sibi dignitatem conferret.

30 Prætereà confirmatur. Vt aliqua sit vera dispositio debet præsupponi existens ad id, ad quod disponit, vt sic possit mouere & determinare agens ad inducendam formam; sed gratia habitualis nequit præsupponi existens ad gratiam vnionis; quia ante illam nō habet subiectum, in quo inhærere possit, neque extrinseca ordinatio Dei potest hoc mutare, non conferendo subsistentiam: quia ille ordo naturæ est intrinsecus ipsis rebus, quæ eædem, & eodem modo manent omninò; ergo ex sola extrinseca ordinatione vnum nequit esse prius naturâ alio in ratione dispositionis, nisi in ipsis rebus secundùm se sit sufficiens fundamentum talis ordinis.

31 Dicendum est ergo, gratiam habitualem ordinatam esse à Deo ad gratiam vnionis, non vt ad finem, qui acquiritur, sed vt ad finem, cui inseruiat, sicut proprietates ordinantur ad essentiam, à qua dimanant, vt ad finem. Neque potest gratia habitualis ordinari ad vnionem, vt dispositio præparans ad formam, quia non intelligitur, vt determinans Deum ad inducendam talem formam. Neque ipsa etiam vnio intelligitur fieri secundùm aliquam commensurationem ad talem gratiam habitualem, sed potiùs è contrario gratia intelligitur conferri proportionata vnioni, iuxta illud Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.*

32 Sed obijcitur. Deus potuit velle, vt gratia vnionis penderet à gratia habituali, ita vt non aliter vellet facere vnionem hypostaticam, nisi in anima habente talem gratiam; ergo &c. Resp. Quòd si per dependentiam intelligatur illa mutua connexio inter illas duas gratias in ordine ad voluntatem Dei operantis: sic potest Deus has gratias cum illa cōnexione efficere, vnam ad aliam ordinando in ratione medij, aut finis. Sed nequit aliquem causalitatis ordinem inter illas instituere, quæ non solùm in eis non habeat fundamentum, sed etiam repugnet modo existendi earum, & intrinseco ordini, quem habent inter se. Repugnat autem, quòd habitualis gratia fiat dispositio ad vnionem, quia necessariò supponit vnionem, sicut substantia animæ est necessariò connexa cum intellectu, & vt sic potest dici, quodammodò ab illo pendere. Nihilominùs intellectus nō dicitur dispositio præuia ad animam, sed proprietas, & dispositio consequens, & ornans animam. Ita similiter non est volita à Deo illa connexio tanquàm dispositionis præuiæ, sed tanquàm proprietatis necessariò consequentis.

33 Sed instatur. Gratia habitualis ex se & ex sua natura non postulat, vt sit proprietas gratiæ vnionis, neque est proprietas physica, cùm ab illa physicè non manet; sed Deus sua voluntate potest facere, vt sit proprietas moralis: ergo potest efficere, vt sit moralis dispositio. Resp. Negando consequentiam, quia licèt gratia habitualis ex sua natura non requirat gratiam vnionis, neque exigat esse proprietatem illius; nihilominùs gratia vnionis, quando est, postulat gratiam habitualem, siue vt proprietatem physicam, siue moralem debitam, & ad hoc causalitatis genus nulla est in ipsis rebus repugnantia, sed maxima proportio, quia vbi hæ duæ gratiæ coniunguntur, vnio simpliciter præsupponitur, & est naturâ prior, ac proinde per nullam potentiam fieri potest, vt illa gratia sit dispositio, neque physica, neque moralis ad vnionem hypostaticā, cùm omnibus modis
præsupponat illam. Imò addiderim, etiam si Christi 34
humanitas per propriam & sibi connaturalem existentiam existeret vnita Verbo, & per eandem præextitisset antè vnionem hypostaticam, adhuc in illo priori naturæ, quo vnioni præexisteret, non posset gratia habituali ornari, vt esset disposita morali congruitate ad hypostaticam vnionem: quia natura substantialis nullius accidentis est capax, priusquàm suppositaliter terminetur. Etenim antè huiusmodi terminationem & suppositale complementum natura substantialis potiùs est subiectum, Quo, quàm subiectum, Quod, & prætereà est imperfecta, & incompleta in suo esse substantiali. Complementum autem substantiale præsupponendum est ad omnem accidentariam naturæ affectionem, & dispositionem.

Sed contra replicatur. De potentia Dei absoluta po- 35
tuit creari humanitas in propria personalitate, & ordinari, vt suis actibus tantam obtineret gratiam, qua se disponeret ad vnionem hypostaticam tali tempore, vel momento recipiendam; ergo in vno instanti potest Deus sua voluntate hanc gratiam conferre cum tali ordine dispositionis. Resp. Concesso antecedenti negando consequentiam, quia in tali casu illa esset dispositio remota, non proxima: sed cōsiderando illam gratiam, & actus eius, vt sunt, vel conseruantur in eodem instanti, in quo vnio hypostatica perficitur in tali natura, vt sic non haberent rationem dispositionis, sed tantùm proprietatum, vel effectuum consequentium vnionem, quoniam, vt tunc existunt, vel conseruantur, omninò præsupponunt vnionem.

R. Ad Argumenta. §.VI.

AD Primum argumentum principale concessa 36
maiori, negatur minor, si intelligatur de potentia absoluta. Etenim licèt in omnibus illis exemplis requiratur dispositio præuia ad vnionem, hoc tamen est verum duntaxat de potentia Dei ordinaria, non absoluta, secundùm quam in naturalibus forma in materiam benè potest introduci absque præuia dispositione: & in moralibus habitus coniungi possunt potentijs absque præuijs actibus, & in filiatione adoptiua potest gratia saltem sine dispositione actuali communicari animæ, sicut fit in paruulis. Et denique visio beata potest intellectui absque lumine gloriæ communicari, vt est quorundam opinio. Et quia in hoc mysterio tota ratio facti est potentia facientis, ideò nulla requiritur gratiæ habitualis dispositio, cuius interuentu vnio cum humanitate fiat, imò neq; dari potest etiam de potentia absoluta, vt ostensum est.

Secundò

37 Secundò Resp. Quòd licèt in omnibus prædictis exemplis requiratur præuia ad vnionem dispositio, ita vt interdum repugnet fieri sine tali dispositione, vt de visione beatifica quidam opinantur, est tamen de illis diuersa ratio, atque de vnione hypostatica: quia omnes aliæ vniones aut fiunt ad operandum, & tunc saltem ad perfectam operationem est necessarius aliquis habitus, vel dispositio: aut fiunt ad esse per informationem, vel inhærentiam alicuius formæ, & tunc necessum est, vt contraria forma per præuiam dispositionem expellatur. Vnio verò hypostatica non consistit in operari, sed in esse, & in esse non per informationem, vel inhærentiam, sed per solam terminationem dependentiæ humanitatis: & ideò non requiritur præuia dispositio, vt humanitas Verbo vniatur, quia nulla est forma contraria, quæ expellatur.

38 Hæc solutio colligitur ex Caietano in commentario huius articuli, vbi constituit differentiam inter vnionem personalem Verbi, & inter vnionem Diuinæ Essentiæ cum intellectu beato: quòd hæc fit per eleuationem ad cognitionis & amoris operationes. Illa verò per eleuationem naturæ humanæ ad esse personale Verbi. Et ideo ad primam vnionem requiritur, quòd potentia sit perfecta per habitum: ad hoc autem quòd natura sit in suo supposito, nullus requiritur habitus. Aduertit etiam Caietanus, eodem modo se habere humanitatem Christi ad Personam Verbi, sicut se haberet ad propriam personam, & quemadmodùm inter naturam & proprium suppositum nullus habitus exigitur; ita inter humanitatem Christi & Personam Verbi, nullus habitus intercedit. Eandem solutionem docet M. Medina. 3. p. q. 7. artic. vltimo.

39 Sed pro maiori explicatione prædictæ solutionis aduertendum est, quòd Verbum Diuinum in Incarnatione complet & terminat naturam humanam, & supplet rationem complementi personalis, ita vt ibi non sit complementum personale, sed Diuina Verbi subsistentia complet & terminat naturam sublatis imperfectionibus. Item esse Verbi actuat & terminat essentiam humanitatis, sicut terminaret esse humanum, seclusis imperfectionibus, & ita supplet rationem humani esse. Hoc præmisso dicendum est, Diuinam Essentiam vnitam in ratione speciei intelligibilis vniri quidem vt formam materiæ: quia intellectus habet rationem materiæ, & potentialitatis, species verò intelligibilis habet rationem formæ. Inter materiam autem & formam semper mediat dispositio ex parte materiæ ad formam recipiendam. At Verbum Diuinum vnitur humanitati in ratione subsistentiæ, & complementi personalis, sicut natura vnitur supposito. Inter complementum ve-
40 rò personale & naturam, & inter suppositum & naturam, nulla exigitur dispositio. Etenim inter materiam & formam hominis mediat dispositio, quæ non requiritur inter naturam & suppositum; ac proinde ad vnionem Verbi cum humanitate nulla exigitur dispositio.

41 Rursus. Verbum vnitur humanitati in ratione actus essendi sublatis imperfectionibus, & in ratione essendi simpliciter & absolutè loquendo, sicut esse vnitur essentiæ. Inter esse autem & essentiam nulla mediat dispositio, imò ad actum essendi, prout actuat formam, quantùm ad primum gradum, non est necessaria dispositio, quia prius simpliciter est, quòd aliquid sit, quàm quòd sit tale. Quò fit, vt in vnione Verbi cum natura humana nulla sit dispositio necessaria, quia vnitur ad esse, & in esse, sublatis imperfectionibus, & in esse simpliciter, & absolutè, nã Verbũ Diuinũ dat esse simpliciter humanitati. Cæterùm Diuina Essentia cũ intellectu beati nó 42
vnitur sicut esse cum essentia, sed sicut materia cum forma, & species intelligibilis non dat intellectui esse simpliciter, sed esse tale, nempe, esse intelligibile: nam iam supponit intellectum esse, & confert illi tale esse, nempe, esse intelligibile in ordine ad tale obiectum, & sic potest intelligi aliqua dispositio ex parte intellectus ad hoc, quòd illi vniatur talis forma intelligibilis: sicut postquàm forma actuat materiam quantùm ad esse simpliciter, ad gradus subsequentes potest intelligi dispositio. Humanitas verò cùm habeat esse simpliciter 43
per esse verbi, & nequeat intelligi, quòd sit, antequàm intelligatur, quòd esse Verbi sit illi vnitum: ideò nulla dispositio, vel qualitas potest in ipsa natura intelligi, antequàm sit Verbo vnita: quemadmodùm humanitas non priùs intelligitur producta creatione, vel generatione, quàm intelligatur vnita Verbo: vt latiùs constabit art. 11. sequenti Disput. 2. Ex dictis manet solutum primum argumentum cum prima confirmatione.

Ad secundã Resp. Ex parte humanitatis assumptæ nõ esse maiorem rationem, cur illa assumatur, quam alia quæcumque: sed hoc totum prouenit ex gratuita Dei voluntate, atque adeò hoc fuit summa gratia humanitati concessa. 44

Ad secundum Resp. Humanitatem non esse aptam ad vnionem hypostaticam negatiuè, idest, ex se non habere aptitudinem, vt vniatur Verbo, sed non esse ineptam & improportionatam contrariè, & ideò nulla indigere dispositione, vt auferatur illa negatiua ineptitudo. Vnde si humanitas priùs tempore, vel naturâ, quàm Verbo vniretur, esset ornata gratia, & alijs donis supranaturalibus, tam inepta esset vnioni, atque est impro- 45
portionata ex sua propria natura. Ratio est, quia suppositum Diuinum, quatenùs supplet vicem suppositi humani, non vnitur humanitati, prout est eleuata, per gratiam, sed immediatè vnitur illi, prout est talis natura substantialis, & ideò gratia tunc ibi interueniret concomitanter, & veluti per accidens; quia Verbum in ratione suppositi terminantis humanam naturam non respicit gratiam, quatenùs ipsam humanitatem disponit ad vnionem hypostaticam, quoniam inter suppositum & naturam substantialem est immediata habitudo. 46

Ad primam confirmationem concesso antecedenti negatur consequentia, quia pulchritudo spiritualis, quæ fit per gratiam, potiùs est dispositio consequens, & ornans, quàm præparans. 47

Ad secundam confirmationem Resp. Gratiam habitualem quodammodò ordinari ad operandum, vt principium, quasi principale, & primum. Item vt confert esse participatum Diuinæ Naturæ, non est congrua dispositio præparans ad vnionem substantialem in subsistentia Diuina non participata, sed vera, & increata. Illud enim esse, quod confert, est accidentale, quod supponit esse substantiale, & in Christo supponit ipsam vnionem, tanquam radicem, à quo suo modo dimanat. 48

Ad

Digitized by Google

49 Ad tertiam confirmationem negatur consequentia, & pro intelligentia aduertendum est, duplicem esse dispositionem formæ, alteram aptantem subiectum ad formam, & prius tempore, vel naturâ illud præparantem. Alteram verò nõ præparantem subiectum ad formam, sed subiectum informatum ornantem, & perficientem, vel vt melius se habeat, vel vt melius operetur. Priori modo, gratia habitualis non est dispositio ad vnionem hypostaticam, sed proprietas consequens illam, quam in nullo genere causæ antecedere potest, vt docet D. Thom. infra q. 7. art. 13. ad. 2. dicens. *Illa, 50 quæ in instanti fiunt, proprietates consequentes formam, non intelliguntur naturâ illam antecedere.* Posteriori modo potest gratia dici dispositio humanitatis vnitæ Verbo, non quidem ad vnionem, sed ex vnione, sicut dicit idem D. Thom. q. 7. art. 13. in corpore, & ad secundum, hanc gratiam in Christo ordinari ad vnionem, vt ad finem, non tanquam gratia (sic enim ordinatur ad operationem) sed vt ad finem, Cui, nempe, quia deseruit, & congruit vnioni. Et q. 8. art. 5. ad. 3. ait, gratiam habitualem efficere congruitatem ad vnionem, non antecedenter, sed consequenter, sicut si Rex ducat vxorem vilis conditionis, & ideò illam ornet cultu Regio: vel sicut pulchritudo est dispositio corporis humani perficiens, & ornans, non præparans.

51 Ad tertium argumentum principale negatur, illa Verba, Propterea vnxit te Deus, &c. Importare causalitatem materialem, vel dispositiuam: sed tantùm designare finalem, vel quasi finalem causam, & consequentem ad ipsam spiritualem humanitatis Christi vnctionem, ita vt sit sensus: Propterea vnxit te Deus &c. Vt diligeres iustitiam, & odires iniquitatem. Sic explicat D. Augustin. hunc locum in eius enarratione.

52 Ad quartum concesso antecedenti negatur consequentia, quia licet humanitas extremè distet à Verbo, per nullum tamen medium potest ad eius vnionem peruenire, quia nullum est tale medium, sed immediatè Verbum humanitati vnitur complens capacitatem, quæ in ipsa est ad talem vnionem, & actuans eam potentiam obedientialem, per quam natura habet immediatum ordinem ad Verbum, tanquam ad suppositum, quod vicem humani suppositi supplet. Cùm verò instatur, quòd gratia habet rationem medij, dico esse verum, secundùm ordinem naturæ, & perfectionis, sed non habet rationem medij dispositiui ad vnionem hypostaticam propter immediatam habitudinem naturæ ad suppositum.

53 Ad quintum Resp. Illam rationem non esse fundamentalem, esse tamen sufficientem ad confirmandam nostram sententiam. Fundamentalis autem ratio est, quòd repugnat vnioni hypostaticæ, suppositum terminare naturam, prout est affecta aliqua accidentaria forma, quia inter suppositum, & naturam substantialem est immediatus ordo.

54 Ad impugnationem Resp. Quòd nulla dispositio accidentalis ordine naturæ præcedit in materia primâ introductionem formæ substantialis quantùm ad primum gradum, quem materiæ confert ipsa substantialis forma. Primus autem gradus est esse substantiale formale, quod necessariò presupponitur in subiecto ad quodcumque esse accidentarium.

Pro maiori intelligentia huius solutionis aduertendum est ex D. Thoma. 1. p. q. 76. art. 6. Quod ad primum gradum formalem, quem tribuit forma substantialis, nulla accidentia præcedunt in materia: ad reliquos autem gradus formales præintelliguntur accidentia in ratione dispositionum, ita vt accidentia, quæ primum gradum consequuntur, disponunt ad gradum secundum, & quæ sequuntur secundum gradum, disponunt ad tertium, & sic de alijs. V. G. accidentia, quæ sequuntur in generatione hominis ad esse substantiale, disponunt ad esse corporeum, & quæ ad esse corporeum sequuntur, disponunt ad esse vegetatiuum. 55

Ratio verò, quæ D. Thomam mouet, ad asserendum, nullam dispositionem præcedere ad primum gradum formalem, ea est, quòd inter materiam primam, & formam substantialem, inquantùm tribuit illum primum gradum formalem, videlicet, esse substantiale, est immediata habitudo, atque adeò materia seipsa absque vlla media dispositione vnitur formæ substantiali, quantùm ad istum primum gradum: ad vlteriores verò gradus materia non est ex sua natura determinata, & ideò exigit dispositiones, quibus determinatur. Hæc autem ratio nostro proposito facilè accommodatur, quia natura substantialis seipsa est determinata ad suppositum, siue ad modum suppositi constitutiuum (qui dicitur modus suppositalis) atque adeò nulla indiget media dispositione, vt vniatur supposito, & per ipsum suppositalem modum compleatur, & terminetur. 56

Ad primam confirmationem, negatur antecedens, vt latiùs ostendetur articulo sequenti Disput. 2. & q. 17. art. 2. Ad secundam Resp. Implicare contradictionem, quòd gratia habitualis sit prior in humanitate Christi, quàm gratia vnionis propter intrinsecam, & inseparabilem habitudinem, & ordinem, quo secundum propriam rationem, seu ordinem naturæ præsupponit vnionem in tali natura, quæ propria subsistentia caret: sicut est imposibile, vt in natura habente propriam subsistentiam gratia, aut alia forma accidentalis sit dispositio præuia ad ipsam subsistentiam, quoniam substantiale complementum præsupponitur ex sua natura ad omnes accidentarias perfectiones: qui sanè ordo est à rebus inseparabilis, quia ab ipsis non distinguitur. Et quia ante subsistentiam natura non intelligitur habere statum, in quo possit accidentia sustentare. Hic autem ordo repugnat directè ordini dispositionis præuiæ. 57

Ad tertiam confirmationem concedendum est, posse dari causam dispositiuam moralem, cum aliqua prioritate naturæ in eo genere causæ respectu sui effectus. Sed negatur, huiusmodi causalitatem posse communicari gratiæ respectu vnionis. Imò verò, quia hæc causalitas, licèt moralis, aliquam prioritatem requirit, & præsuppositionem in existendo: ideò repugnat, huiusmodi causalitatem gratiæ habituali communicari. 58

(.*.*.)
(*)

ARTICVLVS XI.

Vtrùm vnionem Verbi Incarnati aliqua merita præcesserint.

PRIMA *Conclusio.* Christus Dominus non meruit hanc vnionem. *Probatur; quia operatio meritorum Christi subsequuta est vnionem: ergo non præcessit illam, vt meritum eius; neque enim priùs fuit purus homo, & per meritum obtinuit, vt esset Filius Dei, vt voluit Photinus.*

Secunda Conclusio. Nullius alterius hominis opera fuerunt meritoria de condigno huius vnionis. *Probat D. Thomas in argumento sed contra ex Augustino lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 15. vbi ait. Siquis inueniret merita huius vnionis, inueniret etiam in nostra regeneratione. Sed in hac non sunt merita iuxta illud ad Titum* 3. Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis: *ergo. Secundò: quia meritum hominis ex se solùm ordinatur ad beatitudinem: ista verò vnio personalis superat vnionem beatitudinis, & est bonum alterius ordinis. Tertiò, quia gratia nequit cadere sub merito, cùm sit merendi principium; ergò neque Incarnatio, quæ est principium gratiæ, cadit sub merito; iuxta illud Ioan. 1. Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est. Quartò, quia Incarnatio est reformatiua totius humanæ naturæ; sed nullus homo potuit mereri reformationem totius naturæ humanæ: ergo neque Incarnationem, per quam ipsa reparatur. Minor patet: quia bonum singularis hominis nequit esse causa boni totius naturæ.*

Tertia Conclusio. Sancti patres meruerunt de congruo Incarnationem Christi desiderando & petendo illam. *Quia congruum erat, vt Deus homines sibi amicos, & obedientes exaudiret.*

Primum argumentum D. Thomæ desumitur ex Glossa Interlineari super illud Psal. 32. Fiat misericordia tua Domine super nos, &c. *Vbi insinuatur desiderium Prophetæ de Incarnatione, & meritum impletionis; ergo Incarnatio cadit sub merito. Respondet cadere sub merito congrui Sanctorum Patrum.*

Secundum. Quicumque meretur aliquid, meretur id, sine quo illud habere non potest; sed antiqui Patres meruerunt vitam æternam, ad quam sine Incarnatione Verbi peruenire non poterant, vt docet D. Gregorius lib. 13. Moral. cap. 20. circa finem: ergo meruerunt Incarnationem. Respondet negando maiorem; quia multa sunt, quæ non solùm, requiruntur ad præmium, sed etiam ad meritum præsupponuntur, sicut Dei bonitas, & gratia, & ipsa hominis natura, & similiter Incarnatio, quæ est principium meriti; quia, vt dicitur Ioan. 1. De plenitudine Christi omnes accepimus. *Et ideò falsum est, omne illud cadere sub merito, sine quo præmium esse non potest.*

Tertium. B. Virgo meruit portare Dominum omnium, quod sanè per Incarnationem effectum est; ergo Incarnatio cadit sub merito B. Virginis. Respondet, beatissimam Virginem meruisse concipere Christum, & esse Matrem Dei, non quidem merendo Incarnationem, sed merendo ex condigno illum puritatis, & sanctitatis gradum, quo congruè posset esse Mater Dei.

Commentarius.

PRIMA Conclusio dupliciter potest intelligi. Vno modo, vt sit contraria errori hæreticorum asserentium, Christum prius tempore fuisse purum hominem, quàm esset Filius Dei, & in illo priori tempore meruisse, vt à Deo assumeretur in Filium Dei adoptiuum, singularissima quadam gratia nulli alteri concessa. Et in hoc sensu conclusio D. Thomæ est certa secundùm fidem, & contrarius error damnatur in Concilio Niceno, & in Ephesino. 1. Contra Photinum, & Paulum Samosatenum, & Cherintum. De quo legendus est D. Ambrosius lib. de Fide ad Theodosium, Damascenus lib. 3. Fidei, D. Thomas. 4. Contra Gentes cap. 28. Secundo modo potest accipi, vt iacet, sed adhùc in hoc sensu potest bifariam intelligi: vel quòd de potentia ordinaria Christus per humanitatem, quam modo habet, non meruerit, neque mereri potuerit suæ humanitatis assumptionem; vel quòd de potentia etiam absoluta id non potuerit. Dixi per humanitatem, quam modò habet, quia per aliam humanitatem, vel per aliam vnionem alterius naturæ, siue humanæ, siue Angelicæ, potuisse mereri vnionem, siue Incarnationem, quam modò habet, certum est. Dixi secundò per humanitatem, quia per Deitatem, quæ Incarnationem præcessit, illam mereri non potuit, quia mereri est indigentis, & subditi, Deus autem vt sic nullius indiget, neque alicui potest esse subiectus. Tum etiam, quia aut mereretur illam per actionem ad intra, vel ad extra: non ad intra, quia omnis talis est omninò naturalis; non ad extra, quia omnis talis est totius Trinitatis, & tota Trinitas non habet, à quo possit mereri. In vtroque igitur sensu disputanda est, & aperienda præsens quæstio. Vnde sit

PRIMA DISPVTATIO. §. I.

AN Christus Dominus meruerit suam Incarnationem. Et pars affirmãs probatur primò ex illo Apocal. 5. Dignus est Agnus, qui occisus est accipere

accipere virtutem & Diuinitatem, per mortem. Ergo & per alia excellentissima opera dignus fuit Christus accipere Diuinitatem, quam non aliter accepit nisi in Incarnatione.

2 Secundò. Meritum Christi fuit infinitum, vt constabit infra. q. 19. Ergo proportionabiliter debet illi respondere præmium infinitum. Ergo incarnatio & vnio hypostatica, quæ est infinitum bonum, ex ea parte, qua dicit gratiam vnionis, debet esse præmium proportionabiliter respondens meritis Christi.

3 Tertiò. Non repugnat, præmium antecedere, & esse prius merito talis præmij, vt constat; nam gratia collata Patribus antiquis ex meritis Christi, erat verè præmium meritorum Christi, & tamen multo tempore antecessit ipsa merita Christi: ergo etiam non repugnat, Incarnationem, etsi antecesserit tempore merita Christi, esse factam ex virtute talium meritorum.

4 Confirmatur primò. Fieri potuit, vt Christus per opera subsequentia Incarnationem meruisset ipsam; ergo possibile fuit prædictum meritum, atque adeò non est Christo denegandum, cum pertineat ad excellentiam meritorum ipsius. Probatur antecedens; quia non impedit, rationem meriti esse posterius præmio, vt constat; quia Christus meruit gratiam & gloriam antiquorum patrum, quæ multo tempore præcesserunt ipsa Christi merita, & satis fuit, in Diuina præscientia antecessisse Christi merita, ex quorum præuisione tribuit Deus patribus gratiam & gloriam; ergo similiter Christus potuit mereri suam Incarnationem per opera facta post ipsam Incarnationem, & satis est horum operum præcessio in Diuina præscientia.

5 Confirmatur secundò. Homo potest aliquod præmium mereri, V. G. equum, propter bonum vsum futurum illius, eo quòd dans equum scit, benè vsurum illo: ergo potuit Christus per opera subsequentia incarnationem, eandem mereri.

6 Quartò. Antè Incarnationem intelligitur ordine naturæ aliquis actus bonus & meritorius in Christo; ergo talis actus potest etiam intelligi vt meritorius ipsius Incarnationis, eo modo, quo intelligitur antecedere ipsam Incarnationem. Probatur antecedens, nam antè Incarnationem intelligitur gratia, & sanctificatio Christi, quæ sunt veluti dispositiones ad ipsam Incarnationem, & hæc sanctificatio facta est per actum proprium Christi, vt docet expressè D. Thom. infra q. 34. art. 1. & 2. Ergo antè gratiam, & Incarnationem intelligitur in Christo actus proprius, qui absque dubio erat bonus, & meritorius.

7 Confirmatur primò. Natura humana Christi ordine naturæ præsupponitur assumptioni; id enim quod assumitur, necessariò debet præsupponi assumptioni; ergo ordine naturæ potuit antecedere ipsam assumptionem aliqua operatio naturæ humanæ, vt velle, & intelligere, quæ in instanti perficiuntur; ergo aliqua volitio animæ Christi potuit ordine naturæ ipsam vnionem antecedere, & ex consequenti per illam actionem informatam gratia & charitate, potuit anima Christi mereri, vt assumeretur ad Personam Verbi in eodem instanti temporis, & priùs naturâ.

Confirmatur secundò. Ad rationem meriti sufficit esse priùs naturâ ipso præmio, vt ostensum est, quamuis simul tempore sit cum illo: sed Christus in primo instanti suæ conceptionis habuit actum dilectionis supernaturalis, vt ostendit D. Thomas q. 34. Ergo per illum actum potuit mereri vnionem hypostaticam, etiam si simul tempore, fuerit cum illo actu. Patet consequentia in merito, quo homo iustus meretur augmentum gratiæ. Et similiter secundùm sententiam Caietani, Angeli in secundo instanti meruerunt, & simul fuerunt beati: ergo. 8

Confirmatur tertiò. Humanitas Christi priùs naturâ extitit, quàm esset vnita Verbo; ergo in illo priori naturæ potuit mereri suam Incarnationem: atque adeò de facto meruit. Consequentia patet, supposito quòd in illo priori humanitas fuit exornata gratia, & alijs donis supernaturalibus. Probatur antecedens. Humanitas Christi priùs naturâ fuit creata, quàm assumpta ad Diuinam Verbi subsistentiam: etenim ibi interueniunt duæ mutationes, nempe productio humanitatis, & vnio eius hypostatica ad Verbum, inter quas est aliquis ordo; ergo creatio animæ, & productio totius humanitatis præcessit assumptionem, & non è contra. Probatur hæc consequentia: quia implicat, quòd priùs assumatur natura ad esse Personale Verbi, quàm sit creata, & producta: sed creatio terminatur ad esse rei creatæ, siue ad ipsam rem sub esse existentiæ constitutam; ergo humanitas priùs naturâ fuit sub esse existentiæ constituta, quàm fuerit Verbo hypostaticè vnita. 9

Obseruationes. §. II.

PRO Decisione huius controuersiæ supponendum est secundùm fidem, Christi humanitatem non priùs tempore extitisse, quàm fuerit Diuino Verbo vnita, sed in eodem instanti quo anima fuit creata, fuit etiam Verbo coniuncta, & similiter in eodem instanti, quo Christi caro fuit caro humana, fuit etiam caro Christi & Dei. Ex hac autem fidei veritate deducitur manifestè, secundùm fidem Christum, aut eius humanitatem non priùs tempore Diuini Verbi Incarnationem meruisse, quàm ipsa in rerum natura facta extiterit: quia neque Christus, neque eius humanitas, neque aliqua eius pars formaliter sumpta præextiterunt Incarnationi secundùm aliquam temporis prioritatem. Quòd si non præextiterunt, neque priùs tempore meruerunt. Prætereà hæc quæstio in duplici sensu potest disputari, vel de prima vnione humanitatis ad Verbum, quæ facta est in primo instanti conceptionis Christi in vtero B. Virginis, & hæc absolutè intelligitur nomine Incarnationis: vel de secunda vnione eiusdem humanitatis ad Verbum, quæ in instanti resurrectionis Christi facta est. Cùm enim in triduo, humanitas Verbo non esset vnita, vt est certum secundùm fidem, in instanti resurrectionis reunita est eadem humanitas Verbo, ita vt in illo instanti fuerit verum dicere, nunc Deus est homo, siue Verbum est homo, & immediatè antè hoc non erat homo. In vtroque ergo sensu explicanda est veritas. 10

Hoc supposito dubitatur circa priorem sensum, An Christus per opera facta post primam vnionem suæ 11

humanitatis cum Verbo, de facto meruerit, vel potuerit mereri suam Incarnationem. Quidam Theologi tuentur affirmationem, & probant; quia per opera facta post Incarnationem, potuit illam de condigno mereri; ergo de facto illam meruit. Antecedens concedit, & latè probat M. Suarez, vt statim referemus. Consequentia verò probatur: nam quicquid pertinet ad perfectionem meriti, & eius infinitatem, tribuendum est meritis Christi, si id fuerit possibile; sicut de facto tribuimus ipsius satisfactioni omnem perfectionem possibilem. Item quia si mereri potuit, vnde constat, de facto Christum non meruisse suam Incarnationem?

12 M. Suarez Disput. 10. sectio. 4. asserit, Christum de facto suam Incarnationem non meruisse, nihilominùs potuisse illam mereri per opera facta post primam suæ humanitatis vnionem, vel reali ordine naturæ, vel temporis duratione. Vt autem explicet Suarez hanc suam sententiam, animaduertit, se non loqui de Incarnatione, prout à Deo primùm decreta, & præordinata est. Concidit enim, Christum non potuisse mereri, quòd Deus ipsum prædestinaret, sicut neq; nos mereri possumus prædestinationem nostram: sed neq; de illa loqui, prout modo facta est, & in executione posita; facta enim fuit Incarnatio omninò gratis, & sine vllo ordine ad futura Christi merita. Intelligit ergo de ipsa prima Incarnationis executione, prout fieri potuit sub conditione operis futuri, & intuitu meritorum ipsius Christi, quæ Deus certò, & infallibiliter futura nosse, & prædeterminare potuit.

13 Probat autem M. Suarez, Christum potuisse suam Incarnationem mereri; quia non est de ratione meriti, quòd antecedat præmium, sed potest subsequi tam ordine naturæ, quàm reali temporis duratione, vt constat de gratia antiquis Patribus collata, quæ fuit præmium meritorum Christi; & in milite, cui Rex equum, & arma posset concedere in præmium boni vsus futuri, & sub tali conditione: sicut Dominus vineæ solet anticipata solutione operarijs reddere mercedem intuitu futuri laboris, & sub expressa eius conditione, & obligatione: ergo similiter potuisset Deus Incarnationem Christi exequi intuitu futurorum meritorum illius, & sub conditione, & obligatione alicuius operis futuri, V. G. Redemptionis hominum. Horum autem ratio à priori est, quòd meritum non est causa physica præmij, sed moralis solùm. Causa verò moralis, sicut & finalis, non causat, prout in re actu existit; sed quatenùs in præscientia, & acceptatione præmiantis actu est. Vnde parùm refert ad rationem, & causalitatem meriti, quòd secundùm physicam realitatem antecedat, vel subsequatur præmium, dummodò præexistat in apprehensione, & acceptatione eius, qui illud concedere debet.

14 Dices, Incarnationem non solùm materialiter ad ipsa opera Christi præsupponi secundùm ordinem naturæ, aut temporis durationem, sed formaliter vt principium, & causam illorum: illis enim tribuit omnem meriti valorem, sicut prima gratia habitualis præsupponitur ad merita iustorum. Vnde sicut implicat, iustos suis operibus primam gratiam mereri; quia principium meriti sub meritum cadere non potest: sic etiam repugnat, Christum suis operibus suam Incarnationem potuisse mereri, quia hæc est totale principium, & causa valoris eorum.
15 Sed contra est: quia in exemplis supra positis tam equus militi anteà datus in præmium boni vsus futuri, quàm merces reddita laboranti sub spe futuri laboris, sunt etiam causa meriti illorum; præsertim si equus ita esset ad pugnam instructus, vt sua sponte pugnaret absq; equitis labore, & merces data laboranti esset alimentum, eum valdè confortans. Si dicatur, tam equum datum militi, quàm alimentum redditum mercenario anticipata solutione esse causas partiales, & minùs principales meriti illorum; nam præcipuè fundatur in eorum industria, & labore: opera verò Christi, quò ad suum intrinsecum meriti valorem ex Incarnatione totaliter dependere, atq; adeò Christum 16
suis operibus mereri non potuisse suam Incarnationem; quia principium totale meriti sub meritum cadere non potest. Contra hoc obijcitur, quia similiter Incarnatio fuit totalis causa, & principium adæquatum valoris operum Patrum veteris testamenti, & nihilominùs Patres illi per huiusmodi opera meruerunt saltem de congruo Incarnationem Christi, vt in. 3. conclus. concedit D. Thomas. Ergo etiam eàdem ratione non obstabit, quominùs Christus potuerit suis operibus suam Incarnationem mereri, quòd illa fuerit adæquata causa, & principium totale valoris eorum. Con- 17
sequentia patet ex paritate rationis: nam sicut se habet principium totale meriti de congruo ad meritum ipsum de congruo, sic principium adæquatum meriti de condigno ad meritum de condigno; ergo si Patres antiqui mereri potuerunt de congruo Incarnationem Christi, quæ fuit totale principium meriti ipsorum, etiam Christus de condigno mereri potuit suam Incarnationem, tametsi fuerit adæquata causa suorum meritorum. Maior est communiter recepta omnibus Theologis asserentibus, gratiam, & auxilia omnia supranaturalia antiquis Patribus concessa, collata eis fuisse propter merita Christi, & ipsius Incarnationem.

Respōdebis insuper, Incarnationem, & merita Chris- 18
ti fuisse causam totalem meritorum Patrum antiquorum, quatenùs primùm à Deo præordinata sunt, & volita, & non vt in executione posita: ac proinde licet illi Patres mereri non potuerint primam Incarnationis Christi præordinationem, benè tamen ipsius executionem; quia est ñ principium meriti, quatenùs formaliter est principiũ, sub merito cadere non possit, benè tamen sub alia ratione, & consideratione. Contra hoc est, quia etiã poterit similiter dici, Incarnationem Christi, prout à Deo primùm præordinatam, & volitam, fuisse adæquatam causam meritorum Christi, non verò prout in re, & in executione positam; atq; adeò Christum mereri nõ potuisse primã Incarnationis determinationem, benè tamen ipsius executionem propter eandem omninò rationem. Pro explicatione sit prima conclusio.

Prima Conclusio. §. III.

CHristus Dominus non solùm non meruit, neq; 19
mereri potuit suæ Incarnationis prædestinationem, verùm etiã neq; ipsam Incarnationem, aut vnionẽ Diuini Verbi cũ humanitate, vt in executione positã promeruit. Prima pars huius cõclusionis probatur ex elegãte D. Tho. doctrina q. 29. de Veritate, art. 6. Vbi naturã, & vim causæ meritoriæ exponens, ita inquit. *Meritum est causa præmij, non quidem per modum finis, sic enim potius præmiũ est causa meriti, sed

magis

Digitized by Google

magis secundùm reductionem ad causam efficientem; inquantùm meritum facit merentem dignum præmio, & per hoc, ipsum ad præmium obtinendum disponit. Id autem, quod est causa per modum efficientis, neces-
20 sario debet ante effectum præsupponi.* Ex qua doctrina efficax argumentum pro hac priori conclusionis parte desuminus. Meritum necessario debet antecedere præmium, si non in re, & in executione, saltem in absoluta præscientia, & præmiantis acceptatione: sed opera Christi in absoluta præscientia, & acceptatione Dei præmiantis, non potuerunt præcedere prædestinationem Incarnationis Christi; ergo Christus huiusmodi operibus nullo modo potuit mereri prædestinationem suæ Incarnationis. Maior cum consequentia patet, & minor est nota; quia præscientia absoluta, & acceptatio meritorum Christi in Patre præsupponit voluntatem ipsius Christi futuri, atq; adeò & prædestinationem suæ Incarnationis. Ergo ex præscientia meritorum Christi nequiuit Deus primò moueri ad primò volendam, & prædestinandam ipsam Incarnationem. Hanc partem rectè etiam probat M. Suarez eadem Disput. 10. sectio. 3. & 4.

21 Secunda pars conclusionis, quamuis non sit de fide, vt existimat M. Medina hic, est tamen adeò certa, vt eius oppositum sit periculosum, temerarium, & in fide non satis tutum, & contra communem omnium Theologorum sententiam, qui omnes in hac conclusione consentiunt. Et probatur primò ex sancta Scriptura, in qua hoc Incarnationis mysterium Diuinæ tantùm misericordiæ, & charitati tribuitur. Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Et Lucæ. 1. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.* Ad Titum. 2. *Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri.* Et cap. 3. *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris
22 nostri.* Et ad Roman. 5. Mysterium Incarnationis appellatur donum, & gratia. Hæc testimonia efficaciter probant, nulla præcessisse merita in Christo, quibus suam Incarnationem mereretur. Sed non probant, illam non meruisse operibus, quæ post ipsam fecit. Præsertim quòd non loquuntur de Incarnatione respectu humanitatis Christi, sed respectu nostri, vt est beneficium nobis collatum ad nostram redemptionem: sic enim datum est sine meritis nostris. Quòd verò respectu humanitatis Christi nullum ibi interuenitet meritum, probabiliter colligitur, quia cùm Scriptura hoc beneficium soli tribuat misericordiæ, & liberalitati, omnia merita simpliciter excludere videtur.

23 Prætereà confirmatur cõclusio Sanctorum Patrum authoritate; præsertim D. Augustini lib. 1. de Prædestinatione Sanctorum cap. 15. *Quisquis, inquit, in capite nostro præcedentia merita singularis illius generationis inuenerit, ipse in nobis præcedentia merita multiplicatæ regenerationis inquirat.* Quibus Verbis tanquàm certum, & manifestum id supponit, quòd nostræ regenerationis spiritualis nulla præcesserint merita. Idem repetit lib. de Bono Perseuerantiæ cap. vltimo. Et de Correptione & Gratia cap. 11. Videtur insinuare hoc esse de Fide, dicens. *Neque enim quisquam
24 tanta rei huius, & fidei cæcus est ignorantia, &c.* Sed ibi loquitur contra Photinum & alios, qui asserebant, Christum iustum hominem, ac sanctum prius extitisse, atque suis bonis operibus meruisse specialem coniunctionem cum Deo; quæ duo sunt contra fidem. Idem etiam docet Augustinus in Enchirid. cap. 40. & lib. 13. de Trinit. cap. 17. & Tract. 105. in Ioannē, quibus locis quàm sæpius repetit nulla merita præcessisse ex parte naturæ humanæ, quibus hoc tantum beneficium mereretur. *Nũ ille homo,* inquit Augustin. in Enchiridio, cap. 40. *Vt à Verbo Dei, Patri Coæterno in vnitatem personæ assumptus esset Vnigenitus Filius, vnde hoc meruit? Humana merita hic conticescant, quæ perierunt per Adam, vt regnet gratia, quæ regnat per Dominum Iesum Christum.*

Tertiò probatur rationibus. Prima. Operari præ- 25
supponit esse, sed Christus antè Incarnationem non habuit esse, inquantùm homo; ergo non potuit operari, & ex consequenti neque mereri. Patet consequentia; quia Christus, inquantùm homo, per Incarnationem Verbi acquisiuit esse. Antecedens probatur, quia omnis res sicut se habet ad esse, ita & ad operari, priùs ad esse, deinde ad operari: est enim esse prima omnium actualitas.

Confirmatur. Humanitas Christi eodem modo se 26
habuit ad suppositum Verbi in assumptione, sicut se habet humanitas V. G. Petri ad propriam Petri personalitatem; sed humanitas Petri priùs habet personalitatem, quàm operetur; tum, quia esse personale est esse substantiale, & ex consequenti prius, quàm operari, quod est esse accidentale; tum etiam, quia persona Petri, seu Petrus ipse est terminus per se, & totalis ipsius operationis, quem consequuntur operationes etiam naturalissimæ; ergo eodem modo, & propter eandem rationem prius naturâ humanitas Christi personatur Persona Verbi, quàm possit operari, & mereri.

Secunda. Christus neque inquantùm Deus, neque in 27
quantùm homo, neque inquantùm Deus homo, meruit suã Incarnationem: ergo nullo modo meruit. Antecedens probatur. Non inquantùm Deus, quia Deus non est capax meriti, neque vt homo, quia non meruit meritis antecedentibus ipsam Incarnationem, cùm antè illam non fuerit homo: neque meritis ipsam Incarnationem sequentibus, quia meritum nequit esse posterius præmio. Meritum enim constituit ius ad præmium suscipiendum, atque adeò præmium suâ naturâ est posterius merito: ergo nullo modo illam meruit. Neque etiam meruit, vt Deus homo propter eandem rationem, qua non meruit, vt homo.

Tertia ratio. Prima radix meriti sub meritum cade- 28
re non potest: sed Incarnatio fuit prima radix omnium meritorum Christi, præsertim quatenus fuerunt merita infiniti valoris, nam hac ratione prima eorum radix non fuit habitualis gratia, sed gratia vnionis: ergo sub merito Christi cadere non potuit, neque esse illius præmium.

Confirmatur. Ea ratione Theologi cum D. Tho- 29
ma. 1. 2. q. 114. art. 5. docent, primam gratiam cadere non posse sub merito hominis iusti, eo quo est, quia est prima radix omnium meritorum eius; ergo similiter gratia vnionis, seu quod idem est, Incarnatio Verbi nequiuit cadere sub meritis Christi. Sed respondent nonnulli, Incarnationem non cadere sub merito condigni, sed congrui, quia prima gratia potest cadere sub merito congrui, ergo similiter

potuit Christus mereri de congruo suam incarnatio-
30 nem. Sed hæc responsio nulla est, tum quia homo primam gratiam mereri de congruo non valet, vt loco citato docent Thomistæ: tum etiam, quia non est eadem ratio de prima gratia, & de Incarnatione Verbi, quoniam ad primam gratiam præsupponitur subiectum existens, per gratiam præuenientem eleuatum, & adiutum, cuius virtute qui iustificatur, poterit secundùm aliquorum sententiam de congruo sibi mereri primam gratiam. At in Christo antè Incarnationem non præsupponitur ipsum subiectum meriti; nempe
31 Christus. Item est alia differentia, quòd Incarnatio est prima radix omnium meritorum Christi, siue sint de congruo, siue de condigno; quia est causa meritorum, inquantùm est causa omnium Christi operationum, hoc est, prout constituit ipsum suppositum operans. Gratia verò habitualis in puro homine est radix, & principium omnium meritorum de condigno, non tamén omnium meritorum de congruo, iuxta multorum Theologorum opinionem, qui in operibus procedentibus ex gratia præueniente, imò & in operationibus bonis moraliter existimant reperiri rationem meriti de congruo.

32 Quarta ratio. Christi Domini Incarnatio fuit opus maximum & summum Diuinæ misericordiæ, & quod est omnium meritorum fundamentum, & radix; ergo nequit esse præmium alicuius meriti Christi, sed debuit illi conferri ex summa Dei gratia, & liberalitate. Postremò. Meritum debet antecedere præmium saltem ordine naturæ: sed in Christi humanitate nullum præcessit opus ordine naturæ antè assumptionem, meritorium, ergo. Probatur minor. Operatio animæ est quoddam accidens eius; sed nullum accidens præsertim extrinsecum, seu non habens intrinsecam, & necessariam connexionem cum ipsa substantia, antecedit ordine naturæ propriam subsistentiam, atque adeò neque hanc hypostaticam vnionem: ergo idem dicendum est de operatione & de merito, quod in illa fundatur.

33 Confirmatur. Actiones sunt suppositorum, seu subsistentium: sed humanitas priùs naturà, quàm vniretur, non fuit suppositum, neque subsistens: ergo neque capax operationis, neque meriti. Maior est Aristotelis. 1. Metaph. cap. 1. Vbi pro eodem reputat singularem naturam, & suppositum. Et probatur: quia licèt subsistentia non sit formale principium operandi, est tamen conditio ex natura rei prærequisita in operante, quoniam rei complementum in proprio esse substantiali secundùm ordinem naturæ antecedit operationem.

34 Ex dictis constat, nullam actionem humanitatis Christi potuisse antecedere vnionem hypostaticam, per quam actionem mereretur eandem vnionem. Et patet euidenter, quia humanitas Christi assumpta est ad Diuini Verbi Personam, ergo priùs naturâ personatur, quàm aliquid operetur: ac subinde non potuit anima Christi priùs naturâ aliquid intelligere, aut amare, quàm vniretur Personæ Verbi.

Secunda Conclusio. §. IIII.

35 DE Potentia Dei absoluta non potuit Christus suam incarnationem mereri. Hæc conclusio non est tam certa sicut præcedens, quæ de facto tantùm, & de potentia ordinaria procedebat: est tamen recepta multis grauissimis Theologis, & maximè consentanea doctrinæ D. Thomæ in hoc articulo, vbi quasi per se notum præsupponit, Christum suam Incarnationem
mereri non potuisse. Et probatur. Primò. Impossibile 36
est idem esse principium & terminum in eodem genere causæ; sed vnio hypostatica, & Persona Christi est principium effectiuum cuiuscumque actionis meritoriæ in Christo, & præmium & merces est terminus ipsius meriti: ergo fieri non potest, quòd vnio sit merces & præmium meriti Christi. Maior patet: sed probatur minor. Quæcumque natura est principium cuiuscumque operationis, quæ illi conuenit, quatenùs in supposito subsistit: sed per vnionem hypostaticam humanitas Christi subsistit in Supposito Diuino: ergo illa vnio est principium cuiuscumque operationis in Christo. Secunda pars minoris, nempe, quòd præmium sit terminus meriti, manifesta est.

Confirmatur. Incarnatio Christi fuit causa efficiens 37
omnium meritorum Christi; ergo nequiuit habere rationem præmij respectu illorum meritorum. Probatur consequentia, quia idem respectu eiusdem esset causa & effectus in eodem genere causæ efficientis. Etenim incarnatio fuit causa efficiens meritorum Christi, & si ipsa incarnatio est præmium meritorum, ipsa merita fuerunt effectrices causæ incarnationis, quia causa meritoria est causa efficiens, atque adeò incarnatio in genere causæ efficientis esset causa & effectus meritorum Christi, quod dicere est absurdum.

Sed respondet M. Suarez, incarnationem fuisse cau- 38
sam meritorum Christi efficientem physicam, merita verò Christi fuisse eiusdem Incarnationis causam efficientem moralem. Non est autem inconueniens, vnum & idem esse causam, & effectum respectu eiusdem secundùm has diuersas rationes, & diuersa genera causarum, ita vt sit causa physica & effectus moralis. Sed contra est. Incarnatio Christi non solùm in genere physico sed etiam in genere morali, imò potiùs in genere moris fuit causa meritorum Christi: tribuit enim illis valorem infinitum meritorium, quod non tam effecit physicè, quàm moraliter, vel vt veriùs dicam, quadam eminente ratione vtrumque genus complectente, & physicum & morale: ergo si fuit morale præmium, eorundem meritorum, fuit etiam causa & effectus in eodem genere moris.

Secundò probatur conclusio. Christus non potuit 39
mereri suam incarnationem, neque meritis ipsam præcedentibus, neque verò subsequentibus: ergo nullo modo potuit mereri. Consequentia est euidens, & probatur antecedens. Non meritis antecedentibus, quia Christus præexistere non potuit antè Verbi Incarnationem, si enim fingamus, eius humanitatem in alio supposito præextitisse, videlicet, in supposito proprio, & sibi connaturali, quod de potentia Dei fuit possibile, ille homo non esset idem homo personaliter cum Christo, sed alius omninò, & ideò licet ille homo mereretur Christi Incarnationem, non propterea Christus illam meruisset. Secunda pars antecedentis de meritis subsequentibus probatur. Illa merita præsupponunt per se & essentialiter Incarnationem Christi, eo quòd ab ea participant totum

suum

suum valorem meritorium: ergo impossibile est illam mereri. Implicat enim, quod meritum per se & essentialiter præsupponat in merente præmium susceptum.

40 Sed inquit M. Suarez, potuisse Deum Christo conferre illud Incarnationis beneficium cum dependentia à sequentibus meritis, ita vt si Christus sequentibus operibus illud nō meruisset, Deus auferret ab eo istud beneficium, quod ei cum prædicta dependentia contulerat, & sub hac lege quòd ipsum promereretur sequentibus meritis, ad eum modum, quo princeps posset militi equum, & arma donare ea lege & conditione, vt strenuè se gereret in bello, quod aliàs ab eo esset ablaturus.

41 Cæterùm hæc solutio est impertinens, quia licèt admittantur omnia, quæ confingit, non inde aliud sequitur, nisi quòd in tali casu Christus meruisset continuationem suscepti beneficij, nempe, Incarnationis, sed non quòd posset mereri ipsam Incarnationis substantiam, quàm per se præsupponebant susceptam ipsa Christi merita, siue data esset dependenter, siue independenter, siue in perpetuum, siue ad tempus. In hac autem conclusione non disputatur de continuatione Incarnationis, & de eius perseuerantia; sed de illius duntaxat substantia.

42 Tertiò probatur. Christus suis operibus mereri non potuit primam suæ Incarnationis prædestinationem; ergo neque eius executionem. Consequentia patet: nam quem ordinem habent inter se meritum, & præmium prout in executione, eundem habent in intellectu, & præscientia Dei: sed in Dei præscientia opera Christi habere non potuerunt rationem meriti respectu Incarnationis, ergo neque in ipsa executione. Consequentia cum minore constat ex præcedente conclusione. Maior verò probatur, quia ordo rationis in actibus Diuinæ voluntatis, & intellectus sumitur ex reali ordine, & connexione, quam res à Deo intellectæ, & volitæ habent inter se vt ostensum est supra q. 1. art. 3. Parag. 2.

43 Et præterea, quia merita eodem modo sunt causa præmij in ipsa executione, ac in præscientia Dei. Sicut enim in executione non causant physicè ipsam consecutionem præmij, sed tantùm moraliter, quatenus alliciunt, & permouent voluntatem eius, qui præmium concedere debet, ad illud reddendum: sic in præscientia non physicè, sed moraliter mouent præmiantem, vt illorū intuitu præmium efficaciter dandum proponat, seu decernat ipsi merenti. Ergo si Deus ex operibus Christi moueri non potuit ad efficaciter prædestinandam Incarnationem, neque ad illam exequendam. Etenim prædestinatio executionem rei intrinsecè respicit.

44 Dices, argumentum nihil concludere, quia est manifesta instantia in prædestinatione ad gloriam, quam nullatenus mereri possumus, cùm tamen ipsius executionem mereamur. Contra: quia prædestinatio formaliter non est voluntas dandi nobis gloriam (hanc enim sicut & ipsam gloriam de condigno meremur, vt doctè ostendit M. Vazquez 1. p. Disput. 89. cap. 9. & 10.) sed præparatio gratiæ, & auxiliorum supernaturalium ad gloriam obtinendam: quam sanè præparationem sicut non meremur, sic neque ipsa supernaturalia dona in executione exhibita. Sed quicquid sit de huius rationis efficacia, cuius vim acutè perpendit hic author, probatur quartò conclusio illa tertia ratione adducta pro præcedente conclusione, quæ non solùm concludit de potentia Dei ordinaria, sed etiam de absoluta. Ratio autem est.

45 Principium totale meriti sub meritum cadere non potest; sed Incarnatio Christi fuit totale meritorum eiusdem principium: ergo Christus per illa suam Incarnationem mereri non potuit. Consequentia est nota, & maior patet ex dictis, & præterea probatur: nā quod est causa causæ in eodem genere, est causa causati: sed merita Christi fuerūt effectus causati ab Incarnatione; ergo si possunt esse causa meritoria Incarnationis, poterunt quoque esse causa meritoria sui ipsorum; quo nihil absurdius dici poterit. Minor verò constat: quia quicquid est in operibus Christi tam physicum, quàm morale, totum ab ipsa Incarnatione, vt à prima radice, & adæquata causa prouenit.

46 Sed respondet M. Suarez; principium adæquatum meritorum Christi fuisse Incarnationem ipsius, prout primùm à Deo præordinatam, non vt in executione positam, atque adeò sub hac posteriori ratione sub meritum Christi cadere potuisse. Sed contra est; nam Incarnatio ea formaliter ratione fuit principiū merendi in Christo, quatenùs eius operibus communicauit verum, & intrinsecum meriti valorem: sed Incarnatio Christi prout in executione posita, & non quatenùs extrinsecè à Deo præordinata, communicauit operibus 47 Christi intrinsecum valorem meriti: totus enim hic valor sumitur à reali, & intrinseca vnione cum infinita Verbi Persona, vt supra ostensum est q. 1. art. 2. Disput. 5. Ergo Incarnatio Christi, prout in executione posita fuit totale meritorum Christi principium: & ex consequenti Christus per illam, primam suæ Incarnationis executionem mereri non potuit, sicut nec nos primam nostri creationem.

48 Argumentum autem M. Suarez nihil cōuincit, quia nequeunt aliqua opera acceptari ad præmium, anticipata solutione reddendum, nisi prout iam in executione exhibita respectu illius veram rationem pretij habeant. Opera verò Christi, prout in executione posita rationem pretij respectu Incarnationis habere non potuerunt: quia totum valorem intrinsecum, quem habebant, ab ipsamet Incarnatione participabant; & ideò Deus huiusmodi opera, vt meritoria Incarnationis futuræ acceptare non potuit; nec propter illa præuisa, & cognita, vt certa & infallibilia exequi ipsam Incarnationem, sicut antiquis Patribus anticipata solutione gratiam conferre potuit. Ratio autem est; quia opera Christi, vt in re exhibita fuerunt verum pretium, quod Christus pro gratia antiquis Patribus collata persoluit. Vt enim in tertia ratione huius conclusionis dictū est, eundemmet causalitatis modum habent merita prout in executione posita respectu præmij, & prout præuisa, & acceptata.

49 Sed quia M. Suarez, & M. Franciscus de Carthagena tracta. de Prædestinatione, discursu 11. plus nimio huius argumenti difficultatem exaggerātes, asserunt, neminem hactenùs sufficientem dedisse rationem, ob quā repugnet, quòd Deus sub conditione operis Christi futuri Incarnationem exequi potuerit, sicut Rex potest equum, & arma militi dare sub obligatione futuræ pugnæ &c. Placet nonnullas differentias assignare, ex

quibus euidenter constabit, argumentum nihil concludere. Et primò quidem, quia cùm vsus equi ab eius dominio differat, dici potest, Regem prius solum equi vsum, non verò eius dominiũ militi concessisse, quousq; illud assequatur per futuram pugnam. Præterea, cùm dominium equi sit quid morale, potest à morali contractu, nempe, pacto, & obligatione pugnandi dependere, ita vt miles non priùs sit Dominus absolutus equi, quàm conditionem pugnandi adimpleret. In Incarnatione verò vsus à dominio eius distingui non potest. Et cùm sit quid physicum, à contractu morali dependere non potest. Sicut ergo hac ratione non posset homo creari sub conditione operis futuri; quia siue illud præstet, siue non, absolutè, & simpliciter est homo, & non tantùm sub conditione: sic etiam neque Incarnatio Christi potuit executioni mandari sub futuri operis conditione, quia si semel præsupponitur facta, ratione illius Christus verus Deus, & homo absolutè, & simpliciter, & non sub conditione foret etiam si per impossibile postea non faceret opus prædeterminatum à Deo.

52 Denique actus pugnandi à milite exhibitus verum foret pretium, quo de condigno equum sibi priùs à Rege datum mereretur, non verò opus à Christo elicitum Incarnationis priùs factæ: cuius ratio à priori est, quia valor operum Christi totaliter desumitur ab eius Incarnatione; & valor pugnæ militis non sumitur totaliter ab equo sibi in præmium collato, sed magis ab eius industria, & labore, vt docet D. Thomas 1. 2. q. 114. art. 1. ad. 3.

Tertia Conclusio. §. V.

53 Secundùm absolutam Dei potentiam fieri non potuit, vt Christi humanitas mereretur suã vnionem quantùm ad eius substantiam, etiam in illo priori naturæ, in quo ipsi vnioni, siue assumptioni præintelligitur. Hæc conclusio est contra Caietanum, qui oppositum videtur in hoc articulo insinuare, restringens sententiam D. Thomæ ad potentiam ordinariam. Eam docet M. Suarez disput. 10. sectio. 3. Et ratio est euidens, quia secundùm rectam philosophiam, & eundem Caietanum, actiones sunt suppositorum, vel per se existentium; ergo si humanitas in illo priori naturæ potuit habere aliquam operationem suæ assumptionis meritoriam, illa fuit elicita ab humanitate, quatenus

54 erat vel suppositum, vel per se existens. Sed non primũ, quia vel erat suppositum propria personalitate constitutum, & tunc non esset humanitas Christi, sed alterius personæ: vel aliena personalitate, & hoc est esse Christum, & quod in hac vnione factum est. Neque secundum, quia per se existentia humanitatis necessariò debet esse incommunicabilis existentia, cùm sit naturæ integræ & perfectæ: existentia verò incommunicabilis sine propria, vel aliena personalitate intelligi non potest, atque adeò sequitur id, quod primò illatum est, & ex consequenti Christum neque secundùm se, neque secundùm aliquam partem sui potuisse mereri suam Incarnationem.

55 Confirmatur supponendo, ex natura rei priorem esse subsistentiam, quàm sit operatio: hunc autem ordinem, cùm sit intrinsecus, & quasi essentialis, immutari non posse. Ex quo sic argumentor. Deus facere non potuit, vt humanitas in proprio supposito priùs natura operaretur, quàm subsisteret, quia nequit efficere, quin subsistentia sit magis intrinseca, & ex sua natura prior operatione. Item hæc propria subsistentia impediri nõ potuit per vnionem ad Verbum alio modo, quàm de facto impedita est, ergo si de facto non intelligitur talis ordo naturæ, quo humanitatis operatio vnionem præcedat, nulla ratione est illa possibilis.

Sed objicitur. Deus de sua potentia absoluta efficere potest, vt accidens sit sine subiecto, & vt sic aliquam habeat operationem, vt patet in Sacramento altaris, ergo similiter facere valet, vt humanitas sit absque personalitate propria, vel aliena, & sic habere aliquam meritoriam actionem. Respondetur negando consequentiam, quia est diuersa ratio, accidens habet propriam existentiam distinctam ab existentia substantiæ, & per illam Diuina virtute existere potest, haberetq; eandem operationem, quam habebat, dum in existeret. At verò quòd humanitas per se existat, siue dic persona, vel quòd per se existat sine propria, vel aliena personalitate, repugnat propter rationem assignatam, quia cùm sit per se existentia naturæ integræ, debet esse incommunicabilis. Existentia verò incommunicabilis neque esse sine subsistentia potest, quia humanitas separata ab omni supposito proprio, vel alieno, in rerum natura existere non potest, atque adeò in illa vt sic nullum potest esse meritum.

56

57

Quarta Conclusio. §. VI.

58 CHRISTVS Dominus neque meruit, neque mereri potuit circumstantias suæ Incarnationis, v. g. temporis, loci, videlicet, quòd tali tempore fieret, tali modo, opere scilicet Spiritus Sancti, & tali loco. Prior pars conclusionis, quæ de facto procedit, probatur, nam circumstantiæ, & aliæ similes tenent se ex parte Incarnationis, & consequenter antecedunt opus eius substantiam: ergo tenentur ex parte principij totius meriti Christi, & ex consequenti non cadunt sub eius merito.

59 Confirmatur, quia istæ circumstantiæ nõ magis fuerunt liberæ Christo, quàm ipsa Incarnatio, ergo si non meruit Incarnationem, neque has circumstantias. Antecedens patet, nam Christus non elegit, quatenus homo, quòd ex tali matre nasceretur, vel in tali tempore, & loco; hæc enim antecedunt eius Natiuitatem, & Incarnationem; ergo determinatio talium circumstantiarum non est referenda in liberum meritum Christi, sed præcisè in determinationem Dei.

60 Secundò. Meritum debet præcedere præmium saltem ordine naturæ; sed istæ circumstantiæ antecedunt omne meritum Christi; ergo sub illo cadere non possunt. Tertiò. Cùm homo iustificatur, non meretur primam gratiam, neque potest mereri, neque eius circunstantias, nempe, quòd tali tempore cum tanta intensione, & perfectione ei conferatur, sed omnia ad Dei liberalitatem reuocantur; quia tenet se ex parte primæ gratiæ, quæ est totius meriti principium, & cum illa vnũ principium efficiunt: ergo idem dicendũ est de circunstantijs Incarnationis Christi, quæ fuit radicale principium omnium meritorum Christi.

61 Confirmatur. Quod habet rationem principij in omni ordine & genere, ab illa operatione dependere non

non potest, quæ per se ex tali principio pendet; sed merita Christi dependent ab Incarnatione, & à circunstantijs, quæ illam comitantur, tanquam à principio: ergo non solùm incarnatio, sed illius circunstantiæ sub Christi meritum cadere non potuerunt. Consequentia est manifesta, & probatur minor, quia Incarnatio nequit exequi officium principij, imò simpliciter non potest esse nisi sub talibus circunstantijs, aut similibus cōstituta. Maior etiam est euidens: nam intellectus, qui est intellectionis principium, ab intellectione non dependet, sed è conuerso, & sic de alijs.

62 Sed contra objicitur. Antiqui Patres meruerunt saltem de congruo huiusmodi circunstantias, vt docet D. Thomas in hoc articulo: ergo multo magis Christus promeruit tales circunstantias. Resp. Patres veteres non tantùm meruisse de congruo circunstantias Incarnationis, sed etiam ipsammet Incarnationem, quam tamen Christus non meruit. Negatur ergo consequentia, & ratio discriminis est, quia merita antiquorum Patrum antecesserunt tempore ipsam Incarnationem, & eiusdem circunstantias, neque Incarnationem cum suis circunstantijs respiciebant, tanquàm principium intrinsecè eliciens operationes illorum meritorias, & ita petendo & desiderando Incarnationem, & illius circunstantias merebantur de congruo: quia congruum
63 erat, vt Deus suos amicos deprecantes exaudiret. Secūda pars conclusionis probatur eisdem rationibus, quæ satis efficaciter illam probant, quatenus de lege & potentia ordinaria loquitur, & probabiliter illā suadent, si de potentia absoluta intelligatur.

Quinta Conclusio. §. *VII.*

64 CHRISTVS Dominus neque meruit, neque mereri potuit suæ Incarnationis continuationem. Oppositum huius assertionis tenet M. Suarez disp. 10. sectio. 4. dicens, ad Christi dignitatem pertinere, quòd prædictam Incarnationis continuationem meruerit. Sed nostra conclusio probatur, & primò quò ad priorem eius partem, quæ de facto procedit. Quod per se est principium alicuius meriti, non potest esse præmium eiusdem meriti; sed Christi Incarnatio est per se principium primum & radicale omnium meri-
65 torum Christi: ergo nequit esse ipsorum præmiū. Sed dices, hoc argumentum tantùm concludere, ipsam substantiam Incarnationis Christi non potuisse esse pręmium meritorum Christi. sed nihil probare de eius continuatione. Contra. Continuatio principij, & radicis meritorum non magis potest habere rationem præmij respectu ipsorum, quàm ipsa substantia eiusdem principij: ergo &c. Probatur antecedens quia continuatio talis principij non ponit in numero cùm substantia eiusdem principij. Sicut enim conseruatio rei non est simpliciter actio distincta ab eius creatione, sed est eadem creatio continuata, vt docet D. Thomas. 1. p. q. 104. art. 1. ad. 4. ita productio substantialis principij meritorum, & eius continuatio non sunt duæ distinctæ actiones, sed vna, & eadem. Et ideò sicut productio sub merito cadere non potest, ita neque eius continuatio.

65 Confirmatur primò. Radicale, & primum merendi principium non potest cadere sub merito: quod enim secundùm se est principium, nequit esse terminus, & finis, præmium autem habet rationem finis & termini; sed Incarnatio secundùm se est primum & radicale omnium meritorum Christi principium: ergo nullo modo potuit etiam quantùm ad sui continuationem esse præmium meritorum eius.

Confirmatur secundò. Continuatio primæ gratiæ 67
in puro homine iusto nequit cadere sub merito: sed nō ob aliud, nisi quia prima gratia est primum & radicale principium merendi, & repugnat principium meriti esse ipsius meriti terminum & finem: at Incarnatio est primum principium, & radix omnium meritorum Christi; ergo nullo modo dici potest, Christum de facto meruisse eius continuationem. Consequentia cum minori patet, & maior probatur: quia alias posset homo mereri suam perseuerantiam in gratia, si posset mereri continuationem gratiæ.

Sed pro maiori huius rationis intelligentia aduertendum est, primum & radicale merendi principium posse 68
suis actibus meritorijs propriam perfectionem mereri, & ideò gratia meretur propriū augmentum, & Christus suis meritis promeruit quandam suæ Incarnationis perfectionem, nempe, corporis immortalitatem, & gloriam, & sui nominis exaltationem, sed non potuit mereri continuationem, seu conseruationem suæ entitatis substantialis, quia continuatio non ponit in numero cum ipsa substantia principij, & cum eius primu productione, atque adeò tenet se ex parte principij meritorum, & rationem termini habere non potest. Est 69
simile in potentia naturali, V. G. intellectu, vel voluntate, &c. Quæ seipsam per suas operationes perficere potest, ita vt eius perfectio habeat rationem termini respectu suarum actionum: sed non potest sui conseruationem, aut continuationem causare; quia hoc non pertinet ad ipsam potentiam, sed ad authorem illius; quoniam eiusdem causæ est conseruare rem, cuius est producere: atque adeò continuatio, siue conseruatio potentiæ non sortitur rationem termini operationum ipsius potentiæ.

Postremò probatur conclusio. Continuatio Incar- 70
nationis Diuini Verbi per se pertinuit ad Christi prædestinationem: sed Christi prædestinatio nullum habuit meritum, sed ad solam Dei voluntatem est referenda; ergo Christus suæ Incarnationis continuationem non meruit. Maior probatur. Christus fuit prædestinatus Filius Dei, vt esset hominum Redemptor, & vt esset caput hominum, & Angelorum, & sua morte peccata hominum deleret, & sua Resurrectione vitam eorum spiritualem repararet, *Mortuus est* ait Paulus ad Roma. 4. *Propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Ergo non solùm ipsa Incarnationis substantia quantùm ad sui primam productionem fuit præordinata independenter ab omnibus meritis, sed etiam quantùm ad sui continuatio-
nem, & perseuerantiam. Confirmatur ex illo ad Ro- 71
ma. 1. *Qui,* videlicet, Christus, *Prædestinatus est est Filius Dei in virtute secundùm spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri.* Ex quibus Verbis constat, Christi prædestinationem non in sola Incarnatione substantia fuisse terminatam, sed ad nostram sanctificationem, & mortuorum Resurrectionem ipsa Christi virtute operandā pertransisse: quare Incarnationis cōtinuatio nō ex meritis, sed ex sola Dei prędestinatione ortū habuit.

Secundo

72 Secunda pars conclosionis, quæ de possibili loquitur, non est tam certa, sed pro eius confirmatione aduertendum est, negari non posse, Christum Dominum mereri potuisse Incarnationis continuationem, sicut homo iustus potest suæ primæ gratiæ continuationem mereri: sed id asserit conclusio, quod illud meritū esset quasi ab extrinseco ex sola Dei acceptatione, & promissione. At suam vim meritoriam ex principio intrinseco, nempe, ex gratia vnionis non participaret: quia cùm in ipsa gratia vnionis nō fiat mutatio, vt supponimus, sed semper eandem naturam retineat: etiam
73 si Deus vellet eius opus acceptare, tanquam illius præmij meritorium, & ordinet re ipsa illud opus ad continuationem Incarnationis, tanquàm ad præmium promerendum; illud tamen opus non participabit ex ipsa gratia vnionis huiusmodi vim meritoriam, quia gratia vnionis nullam habet virtutem ad merendum suā continuationem, neque potest illam operibus Christi communicare, atque adeò ab extrinseco tantùm & secundum quid posset Christus suis operibus mereri Incarnationis suæ continuationem. Idem etiam de homine iusto dicendum est, quòd si de potentia Dei absoluta mereatur gratiæ suæ continuationem, & perseuerantiam, tale meritum ab ipsa gratia non dimanabit, sed ab extrinseca tantùm Dei ordinatione.

74 Ex his colligitur ratio pro secunda parte conclusionis. Gratia vnionis nullam potest tribuere virtutem operibus Christi, qua possint Incarnationis continuationem mereri; ergo etiam secundùm Dei absolutam potentiam non valuit Christus propriè, & rigorosè loquendo de merito, talem continuationem mereri; sed merito tantùm impropriè dicto, cuius tota vis meritoria in extrinseca Dei ordinatione fundetur, & non in intrinseco ipsius operis valore ex gratia vnionis de-
75 sumpto. Confirmatur: Gratia vnionis de facto contulit operibus Christi totum illum valorem meritorium, quem secundùm omnem potentiam potest illis tribuere; ergo per nullam potentiam crescere potest intrinsecus valor meritorum Christi. Probatur antecedens. Quia de facto dat illis valorem infinitum, infinito autem non potest esse maius: ergo. Sed contra vtramque partem conclusionis est argumentum.

76 Homo iustus de facto meretur de congruo conseruationem suæ gratiæ, ergo & Christus meruit, aut saltem mereri potuit de congruo cōtinuationem, & perseuerantiam suæ Incarnationis. Negatur consequentia, quia meritum congrui, quo iustus meretur suæ gratiæ continuationem, nō tam procedit ab ipsa gratia, quàm à voluntate operantis; sed Christus habere non potuit meritum, cuius tota vis meritoria in gratia vnionis nō fundaretur: quia totus valor meritorum Christi, reducitur ad eius esse personale, in quo ipsa vnionis gratia principaliter consistit. Hæc autem nullam potest tribuere operationibus Christi virtutem meritoriā, qua eius continuationem mereantur, sicut neque gratia habitualis potest operationibus iusti hominis vim meritoriam conferre, per quam eius perseuerantiam & cōtinuationem promereri valeant. Et hæc sufficiant de prima vnione facta in Incarnatione.

Explicatur quæstio in secundo sensu.

§. VIII.

CIRCA secundam verò vnionem, quæ in Resurrectione facta est, quidam Theologi censent 77
Christum Dominum talem secundam vnionem non meruisse, quamuis suam Resurrectionem meruerit: quia Resurrectio, vt ipsi dicunt, non dicit necessariò talem reunionem per se loquendo, sed tantùm coniunctionem, & reunionem animæ cum corpore. Vnde si quis per artem medicam V.G. animam cū corpore reunire posset, verè Resurrectionem causaret, ad quam statim consequitur, Christum rursus esse hominem, & per esse Diuinum subsistere in Persona Verbi humana, quia partes inter se inuicem reunitæ iam habebant esse Diuinum in Persona Verbi ante reunionem, & ita in Resurrectione ipsum denuò non acquirunt.

78 Nihilominus pro huius rei explicatione supponendum est primò, esse certum secundùm fidem, in morte Christi humanitatem nō mansisse vnitam Verbo, quia humanitas secundùm fidem non erat in triduo, neque Deus erat homo, vt rectè ostendit D. Thomas infra q. 50. art. 4. Nec sufficit dicere, partes humanitatis in triduo vnitas mansisse Verbo; quod etiam certissimum
est, vt ibidem ostendit D. Thomas art. 2. & 3. Ex hoc autem nullo modo colligitur, humanitatem in triduo 79
mansisse, tum quia humanitas non dicit partes quomodocumque adinuicem separatas, sed realiter inter se coniunctas, ita vt anima actuet, & viuificet corpus: tum etiam, quoniam licèt in triduo anima maneret eadem omninò, & quantùm ad formam suæ speciei, & quantùm ad esse, corpus tamen non mansit omninò idem secundùm formam specificam, sed tantùm secundùm vnitatem suppositi, vt explicat D. Thomas q. 50. art. 5. ad 2. corpus enim Christi in triduo erat sub forma cadaueris, & in specie cadaueris: cadauer autem, repugnat esse partem humanitatis.

80 Secundò supponendum est ex D. Thoma infra q. 6. art. 5. quòd licèt ordine exequutionis partes humanitatis priùs intelligantur assumptæ, quàm totum, ordine tamen intentionis, qui est principalior, prior est humanitatis assumptio, quàm partium, & partes assumuntur mediante toto. Neque enim assumeret Deus animam, vel corpus, nisi in ordine ad assumptionem totius humanitatis. Et ideo in triduo etsi anima & corpus Diuinitati manserint vnita, manserunt tamen vnita in ordine ad totius humanitatis reassumptionem, cuius rei est euidens argumentum: nam Verbum in triduo non denominabatur cadauer, licèt cadauer verè esset vnitū Verbo: neque etiam denominabatur anima, quia vnio cadaueris ad ipsum Verbum non erat nisi tantùm in ordine ad vnionem humanitatis statim futuram, quæ
in intentione erat prima & principalis. Sicut etiam admisso, quòd sanguis propriam habeat naturam & speciem à natura humana distinctam, & simul quòd sanguis sit assumptus à Verbo, adhúc Verbum non denominabatur sanguis, quia vnio sanguinis nō est principaliter intenta, sed dūtaxat, quasi via ad humanitatis vnio- 81
nem. Si autem obijciatur, quòd Deus & Christus dicitur sepultus, quia corpus fuit sepultum, & dicitur ad inferos descendisse, quia anima descendit; ergo est communicatio idiomatum inter Verbum & partes vnitas in triduo, & consequenter Verbum denominatur ab illis. Resp. illas locutiones esse figuratas, quatenus per 82
Synedo-

Synecdochen dicuntur de toto, quæ parti conueniunt,
sicut modò dicitur D. Petrus esse in cælo. sed Verbum
nunquam denominatur cadauer.
83 Tertiò aduertendum est, Resurrectionem Christi
Domini non solùm dicere reunionem animæ & cor-
poris, sed præterea quòd hæc reunio fiat in eodem sup-
posito Verbi: ita vt humanitas denuò resultans ex tali
reunione partiũ, quæ antea erant seiunctæ, per ipsum-
met esse Diuinum, & in eadem Verbi Persona subsistat:
aliàs, etsi partes inter se reunirentur, nõ esset Christi Re-
surrectio. Vniuersaliter enim cuiuscumq; hominis re-
surrectio importat, vt denuò resultet idem numero sup-
positum, quod fuerat mortuum; vt illis Verbis Iob. 19.
explicatur. *Et in nouissimo die de terra surrecturus
sum &c. Et in carne mea videbo Deum Saluatorem
84 meum, quem visurus sum ego ipse, & non alius.* Quò
fit, vt resurrectio appelletur noua generatio, siue rege-
neratio, vt explicuit Christus Matt. 19. *In regenera-
tione, cùm sederit filius hominis &c.* Quia sicut ge-
neratio non ad naturam, sed ad suppositum termina-
tur: sic etiam regeneratio, quæ in resurrectione fit, nõ
terminatur per se ad naturam; sed ad suppositum. Et
ideò Resurrectio Christi Domini in Sacris literis ge-
neratio ipsius nuncupatur, vt Psal. 2. Dominus dixit ad
85 me, Filius meus es tu, ego hodiè genui te.* Quem lo-
cum licet aliqui explicent de generatione æterna, vel
prima Christi natiuitate ex vtero matris, alij tamen in-
terpretantur de Christi Resurrectione; quia in hunc
sensum videtur exponere hunc locum D. Paulus Acto-
rum. 13. Et ita multi sancti eandem explicationem se-
quuntur, vt ostendit Iansenius ibidem adducens testi-
monia Ambrosij, Hilarij, Chrysostomi &c. Et Marti-
nez lib. 10. Hypotiposeôn regula. 1. circa finem. Et ra-
86 tio est, quia Resurrectio Christi etiã terminatur ad sup-
positum humanũ, sicut Incarnatio illius, ita quòd ex vi
Resurrectionis Christi nõ tantùm resultat humanitas,
sed hic homo Deus. Vnde si per impossibile daretur vir-
tus aliqua creata, quæ animam Christi cum corpore
posset reunire, non tamen in Diuina Verbi Persona: illa
non esset Christi Resurrectio, sed aliud suppositum re-
sultaret, quamuis esset eadem humanitas quantùm ad
partes substantiales. His ita constitutis sit in ordine
Sexta Conclusio.

Sexta Conclusio §. IX.

87 CHRISTVS Dominus verè meruit vnio-
nem humanitatis ad Verbum, quæ facta est in
Resurrectione. Oppositum huius docet M. Sua
rez disput. 10. sectio. 4. in responsione ad tertiam inter-
rogationem, vbi ait, Christum meruisse suam Resurrec
tionem, atque adeò vnionem animæ ad corpus, non
tamen meruisse aliquam vnionem humanitatis ad Ver
bum, quia hæc in reipsa non fuit dissoluta, sed mansit
in anima, & corpore, quæ etsi inter se fuerint per mor-
tem separata, sed nõ à Verbo. Vnde postea eò ipso quòd
inter se fuerunt vnita, mansit tota humanitas ad Ver-
bum vnita, non per nouam vnionem, sed per solas par-
tium vniones, quasi inter se coniunctas & vnitas.
88 Sed nostram conclusionem apertè docet M. Medina
in hoc articulo dubio 1. in solutione ad secundum; &
probatur. In instanti Resurrectionis facta est vnio hu-
manitatis ad Verbum, quæ anteà non erat; ergo facta
est ex meritis Christi. Consequentia est euidens; quia
hoc pertinet ad excellentiam meritorum Christi. Ante
cedens autem probatur. Secundùm fidem in triduo nõ
erat humanitas ergo non erat vnita Verbo, & in ins-
tanti Resurrectionis fuit humanitas, & fuit Verbo vni-
ta; ergo facta est de nouo talis vnio. Explicatur hoc ma 89
gis. In instanti Resurrectionis fuit verum dicere, nunc
humanitas est vnita Verbo hypostaticè, & immediatè
ante hoc non erat vnita; ergo denuò facta est illa vnio.
Antecedens probatur euidenter, quia in instanti Resur-
rectionis fuit verum dicere. Nũc Verbum est homo, &
immediatè antè hoc non erat homo. Ergo nunc est
vnita humanitas, & immediatè antè hoc non erat vni-
ta. Antecedens est de fide, vt ostendemus Deo dante cũ
D. Thoma infra q. 50. art. 4. Consequentia verò est eui-
dens, quia Verbum dicitur homo ex vi vnionis hypos-
taticæ humanitatis ad ipsum: & ita quandiu non est
homo, non est illi vnita humanitas; & cùm primùm
incipit esse homo, incipit esse vnita humanitas.
Confirmatur. Idem est, quòd Christus meruerit, Deũ, 90
aut Verbum esse hominem in instanti Resurrectionis,
& quòd humanitas vniatur Deo: sed Christus meruit,
quod in instanti Resurrectionis Deus sit homo; ergo
&c. Maior est certa inter Theologos, qui pro eodem
reputant, Deum esse hominem, & humanitatem esse
vnitam Deo hypostaticè. Minor autem similiter est
certa; nam cùm Deus antè illud instans non esset ho-
mo, & in eo instanti Resurrectionis sit homo, de nouo
factus est homo, & hoc ex merito Christi antecedenti:
sine causa enim admissa semel noua vnione negaretur
fuisse ex meritis Christi.
Sed respondet M. Suarez, in triduo fuisse partes hu- 91
manitatis vnitas Diuinitati, & ita in instanti Resurrec-
tionis non acquisierunt de nouo esse Diuinũ, sed tantùm
fuerunt partes inter se vnitæ in eodem esse Diuino,
quod anteà habebant. Cæterùm hæc solutio est insuffi-
ciens, quia humanitas nõ dicit partes quomodocumq;
separatas, sed partes vnitas simul, & actu componentes
totum: aliàs realiter distingueretur ab illis tanquã res à
re; & ita partes in triduo neque realiter, neque formali-
ter erant humanitas.
Secundò: quia vt ostensum est, corpus sepultum in 92
triduo nullo modo pertinuit ad humanitatem, tanquã
pars eius, quia verè & substantialiter erat sub forma &
specie cadaueris, & ideò in instanti Resurrectionis ve-
rè fuit tale corpus immutatum substantialiter, & de
nouo incæpit esse pars humanitatis corpus, quod anteà
erat cadauer, per exclusionem formæ cadaueris, & ac-
tuationem animæ rationalis. Sicut ergo in primo ins- 93
tanti esse formæ cadaueris, fuit verum dicere, nunc
primò cadauer est vnitum Diuinitati: neque enim ca-
dauer anteà erat vnitum Diuinitati, sic etiam in instan-
ti Resurrectionis verum fuit dicere, nunc primò cor-
pus incipit esse pars humanitatis, quod immediatè antè
hoc non erat pars humanitatis.
Præterea probatur conclusio. Christus meruit con- 94
tinuationem suæ incarnationis, vt docet M. Suarez: er-
go meruit etiam illam continuationem partium in
esse Diuino in ordine ad reassumptionem humanitatis
posteà faciendam. Patet cõsequentia, quia intentio Dei
principaliter fertur in totam humanitatem, & secunda-
riò in partes ratione totius; ergo hoc totum, quod est,
partes

partes in esse Diuino perseuerare, & rursus in eodem esse reuniri, in Christi meritum referendum est.

95 Postremò. Quæ pertinent substantialiter ad Christi Resurrectionem, referenda sunt in meritũ ipsius Christi, sed ad Resurrectionem Christi pertinet essentialiter, & substantialiter, quòd partes reuniantur, & componãt humanitatem, nõ quomodocũque, sed in ipsomet supposito Verbi, & vnione hypostatica ad ipsum, ita necessariò, quòd etiam si Deus in triduo dimisisset partes, & per esse Diuinum non subsisteret, ex vi meriti Resurrectionis Christi essent in ipsamet hypostasi Verbi reuniendæ; ergo meruit Christus talem reunionem in Per
96 sona Verbi. Maior est certissima, & minor est euidens: quia Resurrectio Christi intrinsecè exigit, vt resurgat idem suppositum, Christus scilicet. Et si fieret reunitiò partium aliter quàm in Persona Verbi, non resultaret idem suppositum Christi, sed aliud numero distinctum, & ita non resurgeret Christus, sed semper esset
97 verum dicere, Christus est mortuus. Ad meritum ergo Christi, quo suam Resurrectionem promeruit, per accidens est, quòd in triduo partes Diuinitati remanserint vnitæ, quia licèt Verbo vnitæ non remansissent, vt potuerunt non remanere, si Deus in triduo illas dimittere voluisset: adhuc ex vi meriti Resurrectionis ipsiusmet Christi, in instãti Resurrectionis tales partes essent in ipsomet supposito & hypostasi Verbi reuniẽdæ, quia aliàs ipsemet Christus resurgere non potuisset.

98 Sed obijcitur contra dicta. Christus de facto meruit suam Resurrectionem, & vnionem humanitatis ad Verbum in instanti resurrectionis, ergo eàdem ratione potuit mereri suam Incarnationem, atque adeò ne aliqua perfectio Christi merito detrahatur, concedendum est de facto illam meruisse. Probatur consequentia, quia tantum bonum fuit communicatum humanitati per Resurrectionem Christi, quantum per eius Incarnationem: ergo eadem est ratio vtriusq; præmij, & si Christi meritum ad vnum se extendit, ad aliud quoque poterit se extendere.

99 Confirmatur. Resurrectio non solùm est reunitio earum partium, quæ fuerant separatæ, sed prætereà requiritur, quòd terminetur ad idem suppositum, in quo partes ante separationem subsistebant, vt dictum est: aliàs si reunitio terminaretur ad aliud suppositum, non resurgeret ille homo, qui fuerat mortuus, sed alius: ergo in Christi Resurrectione, & in eius formali, & primario termino debet attendi ipsa partium reunitio, & Diuini suppositi identitas, atque adeò Christus, prout meruit suam resurrectionem, tantum bonum meruit, quãtum fuit humanitati communicatum.

100 Ad argumentum concessu antecedenti negatur cõsequentia. Et ad probationem etiam si concedatur tantum bonum fuisse humanitati communicatum per Resurrectionem Christi, quantum per eius Incarnationem, negatur meruisse Incarnationem: quia hæc est principium, & radix omnium meritorum Christi, atq; adeò sub eius merito cadere non potuit. Resurrectio verò, & reunitio humanitatis ad Verbum non est principium meritorum Christi, & ideò potuit cadere sub eius merito. Lege quæ infra dicuntur q. 19. art. 3. disp. 6. Parag. 1. in tertio consectario. à num. 62. vsq; ad 70.

Soluuntur Argumenta. §. X.

AD Primum igitur argumentum initio disputationis propositum ex Apocalip. cap. 5. Respõ- 101
deo, illum locum iuxta communem Sanctorum explicationem sufficienter & verè intelligi de manifestatione Diuinitatis Christi, quia iuxta modum loquendi Sacræ Scripturæ, ea de nouo fieri dicuntur, quæ denuò manifestantur. Ita Rupertus, D. Thomas, Catharinus, Lyra, & alij. Secundò Resp. Agnum fuisse 102
dignum accipere Diuinitatem, eo quòd meruit, vt Deus esset homo in resurrectione, & homo esset Deus. Et licèt admitteretur, vt quidam volunt, quòd per naturalem resultantiam ex vnione animæ ad corpus consequitur statim humanitatem Verbo vniri, & in illo suppositari, in quo partes ante instans Resurrectionis subsistebant: adhuc tamen id totum in Christi meritum referendum est, qui enim meretur antecedens, meretur etiam, quæ ad ipsum consequuntur. Sicut fruitio natu- 103
raliter consequitur ad beatitudinem, & qui beatitudinem meretur, fruitionem similiter meretur. Sic ergo etsi supposita vnione partium ad Verbum Diuinum consequatur, quòd si partes in eodem esse Diuino vniãtur, resultet ex tali vnione humanitas in Verbo suppositata, & quòd Deus sit homo: Christus, qui meruit partium reunitionem in eodem esse, meruit etiam, quòd Deus esset homo. In quo sensu satis commodè explicatur, meruisse Agnum Diuinitatem accipere.

Ad secundum Resp. in præmio Christi reperiri infi- 104
nitatem gratiæ vnionis, quæ nouiter facta est in resurrectione, in qua humanitas, quæ antea non erat in triduo, denuò fuit Diuinitati vnita, siue per naturalem resultantiam id fuerit, siue per se primò & formaliter, siue alio modo. Secundò Resp. concessu antecedenti negã- 105
do quòd Incarnatio fuerit præmium illius: quia meritum Christi eò dicitur infinitum, quia meruit totum illud, quod potuit cadere sub merito. Id est, totum illud, quod potest habere rationem præmij. Incarnatio autem rationem præmij habere non potest respectu operationum Christi, eò quòd est primum principium radicale omnium eorum, & totius valoris meritorij, qui in illis esse potest.

Ex his cõstat, incõsideratè asseruisse M. Medinã, ideò 106
Christum mereri Incarnationem non potuisse, quia aliàs meritum esset Deus, & infinitum bonum, quod est impossibile, & hanc dicit esse demõstrationem. Sed certè argumentatio ista nullius est momenti, vt constat ex his, quæ docet idẽ Medina hîc. Admittit enim, quòd si Christus suam operationem meritoriam ordinare voluisset ad hoc, quòd Pater, vel Spiritus Sanctus esset homo, ex vi talis meriti Pater Incarnaretur: & tamen tunc illa Christi operatio non esset Deus, neque infinitum bonum, & increatum. Rursus idem Medina in so- 107
lutione ad secundum primi dubij concedit, Christum meruisse vnionem humanitatis cum Verbo in instanti resurrectionis, & insuper, Deum, qui in triduo nõ erat homo, in resurrectione esse hominem, & tamen illa actio meritoria nõ fuit infinita, neque Deus. Ratio ergo, propter quam Christus suam Incarnationem mereri non potuit, ea est, quã tradit D. Thomas, quia, scilicet, Incarnatio est primum principium necessario præsuppositum, & prærequisitum antè omne meritum Christi.

Ad tertium Resp. in præmio, quod non comparatur 108
ad

ad meritum tanquam principium illius, non esse incõueniens, quòd præmium tempore antecedat ipsum meritum, vt contingit in gratia antiquorum Patrum; illa enim nullo modo comparatur ad meritum Christi, tanquam principium illius. Id verò, quod ad meritum cõparatur tanquam principium, ac per se antecedit ipsum, nullo modo potest cadere sub merito, quia sequeretur euidens contradictio, nempe, idem esse principium, & terminum, prius, & posterius, causam & effectum secundùm eandem rationem. Incarnatio autem præsupponitur necessariò & per se ad omnem Christi operationem meritoriam, & ideò nequit cadere sub merito illius. Resurrectio verò humanitatis, quæ in instanti resurrectionis facta est, iam præsupponebat operationes Christi meritorias, & ita potuit sub illarum merito cadere.

109 Ad primam confirmationem negatur antecedens, & ad probationem Resp. quòd secundùm ordinem naturæ meritum debet antecedere præmium, & non è contra: quia præmiũ habet rationem finis comparatione ad meritum, ac proinde est priùs in intentione, posteriùs verò in executione. De potentia autem Dei absoluta potest hic naturalis ordo immutari, ita vt præmium antecedat meritum, & habeat meritum quendam modum causæ finalis. Et ita contigit in merito Christi comparatione ad gratiam antiquorum Patrũ, quæ habuit rationem præmij meritorũ Christi, prout in Diuina præscientia antecesserunt. At verò hæc immutatio nequit fieri, si id, quod præcedit, habet rationem principij, & radicis ipsorum meritorum. Itaque si gratia antiquorum Patrum fuisset principium & radix meritorum Christi, nullatenùs posset antecedere merita Christi. Et ideò Incarnatio, cùm sit prima radix omnium meritorum Christi, per nullam potentiam fieri potuit, vt opera Christi subsequentia Incarnationem, eandem mererentur.

110 Alij respondent, solutionem anticipatam ex natura rei, quæ aliud nõ patitur, neque aliter fieri potest, quàm anticipatè, non esse actum iustitiæ, sed liberalitatis, & gratiæ eius, qui ita pretium exoluit. Vnde Incarnatio considerata in ratione præmij anticipati meritorum Christi, rationem actus iustitiæ habere non posset, atq; adeò neque propriè esset præmium.

111 Ad secundam confirmationem Resp. cùm homo meretur aliquod præmium propter bonum vsum futurũ, dupliciter posse intelligi, quòd datur illi equus V.G. Primò propter virtutem equitis, per quam donans scit bene vsurum equo, & tunc certum est, meritũ antecedere præmium. Secundò propter bonum vsum futurum ipsius equi, & tunc toto illo tempore præcedenti bonum vsum, equus non tam habet rationem præmij, & mercedis, quàm doni: quia tunc aliqua res incipit habere rationem præmij, & mercedis, quando incipit esse pro-

112 pria possessio merentis. At verò equus ante vsum eius, non est propria eius possessio, & ideò non habet tunc rationem mercedis, sed post bonum vsum, & ex consequenti adhùc in hac consideratione meritum præcedit præmiũ. Cæterùm in Incarnatione nihil horũ contingere potest; quia ipsa est tota ratio & causa meriti bonorum operum, & boni vsus, quem Christus potuit habere, quemadmodùm quia in nobis prima gratia est tota ratio, & causa merendi, sub merito cadere non potest, neque antecedenter, neque consequenter.

Ad quartum Resp. quòd Incarnatio præcedit intellectu, & ordine naturæ habitualem gratiam, & omnem dispositionem ad ipsam. Neque enim vnio hypostatica facta est mediante gratia, sed potiùs gratia ad ipsam vnionem hypostaticam consequitur, ac proindè nulla actio humanitatis Christi potuit vnionem hypostaticam antecedere, per quam actionem mereretur eandem vnionem. Quare non potuit anima Christi priùs natura aliquid intelligere, aut amare, quàm vniretur Verbo; quia res priùs habet esse, quàm operetur. 113

Ad primam confirmationem concesso, naturam humanam ordine naturæ præsupponi assumptioni, prout quædam quidditas & essentia est, quæ ad esse Verbi Personale eleuari potest: negatur, posse habere aliquam operationem meritoriam, quia priùs naturâ debet assumi ad Personam Verbi, quàm quòd aliquid operetur. 114

Ad secundam confirmationem Resp. licèt non repugnet, esse simul tempore meritum & præmium, repugnare tamen, id, quod est necessariò principium meriti in genere causæ efficiẽtis, esse terminũ eiusdem meriti. Huiusmodi autem sunt bonitas Diuina, gratia, natura ipsa, in qua suscipitur, & persona operans. Persona igitur Christi, & vnio hypostatica necessariò requiritur tanquam meriti principium; cùm priùs res habeat esse, quàm operetur: & ideò implicat, eam vnionem & personam esse terminum. 115

Ad tertiam confirmationem Resp. negando antecedens, & ad probationem similiter negatur, animã Christi fuisse priùs naturâ creatam, quàm assumptam, vt apertiùs intelligetur disputatione sequente. Quidam concedunt, animam Christi in genere causæ materialis priùs fuisse creatam, quàm assumptam; sed negant, priùs habuisse esse existentiæ: quia terminus creationis saltem primarius non tam est esse existentiæ, quàm essentia rei, quæ ex nihilo fit. Vnde in creatione animæ Christi, quamuis nullum esse existentiæ fuerit productum, sufficit tamen, quòd ex nihilo sit producta essentia ipsius animæ eum ordine ad esse, ad quod in eodem instanti trahatur, siue illud esse sit denuò productum, siue sit antiquum nouo modo se habens, siue creatum, siue increatum. Hæc tamen responsio non est ad mentem D. Thomæ, in cuius sententia humanitas in Christo non existit nisi per existentiam Verbi. Existentia autem non communicatur nisi personæ, seu hypostasi, atque adeò in nullo genere causæ potuit humanitas existere priusquàm esset ad hypostasim Verbi assumpta: aliàs existentia immediatè fuisset naturæ humanæ communicata, & non immediatè hypostasi, quod est contra D. Thomam infra quæst. 17. art. 2. Vnde priori solutioni standum est, quæ magis explicabitur disputatione secunda sequente. 116 117

Cæterùm si admittatur cum Scoto, & sectatoribus illius, humanitatem Christi antè vnionem cum Verbo præsupponi existentem per propriam existentiam, est dubium, An tunc in illo priori naturæ, quo præintelligeretur existens antè sui vnionem, posset aliquem actum elicere, quo de condigno, aut de congruo 118

huiusmodi vnionem mereretur. Videtur quidem; quia nihil tunc deesset humanitati Christi, quominùs posset in actum charitatis prorumpere, quo sui cum Ver-
119 bo mereretur vnionem. Haberet enim intellectum, & voluntatem: istæ enim potentiæ priùs naturâ insunt animæ, quàm corpori vniatur, & cum eo essentiam humanitatis componat. Posset etiam gratiam, & charitatem, auxiliumq; Dei supernaturale in illo priori habere. nam horum omnium, eò ipso quòd in rerum natura existeret, capax foret. Humanitas verò præhabens intellectum, & voluntatem ornatos fidei, & charitatis donis cum supernaturali Dei auxilio, integrum, & adæquatum principium foret actus supernaturalis charitatis, meritorij de condigno, aut congruo vnionis hypostaticæ. Ex quo efficax sumitur pro hac parte ar-
120 gumentum. Cùm primùm res concipitur, sufficienter constituta in actu primo, actum secundum elicere potest: sed in illo priori, quo humanitas Christi præexisteret antè vnionem cum gratiæ, & charitatis donis, esset in actu primo sufficienter constituta ad eliciendum actum charitatis; ergo pro illo priori posset huiusmodi actum secundum elicere, quo de condigno, aut cógruo mereretur sui cum Verbo hypostaticam vnionem.

121 Nihilominùs dicendum est, humanitatem sic præexistentem nullatenùs posse mereri, quia si propriá haberet existentiam, à Verbo assumi non posset; implicaret enim, quòd simul per se existeret, & in Verbo. Existeret autem per se, si propria gauderet existentia; hic enim est formalis effectus existentiæ substantialis propriæ, vt posteà dicemus. Deinde, estò quòd humanitas Christi cum propria existentia à Verbo assumi posset, vt Scotus, & Nominales volunt: adhùc in illo priori,
122 quo sine subsistentia præintelligeretur, nullo modo mereri posset, nam vitalis operatio, qualis est actus meritorius, est vltimus terminus, & perfectio accidentalis rei, eam intrinsecè completam, & terminatam substantialiter per subsistentiam necessariò præsupponens. Vnde implicat, vt docet D. Thomas infra q. 17. art. 2. quòd res operetur, vt, Quod, nisi per se existat, vt Quod. Eius enim est operari, cuius est esse. Humanitas autem sine subsistentia non est ens completum, vt Quod, ac proinde neque potest operari vitaliter, vt Quod, nec verò mereri.

123 Ex hoc diluitur ratio dubitandi. Lleèt enim humanitas terminata propria existentia præsupponeretur antè vnionem constituta sufficienter in actu primo, vt Qno, atq; adeò esset sufficiens, vt coniuncta propriæ, vel alienæ subsistentiæ eliceret actum charitatis; non tamen vt Quod, siue in ratione agentis totalis cópleti, quod necessarium ad merendum foret. Dices. Natura accidentalis cum sola existentia sine actuali inhærentia, qua vltimatè completur in ratione accidentis; hoc est, entis in alio existentis, posset operari, vt Quod, de potentia Dei absoluta, priùsquàm vniatur subiecto: ergo similiter natura substantialis præhabens existentiam posset operari, vt Quod, sine subsistentia, qua vltimatè in ratione substantiæ completur: hoc est, in ratione entis per se existentis. Respondetur negando consequentiã; quia natura accidentalis, V.G. calor, vt præscindit ab actuali inhærentia, est ens completum in suo genere, directè positum in prædicamento. Natura verò substãtialis absque subsistentia nó est ens in suo genere completum, ac proinde nec potest esse completũ principium operandi. operari enim sequitur esse.

SECVNDA DISPVTATIO. §. I.

CIRCA tertiam confirmationem præcedentem dubitatur, An creatio animæ Christi, siue productio humanitatis sit actio realiter distincta ab assumptione, vel potiùs sit vna, & eadem actio, qua producitur humanitas, & vnitur Verbo. Videtur autem quòd sint duæ actiones realiter distinctæ. Pri- 1
mò. Actiones distinguuntur ex terminis, ergo vbi sunt termini reipsa distincti, sunt diuersæ actiones. Sed in Incarnatione termini sunt distincti, quia substantia animæ, vel materiæ, & humanitatis est in re ipsa distincta ab vnione ad Verbum: ergo & actio, per quam fit anima, & actio per quam Verbo vnitur, sunt distinctæ. Si dicas non tenere consequentiam, quia sicut per vnã & eandem actionem fit accidens, & vnitur subiecto, & tamen entitas, & substantia accidentis distinguitur ex natura rei ab vnione: sic etiam, licèt substantia humanitatis, vel animæ sit distincta ab vnione ad Verbum, fit tamen per eandem actionem, quia fit dependenter à Verbo, & non priùs in se, quàm in Verbo. Contra hoc sit secundum argumentum.

Entitas naturæ humanæ, seu animæ, & vnio ad 2
Verbum non solùm distinguuntur ex natura rei, sed etiam sunt distincti ordinis; quia entitas animæ est naturalis, modus autem vnionis est omninò supernaturalis: vnde non habent inter se illam naturalem connexionem, quæ est inter accidens, & vnionem ad subiectum: ergo actio, qua fit entitas animæ, & vnio eius ad Verbum non potest esse vna, & eadem, neque per modum simplicissimæ actionis; cùm terminus non sit simplex: neque per modum actionis compositæ, saltem cum essentiali dependentia illius actionis, vt terminatur ad entitatem naturalem, ab alia veluti parte illius actionis, quæ ad modum supernaturalis vnionis terminatur: quod enim est naturale, non potest ita essentialiter dependere ab eo, quod est supernaturale. Vel fatendum est, ipsam entitatem naturalem animæ Christi fieri in rerum natura per actionem, & modũ omninò supernaturalem.

Tertiò. Sequitur ex opposita sententia, animam 3
Christi non fieri per creationem, quod est falsum. Probatur sequella: tum, quia creatio rei naturalis est actio pertinens ad ordinem naturæ: sed anima Christi dicitur facta per actionem alterius ordinis. Tum etiam, quia creatio est actio ex nihilo per virtutem agentis sine adminiculo alterius: sed anima Christi est facta cum actuali dependentia à Verbo, tanquam à sustentante: ergo.

Quartò. Sequitur, animam Christi non esse factam 4
per creationem eiusdem speciei cum creatione aliarum animarum; consequens est falsum: ergo. Probatur sequella. Vnionis hypostaticæ actio est essentialiter distincta ab actione, qua anima nostra creatur; sed hæc creatio non pendet, neque pendere potest essentialiter ab actione, qua fit illa vnio: ergo si creatio animæ Christi est eadem omninò actio cũ vnione, & quatenùs

terminatur

Digitized by Google

ergo. Probatur minor: quia præter illud esse, nullum aliud habet humanitas, nisi esse existentiæ; sed hoc esse existentiæ in humanitate Christi non fuit aliud, nisi esse Verbi, vt supponit præfata solutio: ergo illud esse fuit immediatè vnitum humanitati, quæ secundùm se erat æterna. Ergo Incarnari non fuit aliud, quàm æternam essentiam trahere ad increatum esse Verbi. Hæc autem non est Incarnatio, sed fictio; quia illa essentia æterna nihil fuit, neque est assumptibilis, secundùm illud præcisè, quod ex se & ex æternitate habet: ergo necessum est, vt aliquod aliud esse illi tribuatur prius ordine, & prioritate naturæ, vel saltem rationis, per quod sit in esse producta, antè quàm assumatur.

60 Secundò sequitur ex eadem solutione, humanitatem Christi non habere à Deo per efficientiam eius proximam capacitatem, vt vniatur Verbo, quod est absurdum in doctrina fidei. Probatur sequella, tum, quia illa capacitas non est in humanitate secundùm aliquod esse existentiæ, sed solùm secundùm esse essentiæ æternum, secundùm quod essentia humanitatis non est effectiuè à Deo. Tum etiam, quia si illa capacitas est in humanitate per actualem efficientiam Dei. Ergo existit ex vi illius efficientiæ; ergo habet aliquam existentiam factam & creatam. Ergo hæc est existentia ipsiusmet humanitatis: ac subinde est producta, antèquàm assumatur. Hæc ratio probat etiam, humanitatem priùs naturâ habuisse existentiam, & fuisse productam, quàm fuerit Verbo vnita: quia illa humanitas priùs naturâ fuit capax vnionis, quàm actu vnita, proxima autem capacitas non est nisi in entitate iam effecta, & producta, & extra suas causas existente.

61 Ad primam replicam negatur consequentia, quia humanitas etiam in ratione essentiæ considerata nullum esse habuit ab æterno, neque esse existentiæ, neque esse quidditatiuum, & essentiale. De quo legendus est M. Bañes. 1. p. q. 10. art. 3. conclus. 1. Vnde Verbum fuit vnitum humanitati, vt erat quædam quidditas & essentia, non quidem producta, sed quæ producebatur, & tendebat ad esse increatum & Diuinum; quod per vnionem siue assumptionem fuit illi communicatum. Vnde falsum est, quòd Incarnari, sit, æternam essentiam trahere ad increatum esse Verbi, sed est, essentiam, quæ actu producitur, assumi ad existendum per esse Verbi, per cuius existentiam constituitur in esse producto. Et ob id diximus, humanitatem priùs natura fuisse assumptam ad esse increatum Verbi, quàm sit producta.

62 Ad secũdam instantiã negatur sequella, & ad vtramque probationem dicitur, illã capacitatem proximam esse in humanitate, non secundùm esse essentiæ æternum, quod nullum habuit, sed secundùm quòd efficitur, & producitur à Deo: & ex vi huius efficientiæ & productionis habet humanitas existentiam, non quidem propriam, naturalem, & creatã, à qua per assumptionem fuit impedita, sed Diuinam & increatam Verbi, quæ per eandem assumptionem illi communicatur. Et quamuis humanitas priùs natura fuerit vnionis capax, quàm actu vnita, non tamen est necessarium, huiusmodi proximam capacitatem esse in entitate iam effecta & producta, sed solùm requiritur, vt sit in entitate, quæ iam fit & producitur, & extra suas causas constituitur. Quæ omnia in solutionibus sequentibus magis explicabuntur.

Ad primam cõfirmationem argumenti primi Resp. 63
Resp. Hanc assumptionem esse simul ad existendum, & subsistendum. Primò quidem ad subsistendum, & secundariò ad existendum. Sed negamus, quòd in eo signo, in quo humanitas intelligitur assumpta in facto esse, intelligatur producta: quia per assumptionem tendit ad suum terminum, & per illam constituitur in termino, & in facto esse. Et ideò in priori rationis signo intelligitur assumpta, & in posteriori producta. Concedo etiam, quòd in eodem instanti, in quo concipiebatur humanitas in ratione quidditatis, & essentiæ assumendæ, producebatur, & erat producta, assumebatur, & erat assumpta à Verbo; quoniam in instantaneis simul est fieri, & factum esse, produci, & productum esse.

Ad secundam confirmationem concesso antecedenti, negatur consequentia: quia singularitas tantùm prouenit ex principio indiuiduationis, quidquid illud sit, siue materia signata, siue aliud. Humanitas autem præintellecta assumptioni in ratione quidditatis, & essentiæ habebat huiusmodi principium, atque adeò erat singularis, quamuis de facto non esset producta, sed producebatur in illo priori. 64

Ad tertiam confirmationem Resp. Humanitatem Christi in illo priori, quo fuit assumptioni præintellecta, esse quidem ens reale, vt ens reale distinguitur contra ens rationis, & contra nihil, quia erat vera & realis essentia; & ita falsum est, nihil posse intelligi in esse vero & reali essentiæ, nisi intelligatur productum. Si autem per ens reale intelligatur ens actualiter productum, & existens; sic humanitas in illo priori non erat ens reale: quod ampliùs explicabitur in sequente respõsione. 65

Ad quartam confirmationem Resp. Humanitatem fuisse præintellectam assumptioni in ratione actualis entitatis, non quidem vt actualiter existentis, & de facto productæ, sed in ratione entitatis formalis aptæ natæ conferre Diuino Verbo formalem denominationem humani suppositi. Sic autem præintellecta humanitas non intelligitur vt purum nihil, sed per modum veræ & formalis essentiæ. 66

Sed contra solutionem instatur. Humanitas, vt entitas actualis ordine naturæ præintelligitur, & supponitur assumptioni, vt concedit præfata solutio; ergo supponitur vt actualiter existens, & de facto producta. Probatur consequentia. Quia in esse actualis entitatis constituitur per existentiam; & non increatam, cùm hæc sit terminus assumptionis, & nequeat illi supponi; ergo per creatam. 67

Confirmatur, humanitas, vt est entitas actualis præintellecta assumptioni, est aliquid à parte rei in rerum natura; sed nihil potest esse à parte rei aliquid, nisi sit productũ, & actu existens: ergo. Resp. Negando cõsequentiã, quia vt ostensum est supra art. 2. huius quæstionis Disput. 3. Parag. 5. Res non constituitur in esse actualis entitatis per existentiam, sed per formam specificam, quamuis requiratur existentia concomitans & simultanea. Ad confirmationem Resp. Humanitatem, prout est entitas actualis, non esse aliquid à parte rei existens, formaliter loquendo, sed esse aliquid essentiale & quidditatiuum, quod producitur, & fit, vt existat à parte rei. Neque valet argumentum à re concepta, vt 68

in

Digitized by Google

potuit Christus mereri de congruo suam incarnatio-
30 nem. Sed hæc responsio nulla est, tum quia homo primam gratiam mereri de congruo non valet, vt loco citato docent Thomistæ: tum etiam, quia non est eadem ratio de prima gratia, & de Incarnatione Verbi, quoniam ad primam gratiam præsupponitur subiectum existens, per gratiam præuenientem eleuatum, & adiutum, cuius virtute qui iustificatur, poterit secundùm aliquorum sententiam de congruo sibi mereri primam gratiam. At in Christo antè Incarnationem non præsupponitur ipsum subiectum meriti; nempe
31 Christus. Item est alia differentia, quòd Incarnatio est prima radix omnium meritorum Christi, siue sint de congruo, siue de condigno; quia est causa meritorum, inquantum est causa omnium Christi operationum, hoc est, prout constituit ipsum suppositum operans. Gratia verò habitualis in puro homine est radix, & principium omnium meritorum de condigno, non tamen omnium meritorum de congruo, iuxta multorum Theologorum opinionem, qui in operibus procedentibus ex gratia præueniente, imò & in operationibus bonis moraliter existimant reperiri rationem meriti de congruo.

32 Quarta ratio. Christi Domini Incarnatio fuit opus maximum & summum Diuinæ misericordiæ, & quod est omnium meritorum fundamentum, & radix; ergo nequit esse præmium alicuius meriti Christi, sed debuit illi conferri ex summa Dei gratia, & liberalitate. Postremò. Meritum debet antecedere præmium saltem ordine naturæ: sed in Christi humanitate nullum præcessit opus ordine naturæ antè assumptionem, meritorium, ergo. Probatur minor. Operatio animæ est quoddam accidens eius; sed nullum accidens præsertim extrinsecum, seu non habens intrinsecam, & necessariam connexionem cum ipsa substantia, antecedit ordine naturæ propriam subsistentiam, atque adeò neque hanc hypostaticam vnionem: ergo idem dicendum est de operatione & de merito, quod in illa fundatur.

33 Confirmatur. Actiones sunt suppositorum, seu subsistentium: sed humanitas priùs naturâ, quàm vniretur, non fuit suppositum, neque subsistens: ergo neque capax operationis, neque meriti. Maior est Aristotelis. 1. Metaph. cap. 1. Vbi pro eodem reputat singularem naturam, & suppositum. Et probatur: quia licèt subsistentia non sit formale principium operandi, est tamen conditio ex natura rei prærequisita in operante, quoniam rei complementum in proprio esse substantiali secundùm ordinem naturæ antecedit operationem.

34 Ex dictis constat, nullam actionem humanitatis Christi potuisse antecedere vnionem hypostaticam, per quam actionem mereretur eandem vnionem. Et patet euidenter, quia humanitas Christi assumpta est ad Diuini Verbi Personam, ergo priùs naturâ personatur, quàm aliquid operetur: ac subinde non potuit anima Christi priùs naturâ aliquid intelligere, aut amare, quàm vniretur Personæ Verbi.

Secunda Conclusio. §. IIII.

35 DE Potentia Dei absoluta non potuit Christus suam Incarnationem mereri. Hæc conclusio non est tam certa sicut præcedens, quæ de facto tantùm, & de potentia ordinaria procedebat: est tamen recepta multis grauissimis Theologis; & maximè consentanea doctrinæ D. Thomæ in hoc articulo, vbi quasi per se notum præsupponit, Christum suam Incarnationem
mereri non potuisse. Et probatur. Primò. Impossibile 36
est idem esse principium & terminum in eodem genere causæ; sed vnio hypostatica, & Persona Christi est principium effectiuum cuiuscumque actionis meritoriæ in Christo, & præmium & merces est terminus ipsius meriti: ergo fieri non potest, quòd vnio sit merces & præmium meriti Christi. Maior patet: sed probatur minor. Quæcumque natura est principium cuiuscumque operationis, quæ illi conuenit, quatenus in supposito subsistit: sed per vnionem hypostaticam humanitas Christi subsistit in Supposito Diuino: ergo illa vnio est principium cuiuscumque operationis in Christo. Secunda pars minoris, nempe, quòd præmium sit terminus meriti, manifesta est.

Confirmatur. Incarnatio Christi fuit causa efficiens 37
omnium meritorum Christi; ergo nequiuit habere rationem præmij respectu illorum meritorum. Probatur consequentia, quia idem respectu eiusdem esset causa & effectus in eodem genere causæ efficientis. Etenim incarnatio fuit causa efficiens meritorum Christi, & si ipsa incarnatio est præmium meritorum, ipsa merita fuerunt effectrices causæ incarnationis, quia causa meritoria est causa efficiens, atque adeò incarnatio in genere causæ efficientis esset causa & effectus meritorum Christi, quod dicere est absurdum.

Sed respondet M. Suarez, incarnationem fuisse cau- 38
sam meritorum Christi efficientem physicam, merita verò Christi fuisse eiusdem Incarnationis causam efficientem moralem. Non est autem inconueniens, vnum & idem esse causam, & effectum respectu eiusdem secundùm has diuersas rationes, & diuersa genera causarum, ita vt sit causa physica & effectus moralis. Sed contra est. Incarnatio Christi non solùm in genere physico sed etiam in genere morali, imò potiùs in genere moris fuit causa meritorum Christi: tribuit enim illis valorem infinitum meritorium, quod non tam effecit physicè, quàm moraliter, vel vt veriùs dicam, quadam eminente ratione vtrumque genus complectente, & physicum & morale: ergo si fuit morale præmium, eorundem meritorum, fuit etiam causa & effectus in eodem genere moris.

Secundò probatur conclusio. Christus non potuit 39
mereri suam incarnationem, neque meritis ipsam præcedentibus, neque verò subsequentibus: ergo nullo modo potuit mereri. Consequentia est euidens, & probatur antecedens. Non meritis antecedentibus, quia Christus præexistere non potuit antè Verbi Incarnationem, si enim fingamus, eius humanitatem in alio supposito præextitisse, videlicet, in supposito proprio, & sibi connaturali, quod de potentia Dei fuit possibile, ille homo non esset idem homo personaliter cum Christo, sed alius omninò, & ideò licèt ille homo mereretur Christi Incarnationem, non propterea Christus illam meruisset. Secunda pars antecedentis de meritis subsequentibus probatur. Illa merita præsupponunt per se & essentialiter Incarnationé Christi, eo quód ab ea participát totú

suum

suum valorem meritorium: ergo impossibile est illam mereri. Implicat enim, quod meritum per se & essentialiter præsupponat in merente præmium susceptum.

40 Sed inquit M. Suarez, potuisse Deum Christo conferre illud Incarnationis beneficium cum dependentia à sequentibus meritis, ita vt si Christus sequentibus operibus illud nō meruisset, Deus auferret ab eo istud beneficium, quod ei cum prædicta dependentia contulerat, & sub hac lege quod ipsum promereretur sequentibus meritis, ad eum modum, quo princeps posset militi equum, & arma donare ea lege & conditione, vt strenuè se gereret in bello, quod aliàs ab eo esset ablaturus.

41 Cæterùm hæc solutio est impertinens, quia licèt admittantur omnia, quæ confingit, non inde aliud sequitur, nisi quòd in tali casu Christus meruisset continuationem suscepti beneficij, nempe, Incarnationis, sed non quòd posset mereri ipsam Incarnationis substantiam, quàm per se præsupponebant susceptam ipsa Christi merita, siue data esset dependenter, siue independenter, siue in perpetuum, siue ad tempus. In hac autem conclusione non disputatur de continuatione Incarnationis, & de eius perseuerantia, sed de illius duntaxat substantia.

42 Tertiò probatur. Christus suis operibus mereri non potuit primam suæ Incarnationis prædestinationem; ergo neque eius executionem. Consequentia patet: nam quem ordinem habent inter se meritum, & præmium prout in executione, eundem habent in intellectu, & præscientia Dei: sed in Dei præscientia opera Christi habere non potuerunt rationem meriti respectu Incarnationis, ergo neque in ipsa executione. Consequentia cum minore constat ex præcedente conclusione. Maior verò probatur, quia ordo rationis in actibus Diuinæ voluntatis, & intellectus sumitur ex reali ordine, & connexione, quam res à Deo intellectæ, & volitæ habent inter se vt ostensum est supra q. 1. art. 5. Parag. 2.

43 Et præterea, quia merita eodem modo sunt causa præmij in ipsa executione, ac in præscientia Dei. Sicut enim in executione non causant physicè ipsam consecutionem præmij, sed tantùm moraliter, quatenus alliciunt, & permouent voluntatem eius, qui præmium concedere debet, ad illud reddendum: sic in præscientia non physicè, sed moraliter mouent præmiantem, vt illorū intuitu præmium efficaciter dandum proponat, seu decernat ipsi merenti. Ergo si Deus ex operibus Christi moueri non potuit ad efficaciter prædestinandam Incarnationem, neque ad illam exequendam. Etenim prædestinatio executionem rei intrinsecè respicit.

44 Dices, argumentum nihil concludere, quia est manifesta instantia in prædestinatione ad gloriam, quam nullatenus mereri possumus, cùm tamen ipsius executionem mereamur. Contra: quia prædestinatio formaliter non est voluntas dandi nobis gloriam (hanc enim sicut & ipsam gloriam de condigno meremur, vt doctè ostendit M. Vazquez 1. p. Disput. 89. cap. 9. & 10.) sed præparatio gratiæ, & auxiliorum supernaturalium ad gloriam obtinendam: quam sanè præparationem sicut non meremur, sic neque ipsa supernaturalia dona in executione exhibita. Sed quicquid sit de huius rationis efficacia, cuius vim acutè perpendit hic author, probatur quartò conclusio illa tertia ratione adducta pro præcedente conclusione, quæ non solùm concludit de potentia Dei ordinaria, sed etiam de absoluta. Ratio autem est.

Principium totale meriti sub meritum cadere non potest; sed Incarnatio Christi fuit totale meritorum eiusdem principium: ergo Christus per illa suam Incarnationem mereri non potuit. Consequentia est nota, & maior patet ex dictis, & præterea probatur: nā quod est causa causæ in eodem genere, est causa causati: sed merita Christi fuerūt effectus causati ab Incarnatione; ergo si possunt esse causa meritoria Incarnationis, poterunt quoque esse causa meritoria sui ipsorum; quo nihil absurdius dici poterit. Minor verò constat: quia quicquid est in operibus Christi tam physicum, quàm morale, totum ab ipsa Incarnatione, vt à prima radice, & adæquata causa prouenit. 45

Sed respondet M. Suarez; principium adæquatum meritorum Christi fuisse Incarnationem ipsius, prout primùm à Deo præordinatam, non vt in executione positam, atque adeò sub hac posteriori ratione sub meritum Christi cadere potuisse. Sed contra est; nam Incarnatio ea formaliter ratione fuit principiū merendi in Christo, quatenùs eius operibus communicauit verum, & intrinsecum meriti valorem: sed Incarnatio Christi prout in executione posita, & non quatenùs extrinsecè à Deo præordinata, communicauit operibus Christi intrinsecum valorem meriti: totus enim hic valor sumitur à reali, & intrinseca vnione cum infinita Verbi Persona, vt supra ostensum est q. 1. art. 1. Disput. 5. Ergo Incarnatio Christi, prout in executione posita fuit totale meritorum Christi principium: & ex consequenti Christus per illam, primam suæ Incarnationis executionem mereri non potuit, sicut nec nos primam nostri creationem. 46 47

Argumentum autem M. Suarez nihil conuincit, quia nequeunt aliqua opera acceptari ad præmium, anticipata solutione reddendum, nisi prout iam in executione exhibita respectu illius veram rationem pretij habeant. Opera verò Christi, prout in executione posita rationem pretij respectu Incarnationis habere non potuerunt: quia totum valorem intrinsecum, quem habebant, ab ipsamet Incarnatione participabant; & ideò Deus huiusmodi opera, vt meritoria Incarnationis futuræ acceptare non potuit; nec propter illa præuisa, & cognita, vt certa & infallibilia exequi ipsam Incarnationem, sicut antiquis Patribus anticipata solutione gratiam conferre potuit. Ratio autem est; quia opera Christi, vt in re exhibita fuerunt verum pretium, quod Christus pro gratia antiquis Patribus collata persoluit. Vt enim in tertia ratione huius conclusionis dictū est, eundemmet causalitatis modum habent merita prout in executione posita respectu præmij, & prout præuisa, & acceptata. 48

Sed quia M. Suarez, & M. Franciscus de Carthagena tracta. de Prædestinatione, discursu. 12. plus nimio huius argumenti difficultatem exaggerātes, asserunt, neminem hactenùs sufficientem dedisse rationem, ob quā repugnet, quòd Deus sub conditione operis Christi futuri Incarnationem exequi posuerit, sicut Rex potest equum, & arma militi dare sub obligatione futuræ pugnæ &c. Placet nonnullas differentias assignare, ex 49

quibus euidenter constabit, argumentum nihil concludere. Et primò quidem; quia cùm vsus equi ab eius dominio differat, dici potest, Regem prius solum equi vsum, non verò eius dominiũ militi concessisse, quousque illud assequatur per futuram pugnam. Præterea, cùm
50 dominium equi sit quid morale, potest à morali contractu, nempe, pacto, & obligatione pugnandi dependere, ita vt miles non priùs sit Dominus absolutus equi, quàm conditionem pugnandi adimpleret. In Incarnatione verò vsus à dominio eius distingui non potest. Et cùm sit quid physicum, à contractu morali dependere non potest. Sicut ergo hac ratione non posset homo creari sub conditione operis futuri; quia siue illud præstet, siue non, absolutè, & simpliciter est homo, &
51 non tantùm sub conditione: sic etiam neque Incarnatio Christi potuit executioni mandari sub futuri operis conditione, quia si semel præsupponitur facta; ratione illius Christus verus Deus, & homo absolutè, & simpliciter, & non sub cõditione foret, etiam si per impossibile postea non faceret opus prædeterminatum à Deo.
52 Denique actus pugnandi à milite exhibitus, verum foret pretium, quo de condigno equum sibi priùs à Rege datum mereretur, non verò opus à Christo elicitum Incarnationis priùs factæ: cuius ratio à priori est, quia valor operum Christi totaliter desumitur ab eius Incarnatione; & valor pugnæ militis non sumitur totaliter ab equo sibi in præmium collato, sed magis ab eius industria, & labore, vt docet D. Thomas 1. 2. q. 114. art. 5. ad. 3.

Tertia Conclusio. §. V.

53 SEcundùm absolutam Dei potentiam fieri non potuit, vt Christi humanitas meruisset suã vnionem quantùm ad eius substantiam, etiam in illo priori naturæ, in quo ipsi vnioni, siue assumptioni præintelligitur. Hæc conclusio est contra Caietanum, qui oppositum videtur in hoc articulo insinuare, restringens sententiam D. Thomæ ad potentiam ordinariã. Eam docet M. Suarez disput. 10. sectio. 3. Et ratio est euidens, quia secundùm rectam philosophiam, & eundem Caietanum, actiones sunt suppositorum, vel per se existentium; ergo si humanitas in illo priori naturæ potuit habere aliquam operationem suæ assumptionis meritoriam, illa fuit elicita ab humanitate, quatenus
54 erat vel suppositum, vel per se existens. Sed non primũ; quia vel erat suppositum propria personalitate constitutum, & tunc non esset humanitas Christi, sed alterius personæ, vel aliena personalitate, & hoc est esse Christum, & quod in hac vnione factum est. Neque secundum, quia per se existentia humanitatis necessariò debet esse incommunicabilis existentia, cùm sit naturæ integræ & perfectæ: existentia verò incommunicabilis sine propria, vel aliena personalitate intelligi non potest; atque adeò sequitur id, quod primò illatum est, & ex consequenti Christum neque secundùm se, neque secundùm aliquam partem sui potuisse mereri suam Incarnationem.
55 Confirmatur supponendo, ex natura rei priorem esse subsistentiam, quàm sit operatio: hunc autem ordinem, cùm sit intrinsecum, & quasi essentialis, immutari non posse. Ex quo sic argumentor. Deus facere non potuit, vt humanitas in proprio supposito prius natura operaretur, quàm subsisteret, quia nequit efficere, quin subsistentia sit magis intrinseca, & ex sua natura prior operatione. Item hæc propria subsistentia impediri nõ potuit per vnionem ad Verbum alio modo, quàm de facto impedita est; ergo nisi de facto non intelligitur talis ordo naturæ, quo humanitatis operatio vnionem præcedat, nulla ratione est illa possibilis.
Sed objicitur. Deus de sua potentia absoluta efficere potest, vt accidens sit sine subiecto, & vt sic aliquam 56
habeat operationem, vt patet in Sacramento altaris, ergo similiter facere valet, vt humanitas sit absque personalitate propria, vel aliena, & sic habere aliquam meritoriam actionem. Respondetur negando consequentiam, quia est diuersa ratio; nam accidens habet propriam existentiam distinctam ab existentia substantiæ, & per illam Diuina virtute existere potest, habereque eandem operationem, quam habebat, dum inexisteret. At verò quòd humanitas per se existat, siue sit persona, vel quòd per se existat sine propria, vel alie- 57
na personalitate, repugnat propter rationem assignatam, quia cùm sit per se existentia naturæ integræ, debet esse incommunicabilis. Existentia verò incommunicabilis nequit esse sine subsistentia, & etiã, quia humanitas separata ab omni supposito proprio, vel alieno, in rerum natura existere non potest, atque adeò in illa vt sic nullum potest esse meritum.

Quarta Conclusio. §. VI.

CHRISTVS Dominus neque meruit, neque 58
mereri potuit circumstantias suæ Incarnationis, v. G. temporis, loci, videlicet, quòd tali tempore fieret, tali modo, opere scilicet Spiritus Sancti, & tali loco &c. Prior pars conclusionis, quæ de facto procedit, probatur: nam circumstantiæ, & aliæ similes tenent se ex parte Incarnationis, & constituunt vnum opus cum eius substantia. ergo tenent se ex parte principij totius meriti Christi, & ex consequenti non cadunt sub eius merito.
Confirmatur, quia istæ circumstantiæ nõ magis fue- 59
runt liberæ Christo, quàm ipsa Incarnatio; ergo si non meruit Incarnationem, neque has circumstantias. Antecedens patet: nam Christus non elegit, quatenus homo, quòd ex tali matre nasceretur, vel in tali tempore, & loco: hæc enim antecedunt eius Natiuitatem, & Incarnationem; ergo determinatio talium circumstantiarum non est referenda in liberum meritum Christi, sed præcisè in determinationem Dei.
Secundò. Meritum debet præcedere præmium saltem ordine naturæ: sed istæ circumstantiæ antecedunt 60
omne meritum Christi; ergo sub illo cadere non possunt. Tertiò. Cùm homo iustificatur, non meretur primam gratiam, neque potest mereri, neque eius circumstantias, nempe, quòd tali tempore cum tanta intensione, & perfectione ei conferatur, sed omnia ad Dei liberalitatem reuocantur; quia tenet se ex parte primæ gratiæ, quæ est totius meriti principium, & cum illa vnũ principium efficiunt: ergo idem dicendũ est de circumstantijs Incarnationis Christi, quæ fuit radicale principium omnium meritorum Christi.
Confirmatur. Quod habet rationem principij in 61
omni ordine & genere, ab illa operatione dependere non

non potest, quæ per se ex tali principio pendet; sed merita Christi dependent ab Incarnatione, & à circunstantiis, quæ illam comitantur, tanquam à principio: ergo non solùm Incarnatio, sed illius circunstantiæ sub Christi meritum cadere non potuerunt. Consequentia est manifesta, & probatur minor, quia Incarnatio nequit exequi officium principij, imò simpliciter non potest esse nisi sub talibus circunstantiis, aut similibus cõstituta. Maior etiam est euidens: nam intellectus, qui est intellectionis principium, ab intellectione non dependet, sed è conuerso, & sic de aliis.

62 Sed contra obijcitur. Antiqui Patres meruerunt saltem de congruo huiusmodi circunstantias, vt docet D. Thomas in hoc articulo: ergo multo magis Christus promeruit tales circunstantias. Resp. Patres veteres non tantùm meruisse de congruo circunstantias Incarnationis, sed etiam ipsammet Incarnationem, quam tamen Christus non meruit. Negatur ergo consequentia, & ratio discriminis est, quia merita antiquorum Patrum antecesserunt tempore ipsam Incarnationem, & eiusdem circunstantias, neque Incarnationem cum suis circunstantiis respiciebant, tanquàm principium intrinsecè eliciens operationes illorum meritorias, & ita petendo & desiderando Incarnationem, & illius circunstantias merebantur de congruo: quia congruum

63 erat, vt Deus suos amicos deprecantes exaudiret. Secũda pars conclusionis probatur eisdem rationibus, quæ satis efficaciter illam probant, quatenùs de lege & potentia ordinaria loquitur, & probabiliter illã suadent, si de potentia absoluta intelligatur.

Quinta Conclusio. §. *VII.*

64 CHRISTVS Dominus neque meruit, neque mereri potuit suæ Incarnationis continuationem. Oppositum huius assertionis tenet M. Suarez disp. 10. sectio. 4. dicens, ad Christi dignitatem pertinere, quòd prædictam Incarnationis continuationem meruerit. Sed nostra conclusio probatur, & primò quò ad priorem eius partem, quæ de facto procedit. Quod per se est principium alicuius meriti, non potest esse præmium eiusdem meriti; sed Christi Incarnatio est per se principium primum & radicale omnium meri-

65 torum Christi: ergo nequit esse ipsorum præmiũ. Sed dices, hoc argumentum tantùm concludere, ipsam substantiam Incarnationis Christi non potuisse esse præmium meritorum Christi. sed nihil probare de eius continuatione. Contra. Continuatio principij, & radicis meritorum non magis potest habere rationem præmij respectu ipsorum, quàm ipsa substantia eiusdem principij: ergo &c. Probatur antecedens. quia continuatio talis principij non ponit in numero cũm substantia eiusdem principij. Sicut enim conseruatio rei non est simpliciter actio distincta ab eius creatione, sed est eadem creatio continuata, vt docet D. Thomas. 1. p. q. 104. art. 1. ad 4. ita productio substantialis principij meritorum, & eius continuatio non sunt duæ distinctæ actiones, sed vna, & eadem. Et ideò sicut productio sub merito cadere non potest, ita neque eius continuatio.

66 Confirmatur primò. Radicale, & primum merendi principium non potest cadere sub merito: quod enim secundùm se est principium, nequit esse terminus, & finis, præmium autem habet rationem finis & termini; sed Incarnatio secundùm se est primum & radicale omnium meritorum Christi principium: ergo nullo modo potuit etiam quantùm ad sui continuationem esse præmium meritorum eius.

Confirmatur secundò. Continuatio primæ gratiæ in puro homine iusto nequit cadere sub merito: sed nõ ob aliud, nisi quia prima gratia est primum & radicale principium merendi, & repugnat principium meriti esse ipsius meriti terminum & finem: at Incarnatio est primum principium, & radix omnium meritorum Christi; ergo nullo modo dici potest, Christum de facto meruisse eius continuationem. Consequentia cum minori patet, & maior probatur: quia alias posset homo mereri suam perseuerantiam in gratia, si posset mereri continuationem gratiæ. 67

Sed pro maiori huius rationis intelligentia aduertendum est, primum & radicale merendi principium posse suis actibus meritorijs propriam perfectionem mereri, & ideò gratia meretur propriũ augmentum, & Christus suis meritis promeruit quandam suæ Incarnationis perfectionem, nempe, corporis immortalitatem, & gloriam, & sui nominis exaltationem, sed non potuit mereri continuationem, seu conseruationem suæ entitatis substantialis, quia continuatio non ponit in numero cum ipsa substantia principij, & cum eius prima productione, atque adeò tenet se ex parte principij meritorum, & rationem termini habere non potest. Est simile in potentia naturali, V. G. intellectu, vel voluntate, &c. Quæ seipsam per suas operationes perficere potest, ita vt eius perfectio habeat rationem termini respectu suarum actionum: sed non potest sui conseruationem, aut continuationem causare, quia hoc non pertinet ad ipsam potentiam, sed ad authorem illius; quoniam eiusdem causæ est conseruare rem, cuius est producere: atque adeò continuatio, siue conseruatio potentiæ non sortitur rationem termini operationum ipsius potentiæ. 68 69

Postremò probatur conclusio. Continuatio Incarnationis Diuini Verbi per se pertinuit ad Christi prædestinationem: sed Christi prædestinatio nullum habuit meritum, sed ad solam Dei voluntatem est referenda; ergo Christus suæ Incarnationis continuationem non meruit. Maior probatur. Christus fuit prædestinatus Filius Dei, vt esset hominum Redemptor, & vt esset caput hominum, & Angelorum, & sua morte peccata hominum deleret, & sua Resurrectione vitam eorum spiritualem repararet, *Mortuus est* ais Paulus ad Roma. 4. *Propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Ergo non solùm ipsa Incarnationis substantia quantùm ad sui primam productionem fuit præordinata independenter ab omnibus meritis, sed etiam quantùm ad sui continuationem, & perseuerantiam. Confirmatur ex illo ad Roma. 1. *Qui,* videlicet, Christus, *Prædestinatus est est Filius Dei in virtute secundùm spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri.* Ex quibus Verbis constat, Christi prædestinationem non in sola Incarnationis substantia fuisse terminatam, sed ad nostram sanctificationem, & mortuorum Resurrectionem ipsa Christi virtute operandã pertransijsse: quare Incarnationis cõtinuatio nõ ex meritis, sed ex sola Dei prędestinatione ortũ habuit. 70 71

Secunda

72 Secunda pars conclusionis, quæ de possibili loquitur, non est tam certa, sed pro eius confirmatione aduertendum est, negari non posse, Christum Dominum mereri potuisse Incarnationis continuationem, sicut homo iustus potest suæ primæ gratiæ continuationem mereri: sed id differt conclusio, quòd illud meritũ esset quasi ab extrinseco ex sola Dei acceptatione, & promissione. At suam vim meritoriam ex principio intrinseco, nempe, ex gratia vnionis non participaret: quia cùm in ipsa gratia vnionis nũ fiat mutatio, vt supponimus, sed semper eandem naturam retineat: etiam

73 si Deus vellet eius opus acceptare, tanquam illius præmij meritorium, & ordinet te ipsa illud opus ad continuationem Incarnationis, tanquàm ad præmium promerendum; illud tamen opus non participabit ex ipsa gratia vnionis huiusmodi vim meritoriam, quia gratia vnionis nullam habet virtutem ad merendum suã continuationem, neque potest illam operibus Christi communicare, atque adeò ab extrinseco tantùm & secundum quid posset Christus suis operibus mereri Incarnationis suæ continuationem. Idem etiam de homine iusto dicendum est, quòd si de potentia Dei absoluta mereatur gratiæ suæ continuationem, & perseuerantiam, tale meritum ab ipsa gratia non dimanabit, sed ab extrinseca tantùm Dei ordinatione.

74 Ex his colligitur ratio pro secunda parte conclusionis. Gratia vnionis nullam potest tribuere virtutem operibus Christi, qua possint Incarnationis continuationem mereri, ergo etiam secundùm Dei absolutum potentiam non valuit Christus propriè & rigorosè loquendo de merito, talem continuationem mereri, sed merito tantùm impropriè dicto, cuius tota vis meritoria in extrinseca Dei ordinatione fundetur, & non in intrinseco ipsius operis valore ex gratia vnionis desumpto. Confirmatur. Gratia vnionis de facto contulit

75 operibus Christi totum illum valorem meritorium, quem secundùm omnem potentiam potest illis tribuere; ergo per nullam potentiam crescere potest intrinsecus valor meritorum Christi. Probatur antecedens. Quia de facto dat illis valorem infinitum, infinitò autem non potest esse maius: ergo. Sed contra vtrãque partem conclusionis est argumentum.

76 Homo iustus de facto meretur de congruo conseruationem suæ gratiæ, ergo & Christus meruit, aut saltem mereri potuit de congruo cõtinuationem, & perseuerantiam suæ Incarnationis. Negatur consequentia, quia meritum congrui, quo iustus meretur suæ gratiæ continuationem, nõ tam procedit ab ipsa gratia, quàm à voluntate operantis; sed Christus habere non potuit meritum, cuius tota vis meritoria in gratia vnionis nõ fundaretur: quia totus valor meritorum Christi, reducitur ad eius esse personale, in quo ipsa vnionis gratia principaliter consistit. Hæc autem nullam potest tribuere operationibus Christi virtutem meritoriã, qua eius continuationem mereantur, sicut neque gratia habitualis potest operationibus iusti hominis vim meritoriam conferre, per quam eius perseuerantiam & cõtinuationem promereri valeant. Et hæc sufficiant de prima vnione facta in Incarnatione.

Explicatur quæstio in secundo sensu.
§. VIII.

CIRCA secundam verò vnionem, quæ in Resurrectione facta est, quidam Theologi censent Christum Dominum talem secundam vnionem non meruisse, quamuis suam Resurrectionem meruerit: quia Resurrectio, vt ipsi dicunt, non dicit necessariò talem reunionem per se loquendo, sed tantùm coniunctionem, & reunionem animæ cum corpore. Vnde siquis per artem medicam V.G. animam cũ corpore reunire posset, verè Resurrectionem causaret, ad quam statim consequitur, Christum rursus esse hominem, & per esse Diuinum subsistere in Persona Verbi humana, quia partes inter se iunctæ reunitæ iam habebant esse Diuinum in Persona Verbi ante reunionem, & ita in Resurrectione ipsam denuò non acquirunt. 77

Nihilominùs pro huius rei explicatione supponendum est primò, esse certum secundùm fidem, in morte Christi humanitatem non mãsisse vnitam Verbo, quia humanitas secundùm fidem non erat in triduo, neque Deus erat homo, vt rectè ostendit D. Thomas infra q. 50. art. 4. Nec sufficit dicere, partes humanitatis in triduo vnitas mansisse Verbo, quod etiam certissimum est, vt ibidem ostendit D. Thomas art. 2. & 3. Ex hoc autem nullo modo colligitur, humanitatem in triduo mansisse, tum quia humanitas non dicit partes quomodocumque adinuicem separatas, sed realiter inter se coniunctas, ita vt anima actuet, & viuificet corpus. tum etiam, quoniam licet in triduo anima maneret eadem omninò, & quantùm ad formam suæ speciei, & quantùm ad esse, corpus tamen non mansit omninò idem secundùm formam specificam, sed tantùm secundùm vnitatem suppositi, vt explicat D. Thomas q. 50. art. 5. ad 2. corpus enim Christi in triduo erat sub forma cadaueris, & in specie cadaueris: cadauer autem, repugnat esse partem humanitatis. 78 79

Secundò supponendum est ex D. Thoma infra q. 6. art. 5. quòd licet ordine executionis partes humanitatis priùs intelligantur assumptæ, quàm totum, ordine tamen intentionis, qui est principalior, prior est humanitatis assumptio, quàm partium, & partes assumuntur mediante toto. Neque enim assumeret Deus animam, vel corpus, nisi in ordine ad assumptionem totius humanitatis. Et ideo in triduo etsi anima & corpus Diuinitati manserint vnita, manserunt tamen vnita in ordine ad totius humanitatis reassumptionem, cuius rei est euidens argumentum: nam Verbum in triduo non denominabatur cadauer, licèt cadauer verè esset vnitũ Verbo: neque etiam denominabatur anima, quia vnio cadaueris ad ipsum Verbum non erat nisi tantùm in ordine ad vnionem humanitatis statim futuram, quæ in intentione erat prima & principalis. Sicut etiam admisso, quòd sanguis propriam habeat naturam & speciem à natura humana distinctam, & simul quòd sanguis sit assumptus à Verbo, adhuc Verbum non denominabatur sanguis, quia vnio sanguinis nõ est principaliter intenta, sed dũtaxat, quasi via ad humanitatis vnionem. Si autem obijciatur, quòd Deus & Christus dicitur sepultus, quia corpus fuit sepultum, & dicitur ad inferos descendisse, quia anima descendit; ergo est communicatio idiomatum inter Verbum & partes vnitas in triduo, & consequenter Verbum denominatur ab illis. Resp. illas locutiones esse figuratas, quatenus per Synedo- 80 81 82

Synedochen dicuntur de toto, quæ parti conueniunt,
sicut modò dicitur D. Petrus esse in cælo. sed Verbum
nunquam denominatur cadauer.

83 Tertiò aduertendum est, Resurrectionem Christi
Domini non solùm dicere reunionem animæ & cor-
poris, sed præterea quòd hæc reunio fiat in eodem sup-
posito Verbi: ita vt humanitas denuò resultans ex tali
reunione partiũ, quæ anteà erant seiunctæ, per ipsum-
met esse Diuinum, & in eadem Verbi Persona subsistat:
aliàs, etsi partes inter se reunirentur, nõ esset Christi Re-
surrectio. Vnde: aliter enim cuiuscumq; hominis re-
surrectio importat, vt denuò resultet idem numero sup-
positum, quod fuerat mortuum; vt illis Verbis Iob. 19.
explicatur. *Et in nouissimo die de terra surrecturus
sum &c. Et in carne mea videbo Deum Saluatorem
84 meum, quem visurus sum ego ipse, & non alius.* Quò
fit, vt resurrectio appelletur noua generatio, siue rege-
neratio, vt explicuit Christus Matt. 19. *In regenera-
tione, cùm sederit filius hominis &c.* Quia sicut ge-
neratio non ad naturam, sed ad suppositum termina-
tur: sic etiam regeneratio, quæ in resurrectione fit, nõ
terminatur per se ad naturam; sed ad suppositum. Et
ideò Resurrectio Christi Domini in Sacris literis ge-
neratio ipsius nuncupatur, vt Psal. 2. Dominus dixit ad
85 me, Filius meus es tu, ego hodiè genui te.* Quem lo-
cum licèt aliqui explicent de generatione æterna, vel
primâ Christi natiuitate ex vtero matris. alij tamen in-
terpretantur de Christi Resurrectione; quia in hunc
sensum videtur exponere hunc locum D. Paulus Acto-
rum. 13. Et ita multi Sancti eandem explicationem se-
quuntur, vt ostendit Iansenius ibidem adducens testi-
monia Ambrosij, Hilarij, Chrysostomi &c. Et Marti-
nez lib. 12. Hypotiposeôn regula. 1. circa finem. Et ra-
86 tio est, quia Resurrectio Christi etiã terminatur ad sup-
positum humanũ, sicut Incarnatio illius, ita quòd ex vi
Resurrectionis Christi nõ tantùm resultat humanitas,
sed hic homo Deus. Vnde si per impossibile daretur vir-
tus aliqua creata, quæ animam Christi cum corpore
posset reunire, non tamen in Diuina Verbi Persona: illa
non esset Christi Resurrectio, sed aliud suppositum re-
sultaret, quamuis esset eadem humanitas quantùm ad
partes substantiales. His ita constitutis sit in ordine
Sexta Conclusio.

Sexta Conclusio §. IX.

87 CHRISTVS Dominus verè meruit vnio-
nem humanitatis ad Verbum, quæ facta est in
Resurrectione. Oppositum huius docet M. Sua-
rez disput. 10 sectio. 4. in responsione ad tertiam inter-
rogationem, vbi ait, Christum meruisse suam Resurrec-
tionem, atque adeò vnionem animæ ad corpus, non
tamen meruisse aliquam vnionem humanitatis ad Ver-
bum, quia hæc in reipsa non fuit dissoluta, sed mansit
in anima, & corpore, quæ etsi inter se fuerint per mor-
tem separata, sed nõ à Verbo. Vnde posteà eo ipso quòd
inter se fuerunt vnita, mansit tota humanitas ad Ver-
bum vnita, non per nouam vnionem, sed per solas par-
tium vniones, quasi inter se coniunctas & vnitas.

88 Sed nostram conclusionem apertè docet M. Medina
in hoc articulo dubio 1. in solutione ad secundum; &
probatur. In instanti Resurrectionis facta est vnio hu-
manitatis ad Verbum, quæ anteà nõ erat; ergo facta
est ex meritis Christi. Consequentia est euidens; quia
hoc pertinet ad excellentiam meritorum Christi. Ante-
cedens autem probatur. Secundùm fidem in triduo nõ
erat humanitas ergo non erat vnita Verbo, & in ins-
tanti Resurrectionis fuit humanitas, & fuit Verbo vni-
ta; ergo facta est de nouo talis vnio. Explicatur hoc ma- 89
gis. In instanti Resurrectionis fuit verum dicere, nunc
humanitas est vnita Verbo hypostaticè, & immediatè
ante hoc non erat vnita; ergo denuò facta est illa vnio.
Antecedens probatur euidenter, quia in instanti Resur-
rectionis fuit verum dicere. Nũc Verbum est homo, &
immediatè antè hoc non erat homo. Ergo nunc est
vnita humanitas, & immediatè antè hoc non erat vni-
ta. Antecedens est de fide, vt ostendemus Deo dante cũ
D. Thoma infra q. 50. art. 4. Consequentia verò est eui-
dens, quia Verbum dicitur homo ex vi vnionis hypos-
taticæ humanitatis ad ipsum: & ita quandiu non est
homo, non est illi vnita humanitas; & cùm primùm
incipit esse homo, incipit esse vnita humanitas.

Confirmatur. Idem est, quòd Christus meruerit, Deũ, 90
aut Verbum esse hominem in instanti Resurrectionis,
& quòd humanitas vniatur Deo: sed Christus meruit,
quod in instanti Resurrectionis Deus sit homo; ergo
&c. Maior est certa inter Theologos, qui pro eodem
reputant, Deum esse hominem, & humanitatem esse
vnitam Deo hypostaticè. Minor autem similiter est
certa; nam cùm Deus antè illud instans non esset ho-
mo, & in eo instanti Resurrectionis sit homo, de nouo
factus est homo, & hoc ex merito Christi antecedenti;
sine causa enim admissa semel noua vnione negaretur
fuisse ex meritis Christi.

Sed respondet M. Suarez, in triduo fuisse partes hu- 91
manitatis vnitas Diuinitati, & ita in instanti Resurrec-
tionis non acquisierunt de nouo esse Diuinũ, sed tãtùm
fuerunt partes inter se vnitæ in eodem esse Diuino,
quod anteà habebant. Cæterùm hæc solutio est insuffi-
ciens, quia humanitas nõ dicit partes quomodocumq;
separatas, sed partes vnitas simul, & actu componentes
totum: aliàs realiter distingueretur ab illis tanquã res à
re; & ita partes in triduo neque realiter, neque formali-
ter erant humanitas.

Secundò: quia vt ostensum est, corpus sepultum in 92
triduo nullo modo pertinuit ad humanitatem, tanquã
pars eius, quia verè & substantialiter erat sub forma &
specie cadaueris, & ideò in instanti Resurrectionis ve-
rè fuit tale corpus immutatum substantialiter, & de
nouo incœpit esse pars humanitatis corpus, quod antè
erat cadauer, per exclusionem formæ cadaueris, & ac-
tuationem animæ rationalis. Sicut ergo in primo ins- 93
tanti esse formæ cadaueris, fuit verum dicere, nunc
primò cadauer est vnitum Diuinitati: neque enim ca-
dauer anteà erat vnitum Diuinitati; sic etiam in instan-
ti Resurrectionis verum fuit dicere, nunc primò cor-
pus incipit esse pars humanitatis, quod immediatè ante
hoc non erat pars humanitatis.

Præterea probatur conclusio. Christus meruit con- 94
tinuationem suæ Incarnationis, vt docet M. Suarez: er-
go meruit etiam illam continuationem partium in
esse Diuino in ordine ad reassumptionem humanitatis
posteà faciendam. Patet cõsequentia, quia intentio Dei
principaliter fertur in totam humanitatem, & secunda-
riò in partes ratione totius; ergo hoc totum, quod est,

partes

partes in esse Diuino perseuerare,& rursus in eodem es-
se reuniri,in Christi meritum referendum est.
95 Postremò. Quæ pertinent substantialiter ad Christi
Resurrectionem, referenda sunt in meritū ipsius Chris-
ti, sed ad Resurrectionem Christi pertinet essentialiter,
& substantialiter,quod partes reuniantur, & componāt
humanitatem, nō quomodocūque, sed in ipsomet sup-
posito Verbi,& vnione hypostatica ad ipsum,ita neces-
sario,quòd etiam si Deus in triduo dimisisset partes, &
per esse Diuinum non subsisteret, ex vi meriti Resur-
rectionis Christi essent in ipsamet hypostasi Verbi reu-
niendæ;ergo meruit Christus talem reunionem in Per
96 sona Verbi.Maior est certissima, & minor est euidens:
quia Resurrectio Christi intrinsecè exigit, vt resurgat
idem suppositum,Christus scilicet. Et si fieret reunitio
partium aliter quàm in Persona Verbi, non resultaret
idem suppositum Christi, sed aliud numero distinc-
tum, & ita non resurgeret Christus, sed semper esset
97 verum dicere, Christus est mortuus. Ad meritum er-
go Christi, quo suam Resurrectionem promeruit,per
accidens est,quòd in triduo partes Diuinitati remanse-
rint vnitæ,quia licèt Verbo vnitæ non remansissent, vt
potuerunt non remanere, si Deus in triduo illas dimit-
tere voluisset: adhuc ex vi meriti Resurrectionis ipsius-
met Christi, in instāti Resurrectionis tales partes essent
in ipsomet supposito & hypostasi Verbi reuniēdæ, quia
aliàs ipsemet Christus resurgere non potuisset.

98 Sed obijcitur contra dicta.Christus de facto meruit
suam Resurrectionem,& vnionem humanitatis ad Ver
bum in instanti resurrectionis, ergo eâdem ratione po
tuit mereri suam Incarnationem,atque adeò ne aliqua
perfectio Christi merito detrahatur, concedendum est
de facto illam meruisse. Probatur consequentia, quia
tantum bonum fuit communicatum humanitati per
Resurrectionem Christi,quantum per eius Incarnatio-
nem:ergo eadem est ratio vtriusq; præmij,& si Christi
meritum ad vnum se extendit, ad aliud quoque poterit
se extendere.

99 Confirmatur. Resurrectio non solùm est reunitio
earum partium,quæ fuerant separatæ,sed præterea re-
quiritur,quòd terminetur ad idem suppositum,in quo
partes antè separationem subsistebant, vt dictum est:
aliàs si reunitio terminaretur ad aliud suppositum, non
resurgeret ille homo,qui fuerat mortuus,sed alius:ergo
in Christi Resurrectione,& in eius formali, & prima-
rio termino debet attendi ipsa partium reunitio,& Di-
uini suppositi identitas,atque adeò Christus, prout me-
ruit suam resurrectionem,tantum bonum meruit,quā-
tum fuit humanitati communicatum.

100 Ad argumentum concesso antecedenti negatur cō-
sequentia.Et ad probationem etiam si concedatur tan-
tum bonum fuisse humanitati communicatum per
Resurrectionem Christi,quantum per eius Incarnatio-
nem, negatur meruisse Incarnationem : quia hæc est
principium,& radix omnium meritorum Christi, atq;
adeò sub eius merito cadere non potuit. Resurrectio
verò,& reunitio humanitatis ad Verbum non est prin-
cipium meritorum Christi, & ideò potuit cadere sub
eius merito. Lege quæ infra dicuntur q. 19. art. 3. disp. 6.
Parag. 5. in tertio consectario à num. 61. vsq; ad 70.

Soluuntur Argumenta. §. X.

Ad Primum igitur argumentum initio dispu- 101
tationis propositum ex Apocalip. cap. 5. Respō
primò, illum locum iuxta communem Sanc-
torum explicationem sufficienter & verè intelligi de
manifestatione Diuinitatis Christi, quia iuxta modum
loquendi Sacræ Scripturæ, ea de nouo fieri dicuntur,
quæ denuò manifestantur. Ita Rupertus, D. Thomas,
Carthusianus, Lyra,& alij. Secundò Resp. Agnum fuisse 102
dignum accipere Diuinitatem, eo quòd meruit, vt
Deus esset homo in resurrectione, & homo esset Deus.
Et licèt admitteretur, vt quidam volunt, quòd per natu-
ralem resultantiam ex vnione animæ ad corpus conse-
quitur statim, humanitatem Verbo vniri, & in illo sup-
positari, in quo partes antè instans Resurrectionis sub-
sistebant : adhuc tamen id totum in Christi meritum
referendum est, qui enim meretur antecedens, meretur
etiam, quæ ad ipsum consequuntur. Sicut fruitio natu- 103
raliter consequitur ad beatitudinem, & qui beatitudi-
nem meretur, fruitionem similiter meretur. Sic ergo
etsi supposita vnione partium ad Verbum Diuinum,
consequatur, quòd si partes in eodem esse Diuino vniā-
tur, resultet ex tali vnione humanitas in Verbo suppo-
sitata, & quòd Deus sit homo: Christus, qui meruit par-
tium reunitionem in eodem esse, meruit etiam, quòd
Deus esset homo. In quo sensu satis commodè expli-
catur, meruisse Agnum Diuinitatem accipere.

Ad secundum Resp. in præmio Christi reperiri infi- 104
nitatem gratiæ vnionis, quæ nouiter facta est in resur-
rectione, in qua humanitas, quæ antea non erat in tri-
duo, denuò fuit Diuinitati vnita, siue per naturalem re-
sultātiam id fuerit, siue per se primò & formaliter, siue
alio modo. Secundo Resp. concessō antecedenti negā- 105
do quòd Incarnatio fuerit præmium illius: quia meri-
tum Christi eò dicitur infinitum, quia meruit totum
illud, quod potuit cadere sub merito. Id est, totum illud,
quod potest habere rationem præmij. Incarnatio au-
tem rationem præmij habere non potest respectu ope-
rationum Christi, eò quòd est primum principium ra-
dicale omnium eorum, & totius valoris meritorij, qui
in illis esse potest.

Ex his cōstat, inconsideratè asseruisse M. Medinā, ideò 106
Christum mereri Incarnationem non potuisse, quia
aliàs meritum esset Deus, & infinitum bonum, quod est
impossibile, & hanc dicit esse demōstrationem. Sed cer-
tè argumentatio ista nullius est momenti, vt constat
ex his, quæ docet idē Medina hîc. Admittit enim, quòd
si Christus suam operationem meritoriam ordinare
voluisset ad hoc, quòd Pater, vel Spiritus Sanctus esset
homo, ex vi talis meriti Pater Incarnaretur: & tamen
tunc illa Christi operatio non esset Deus, neque infini-
tum bonum, & increatum. Rursus idem Medina in so- 107
lutione ad secundum primi dubij concedit, Christum
meruisse vnionem humanitatis cum Verbo in instan-
ti resurrectionis, & insuper, Deum, qui in triduo nō erat
homo, in resurrectione esse hominem, & tamen illa ac-
tio meritoria nō fuit infinita, neque Deus. Ratio ergo,
propter quam Christus suam Incarnationem mereri
non potuit, ea est, quā vtitur D. Thomas, quia, scilicet,
Incarnatio est primum principium necessario præ-
suppositum, & prærequisitum antè omne meritum
Christi.

Ad tertium Resp. in præmio, quod non comparatur 108
ad

ad meritum tanquàm principium illius, non esse incõueniens, quòd præmium tempore antecedat ipsum meritum, vt contingit in gratia antiquorum Patrum; illa enim nullo modo comparatur ad meritum Christi, tãquam principium illius. Id verò, quod ad meritum cõparatur tanquàm principium, ac per se antecedit ipsum, nullo modo potest cadere sub merito, quia sequeretur euidens contradictio, nempe, idem esse principium, & terminum, prius, & posterius, causam & effectum secundùm eandem rationem. Incarnatio autem præsupponitur necessariò & per se ad omnem Christi operationem meritoriam, & ideò nequit cadere sub merito illius. Reunitio verò humanitatis, quæ in instanti resurrectionis facta est, iam præsupponebat operationes Christi meritorias, & ita potuit sub illarum merito cadere.

109 Ad primam confirmationem negatur antecedens, & ad probationem Resp. quòd secundùm ordinem naturæ meritum debet antecedere præmium, & non è contra: quia præmiũ habet rationem finis comparatione ad meritum, ac proinde est priùs in intentione, posteriùs verò in executione. De potentia autem Dei absoluta potest hic naturalis ordo immutari, ita vt præmium antecedat meritum, & habeat meritum quendam modum causæ finalis. Et ita contigit in merito Christi comparatione ad gratiam antiquorum Patrũ, quæ habuit rationem præmij meritorũ Christi, prout in Diuina præscientia antecesserunt. At verò hæc immutatio nequit fieri, si id, quod præcedit, habet rationem principij, & radicis ipsorum meritorum. Itaque si gratia antiquorum Patrum fuisset principium & radix meritorum Christi, nullatenùs posset antecedere merita Christi. Et ideò Incarnatio, cùm sit prima radix omnium meritorum Christi, per nullam potentiam fieri potuit, vt opera Christi subsequentia Incarnationem, eandem mererentur.

110 Alij respondent, solutionem anticipatam ex natura rei, quod aliud nõ paritur, neque aliter fieri potest, quàm anticipatè, non esse actum Iustitiæ, sed liberalitatis, & gratiæ eius, qui ita pretium exoluit. Vnde Incarnatio considerata in ratione præmij anticipati meritorum Christi, rationem actus iustitiæ habere non posset, atq; adeò neque propriè esset præmium.

111 Ad secundam confirmationem Resp. cùm homo meretur aliquod præmium propter bonum vsum futurũ, dupliciter posse intelligi, quòd datur illi equus V. G. Primò propter virtutem equitis, per quam donans scit benè vsurum equo, & tunc certum est, meritũ antecedere præmium. Secundò propter bonum vsum futurum ipsius equi, & tunc toto illo tempore præcedenti bonum vsum, equus non tam habet rationem præmij, & mercedis, quàm doni: quia tunc aliqua res incipit habere rationem præmij, & mercedis, quando incipit esse pro-

112 pria possessio merentis. At verò equus ante vsum eius, non est propria eius possessio, & ideò non habet tunc rationem mercedis, sed post bonum vsum, & ex consequenti adhuc in hac consideratione meritum præcedit præmiũ. Cæterùm in Incarnatione nihil horũ contingere potest; quia ipsa est tota ratio & causa meriti bonorum operum, & boni vsus, quem Christus potuit habere, quemadmodùm quia in nobis prima gratia est tota ratio, & causa merendi, sub merito cadere non potest, neque antecedenter, neque consequenter.

Ad quartum Resp. quòd Incarnatio præcedit intellectu, & ordine naturæ habitualem gratiam, & omnem dispositionem ad ipsam. Neque enim vnio hypostatica facta est mediante gratia, sed potiùs gratia ad ipsam vnionem hypostaticam consequitur, ac proindè nulla actio humanitatis Christi potuit vnionem hypostaticam antecedere, per quam actionem mereretur eandem vnionem. Quare non potuit anima Christi priùs naturâ aliquid intelligere, aut amare, quàm vniretur Verbo; quia res priùs habet esse, quàm operetur. 113

Ad primam confirmationem concesso, naturam humanam ordine naturæ præsupponi assumptioni, prout quædam quidditas & essentia est, quæ ad esse Verbi Personale eleuari potest: negatur, posse habere aliquam operationem meritoriam, quia priùs naturâ debet assumi ad Personam Verbi, quàm quòd aliquid operetur. 114

Ad secundam confirmationem Resp. licèt non repugnet, esse simul tempore meritum & præmium, repugnare tamen, id, quod est necessariò principium meriti in genere causæ efficientis, esse terminũ eiusdem meriti. Huiusmodi autem sunt bonitas Diuina, gratia, natura ipsa, in qua suscipitur, & persona operans. Persona igitur Christi, & vnio hypostatica necessariò requiritur tanquam meriti principium; cùm priùs res habeat esse, quàm operetur: & ideò implicat, eam vnionem & personam esse terminum. 115

Ad tertiam confirmationem Resp. negando antecedens, & ad probationem similiter negatur, animã Christi fuisse priùs naturâ creatam, quàm assumptam, vt apertiùs intelligetur disputatione sequente. Quidam concedunt, animam Christi in genere causæ materialis priùs fuisse creatam, quàm assumptam; sed negant, priùs habuisse esse existentiæ: quia terminus creationis saltem primarius non tam est esse existentiæ, quàm essentia rei, quæ ex nihilo fit. Vnde in creatione animæ Christi, quamuis nullum esse existentiæ fuerit productum, sufficit tamen, quòd ex nihilo sit producta essentia ipsius animæ cum ordine ad esse; ad quod in eodem instanti trahatur, siue illud esse sit denuò productum, siue sit antiquum nouo modo se habens, siue creatum, siue increatum. Hæc tamen responsio non est ad mentem D. Thomæ, in cuius sententia humanitas in Christo non existit nisi per existentiam Verbi. Existentia autem non communicatur nisi personæ, seu hypostasi, atque adeò in nullo genere causæ potuit humanitas existere priusquàm esset ad hypostasim Verbi assumpta: aliàs existentia immediatè fuisset naturæ humanæ communicata, & non immediatè hypostasi, quod est contra D. Thomam infra quæst. 17. art. 2. Vnde priori solutioni standum est, quæ magis explicabitur disputatione secunda sequente. 116 117

Cæterùm si admittatur cum Scoto, & sectatoribus illius, humanitatem Christi antè vnionem cum Verbo præsupponi existentem per propriam existentiam, est dubium, An tunc in illo priori naturæ, quo præintelligeretur existens antè sui vnionem, posset aliquem actum elicere, quo de condigno, aut de congruo 118

ergo. Probatur minor: quia præter illud esse, nullum aliud habet humanitas, nisi esse existentiæ; sed hoc esse existentiæ in humanitate Christi non fuit aliud, nisi esse Verbi, vt supponit præfata solutio: ergo illud esse fuit immediatè vnitum humanitati, quæ secundùm se erat æterna. Ergo Incarnari non fuit aliud, quàm æternam essentiam trahere ad increatum esse Verbi. Hæc autem non est Incarnatio, sed fictio; quia illa essentia æterna nihil fuit, neque est assumptibilis, secundùm illud præcisè, quod ex se & ex æternitate habet: ergo necessum est, vt aliquod aliud esse illi tribuatur priùs ordine, & prioritate naturæ, vel saltem rationis, per quod sit in esse producta, antè quàm assumatur.

60 Secundò sequitur ex eadem solutione, humanitatem Christi non habere à Deo per efficientiam eius proximam capacitatem; vt vniatur Verbo, quod est absurdum in doctrina fidei. Probatur sequella, tum, quia illa capacitas non est in humanitate secundùm aliquod esse existentiæ, sed solùm secundùm esse essentiæ æternum; secundùm quod essentia humanitatis non est effectiuè à Deo. Tum etiam, quia si illa capacitas est in humanitate per actualem efficientiam Dei. Ergo existit ex vi illius efficientiæ, ergo habet aliquam existentiam factam & creatam. Ergo hæc est existentia ipsiusmet humanitatis: ac subinde est producta, antèquàm assumatur. Hæc ratio probat etiam, humanitatem priùs naturâ habuisse existentiam, & fuisse productam, quàm fuerit Verbo vnita: quia illa humanitas priùs naturâ fuit capax vnionis, quàm actu vnita, proxima autem capacitas non est nisi in entitate iam effecta, & producta, & extra suas causas existente.

61 Ad primam replicam negatur consequentia, quia humanitas etiam in ratione essentiæ considerata nullum esse habuit ab æterno, neque esse existentiæ, neque esse quidditatiuum, & essentiale. De quo legendus est M. Bañes. 1.p.q.10.art.5.conclus.1. Vnde Verbum fuit vnitum humanitati, vt erat quædam quidditas & essentia, non quidem producta, sed quæ producebatur, & tendebat ad esse increatum & Diuinum; quod per vnionem siue assumptionem fuit illi communicatum. Vnde falsum est, quòd Incarnari, sit, æternam essentiam trahere ad increatum esse Verbi, sed est, essentiam, quæ actu producitur, assumi ad existendum per esse Verbi, per cuius existentiam constituitur in esse producto. Et ob id diximus, humanitatem priùs naturâ fuisse assumptam ad esse increatum Verbi, quàm sit producta.

62 Ad secũdam instantiã negatur sequella, & ad vtramque probationem dicitur, illã capacitatem proximam esse in humanitate, non secundùm esse essentiæ æternum, quod nullum habuit, sed secundùm quòd efficitur, & producitur à Deo: & ex vi huius efficientiæ & productionis habet humanitas existentiam, non quidem propriam, naturalem, & creatã, à qua per assumptionem fuit impedita, sed Diuinam & increatam Verbi, quæ per eandem assumptionem illi communicatur. Et quamuis humanitas priùs natura fuerit vnionis capax, quàm actu vnita, non tamen est necessarium, huiusmodi proximam capacitatem esse in entitate iam effecta & producta, sed solùm requiritur, vt sit in entitate, quæ iam fit & producitur, & extra suas causas constituitur. Quæ omnia in solutionibus sequentibus magis explicabuntur.

Ad primam cõfirmationem argumenti primi Resp. Resp. Hanc assumptionem esse simul ad existendum, & subsistendum. Primò quidem ad subsistendum, & secundariò ad existendum. Sed negamus, quòd in eo signo, in quo humanitas intelligitur assumpta in facto esse, intelligatur producta: quia per assumptionem tendit ad suum terminum, & per illam constituitur in termino, & in facto esse. Et ideò in priori rationis signo intelligitur assumpta, & in posteriori producta. Concedo etiam, quòd in eodem instanti, in quo concipiebatur humanitas in ratione quidditatis, & essentiæ assumendæ, producebatur, & erat producta; assumebatur, & erat assumpta à Verbo; quoniam in instantaneis simul est fieri, & factum esse, produci, & productum esse. 63

Ad secundam confirmationem concesso antecedenti, negatur consequentia quia singularitas tantùm prouenit ex principio indiuiduationis, quidquid illud sit, siue materia signata, siue aliud. Humanitas autem præintellecta assumptioni in ratione quidditatis, & essentiæ habebat huiusmodi principium, atque adeò erat singularis, quamuis de facto non esset producta, sed producebatur in illo priori. 64

Ad tertiam confirmationem Resp. Humanitatem Christi in illo priori, quo fuit assumptioni præintellecta, esse quidem ens reale, vt ens reale distinguitur contra ens rationis, & contra nihil, quia erat vera & realis essentia; & ita falsum est, nihil posse intelligi in esse vero & reali essentiæ, nisi intelligatur productum. Si autem per ens reale intelligatur ens actualiter productum, & existens; sic humanitas in illo priori non erat ens reale: quod ampliùs explicabitur in sequente respõsione. 65

Ad quartam confirmationem Resp. Humanitatem fuisse præintellectam assumptioni in ratione actualis entitatis, non quidem vt actualiter existentis, & de facto productæ, sed in ratione entitatis formalis aptæ natæ conferre Diuino Verbo formalem denominationem humani suppositi. Sic autem præintellecta humanitas non intelligitur vt purum nihil, sed per modum veræ & formalis essentiæ. 66

Sed contra solutionem instatur. Humanitas, vt entitas actualis ordine naturæ præintelligitur, & supponitur assumptioni, vt concedit præfata solutio; ergo supponitur vt actualiter existens, & de facto producta. Probatur consequentia. Quia in esse actualis entitatis constituitur per existentiam; & non increatam, cùm hæc sit terminus assumptionis, & nequeat illi supponi; ergo per creatam. 67

Confirmatur, humanitas, vt est entitas actualis præintellecta assumptioni, est aliquid à parte rei in rerum natura; sed nihil potest esse à parte rei aliquid, nisi sit productũ, & actu existens: ergo. Resp. Negando cõsequentiã, quia vt ostensum est supra art. 2. huius quæstionis Disput. 3. Parag. 5. Res non constituitur in esse actualis entitatis per existentiam, sed per formam specificam, quamuis requiratur existentia concomitans & simultanea. Ad confirmationem Resp. Humanitatem, prout est entitas actualis, non esse aliquid à parte rei existens, formaliter loquendo, sed esse aliquid essentiale & quidditatiuum, quod producitur, & fit, vt existat à parte rei. Neque valet argumentum à re concepta, vt 68

in

in fieri, & produci, & vt in via & tendentia ad esse existentiæ, ad eandem, vt de facto productam, & existentem. Itaq; humanitas, vt præintellecta assumptioni, est ens actu respectu essentiæ; licet sit in potentia respectu existentiæ. Vndè ineptè inferunt aduersarij, humanitatem sic conceptam esse nihil, quia vt sic non est existens. Etenim quod actu habet essentiam, tametsi existentiam potestate habeat, aliquid est nam ens, vt distinguitur contra nihil, in actum, & potentiam diuiditur ab Aristotele lib. 9. Methaph. Item rosa possibilis & futura aliquid reale est, cùm constituatur in prædicamento substantiæ, in quo sola entia realia collocãtur. Quare quod est tale in potentia, cum nihilo recenseri non debet.

69 Ad quintam confirmationem patet responsio ex dictis. Cócedo, Verbum assumpsisse veram & realem humanitatem, habentem esse reale & actuale quidditatiuum & essentiale: tendentem verò ad esse existentiæ, quod per assumptionem est consecuta. Fides verò tantùm docet, Verbum assumpsisse humanitatem, à qua habet esse humanum essentiale, actuale, & non tantùm potentiale. An verò constituatur in esse actuali per existentiá, vel per formã specificá, hoc nõ pertinet ad fidem, sed ad Theologicã Disputationem. Similiter de fide est, humanitatem assumptã esse creaturam à Diuino Verbo realiter distinctam; sed quòd in illo priori, quo præintelligitur, & supponitur assumptioni, sit actu creata & producta, vel quòd tunc intelligatur creari, & produci, non spectat ad fidem; quamuis illius principijs sit conformius asserere, humanitatem Christi per increatam Verbi existentiam, & non per propriam, & sibi connaturalem existere.

70 Sed obijcit M. Suarez Disput. 31. sectio. 11. num. 18. in Methaphys. Si humanitas non supponitur existens, sed existit per existentiam Verbi; ergo non est ens creatum. Probatur consequentia. Ens dicitur ab esse, & constituitur ens actu per esse; ergo si humanitas constituitur ens actu per esse increatum, non est ens creatum, sed increatum. Quemadmodum, quia Christus nõ constituitur in esse personæ per creatam personalitatem, sed per increatam, non est persona creata, sed increata.

71 Confirmatur. Vel humanitas dicitur ens creatum, prout est actu existens, vel tantùm prout est actu secundùm esse essentiæ. Primum dici non potest, cùm ex opposita sententia humanitas actu existat per increatam existentiam. Vnde hoc existens vt sic, vel est increatum, formaliter & propriè loquendo, vel non est purè creatum, sed constans ex creato, & increato. Si dicatur secundum: tunc vel illud esse essentiæ est tantùm in potentia, & sic non est creatum, sed creabile, & in se nihil est, in sua autem causa est ipsa essentia creatia: vel est esse actuale in se, & extra causas, & hoc necessariò debet esse, esse existentiæ: quia existere nihil aliud est, quàm esse extra suas causas actu. Et quia creatio formaliter terminatur ad existere, nequit intelligi ens actu purè creatum sine aliquo esse existentiæ creato.

72 Ad argumentum negatur consequentia, & ad probationem Resp. Essentiam esse id, quo primò aliquid constituitur intra latitudinem realis entis, vt distinguitur ab ente ficto, & in vnoquoq; particulari ente essentia eius dicitur id, ratione cuius in tali gradu, & ordine entium constituitur. Et ob id dixit Augustin. 12. de Ciuit. cap. 2. *Author essentiarum omnium alijs dedit esse amplius, alijs minus, atque ita naturas essentiarum gradibus ordinauit.* Et hac ratione essentia solet quidditatis nomine significari: quia illa est, quæ per definitionem explicatur, vel aliqua descriptione, per quam declaratur, quid nam sit res, & cuius naturæ. In proposito ergo humanitas dicitur ens creatum, quia ipsa essentia humanitatis est quid creatum. Vnde ens nominaliter sumptum dicit essentiam, ac proinde qualis fuerit essentia, tale erit ens. Sumptũ verò participialiter, dicit existentiam. Item falsum est, quòd ens constituatur in esse entis actu per esse existentiæ, sed per formam specificam, vt supra ostẽsum est: quæ cùm sit quid creatum, constituit ens actu creatum.

73 Ad confirmationem similiter Resp. Humanitatem dici creatum ens, quia eius essentia est creatura: illud autem esse essentiale actuale, quod habet, vt supponitur assumptioni, vt sic non est creatum, sed actu creatur, & producitur, terminaturq; ad existere increatum.

74 Ad sextam confirmationem Resp. Verbum assumpsisse humanitatem, vt erat entitas actualis, sed nõ prout actu erat extra suas causas constituta, quamuis tunc constituebatur extra suas causas, quia producebatur, & erat in via, & tendentia ad Diuinam existere, per quod extra suas causas fuit constituta. In esse verò actualis entitatis constituitur non per existentiam, sed per formam specificam, vt supra explicuimus art. 2. citato. Secundò Resp. Quòd per formam specificam erat actu formaliter extra suas causas constituta, tametsi tunc non intelligeretur existens, vt latiùs ostendetur infra q. 17. art. 1. Disput. Vnica in solutione ad secundum principale.

75 Secundò argumentatur Suarez q. 17. art. 2. Disput. 36. sect. 1. Si creatio in fieri est prius natura, quàm assumptio, interrogo, an re ipsa talis creatio existat, vt est fieri passiuum humanitatis, vel non. Hoc secundum dici non potest, alioqui non intercederent ibi duæ mutationes, si vtraque in re ipsa non existit. Si dicatur primum, sequitur, quòd talis creatio à suo termino impediri non potest. Probatur sequella. Actio, seu fieri dicit essentialem habitudinem ad terminum, non aptitudinalem, sed actualem, hoc est, quatenùs actu fit; ergo repugnat, quòd ipsum fieri in rerum natura ponatur, & quod impediatur iuxta gradum & latitudinem talis fieri. Vnde si fieri est instantaneum, & simul totum, necessariò debet habere integrum terminum.

76 Confirmatur. Tendere ad existentiam est ipsa existentia in fieri, sicut tendere ad calorem est habere calorem in fieri, ergo sicut est impossibile esse actualem calefactionem, seu tendentiam ad calorem, quin aliquis calor resultet, ita impossibile est intelligere tendentiam ad existendum per veram creationem in fieri, quin per tale fieri aliqua existentia facta intelligatur. Ergo si creatio in fieri ordine naturæ antecedit, & illa per assumptionem à suo intrinseco termino impediri non potuit, necessum est, vt secundùm eundem ordinem naturæ in facto esse antecesserit.

77 Ad argumentum Resp. Ibi interuenire re vera creatione animæ, & totius humanitatis productionem, sed negatur, quòd à suo actuali termino impediri nõ possit,

sicut

substantialem accepisse esse essentiæ, per vnionem verò ad Verbum esse existentia: quæ duo esse cùm in humanitate Christi realiter differant, actiones quoque, per quas vtrumque esse accepit, sunt realiter diuersæ. Contra est. Rem produci formaliter, est educi extra causas, in quibus anteà erat in potentia: ergo humanitas Christi ex vi productionis accepit illud esse, quo formaliter ponitur extra causas adæquatè, & completè. Sed huiusmodi est esse existentiæ; ergo ex vi productionis accepit esse existentiæ. Tunc sic. Illa actio fuit productio humanitatis Christi, per quam est illi communicatum esse actualis existentiæ: sed hoc esse communicatũ fuit humanitati Christi per actionem, qua est Verbo substãtialiter vnita: ergo hæc substantialis vnio fuit realiter productio humanitatis.

22 Dices, quòd sicut res completè considerata duplici esse constat, nempe, essentiæ, & existentiæ: sic duplici quoque alia potest poni extra causas. Aut completè, & perfectè, & hoc modo ponitur extra causas formaliter per existentiam, qua vltimatè completur, & terminatur essentia: aut imperfectè, & inchoatiuè, & sic per ipsum esse essentiale constituitur qualibet res extra causas, & efficitur actu capax existentiæ, qua vltimatè perficitur, & terminatur. Itaque humanitas Christi ex vi suæ productionis priori modo posita est extra causas: posteriori autem ponenda esset per propriam existentiam, nisi per vnionem ad Verbũ fuisset præuenta, qua Diuina existentia est illi communicata.

23 Cæterùm hæc responsio licèt aliquo modo possit saluari, in præsenti tamen nititur falso fundamento, quia supponit, humanitatem Christi ex vi suæ productionis accepisse duntaxat esse essentiæ, & per vnionem ad Verbum fuisse illi communicatum esse existentiæ. Hoc, inquam, præsuppositum est falsum, quia productio humanitatis fuit vera, & realis actio attingens intrinsecè entitatem sui termini, ac proindè debuit habere terminum realiter productum à parte rei: essentia autem sine existentia neq; est producta, neque intelligi potest producta, sed tantùm producibilis. Quare terminatur productio humanitatis Christi ad ipsam essentiã sub existentia. Et quia in Christo nõ fuit existentia creata, sed increata, & Diuina, & hæc nequiuit cõmunicari nisi per hypostaticam vnionem: ideò ipsa humanitatis productio est realiter vnio ad Verbũ, ita vt vna, & eadem actio simul sit vnitiua, & productiua humanitatis, nõ in se, sed in Verbo. Cæterùm in solutionibus argumentorum hoc apertiùs constabit.

24 Tertiò probatur. Humanitas Christi fuit producta per eandem actionem, per quam Christus fuit formaliter genitus, sed Christus fuit formaliter genitus per actionem, qua eius humanitas fuit vnita Verbo: ergo etiã humanitas fuit producta per hanc eandem actionem. Consequentia patet, & maior est nota, quia eâdem actione producitur natura & suppositum, vt formaliter subsistens in ea: non enim alia actione generatur humanitas Petri ab ea, qua producitur ipse Petrus; sed Christus habuit rationem suppositi formaliter subsistentis in natura humana ergo per vnam, & eâdem actionem fuit eius humanitas producta, qua ipse fuit formaliter genitus. Minor verò probatur. quia Christus intrinsecè dicit suppositum Diuinum, vt subsistens in humanitate, sed hoc resultauit ex actione, qua eius humanitas fuit vnita Verbo: ergo per hanc eandem actionem fuit formaliter genitus.

25 Confirmatur. Humanitas Christi fuit producta per generationem substantialem: sed generatio substantialis primò & per se terminatur ad suppositum, vt naturã sustentans; ergo actio productiua humanitatis Christi terminata est primò & per se ad suppositũ Verbi, quatenus formaliter naturam humanam sustentat. Sed hæc actio intrinsecè est vnio humanitatis cum Verbo; ergo humanitas Christi fuit producta per vnionem eius ad Verbum. Quòd autem generatio per se primò terminetur ad suppositum, & non ad naturam, vt condistinctã ab eo, patet ex cõmuni illo Aristotelis proloquio: Actiones sunt suppositorũ, quod præcipuè est intelligendũ terminatiuè, vt cõstat ex. 1. Methap. cap. 1. Tum etiã, quia generatio est via ad esse; ergo illud primò, & per se respicit tanquã terminũ, cui primò & per se cõuenit esse. Sed supposito cõuenit, & non naturæ; ergo illud, & non natura est primò & per se terminus generationis.

26 Quartò. Humanitas Christi fuit producta dependenter à Verbo: ergo per actionem terminatã ad ipsam, vt vnitã Verbo. Consequentia patet: quia humanitas à Verbo pendere non potest, nisi vtà termino intrinsecè ipsam terminante; sed nequit intrinsecè terminari à Persona Verbi, nisi ei intrinsecè vniatur: ergo neque potest produci depẽdenter à Verbo, nisi ex vi productionis illi intrinsecè vniatur. Antecedens verò probatur; quia humanitas Christi, ex vi productionis non existit per se, ergo in alio, à quo tanquam à sustentante dependet.

27 Confirmatur: quia hac ratione formæ substantiales, & accidentales corruptibiles per eandem actionẽ fiunt, qua vniuntur subiectis, quia fiunt dependenter ab illis, sed humanitas Christi fuit producta dependenter à Persona Verbi: ergo per eandem actionem fuit illi vnita, per quam primò & per se est producta.

28 Sed contra obijcitur. Humanitas Christi assumpta est formaliter ad Personalitatem Verbi per hanc vnionem, ergo non est formaliter producta per illã, sed per aliã distinctam, & priorem actionem. Antecedens patet, nã assumi ad Personalitatem Verbi, nihil est aliud, quã vniri formaliter cum ipsa Verbi Persona; sed hoc factũ est formaliter per hanc vnionem. ergo &c. Consequentia verò probatur; nam quod assumitur, præsupponitur assumptioni, productum quidem ante illam, sicut quod mouetur localiter, præsupponitur ad motum, vt docet D. Thomas infra q. 4. art. 2. & 3. Ergo non producitur formaliter per ipsam assumptionem, sed per aliam diuersam, & priorem actionem.

29 Confirmatur primò. Implicat, quòd aliquid sit subiectum receptiuum actionis, per quam primò & per se producitur; sed humanitas Christi fuit subiectum receptiuum actionis vnitiuæ, seu Incarnationis: ergo non potuit primò, & per se produci per huiusmodi actionem.

30 Confirmatur secundò. Actio secundùm suam substantiam supernaturalis nequit realiter identificari cum actione naturali secundùm substantiam; sed vnio humanitatis cũ Verbo fuit actio supernaturalis quoad substantiam: ergo nequiuit realiter identificari cum productione humanitatis Christi, quæ fuit actio naturalis quoad substantiã, & eiusdem speciei cum productione aliarum humanitatum. Quod ex eo satis patet, quod

humanitatis Christi productionem potuit attingere
puta creatura, vt causa principalis, imò & B. Virgo se-
cũdùm Scoti opinionem attigit de facto; at verò vnio-
nem humanitatis Christi cum Persona Verbi nulla
creatura potuit attingere vt causa principalis; ergo hæc
vnio fuit distincta actio à productione humanitatis
Christi.

31 Hoc argumentum ex dicendis conclusione secunda
soluetur, interim dicendum est, eandem actionem es-
se simul productiuam & assumptiuam humanitatis
Christi; quæ quidem non producitur formaliter per
illam actionem, vt est assumptio, sed vt est productio,
& vt sic præsupponitur in fieri ad assumptionem. Hu-
manitas autem præsupposita in fieri ad assumptionem
est subiectum actionis vnitiuæ, quia non producitur
per illam, vt est vnitiua, sed vt est productiua, seu creati-
ua. Item actio supernaturalis secundùm substantiã po-
test realiter identificari cum actione naturali secũdùm
substantiam, vt patet in ablutione baptismali, qua mũ-
datur anima ab originali culpa, & est supernaturalis se-
cundùm substantiam, & idem realiter cum ablutione
naturali aquæ.

32 Quintò probatur Conclusio. Si animæ creatio, &
assumptio sunt actiones secũdùm rem distinctæ, crea-
tio erit prior naturâ, quàm assumptio, quia sicut assu-
mi supponit esse; ita productio supponitur ad assump-
tionem, quando sunt actiones distinctæ. Ergo produc-
tio humanitatis esset prior natura, quàm assumptio. Er
go Beatissima Virgo non concepit, neque genuit Deũ,
& ex consequenti non est dicenda Mater Dei, quod est
contra fidem. Probatur consequentia: quia conceptio,
siue actio generatiua Virginis priùs naturâ terminata
esset ad humanitatem existentem propria existentia, vt
supponit hæc opinio, & non ad Deũ; quia in illo priori
humanitas non est vnita Deo, atque adeò sola humani-
tas esset producta per illam actionem, & non Deus ho-
33 mo. Explicatur & confirmatur. Si calor priùs natura
fieret actione distincta, & posteà per aliam actionem
vniretur subiecto, per talem actionem non fieret cali-
dum, sed solus calor, & ideò, quia eadem actio-
ne, qua producitur, vnitur subiecto, de facto per illam
actionem non tam fit calor, quàm calidum; ergo simi-
liter si productio humanitatis est actio distincta, &
prior quàm assumptio, per illam concipitur humanitas
sola, & non Deus homo: & ita neque Deus esset concep
tus ex Virgine, neque Virgo esset Mater Dei.

34 Sed respondet Suarez hîc, & in Methaphys. Disput.
31. sectio. 12. Nume. 12. 13. & 14. Satis esse, vt B. Virgo
dicatur concepisse Deum, quòd eius actio, vel concep-
tio in eodem instanti terminetur ad Deum. Sed hęc so-
lutio est insufficiens; quia generatio per se primò respi-
cit formam, vt terminum, Quo, & ita actio generati-
ua B. Virginis terminata est ad humanitatem existen-
tem, quam verè effecit. Quòd si in illo priori antequàm
assumeretur, iam existebat, vt concedit Suarez, finita est
antè assumptionem actio B. Virginis, atque adeò con-
cepit solam humanitatem, & non Deum hominem. In
vera autem doctrina D. Thomæ concedendum est, ac-
tionem genitricem Virginis terminatam fuisse ad hu-
manitatem existentem in Verbo per ipsius Verbi exis-
tentiam, & ideò concepisse Deum hominem, vt latiùs
in responsione ad argumenta.

Sextò. Si creatio animæ Christi fuit actio distincta, 35
& prior natura, quàm assumptio, priùs natura existeret
anima, quàm esset assumpta: sed consequens est falsum:
ergo &c. Sequella patet, quia creatio terminatur ad
existentiam rei. Sed probatur falsitas consequentis. Ani-
ma Christi non existit nisi per existentiam increatam
Verbi, vt constat ex Epistola Sophronij recepta in. 6.
Synodo generali actione. 11. Et ostendetur infra q. 17.
art. 2. ergo anima Christi non potest existere priùs na-
tura, quàm vniatur Verbo. Ergo non est priùs natura
creata, quàm assumpta. Confirmatur. Creatio non est
actio distincta ab ea actione, qua essentia vnitur exis-
tentiæ; sed Incarnatio est actio, per quam essentia ani-
mæ, & humanitatis vnitur Diuinæ existentiæ, per quã
actu existit: ergo eadem est actio, qua creatur anima, &
Verbo vnitur.

Septimò. Anima rationalis nõ est priùs natura crea- 36
ta, seu existens, quàm subsistens: ergo neq; anima Chris-
ti est priùs natura creata, quàm vnita Verbo. Ergo non
alia ratione est creata, quàm assumpta. Consequentia
patet. Quia assumptio fuit in anima Christi loco pro-
priæ subsistentiæ, quæ est in alijs animabus, & ideò eũ-
dem ordinem habet illa assumptio ad existentiam, vel
creationem animæ, quem habet propria subsistentia
ad creationem, & propriam existentiam aliarum ani-
marũ. Antecedens probatur, quia creatio formaliter ter-
minatur ad rem subsistentem, vt docet D. Thomas. 1.
p. q. 45. art. 4. illud enim creatur, quod propriè existit;
sed hoc conuenit rei subsistenti: ergo nihil potest pro-
priè creationem terminare, donec subsistat. Ergo ani-
ma nequit intelligi priùs natura creata, quàm subsistes.
Confirmatur, quia ex sententia omnium Theolo-
gorum, anima rationalis subsistit, quia fit per crea- 37
tionem; quòd si creatio præcisè terminaretur ad exis-
tentiam priùs natura, quàm ad subsistentiam, nulla es-
set ratio conuincens ad asserendum, priùs natura sub-
sistere animam rationalem, quàm vniatur corpori: suf-
ficeret enim, quòd priùs natura existeret; ergo creatio
terminatur ad rem subsistentem, vt sic, atque adeò in
anima Christi creatio eius formaliter terminatur ad
vnionem, per quam subsistentia Diuina est illi commu
nicata.

Hanc rationem reijcit Suarez dicens, animam ra- 38
tionalem priùs natura creari, & existere, quã subsistat:
quia per creationem per se primò ac formaliter datur
existentia ex nihilo: subsistentia verò tanquam comple-
mentum existentiæ substantialis, & propter hujusmo-
di complementum dicitur creatio esse rei subsistentis.
Sed tota hæc doctrina est falsa, vt conclus. 3. & 4. cons-
tabit.

Secunda Conclusio. §. III.

CREATIO animæ, seu productio humanita 39
tis Christi, & assumptio illius ad Personã Ver-
bi, quamuis sit vna, & eadem actio secundùm
rem, vt ostensum est, est tamen duplex secundùm ra-
tionem formalem. Hæc conclusio potiùs explicatio-
ne, quàm probatione indiget. Asserit ergo conclusio,
creationem animæ & assumptionem habere rationem
duarum actionum, siue mutationum. Loquimur lar-
gè de mutatione: nam illud propriè, & in rigore muta-
tur, quod aliter se habet, quàm priori tempore se habue-
rit.

ris. Hoc autem in præsenti locum habere non potest, quia neq; anima, neq; humanitas aliquo tempore antè assumptionem præextiterunt: sed hæc actio, quæ secundùm rem est simul creatio animæ, & assumptio ad Verbum, appellatur mutatio; quia est actio ex præsupposito subiecto, quod ex vi talis actionis, aliter se haber, quàm priùs naturâ se habebat, vel aliter quàm ex sua natura existere posset. Et hoc genus mutationis reperitur in hoc mysterio; nam cùm Verbum & humanitas ex se, & ex vi suarum entitatum non sint vnita, non possent incipere esse vnita, nisi saltem alterum illorum aliter se haberet; quia si omninò immutata manerent, eodem modo se haberent, atque adeò non essent vnita.

40 Loquendo ergo hoc modo de mutatione asserit conclusio, creationem animæ, siue productionem humanitatis, licèt secundùm rem identificetur assumptioni, esse tamen ab illa distinctam formaliter, quatenùs habent distinctos terminos. Vnde formaliter interueniunt in Incarnatione duæ mutationes, siue actiones, inter quas fuit talis ordo, quòd creatio animæ, & humanitatis productio (quæ ad vnam pertinent mutationem) fuit præsupposita, vt in via, & quasi in fieri ad assumptionem: at in facto esse, & in termino è contra assumptio fuit præintellecta humanitatis productioni. Itaque hæc propositio est vera: Priùs naturâ humanitas Christi producitur, quàm sit assumpta. Hæc tamen est falsa: Humanitas priùs naturâ est producta, quàm assumpta, sed è contra dicendum est, quòd priùs naturâ fuerit assumpta, quàm producta.

41 Præterea ad verificandam illam propositionem; Humanitas priùs naturâ producitur, quàm sit assumpta, non oportet, quòd humanitas priùs extiterit per propriam existentiam, quàm fuerit ad Verbi subsistentiam assumpta, sed sufficit, quòd quantùm erat ex vi creationis animæ rationalis, ac productionis totius humanitatis, ipsa humanitas tenderet ad propriam sibi & connaturalem existentiam, quæ tamen per ipsammet Verbi existentiam humanitati communicatam fuit impedita, & præuenta; sicut etiam subsistentia propria debita humanitati fuit per Diuinam Verbi subsistentiam

42 præuenta: & ratione huius præuentionis assumptio in facto esse, & in termino fuit prior creatione animæ rationalis, & productione humanitatis. Sed in fieri è contra se res habet. Itaque hæ duæ mutationes, siue actiones sic se habent in hoc mysterio, quòd illa, quæ fuit prior in via, & in fieri, est posterior altera in facto esse, & in termino. Ita quòd prior mutatio præuenta est à posteriori ex parte termini, & quasi impedita, ne proprium terminum, in quem tendebat, consequeretur.

43 Et quamuis in natura adæquatum huius rei, & mysterij exemplum reperiri nō possit, quia, vt dicit Augustinus Epistol. 3. ad Volusianum: *Si ratio quæritur, non erit mirabile, si exemplum verò, non erit singulare,* Potest tamen aliquale exemplum inueniri in nostro intellectu, in quo iuxta quorundam Theologorum doctrinam sunt duæ actiones formaliter distinctæ, nempe, dicere, idest, productio Verbi, & intelligere, quod

44 est ipsa obiecti in Verbo contemplatio: inter quas operationes talis est ordo, quòd intelligere, prout est in via, & quasi in fieri, præsupponitur ad dicere, quia secundùm D. Thom. 1. p. q. 34. art. 1. Ex eo intellectus format Verbum V.G. Leonis, & non Equi, quia cognoscit Leonem, & non Equum. Et ideò productio Verbi per se pendet ex cognitione illius rei, cuius Verbum producitur. At ex parte termini, & veluti in facto esse aliter se res habet: nam intelligere, prout est contemplatio obiecti, præsupponit ipsum dicere, nam præsupponit Verbum productum, in quo fit intellectio, & ipsa obiecti contemplatio.

In communi verò potest huius rei assignari ratio, quòd prioritas naturæ est tantùm prioritas causalitatis, vt patet ex Aristotele cap. de Priori in postprædicamentis. Vnde non est mirum, quòd vna mutatio, prout est in via, & veluti in fieri, sit causa alterius & prout est in termino, & in suo complemento, sit effectus eiusdem mutationis, præsertim in diuerso genere causæ: sicut in præsenti contingit; nam productio humanitatis prout in fieri & in via, est causa materialis assumptionis, quia assumptio est ab alio ad se sumptio, & ob id res assumenda debet præsupponi saltem in fieri ad assumptionem. Assumptio autem ex parte termini est prior productione humanitatis, & creatione animæ; quia creatio suum terminum formalem assequi non potest, nempe, esse existentiæ, nisi dependenter à termino assumptionis, scilicet à subsistentia Verbi, quæ est formalis terminus assumptionis. Et quia terminus reducitur ad formam; ideò humanitatis productio, & animæ creatio pendet ab assumptione quasi in genere causæ formalis. Et ita verum est, si fiat sermo formalis, humanitatem Christi priùs naturâ fuisse assumptam, quàm productam, quamuis in genere causæ materialis priùs producebatur, quàm fuisset assumpta. 45 46

Sic verò explicata conclusio probatur. Illæ actiones sunt distinctæ saltem formaliter, quæ habent terminos distinctos: sed creatio animæ & assumptio distinctos sortiuntur terminos: ergo formaliter distinguuntur. Probatur minor. Assumptio per se primò non terminatur ad esse existentiæ, sed ad esse personale, seu ad esse subsistentiæ: creatio verò non respicit esse personale, sed esse existentiæ, quia est productio entis de non esse ad esse: sed esse personale & esse existentiæ Verbi, licèt idem sint secundùm rem, distinguuntur tamen ratione, siue formaliter virtute: ergo actiones, quæ ad illa terminantur, quamuis secundùm rem sint idem, distinguuntur tamen ratione formali. Præterea probatur hæc conclusio argumentis M. Suarez, quæ efficaciter probant esse distinctionem realem formalem inter creationem animæ & assumptionem ad Verbi Personam: sed non realem, tanquam rem à re. 47

Potest etiam conclusio alio exemplo explicari, licèt in omnibus non teneat. Quemadmodùm in naturalibus generatio, & corruptio, si considerentur in ratione actionis, sunt vna & eadem actio, quia eadem actio est secundùm substantiam, qua calidum generat calorem, & corrumpit frigus, videlicet, calefactio, quæ prout terminatur ad expulsionem frigoris, dicitur corruptio actiuè, & inquantùm terminatur ad calorem, dicitur generatio actiuè: si verò considerentur generatio, & corruptio in ratione mutationis receptæ in subiecto, dicuntur duæ diuersæ mutationes formaliter distinctæ, nam per vnam & eandem actionem ignis agens duas efficit mutationes, alteram de esse frigidum ad non esse 48

 frigidum,

frigidum, alteram vero de non esse calidum ad esse ca-
49 lidum. Ita in proposito licèt creatio animæ Christi, & assumptio in ratione actionis, sint vna & eadem actio, quæ simul est productiua humanitatis, & assumptiua; veruntamen considerata, vt terminatur ad distinctos terminos, dicitur duplex mutatio formaliter distincta: vna de non esse creatum ad esse creatum, altera de non esse assumptum ad esse assumptum. Item in supranaturalibus sicut infusio gratiæ, & remissio culpæ, si in ratione actionis considerentur, sunt vna & eadem actio, quia vnica actione Deus infundit gratiam, & remittit culpam, vt docet D. Thom. 1. 2. q. 113. art. 6. Si vero expendantur in ratione mutationis, possunt apprehendi, vt duæ mutationes inter quatuor terminos: ita similiter dicendum est de actione ista creatiua, & assumptiua, quamuis in exemplis adductis aliqua sit dissimilitudo ratione terminorum: sed exemplorū omnimoda identitas non requiritur.

50 Cæterùm aduersus explicationem cōclusionis huius obijcit Suarez infra q. 17. art. 2. Dispur. 36. sectio. 1. quia implicat, quòd aliquid intelligatur prius assumptum, quàm productum, vel creatum. Licèt enim possit intelligi, aliquid non prius produci, quàm vniri tamen quòd prius vniatur, quàm producatur, est manifesta repugnantia: & probatur. Esse assumptum essentialiter supponit, vel includit esse, etenim quod non est, non est assumptibile, neduum assumptum ergo assumptio existens in rerum natura essentialiter supponit, vel includit productionem; vel existentiam rei assumptibilis cum debita proportione, hoc est, si assumptio est in fieri, supponit, vel includit productionem in fieri. Si verò est in facto esse, supponit productionem in facto esse; ergo humanitas non potest priùs intelligi de facto assumpta, quàm præintelligatur de facto producta.

51 Confirmat Suarez. Hæc assumptio vel supponit existentiam, & est tantùm ad subsistendum, vel simul est ad existendum, & subsistendum. Si dicatur primum, ergo necessario supponitur res producta quoad existentiam. Si detur secundum; ergo in quocumq; signo intelligitur humanitas assumpta in facto esse, debet intelligi producta & existens: ergo nequit esse prius naturà assumpta, quàm producta in facto esse.

52 Possumus etiam idem argumentum confirmare secundo: quia humanitas Christi priùs intelligitur singularis, quàm assumpta à Verbo; quia assumpsit naturam singularem, & indiuiduam, & in atomo, vt ait Damascenus ergo priùs etiam intelligitur producta, quàm assumpta. Patet consequentia: quia nihil potest esse singulare, nisi sit productum in rerum natura.

53 Confirmatur tertiò. Assumptio humanitatis ad Verbum est vera & realis assumptio, & vnio duorum extremorum realium: ergo priùs natura quàm humanitas assumeretur à Verbo, intelligebatur esse aliquod ens reale. Sed nihil potest intelligi in aliquo esse vero, & reali, quin intelligatur productum: ergo priùs naturà humanitas fuit producta, quàm assumpta.

54 Confirmatur quartò. Humanitas priùs natura, quàm assumeretur à Verbo, fuit præintellecta per modum actualis entitatis, nam Verbum aliquam entitatem actualem sibi assumpsit, & non purum nihil: sed nulla res potest intelligi per modum actualis entitatis, quin intelligatur producta; ergo in illo priori rationis signo, quo humanitas præintelligitur assumptioni in ratione actualis entitatis, præintelligitur etiam producta: atque adeò falsum est, quod dicebamus, prius fuisse assumptam, quàm productam.

Confirmatur quintò. Verbum assumpsit veram &
realem humanitatem, non habentem solùm esse obie- 55
ctiuum, seu in potentia in causis suis, sed habentem aliquod esse reale, & actuale extra suas causas; sed hoc est esse existentiæ: ergo assumpsit humanitatem cum aliquo esse creato, & ex consequenti iam productam in suo esse. Consequentia est euidens. Maior est de fide, quæ docet, humanitatem Christi esse rem creatam, & à Verbo Diuino distinctam, & assumptam in vnitatem personæ; & ab illa natura habere Christum esse humanum, quod est esse creatum, & consequenter esse actuale, & non potentiale tantùm. Minor probatur; quia esse actuale, & extra causas nihil est aliud quàm existere.

Confirmatur sextò. Verbum Diuinum vel assumpsit 56
humanitatem extra suas causas constitutam, vel non. Si dicatur primum, ergo assumpsit humanitatem existentem, & productam. Patet consequentia, quia existentia est id, quo res formaliter habet esse extra nihil, & extra suas causas. Si dicatur secundum: ergo Verbum nihil actuale assumpsit, sed tantùm potentiale; quod est falsum; quia Verbum non assumpsit essentiam humanitatis, prout intelligitur esse in potentia obiectiua, sed quatenus intelligitur esse in actu.

Nihilominùs hoc argumentum cum suis confirma- 57
tionibus non labefactat vim doctrinæ propositæ. Vnde negatur, quòd implicet, priùs aliquid esse assumptum, quàm productum. Et ad probationem. Resp. Quod esse assumptum essentialiter præsupponit esse essentiæ, & simul includit esse existentiæ simultaneum, & concomitans. Vnde humanitas in hoc mysterio præsupposita fuit assumptioni eo modo, quo præsupponuntur ad compositionem totius partes essentiales, quæ duntaxat concurrunt ad componendum totum secundùm suum esse substantiale, & essentiale. ita humanitas præsupposita fuit assumptioni secundùm suam quidditatem & essentiam, & hæc præsuppositio sufficit, vt ipsa humanitas dicatur assumi. cùm assumptio non sit qualiscumq; sed ad suppositum, in quo humanitas assumpta acquirit esse: & in sensu, in quo partes dicuntur priùs
vnitæ, quàm existant per existentiam totius. Prioritas 58
autem partium ad totum nō attenditur, vt dictum est, secundùm esse existentiæ, & in esse producto, sed solùm secundùm esse substantiale, & essentiale, & solam simultaneam, & concomitantem existentiam exigit. Vnde argumenti consequentia neganda est, quòd assumptio in rerum natura existens præsupponat productionem, & existentiam rei assumptibilis: sed tantùm præsupponit essentiam; & quidditatem rei assumptibilis in produci, & in tendentia, & via ad acquirendum esse existentiæ, vel proprium, vel alienum, si fuerit præuenta, vt ostensum est in explicatione conclusionis.

Sed contra hanc solutionem replicatur ex ipso Sua- 59
réz in Methaphysica Disput. 31. sectio. 13. nu. 20. & 21. Si humanitas præsupponitur assumptioni duntaxat secundùm quidditatem & essentiam, ergo Verbum fuit vnitum humanitati, vt intellectæ in esse essentiæ tantùm, quod ab æterno habebat. Sed cōsequēs est falsum;

ergo.

terminatur ad entitatem illius animæ, pendet essentialiter ab vnione cum Verbo, seu ab ipso Verbo vt terminante, necessariò est actio in ratione creationis, seu productionis animæ essentialiter distincta à creatione aliarum animarũ. Cõsequens est cõtra omnes Theologos, & contra D. Augustinum Epistola. 99. ad Euodium dicentem. *Ita sibi creauit animam Dei Filius, vt cæteris creat.* Idem docet D. Hieronymus Apologia 2. contra Rufinum: & Leo Papa Epistola. 11. *Natiuitas,* Inquit, *Domini secundùm carnem, quamuis habeat quædam propria, quibus humanæ conditionis initia transcendit, non alterius tamen naturæ erat eius caro, quàm nostra, neque alio illi, quàm cæteris hominibus anima est inspirata principio.*

5 Confirmatur primò. Effectio propriæ subsistentiæ est in re distincta ab effectione naturæ; ergo multò magis effectio vnionis hypostaticæ est distincta ab effectione naturæ, quæ vnitur. Patet consequentia: quia multò magis peregrina est, & veluti extrinsecus adiuncta vnio, quàm propria subsistentia.

6 Confirmatur secundò. Effectio animæ Christi est vera creatio eiusdem speciei cum actione, qua producitur substantia cuiuslibet alterius animæ rationalis; sed effectio vnionis non est creatio, quia non est ex nihilo, sed ex præsupposito subiecto, videlicet, ex humanitate, quæ ex non vnita fit per illam actionem vnita Verbo: etenim humanitas, quamuis non supponatur subsistens, potest esse subiectum huius effectionis, quia eò tendit per illam, vt in alio subsistat.

7 Confirmatur tertiò. Illæ duæ effectiones pertinent ad genus actionis, & non sunt partes vnius actionis, cùm sint diuersorum ordinum, & plusquàm specie differant, neque vna resultet ex alia: ergo sunt duæ actiones secundùm rem distinctæ.

8 Confirmatur quartò: quia creatio animæ, & vnio eius ad corpus sunt actiones distinctæ; ergo multò magis creatio humanitatis, & vnio eius ad Verbum; quia maior diuersitas est inter has actiones, & inter terminos earum, & minor connexio inter illas ex natura rei.

9 Confirmatur quintò, quia aliàs sequeretur, si anima Christi dimitteretur à Verbo, non posse in rerum natura conseruari, nisi Deus noua actione ex se creatiua, & naturaliter conseruatiua illam conseruare inciperet, quod tamen est falsum, & contra omnium sententiam. Item sequeretur, generationem Christi humanam, quantùm ad formationem humanitatis, & vnionem animæ cum corpore, non esse eiusdem speciei cum generatione aliorum hominum: eadem enim est ratio de tota humanitate, quæ de animæ creatione; quia humanitas, vt constabit infra q. 6. tota est immediatè assumpta non solùm ratione partium, verùm etiam ratione totius. Vnde tota humanitas formata & concepta est dependenter à Verbo; ergo per eandem actionem est concepta & vnita. Ergo per actionem alterius ordinis. Item sequitur, Resurrectionem Christi fuisse actionem alterius ordinis ab ea, per quam resurgent alij homines. Probatur sequella: quia per illam actionem reproducta est humanitas Christi, nõ in se, sed in Verbo.

Postremò confirmatur ex D. Thoma infra q. 4. art. 2. vbi ait, Id, quod assumitur, debere præintelligi assumptioni, sicut quod mouetur localiter, præintelligitur motui. Et q. 6. art. 3. docet, animam Christi eodem modo, & eodem genere actionis fuisse creatam, quo aliæ animæ rationales. Atque adeò insinuat, quòd licèt in eodem instanti fuerit creata & assumpta, priùs tamen naturâ, & diuersa actione fuit creata. Et eadem q. 6. art. 4. ad. 3. inquit, carnem priùs naturâ vniri animæ, quàm Verbo vnione personali. Sensit ergo, productionem humanitatis esse priorem, & distinctam actionem secundùm rem ab vnione humanitatis ad Verbum. Idem sensit in. 3. d. 5. q. 3. art. 1. ad. 2. affirmans, quod assumitur, præexistere assumptioni, non tempore, sed naturâ, siue secundùm modum intelligendi. 10

His argumentis suasus M. Suarez art. 8. huius quæstionis Disput. 8. sectio. 1. asserit, assumptionem esse actionem secundùm rem distinctam à creatione animæ rationalis, & productione humanitatis, ita vt vna actione producatur humanitas, & alia distincta à priori, vniatur Verbo. Vt autem hæc sententia intelligatur, supponit primò Suarez, humanitatem Christi existere propria sibi & naturali existentia, quia opinatur, nullã rem aliter subsistere posse, nisi per existentiam sibi propriam, & intrinsecam, & quasi inhærentem. Et ideò tot multiplicat existentias, quot sunt rerum essentiæ, siue totales, siue partiales, ita quòd in homine V. G. est alia existentia materiæ, & alia existentia formæ, & alia existentia totius suppositi, & alia existentia personalitatis terminantis naturam humanam, & constituentis humanum suppositum. Dicit præterea Suarez, huiusmodi partiales existentias secundùm rationem existentiæ perfici & compleri per existentiam totius suppositi, & ab ipsa dependere, sicut partes substantiales sunt imperfectæ in esse substantiali, & essentiali, & perficiuntur, & complentur per formam substantialem totius suppositi, & intra ipsam continentur, & ab ea aliqua ratione informantur. Itaque quæcumque existentia partialis habet quendam modum inexistentiæ, quia sicut inexistentia accidentis non est sufficiens ad ipsum extra suas causas ponendum, sed dependenter à substantia, & ab eius existentia; ita partialis existentia nequit ipsam partem substantialem in rerum natura collocare, nisi dependenter à toto composito, & à totali eius existentia. Itaque in equo V. G. Materia & forma habent suas partiales existentias, sed neque materia potest existere, nisi dependenter à forma, & ab eius existentia, neque materia & forma existere possunt, nisi dependenter à toto composito, nempe, ab equo. Sic docet Suarez pluribus locis præsertim in Disp. 8. citata sectio. 2, & 4. & q. 17. art. 2. Disp. 36. sectio. 1. & in Metaphysica, Disputatione. 31. per totam idem passim repetit. 11 12

Secundò supponit Suarez, existentiam humanitatis esse priorem subsistentia, atque adeò substãtialem existentiam humanitatis, vel animæ Christi non pendere à subsistentia Verbi, tanquam à sustentante, seu complente proprium susceptiuum talis existentiæ, neque humanitatem pendere à Verbo, vt ab influente existentiam mediante vnione, sed vt à supplente vicem subsistentiæ propriæ, sine qua esse non potest, & ideò ex 13

sicut de facto fuit impedita. Habitudo autem essentialis, quam actio ad suum terminum dicit, est ad terminum aptitudinalem, & hic impediri non potest, nec de facto fuit impeditus, quia humanitas Christi apta nata est ad suam propriam existentiam tendere, & si à Verbo dimitteretur, statim se in propriam explicaret existentiam, sibi connaturalem, quæ est terminus illius.

78 Secundo Respondetur, creationem in fieri non fuisse in hoc mysterio à suo intrinseco & actuali termino impeditam, ad cuius intelligentiam aduertendum est, ad rationem generationis non esse necessarium, vt generans, existentiam rei genitæ de nouo producat, sed sufficit, producat essentiam rei sub existentia præexistente. Etenim cùm existentia non sit intrinseca rei actualitas, sed terminus, & complementum illius, parùm refert ad generationem, quòd generans de nouo existentiam producat, aut quòd producat substantiam rei genitæ sub antiqua existentia. Et ita contigit generationi, qua Beatissima Virgo Christum genuit: produxit enim humanitatem sub Diuini Verbi existentia, per quam terminatur & completur. Imò verò secundùm probabilem sententiā M. Bañez. 1. p. q. 4. art. 4. Existentia in omni generatione cuiusque particularis substantiæ non efficitur à generante particulari, sed immediatè à solo Deo.

79 Ad eundem ergo modum proportionabiliter dicendum est, quòd creatio in fieri in hoc Sacrosancto mysterio non fuit à suo intrinseco termino impedita: hic autem terminus non est res secundùm esse existentiæ, sed res secundùm esse essentiæ sub existentia, vel noua, vel præexistente, per quam essentia extrinsecè terminatur, & completur.

80 Sed instatur. Sequitur ex hac solutione, animā Christi priùs fuisse creatam, quàm assumptam: sed cōsequens aduersatur dictis; ergo. Probatur sequella. Creatio in fieri non fuit impedita in hoc mysterio à suo intrinseco termino: ergo anima Christi non solùm creabatur, sed fuit creata priùs naturâ, quàm assumpta. Resp. Negando sequellam, & probationi dicitur, quòd licèt creatio in fieri à suo termino impedita non fuerit, hunc tamen terminum assequi non potest, nisi ordine naturæ præcedat assumptio, quia terminus creationis est res secundùm esse essentiæ sub existentia, vel noua vel præexistente: nequit autem anima, vel humanitas Christi constitui sub esse existentiæ Diuinæ, nisi per assumptionem in facto esse, & ideò præsupponit illam; & non intelligitur creata, & producta, donec intelligatur assumpta.

81 Ad confirmationem Resp. Concedendo, creationem in fieri esse tendentiam & viam ad existentiam, siue esse existentiam in fieri. Existentia verò in fieri non est existentia à parte rei, sed tantùm est in potentia, vt sit in perfecto & facto esse: sicut calor in fieri non est calor à parte rei, sed est ipsa effectio, & productio passiua caloris, vt sit à parte rei. Etenim res dum fit, quandiù, & quatenùs fit, nondum intelligitur esse, sed tendere ad esse: quoniam fieri est medium inter non esse, & esse, cùm sit recessus à non esse, & accessus ad esse, & in sua ratione importat, rem, quæ fit, iam incœpisse, sed nondum ad terminum peruenisse. Et ita creatio est tendentia ad existendum, quæ si in hoc mysterio non impediretur, suum consequeretur terminum. Sed quoniam ab assumptione fuit impedita, seu præuenta, ideò animæ creatio terminatur ad existentiam Verbi, per quam existit humanitas. Ex quibus omnibus satis manet confirmata secunda conclusio. Sed antequàm dissoluantur arguméta initio disputationis proposita, oportet priùs refellere fundamenta Suarez, quibus ad improbandam sententiam D. Thomæ, & sectatorum illius, nititur. Vnde sit tertia Conclusio.

Tertia Conclusio. §. IIII.

FALSVM Est primum fundamentum M. Suarez, quòd in rebus omnibus propriæ, & particulares sint existentiæ. Probatur primò. Per existen- 82
tiam res constituitur formaliter in actu, vt Suarez cōcedit: ergo si in composito substantiali V. G. in Petro partes eius substantiales existunt proprijs existentijs, omnes etiam seorsum consideratæ sunt formaliter in actu, ita quòd materia prima est formaliter in actu, & forma est similiter in actu; sed istud consequens est falsum: ergo. Probatur falsitas consequentis ex illo communi axiomate. Ex pluribus entibus in actu non potest effici vnum ens simpliciter; sed vnum duntaxat secundùm quid, nempe, per aggregationem. Ergo si partes suppositi substantialis V.G. Petri sunt formaliter in actu constitutæ priùs naturâ quàm inerent compositionem totius suppositi, Petrus non erit ens simpliciter vnum, sed tantum aggregatione. Et idem argumentum fit de quocumq; substantiali composito. At quòd huiusmodi compositum non sit vnum simpliciter, nullus
Philosophus affirmabit. M. Suarez in Methaphys. Disp. 83
31. sectio. 11. num. 18. & 19. Respondet, illud axioma, Ex duobus entibus in actu non fieri vnum per se, non esse intelligendum de quibuscumq; entitatibus actualibus; quia potiùs implicat, ens per se ac completum actu componi nisi ex entibus actualibus incompletis; quod enim nihil est, non potest realiter componere, & præsertim ens per se vnum. Debet ergo intelligi de entibus in actu completis in suis generibus, quæ nec per se ordinantur, nec rectè cohærent ad componendum vnum per se, cùm vnum non comparetur ad aliud, vt potentia ad actū eiusdem generis, neque vt pars ad totum, vel ad compartem. Dicis secūdò, illam maximam esse intelligendam de entibus simpliciter, quæ per se sint entia, & non instituta ad componendum alia entia. Materia autem & forma non sunt entia simpliciter, neque completa, sed ex sua natura sunt instituta ad componendum ens simpliciter, quale est compositum substantiale: & ideò licèt habeant partiales existentias, ex illis componitur vnum per se, quod est ens simpliciter, & completum.

Nihilominùs hæc responsio non satisfacit intentio- 84
ni Aristotelis, qui absolutè affirmauit, ex duobus entibus in actu (siue illa sint completa, siue incompleta) non fieri vnum per se, quia compositio substantialis compositi debet fieri ex actu & potentia, non ex duplici actu. Neque satis est dicere, materiam, licèt sit in actu entitatiuo, esse tamen in potentia ad actum formalem; quia sic etiam ex subiecto & forma accidentali fieret vnum per se, quia respectu actus accidentalis remanet in
pura potentia. Item falsum est ens per se ac comple- 85
tum actu componi ex entitatibus actualibus, idest, actu existentibus, sed compositum substantiale, quod est ens

per

per se & completum, debet componi ex entitatibus actualibus, hoc est, realibus: & huiusmodi sunt materia & forma. Et de forma est manifestum, & de materia similiter constat, quia est ens verum reale, à forma realiter, & essentialiter distinctum; à qua in nullo genere causæ efficitur: sed ita est pura potentia, vt in sua natura nullum actum proprium intrinsecè includat. Itaque aliud est rem esse actu, seu includere actum: aliud verò esse entitatem, seu aliquid, & habere aliquid perfectionis, & ac-
86 tualitatis, hoc est, entitatis realis. Primum non conuenit rei nisi ratione formæ, secundum verò competit tam ei quod est actus, quam ei, quod est potentia. Et ideò D. Thom. 1. p. q. 14. art. 11. ad 3. ait, quòd materia prima, licet recedat à similitudine Dei ratione suæ potentialitatis, sed quia inquantùm vel sic habet esse, retinet quandam similitudinem Diuini esse. Idem docet de Veritate q. 3. art. 6. Neque quod ait D. Thom. q. 4. art. 1. & q. 5. art. 3. ad 3. Scilicet, materiam primam, in quantùm huiusmodi, esse in potentia, contradicit huic doctrinæ; quia intelligitur D. Thomas respectu actus, non respectu entitatis. Itaque materia dicitur pura potentia, quia respectu nullius est actus, in quo ab alijs potentijs distinguitur: nam forma substantialis ita est potentia suarum proprietatum receptiua,
87 quòd est actus, vel per se existens, vt Angeli, vel informans, vt alij: & idem est dicendum de intellectu respectu intellectionis. Sed materia ita est pura potentia, vt nullo modo sit actus, neque in actu: ac proinde falsum est ex materia in actu formaliter constituta per suam particularem existentiam, & ex forma fieri vnum per se. Item materia & forma, quamuis ex sua natura sint institutæ ad componendum ens simpliciter, non tamen componunt nisi intrando compositionem in ratione actus & potentiæ simpliciter. Illa autem potentia, estò sit potentia vera, in nullo actu debet esse constituta: aliàs non componeret ens simpliciter.

88 Præterea dicit Suarez, quòd partialis existentia non est existentia completa in ratione existentiæ, sed comparata ad existentiam totius compositi, siue suppositi substantialis, est potentialis, & habet modum inexistentiæ, & ideò omnes eius partes cùm suis existentijs partialibus concurrunt ad vnum suppositum, & simpliciter existũt per vnicam eius existentiam, & ob id totum suppositum simpliciter est vnum.

89 Sed contra obijcitur. Existentia ex sua propria ratione ita est actualitas, quòd nullam habet potentialitatem terminabilem, & actuabilem per formam superiorem; quia esse ex suo proprio conceptu dicit actualitatem, & nihil admittit potentialitatis nisi ratione essentiæ & naturæ, cui adiungitur, à qua materialiter modificatur, & determinatur in qualibet re creata, sicut omnis forma determinatur, & contrahitur materialiter à potentia, quam actuat, & informat. Vnde esse existentiæ secundùm suam rationem perfectius est simpliciter quacumque forma substantiali, vt docet D. Thom. 1. p. q. 4. art. 2. ad 3. Et ideò perfectio essentialissima Dei est ipsum esse: ergo sine ratione dicitur, existentias partiales actuari & informari per communem totius suppositi existentiam.

90 Hæc ratio est potissimum fundamentum illius axiomatis, Ex duobus entibus in actu nequit fieri vnum ens simpliciter: nam duæ entitates constitutæ in proprijs actualitatibus essendi non possunt actuari per aliud esse eisdem commune, quia repugnat, existentiam actuari vel per aliam existentiam superiorem, vel per aliam quamcumque formam, quia existentia vt sic est summa actualitas, & omnium actualitatum actualitas, & maxima. Neq; aliunde potest determinari, quàm ex parte subiecti, hoc est essentiæ, quam actuat, & terminat. Vnde illa repugnantia à Philosophis inuenta, quòd ex pluribus entibus in actu fiat vnum simpliciter, non est expendenda potissimùm ex alijs formis, & actualitatibus, sed ea ipsa actualitate existendi, quia certum est, gradus formales inferiores per superiores actuari, & perfici: vt corporeum per vegetatiuum, vegetatiuum
per sensitiuum, & sensitiuum per rationale. Imò verò 91
nullum esset inconueniens, esse in homine plures formas, ex quibus isti diuersi gradus desumerentur, & formam inferiorem habere se potentialiter, & materialiter respectu superioris, nisi obstaret actualitas existendi. Itaque tota huius rei repugnantia inde sumitur, quòd istæ formæ tribuerent diuersas existentias, & repugnat, existentiam, quam confert forma inferior, posse in ratione existentiæ per superiorem formam, aut superiorem existentiam actuari, & formaliter perfici. Vnde si essent in vno supposito diuersæ formæ, essent simpliciter plura entia in actu, & non esset vnum simpliciter.

Hæc doctrina non est ad libitum excogitata, quia si 92
gradus substantialis inferior potest per superiorem actuari & perfici, poterit similiter forma inferior, cui ille gradus respondet, actuari & perfici per formam superiorem. Vnde nisi obstaret actualitas existentiæ, quam secum affert quælibet forma substantialis: nulla esset ratio, propter quam non multiplicarentur formæ substantiales in eodem supposito.

Secundò impugnatur prædicta solutio. Istæ partia- 93
les existentiæ non sufficiunt constituere partes substantiales extra suas causas; ergo falsò appellantur existentiæ, & impropriissimè dicitur, eas habere modum inexistentiarum. Antecedens probatur. Si materia habet existentiam partialem, vel illa est sufficiens ad constituendam materiam extra suas causas, vel non. Si dicatur primum: ergo existentia materiæ primæ non habet modum inexistentiæ; cùm se sola sufficiat exequi proprium officium existentiæ. Si dicatur secundum, ergo non est existentia. Patet consequentia, quia proprius effectus formalis existentiæ est existens, seu existere, quod est constituere rem extra suas causas, sicut repugnat albedinem esse, & ex se non esse sufficientem ad constituendum album: cùm proprius & formalis effectus albedinis sit facere album.

Confirmatur. Vel hæc existentia partialis materiæ 94
primæ est existentia per se, vel in alio. Si est existentia in alio: ergo non habet modum inexistentiæ, sed est vera inexistentia, & ex consequenti est quidam actus accidentalis, per quem substantia, quæcumque illa sit, non potest existere. Si verò est existentia per se; ergo materia per hanc solam substantialem existentiam separata ab omni forma poterit absque miraculo existere, ita quòd miraculum consisteret in separatione duntaxat materiæ ab omni forma, non verò in eo quòd seiuncta existat.

Vrgetur ampliùs difficultas. Præterea, inquiro, An in 95
illo

Digitized by Google

illo priori, quo materia præintelligitur formæ & cõ-
poſito, verè materia exiſtat per hanc ſuam partialem
exiſtentiam, ita vt verè præintelligatur exiſtens, & vt
exiſtens concurrat ad compoſitionem, ſicut Sol priùs
naturâ exiſtit, quàm illuminet. Et licèt in eodem inſ-
tanti, quo exiſtit, illuminet, priùs tamen intelligitur
exiſtens, quia quatenùs exiſtit actu lucidus, illuminat.
Sic etiam quæritur, An materia ad compoſitionem
totius compoſiti confluat, vt exiſtens propria exiſten-
tia, & verè præintelligatur actu exiſtens, vel nunquam
intelligatur exiſtens, quandiu non intelligitur infor-
96 mata, & intra totum compoſitum conſtituta. Si dicas,
eam, præintelligi exiſtentem, cùm priùs non depen-
deat intrinſecè à poſteriori, ſequitur manifeſtè, ma-
teriam, ſi per miraculum ab omni forma ſubſtantiali
denudetur, ſine nouo miraculo permanſuram exiſ-
tentem, & re vera exiſtere, quandiu ab ea per aliud
miraculum illa partialis exiſtentia non fuerit ſeparata:
ſicut præintelligitur exiſtens per eandem exiſtentiam
priùs naturâ, quàm vniatur formæ. Itaque ſicut Sol
exiſteret, quamuis eius actualis illuminatio totaliter
impediretur, vt in morte Chriſti fuit impedita, & ſi-
militer homo, etſi per miraculum riſibilitas ab eo ſe-
pararetur: ita exiſteret materia, licèt ab omni ſubſtan-
tiali forma ſepararetur. Et mirum eſt, quòd à mate-
ria prima non ſeparetur exiſtentia, per quam vnioni ad
formam præexiſtere potuit, & quòd deſinat eſſe. Si
verò vnioni ad formam non præexiſtit, neque concur-
rit vt exiſtens ad compoſitionem totius compoſiti,
fruſtrà data eſſet materiæ primæ talis partialis exiſten-
tia, quia extra ſuas cauſas non poteſt actu exiſtere, ni-
ſi dependenter à forma, imò & à toto compoſito,
& actuata, & terminata per exiſtentiam totius com-
poſiti.

97 Ad hanc rationem reſpondet Suarez ſectio. 11. cita-
ta num. 10 Materiam primam, cùm fiat & conſerue-
tur per creationem, priùs naturâ exiſtere, quàm for-
mam, ſed inde non ſequi, poſſe naturaliter exiſtere ſi-
ne forma, quia illam exigit vt conditionem, & diſpo-
ſitionem neceſſariam; ſeu tanquam actum formalem,
ſine quo illi non debetur, vt ſit. Et ſæpè contingit, vt
id, quod in aliquo genere eſt naturâ prius, nequeat eſſe
ſine poſteriori.

98 Dicit prætereà, quòd licèt hæ partes non poſſint ni-
ſi in toto exiſtere; exiſtentia tamen totius nulla eſt, ni-
ſi ex exiſtentijs partium conſletur, nec partes poſſunt
per exiſtentiam totius exiſtere, niſi quatenùs illa inclu-
dit partiales exiſtentias ſingulis partibus accommoda-
tas. Et ideò, ait, non ſunt ſuperfluæ partiales exiſten-
tiæ, ſed omninò neceſſariæ, vt partes habeant actuali-
tatem ſufficientem ad componendum totum, & ſimi-
liter, vt ex illis componatur integra exiſtentia totius
compoſiti.

99 Cæterùm hæc reſponſio multa continet falſa, quæ
in præſenti non vacat examinare. Et primùm, falſum
eſt, materiam priùs naturâ exiſtere, quàm formam,
quia materia etiam de potentia Dei abſoluta nequit
exiſtere ſine forma, ſine qua nullius exiſtentiæ eſt ca-
pax, vt docet Auerroes. 1. Phyſicor. comment. 12. &
Auicena 2. Methaph. cap. 3. Quia exiſtentia eſt termi-
nus eſſentiæ ſingularis ſub aliqua ſpecie certa conſtitu-
tæ: implicat autem materiam eſſe ſingularem ſub
aliqua certa ſpecie, niſi media forma: ergo. Sed dices. 100
Sicut potentia viſiua ſpecificatur à colore, quamuis
color non exiſtat actu, per ordinem ſolùm tranſcen-
dentalem ad illum: ita materia poteſt ſpecificari à for-
ma per ordinem tantùm ad illam, atque adeò etſi illam
non habeat actualiter coniunctam, in certa ſpecie erit,
& ex conſequenti erit capax actualis exiſtentiæ. Sed
contra eſt, quia potentia viſiua ex ſua natura eſt deter-
minata ad colorem, vnde non indiget actuali coniun-
ctione cum eo, vt ab illo ſpecificetur; materia verò
ſecundùm ſe eſt indifferens ad formas, atque adeò ad
ad nullius ſpeciem poteſt determinari, niſi quatenùs ali-
qualiter coniungitur cum aliqua determinata forma.
Quando enim caret omni forma, cùm omnes poſſit
recipere, nulla eſt maior ratio, quare ad ſpeciem huius,
quàm illius trãhatur.

Sed objicies. Quamuis hoc ſit verum in materia ge- 101
nerabilium, in materia tamen cœli id non tenet; quia
reſpicit vnam formam ſingularem tanquam actum
adæquatum; ergo per ordinem aptitudinalem ad il-
lum poteſt ſpecificari. Reſp. Quòd licèt in rebus, quæ
aliquem actum includunt, poſsit ſpecificatio ſumi ab
aliquo omninò extrinſeco, neque actualiter exiſtenti,
vt conſtat in potentia viſiua, quia tunc ſpecificatiuum
duntaxat eſt complementum rei ſpecificatæ; in rebus
autem, quæ ſunt pura potentia, ſpecificatio ſumi non
poteſt ab aliquo non exiſtente, vel ſeparato, ſed actua-
liter coniuncto, quia tunc ſpecificatiuum eſt tota ſpe-
cies rei, ita vt illa ex ſe nullam habeat determinatio-
nem ad certam ſpeciem, niſi eam, quam ex actua-
li coniunctione cum forma ſpecificante aſſequi-
tur.

Vnde etſi poſſet per aliquam potentiam communi- 102
cari materiæ exiſtentia, quæ non eſſet effectiuè à for-
ma: huius tamen exiſtentiæ non eſſet capax, niſi habe-
ret priùs actualiter coniunctam formam. Ratio huius
eſt, quia materia prima eſt maximè potentialis, exiſ-
tentia verò eſt maxima omnium actualitatum, & cùm
ſit participatio quædam Diuini Eſſe, ferè nihil admix-
tum potentialitatis habet, & quodammodò attingit
rationem actus puri. Vnde pura potentia cum ac-
tualitate, quæ ferè eſt actus purus, non habet pro-
portionem, & ita vt proportionetur materia pri-
ma, quæ eſt pura potentia cum actu exiſtentiæ,
neceſſarium fuit, vt mediaret forma, quæ mate-
riam aptam & proportionatam ad actum exiſten-
tiæ redderet: nam forma habet aliquid de actu, &
aliquid de potentia, & ita optimè diſponit mate-
riam, vt recipiat exiſtentiam. Quo fit, vt in illo
priori, quo materia intelligitur antè formam, ne-
queat exiſtere, quia ſine forma nullius exiſtentiæ,
neque partialis, neque totalis eſt capax: atque adeò
falſum eſt, quod dicit præfata reſponſio, nempe,
materiam primam priùs natura exiſtere quàm for-
mam.

Sed obijcitur. Quod eſt prius & abſolutum, ab 103
alioq; realiter diſtinctum, poteſt ſine poſteriori exiſte-
re; ſed materia eſt huiuſmodi reſpectu formæ: ergo in
illo priori, quo præintelligitur antè formam, poteſt
exiſtere partialiter. Caietanus de Ente & Eſſentia cap.
5. q. 8. reſpondet, materiam non eſſe ſimpliciter prio-
rẽ forma, ſed tãtùm ſecũdùm quid, & de hac prioritate

falsa est maior. Secundò respondet distinguendo minorem: quia materia secundùm essentiam est prior, quàm forma, non tamen secundùm existentiam, quam habet ab illa. Sed contra. Forma non introducitur in materiam non existentem, quia sic in nihilum introduceretur: ergo materia etiam quoad existentiam est prior forma, atque adeo priùs natura existit, quàm forma. Resp. Ad hoc, quòd forma sic introducatur, sufficit quod in eodem Instanti temporis vtraque simul existat: non tamen considerata materia in prioritate naturæ, in quo non præexistit, neque est necessarium præexistere.

104 Præterea. Falsum est quòd si per miraculum materia separetur à forma, non posset naturaliter existere per illam partialem existentiam, quam illi confert Suarez. Et probatur, quia materia habet propriam existentiam, vt concedit Suarez; ergo quòd existat, non habet intrinsecè à forma, sicut neque forma habet à materia intrinsecè, quòd existat: ergo neutra pendet ab alia in genere causæ intrinsecæ. Sed in genere causæ extrinsecæ forma materialis educitur ex materia, & pendet ab illa vt à subiecto, materia verò non ita dependet à forma, vt constat; ergo licèt forma materialis nequeat naturaliter conseruari sine materia: poterit tamen materia sine omni forma: nam materia & forma respectu sui inuicem dicuntur causæ extrinsecæ; quia neque forma habet à materia rationem intrinsecam formæ, neque materia habet à forma rationem intrinsecam materiæ. Quòd si materia habet propriam existentiam, non pendet à forma in proprio esse, sed in hoc, quod est, esse actuatam, & formatam, quod sine forma habere non potest. Si verò per miraculum fieri posset, vt inuicem separentur, tunc materia non erit actuata & formata per formam, erit tamen existens.

105 Neque obstat, existentiam materiæ esse partialem; nam existentia animæ rationalis est etiam partialis, & tamen sola naturaliter cōseruatur. Sed dices, quòd anima rationalis sicut est independens à materia in operando, sic etiam in essendo; at verò materia nuda non est principium alicuius operationis actiuum. Contra est, quia anima rationalis non est independens in essendo, eò quòd sit independens in operando, sed potiùs è contrario, licèt à posteriori ex independentia in operando ostendatur independentia in essendo: sed materia prima est etiam in essendo incorruptibilis, & independens in suo proprio esse à forma: ergo &c.

106 Rursus falsum est, existentiam totius constare ex partialibus existentijs partium, quia tunc illæ partiales existentiæ per se vnirentur ad constituendam existentiam totius, ac subinde vna illarum compararetur ad alteram sicut actus ad potentiam, quod supra ostendimus esse falsum: quia existentia ex propria ratione ita est actualitas, vt nullam habeat potentialitatem admistam secundùm se, sed solùm ratione essentiæ vel naturæ, cuius est existentia: ac propterea existentia dicitur esse perfectior omni forma substantiali, quia plus habet actualitatis, quàm ipsamet forma.

107 Et tandem falsum est, partiales existentias esse necessarias, vt partes habeant actualitatem sufficientem ad componendum totum: quoniam, vt supra diximus art. 1. huius quæstionis Disput. 1. Parag. 5. Nihil constituitur in esse actualis entitatis per existentiam, sed per formam specificam: existentia autem est conditio necessaria, vt quæcumq; actualitas formalis habeat suum complementum, & actualitatis modum, vnde seclusa existentia omnia sunt potentialia. Nihilominus ipsa existentia non confert rei creatæ substantialem eius actualitatem, sed hoc pertinet ad formam concurrente simul ipsa actualitate existentiæ per modum necessariæ conditionis: nam existentia in rigore loquendo non est forma rei, sed quidam terminus substantialis, sicut subsistentia, quæ etiam est terminus: hæc intrinsecus, illa vero extrinsecus.

Item. Materia prima, priusquàm vniatur formæ, 108 non eget actualitate essendi, neque oportet, præintelligatur per modum existentis, quia vt antecedit compositionem actualem cum toto composito, & vt ordine naturæ præcedit totius compositi formam, non præexistit, neque præintelligitur vt existens, aliàs sine miraculo posset existere separata ab omni forma, vt ostensum est: at verò præintellecta forma totius, & eius existentia, per ipsammet existentiam totius constituetur materia, & quælibet alia pars compositi in ratione actualis entitatis.

Neque est verum, existentiam esse formam essentia- 109 liter, & intrinsecè constituentem cuiusque rei actualitatem: nam essentia & ratio formalis humanitatis V. G. non est existere, quia hoc est commune homini, Equo, Leoni, & Lapidi &c. Sed est, esse animal rationale; hoc autem non habet homo ab existentia, sed à sua ratione formali: ergo existentia non est forma constituens essentialem rei actualitatem, sed est quidam terminus essentiæ & formæ, necessariò requisitus, vt forma actu conferat suam entitatiuam actualitatem.

Tertiò probatur conclusio, & speciatim procedat 110 argumentum in homine. Si in homine præter existentiam animæ rationalis est alia existentia toti humanitati communis, vel illa existentia est corporea, & materialis, vel incorporea & immaterialis; sed neutrum horum dici potest; ergo. Maior est manifesta: nisi dicatur, illam existentiam esse compositam, sicut & ipsa humanitas, cuius altera pars est corporea, & altera incorporea, hoc autem esset ab intento recedere, quia non constituitur aliqua existentia communis, sed duæ partiales, atque adeò rueret tota doctrina contraria, quia omnes existentiæ in homine essent partiales, & non responderet toti composito sua specialis existentia, vt contraria sententia opinatur. Sed probatur minor, & primò; quòd non sit corporea, & materialis, 111 est notum, quia anima rationalis, quæ est spiritualis & incorporea, nequit existere per corpoream & materialem existentiam; quod præcipuè est euidens in doctrina contraria, quæ docet, existentiam esse verum actum, veramq; formam, & verè actuare, & informare illam essentiam, cui tribuit existere. Item quòd non sit spiritualis ista cōmunis existentia, probatur. Totum cōpositū ex corpore & anima resultans nō est purè spirituale: ergo non est actuabile per existentiā purè spiritualem, quæ per se primò sit proportionata ipsi toti composito. Hoc vltimum dixerim propter existentiam animæ rationalis, quæ toti composito humano commu-

communicatur, cùm sit spiritualis: hoc autem mirum non est, quia eius spiritualitas ex toto composito censari non debet, sed ex ipsa anima rationali, ad quam per se primò pertinet.

112 Secundò. Si illa esset spiritualis, esset suapte natura incorruptibilis, atque adeò redderet totum compositum incorruptibile, & immortale. vel saltem sequitur, quoties corrumpitur homo, destrui aliquam entitatem substantialem, & spiritualem. Et similiter est maximum absurdum dicere, quòd substantialis entitas, spiritualis, & immaterialis per se pendeat in sui conseruatione ab entitate corporali, ita vt destructo corpore humano, necessarium sit, vt ipsa quoque destruatur, ac proinde quòd ex sua natura sit corruptibilis. Etenim cùm totum corruptibilitatis fundamentum sit materia, quæ formæ & composito malum machinatur, vt dixit Aristot. 2. Physicorum, res spiritualis, quæ omnis materiæ est expers, non potest sua natura incorruptibilis, & immortalis non esse.

113 M. Suarez in Methaph. Disput. 31. citata sect. 11. nume. 14. Negat, existentiam hominis esse omninò immaterialem & incorpoream, sed potiùs esse appellandam absolutè materialem & corpoream, sicut hominis essentia est materialis, non quia omnes partes ex quibus constat, sint materiales, & corporeæ: sed quia altera est materialis & corporea. Res enim immaterialis dicitur, quæ ex materia non constat; atque adeò omnis res, quæ materia constat, licèt aliunde constituatur forma spirituali, & immateriali, est simpliciter materialis. Ad eundem modum existentia totalis hominis est corporea & materialis; non quia omnis existentia partialis ex qua componitur, sit materialis & corporea, sed quia resultat ex corporis existentia, quæ est materialis, & ex existentia animæ.

114 Sed hæc responsio non satisfacit, nam licèt sit vera de tota hominis natura & essentia, quæ duplici parte constat, altera materiali, & corporea, altera verò immateriali, & incorporea, ac proindè talis essentia simpliciter appellanda sit materialis propter rationem assignatam; hoc tamen locum non habet in hominis existentia, quæ cùm non constet ex partialibus existentiis, vt supra probatum est, sed sit eadem existentia animæ, quæ toti composito communicatur, & hæc existentia sit immaterialis & incorporea, cuius immaterialitas non debet expendi ex toto composito, sed ex anima ipsa rationali, ad quam per se primò spectat: ideò talis existentia nullo modo est, nec dici potest materialis: alias nequiret anima per talem existentiam existere.

115 Neque dissoluit argumentum respõsio Suarez, quòd anima non possit adæquatè, & tanquam per proprium actum existere per illam existentiam materialem, posse tamen per illam existere inadæquatè, seu partialiter, non quatenùs constat ex parte materiali, sed quatenùs aliam partem spiritualem includit, ipsi animæ propriam & proportionatam. Hæc, inquam, solutio non satisfacit, quia illa existentia totius non resultat ex partium existentijs, quæ nullæ dantur, vt iam ostensum est.

116 Quartò probatur conclusio. Sequitur ex contraria sententia, naturas inferiores, vt Equum, Leonem, &c. habere formas suapte naturâ immortales, & incorruptibiles, sicut homo, sed consequens est absurdum: ergo. Probatur sequella. Formæ Leonis competit sua propria & particularis existentia, sicut formæ hominis competit, nempe, animæ rationali. ergo eodem modo forma Leonis est incorruptibilis, sicut anima rationalis.

Respondet Suarez negando sequellam, quia licet forma Leonis habeat propriam & partialem existentiam, non tamen aptam ad subsistendum in se ex natura sua, sed dependentem à materia, vt ab ea sustentetur, & ideò neq; prius naturâ existit in se, quàm in materia, nec separata à materia potest conseruari. Sed hæc responsio non satisfacit: quia si illa partialis existentia non potest per se constituere formam Leonis existentem, nisi dependenter à materia, impertinens est talis partialis existentia, cùm non valeat facere per se existentem formam, cui adiungitur. Item interrogo, An priùs naturâ, quàm intelligatur totalis existentia Leonis, præexistat eius forma substantialis per suam partialem existentiam, vel non. Si non præexistit, frustrà est talis partialis existentia. Si verò præexistit, sequitur inconueniens illatum, nempe, quòd forma Leonis possit sua natura existere à corpore separata, sicut existit anima rationalis. 117

Item sequitur, quòd forma Leonis incipiat per creationem, sicut anima rationalis. Probatur sequella. Forma Leonis non dependet in sui productione à toto composito; ergo verè producitur per se, & ipsa immediatè terminat suam productionem, & producitur secundùm se totam, & secundùm omnem sui entitatem: ergo creatur. Prior consequentia patet: quia id, quod independenter ab alio producitur, per se producitur. Posterior consequentia est etiam euidens: quia productio, qua aliquod totum ens producitur, siue sit ens partiale, siue totale, est creatio; creatio enim nihil est aliud, quàm totius entis productio. Antecedens verò probatur. Non dependet à toto composito in suo esse, quia priùs naturâ habet esse, vt ais Suarez, quàm totum compositum habeat esse, quælibet autem res sicut se habet ad esse, ita se habet ad produci & fieri, & à quo non dependet in esse, nequit per se pendere in fieri, nisi vt plurimùm tanquam à dispositione quadam remota. 118

Dices, animam rationalem habere operationem independentem ab organo, & instrumento corporeo, quam non habet anima Leonis. Sed hoc impertinens est ad propositum, vbi inquiritur causa, ob quam cùm anima Leonis habeat propriam existentiam, sicut anima hominis, non competat ei similis operatio. Et sicut ex operatione, quam habet anima rationalis à corpore independentem, colligitur à posteriori, illam habere propriam existentiam, in qua à corpore non dependet, neque à toto composito; ita ex eoquod in Leone nulla est huiusmodi operatio, deducitur necessariò, eius animam non actuari propria & partiali existentia, qua priùs naturâ existat, quàm totus Leo, sed quòd existit per existentiam communem totius compositi, & nõ aliter. Ex quibus omnibus colligitur veritas tertiæ conclusionis, ac proinde esse necessariò amplectendam sententiã D. Thomæ, quæ docet totũ cõpositum, 119

& omnes eius partes, & omnia ad ipsum intrinsecè pertinentia vnica & eâdem existentia substantiali existere. Sit quarta conclusio.

Quarta Conclusio. §. V.

120 SVBSISTENTIA Propria naturæ est prior, quàm existentia, & comparatur ad illam, vt potentia ad actum, à qua pendet existentia tanquam à sustentante. Hæc conclusio est contra secundum fundamentum M. Suarez, est tamen cõmunis omnium Thomistarum. Et sensus illius est quò ad priorem eius partem, quòd natura, quantumuis singularis, & indiuidua, non est capax existentiæ, nisi priùs ordine naturæ compleatur & terminetur per subsistentiam, tanquam per intrinsecum terminum. Cùm enim existentia sit terminus omninò extrinsecus omni creaturæ, nequit natura istum terminum extrinsecum habere, nisi priùs terminum intrinsecum habeat, qui est subsistentia: quoniam ex sententia D. Thomæ infra q. 17. art. 2. Proprium existentiæ susceptiuum est suppositum iam constitutum per subsistentiam & personalitatem. Et hac fortassis ratione, inter alias terminus suppositi constitutiuus vocatur subsistentia, quasi sub existentia, quia constituit proprium, & immediatum subiectum existentiæ. Quò fit, vt natura pendeat in esse simpliciter à subsistentia, quia sine illa non est capax saltem naturaliter existentiæ: atque adeò humanitas Christi simpliciter pendet in esse simpliciter ab assumptione, & vnione ad Verbum, quia sine illa est incapax existentiæ simpliciter, cùm solùm existat per increatam Verbi existentiam.

121 Sic autem explicata conclusio est D. Thomæ infrà q. 17. art. 2. vbi ait, Esse pertinere ad hypostasim, non ad naturam. Et hac ratione probat, in Christo esse vnicum tantùm existere Diuinum, quia licèt in illo sint duæ naturæ, est tamen vnicum suppositum, quod est immediatum existentiæ susceptiuum, & non natura. Et colligitur ex Aristotele in prædicamento substantiæ. vbi ait, primam substantiam esse maximè substantiam, quia est fundamentum omnium accidentium. Est autem fundamentum per existentiam; ergo existentia primò, & per se conuenit primæ substantiæ. Sed prima substantia est suppositum; ergo existentia est actus proprius suppositi, atque adeò subsistentia, quæ est constitutiua suppositi est prior, quàm existentia.

122 Secundò probatur. Existentia est vltima actualitas, & vltimum complementum omnium, & vltimus terminus: ergo præsupponit essentialiter, & intrinsecè naturam iam completam & terminatam per omnia alia complementa, ac proinde per subsistentiam. Sed subsistentia est constitutiua suppositi in ratione suppositi: ergo est prior quàm existentia, quæ in supposito & non in natura suscipitur. Tertiò. Quod fit in factione substantiali, est suppositum, vel factum simpliciter, vel in tali natura substantiali; sed factio substantialis est transitus de non esse ad esse substantiale; ergo esse existentiæ substantiale recipitur in supposito iam constituto, & completo per subsistentiam, & ex consequenti subsistentia est prior, quàm existentia.

Secunda pars conclusionis, nempe, subsistentiam comparari ad existentiam, sicut potentia ad actum, est expressa sententia Caietani. 1. p. q. 3. art. 4. Vbi ait, quamcumque quidditatem, vel naturam, quantumcumq; secundùm rationem quidditatiuam sit actualis, relatam tamen ad existentiam habere rationem potentiæ, & ita existentia est actualitas omnis formæ. Et q. 8. art. 1. ait, nihil esse in re, quod non actuetur per esse. Idem docet cap. 6. de Ente & Essentia, & omnes Thomistæ sequuntur Caietanum in hac re. Et probatur ratione. Subsistentia creata (quantumuis perfecta & eleuata sit) includit aliquid potentialitatis respectu existentiæ, per quam actuatur, perficitur, & completur: ergo &c. Secundò. Existentia actuat ipsam subsistentiam, nam subsistentia existit sicut aliæ res: ergo &c. 123

Tertia pars conclusionis, quòd existentia pendet à subsistentia tanquam à sustentante, ex dictis est manifesta. Quia natura non est capax existentiæ, nisi sit completa & terminata per subsistentiam, ita quòd subsistentia mediat inter naturam & existentiam, tanquam terminus & conditio necessariò requisita, vt natura sit subiectum existentiæ: ergo dependet à subsistentia tanquam ab eo, quod constituit proprium susceptiuum existentiæ. De hac re legenda sunt, quæ infra dicuntur quæst. 4. artic. 2. Disput. 3. Paragrapho quinto. 124

Sed contra primam partem conclusionis sunt quædam argumenta. Primum est. Existentia componitur cum essentia, & ita à Methaphysicis vocatur compositio ex esse & essentia: ergo immediatum susceptiuum existentiæ est essentia, & non suppositum; aliàs esset compositio ex existentiâ & supposito, & non ex esse & essentia. Confirmatur. Essentia in hac compositione habet se vt potentia, existentia verò vt actus; ergo immediatum susceptiuum existentiæ est ipsa essentia & natura, & non suppositum, & ex consequenti prior est existentia, quàm subsistentia. 125

Caietanus. 3. p. q. 17. art. 2. Respondet, existentiam esse actum naturæ & essentiæ, vt principij, Quo, suppositi verò, vt subiecti, Quod, siue quod habet ipsam existentiam, ita vt natura sit principium, Quo, immediatum existentiæ, sed non est immediatum receptiuum illius, sed mediante persona, atque adeò necessarium est naturam priùs personari, vt ab ea esse existentiæ actualiter principietur; non quidem ex defectu naturæ principiantis, vt Quo, sed quia deficit primum ipsius existentiæ susceptiuum. Vnde colligit Caietanus, naturam nunquam esse id, quod est, sed quo est, quia natura existit, non vt quæ existit, sed vt qua aliquid existit. 126

Colligit secundò, ad hoc quòd natura existat, non requiri, vt ipsa per existentiam actuetur, sicut subiectum actuatur per formam in eo receptam; sed sufficere, quòd ipsa sit, qua aliquis existit: quia non omnia existunt vno, eodemq; modo, sed satis est vnicuiq; entium existere modo sibi conuenienti, cùm sint multi modi essendi. Ex hac solutione Caietani videtur deduci, existentiam propriè & in rigore non componere cùm essentia, cùm hæc non actuetur 127

per

per illam, tamquam subiectum per formam, sed suppositum est, quod per existentiam actuatur, & cum quo existentia componit. Iuxta hanc autem Caietani sententiam dicendum est, quòd cùm Methaphysici docent, esse compositionem ex esse & essentia, debet intelligi, quia præcipuum, quod est in supposito, est natura & essentia. Sed contra hanc solutionem obijcitur, quia omnis natura & essentia, quantumuis sit actualis, relata ad existentiam, habet rationem potentiæ, vt fatetur ipsemet Caietanus. 1. p. q. 3. art. 4. Ergo ipsamet essentia habet rationem potentiæ, quæ cum existentia componit.

128 Reiecta ergo hac Caietani solutione Resp. Quòd licèt natura & essentia componat in creaturis cum existentia, non est tamen ipsa essentia immediatum susceptiuum existentiæ, sed suppositum, quia suppositum supra naturam nihil addit, nisi quendam modum suppositi constitutiuum, extrinsecum tamen essentiæ, qui modus est terminus quidam naturæ, sicut punctus est terminus lineæ. Et iste modus est veluti conditio necessaria, ad hoc quòd natura & essentia existat à parte rei. Vnde ipsa natura & essentia est, quæ actuatur, & quæ cum ipsa existentia componit: conditio tamen necessariò requisita est, vt ipsa natura & essentia sit completa & terminata per subsistentiam personalem, vt sit susceptiua existentiæ: vel potiùs est quidam intrinsecus modus necessariò adiunctus, qui rationem conditionis induit. Et per hoc patet responsio ad confirmationem.

129 Secundò. Si subsistentia est prior quàm existentia, ergo in Deo est triplex existentia, quod est falsum, vt ostensum est supra artic. 2. Disput. 3. Probatur consequentia. Immediatum susceptiuum existentiæ est suppositum: sed in Deo sunt tria susceptiua existentiæ; nempe, tria supposita: ergo est triplex existentia. Patet hæc consequentia; quia actus multiplicantur penes propria & immediata susceptiua. Resp. Negando consequentiam, quia actus non multiplicantur penes susceptiua veluti mediata, sed immediata, immediatum verò susceptiuum existentiæ in Deo solum est vnicum absolutum, nempe, hic Deus: mediata vero sunt personæ & supposita. Ratiò verò propter quam existentia non multiplicatur ex susceptiuis veluti mediatis in Deo, est, quia actus dicit ordinem primò & immediatè ad primarium susceptiuum, & mediante illo ad alia, & ita ex illo debet multiplicari, vel habere vnitatem. Et quia tres Diuinæ Personæ veluti suscipiunt actum existentiæ interuentu naturæ & essentiæ Diuinæ, & vt sunt aliquid illius, intrinsecè & essentialiter in ipsa imbibitum, ideò non multiplicatur existentia: quia susceptiua mediata, & veluti secundaria, quæ veluti mediante alio suscipiunt, non multiplicant actus, sed susceptiua immediata & pri-
130 maria. Est simile. Existentia, qua actuatur Petrus V. G. actuantur omnia, quæ sunt in Petro, siue sit pars integralis, siue essentialis, siue prædicatum quidditatiuum, & quælibet ratio formalis, quia ea omnia actuantur, quatenùs intrinsecè, & essentialiter in Petro includũtur. Ad eundem modum omnes Diuinæ Personæ, & omnia quæ sunt in Diuina Natura nostro intelligendi more actuantur, & terminantur per vnicam existentiam absolutam & essentialem, quia hæc omnia actuantur, quatenùs sunt aliquid inclusum intrinsecè & essentialiter in Diuina natura.

Tertium est illud argumentum, quod fecimus in 131
confirmationem oppositæ sententiæ in secundo fundamento, quod supponit M. Suarez: quia existentia est prima actualitas cuiuscumq; naturæ: &c. Sed Resp. Existentiam esse primam & vltimam actualitatem cuiuscumque naturæ attingentem à fine vsque ad finem sua actualitate, à primo gradu vsque ad vltimum. In omnibus enim imbibitur intimè tanquam omnium complementum: & ob id dixit Caietanus. 1. p. q. 8. art. 1. Existentiam esse id, quod primò compositionem terminat, & quod vltimò in resolutione restat. Quæ sententia sic est explicanda, quòd existentia est prima actualitas ordine compositionis intellectualis: quia si intellectus V. G. ex cognitione entis, quod est proprium illius obiectum, descendat vsque ad hominem, primò intelligit esse per se, quod substantiæ competit; deinde esse corporeum, esse viuens, esse rationale, in quibus omnibus ipsum esse existentiæ consideratur vt actus primus.

Est autem vltima ordine resolutionis, quia si reso- 132
lutoriè velit ascendere ad id quod est simplicius, perueniet vsque ad ipsum esse, & vltra non ascendet. Sic explicat M. Bañes. 1. p. q. 3. artic. 4. Dubio. 1. Potest idem hoc exemplo explicari: nam ens est primum cognitum intellectus, & forma prima intelligibilis, quæ coniungitur intellectui, ita vt nihil possit concipi, nisi priùs concipiatur ens, & ideò ens imbibitur in omnibus conceptibus, & formis, & perfectionibus intellectus, quia vt ens est abstractum abstractione totali, & vt continet omnia genera & conceptus illius, est sicut primum fundamentum intellectualis conceptus, & generationis, & veluti fundamentum ædificij, ita vt affirmet Caietanus in proœmio de Ente & essentia, conceptum entis esse quandam formam generalissimam ipsius intellectus, quemadmodùm forma corporeitatis est forma generalissima materiæ primæ. Nihilominùs idem ens abstractum formali abstractione est vltimum cognitum intellectus, & vltima eius actualitas: & ideò Methaphysica, quæ disputat de ente abstractu abstractione formali, est vltima 133
via perfectionis. Itaque ens est primum cognitum via generationis, & vltimum via perfectionis, & intimum in omnibus conceptibus intellectus. Ad eundem etiam modum esse, siue existentia est prima actualitas via generationis, & vltima via perfectionis, & in omnibus gradibus intimè clauditur. Verum est aliquid discriminis esse; quia ens consideratum vt abstractum totali abstractione, est aliquid potentiale & perfectibile: esse verò, vt est actualitas formæ, quatenùs confert primum gradum entis, non est perfectibile, quia non actuatur per gradus formales subsequentes, sed potiùs actuat illos, perficit, & complet, nam omnis gradus à primo vsque ad vltimum per existentiam actuatur & completur, & omnem gradum & rationem attingit, & in ratione perfectionis in omnibus imbibitur, & ita est prima, & vltima actualitas.

Sed contra replicatur. Existentia, vt est actua- 134
litas formæ, inquantum tribuit primum gradum, est primum via generationis, vt constat ex D.

Thoma. 1.p.q.76. art. 6. Sed quod est prius ordine generationis, est potentiale, & perfectibile respectu posterioris; ordinatur enim ad posterius veluti imperfectum ad suam perfectionem. Ergo &c. Resp. cum Caietano 3.p.q.34.art.1. Circa solutionem ad primum: priora ordine generationis tantùm, esse imperfectiora, vt pote ordinata ad posteriora, tanquam ad finem, vt patet in artificialibus; quia priora in exequutione sunt imperfectiora. Priora autem ordine generationis, & causalitatis simul, non sunt imperfectiora, sed perfectiora. V.
135 G. homo priùs est via generationis, quàm eius proprium accidens, & nihilominùs homo perfectius ens est simpliciter loquendo, quàm proprium eius accidens, quia non solùm præcedit illud origine, sed causalitate etiam, cùm sit causa illius effectiua & finalis. Item in mysterio Incarnationis priùs est ordine exequutionis gratia vnionis, & posteriùs comitatur gratia habitualis per modum propriæ passionis, & tamen perfectior est simpliciter loquendo gratia vnionis, quia non solùm est prior ordine generationis, sed etiam causalitate, in genere causæ efficientis & finalis, quia gratia habitualis veluti fluit à gratia vnionis, & hæc est finis illius. Ad eundem modum existentia, etiam vt actuat formam, quatenùs dat primum gradum, est prima ordine generationis, & causalitatis simul, in genere causæ formalis: quia est actualitas omnium, & etiam in genere finis, quia omnia ordinantur ad esse veluti ad finem.

136 Quartò obijcitur contra secundam partem conclusionis. Existentia respectu subsistentiæ non habet rationem actus, sed rationem termini formalis; ergo non comparantur sicut actus & potentia. Patet consequentia, quia terminus alicuius rei non vocatur actus illius: sicut punctus, qui terminat lineam, non dicitur actus, vel actualitas illius. Et subsistentia, quæ terminat naturam, non dicitur actualitas eius. Probatur autem antecedens: quia si existentia haberet rationem actus respectu subsistentiæ, quæ habet rationem potentiæ, tam ex subsistentia, & existentia resultaret aliquod tertium compositum ex illis; sed consequens est falsum, quia ex hac compositione non resultat aliquod tertium, sed ipsamet subsistentia terminata &
137 completa per esse: ergo. Resp. Existentiam respectu subsistentiæ non habere rationem termini formalis, sed actus tantùm: ad hoc autem quòd existentia habeat rationem actus, & subsistentia rationem potentiæ, non est necessarium, quòd ex illis resultet aliquod tertium, sed sufficit resultet subsistentia actuata, & perfecta: nam ex ære, & forma artificiali non resultat aliquod tertium, sed æs figuratum, & tamen forma artificialis, & ipsa figura habent veram rationem actus. Et idem dicendum est de subiecto & accidenti.

Soluuntur Argumenta. §. VI.

138 AD Primum igitur argumentum initio disputationis propositum Resp. tantùm conuincere, vnã, & eandem actionem, quæ simul est creatio, & assumptio secundùm rem, esse duplicem secundùm rationem formalem, quatenùs terminatur ad distinctos terminos saltem formaliter: ac proinde illa actio non est vna formaliter respectu vtriusq; termini, sed duplex.

Ad secundum Resp. Eodem modo concedendo, actionem, qua fit entitas animæ, & vnionem eius ad Verbum non esse vnam, & eandem formaliter; sed duplicem, vt ostensum est: negatur tamen, non esse vnam, & eandem materialiter, & secùndùm rem. Item falsum est, quòd naturale non possit essentialiter dependere ab eo, quod est supernaturale, nam humanitas Christi, quæ est entitas naturalis, in suo esse simpliciter dependet ab vnione hypostatica, seu à Verbo media vnione: ad huiusmodi autem dependentiam nullus requiritur influxus Verbi in humanitatem, vt existimat Suarez, sed tantùm quòd Verbum terminet dependentiam suppositalem humanitatis: & in hoc sensu concedi potest, humanitatem, quantùm ad suam entitatem absolutam à Verbo dependere, quòd creatio, seu productio humanitatis non terminatur ad entitatem eius absolutam, nisi sub existentia Verbi. Item conceditur, naturalem entitatem animę Christi fieri in rerum natura per actionem, quæ vt est creatio, est quidem naturalis, vt autē est assumptio, est omninò supernaturalis. 139

Ad tertium negatur sequella: & ad primam probationem Resp. Animam Christi fieri per actionem, quæ vt est creatio, est ordinis naturalis, vt autem est assumptio, est ordinis supernaturalis. Ad secundam probationem Resp. Creationem esse actionem ex nihilo, & non ex præsupposito subiecto, sed non esse contra rationem creationis, quòd sit ex præexistente supposito, seu cum actuali, & essentiali dependentia à supposito terminante naturam factam per illam actionem. Et sic anima Christi facta est per creationem, nam quò ad suam entitatem facta est ex nihilo, & non ex præsupposito subiecto, sed illa actio non fuit tantùm creatio; sed simul assumptio sui termini ad hypostasim Verbi. 140

Ad quartum Resp. Creationem animæ Christi, quantùm ad substantiam, hoc est, quantùm ad vnionem animæ cum corpore, fuisse naturalem, & eiusdem speciei cum creatione aliorum hominum; sed quantùm ad modum fuisse supernaturalem, & alterius speciei, sicut de gratia Christi & nostra dici solet. 141

Ad primam confirmationem negatur, effectionem subsistentiæ propriæ esse distinctam ab effectione naturæ, sed eádem effectione, qua fit natura, fit eius subsistentia. Non enim subsistentia est connaturalis naturæ ratione principij effectiui ad modum propriæ passionis, ita vt mediet aliqua actio imperfecta inter naturam & subsistentiam, sicut mediat inter subiectum & propriam passionem, sed est connaturalis ratione principij passiui, vt ostendetur infra q.4.art.2. Disput. 7. Vnde consequentia nihil valet. 142

Ad secundam confirmationem concesso antecedenti negatur consequentia: solùm sequitur, hanc actionem, vt est creatio, distingui formaliter à seipsa, vt est assumptio. Et eodem modo Resp. ad tertiam confirmationem, quòd illa actio, siue vt creatiua, siue vt vnitiua, pertinet ad genus actionis, & est vna secundùm rem, duplex verò secundùm rationem formalem, neque sunt partes vnius actionis, neque vna resultat ex alia. 143

Ad quartam confirmationem, quicquid sit de antecedenti, de quo legendus est Ferrariens. 2. contra Gentes cap. 89. Negatur consequentia, sed solum sequitur distinctio formalis inter creationem animæ Christi, & 144

eius

eius assumptionem ad Verbum. Creatio autem animæ, & vnio eius ad corpus, licet sint duæ actiones distinctæ secundùm rem, quia ad creationem solus Deus cōcurrit, ad vnionem verò concurrit etiam homo: ad assumptionem tamen solus Deus cōcurrit, vna & eadem actione creans animam, & vniens Verbo.

145 Ad quintam cōfirmationem negatur prima sequella, nam dissoluta vnione remaneret illa eadem actio, non vt fuit assumptio, sed vt fuit creatio, & per illam conseruaretur humanitas, sicut anteà conseruabatur. Et in tali casu continuò resultaret in humanitate propria, & sibi connaturalis existentia, & subsistentia, vel ex vi actionis, qua humanitas fuit à Beatissima Virgine concepta, & simul ex vi creationis, qua Christi anima fuit à Deo creata: quæ actiones per vnionem hypostaticam fuerunt quasi impeditæ, nè ad hunc terminum peruenirent: vel per nouam actionem, vt infra constabit q. 4. art. 2. Disp. 7. num. 18. & 19.

146 Ad secundam sequellam Resp. generationem Christi humanam quantùm ad substantiam fuisse eiusdem speciei cum aliorum hominum generatione, sed quantùm ad modum fuisse diuersæ rationis, & idem dicendum est de resurrectione. Cæterùm quantùm ad generationem, qua Beatiss. Virgo Christum genuit, aduertendum est, quòd generatio per se primò respicit formam, vt terminum, Quo, respicit autem per se suppositum, vt terminum, Qui. Vnde terminus, Qui, illius generationis factæ à Virgine, fuit Christus, prout humanū suppositum. Et licèt B. Virgo sua generatiua actione non effecerit assumptionem secundùm rationem assumptionis, ipsam tamen humanitatem, quam verè effecit, communicauit Verbo: hoc est, ministrauit Deo in eius assumptione; quatenùs humanitas non habuit esse nisi

147 in ipso Verbo. Vnde Beatiss. Virgo habuit verum concursum, vt Verbum esset suppositum humanum, & vt esset homo. Quò fit, vt terminus generationis humanæ ministerio Virginis factæ, non fuerit humanitas vt assumpta secundùm formalitatem assumptionis, nam solum Verbum assumpsit ad se naturam, & tota Trinitas absque vllo medio ipsam assumptionem effecit: sed fuit ipsamet humanitas, vt in tali supposito constituta. Vt autem Virginis actio humanitatem attingeret, vt in tali supposito, habuit ex eo quòd simul cum eius actione concurrebat assumptio, imo priùs naturâ ex parte termini præintelligitur assumptio; nam quia Verbum ad se humanitatem assumpsit, ideò actio generatiua Beatiss. Virginis attigit humanitatem in tali supposito constitutam, & ibi suum applicuit concursum. Et ob id cum summa formalitate Concilia, & Patres affirmant, Beatiss. Virginem Christum, & Deū genuisse, ac proinde esse appellandam verè & propriè Theotocon, id est, Deigenitricem.

148 Ad sextam confirmationem Resp. animam Christi ex sententia D. Thomæ eodem modo & genere actionis fuisse creatam, quantùm ad substantiam, quo aliæ animæ rationales, nempe, ex nihilo, & non ex aliquo præsupposito subiecto; sed non quantùm ad modum creandi, vt iam ostensum est. Concedo similiter, humanitatem præsupponi assumptioni, & termino eius in fieri, non in facto esse: sed nihilominùs esse & modus essendi conuenit illi ad modum, quo præintelligitur assumptioni, nempe, vt quo aliud est, & non vt quæ est. Etenim humanitas, quæ assumitur, non significat habentem esse, vt homo, sed significat formam Methaphysicam totius, qua aliud est, id est, qua est homo. Licet ergo humanitas præsupponatur assumptioni, non tamen præsupponitur, vt Quod, in se existens, & productum, vel habens esse in se, quia per assumptionem perducitur ad esse, & ad productionem in facto esse, sed præsupponitur, vt qua in termino assumptionis Verbū futurum est homo. Et hoc modo intelligitur D. Thomas in locis citatis in argumento.

TERTIA DISPVTATIO.

CIRCA secundam conclusionem D. Thomæ, 1
in qua dicitur, nullum alium meruisse Incarnationem de condigno, aduertendum est, per meritum de condigno intelligi id, quod cum præmio habet æqualitatem, ita vt æqualitas operis meritorij sufficiat ad mercedem, & non requiratur æqualitas operantis ad retribuentem, quia hæc duntaxat inuenitur in merito de toto rigore iustitiæ, quod tantùm in Christo fuit. Hæc autem æqualitas, non oportet, sit formalis, sed sufficit, vt sit virtualis, ita vt meritum virtute sit æquale cum eo, quod in præmio formaliter inuenitur; videlicet, virtute continendo ipsum præmium, siue ista virtualis continentia sit ex natura rei, siue ex Diuina ordinatione. D Thomas existimat in gratia contineri virtute ex natura rei augmentum gratiæ, & beatitudinem, sicut in semine continentur germen, & fructus: alij verò non nisi ex Dei ordinatione. Sed tamen quocumque modo dicatur, parum refert ad rationem meriti de condigno, quia semper habet æqualitatem virtualem cum præmio. Hoc supposito, dubitatur, An Pa- 2
tres antiqui iusti, qui Christum præcesserunt, meruerint, vel mereri potuerint de condigno Incarnationem. Videtur autem vera pars affirmans. Incarnatio Christi, prout in executione ponenda potuit habere rationem præmij: sed operibus Sanctorum Patrum nihil deerat, vt illam de condigno mererentur; ergo meruerunt illā. Probatur minor: quia erant opera supernaturalia, & eiusdem ordinis cum Incarnatione Christi, procedebantq; ex gratia & charitate, & ab ipsis operantibus ad istud præmium ordinabantur; sed nihil aliud requiritur ad meritum de condigno: ergo.

De proposita quæstione est sententia D. Bonauen- 3
turæ in 3. d. 3. art. 2. q. 2. asserentis, Patres antiquos meruisse de condigno Incarnationem Christi, quantùm ad aliquem eius effectum. Fuit autem duplex, præcipuus Incarnationis effectus. Alter est iustificatio animarum per gratiam, alter verò apertio regni cælestis. Dicit ergo hæc sententia, Sanctos Patres meruisse Incarnationem, quantùm ad posteriorem effectum, non tamen quantùm ad priorem. Et quia primus effectus fuit præcipuus, & magis propinquus substantiæ Incarnationis, ideò absolutè dicendum est, non meruisse substantiam Incarnationis, sed potest concedi meruisse illam secundum quid, id est, comparatione ad illum principalem effectum. Ratio pro hac sententia hæc est.

Incarnatio Christi quātùm ad priorem effectum est 4
prima omnium meritorum radix, gratia enim collata per Christum est principium totius meriti; quoad secundum verò effectum non est radix, & principium merendi,

rendi, quia essentialis ratio meriti non dependet per se ex apertione regni cælestis, ergo Sancti Patres non meruerunt primum Incarnationis effectum, sed secundum & minùs principalem. Nihilominus pro explicatione sit Prima Conclusio.

5 Sancti Patres antiqui non meruerunt de condigno Christi Incarnationem, neque quò ad primum, neque quoad secundum eius effectum. Est contra S. Bonauenturam, est tamen communis aliorum Theologorum. Et probatur primò in genere. Merita antiquorum Patrum habuerunt condignum præmium in gloria, & augmento gratiæ illis respondente; ergo non meruerunt de condigno altius præmium, quale est Incarnatio. Antecedens patet, quia respectu nostrorum meritorum hoc est condignissimum præmium: sed opera antiquorum Patrum non erant ordinis altioris, neque ex perfectiori gratia operabantur: ergo.

6 Secundò: quia unus homo alteri homini primã gratiam de condigno non meretur, ergo multò minùs potuerunt homines mereri Christo gratiam vnionis, quæ in illo fuit prima. Tertiò: quia Christus non meruit de condigno suam Incarnationem; ergo multò minùs alij homines, aliàs maius aliquid & altius meruissent homines, quàm Christus.

7 Quartò probatur conclusio specialim contrà D. Bonauenturam. Totum opus redemptionis nostræ operatus est Christus ex liberalissima misericordia, & nõ ex aliqua nostra iustitia iuxta illud ad Titum. 3. *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm misericordiam suam saluos nos fecit:* Sed apertio regni cælestis pertinet ad opus nostræ redemptionis tãquam vnum ex potissimis eius operibus: ergo fuit ex misericordia Dei. Atque adeò improbabile est, Patres antiquos de condigno meruisse hunc effectum: quia meritum de condigno est meritum de iustitia.

8 Sed dices, quòd merita Patrum, quæ hunc secundum effectum de condigno meruerunt, innitebantur Christi Incarnatione, prout fuit causa primi effectus, nempe, iustificationis, atque adeò tota iustitia, quæ inerat meritis Patrum, reducebatur ad misericordiam Dei, eo modo, quo merita nostra, quibus gloriam meremur, ad misericordiam Dei, qua nobis confert primam gratiam, reducuntur. Et ideò sicut gloria, quæ nostris meritis de condigno respondet, interdum solet appellari gratia, ad Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna,* eò quòd tota iustitia, & condignitas meritorum in Dei gratia, & misericordia fundatur; ita apertio regni cælestis dicitur propriè opus Diuinæ misericordiæ, quamuis de condigno respondeat meritis Patrum, quia eorum condignitas & iustitia Diuinæ misericordiæ innitebatur.

9 Hæc solutio non facit contrariam sententiam probabilem, licèt eam ab omni erroris periculo liberet. Et arguitur contra illam. Primò quia nulla nititur probabilitate, quòd opus nostræ redemptionis in aliquo potissimo eius effectu, qualis est apertio regni cælestis, ita sit opus iustitiæ, sicut est glorificatio iustorum. Hæc enim in Sancta Scriptura simpliciter appellatur merces, & corona iustitiæ. 1. ad Timo. 4. sed opus redemptionis semper appellatur opus misericordiæ: ad Titum. 3. & ad Roma. 5. Vocatur donum & gratia absque vlla distinctione primi, vel secundi effectus, & nunquam appellatur opus iustitiæ: ergo.

Secundò. Apertio regni cælestis necessariò fuit consequuta mortem & passionem Christi; sed nulla merita de cõdigno præcesserunt mortem, & passionem Christi in Diuina præuisione, quia Sacra Scriptura mortem Christi ad solam Dei misericordiam & gratiam reducit ad Roma. 5. *Commendat Deus charitatem suam in nobis,* idest, suam misericordiã & gratiam. *Cùm enim peccatores essemus secundùm tempus, Christus pro nobis mortuus est.* Ergo apertionem regni cælestis nulla præcesserunt merita de condigno in Diuina præuisione Maior est certa, & colligitur ex eo, quòd in Christi passione velum templi scissum est in duas partes, quæ scissura significauit apertionem Ianuæ regni cælestis, sicut & ipsum velum operiens tabernaculum significabat nondum esse apertam Sanctorum viam, vt ait Paulus ad Hebræ. 9. 10

Confirmatur. Vt Christus nobis mereretur remissionem peccatorum perfectam, & quòad culpam, & quòad pœnam, nulla præcesserunt merita de condigno ex parte nostra, aliàs enim non essent gratis nobis remissa peccata per Christum, quod est hæreticum: sed apertio regni cælestis pertinet ad remissionem peccatorum; spectat enim ad remissionem pœnæ dãni, imò est ipsa remissio huius pœnæ damni: ergo. 11

Cõfirmatur secũdò. Eò ipso quòd Christus meruit nobis remissionem peccatorũ, meruit ex necessario cõsequio apertionem Ianuæ regni cælestis: ergo sicut Patres non meruerunt Incarnationem Christi, prout fuit causa remissiua peccatorum, neque etiam illam meruerunt, prout nobis aperuit Ianuam cælestem. Antecedens probatur. Remissio peccatorum in hoc consistit, quòd Deus non puniat pœna æterna peccatorem propter peccata commissa, & quòd mundet animam ab omni iniquitate peccatorum; ergo qui meretur remissionem peccati, meretur necessariò remissionem pœnæ æternæ. Sed Christum mereri apertionem regni cælestis, fuit mereri remissionem pœnæ æternæ pro toto genere humano: ergo. 12

Confirmatur tertiò. Christus ex rigore iustitiæ meruit remissionem peccatorum: sed remissio ex rigore iustitiæ intrinsecè claudit remissionem culpę & pœnę; ergo. Probatur minor, quia remissio culpæ debet esse consummata. 13

Postremò. Mereri de condigno, vt Deus toti generi humano aperiret Ianuam cælestem, solùm spectat ad eum, qui est præditus gratia capitis, quæ est gratia virtualiter vniuersalis, & cõmunis; sed solus Christus fuit præditus gratia capitis, & omnis alia gratia, quantacũque sit, est gratia personalis: ergo mereri de condigno apertionem Ianuæ cælestis ad solum Christum pertinuit. Maior est euidens; quia apertio Ianuæ cælestis est bonum commune toti humano generi: ergo nequit esse effectus gratiæ personalis, neque in esse physico, neque in esse morali, sed duntaxat gratiæ capitalis, cuius est proprium influere in omnia membra corporis mystici. 14

Secunda Conclusio. Veteres Patres non meruerunt de condigno, vt Christus, ex eorũ genere, tribu, aut familia originem duceret. Probatur primò, quia hoc meritum non pertinet ad gratiam hominis singularis, cùm hoc bonum, quod meretur, sit bonum vniuersale, & 15

commune:

commune:ergo. Secundò quia istud bonum est infinitum & summum; nam licet huiusmodi meritum efficacem Dei voluntatem de Incarnatione Verbi supposuerit: hoc tamen non tollit, quòd familia, quæ hoc bonum mereretur, non mereretur summum & infinitum bonum; quoniam illud bonum, quod Abraham, aut Dauid, aut alius sibi, suæque familiæ mereretur, est infinitum, & illis anteà indebitum; ergo faceret suis meritis sibi debitum infinitum bonum. Hoc autem meritis puræ creaturæ cõpetere nequit; quia sunt valoris finiti;
16 ergo. Si autem objiciatur illud Genes. 22. Quod dixit Deus Abrahæ, *Per me metipsum iuraui, quia fecisti rem hanc, & non pepercisti vnigenito tuo propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, &c.* Ex quo loco videtur colligi, Abraham facto illo, quo voluit suum filium Isaac immolare Deo, de condigno meruisse benedictionem, quã ibi accepit: quę sanè benedictio fuit promissio nascituri Messiæ. Respondetur, nihil cõcludere, quia ibi nũ pręcesserat Dei promissio de Messia ex semine Abrahæ nascituro, si ipse Abraham Deo obedijsset circa filij sui Isaac immolationem; sed post factum obedientiæ superuenit promissio, cui Deus ius iurandum præmisit, vt non in opere Abrahæ, sed in Diuino Verbo firmitas promissionis poneretur, quãuis Abrahæ obedientia fuerit occasio Diuinæ promissionis illi factæ, quia ex illa Deus occasionem promittendi sumpsit.

17 Tertia Conclusio. Sancti Patres etiam de potentia Dei absoluta non potuerunt de condigno mereri Incarnationem Christi. Est cõtra M. Medinã hîc asserentem, id fuisse possibile, si interuenisset promissio Dei onerosa, qua statuisset cum Abraham, aut cũ alio, si feceris hoc, promitto tibi in præmium obedientiæ Incarnationem. Sed nostram conclusionem tenet M. Suarez art. 11. Disp. 10. sectio. 5. Et probatur efficaciter. Posita illa Dei promissione onerosa opus præstitum ab eo, cui fuisset facta promissio, non esset tanto præmio condignum, neque ad illud maiorem proportionem intrinsecam haberet, quàm si promissio non præcessisset: ergo inter illud meritum & pręmium non esset alia cõdignitas & proportio, quàm quòd promisseras Deus se daturum tale præmium sic operanti. Sed hæc tota condignitas solam facit fidelitatis obligationem, & nõ iustitiæ, quia non esset condignitas rei ad rem, sed conditionis requisitæ ex parte promittentis, adhibitæ ex parte eius, cui facta fuerat promissio: ergo falsum est ibi reperiri meritum de condigno; cùm talis ratio meriti magna ex parte esset referenda ad condignitatem operis meritorij, & non ad fidelitatem promittentis: quoniam inter rem & rem, nempe inter meritum & præmium nulla esset æqualitas, aut æqualitatis proportio, nisi quæ ex promissione, & ordinatione Dei proueniret, quæ potiùs esset extrinseca, & secundùm quid; atque adeò solam rationem iustitiæ secundùm quid in merito constituere posset.

18 Confirmatur. Gratia creata, & opera ab illa profecta, si secundùm se considerentur, & secundùm suam intrinsecam naturam, solùm habent naturalem proportionem, & condignitatem cum gloria, cuius semen est gratia; sed hanc proportionem & condignitatem non habent cum vnione hypostatica: ergo illam non possunt de condigno mereri. Consequentia patet, & minor probatur, quia gratia non est semen vnionis hypostaticæ, sed est ordinis inferioris, neque ex sua natura ordinatur ad illam.

Argumentum in contrarium dissoluitur ex doctrina tradita, quæ conuincit, Patres antiquos nullo modo meruisse de condigno Incarnationem. Et similiter patet responsio ad rationem pro sententia D. Bonauenturæ formatam.

QVARTA DISPVTATIO.

AN Patres, qui Christum præcesserunt, meruerint de condigno accelerationem Incarnationis. Idest, quòd citiùs nasceretur Christus, quàm si nullamerita pręcessissent. Et videtur quòd sic. Primò, 1
quia hæc circũstantia nõ fuit principiũ meriti, sicut ipsa Incarnatio; ergo supposita Incarnatione virtute eius potuis alicui dari gratia, ex qua ipsam accelerationem de condigno mereretur.

Secundò: quia ad petitiones & orationes antiquorũ 2
Patrum infallibiliter consequuta est acceleratio Incarnationis; sed meritum de condigno fundatur in infallibilitate legis Diuinæ: ergo &c.

Tertiò. Sancti Patres suis orationibus petebant, non 3
vt Deus fieret homo, sed vt citiùs fieret homo; ergo meruerunt de cõdigno Incarnationis accelerationem. Antecedens probatur, nam Exodi. 4. dicebat Moyses ad Dominum. *Mitte obsecro, quem missurus es.* Ecce Moyses præsupponebat Diuinum decretum de Incarnatione Verbi futura, & petebat, vt citò fieret. Et Isaiæ 4. *Vtinam dirumperes cælos, & descenderes.* Et Psal. 11. *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.* Est autem põderandum Verbum illud, Nunc, quia facit hunc sensum: propter clamores, & orationes eorum, qui se pauperes & egenos arbitrantur absque Christo, nunc, idest, citiùs, quàm disposueram, veniam in mundum in remedium illorum. Et Psal. 78. *Citò anticipent nos misericordiæ tuæ.* Ergo illi Patres meruerunt exaudiri. Et ideò quasi satisfaciens Deus eorum petitionibus, hanc accelerationem interdùm promittebat, vt Isaiæ. 51. *Citò veniet salus tua.* Et Abacuch. 2. *Veniens veniet, & non tardabit.*

Pro decisione huius difficultatis aduertendum est 4
in duplici sensu posse intelligi, Patres antiquos meruisse accelerationem Incarnationis Christi. Primò, quòd propter merita Patrum citiùs Filius Dei veniret in mũdum, quàm per Diuinum Consilium fuerat dispositũ, priusquàm nostro modo intelligendi Deus Patrum merita præuidisset. Secundò: quòd Deus antè pręuisionem meritorum veterum Patrum decreuit Filiũ suum in mundum mittere, sed non designauit certum tempus, in quo illum esset missurus: sed quantùm ad hoc Patrum merita expectauerit, quibus in sua æternitate præuisis prædefiniuit tempus determinatum Incarnationis Filij sui, sicut in sententia Scoti dicitur ante pręuisionem peccati decreuisse Deum, vt Verbum caro fieret: sed in illo priori rationis nondum definijsse, qualem carnem Verbũ esset assumpturum, passibilem, vel impassibilem, sed hoc post præuisum originale peccatum statuisse.

Hoc posito sit Prima Conclusio. Si acceleratio Incarnationis priori modo sumatur; Patres antiqui non 5
meruerunt

meruerunt de condigno accelerationem Incarnationis Christi, & opposita sententia est improbabilis, & fidei repugnans. Et probatur, quia ad Galat. 4. ait Paulus, *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, &c.* Sed hæc temporis plenitudo designat tempus Diuino Consilio prædefinitum, & determinatum; ergo non anteà Verbum carnem assumpsit, quàm illud tempus aduenirer, quod per Diuinum Consilium fuerat dispositum, atque adeò Patres antiqui non meruerunt de condigno, imò neque de congruo Incarnationis Christi accelerationem in hoc priori sensu acceptam.

6 Confirmatur, quia hic modus inuoluit mutationem Diuinæ voluntatis, & Diuini Consilij, nam præsupponit Deum antè præuisa Patrum merita statuisse determinatum tempus Incarnationis Christi, & quòd tandem præuisis meritis aliud tempus eidem futuræ Incarnationi designauerit; sed hæc est manifesta Diuini Cõsilij, & Diuinæ voluntatis mutatio; ergo &c. Vnde cõstat, simpliciter & absolutè negandum esse, Patres antiquos meruisse accelerationem Incarnationis Christi, quia Incarnationis acceleratio, si propriè, & in rigore sermonis sumatur, facit primum sensum iam explicatũ: significat enim, quòd res citiùs fiat, quàm aliàs esset facienda.

7 Secunda Conclusio. Patres antiqui non meruerunt accelerationem Incarnationis etiam in secundo sensu acceptam. Probatur primò. Decretum de Incarnatione Christi futura, fuit actus Diuinæ prædestinationis Christi; sed prædestinatio, cùm sit pars perfectissima Diuinæ prouidentiæ, disponit omnia, quoad singulares etiã circũstantias temporis, & loci &c. Ergo in illo decreto Diuino de Christi Incarnatione futura, quod antè præuisionem meritorum veterũ Patrum præintelligitur, dispositum fuit non solùm de substantia Incarnationis, sed etiã de tempore determinato, in quo erat futura; atque adeò cùm hoc Diuinum decretũ sit omninò immutabile, Patres antiqui nõ meruerunt Incarnationis Christi accelerationem.

8 Secundo. Merita antiquorum Patrum fuerunt præuisa in Dei æternitate, vt in meritis Christi fundata; sed hoc verum esse non potest, si contraria sententia sit vera: ergo. Maior est de fide, & probatur minor; quia nõ potuerunt in Diuina præscientia præuideri merita Christi in aliquo signo rationis ante præuisionem meritorum Patrum, si contraria sententia esset vera: ergo. Probatur antecedens. Merita Christi non potuerunt in æternitate præuideri, nisi quatenùs cognoscebantur vt existentia in aliqua determinata temporis differentia; sed iuxta oppositam sententiam merita Christi non potuerunt præcognosci vt existentia in aliquo determinato tempore, antè præuisionem meritorum Patrum, quoniam iuxta hanc sententiam Deus non designauit determinatum tempus Incarnationi Christi, nisi post præuisa merita Patrum: ergo Patres antiqui non meruerunt determinationem temporis, in quo Incarnatio Christi erat futura.

9 Sed dices: vt Patrum merita meritis Christi inniterentur, non fuisse necessarium, quòd merita Christi prę uiderentur, vt existentia in aliqua temporis differentia, sed satis fuisse, vt præcognoscerentur à Deo, vt infallibiliter futura non determinando in hoc vel in illo tempore. Sed contra est. Patrum merita innitebantur meritis Christi, non in communi, neque in confuso consideratis, sed determinatè, & in indiuiduo; innitebantur enim passioni Christi præuisæ, prout erat futura sub Pontio Pilato, cum omnibus alijs circunstantijs, quibus exornata fuit: ergo præsupponebant merita Christi in certo & determinato tempore futura, cum omnibus alijs circunstantijs, quæ ad eorum indiuiduationem spectabant. Probatur consequentia; quia circunstantia temporis est vnũ ex necessariò requisitis ad indiuiduationem operis meritorij.

Secundò sequitur ex illa solutione, Patres antiquos simpliciter meruisse Incarnationem Christi, ita vt homo non foret, nisi Patrum merita præcessissent: sed consequens est falsum: ergo. Probatur sequella. Filius Dei non veniret, quandiu à Deo non definiretur certũ, & determinatum tempus, in quo erat futurus, & oppositum sine ratione affirmaretur: sed iuxta illam solutionem definitio determinati temporis præsupponebat Patrum merita, ergo Patres simpliciter meruerunt, vt Dei Filius in mundum veniret, quòd non extantibus eorum meritis nunquam de facto Verbum caro fieret. Confirmatur. Ex vi illius decreti Diuini, quo Deus statuit mittere Filium suum non determinando tempus, nunquam veniret Christus in mundum, nisi accederet temporis determinatio; ergo quòd Christus cũ effectu veniret in mundũ, dependentiã habuit ex illis meritis Patrũ, quibus temporis determinationem meruerũt. Et tandem confirmatur, quia rationi ac veritati Theologicæ consonum non videtur, quòd cùm Christus, & eius merita sint causa meritorum hominum, quòd aliqua merita aliorum hominum fuerint in æternitate præuisa, priusquàm Christi merita præuiderentur secundùm eorum particulares circunstantias. 10

Vtraque conclusio intelligitur de merito condigni & congrui, quia eadem est ratio de vtroque merito, quod attinet ad vtramque conclusionem. Intelligitur etiam de facto, & de lege ordinaria, quã docet D. Thomas in 3. d. 4. q. 3. art. 1. Vbi idem sentit de Incarnatione, & de eius acceleratione, quoad meritum de condigno Sanctorum Patrum. Et in hoc articulo licèt nullam faciat mentionem accelerationis, sed tantùm Incarnationis, insinuat tamen idem esse vtriusque iudicium, idq; efficaciter probat prior eius ratio, quia de facto & de potentia ordinaria gratia cuiuscumq; hominis virtute tantùm continet, & ordinatur ad eius augmentũ, & propriam beatitudinem consequendam: non autem ad id, quod pertinet vel ad totum genus humanum, vel ad aliquid aliud. Cùm ergo acceleratio Incarnationis, sicut ipsamet Incarnatio, sit bonum quoddam commune non contentum in gratia alicuius hominis; ideò Sancti Patres eam de condigno mereri non potuerunt, imò neque de congruo ad sensum in conclusionibus explicatum. 11

Tertia Conclusio. Etiam de potentia Dei absoluta Sancti Patres mereri non potuerunt de condigno accelerationem Incarnationis Christi. Hæc conclusio patet ex dictis in Disput. 3. conclusione. 3. Et ratio, quæ probat, Incarnationem Christi sub merito condigni cadere non potuisse secundùm absolutam Dei potentiam, probat similiter de acceleratione. Ratio verò est in promptu; quia æternum Dei decretum, quo statuit 12

tali

Digitized by Google

tali tempore futuram esse Incarnationem, nequit mutari per meritum alicuius etiam de condigno, sed acceleratio Incarnationis per alicuius meritum de condigno nihil aliud est, quàm ipsam fore priùs tempore, quã esset futura secluso illo merito; ergo ipsa acceleratio Incarnationis non potest etiam de potentia absoluta sub merito cadere condigni.

13 Ad primum ergo argumentum Resp. quòd licèt illa circunstantia temporis non fuerit principium meriti Sanctorum Patrum: quia tamen ad illam non se extendebat eorum gratia, ideò ipsam de condigno non meruerunt.

14 Ad secundum Resp. licèt Sanctorum Patrum petitionibus infallibiliter subsequuta fuerit acceleratio Incarnationis, hoc tamen non arguit, ipsas fuisse meritorias de condigno illius, quia quòd merces aliqua, vel præmium à Deo reddatur infallibiliter, vel non reddatur, non prouenit ex merito de congruo, vel de condigno, sed ex Diuina promissione. Etenim Christus de cõdigno meruit omnibus primam gratiam, non tamen omnibus infallibiliter est reddita prima gratia: & Sãcti Patres meruerunt de congruo Incarnationem Christi, vt disputatione sequente constabit, & tamen huic merito infallibiliter consequuta est Incarnatio. Prouenit ergo ex Diuina promissione, quæ si absoluta sit, qualis fuit Incarnationis, infallibiliter proueniet merces, estò meritum sit de congruo. Si verò non sit absoluta, qualis est de reddenda prima gratia omnibus, virtute Christi, non proueniet infallibiliter, quamuis meritum sit de condigno.

15 Ad tertium Resp. primò, Patres antiquos desiderasse & petijsse ipsam Incarnationis Christi substantiam, & ob id dicebatur Christus desiderium collium æternorum, & desideratus cunctis gentibus. Neque illæ petitiones aliò tendebant, quàm vt Christi Incarnationem impetrarent.

16 Secundò Resp. antiquos Patres desiderasse quidem accelerationem Incarnationis Christi, desiderio quodã conditionato, sed suum desiderium Diuinæ conformabant voluntati, & dispositioni, atque adeò licèt suum conditionatum desiderium Deo insinuauerint, non tamen absolutè petebant Incarnationis accelerationem. Sicut Christus dicebat Patri Matt. 26. *Pater si possibile est, transeat à me calix iste.* Sed protinùs subiunxit. *Verùmtamen non sicut ego, sed sicut tu vis.* Et hoc modo intelligenda sunt testimonia in argumento adducta.

QVINTA DISPVTATIO.

CIRCA Tertiam Conclusionem D. Thomæ est dubium, An Sancti Patres meruerint de cõgruo Incarnationem Christi. Negatio ita suadetur.

1 Primò. Incarnatio est principium, & radix omnis gratiæ, quę antiquis Patribus fuit collata, ergo est principium omnis meriti illorum, siue de congruo, siue de condigno: quia vt constat ex D. Thoma. 1. 2. q. 114. art. 3. 4. & 5. Omne meritum siue de congruo, siue de condigno requirit gratiam in merente, & operante, ergo si propter hanc rationem Sancti Patres non potuerunt mereri de condigno Incarnationem, similiter neque de congruo.

2 Confirmatur, quia aliàs sequeretur, Christum debere aliquid Sanctis Patribus. Probatur sequella. Meritum dicit respectum ad præmium, & mercedem; ergo Incarnatio respondet operibus Sanctorum Patrum tãquam merces & præmium: sed consequens est falsum, quia Incarnatio est summa gratia non solùm respectu humanitatis Christi; sed respectu omnium hominum, siue antecedentium, siue consequentium Christi Incarnationem; ergo nullam habet rationem debiti, & mercedis.

3 Secundò. Si Patres antiqui meruissent de congruo Incarnationem Christi, sequitur meruisse suam primã gratiam, quod in errorem Pelagij declinat. Probatur sequella. Incarnatio Christi est causa meritoria illius primæ gratiæ; ergo qui meruit Incarnationem, meruit & illam primam gratiam. Consequentia patet ex illa regula vulgata: Quicquid est causa causæ, est causa causati.

4 Tertiò. Patres antiqui non meruerunt de congruo Christi prædestinationem; ergo neque eius Incarnationem. Consequentia patet: quia Incarnatio temporalis Christi fuit effectus infallibiliter consequens eius prædestinationem; ergo qui non meruit Christi prædestinationem, neque meruit etiam eius infallibilem effectum, nempe, temporalem Incarnationem. Antecedens probatur. Priùs ratione fuit in Diuino decreto prædestinatio Christi, quàm præuiderentur merita Patrum; quia vniuersa merita, & illorum & nostra innituntur prædestinationi Christi: ergo.

5 Dices, Incarnationem potuisse cadere sub meritis Patrum: quia licèt fuerit præuisa, & prædestinata priùs ratione, quàm præuiderentur merita Patrum: in executione tamen fuit tempore posterior, & ita quatenùs fuit posita in executione, potuit habere rationem præmij respectu operum antiquorum Patrum. Prædestinatio autem cùm ad ordinem intentionis pertineat, secundùm quam Incarnatio Christi fuit omnium meritorum causa, nulla ratione sub eisdem meritis tanquam eorum præmium cadere potuit. Contrà hoc sit quartum argumentum.

6 Sequitur, Patres antiquos non solùm de congruo, sed etiam de cõdigno meruisse Christi Incarnationem, quod est contra superiùs determinata. Probatur sequela: quia Incarnatio Christi, prout in executione ponenda, potuit cadere sub merito; & nihil deerat operibus Patrum, vt illam de condigno mererentur, cùm à gratia essent profecta, atque adeò habebãt proportionem, & condignitatem cum Incarnatione, & erant ordinis Diuini, & supernaturalis, sicut Incarnatio: ergo meruerunt illam de condigno.

7 Quintò. Si Patres meruerunt de congruo Incarnationem, sequitur, Redemptionem nostram non fuisse opus summæ gratiæ, & misericordiæ; sed consequens est plusquàm falsum: ergò. Probatur sequella. Meritum de congruo importat aliqualem rationem iustitiæ, aliàs impropriíssimè appellaretur meritum, quia meritum dicit respectum ad præmium, & mercedem, præmium autem & merces denotat retributionem debitam ex aliquali iustitia; ergo si antiqui Patres meruerunt de congruo Incarnationem Christi, aliqua ratio iustitiæ constituenda est ex parte hominum, vt tãtum beneficium à Deo susciperent, & ex consequenti non fuit summè gratuitum, & liberale.

congrui,

8 Confirmatur. Ideò prima gratia nō cadit sub merito congrui, quia iam gratia non daretur summè gratis, sed ex aliquali iustitia; ergo similiter si Incarnatio cadit sub merito congrui, non datur ex summa gratia.

9 Sextò. Christus veniret in mundum, etiam si merita Patrum non præcessissent; ergo nō meruerunt de congruo Incarnationem. Probatur consequentia, nam meritum est causa sine qua non. Antecedens probatur ex illo Psalm. 88. *Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint &c. Misericordiam tamen meam non dispergam ab eo, & quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita.*

10 Septimò. Si Patres meruerunt de congruo Incarnationem, ergo de congruo meruerunt gratiam, & gloriam animæ Christi. Probatur consequentia: nam gratia & gloria illius animæ deriuata est ex vnione hypostatica cum Verbo. Tunc vltra. Ergo Christus Dominus multùm debet Patribus antiquis, nam meruerunt suæ animę gratiam & gloriam, sicut Paulus multùm debet Stephano, nam meruit illi gratiam & gloriam, & sic esset circulus inter Christum: & Patres antiquos, cùm Christus multùm illis debeat, & Patres multùm Christo debeant, quia intuitu illius habuerunt, quicquid boni habuerunt.

11 Cōfirmatur. Quidquid est causa causæ per se, est causa causati; ergo si Christus meruit Patribus antiquis, quòd possent mereri, & Patres suam Incarnationem meruerunt, iam de primo ad vltimum Christus suam meruit Incarnationem, saltem de congruo.

12 De hac re sunt varię Theologorum sententiæ. Gabriel in. 3. d. 3. q. 1. Bonauentura eàdem distinctione art. 2. q. 2. Marsilius in. 3. q. 5. asserunt, antiquos Patres neque de condigno, neque de congruo Incarnationem Christi meruisse, quantùm ad eius substantiam, sed tantùm accelerationem; & hoc satis esse dicunt, vt absolutè dicātur meruisse Incarnationē, sicut absolutè dicitur quispiam mereri liberationem, & exitū à purgatorio, quādo meretur, vt citiùs ab eo liberetur.

13 Pro explicatione sit Prima Conclusio. Patres antiqui nullo modò potuerunt mereri de congruo prædestinationem Incarnationis. Hæc assertio est certissima, & communis Theologorum, & efficaciter probatur ratione secunda D. Thomæ in hoc articulo: quia principium meriti sub illud meritum cadere non potest, cuius est principium, vt est commune Theologorū axioma; quod & in merito de condigno, & de congruo proportionabiliter est verum, si vtrumq; cum suo principio conferatur: quia in vtroque est eadem ratio proportionalis, nempe, quia vnumquodque meritū in suo genere supponit suum principium; sed prædestinatio Incarnationis est prior omni gratia, & bono motu antiquorum Patrum, & est principium, & radix totius meriti illorum tam de condigno, quàm de congruo; ergo nullo modo potest sub illorum meritis cadere.

14 Confirmatur quia omne meritum antiquorum Patrum fundabatur in fide Christi venturi; ergo supponebat Christum venturum, ac proinde prædestinatum. Item. Patres non petebant, vt Deus Christum prædestinaret, sed vt Christum iam prædestinatum in mundum mitteret.

15 Confirmatur secundò. Veteres Patres non potuerunt mereri totam suam prædestinationem ad gloriā: ergo multò minus potuerunt mereri prædestinationem Incarnationis. Patet consequentia, quia ex parte termini est multò maior repugnantia, cùm sit longè perfectior & altior. Et tandem. Quia, meritum Incarnationis pre- 16
sertim in pura creatura intelligi non potest nisi supposita ordinatione, & prędestinatione talis vnionis, quia ex natura rei nullum tale meritum esse potest, sed tantùm supposita Diuina ordinatione, ergo omne huiusmodi meritum necessariò supponit voluntatem Dei de Incarnatione futura, ac propterea volentis talia merita, & ex consequenti sub tali merito cadere non potest prædestinatio Incarnationis. Intelligitur autem hæc cōclusio nō solùm de lege ordinaria, sed etiā de absoluta potentia Dei. Et rationes, quæ Disput. 3. & 4. probant, veteres Patres non potuisse de cōdigno mereri Incarnationem, & eius accelerationem, probant similiter hanc conclusionem.

Secunda Conclusio. Sancti Patres meruerunt de con 17
gruo Christi Incarnationem, & quòad substantiam, & quòad tempus, & quòad omnes eius circumstantias. Probatur. Incarnatio Christi, cùm fuerit posterior tempore Patribus antiquis, potuit cadere sub ratione meriti illorum, & in operibus iustis Sanctorum Patrum, & in eorum orationibus reperiebatur magna congruitas, vt à Deo acceptarentur: erat enim valde congruū, vt Deus exaudiret clamores amicorum suorum: ergo Patres antiqui meruerunt de cōgruo Christi Incarnationem. Secundò. Licèt gratia collata fuerit Patribus ex meritis Christi præuisis, illa tamen non fuit minùs perfecta, & efficax, & similiter opera ab illa procedentia, quàm si omninò gratis fuisset data, & non ex meritis Christi præuisis; sed si talis esset, posset homo per illa mereri Incarnationem de congruo: ergo. Tertiò. Id, quod est à 18
Deo sine vllo merito prædestinatum, potest non mandari executioni nisi propter meritum, vt constat in gloria prædestinatorum; ergo licèt Christus priùs fuerit prædestinatus, & propter eius merita præuisa collata fuerit gratia antiquis Patribus, potuerunt ipsi nihilominùs Incarnationem saltem de cōgruo mereri. Patet cōsequentia; quia in orationibus Sanctorum Patrum cōcurrebant omnes conditiones requisitæ ad orationis efficaciam, sed non minùs habet efficaciam oratio ex Christo, quàm meritum; nam gratia, & auxilium ad dignè orādum, & acceptatio orationis, & fides, qua niti debet, vt sit accepta, totum est ex Christo; ergo sicut 19
Christus est principium & fundamentum omnis meriti, ita & omnis bonæ & impetratiuæ orationis. Cùm ergo illi Patres impetrassent principium & fundamentum, quod suæ orationi dabat valorem, potuerunt etiā mereri de cōgruo principium sui meriti. Idem etiā potest dici de dispositione, qua disponebantur, vt Christū susciperent, & tamen principium, & fundamentum illius dispositionis erat Christus. Disponebantur ergo, vt principium suæ dispositionis reipsa susciperent, & ex consequenti illud de congruo mereri potuerunt; quia hoc meritum non est nisi per modum cuiusdam cōuenientis dispositionis, seu præparationis.

Præterea, quòd Patres meruerint Incarnationem de 20
congruo, non solùm, quoad substātiam, sed etiā quoad tempus, & circumstantias, patet: quia Beatiss. Virgo meruit de congruo, vt ex illa nasceretur Deus. Et Abrahā meruit, vt ex illo Christus originē duceret, iuxta illud Genes.

Genes. 22. Benedicentur in semine tuo omnes gentes, quia obedisti voci meæ. Et de Simeone insinuatur Lucæ. 2. propter sua merita obtinuisse, vt nō videret mortem, nisi priùs videret Christum Domini, quod est aliquo modo mereri circunstantiā temporis Incarnationis. Et Ambrosius lib. 2. in Lucā dicit de Anna vidua, talibus fuisse moribus, vt digna fuerit Saluatorem omnibus nuntiare.

21 Ad dissoluendum primum argumentum est aduertendum, duplex esse nostri meriti principiū. Alterū intrinsecū ipsimet operanti, & merenti, ita vt teneat se ex parte causæ efficientis, & sicut causa efficiens necessariò antecedit ipsam operationem meritoriam, sic etiā & tale principium ipsam antecedit. Huiusmodi est gratia, & ipsum esse substantiale hominis operantis, intellectus, & voluntas &c. Aliud verò est principium extrinsecum, quod ad actionem meritoriam in genere causæ efficientis non concurrit, sed tantùm in genere causæ finalis, & talis fuit Christi Domini Incarnatio respectu gratiæ, & meritorum veterum Patrum, quæ quidem ad talia merita non concurrebat efficienter, sed
22 solùm in genere causæ finalis. Inter hæc autem duo principia talis versatur differentia, quòd primum principium, cùm necessariò operationem meritoriam antecedat, nullo modo sub merito illius etiam de congruo cadere potest, quia antecedit omne desiderium amicabile respectu illius. Secundum verò principium in ipsa executione est posterius, quàm sint merita Patrum, & ita supposita gratia illorum semel, quæ tempore antecedit Incarnationis executionem, illam desiderare & petere potuerunt. Neque est inconueniens, quòd aliquid sit iam omninò determinatum à Deo independenter ab omni voluntate creata, & nihilominus cadat sub merito de congruo: quia meritum congrui, & eius efficacia non consistit in eo, quòd ex vi illius sequatur effectus, qui aliàs non esset futurus, sed tantùm est positum in hoc, quòd Deus preces amicorum supplicantium exaudiat, siue aliàs esset facturus rem, quā petunt, siue non.

23 Hoc supposito Resp. ad argumentum, quòd principium meriti intrinsecum ipsi operanti, & in genere causæ efficientis concurrens ad operationem meritoriam, nullo modo potest cadere sub merito, etiam de congruo. Principium verò meriti concurrens tantùm in genere causæ finalis, cùm sit tempore posterius, potest peti, & desiderari ab eo, qui ipsum expectat, & consequenter potest cadere sub merito de congruo illius.

24 Sed contra. Ergo idem simul esset causa & effectus, prius & posterius. Resp. quòd meritum cōgrui propriè & in rigore nō est causa præmij. Secundò Resp. admisso, quòd verè sit causa, non est inconueniens in diuerso genere causæ idem esse prius & posterius. Et ita Incarnatio fuit prior meritis antiquorum Patrum in intentione & in genere causæ finalis, fuit tamen illis posterior in executione.

25 Ad confirmationem Resp. quòd licèt id, quod cadit sub merito congrui, aliqua ratione sit debitū, nempe, ex congruitate, simpliciter tamen & absolutè potiùs dicendum est gratia, quàm debitum, quia non procedit ex iustitia, sed ex amicitia. Amicitia autem mera gratia est, & propter hoc Incarnatio respectu antiquorum Patrum absolutè & simpliciter dicenda est gratia, quamuis eam de congruo meruerint.

Ad secundum negatur, Patres meruisse suam gratiā 26
de congruo, quia non meruerunt Incarnationem, quatenùs fuit principium, & causa illius, hoc est, vt præuisam, sed solùm quoad executionem, quę fuit posterior: etenim gratia & Incarnatio sic habent se, quòd gratia, vt sit principium & causa meriti, debet in ipso merente præexistere: quia est causa meriti per modum principij efficientis, & formalis, & ita nullo modo sub illo merito cadere potest, cuius ipsa est principium, & causa. Incarnatio vero fuit causa meritorum veterum Patrum ad modum causæ finalis, & ob id fuit tempore posterior ipsis meritis, atque adeò sub illis aliquo modo cecidit: & fuit causa quasi in genere causæ finalis, & fuit effectus eorundem meritorum quasi in genere causæ efficientis, in quo nulla est repugnantia. Et nihilominùs potuit esse posterior illis tempore, vt fuit de facto, & ex hac parte potuit aliquo modo sub illis meritis cadere.

Ad tertium concesso antecedenti negatur cōsequentia, 27
& ad probationem rectè responsum est in eodem argumento. Et ad replicam, quæ est argumentū quartum, negatur, Patres potuisse mereri de condigno Incarnationem. Est enim maximū discrimen inter meritum de cōdigno, & de cōgruo, quòd meritū de cōdigno per se ordinatur ad præmiū, cū quo habet naturalem proportionem, & ad illud ex sua natura fertur tanquam in terminū, & ideò ex natura rei nō ordinatur hoc modo ad suū principiū, quia illud tanquā terminū non respicit. At verò meritū de cōgruo nō fundatur in naturali 28
proportione inter actū & terminū eius, sed adiungitur secūdariò & concomitanter, vel ex intentione, & relatione operantis, vel ex Diuina ordinatione, & ideò potest quodammodò in suum principium reflecti. Est simile. Perseuerantia non cadit sub merito cōdigni, quia non comparatur ad gratiam, vt terminus, sed potius vt principium, & tamen sub merito congrui cadere potest. Et idem actus, quo de condigno meremur proprium, & quasi connaturale præmium, potest concomitanter esse meritorius de congruo alterius rei, ad quam velut extrinsecè ordinatur.

Ad quintum negatur sequella, & ad probationem 29
Resp. debitum ex merito congrui nō esse debitū iustitiæ, sed misericordiæ, & amicitiæ, quod secundùm rationem amicitiæ, & misericordiæ fundatur in ipsa gratia. Et ita donū ex tali merito cōcessum non confertur ex debito operū, neq; secundùm rationem iustitiæ, sed merè gratis. Et ideò antè primā gratiā nullū datur meritū congrui respectu illius, quia non fundaretur in gratia, sed in iustitia & virtute operū antecedentium gratiam, ac proinde excluderetur ratio gratiæ. Meritū autem congrui respectu Incarnationis fundatur in gratia, & est secundùm rationem gratiæ, nō tamen est meritum de cōdigno, vt dictū est in solutione ad quartū, quia ad meritū de cōdigno præsupponitur lex Dei, & quòd actus meritorius tendat in tale præmiū secūdùm inclinationem ipsius gratiæ, sicut actus charitatis tēdit 30
in beatitudinem. Incarnatio autem nō est proposita à Deo per aliquam legem tanquàm præmium meritorum, neque diriguntur in ipsam obtinendā opera meritoria secundùm inclinationem ipsiusmet gratiæ, etiā

Digitized by Google

si sit ordinis supranaturalis. Est exemplum. Conuersio Pauli eiusdem ordinis erat cum oratione supernaturali Stephani, quia tamen non erat lex de tali conuersione, non habuit meritum de condigno, sed tantùm de congruo D. Stephanus in ordine ad talem conuersionem.

31 Præterquàm quòd Incarnatio est quodammodò altioris ordinis, quàm sit gratia in ordine supernaturali, quia gratia est participatio quædam Diuini esse, in esse tamen accidentali, & ita inclinatur ad perfectissimam participationem eiusdem esse secundùm rationem operationis, etiam accidentalis, qualis est visio beatifica. Incarnatio autem nõ dicit participationem Diuini esse in aliqua forma accidentali, sed ipsum esse substantiale Diuinum, & ita inclinatio naturalis gratię nõ est ad ipsam Incarnationem, tanquam ad terminum, cùm sit aliquid excellentius & Diuinius.

32 Ad confirmationem negatur consequentia, quia gratia præsupponitur in re antè omne meritum etiam de congruo, tanquam principium efficiens actus meritorij. Cæterùm Incarnatio non fuit præsupposita meritis antiquorum Patrum, vt in re exhibita, sed tantùm vt præuisa in genere causæ finalis: quia ex meritis Christi præuisis fuit illis gratia collata, atque adeò nullum est inconueniens, vt mererentur Patres de congruo, vt illa Incarnatio, ex cuius præuisione gratia fuit sibi tributa, fieret in re. Hoc autem meritum nullam inducit rationem iustitiæ, sed tãtùm debitum amicabile.

33 Ad sextum Resp. primò, quòd licet sclusis meritis Patrum Deus esset Incarnandus, voluit tamen alio titulo veluti secundario assumere carnem, nempe, propter orationes & preces Patrum. Secundò Resp. Deum, qui prædestinauit Incarnationem Verbi, prædestinasse etiã orationes & preces fundendas, propter quas etiam fieret Incarnatio, & prædestinatio finis, & mediorum suũ effectũ infallibiliter cõsequeretur. V.G. Deus ab æterno prædestinauit Petrũ ad gloriam vt decem, & simul etiã prædestinauit Petrum habiturum merita vt decem, & vtrumque erit infallibiliter salua hominis libertate. Ita in præsenti &c.

34 Ad septimum Resp. non tam fuisse collatum Christo beneficium ab antiquis Patribus, quàm debitum obsequium, nam quidquid Patres habuerunt gratiæ & meriti à Christo, & per Christum habuerunt.

35 Ad confirmationem Resp. Christum & Patres inuicem sibi meruisse in diuerso genere causæ, nam Christus meruit Patribus in genere causę finalis, est enim meritum Christi causa gratiæ antiquorum Patrũ, vt præuisum tantùm, & fuit veluti principium per se dans valorem illorum operibus. Meritum verò Patrum solùm fuit per modũ cuiusdam dispositionis in ordine ad executionem Incarnationis. Ex hoc autem non infertur, Christum suã Incarnationem meruisse: quia meritum Christi nõ antecessit tempore, neq; naturã Incarnationem, sicut merita antiquorũ Patrũ, vnde neq; fuit præparatio ad Incarnationem, sicut illud. Meritum autem ex natura rei debet antecedere præmiũ, & ita hoc meritum de congruo reipsa debuit Incarnationem antecedere, quia erat quasi via & medium ad eius executionem, & per modum cuiusdam impetrationis & dispositionis. Illa verò propositio, Quod est causa causę, est causa effectus causati, non est vera loquendo de causa per se, præsertim si mutetur modus causandi, vt hic fit.

SEXTA DISPVTATIO.

CIRCA quartã Cõclusionem D. Thomæ dubitatur, An Beatissima Virgo Maria meruerit de condigno Christum concipere, & esse Mater Dei. Gabriel in 3. d. 4. q. 1. dub. 3. Almain. q. 1. dub. 3. Maior q. 4. Abulensis Paradoxa. 1. c. 34. & 35. affirmãt, Beatiss. Virginem de facto meruisse de condigno esse Matrem Dei. Ex Thomistis multi sequuntur hanc sententiam, & existimant, esse propriam D. Thomę in hoc loco, nam cùm asseruit, B. Virginem meruisse eũ sanctitatis, & puritatis gradũ, vt congruè esset Mater Dei, apertè loquitur de merito condigni, respectu huius gradus sanctitatis. Quod ex eo maximè cõstat, quia eodem modo affirmauit, B. Virginem meruisse hunc sanctitatis gradum, quo Incarnationem meruisse negauit: at verò negauit meruisse de condigno Incarnationem: ergo affirmauit meruisse de condigno istum sanctitatis gradum. 1

2 Dicunt prætereà, illam particulã, Congruè, nõ tenere se ex parte principij, sed ex parte termini, ac si diceret, Beatiss. Virginem meruisse de cõdigno illã sanctitatem, secundùm quam effecta est congrua & idonea, & conueniens Mater Christi. At idem est mereri esse congruam, & idoneam Matrem Christi, & mereri esse Matrem Christi: sed primum meruit de condigno ex sententia Diui Thomæ; ergo & secundum. 2

Ratione autem probatur. Primò. Si aliquid obstaret, quominùs Beatissima Virgo de cõdigno nõ meruerit esse Mater Dei, maximè, quia gratia habitualis collata Virgini non ordinabatur ad maternitatem Dei, sicut ad propriam beatitudinem; sed hoc non impeditur: ergo. Probatur minor: quia maius quid est beatitudo, quàm esse Matrem Dei naturalem iuxta illud Augustini explicantis illud Lucæ. 9. Beatus venter, qui te portauit &c. vbi inquit. *Beatior fuit Maria concipiendo Christum mente, quàm ventre.* Ergo si gratia Virginis ordinabatur ad propriam beatitudinem, & ad hoc, quod est concipere Christum mente, propter quod meruit illud de condigno: à fortiori ordinabatur ad hoc, quod est concipere Christum ventre, quod est minus. 3

Confirmatur. De facto gratia habitualis Virginis Beatissimæ ordinata fuit à Deo, etsi non ex natura rei, saltem ex Dei ordinatione ad Maternitatem Dei; ergo opera ex ipsa gratia procedentia fuerunt meritoria de cõdigno huius Maternitatis. Probatur antecedens. Quoniã fuit à Deo electa, & præseruata à peccato originali ad hoc munus obeundũ, & ad idem officiũ fuit plena gratia, vt dicitur Lucę. 1. Et ideò Ecclesia absoluté canit meruisse portare Christũ: meruisse etiã, vt corpus & anima illius fuisset dignum Filij Dei habitaculum. 4

Secundò non obstat alia ratio D. Thomæ, nempè, quòd Incarnatio est principium omnis meriti de condigno, quia nõ est idem esse Matrem Christi, & Christũ Incarnari, atque ita ex hoc quòd meruit de cõdigno esse Matrem Christi, non sequitur meruisse de cõdigno Incarnationem. Sed supposito quòd Deus decreuerit Verbũ Incarnari, virtute Incarnationis sic acceptæ collata fuit Virgini gratia, per quam de condigno meruit, vt potiùs ex se, quàm ex quacumque alia Virgine conciperetur, & nasceretur. 5

Oppositam sententiam tenet D. Thomas in 3. d. 4. 6

q. 3.

q. 3. art. 1. ad. 6. quam etiam sequuti sunt Bonauentura, Alensis, Marsilius, Richardus, Dionysius Carthusianus, in eadem distinctione quarta, & est omnium veterum Theologorum, & multorum Thomistarum recentiorum, qui omnes affirmant, B. Virginem meruisse tantùm de congruo, esse Matrem Dei, non de condigno.

7 Et probatur hæc sententia. Primò. Idem omnino est mereri, esse Matrem Dei, & concipere Deum: concipere autem Deū est idem omninò, quod Incarnari Deū, est enim impossibile, quòd Deus concipiatur nisi Incarnatus, atq; adeò eādem definitione, qua Deus decreuit Verbum Incarnandum, decreuit etiam Verbum concipiendum. Sed B. Virgo tantùm meruit de congruo, & non de condigno Verbi Incarnationem; ergo meruit etiam de congruo, & non de condigno eiusdem Verbi conceptionem, seu esse Matrem eius, quod est idem.

8 Authores primæ sententiæ respondere possunt ad hoc argumentum, quòd licèt secundùm rem idem sit, esse Matrem Dei, vel concipere Deum, aut Incarnari Deum, atque adeò in illo æterno decreto non sit inter hæc distinctio realis: est tamen distinctio rationis, & hæc sufficit, vt dicatur B. Virgo meruisse de condigno esse Matrem Dei, vel concipere Deum, non autem Incarnationem Dei: quia intelligendum est, priùs naturâ secundùm rationem Deum voluisse Incarnationem Filij sui, quàm eius ex Virgine conceptionem, & ita ex Incarnatione sic accepta collata fuit Virgini gratia, & meritum ex eâ procedens acceptatum à Deo, vt ex illa Verbum conciperetur, ac nasceretur. Sicut, quia Deus priùs secundùm rationem decreuit Incarnationem futuram; quàm definierit hoc tempore exhibendam; ideò gratia Sanctorum Patrum, & meritum illorum fuit de facto à Deo acceptatum tanquam ipsius Incarnationis meritum de congruo.

9 Cæterùm hæc responsio nō videtur argumenti vim eneruare, nam quamuis eodem decreto Deus statuerit Verbum Incarnandum, & tali tempore Incarnandum, tamen in rei veritate hæc temporis circunstantia distincta est ab ipsa Incarnatione, atque adeò potest intelligi, Deum priùs naturâ secundùm rationem decreuisse ipsam Incarnationem, deinde verò tali tempore futuram per merita de congruo horum, vel illorum Sanctorum. At verò quòd hic numero Christus Incarnetur, & decretum sit à Deo Incarnari, & non ex hac numero Virgine, intelligi non potest. Ideoq; in definitione adhuc æterna idem omninò est, Deum decreuisse Verbum Incarnandum, & ex hac numero Virgine Incarnandum, & ex eadem cōcipiendū. Quare si Incarnationem de condigno promereri non potuit, necessariò dicendum est, neque conceptionem Verbi de condigno meruisse, & ex consequenti neque esse eius Matrem naturalem.

10 Sed contra. Potest esse hic numero Christus, licèt nō cōcipiatur ex hac Virgine, quia potest hæc numero humanitas vel per creationē, vel aliquo alio modo fieri à Deo, & ab eo assumi; ergo prius secundùm rationem est, quòd Deus decreuerit Verbū Incarnādū, quàm quòd ex hac numero Virgine conciperetur. Resp. argumentū procedere de potentia Dei absoluta, secundùm quam verum est, quod in eo probatur. At verò præsens quæstio est tantùm de potentia ordinaria, & de eo, quod de facto contigit. Qua ratione impossibile est, hāc numero humanitatem esse Verbo vnitam, & non cōceptam, & assumptam ex hac Virgine.

Secundò probatur hæc secunda opinio. Meritum de condigno fundatur in aliqua ordinatione, seu lege Diuina, qua posita præmium respondet merito ex iustitia; sed nulla tali ordinatione constat, statutum esse, vt meritis Beatissimæ Virginis conferatur Maternitas hæc tanquam præmium ex iustitia: ergo &c. Confirmatur; quia meritum de condigno ex gratia procedit; ergo si gratia est personalis, meritum ex ea procedens tantùm est respectu propriæ beatitudinis consequendæ. Sed gratia Virginis fuit personalis, ergo meritum condigni ex illa procedens tantùm se extendebat ad propriam beatitudinem consequendam, & non ad hoc quòd sit Mater Dei. 11

Respondent authores contrariæ sententiæ, ad meritum condigni nullam aliam ordinationem requiri, quàm eam, quæ est ipsius gratiæ ad id, quod meremur, siue ista ordinatio sit ex natura rei, siue ex aliqua lege Diuina: at habitualis gratia B. Virginis, eò quòd fuerit à Deo præelecta, & plena gratiæ ad id muneris exercendum ordinata fuit à Deo ad hoc, quòd esset idonea, & congrua Mater Dei: & ideò meritum ex ista gratia procedens fuit de cōdigno respectu Maternitatis Dei, sicut respectu propriæ beatitudinis. 12

Verùm hæc solutio adhuc voluntaria videtur. Dicere enim, quòd habitualis gratia Beatiss. Virginis fuerit à Deo ordinata ad Maternitatem Dei, & quod illam virtute contineat sicut propriam beatitudinem, videtur gratis dictum, quia Beatus Stephanus dicitur plenus Spiritu Sancto, & secundùm hanc plenitudinem gratiæ à Deo electus, vt esset cōgruus, & idoneus minister Christi, & eius testis fidelis. Item Ioannes Baptista, & omnes Apostoli secundùm munus illorum, ad quod electi fuerunt à Deo, extitere pleni gratia, vt secundùm eam essent idonei, & congrui Ministri Dei in proprio cuiusque officio: & tamen nullus vnquam dixit, quemquam illorum de condigno meruisse tale Ministerium, vel Apostolatum, ad quem electus à Deo fuit; ergo similiter, quamuis Beatissima Virgo à Deo fuerit præelecta, & gratia plena, vt congrua & idonea esset Mater Dei, non est dicendum, de cōdigno meruisse, esse Matrem Dei. 13

Postremò probatur, quia aliàs posset eâdem ratione dici, Sancti Patres, ex quibus Christus secundùm carnem descendit, potuisse mereri, imò de facto meruisse de condigno, vt ex ipsis Christus nasceretur. Probatur; quia supposito quòd Christus futurus esset Dei decreto, virtute Christi sic præconcepti potuit illis conferri gratia, secundùm quam de condigno mererentur, vt essent congrui, & idonei progenitores Christi, sicut de Beatissima Virgine dicitur; consequens autem tanquam falsum ab omnibus reijcitur, ergo. 14

Neque valet, si dicatur, constat quidem, gratiā Beatiss. Virginis ad hoc fuisse ordinatam, non autem Sāctorum Patrum gratiam, cùm plures ex Christi progenitoribus fuerint peccatores & Gentiles. Resp. eo modo, quo cōstare potest, gratiam Beatiss. Virginis esse à Deo ordinatā ad hoc, vt esset cōgrua Mater Dei, cōstare etiam posse, gratiam quorundam progenitorum Christi esse similiter ad hoc ordinatam: quia sicut ex 15

Digitized by Google

Prophetarum vaticinijs constat, Virgini fuisse promissum, vt ex ea Christus nasceretur, & à Deo fuerit ad hoc electa: sic etiam constat de Abraham & Dauid saltem, qui fuerunt iusti, nam de illo dicitur: *In semine tuo benedicentur omnes gentes;* De hoc verò, *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.*

16 Hæc sententia est valde probabilis, quãuis prior sit etiam probabilis, & satis pia, & vt talis à multis tenetur. Vnde immeritò M. Medina in hoc articulo eã damnat, vt erroneam, vel saltem temeriam. Sed deceptus est Medina, & in hac censura excessit. Pro decisione igitur huius difficultatis sit Prima Conclusio.

17 Beatissima Virgo fuit condignè disposita, vt esset Mater Dei. Sic docet expressè D. Thomas hîc, & est cõmunis Patrum sententia. Ambrosius lib. 1. de Virginibus ait. *Quid in singulis moror, quæ digna fuit, ex qua Filius Dei nasceretur.* Et Basilius Homilia de humana Christi generatione inquit, *Digna Vnigeniti Diuinitati coniungi fuit.* Idem docet Chrysostomus Homilia. 49. in Genesim, Epiphanius Hæres. 78. Damascenus lib 4. Fidei cap. 15. Bernardus sermone. 1. de Assumptione, & sermone de Natiuitate Mariæ ait. *Plena est gratia, & adhuc gratiam inuenit, digna prorsus inuenire, quod quærit.* Et probatur efficaciter rationibus primæ sententiæ, quæ saltem hanc conclusionem euidenter demonstrant. Huiusmodi autem condigna dispositio Beatissimæ Virginis processit ex gratia habituali, & alijs donis supranaturalibus, quibus Sãctissima Virgo prædita fuit, & exornata.

17 Secunda conclusio. Beatissima Virgo non meruit de condigno esse Mater Dei, sed tantùm de congruo. Hæc conclusio est communis inter Theologos. Prior pars constat ex dictis. Posterior etiam patet. Primò; quia Beatiss. Virgo per suos actus dignissimè se disposuit, vt Filium Dei in suo vtero reciperet; ergo per illos meruit saltem de congruo illam conceptionem. Secundò, quia supposita Dei ordinatione de sumenda carne ex muliere, ex nulla alia potuit ita congruenter, supposita maxima illius dispositione. Tertiò, quia Abraham meruit saltem de congruo, vt Christus ex illo originem duceret iuxta illud Genes. 22. *Quia fecisti rem hanc &c.* Ergo à fortiori Beatissima Virgo, quæ multò excellentiùs se disposuit, quàm Abraham, id meruit de congruo.

18 Sed obijcies. Merita Christi fuerunt Deo præsentia in æternitate ante omnia merita Virginis non solùm existentia, sed etiam præuisa; ergo Christus priùs fuit præuisus vt existens, atque adeò vt conceptus, siue vt concipiendus ex Virgine, quàm fuerint præordinata merita Virginis. Ergo nequit B. Virgo mereri etiam de congruo maternitatem Christi. Resp. argumentum conuincere, Beatissimam Virginem non fuisse electam, vt esset Mater Dei propter sua sua merita præuisa: non tamen concludere, in executione non potuisse mereri illam dignitatem; quia in re priùs habuit gratiam, & bona opera, quàm Deus ex ea fieret homo: estò illammet gratiam, & opera bona habuerit ex meritis Christi in Diuina præscientia præuisis.

19 Sed instatur. Incarnatio Christi fuit à Deo præordinata in hac humanitate ante omnia merita Virginis; ergo in corpore ex hac indiuidua materia formato. Sed B. Virgo non meruit illam materiam indiuiduam habere ita sibi coniunctam, vt ad Christi cõceptionem erat necessarium, quia hoc potiùs pertinebat ad ordinem naturaliũ effectuum, & causarũ, quàm ad rationem meriti: ergo. 20 Resp. quòd sicut temporalia possunt cadere sub merito in ordine ad spiritualia: ita B. Virgo potuit mereri, vt illamet materia, ex qua Christus erat formandus, prius esset pars materialis sui corporis, seu sanguinis. Secundò Resp. non fuisse necessarium hoc mereri, sed potiùs præsupponi ad meritum, sicut natura supponitur gratiæ. Vnde omnes causæ naturales ita fuerunt dispositæ, vt tandem fieret, quòd illa pars materiæ esset sub forma purissimi sanguinis: quo supposito ipsa meruit, vt ex suis purissimis sanguinibus Deus carnem assumeret.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm gratia vnionis fuerit homini Christo naturalis.

SVPPONIT *D. Thomas, sicut natura interdum sumitur pro essentia rei, aliquando verò pro natiuitate, sic etiam naturale quandoque dici id, quod à principijs essentiæ fluit, quandoq; verò id, quod à natiuitate in aliquo existit. Hac distinctione supposita respondet D. Thomas tribus conclusionibus.*

Prima est. Gratia vnionis, & gratia habitualis nõ est naturalis homini Christo, quasi proueniens à principijs humanæ naturæ. *Hanc non probat D. Thomas, quia ex dictis est per se nota. Intelligit autem non prouenire ex principijs humanæ naturæ, non solùm quia ab illis non causatur, sed etiam quia non est illi debita.*

Secunda Conclusio. Vtraque gratia est naturalis homini Christo, quasi proueniens à Natura Diuina in humanam. *Vnicuiq; enim dicitur naturale, quod per proprias vires suæ naturæ facit.*

Tertia Conclusio. Vtraque gratia est Christo homini naturalis à natiuitate proueniẽs. *Probatur, quia Christus conceptus est Deus & homo; ergo ab ipsa conceptione humanitas vnita est hypostaticè Verbo Diuino, & gratiæ habitualis dono repleta.*

Quarta Conclusio ex responsione ad secundum. Gratia vnionis non est naturalis Christo à natura, prout distinguitur contra gratiam: quia naturale hoc modo idem est, quod debitum meritis ex iustitia, qua ratione dicimus gloriam naturalem esse meritis ex gratia procedentibus; quoniam ex iustitia est illis debita. Etenim vt duobus articulis præcedentibus probatum est, hæc vnio non

est facta

Digitized by Google

est facta ratione aliquorum meritorum, siue Christi, siue aliorum, ita vt ex iustitia deberetur tanquā merces & præmium, non ergo naturalis est hoc modo, sed potiùs gratuita.

Quinta conclusio ex responsione ad primum. Gratia vnionis non est naturalis Christo à natura, vt distinguitur contra personam, hoc est, non est naturalis ad istum sensum, quòd vnio sit facta in natura, vt ostensum est artic. 1. huius quæstionis.

Sexta conclusio ex responsione ad tertium. Gratia vnionis non est naturalis Christo, quasi fluens ex principijs humanæ naturæ, & ita non conuenit omnibus. Potest tamen dici quodammodò naturalis ex hac parte propter proprietatē natiuitatis ipsius, quatenùs conceptus est de Spiritu Sancto, ad hoc vt esset Filius Dei, & hominis: at secundùm Naturam Diuinam est illi naturalis, prout est actiuum huius gratiæ principium.

Commentarius.

1 RESPONSIO huius articuli latiùs patet, quàm quæstio. Quærierat enim D. Thomas, An gratia vnionis fuerit homini Christo naturalis, & respondet, tam gratiā vnionis, quàm habitualem fuisse Christo naturalem: cuius ratio est, quia gratia habitualis sequitur hanc vnionem, sicut splendor solem, vt docet D. Thomas infra q. 7. art. 13. Quare si gratia vnionis est Christo naturalis, consequenter infertur, gratiam habitualem esse etiam ipsi naturalem.

2 Prima cōclusio est euidens, cùm cōstet, ad vtramque gratiam esse Christi humanitatem in potentia obedientiali, aliàs vtraque gratia nata esset conuenire omnibus hominibus: quia in vniuersum omne profluens ex principijs alicuius naturę natū est cōuenire omnibus talem naturā participātibus. Asserere verò, gratiā habitualem esse in omnibus, est error in fide, hypostaticam verò, nō

3 solum est erroneū, verùmetiam stultum. Est tamen aduertendum, quòd licèt naturale hoc modo sumptum, hoc est, quatenùs profluit à principijs alicuius essentiæ, distinguatur contra supernaturale, & cōtra violentum, neutra tamen gratia dicenda est violenta Christo Domino, adhùc secundùm humanā naturam: benè tamen supernaturalis secundùm eandem humanam naturam. Quòd si dicas: propter vnionem hypostaticam humanitas manet sine propria subsistentia, ad quam naturaliter inclinatur; ergo hæc gratia vnionis est violenta huic humanitati. Negatur consequentia, quoniam aliena subsistentia, per quam humanitas subsistit, cùm sit nobilior, quàm propria subsistentia, virtute cōtinet propriam eius subsistentiam, & vicem eius supplet, plenèq; satiat appetitum humanitatis, de quo infra q. 4. art. 2.

4 Circa secundam conclusionem videtur, quòd neutra gratia sit naturalis homini Christo secundùm Diuinitatem, quia respectu Diuinitatis vtraque gratia est libera simpliciter ex libera eius voluntate proueniens; ergo non est naturalis. Naturale enim & liberum opponuntur. Caietanus asserit, vtramque istam gratiam esse Christo naturalem secūdùm Diuinitatem ad istum sensum, quòd si per impossibile naturaliter & necessariò hæc gratia alicui conueniret, Christo, & nō alteri, naturaliter & necessariò deberet conuenire.

5 Verùm hæc ratio tantùm probat, vtramque gratiā esse Christo naturalem conditionaliter, & non absolutè, cùm tamen D. Thomas in responsione ad tertium absolutè dicat, esse Christo absolutè naturalem. Pro solutione ergo notandum est, naturale, prout proueniens à principijs naturæ sumi à D. Thoma, inquantùm opponitur violento: non autem vt opponitur libero. Itaq; 6 naturale, vt proueniens à principijs naturæ sub se cōprehendit & necessarium, & liberum, quia non solùm propriæ passiones, & potentiæ dicuntur naturales, sed etiam actus ab his potentijs prouenientes, licèt liberi sint: ridere enim est homini naturale, quia oritur ex potentia naturali, nempe, risibilitate. Cùm ergo dixit D. Thomas, vtramque gratiam esse naturalem homini Christo secundùm Diuinitatem, nihil aliud significare voluit, quàm quòd ex principijs Diuinitatis proueniat in genere causæ efficientis, atque adeò totam Trinitatem effecisse vtramque gratiam nō violentè, sed naturaliter, quamuis liberè, sicut dicitur creatio conuenire toti Trinitati, licèt liberè. 7

8 Est tamen aduertendum, quamuis vtraque gratia dicatur naturalis tribus personis ad hunc sensum, peculiariter tamen esse naturalem ipsi Verbo, quatenus intrinsecè & actu terminat humanitatis dependentiam. Itaque posse terminare humanitatem conuenit Patri & Spiritui Sancto: & ita gratia vnionis est illis naturalis in potētia, Filio autem in actu, quia naturale, quod profluit à principijs alicuius rei, quando liberè cōuenit, nō est necessarium, vt actu conueniat omnibus talem naturam participantibus.

9 Durandus tamen in. 3. d. 4. quæst. 3. non probat hanc conclusionem D. Thomæ, nititurq; probare, neutram gratiam esse Christo naturalem. Primò. Illud est propriè naturale alicui, quod naturaliter sequitur ex principijs naturæ, sicut est naturale leui ferri sursum, & graui deorsum; sed neutra gratia sequitur naturaliter ex Diuina natura: sed tantùm gratuitò & voluntariè: ergo neutra gratia est Christo naturalis, quasi proueniens à Natura Diuina in humanam.

10 Secundò. Nihil gratuitum est alicui naturale, vel connaturale, cùm sint opposita, & simul eidem conuenire non possint; sed vtraque gratia datur Christo gratis, & non sequitur naturaliter; ergo neutra est Christo naturalis, vel connaturalis.

11 His tamen non obstāntibus necessariò dicendum est, vtramque gratiam esse Christo naturalem, seu connaturalem, quasi prouenientem à Natura Diuina in humanam. Vnde gratia habitualis debita fuit Christo connaturalitatis debito, habens connaturalem connexionem cum gratia vnionis. Et colligitur ex illo Lucæ 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Illud autem Verbū; *Sāctum,* Non solū personalem sanctitatem denotat, quā 12 Angelus illis verbis, *Filius Dei,* explicuit, sed etiam

denotat sanctitatem formalem in Christi humanitate
habitam per gratiam, & hanc sanctitatem dicit conue-
nire Christo ratione suæ conceptionis, hanc enim vim
habet illa causalis. *Ideòque & quod nascetur ex te
sanctum &c.* Ergo sanctitas gratiæ connaturalis est
Christo, & illi debita ex vi suæ conceptionis, & ex vi
vnionis hypostaticæ.

13 Ad primum argumentum Durandi Resp. falsum esse,
de ratione eius, quod simpliciter & propriè est natura-
le, esse, vt proueniat à principijs naturæ necessariò & na
turaliter; quia, vt diximus, loqui, & ridere est simplici-
ter naturale homini, quamuis liberè proueniat ab ip-
so. Ita similiter, estò vtraque gratia liberè procedat,
& sit facta à Deo, est simpliciter naturalis homini
Christo.

14 Secundò Resp. falsò colligere Durandum, ex eo quòd
vtraque ista gratia non sit naturalis, idest, naturaliter &
necessariò proueniens vel ex Diuinitate, vel ex humani-
tate, non esse naturalem simpliciter homini Christo,
sicut quamuis vnio animæ & corporis non procedat
necessariò, & naturaliter neque ex corpore, neque ex
anima: cùm hoc tamen stat, quòd naturaliter & neces-
sariò procedat ex composito, & sit simpliciter homini
naturalis. Ita etiam vtraque gratia necessariò & natu-
raliter procedit ex illo composito ineffabili, videlicet,
ex vnitate Diuinæ Personæ, prout in duabus naturis.

15 Ad secundum respondent aliqui, vnum & idem non
posse habere rationem gratiæ & naturæ respectu eius-
dem, benè tamen respectu diuersorum: & ideò vtraque
ista gratia, licet respectu Christi sit naturalis, est tamen
gratuita, & mera gratia respectu humanitatis secun-
dùm se sumptæ, & respectu totius humani generis. Cæ-
16 terùm hæc solutio, quamuis vera sit in hoc, quòd idem
nequit esse gratuitum & naturale respectu eiusdem, in
eo verò quod dicit, vtramque istam gratiam respectu
Christi esse omninò naturalem, est contra D. Thomam
in solutione ad secũdum vbi apertè dicit, habere ratio-
nem gratiæ respectu Christi in hoc, quòd nullis suis me
ritis præcedentibus facta est.

17 Dicendum ergo est, gratuitum simpliciter opponi
naturali, ita vt vtrumque eidem conuenire non possit.
Appello autem gratuitum omninò, & simpliciter, quod
excludit omne debitum, siue naturæ, siue meritorum;
& quia vtraque ista gratia est debita Christo connatu-
raturalitatis debito, est tamen gratuita ad hunc sensum,
quòd nullis suis meritis præcedentibus facta est: ideò
dicenda est naturalis homini Christo simpliciter, gra-
18 tuita verò non nisi iuxta hunc sensum. Ex quo colligi-
tur efficax ratio, propter quam Christus, vt homo, nul-
la ratione dicendus sit Filius Dei adoptiuus: quia licèt
habeat gratiam habitualem eiusdem speciei cum ea,
quæ nos facit Filios Dei adoptiuos: quia tamen ista
gratia est debita humanitati, prout est ad esse Diuinũ
eleuata, non minùs quàm propria passio est debita suo
subiecto; ideò secundùm istam gratiam nequit dici Fi-
lius Dei adoptiuus, etiam inquantùm homo, quia de
ratione filiationis adoptiuæ est, vt nullo modo sit de-
bita. De qua re infra q. 23.

PRIMA DISPVTATIO.

CIRCA secundam & tertiam cõclusionem du-
bitatur, An vtraque gratia sit dicenda absolutè,
& simpliciter, & sine addito, naturalis Christo. Et pro
parte negante sit primum argumentum desumptum ex 1
D. Augustino in Enchiridio. cap. 40. vbi ait. *In huma
næ naturæ susceptione fit quoddammodò ipsa gratia
illi homini naturalis, qua nullum possit admittere pec-
catum.* Vbi expendenda est illa particula, *Quo-
dammodo.* Et D. Thomas in secunda conclusione
apponit hæc verba. *Dici potest naturalis, quasi pro-
ueniens, &c.* Et in tertia conclusione addit. Inquãtùm
eam habet à natiuitate; quæ omnia significant & im-
portant limitationem, & diminutionem ergo &c.

Secundò probatur, illam gratiam non esse natura- 2
lem simpliciter à natura pro essentia. Illud dicitur hoc
modo naturale, quod causatur à natura modo etiã na-
turali, nempe, necessariò & non liberè: sed vtraque gra-
tia causatur à Deo in Christo liberè; cùm sit operatio
ad extra: ergo &c.

Tertiò probatur, quòd non sit naturalis à natura 3
pro natiuitate. Angelis & Primo parenti fuit collata
gratia in primo instanti suæ creationis, & secundùm
aliquorum probabilissimam sententiam, Beatissimæ
Virgini in primo instanti suæ conceptionis: & ta-
men illa gratia propriè & simpliciter appellari non
potest naturalis, ergo neque etiam in Christo.

Confirmatur. Si Adam non peccasset, daretur 4
gratia posteris suis ex vi conceptionis ipsorum, sicut
modò peccatum originale contrahitur ab omnibus
posteris per generationem; sed neque illa gratia in illo
statu, neque peccatum in isto, propriè & simpliciter po
test dici naturale. ergo.

Quartò. Sequeretur primò, gratiam habitualem esse 5
summæ intensionis in Christo. Probatur sequella; quia
cùm aliqua forma per se & naturaliter sequitur ali-
quod subiectum, in summo sequitur, vt patet de calore
in igne, & de luce in sole. Item sequeretur, gratiam
educi de potentia naturali humanitatis Christi, quia
est forma illi naturalis. Tertiò sequeretur, non esse
absolutè & simpliciter gratiam, quia est ex debitis
naturæ.

Circa præsentem difficultatem dissentiunt Theolo- 6
gi. Caietanus in hoc articulo asserit, vtramque gratiam
dici non posse naturalem Christo formaliter, sed quasi
virtualiter, vel conditionaliter: hoc est, si Diuinæ Na-
turæ competeret ad extra vterque modus causandi,
nempe, naturaliter, & liberè, causaret in Chris-
to vtramque gratiam naturaliter. Durandus loco ci-
tato affirmat, vtramque gratiam non posse dici na-
turalem propriè, sed abusiuè. Nihilominùs sit con-
clusio.

Vtraque gratia, tam vnionis, quàm habitualis, pro- 7
priè, formaliter, & simpliciter est homini Christo na-
turalis: sicut est homini naturale discurrere, quam-
uis liberè discurrat. Probatur primò. Illud est pro-
priè, formaliter, & simpliciter naturale, quod est à 8
principio intrinseco; sed vtraque gratia competit
Christo ratione principij intrinseci; ergo vtraque
est simpliciter & formaliter naturalis. Maior cons-
tat ex definitione naturæ, quæ secundo Physicorum
sic definitur. Principium motus & quietis eius, in
quo est. Idest, intrinsecum: naturale autem dicitur
à natura. Minor verò probatur. Christus intrinsecè
includit duas naturas, Diuinam, & humanam: sed
vtraque

Digitized by Google

vtraque gratia conuenit ei ratione Diuinæ naturæ: ergo ratione principij intrinseci.

8 Secundò probatur. Illud dicitur simpliciter & propriè naturale cuicumque rei, quod ex principijs naturæ, & essentia rei causatur; sed vtraque gratia causatur ex principijs naturæ & essentiæ ipsius Christi: ergo. Maior probatur. Naturale dicitur à natura; natura autem est principium; ergo illud est rei naturale, quod ex principijs naturæ prouenit. Minor etiam probatur: quia vtraque gratia ex principijs Diuinæ naturæ causatur, quæ est natura ipsius Christi. Hæc ratio colligitur ex D.Thom.in secunda conclusione, & potissimùm in solutione ad primum.

9 Confirmatur vtraque ratio. Vtraque natura Diuina & humana, est propriè, & formaliter natura Christi; ergo effectus proprij vtriusque naturæ, qui sunt in Christo, formaliter & propriè dicuntur naturales ipsi Christo. Hactenus probata est conclusio sumpto naturali à natura pro essentia, probatur modò sumendo naturale à natura pro natiuitate. Illud est hoc modò naturale formaliter, propriè, & simpliciter, quod conuenit rei, non tantum à natiuitate, sed etiam ex vi natiuitatis, & ratione principij actiui natiuitatis, & generationis: sed vtraque gratia competit Christo ex vi natiuitatis ratione principij actiui, ergo &c. Maior patet, quia principium actiuum ipsius natiuitatis spectat maximè ad illius naturalitatem, & eorum, quæ ab ea proueniunt. Minor autem probatur ex illo Lucæ. 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ideóque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quibus verbis Angelus, ex eòquòd Spiritus Sanctus futurus erat principium actiuum generationis, & Natiuitatis Christi, colligit tanquam ex causa, quæ designatur per illam partem, *Ideò,* Christum debere nasci Sanctum, ita vt idem esset Filius Dei, & Filius Virginis. Ex quo loco manifestè colligitur Christum ex vi Natiuitatis ratione principij actiui vtramque gratiam habere.

10 Ad primum igitur argumentum Resp. Illas dictiones non esse diminuentes, sed explicantes; cùm enim in Christo sit duplex natura, necessum fuit, illas dictiones addi, vt ostenderetur ratione cuius naturæ esset illi gratia naturalis.

11 Ad secundum Resp. Satis esse ad hoc, quòd aliquid dicatur illo modo naturale, quòd sit à principio intrinseco passo conferente vim, etiam si procedat liberè, & voluntariè. Exemplum est in motu progressiuo hominis ascendentis, vel in circulum se mouentis, vel alio huiusmodi, qui motus etsi à voluntate libera procedat, est naturalis, quia voluntas est internum illius motus principium.

12 Ad tertium Resp. Quòd naturale, vt dicitur à natura pro natiuitate dupliciter sumitur, vno modo concomitanter, quia est coæuum à natiuitate, & simul cum ipsa re incipit esse, vt cæcitas dicitur naturalis illi, qui à primo ortu nascitur cũ ea. Alio modo ex vi natiuitatis, quia nõ solùm est coæuũ cũ natiuitate, sed etiã ex vi illius cõuenit rei secũdùm causalitatẽ: sicut peccatũ originale cõuenit posteris Adæ, quia ex seminali virtute ab Adam deriuata ex vi generationis nascuntur Filij iræ.

13 Hoc autem secundum membrum adhuc dicitur dupliciter. Primò supposita lege tantùm, nempe, quòd conueniat ex vi natiuitatis secundùm causalitatem supposita tantùm lege. Secundò ratione principij actiui ipsius natiuitatis non supposita aliqua lege. Naturale ergo secundùm coæuitatem tantùm & concomitantiam cum natiuitate non dicitur simpliciter naturale; neque etiam naturale secundùm causalitatem ex suppositione legis tantùm, sed id solùm est simpliciter naturale, quod conuenit ratione principij actiui ipsius natiuitatis etiam seclusa lege.

Ad argumentum ergo dicendum est, vtramque gratiã, & habitualem, & vnionis fuisse Christo naturalem vtroque modo, & concomitanter, & ex vi natiuitatis ratione principij actiui: quia ab instanti conceptionis natura humana fuit Verbo hypostaticè vnita, & ex vi vnionis habuit plenitudinem gratiæ. Et hoc modo nulli Sanctorum, nec Beatissimæ Virgini cõuenit gratia, nempe, ex vi natiuitatis. Licet enim habuerit gratiam concomitanter, quatenus fuit à peccato originali præseruata, & plena gratiæ, illam tamen gratiam ex vi natiuitatis non habuit, quia potiùs ex vi illius erat peccatum originis contracturа. Angeli etiam, & primi parentes, qui in gratia conditi fuerunt, habuerunt gratiam concomitanter tantùm, quia principium creationis de se, non necessariò debuit facere Angelos, & primos parentes Deo gratos. Christus autem non potuit non esse gratissimus Deo ex vi suæ Natiuitatis etiam non præsupposita lege Dei. Posterìs verò Adæ, si ipse Adam non peccasset, conferretur gratia concomitanter, & ex vi natiuitatis supposita tantùm lege, sicut modò traducitur originale peccatum supposita lege. Christo autem collocata est vtraque gratia ratione principij actiui. Et per hoc patet solutio ad confirmationem. 14

15

Ad quartum negatur prima sequella, quia rectè fieri potest, vt aliquod subiectum ad aliquam formam determinetur, siue eòquòd determinetur ad certum gradum illius. Secundò Resp. Gratiam Christi esse summam de potentia ordinaria, non tamen de potentia Dei absoluta, sicut calor ignis, vel lumen Solis. Itaque sicut calor ignis est summus omnium calidorum, quia redduntur calida per participationem illius: sic gratia Christi est omnium maxima, & summa de facto, sed non de possibili. 16

Ad sequellam secundam destinguendum est consequens, humanitas enim Christi dupliciter potest considerari. Vno modo absolutè, & secundùm se; alio modo, vt est eleuata ad esse Diuini Verbi, & per eius subsistentiam personata. Si primo modo consideretur, de eius potentia non educitur gratia: si verò posteriori modo, sic de illius naturali potentia educitur gratia, quia naturaliter fluit gratia ab illa, sicut ab anima gratia informata naturaliter fluit charitas, & aliæ virtutes infusæ: & ab intellectu beato lumine gloriæ illustrato necessariò & naturaliter fluit visio beatifica internæ Diuinæ Essentiæ in ratione speciei intelligibilis vnitæ. 17

Ad tertiam sequellam Resp. Ex D.Thoma ad secundum, quòd gratia, & naturale secundùm diuersam rationem possunt vni, & eidem conuenire: gratia enim dicitur, vel habitualis, vel vnionis, quia nullis meritis præcedentibus est facta, neque humanæ naturæ in Christo, neque ipsius Christi. Adde etiam, quòd toti generi humano summa gratia facta est per hoc, quòd 18

vniuersa scelera cōdonata sunt per Christi merita, quæ nobis gratis applicantur, gratis, inquam, idest, sine vllis nostris meritis. Naturale verò dicitur, vel quia ex rei principijs & essentia ortum habet, vel quia à natiuitate conuenit.

SECVNDA DISPVTATIO. §. I.

1 AN Humanitati Christi, prout est substantia quædam creata, possit gratia aliquo modo esse naturalis. Quod est, quærere, An humanitas Christi sic possit à Deo perfici, & eleuari, vt ascendat ad ordinem substantiæ supernaturalis, cui sit connaturalis gratia. Et idem solet inquiri de fide, charitate, & lumine gloriæ, & de alijs entibus ordinis supranaturalis, an possint esse connaturalia alicui puræ creaturæ. Intelligitur autem quæstio de naturalitate, seu connaturalitate propriè. Hoc est, de connexione naturali & intrinseca gratiæ cum humanitate Christi: nam gratia largo modo dicitur naturalis Angelo, quia à principio sui esse illi est communicata, non tamen dicitur absolutè connaturalis, quia non habet intrinsecam connexionem cum essentia Angeli. Similiter intelligitur quæstio de potentia Dei absoluta, nam de lege ordinaria certissimum est, humanitatem Christi esse substantiam naturalem, non supranaturalem, ac proinde gratiam non esse illi naturalem. Sed tota controuersia est, An Deus sic possit Christi humanitatem perficere, & eleuare, vt ordinem naturæ supergrediatur, & intret terminos substantiæ supernaturalis, ita vt gratia sit ei connaturalis. Et pro parte affirmatiua sit primum argumentum.

2 Gratia est finitæ perfectionis: ergo potest esse connaturalis humanitati Christi. Antecedens patet, & consequentia probatur. Posita quacumque perfectione, & quacumque gratiæ quantitate in humanitate Christi, potest Deus maiorem & maiorem illi conferre: ergo deueniendo in processu perfectionis, & ascendendo ad perfectiorem & perfectiorem gratiam, deuenietur ad tantam, vt ratione illius iam humanitas sit substantia supranaturalis, & Diuini ordinis, sicq́, proinde gratia illi connaturalis. Probatur hæc consequentia; quia omne accidens respondet alicui subiecto, sibi proprio & accommodato; ergo illa perfectissima gratia, quæ esset in humanitate Christi, cùm sit accidens supranaturale, debet habere subiectum supranaturale, cui conueniat, & ex consequenti humanitas erit substantia supernaturalis.

3 Confirmatur. Non implicat dari accidens supernaturale, quod sit participatio Dei secundùm propria sibi, vt patet in gratia, quæ est participatio totius Diuinæ esse; ergo nō implicat dari substantiam supernaturalem, cui gratia sit propria & connaturalis. Probatur consequentia: quia substantia in genere entis est præstantior quàm accidens; ergo capax perfectionis maioris, quàm illud, ac subinde si supernaturalitas potest conuenire accidenti, multò meliùs communicabitur substantiæ.

4 Confirmatur secundò: quia substantia immediatè & per se participat esse Diuinum, accidens verò, quantumuis excellens, participat esse à subiecto creato, cui inest, ergo commodiùs poterit produci substantia participans esse Diuinum supernaturale immediatè, quàm accidens; & ex consequenti poterit Christi humanitas sic crescere in perfectione, vt sit substantia supernaturalis. Prima consequentia probatur, nam quod immediatiùs participat esse alicuius causæ, magis illi proportionatur, maioremq́; habet vnitatem cum illa, & ita certum est, substantiam creatam magis Deo assimilari, quàm accidens.

5 Confirmatur tertiò. Deus, vt author naturæ, produxit substantiam & accidens, imò & accidens propter substantiam: rursus, vt author naturæ communicauit se substantijs, & accidentibus; ergo vt author gratiæ potest non modò accidentia, sed substantiam etiam producere, & communicare se rei habenti esse non solùm per modum adiacentis, verùmetiam per se stantis: alias minùs esset potens, vt author gratiæ, quàm vt author naturæ, cùm non possit nisi entia imperfecta, cuiusmodi sunt accidentia, producere.

6 Secundum argumentum sit. Quæ sunt alicui rei connaturalia in certo gradu, possunt alijs rebus fieri connaturalia saltem in minori gradu, vt calor, qui in summo est connaturalis soli igni, potest in gradu remissiori esse animali connaturalis; ergo licèt gratia sit Deo connaturalis in summo gradu, potest esse connaturalis humanitati Christi in gradu remissiori, & cum minori perfectione.

7 Confirmatur primò. Quæ sunt Deo propria & essentialia, communicari possunt accidenti, vt sint illi propria & essentialia, vt lumen gloriæ intrinsecè, & essentialiter est virtus visiua Dei, quod est Deo proprium; ergo pari ratione, quæ sunt Deo propria, non repugnat esse alicui substantiæ propria & essentialia: & ex consequenti licèt gratia sit Deo propria & essentialis, poterit substātiæ creatæ, qualis est humanitas Christi, esse propria, & essentialis.

8 Confirmatur secundò. Omnes gradus, qui in Deo reperiūtur, communicabiles sunt communicatione substantiali naturæ creatæ, aut creabili, vt docet D. Thom. 1. p. q. 50. art. 1. Et ratio euidenter conuincit, quia cùm bonum, quatenus bonum est, sit communicabile, & omnis gradus entitatis habeat rationem boni, euidens est, omnem gradum essendi communicari posse. Sed in Deo est quidam gradus entitatis substantialis, nempe, existere & esse Diuinum; ergo potest substantialiter creaturæ communicari. Hæc autem communicatio fit per gratiam; ergo gratia potest esse connaturalis substantiæ creatæ. Prima consequentia probatur. Esse existentiæ est soli Deo essentiale, & illud communicatur substantiæ, cui est connaturale & substantiale, etsi non essentiale; ergo similiter potest alicui creaturæ substantialiter communicari, esse Diuinæ naturæ consortem secundùm substantiam, quamuis essentialiter illi non conueniret.

9 Tertium argumentum sit. Substantia est perfectior quocumq́; accidenti; ergo quidquid perfectionis conuenit accidenti, potiori iure conuenit substantiæ. Sed supranaturalitas est quædam perfectio accidenti conueniens; ergo similiter conueniet substantiæ, atq́; adeò dabitur substantia supranaturalis, sicut accidens.

10 Quartò. Si aliquid obstaret, quominùs gratia non sit, vel possit esse connaturalis humanitati Christi; ideò esset, quia humanitas esset Deus, vel quia ea, quæ ex principijs

principijs Naturæ Diuinæ fluunt, dimanarent ex principijs humanitatis creatæ; sed nihil horum sequitur: ergo. Probatur minor. Et quòd non sequatur primum inconueniens, probatur. Ex eo, quòd Deus, vt primum ac supremum ens, cui soli proprium est esse, illud communicet creaturæ, atque sit illi connaturale, non subinde sequitur, quòd sit existens per essentiam, ac primum ens, sed ens duntaxat per participationem; ergo ex eo, quòd vt author gratiæ, communicet creaturæ ea, quæ ad ipsum pertinent, non sequeretur, quòd esset Deus per essentiam, sed tantùm per participationem, quia esse Diuinum non haberet in suo complemento & perfectione, sed in quadam participatione etiam per modum substantiæ, vel alio quouis modo.

11 Item humanitati Christi, cui esset gratia connaturalis, tātùm competeret, Deum esse per participationem, cùm ipsa gratia non sit Diuina Natura, sed quædam participatio diminuta, atque adeò tunc esset connaturale creaturæ, habere participationem deficientem, & diminutam Diuinæ naturæ, quod proinde non est esse Deum. Quòd autem secundum incommodum non sequatur, probatur: tum, quia existentia est connaturalis creaturæ, & tamen non profluit ex principijs naturæ creatæ, vt probabiliter docet M. Bañes. 1. p. q. 3. art. 1. Tum etiam, quia habitus scientiarum, ac virtutum acquisitarum, & species intelligibiles, dicuntur connaturales homini, & tamen non sunt propriæ passiones fluentes ex principijs eius essentialibus: ergo ad hoc quòd aliquid sit connaturale, sat fuerit, quòd viribus talis naturæ sit comparabile, illiq; proportionatum, vel tali naturæ debitum ab authore naturæ.

12 Confirmatur. Gratia non fluit ex Diuina Essentia, neque est eius proprietas, & attributum, cùm Deo conuenire non posit, neque illi inesse, neque etiam est Diuini ordinis, cùm infinitè ab ipso Deo distet, non minùs quàm aliæ creaturæ à creatore: ergo.

13 Quintò. Gratia fuit connaturalis Angelis, & Primis Parentibus in gratia creatis, & similiter Beatissimæ Virginis, quæ iuxta probabilissimam sententiam fuit in gratia concepta; ergo posibile est, gratiam esse connaturalem alicui substantiæ creatæ, & à fortiori fuis esset naturalis humanitati Christi. Antecedens patet ex præcedente disputatione: quia illud dicitur alicui connaturale, quod illi competit ex sua natiuitate, sed his omnibus annumeratis competit gratia à natiuitate; ergo &c.

14 Confirmatur. Si Primus Parens non peccasset, daretur gratia posteris in primo instanti conceptionis ex vi ipsius generationis, sicus modò traducitur peccatum per generationem; ergo gratia esset illis connaturalis, sicut peccatum originale modò est connaturale omnibus Adæ filiis iuxta illud ad Ephes. 2. *Eramus naturâ filij Iræ.* Et Sap. 12. *Nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum.

15 Sextò. In Deo idem sunt esse naturale & supernaturale, iustitia, sapientia, & bonitas, & alia attributa, & non magis est de Essentia Dei, quòd in se habeat sapientiam, bonitatem, & iustitiam, quàm quòd habeat gratiam, & charitatem, & lumen gloriæ; sed quæ pertinent ad sapientiam, bonitatem &c. communicantur, nam Angelus est naturaliter sapiens, & quælibet res naturaliter est bona, & perfecta: ergo potest similiter communicari alicui creaturæ, quòd sit naturaliter grata, & gloriosa, saltem finito, & limitato modo, sicut sapientia, & bonitas communicantur finito modo. Ergo sicut naturalitas est communicabilis, ita supernaturalitas substantialiter est communicabilis.

Circa præsentem difficultatem sunt Theologi, qui affirmant non implicare contradictionem, quòd detur aliqua substantia supernaturalis, & ordinis Diuini, cui cui gratia, charitas, lumen gloriæ, & alia huiusmodi, essent connaturalia. Sic docet inter recentiores M. Molina. 1. p. q. 12. art. 5. Disput. 2. 16

Obseruationes. §. II.

PRO Decisione tamen huius controuersiæ aduertendum est, perfectiones supernaturales esse in duplici differentia. Quædam sunt supernaturales secundùm quid, quæ superant hanc, vel illam naturam creatam tantùm, non omnem, vt incorruptibilitas est perfectio supra naturam hominis, & cuiuscumque mixti, non tamen supra omnem naturam. Aliæ verò sunt perfectiones simpliciter supernaturales, quæ omnem in vniuersum naturam creatam, & creabilem exuperant. Quò fit, vt illud dicatur supernaturale, quod siue in essendo, siue in operando non sequitur leges naturæ, sed eleuatiorem habet rationem & regulam. Vnde si Deus consideretur, vt in sua operatione rerum conditioni se attemperat, easq; producit, & conseruat iuxta conditionem vniuscuiusque, induit rationem, & denominationem naturalem, secundùm quam consideratione Deus dicitur à Philosophis, author naturæ, & finis naturalis. 17

Ex quo sequitur, omne accidens respiciens Deum, prout est in se, & quatenùs habet eleuatam essentiam, nullo modo à naturæ legibus dependentem, esse supernaturale. Illud verò, quod respicit Deum operantem secundùm naturæ conditionem, dici naturale, quia non respicit esse Diuinum in se, sed quatenùs participabile à creatura modo sibi conuenienti. V. G. albedo producta à Deo est accidens naturale, quia licet respiciat Diuinum esse, à quo pendet, non tamen respicit illud, quatenus in se est, aut secundùm quòd excedit leges naturæ, sed secundùm quòd participat illud modo sibi conuenienti. E contra verò gratia dicitur accidens supernaturale, quia secundùm propriam rationem habet respicere Diuinum esse, quatenùs est excedens, & supernaturale. Requiritur ergo, vt aliquid sit naturale, quòd sub genere, & gradu esscudi naturali contineatur, sequaturq; naturæ legem. Idest, quòd fiat & conseruetur secundùm virtutem, & ordinem causarum naturalium. 18

Sequitur secundò, quòd si produceretur substantia supernaturalis, illa neque in esse, neque in conseruari penderet à legibus naturæ, neque participaret esse Diuinum, quatenùs est naturaliter communicabile, sed secundùm celsitudinem, & puritatem, quam Deus in se habet: quoniam supernaturale simpliciter excedens omnem naturam creabilem non solùm causatur ab agente supernaturali, sed etiam in suo esse, Diuini ordinis est, & aliquid soli Deo proprium, ac connaturale importat, nam solus Deus, & ea, quæ sunt illi propria, omnem creabilem naturam excedunt. 19

Secundò

20 Secundò aduertendum est, perfectiones simpliciter, quæ Deo formaliter conueniunt, esse in triplici differentia. Quædam importaot rationem quandam communem, vniuersalissimam, analogicam, & nihil specialiter Deo proprium in sua ratione includunt, vt sapientia, quæ etsi in Deo formaliter sit, nihil includit Deo specialiter proprium in sua ratione formali, neque ex parte modi, neq; ex parte obiecti, sed cognitionem rerum altissimarum duntaxat importat, vel per causas altissimas, qualiscumq; sit, & quocumque habeatur modo. Et huiusmodi perfectiones esto in Deo formaliter reperiantur, non dicuntur Diuini ordinis, nisi addatur modus aliquis, vt sapientia infinita &c. Nec de his est quæstio, An possint creaturæ communicari, esse q. illi proportionatæ & connaturales, quod sine dubio est certissimum, posse communicari.

21 Aliæ verò sunt perfectiones, quæ in sua ratione proprium ac Diuinum modum important, & rationem quandam soli Deo propriam, & conuenientem, modumq; specialem ac determinatum, quo sunt in Deo, vt esse actum purum, esse per se subsistens existentia essentiali. Et istæ sunt perfectiones Diuini ordinis, quæ omninò sunt incommunicabiles, cùm in sua ratione includant modum communicationi repugnantem, & oppositum modo per participationem, quem excludunt.

22 Aliæ sunt perfectiones veluti mediæ inter has extremas primi, & secundi generis, quæ in sua ratione formali aliquid Deo proprium important, sed non illum modum, quo sunt in Deo, neque quidpiam participationi, & communicationi repugnans. V. G. visio Dei clara, & cognitio quidditatiua ipsius Dei importat quidem Diuinam proprietatem ex parte obiecti, quia designat obiectum soli Deo proprium, & adæquatum: quidditas enim Diuina, & Deus clarè visus est obiectum Dei proprium, sibi soli proportionatum in modo essendi &c. Non tamen importat modum, quem huiusmodi cognitio habet in Deo, nempe, quòd sit adæquata, comprehensiua, infinita &c. Ratione ergo primi est Diuini ordinis, & Diuina proprietas, non important rationem communem, vt priores perfectiones: ratione verò secūdi est cōmunicabilis, potestq; per participationé cōparari: in quo differt à perfectione secundi generis. Et iden visio Dei clara, quam intellectus creatus obtinet in Patria, est quædam Diuinæ visionis participatio, & communicatio, qua seipsum Deus videt. Item

23 proprium est Deo seipsum immediatè cognoscere, non per creaturas à posteriori, sed secundùm ea, quæ per creaturas inuestigari non possunt, & hoc certa, & infallibili cognitione: cuius cognitionis est quædam participatio fides, quæ licèt modum importet, quo ab intellectu creato Diuina cognitio participatur: ex parte tamen obiecti, & rerum cognitarum importat proprium obiectum Diuinæ cognitionis. Rursus. Proprium est Deo seipsum amore perfecto diligere, non solùm vt est naturæ principium, ac bonū vniuersale, sed etiam prout est in seipso, & secundùm ea, quæ in illo ostendit supranaturalis cognitio, & huius amoris quædam participatio est charitas in cordibus nostris diffusa.

24 Præterea proprium est soli Deo frui sui visione, illa satiari, illa esse beatū, cū sibi velle. & huius Diuinę proprietatis participatio quædā est spes, quæ etsi importet, sicuti fides modum imperfectum, quo à creatura participatur, respicit tamen bonum Deo proprium, vel q; sibi bonum Deo proprium. Item, Deo est proprium operari propter seipsum tanquam propter finem immediatum, secundùm ea, quæ solo lumine supernaturali cognosci possunt, operariq; opera sibi consentanea secundùm regulas diuinas ac supremas: & huius proprietatis participationes sunt omnes virtutes morales insusæ, ita vt quauis réperiatur in Deo reperiri nō possit, quarenus tamé est operatio Diuinas regulas, & finé supernaturalem respiciens, participat proprium modū operādi Dei. Et à fortiori gratia importat aliquid Deo proprium, 25 etsi non secundùm modum, quem habet in Deo: tum, quia est principium & radix omnium harum operationum, quæ Deo sunt propriæ; tum etiam, quia est consortium quoddam Diuinæ Naturæ secundùm ea, quæ sunt Deo propria, & formalis participatio Diuinitatis, hominet quodammodò constituens Deos, Diuinæq; dilectionis obiectum, quod sané est propriū Dei, esse suæ dilectionis obiectum, constituit item hæredem Regni Cœlorum, quod Dei Filio est proprium à Patre Regnum obtinere.

Tertiò aduertendum est, Diuina esse in duplici differentia. Quædam effectiuè, quia sunt à Deo efficienter 26 causata, imò etiam in genere causæ finalis, & exemplatio, & hoc modo omnes perfectiones, etiam naturales, possunt dici Diuinæ, & in illis Diuina efficienter nobis communicari. Alia sunt Diuina in genere causæ formalit, non solùm, quia sunt à Deo, sed quia Deum quodammodò cōstituunt suscipientem: & hoc modo gratia est Diuina, quia Deum constituit quodammodò quoad esse. Item lumen gloriæ, visio clara, Deum suo modo constituunt, hoc est, Beatum Diuina Beatitudine. Fides etiam constituit sapientem Diuina Sapientia, charitas amantem Diuino amore. Diuina autem hoc posteriori modo sunt Diuini ordinis simpliciter, & absolutè loquendo.

Itaque Diuina cōmunicari creaturis in genere causæ 27 efficientis, nihil aliud est, quàm à Deo talia Diuina participare. V. G. participare esse Diuinum, est, participare esse à Deo. Et similiter participare Sapientiam Diuinam, est, Deum sua Sapientia effectiuè causare in homine sapientiam, & hoc modo omnibus rebus naturalibus Diuina bona sunt communicata, vt sapientia, bonitas &c. Iuxta illud Ecclesiast. 1. *Effudit sapientiam suam super omnia opera sua.* Communicari verò Diuina in genere causæ formalis est, quòd illa, quæ sunt Deo Essentialia, & propria, sint quodammodò in creatura, eamq; Deum quodammodò constituant. Sic communicantur Diuina per gratiam, quæ efficit consortes Diuinæ naturæ: sicut forma ignis in genere causæ efficientis se communicat extrinsecis rebus, in quibus calorem causat: materiæ verò, quam actuat, communicat se in genere causæ formalis, per quam informationem ignem constituit.

Quartò aduertendum est, cōnnaturale, sicut & natu- 28 rale à natura dici, & deriuari. Natura autem vel sumitur pro essentia rei, vel pro principio intrinseco motus eius, in quo est, vel pro ipsa natiuitate, de quibus ac septionibus legendus est M Soto. 2. Phylicor. q. 1. Quo sit, vt naturale dicatur, vel quidquid est de essentia, & substantia

stantia rei, vel quidquid conuenit à principio intrinseco, siue actiuo, siue passiuo, vel quod cōpetit rei ex vi principij actiui generationis, quamuis extrinsecè. Et licet in rigore, & proprietate sermonis nequeat dici connaturale, quod est primo modo essentiale, nam connaturale est simul naturale, & cum alio naturale, id verò quod fluit ab essentia, dicitur propriè cōnaturale. Sed in præsenti non ita rigorosè loquendum est. Item, quamuis naturale ratione principij actiui, & passiui ad eundem modum pertineant, nos tamen claritatis gratia illum modum in duos distinguemus, quia specialem habent difficultatem.

29 Connaturale igitur quadrupliciter potest dici, vel aliqua perfectio & ratio potest dici connaturalis quatuor modis. Primò, quia est de essentia, vel ab essentia fluens, vt propria passio statim dimanans. Et hic modus dicitur cōnaturalis à natura partim primo, partim secundo modo sumpta. Secundò, quia etsi ab essentia continuò non dimanent, fluunt tamen à natura sufficienter principia tam passiua, quàm actiua, ad illud comparandum. Et hoc modo scientiæ humanæ, & virtutes acquisitæ possunt dici homini connaturales à natura in secunda acceptione. Tertiò id dicitur connaturale alicui, respe. in cuius habet principium intrinsecū passiuū tātùm, ab extrinseco principio actiuo suscipiendū, sic motus cœli est illi cōnaturalis, & desumitur hic modus à natura in secunda acceptione. Quartò dicitur aliquid connaturale à natura in tertia acceptione, quod etsi non conueniat, ratione alicuius principij intrinseci, conuenit tamen ex vi natiuitatis, ex vi principij talis productionis, quatenus talis productio est principium proprium. His positis sit

Prima Conclusio. §. III.

30 IMPLICAT Contradictionem, quòd humanitas Christi ita eleuetur, & perficiatur, vt trāscendat ordinem naturæ, & fiat substantia ordinis supranaturalis, & Diuini. Hæc conclusio est communis Thomistarum, quam expressè docet Caietanus leutaculo. 2. q. 1. de omni Substantia creata. Et probatur. Implicat quòd aliquid pertinens ad ordinem Diuinum, sit intrinsecum & naturale alicui creaturæ, nisi soli Deo: at si humanitas Christi ascenderet ad ordinem Diuinum, aliquid supernaturale esset illi intrinsecum & naturale: ergo &c. Consequentia est euidens. Minor similiter est manifesta, quia talis humanitas haberet aliquid intrinsecū & naturale, illud autē nō esset ordinis naturalis, cū in eo casu humanitas nō esset substātia ordinis natura-

31 lis; ergo. Maior verò probatur. Entia ordinis Diuini & supernaturalis sunt quædā speciales participationes Dei, prout Deus transcendit omnes creaturas, & ab omnibus illis distinguitur: sed tales participationes nequeunt esse intrinsecæ & essentiales, sed accidentariæ ergo. Minor probatur. Participatio alicuius rei in aliena natura conuenit non per se, & intrinsecè, sed per participationem, vt calor, qui per se conuenit igni, alijs non conuenit, nisi accidentariò & per participationem, & idem dicendum est de luce solis, ergo participatio ordinis Diuini, & supernaturalis nequit conuenire intrinsecè & essentialiter alicui substantiæ, sed accidentariò & per participationem.

Confirmatur. Illa participatio ordinis Diuini & supernaturalis conueniret humanitati Christi per participationem, cùm sit peculiaris participatio Dei, conueniret etiam per essentiam, siquidem est intrinseca & naturalis illi; ergo implicat, quòd humanitas fiat substantia supranaturalis. 32

Secundò. Substantia Diuina, & ordinis Diuini & supernaturalis ex sua ratione exigit, vt sit vna numero in tribus suppositis, vt constat de Diuina substantia, & essentia; sed implicat hoc conuenire humanitati Christi, quamtumuis perfectæ, & eleuatæ: ergo. Hæc ratio non est efficax, nam potest dici, quòd sicut accidens ordinis Diuini, vt gratia, non est vnum numero in tribus Personis, sed deficit à Diuina perfectione, quia est aliquid creatum, quamuis ordinis Diuini; ideò illa humanitas, quamuis esset ordinis Diuini, Diuinam tamen perfectionem non attingeret. 33

Ideò sit tertia ratio. Si humanitas Christi posset fieri substantia supranaturalis essentialiter, sequitur quòd essentialiter participaret esse Diuinum, ac proinde esset Deus, & ex alia parte esset creatura, quod sanè repugnat. Probatur sequella. Supernaturalitas Diuini esse est idem essentialiter, quod ipsum Diuinum esse, imò verò Deus in seipso, & secundùm esse quod habet in se, habet supernaturalitatem, quæ non est eius attributum, sicut sapientia, aut iustitia, sed modus essentialis ipsius esse Diuini considerati in se; ergo si humanitas Christi essentialiter participaret supernaturalitatem Diuinam, ita vt diceretur essentialiter supernaturalis, etiam essentialiter participaret Diuinum esse. 34

Dices, Deum secundùm se, ant de se, neq; esse naturalem, neq; supernaturalem, sed hos esse modos accidentarios. Resp. Deum, vt est finis creaturarum, vtroque modo posse se habere, nec dicere determinatè, quòd sit finis naturalis, vel supernaturalis, sed permissiuè potest hoc, vel illud habere. 35

Confirmatur. Illa humanitas non diceretur supernaturalis, quia participaret sapientiam, aut iustitiam, vel aliud Dei attributum secundùm modum essendi, quem habet in Deo, sed quia participaret esse supernaturale Dei, sed non stat, participare substantialiter esse supernaturale Dei sine participio Diuini esse, secūdùm quòd in se est; ergo participaret tale esse secundùm id, quod est proprium ipsius Dei, atque adeò quod est proprium Dei essentialiter, & substantialiter, conueniret etiam essentialiter & substantialiter humanitati, quod manifestam inuoluit repugnantiam. 36

Si verò dicatur, id conuenire humanitati per participationem, Deo autem per essentiam: contra est, quia eodem modo poterit dici, humanitati conuenire posse per participationem esse trinam, & vnam; quod tamen implicat. Item sequeretur saltem, quòd ea proprietate & rigore sermonis, quo dicitur Petrus essentialiter esse homo, & ens, diceretur talis humanitas habere id, quod est proprium Diuini esse, & participare Diuinam substantiam, secundùm quòd est in se. Probatur sequella, nam Petrus est homo, & est ens per participationem, & dependenter à prima causa, & nihilominùs simpliciter, & in rigore dicitur essentialiter homo, & ens; ergo eadem ratione diceretur talis humanitas habere essentialiter Diuinum esse, & Dei supernaturalitatem. 37

Confirmatur

38 Confirmatur secundò. Quod est supranaturale per essentiam, est Deus; ergo si illa Christi humanitas est essentialiter supernaturalis, essentialiter erit Deus. Respondebis, charitatem esse supernaturalem per suam essentiam, siue essentialiter, & intrinsecè, & tamen non esse Deum. Cæterùm hæc solutio est insufficiens, quia accidentia, quantumcumque sint supernaturalia, pendent tamen à substantia, cui inhærent, & ex consequenti semper habent suam essentiam, & proprietates, aut perfectiones participatiuè à substantia, ac proinde non dicuntur talia per essentiã, neque à seipsis: at verò substantia est per seipsam, neq; est entis eos. Quare si essentialiter est supernaturalis, dicetur etiam supernaturalis per essentiam.

39 Confirmatur tertiò, quia si esset possibile, humanitatem Christi ita perfici & eleuari, vt trãseat ad ordinem substantiæ supranaturalis, iam de facto transijsset, quia pertinet ad perfectionem, & dignitatem vniuersi, quòd in eo sint omnes gradus possibiles creaturarum, vt docet D. Thom. 1. p. q. 50. art. 1. Pertinet etiam ad ostensionem Diuinæ virtutis, potentiæ, & sapientiæ. Item quia Deus iam se communicauit creaturis omni modo possibili secundùm genus communicationis, nam communicauit se dando esse naturale, & esse gratiæ, & vniendo se hypostaticè. Item etiam communicauit se intelligibiliter per modum speciei, & in ratione obiecti: ergo si humanitati Christi, vel alicui alteri creaturæ esset communicabilis supernaturalitas substantialis, de facto esset communicata.

40 Neque potest reddi efficax ratio, cur id non fecerit Deus, cùm posset facere, quia de facto communicauit accidentibus supernaturalitatem, (substantijs verò hactenùs non communicauit, nisi per accidentia: quæ cùm ex sua natura non sint propter se facta, sed propter substantias, & potissimùm vt perfectiones superiorum inferioribus communicentur: ideò vt aliqua substantia supernaturaliter perficiatur, potest illi à Deo per accidentia supernaturalitas communicari, nõ per seipsam immediatè, aut substantialiter.

41 Ex his sequitur primò, accidentia supernaturalia solùm reduci ad Deum, à quo solo habent naturaliter dimanare. Cùm enim accidentia non sint entia, sed entis entia, per se non habent ordinem, neque illum constituunt, sed reducuntur ad ordinem illarum substantiarum, à quibus naturaliter dimanant & oriuntur. Quare sicut lux solis reducitur ad principium lucis, hoc est, ad solem, tanquam ad fontem eius, à quo naturaliter emanat, & non reducitur ad aerem, estò in illo inueniatur: eâdem ratione accidentia supernaturalia nequeunt reduci ad aliquam substantiam supernaturalem creatam sed reducuntur ad Deum, à quo solo habent naturaliter dimanare, & non ad substantiam creatam, à qua fluunt, aut fluere possent. Et ob id asseruit D. Thom. 1. p. q. 12. art. 5. ad 3. Lumen gloriæ nulli creaturæ posse esse naturale, nisi creatura esset naturæ Diuinæ, sicut neque lux solaris potest esse connaturalis nisi soli.

42 Sequitur secũdò, quòd si ab humanitate Christi fluerent supernaturalia accidentia, illa esset Deus: nam cùm illa humanitas sit ens simpliciter, per se constitueret ordinem rerum supernaturalium. Non enim est ens entis, & ex consequenti illa supernaturalia accidentia, quæ ab ea dimanarent, nõ reducerentur in Deum, sed ipsa esset Deus, & simul non esset Deus, quia est producta. Quare implicat, humanitatem Christi fieri substantiam supranaturalem: sed non repugnat dari accidens supernaturale, quia accidens non constituit per se ordinem distinctum rerum, sicut constituit substantia.

Colligitur tertiò, non posse dari intellectum supernaturalem creatum, aut potentias vitales supernaturales, quamuis sint accidentia: quoniam huiusmodi potentiæ vitales dari non possunt nisi procedant à substantia viuente; quam posse dari supernaturalem, implicat contradictionem, vt ostensum est. Etenim supernaturalitas substantialis intrinsecè includit infinitatem Dei, ac proinde talis substantialis supernaturalitas non est creaturæ communicabilis. Denique sicut ignis nequit producere alienam naturam, cui sit connaturale aliquid pertinens ad naturam ignis, quamuis in aliena natura possit producere sui participationem; sic etiam Deus non potest producere creaturam aliquam substantialem, cui sit intrinsecum, & connaturale aliquid supranaturale, & ordinis Diuini, estò possit producere aliquod accidens, quod sit quædam Dei participatio. 43

Secunda Conclusio. §. IIII.

FIERI Non potest etiam de potentia Dei absoluta, vt gratia sit absolutè & simpliciter connaturalis humanitati Christi. Et idem dicendum est, de charitate, lumine gloriæ, & de alijs entibus ordinis Diuini. Hanc assertionem recipiunt omnes Thomistæ, Caietanus 1. p. q. 12. art. 5. & 1. 2. q. 23. art. 2. & Ientaculo. 1. q. 1. Ferrar. 3. contra Gentes cap. 54. Siluester in Conflatorio q. 12. art. 5. circa solutionem ad. 3. Capreolus in. 4. d. 49. q 4 ad argumentum 3. Scoti contra secundam conclus. Bañes. 1. p. q. 12. art. 1. Dubio. 1. ad. 4. Et colligitur ex Sancta Scriptura. Psal. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Vbi asseritur hæc dona esse à Domino obtinenda. Et Ioan. 1. *Dedit eis potestatem Filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus &c. Sed ex Deo nati sunt.* Sed nasci ex Deo vt Dei Filium & hæredem vitæ æternæ, excedit omnem naturam creatam, soloq; Dei dono hæc potestas conceditur; ergo neque Christi humanitati, neque alicui substantiæ possibili hoc est naturale. Et 2. Petri. 1. *Maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini Diuinæ Naturæ consortes.* Non esset autem hæc maxima gratia Filiorum Dei, & istud Diuinæ naturæ consortium per gratiam concessum, si id alicui creaturæ esset connaturale, posset q; proprijs viribus obtinere. Item ad Roman. 11. *Si autem gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non esset gratia.* Ex quo colligitur, naturæ gratiæ repugnare, esse debitam vi operum, aut conditione aliqua naturæ. Sunt multa alia testimonia. Et probatur ratione. 44

Gratia est proprietas Dei, illi connaturalis pertinens ad ordinem Diuinum & supranaturalem: ergo implicat, esse connaturalem humanitati Christi. Antecedens est manifestum, & probatur consequentia, quia implicat, quod est connaturale superiori naturæ, esse etiam connaturale inferiori, vt lux, quæ est soli connaturalis, nequit esse connaturalis alteri creaturæ, & idem dicendum est de calore ignis. Quòd si naturæ finitæ & limitatæ hoc habeant, vt proprietates illis naturales 45

tales nequeat esse naturales alteri creaturæ, multò magis suprema natura hoc habebit.

46 Confirmatur. Gratia est quædam participatio Dei, vt Deus est ipsum esse, & vt transcendit totum ordinem naturæ: ergo implicat, esse naturalem, vel connaturalem humanitati Christi, quæ est natura quædam creata, & ordinis naturalis. Patet consequentia, quia aliàs gratia non transcenderet ordinem rerum naturalium, si haberet proportionem & connaturalitatem cum re naturali, & ex eius principijs flueret, vel saltem humanitas haberet naturalem aptitudinem & inclinationem ad gratiam; quæ omnia sunt impossibilia. Etenim humanitas Christi non est suum esse, neque transcendit totum ordinem naturæ: quare si gratia esset illi connaturalis, certè gratia non transcenderet totum ordinem naturæ.

47 Præterea. Gratia ex sua natura est gratia; ergo est gratuitum donum. Ergo nequit esse intrinseca, & naturalis humanitati Christi. Patet hæc consequentia, quia quod est naturale, & intrinsecum creaturæ non habet rationem gratiæ. Rursus. Si gratia esset naturalis, & intrinseca humanitati, haberet etiam intrinsecè, quod proprium est gratiæ; sed consequens est falsum: ergo. Probatur minor, quia tunc humanitas non solùm esset consors Diuini esse intrinsecè, sed etiam esset intrinsecè Deo amica, imò verò esset, & diceretur Filius Dei naturalis, quia gratia sicut facit gratum ex sua natura, facit etiam Filium Dei: ergo si gratia esset intrinseca & naturalis humanitati Christi, esset etiam illi naturale, esse Filium Dei, & ex consequenti esset Filius Dei naturalis.

48 Confirmatur, quia tunc illa humanitas non esset Filius Dei per adoptionem; ergo esset Filius Dei naturalis. Probatur antecedens; quia esse Filium Dei adoptiuum, est esse Filium ex dono & liberalitate; ergo ille, qui habet intrinsecè & per naturam esse Filium Dei, non esset adoptiuus. Dices, quòd dicetur Filius adoptiuus, quia liberè producitur à Deo. Sed contra, quia eadem ratione posset dici, Petrum esse Filium adoptiuum sui Patris, quia liberè producitur.

49 Deinde. Si daretur substantia supernaturalis, cui gratia esset intrinseca, & naturalis; sequeretur, talem creaturam esse per naturam impeccabilem, non solùm circa legem & authorem naturæ, sed etiam circa legem supernaturalem. Probatur sequella. Primò de impeccabilitate circa legem naturæ, quia maiorem perfectionem haberet in ordine ad authorem naturæ, quam habent Angeli; sed Angeli sunt impeccabiles circa naturalia; ergo multò magis illa creatura præstantissima supernaturalis ab intrinseco. De impeccabilitate verò circa supernaturalia probatur etiam: quia talis creatura haberet intrinsecè rectitudinem supernaturalem; ergo non posset ab illa deficere. Quòd autem consequens sit falsum, probatur; quia creatura, quantumuis excellens, non est regula suarum actionum, sed necessario subditur superiori regulæ; ergo nequit esse impeccabilis ab intrinseco. De hac ratione & fundamento legendus est D. Thomas de Veritate q. 14. artic. 7.

50 Postremò. Si gratia posset esse naturalis, vel connaturalis Christi humanitati, vel alicui creaturæ, sequeretur, quòd gratia per accidens esset ordinis supernaturalis, siquidem aliqua creatura ex proprijs viribus naturæ eam posset naturaliter habere; sed consequens est absurdum: ergo &c.

51 Hæc conclusio, quatenùs docet, gratiam & accidentia supernaturalia non posse esse connaturalia alicui naturæ creatæ, est expressa sententia D. Thomæ. 1. 2. q. 110. art. 2. ad 2. Et est adeò certa, vt oppositum illius sit sapiens hæresim Pelagianam, & Begardorum, præsertim sumendo naturale in prima & secunda acceptione. Et ideò opposita sententia ad minimum est temeraria. Quò ad tertium autem connaturalitatis modum, videtur conclusio contra Scotum, qui in 4. d. 49. q. 11. Hanc potentiam passiuam naturalem concedit. Constat enim, nullam potentiam creatæ naturæ, aut creabilis esse proportionatam rebus Diuini ordinis; aliàs tali potentiæ passiuæ correspondere in natura sufficiens potentia actiua, viribusq; naturæ assequeretur beatitudinem. De quo legendus est Caietanus Opusculo de Potentia neutra.

52 Quò ad quartum tandem connaturalitatis modum patet conclusio ex supradictis: quia ex vi natiuitatis tantum conueniunt rebus ea, quæ ipsarum naturis sunt proportionata, consentanea, & debita, non quæ superexcedunt: tum etiam, quia nihil conuenit ex vi natiuitatis alicui, quod non simul conueniat ratione alicuius principij intrinseci, saltem passiui, nam respectu illius, quod inducit agens naturale, est naturalis potentia passiua. Et tandem quoniam illa natura est producta ab aliquo generante particulari, & tunc ex vi illius productionis nequit illa supernaturalia obtinere, quæ à solo Deo produci possunt, vt à prima causa, nempe, à Deo immediatè creata: sed Deus, vt author naturæ, non est causa gratiæ: ergo Deus, vt creans non est causa supernaturalium.

Tertia Conclusio. §. V.

53 EX Suppositione alicuius supranaturalis, aliquid supernaturale & Diuini ordinis potest esse connaturale alicui creaturæ, sed hoc non est, esse connaturale simpliciter, sed secundùm quid. Sic docet Caietanus. 1. par. quæst. 12. art. 5. Et Ferrar. 3. Contra Gent. cap. 54. Sensus autem conclusionis est, quòd sicut disgregare visum absolutè, & simpliciter non est naturale corpori, est tamen illi naturale, quatenùs est album, & vt substat albedini; & sicut calefacere non est naturale aquæ simpliciter & absolutè, nisi vt substat calori: ita absolutè, & simpliciter loquendo, quod est supranaturale, nequit esse naturale, vel connaturale alicui creaturæ, est tamen illi connaturale, vt stat sub forma supernaturali: itaq; homini habenti gratiam, & prout illam habet, naturale est habere virtutes infusas, quæ ex gratia veluti propriæ passiones sequuntur. Similiter homini habenti charitatem, & quatenùs illam habet, naturale est diligere Deum: & habenti lumen gloriæ, & secūdùm quod illud habet, connaturale est videre Deum. Hæc autem supernaturalia 54
nō sequūtur ex aliquo naturali, & ex principijs naturæ, sed ex aliquo supernaturali. Vnde intellectus creatus illustratus lumine gloriæ naturaliter videt Deū, nō quidē per formā naturalē, sed per formā supernaturalem:

in quo differt à cæco supernaturaliter illuminato, quòd iste videt naturaliter, simpliciter, & absolutè, quia per formam naturalem; Beatus verò videt quidem naturaliter, supposito lumine gloriæ, quod est forma supernaturalis. Sed hæc visio etiam supposito principio supernaturali, à quo procedit, non dicitur simpliciter, & absolutè naturalis, sed tantùm secundùm quid, & ex suppositione.

55 Sic autem explicata conclusio probatur. Sicut in rebus naturalibus quædam sunt essentialia ipsis rebus, quædam verò connaturalia, vt constat in igne & in sole; sic etiam in supranaturalibus quædam conueniunt essentialiter, cùm huiusmodi res suas habeant essentias: quædam verò connaturaliter, quia habent suas proprietates illis intrinsecas, & coniunctas naturali consunctione in suo ordine; ergo suppositis illis rebus supernaturalibus in aliqua creatura ordinis naturalis, illud aliud, quod sequitur, erit connaturale tali creaturæ, quatenus habet illud supernaturale.

56 Explicatur ampliùs. Sicut lux habet naturalem connexionem cum sole, & calor cum igne, ita virtutes infusæ cum gratia in ordine supernaturali: & sicut intellectus naturaliter intelligit, & ad suum actum inclinatur, ita lumen gloriæ in suo ordine naturaliter inclinat ad actum visionis Dei, & charitas ad dilectionem Dei, ergo supposita gratia naturaliter sequuntur virtutes, & sunt connaturales alicui creaturæ, secundùm quòd habet gratiam: & supposito lumine gloriæ, & habitu charitatis, erit naturalis visio, & dilectio Dei.

57 Ex quo sequitur, illud, quod habet rationem primi nihil supernaturale præsupponens in subiecto, nullo modo posse esse naturale: vt gratia, quæ præsupponitur vt essentia ad virtutes infusas, & lumen gloriæ, quod præsupponitur ad actum videndi, nulli rei possunt esse naturalia. Cuius ratio est, quia supernaturale nequit esse naturale nisi aliquo supposito, aliàs esset simpliciter naturale, sed ad illud, quod habet rationem primi in ordine supranaturali nihil præsupponitur; ergo &c. Reliquum est dissoluere argumenta in contrarium.

Soluuntur Argumenta. §. *VI.*

58 AD Primum igitur argumentum negatur consequentia, quia licèt gratia sit finitæ perfectionis, est tamen ordinis Diuini, & pertinet ad ordinem rerum infinitarum, & est participatio Dei, vt transcendit totum ordinem naturæ, & ideò nulli creaturæ potest esse intrinseca, & connaturalis, quia cum nulla substantia creata potest habere commensurationem. Sit exemplum. Intellectus est finitæ perfectionis, sed nequit habere commensurationem cum re purè corporali, quamtumuis in infinitum crescat eius perfectio, quia sunt diuersi ordinis: ita similiter, quamuis gratia, & alia entia ordinis Diuini, sint finita & limitata secundùm perfectionem, quantumcumq; in infinitum crescat perfectio humanitatis Christi, nunquam deueniet ad perfectionem superioris gradus, in quo est gratia, neque cum illa habebit commensurationem: ac proinde neque humanitas transibit ad ordinem supranaturalis substantiæ.

Ad probationem consequentiæ Resp. Non esse necessarium, vt omne accidens respondeat alicui subiecto, sibi proprio in specie, ac proinde quòd accidens supranaturale habeat subiectum supernaturale, cui conueniat per se, & intrinsecè in rebus creatis. Et est manifesta instantia in accidentibus communibus naturalibus, quæ non sibi vendicant specialia, & determinata subiecta, in quibus sint. 59

Ad primam confirmationem Resp. Accidens, quamtumuis eleuatum dependere in suo esse à subiecto Substantia verò est ens per se, in suo genere independens. Vnde inconuenientia supra posita non procedunt in accidentibus, sed in substantia, quæ licet necessariò sit ordinis naturalis, eò ipso quòd est substantia creata, potest tamen eleuari ad actus & obiecta supernaturalia per Dei gratiam. 60

Ad secundam confirmationem similiter patet, quòd accidens est entis ens, & ita in genere accidentis potest dari aliqua qualitas, per quam Deus eleuet substantiam creatam. Substantia verò est ens absolutum, quod habet esse independens à subiecto. 61

Ad tertiam confirmationem negatur consequentia, nam cùm pertineat ad Deum, prout est author gratiæ, ea, quæ sunt Diuini ordinis producere, & repugnet produci substantiam Diuini ordinis: ideò Deus, vt author gratiæ, substantiam ordinis supernaturalis, & Diuini non producit, propter repugnantiam ex parte facti. Secundò Resp. Quòd cùm idem omninò sit author naturæ & gratiæ solo rationis respectu differens, ad Deum, vt authorem gratiæ, non pertinet substantialem naturam condere, sed conditam ab ipso, vt naturæ authore in finem supernaturalem destinare. Vel dicito, Deum vt gratiæ authorem condidisse homines, & Angelos, vt ad claram visionem destinaret, & ad finem supernaturalem. 62

Ad secundum principale negatur antecedens vniuersaliter, quia licèt in aliquibus verificari possit, in alijs multis non habet verum: nam Angelus habet quendam specialem modum cognoscendi se, qui modus est illi connaturalis, & tamen nequit esse connaturalis alteri creaturæ, præsertim ordinis inferioris, neque cum perfectione, quæ est in illo, neq; in alio remissiori gradu. Item homo habet modum intelligendi connaturalem, qui tamen connaturalis esse non potest alteri creaturæ ordinis inferioris. Horum autem ratio est, quia sunt quædam proprietates magis intimæ ipsis rebus, quàm aliæ. Et istud magis verificatur in rebus ordinis superioris, & non inferioris: etenim proprietates, quæ sunt commensuratæ & proportionatæ rebus ordinis superioris, nequeunt esse connaturales, aut proportionatæ rei inferiori. 63

Ad primam confirmationem Resp. Quòd cùm Diuinæ proprietates sint in Deo substantialiter, si substantiæ communicarentur substantialiter, talis substantia haberet Diuinas, vt Deus ipse habet secundùm Diuinum modum, esset; proinde Deus. At huiusmodi proprietates accidenti communicatæ, non habent modum, quem in ipso Deo, sed accidentarium, non quidem vt accidens est quintum prædicabile, sed vt distinguitur contra substantiam, & ad nouem prædicamenta pertinet. 64

Secundò Resp. Quòd cùm accidentia sint entis imperfecta, 65

perfecta, & diminuta, & secundùm quid, ex eòquòd aliqua ex sua natura sint ordinis Diuini, tantùm sequitur, aliquam creaturam esse Diuinam secundùm quid, diminutè, & imperfectè. At si substantia aliqua ex sua natura esset ordinis Diuini, cùm sit perfectum ens, Diuina perfectè obtineret, esletq; Deus.

66 Tertiò Resp. Medijs accidentibus ea, quæ sunt superioris naturæ propria, communicari naturæ inferiori, & ad hoc ordinari accidentia superioris, ac Diuini ordinis ad Diuina inferioribus communicanda: & ideò non magis repugnat accidentia esse Diuina, quàm Diuina esse communicabilia, & substantiam inferiorem participare ea, quæ sunt propria superiori, medijs accidentibus, accidentariò tanquam aliena sibi communicata. At si substantialis natura inferior per suam substantiam, & ex vi suæ naturæ, non per formam accidentariam, à superiore communicatam obtineret ea, quæ naturæ superioris sunt propria, iam essent propria illi inferiori naturæ, quod implicat contradictionem.

67 Quartò Resp. Quòd cùm accidens non sit ens, sed potiùs entis ens, vt qualitas non est qualis, sed quo aliquid est quale, & sic de alijs: ideò accidentia, quamuis sint ordinis Diuini, non ideò sunt Diuini ordinis, quasi ipsa Diuina sint, Diuinitatem habentia, sed quia sunt id, quo aliquid est Diuinum, Diuinitatem participant, neque sunt habentia Diuinas proprietates, sed quibus alij eas proprietates participant. Vnde gratia non est con-

68 sors Diuinæ naturæ, sed quo homo vel Angelus efficitur Diuinæ Naturæ consors. Et lumen gloriæ non est videns Deum, quæ est Diuina proprietas, sed quo homo vel Angelus videt Deum: Deo enim non est proprium, esse quo videtur tantùm, sed esse, quod videt. Quare accidentia sunt communicationes accidentariæ ipsarum Diuinarum proprietatum, ideóq; non repugnat accidentia essentialiter esse participationes Diuinorum, vel Diuina participare, vt, Quo, sicut propriũ est Deo immediatè operari per suam essentiam, & per seipsum esse immediatum operationis principium, nulli substantiæ creatæ conueniens. At non repugnat, accidens esse principiũ operationis immediatum, vt Quo, neque ex hoc obtinet Diuinã proprietatem, quæ est esse principium operationis immediatum, tanquam quod operatur, & non solum tanquam, Quo.

69 Ad secundam confirmationem, negatur consequentia, & ad probationem Resp. ex secundo notabili, esse existentiæ, quamuis importet perfectionem simpliciter in Deo formaliter inuentam, non tamen importare aliquid soli Deo proprium secundùm aliquem modum, vel rationem illi soli conuenientem: hunc enim modum soli Deo conuenientem importat esse per se subsistens. Verùmtamen esse in illa abstractione importat quid commune Deo, & creatoris, & ita nihil obstat, quin sit proportionatum & substantiale creaturæ, quamuis non essentiale, nec propria illius passio, sed à Deo receptum, & communicatum.

70 Secundò Resp. Iuxta tertiam annotationem præmissam, Esse in sua abstractione, & vniuersalitate dici proprium Deo in genere causæ efficientis; quia est proprius illius effectus: non tamen esse proprium Deo, ac Diuinum in genere causæ formalis, quæ enim sunt hoc posteriori modo propria Deo, nequeunt esse connaturalia, & propria creaturæ.

Ad tertium principale patet ex dictis responsio, quomodò repugnet dari substantiam supernaturalem, & non implicat dari accidens supranaturale. 71

Ad quartum principale Resp. Illud primum inconueniens manifestè sequi ex tali positione, vt ostensum est in. 1. & 2. Conclusio. Et ad primam impugnationem, verum est, ex eòquòd substantia creata substantialiter existat, non sequi, esse primum ens, aut Deum; quia esse existentiæ importat aliquid commune Deo, & creaturis, & non solam Dei proprietatem. Et ideò ex eòquòd creatura substantialiter existat, non sequitur, quòd habeat substantialiter Diuinam proprietatem. Cæterùm si alicui essent substantialia, vel aliquo modo connaturalia, gratia, charitas, gloria, visio Dei, &c. Quæ sunt Diuini ordinis, ac Dei proprietates, cùm à natura haberet, quæ sunt Dei propria, esset subinde Deus. Item, cùm Deus vt author naturæ, communicat esse creaturis, non dat illis esse, vt est Deo proprium, nempe, vt habeant esse essentialiter, vel esse per se subsistens. At quando communicat gratiam, vel claram visionem, communicat quidem cognitionem secundùm rationem, qua est Deo propria, videlicet, quatenus est clara cognitio. Communicat etiam per gratiam Naturam Diuinam secundùm modum Naturæ Diuinæ, non tantùm efficienter, sed etiam formaliter, vt Deum aliquo modo constituit. Ac deniq; esse existentiæ, vt supra dicebamus, dicitur Deo proprium effectiuè, hoc est, vt quæcumque natura illud habeat, necessum est, vt à Deo habeat, non tamen est Diuinum formaliter. 72 73

Ad alteram impugnationem, videlicet, quòd ex hoc tantùm sequitur, esse Deum per participationem. Resp. Rem illam, cui essent connaturales proprietates Diuinæ in prima acceptione connaturalitatis, ita vt essent vel de illius essentia, vel ab essentia fluentes, esse certè Deum per essentiam, non per participationem, cum ea, quæ sunt Deo connaturalia, essent etiam illi naturalia, & quæ sunt propria Deo, essent & illi naturæ propria. Quare implicat contradictionem, quòd gratia esset alicui creaturæ connaturalis, sicut repugnat aliquid haberi per naturam, & essentiam, ac simul per alterius participationem: illo enim dato, talis res, quæ gratiam haberet connaturalem, esset Deus naturaliter à natura, & simul esset Deus per participationem. 74

Sed instatur. Quodcumq; ens creatum est ens essentialiter, ac simul per participationem à primò & summo ente; ergo non repugnat aliquid haberi per essentiam, & per participationem simul, ac proinde nec repugnat, haberi gratiam per essentiam, & simul per participationem, sicut ens &c. Resp. Dupliciter dici, haberi aliquid per participationem, vno modo, quod habetur ab alio deriuatum, & communicatum, & sic non repugnat, aliquid esse essentiale, & ab alio participatum: entia enim creata habent hoc modo per participationem rationem entis, siue ens sumatur participialiter, siue nominaliter. 75

Secundo modo habere aliquid per participationem est illud habere omninò ab extrinseco, tã producente, 76

quam conseruanse, esseq; omninò superadditum naturæ, & proprietatibus habentis; & participatū hoc modo distinguitur contra essentiale & proprium, quo pacto dicitur lux in Diaphano haberi per participationem, & similiter lux solis in stellis. De quo legendus est M Bañes. 1. p. q. 3. art. 4. Dubio. 4. circa vltimam conclusionem.

77 Vnde constat, quòd si alicui substantiæ creatæ vel creabili esset connaturalis gratia, illa creatura esset Deus, neque esse Diuinum haberet per participationem secundo modo, quod repugnat gratiæ, quæ ex sua natura est quædā Diuinæ naturæ participatio ab extrinseco. Illa verò creatura ab intrinseco haberet Diuinam naturam: ac proinde cùm gratia esset sibi connaturalis, esset similiter connaturale, esse Deum, & consequenter essent illi etiam connaturalia, visio Dei, & lumen gloriæ, & cætera, quæ sunt gratiæ cōsummatio, quia hæc omnia continentur in gratia, tanquam in principio & radice, atque adeò proprietates Diuinæ essent proprietates illius.

78 Rursus cui esset gratia connaturalis illo modo, vel essentialis, vel vt propria passio, cùm esset naturaliter particeps Diuinæ naturæ, naturaliter esset Deus per essentiam, & absolute esset Deus, sicut ens creatum, quia essentialiter est ens, licet ab alio, absolutè & simpliciter est ens. Ens, inquam, per essentiam. Item illa talis substantia, eò quòd accidentia Diuini ordinis essent illi connaturalia, esset substantia ordinis Diuini & supranaturalis. repugnat autem esse Deum ex sua natura, atque esse ex sua natura substantiam Diuini ordinis, ac simul habere esse Diuinum per participationem ab alio susceptum, cùm de ratione intrinseca Dei habentis esse Diuinum connaturale, & substantiæ ordinis Diuini sit, habere esse à se, & non ab alio. Neq; in hoc est de ente similis ratio, quia de ratione entis simpliciter non est, quòd habeat esse à se, & non ab alio, quod tamen est de intrinseca ratione Diuinæ substantiæ.

79 Maiorem autem difficultatē ingerit in hac re, quomodò ille, cui Diuina essent connaturalia secundo, vel tertio modo, esset Deus per essentiam. De secundo illo modo dicendum est, quòd is, qui à natura potentiam sufficientem haberet ad consequendam gratiam, & reliqua entia Diuini ordinis, posset quidem suis viribus seipsum efficere Deum, non per communicationem ab alio, & ex consequenti esset Deus, vel aliquid plusquàm Deus, eminenter & virtute continens Diuinitatem, cùm posset esse causa Diuinitatis, ac Diuinarum proprietatū: sicut qui posset per suas vires calorem vt octo producere per seipsum sine aliquo extrinseco communicante, vel esset ignis per essentiam, vel ignis virtutem

80 eminenter contineret. Similiter homo qui viribus naturæ virtutes acquirere potest, virtute continet illas à natura. Item cùm solius Dei sit vis, & sufficientia ad gratiam, lumen gloriæ, & alia similia causanda, natura illa, quæ in se hæc posset efficere, proculdubiò esset Deus, nam hæc in sua ratione important necessariam dependentiam à solo Deo tanquam à causa principali. Et denique, quia substantia, quæ hæc Diuina suis viribus comparare posset, esset quidem illis donis supernaturalibus proportionata, ac proinde substantia ordinis Diuini, quæ est Deus.

81 De tertio autem modo connaturalitatis adhùc videtur maior difficultas, etenim materia aquæ, quæ habet potentiam passiuam ad formam ignis, & calorem vt octo, non proinde habet ignis essentiam, & naturam: ergo creatura, quæ haberet naturalem potentiam passiuā ad gratiam, & lumen gloriæ &c. nō proinde esset Deus. Sed Resp. Esse Deum, quia esset substantia proportionata talibus proprietatibus Diuini ordinis, ac proinde Diuina substantia, cùm nulla alia sit in illo ordine præter Deum. Vnde implicat, creaturam aliquam habere potentiam, vel actiuam, vel passiuam naturalem ad Diuina consequenda, & quòd actu illa non habeat, cùm esset Deus.

De quarto verò modo patet ex dictis, nam cui esset quarto modo gratia, vel gloria connaturalis, essent etiā ista connaturalia ratione alicuius principij intrinseci, & ideò Christus Dominus, cui hæc sunt connaturalia, ex vi generationis est Deus. 82

Ad confirmationem Resp. Gratiam dici, & esse Diuinā, atque ordinis Diuini, & supernaturalis, quia nulli creaturæ factæ aut factibili potest esse connaturalis. Secundò, quia eius interuento comparatur perfecta Diuinæ naturæ participatio longè perfectior, ac sublimior omni naturali participatione cuiusque creaturæ possibilis. Tertiò, quia per illam obtinetur Diuinæ naturæ participatio in genere causæ formalis, quasi illa mediante deificetur natura creata, fiatq; deiformis. Hoc est, obtinens Diuinam formam, & esse Diuinum. Idem dicendum est de lumine gloriæ, Fide, Charitate, & alijs &c. 83

Prætereà sicut lumen gloriæ, quia est vltima dispositio ad vnionem Diuinæ Essentiæ cum intellectu, dicitur Dei proprietas, fluens ab ipsa Diuina Essentia, sicut vltima dispositio ad formam Ignis dimanat ab ipsa forma ignis tanquam illius proprietas. Neq; obstat, lumen gloriæ esse creatum ac finitum, Diuinam autem essentiam increatam & infinitam, ac proinde in infinitum distare; quia dispositio & forma debens esse eiusdem ordinis, non in modo essendi, cùm dispositio sit accidens, & forma substantia, sed quantùm ad connaturalitatem, quia cuicumque est connaturalis vltima dispositio, & forma similiter est connaturalis. Vnde etsi duæ substantiæ magis conueniāt in natura, quàm forma substantialis & dispositio, substantiæ tamen, licet sint eiusdem speciei, vt Petrus & Paulus, non sunt eiusdem ordinis quò ad connaturalitatem, sicut dispositio & forma sunt eiusdem ordinis quantùm ad connaturalitatem, estò in natura & modo essendi multò magis distent, quàm duæ substantiæ. Et nihilominùs hæc maior distantia inter dispositionem & formam creatam non obstat connaturalitati, neque etiam infinita distantia, quæ est inter lumen gloriæ creatum, & Diuinam essentiā, impedit, quin sint eiusdem ordinis, quò ad cōnaturalitatē: ita similiter de gratia dicendū est, quòd oritur ex Diuina Essentia, cùm sit participiū & consortiū illius, & dat esse supernaturale, & perficit in ordine ad esse, & est eiusdem ordinis Diuini cum Deo, ad quem se habet vt connaturalis: & sicut ea, quæ sunt secundùm naturā, ad naturā, sicut calefacere ad ignem, & moueri deorsum ad graue, ita vt sit connaturalis soli Deo. 84 85

Ad quintum Resp. Gratiam fuisse cōnaturalem Angelis, & Primis Parentibus, & B. Virgini secūdùm quid, & concomitanter, non causaliter, vt dictum est Disputatione præcedente. 86

Ad

87 Ad confirmationem Resp. Quod si Adam non peccasset, gratia esset connaturalis posteris eius, non simpliciter ex vi naturitatis ratione principij actiui, sed ex suppositione legis tantùm, quod est esse connaturalem secundùm quid. Sicut peccatum originale est modò connaturale Filijs Adæ ex legis suppositione, non absolutè.

87 Ad sextum patet responsio ex secunda annotatione, vbi ostensum est, quo pacto sapientia bonitas, & aliæ id genus perfectiones sint communicabiles, non tamen supernaturalitas substantialis: quia hæc est perfectio Dei, in suo intrinseco conceptu includens proprium modum ipsius Dei, sicut esse actum purum, esse ipsum esse, à se primum, & esse primam regulam, & sicut non sunt communicabiles huiusmodi Dei perfectiones, quia in proprio conceptu includunt infinitatem, & propriam Essentiam Dei: ita creaturæ communicari non potest, quod sit supernaturalis secundùm suam substantiam & essentiam. Hoc enim est, intrinsecè & per se esse Diuinam: quia esset ens completum in genere supernaturalitatis, & ex consequenti Persona Diuina, & Deus. Ex alia verò parte esset creatura, & ita simul esset finita, & infinita, Deus, & creatura, quod manifestam inuoluit repugnantiam.

88 Sed obijcitur. Supernaturalitas non est differentia specialis, aut gradus Dei: ergo etiam si communicetur alicui substantiæ, non proinde communicabitur illi esse Diuinum. Consequentia patet, & probatur antecedens. Ratio supernaturalitatis abstrahit à creato, & increato, cùm omnia prædicamenta transcendat, & ob id non dicit specialem gradum, sicut ratio naturalitatis, aut ratio entis, aut veri, aut boni, non dicunt specialem gradum in homine, aut in equo; ergo potest substantiæ communicari supernaturalitas, sine eo quòd extrahatur à propria specie & natura.

89 Resp. Negando antecedens, quia ratio supernaturalitatis completa dicit maximam perfectionem substantialem, quæ in sola Diuina substantia potest reperiri, atque adeò eum supernaturalitas substantialis sit de genere illarum perfectionum, quæ in suo intrinseco conceptu inuoluunt infinitatem, & propriã Dei essentiam, non est creaturæ communicabilis: sed excedit omnes naturas quamtumuis perfectas creatas, & creabiles, & constituit distinctum ordinem ab eo, quem dicit naturalitas rerum omnium creatarum, & creabilium.

QVÆSTIO. III.

De modo vnionis ex parte Personæ aßumentis.

HActenùs D. Thomas Disputauit de ipsa Sacrosancta vnione secundùm se, nunc autem explicare aggreditur extrema ipsius vnionis: ac primùm de persona assumente, deinde verò de natura assumpta edisserit; hæc enim sunt huius ineffabilis vnionis extrema. Cui rei subijcitur primus articulus.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm Diuinæ Personæ conueniat aßumere naturam creatam.

CONCLVSIO D. Thomæ est. Propriissimè conuenit Personæ Diuinæ assumere naturam creatam. *Probat D. Thomas in argumento sed contra ex Augustino libro de Fide ad Petrum cap. 2. dicente.* Formam, idest, naturam serui, in suam accepit Deus, ille, scilicet, Vnigenitus, Personam. *Ex quo desumitur argumentum. Vnigenitus accepit naturam; sed Vnigenitus est Persona; ergo Personæ conuenit accipere naturam, quod est assumere. In corpore articuli probat hac ratione. Persona Diuina est principium & terminus huius assumptionis; quia actiones sunt suppositorum, & vnio facta est non in natura, sed in persona; ergo assumere propriißimè competit Personæ. Patet consequentia, quia in hoc, quod est assumere includitur principium, terminus, & actus assumentis, quæ omnia personæ conueniunt.*

Est primum argumentum D. Thomæ. Diuinæ Personæ non potest fieri additio, quia est infinita, ac summè perfecta; sed quod aßumitur, additur aßumenti; ergo Diuinæ Personæ conuenire non potest. Respondet, per aßumptionem nullã perfectionem addi Personæ Diuinæ, cùm sit infinita, sed hominem potiùs perfici, vt constat in vnione, quæ fit per gratiam, in qua Deus nullo modo perficitur, sed homo; quia per talem vnionem nihil additur Deo: & idem in præsenti mysterio dicẽdum est, quòd licèt verè & realiter Verbum Diuinum assumpserit humanitatem, eãq; sibi vnierit, simpliciter tamen & absolutè nihil perfectionis additũ est Verbo, quia humanitas non se habuit vt forma perficiens Verbum, ac proinde potiùs dicendũ est, humanitati aliquid eße additum, quàm Verbo, nam Verbum mãsit immutatum, humanitat verò est, quæ perficitur, & à Verbo pendet.

Secundum argumentum D. Thomæ est. Illud, ad quod aliquid aßumitur, quodammodò communicatur ei, quod in ipsum assumitur, sicut dignitas communicatur ei, qui in dignitatem assumitur: sed Persona Diuina est incommunicabilis: ergo nullam naturam ad se sumere potest. Consequentia patet, quia nequit illam ad se sumere, nisi se illi communicando. Respondet distinguendo minorem. Persona dicitur incommunicabilis alijs personis, non alijs naturis: non enim potest de pluribus personis prædicari, & hac ratione dicitur incommunicabilis. Sed quia plures naturæ poßunt de illa prædicari; ideò est illis communicabilis. Et licèt in creatis nequeant plures naturæ in vnam Personam concurrere, nisi accidentariò, sicut in persona Petri sunt quantitas & qualitas, proprium est tamen

Diuinæ Personæ propter eius infinitatem vt in ea fiat concursus naturarum substantialium secundum subsistentiam.

Tertium argumentum D. Thomæ est. Persona constituitur per naturam: ergo non assumit illam, quia effectus non agit in suam causam, vt nullus potest agere in eam formam, per quam constituitur, vt illam veluti trahat ad se constituendum. Respondet distinguendo antecedens, Humana natura per vnionem cum Verbo constituit Personam Diuinam, non simpliciter; quia sic inuenit illam constitutam per propriam Naturam Diuinam, sed in esse humano, & prout est persona humana, nam quod vnitur, intrinsecè & per se denominat id, cui vnitur.

Commentarius.

1 AD Intelligentiam huius Conclusionis aduertendum est, Personam in præsensi accipi in sua formali significatione, vt abstrahis à subsistentia relatiua, & absoluta. Sumitur etiam non considerando, An in Diuinis sit vna tantùm persona absoluta, vt existimabant Ethnici Philosophi, vel sint tres Personæ relatiuæ, vt credunt Catholici. Ea enim, quæ hîc asserit D. Thomas, essent etiam vera, si vna tantùm Persona absoluta esset in Diuinis. De facto tamen, & reipsa verificantur de sola Persona Filij, quatenùs ab alijs Diuinis Personis relatiuè distinguitur. Persona igitur sic cōsiderata distinguitur à natura in præsentia, siue in abstracto significetur vt Deitas, siue in cōcreto, vt Deus. Aduertit etiā Caietanus illā particulā. *Proprissimè.* Additam fuisse á D. Thoma, vt significaretur proprietas assumptionis Personalis: quia alio modo minùs proprio etiam natura potest assumere, vt ostendetur articulo sequenti.

2 Præterea. Circa responsionem ad secundum obseruandum est, D Thomam ibidem descripsisse artificiosè incommunicabilitatem Personæ, quam in hoc esse positam, docet, vt de pluribus suppositis prædicari non possit. Ad cuius intelligentiam, adnotare oportet, quācumque naturam, etiam si particularis sit, & indiuidua, etsi de inferioribus prædicari non possit secundùm Aristotelem, posse tamen de pluribus suppositis prædicari. etenim natura Diuina de facto in tribus Personis subsistit, & de illis prædicatur. Natura verò creata de potētia Dei absoluta potest de pluribus suppositis prædicari, in illisq́, subsistere, quia omnes tres Personæ potuissent hanc humanitatem, cum suis accidentibus assumere, & tunc hæc humanitas in concreto, idest, hic homo, de illis tribus Personis prædicaretur. Suppositū etiam, siue persona, in pluribus naturis subsistere potest. Suppositum, quidem Diuinum in multis naturis substantialibus, persona verò creata in multis accidentalibus. Sola igitur Persona per nullam potentiam etiā absolutā Dei potest de pluribus personis prædicari, videlicet, de se, & de alijs. Vnde constat, exactissimam esse descriptionem D. Thomæ. Circa eandem solutionem ad secundum duæ se se offerunt Disputationes.

PRIMA DISPVTATIO.

AN Persona creata propria virtute, & potentia possit in aliena natura substantiali subsistere, vt Angelus. V.G. in natura humana, ita vt esset homo. Affirmatio sic probatur. Primò. Angeli propria virtute multoties assumunt corpora, vt patet ex sacris literis: sed assumere est ad propriam subsistentiam & personam aliquid sumere, vt ostensum est supra. q. 2. art. 8. Ergo Angeli propria virtute possunt subsistere in aliena natura corporea. 1

Confirmatur. Angeli in corporibus assumptis, loquebantur, edebant, & alias vitales exercebant operationes: sed nullam actionem vitalem poterant exercere, nisi essent supposita in corporibus assumptis subsistentia; ergo. 2

Secundò. Suppositum naturæ superioris, & perfectioris continet virtutem & perfectionem suppositi naturæ inferioris: ergo potest vicem illius supplere, & sustentare naturam inferiorem, & ex consequenti Angelus poterit sustentare naturam humanam, & quamcumq́ue aliam inferiorem. Consequentia patet, & probatur antecedens, quia illud, quod est perfectius, & superius, continet, quicquid perfectionis est in inferiori, & minùs perfecto. 3

Tertiò. Non arguit minorem virtutem sustentare aliquam naturam causaliter, quàm formaliter; sed suppositum creatum propria virtute potest plura accidentia per suam subsistentiam causaliter sustentare; ergo etiam poterit plures naturas substantiales per eandem subsistentiam formaliter sustentare. 4

Circa hanc difficultatem Tertullianus lib. de Carne Christi cap. 4. & 6. & lib. 3. contra Martionem cap. 9. asserit, Angelos veram carnem assumpsisse, cùm apparuerunt Abrahæ, & Loth, & aliàs eamq́; vniuisse sibi hypostaticè, non secus ac caro Christi Verbo Diuino hypostaticè fuit vnita. Quidam alij, quos D. Hieronymus in Comment. ad caput. 1. Aggæi, & in præfatione in Malechiam suppresso nomine refert, dixerunt, Ioannem Baptistam, Malachiam, & Aggæum fuisse Angelos in carne assumpta. Idem præfatione citata refert Hieronymus sensisse Originem de Ioanne Baptista, & Malachia. Et subdit Hieronymus. *Nec mirum hoc de Angelis credi, cùm pro salute nostra Filius Dei corpus nostrum assumpserit.* Et de Melchisedech dixerunt quidam hæretici, fuisse Angelum in assumpto corpore humano. Et D. Hieronymus Epistola. 126. ad Euagrium refert, Originem, & Didymum id sensisse de Melchisedech. Nihilominùs sit Conclusio. 5

Nullum suppositum creatum potest propria virtute, & secundùm potentiam naturalem subsistere in aliena natura substantiali. Probatur. Subsistentia, & Personalitas creata limitatur, & finitur per ordinem ad propriam naturam, tanquam per potentiam, & materiam propriam; ergo non potest se extendere ad alienam naturam. Antecedens probatur: quia subsistentia, & natura se mutuò determinant, & finiunt in diuersis generibus causarum, natura quidem in genere causæ materialis terminat, & limitat subsistentiam; subsistentia verò in genere causæ formalis limitat, & terminat essentiam. 6

Secundò.

7 Secundò. In mysterio Incarnationis factum est maximum miraculum, vt clamant omnes sancti, & præsertim D. Augustinus Epistola. 3. ad Volusianū dicens, in hoc mysterio totam rationem facti esse potentiam facientis, sed si Angelus, vel aliud suppositum creatum posset subsistere in aliena natura, non esset opus Incarnationis maximum miraculum, imò verò neque esset miraculum: ergo. Probatur minor: quia suppositum creatū vt Angelus, propria virtute miracula facere nō potest, vt docet D. Thomas. 1.p.q. 100.art. 2.& 4. Neq; materia corporea ei obedit ad nutum, neque etiam potest rerum naturas mutare, nisi applicando actiua passiuis.

8 Tertiò. Mysterium Incarnationis ratione naturali demonstrari non potest, vt ostensum est supra q. 1.art. 1.ergo multò minùs intelligi, & demōstrari potest ratione naturali, suppositum creatum posse alienam naturam sustentare, neque in tota natura est potentia ad id faciendum.

9 Ad primum igitur argumentum Resp. ex D. Thoma. 1.p.q. 51.art. 2.ad. 2. Angelos in corporibus assumptis non subsistere hypostaticè, & personaliter, sed ea sibi vniuisse, vt mobilia motoribus, & ideò accidentariò illis fuisse coniuncta. Assumunt autem ea corpora ad sui repræsentationem, vt personæ assumentes per ea repræsentarentur. Quò fit, vt intelligentia mouens cælum, non dicatur ea lum assumere, quia licèt vniatur illi tanquam motor mobili, non tamen per illud repræsentatur, vt in eo appareat, quasi personam Angeli sustineat.

10 Fit secundò, vt Angelus, qui fauces & linguam Asinæ Balaam mouebat ad loquendum, non dicatur assumpsisse corpus, fauces, aut linguam illius, eò quòd non intenderit in illis prædicto modo apparere, neque etiam Dæmon cum per serpentem loquutus est, & decepit Euam, assumpsit serpentem, neque Energumeni, qui à Dæmone torquentur, & lamiæ, aut alij, qui ab eodem deferuntur interdum de loco in locum, dicuntur à Dæmone assumi, quia cùm Dæmon in illis corporibus aliquid operetur, non tamen in eis apparet, ita vt referant, & sustineant personam Dæmonis, quod ad istam corporis assumptionem est necessarium.

11 Ad confirmationem Resp. Angelos in corporibus assumptis non posse exercere opera vitæ, sed aliquid operibus vitæ simile. Vnde cùm mouent membra corporis assumpti ad modum motus progressiui, ille motus non est actio vitalis, cùm non fit à principio vitæ intrinseco, sed extrinseco, neque propriè est motus progressiuus, sed translatitiè, & per similitudinem, ad verum motum progressiuum, qui est opus vitæ. Quare methaphoricè sumitur gressus, & ambulatio Angelorum Genes. 18. vbi dicitur. *Cùm ergo surrexissent inde, direxerunt oculos contra Sodomam, &

12 Abraham simul gradiebatur deducens eos.* Item possunt Angeli formare sonos similes vocibus, & de facto formauerunt in corporibus assumptis: edere tamen illos sonos, neque est actio vitalis, cùm non fiat à principio vitæ intrinseco corporibus assumptis: neque est propriè loqui, sed methaphoricè, & similitudinariè. Rursus possunt terere cibum in corporibus assumptis, & illum in partem interiorem transmittere, sicut fecit Raphael, dum comitabatur Thobiam, sed illud opus neque fuit opus vitæ, neque vera comestio, vt ipse Angelus dixit Thob. 12. *Cùm essem vobiscum, videbar quidem manducare, & bibere, sed egò potu inuisibili, & cibo vtor.* Etenim comedere est motu animali maxillarum, linguæ, & faucium terere, & transmittere cibum in eam partem, in qua natus sit conuerti in substantiam viuentis, quod pascitur, siue conuertatur, siue non. Talis autem non fuit comestio Angelorum, ac proinde similitudine tantùm, & translatitiè dicebantur comedere.

Ad secundum negatur antecedens, quia solus Deus propter suam infinitatem continet, vel formaliter, vel eminenter omnes aliarum rerum perfectiones: res verò creata, quantumuis sit altera perfectior, non continet formaliter, virtualiter, aut eminenter illius perfectionem, nam perfectiones creatæ contra se inuicem distinguuntur. Secūdò, negatur consequentia, quia licèt demus, perfectius continere perfectionem minùs perfecti, cùm tamen suppositum sit limitatum, & finitum per propriam naturam, nequit aliam etiam inferiorem sustentare. 13

Ad tertium Resp. subsistentiam formaliter communicatam naturæ humanæ, cùm se habeat veluti forma, & actus respectu naturæ, limitari & finiri per ipsam naturam, sicut actus & forma per propriam potentiam & materiam. At verò subsistentia causaliter sustentans aliquam formam accidentariam, habet se respectu illius tanquam causa efficiens respectu sui effectus. Causa autem efficiens nō limitatur à suo effectu, sed potest effectus multiplicare, & ita forma vnam duntaxat materiam actuare potest, agens verò plures effectus producere. Vnde constat, subsistentiam posse plura accidentia virtualiter sustentare, non tamen formaliter, nisi propriam naturam. 14

SECVNDA DISPVTATIO. §. I.

AN De potentia Dei absoluta, & virtute supernaturali possit suppositum creatum in aliena natura subsistere, ita vt Angelus V.G. per virtutem supernaturalem in ipso receptam, possit naturam humanam sustentare, & fieri homo. Affirmatio sic suadetur.

Primò. Si sustentare naturam alienam esset propriū Dei, ita vt creaturæ communicari non posset, id esset propter infinitatem Diuinæ Personæ, quæ ad alienam naturam sustentandam requiritur; sed hoc non obstat, quia si Persona Diuina esset infinita, sequeretur, aliquā perfectionem esse in vna persona, quæ non in alia, nam Filiatio V.G. quæ est personalitas Filij, non est in Patre, ergo si hæc est infinita perfectio, aliqua perfectio infinita est in Filio, quæ non est in Patre, & ex consequenti Pater non esset infinitè perfectus, cùm desit illi aliqua perfectio, imò infinita perfectio. 1

Confirmatur primò. Persona Diuina, vt formaliter est persona, nullam dicit perfectionem, constituitur enim formaliter in ratione personæ per relationem; sed terminat alienam naturam formaliter, quatenùs est persona; ergo terminare alienam naturam non est infinitæ perfectionis. 2

Confirmatur secūdò. Non est necessaria maior perfectio in forma, quàm in effectu formali talis formæ sit: sed in effectu formali prouenienti ex terminatione naturæ facta per alienum suppositum non includitur infinita 3

infinita perfectio, sed certus, & determinatus gradus cõmensuratus supposito, resultanti ex tali vnione. ergo neque etiam est necessaria infinita perfectio in persona terminante, quæ se habet per modum actus, & formæ respectu terminantis.

4 Confirmatur tertiò. Si infinitas Diuinæ Personæ esset ratio terminandi alienam naturā, sequitur, quod terminare conueniat personæ ratione essentiæ; sed cõsequens est falsum, vt ostendetur articulo sequenti; ergo. Probatur sequella. Infinitas conuenit essentiæ primò & per se, & ratione ipsius: personæ verò competit ratione essentiæ; sed persona ratione infinitatis terminat alienam naturam: ergo ratione essentiæ.

5 Secundò. Quicquid non implicat contradictionem, potest effici à Deo, sed non implicat quòd suppositum creatum sit in aliena natura, eamq; sustentet naturas: ergo. Minor probatur, quia non implicat ex parte naturæ, cum illa sit separabilis à proprio supposito, & consequenter de se sit in potentia obedientiali, vt vniatur cuiuis illam terminare potenti: nec etiam repugnat ex parte suppositi creati, quia ad hoc non est necessaria virtus & perfectio infinita, cùm iste effectus terminandi non sit tam excellens, vt illam requirat: ergo.

6 Confirmatur. Non implicat, personalitatem creatam conseruari à Deo separatam à sua propria natura, cùm inter se realiter distinguantur; ergo potest Deus ponere illam in aliena natura, V.G. personalitatem, quæ deberet esse in humanitate Christi, in natura Petri impediendo ibi personalitatem Petri. Ergo natura creata potest terminari personalitate creata aliena, saltem per separationem à propria natura.

7 Tertiò. Deus potest eleuare sanctos, & illis virtutem conferre ad facienda miracula, confert etiam virtutem Sacramentis, vt gratiam causent in anima, & similiter potest eleuare corpus, vt agat in spiritum, vt ignis corporeus inferni torquet & affligit Dæmones, & animas ibi commorantes; ergo potest eleuare etiam sua omni potentia suppositum creatum, vt subsistat in aliena natura.

8 Quartò. Magis distat humana natura à Persona Diuina, & minorem habet proportionem cū illa, quàm distat à persona Angelica; sed Persona Diuina potest subsistere in natura humana: ergo etiam potest eleuare personam Angelicam, vt in illa subsistat. Antecedens patet, quia natura quæcumque creata infinitè distat à Persona Diuina, ab alia verò persona creata finitè tantum distat. Consequentia autem probatur: quia ea, quæ minùs distant, faciliùs aptantur, & cohærent.

9 Quintò. Sequitur ex opposita sententia, quòd Angeli cognouerint Christum esse Filium Dei, & verū Deum: sed consequens est falsum, & contra sententiam D. Thomæ, ergo. Probatur sequella. Angeli euidenter cognoscebant, humanitatem Christi carere propria subsistentia, & personalitate, quia cognoscunt naturas rerum creatarum perfectè à prima potentia vsque ad vltimū actum: vous autem actus naturæ, & præcipuus est subsistentia, at si est verum, quòd suppositum creatū etiam per Diuinam potentiam nequit alienam naturam sustentare, id etiam Angeli euidenter cognoscerent; ergo euidenter colligerent, illam naturam in supposito Diuino sustentari.

10 Sextò. Secundùm naturam rei tantum dependet accidens à subiecto, quantum natura à proprio supposito pendet: sed Deus potest conseruare accidens sine subiecto, vt planè constat in Eucharistia; ergo potest conseruare naturam in alieno supposito.

11 Septimò. Deus potest eleuare intellectum, vt per lumen naturale nulla superaddita virtute Deum clarè intueatur; ergo poterit etiā eleuare personalitatem creatam, illi nullam virtutem superaddens, ad hoc vt naturam alienam possit terminare.

12 Octauò. Non requiritur infinita perfectio in personalitate, vt alienam naturam terminet: ergo benè potest conuenire personalitati creatæ terminare alienam naturam. Consequentia patet, quia saltem Diuina virtute potest entitas creata cõcurrere ad id, ad quod perfectio, aut virtus infinita nō requiritur. Antecedens verò probatur: quia terminare alienam naturam non est infinitè maius, quàm terminare propriam: sed ad terminandum propriam non requiritur infinita perfectio; ergo neque ad terminandum alienam.

13 Confirmatur primò; quia vt idem numero accidens informet subiecta distincta numero, & vt idem corpus distincta loca occupet, non requiritur virtus infinita in tali accidenti, aut corpore, sed sufficit, quòd Deus, qui hoc facit, habeat infinitam virtutem, & non sit repugnantia ex parte ipsius rei: ergo similiter vt eadem numero personalitas creata terminet distinctas naturas, non requiritur infinita virtus in ipsa personalitate, sed in Deo. Confirmatur secundò: quia Personalitas Verbi terminat humanitatem, & non ratione infinitatis; aliàs sicut hæc infinitas est communis tribus Personis, sic etiam esset eis commune terminare illam humanitatem: ergo ad terminandum alienam naturam non requiritur infinita virtus, aut perfectio in personalitate terminante.

14 Nonò. Deus potest conseruare humanitatem sine propria personalitate, vt constat ex mysterio Incarnationis: ergo potest eam vnire alienæ personalitati creatæ. Probatur cōsequentia, quia Deus humanitatem separatam à propria personalitate potest vnire personalitati alienæ increatæ; ergo & creatæ. Patet ista consequentia: quoniam minor est distantia, & ex consequenti maior proportio inter humanitatem & personalitatem creatam (tametsi alienam) quàm inter eandem humanitatem, & personalitatem Diuinā: ergo si Deus potest vnire humanitatem cum Personalitate Diuina, etiam poterit eam vnire cum creata personalitate, licèt sit aliena.

15 Decimò. Deus potest separare creatam personalitatem à natura, cui est connaturalis: ergo poterit eam vnire alteri naturæ, cui non sit connaturalis, sed extrinseca. Consequentia patet: quia neque ex parte personalitatis, neque ex parte naturæ seiunctæ à propria personalitate est aliquid repugnans huic vnioni. Antecedens verò probatur. Magis pendet natura à propria personalitate, quàm è contrario personalitas à natura; quia natura pendet à personalitate, vt ab actu, & personalitas pendet à natura, vt à potentia: sed natura potest conseruari à Deo separata à propria personalitate: ergo etiam personalitas poterit conseruari separata à propria natura. Tum etiam, quia dependentia, quam habet personalitas creata à propria natura in suo esse, nō pertinet ad genus causæ materialis intrinsecæ, nec formalis

inalis inhærentis, aut informantis: ergo potest suppleri à Deo: & ex consequenti potest personalitas creata conseruari à Deo independenter à propria natura, atq; adeò separata ab ea. Patet consequentia; quia propter hanc rationem dicimus accidentia panis in Eucharistia conseruari, separata à substantia panis.

16 Vndecimò. Diuina virtute fieri potest, vt natura accidentalis habeat modum essendi, qui non sit ipsi connaturalis, & proprius: ergo etiam fieri potest, quòd natura substantialis habeat modum subsistendi, qui non sit ipsi connaturalis, & ex consequenti, quòd terminetur personalitate aliena, & extranea. Consequentia patet: quia non est minor connexio inter naturā accidentalem, & suū modum essendi, quàm inter naturàm substātialem, & suum modum subsistendi: si ergo fieri potest Diuina virtute, vt natura accidentalis recipiat modum essendi extraneum, eadem etiam virtute fieri poterit, quòd natura substantialis recipiat modum subsistendi extraneum. Antecedens verò probatur: nam quantitas panis in Sacramento altaris vel de facto habet receptum à Deo modum essendi substantialem, ratione cuius non solùm non inhæreat actu, sed etiam sit vt, Quod, & operetur vt, Quod: sicut vult Caietanus infra q. 77. art. 4. & conceditur ab alijs Theologis, asserentibus, accidentia, eùm sunt vnita substantiæ, non existere per existentiam ipsius substantiæ: aliàs concedendum esset, manere post consecrationem existentiam substantiæ panis, vt concedit M. Bañes. 1. p. q. 4. art. 1. Dubio. 2. ad. 3. & dicit esse probabile: vel saltem potest natura accidentalis recipere à Deo talem modum essendi, vt communiter recipitur à Theologis: ergo &c.

17 Confirmatur, quia saltem negari non potest, posse produci à Deo immediatè, hoc est, sine concursu alicuius naturæ creatæ, personalitatem quandam, quę in ipsa productione vniatur alicui naturæ, cui non sit connaturalis, sicut dicebamus de nouo modo essendi creaturę accidentariæ communicato. Ergo saltem in isto casu personalitas creata terminabit alienam naturam substantialem.

Obseruationes. §. II.

18 PRO resolutione huius difficultatis aduertendū est, eam posse in duplici sensu disputari. Primus est, An persona creata possit esse principium actionum assumptionis naturæ creatæ ad extraneam personalitatem creatam. Secūdus est, verùm persona creata possit esse terminus talis assumptionis, ita vt per propriam personalitatem, à quacumque fuerit natura assumpta, ipsam terminet & sustentet. Secundò aduertendum est, quòd cùm suppositum terminat aliquam naturam, non terminat illam instrumentaliter, tum quia terminare naturam nullam dicit efficientiam, vel actiuitatem; aliàs non posset Personæ Verbi præcisè conuenire, sed necessariò deberet etiam conuenire alijs personis, nempe, Patri, & Spiritui Sancto: omnis enim actiuitas ad extra tribus Personis necessariò conuenit. Instrumentum autem est proprium causæ efficientis, aut agentis aliquo modo, ita vt ratio instrumenti nisi in ordine ad aliquam actionem intelligi non valeat. Tum etiam, quia ille dicitur principaliter terminans naturā, qui suum esse illi tribuit, & per propriam personalitatem terminat illam, facitq; incommunicabiliter subsistentem. Vnde si suppositum creatum terminat naturam, & per propriam personalitatem facit eam incommunicabiliter subsistentem, necessariò erit causa principalis terminationis, & erit principale sustentans, & terminans naturam. Si enim terminaret tantùm instrumentaliter, terminatio non tribueretur illi, sed Deo, atque adeò natura non subsisteret in personalitate creata, sed Diuina, quod fieri non posset nisi per vnionem hypostaticam. De priori igitur sensu quæstionis Disputatum est supra quæst. 2. art. 10. Disput. 1. In secundo 19
verò sensu Scotus in. 3. d. 1. q. 4. reijcit rationem D. Thomæ propter primum argumentum propositum, & de conclusione dubius est, & anceps, nullam partem definiens, licèt in affirmatiuā propendere videatur. Ocham verò in. 3. d. 1. q. 1. Concedit partem affirmatiuam, quia neque repugnat ex parte Dei, neque ex parte creaturæ assumentis, neque naturæ assumendæ. Eandem amplectitur Almainus in. 3. d. 1. q. 2. Gabriel ibidem art. 3. Maior q. 5. & Bellarminus tomo. 1. lib. 3. de Romano Pontifice cap. 12. Nihilominùs pro explicatione sit Prima Conclusio.

Prima Conclusio. §. III.

DIVINA Persona secundùm rationem suæ personalitatis est formaliter infinita, & ideò potest in aliena natura subsistere. Probatur prima pars. Diuina Persona in sua ratione formali includit subsistentiam; sed subsistentia est perfectio simpliciter; ergo Diuina Personalitas est perfectio simpliciter. Sed omnis perfectio simpliciter est in Deo infinita formaliter; ergo Diuina personalitas est formaliter infinita. Maior patet; quia personalitas est intrinsecè constitutiua personæ subsistentis incommunicabiliter. Minor verò probatur. Subsistentia non solùm est perfectio, sed etiam maxima perfectio: ergo est perfectio simpliciter. Patet consequentia, quia in vnoquoque melior est ipsa, quàm non ipsa. 19

Sed obijcitur. Personalitas est relatio; ergo non est perfectio simpliciter. Patet consequentia quia relatio, vt relatio, neque dicit perfectionem, neque imperfectionem. Ad hoc argumentum responsum est supra quæst. 2. artic. 2. Disput. 4. in responsione ad primum. 20

Secunda pars conclusionis est manifesta, quia sustentare alienam naturam hypostaticè, exigit infinitatem in sustentante, vt docet D. Thomas hic: ergo si sola Diuina Persona est infinita, sola potest sustentare naturā alienam. 21

Secunda Conclusio. §. IIII.

DE Potentia absoluta fieri non potest, vt persona creata sit terminus assumptionis extraneæ naturę, ita vt eā hypostaticè sustentet. Hęc conclusio est Caietani in hoc articulo, & Durandi in. 3. d. 1. q. 5. Et videtur esse expressè D. Thomæ in responsione ad secundum: cuius ratio sic colligitur. Ad subsistendum in extranea natura requiritur personalitas infinita, sed nulla persona creata potest esse infinita, etiā de potentia Dei absoluta, sed hoc est proprium Diuinæ Personæ: ergo. Consequentia cum minori patet, sed probatur maior. Persona, quæ potest subsistere in aliena natura, & in duabus naturis, eādem ratione poterit 22

subsistere in infinitis sine termino, idest, non in tot, quin in pluribus sed posse subsistere in infinitis naturis arguit infinitam virtutem; ergo requiritur personali-
23 tas infinita. Hæc maior probatur. Si persona non limitatur & finitur per propriam & determinatam naturam, non est maior ratio quòd finiatur, & limitetur per duas naturas, quàm per tres, vel quatuor, & sic de alijs, ergo si potest subsistere in duabus naturis, poterit eodem iure in infinitis, præsertim cùm virtus & potentia infinita, quę illam personam eleuat ad subsistendum in extranea natura, non finiatur, neq; terminetur. Minor verò huius rationis probatur. Posse subsistere in vna natura est aliqua perfectio, subsistere autem in duabus est maior perfectio, quàm in vna, & sic de alijs: ergo subsistere in naturis absque fine & termino, erit perfectio illimitata, & infinita.

24 Confirmatur. Licèt actu terminare naturam non dicat aliquam nouam perfectionem, posse tamen terminare aliquam naturam, dicit perfectionem in persona, sicut quòd color actu terminet meam visionem, nullá dicit perfectionem in ipso: quòd tamen possit terminare visionem, dicit in illo perfectionē: ergo si posse terminare propriā naturam, dicit perfectionem, posse alienā terminare dicit maiorem perfectionem, & posse terminare infinitas, dicit infinitam perfectionem. Qua verò ratione posset persona creata vnam extraneam naturā terminare, posset etiam infinitas.

25 Secundò. Si persona creata posset terminare alienam naturam, terminaret, vt causa principalis, vel vt instrumentalis sed neutro modo potest: ergo. Probatur minor. Non vt causa principalis, quia personalitas creata V.G. humana intrinsecè & essentialiter specificatur à natura humana, quam respicit, tanquam proprius terminus illius; ergo implicat, personam humanam per talem personalitatem principaliter terminare alienam naturam. Quòd verò nequeat instrumentaliter terminare, iam probatum est in obstruatione præmissa ante primam conclusionem. Id enim, quod suum esse alienæ naturæ communicat, necessariò se habet tanquam principale terminans: alias Deus esset, qui terminaret, &
26 non persona creata. Confirmatur. Vnio personalis nō fit aliquo medio accidenti, quia est vnio substantialis; ergo si persona creata terminaret alienam naturam, non terminaret mediante aliquo accidenti superaddito, etiam supranaturali, sed immediatè per suum esse substantiale, nam terminare aliquam naturam personaliter, est illi communicare esse personale per propriā virtutem, & per proprium esse: atque adeò non terminaret vt instrumentum Diuinæ virtutis eleuatum per aliquam accidentariam formam, aut motionem supernaturalem.

27 Tertiò probatur conclusio ratione Durandi in. 3. d. 1. q. 1. num. 7. Virtus naturalis terminatiua essentiæ, quam habet quodcumq; creatum suppositum, ex se nō est naturaliter sufficiens ad terminandam alienam naturam, nec supranaturaliter potest illi communicari talis sufficientia: ergo suppositum creatum nulla ratione potest terminare alienam naturam. Consequentia est euidens. Et antecedens probatur quò ad priorem partem: quia aliàs talis terminatio esset merè naturalis, & ex consequenti vnio hypostatica talis naturæ cum huiusmodi supposito, esset factibilis ab agente naturali; agens enim naturale potest effectiuè vnire extrema inter se naturaliter coapsata. Quòad posteriorem verò 28
probatur. Si virtus terminatiua communicaretur personalitati supernaturaliter à Deo, vel talis virtus esset aliquid substantiale, vel accidentale, vel esset extrinseca eleuatio, siue per modum motionis, siue per modum subordinationis, sicut instrumenta iuxta varias opiniones ad productionem effectuum supernaturaliū à Deo eleuari dicuntur: sed primum dici non potest; quia illa virtus, quæ esset aliquid substantiale, vel adderetur per- 29
sonalitati extrinsecè tantùm, nempe, per appositionem, vel coniunctionem, & sic personalitas præexistens non posset per eam terminare naturam quia personalitas non terminat nisi per aliquid sibi intrinsecum: vel adderetur intrinsecè, ita vt personalitas redderetur intrinsecè, & secundùm suam entitatem perfectior substantialiter: hoc autem est impossibile: tum quia virtus illa ex suppositione esset supernaturalis, & entitas personalitatis esset naturalis: at entitas naturalis per substantiam supernaturalem intrinsecè perfici non potest, quia nequit cum ea identificari: tum etiam, quia substantia nō est capax intensionis; ergo perfici substantialiter non valet, nisi in aliam substantiam perfectiorem mutetur: & ex consequenti corrumpatur. Nec etiam potest dici 30
secundum; tum quia virtus accidentalis habet esse per inhærentiam: ergo nō potest esse ratio subsistendi per se. Tum etiam, quia terminare hypostaticè est aliquid substantiale: est enim effectus subsistentiæ intrinsecus, ab illa proueniens, vt est formaliter complementum substantiæ: ergo per virtutem accidentalem fieri non potest Si vero dicatur tertium, sequitur, quòd personalitas in eo casu supponeret vt instrumentum; quia non proportionaretur ad concursum supponendi per aliquid sibi intrinsecum per modum formæ, aut entitatis propriæ, sed tantùm per eleuationem; siue talis eleua- 31
tio consisteret in subordinatione ad extrinsecum agēs, siue in actuali motione, & vsu; at consequens videtur omninò falsum; quia de ratione instrumenti est, quod concurrat vt subordinatum alteri priori in eodem genere, sed in illo casu personalitas non cōcurreret ad terminationem naturæ, vt subordinata Deo, vt priori in eodem genere concursus; quia Deus non concurreret supponendo: ergo personalitas in illo casu non concurreret ad supponendum tanquàm instrumentum Dei. Confirmatur: quia in genere causæ materialis, & 32
formalis ob eam rationem non datur concursus instrumentalis, quia nihil potest concurrere vt materia, vel forma, quod in eodem genere subordinetur alteri priori; & hoc est maximè verum in Deo, cui repugnat concurrere per modum materiæ, aut formæ propriè sumptæ.

Hanc rationem Durandi sic explicatam conantur 33
nonnulli labefactare, dicentes in ea supponi aliquid falsum, nempe, personalitatem creatam egere augmento virtutis terminatiuæ ad terminādum alienam naturā, quod quidem falsum esse arbitrantur: quia sicut in personalitate requiritur virtus terminatiua ad terminandum naturam: sic etiam requiritur virtus informatiua in forma substantiali ad informandum materiam, & in forma accidentali ad informandum suum subiectū: sed vt eadem forma substantialis informet simul duas materias, aut idem accidens dúo subiecta, non oportet 34
augeri

augeri in eis virtutem informatiuam:ergo ſimiliter vt
eadem perſonalitas terminet ſimul propriam naturam,
& alienam,non oportet augeri in ea virtutem termina
tiuam. Minor probatur,quia vt forma aliqua ſiue ſubſ-
tantialis, ſiue accidentalis informet ſubiecta diſtincta,
duo tantùm requiruntur:nempe,quod ipſis ſubiectis ita
coniungatur,vt ab eis realiter ſit indiſtans : & ſimiliter
quòd actu concurſum informandi circa ſubiecta, qui-
bus eſt vnita,exerceat: ſed ad neutrum requiritur auge-
35 ri in ipſa virtutem:quorum primum probatur; quoniã
vt accidens, quod eſt in me, alteri ſubiecto ſimul con-
iungatur,& anima mea alteri corpori; non eſt neceſſa-
rium addi aliquam virtutem, aut perfectionem animæ
ſeu accidenti, ſed ſufficit virtus infinita in Deo, & po-
tentia obedientialis; ſiue non repugnantia in ipſis for-
mis;ſicut ſufficit eadem virtus Dei cum non repugnan-
tia ex parte corporis, vt idem corpus in diſtinctis locis
36 conſtitui queat. Secundum etiam probatur; quia facta
vnione formę cum ſubiecto,nulla virtus in ipſa forma
requiritur, vt tale ſubiectum informet: quoniam iſte
effectus nihil eſt aliud,quàm formam dare ſeipſam ſub-
iecto,ad quod noua, vel maior virtus in forma non re-
quiritur,ſed ſufficit noua vnio cum materia: ſicut vni-
uerſaliter ad eam cauſalitatem, quæ in propriæ entita-
tis communicatione conſiſtit, non requiritur virtus
aliqua ex parte talis cauſę, ſed ſufficit approximatio re-
quiſita: vt materia & forma, ſuppoſita earum vnione,
nulla indigent virtute,vt totum componant; & punc-
tus,ſuppoſito quòd diuerſis lineis vniatur, ad eas termi-
nandas nulla virtute eget.
37 Nihilominus hoc argumentum, quamuis ſit appa-
rens, rationem prædictam non labefactat, poteſtq; ſic
impugnari. Terminare dependentiam naturæ, in per-
ſonalitate eſt aliquod cauſalitatis genus:ergo præſup-
ponit in ipſa perſonalitate virtutem terminatiuã, pro-
portionatam,& ſufficientem. Sed in noſtro caſu perſo-
nalitas creata hanc virtutem habere non poteſt reſpec-
tu naturæ extraneæ, ſibi à Deo ſupernaturaliter com-
municatã,vt oſtenſum eſt:ergo habet illã ex natura ſua.
Et vlteriùs: cùm non ſit maior ratio de vna natura,
quàm de alia,ſuppoſito quòd omnes ſint extraneæ; cõ-
cluditur neceſſariò, ex natura ſua habere virtutem pro-
portionatam ad terminandum quamcumq; naturam.
38 Sed virtus terminatiua,quę de ſe eſt proportionata reſ-
pectu cuiuſcumq; naturæ, eſt illimitata in hac ratione:
ergo ex eo quòd creata perſonalitas alienam naturam
terminare poſsit, ſequitur,quòd habeat virtutem termi
natiuam illimitatam,& infinitam. Exemplum autem
de formis adductum, non obſtat:nam idem argumen-
tum fit de illis, quantùm ad informationem hoc mo-
39 do. Informare ſubiectum,eſt aliquod cauſalitatis genus
in forma informante,ſiue ſubſtantiali,ſiue accidentali:
ergo præſupponit in ipſa forma virtutem proportio-
natam,& ſufficientem. Sed hanc virtutem nequit ha-
bere forma à Deo ſibi ſupernaturaliter communica-
tam:ergo habet eam ex natura ſua. Si ergo forma ali-
qua poteſt diſtincta ſubiecta informare, & ex conſe-
quenti infinita,ſequitur, quòd habeat virtutem infor-
matiuam,illimitatam,& infinitam.
40 Ad obiectionem autem contra hoc factam Reſp.
quòd licèt ad hoc, vt forma aliqua ſit coniuncta, aut
præſens ſecundùm ſuam entitatem diſtinctis ſubiectis;
non requiratur ex parte ipſius virtus aliqua; ſed ſuffi-
ciat non repugnantia in ipſa,& virtus effectiua in Deo:
nihilominus tamen ad informandum illa ſubiecta ne-
ceſſariò requiritur virtus in ipſa forma. Et ratio diſcri-
minis eſt manifeſta;quia habere illam coniunctionem,
ſiue præſentiam reſpectu diuerſorum ſubiectorum, nõ
eſt aliqua cauſalitas ex parte formæ. At verò informa-
re ſubiecta,eſt cauſalitas ex parte ipſius formæ. Et ideò
quamuis ad primum non requiratur virtus in forma,
non ſequitur, quòd etiam ad ſecundum non requi-
ratur.
Ad id,quo oppoſitum probatur, Reſp. quòd licèt in- 41
formatio non ſit aliud, quàm datio, ſiue communica-
tio ipſius formæ ſecundùm ſuam entitatem;non ſequi-
tur, quòd ex parte non requiratur virtus, & propor-
tio aliqua ad huiuſmodi dationem: quoniam datio
hæc; & communicatio non eſt datio in genere cauſæ
efficientis,ad quã ex parte rei datæ non requiritur cau-
ſalitas,ſed eſt datio in genere cauſæ formalis, ad quam
requiritur cauſalitas, cuius principium ſit ipſa forma,
quæ datur: non enim datur hoc modo formá alicui
ſubiecto; niſi circa ipſum aliquam cauſalitatem exer-
cendo,nempe,continendo,aut actuando, & informan-
do ſubiectum. Quare falſum eſt,ad cauſalitatem, quæ 42
in propriæ entitatis communicatione conſiſtit, non
requiri virtutem in cauſa. Eſt autem hoc diſcrimen in-
ter iſtam cauſalitatem, & eam, quæ conſiſtit in com-
municatione effectus,à cauſa realiter diſtincti,cuiuſmo
di eſt cauſalitas cauſæ efficientis: quòd ad primam vir-
tus requiſita non diſtinguitur realiter à cauſa princi-
pali,ſed èſt entitas talis cauſæ, vt proportionata in or-
dine ad illam cauſalitatem. At verò virtus requiſita ad
ſecundam,eſt aliquid diſtinctum à cauſa principali,quę
eſt ſubſtantia creata.
Ad exempla autem in argumento adducta Reſp. ter- 43
minationem linearum per eundem punctum produc-
tam,non eſſe aliquam cauſalitatem. Et ideò non mi-
rum, ſi ad eam ſufficiat coniunctio puncti cum lineis
ſine aliqua virtute cum ipſo puncto. Communicatio
autem materiæ,& formæ, cuius interuentu fit compo-
ſitio totius,requirit cauſalitatem materialem, & ideò
ſine aliqua virtute in materia & forma componenti-
bus nunquàm fit. Explicatur autem hoc exemplo.
Quamuis Angelus coniungatur, & fiat præſens mate- 44
riæ primæ tam immediatè, ſicut forma ſubſtantialis,
non conſtituit cum ea aliquod compoſitum propter
defectum virtutis informatiuæ. Et ſimiliter licèt Deus
penetratiuè cõſtituat duo corpora in eodem loco,atq;
adeò faciat vtramq; formã eſſe coniunctam vtriq; ma
teriæ; non ideò vtraq; formã informabit vtramq; ma-
teriam. Hoc exemplo vtitur Gregorius in. 1. d. 18. q. 2.
in. 18. argumento.
Sed obijcitur. Naturaliter impoſsibile eſt, formam 45
informatiuam eſſe immediatè coniunctam alicui ma-
teriæ,ſuæ informationis capaci,& illam non informa-
re:ergo ſatis eſt, formam informatiuam vniri virtute
Diuina alicui materię capaci ſuæ informationis,vt ſta-
tim ſequatur naturaliter talis materiæ informatio. An-
tecedens probatur:quia ſicut agens naturale neceſſariò
operatur circa paſſum debitè approximatum,& deduc-
tis impedimentis, quia eſt cauſa naturalis; ita forma,
quia etiam in ſuo genere eſt cauſa naturalis, neceſſariò
informabit

informabit in nostro casu. Neque exempla sunt ad pro
positum,quia in primo forma non est informatiua, nā
est Angelus,& in secundo materia non est capax, quia
46 est informata per aliam formam substantialem. Resp.
antecedens tantùm esse verum, quando forma non so-
lum est absolutè informatiua, verùmetiam eius virtus
informatiua non est terminata per applicationem ad
subiectum sibi adæquatum: quoniam in isto casu ex
defectu virtutis in ipsa forma proueniet, quòd licèt sit
informatiua,non informet actu subiectum,cui est vni-
47 ta. Eodem modo Resp. ad probationem illius antece-
dentis,ex limitatione virtutis actiuæ in agente naturalē
prouenire posse, quòd licet tale agens applicetur alicui
passo proportionato,& reliqua impedimenta secludan-
tur,non operetur circa ipsum. Exempla autem adducta
sunt ad explicandum, qua ratione intelligi posit, for-
mam esse coniunctam materiæ, & ab ea realiter indis-
tantem, & tamen ipsam non informare: ad hoc verò
sunt satis apta. Et secundum non habet illum defectū,
qui in argumento proponitur; quia nulla redditur ra-
tio,propter quam defectus actualis informationis in eo
casu,ex incapacitate materiæ potiùsquàm ex defectu
virtutis in forma proueniat.In qua re deceptus est Fon
48 seca lib. 5. Methaphy.cap.4.q.4.sectio. 5. Vbi opinio-
nem,quæ asserit, Diuina virtute fieri posse, vt eadem
numero forma distinctas materias informet,inquit,esse
intelligendam duntaxat de materijs numero distinctis,
& non diuersis specie. Totam autem huius diuersitatis
rationem ad solam materiæ incapacitatem reducit:
cùm tamen illam ad improportionem ex parte forma-
rum meliùs reducere posset.Sed de hac difficultate,quæ
ad Philosophiam spectat, hæc obiter tetigisse sufficiat,
ad explicandum,qua ratione in personalitate ad exerci-
tium terminandi naturæ dependentiam virtus aliqua
requiratur, sicut in forma ad exercitium informandi
requiritur.

49 Quartò probatur conclusio ratione adducta à M.
Soarez in hac q.3.art.8.Disput.13.sectio.4 ad quā præ-
supponit duo.Vnum est, personalitatem creatam non
importare aliquam naturam, siue substantialem, siue
accidentalem,sed modum quendam naturæ, qui ab ip-
sā natura realiter non distinguitur,sicut vna res ab alia,
sed formaliter,sicut modus à re, cuius est modus, dis-
tingui solet. Alterum est, modum alicuius rei ab ipsa
realiter indistinctum,ab ea re,cuius est modus, separari
non posse,neq; aliam modificare: sicut figura licèt im
portet totalem rationem accidentalem in genere qua-
litatis; quia tamen habet rationem modi, & termini
quantitatis ab ipsa realiter indistincti,ab ea quantitate,
cum qua identificatur,separari non potest,neque aliam
50 quantitatem afficere,seu modificare. Et idem dicendū
est de relatione ,& sessione; tametsi vtraque rationem
totalem in suo genere importet. Quod quidem aper-
tius est in modis, qui in nullo genere totalem ratio-
nem important,sed modum,aut terminum rationis to
talis:vt inhærentia,qua vnum accidens inhæret subiec-
to,ab eo separari non potest, neq; esse alteri accidenti
ratio inhærendi. Et informatio vnius formæ substan-
tialis neque ab ea separari, neque alteri conuenire po-
test:& intensio vnius accidentis alteri accidenti attribui
51 non potest.Ex quibus colligitur hæc ratio. Subsisten-
tia creata essentialiter est quidam modus naturæ pro-
priæ omninò illi commensuratus, sed de ratione modi
est,vt rem à se realiter distinctam modificare nō possit:
ergo de ratione subsistentiæ creatæ est, vt solam natu-
ram,cuius est modus,terminare possit, & non aliam à
se realiter distinctam, quam nulla ratione potest mo-
dificare. Maior patet ex suppositione,& infra q.4.art.2.
constabit magis.Minor inductione patet, quia nequeūt
duo eàdem numero figura figurari, eàdem vnione vni-
ri,& eàdem relatione referri, & tandem eàdem inhæ-
rentia inhærere &c. Cuius alia ratio reddi non po-
test, nisi quòd modus ex natura sua sit essentialiter
commensuratus rei, cuius est modus, propter inti-
mam vnionem, & dependentiam, quam cum illa
habet.

Neque obstat obiectio, quam sibi proponit M. Sua- 52
rez,nempe. Subsistentia Diuina est modus Naturæ Di-
uinæ, & tamen potest alienam naturam terminare, vt
patet ex fide:ergo licèt subsistentia Angeli V.G. sit mo-
dus naturæ Angelicæ cum ea realiter identificatus,po-
terit nihilominùs alienam naturam terminare. Con- 53
firmatur:quia secundùm probabilem opinionem punc
tus est modus lineæ,& tamen potest plures,imò infini-
tas lineas terminare, si exempli causa à circunferentia
circuli ad centrum ducantur. Ergo non est de ratione
modi etiam creati, quòd vnam tantùm rem modificet.
Neque adducta exempla contrarium suadent: nā quòd
illi modi ibidem relati res alias modificare nō possint,
non prouenit ex natura modi absolutè sumpti, sed acci
dentis inclusi in illis.Implicat enim,quòd vnum nume-
ro accidens, siue modus sit, siue res distincta realiter,in
pluribus subiectis realiter distinctis recipiatur. Resp. 54
subsistentiam Diuinam,quamuis nostro modo intelli-
gendi sit modus Naturæ Diuinæ,& vt talis à nobis cō-
cipiatur; re vera esse perfectam rem, & infinitam sim-
pliciter,realiter,& formaliter cum ipsamet Essentia Di
uina identificatam: & ideò posse alienam naturam ter-
minare,non modificando,sed sustentando per modum
termini substantialis. Omnes verò modi creati sunt
imperfectissimæ entitates, non valentes existere sine re
bus,quarum sunt modi; nec tribuere suum effectum
formalem aliter quàm modificando. Punctus verò si
ponatur modus, necessariò dicendum est,partes vnitas,
& terminatas mediante illo non distingui inter se rea-
liter actu ,sed potentia tantùm. Non solùm autem re- 55
pugnat, duas quantitates realiter distinctas per vnam
numero figuram terminari,ex eo capite,quòd accidens
sit,sed præcipuè ex eo, quòd sit modus non distinctus
realiter.Qui enim tenent, accidentia non indiuiduari à
subiecto, concedent facilè, vnum numero accidens de
potentia Dei absoluta posse duo subiecta realiter dis-
tincta informare & tamen nemo concedet, duas quan-
titates realiter distinctas posse per vnam, & eandem fi-
guram intrinsecè terminari. Quare ista repugnantia
modificandi plura realiter distincta, prædictis modis,
non quà accidentia sunt, sed quà modi intrinseci, for-
malissimè competit. Vnde neq; substantiales modi pos-
sunt plura distincta modificare.

Sed obijcitur contra dicta. Si Deus in eodem loco 56
duo corpora penetratiuè constitueret, possent figurari
eàdem numero figura, & esse in loco per idem nume-
ro vbi intrinsecum, & referri per eandem numero rela
tionem distantiæ,sicut de facto omnia accidentia,quæ
substantiæ

substantiæ media quantitate inhærent, vt albedo, calor
&c. Licèt inter se, & à quantitate realiter distinguantur,
per eandem figuram cum quantitate figurãtur, & sunt
in loco per idem vbi, & per eandem relationem distan-
57 tiæ referuntur. ergo &c. Resp. in eo casu per nullam po-
tentiã fieri posse, vt duo illa corpora per eandem figurã
figurarentur, aut essent in vno loco per idem vbi intrin
secum, supposito quòd esse in loco sit modus intrinse-
cus rei locatæ, aut referrentur per eandem relationem
distantiæ. Cuius ratio est, quia omnia ista sunt modi, &
repugnat modificari, aut terminari distincta subiecta
58 totalia per eundem numero modum. Ad id verò, quod
obiicitur de quantitate, & reliquis accidentibus, quæ
eius interuentu inhærent substantiæ: Resp. quòd figura-
ri, esse in loco, & referri relatione substantiæ, solùm cõ-
ueniunt per se quantitati, & ratione illius reliquis acci-
dentibus conueniunt. Et ideò mirũ non est, si ad quod-
libet istorũ sufficiat vnus numero modus, qui per se pri
mò quantitati conueniat, & cum ea identificetur, & ra-
tione illius ad alia accidentia extendatur: sicut etiã prop
ter hanc rationem eadem numero extensio quantitati-
ua, si esset in ordine ad motum, siue in ordine ad locũ,
& idem numero motus localis sufficit pro substantia,
quantitate, & reliquis accidentibus materialibus.

59 Sed replicatur, quia in illo casu vtraq; quãtitas inhæ
reret cuilibet illorum corporum: ergo etiam vtraq; fi-
gura. Et ex consequenti per eandem figuram figurareu-
tur duo corpora distincta. Cõsequentia patet: quia figu-
ra identificatur realiter cũ quantitate, & ex consequenti
inhæret eidem subiecto, cui inhæret quantitas. Antece-
dens autem probatur: quia nulla potest assignari ratio
repugnantiæ: nam quæuis illarum quantitatum esset
æque indistans à quolibet illorum corporum, quia sup-
60 ponitur eorum penetratio. Et prætereà quæuis haberet
obedientialem potentiam ad inhærendum duobus cor-
poribus distinctis: sicut vna forma substantialis habet
potentiam obedientialem ad informandum duas mate
rias numero distinctas: & tandem vtrumq; corpus ha-
beret potentiã obedientialem ad sustentandũ duas quã-
titates numero distinctas, sicut eadẽ materia habet potẽ
tiã obedientialẽ ad sustentãdũ duas formas substãtiales:
quia nulla est ratio, ob quã eidẽ formæ cõcedatur obe-
dientialis potentia ad informãdũ materias distinctas, &
denegetur materiæ ad sustentandum formas distinctas.

61 Respondetur negando antecedens, & probationi di-
citur, esse repugnantiã ex parte ipsius quantitatis, cui re-
pugnat inhærere distinctis subiectis totalibus; sicut etiã
repugnat eidem informæ, informare distinctas mate-
rias totales. Siquis verò opinetur, Diuina virtute fieri
posse, vt eadem forma, siue substãtialis, siue accidentalis
informet distincta subiecta totalia, dicat, quòd si Diui-
na virtute fieret, vt vtraq; quãtitas, & ex cõsequenti vtra
62 q; figura simul inhæreret duobus corporibus de prædi
camento substãtiæ, nihil sequeretur cõtra rationem as-
signatã, in qua tantùm supponitur, per nullã potentiam
fieri posse, vt modus cum aliqua re realiter identifica-
tus, rem aliam realiter distinctam modificet. At verò
figura, quæ in casu posito in duobus subiectis simul
constitueretur, quamuis sit modus & terminus, non
identificatur realiter cum substantia, sed cum quantita-
te. Et in isto casu eadem figura non afficeret, aut termi-
naret duas quantitates, sed vnam tantùm, nempe, eam,
cum qua identificaretur, & duas substantias.

Hæc ratio habet vim in opinione eorũ, qui tenent, 63
subsistentiam, & personalitatem esse modum realiter
identificatum cũ ipsa natura, & ab ea solùm formaliter
distinctum. Sed si admittatur, subsistentiã nõ esse modũ
intrinsecũ, inquit M. Suarez, nõ esse euidens, à Deo fieri
nõ posse suppositũ tantæ perfectionis, quod suapte na-
tura alienã naturã terminare valeret, aut posse modum
intrinsecum, rem, cuius modus est, intrinsecè actuare:
præsertim cùm multi non improbabiliter opinentur,
posse materiam eleuari ad recipiendas plures formas, 64
& formã ad actuandam maiorem portionem materię,
quam de facto potest naturaliter informare. Et deniq;
anima eleuatur ad recipiendam gratiam, quam per se
recipere non poterat: & quantitas in Sacramento alta-
ris ad sustentanda accidentia, quæ per se sustinere non
posset. Quò fit, vt non solùm causa efficiens, sed mate-
rialis, & formalis etiam possit in virtute Dei causare,
quod virtute naturali non poterat; & ex consequenti
nullam esse repugnantiam, quòd suppositum creatum
in virtute Dei terminet alienam naturam, quam pro-
pria virtute terminare non potest.

Nihilominùs dicendum est, etiã si subsistentia reali- 65
ter vt res à re à natura distinguatur, adhùc esse repugnã-
tiam, quòd suppositum creatum terminat alienam na-
turam, nam ex eo quòd illam terminaret, infertur, ha-
bere infinitatem. Prætereà asserendum est, creatũ suppo
situm, si propria virtute nequit alienam sustentare na-
turam, neq; etiam in virtute Dei posse, nam terminare
naturam est causalitas intrinseca, quę à supposito, velu-
ti à prima causa in suo genere formaliter prouenit, si-
cut recipere à subiecto, & informare à forma. Vnde si-
cut Deus facere non potest, vt subiectum aliquod, V. G.
Angelus, recipiat formã, nempe, quãtitatem, quã suapte 66
natura recipere non potest: nec verò quòd forma, quæ
subiectum aliquod informare non potest, V. G. albedo
Angelum, intrinsecè informet; sic neque poterit effi-
cere, vt subsistentia creata terminet alienam naturam,
quam propria vi terminare non potest. Etenim hu-
iusmodi causæ vt potè intrinsecæ, & in suo genere
primæ, per concursum Dei effectiuum, qui ex- 67
trinsecus omninò, & alterius ordinis est, nec eleua-
ri, nec adiuuari possunt, ad intrinsecè causandum
effectum, quem ex seipsis præstare non possunt: cau-
sant enim illum per virtutem intrinsecam, cum
entitate connaturali, & propria omninò identifi-
catam.

Neque obstat, quòd anima intrinsecè recipere possit 68
in virtute supernaturali Dei gratiam, quam naturaliter
suscipere non poterat, quoniam vt rectè obseruauit M.
Vasquez. 1. p. Disp. 176. cap. 5. anima supernaturalem
cõcursum Dei producentis, & infundentis gratiã præ-
exigit, nõ vt potẽs fiat eo cõcursu recipere, quod suapte
natura non poterat, sed vt mediãte illo applicetur ei id, 69
circa quod suam intrinsecam causalitatem ex proprijs
exercere potest supposita hac applicatione. Et sic dico,
formam posse maiorem portionem materiæ superna-
turaliter informare: non quòd noua illi virtus informa-
tiua communicari possit per supernaturalem Dei con-
cursum; sed quia per talem concursum materia appli-
catur illi debito modo: qua vnione supposita ex pro-
prijs illam actuare potest.

70 Sed obijcitur, quia eodem modo dici poterit, suppositum creatum ex se habere vim terminandi alienam naturam, quamuis illam naturaliter terminare non valeat: quia præexigit vnionem talis naturæ, quæ à Deo solùm supernaturaliter fieri potest. Resp. esse disparem rationem inter potentiam receptiuam gratiæ, quam anima habet, & vim terminandi alienam naturam, quam suppositum creatum haberet: illa enim est merè passiua, & obedientialis; hæc verò est quasi actiua, connaturalis, & propria. Ac proinde postularet agens ordinis naturalis, quod ipsam reduceret ad actum sibi naturalem, & proprium, sine quo violenta maneret. Reliquum est diluere argumenta in contrarium.

Soluuntur Argumenta. §. V.

71 AD primum igitur argumentum iam responsum est supra q. 1. art. 2. disput. 4. ad primũ, quòd nulla perfectio etiam relatiua est in vna persona, quæ non sit in alia, vt perfectio relatiua Filiationis, quæ in Filio est formaliter relatiuè, est etiam in Patre formaliter, non quidem relatiuè, ipsum Patrem in esse Filij constituens, sed formaliter virtute, nam cùm sit de intrinseca ratione, & conceptu Diuinæ Essentiæ, & hęc intrinsecè & essentialiter sit in Patre: consequenter est etiam Filiatio, vt latiùs loco citato dictum est.

72 Ad primam confirmationem negatur maior, quia ipsamet ratio Personalitatis Diuinæ est infinitè perfecta.

73 Ad secundam Resp. quòd sicut ad creandũ requiritur virtus infinita, nõ quòd creatura, quæ est effectus creationis, sit infinitè perfecta, sed propter modũ ipsius actionis ex nihilo: Sic etiam vnio naturę cũ alieno supposito est infinita ex parte modi, inquãtùm postulat, vt subsistentia aliena, per quam talis natura terminari debet, sit res perfecta, propriã eius suppositalitatem virtute eminenter continens: quod solùm Diuinæ Personalitati, ob infinitã perfectionem conuenit, vt notauit D. Thomas.

74 Ad tertiam confirmationem Resp. duplicem esse infinitatem, alterã in essendo, & causando, & hæc primò & per se, ac formaliter conuenit essentiæ; alteram verò in terminando, & hæc formaliter conuenit soli Personæ Diuinæ: quæ non solùm naturam humanam, sed quamcumque naturam creatam in infinitum potest terminare. Cæterùm terminare naturam, pertinet ad
75 genus causæ formalis, in hac verò causalitate formali duo reperiuntur, vnum est actuare, aliud verò informare inhærendo, vel tanquam accidens in subiecto, si sit forma accidentalis, vel tanquam pars in toto. Hæc autem terminatio, & causalitas formalis tribuenda est Diuinæ Personæ sublatis imperfectionibus, V. G. esse in alio, vel vt accidens in subiecto, vel vt pars in toto, & ita Diuinę Personæ id dũtaxat cõuenit, quod est actuare, & sustentare naturam.

76 Ad secundum concessa maiori, negatur minor, & ad probationem Resp. esse repugnantiam & ex parte naturæ assumendæ, & ex parte suppositi terminantis. Ex parte quidem naturæ, quia tantum est in potentia obedientiali respectu personalitatis eminenter continentis ipsam totaliter, qualis nulla creata esse potest, & sic est omnimoda repugnantia ad illam. Ex parte verò suppositi terminantis, quia nullum creatum suppositum potest totaliter continere alienam naturam, & ideò debet esse infinitum.

77 Ad confirmationem quidquid sit de antecedenti, negãda est cõsequentia, quia cũ illa personalitas sit finita, & limitata, nõ potest poni in aliena natura, vt dictũ est.

78 Ad tertium Resp. latissimum esse discrimen inter ea, quæ in antecedenti referuntur, & id, quod in cõsequenti infertur: omnia enim in antecedenti relata eleuantur ad causandum & agendum in genere causæ efficientis: subsistere verò in natura non est agere, sed potiùs reducitur ad genus causæ formalis. Possibile autem est
79 corpus eleuari per Diuinam potentiam, vt in spiritum efficienter agat; impossibile verò est, formam corpoream etiam per Dei potentiam eleuari, vt informet, & actuet spiritum tanquam subiectum. Hinc sequitur secunda differentia, quia cùm Deus eleuat aliquam creaturam, & illam assumit tanquam instrumentum ad agendũ, Deus est agens principale, creatura verò minùs principale, & instrumentale. At verò si suppositum creatum subsisteret in aliena natura per Dei potentiam, ipsum esset principale subsistens in aliena natura, non tamen Deus.

80 Ad quartum Resp. quòd licèt sit distãtia infinita inter naturam creatam, & Personam Diuinam: maior tamen est proportio in ratione subsistendi inter naturam creatam, & Personam Diuinam, quàm inter naturam creatam, & personam alienam creatam: quia Persona Diuina propter suam infinitatem eminenter continet omnes subsistentias & personalitates creatas, quę in persona creata non continentur.

81 Ad quintum responsum est supra q. 1. art. 1. Disp. 4. ad primum, & Disput. 5. ad secundam confirmationem primi argumenti.

83 Ad sextum Resp. quòd accidens dependet à subiecto in genere causæ efficientis, & conseruantis, & hæc efficientia, & conseruatio potest à Deo suppleri. At supportare alienam naturam est dare illi suum esse, quod præstare non potest, nisi sit esse infinitum, & illimitatum.

84 Ad septimum Resp. illam opinionem, quæ in antecedenti refertur, nihil ferè probabilitatis habere, & ita negatur antecedens. Sed quicquid sit de antecedenti, neganda est consequentia, quia Deus clauditur intra obiectum adæquatum nostri intellectus, quod est ens, & ideò non est mirum, si intellectus, & virtus sibi connaturalis ad visionem obiecti adæquati eleuentur. At verò personalitas creata respicit adæquatè propriam, & determinatam naturam, vnde eleuari non potest ad extraneam naturam terminandam.

85 Ad octauum negatur antecedens. Et ad probationem Resp. quòd licèt terminare alienam naturam, non sit infinitè maius formaliter, quàm propriam terminare naturã: nihilominùs illatiuè, & arguitiuè est infinitè maius; quia ex terminatione alienæ naturæ colligitur per bonam consequentiam, esse infinitatem in terminante, vt ostensum est. Item potest dici, quòd sicut producere rem aliquam ex nihilo, non est infinitè maius ex parte rei factæ, quàm producere eandem ex præsupposita materia; tamen ex parte modi faciendi est infinitè maius, & ideò requirit in producente infinitam virtutem: sic etiam terminare alienam naturam non est infinitè maius ex parte terminationis passiuæ,

pasiuæ, quàm terminare propriam naturam; at verò ex parte modi terminandi est infinitè maius; quia est terminare sine limitatione quò ad numerum naturarum, & quò ad virtutem terminatiuam, & sine determinatione ad rationem modi præcisè.

87 Ad primam confirmationem quidquid sit de antecedenti negatur consequentia, quia est repugnantia ex parte personalitatis creatæ terminare alienam naturam, & ex eo sequitur, quòd habeat infinitatem, vt dictum est. Ad secundam confirmationem Resp. Personalitatem Verbi terminare humanitatem ratione infinitatis in terminando, quæ formaliter conuenit soli Personæ Verbi.

88 Ad nonum concesso antecedenti negatur consequentia, & ad probationem concesso antecedenti neganda est consequentia, quia licèt in ratione materiali entis sit maior proportio inter humanitatem & personalitatem creatam, etiam alienam; in ratione tamen formali terminabilis & terminantis est minor proportio, quàm inter eandem humanitatem, & Personalitatem Diuinam: quoniam Diuina Personalitas, tametsi infinita, & relatiua, continet eminenter perfectionem subsistentiæ creatæ absolutæ, ac proindè potest eius vicem supplere. At subsistentia creata, cùm sit modus imperfectus, eum propria natura commensuratus, nec alterius subsistentiæ perfectionem continet, nec alteri naturæ vniri potest.

89 Ad decimum, quidquid sit de antecedenti, negatur consequentia, quia est repugnantia ex parte personalitatis creatæ, vt dictum est; nam ex eo quòd terminaret alienam naturam, sequitur, habere infinitatem, cùm tamen ipsa ex se sit finita, & limitata.

90 Ad vndecimum negatur cōsequentia propter rationem sæpiùs repetitam, quia est repugnātia ex parte personalitatis creatæ. An verò accidentia in Eucharistia habeant propriam existentiam, vel existans per existentiam, quæ fuit substantiæ, disputabitur infra q. 77. interim affirmandum est, nihil panis in Eucharistia remanere præter accidentia, quæ habeant suas proprias existentias accidentarias. Ad confirmationem Resp. produci non posse personalitatem, quæ in ipsa productione vniatur alienæ naturæ, cui non sit connaturalis, propter repugnantiam iam assignatam.

91 Postremò aduertendum est circa istam responsionem ad secundum, quòd terminare non est causare & agere, aliàs vna persona non posset assumere sine alia, quod est hæreticum; & ideò Filiatio in Filio potest esse ratio terminandi, sed non causandi. Quò fit, vt in Diuinis relatio non sit principiū agendi, neq; ad intra, neq; ad extra, non enim Pater æternus generas, aut creas Paternitate, sed tantùm tribuit esse personale, & incommunicabile, & terminat & cōplet rationem personæ, & determinat Naturam Diuinam ad personalitatem, sicut

92 personalitas Petri naturam humana. Non est autem de ratione termini causare, quia punctus terminat lineam, & illam non causat, & vnum relatum terminat alterū absque vlla causalitate, & centrum terminat motum grauis, & non est causa illius. Vnde constat, totam Trinitatem concurrisse ad assumptionem, inquantùm importat conditionem efficientis, vel conseruantis, non tamen vt importas terminationem naturæ, & largitionem sui esse, sic enim solus Filius assumpsit naturam terminando & suum esse illi tribuendo. Quo sensu dicitur Verbum sustentare humanitatem, & eius dependentiam terminare. Sed hęc dependentia est in ratione terminandi, idest, terminari à terminante, non tamen causari à causa.

Sed obiicitur. Implicat, vnam personam causare assumptionem sine alia, vt ostensum est; ergo & terminare sine alia. Patet consequentia, quia in vno non est maior ratio quàm in alio, nam per assumptionem duplicem dependentiam intelligitur habere humanitas à persona, altera est, vt à causa efficiente, & conseruante assumptionem: altera, vt à termino, seu à supposito assumptionem terminante: sed prima dependentia, seu relatio nequit esse ad vnam personam sine alia, ergo neque secunda. Confirmatur. Vna persona nequit terminare obiectiuè claram sui visionem sine alia; ergo neque potest terminare humanitatem. 93

Ad argumentum negatur consequentia, qui ratio assumendi humanitatem est vna, & eadem in omnibus personis, quæ nihil causant vt distinctæ, sed vt vnum: & ideò nihil potest fieri ab vna, quod ab alia simul non fiat. Ratio verò terminandi est relatio, quæ ab aliis realiter distinguitur, & ita vna persona terminat vt distincta ab alijs, atque adeò potest sine illis terminare. Sed replicatur. Relatio, vt relatio dicit perfectionem, & maiorem, quàm sit omnis perfectio creaturæ; ergo per illam erit sufficiens principium agendi, sicut terminandi. Negatur consequentia, quia cùm in omni re principium agendi sit natura, & in Deo non sit nisi vnica tantùm natura: ideò vna est illius omnipotentia, ratione cuius omnis effectio est communis omnibus personis. Quare relatio, etsi dicas perfectionem, quia tamen illa non pertinet ad perfectionem naturę, ideò ex proprijs nō habet, vt sit principium, & ratio agendi, sed vt constituat suppositum, à quo actio procedit. Habet tamen ex proprijs, vt possit esse ratio terminandi, quia ex se est subsistentia incommunicabilis. 94 95 96

Ad confirmationem concesso antecedenti negatur consequentia. Ratio autem discriminis est, quia, ea quæ inter se habent mutuam habitudinem, magis connectuntur inter se in ordine ad claram & quidditatiuam cognitionem, quàm in ordine ad realem vnionem. Vt relatio accidentalis, V. G. Paternitas cognosci non potest sine Filiatione, & tamen vnitur vni subiecto, cui Filiatio non vnitur. Item scientia non potest cognosci sine obiecto scibili, & in reali coniunctione potest ab illo separari. Vnde quia vnio hypostatica est realis, & relationes Diuinæ inter se realiter distinguuntur; potuit relatio Filiationis vniri humanitati sine alijs relationibus: sed non potest sine alijs obiectiuè videri, quia cùm respiciat Paternitatem, vt terminum, ex hac habitudine & respectu, nostro intelligendi more, sumis speciem, & nequia res clarè, & quidditatiuè videri sine his, cum quibus in sua specificatione intrinsecam connexionem habet. Item explicatur. Quia relatio cùm videtur, cognoscitur secundùm quòd exercet habitudinem ad suum terminū, & ideò nequit sine illo videri. Cùm verò realiter vnitur, solùm coniungitur, quatenùs in se est, atque adeò ad modum absoluti. 97 98

TERTIA DISPVTATIO.

AN Pater & Spiritus Sanctus, qui effectiuè concurrerunt ad assumptionem, quamuis illam nō terminauerint, ratione huius assumptionis actiuæ habeant specialem modum existendi in humanitate assumpta. 1 Ratio dubitandi est, quia si illæ personæ essent speciali modo in humanitate Christi, essent per concomitantiam sub speciebus Sacramentalibus. Sed consequens est falsum, quia Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 3. inter res Diuinas soli Diuinitati hoc tribuit, propter vnionem hypostaticam, quæ ad alias personas non extenditur, cùm Pater & Spiritus Sanctus hypostaticè non vniantur humanitati. 2 Et confirmatur. Qui recipit Eucharistiam non recipit Patrem, aut Spiritum Sanctum, ergo non sunt per concomitantiam in Eucharistia. Patet consequentia; quia omnia quæ sunt in Eucharistia per concomitantiam, sumuntur à recipiente Eucharistiam. Vnde verè dicitur, Deum manducari à communicante. Sed nunquā dicitur, Patrem aut Spiritum Sanctum manducari: ergo.

3 Secundò. Quæ conueniunt Verbo Diuino ratione relationis, non conueniunt Patri, vel Spiritui Sācto: sed esse in humanitate assumpta conuenit Verbo ratione relationis, ergo non conuenit Patri vel Spiritui Sancto esse in humanitate aliquo speciali modo, quo est in alijs creaturis.

4 Confirmatur ex D. Thoma. 1. p. q. 43. art. 3. vbi docet, Deum non esse aliquo nouo & speciali modo in aliqua rationali natura, præter illos tres vniuersales, per essentiam, præsentiam, & potentiam, nisi per gratiam gratum facientem: sed in omnibus iustis est per gratiā gratum facientem: ergo similiter non est nisi per gratiam gratum facientem in humanitate Christi, & non alio peculiari modo.

5 Tertiò. Pater & Spiritus Sanctus non dicuntur carnem assumpsisse, neque passi aut crucifixi, etiam per concomitantiam: ergo non sunt in humanitate Christi. Patet consequentia; quia si aliquo speciali modo fuissent in illo homine, qui fuit passus & crucifixus vel per concomitantiam, vel per identitatem in natura, dicerentur quidem passi, aut crucifixi.

6 Nihilominus pro explicatione sit Conclusio. Pater & Spiritus Sanctus ratione assumptionis sunt in humanitate Christi, peculiari, & altiori modo, quàm sint in omnibus creaturis. Hanc conclusionem tenet Vigerius in Institution. Theologi. cap. 16. Parag. 3. Versicul. 4. & Gabriel super Cano. Missæ Lectio. 41. & Maior in 4. d. 11. q. 1. Parag. 1. & omnes, qui asserunt, Patrem & Spiritum Sanctum esse in Eucharistia per concomitantiam speciali & proprio quodam modo, ita vt si nō essent vbique propter suam immensitatem, essent necessariò in Eucharistia, supponunt hanc sententiam. Et probatur primò. Quia anima rationalis est coniuncta cum corpore Christi, vbicumque est corpus Christi, est eius anima: sed magis in infinitum coniunguntur Diuinitas & Pater & Spiritus Sanctus; ergo vbi est Diuinitas, est necessariò Pater & Spiritus Sanctus. Sed Diuinitas est in humanitate Christi alio specialiori & altiori modo, quàm in alijs rebus; ergo similiter Pater, & Spiritus Sanctus.

7 Confirmatur ratione adducta ex Concilio Tridentino. Nam propter vnitatem hypostaticam Naturę Diuinæ & humanæ in Verbo, asserunt Patres, Naturam Diuinam esse in Eucharistia: ergo quidquid est hypostaticè vnitū cum Diuinitate, erit etiam modo speciali vbicūque fuerit Diuinitas. Sed Pater & Spiritus Sāctus personaliter vniuntur cū Diuinitate, quæ est in natura assumpta: ergo necessariò Diuinitas trahit secum Patrem & Spiritum Sanctum. 8 Confirmatur secundò. Etiā si corpus Christi, & eius anima coniungantur extra Eucharistiam, quia tamen inter illa est aliqua distinctio, (distinguuntur enim realiter) ideò docet probabiliter M. Soto, posse corpus Christi esse in Eucharistia absq; anima, etiam si extra Eucharistiam coniungantur. Sed à parte rei nulla est distinctio inter Diuinitatem, & Patrem & Spiritum Sanctum; ergo vbicumque est Diuinitas, necessariò trahit secum Patrem & Spiritum Sanctum; quia sunt omninò inseparabiles.

9 Confirmatur tertiò. Deus dicitur ibi esse singulari modo, vbi speciali modo operatur, sicut dicitur esse speciali modo in iustis tanquam in templo suo, in quo habitat: sed in humanitate Christi operatur tota Trinitas singulari quodam modo, & eam sanctificat, & efficit templum suum altiori modo, quàm per gratiam habitualem: ergo. Hanc conclusionem indicat Cyrillus Alexandrinus lib. 9 In Ioan. cap. 47. vbi exponens verba illa Ioan. 14. *In illo die vos cognoscetis, quia ego in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.* Affirmat, hæc verba esse impleta in mysterio Incarnationis, quo factum est, vt nos simus in Verbo, quia nostram naturam assumpsit, & consequenter, vt ipsum Filium in nobis habeamus, & Patrem per Filium. 10 Idem docet D. August. serm. 3. de Tempore, vbi inter alia sic ait. *Filius suscepit carnem, & non deseruit Patrem, nec se diuisit à Patre. Cùm ergo vna sit Deitas, vna sit Diuinitas, impleuit quidem carnem Christi, & Pater & Spiritus Sāctus, sed maiestate, non susceptione.* Hoc est, quamuis Pater & Spiritus Sanctus non susceperint carnem, neque illi hypostaticè fuerint vniti, ex vi tamen illius vnionis, quia Verbum fuit humanitate vnitum, intimè adest Pater & Spiritus Sanctus in humanitate, propter connexionem, quæ est inter Diuinas Personas, quò ad præsentiā realem, ex vnitate naturæ. Quò fit, vt si per impossibile Pater, Filius, & Spiritus Sanctus non essent in omnibus rebus per essentiam, præsentiam, & potentiam, & Verbū hypostaticè humanitatem assumeret: ex vi illius assumptionis Pater & Spiritus Sanctus intimè essent præsentes humanitati, quamuis illi hypostaticè nō vnirētur, quia à Filio separari non possunt.

11 Sed obijcitur. In omni vnione, siue per gratiam, siue alia simili, in qua Deus dicitur singulariter adesse propter specialem modū operandi, omnes Personæ Diuinæ vniūtur; ergo in hac vnione hypostatica Pater & Spiritus Sāctus erunt vniti humanitati realiter, & substātialiter ratione Diuinitatis, cum qua necessariam habent connexionem, & à qua in re non distinguuntur. Negatur consequentia; quia in omni alio effectu, vnio creaturæ ad Deum est accidentalis, & sicut effectus æqualiter efficitur à tota Trinitate, ita dicit eandem habitudinem ad Deum tanquam ad obiectum, vel tanquam ad vltimum finem, cuius naturam participat, vel alio simili modo. Cæterùm in isto effectu, quia est vnio substantialis ad vnam personam, quamuis efficientia

efficientia sit toti Trinitati communis,& ideò præsentia requisita ex vi efficientiæ præcisè, sit eadem in omnibus personis: ipsa tamen vnio dicit particularem habitudinem ad Personam Filij,tanquam ad suum terminum,cum quo solo sit,etsi cõcomitanter requirat præsentiam Patris,& Spiritus Sancti.

12 Ex hoc sequitur,hunc specialem modum, quo Pater & Spiritus sunt in humanitate assumpta, posse dici per concomitantiã; quia vt vnum dicatur esse in alio per concomitantiam, satis est, vt sit coniunctum cum eo, quod ibi est directè, siue mediatè siue immediatè, vt patet, quia intellectus & voluntas Christi, & eorum accidentia sunt in Eucharistia per concomitantiam, & solùm mediatè coniunguntur cum corpore, quod ibidem est directè, nam coniunguntur media anima rationali. Item, sicut anima nostra per vnionem ad corpus fit præsens omnibus partibus eius, & intellectus,qui comitatur animã,est etiam præsens, vbicumq; est anima, licèt non habeat cum vnionem cum parti-
13 bus corporis,quam habet anima:sic etiam Pater & Spiritus Sanctus erunt in humanitate concomitanter,quia sunt necessariò coniuncti cum Diuinitate, quæ verè & realiter est vnita humanitati in Persona Verbi. Et quãuis hæc præsentia Trinitatis nihil reale addat ipsi humanitati preter ipsam vnionem ad Verbum,& relationes, quæ inde consequuntur:per hunc tamen specialem modum, quo dicitur esse in humanitate tota Trinitas, significatur vis & natura vnionis hypostaticæ ad Verbum, quæ ex se speciali titulo exigit intimam præsentiam aliarum personarum, quæ ex vi talis vnionis denuò fieret,si non supponeretur ratione immensitatis.

14 Pro solutione argumentorum aduertere oportet, aliud esse, quòd inter aliqua duo reperiatur communicatio idiomatum, aliud verò,vt vbicumq; est vnum,sit & alterum per concomitantiam: nam communicatio idiomatum,hoc est,qua quidquid dicitur de vno, dicatur etiam de altero,fundatur propriè in vnitate suppositi,V.G.quidquid dicitur de Christo Deo, dicitur de Christo homine,& è contra propter vnitatem suppositi.At verò esse in eadem re, vel loco per concomitantiam non fundatur in vnitate suppositi,sed in reali cõiunctione vnius cum altero:vt vbicumq; V.G. est vnus anulus cathenæ, sunt omnes anuli, non propter vnitatem suppositi,sed propter realem cõiunctionem.Quò fit,vt cùm aliqua plura sunt alicubi per concomitantiam,non necessariò quidquid dicitur de vno,de altero dicitur,vt quicquid dicitur de Christi corpore, non dicitur de eius anima,& tamẽ vbi est corpus Christi, sunt & reliqua per concomitantiam.

15 Hoc supposito ad argumenta respondetur.Ad primũ argumentum concedimus, Diuinas Personas esse in Eucharistia per concomitantiã.Et ad probationem ex Cõcilio Tridentino Resp.Conciliũ non numerasse expressè Trinitatem, quia nomine Diuinitatis subintelligitur.Vnde neq; numerauit Verbũ Diuinũ,& tamen certum est Verbum esse in Eucharistia. Et sicut Diuinitas est ibi per concomitantiam,quia humanitas est hypostaticè vnita Verbo, cum quo Diuinitas est necessariò coniuncta:ita etiam Pater & Spiritus Sanctus,quia Personaliter vniuntur cum Diuinitate, quæ est per concomitantiam in Eucharistia; ideò sunt per concomitantiam in eadem Eucharistia.

Ad confirmationem negatur antecedens, seu potius 16
distinguitur,si enim faciat hunc sensum, quòd qui recipit Eucharistiam, non recipit Patrem & Spiritũ Sanctum, quasi sint idem supposito cum eo, quod sumitur, verum est antecedens.Si verò efficiat hunc sensum, non recipit Patrem & Spiritum Sanctũ, qui necessariò coniunguntur cum eo,quod sumitur,falsum est.

Ad secundum Resp.quæ conueniunt Verbo propter 17
solam relationem, nõ conuenire Patri & Spiritui Sãcto,quæ autem conueniunt Verbo ratione Naturæ Diuinæ,conuenire etiam Patri & Spiritui Sancto.Vnde esse in humanitate terminatiuè & hypostaticè, conuenit Verbo ratione relationis,& hoc neque Patri,neque Spiritui Sancto conuenire potest.Esse verò in humanitate effectiuè,quod conuenit Verbo ratione Diuinæ Naturæ,potest alijs personis conuenire,& ideò cùm efficientia sit communis toti Trinitati,præsentia similiter,quæ requiritur præcisè ex vi efficientiæ,eadem est in omnibus personis.

Ad confirmationem ex D.Thoma Resp. Deum esse 18
in omnibus iustis per essentiam,quatenùs causat in illis esse etiam supranaturale & gratuitum.Per præsentiam, inquantum iusti sunt in conspectu illius. Per potentiam, secundùm quòd sunt sub illius potestate. Est prætereà per gratiam gratũ facientem. Sed præter hos quatuor modos est particulari modo in humanitate Christi illam sanctificãdo,& dignificando,efficiendoq; templum suuum, longè excellentiori modo,quàm per gratiam habitualem soleat in alijs iustis efficere. Qui quidem modus continet eminenter reliquos alios modos,& est illis superior, secundùm quem taliter est tota Trinitas in humanitate Christi, quòd si per impossibile aliàs non esset præsens secundùm illos quatuor modos,ex vi assumptionis humanitatis ad Verbum, esset illi præsens.

Ad tertium Resp.quòd Verbum carnem assumere,di- 19
cit intrinsecè vnitatem suppositi, quia est assumi carnem ad vnitatem suppositi, & idem est de passione, & crucifixione &c.Hæc enim omnia fundantur in vnitate suppositi. Cæterùm esse alicubi per concomitãtiam, non dicit vnitatem suppositi. Et ob eandem rationem Pater & Spiritus Sanctus non dicuntur esse oblati in cruce, quamuis speciali modo essent in cruce, & vbicumque fuit Christus: sed non offerebantur, quia offerri conueniebat Verbo ratione humanitatis propter vnionem hypostaticam.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Diuinæ Naturæ conueniat assumere.

PRO Tituli intelligentia aduertendum est, quòd nomine Diuinæ Naturæ intelligitur in præsenti non solùm Deitas in abstracto, verùmetiam in concreto: nempe, Hic Deus. Item quæstio præsens non est de possibili, sed de facto, scilicet, vtrùm de facto Deitas, vel Hic Deus assumpserit humanitatem, ita vt sic illi

Digitized by Google

illi conueniat assumere humanitatem, vt de ea verè dici possit, non solùm fuisse principium, Quo, assumptionis; sed etiam principium, Quod.

Vnde fit Prima Conclusio. Esse principium assumptionis cõuenit Naturæ Diuinæ secũdũ seipsam; *quia eius virtute assumptio facta est.*

Secunda Cõclusio. Esse terminũ assumptionis conuenit Naturæ Diuinæ non secundùm seipsam, sed ratione personæ, in qua consideratur.

Tertia Cõclusio. Primò & propriissimè persona dicitur assumere, secundariò autẽ dici potest, quòd natura assumpsit naturã ad sui personã, & secundùm eundẽ modũ potest cõcedi, quòd Natura Diuina est Incarnata. *Caietanus colligit istã conclusionẽ tanquã principalẽ ex articulo. Et sic probat illã. Assumẽs est principiũ & terminus assumptionis; sed Natura Diuina est secũdũ se principiũ, & nõ est secũdũ se terminus assumptionis, sed ratione personæ, in qua reperitur: ergo Naturæ Diuinæ secundariò conuenit assumere. Maior patet, quia assumere est ad se sumere, vbi illa reciprocatio insinuat, principium & terminum assumptionis esse idem. Minor autem probatur quò ad primam partem; nam assumere, vt est agere, fit virtute Diuinæ Naturæ. Quò ad secundam, patet ex articulo præcedenti, vbi ostensum est, esse terminum assumptionis primò & per se cõpetere personæ. Ex qua probatione colligitur veritas prioris partis huius conclusionis, videlicet, quòd assumere propriè & primò conuenit personæ; nam persona ratione sui terminat assumptionem. Item, quia personæ competit agere tanquam Quod; ergo primò & propriè assumere competit personæ.*

Tertia pars conclusionis, quòd natura possit dici Incarnata, probatur à D. Thoma in argumento sed contra ex D. Augustino lib. 3. de Fide ad Petrũ cap. 2. vbi sic ait. Natura, quæ semper genita ex Patre naturam nostram à Matre sine peccato suscepit. *Idem confirmat authoritate Damasceni lib. 3. Fidei cap. 6. Et Athanasij in Symbolo Fidei. Et Cyrilli in Cõcilio Calcedonẽsi Actione. 1.*

Est primum argumentum D. Thomæ. Natura Diuina non sumpsit ad se naturam humanam, cùm vnio in natura non sit facta, sed in Persona: ergo Naturæ Diuinæ nõ cõpetit assumere naturã humanã. Patet cõsequentia: quia assumere dicitur quasi ad se aliquid sumere. Respõdet D. Tho. negãdo antecedẽs; quia licèt vnio non sit facta immediatè in natura, sed in Persona Verbi: quia tamẽ Natura Diuina nõ differt supposito à Persona Verbi; ideò quatenùs Natura Diuina sumit naturam humanã ad Personã Verbi, dicitur ad se sumere. Pater verò essi assumat naturam humanam ad Personam Verbi, quia tamen est suppositum distinctum à Verbo, non dicitur ad se sumere.

Secundum argumentum est. Si naturæ conuenit assumere, sequitur, quòd conueniat tribus Personis, atque adeò Pater assumpsisset humanitatem, sicut Filius, quod est hæreticum. Probatur sequella; quia Natura Diuina est communis tribus Personis. Respondet, quod conuenit naturæ secundùm se, conuenire tribus Personis, sicut conuenit bonitas, sapientia, & alia attributa. Quod verò illi conuenit ratione Personæ Verbi, nõ tribui omnibus Personis. Et quia assumere conuenit Naturæ Diuinæ ratione Personæ Verbi, ideò soli illi Personæ conuenit.

Tertium. Assumere est agere; sed agere conuenit Personæ, & non naturæ, quæ magis significatur, vt principium, quo agens agit: ergo assumere non conuenit naturæ. Respondet, quòd sicut in Deo idem est, quod est, & quo est; sic etiam est idem quod agit, & quo agit. Et ita Natura Diuina est id, quo Deus agit, & est ipse Deus agens.

Commentarius.

PRIMA Conclusio est recepta omnibus Theologis in. 3. d. 5. Estq; dogma fidei definitum in multis Concilijs. In Toletano. 6. cap. 1. vbi sic dicitur. *Tota Trinitas formationem hominis susceptĩ est operata. Et in Toletano. 11. cap. 1. Et in Concilio Lateranensi. 1. sub Martino. 1. Cano. 1. vbi difinitur. *Siquis dixerit, Diuinam Naturam non verè, & propriè esse Incarnatam, Anathema sit.* Vnde circa primam conclusionem nulla est inter Theologos controuersia, est tamen maxima circa secũdam. Et ideò sit

VNICA DISPVTATIO.

VTrùm Persona Verbi immediatè, & proximè terminauerit humanitatem, ratione alicuius proprietatis essentialis, & absolutæ, vel potiùs Personalis, & relatiuæ. Cùm enim in superioribus definitum sit, Verbum Diuinum, quatenùs in humana natura subsistit, esse terminum assumptionis; meritò nunc inquiritur, An humanitatem assumptam, in qua subsistit, terminet primò, & per se, tribuendo illi aliquid essentiale, & absolutum, tribus Personis commune; An potiùs terminet naturam, primò & per se conferens illi, aliquid personale ipsius Verbi proprium. De qua re sunt variæ Theologorum sententiæ.

Prima est Durandi in. 3. d. 1. q. 2. asserentis, Diuinum Verbum terminasse humanitatem primò, & per se ratione subsistentiæ essentialis, & absolutæ; per quam factum est, vt humanitas illa subsisteret: secundariò verò

verò ratione personalitatis propriæ, à qua formaliter habuit, vt incommunicabiliter subsisteret. Dicis præterea, in Incarnatione duas reperiri vniones: alteram ad naturam, alteram verò ad personam: posseq; vnionem esse in natura, sine eoquòd sit in persona: imò vnionem in natura, quæ præsupponitur vt prior, non sufficere ad hoc, quòd sit vnio in persona. Probat autem Duran-
3 dus suam sententiam. Primò; quia Diuinum Verbum terminauit primò & per se humanitatem ratione subsistentiæ: sed subsistentia in Deo est proprietas essentialis, & absoluta, non personalis, & relatiua, ergo. Maior cum consequentia ab omnibus conceditur. Minorem probat Durandus. Primò authoritate D. Augustini 7. de Trinit cap. 4. Vbi dicit, Deum ad se subsistere, non ad aliud. Hoc est; subsistere in Deo esse absolutum,
4 & essentiale, & non relatiuum. Secundò: quia subsistentia est perfectio simpliciter: melius enim est Deo subsistere, quàm non subsistere. Sed perfectio simpliciter est proprietas essentialis, & absoluta, non personalis, & relatiua; aliàs vna perfectio simpliciter esset in vna Persona, quæ non esset in altera: ergo subsistentia Diuina
5 est formaliter proprietas essentialis, & absoluta. Tertiò: quia subsistentia nihil aliud est, quàm substantialis existentia, sicut subsistere nihil aliud est, quàm per se, & substantialiter existere: sed existentia in Deo est proprietas essentialis, & absoluta, imò ipsamet Dei Essentia formalissimè: ergo & subsistentia Diuina.
6 Dices, falsò supponere Durandum, subsistentiam adæquatè esse idem cum existentia in Deo, & esse proprietatem absolutã, cùm potiùs dicas modum incommunicabiliter existendi, qui non potest ab alio, quàm à relatione Diuina prouenire. Contra obijcit Durandus. Primò, quia Christus, vt homo, est quid absolutum; sed Christus, vt homo, non solam humanitatem, sed subsistens in ea formaliter dicis: ergo subsistentia, per quam formaliter subsistit, est quid absolutum, & non relatiuum. Maior patet: quia Christus est homo vniuocè cum reliquis: sed reliqui homines sunt essentialiter quid absolutum, & nullum prorsus ordinem ad aliud dicunt; ergo & Christus &c. Minor verò ex terminis est nota: hoc enim homo ab humanitate differt, quòd hæc nudam hominis essentiam importat; ille verò quod in ea subsistit. Consequentia autem probatur: quia effectus formalis absolutus à forma relatiua pronenire non potest.
7 Secundò obijcit Durandus: quia licèt in creaturis eadem sit formaliter ratio, per quam natura subsistit, & qua incommunicabilis efficitur; in rebus enim creatis solum suppositum incommunicabile est per se subsistens: in Deo tamen subsistendi ratio formaliter à ratione incommunicabilis distinguitur; nam Deus, vt præintelligitur tribus Personis, est quid illis commune, & nihilominùs verè subsistens. Ex quo nouum pro Du-
8 rando desumitur argumentum. Humanitas Christi ex vnione ad Verbum non solùm facta est incommunicabilis alteri, sed etiam formaliter subsistens: ergo non solùm vnita est, & terminata per relatiuam Verbi Personalitatem, per quam incommunicabilis efficitur, verùm etiam per subsistentiam essentialem, & communem. At omnia essentialia, & communia in Deo ordine rationis sunt priora proprietatibus personalibus, & relatiuis: ergo priùs est terminata humanitas per absolutam, & essentialem Verbi proprietatem, nempe, subsistentiam tribus Diuinis Personis communem, quàm per proprietatem personalem relatiuam, & incommunicabilem omninò.

Tandem quicquid de hoc sis, An videlicèt subsistentia in Deo sit absoluta, vel relatiua, & vtrùm pro formali communem existentiam, vel modum incommunicabiliter existendi dicat, quod totum planè ad quæstionem de nomine reduci videtur: proculdubiò negari non potest in doctrina D. Thomæ, Verbum humanitati Christi communicasse esse existentiæ, & hoc in Deo esse quid essentiale, & absolutum. Vnde efficax ratio pro Durãdi opinione deducitur. Verbũ per illud priùs terminauit humanitatẽ, quod illi priùs tribuit: sed priùs tribuis humanitati esse existentiæ absolutũ, & essentiale, quàm esse personale, seu modũ existendi incõmunicabiliter relatiuum: ergo priùs terminauit humanitatem ratione absolutæ, & essentialis proprietatis, quàm personalis, & relatiuæ. 9

Dices cum Caietano infra q. 17. art. 2. Vtrumq; esse, nempe, existentiæ essentialis, & subsistentiæ Personalis Verbum humanitati tribuisse: sed istud esse prius; quia humanitas, & quæcumq; alia natura creata substantialis nõ est immediatè capax existentiæ, neq; illam suscipere potest, nisi priùs per subsistentiam, & suppositalitatem completa, & terminata sit. Contra hoc instatur. Implicas, aliquid priùs terminari per modum intrinsecum rei, quàm per rem ipsam; & multò magis repugnat, quòd ratione modi vltimatè disponatur, & capax fias recipiendi ipsam rem: neq; enim intelligi potest, corpus priùs terminari per figuram, quàm per quantitatem; & multò minùs ratione figuræ fieri aptum ad ipsam quantitatem recipiendam: sed subsistentia, siue Personalitas in Verbo est modus intrinsecus existentiæ Diuinæ, illam intrinsecè præsupponens; ergo implicat, quòd Verbum priùs terminauerit humanitatem ratione personalitatis, seu subsistentiæ relatiuæ, quàm existentiæ essentialis, & absolutæ. Neq; obstat, quòd humanitas Christi (vt inquit Caietanus) si propriã terminaretur existentia, & subsistentia, priùs hanc, quàm illam susciperet, quoniam forma, præsertim si non sit connaturalis, sed extrinseca, non eo ordine subiectum actuat quo actuabile erat suapte natura; sed eo ordine formales effectus ei communicat, quo illos in se formaliter, & intrinsecè continet, vt patet in luce, quæ non priùs communicat aeri esse calidum, quàm lucidum: tametsi aer natura sua priùs, ac magis illud postulet, quàm istud. Cùm ergo Persona Verbi non sit connaturalis forma humanitatis, sed extrinseca, & supernaturalis omninò, non eo ordine illam terminare debet, quo per propriam subsistentiam, & existentiam naturaliter terminanda foret; sed quo huiusmodi rationes formales in se intrinsecè includit. Persona autem Verbi priùs in se existentiam, quàm subsistentiam includit: ergo priùs illam, quam istã humanitati communicauit. 10 11

Dices, argumentum conuincere, priùs ratione Verbum effectum formalem existentiæ essentialis, quàm personalitatis, quantùm est de se, communicaturum, si humanitas illum immediatè recipere posset. Quia tamen effectum existentiæ suscipere nequis, nisi priùs esse personale recipias: ideò de facto Verbum humanitati 12

prius effectum subsistentiæ personalis, quàm existentiæ
13 assentialis intrinsecè communicauit. Contra hoc replicatur. Effectus quasi formalis Diuinæ existentiæ est esse actu simpliciter, siue absolutè existere: subsistentiæ verò & Personalitatis Diuinæ est taliter existere, videlicèt, incommunicabiliter (Persona enim & hypostasis Diuina pro formali dicit modum incommunicabiliter existendi, vt expressè docet D. Thomas. 1.p. q.29. art. 2.) Sed humanitas Christi de facto priùs accepit à Verbo, esse actu simpliciter, siue absolutè existere, quàm esse, vel existere taliter, videlicet, incommunicabiliter: ergo Verbum de facto priùs humanitati communicauit effectum formalem existentiæ communis, quàm personalitatis, siue subsistentiæ propriæ, & relatiuæ: & ex consequenti primò & per se ratione essentiæ terminauit humanitatis vnionem; secundariò verò ratione proprietatis personalis.

14 Prætereà confirmatur sententia Durandi. Persona Verbi vel tribuit humanitati esse relatiuum, vel absolutum, & essentiale, sed non esse relatiuum: ergo essentiale. Minor probatur: quia esse relatiuum nequit personalitatem absolutam tribuere: sed istud esse tribuit personalitatem absolutam; constituit enim personam
15 humanam, quæ est persona absoluta: ergo. Confirmatur secundò: quia aliàs sequeretur, Verbum dici Personam Diuinam, & humanam æquiuocè: nam vt Persona Diuina subsistit per esse relatiuum: vt verò est persona humana, est per esse absolutum. Imò sequitur, esse in Christo duplicem personalitatem, vnam relatiuam, & alteram absolutam.

16 Secunda sententia est Marsilij in.3. q.2. art.1. & art. 3. ad octauum principala, vbi asserit, Diuinam Personam terminare vnionem immediatè per essentiam, seu Diuinam subsistentiam essentialem, vt est in filio, tanquàm per rationem formalem. Eiusdem sententiæ videtur esse Capreolus in.3. d.1.q.1. in responsione ad argumenta contra quartam conclusionem. Vnde sicut Essentia Diuina, prout est in patre, est potentia, & ratio generandi, & non paternitas, & tamen non sequitur, generare esse commune omnibus Personis; quia licèt ratio formalis generandi sit Diuina Essentia, nihilominùs requirit vt conditionem sine qua non, paternitatem, per quam vltimatè completur in ratione generatiuæ potentiæ: sic etiam quamuis subsistentia communis, & essentialis sit ratio formalis terminandi humanitatem, non sequitur, quòd terminare sit commune omnibus Diuinis Personis, quia subsistentia, non vt communis, sed vt coniuncta cum filiatione, & per eam modificata, fuit completè, & adæquatè ratio terminandi humanitatem.

17 Tertia sententia est Caietani in hoc articulo; ad quam supponit primò, quòd cùm hîc inquiritur, An naturæ Diuinæ assumere conueniat; per naturam non solùm intelligitur Deitas, sed etiam Hic Deus, & quicquid in Diuinis non est personale, vt insinuat D. Thomas in responsione ad. 2. &. 3. Item præmittit, hanc quæstionem esse de facto intelligendam, & de Incarnatione iam effecta: nam de possibili articulo sequenti disputabitur. Supponit tertiò, istam quæstionem esse de principio, Quod, non de principio, Quo: idest, An natura assumpserit primò, & per se; An potiùs Persona. Dicit ergo Caietanus, Verbum Diuinum terminare humanitatem per proprietatem personalem, nempe, filiationem, tanquàm per rationem formalem terminandi, & proprium, & immediatum terminum: assentiam verò Diuinam terminare tanquàm secundarium terminum. Nihilominùs pro explicatione sit Conclusio.

Ratio formalis, per quam Verbum humanitatem sibi substantialiter vnitã terminat intrinsecè, est relatiua 18
proprietas personæ ipsius constitutiua. Est communis Theologorum sententia cum Magistro in.3.d.5. & D. Thoma hîc. Estq; adeò certa, vt opposita sit temeraria, & in Fide periculosa. Colligitur autem apertè ex Concilio Toletano. 6. & 11. in Confessione fidei, vbi post medium ita dicitur. *Credimus solum Filium formam serui accepisse in singularitate personæ, non in vnitate naturæ; nempe, in eo, quod est proprium (sic seipsum explicat Concilium) Filio; non in eo, quod est toti Trinitati commune.* Quibus verbis & sententia Durandi asserentis humanitatem Christi in subsistentia absoluta toti Trinitati communi, primò & per se fuisse vnitam, damnari videtur, & nostra conclusio expressè definiri: nam eadem est formaliter ratio terminandi humanitatem in Verbo, & id, ratione cuius facta est vnio, seu in quo immediatè Verbum humanitatem suscepit, & assumpsit; docet autem Concilium, in eo, quod est Filio proprium, suscepisse. Item in. 6. Synodo actio. 8. sub finem dicitur, solum Verbum esse Incarnatum, quia Pater, & Spiritus Sanctus nihil in Incarnatione habent commune, nisi benignissimam voluntatem. Quorum Verborum hic est sensus, effectionem 19
Incarnationis esse tribus Personis communem, quia per aliquid omnibus commune illam efficiunt, nempe, per voluntatem. Incarnari verò non esse commune, quia non terminatur ad aliquid commune. Ad huius etiam rei confirmationem referri solet Dionysius cap. 2. de Diuinis nominibus, vbi dicit, hoc mysterium ad Theologiam discretam pertinere. Quod eodem modo tractat Damascenus lib. 3. de Fide cap. 6. Et Nicetas lib. 3. Thesauri cap. 34. Et Elias Cretensis in orationem 51. Nazianzeni, Parag. At inquit. Et similiter Anselmus lib. de Incarnatione Verbi cap. 4. probat, vnionem non esse communem, quia non est facta in natura communi.

Prætereà probatur ratione. Si vnio humanitatis immediatè facta est cum subsistentia essentiali communi tribus Personis: ergo qui primò & per se ratione huius vnionis factus est homo, est Hic Deus subsistens, prout communis essentialiter tribus Personis. Tunc sic. Quicquid Deo conuenit ratione essentiæ, vel proprietatis communis, conuenit etiam omnibus Diuinis Personis: sed esse substantialiter vnitum humanitati, siue factum esse hominem, conuenit Deo ratione essentiæ, seu proprietatis communis, nimirùm, essentialis subsistentiæ, vt docet Durandus: ergo esse vnitas substantialiter humanitati, siue factas fuisse hominem, competit etiam omnibus Diuinis Personis; atq; adeò non solùm Filius, sed Pater, & Spiritus Sanctus facti sunt homo: imò per communicationem Idiomatum verè possunt dici passi, crucifixi, & mortui, vt acutè Gabriel in.3.d.1.q.2. notabili.5. obijcit Durando. 20

Huic argumento dupliciter respondet Durandus. Primò negando consequentiam; nam ex vi primæ 21
vnionis

vnionis humanitatis cum Essentia Diuina, ex natura rei non sequitur vnio eiusdem cum Diuinis Personis, sed posset optimè humanitas manere vnita Huic Deo solum. Quod enim modò fuerit vnita Verbo, factum est per aliam peculiarem vnionem cum ipsius Verbi Persona, formaliter distinctam à priori vnione. Quam doctrinam non aliter probat, nisi quòd vnaquæq; Persona Diuina intimius vnitur essentiæ, quàm humanitas vniri possit illi, & tamen non sequitur, quòd si vna Persona vnitur essentiæ communi, vniatur etiam & reli-
22 quis Personis. Secundò respondet Durandus distinguendo illud consequens. Ergo omnes tres Diuinæ Personæ sunt substantialiter humanitati vnitæ, & factæ homo. Sunt verè factæ homo, distinguit. Inquantùm tales Personæ sunt, nempe, Pater, & Spiritus Sanctus, negat. Inquantùm Deus absolutè, concedit. Vnde cum hac limitatione fatetur, Patrem, & Spiritum Sanctum esse hominem.

23 Cæterùm vtraq; solutio meritò ab omnibus reijcitur, nam ex secunda euidenter sequitur, tam Patrem, quàm Spiritum Sāctum absolutè, & simpliciter Incarnatos fuisse, & factos hominem &c. Etenim quod illis conuenit, inquantùm sunt Deus, absolutè & simpliciter competit; tametsi ratione personalitatis propriæ reduplicatiuè non conueniat. Aliàs neq; sapere, neq; orare, neq; creare, neq; gubernare &c. Absolutè & simpliciter illis conueniret, cùm non conueniat ratione pro-
24 priæ Personalitatis, sed communis essentiæ. Prior verò solutio, præter quàm quòd duas admittit vniones humanitatis Christi formaliter distinctas, & ex natura rei separabiles, quarum altera, Deus vt sic, Idest, prout tribus Personis communis, altera Verbum factum est homo, contra communem consensum Sanctorum Patrum; imò omniū Catholicorum, qui non aliter Deum factum hominem sentiunt, nisi quia Verbum, quod verè est Deus, per vnicam, & simplicem humanitatis assumptionem ad ipsius Personam factus est homo: euidenter quoq; refelli potest. Etenim quemadmodùm vt
25 duo continua vnita dicantur, sufficit, quòd habeant quantitatiuum vinculum sibi commune, nempe, lineam, aut punctum; sic etiam vt Duo substantialiter vnita dicantur, sufficit, quòd habeant commune vinculum substantiale, quo mediante inuicem vniantur. Sed ex sententia Durandi totæ tres Personæ Diuinæ, & Christi humanitas habent vnum commune vinculum substantiale, scilicet, subsistentiam communem, & essentialem, per quam absolutè subsistunt: ergo totæ tres Personæ sunt substantialiter vnitæ humanitati, & ex consequenti sunt homo factæ. Nihil enim aliud est homo, quàm subsistens in humanitate: omnes autem Personæ Diuinæ mediante subsistentia communi sibi, & essentiali, subsisterent in humanitate, admissa sententia Durandi.

26 Plura alia incommoda contra sententiam Durandi deducit Gabriel vbi supra, sed hæc adducta, sunt potissima, & sic sufficiunt ad confirmandam nostrā conclusionem. Si tamen eius ratio à priori quæratur, hæc vnica est, quòd terminare humanitatem, nihil aliud est, quàm illi substantialiter vniri ad constituendam vnam Personam: sed Verbum est humanitati substantialiter vnitum ad constituendum cum ea vnam Personam ratione suæ propriæ personalitatis (persona enim proximè, imò adæquatè, & completè ex natura, & personalitate componitur) ergo Verbum terminauit humanitatem per se, & formaliter ratione personalitatis propriæ.

Ex dictis sequitur primò, sententiam Marsilij esse 27
improbabilem, quia si Persona Verbi non terminaret humanitatem per propriam, & incommunicabilem subsistentiam, sed per communem, & essentialem, non posset Verbi Persona, vt à Patre, & Spiritu Sancto condistincta in humanitate subsistere, neq; eam terminare: sicut quia ratio creandi non est propria Filij, sed communis sibi cum reliquis Personis, nō potest Filius quicquam creare, nisi Pater, & Spiritus Sanctus similiter creent. Nec est par ratio de actu generandi, quia gene- 28
rare in Diuinis includit oppositionem originis, & ideò omnibus Diuinis Personis conuenire non potest. At verò terminare humanitatem nullam dicit oppositionem; sicut neq; creare. Vnde si terminare conueniret Filio ratione essentiæ communis, non posset Filius naturam humanam terminare, sicut neq; potest solus creare hac eàdem ratione. Præterea. Personalitas Pa- 29
tris per se, & ex natura rei ad generandum requiritur, & actus ipse generandi est prior ordine originis Filio, & Spiritu Sancto, & sic non potest illis conuenire: sed Personalitas Filij ex natura rei non fuit necessaria ad terminandam humanitatem, & terminatio ipsa præsupponit omnes Diuinas Personas cōstitutas: ergo omnibus Diuinis Personis ex æquo competeret iste actus terminandi humanitatem, si competit ratione subsistentiæ communis.

Confirmatur; quia illud terminat humanitatis vnio- 30
nem, in quo est ratio illam terminandi, sicut vbi est ratio agendi, illud agit: sed in quauis Persona est ratio terminandi vnionem, nempe, subsistentia essentialis, siue Diuina Essentia; ergo quælibet Persona terminat vnionem, quod est falsum, & hæreticum.

Sequitur secundò, falsam esse sententiam Ochami in 31
3.q.1.art.2. & Gabrielis d.1.citata, asserentium, rationem terminandi non esse proprietatem relatiuam, vel absolutam, sed totam Verbi entitatem secundùm se totam, quæ vtramq; rationem includit. Etenim quamuis in Deo absoluta, & relatiua non distinguantur in re, & Diuinæ Personæ secundùm rem simplicissimæ sint; quia tamen inter se ita conueniunt, vt realiter quoq; differant, necessariò in ipsis secundùm rationem distinguendum est aliquid commune, in quo conueniant, ab eo, quod illis est proprium, & peculiare, ratione cuius inter se differant. Commune est essentia, & quidquid absolutum est tenens se ex parte illius; peculiare verò est ipsa hypostatica forma, & proprietas relatiua ipsius Personæ constitutiua.

Vnde cùm adæquatè ex his duabus rationibus, com- 32
muni, scilicet, & propria, Persona Diuina constet, meritò inquiritur, per quam primò & per se Verbum humanitatem terminauerit. Atq; adeò ineptè asseruerunt Ocham & Gabriel, rationem terminādi humanitatem fuisse totam Verbi Personam, sumptam, secundùm omnem entitatem, quam habet, & non aliquid essentiale, aut notionale illius. Isti enim essentiam communem cum proprietate Personali planè confundunt contra Patrum, & Conciliorum doctrinam.

Colligitur tertiò contra Marsilium, Personalitatem 33
Verbi

Digitized by Google

Verbi in hac assumptione non solùm fuisse conditionem necessariò requisitam ad terminandam ipsam vnionem: sed etiam rationem formalem terminandi, & personandi. Neq; obstat, quòd paternitas sit tantùm conditio necessaria ad generandum, & non ratio formalis, quia generatio est actus notionalis connotans relationem necessariam in principio generante, atq; adeò est actus proprius Personæ Patris, & non Filij, quia est à Patre, vt origine antecedit Filium: & ideò requiritur, vt conditio necessaria in Persona Patris, relatio,
34 quæ hanc prioritatem originis importet. Cæterùm omnis communicatio Diuini esse, quæ fit ad extra, supponit personas constitutas, & ordinem originis per se non requirit. Et ideò si talis communicatio fiat per essentiam, & non per relationem, non est cur requirat relationem, vt conditionem necessariam, vel cur ad omnes indifferenter non se habeat. Item in generatione æterna ideò essentia est principium, & potentia generandi, quia ipsa est, quæ per generationem communicatur. Quare si in assumptione esset principium, & ratio terminandi, proculdubiò illa communicaretur, atq; adeò esset communicatio ab omnibus Diuinis Personis, quæ antè talem communicationem essentiæ supponerentur constitutæ. Sed hæc omnia ex solutionibus argumentorum magis aperientur.

35 Ad primum igitur argumentum concessa maiori negatur minor, & ad primam probationem Resp. Augustinum per subsistere intellexisse, esse per se, seu existere substantialiter, non verò esse per se, idest, incommunicabiliter. Quod quidem colligitur ex testimonio obiecto, in quo probat August. subsistere esse absolutum, & non relatiuum: quia substantia à subsistendo dicitur: substantia verò in Diuinis Essentiam absolutam, & non relatiuam significat. Si tamen per subsistere intellexisset esse per se, & incommunicabiliter, quo suppositum constituitur, non dubium, quin docuisset, esse relatiuum, & non absolutum secundùm rem; quia quoad modum significandi, Subsistentia, Suppositum, & Persona sunt absoluta: quod fortassè tãtùm voluit Augustinus 5. de Trinit. cap. 8. cùm dixit, subsistens, & personam ad se, & non ad aliud dici.

36 Ad secundam probationem concessa maiori negatur minor. Et ad probationem negatur, quòd aliqua perfectio etiam relatiua, sit in vna persona, quæ non sit in alia. Etenim licèt perfectio simpliciter, quæ est in Patre per modum Paternitatis, non sit in Filio sub illo modo, est tamẽ sub ratione Filiationis, quæ æqualis est omninò cum perfectione Paternitatis, vt sic. Et quamuis vt Persona sit infinita simpliciter, necessarium sit, quòd formaliter contineat omnem perfectionem simpliciter, essentialem, & absolutam: non tamen est necessarium, vt formaliter contineat omnem perfectionem personalem, & relatiuam, sed satis est, si illam contineat eminenter, & virtualiter ratione essentiæ, in qua omnes perfectiones essentiales sicut in radice cõtinẽtur: vt supra ostensum est q. 2. art. 2. Disput. 4. Parag. 5. & 6.

37 Ad tertiam probationem rectè ibidem responsum est, existentiam non esse idem cum subsistentia. Vndè licet existentia sit vna, & absoluta in Deo, non sequitur, etiam subsistentiam esse vnicam, & absolutam: quin potius sunt tres realiter inter se distinctæ, quibus tres Diuinæ Personæ primò & per se constituuntur, & distinguuntur ab inuicem. Verbum igitur ratione suæ Personalis subsistentiæ terminauit humanitatem, supplens defectum propriæ subsistentiæ. Quod quidem subsistentia Verbi præstare potuit, quia esto relatiua sit, continet tamen eminenter formaliter omnis creatæ, & absolutæ subsistentiæ perfectionem. Neq; verò sequitur ex eo quòd humanitas Christi per relatiuam Verbi subsistentiam fuerit terminata, quòd Christus non sit homo absolutè eiusdem rationis cum reliquis:
etenim vt absolutè sit homo, sufficit, quòd forma, qua 38
in esse hominis constituitur, nempe, humanitas, sit entitas absoluta. Similiter vt sit homo eiusdem rationis cum reliquis, sat est, quòd huiusmodi forma, quam homo pro formali importat, sit eiusdem speciei cum forma constitutiua aliorum hominum: quod & ipse Durandus fateri tenetur; nam subsistentia, quam hic homo Christus pro materiali concernit, cùm iuxta ipsum sit Diuina, & increata, à subsistentijs aliorum hominum non solum specie differt, sed etiam genere.

Ad secundam obiectionem contra eandem solutionem propositam, Resp. Quòd siue in Deo præter tres relatiuas subsistentias detur alia essentialis, & absoluta, siue non, necessariò dicendum est, Verbum de facto terminasse humanitatem ratione tantùm suæ personalis subsistentiæ: tum, quia cùm hæc sufficiat ad supplendum defectum personalitatis propriæ, frustrà fingitur, per aliam quoq; subsistentiam humanitatem esse terminatam. Tum maximè, quia aliàs Verbum non tantùm in eo, quod sibi proprium est, humanitatem suscepisset, sed in eo, quod toti Trinitati est commune, nempe, essentiali subsistentia, contra diffinitionem Concilij Toletani 6. Imò totæ tres personæ mediante illo communi vinculo subsistentiæ absolutæ essent vnitæ substantialiter humanitati: atq; adeò & incarnatæ. Etenim Incarnari nihil aliud est, quàm carni, siue humanitati substantialiter vniri. 39

Sed dices, hæc incommoda vitari non posse in sententia D. Thomæ, iuxtà quam necessariò fatendum est, 40
humanitatem Christi non solùm vnitam fuisse subsistentiæ Personali Verbi, sed etiam Diuinæ Existentiæ, quæ secundùm D. Thomam est proprietas communis, & essentialis, per quam non solùm Diuina Essentia, sed totæ tres Personæ formaliter, & indiuisibiliter existũt, neq; datur in illis alia existentia formaliter, aut ratione diuersa. Respondetur ex D. Thoma infra q. 17. artic. 2. Quòd naturæ substantiali creatæ non competit immediatè, & proximè existere, sed ipsi supposito, cuius est proprium esse per se: natura verò dicitur existere, quatenus pertinet ad constitutionem suppositi per se existentis. Implicat enim, quòd suppositum per se, & vt Quod, 41
existat, quin secundariò, & vt, Quo, existant quoq; consequenter, quæcumq; substantialiter ad ipsius suppositi constitutionem concurrunt. Vt ergo natura humana Christi existeret in Verbo vt, Quo, qua ratione solùm nata est existere, nulla alia vnio fuit necessaria, quàm ea, per quã vnita est Supposito Verbi per se, & vt Quod existenti. Et quamuis existentia, per quam Suppositum Verbi existit, sit absoluta, & essentialis, nam totæ tres Personæ Diuinæ per vnicam, & indiuisibilem existentiam formaliter existunt, vt expressè docet D. Thomas loco citato ad 3. Indè tamen non sequitur, tres Diuinas Personas fuisse humanitati substantialiter vnitas, mediante

Digitized by Google

mediante vinculo communi essentialis existentiæ. quia
vt rectè obseruauit Caietanus infra.q.17.art.1. Esse Di-
uinum communicatum est humanitati Christi, non
prout commune, neq; prout alterius Personæ, V.G. Pa-
tris, aut Spiritus Sancti; sed vt erat præcisè, ac formali-
42 ter existentia ipsius Verbi. Præterea. Vt duo dicantur
vniri mediante communi vinculo, necessarium est, vt
huiusmodi vinculum attingat immediatè, & proximè
vtrumq; extremum, & cum vtroq; per se connectatur.
At Diuina existentia humanitatem Christi proximè, &
immediatè non attingit, sed mediatè; quatenùs scilicet
includitur in Persona Verbi, cui humanitas immediatè
coniungitur. Ergo existentia Diuina nequit esse vincu-
lum, ratione cuius reliquæ Diuinæ Personæ humani-
tati vniri substantialiter dicantur: sicut neq; Essentia
Diuina, cum qua mediatè etiam vnita est humanitas
Christi.

43 Ad tertiam obiectionem respõdetur, Verbum priùs
subsistentiam personalem, quàm existentiam humani-
tati communicasse. Licèt enim materialiter, & in ra-
tione entis existentia, sicuti sapientia, & reliquæ perfec-
tiones essentiales, relatiuam subsistentiam antecedat: ni-
hilominùs formaliter, & in ratione termini prior est
personalitas, cùm sit proxima ratio terminandi huma-
nitatem. Cùm autem obijcitur, subsistentiam Verbi esse
modum Diuinæ existentiæ, atq; adeò non posse priùs
per subsistentiam, quàm per existentiam humanitatem
terminare: Respondetur, subsistentiam per se, & for-
maliter solùm esse vltimum complementum intrinse-
cum naturæ substantialis. Quia verò natura Diuina
existentiam actualem essentialiter includit; idcircò sub-
sistentia personalis ipsius est modus existentiæ, sicut es-
44 sentiæ, & substantiæ. Sed hoc per accidens est illi ad ra-
tionem terminandi humanitatem. Quamuis enim per
impossibile esset solùm modus, & cõplementum subs-
tansiale essentiæ, posset naturam humanam terminare:
nam cõtineret eminenter formaliter totum, quod hu-
mana subsistentia dicit; ac proindè posset naturam hu-
manam vt, Quod, & vt, Quo, incommunicabilem red-
dere, & proximè actualis existentiæ capacem, qui est
proprius, & quasi formalis effectus subsistentiæ proprię
creatæ. Quo fit, vt non sit simile, quod in argumento
45 adducitur de figura, & quantitate. Sed neq; exemplum
ibidem adductum de luce quidquam valet: quia lux in
genere causæ formalis solùm tribuit aeri esse lucidum,
esse verò calidum in genere causæ efficientis tantùm.
Implicat autem, quòd forma priùs aliquid causet effi-
cienter in subiecto, in quo est, quàm illi suum effectum
formalem communicet. At Persona Verbi vtrumq; esse
tam subsistentiæ, quàm existentiæ humanitati com-
municat intrinsecè, & per modum causæ formalis.
Item esse calidum non est dispositio necessaria in aere
ad suscipiendum formalem lucis effectum, sed esse Dia-
phanum. At verò in humanitate esse terminatam per
subsistentiam, & Personalitatem Verbi, est necessaria
conditio ad effectum actualis existentiæ recipiendum.
46 Cùm verò replicatur, effectum Diuinæ existentiæ, qui
est existere, absolutè, & simpliciter præsupponi ad effe-
ctum subsistentiæ personalis, qui est incommunicabi-
liter existere, nam prius est esse simpliciter, quàm esse
taliter: Resp. Effectum formalem, quem humanitas à
subsistentia Verbi, veluti ab intrinseco termino per se
accipit, non esse, actu existere; sed esse substãtiam com-
pletam proximè capacem existentiæ actualis; hic est
enim formalis effectus, quem propria subsistentia illi
communicaret. Nec sequitur. Subsistentia Verbi pro
formali dicit modum incommunicabiliter existendi;
ergo effectus primarius illius est facere incommunica-
biliter existens. Non, inquam, valet, quia (vt dixi) subsis-
tentia primariò dicit complementum essentiæ subs-
tantiale. Sed quia in Diuina Essentia includitur existen-
tia: ideò definiri à D. Thoma optimè potuit, modus
existendi incommunicabiliter.

Sed objicitur: quia D. Thomas. 1.p.q.29.art.2. abso- 47
lutè docuit, subsistentiam in communi, vt à Diuina, &
creata abstrahit, pro formali importare modum in-
communicabiliter existendi: ergo tam hæc, quàm illa
præsupponit existentiam intrinsecè, & essentialiter.
Resp. Quòd quemadmodùm cùm definitur substantia
in communi, per esse, seu existere per se, non est sensus,
quòd de essentia substantiæ creatæ sit actualiter existe-
re, sed quòd talis sit naturæ, cui existere per se debeatur:
sic etiam cùm subsistentia definitur communiter, mo-
dus existendi incommunicabiliter, sensus est quasi cau-
salis, nempe, subsistentiam esse rationem constitutiuam
substantiæ completæ, potentis proximè; & immediatè
per se, & incommunicabiliter existere.

Ad primam confirmationem Resp. Verbum tribue- 48
re humanitati suum subsistere relatiuum, quod est per
se subsistens, & infinitum in terminando; ac proinde
terminare potest omnes naturas creatas, siue sint abso-
lutæ, siue relatiuæ. Ad secundam negatur sequella, quia
Persona Verbi, siue subsistat in Diuina, siue in humana
natura, semper importat subsistentiam relatiuam: atq;
adeò Christus vt in humanitate subsistẽs, siue vt est Per-
sona humana, est persona relatiua formaliter loquendo
de ratione personæ: tametsi vt est quoddã indiuiduũ na-
turæ humanæ, sit aliquid absolutũ. Vnde etsi humani-
tas terminetur per relationẽ, nõ tamẽ per illã Christus,
vt homo, refertur ad Patrem, sed vt est hæc persona, re-
fertur ad Patrem. Quemadmodùm relatio terminat
Deitatem, & non refert ipsam Deitatem; neq; Hunc
Deum, vt sic, ad Patrem, sed refert illam Personam, vt
secundùm se talis est. Item negatur, esse in Christo du-
plicem Personalitatem, sed vnicam tantùm.

Circa tertiam conclusionem Dubitatur, An Diuina 49
natura propriè dicatur assumere, & ita propriè sicut
Persona. Affirmatiò autem probatur: quia assumere
importat & principium actionis, & terminum: sed na-
tura Diuina per se primò, & ratione sui est principium
actionis, & assumptionis, & ratione naturæ conuenit
Personæ, vt D. Thomas ait hîc, Persona autem primò
& per se ac ratione sui est terminus, ratione verò Perso-
næ conuenit naturæ esse terminum: ergo ita propriè
natura dicitur assumere, sicut persona. Antecedens patet
ex dictis, & consequentia probatur, quia assumptio non
minùs importat principium actionis, quàm terminum:
sed ratione principij actionis natura excedit personam;
tametsi excedatur ab ipsa in ratione termini; ergo
æqualiter se habent natura & persona in ordine ad as-
sumptionem.

Pro explicatione huius dubij animaduertendum est 50
ex superiùs dictis q.2.art.8. Verbum, Assumo, importare
formaliter motũ, non actionem, vel passionem. Motus
autem

autem formaliter non dicit ordinem ad motorem, & ad principium actiuum ipsius, sed tantùm dicit ordinem formaliter ad suos terminos, præsertim ad terminum ad quem: in quo differt ab actione, quæ formaliter
51 importat ordinem ad agens. Hoc præmisso dicendum est, Personam Filij proprissimè dici assumere, Naturam Diuinam propriè, Personas verò Patris, & Spiritus Sancti impropriè. Primum, & secũdum patent, quia assumere importat motum, sed Persona est terminus assumptionis ratione sui, Natura verò etsi ratione sui sit principium actiuum, non tamen est terminus ratione sui, sed ratione personæ ergo persona proprissimè dicitur assumere, essentia vero non cum tanta proprietate. Patet consequentia, quia motus formaliter dicit ordinem ad terminum ad quem, non tamen dicit ordinem ad agens. Tertium colligitur ex D. Thoma in responsione ad secundum. Et per hoc soluitur argumentum.

52 Circa eandem conclusionem Dubitatur de veritate harum propositionum. Natura Diuina est Incarnata. Natura Diuina est facta caro, vel homo. Natura Diuina est homo. Natura Diuina est nata ex virgine, crucifixa, passa &c. Respondetur, illam propositionem, Natura Diuina est Incarnata, esse veram, & concedendam. Sic conceditur à Magistro in. 3. d. 5. & à D. Thoma hîc. Item illa enunciatio, Natura Diuina est facta caro, vel homo, est falsa, & sic negatur à Magistro, nam videtur significare, Naturam Diuinam esse conuersam in carnem. Illa vero, Natura Diuina est homo, concedenda est
53 in sensu identico, non in formali. Sed obijcitur. Natura Diuina est homo: sed non est homo ab æterno; ergo facta est homo. Negatur consequentia, quia in consequenti fit appellatio supra id, quod supponit pro immediato termino assumptionis. Etenim Natura Diuina, etsi verificetur de Verbo Diuino, non tamen supponit pro Filio Dei propter diuersum modum significandi, quia Natura significat in abstracto, Filius autem Dei in concreto. Vltima verò propositio, nempe, Natura Diuina est nata, crucifixa, passa &c. Est falsa, & neganda, quia Natura Diuina dici non potest generare, tametsi Deus generet. ergo licet Deus dicatur natus ex virgine, crucifixus, &c. Natura Diuina non potest dici nata, crucifixa &c. Legendus est Damascenus lib. 3. cap. 6. vbi sic ait.
54 *Naturam Verbi passam carne non audiuimus; Christum passum carne, edocti sumus.* Ratio huius est, quia hæc adiectiua, Nata, Mortua, &c. Appellãt suum significatum formalem supra formale huius nominis, Essentia, & est sensus, quòd Essentia Diuina secundum se originem traxit à B. Virgine. Istæ verò propositiones, Deus natus est ex virgine, mortuus, crucifixus &c. Conceduntur, quia ly Deus supponit pro persona, & illa nomina adiectiua applicant suum significatum formale ad Personam, quæ secundùm aliquam naturam est mortua.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm abstracta Personalitate per intellectum natura possit assumere.

D*IVVS Thomas præmittit distinctionem circa modum, quo intellectus noster potest in Diuina tendere. Vno modo, vt cognoscat Deum, sicuti est, alio modo, vt cognoscat Deum iuxta modum ipsius intellectus, cognoscendo multipliciter & Diuisim, id, quod in Deo est vnum. Hoc præmisso constituit D. Thomas duplicem conclusionem.*

Prima est. Si intellectus tendat in Deum, sicuti est à parte rei, nulla posset fieri abstractio, ac proinde si abstraheretur Personalitas Diuina, non maneret Natura Diuina, quæ posset assumere. *Explicatur, & probatur hæc conclusio. In Diuinis omnia sunt vnum salua distinctione Personarum, & vbi non obuiat relationis oppositio: ergo si vnum tollatur, tollitur totum, quod est in Deo: sicut qualibet Personarum tollitur alia sublata; quia distinguuntur solis relationibus, quas oportet esse simul. Ergo si intelligatur Deus, sicuti est in se, nec potest intelligi natura Diuina sine proprietatibus relatiuis, neq; è contra: ac proinde, vt sic nulla potest fieri abstractio à Personalitatibus.*

Secunda Conclusio. Si consideretur Deus ad modum nostri intellectus, prout considerat vnum non considerato alio, idest, quatenùs considerat bonitatem Dei, non considerata sapientia, cùm tamen bonitas Dei & sapiens sit, & ipsa sapientia: sic potest aliquid à Deo abstrahi, & ita abstractis per intellectum personalitatibus, adhùc potest intelligi natura assumens. *Probatur in argumento sed contra, quia abstractis per intellectum proprietatibus Personalibus, adhùc remanet Dei omnipotentia, qua facta est Incarnatio: ergo.*

Est primum argumentum D. Thomæ. Naturæ conuenit assumere ratione Personæ, vt ostensum est articulo præcedenti: ergo abstracta persona nequit natura assumere. Patet consequentia, quia quod cõuenit alicui ratione alterius, illo altero remoto non potest illi conuenire, sicut corpus, quod est visibile ratione coloris, sine colore videri non potest. Respondet D. Thomas negando consequentiam, quia abstractis à natura Diuina relationibus maneret natura, vt subsistens, & vt Persona, & hac ratione intelligitur, quòd assumat, quia in Deo idem est, quod est, & quo est; ergo quidquid remanet in Deo facta abstractione, erit Persona, cùm sit in natura intellectuali.

Secũdum. Assumptio importat terminum vnionis, vt dictum est Artic. I. huius quæstionis: sed vnio

Digitized by Google

vnio nequit fieri in natura, sed solùm in persona; ergo abstracta personalitate, natura Diuina assumere non potest. Negat consequentiam, quia facta tali abstractione personarum remaneret in intellectu Personalitas Dei, vt existimant Iudæi, ad quam posset terminari assumptio, sicut nunc dicimus eam terminari ad Personam Verbi.

Tertium. Abstracta personalitate nihil manet; ergo abstracta personalitate non posset natura Diuina assumere. Respondet, quòd abstracta personalitate à Deo nihil dicitur remanere per modum resolutionis, quasi aliud sit in Deo relatio, & id, quod relationi subijcitur; nam quidquid est in Deo, est subsistens, aliquid tamen quod dicitur de Deo, potest sine alio intelligi ad modum dictum. Hæc D. Thomas.

Commentarius.

1 PRO Huius articuli explicatione sunt aliqua accipienda ex Commentario Caietani. Primum est, Naturam Diuinam hîc sumi etiam in concreto. Hoc est. Vtrùm Hic Deus abstrahendo à personis humanitatem assumere possit. Secundum est, abstractionem intellectus esse in duplici differentia. Quædam est præcisiua, siue simplicis intelligentiæ, altera verò negatiua, seu diuisiua. Prior fit per primam intellectus operationem, quæ dicitur simplicium appræhensio, in qua vnum intelligitur non considerando aliud. De qua abstractione intelligitur illud Aristotelis, 2. Physic. text. 18. Abstrahentium non est mendacium. Quia sine vllo mendacio potest considerari V. G. Albedo lactis sine dulcedine, & animalitas hominis sine rationalitate. Posterior abstractio fit per secundam operationem intellectus, separando, & negando vnum ab alio, vt si diceretur, hominem non esse rationalem.

2 Tertium est, abstractionem præcisiuam, adhuc esse duplicem. Alteram, quæ consurgit ex natura rei, alteram verò, quæ consurgit ex modo Intelligendi nostri intellectus. Prior abstractio requirit in re compositionem aliquam actualem, vel distinctionem actualem, ad minùs formalem inter ea, ex quibus fit abstractio. V. G. inter albedinem lactis & dulcedinem, est abstractio præcisiua ex natura rei, nam illa duo accidentia distinguuntur ex natura rei. Item, inter animalitatem hominis, & rationalitatem potest esse huiusmodi abstractio; nam illa distinguuntur formaliter, habent enim distinctas definitiones. At verò abstractio secundi generis præcisiua nullam in re postulat compositionem, vel distinctionem formalem, & ideò, licet Deus à parte rei nec realiter, nec formaliter distinguatur à Personis, potest abstractione præcisiua considerari à nostro intellectu non consideratis Personis.

3 Sed obijcitur. Omnis abstractio importat quandam distinctionem: ergo si abstrahitur Deus à Personis, aliqua distinctio ponenda est inter Deum, & Personas: aliàs talis abstractio esset omninò fictitia. Resp. Vtriusque abstractionis præcisiuæ dari quidem fundamentum, sed non idem, neque eodem modo. Etenim abstractionis ex parte rei fundamentum est compositio actualis in re, vel distinctio actualis, saltem formalis in re: fundamentum verò secundæ abstractionis non est distinctio actualis in re, sed distinctio formalis virtute. Itaq; licèt Deus cum Personis nullam faciat compositionem, neque actu distinguatur ab illis: nihilominùs tamen, cùm Deus sit ens quoddam simplicissimum infinitæ celsitudinis, in se præhabens, quidquid spectat ad absolutum, & relatiuum; ideò eminenter & fundamentaliter habet quandam distinctionem, quam Caietanus vocat formalem virtute, & potest in intellectu fundare distinctos conceptus: quosdam, quibus absoluta concipiantur, alios verò, quibus relatiua considerentur. Vnde asserit Caietanus, hanc secundam abstractionem præcisiuam, quæ ex distinctione actuali in re non oritur, esse veluti effectum à causa æquiuoca: abstractionem verò præcisiuam, quæ ex distinctione actuali in re consurgit, esse veluti effectum à causa vniuoca prouenientem. Legendus est de hoc eruditissimus Doctor Bartholomæus de Torres, de Trinitate, quæstione vigesima octaua, articulo secundo, Disputatione prima, parte secunda, vbi hanc rem eruditè explicat, vt cætera omnia exponere solet.

4 His suppositis quæstio huius articuli in triplici sensu potest tractari. Primus est, An abstracta omni personalitate, tam absoluta, quàm relatiua, possit Natura Diuina assumere. Ad quod respondent omnes Theologi negatiuè. Sic Durandus in 3. dist. 1. quæst. 4. Et D. Thomas dist. 5. quæst. 2. artic. 3. Et ratio est manifesta; quia Natura Diuina sine vlla prorsus personalitate, consideratur sine subsistentia; ergo vt sic non potest assumere. Antecedens probatur; quia si Diuina Natura consideratur vt subsistens, iam consideratur ad modum Personæ, quod est contra hypothesim. Consequentia verò probatur, quia assumere humanitatem, est communicare illi subsistentiam.

5 Sed obijcitur contra hoc. Essentia Diuina, etiam vt præscindit ab omni subsistentia, est infinita: ergo continet eminenter omnem perfectionem creatæ subsistentiæ. Ergo potest supplere defectum illius, & loco eius terminare alienam naturam. Hæc consequentia patet: quia Persona Verbi hac ratione præcisè potuit humanitatem terminare, & defectum personalitatis, seu subsistentiæ illius supplere; quia continet in se eminenter perfectionem humanæ subsistentiæ. Præterea, Essentia Diuina adhùc significata per modum puræ naturæ, seu formæ Methaphysicæ, hoc est, præcisa, & abstracta ab omni subsistentia tam relatiua, quàm absoluta, præhabet in se existentiam, quia sine hac non magis potest intelligi Deitas, quàm humanitas sine rationalitate: ergo ratione huius existentiæ potest terminare, seu assumere naturam creatam.

6 Cæterùm neutra harum obiectionem obstat. Prima enim solùm probat, Essentiam Diuinã eminenter continere perfectionem subsistentiæ creatæ, eo modo, quo

continet essentiam, & quamcumq; creatam formam, ac proinde in genere causæ efficientis extrinsecè eam, sicut & quamlibet aliam rem causare posse: non tamen intrinsecè, & quasi formaliter per modum termini substantialis. Ad hoc enim necessarium est, vt formaliter eminenter illam contineat: hoc est, vt in se habeat formalem rationem subsistendi, virtute, & eminenter continentem, quidquid perfectionis est in subsistentia creata, & propria. Cùm enim hunc subsistendi effectum præbere debeat naturæ creatæ per intrinsecam sui cum illa vnionem; oportet, vt in ipsa Diuina Natura sit formalis subsistendi ratio, qua essentiam crea-
6 tam immediatè subsistentem efficere posit. Effectus enim formalis, aut quasi formalis intrinsecus non nisi à forma, vel termino intrinseco formaliter tali, prouenire potest. Licet autem Diuina Essentia, quamtumlibet abstracta, & præcisa actualem existentiam includat (non enim potest Natura Dei, sicut creaturarum, concipi solùm vt possibilis) illam tamen substantiæ creatæ immediatè communicare non potest; quia vt docet D. Thomas, ad recipiendam Diuinam existentiam debet creata substantia priùs terminari per subsistentiam, & personalitatem. Ex quo secunda obiectio diluitur.

7 Tertiò obijcitur. Natura Diuina sic concepta intelligitur habere esse existentiæ; ergo posset illud communicare naturæ humanæ, illamq; trahere ad existendum suo esse. M. Suarez Disput. 31. sectio. 1. negat consequentiam, quia opinatur implicare contradictionem, quòd aliqua entitas realis existat per existentiam, vel entitatem à se realiter distinctam, sicut implicat, vt aliqua entitas constituatur in esse entitatis per entitatem à se distinctam, quia nihil est aliud constitui per existentiam, quàm formaliter fieri entitatem actualem. Sed hæc doctrina supra q.2. artic.2. Disput.3. vt falsa reiecta est, & ibidem ostendimus, rem in esse actualis entitatis non constitui formaliter per existentiam, sed per formam specificam, etsi requirat existentiam concomitanter. Vnde ad argumentum neganda est consequentia, quia vt ostendimus q.2.artic.11. Disput. 2. Conclus. 4. Natura creata non est capax existentiæ Diuinæ, nisi præintelligatur Personalitate Diuina Personata, cùm persona sit immediatum susceptiuum existentiæ, ac proindè Natura Diuina concepta sine vlla prorsus subsistentia propria, & singulari, non potest assumere naturam creatam. Neq; obstat, quòd nulla entitas potest constitui in esse entitatis per entitatem à se distinctam: nam entitas non distinguitur ab ipsa re, cuius est. Existentia verò realiter distinguitur ab essentia, & ideò essentia potest existere per alienam existentiam. Lege infra quæst. 17. artic. 2. Disput. 1. num. 236. & sequentibus.

8 Secundus sensus est, An abstractis Personalitatibus relatiuis non solùm ab actu Incarnationis, sed etiam ab ipsa Diuinitate, vt Caietanus dicit, ita vt quæstio sit, An si per impossibile in Deo non essent tres Personæ, sed Deus subsistens, posset Deus assumere. Ad quod omnes Theologi Respondent affirmatiuè, & ratio est quia cùm ibi maneat Natura Diuina subsistens, manet consequenter aliqua ratio suppositi sufficient ad terminandam dependentiam naturæ humanæ, illamq; sustentandam. Item, quia circunscriptis per intellectum personis, ille Deus subsistens, qui manet, est agens, creans, &c. Hæc enim conueniunt Deo, vt sic, atque vt vni: ergo etiam posset esse assument.

Tertius sensus est, An abstractis personalitatibus non 9
quidem à Natura Dei, sed ab actu assumendi, natura solum posit assumere: idest, An positis personalitatibus cum ipsa natura, posit Natura Dei assumere humanitatem, ipsis personis non assumentibus. Et hic videtur esse sensus intentus à D. Thoma in titulo articuli, ita vt quæratur, An abstracta personalitate relatiua, Natura Diuina ex his tantùm, quæ per se & essentialiter includit, sit sufficiens ad assumendam aliam naturam, seu ex se habeat, vnde posit alteram naturam terminare. Et in hoc sensu conclusio D. Thomæ est certissima, quam recipiunt Scotus in.3.dist.1.quæst. 2. Durandus quæst. 2. Richardus artic. 1. quæst. 4. Gabriel quæst. 1. artic. 3. Dub. 4. Ocham quæst. 1. Caietanus in hoc articulo, & omnes recentiores Thomistæ, quibus subscribit M. Suarez. Et Disputatione sequenti eam confirmabimus.

DISPVTATIO VNICA. §. I.

VTRVM Hic Deus, vt abstrahit à Personis Diuinis, posit per seipsum naturam humanam immediatè terminare. Hoc est. An Hic 1
Deus, prout est communis Diuinis Personis, sicut per seipsum immediatè creat, & operatur ad extra, sine aliquo ordine ad proprietates personales, non enim creat, inquantùm Pater, vel Filius &c. Sic etiam posit immediatè assumere, & terminare naturam humanam; ita vt vnio fiat primò & per se ad hunc Deum præcisè, & non ad proprietates relatiuas, vt sic, nisi tantùm ratione absoluti, ad eum modum, quo nunc tres Personæ Diuinæ vniuntur in subsistentia absoluta, & non in relatiua. Negatio autem his argumentis suadetur.

Primò ex D. Thoma hîc in responsione ad 1. & 2. 2
vbi ait, Naturam Diuinam non posse intelligi, quòd assumat, & terminet naturam humanam, nisi inquantùm intelligitur habere subsistentiam, & personalitatem. Ex quo sic argumentor. In Deo nulla est personalitas secundùm rem, nisi in tribus Personis: ergo natura terminari non potest nisi in aliqua persona determinata. Probatur antecedens: quia Personalitas in Deo nullo modo pertinet ad prædicata absoluta, sed semper est prædicatum relatiuum.

Secundò. Natura humana non potest terminari nisi 3
per aliquam subsistentiam: sed Hic Deus non potest intelligi subsistens antè proprietates personales; ergo naturam terminare non potest. Probatur minor ex D. Thoma quæst. 9. de Potentia artic. 3. ad 5. vbi docet expressè, omne subsistens, eo ipso quòd subsistit, esse incommunicabile; sed Hic Deus est communicabilis tribus Personis: ergo nequit esse subsistens, sicut non potest esse incommunicabilis. Item probatur eadem minor. Nam quæ in Personis multiplicantur, sunt relatiua, & non conueniunt huic Deo secundùm se: sed subsistentia multiplicatur in personis, sunt enim tres subsistentiæ Personales distinctæ; ergo subsistentia non potest

conuenire

Digitized by Google

conuenire huic Deo secundùm se, & ex consequenti Hic Deus secundùm se, & immediatè non potest terminare naturam.

4 Tertiò. Terminare & sustentare naturam solùm pertinet ad personam; sed Hic Deus non est Persona, alias esset in Deo quaternitas personarum; ergo nequit naturam terminare. Maior probatur, quia terminare naturam immediatè, est, propriam personalitatem illi tribuere, & per eandem, illam sustentare: ergo ad solam personam pertinet terminare naturam.

5 Quartò. Implicat contradictionem, vt natura rationalis reipsa subsistens neque sit persona, neque in persona: sed si humanitas assumeretur per se primò ab hoc Deo, & subsisteret per illum, tunc ille homo ex assumptione resultans neque esset persona, neque in persona: ergo assumi non potest. Probatur minor, quia Hic Deus subsistit communicabiliter; ergo non est Persona.

6 Confirmatur. In Deo sunt tantùm tres Personalitates; ergo illis abstractis nulla remanet personalitas, & ex consequenti assumptio fieri non poterit. Patet consequentia, quia alias daretur hic homo à parte rei, qui non esset persona, quod repugnat. Item daretur vnio media inter vnionem in natura, vel in persona, quod est contra D. Thomam, & contra communem modum loquendi Patrum, & Conciliorum, vt constat ex Concilijs Toletanis 6. & 11. in principio. Vnde Anselmus lib. de Incarnatione Verbi cap. 4. Disputans contra asserentes, si Verbum Incarnatum esset, necessariò sequi, alias Personas esse Incarnatas, ait, eos necessariò ponere vnionem esse factam in natura, sentiens non posse esse aliam vnionem communem tribus Personis. Sed probatur sequella, quoniam hæc vnio, quæ fieret ad hunc Deum, non est in persona, cùm Hic Deus non sit persona, neque etiam in natura, quia non potest resultare tertia natura ex Diuina & humana: ergo danda est media vnio.

7 Dices, hanc vnionem non esse in natura, idest, in essentia, sed in hoc Deo, in ratione subsistendi. Contra hoc est argumentum desumptum ex Concilio Ephesino, & Chalcedonensi, in quibus definitur contra Nestorium factam esse vnionem secundùm subsistentiam, idest, personam: non tamen esse factam secundùm naturam, vel in diuersitate suppositali secundùm accidens, quæ quidem definitio vim non haberet, si secundùm subsistentiam esse posset, & non secundùm personam.

8 Rursus confirmatur hæc definitio. Quià si vnio posset fieri secundùm subsistentiam, & non secundùm personam, sequeretur, quòd humanitas assumpta non impediretur à propria personalitate: sed consequens est falsum: ergo. Probatur sequella. Illa subsistentia, secundùm quam fieret vnio, non est personalis, sed essentialis; ergo non posset impedire propriam personalitatem humanitatis.

9 Quintò. Implicat, hunc Deum assumere humanitatem, quin omnes tres Personæ eandem assumant; ergo implicat, hunc Deum terminare humanitatem, quin omnes tres Personæ eandem terminent. Antecedens patet, quia Hic Deus est idem omninò cum tribus Personis; ergo quidquid conuenit à parte rei Huic Deo, conuenit etiam tribus Personis.

Confirmatur primò. Implicat, quòd aliquid in nobis vniatur humanitati, quin vniatur immediatè in persona: at in Deo est maior ideotitas inter naturam & personam: ergo implicat, aliquid vniri naturæ Diuinæ, quin immediatè vniatur Diuinis Personis. 10

Confirmatur secundò. Si in Deo esset tantùm vnica persona, implicaret contradictionem, quòd aliquid vniretur naturæ, quin immediatè vniretur personæ: ergo neque nunc fieri potest. Probatur consequentia, quia tanta est nunc identitas inter naturam & personas, quanta tunc esset. 11

De hac re sunt variæ Theologorum sententiæ. Prima negat, hunc modum vnionis esse possibilem, quia negat subsistentiam aliquam communem in Deo. Sic Alexander Alensis 3. p. q. 2. membro 3. & q. 7. membro. 1. art. 3. Bonauentura in 3. d. 1. art. 1. q. 3. & d. 5. artic. 1. q. 4. Secunda sententia concedit esse in Deo subsistentiam absolutam, quæ immediatè competit huic Deo, sed negat, posse immediatè per illam terminari naturam humanam. Sic Capreolus in. 3. d. 1. q. 1. ad argumenta contra. 4. Conclus. censens, subsistentiam communem, vt sic, non posse esse sufficientem rationem terminandi naturam creatam, sed oportere, vt sit quasi modificata, & constituta in esse incommunicabili per relationem. Tertia sententia affirmat, hunc Deum communem tribus Personis posse per subsistentiam absolutam & essentialem terminare assumptionem humanitatis: in quo casu quælibet persona diceretur homo. Sic docet Caietanus in hoc articulo, Scotus, & Gabriel locis citatis. 12

Pro explicatione huius difficultatis aduertendum est, in Diuinis non solùm dari Deum vt sic communiter significatum, omnibus personis communem, sed etiam hunc Deum singularem, qui est communis tribus Personis: in quo differt Natura Diuina ab omnibus naturis creatis, in quibus id non reperitur. Etenim in natura humana præter hominem vt sic communem omnibus indiuiduis, non datur hic homo communis multis. Hoc fundamentum præmittit Caietanus in Commentario, & ex illo ingeniosè suam colligit sententiam. Vnde sit Prima Conclusio. 13

Prima Conclusio. §. II.

NATVRA Diuina, vt intelligitur abstracta à tribus Personis, & esse Hic Deus subsistens propria, & singulari subsistentia absoluta, & essentiali, potest immediatè assumere & terminare naturam per subsistentiam essentialem præcisè. Hæc conclusio est expressa sententia D. Thomæ in hoc articulo. Ait enim, quòd abstractis per intellectum personalitatibus manet in intellectu Hic Deus, qui cùm sit omnipotens, potest assumere, & terminare naturam. Ex quo colligitur primum argumentum pro hac sententia. Hic Deus est infinitè perfectus, & potens, sed posse assumere, & terminare naturam est aliqua perfectio; ergo non est deneganda huic Deo, aliàs non esset omnipotens. Dices, in huiusmodi abstractione, etsi Hic Deus intelligatur omnipotens, quia re vera potest assumere, & terminare naturam, 14

non tamen intelligitur posse immediatè per seipsum illam terminare, sed in aliqua persona, sicut neque intelligitur potens generare, neq; generans nisi in Persona Patris. Sed hæc responsio, nihil valet, quia generatio est actio ad intra: assumptio verò naturæ est in ordine ad creaturas, respectu quarum, & operationum in ordine ad ipsas nulla ratione intelligitur Deus magis omnipotens in quantùm Trinus, quàm in quantùm Vnus. Neque enim operatur aliquid ad extra, quatenùs Trinus, sed inquantum Vnus. Et ita omnis potentia, quæ esset in Deo, si esset vnus in Persona: ponenda est modò in hoc Deo communi tribus Personis.

15 Secundò. Hic Deus creat, & operatur ad extra sine aliquo ordine ad Personalitates; ergo etiam poterit assumere, & terminare naturam. Probatur consequentia, quia etiam actiones sunt suppositorum, & subsistentium; ergo si Hic Deus dicit rationem subsistentis, & aliqualem similitudinem suppositi sufficientem ad operandum ad extra, & ad terminandam immediatè relationem realem creaturarum, id ipsum sufficit etiam ad terminandam naturam humanam.

16 Confirmatur. Illa subsistentia, quæ immediatè conuenit Huic Deo, ratione cuius est operans, & creans; est multò perfectior, quàm quæcumq; subsistentia creata: ergo sicut subsistentia creata potest immediatè terminare naturam, sic & illa subsistentia Diuina.

17 Secundò probatur. Modò de facto licèt assumptio immediatè terminetur ad Personalitatem Verbi, mediatè tamen terminatur ad Hunc Deum per subsistentiam essentialem, omnibus personis communem: ergo fieri potest per absolutam potentiam, vt terminus immediatus sit ille, qui modò de facto est mediatus: & è contra, terminus mediatus sit hic, qui modò de facto est immediatus. Tertiò. Hic Deus sic consideratus habet omnia requisita ad assumendum; est enim per se subsistens, & infinitæ perfectionis: habetq; esse illimitatum, & infinitum; ergo potest assumere.

18 Quartò. Subsistentia essentialis est infinita simpliciter in ratione subsistendi, sicut relatiua, & Personalis: ergo quemadmodùm Diuina Persona ratione huius subsistentiæ personalis, & relatiuæ potest defectum creatæ subsistentiæ supplere, & loco eius naturam creatam terminare; sic etiam Natura Diuina, siue Hic Deus ratione subsistentiæ absolutæ poterit hoc ipsum præstare.

19 Confirmatur. Essentia Diuina, vt condistincta à Tribus Personalitatibus, continet in se formaliter rationem subsistendi: ergo vnita intrinsecè, & substantialiter cuicumq; creatæ naturæ per hanc rationem formalem reddet illam subsistentem formaliter. Sed quæcumq, natura creata substantialis est capax huius effectus formalis; ergo & vnionis cum forma, seu termino, à quo huiusmodi effectus intrinsecè prouenit, nem-
20 pe, subsistentia communi, & essentiali. Dices, substantiam creatam non esse capacem subsistendi communicabiliter, sed incommunicabiliter duntaxat, ac proinde non posse immediatè vniri cum subsistentia commu-
21 nicabili, cuiusmodi est absoluta, & essentialis. Sed contra est, quia vel est sermo de capacitate, sumpta pro potentia connaturali, & propria, vel obedientiali tantùm. Si primum, verum est, hoc tamen non obstat, quia neq; humanitas Christi fuit hoc modo capax effectus subsistentiæ personalis Verbi, & tamen de facto est illi immediatè vnita, & proximè per eam terminata. Si secundum, voluntariè, & sine vllo fundamento asseritur, substantiam creatam habere potentiam obedientialem, vt per subsistentiam incommunicabilem, & relatiuam terminetur, non autem per absolutam, & communicabilem. Si enim subsistentia relatiua est proxima 22
ratio assumendi naturam creatam, V.G. humanitatem ad esse Diuinum incommunicabile: cur absoluta subsistentia non erit proxima ratio assumendi eandem naturam ad esse Diuinum communicabile? Item si personalis subsistentia, quia eminenter formaliter continet rationem subsistentiæ creatæ, potest vicem eius supplere, & loco eius naturam intrinsecè terminare; cur essentialis subsistentia, quæ etiam eminenter formaliter cõtinet omnem perfectionem subsistentiæ creatæ, loco eius subrogari non poterit?

Respondebis, quòd licèt subsistentia absoluta, & es- 23
sentialis sit infinita in ratione subsistendi communicabiliter, quia tamen non est formaliter incommunicabilis, non posset eminenter formaliter continere rationem subsistentiæ, & personalitatis creatæ, de cuius formali conceptu est, esse vltimum terminum naturæ omninò incommunicabilis. Sed contra est: quia subsistentia Verbi non est formaliter absoluta, sed relatiua, & tamen continet eminenter formaliter rationem subsistentiæ, & personalitatis humanæ absolutæ, potestq; eius vicem supplere: ergo similiter subsistentia essentialis, quamuis non sit incommunicabilis formaliter, sicut creata, eius perfectionem eminenter formaliter continere; & sic loco eius naturam creatam terminare posset.

Secunda Conclusio. §. III.

DATA Huiusmodi assumptione, quælibet 24
Persona Diuina esset homo, & diceretur Incarnata. Hæc Conclusio est contra Durandum vbi supra, estq; communis Theologorum. Et probatur primò. Sicut nunc de facto Deitas est natura communis omnibus Personis, ita facta illa suppositione humanitas esset natura communis omnibus personis per subsistentiam absolutam, & essentialem omnibus communem, ergo sicut quælibet Persona est Deus, sic etiam facta illa suppositione quælibet persona esset homo. Probatur consequentia, quia communia & absoluta de omnibus personis prædicantur.

Secundò. Omnes tres Personæ de facto dicuntur 25
creare, gubernare, iustificare &c. etiam si principium creandi omnibus personis conueniat non per proprias personalitates, sed inquantùm Deus, aut Hic Deus sunt; sed facta illa suppositione terminare conueniret omnibus personis, inquantùm Hic Deus sunt, ratione Diuinæ Naturæ: ergo sicut quælibet persona modò dicitur creator, ita tunc diceretur homo.

Tertiò specialiter probatur conclusio contra Duran- 26
dum. Pater, inquantùm Deus, de facto est homo, vt concedit Durandus: ergo facta illa suppositione absolutè esset homo. Imò verò ex sententia Durandi colligitur, quòd modò absolutè esset homo. Probatur consequentia, quia illa dictio, Inquantum, non importat conditionem diminuentem iuxta doctrinam Durandi, sed potiùs causam, & sumitur reduplicatiuè, & non diminutiuè,

sic

Digitized by Google

sic enim exponitur: Pater est homo, & Deus est homo, & quia Pater est Deus, Pater est homo. Ergo absolute Pater est homo, quia ab exponibili copulatiuè ad quamlibet exponentium est bona consequentia. Neque sequitur quòd vna Persona sine alia incarnari non possit, quia hoc est verum de facto, quo persona est terminus primarius, sed in casu posito, quòd Hic Deus sit primarius terminus, necessariò dicendum est, omnes Diuinas Personas esse Incarnatas, sicut hoc Deo creante, omnes creare dicuntur.

Tertia Conclusio. §. IIII.

27 ILLA Positione facta omnes tres Personæ essent vnus homo. Probatur Conclusio. De facto omnes tres Personæ sunt vnus Deus, quia habent vnam Deitatem omnibus communem; sed in eo casu omnes Personæ haberent vnicam naturam humanam omnibus communem: ergo essent vnus homo. Imò verò quemadmodùm nunc Hic Deus non est Persona completa, neq; incompleta, vt supra contra Caietanum ostendimus q. 2. art. 2. Disput. 1. Ita data illa positione; quòd hic homo non haberet complementum vltimum personale, neque esset Persona, quia esset communicabilis multis Personis, sicut Hic Deus.

28 Ex his sequitur primò, huiusmodi vnionem non terminari per se primò ad Diuinam Essentiam, vt sic, sed vt significatur in concreto, siue in habente: multùm enim interest inter Deitatem, & Deum, siue hunc Deum, quia Deitas non generat, neque generatur; Deus verò generat, & gignitur. Ita similiter Deitas non terminat assumptionem, sed Deus, siue Hic Deus, quia assumens, sive terminans assumptionem est subsistens, at Diuina Essentia, vt sic, non significatur, vt subsistens, quamuis sit subsistens, in concreto autem significatur, vt subsistens.

29 Infertur secundò: data huiusmodi hypothesi naturam assumptam dependere ab Essentia, non quidem dependentia suppositali, sed existentiæ, quia natura Diuina, cùm non sit suppositum, nulli potest dare esse suppositale, dependere tamen hypostaticè à Diuinis Personis, etsi secundariò.

30 Colligitur tertiò, talem vnionem esse alterius rationis ab vnione, quæ facta est. Primò, quoniam ea, quæ facta est, terminatur ad solam Verbi Personam, tanquam ad per se primò terminum assumptionis; sed hæc, de qua est sermo, ad omnes tres Personas mediatè terminatur, interuentu scilicet Diuinæ Essentiæ: quod enim conuenit Deo secundùm se, conuenit omnibus tribus Personis. Secundò, quia hæc vnio, quæ facta est, terminatur ad subsistens incommunicabile, sed illa vnio ad subsistens communicabile terminaretur, nempe, ad hunc Deum.

R. Ad Argumenta. §. V.

31 AD Primum igitur argumentum Resp. Primò, quòd hic Deus sicut intelligitur subsistens sine ordine ad Personas, sic etiam intelligitur habere aliquam similitudinem, & vmbram personæ, non quidem, quatenùs persona dicit incommunicabilitatem, sed inquantùm importat aliquid habens naturam, & subsistens in illa. Cui solutioni fauet maximè D. Thomas in hoc articulo, præsertim ad primum, asserens, quòd circunscriptis per intellectum omnibus proprietatibus personalibus, intelligitur Hic Deus subsistens, & ex consequenti habere similitudinem quandam Personæ. Et quamuis Caietanus hic aliter interpretetur Verba D. Thomæ, hic est planissimus sensus, quòd eò ipso, quòd intelligitur Deus subsistens, abstractis per intellectum proprietatibus personalibus, intelligitur etiam secundùm aliquam similitudinem personæ.

32 Secundò Resp. Negando esse requisitam rationem personæ, etiam imperfectæ, in hoc Deo, vt possit assumere & terminare naturam: potest enim illam terminare per hoc, quòd illi communicet suam Diuinam subsistentiam, quæ immediatè conuenit huic Deo: nam illa existentia, quæ est idem cum subsistentia communi, est sufficiens ad hoc, vt natura humana existat, & verè Deus sit hic homo.

33 Ad secundum argumentum negatur minor, & ad primam eius probationem ex D. Thoma Resp. D. Thomam loqui de substantia spirituali creata, quæ eò ipso, quòd subsistit, est incommunicabilis. Natura tamen Diuina propter suam infinitatem potest intelligi subsistens, & de facto subsistit in hoc Deo, antequàm intelligatur incommunicabilis in quacumque ex tribus Personis.

34 Ad secundam probationem Resp. Subsistentiam communem, quam ponimus in hoc Deo, non pertinere ad prædicata personalia, sed ad essentialia, & ita non multiplicari in Deo, sed esse vnam in tribus Personis, sicuti & vnam naturam. Alias verò relatiuas subsistentias multiplicari in Deo. Vnde hoc nomen subsistentia, est quasi æquiuocum in Deo ad subsistentiam essentialem, & absolutam, & ad subsistentiam relatiuam. Subsistentia verò essentialis, & absoluta non est multiplicabilis.

35 Ad tertium Resp. Quòd terminare aliquam naturam non solùm conuenit personæ propriè dictæ, sed de potentia absoluta Dei potest etiam conuenire naturæ subsistenti per se, etsi non habeat completam & perfectam rationem personæ, sed similitudinariam duntaxat. Etenim terminare est subsistere in aliqua natura, ad quod sufficit, vt terminans sit subsistens in se, per subsistentiam essentialem, quæ eminenter continet cuiusque subsistentiæ creatæ perfectionem.

36 Ad quartum Resp. Quòd ea hypothesi facta natura humana terminaretur quidem ad hunc Deum subsistentem, ac proinde non esset per se primò in Persona propriè & completè dicta, quoniam Hic Deus communicabiliter subsistens, non habet completam, neque incompletam rationem Personæ, sed tantùm similitudinem. Verum, quia eo ipso, quòd humanitas primariò terminaretur ad hunc Deum, secundariò terminaretur ad personam, inde efficitur, quòd humanitas esset consequenter in subsistente incommunicabiliter, & in persona propriè dicta: esset autem per se primò in subsistente per se, quod sufficit ad assumptionem, de qua loquimur.

37 Ad confirmationem Resp. Quòd in eo casu remaneret Hic Deus subsistens, & ille posset assumere, quia vt sic exercet officium personæ sufficiens ad assumptionem, non quia sit persona, sed quoniam habet personæ similitudinem, inquantùm est subsistens per se, & vt Quod.

38 Ad primam consequentiæ probationem Resp. in eo casu hunc hominem non esse personam ex vi illius subsistentiæ, qua præcisè humanitas terminatur, sicut neque Hic Deus, vt sic, est persona: nihilominùs in re ipsa hic homo esset Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & quælibet harum personarum ex vi huius vnionis esset homo, quia illa communis subsistentia intrinsecè includitur in omni persona, & ita in rigore nullum daretur indiuiduum humanum, quod non esset persona.

39 Ad secundam probationem, Resp. negando in eo casu dari vnionem mediam inter vnionem in natura, vel in persona: quia hæc vnio, de qua loquimur est ad modum illius, quam Sancti vocant in persona, quia est in subsistentia, & quia per eam quælibet Diuina Persona fieret homo, & subsisteret in duplici natura. Hanc autem appellans Sancti vnionem in Persona, quia loquuntur de hoc modo vnionis, prout factus est. Factusq; est in subsistentia incommunicabili. Item hæc vnio non fit ad componendam vnam naturam, sed potiùs ad componendum vnum aliquid cum singulis personis, etsi non secundùm personalia, sed secundùm subsistentiam illis communem.

40 Ad D. Anselmum Resp. Hanc esse efficaciam illius rationis, ex vnione in subsistentia inferri non posse, esse omnibus personis communem: quia talis vnio ex genere suo fieri potest in proprietate personali. Et ideò ex eo solùm quòd vnio sit substantialis, inferri non posse, esse communem omnibus personis, nisi supponatur, talem vnionem esse essentialem, seu in natura, & in hoc sensu rectè concludit D. Anselmus contra hæreticos.

41 Ad probationem sequellæ patet responsio ex dictis, nempe, hanc vnionem esse ad similitudinem illius, quæ à Sanctis appellatur in persona. Itaque vnio fit in hoc Deo, prout exercet officium personæ. Solutio autem in argumento assignata, & eius impugnatio nihil faciunt ad rem.

42 Ad vltimam probationem negatur sequella, etenim per vnionem humanitatis terminatam ad essentialem subsistentiam, formaliter excluditur & impeditur propria personalitas; quia hic modus existendi in alio tanquam in sustentante formaliter repugnat cum propria subsistentia. Neque obstat, quòd illa subsistentia, ad quam hic modus vnionis terminatur, sit communicabilis, vel incommunicabilis: quia illa repugnantia non prouenit ex incommunicabilitate subsistentiæ, ad quam fit vnio: sed ex ipso modo vnionis, & veluti existentiæ in alio; præsertim, quòd ratio subsistentiæ est prior, quàm ratio personæ, seu quàm ratio incommunicabiliter subsistendi. Et ideò impedita subsistentia creata sub priori ratione subsistentiæ, consequenter impeditur sub ratione personalitatis, & prout existit à parte rei.

43 Ad quintum principale Resp. Quòd in eo casu omnes tres Personæ secundariò assumerent, non primariò; ad quod sufficit sola rationis distinctio inter hunc Deum, & personas, vt aliquid conueniat vni per se primò, quod alteri non conuenit, nisi secundariò.

44 Ad primam confirmationem negatur consequentia, quia in creatis natura non habet subsistentiam nisi à persona; in Deo autem contra se res habet. Vnde cùm natura Diuina sit per se subsistens, potest suam subsistentiam alienæ naturæ communicare. In creaturis verò cùm natura non subsistat nisi ratione suppositi, nequit assumere nisi ratione suppositi.

45. Ad secundam confirmationem, negatur consequentia: quia si in Deo esset tantùm vna persona, Hic Deus esset persona; quia esset subsistens incommunicabiliter, nunc autem Hic Deus non est persona.

46 Circa responsionem ad primum & secundum, vbi ait D. Thomas, si consideretur Deus abstractis personalitatibus, id, quod manet, esse subsistens, vel personam, aduertendum est, id tantùm diffinire voluisse D. Thomam, quòd si Hic Deus consideretur tanquam persona absoluta, sicut existimabant Gentiles, potest immediatè assumere humanitatem. Si verò consideretur, vt est reipsa, & de facto creditur, tanquam Vnus in Essentia, & Trinus in Personis: sic etiam potest assumere, quia vt sic consideratur, vt quid subsistens in se subsistentia quadam absoluta.

47 In priori consideratione vnio immediatè terminaretur ad personam absolutam, mediatè verò ad essentiam. In posteriori verò vnio immediatè terminaretur ad essentiam subsistentem communicabiliter, mediatè verò terminaretur ad Personas. Et ideò D. Thomas in solutione vtriusque argumenti, interdum dicit, quòd vnio terminaretur ratione subsistentiæ, interdum verò ratione personæ: præsertim in calce solutionis ad primum, vbi inquit, per hunc modum intelligi posse, naturam Diuinam assumere humanam ratione suæ subsistentiæ, & personalitatis. At cùm dicit in eadem solutione, quòd Natura Diuina, quæ est subsistens, ex consequenti est persona, vult significare, in Diuinis Personam & Naturam sola ratione distingui, vt constat ex ratione ibidem subiuncta.

48 Præterea est aduertendum D. Thomam non asserere absolutè, quòd circunscriptis per intellectum proprietatibus personalibus remaneret vna persona, nihil enim reipsa in Deo remaneret, sed tantùm inquit, quòd remanebit in consideratione nostra, & in nostro intellectu Natura Diuina, vt subsistens, & vt Persona: quod sanè verissimum est; quia intellectus noster per abstractionem simplicitatis, in qua non est mendacium, intelligit multis conceptibus rem vnam simplicissimam, & sic potest intelligere essentiam siue personis.

49 Circa solutionem ad tertium aduertendum est, abstractionem per modum resolutionis nihil aliud esse, quàm rem aliquam, quomodocumq; compositam siue physicè, siue metaphysicè, in suas partes resoluere. Et cùm in Deo nulla sit compositio à parte rei, nulla potest esse in illo abstractio modo resolutiuo, quantùm est ex parte rei. Verùmtamen,

men, quia nos res etiam simplicissimas componendo & diuidendo intelligimus, hanc abstractionem in Deo facere possumus. Sed talis abstractio tenet se ex parte modi nostræ intellectionis potiùs, quàm ex parte rei. Et ideò D. Thomas. 1. p. q. 40. art. 3. ait, abstractionem Diuinæ Essentiæ à personalitatibus posse comparari abstractioni, qua vniuersale à particularibus abstrahitur.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm vna Persona possit sine alia naturam creatam assumere.

PRIMA *Conclusio.* Assumptio, vt importat actum assumptionis, non potest esse ab vna tantùm Persona. *Probatur, quia est à Diuina virtute, quæ tribus Personis est communis.*

Secunda Conclusio. Vna Persona sine alia naturam creatã assumere potest, vt assumptio dicit terminum. *Probatur primò ex D. Dionysio cap. 2. de Diuinis nominibus, vbi ait, Incarnationis mysterium pertinere ad discretam Theologiam, secundùm quam aliquid distinctim dicitur de Diuinis Personis. Secundò. Ratio termini Incarnationis est Persona, sed quod pertinet ad rationem termini, ita conuenit vni Personæ, quod non alij: nam tres Personæ fecerunt, vt natura vniretur Personæ Filij; ergo.*

Est primum argumẽtum. Operatio ad extra nequit vni Personæ conuenire, quin omnibus conueniat; cùm opera Trinitatis ad extra sint indiuisa, vt ait Augustinus in Enchiridio. cap. 38. sed assumptio est operatio ad extra; ergo &c. Respondet D. Thomas distinguendo consequens. Assumptio importat duo, & actum assumentis, & terminum assumptionis. Primum est commune tribus Personis, secundum verò est proprium Filij.

Secundum argumentum est. Sicut Persona Filij dicitur Incarnata, sic etiam & natura; etenim tota Diuina Natura in vna suarum hypostasum est Incarnata, vt docet Damascenus lib. 3. Fidei cap. 6. sed natura est communis tribus Personis: ergo & assumptio. Respondet, quòd Natura Diuina dicitur Incarnata, & assumens ratione personæ, ad quam terminata est vnio, sed non inquantùm est communis tribus Personis. Dicitur autem tota Natura Diuina Incarnata, non quia in omnibus personis sit Incarnata; sed quia Personæ Incarnatæ nihil deest de perfectione Diuinæ Naturæ.

Tertium. Sicut humana natura in Christo est assumpta à Deo, sic etiam homines per gratiam assumuntur ab eo iuxta illud ad Roma. 14. Deus illũ assũpsit. *Sed hæc assumptio cõmuniter pertinet ad omnes personas; ergo & prima. Resp. negando consequentiã, quia est dispar ratio; nam assumptio, quæ fit per gratiam adoptionis, terminatur ad quandam Diuinæ Naturæ participationem; & ideò est communis ex parte principij, & termini: assumptio autem, quæ fit per gratiam vnionis, est communis ex parte principij, non verò ex parte termini.*

Commentarius.

PRIMA Conclusio est dogma Fidei, vt constat 1
Ioan. 5. *Quæcunque Pater facit, hoc & Filius facit.* Est etiam hæc Conclusio definita in Concilio Toletano. 6. & Toletano. 11. in Confessione Fidei, cuius ratio ibidem adhibetur, quia opera Trinitatis inseparabilia sunt.

Secunda conclusio similiter est de Fide, constat enim 2
secundùm Fidem solum Filium terminare vnionem naturæ humanæ, quod sufficienter colligitur ex testimonijs Sacræ Scripturæ. Ioan. 1. *Verbum caro factum est.* Et ad Galat. 4. *Misit Deus Filium suum factũ ex muliere &c.* Et ad Philippenses. 2. *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cùm in forma Dei esset, nõ rapinã arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit &c. In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo.* Quibus locis & alijs pluribus solus Filius dicitur homo, & nunquam
Pater & Spiritus Sanctus. In re autem grauissima argu- 3
mentum negatiuum ab authoritate desumptum est efficacissimum, & irrefragabile, vt ostensum est supra q. 1. art. 5. Id ipsum habetur in omnibus Symbolis, in Apostolico, Niceno, & in. 5. Synodo Collatio. 8. Cano. 4. & 16. & in Concilio Lateranensi sub Innocentio. 3. & habetur in cap. Firmiter de Summa Trinit. & Fide Cathol. & in Concilijs Toleta. 6. & 11. in confessione Fidei, & Carthaginensi. 5. cap. 1. & Vvormatiensi in professione Fidei. Vnde Socrates lib. 2. Historiæ cap. 19. refert, fuisse coactum Cõcilium quoddam contra hæreticos dictos Patripassianos, qui totam Trinitatem Incarnatam esse dicebant. Et D. Anselmus libro de Incarnatione Verbi cap. 1. affirmat, hunc errorem fuisse damnatum in quodam Concilio Rhemensi.

Sed contra hanc conclusionem obijcitur primò. 4
Idem est principium effectiuum, & terminatiuum actionis reciprocæ; sed assumptio est quædam actio reciproca, est enim assumptio ad se sumptio, ergo idem est principium & terminus assumptionis. Sed quælibet Diuina Persona est principium assumptionis; ergo est etiam terminus. Resp. quòd cùm multa concurrunt ad principium actionis reciprocæ, tunc non est necesse, vt illa multa terminent actionem, sed vnum duntaxat terminat: etenim cùm multi trahunt lapidem, vnus tantùm terminat tractum. Semper tamen vnum & idem est principium effectiuum, & terminatiuum tractionis. Ad eundem modum etsi Pater, Filius, & Spiritus Sanctus effecerint assumptionem, solus tamen Filius illam terminauit, nam ipse solus ad se sumpsit naturam humanam. Pater verò & Spiritus

Digitized by Google

Sanctus eandem humanitatem Personæ Verbi hypostaticè vnierunt. Exemplum est, si tres homines vni vestem aliquam circuodent, vnus autem illa veste induatur. Etenim Pater, Filius, & Spiritus Sanctus candidissimam humanæ carnis vestem Personæ Filij circundederunt, sed solus Filius hac carnis veste indutus est, iuxta illud ad Philippenses. 2. *Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.*

5 Secundò opponitur. Omnis actio ad extra est omnibus personis communis; sed terminare hypostaticam humanitatis assumptæ dependentiam, est actio ad extra: ergo conuenit tribus Personis. Resp. distinguendo maiorem. Omnis actio ad extra conueniens Diuinis
1 Personis mediante natura, in qua sunt vnum, conuenit omnibus Personis Diuinis, non tamen actio ad extra, quæ conuenit naturæ mediante persona, cuius generis est suppositalem naturæ assumptæ dependentiam terminare, hæc enim actio conuenit Diuinæ Personæ per relationem, per quam ab alijs personis distinguitur, nō
2 tamen per essentiam. Secundò Resp. quòd terminare nō est agere, sed potiùs cōsequitur actionem ad extra, nempe, assumptionem.

6 Tertiò. Implicat, vnam personam efficere Incarnationem sine alia; ergo Incarnari sine alia. Probatur cōsequentia, quia non est maior ratio in vno, quàm in alio: etenim per Incarnationem duplicem dependentiā intelligitur humanitas habere à persona. Altera est, vt à causa efficiente, & conseruante vnionem: altera verò, vt à termino, seu à supposito terminante vnionem; sed Diuinæ Personæ etsi realiter distinguantur, nihilominùs prima dependentia, seu relatio nequit esse ad vnam personam sine alia; ergo neque secunda.

7 Confirmatur: quia vna persona nequit obiectiuè terminare claram sui visionem sine alia: ergo neque potest terminare humanitatem sine alia.

8 Ad argumentum negatur consequentia, quia ratio efficiendi Incarnationem est vna, & eadem in omnibus personis, quæ nihil efficiunt, vt distinctæ, sed vt vnum. Et ideò nihil potest vna efficere, quod alia non faciat. Ratio verò terminandi est relatio, quæ ab alijs realiter distinguitur, ac proinde vna persona terminat vt dis-
9 tincta ab alijs, & sine illis potest terminare. Sed contra solutionem instatur. Relatio est ratio terminandi; ergo efficiendi. Probatur consequentia. Relatio, etiam vt relatio, propriā habet perfectionem, quæ est maior omni perfectione creata: ergo per illam vt sic, erit sufficiens principium efficiendi, sicut terminandi. Gabriel in 3. d. 1. q. 1. art. 3. dubio. 2. Propter hoc argumentum asserit, nullam à nobis posse assignari rationem, ob quam Diuina relatio possit esse ratio terminandi vnionem, & non efficiendi, sed sola fide hoc teneri.

10 Nihilominùs ratio huius rei est, quòd principium agendi, & operandi in omni re, est ipsa natura, & in re intellectuali, qualis est Deus, omnis operatio procedit aliquo modo ab intellectu, & voluntate, & quia in tribus Personis est vna natura, & idem intellectus, & volūtas: ideò est vna illarum omnipotentia. Ac proindè, cùm Incarnatio sit maximum opus omnipotentiæ Diuinæ nequit relatio ex præcisa ratione relationis esse principium illius, sed ex omnipotentia, quæ ratione essentiæ conuenit illi, & eadem ratione omnis alia effectio est omnibus personis communis, sicut intellectus, & volun-
tas. Quare, licet relatio, vt relatio, dicat aliquam perfec- 11
tionem, quia tamen illa ad naturæ perfectionem non spectat; ideò ex proprijs non habet, vt sit ratio, & principium agendi, sed vt constituat suppositum, à quo procedit ipsa actio. Ex proprijs tamen habet, vt possit esse ratio terminandi, quia ex se est subsistentia incommunicabilis.

Ad confirmationem Resp. quòd cùm beatificare ho- 12
mines vna & eadem ratione formali conueniat essentiæ, & personis nempe, in ratione primi veri, & summi boni, ideò beatifica visio non potest terminari ad essentiam sine personis, neque ad vnam personam sine alijs. Cæterùm terminare vnionem diuersis rationibus cōpetit, & essentiæ, & personis, nam essentię, per subsistentiam absolutam, & essentialem, personis verò per subsistentiam personalem, & relatiuam, quæ est triplex, & vna ab alijs realiter distincta. Cùm ergo relationes Diuinæ inter se realiter distinguantur, potest vna sine alia terminare humanitatem, sed non potest clarè videri sine alia, quia cùm vna relatio respiciat aliam, vt terminum, & ex hac habitudine nostro modo intelligendi specificetur, non potest clarè videri, & quidditatiuè cognosci sine alia, cum qua intrinsecam connexionem in sua specificatione habet. Etenim quæ inter se mutuam habent habitudinem, maiorem connexionem habent inter se in ordine ad claram, seu quidditatiuam cognitionem, quàm in ordine ad vnionem realem: vt relatio accidentalis V. G. paternitas, sine Filiatione cognosci nō potest, & tamen potest alicui subiecto realiter vniri, cui Filiatio nō vnitur. Ita similiter, cùm vnio hypostatica sit realis, & relationes Diuinæ sint inter se realiter distinctę, potuit relatio Filij vniri humanitati sine alijs relationibus, sed nō potest clarè videri sine alia, propter rationem iam assignatam.

Quartò. Si omnes Diuinæ Personæ effecerunt Incarnationem, & non potuit Filius sine Patre concurrere ad illam actionem, quæ in assumptione includitur; ergo hæc propositio concedi non potest: Solus Filius assumpsit humanitatem. Probatur sequella. In assumere includitur agere: sed nō solus Filius egit sine Patre: ergo nō solus Filius assumpsit. Resp. illā propositionem absolutè esse veram, Solus Filius assumpsit humanitatem: sed illius sensus est, non quòd Filius sine Patre egerit, sed quòd concorrere terminando, & agendo simul, soli Filio conuenit, non Patri, aut Spiritui Sancto.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm quælibet Diuina Persona potuerit humanam naturam assumere.

RESPONDET *D. Thomas vnica cōclusione affirmatiua.* Quælibet Persona Diuina potuit naturam humanam assumere, vt Filius assumpsit. *Probat primò in argumento sed contra, nam quidquid potest Filius, potest Pater, & Spiritus Sanctus; aliàs non esset* eadem

eadem trium personarum potentia; sed Filius potuit assumere: ergo similiter Pater, & Spiritus Sāctus. Secundò in corpore. Aßumptio importat actum assumentis, cuius principium est Diuina virtus, quæ indifferenter se habet ad omnes personas: & terminum, nempe, personam, cuius ratio est communis tribus personis, licèt proprietates personales sint differentes: ergo sicut virtus Diuina potuit vnire naturam humanam Personæ Filij, ita & alijs personis. Patet consequentia, quia cùm aliqua virtus est indifferens ad plura, potest ad quodlibet suā actionem terminare, vt constat in potētijs rationalibus, quæ se habent ad opposita, quorum vtrumq; agere possunt.

Primum argumentū D. Thomæ est. Per assumptionem factum est, vt Deus sit Filius hominis: sed si Pater, aut Spiritus Sanctus, esset Filius hominis, sequeretur confusio Diuinarum Personarum; ergo Pater, vel Spiritus Sanctus non potuit carnē assumere. Respōdet negando minorem, quia Filiatiò temporalis, qua Christus dicatur Filius hominis, non constituit eius personam, sed consequitur natiuitatem temporalem. Vnde si hoc modo Filiatio ad Patrem, vel Spiritum Sanctum traduceretur, nulla esset Diuinarum Personarum confusio.

Secundum. Per Incarnationem homines assequuti sunt adoptionem Filiorum Dei, iuxta illud Roma. 8. Non accepistis spiritum seruitutis iterùm in timore; sed spiritum adoptionis Filiorum: *Sed adoptiua Filiatio est similitudo participata Filiationis naturalis, quæ neque Patri, neque Spiritui Sancto conuenit, cùm ad Roma. 8. dicat Paulus,* Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui: *Ergo nulla alia persona potuit Incarnari præter Personam Filij. Respondet concedendo, Filiationē adoptiuam esse participationem Filiationis naturalis, sed appropriari Patri, qui est principium naturalis Filiationis, & appropriari Spiritui Sancto, qui est amor Patris, & Filij, cùm detur nobis per donum. Vnde si Pater humanitatem assumeret, adhùc Filiationem adoptiuam accepissemus à Patre, vt à principio naturalis Filiationis, & à Spiritu Sancto (si Incarnaretur) tanquam à nexu communi Patris, & Filij, sicut Incarnato Filio accepimus adoptiuam Filiationem ad similitudinē Filiationis naturalis eius.*

Tertium. Filius dicitur missus, & genitus natiuitate temporali, secundùm quòd est Incarnatus: sed Patri non conuenit mitti: cùm sit innascibilis; ergo saltem Pater non potuit humanitatem assumere. Respondet, Patrem esse innascibilem secundùm natiuitatem æternam, quod non excluderet temporalem natiuitatem. Filius autē dicitur missus secundùm Incarnationem, quia est ab alio: sine quo Incarnatio non sufficit ad rationem missionis.

Commentarius.

CONCLVSIO huius articuli est de fide tenenda: quia non est minùs perfecta Persona Patris, aut Spiritus Sancti in agendo, & terminando, quàm Persona Filij, quæ naturam humanā assumpsit. Est similiter recepta omnibus Theologis cum Magistro in. 3. d. 1.

Circa illud, quod docet D. Thomas ad tertium; quòd si Pater Incarnaretur, adhùc non diceretur missus, quia non procedit ab alia persona, est difficultas, nam Filius dicitur missus à se, & à Spiritu Sancto, & tamen neque à se, neque ab Spiritu Sancto procedit. Resp. de ratione missionis esse, vt persona missa procedat ab alia, vt probat D. Thomas. 1. p. q. 43. art. 4. Missio enim est quædā explicatio, & manifestatio processionis, non tamen oportet, vt persona missa procedat ab illa persona, à qua mittitur. Quod etiam obseruat D. Thomas q. citata art. 8. Cùm ergo Pater æternus à nulla Persona procedat, non potest dici missus, neque etiam si Incarnaretur, diceretur missus.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm plures Diuinæ Personæ possint assumere vnam numero naturam.

PRIMA *Conclusio.* Non est impoßibile Diuinis Personis, vt duæ, vel tres assumant vnam naturā humanam. *Probatur in argumento sed contra. Tres Personæ subsistunt in vnā Natura Diuina; ergo possunt etiam subsistere in vnā naturā humana, ita vt eadem humanitas sit à tribus Personis assumpta. Secundò probatur in corpore. In hoc mysterio facta est vnio sola potentia Diuinæ Personæ: sed personæ ita se habent, vt non se excludant à communi potentia, sed solùm à ratione personæ: ergo non est impoßibile ex parte personæ, vt tres, vel duæ vnam naturā assumant, cùm vna non sit alia; nam tota ratio facti est potentia facientis, vt dicit Augustinus Epistola. 3. ad Volusianum.*

Secunda Conclusio. Impoßibile est, vt tres Personæ assumant vnam Personam humanam. *Probatur ex Anselmo lib. 2. Cur Deus homo cap. 9. vbi ait, quòd plures Personæ non possunt*

sunt assumere vnum, & eundem hominem, videlicet, in vnitatem Personæ.

Primum argumentum D. Thomæ est. Data huiusmodi hypothesi, aut essent vnus homo, vel plures, non vnus, quia vnus homo est iste homo, qui demonstrat vnam personam, & sic tres Personæ nō essent distinctæ. Neque plures, quia sicut Natura Diuina in pluribus Personis nō facit plures Deos, sic etiam vna natura humana in pluribus personis non constituit plures homines. Respondet in tali casu tres Personas fore vnum hominem, quia est vna natura, vt patet etiam in Trinitate, quamuis ly vnus non importaret vnitatem Personæ, sed naturæ. Vnde esset vnus quantùm ad aliquid, sicut plures sunt vnus populus.

Secundum argumentum. Assumptio terminatur ad vnitatem Personæ; sed in eo casu, non ita posset terminari, quia tres Personæ non coalescunt in vnam: ergo. Respondet, quòd ea hypothesi facta, humana natura esset assumpta non in vnitatem vnius solius personæ, sed in vnitatem singularum personarum, ita scilicèt, quòd sicut Diuina Natura habet vnitatem cum singulis personis, ita natura humana haberet vnitatem cum singulis per assumptionem. Quod est dicere, in eo casu esse tres assumptiones, & vniones, & singulas earum ad vnitatē Personæ terminari, & hoc tantùm esse de ratione assumptionis, vel vnionis. Itaque esset vnio in Persona, sed non esset tantùm vnica vnio ex parte personæ, ac termini, siquidem essent tres termini.

Tertium. Si tres Personæ assumerent vnam naturam humanam, sequeretur, quidquid dicitur de qualibet persona, dici de illo homine, & è contra per communicationem idiomatum, quod est falsum; aliàs, quod est proprium Patris, nempe, generare Filium, diceretur de illo homine, & ex consequenti de Filio Dei. Resp. quòd in cōmunibus & essentialibus esset communicatio idiomatum tam inter hūc Deum, & hunc hominem, quàm inter personas. In notionalibus verò, seu personalibus posset esse inter hunc hominem, & singulas personas, quia pro singulis posset hic homo supponere, non tamen inter personas inter se, quia vna non supponit pro alia. Itaque in tali casu, quæ sunt cuiuslibet personæ conuenirent alteri, vt Pater est ingenitus; ergo homo est ingenitus, vt pro Patre supponit. Sed si quis diceret, homo est ingenitus, Filius est homo: ergo est ingenitus: esset fallacia figuræ dictionis, vel accidentis.

Hic articulus nullo indiget Commentario, sed quæ ad eius intelligentiam sunt necessaria, explicabuntur Disputationibus sequentibus.

PRIMA DISPVTATIO.

AD explicationem huius articuli obseruandum est, modò in dubium non reuocari, An plures Diuinæ Personæ possint eandem numero humanitatem ad subsistentiam essentialem assumere, hoc enim art. 3. huius quæstionis definitum est, sed hic controuerti, An plures Diuinæ Personæ non tantùm successiuè, sed simul, & eodem tempore possint immediatè ad suas proprias personalitates vnam numero humanitatem assumere, sicut de facto Persona Verbi ad suam propriā Personalitatē naturā humanā assumpsit: ita vt eandem numero humanitatem terminet Pater sua Personalitate, & eandem simul humanitatem terminet sua Personalitate Filius, similiter & Spiritus Sanctus. Pars negans probatur primò ex D. Anselmo lib. 2. Cur Deus homo cap. 9. vbi sic ait. Plures personæ non possunt vnum, eundemq; hominem assumere, sed in vna tātum persona hoc fieri necesse est. 1

Dices, Anselmum fuisse loquutum iuxta sensum secundæ conclusionis, nempe, plures personas assumere non posse vnam personam creatam. Contra hoc obijcitur: quia si ibi loquatur de assumptione personæ creatæ, falsum diceret, quòd in vna persona hoc fieri necesse est: quia neque vna persona sola, neque multæ simul possunt assumere vnam personam creatam. 3

Secundò. Natura Diuina propter suam infinitatem est capax trium subsistentiarum; ergo natura creata, quæ est finita, non habet tantam capacitatem, vt à tribus personis possit terminari. Confirmatur. Repugnat suppositum creatum terminare naturā alienam simul cum propria, quia hoc esset habere virtutem infinitam in terminando, & personando: ergo quòd eadem numero natura sit in pluribus suppositis, dicit etiam infinitatem in constituendo. Patet consequentia, quia non solùm constitueret vnum suppositum in esse hominis, sed etiam triplex. Hoc autem dicit infinitatem; ergo. 4 5

Tertiò. Eadem numero anima rationalis non potest simul reperiri in multis corporibus: ergo neque eadem numero humanitas in tribus Personis. Consequentia probatur: quia sicut vna anima determinat vnum corpus, vt susceptiuum, ita vna natura vnum suppositum. Confirmatur. Vnum numero accidens non potest etiam de potentia absoluta, esse simul in pluribus subiectis: ergo neque vna numero natura substantialis in pluribus suppositis. Patet consequentia; quia sicut accidens ex sua ratione determinatur ad vnum subiectum, ita natura substantialis ad vnum suppositum. 6

Quartò. Repugnat eiusdem effectus dari plures causas totales simul concurrentes; ergo repugnat, eandem naturam simul pendere à pluribus personis. Patet consequentia, quia penderet ab vnaquaque tanquam à toto, & adæquato termino. Antecedens probatur: quia implicat contradictionem, vt idem numero calor producatur totaliter ab vno igne, & simul ab alio igne totaliter producatur: etenim si vnus ignis totaliter producit effectum, nempe, calorem: ergo calor accipit esse ab illo igne, & non ab alio. Ad eundem modum, si Pater terminat naturam totaliter: non potest Filius eandem numero 7

numero terminare, neque Spiritus Sanctus, aliàs Pater non perfectè, sed incompletè terminaret.

8 Confirmatur. Vna quantitas numero à duabus figuris distinctis simul terminari non potest; ergo vna humanitas numero nequit simul terminari à pluribus subsistentijs distinctis. Item vna voluntas duos vltimos fines totales, non subordinatos simul habere non potest; ergo neque vna humanitas potest totaliter dependere à pluribus subsistentijs simul, & à qualibet earum.

9 Quintò. Natura humana eâdem ratione, & tam intime coniuncta est Personalitati Verbi, atque si propriæ personalitati fuisset coniuncta; sed si haberet propriam, & sibi connaturalem personalitatem, ea coniunctione stante non posset assumi ab alia persona, ergo neque coniuncta Personæ Verbi potest assumi ab alia. Probatur consequentia: quia longè perfectiùs terminata est Verbi Personalitate, quàm si propriam haberet personalitatem.

10 Sextò. Humanitas terminata propria subsistentia, & personalitate nequit simul terminari personalitate Diuina: ergo terminata per Patris Personalitatem V. G. non poterit simul terminari Personalitate Filij; & sic nequibunt tres Diuinæ Personæ ita vnam naturam assumere, vt illam simul intrinsecè terminent. Antecedens constabit infra q. 4. art. 1. Consequentia verò probatur: quia non minùs perfectè terminatur, & completur humanitas per Diuinam subsistentiam, quàm per propriã, & intrinsecam: sed si per propriã terminaretur, nõ esset ampliùs terminabilis, & assumptibilis; ergo neque terminata, & completa per vnicam subsistentiam Diuinam, poterit terminari, aut compleri per aliam distinctam.

11 Septimò. Dependentia substantialis naturæ humanæ vltimò terminatur, & completur per vnam personalitatem Diuinam: ergo implicat simul terminari, & compleri per aliam. Antecedens patet: quia aliàs natura humana in Christo non esset completa, & perfecta substantia, quatenùs in Verbo subsistit. Imò verò Christus non esset completè Persona humana, quia persona subsistentiam completam dicit. Consequentia autem probatur: quia quod est vltimò terminatum, & completum, nequit ampliùs terminari. Implicat enim, quòd sit terminabile, & vltimò terminatum.

12 Octauò. Si eadem natura à tribus Personis simul terminari posset, etiam posset ab infinitis terminari, cùm non sit maior ratio in vno, quàm in alio: sed hoc est absurdum, quia esse in personis infinitis, arguit infinitã perfectionem in natura, quinimò & esse in tribus Personis, vt patet in Essentia Diuina: sed humana natura non est infinita; ergo ab infinitis personis terminari nõ potest, neq; à pluribus simul.

13 In hac difficultate est sententia Scoti in. 3. d. 1. q. 2. Parag. Ad quæstionem igitur, urgans. Cui subscribunt Richardus art. 1. q. 3. & Albertus q. 1. art. 10. Oppositam tamen sententiam affirmãtem tenet tota Schola Theologorum cum D. Thoma. Alexander Alensis. 3. p. q. 2. membro. 4. Altisiodorensis lib. 3. suæ Summæ tractatu 1. cap. 1. q. 6. Hericus quodlib. 6. q. 7. Marsilius in. 3. q. 1. art. 3. Durãd. d. 1. q. 3. Et omnes Thomistæ. Et probatur hæc sententia. Assumptio ista non repugnat, neque ex parte naturę, neque ex parte personarum assumentium: ergo plures personæ possunt eandem numero naturam assumere. Antecedens quòad primam partem probatur: quia in natura, quæ assumitur, est obedientialis potentia, neque requiritur alia potentia præter potentiam assumentis, dicente Augustino, quòd in hoc mysterio tota ratio facti est potentia facientis: sed in assumentibus est potentia, & personalitas infinita: ergo. Quoad secundam partem probatur antecedens, quia tres Diuinæ Personæ simul terminant eandem numero Deitatem; ergo non repugnat, vt terminent etiam eandem numero humanitatem.

Secundò probatur, quia si repugnaret, maximè quia vna numero natura non posset in tribus suppositis subsistere; sed in Diuinis eadem numero natura reperitur in tribus Personis; ergo. Tertiò. Natura humana, antequàm assumeretur à Verbo, fuit assumptibilis à Patre; ergo nunc etiam est assumptibilis. Patet consequentia; quia huiusmodi assumptio posita est in potentia assumentis, & in obedientia creaturæ, sed eadem est Filij, ac Patris potentia, quæ quidem non est exhausta per assumptionem humanitatis ad Verbum, neque similiter obedientia creaturæ: ergo potest assumi à Persona Patris. 14

Sed obijcitur. Natura humana est omninò terminata per vnam personam: ergo non est ampliùs terminabilis simul per aliam. Negatur consequentia, quia licèt per vnam personam sit completè, & totaliter terminata quantùm ad dependentiam ad illam, non tamen est terminata quantùm ad dependentiam ad alias, sed ex illa parte est terminabilis, & assumptibilis: sicut enim in termino per se primo ponimus tres Personas diuersas; sic etiam in ea natura assumenda constituimus tres dependentias diuersas ratione, personalitates, aut obedientiales potentias, vt ipsæ potentiæ in ordine ad actus diuersos distinguantur, nam si posse sanari, & infirmari diuersa sunt, vt docet Aristoteles. 3. Phys. tex. 2. posse personari à Patre & Filio diuersa sunt, quia Personari à Patre & Filio, de facto, diuersa sunt. 15

Ad primum igitur argumentum Resp. D. Anselmum id tantùm voluisse asserere, quòd si tres Personæ eãdem humanitatem assumerent; non terminaretur illa vnio ad vnum, sicut modò de facto terminatur assumptio humanitatis à Verbo. Et ita subdit Anselmus, quòd si ex assumptione humanitatis vnum in persona, hoc est, in vna præcisè persona debet resultare, debet humanitas ab vna sola persona assumi, & non à tribus. 16

Ad secundũ Resp. Essentiam Diuinã ex se, & ex sua natura tria supposita postulare, quod sanè conuenit illi ex infinitate. Similiter ita esse in illis, vt cũ singulis eorum omninò identificetur perfectissima vnitate, & simplicitate, ac proinde neutrum potest conuenire naturæ creatæ. Si autem tria supposita assumerent eandem numero humanitatem creatam, neque illa esset idem cum personis assumentibus, sed substantialiter illis vniretur, neque ille modus subsistendi esset illi connaturalis, sed per gratiam, & omnipotentiam assumentis communicatus, ipsa natura non repugnante. Etenim cùm ipsa sit in potentia obedientiali ad quamcumque Personalitatem Diuinam, & aliàs inter ipsas Diuinas Personalitates in ordine ad subsistendum, vel terminandum naturam, non sit formalis repugnantia vel oppositio, eâdem ratione erit in potentia obedientiali ad omnes illas personalitates, etiam simul terminantes; 17

nantes,neque eſt vlla ratio , cur ad hoc infinita perfec-
tio requiratur.

18 Ad cõfirmationem,negatur conſequeotia, quia cùm
perſonalitas ſit actus oaturæ , maior perfectio requiri-
tur ex parte perſooalitatis,vt terminare poſsit,quàm ex
parte naturæ,vt poſsit terminari.Quare cùm ſuppoſitũ
perficiat,& ſuſtentet naturam,nequit alienam naturam
terminare,niſi infinitam virturem habeat.Natura verò
creata , per hoc quòd ſuſtentetur à Diuino Suppoſiso,
nihil perfectionis illi tribuit,ſed potiùs accipit , & ideò
in illa non requiritur iofinita perfectio.

19 Sed obijcies,non requiri in ſuppoſito iofinitam vir-
tutem ad termioandam alieoam naturam, quia ſuppo-
ſitom perfectius & ordinis excellentioris , etiam ſi fini-
tum ſit,continet eminenter virtutem ſuppoſiti inferio-
ris,ergo poteſt ſuſtentare naturam inferiorem , quam
ſuſtentat ſuppoſitum inferios. Explicatur boc exemplo.
Anima rationalis,cùm ſit forma oobiliſsima, continet
eminenter perfectiones formæ corporeæ , viuentis , &
ſenſitiuæ:ergo ſimiliter ſuppoſitum humanum reſpec-
tu inferiorum , & Angelicum reſpectu humani. Reſp.
quòd res ordinis ſuperioris continet gradus eſſendi rei
inferioris ordinis, noo tamen omnes illius proprieta-
tes.Itaque homo exiſtit cum lapide,creſcit cum plantis,
ſentit cum brutis,oihilominùs multę proprietates ſunt
in lapide,& herbis:quæ non ſunt io homioe , quamuis
ſit ſuppoſitum ſuperius. Cùm ergo terminare propriã
naturam ſit ſuppoſiti proprietas,nequit ſuppoſito fini-
to,etiam ſuperiori conuenire,vt alienam naturam ter-
minare poſsit.

20 Ad tertium negatur conſequentia,quia licèt vna na-
tura vendicet ſibi vnum ſuppoſitum ſecundùm poten-
tiam natoralem, non tamen ſecundùm obedientia-
lem.

21 Ad confirmationem Reſp.formas, & accidentia ha-
bere ſuam vnitatem numericam à ſubiecto, vel ſuſcep-
tiuo:humanitas verò eſt oatura quædam totalis , quæ
ſortitur ſuam indiuiduationem ex hac materia , & ex
hac forma.

22 Ad quartum Caietanos io præſenti commentario
reſpondet ſupponendo,quòd terminare oon eſt agere,
negando conſequentiam, quia dependentia à termino
eſt alterius rationis,quàm dependentia effectus à cauſa,
& hæc eſt prioris generis,noo poſterioris. In eo autem
genere dependentiæ à termino , non repugoat vnum
æquè dependere à multis , ſicut vna relatio interdũ reſ-
picit plures termioos.Eſt ergo maior differentia inter
cauſam totalem, & effectum totalem ex vna parte , &
naturam terminatam , & perſonam terminantem ex
alia,quia ſi idem effectus ab vna cauſa totaliter prouc-
nit, ab illa quidem producitur , & ab illa habet , qoòd
primò ſit,& ideò ſecuuda cauſa nihil efficit.In propoſi-
to tamen cootingit , euodem numero terminum eſſe,
reſpectu diuerſorum terminabilium, & correlatiuorũ
& per eandem oumero ſimilitudinem in albedine ter-
minas quis non tantùm vnum album , ſed omnia alba
diſtincta realiter.

23 Et rectè obſeruauit Caietanus,vnam perſonam to-
taliter terminare dependentiam naturæ,iotenſiuè, noo
extenſiuè : quia licèt humana natura tunc termina-
retur totaliter, & perfectè ad Filium,V.G.intenſiuè,ni-
hil obſtaret,quominùs etiam totaliter, & perfectè ter-
minaretur ad Patrem ; ſicut ex eò quòd quis perfectè
quoad ioteoſiooem terminet ſimilitudinem alibi , vt
quatuor,nihil obſtat,quòd alter albus, vt qoatuor ter-
minet eandem ſimilitudinem.Et album vt quatuor eſt
totaliter ſimile intenſiuè albo,vt quatuor, non tamen
extenſioè,quia ſimol poteſt eſſe ſimile alteri albo. Sic
natura humaoa ſufficienter terminatur inteoſiuè voa
perſona,oon verò extenſioè.

Quod vero aſſerit Caietanus,quòd io caſu poſito de- 24
pendeotia à termioo non eſſet eiuſdem rationis in tri-
bus Perſonis,eſt omninò falſum,quia licèt Pater ſit alia
Perſona à Filio , & alia ſit ratio Patris,quà Pater eſt,&
alia Filij , ratio tamen & modus terminandi naturam
humanam, eſſet idem omninò in perſonis.

Secundò Reſp.ad argumeotum,ſuppoſito , haoc de- 25
pendentiam à perſona aſſomente,vt à termino,propriſ-
ſimè eſſe in vnione,& ſubſiſtentia,quòd ſi eadem huma
nitas à moltis aſſumeretur,eſtò natura eſſet voa , pro-
prius tamen effectus aſſumptionis, & dependentia inde
orta non eſſet vna,ſed multiplex;eſſent enim tres vnio-
nes diuerſæ,quarum qoælibet à ſuo termino penderet.
In quo etiam oon modica eſt differeotia inter cauſam
efficientem reſpectu ſui effectus,& terminom huius aſ-
ſumptionis,nam ſi tres cauſæ totales eundem effectum
efficerent,darent illi idem eſſe , & propterea eſſet pro-
priè idem effectus à tribus cauſis. In præſenti verò tres
perſonæ aſſomentes eidem humanitati tres ſubſiſteo-
tias diuerſas medijs tribus vnionibus diſtinctis commu
nicarent.Ac proiode non concludit ſimile de cauſa to-
tali,nec tenet ex differentia aſsignata.

Tertiò Reſp.ad argumentum ex Gabriele in.3. d. 1. 26
q.1.Cauſam totalem dupliciter dici. Altera eſt ſufficiẽs,
altera verò adæquata. Sufficiens eſt ; quæ ex ſe aliquid
poteſt efficere ſine alterius adiutorio, etſi cũ alio idem
facere poſsit , vt ſi duo pares viribus eundem lapidem
trahant,quorum quilibet ſeorſum illum lapidem por-
tare poſſet,quilibet eorũ eſt ſufficiens cauſa illius trac-
tionis,nam quilibet poteſt illud efficere ſine opera al-
terius.Sed caoſa adæqoata non admittit ſecum alterã
cauſam,& ideò vnius effectus poſſunt eſſe multæ cauſę
totales ſufficientes, non tamen totales adæqoatæ. Di-
uina igitur Perſona terminat dependentiam natoræ
aſſumptæ totaliter ſufficienter , oon tameo totaliter
adæquatè: nam Diuina Perſooa ad ſuſtentandam de-
peodentiam naturæ aſſumptæ,ooo eget opera alterius
perſonæ,poteſt tamen ſimol cum alia perſona eaodem
numero naturam ſuſtentare.

Ad confirmationem Reſp. eſſe magnum diſcrimen, 27
nam termini creati taliter terminaot , qoòd includunt
negationem aliorum terminorum, vt ſuperficies exclu
dit aliam quamcumq;.At verò termioi increati non ſe
excludunt à communicatione eiuſdem nomero oatu-
ræ:& ideò Perſonalitas Verbi non excluderet alias per-
ſonalitates Diuinas à communicatione oaturæ. Neque
ſecooda ioſtantia de voluntate aliquid concludit , qoia
eſt argumentum à genere cauſaodi ad genus termi-
nandi.

Ad qointum negatur cõſequentia,quia perſona crea 28
ta terminans oatoram,conſtituitur per illam naturam,
& perſonalitas ſuſcipitor in ipſa natura , vt terminus
intrioſecos,& perfectio intrinſeca. Quare impoſsibile
eſt,aſſumere naturam humaoam in propria perſooa,&
ſimul

Digitized by Google

simul non assumere propriam personalitatem, quæ est inassumptibilis. At verò Diuina Persona naturam terminans, non cõstituitur formaliter in esse personæ pee illam, imo verò Diuina Personalitas, licèt sit personaliter coniuncta humanitati, non tamen est connaturalis terminus illius, sed extrinsecus, vnde potest adhuc termi nari ipsa natura ab alia Diuina Persona.

29 Sed contra instatur. Sequeretur, eandem naturam esse terminatam, & incommunicabilem, & simul non esse terminatam, neque incommunicabilem: quia iam est terminata in Persona Verbi, & cùm sit singularis persona, est incommunicabiliter subsistens. Ex alia verò parte non est terminata, cùm possit terminari in Persona Patris, neque est incommunicabilis, cùm alijs Personis Diuinis communicari possit: ergo Resp. incommunicabilitatem personæ non consistere in hoc, quòd natura semel personata non sit assumptibilis, sed in eò, quòd non sit assumptibilis secundùm illam rationem personæ, ita vt natura, quæ modò est teeminata in Persona Filij, nequeat simul cum illa personalitate à Persona Patris assumi, & in hoc sensu illa natura est omninò terminata, & incommunicabilis. Si verò eadem natura consideretur, vt separata, & distincta ab eadem personalitate, iam perpenditur seclusa ratione personæ, & sic non intelligitur terminata, neque incommunicabilis. Sed replicatur contra eandem argumenti solutionem.

30 Licet verum sit, personalitatem esse incommunicabilem alteri personæ, & interminabilem alio simili termino, sicut etiam linea nequit alia linea terminari, neque punctus alio puncto, neque vnum vbi formaliter alio vbi, neque vna actio alia actione, & in vniuersum vna forma non potest suum veluti formalem effectum per aliam formam recipere, vt calor non potest fieri calor alio calore; ita ergo neque personalitas vt sic potest alia personalitate personari, aut terminari. Quod verò natura constituens illo modo vnam personam nequeat assumi, vt alio modo componat cum assumente aliam personam humanam, non videtur impossibile, quia tunc propria naturæ personalitas concomitanter tãtùm se haberet respectu assumptionis quod non videtur esse contra rationem vnionis hypostaticæ, vt suo modo patet in casu posito de natura assumpta à pluribus personis, ergo differentia assignata in solutione argumenti est nulla.

31 Confirmatur, quia non videtur repugnaee, humanitatem assumi, quę est capax assumptionis manente personalitate non assumpta, quia est incapax talis assumptionis: ergo differentia posita nulla est. Antecedens peobatur, quia natura assumpta ab vna persona potest assumi ab alia non assumpto modo vnionis cum priori persona, quia ille modus est inassumptibilis. Et licèt sit in ipsa natura, distinguitur tamen ab illa ex natura rei. Item in Trinitate eadem natura vltimò terminata in Persona Patris, rursus terminatue pee relationem Filij, etsi vna personalitas aliam personalitee non terminet: ergo.

32 Ad hæc tamen respondetue, differentiam assignatam in solutione argumenti esse optimam: nam modus subsistendi intrinsecus, siue intrinseca, & connaturalis personalitas creata habet formalem, & Immediatam repugnantiam cum illo modo vnionis, quem natura assumpta in alieno supposito habet. quia subsistere per se, & in alio sunt modi ita repugnantes inter se, vt vnus intrinsecè includat negationem alterius: quod ita à simili explicatur. Fieri enim non potest, vt eadem virga simul sit recta, & Curua, quia illi modi, licèt positiui sint, includunt tamen immediatam repugnantiam. Item idem accidens nequit simul per se esse, & actualiter inhærere. Et ex hoc facilè sumitur disparitas, quare 33
eadem natura simul possit esse in duabus personis extrinsecis, non verò in propria, & aliena. Ergo magis repugnant inter se modus subsistendi per se, & in alio, quàm duo modi subsistendi in alio, quia illi duo modi ita se habent, vt vnus negationem alterius includat, isti verò minimè, sed sunt prorsus disparati, sicut idem accidens potest esse simul in duobus subiectis, non tamen simul per se, & in alio: & eâdem ratione facile intelligitur, cur eadem Diuina Natura possit esse in tribus suppositis, nempe, quia in illis omnibus subsistit per se, & omnes illæ personalitates sunt veluti modi per se subsistendi, & non dicunt vnionem ad extrinsecam personam: modi autem per se subsistendi inter se comparati non includunt illam repugnantiam, & mutuam negationem, quam includunt modi per se, & in alio subsistendi.

Sed contra. Etiam humanitas assumpta à Verbo, per se subsistit in Verbo, quia in illo subsistit: non 34
enim apparet ratio, cue magis dicatur per se subsistee per propriam subsistentiam, quàm per alienam, cum ab vtraque distinguatur, & vtraq; nitatur, & sustentetur. Resp. longè aliter esse natueam in peopria persona, & aliena; quia in propria est, quasi sibi innixa; in aliena verò, quasi sustentata ab illa. Et ideò modus propriæ subsistentiæ oppositam omninò rationem habet cum modo vnionis, & ita in hoc sensu natura assumpta non est propriè subsistens in se, sed in alio, quod propriè dicitue subsistere in illa.

Ad sextum negatur consequentia; quia natura huma 35
na propria, & intrinseca subsistentia terminata, per se subsisteret; vnde ab alia assumi non posset: hoc enim ipso quòd assumeretue, esset in alio. Repugnat autem, idem simul esse in se, & in alio, sicut esse à se, & ad aliud: vnum enim includit negationem alterius. Humanitas verò per vnius Diuinæ Personæ subsistentiã terminata, non per se, sed in alio existit, nempe, in supposito Filij; & ideò non repugnat, quòd ad Personam Patris simul terminetur: nulla enim assignari potest repugnantia, ob quam natura, quæ est in vno supposito alieno, nequeat simul esse in alio, & in alio, &c. Dices repugnare, sicut quòd accidens In vno subiecto existens simul sit in alio realiter distincto. Resp. accidens individuari à subiecto, cui inest, & ideò implicare, quòd duo subiecta realiter distincta simul informet. Natura verò substantialis ex suis intrinsecis principijs indiuiduatur, non ab extrinseco supposito, à quo assumitur, vel terminatur. Siquis verò cum Scoto dicat, accidens à subiecto non indiuiduari, respõdeat, minimè implicare, quòd pluribus subiectis reipsa distinctis inhæreat, sicut neq; quòd vna natura substantialis pluribus personis vniatur.

Ad septimum Resp. concludere quidem, naturam, 36
vt terminatam formaliter per vnius personæ subsistentiam, ab alia assumi non posse: non tamen

probaret, quòd illa natura, quæ per subsistentiam vnius Personæ terminata est, nequeat compleri substantialiter similiter per subsistentiã alterius. Sed dicet. Ergo natura terminata propria subsistentia potest assumi à Persona Diuina, non quidem vt est terminata formaliter, sed secundùm suam intrinsecã entitatem, præcisè sumptam. M. Suarez negat hanc consequentiam, quia Diuina Personalitas, inquit, est omninò extrinseca naturæ creatæ, & ab ea realiter distincta: & sic necessarium non est, quòd assumpta natura, assumatur personalitas Diuina: sed subsistentia propria est modus intrinsecus identificatus cum natura creata: vnde non potest hæc natura realiter sumi, quin pariter assumatur ipsa subsistentia quod implicat &c.

37 Verùm hæc solutio non placet; quia similiter vnio humanitatis ad Verbum est modus quidã intrinsecus, realiter idenficatus cum ipso, & nihilominùs omnium consensu posset natura humana Christi à Patre, & Spirito Sancto assumi, non assumpto isto modo vnionis: quem ab alia persona esse inassumptibilem, dicetur infra. Item quia etiam si subsistentia creata realiter differat à propria natura, vt est communis Thomistarum opinio: adhùc natura per eam terminata, à Diuina Persona assumi non posset: quia vt Caietanus docet hîc, subsistentia propria adæquatè complet suæ naturæ potentialitatem, tam intensiuam, quàm extensiuam, eamque reddit omninò inassumptibilem. Ratio igitur est, quòd subsistentia propria tribuit naturæ modum essendi per se incompatibilem cum modo essendi in alio, quem daret existentia aliena extrinseca. At verò modus essendi in alio supposito, quem subsistentia Filij tribuit humanitati, licèt sit distinctus ab eo, quem Personalitas Patris communicaret, non tamen est incompatibilis cum primo; quia vt rectè obseruauit Durandus, modi essendi in alio disparati sunt, non oppositi, sicut in se, & in alio subsistere.

38 Ad octauum Resp. esse in tribus Personis propriis per omnimodam identitatem cum illis, & ab intrinseco, infinitam arguit perfectionem in Natura Diuina: at verò posse esse in pluribus suppositis alienis realiter ab ipsa distinctis, non solùm non arguit infinitã perfectionem in natura creata; sed potiùs imperfectionem: indicat enim indigentiam, & potentialitatem. Vnde cùm obijcitur; Natura creata potest assumi à tribus Personis, ergo ab infinitis Resp. absolutè non posse nisi à tribus Diuinis Personis suscipi, quia solùm istæ habent vim terminandi alienã naturã, vt art. 1. huius quæstionis ostensum est. Si tamen per impossibile infinitæ personæ forent, habentes hanc vim, posset ab infinitis personis assumi. Ex hoc tamen non magis sequitur, naturam creatam esse infinitam, quàm sequatur, quamlibet creaturam esse infinitè perfectam, propterea quòd habet potentiam obedientialem passiuam, vt ex ipsa possit Deus plures, & plures in infinitum effectus producere.

SECVNDA DISPVTATIO.

AN in casu posito tres Personæ Diuinæ assumentes eandem humanitatem, essent vnus homo, vel plures. Ratio dubitandi est, quia in prædicto casu, non videtur quòd essent plures homines propter vnitatem naturæ humanæ: neque vnus propter pluralitatem personarum.

In hac difficultate Caietanus hîc opinatur, simpliciter fore tres homines, & vnum tantùm secundùm quid, quatenùs conuenirent in vna humanitate. Idem docet Medina in hoc articulo, & antè eos tenuerunt hãc sententiam Marsilius in 3. q. 2. art. 3. Dubio. 2. & Gabriel d. 1. q. 1. art. 3. Dubio. 3. & probatur. Primò. In prædicationibus substantialibus numerus non debet accipi ratione formæ, sed ratione suppositi; sed in casu posito essent tria supposita humanitatis; ergo essent simpliciter tres homines. Maior probatur, quia modò in Christo est duplex natura, & tamen, quia est vnicum tantùm suppositum, Christus dicitur vnus simpliciter. 1

Confirmatur: quia vel numerus debet accipi à natura substantiali, vel à supposito. Sed non à natura: ergo à supposito. Minor probatur: quia si vna persona assumeret duas humanitates, esset simpliciter vnus homo, vt ostendit D. Thomas articulo sequenti ad secundum: ergo non accipitur numerus secundùm formas substantiales, sed solùm secundùm supposita. 2

Secundò. Si Deus, & Angelus assumerent eandem humanitatem per impossibile, nõ essent vnus homo, quia vnus esset Deus, alter pura creatura: ergo neq; in nostro casu tres personæ essent vnus homo. 3

Confirmatur. Illa hypothesi facta, Pater esset vnus homo numero, Filius etiam esset alius homo numero; ergo essent plures homines simpliciter. 4

Tertiò. Si in casu posito, quòd tres Personæ assumerent eandem humanitatem, Pater æternus aliam humanitatem assumeret, in qua appellaretur Petrus, tũc Petrus non esset idem homo, qui Christus, ostensa per Christum Persona Filij Incarnata: ergo Pater, & Filius in eo casu non essent idem homo. 5

Quartò. Homo, & subsistens formaliter in humanitate, sunt adæquatè, & omninò idem: sed in casu posito Diuinæ Personæ essent tres subsistentes in humanitate, & non vnus subsistens; ergo tres simpliciter homines, & non vnus. 6

Confirmatur: quia nomen concretum, Homo non naturam humanam sicut abstractum, Humanitas, significat, sed suppositum, vel personam humanæ naturæ: at in prædicto casu tres Personæ Diuinæ essent tria supposita humanæ naturæ: ergo tres homines simpliciter, & absolutè. Maior patet, quia hoc est discrimen inter concretum, & abstractum in substantijs, quòd abstractum naturam præcisam, concretum verò suppositum in illa subsistens adæquatè significat. 7

Est secunda sententia, in tali casu tres Personas non esse simpliciter tres homines, sed vnũ simpliciter. Colligitur hæc opinio ex D. Thoma in præsenti articulo ad primum, & articulo sequenti ad secundum. Et probatur ex doctrina D. Thomæ 1. p. q. 36. art. 4. & q. 39. art. 3. vbi constituit discrimen inter nomina substantiua, & adiectiua, quòd substantiua recipiunt numerum ex formis importatis, adiectiua verò ex suppositis formarum, qua ratione Pater, & Filius sunt vnum principiũ Spiritus Sancti, & sunt vnus spirator, & non duo, etsi dici possint duo spirantes adiectiuè; 8

sed

Digitized by Google

sed homo etiam in tali casu esset nomen substantiuum respectu trium Personarum: ergo tres Personæ essent vnus homo simpliciter.

9 Secundò probatur. Diuinæ Personæ sunt vnus Deus simpliciter, propter vnicam Naturam Diuinam, in qua subsistunt; ergo etiam erunt vnus homo simpliciter, si subsistat in vnica natura humana. Dices cũ Medina esse diuersam rationem in vtroq; , quia Natura Diuina est eadem realiter cũ tribus Personis, ac proinde tres Personæ sunt vnus Deus simpliciter natura verò humana realiter distingueretur ab illis, & ex consequenti tres Personæ essent tres homines. Nihilominus hæc solutio nihil valet, quia quòd tres Personæ sint vnus Deus simpliciter, non prouenit ex identitate Personæ Diuinæ cum natura, ex hoc enim colligitur simplicitas Dei, non vnitas, sed prouenit ex eo, quòd in tribus Personis est vnica simplicissima natura; ergo si in tribus Personis est etiã vnica simplicissima natura humana, erunt vnus homo simpliciter.

10 Tertiò probatur ex D. Thoma art. 7. sequenti ad secundum; vbi docet, in huiusmodi casibus attendendum esse ad modũ significandi terminorum in humanis: sed in humanis homo significat formam substãtialem, & per modum substantiui; ergo siue distinguatur realiter à persona talis forma, siue non distinguatur, numerus debet accipi secundùm rationem illius.

11 Tertia sententia affirmat, in eo casu tres personas nõ fore simpliciter tres homines, neq; etiã simpliciter vnũ hominem, sed cum addito, hoc est, ratione vnius humanitatis, esse vnum hominem. Hæc opinio colligitur ex D. Thoma, qui semper dicit, esse vnum hominem, propter vnam humanitatem. Et probatur, quia in tali casu hoc nomen, Homo, haberet & rationem termini substantiui, & substantialis, quia significat naturam humanam, quæ substantialiter prædicaretur de tribus Personis, & haberet etiã rationem quandã termini accidentalis, quia significaret naturã, quæ potest adesse, & abesse à subiecto, qua ratione etiam nunc dictum hoc nomen de Christo habet quendam modum termini connotatiui. Et ideò propter has diuersas rationes significãdi in eo casu essent secundùm quid tres homines, & secũdùm quid vnus homo, magis tamen essent vnus, quàm tres.

12 Quarta sententia docet, quòd in eo casu essent plures homines, & vnus homo, vtrũq; tamen secũdùm quid. Sic Richardus in 3. d. 1. art. 3. q. 4. ad. 2. Durandus q. 3. & alij. Itaque iuxta istam opinionem data hypothesi, tres Personæ Diuinæ neque essent tres homines simpliciter, neque vnus simpliciter, sed secundùm quid vnus ratione vnius naturæ, & secundùm quid tres ratione triũ Personarum. Nihilominùs pro decisione veritatis sit Prima Conclusio.

13 Hac facta hypothesi, necessariò dicendum est, tres Personas vel esse vnum hominem simpliciter; vel plures simpliciter. Est contra quartam opinionem, & probatur euidenter. Vnum & multa diuidunt ens adæquatè, vt constat ex Methaphysica. Ergo si sit aliquod ens simpliciter, erit necessariò, aut vnum simpliciter, aut multa simpliciter. Sed in casu posito, aliquod ens est verè homo; ergo vel erit vnus simpliciter homo, vel plures simpliciter.

14 Secunda Conclusio. In casu posito, tres Diuinæ Personæ non essent tres homines simpliciter. Est contra opinionem Caietani, Medinæ, & aliorum; quibus annumerandus est M. Soto libro. 1. Summularum cap. de Appellatione, notabili. 7. & probatur. Nomina substantiua significant formam per modum substantiæ; sed substãtia per se habet, & esse, & vnitatẽ ergo formę tali nomine significatæ per se habent vnitatem, non aliunde. Sed homo significat formam per modum nominis substantiui, ergo per se habet esse, & vnitatem, nõ aliũde. Ergo si illa fuerit vna numero forma, dici non potest, quòd forent tres homines, licèt esset in tribus Personis.

Confirmatur. Quia secundùm fidem Diuina Natura in tribus Personis existens est vnus Deus; ergo similiter in casu posito tres Personæ non sunt tres homines simpliciter. Aliàs neque tres Diuinæ Personæ essent dicendæ simpliciter vnus Deus. Neque obstat negare paritatem rationis, quia scilicet Diuinitas ita est vna in tribus Personis, vt sit omninò idem cum ipsis. Hoc, inquam, non obstat, quia licèt hoc faciat ad propositum prædicationis in abstracto, nempe, vt tres Personę possint dici vna Diuinitas, non tamen vna humanitas; ad prædicationem verò in concreto parùm refert, quia qualibet persona non est Deus præcisè, ac formaliter, quia est sua Deitas, sed quia habet Deitatem, sicut Verbum est homo, quia habet humanitatem; etsi non sit sua humanitas. Ille ergo modus prædicationis per se, ac formaliter non requirit illam identitatem. Vide tres Personæ sic sunt vnus Deus, nõ quia sunt vna Deitas formaliter, ac præcisè loquendo, sed quia habent vnã Deitatem; ergo similiter essent vnus homo, si vnam humanitatem haberent. 15

Neque etiam obstat responsio Caietani asserentis tres Personas esse vnum Deum, non propter quamcumque vnitatem Deitatis, vt natura est, sed propter vnitatem subsistentis communis, idest, quia sunt vnum, & idem habens hanc Deitatem. Sed certe hæc responsio nullum habet firmamentum, si constituamus, vnionem eiusdem humanitatis factam esse, & in hoc Deo, & in tribus Personis: tunc enim tres Personæ essent vnum & idem habens humanitatem. Rursus. Quòd tres Personæ sint vnus Deus, non pendet ex illa opinione de subsistentia communi, sed ex vi vnius naturæ sunt vnus Deus, vt omnes Patres fatentur: aliàs si vnitas naturæ non sufficeret, etsi posita subsistentia essentiali, possent dici vnus Deus, quatenùs sunt vnum habens Deitatem, sub alia ratione possent dici tres Dij, quatenùs sunt plures habentes Deitatem, sicut dicuntur fore tres homines in dicto casu. Postremò probatur. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt vnus spirator, & vnum principium Spiritus Sancti, vt constat ex. 1. p. quæst. 36. art. 4. & hoc propter vnam virtutem, & vnam relationem spirandi, etsi sub ea ratione non habeant vnam subsistentiam communem; ergo. 16 17 18

Tertia Conclusio. Data huiusmodi hypothesi tres Personæ Diuinæ essent vnus homo simpliciter. Probatur; quia vel essent plures homines simpliciter, vel vnus, vt constat ex prima conclusione; sed non essent plures simpliciter, vt ostensum est in secunda; ergo essent vnus simpliciter. Item probatur, quia ad vnitatem termini substantiui sufficit vnitas formæ, vt docet D. Thomas. 3. p. quæst. 3. art. 4. 19

& q. 39. art. 3. quia terminus substantiuus, vt homo, formaliter significat formam, seu naturam, vt in habente illam, & ideò vt simpliciter dicatur vnus homo, sufficit vnitas naturæ. Nec refert, quòd illa natura sit intrinseca, & connaturalis, vel aduentitia, vt est humanitas respectu Verbi, quia hoc non variat rationem nominis, nec modum significandi illius.

20 Confirmatur, nam Christus absolutè est vnus homo specie cum alijs hominibus propter vnitatem specificã naturæ, quamuis supposita plusquàm genere differant; ergo pari ratione tres Personæ erunt vnus homo numero propter vnitatem numericam naturæ, etiam si personæ distinctæ sint. Tandem probatur hæc conclusio argumentis adductis pro secunda opinione. Superest dissoluere argumenta primæ sententiæ.

21 Ad primum igitur argumentum Resp. rationem formalem & potissimam numerationis attendendam esse secundùm formam substantialem, ita tamen vt necessariò requiratur conditio suppositi. Si enim suppositum non multiplicetur, non recipient numerũ formæ substantiales in concreto, quia non est, quod numeretur, & ita Christus est vnus simpliciter & si assumeret duas humanitates, etiam esset vnus homo. Et ex hoc soluitur confirmatio.

22 Ad secundum Resp. quòd in tali casu Deus, & Angelus essent vnus homo, & de vtroque æqualiter prædicarentur ea, quæ essent naturæ humanæ, & per communicationem idiomatum prædicarentur de homine, quę essent propria Dei, & quæ essent propria Angeli. Quæ tamen essent propria Angeli, non prędicarentur de Deo sub nomine Deitatis, neque è contra, & ita concederetur, quòd hic vnus homo est Deus, & est creatura, non tamen, quòd Deus est creatura, sicut in casu nostræ Disputationis concedimus, quòd hic vnus homo est generans Filium æternum, & idem homo est Filius æternus genitus, non tamen conceditur, Patrem esse Filium.

23 Ad confirmationem negatur, quòd tunc Pater esset alius homo numerò à Filio, quia alius homo numero importat alietatem, & diuersitatem numericam non tantùm in supposito, & persona, sed etiam in forma, & natura.

24 Ad tertiũ Resp. quòd in tali casu Pater nõ esset idem homo cum Filio secundùm vtramque humanitatem, sed secundùm illam, esset à tribus Personis communiter assumpta. Et ita distinctione vtendum est.

25 Ad quartum Resp. subsistens in humanitate ex modo significandi ab homine differre, illud enim est adiectiuum, hoc substantiuum. Sicut ergo modò non valet; tres Personæ Diuinæ sunt tres subsistentes in Deitate: ergo tres Dij; sic neq; tunc valeret: essent tres subsistentes in humanitate, ergo tres homines.

26 Ad confirmationem Resp. concretum, Homo, non magis esse nomen personæ humanæ quàm Deum Personæ Diuinæ. Et ita sicut non sequitur, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres Personæ Naturæ Diuinæ; ergo tres Dij: ita non valebit in prædicto casu, forent tunc tres Personæ naturæ humanæ; ergo tres homines quia persona humana directè, & explicitè personalitatem significat; indirectè verò & in confuso naturam humanam terminatam per illam. Cõtra verò homo directè humanitatem dicit; indirectè autem; & pro materiali personam, siue suppositum concernit. At vnitas concreti ex directo, & formali significato, non ex indirecto, & materiali peti debet.

Ex dictis refutatur etiam tertia opinio; quæ expressè aduersatur Diuo Thomæ in responsione ad primũ: vbi affirmat, in eo casu tres Personas tam absolutè, & simpliciter fore vnum hominem propter vnam naturã humanam, sicut sunt vnus Deus propter vnam Deitatem. Ex eo autem quod ibidem subiungit D. Thomas, ea hypothesi facta tres Personas non fore vnum simpliciter, non rectè colligitur, non fore tunc vnum hominem simpliciter, aliàs sibi contradiceret D. Thomas, vel saltem sentiret, tres Personas non esse simpliciter vnum Deũ, sed secũdùm quid. Itaque nõ negat D. Thomas in casu esse vnũ hominem simpliciter, sed affirmat, quòd tres Personæ non essent vnus absolutè; & sine addito, cuius ratio est, quia vnus homo etiam absolutè, & simpliciter dictus dicit vnitatem naturæ, non personæ, verumtamen vnus absolutè dictus dicit vnitatem personæ: sicut tres Personæ dicuntur vnus Deus, non tamen vnus absolutè. Quare, aliud quidem est, esse vnum hominem simpliciter, aliud verò esse vnũ simpliciter. Primum affirmat D. Thomas, secundum negat illis verbis. Nec posset argui ex hoc, quòd tres Personæ sunt vnus homo, quòd essent vnus simpliciter. 27 28

Circa responsionem ad secundum D. Thomæ aduertendum est, naturam assumptam à tribus Personis, assumi quidem ad vnitatem assumentis, non quidem ad vnitatem naturæ, quæ est in assumente, sed ad vnitatem personæ: & non vnius personæ, sed ad vnitatem personæ assumentis, ita scilicet, vt quęlibet persona assumens trahat illam naturam ad vnitatem proprij suppositi, & ex consequenti illa natura singularis, & quęlibet persona assumens sunt vnum supposito. 29

Circa responsionem ad tertium aduertendum est, in tali assumptione esse quidem communicationem idiomatum, non tamen confusionem personarum: quia licèt Pater esset homo, & similiter Filius, & Spiritus Sanctus, nõ tamen Pater esset Filius, aut Spiritus Sanctus. 30

ARTICVLVS VII.

Vtrùm vna Persona Diuina possit assumere duas naturas humanas.

RESPONDET D. Thomas *vnica cõclusione affirmãte.* Persona Diuina præter naturam humanã, quam assumpsit, potest aliam numero naturam humanã assumere. *Probat in argumento sed cõtra: nã quod potest Pater, potest etiã Filius; sed facta Incarnatione potest Pater aliã naturã assumere ab ea, quã Filius assumpsit, cùm potentia Patris & Filij in nullo fuerit per Incarnationem Filij diminuta; ergo etiam Filius eandem posset assumere. Probat etiam in corpore. Quod potest in vnum, & non in amplius, habet potentiam limitatam ad vnum; sed potentia Diuinæ Personæ, cùm sit infinita, non potest*

potest limitari ad aliquid creatum, cùm increatum à creato comprehendi non posit, quod sanè contingeret, si persona aliam naturam assumere non posset; ergo & ex parte virtutis, quæ est principium vnionis, & ex parte personalitatis, quæ est terminus, vna persona potest aßumere duas naturas.

Est primum argumentum D. Thomæ. Natura vnius speciei non potest multiplicari, nisi multiplicetur suppositum, vt patet in indiuiduis eiusdem speciei: sed in assumptione cuiuslibet naturæ nequit multiplicari suppositum, cùm in Incarnatione natura assumpta non habeat aliud suppositum præter Diuinum; ergo non potest assumi alia natura. Respondet, maiorem esse veram in humanis, in quibus natura multiplicatur secundùm supposita, quia forma multiplicatur per supposita. At verò in Incarnatione vnio materiæ & formæ, hoc est, animæ & corporis, cùm non cōstituat nouum suppositum, non multiplicat supposita, & ideò naturæ multiplicari possunt sine suppositis.

Secundum: quia in tali casu persona assumens nō esset vnus homo, cùm vnam tantùm naturam humanam non haberet, neque plures, quia ibi tantùm esset vnum suppositum: ergo. Respondet, in eo casu vnam personam assumentem duas humanitates fore vnum hominem, non plures; quia nomen impositum ab aliqua forma non dicitur pluraliter, nisi ob pluralitatem suppositorum; sicut homo duobus vestimentis vestitus non dicitur duo vestiti, sed vnus indutus duobus indumentis; ita etiam Persona Diuina aßumens duas humanitates, propter vnitatem suppositi diceretur vnus homo habens duas humanitates.

Tertium. Ex eo quòd Deus factus est homo, totus ipse est Deus, & totus ipse est homo; ergo si Deus aßumeret duas humanitates, oporteret, vt anima vnius eßet vnita animæ & corpori alterius, & similiter quòd duo corpora essent simul, quod induceret confusionem naturarum. Negatur consequentia, quia Filius Dei est sua Deitas, sed nō est sua humanitas. Neq; est assumpta natura humana, vt sit ipsa Persona Dei, sed vt Persona Dei subsistat in natura humana. Et ideò ex summa vnitate, & identitate, quæ est inter Personā Diuinā, & Deitatem effectū est, vt Diuina Natura hypostaticè vniatur naturæ humanæ secundùm omnes eius partes. At verò duæ illæ naturæ aßumptæ distinguerentur realiter & inter seipsas, & à persona, ac proinde non sequitur inconueniens illatum. Addit insuper D. Thomas, quòd in eo casu vna humanitas priùs assumpta non diceretur aliam assumere, quia neque esset principium aßumendi aliam, neque eßet terminus assumptionis eius. Natura vero Diuina propter summam vnitatem, quam habet cū Verbo, dicitur nunc ad se sumere, quia sumit ad Personam Verbi, quæ est idem, quod ipsa. At verò humanitas, licèt Verbo esset vnita, nō tamen est ipsum Verbū. Et ideò quod ad Verbum ipsum assumitur, non potest dici assumi ad humanitatem.

Commentarius.

CIRCA conclusionem aduertendum est, non esse limitandam ad solas humanas naturas, sed ad omnes assumptibiles extendendam, siue sint eiusdem, siue diuersæ speciei, nam eadem est ratio de omnibus. Similiter non est limitanda ad aliquem numerum, sed intelligenda est de quouis numero finito, etiam si in infinitum augeatur, quod totum probat ratio D. Thomæ, nempe, quia Diuina Persona, tam vt principium efficiens, quàm vt terminus huius vnionis, est simpliciter infinita, & ad istum effectum sufficientissima. 1

Circa rationem D. Thomæ dubitat Caietanus asserens, falsam esse illam propositionem assumptam à D. Thoma, Potentia, quæ potest determinatè in vnum, & non in aliud, est finita, & limitata: nam potentia generatiua Patris æterni est infinita, & tamen ita determinatè potest generare vnum Filium, quòd non posit aliū: ergo etiam si Persona Diuina sit infinita in terminando, nequit assumere plures humanitates. 2

Caietanus respondet, illam propositionem esse intelligendam, quando potentia ex se ipsa ita potest in vnū effectum, quòd ibi terminatur tota eius virtus, ita vt sit repugnantia ex parte ipsius potentiæ ad alium effectum producendum, etiam si à parte rei sit producibilis. Quando verò repugnantia nō est ex parte potentiæ, sed ex parte effectus, quia scilicet repugnat talem effectum produci, benè stat, quòd potentia terminetur ad vnum effectum, & non ad alium, & nihilominùs sit infinita potentia, quia determinatio non est ex parte potentiæ, sed ex parte obiecti infactibilis. Sic autem contingit in productione Verbi, quòd in re non est generabile aliud Verbum, nisi vnicum tantùm, & ita potentia, quæ determinatur ad productionem illius, potest esse infinita. 3

Nihilominùs non est admittendum, ex parte Dei, & potentiæ generatiuæ non esse repugnantiam ad hoc, vt non producatur aliud Verbum. Et probatur manifestè: nam cùm aliquis effectus non continetur intra obiectum potentiæ, neque sub forma, qua mediante operatur, ex parte ipsius potentiæ est repugnantia in ordine ad talem effectum: sicut ex parte potentiæ visiuæ est repugnantia, vt nequeat videre sonum, neque odorem, obiectum autem potentiæ operatiuæ Dei est ens possibile, & forma per quam operatur Deus, est ipsa ratio entis, & ita ex parte ipsius Diuinæ potentiæ repugnat, operari id, quod non clauditur sub ente, neque hoc dicit aliquam imperfectionem in potentia Dei, imò perfectionem infinitam, quia respicit obiectū adæquatū potentiæ vt sic, nempe, possibile. 4

Verum est tamen, quòd secundùm aliquam rationem radix summæ impossibilitatis reducitur in impossibilitatem facti, quamuis etiam reduci debeat ipsa impossibilitas in Diuinam omnipotentiam, tanquam in primam causam.

5 Vnde ad argumentum Caietani aliter Resp. potentiam, quæ potest in vnum effectum infinitum, esse simpliciter infinitam, si talis effectus sit simpliciter infinitus. Filius autem Dei est simpliciter infinitus, sicut & ipse Pater, & ita potentia generatiua Patris est infinita. Propositio ergo D. Thomæ intelligitur de potentia, quæ attingit tantùm vnum effectum simpliciter finitū, qualis est Incarnatio.

6 Sed adhuc videtur argumentū nō omninò solutum: quia potentia generatiua in Patre est infinita simpliciter, & tamen adæquatè terminata est per vnam Filij productionem, ita vt ad alias extendi non possit: ergo similiter licet virtus terminatiua, quam habet vnaquæq; Persona, sit infinita simpliciter, poterit adæquatè cōpleri per vnius naturæ terminationem. Dices, generationem Filij esse actum simpliciter infinitum, sicut Persona, ad quam terminatur: terminationem verò naturæ creatæ esse actum limitatū, sicut ipsa natura creata, & proindè non posse adæquatè respondere virtuti infinitæ terminatiuæ, quam habet quæuis Persona. Sed contra; quia Essentia Diuina est infinita simpliciter in ratione personalitatis; ergo actualis eius terminatio est actus simpliciter infinitus, adæquatè commensuratus cum virtute infinita terminatiua Diuinarum Personarum: & sic non poterit ad alios actus hæc virtus extendi; sicut potentia generatiua Patris non se extendit ad alium, quam ad actum generatiuum Filij, sibi adæquatum.

7 Respondetur, quòd sicut in Patre est duplex potentia productiua, altera ad intra, altera verò ad extra, quarum prima adæquatè respicit vnum actum infinitum, nempe, generationem Filij, & vnicum terminum simpliciter per eam productum, nempe, Filium, nec potest ad alium extendi; secunda verò respicit plures, & plures productiones in infinitum, ita vt nulla sit dabilis, quæ adæquatè compleat vim productiuam, quam Deus respectu creaturarum habet: sic etiam in quauis Persona Diuina duplex est virtus terminatiua, altera ad intra, altera verò ad extra. Prima virtus per vnius Essentiæ Diuinæ terminationem adæquatè completur. Secunda verò, cùm respiciat naturas creatas finitas, & limitatas simpliciter, per vnius naturæ, licèt perfectissimæ, assumptionem compleri non potest totaliter. Vnde vna assumpta, poterit simul plures, & plures in infinitum quæuis persona assumere, siue tales naturæ sint vnius, siue distinctæ speciei.

8 M. Suarez hîc Disput. 15. Sectio. 5. respondet, infinitam potentiam generatiuam Patris veluti expleri vno actu perfecto & adæquato, cui etiam vnus terminus totus, & adæquatus respondet. Attamen Verbum assumens infinitè excedit naturas assumptas. Et ita potest vna Persona plures humanitates assumere.

9 Sed replicatur contra hanc solutionem, quia ex ea sequitur, Verbum solam Naturam Diuinam posse terminare, & nullam aliam, quia in tali terminatione habet actum perfectum, & adæquatum, quo virtus eius videtur expleri. Sed negatur consequentia, nam solùm infertur, aliam naturam terminare nō posse illo modo, nempe, vt actū adæquatum, cōnaturalem, & secum habentem necessariam coniunctionem, & vnitatem, sed hoc non tollit, quin possit liberè se communicare modo minùs perfecto alijs naturis inferioribus: sicut voluntas Diuina seipsam amando, amat bonum sibi adæquatum necessitate quadam naturali, & tamen liberè potest alia amare, & se illis communicare. Similiter etiam Diuina Essentia, quæ in Patre est naturalis generationis principium, est in omnibus personis virtus, & potentia creandi. Ratio autem huius est, quia cùm Deus sit simpliciter infinitus, & intra se habet omnem perfectionem, & virtutem sibi connaturalem omninò completam & perfectam, & simul habet infinitam vim se creaturis communicandi omni modo communicationis possibilis.

PRIMA DISPVTATIO.

AN in casu posito illa persona subsistens in duabus humanitatibus esset dicenda vnus homo, aut plures homines. Quidam Theologi opinantur, in eo casu esse plures homines. Sic D. Thomas in 3. d. 1. q. 2. art. 5. ad 2. Scotus q. 3. Durandus q. 3. Altisiodorensis lib. 4. Summæ tracta. 1. cap. 5. q. 5. Et M. Vazquez 1. p. Disp. 155. cap. 5. & probatur hæc sententia.

Primò. A quo sortitur vnitas, ab eodem multiplicato sumitur pluralitas: sed in concretis substantiuis, qualis est homo, vnitas sumitur à natura, & non à supposito: ergo ab eadem multiplicata debet sumi pluralitas. Ergo sicut in casu quòd tres Personæ Diuinæ vnam naturam humanam assumerent, essent vnus homo ob vnitatem naturæ, non obstante pluralitate personarū. Sic è contrario si vna persona plures naturas susciperet, ob earum multiplicationem essent simpliciter plures homines, non obstante personæ vnitate. Vtraq; consequentia patet: & minor similiter est nota ex articulo præcedenti; maior autem probatur inductione: etenim quia forma substantialis est principium vnitatis specificæ, sic etiam ipsa specificè variata est principium multitudinis specificæ. Et quia materia est principium vnitatis numeralis in compositis physicis, multiplicatā materia, multiplicatur compositū physicum. Item, quia multitudo consurgit ex vnitatibus multiplicatis, multiplicato antè principio vnitatis cōcreti substātiui, nempe, natura, necessum est multiplicari ipsius concreti vnitatem, consurgereq; multitudinem concretorum, & sic ex vna persona, & pluribus naturis ab ea assumptis necessariò plures homines simpliciter resultarent. 1

Confirmatur primò ex differentia, quam D. Thomas. 1. p. q. 39. art. 3. inter concreta substantiua, & adiectiua constituit, dicens, illorum vnitatem, & numerum ex forma, quam directè significant, horum verò ex supposito, quod pro materiali dicunt, accipi: sed homo est concretum substantiuū; ergo ex forma directè significata, videlicet, humanitate, & vnitatem, & numerum accipit. Et sic in casu, quo vna persona plures humanitates acciperet, plures simpliciter homines ex tali assumptione resultarent. Dicet cum Caietano ibidem, discrimen inter concreta adiectiua, & substantiua à D. Thoma 2 3

à D.Thoma assignatum, consistere in eo, quòd adiectiua ex pluralitate suppositorum præcisè multiplicantur: substantiua verò præter suppositorum multitudinem exigunt naturarum pluralitatem, vt plura simpliciter dicantur. Sed contra est, quia eodem prorsus modo docet D. Thomas (vt ex litera patet) concreta substátiua ex forma, ac adiectiua ex suppositis numerari. Ergo sicut adiectiua ob solam pluralitatem suppositorum absolute, & simpliciter multiplicantur: ita & absoluta propter solam formæ, seu naturæ multiplicationem. Quod apertiùs adhùc patet ob rationem, qua ibidem D. Thomas hanc regulam confirmauit, quia scilicet, concreta substantiua significant formam per modum substantiæ per se stantis: vnde sicut substantia per se,& non aliunde habet vnitatem, & pluralitatem; sic etiam concreta substantiua ex propria, & intrinseca forma,& non ab extrinseco supposito vnitatem, & pluralitatem habent.

4 Confirmatur secundò ex Doctrina D. Thomæ. Nomina numeralia concretis substantiuis addita, non supposita, quæ pro materiali important, sed naturas, quas pro formali significant, numerant: ergo cùm homo sit concretum substantiuum, si nomen numerale, V.G. duo, vel tres, ei addatur, non suppositum, quod pro materiali concernit, sed naturam pro formali significatá, nempe, humanitatem, formaliter numerabit; & sic vt tres homines absolutè dicantur, tres distinctæ humanitates sufficient; nec suppositi pluralitas erit necessaria. Antecedens, quo hoc argumentum nititur, exemplis probatur. Propterea Pater, Filius, & Spiritus Sanctus Vnus Deus, & non plures dicuntur, non obstante Personarum pluralitate, quia concretum, Deus, pro formali Deitatem, & non Personam significat: contra verò simpliciter & absolutè tres Personæ vocantur, quia istud concretum, Persona, pro formali significat Personalitatem, pro materiali verò concernit ipsam Deitatē. Nomen autem numerale, directum & formale significatum, non materiale, & indirectum afficit. Quod sanè in ea ratione fundatur, quòd concretum substantiuū explicitè determinat naturam, & formam; quam directe significat; suppositum autem, quod pro materiali cōcernit, relinquit confusum, & vagum. Neque enim exigit, vt sit vnum, vel plura, sed ab vtroque abstrahit. Vnitas verò, vel pluralitas nominis debet attendi penes significatum explicitum, & determinatum, non verò penes confusum, & vagum, cuius vnitas, vel pluralitas omninò se habet per accidens.

5 Secūdò Probatur hæc sententia Tres personæ dicūtur vnus homo propter vnā humanitatē, quia homo significat humanitatē in habēte ipsam: ergo cùm dicitur vnus homo solū numeratur vna humanitas in habēte. Ergo habens plures humanitates nō potest dici vnus homo. Patet consequentia, quia etiam tunc formaliter numeraretur humanitas, & significaretur, tantùm habere vnam humanitatem: è contrario verò possent dici plures homines, quia in hoc modo dicendi solùm numerantur tres humanitates in habente ipsas.

Respondebit, non solùm numerari humanitates, sed etiam habentes ipsas. Contra. Per terminum vnitatis non numerantur habentes: sed sola humanitas in habēte, siue illud sit vnum, siue plura; ergo similiter per terminum multitudinis numerantur formæ, & non supposita, seu habentes ipsas.

Confirmatur. Indiuiduum naturæ humanæ constituitur per indiuiduam naturam, sicut homo in specie constituitur per specificam naturam: ergo vbi sunt plures naturæ humanæ indiuiduæ, erunt plura indiuidua, atque adeò plures homines.

6 Tertiò. Terminus numeralis additus substantiuo nō solùm numerat supposita, sed etiam formas; ergo si verbum Diuinum simul duas humanitates assumeret, non diceretur vnus homo. Probatur consequentia; quia ibi, Vnus numerat formam, sed non est vna humanitas sed duæ; ergo nequit dici vnus homo.

7 Quartò. Demus, quòd verbum assumeret vnam humanitatem, & simul etiam assumeret naturam Leonis sequeretur quòd in eo casu esset vnum animal. Probatur sequella. Assumptis duabus humanitatibus est vnus homo, ergo assumptis duabus naturis animalium esset vnum animal. Sed consequens est falsum, quia quod est vnum sub aliquo genere, est vnum sub aliqua specie; sed tunc Persona Diuina non esset sub vna specie animalis precisè, vt patet ex hypothesi: ergo.

8 Quintò impugnatur illa propositio D. Thomæ in responsione ad secundum, quæ est firmamentum oppositæ sententiæ; sic autem formatur ratio. Nomen ab aliqua forma impositum non dicitur pluraliter nisi propter pluralitatem suppositorum; sed in hoc casu nō essent plura supposita, sed vnicum; ergo. Nihilominus illa maior est falsa, quia sequeretur ex illa, Diuinus Personat dicendas esse tres Deos, cùm sit tria supposita Deitatis, quæ est forma significata hoc nomine, Deus: ergo.

9 Sextò. vt aliquis dicatur vnus homo, requiritur & vnitas suppositi, & vnitas naturæ; quæ est forma significata, sed illo casu admisso non esset vnitas formæ, seu naturæ; ergo. Alij Theologi affirmant, personam duabus naturis vnitam, neque esse vnum hominem simpliciter propter multitudinem naturarum, neq; duos simpliciter propter vnitatem suppositi, sed esse vtrumque secundùm quid. Sic docet Richardus in. 3. d. 1. artic. 1. q. 3.

10 Cæterùm D. Thomas in hoc articulo retractans sententiam, quam tenuerat in tertio docet, in eo casu illā Personam esse vnum hominem. Sequuntur D. Thomā Marsilius in. 3. q. 1. art. 3. Dubio. 3. Almainus d. 1. q. 4. Dub. 3. Gabriel q. 2. art. 3. Dub. 4. Caietanus hic. Ferrar. 4. Contra Gentes cap. 12. Medina, Suarez, & omnes Thomistæ. Et probatur. Ea facta hypothesi ex omnibus illis naturis constitueretur vna Persona homana, vt per se constat, sed iuxta communem modum cōcipiendi, & loquendi nullum suppositum dicitur simpliciter plures sub aliqua appellatione, seu formæ, etiā si habeat plures formas, seu rationes, à quibus illa denominatio sumi possit: ergo. Minor patet inductione; nā vnꝰ homo est vnus artifex, vel vnus pater etiā si habeat plures artes, vel paternitates, & Pater æternus est vnum principium Filij, & Spiritus Sancti, etsi habeat plures proprietates, vel relationes: vt docet D. Thomas. 1. p. q. 36. art. 4. ad. 1. Item Christus licet habeat duas naturas substantiales, simpliciter est vna substantia, & non plures.

11 Confirmatur, quia implicat, multiplicari nomen concretum, claudens suppositum, sine multiplicatione

ipsius suppositi, quantumcunque enim multiplicentur ea, quæ sunt in solo Petro, siue artes, siue qualitates, siue velles, certè Petrus erit vnus, sed in casu nostræ Disputationis esset tantum vnum Suppositum, ergo nó essent plures homines.

14 Ex dictis colligitur differentia iuxta communem modum concipiendi, & loquendi, inter voces numerales importantes multitudinem, & eas, quæ vnitatem important: nam quæ dicunt multitudinem, si applicentur terminis concretis, important quidem in se multitudinem suppositorum, vt docet D. Thomas loco citato. 1. p. At verò terminus importans vnitatem non ita se habet, sed potius quamuis supposita sint plura, dicuntur aliquid vnum, quatenus in aliqua forma, seu ratione conueniunt. Et ita licèt plures personæ dicantur vnus homo propter conuenientiam in vna humanitate, vna tamen persona non poterit dici plures homines,

15 propter plures humanitates. Ratio autem huius differentiæ esse potest, quia multitudo significat diuisioné, diuisio verò importat negationem vnionis, siue vnitatis, & è contrario vnitas formaliter significat vnioné, seu indiuisionem. Vnde vt aliqua sint vnum sub aliqua ratione, satis est, vt sub illa ratione vniantur. Vt autē sint plura, requiritur, vt absolutè, & simpliciter diuidantur, & non vniantur ad componendum vnum. Et quia plures humanitates ab eadem persona assumptæ, in ea ad vnius compositionem coniunguntur, ideò affirmari non potest, tres homines ex illis resultare, sed vnum hominem. Hæc sententia D. Thomæ est cæteris probabilior, & ideò tenenda.

16 Infertur secundò, si omnes tres Personæ assumerent tres humanitates, ita vt quælibet earum ab omnibus assumeretur, tunc diuersis respectibus fore tres homines nempe, comparando distinctas personas ad distinctas humanitates: & vnum hominem, comparando tres personas ad eandem humanitatem, vel plures humanitates ad eandem Personam.

17 Elicitur tertiò, quod si Verbum dimitteret humanitatem, quam nunc habet, & eam assumeret Pater, adhuc maneret idem homo: quia etsi non maneret eadem persona humana, maneret tamen subsistens in eadem humanitate. Similiter si Verbum dimitteret hanc humanitatem, quam habet, & assumeret aliam, maneret idem homo, quemadmodum si Petrus. V. G. acquireret nouam albedinem, & amitteret, quam habebat, manet idem album.

17 Ad primum igitur argumentum pro contraria sententia adductum Resp. Quòd cùm numerus, & pluralitas diuisionem importet, vt plures naturæ, vel personæ constituantur plures simpliciter homines, oportet, quòd sint separatæ, & nó vnitæ. Eò enim ipso quòd substantialiter vniantur, faciunt vnum substantialiter hominem. Sicut ergo plures personæ in vna humanitate vnitæ non faciunt plures, sed vnum hominem, sic etiam plures humanitates in vna coniunctæ persona constituunt vnum simpliciter hominem. Vnde in forma Resp. distinguendo maiorem, si enim tale principium sit adæquatum, ita vt aliunde vnitas prouenire non possit, concedenda est: si verò aliunde prouenire valeat, vt in proposito contingit, negatur.

18 Ad primam confirmationem Resp. D. Thomam in hoc testimonio solùm docuisse, quòd concreta substantiua sumunt vnitatem, & pluralitatem à forma, sicut à principio formali, Quo, quod tamen non excludit, quin pluralitas suppositorum sit etiam necessaria per modum conditionis sine qua non. Neque obstat, quòd D. Thomas nullam pluralitatis suppositorum in hoc articulo fecerit mentionem, quia non fuit necessarium aduertere, hanc etiam requiri ad solutionem illius difficultatis. Solùm enim explicare intendebat, quomodo concreta substantiua de Deo singulariter, & non pluraliter dicerentur, non obstante suppositorum pluralitate. Ad quod satis fuit docere, hæc nomina accipere pluralitatem principaliter à forma. Vbi verò necessarium fuit aduertere, præter pluralitatem formæ requiri etiam suppositorum pluralitatem, vt hæc concreta substantiua pluraliter dici possent, satis expressè D. Thomas docuit, vt constat ex hoc articulo solutione ad secundum: & ex. 1. p. q. 36. art. 4. ad. 2. Vbi docet, quòd licet Pater habeat duplicem rationem principij respectu Filij, & Spiritus Sancti, nequit dici plura principia; quia implicaretur pluralitas suppositorum. Legendus est Ferrar. 4. Contra Gentes cap. 11. Paragrap. Ad primum dico, vbi optimè explicat solutionem, & conciliat varia loca D. Thomæ. 19

Ad secundam confirmationem Resp. Hæc concreta substantiua pluraliter dicta, explicitè, & formaliter indicare pluralitatem formarum: Suppositorum verò implicitè, & virtualiter tantùm. Quod quidem colligitur ex loco citato, quo D. Thomas docet, Patrem dici non posse plura principia, quia implicaretur in hac locutione; id est, implicitè significaretur pluralitas suppositorum. Nomina ergo numeralia addita concretis substantiuis principaliùs quidem afficiunt formas directè significatas, veluti rationes formales constituentes, & denominatiuas concretorum. Vt tamen completè, & adæquatè numerari possint, veluti conditioné sine qua non requirunt pluralitatem suppositorum. Nó enim satis est, vt plures possint denominari homines, quòd sint rationes multæ denominandi formaliter, scilicet, plures humanitatis formæ, nisi sint plura materialiter supposita, quæ ab his formis possint pluraliter denominari multi homines. 20

Sed dices. Vt Personæ pluraliter dicantur, sufficit pluralitas rationis formalis importatæ per hoc nomen, & non requiritur multitudo materialis significati, nempe, Naturæ Diuinæ, ergò similiter vt homo pluraliter dicatur, sufficit pluralitas formarum denominantium hominem, videlicet, humanitatem, & non requiritur pluralitas suppositi materialis, quod ab his formis denominari debet. Resp. Naturam Diuinam non denominari formaliter à personalitatibus, sicut Suppositum V. G. Filij denominatur ab humanitate homo: non enim est formaliter idem natura terminata per Diuinā Personalitatem, & Diuina Persona. Est enim vna simplex natura per personalitates terminata, non tamen vna simplex Persona. Vnde Diuinæ naturæ vnitas non obstat, quominùs Pater, Filius, & Spiritus Sanctus denominentur pluraliter tres Personæ; quia Natura Diuina non habet rationem denominabilis respectu personalitatis. At vnitas suppositi obstaret, quominùs à triplici humanitate pluraliter tres homines dici non possint; quia suppositum est, quod debet denominari ab humanitate, vt Quod. Vel secundò Resp. Pluralitatem 21 22

Suppositorum

suppositorum pro materiali significatorum requiri, vt concretum substantiuum pluraliter dici posset, cùm est nomen naturæ. Secus verò si tale cõcretum est nomen suppositi, vel personæ habet enim hoc nomen vim significandi æquiualentem huic participio, Subsistens in natura. Vnde sicut absolutè dicuntur tres subsistentes in natura Diuina; sic etiam tres Personæ, & supposita. Ex doctrina huius argumenti soluuntur cætera, sed claritatis gratia singula diluentur.

23 Ad secundũ cũ sua cõfirmatione Resp. Terminũ vnitatis non semper numerare vnam formam solam, seu aliam excludendo, vt patet in exemplis adductis de vno artifice habente plures artes, &c. Requirit ergo vel vnitatem formæ, vel saltem vnionem formarũ in eodem supposito.

24 Ad tertium: de intelligentia illius regulæ, Nomen numerale additum substantiuo numerat formas, legendus est Torres 1. p. q. 39. art. 3. Breuiter dico, eam regulam esse intelligendam de termino numerali significante pluralitatem, qui quidem, siue adiungatur substantiuo, siue adiectiuo, semper numerat supposita, & requirit pluralitatem suppositorum. Et ideò Petrus, in quo sunt multi colores, & multæ artes, non dicitur multa colorata, neq; multi artifices. Si verò terminus numeralis significans pluralitatem adiungatur substantiuo, requirit pluralitatem suppositorum, simul etiam & formarum, vt propositio verificetur. Si autem adiungatur adiectiuo, non exigit formarum pluralitatem. Quò fit, vt in Diuinis hæc propositio cõcedi non possit, Tres Personæ sunt tres Dij, nam Deitas non est triplex, sed vna. Hæc tamen cõcedenda est, tres Personæ sunt tres æterni, si ly æternus adiectiuè sumatur, nam sunt tres habentes æternitatem.

25 Itaque inter substantiua, & adiectiua est conuenientia, & differentia. Cõuenientia in eo consistit, quòd vt verificentur in plurali, necessaria est suppositorum multitudo, vt docet D. Thomas hîc ad secundum. Nũquam, inquit, nomen ab aliqua forma impositum pluraliter dicitur, nisi propter pluralitatem suppositorum. Differentia verò in eo est posita, quòd substantiuum ex suo modo significandi exigit ad verificationem in plurali multitudinem suppositorum, & formarum: adiectiuum autem pluralitatem duntaxat suppositorum exposcit, & non formarum.

26 Ad quartum Resp. Quòd in eo casu Verbum esset homo, & Leo, ac proinde idem indiuiduum pertineret ad diuersas species pro diuersitate naturarum, quas sustentaret. Sed non esset plura animalia, quia hoc nomen, Animal, cùm sit substantiuum, vt prædicetur in plurali, exigit pluralitatem suppositorum, & formarum: sed in casu posito nõ esset nisi vnicum suppositum, & ex consequenti, nequit de illo pluraliter prædicari.

27 Ad quintum patet responsio ex solutione præcedente, quia substantiuum nomen, vt in plurali prædicetur, præter multitudinem suppositorum, exigit pluralitatem formarum, quare licet in Deo sint plura supposita, quia tamen forma significata hoc nomine, Deus, est
28 vna, ideò non dicuntur tres Dij. Et per hoc etiam respondetur ad sextum, quòd nomen Homo, cùm sit substantiuum, nequit in plurali prædicari sine pluralitate suppositorum, & formarum. Vnde etsi in casu posito essent plures formæ, quia tamen esset vnicum suppositum, ideo esset vnus homo, & non plures.

Ex his etiam constat, falsam esse sententiam Richardi loco citato, quia vnum, & multa immediatè diuidunt ens: omne enim, quod est, aut est vnum, aut multa simpliciter, atque adeò in casu posito Persona Diuina plures humanitates assumens, aut erit vnus homo simpliciter, aut plures simpliciter, non plures, vt ostensum est; ergo vnus.

SECVNDA DISPVTATIO.

PRAETEREA Solet controuerti, An illud
suppositum habens duas naturas, haberet dupli- 1
cem figuram, An vnam tantùm. Respondetur,
quòd haberet duas figuras, quarum vna esset ab altera
distincta, & quantitate, & conformatione omnium lineamentorum,
& similiter qualitate. Itaque, vt est suppositum vnius naturæ,
distingueretur quantitate, effigie, & qualitate à seipso,
vt est suppositum alterius naturæ.

An verò esset tunc communicatio idiomatum inter
personam, vt substat vni naturæ, & eandem, prout subs- 2
tat alij naturæ, vt si Verbum assumeret duas humanitates,
& secundum vnam vocaretur Emanuel, & secundum alteram
diceretur Iesus, An Emanuel esset Iesus, & Iesus esset Emanuel,
& quæ dicuntur de vno, dicerentur de alio, sicut modò de facto
est communicatio idiomatum inter Verbum Diuinum, & humanitatem
assumptam: non constat inter Doctores. Quidam negant, vt
Caietanus, & Medina hîc, quia si inter Deum, & hominem modò
est communicatio idiomatum, ideò est, quia Natura Diuina est
sua Persona. At in nostro casu ambæ naturæ humanæ, & inter
se se, & à persona realiter distinguerentur, & ex consequenti
non esset communicatio idiomatum. Vnde si Iesus moreretur, verum
esset dicere, Deum mori, non tamen esset verum assere- 3
re, Emanuelem mori. Hæc sententia Caietani proculdubiò habet
magnum fundamentum in responsione ad tertium D. Thomæ, quia vt
fiat communicatio idiomatum absolutè, necessum est, vt altera
natura secundùm se totam sit coniuncta alteri naturæ, quamuis
secundariò; sicut natura humana secundùm quamlibet eius partem,
est vnita Diuinæ Naturæ in Verbo: sed hac facta hypothesi vna
natura humana non esset alteri vnita secundùm omnes eius partes,
alioqui esset confusio corporum, & animarum, vt ait D. Thom. ad 3.
Ergo Emanuel diceretur Iesus secundùm suppositum duntaxat, non
verò simpliciter.

Alij verò Theologi affirmant, dari talem idioma-
tum communicationem inter naturas in concreto sig- 4
nificatas, quia hæc communicatio non fundatur nunc in eo, quòd
Natura Diuina, & Persona Verbi sint idem omninò, vt existimat
Caietanus, sed in hoc, quod vna, & eadem persona sub vtraq;
natura subsistit, & pro ea supponunt nomina significantia ipsam
naturam in cõcreto. Et quia vtraq; natura hypostaticè vnitur,
sicut mutua prædicatio accidentium in concreto, nempe, quòd
album dicatur dulce, & dulce album, non fundatur in identitate,
sed in vnione, quam in eodem subiecto plura accidentia habent.
Et probatur hæc sententia, quam tenet D. Thomas in 3. d. 1. q. 1. artic. 5.

Modò de facto fit communicatio idiomatum inter 5
Deum, & hominem, quia Natura Diuina & humana subsistunt in
eadem Persona Diuina, sed illa duplex humanitas

humanitas subsisteret in eadem persona; ergo pari ratione fieret communicatio idiomatum vnius ad alteram.

6 Secundò, propter vnitatem subiecti, in quo coniunguntur albedo, & dulcedo, album dicitur dulce: ergo propter vnitatem suppositi Emanuel diceretur Iesus in casu posito. Tertiò. In eo casu Emanuel est habens humanitatem, sicut & Iesus, sed est idem habens, quantumuis humanitates sint diuersæ: ergo vnus de altero poterit prædicari. Confirmatur. Bene sequitur. Emanuel patitur: ergo Verbũ patitur. Rursus. Sed Verbũ est Iesus;

7 ergo Iesus patitur. M. Medina negat vltimã cõsequentiã, quia significatur, inquit, in illo cõsequẽti Iesum pati in propria natura. Sed cõtra est, quia subiecta præsertim in cõcreto significata, pro materiali vsurpari solẽt: aliàs hæc esset falsa in illo casu, Iesus creat, vel Emanuel est genitus ab æterno. Postremò probatur: quia ratio in oppositum adducta à Caietano nullius roboris est, nempe, posse vnum mori, altero viuente: ac proinde de se inuicem non prædicarentur, quia Iesus seruator secundùm humanitatem in triduo fuit mortuus, & Verbum Diuinum remansit viuum, & tamen propter solam suppositi vnitatem, adhùc vnum de altero prædicabatur: ergo similiter &c. Hanc posteriorem sententiam defendit M. Suarez hic; & communiter recentiores.

8 Ad rationem ergo oppositæ sententiæ Resp. Quòd communicationis idiomatum sufficiens causa est conuenientia naturarum in vnum suppositum, nec requiritur ipsarum identitas cum persona, cuius signum est, quòd humanitas Christi non est Persona Verbi, & nihilominùs est inter hominem, & Deum communicatio idiomatum, aliàs hæc esset falsa, Deus est mortuus pro nobis, quia non est mortuus, nisi vt homo.

9 Est tamen aduertendum in hac opinione, quòd sicut Christus in triduo desijt esse homo, ac proinde illo tempore dici non poterat, hic homo est Deus, quia non supponebat homo, pari ratione si in casu posito moreretur V.G. Emanuel, non posset fieri communicatio dicendo, quòd Emanuel viuit, videlicet, inquantùm est Iesus, quia non supponit Emanuel, Iesus autem tunc diceretur mortuus. Item in tali casu idem homo non diceretur Pater & Filius sui ipsius secundùm diuersas naturas, vt si assumeret naturam fortis, qui est Pater, & naturam Socratis, qui est Filius, quia natura humana non est Pater, neq; Filius: sed suppositum. Et quia hoc non est natum ex alio, neque genuit alium, non est Pater, neque Filius. Sed quia sententia Caietani est etiam valdè probabilis, & doctrinæ D. Thomæ consonans, in gratiam illius respondetur ad argumenta contra eam facta.

10 Ad primum dicitur, in Christo esse communicationem idiomatum ex hoc quòd natura humana secundùm quamlibet eius partem est vnita Diuinæ Naturæ; & ex hoc quòd Persona Verbi cum qua est vnita iuxta quamlibet eius partem identificatur realiter cum natura Diuina. At verò altera humanitas non esset alteri vnita nisi tãtùm in supposito, & ex consequenti nequiret vna de altera simpliciter prædicari, neque in concreto, neque in abstracto.

11 Ad secundum Resp. Illam esse prædicationem accidentium, & accidentariam, ad quam tãtùm requiritur, vt vtrumque accidens eidem subiecto inhæreat. Nec dum quòd albedo realiter est coniuncta dulcedini. At verò in casu nostræ Disputationis, prædicatio esset substantialis, ad quam requiritur, vt vna forma sit alteri coniuncta, quam sane coniunctionem non haberent, & ex consequenti neque communicationem idiomatum. Ad confirmationem benè respõdet Medina. Neque impugnatio conuincit, quia etiam subiecta in concreto significata interdum sumuntur materialiter, interdum verò formaliter, vt in hac, album disgregat. Et ita contingit in proposito.

Ad tertium Resp. Ratione suppositi posse vnum de altero prædicari, non tamen simpliciter, ex eòquòd vna forma non esset alteri coniuncta. Ad quartum Resp. A posteriori rectè colligi in eo casu, quod si Emanuel esset mortuus, & Iesus viuus, simpliciter non possent de se inuicem prædicari, quia si anima vnius esset in materia alterius, & vice versa, fieri non posset, vt alter moreretur, altero viuente. Et tamen in vnione naturæ humanæ cum Verbo, quamuis sit mortuus Iesus, & non Verbum, non inde sequitur, humanitatem non esse vnitam Verbo secundùm se totam, quia hæc vnio non est secundùm informationem, sicut est vnio animæ ad materiam alterius &c. 12

ARTICVLVS. VIII.

Vtrùm fuerit magis conueniens, quòd Filij Persona assumeret humanam naturam, quàm alia Persona Diuina.

CONCLVSIO *Est affirmans, quam probat D. Thomas in argumento sed contra ex Damasceno lib. 3. Fidei cap. 2. vbi ait.* Per Incarnationem manifestata est sapientia, & virtus Dei, sapientia quidem, quia inuenit difficillimi solutionem pretij, quam decentissimam, virtus autem, quia victum fecit rursus victorem. *Sed virtus & sapientia approperiantur Filio. Iuxta illud 1. Corint. 1. Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam: ergo conueniens fuit Personam Filij Incarnari. Secundò probat in corpore. Primũ ex parte vnionis, quia similia congruenter vniuntur; sed Verbum est æternus conceptus omnium creaturarum: ergo sicut creaturæ per participationem huius similitudinis sunt creatæ mobiliter, ita per vnionem debuerunt reparari immobiliter: artifex enim per eandem artem, qua artificiatum facit, reficit ipsum, si fuerit collapsum. Secundò. Verbum est conceptus æternæ sapientiæ, à qua omnis sapientia humana deriuatur; qua homo perficitur, vt est rationalis, quatenùs participat Verbum Dei: ergo ad consummandam perfectionem*

perfectionem hominis, Verbum debuit ei Personaliter vniri. Tertiò ex fine vnionis, qui est impletio prædestinationis, hæc enim non debetur nisi Filijs, iuxta illud ad Roman. 8. Si Filij & hæredes. *Ergo conueniens fuit, vt per filium naturalem homines participarent filiationem adoptiuam, vt Paulus ibidem ait.* Quos præsciuit, & prædestinauit, conformes fieri imaginis Filij sui. *Quartò, ex parte peccati Primi Parentis, qui peccauit appetendo scientiam: ergo per veram sapientiam, idest, per Filium debuit ad Deum reuocari.*

Primum argumentum est. Ex Incarnatione Filij multi sumpserunt occasionem errandi, vt Arrius, qui posuit inæqualitatem Personarum inductus illo Ioan. 14. *testimonio.* Pater maior me est. *Qui quidem error non prouenisset, si Persona Patris fuisset Incarnata, quia nullus æstimasset Personam Patris Filio minorem. Respondet D. Thomas, nihil esse, quo humana malitia abuti non possit, cùm ipsa Dei bonitate abutatur. Vnde etiam si Pater fuisset Incarnatus, inde occasionem errandi suscepisset, quasi Filius sufficere non potuisset ad reparandam humanam naturam.*

Secundum. Potentia creandi appropriatur Patri; ergo magis debuit Pater Incarnari quàm Filius. Probatur consequentia, quia per Incarnationem recreatur humana natura, iuxta illud ad Galatas vltimo. In Christo Iesu neque circuncisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura. *Respondet, quòd sicut prima creatio facta est à potentia Dei Patris per Verbum; ita recreatio ab eadem potentia per Verbum: ita vt recreatio creationi responderet, iuxta illud ad Corint.* 5. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.

Tertium. Incarnatio ordinatur ad remissionem peccati, iuxta illud Matth. 1. Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. *Sed remissio peccatorum attribuitur Spiritui Sancto secundùm illud Ioan.* 20. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. *Ergo magis decuit Personam Spiritus Sancti Incarnari, quàm Filij Personam. Respondet, Spiritum Sanctum esse donum Patris, & Filij; & remissionem peccati fieri per Spiritum Sanctum, vt est donum Dei. Vnde conueniens fuit ad hominum iustificationem, vt Filius Incarnaretur, cuius donum est Spiritus Sanctus.*

Commentarius.

HAEC Conclusio est dogma fidei, ex multis 1 Conciliorum definitionibus collectum. Etenim ex omnibus Concilijs, in quibus definitur, ex Diuinis Personis solam Personam Filij fuisse Incarnatam, & humanitatem assumpsisse, vt constat ex 5. Synodo generali Collatio. 8. Cano. 4. & 10. & Concilio Lateranensi sub Martino. 1. Consult. 5. Canon. 4. & 10. Et Concilio Lateranensi sub Innocentio. III. Et habetur cap. Firmiter de Summa Trinit. & Fide Catholica, & in Toletano. 6. & 11. in Confessione Fidei, & Carthaginensi. 5. cap. 1. Et Vuormatiensi in Professione Fidei: ex eisdem necessaria consequutione deducitur tanquam de Fide tenendum, conuenientius fuisse, Personam Filij Incarnari, quàm Patris, aut Spiritus Sancti: nam quæ à Deo facta sunt conuenientia sunt. Et quam- 2 uis hæc veritas ratione demonstrari non possit, cùm ex Diuina voluntate pendeat: traduntur tamen à Sanctis Patribus rationes congruentes, propter quas conueniens fuit, vt Filij Persona Incarnaretur, potiùs quàm alia. Et rationes D. Thomæ sunt congruentissimæ. Alia ratio est, vt idiomata essent similia; quantùm fieri potest. Hoc est, vt qui ab æterno erat Filius Dei, in tempore fieret filius hominis, & nomen Filij nullo modo Patri, aut Spiritui Sancto communicaretur. Sic Damasceo. lib. 4. cap. 4. Et Anselmus lib. de Incarnat. Verbi cap. 4. & lib. Cur Deus homo, cap. 2. Item. Filius est quasi Persona media inter Patrem, & Spiritum Sanctum, procedit enim à Patre, & cum illo producit Spiritum Sanctum, & ideò decuit, vt etiam esset mediator inter Deum, & homines. Legendi sunt Athanasius lib. de In- 3 carnatione Verbi, & de corporali eius aduentu, Augustinus de Ecclesiasticis Dogmatibus cap. 2. Fulgentius de Fide ad Petrum cap. 2. Bernardus serm. 1. de Natiuita, & super Missus est, & sermo. in Dominica. 1. Aduentus, Leo Papa serm. 4. de Natiuita. Richardus Victorinus lib. de Incarnat. Verbi cap. 9. & sequentibus. D. Thomas. 4. Cōtra Gentes cap. 41. Alexander Alensis 3. p. q. 2. membro. 5. Ex quibus authoribus plures rationes desumi possunt.

QVÆSTIO. IIII.

De modo vnionis ex parte naturæ assumptæ.

HACTENVS D. Thomas disseruit de causis efficientibus vnionem, tam in vniuersali, quàm in particulari, & de termino naturæ assumptæ, qui ad genus causæ formalis reducitur: in præsenti verò quæstione disputat de subiecto, & causa materiali assumptionis; quæ est natura humana, illa enim est assumpta, & mutata. De qua re disserunt Theologi in 3. dist. 2.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm natura humana fuerit magis assumptibilis à Filio Dei, quàm aliqua alia natura.

Supponit

SVPPONIT D. Thomas, *aliquid dici assumptibile, quasi aptum assumi à Diuina Persona. Quæ quidem aptitudo potest intelligi, vel secundùm potentiam passiuam naturalem, quæ non se extendit ad id, quod ordinem naturalem transcendit, vel secundùm aliquam congruentiam fundatam in aliqua proprietate, vel conditione ipsius rei. Hoc præmisso constituit D. Thomas conclusionem affirmatiuam.* Sola natura humana est assumptibilis secundùm congruentiam ad vnionem. *Probat in argumento sed contra ex illo Prouerb. 8.* Delitiæ meæ: *Ait Sapientia genita;* Esse cum filijs hominum. *Et ita videtur esse quædam congruentia vnionis Filij Dei ad humanam naturam. Secundò probat in corpore. Congruentia vnionis attenditur secundùm dignitatem, & necessitatem, sed hæc duo soli naturæ humanæ conueniunt; ergo sola natura humana est secundùm congruentiam assumptibilis. Maior probatur, quia dignitas attenditur ex eo, quòd natura assumptibilis nata sit attingere ipsum Verbum, cognoscendo, & amando: necessitas verò ex eo, quòd indigeat reparatione. Sed minor probatur, quia creaturæ irrationali deest dignitas, cùm non possit aliquo modo attingere Verbum cognoscendo, & amando ipsum, vt homo potest, naturæ Angelicæ deest congruitas necessitatis, quia non erat subiecta peccato; vt natura humana: ergo.*

Primum argumentum D. Thomæ desumitur ex testimonio D. Augustini Epist. 3. ad Volusianum, vbi sic ait. In rebus mirabiliter factis, tota ratio facti est potentia facientis: sed potentia Dei facientis Incarnationem, non limitatur ad vnam naturam, magis quàm ad aliam, cùm potentia Dei sit infinita: ergo natura humana nõ est magis assumptibilis à Deo, quàm aliqua alia creatura. Negat D. Thomas consequentiam, nã creatura dicitur ex eo, quòd aliquid competit ei secundùm proprias causas, non prout respicit potentiam Dei; sicut morbus dicitur incurabilis, quia per propria subiecti principia curari non potest, & non quia à Deo curari non valeat. Dicitur ergo aliqua creatura inassumptibilis, non quia in Deo non sit potentia, vel aliquid ei subtrahatur: sed ad ostendendum conditionem creaturæ, quæ aptitudinem non habet.

Secundum argumentum est. Creatura irrationalis est similis Deo, cùm sit vestigium illius: sed similitudo facit congruitatem ad Incarnationem cum Deo: ergo non est minùs assumptibilis, quàm natura humana. Negat D. Thomas cõsequentiam, nam creatura rationalis est similis Deo secundùm imaginem, cùm Deum attingere possit propria operatione cognitionis, & amoris. Reliquæ sunt similes secundum vestigium: & ideò cùm non sint aptæ ad minus, hoc est, ad videndum, neque erunt aptæ, vt vniantur; quod est maius. Maior enim est vnio secundum esse, quàm secundùm operationem

Tertium. In natura Angelica est similitudo expressior Dei, quâm in natura humana, vt inquit Gregorius homil. 34. in Euangelia, iuxta illud Ezechiel. 28. Tu signaculum similitudinis. *Est etiam peccatum in Angelo, sicut in homine, secundùm illud Iob. 4. In Angelis suis reperit prauitatem: ergo natura Angelica fuit ita assumptibilis, sicut natura hominis. Respondet D. Thomas refutando solutionem quorũdam asserentium, ideò Angelum assumi non posse, quia per creationem est in sua Personalitate perfectus, cùm non sit corruptibilis, & si assumeretur, deberet eius Personalitas corrumpi. Sed hæc responsio est insufficiens, quia potest Deus naturam Angelicam denuò producere, & sibi vnire, & sic nihil præexistens ibi corrumperetur. Vera responsio D. Thomæ est, naturam Angelicam esse assumptibilem, sed deesse illi congruitatem ex parte necessitatis, quia peccatum illius est irremediabile.*

Quartum. Quò aliquid est perfectius, eò est Deo similius, Deus enim est summè perfectus: sed totum vniuersum est perfectius suis partibus, inter quas est humana natura: ergo totum vniuersum est magis assumptibile, quàm natura humana. Respondet ad minorem; perfectionem vniuersi non esse perfectionem vnius Personæ, vel suppositi: sed eius, quod est vnum positione, vel ordine, cuius multæ partes non sunt assumptibiles.

Commentarius.

PRO Intelligentia huius conclusionis aduertendum est, assumptibile, vt docet D. Thomas, importare aliquid medium inter potentiam naturalem passiuam, & potentiam obedientialem supernaturalem passiuam, quod quidem medium est quædam congruentia, & decentia naturalis, cui non respondet actus eiusdem generis, & ordinis, sed altioris, & supernaturalis. Potentia enim naturalis semper ordinatur ad actum naturalem, potentia verò supernaturalis obedientialis ad actum supernaturalem: congruentia autem, & decentia naturalis ordinatur etiam ad actum supernaturalem. Idem docet D. Thomas q. 5. sequente art. 1. ad. 4. quantùm ad ordinem assumendi inter animam rationalem, & carnem, cùm asserit, carnem non esse assumptibilem nisi mediante anima. Potest huius rei exemplum, & simile quoddam adduci ex his, quæ asseruntur à Magistro in 3. d. 3. & à D. Thoma. 1. p. q. 62. art. 6. & 2. 2. q. 24. art. 3. ad. 3. Aiunt enim, Angelis datam

Digitized by Google

datam esse gratiam secundùm capacitatem naturæ. Et omnes Theologi in materia de gratia docent, opera moraliter bona ponere quandam congruitatem, & decentiam ex parte subiecti ad infusionem primæ gratiæ, & charitatis, non quidem, quia dignitas naturæ Angelicæ, aut opera moraliter bona sint eiusdem ordinis cum gratia, & charitate, aut propriè ad illam disponant, vel eam conseruent; sed quia talis naturæ dignitas, atque etiam opera moraliter bona efficiunt subiectum minùs ineptum, & minùs sub forma contraria. Ad eundem modum est in præsenti Philosophandum de congruentia, & decentia naturæ humanæ quantùm ad assumptionem. Sed pro maiori conclusionis examine est:

PRIMA DISPVTATIO.

2 AN Conclusio D. Thomæ sit vera. Videtur enim falsa. Primò, quia aliæ etiam naturæ præter humanam, possunt assumi, vt statim probabitur; ergo non sola natura humana est assumptibilis. Antecedent constat in natura Angelica, & in natura irrationali, quæ per Dei omnipotentiam possunt assumi. Dices, humanam naturam esse magis assumptibilem, quia est congruentior. Contra obijcitur.

3 Secundò. Congruentia non sumitur ex parte naturæ, sed ex parte assumentis, vt docet D. Thomas supra quæst. 1. artic. 1. ad. 2. Ergo cùm potentia assumentis sit infinita, non debet limitari ad vnam naturam. Item etiam, quia congruentia dignitatis inuenitur in natura Angelica, vt fatetur D. Thomas hic ad. 3. Si dicat, quòd deest indigentia. Contra. Morbus animæ etiam in homine non est curabilis per naturam, sed per Dei potentiam; ergo potiùs respiciendum est ad potentiam assumentis, quàm ad naturam.

4 Tertiò. In triduo corpus Christi non erat rationale, neque capax operationis, & tamen vniebatur hypostaticè Verbo Diuino; ergo non est necesse, vt natura sit assumptibilis, quòd attingat propria operatione ipsum Deum.

5 Pro huius difficultatis intelligentia obseruandum est, aliquam naturam tripliciter posse intelligi assumptibilem à Persona Diuina. Primò, per potentiam passiuam naturalem, qualis est potentia ligni, vt recipiat in se formam ignis. Secundò per potentiam præcisè obedientialem, vel vt quidam dicunt, denominatione extrinseca ab omnipotentia Dei, cui ex parte creaturæ solùm correspondet potentia obedientialis. Tertiò per potentiam obedientialem adiuncta tamen quadam congruentia, tenente se ex parte naturæ, vt ipsa assumatur. Explicatur exemplo morbi: etenim morbus primò dicitur curabilis per potentiam passiuam naturalem. Secùdò per potentiam obedientialem tantùm, quia ex parte morbi non est vnde curari posit, nam in subiecto non habet principium, quo possit curari, sed tantùm respiciendum est ad omnipotentiam Dei. Tertiò per potentiam obedientialem adiuncta aliqua congruitate, quia, videlicet, in ipso sanando est aliqua deuotio, aut aliquis effectus, aut fides, ratione cuius cógruum est, vt sanetur. Hoc supposito sit Prima Conclusio.

6 Nulla datur natura creata, in qua sit potentia naturalis, vt assumatur à Deo. Hæc est communis Theologorum sententia, quam docet D. Thomas hîc. Et probatur. Vnio personalis creaturæ ad Deum dicit aliquid purè supranaturale; ergo ad illam nulla est potentia naturalis creata. Probatur consequentia, quia potentia passiua naturalis non se extendit nisi ad id, quod est naturale &c. Secundò. Nulla est potentia naturalis ad gratiam, & gloriam: ergo neque ad vnionem personalem. Probatur consequentia: quia excellentior, & perfectior est vnio personalis creaturæ ad Deum, quàm assumptio ad gratiam, & gloriam.

Secunda Conclusio. Maior congruitas est in natura humana, vt assumatur, quàm in quacumque alia. Probatur primò: quia homo est natura quædam media inter naturam visibilem, & inuisibilem, inter intellectualem, & omnino corpoream. Secundò, quia in homine est vniuersitas creaturarum secundùm gradus suæ essentiæ. Tertiò, quia in homine cum capacitate ad amandum Deum est indigentia in subiecto reuocabili ad summum bonum, cùm habeat liberum arbitrium flexibile. 7

Ad primum argumentum respondetur, verum esse, conuenientiam quasi naturalem, id est ratione proprietatis naturalis, hoc est, bonitatis, sumi tantùm ex parte Dei. Et ita loquitur D. Thomas loco citato. Hæc autem conuenientia æqualis est respectu cuiuscumque substantialis integræ naturæ, cui ex parte creaturæ correspondet obedientialis potentia. At verò congruitas ex parte naturæ intrinseca requirit dignitatem, & necessitatem. 8

Ad secundum respondetur eodem modo, & dicetur latiùs disputatione sequente, quòd natura Angelica non est vertibilis, sed immobiliter adhærens malo, ac subinde non est ita curabilis, sicut natura humana. 9

Sed obijcitur. Vt aliquid dicatur habere congruentiam simpliciter ad hanc assumptionem, sufficit dignitas intellectualis naturæ: sed ea dignitas multò magis reperitur in natura Angelica, quàm in humana: ergo natura Angelica est simpliciter assumptibilis. Patet consequentia, quia excessus perfectionis, & dignitatis per se magis videtur conferre ad hanc congruitatem, quàm indigentia ex peccato cótracta. Si dicat, D. Thomam in discursu huius articuli supponere, congruentiam istam ad vnionem consurgere ex vtroque illo capite simul sumpto, præsertim loquendo de congruentia, quę Deum mouit ad hoc mysterium perficiendum, & ideò deficiente altera códitione negare, esse cógruentiam simpliciter, etiam si alia maior sit in suo genere: contra hoc instatur; quia iam natura Angelica esset dicenda simpliciter inassumptibilis, sicut & natura irrationalis, nam in vtraque absolutè loquendo desicit intrinseca congruentia, tametsi in vna ex vno capite, in altera verò ex duobus. 10

11 Respondetur iuxta D. Thom. solutionem ad tertium. Et sit præcedentis respósionis explicatio, ad cógruentiá simpliciter nó esse omninò necessariú, vt duplex illa ratio cógruentiæ supra posita simul cócurrat, quia vtraque per se confert aliquam congruitatem, diuersæ tamen rationis, nam dignitas naturæ præcisè considerata confert quandam congruitatem: indigentia

 verò

verò redemptionis confert quodammodò congruentiam necessitatis. Cùm ergo prima ratio conueniat Angelicæ naturæ, ideò simpliciter dici potest assumptibilis, in quo differt à natura irrationali. Humana verò natura dicitur simpliciter assumptibilior, hoc est, pluribus titulis, & rationibus, quàm quælibet alia natura. Isti verò tituli, cùm fint diuersarum rationum, vt dictum est, non sunt inter se comparabiles propriè loquendo, neque excessus in vno potest alium exequare. Et ita facilè intelligitur discursus D. Thomæ.

12 Ad tertium respondetur, quòd illud corpus statim erat animandum anima rationali, quæ erat capax visionis, & amoris.

SECVNDA DISPVTATIO.

1 VTRVM Natura Angelica possit assumi. Negatio ita persuadetur. Primò. In separatis à materia idem est quodquid est, & id cuius est, ac proinde in eis non distinguitur suppositum à natura: sed suppositum Angeli est inassumptibile; ergo etiam natura. Confirmatur, quia ex D. Thoma per idem constituitur Angelus in esse Angeli, & in esse huius: sed hic Angelus est inassumptibilis: ergo & natura Angelica.

2 Secundò. Natura Angelica ita intrinsecè respicit propriam subsistentiam, & personalitatem, quòd si ab ea separetur, necessariò desinet esse, vt docet D. Thomas. 4. Contra Gentes cap. 43. Ergo repugnat assumi talem naturam ad subsistentiam, & Personalitatem Verbi, aliàs simul esset, siquidem ab alio assumitur, & simul non esset, quia separatur à propria subsistentia.

3 Tertiò. Natura Angelica essentialiter habet, quòd sit incorruptibilis, sicut & quòd sit immaterialis: sed si assumeretur, corrumperetur; ergo assumi non potest. Probatur minor. Quia natura assumi non valet, quin eius subsistentia, & personalitas corrumpatur: sed si subsistentia corrumperetur, iam Angelica natura esset corruptibilis.

4 Confirmatur. Angelus non potest desinere esse nisi per annihilationem, vt est omnibus Theologis receptum, quia est incorruptibilis secundùm se, & de potentia Physica; sed si assumeretur natura Angeli, continuò Angelus desineret esse, & non per annihilationem, cùm eius natura remaneret: ergo id implicat contradictionem.

5 De hac difficultate Albertus Magnus in. 3. d. a. art. a. Affirmat, naturam Angelicam esse inassumptibilem. Oppositam tamen sententiam tenent cæteri Theologi. Et colligitur ex D. Paulo ad Hebræ. a. dicente. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Ergo iudicat Paulus naturam Angelicam esse assumptibilem, de facto tamen non fuisse assumptam. Sin minùs nihil colligeret Paulus ex vi illius rationis, quia posset ei facilè responderi, non apprehendisse Angelos, quia non sunt apprehensibiles. Vis ergo D. Pauli in hoc est posita, quòd cùm Angeli possent apprehendi, nunquam sunt apprehensi. Deinde probatur, quia peccatum dæmonis fuit peccatum inuidiæ; ergo iudicabat esse posibilem assumptionem propriæ naturæ. Consequentia probatur: quia inuidia non est nisi rei posibilis, & propinquæ. Item probatur: quia non repugnat ex parte Dei, cùm eius potentia sit infinita, neque ex parte naturæ, quia potest recipere communicationem Diuinæ subsistentiæ, sicut natura humana.

Ad primum argumentum respondetur, idem esse definitionem, & definitum, quod sonant illa verba Aristotelis, non tamen esse idem suppositum & naturam. 6
Imò verò in Angelis suppositum distinguitur à natura, & supra illam aliquid addit realiter ab ipsa distinctum, vt constat ex D. Thoma. 3. part. quæst. 53. artic. a. Vnde sicut in rebus materialibus suppositum addit supra naturam singularem, subsistentiam realiter distinctam ab essentia, ita similiter in Angelis, vt latiùs articulo sequenti. Sed obijcitur. Natura Angelica seipsa est subsistens, & separata; ergo seipsa est suppositum, quia subsistentia constituit suppositum in esse suppositi, atque adeò in Angelis non distinguitur suppositum à natura. Sed negatur, quòd eodem constituatur natura, quo suppositum constituitur: quia natura hæc constituitur per eandem differentiam specificam, suppositum verò per subsistentiam. Itaque natura Angelica eodem constituitur in esse specifico, & in esse huius naturæ, non verò in esse huius suppositi: & ideò suppositum est inassumptibile, non tamen natura. Et per hoc soluitur confirmatio.

Ad secundum respondetur, posse Deum assumere naturam Angelicam præexistentem in propria personalitate. Sed talis natura deberet priuari propria subsistentia, & consequenter talem subsistentiam, seu personam, vt sic, desinere esse. Neque D. Thomas est contrarius huic doctrinæ, quia ipse loquitur secundùm naturalem rerum cursum, & ordinem, iuxta quem si natura Angeli separetur à propria subsistentia, naturaliter desinet esse. At supranaturaliter potest Deus naturam Angeli subsistentem, annihilata propria subsistentia assumere. An verò illa desitio sit dicenda corruptio, nec nè, parùm refert. Significantiùs autem, & propriùs diceretur mutatio quædam in modo subsistendi salua substantia ipsius naturæ, sicut quando accidens separatur à subiecto, mutat modum existendi, non tamen propriè corrumpitur. Quòd si ipsa personalitas corrumpi dicatur, non propterea persona Angelica dicenda est corruptibilis, quia ex natura sua non est huic mutationi subiecta, sed solùm per Diuinam potentiam suscipere eam potest. 7

Ad tertium respondetur, naturam Angelicam ab intrinseco esse incorruptibilem, & immaterialem: ab extrinseco verò agente infinitæ virtutis non repugnat corrumpi. At in casu præsenti, si natura subsistens assumeretur, corrupta quidem eius personalitate, & subsistentia, non corrumperetur natura, nec propterea est dicenda corruptibilis ob rationem dictam in præcedente solutione. 8

Ad confirmationem respondetur, quod si Angelus desineret esse per se, desineret esse per annihilationem. At si desinat esse per hoc quòd Deus assumat eius naturam corrupta propria personalitate, desinet esse per quandam mutationem in modo subsistendi, vt dictum est in responsione ad secundum. Quòd si Deus assumeret naturam Angeli nondum personatam, 9

desinet

desinet Angelus per præuentionem propriæ Personalitatis.

TERTIA DISPVTATIO.

1 AN Natura irrationalis possit assumi à Diuina Persona. Pars negans probatur primò. Repugnat creaturam irrationalem eleuari ad videndum, & amandum Deum. ergo magis repugnat eleuari ad vnionem hypostaticam. Antecedens est notum, consequentia verò probatur: nam quod non potest eleuari ad minorem perfectionem, multò minùs poterit eleuari ad maiorem. Secundò probatur eadem consequentia. Vnumquodq; est propter suam operationem, vt est receptum omnibus Philosophis, sed creatura irrationalis nequit habere operationem supernaturalem intellectus, & voluntatis: ergo neque esse supernaturale; quod nunquam est sine operatione supernaturali.

2 Secundò. Deus est essentialiter intellectualis: sed natura irrationalis eleuari non potest ad esse intellectuale: ergo neque ad vnionem hypostaticam. Minor probatur: quia naturæ irrationali repugnat, quòd sit intellectualis, tunc enim esset intellectualis, & non intellectualis.

3 Tertiò. Natura irrationalis non est personabilis: ergo neq; vnibilis hypostaticè Diuinæ Personæ. Antecedens patet, quia quod est personabile, potest cum personalitate constituere personam simpliciter: sed irrationalis natura nequit cum personalitate constituere personam absolutè; quia hæc est rationalis naturæ indiuidua substantia, vt inquit Boetius; ergo non est personabilis, & ex consequenti neq; à Diuina Persona assumptibilis. Dices, sufficere, quòd sit suppositabilis, vt possit Deo immediatè vniri hypostaticè. Contra: quia ratio suppositi in Persona Diuina comparatur ad ipsam personalitatem, sicut ratio generica ad specificam: sed implicat, aliquid vniri Diuinæ Personæ secundùm rationem genericam, & nō secundùm rationem specificam: ergo & quòd natura sit suppositabilis, & non personabilis à Persona Diuina. Confirmatur, quia hac ratione anima rationalis nequit alicui parti corporis tribuere gradum genericum, V.G. sensitiuum sine vltimo specifico, quia tribuit hos gradus dando seipsam. Vnde non potest non communicare, quidquid in se formaliter, & intrinsecè continet: sed Persona Diuina tribuit etiam rationem suppositi naturæ assumptæ dando seipsam; ergo non potest non illi tribuere, quicquid in se formaliter, & intrinsecè continet. Hoc verò modo continet non solùm rationem genericam suppositi, sed specificam personæ: ergo necessariò tribuit assumptæ naturæ rationem specificam personæ. Sed natura irrationalis non est capax huius rationis specificæ: ergo neq; vnionis cum Diuina Persona.

4 Quartò. Si Deus assumeret naturam irrationalem incapacem fidei, spei, & charitatis, sequitur etiam, quòd posset assumere naturam humanā peccato obnoxiam: si enim tollantur gratia, & alij habitus rectificantes naturam, posset quidem peccare. Confirmatur, quia nulla natura potest assumi à Diuina Persona, nisi mediante habitu gratiæ: sed natura irrationalis est incapax huius habitus: ergo est incapax, vt assumatur. Maior probatur, quia vniri hypostaticè fit mediante gratia habituali.

Quintò. Quod nō decet Deum, est impossibile Deo, vt ait Anselmus lib. 1. Cur Deus homo, cap. 4. & 5. Sed assumere naturam irrationalem dedecet Deum: ergo illa natura non est assumptibilis. Minor probatur, nam si Deus assumeret naturam asini, vel equi, per communicationem idiomatum fieret, vt esset stolidus, aut hinnibilis, quæ duo repugnant Deo. 5

Confirmatur, quia pari iure posset assumere naturam alicuius damnati, & ex consequenti pœnam, quod tamen videtur impossibile, cùm neque originem pœnæ, videlicet, culpam, posset assumere: ergo neque naturam irrationalem. 6

Partem negantem huius difficultatis tuentur Marsilius in 3. quæst. 3. Alexander Alensis 3. par. quæst. 12. membro. 1. artic. 1. Henrricus quodlib. 13. quæst. 5. Carthusianus distinc. 2. quæst. 2. artic. 3. Picus Mirandulanus in Apologia conclus. 4. Et eandem partem vt probabilem defendunt Richardus distinc. 2. artic. 1. quæst. 4. Gabriel dist. 2. quæst. 2. Nihilominùs pro explicatione sit Prima Conclusio. 7

Natura irrationalis est assumptibilis à Persona Diui- 8
na ad vnionem hypostaticam. Hæc conclusio est com-
munis Theologorum cum D. Thoma hic, & proba-
tur primò: quia non repugnat, Deum præuenire sub-
sistentiam rationalis naturæ: ergo neque irrationalis:
aliàs Diuina potentia esset determinata ad vnam natu-
ram. Secundò, quia vnio hypostatica proximè, & per 9
se terminatur ad subsistentiam; sed quælibet natura
substantialis est capax subsistentiæ: ergo est capax hu-
ius vnionis. Tertiò, quia nulla est repugnantia in ta-
li assumptione, neque ex parte Dei, cuius potentia est
infinita, neque ex parte naturæ, quia non magis re-
pugnat, naturam irrationalem carere propria subsis-
tentia, quàm rationalem. Quartò, quia secundùm fi- 10
dem cadauer Christi fuit vnitum hypostaticè in tri-
duo Verbo Diuino. Nec valet quicquam solutio Henr-
rici, loco citato, nempe, quòd cadauer, quia ordina-
batur, vt iterùm vniretur animæ rationali in resurrec-
tione, dicebat ordinem ad animam rationalem, &
ita potuit hypostaticè vniri. Hæc, inquam, solutio 11
nullius est momenti: tum, quia ille ordo erat supra-
naturalis, cùm à priuatione ad habitum impossibilis
sit regressus per naturam. Tum etiam, quia licèt cada-
uer ordinaretur ad animam rationalem, tamen actu
habebat formam carentem & ratione, & sensu, à qua
habebat speciem, & quidditatem. Denique probatur.
Quod fecit Diuinum suppositum in illo triduo, po- 12
tuit etiam initio facere, & id perpetuò conseruare: quod
enim Deus potest ad tempus efficere, semper potest effi-
cere, sed in triduo potuit corporis inanimati, & insensi-
bilis dependentiam hypostaticam terminare: ergo id
potuit initio efficere, & effectum perpetuò conser-
uare.

Secunda Conclusio. Non decuit, vt Verbum Diuinum assumeret hypostaticè naturā irrationalem. Hanc assertionem efficaciter probant argumenta in contrarium proposita. Et prætereà probatur à D. Thoma in 4. contra Gentes cap. 42. Quia proprium est naturæ intellectualis, vt moueat se in agendo per intellectum, & voluntatem: at verò quæcumque natura vnita Deo hypostaticè deberet se mouere in finem, quod cùm naturæ irrationali conuenire non possit, 13

non fuit decens, talem naturam Deo hypostaticè vniri.
10 Est tamen aduertendum, quòd licèt in natura irratio-
nali non sit intrinseca congruitas, vt assumatur, & ideò
Deus nunquam aliquid huiusmodi assumpserit, nisi in
ordine ad rationalem naturam, nihilominus absolutè,
& rigorosè loquendo non est propriè indecens, vt assu-
matur: quia si Deus naturam irrationalem assumeret,
contra nullam virtutem faceret, neque illi defuisses
modus & ratio, propter quam sapienter, & decenter id
11 faceret. V.G. ad ostensionem suæ potentiæ, & ad con-
fundendam humanam sapientiam: vt in simili dixit
Tertullianus in libro de Carne Christi cap. 4. arguens
contra Marcionem, qui dicebat esse indignum Deo, vt
carnem de fœmina assumeret Hoc enim, ait Tertullia-
nus, ita videbitur, si res humano sensu ponderetur, non
autem si Diuino; quia stulta mundi elegit Deus, vt con-
fundat sapientes. Et idem esset, inquit; si de lupa, seu de
12 vaca prodire voluisset. Eodem modo loquitur Grego-
rius Nissenus in orasione magna Catechetica cap. 17.
vbi dicit, posse Deum sine indecentia quamcumque na-
turam sumere, quia omnes à Deo infinitè distant, ac
proinde respectu illius nihil ferè inter se distant. Vnde
maior, vel minor decentia, quæ in natura consideratur,
& exigitur, vt assumatur, expenditur penes maiorem,
vel minorem congruitatem, quæ in vna natura præ
alijs reperitur.

13 Ad primum argumentum negatur consequentia,
tantùm enim probat, requiri maiorem perfectionem
in natura, quæ assumatur ad vnionem per amorem, &
gratiam, quàm in ea, quæ assumitur ad vnionem hy-
postaticam: sicut maior perfectio est intelligere, quàm
volare, & tamen homo potest intelligere, & non vola-
re. Item perfectius est esse intellectuale, & immateriale,
quàm esse generatiuum sui similis: & primum quidem
14 conuenit Angelo, non secundum. Similiter maior per-
fectio est gratia, quàm albedo, & tamen anima potest
recipere gratiam, & non albedinem. Ad eundem mo-
dum nulla est illatio. Non potest eleuari ad id, quod est
minus; ergo neque ad id, quod est maius: præsertim
cùm non sint eiusdem ordinis, & rationis, cuiusmodi
sunt visio beata, & vnio hypostatica: nam visio, & qui-
cumque alius actus supernaturalis intellectus, & volun-
15 tatis est actus vitalis, importans ordinem necessarium
ad principium intrinsecum, & ex consequenti conueni-
re non potest nisi habenti tale principium intrinsecum.
Vnio verò hypostatica terminatur ad esse, quod est
commune omnibus in vniuersum rebus, & ita Deus
potest suum esse Personale cuicumque naturæ com-
16 municare. Sed pro maiori huius rei intelligentia, & ex-
plicatione solutionis ad secundum D. Thomæ, adner-
tendum est, illam propositionem, Quod non potest in
minus, nec potest in maius: solùm esse veram in his, quę
sunt subordinata, non verò in alijs, vt constat ex Philo-
sophia, & explicatur exemplis. Materia elementalis non
est capax formæ cœlestis, & tamen est capax superioris
formæ, nempe, rationalis: & homo nequit generare
Leonem, potest tamen generare hominem, quod est
17 maius. Secundò obseruandum est, duplicem esse subor-
dinationem, vnam, quoad capacitatem, alteram verò
solùm quoad congruitatem. V.G. cognitio, & amor
sunt per se ordinata quoad capacitatem, quia nullus est
capax vnius, qui non sit alterius. At verò visio Dei, &
vnio personalis sunt per se ordinata quoad congruita-
tem, non quoad capacitatem, & ideò, qui deficit à mi-
nori vnione, quæ est per operationem, non habet con-
gruentiā ad maiorem vnionem, nempe, Personalem. Et
hoc modo argumentatur D. Thom. ad secūdū. Multo- 18
ties enim defectus minoris perfectionis facit quandam
incongruitatem ad maiorem perfectionem suscipien-
dam, tametsi incapacitatem non efficiat: vt mulier ig-
nobilis caret congruitate, vt fiat vxor Regis, sed non
propterea est incapax talis matrimonij.

Ad secundam probationem respondetur, quòd esse 19
supernaturale non semper sequitur operatio superna-
turalis, nam sanguis in Christo habebat esse supernatu-
rale, non tamen habebat operationem supernaturalem.
Quando ergo dicitur esse communicari propter ope-
rationem, propriè, & formaliter intelligendum est de
esse naturæ, seu essentiali, quod est operationis princi-
pium, esse verò subsistentiæ proximè, & intrinsecè so-
lùm est propter subsistendum, remotè verò, & extrinse-
cè potest ordinari ad operandum iuxta naturæ capaci-
tatem, & ita posset Deus, si assumeret irrationalem na-
turam, eam eleuare ad actiones miraculosas, quæ à
Dionysio, & Damasceno appellantur Diuinæ, quamuis
& hoc extrinsecum sit ipsi vnioni, & dependens ex vo-
luntate Dei. Si autem roges, cur natura irrationalis 20
non sit capax visionis beatæ, sed vnionis hypostaticæ,
quæ est maior perfectio: respondetur, hanc vnionem
ordinari ad quandam substantiæ compositionem, &
ideò eius capacitatem solùm fundari in communi
ratione naturæ substantialis: visionem verò esse
operationem vitalem, cuius sola intellectualis natura
est capax per facultatem, quæ naturam substantialem
vt sic non consequitur, sed certum eius gradum.

Ad secundum principale respondetur, naturæ irra- 21
tionali repugnare, quòd sit intellectualis essentialiter,
nō tamen quòd subsistat quadā subsistentia intellectuali
infinita in subsistēdo, illi cōmunicata à Diuina Persona.

Ad tertium Resp. Quòd aliquid dicatur supposi- 22
tum, vel persona, non ab ipsa personalitate determinan-
te præcisè, sed à natura per eam terminata etiam pro-
uenire. Est enim necessarium, quòd sit rationalis natu-
ra, vt ex ipsa cum personalitate componatur persona.
Idem ergo esse subsistens, quod à Verbo humanitati
communicatur, constituit formaliter Personam. Si ve-
rò communicaretur irrationali naturæ, faceret tantùm
suppositum, vel hypostasim. Vnde respectu vnionis hy-
postaticæ nihil refert, quòd terminus per illam resul-
tans denominetur suppositum, vel persona, hoc enim
pendet ex conditione tantùm naturæ assumptæ: per se
autem solùm est necessariū, vt sit vnio in subsistētia. Et
ideò omnis natura capax subsistentiæ, est etiā capax hu-
ius vnionis. Ad cōfirmationē Resp. Quòd cùm in anima 23
secūdùm totā suā entitatē cōsiderata, nulla sit ratio rea-
lis, generica, vel specifica, secūdùm quam nō sit actus, &
forma corporis, nequit entitatiuè vniri alicui parti, quin
tribuat omnes effectus formales, respōdentes omnibus
realibus rationibus, seu gradibus, quos in se formaliter
cōtinet. Sed Diuina Persona nō est per se terminus irra- 24
tionalis naturæ secundùm omnem rationem, quam
formaliter continet, sed secundùm rationem commu-
nem hypostasis, & suppositi tantùm. Vnde licet enti-
tatiuè vniatur huiusmodi naturæ, non opportet,
quòd

quòd illi communicet effectum quasi formalem respondentem rationi specificæ personalitatis: sed sat est, quòd tribuat effectum correspondentem rationi generic æ suppositi, vel hypostasis, ratione cuius est terminus formalis naturæ irrationalis. Ex quibus infertur contra Ocham in 3. d. 2. q. 1. art. 9. terminum adæquatum resultantem ex vnione huius naturæ cum Persona Diuina, reduplicatiuè, & formaliter non esse Personam, sed entitatiuè, & identicè tantùm: at formaliter esse suppositum, vt explicat Scotus in. 3. dist. 1. quæst. 1. artic. 1.

16 Ad quartum respondetur, quòd etiam si Deus assumeret naturam humanam omni habitu supernaturali destitutam, adhùc non posset peccare, quia ipse Filius Dei est regula, à qua, natura illi substantialiter coniuncta, deuiare non posset.

17 Ad confirmationem negatur, vnionem hypostaticam fieri mediante aliquo habitu; quinpotiùs ipsæ qualitates sequuntur naturam iam assumptam. Sed replicatur, quia etiam si non fiat mediante aliquo habitu, natura irrationalis est incapax sanctificationis, quæ per gratiam vnionis confertur, sicut etiam est incapax habitualis gratiæ: ergo repugnat, naturam irrationalem hypostaticè vniri Personæ Diuinæ. Respondetur, in voce sanctificationis plura comprehendi, quæ sensum æquiuocum possunt generare. Etenim si nomine sanctificationis intelligatur aliqua rectitudo, & perfectio in actibus studiosis, seu meritorijs, vel liberis, sic non est de ratione huius vnionis, vt conferat hanc sanctificationem cuicumque naturæ, sed solùm naturæ liberæ, & capaci eius: quia non est hic effectus quasi formalis huius vnionis, sed ex illa tantùm resultat iuxta capacitatem naturæ. Si verò nomine sanctificationis intelligatur Deificatio quædam naturæ assumptæ per intimam vnionem, & præsentiam Diuinæ Personæ; sic omnis natura vnita Verbo Diuino, etiam si irrationalis sit, est Deificata, & sanctificata, dignaq; speciali adoratione ratione vnionis, & illi debetur perfecta operatio iuxta suam capacitatem.

18 Ad quintum respondetur, tantùm probare minorem decentiam, & congruitatem cum Diuina Persona, non tamen impossibilitatem. Itaque licèt repugnet Diuinæ Personæ secundùm se, & secundùm suam naturam esse asinum, aut equum, & ex consequenti stolidum, seu hinibilem; non tamen repugnat extrinsecè ratione naturæ assumptæ; nam & Deum crucifigi, mori &c. repugnat quidem Deo secundùm se, sed non ratione naturæ assumptæ. Vnde Anselmus sic est intelligendus, vt quod non decet Diuinam Sapientiam, & potentiam, sit Deo impossibile ratione naturæ internæ, quamuis sit possibile ratione naturæ externæ.

19 Ad confirmationem respondetur, potuisse Deum assumere naturam alicuius damnati, & eius pœnam, non quatenùs originabatur ex culpa, & erat quasi effectus illius, sed quatenùs defectus quidam competens illi naturæ, ad eundem modum, quo pœnalitates humanæ naturæ assumpsit de facto, quatenùs erant defectus naturales, non verò, qua ratione erant effectus culpæ. Est tamen aduertendum, quòd si Deus assumeret naturam alicuius damnati, vt dæmonis, vel Iudæ, non diceretur dæmon, neque damnatus ad infernum, vt malè concedunt Gabriel, Marsilius, & Almain, sed diceretur Angelus, & non dæmon, homo, & non damnatus, quia assumeret naturam, quæ est bona, non tamen culpam, quæ est mala.

QVARTA DISPVTATIO. §. I.

VTRVM Substantia partialis immediatè sit à Deo assumptibilis. Supponendum est, modos substantiales intrinsecos nō esse per se assumptibiles: nam cùm per se non subsistant, sed à rebus, quarum sunt modi, intimè dependeat, implicat, quòd per se, & sine ipsis rebus assumantur, tametsi non repugnet, illas per se, & sine modis assumi: de quo latiùs infra. Tota ergo quæstio est de partibus substantiæ, inter se, & à toto, quod componunt, realiter distinctis. In qua difficultate sunt variæ Theologorum sententiæ. 1

Prima sententia affirmat, huiusmodi partes esse per se assumptibiles. Ita Scotus, Maior, & Gabriel in 3. d. 2. q. 1. quos sequuntur Paludanus ibi, & M. Medina in hoc articulo: tametsi ij duo Materiam primam excipiant, & nullis ferè argumentis confirment. Latè tamen explicat M. Suarez hîc Disput. 14. sectio. 3. tribus conclusionibus. In quarum prima dicit, partes essentiales substantiæ, nempe, materiam, & formam adinuicem separatas, esse per se assumptibiles à Diuina Persona. Probat: quia istæ partes habent suas partiales subsistentias, inter se, & à subsistentia totius realiter distinctas: ergo inuicem separatæ Diuina virtute, per se subsistere possunt. Ergo & per se à Diuina Persona assumi. Prima consequentia videtur euidens, & secunda notissima, quia quidquid potest subsistere per se, potest similiter per se, & vt Quod, à Persona Diuina assumi: assumptio enim ordinatur ad supplendum defectum subsistentiæ propriæ, & intrinsecæ. Antecedens probatur ex doctrina ipsius Suarez in Methaphysica Disput. 34. sectio. 5. vbi ait, subsistentiam esse modum commensuratum cum essentia substantiæ totalis: sed essentia totalis substantiæ non est simplex, sed realiter composita ex partibus essentialibus materiæ, & formæ: ergo & subsistentia substantiæ totalis non erit simplex, sed realiter composita ex subsistentijs partialibus materiæ, & formæ. Et sic partes istæ sicut habent essentias incompletas inter se, & ab essentia realiter diuersas; sic etiam subsistentias partiales eodem modo distinctas, quibus separatæ subsistere possunt. 2

Dices, has partiales subsistentias esse valdè imperfectas, & intimè adinuicem dependentes, & sic non posse per illas, materiam, & formam corruptibiles subsistere separatas, sed inter se, & cum toto coniunctas. Contra est: quia licèt naturaliter inuicem dependeant materia, & forma corruptibilis, ita vt istæ sine materia subsistere non valeant, in quo ab anima rationali differunt: de potentia tamen Dei absoluta non repugnat, corruptibiles formas sine materia per se existere. Et probatur sic. Magis dependent formæ accidentales à subiecto, quàm substantiales à materia: sed formæ accidentales de potentia absoluta possunt separatæ à subiecto existere; ergo & substantiales sine materia subsistere. Vnde retorqueo argumentum contra solutionem datam. Quicquid potest per se subsistere, potest per se, & vt Quod, à Persona Diuina assumi. sed formæ substantiales separatæ à materia per se, & vt Quod, possunt subsistere, ergo per se, & vt Quod à Diuina Persona assumi. 3

Digitized by Google

4 Secundò asserit prædictus M. Suarez, partes substantiales adhùc inter se vnitas, esse per se, & vt Quod, à Diuina Persona assumptibiles. Probat primò: quia materia, & forma adhùc substantialiter vnitæ inter se, retinent suas partiales subsistentias à se inuicem, & à subsistentia totius realiter distinctas: ergo poterit Diuina Persona vicem vnius subsistentiæ, videlicet, materiæ, & non alterius, nempe formæ supplere; imò & vtriusq; subsistentiæ non supplendo subsistentiam totius: ergo poterit assumere materiam sine forma, & vtramq; sine tota natura. Consequentia patet: quia supplere vicem subsistentiæ, non est aliud, quàm terminare, & assumere: suppleri enim propria subsistentia non potest, nisi subrogetur alia, quæ propriam, & intrinsecam retineat.

5 Præterea. Quæcumq; differunt realiter, possunt inuicem separari, nisi vnum aliud inferat, & includat; sed assumptio materiæ vnitæ cum forma, & assumptio formæ vnitæ cum materia realiter inter se differunt, & neutra alteram includit: ergo possunt inuicem separari, & sic Deus poterit materiam sine forma, cui vnita est, & rursus formam sine materia assumere, imò & vtramq; sine tota natura; cùm partium assumptio distincta sit, & ordine naturæ prior assumptione totius compositi physici. Ergo cùm prius non dependeat essentialiter à posteriori, dari poterit assumptio partium essentialium, sine assumptione totius.

6 Dicit tertiò: Partes integrales substantiæ, vt cor, caput, manus &c. Per se, & sine alijs, quibus substantialiter vnitæ sunt, posse à Diuina Persona assumi. Probat; quia istæ partes, vt ab alijs, & à toto condistinctæ, habent suas partiales subsistentias integrales, quibus per se partialiter subsistunt: ergo sunt per se, & sine alijs partibus immediatè assumptibiles. Consequentia patet ex dictis. Antecedens autem probatur: nam quod recipitur in re extensa, & diuisibili, constante partibus realiter distinctis, debet esse extensum, & similibus partibus constare: sed subsistentia totius substantiæ integralis est modus receptus in re extensa, & diuisibili, nempe, in ipsa substantia integrali: ergo debet constare ex partibus integralibus substantiæ realiter inter se distinctis, correspondentibus partibus integralibus substantiæ, in qua recipitur adæquatè; & ex consequenti sicut tota substantia habet vnam subsistentiam totalem integrã adæquatè, secum identificatam: ita quæuis pars integralis ipsius habet suam partialem subsistentiam realiter secum identificatam, quam cùm Persona Diuina æquè perfectè, ac totalem subsistentiam, contineat, poterit eam, non minùs, quàm totalem supplere, & sic partem substantiæ, cui correspondet, per se assumere, sicut integram substantiam.

7 Secundò, quia non repugnat, quòd vnum, & idem accidens continuum secundùm diuersas partes integrales sit per se, & in alio, vt si Sacerdos consecret solam dimidiam partem hostiæ: ergo ne[illegible] repugnabit, quòd v[illegible]a, & eadem continua substantia secundùm aliquas partes sit in alio, scilicet, Persona Diuina eas assumente, & secundùm alias, nempe, pedes, vel manus, per se subsistat. Nihilominùs pro explicatione sit Prima Conclusio.

Prima Conclusio. §. II.

8 PARTES Substantiæ essentiales inuicem separatæ (vna excepta anima rationali) non sunt per se assumptibiles à Persona Diuina. Hæc cõclusio est communiter recepta omnibus Thomistis: & probatur. Partes substantiæ non sunt personabiles, vel suppositabiles per se; quia personalitas, vel suppositalitas est terminus vltimus totius naturæ: ergo neq; per se est assumptibilis à Persona Diuina. Sed quia hæc ratio plus nimiò probat: quia ex ea sequitur, animam rationalem per se assumi non posse, cuius oppositum est certum secundùm fidem constat enim, in Triduo mortis Christi animam rationalem separatam à corpore, Verbo Diuino immediatè fuisse vnitam: ideò aliter est probanda conclusio. Ratio autem est hæc.

Quod non est per se, & immediatè capax subsisten- 9
tiæ, vel existentiæ Diuinæ, non est per se à Persona Diuina assumptibile: sed partes essentiales substantiæ (excepta anima rationali) non sunt per se, & immediatè capaces Diuinæ existentiæ, vel subsistentiæ; ergo neq; per se assumptibiles. Consequentia patet, & maior probatur: quia assumptio est communicatio Diuinæ subsistentiæ: ergo quod per se non est capax huius subsistentiæ, neq; etiam erit capax assumptionis ad Personam Diuinam. Minor autem probatur. Huiusmodi 10
partes non sunt per se capaces immediatè, & proximè subsistentiæ propriæ, & naturalis; nam materia prima est pura potentia incapax omnis actualitatis, necdum completæ, & vltimæ, qualis est subsistentia: formæ verò materiales similiter non sunt proximè susceptiuæ subsistentiæ; quia vt docet D. Thom. 1. p. q. 75. art. 4. & 6. in hoc istæ formæ à rationali differunt, quòd huic conuenit per se, & immediatè existere, reliquis verò non nisi mediatè: existunt enim ad existentiam totius; vnde ad corruptionem eius per accidens corrumpuntur. Cùm ergo materia, & formæ corruptibiles non sint
per se capaces propriæ, & naturalis existentiæ, vel sub- 11
sistentiæ; neq; etiam poterunt esse capaces alienæ, & extrinsecæ, quæ loco propriæ substituitur: & ex consequenti nec poterunt primò & per se à Persona Diuina assumi. Ex quo patet, primam assertionem M. Suarez falso niti fundamento, neq; eius rationes intentum cõuincere, & ideò diluendæ sunt.

Ad primam Resp. Subsistentiam esse quidem modum 12
intrinsecum, proportionatum essentiæ substantialis naturæ, quia illam intrinsecè terminat, & complet; ad quod non est necessarium, quòd subsistentia sit realiter composita, sicut essentia, quam terminat: quia punctum est omninò simplex, & tamen vltimò terminat, & complet lineam ex partibus infinitis compositam; estq; ipsius intrinsecus modus, vt 6. Physicorum ostendi solet.

Ad secundam negatur, formas substantiales materia- 13
les, & materiam primam posse inuicem separatas subsistere; cùm enim non per se, sed ad existentiam totius, quod componunt, existant, eò ipso, quòd totaliter separarentur, & nihil actu componerent, necessarium foret, & materiam annihilari, & formas per accidens corrumpi. Quare materia prima, & huiusmodi formæ magis inter se, & à toto dependent in esse: quàm subiectũ, & accidentalis forma, quæ cùm habeant suas proprias existentias, possunt inuicem separata de potentia Dei absoluta existere. Neq; obstat, quòd formæ accidentales sint substãtialibus imperfectiores, quia licet sint imperfectiores: sunt tamen essentiæ magis completæ in suo genere, quàm substantiales in genere substantiæ.

Existentia

Digitized by Google

Existentia verò secundùm D. Thomam sequitur completam essentiam, & ideò potest formis accidentalibus completis in genere accidentis immediatè, & proximè conuenire.

Secunda Conclusio. §. III.

14 PARTES essentiales inter se substãtialiter vnitæ nõ sunt per se, & vt Quod, assumptibiles. Hęc
conclusio est multò certior præcedente, & probatur. Istæ partes quandiù sunt vnitæ non possunt per
se subsistere, sed necessariò subsistunt ad subsistentiam
totius, quod intrinsecè componunt; ergo non sunt assumptibiles per se, sed per accidens ad assumptionem
totius. Consequentia est euidens, & antecedens probatur. Subsistere est esse per se, sed partes substantiales quãdiù vnitæ, non sunt per se, sed in alio, nempe, in toto,
quod componunt: ergo non subsistunt per se, sed ad
15 subsistentiam totius. Respondet M. Suarez loco citato
in Methaphysica, vt partes dicantur partialiter subsistere, sufficere, quòd existant substantialiter per se, & non
in alio, sicut in subiecto. Sed cõtra est, quia ex doctrina
ipsius Suarez corpus, & anima Christi per se, & non in
alio, sicut in subiecto existũt, & nihilominùs non subsistũt partialiter; quia depẽdent à supposito Verbi Diuini,
cui hypostaticè vniuntur: ergo licèt materia, & forma
per se, & non in alio sicut in subiecto existant, non subsistent etiam partialiter, quia in suo esse dependent à toto, in quo existunt.

16 Confirmatur: quia ipse Suarez probat, animam rationalem in corpore subsistere, quia existit in eo independenter omninò ab illo: ergo cùm è contrario tam
materia, quàm forma à toto composito dependenter
existant, sequitur, in illo minimè subsistere; & sic neque
esse per se assumptibiles. Prætereà, licèt gratis illi demus, huiusmodi partes vnitas habere existentias, & subsistẽtias partiales intrinsecas, quibus per se, & vt Quod,
subsistãt: nõ sequitur, esse per se, & sine toto, quod cõpo
17 nunt, assumptibiles. Probatur ex doctrina ipsius Suarez. Natura totalis non potest esse in rebus; nisi per se,
vel in alieno supposito subsistat, vt latè probat ipse cõtra Caietanum, & Medinam. 3. p. Disp. 10. Sectio. 3. & 4.
Sed in tali casu nõn posset talis natura per se, & in proprio supposito subsistere: ergo deberet subsistere in alieno supposito, & sic ab illo sicut suæ partes assumi. Maior cum consequentia patet secundùm ipsius doctrinã:
81 quia subsistentia totalis completa, per quam tota natura per se subsistit, componitur intrinsecè, & essentialiter
ex proprijs, & partialibus materiæ, & formæ subsistentijs, sed in càsu, quo materia, & forma à Verbo essent assumptæ, non essent propriæ, & partiales illarum subsistentiæ: ergo neque esse posset subsistentia totius, quæ ex
illis veluti partibus intrinsecè componitur. Ergo implicat, partes vnitas, estò proprias habeant subsistentias, per
se, & sine toto, quod componunt, assumi. Ex his rationes, quibus secunda Suarez assertio probabatur, diluuntur. In prima quidem assumit falsum, nempe, partes essentiales vnitas, per se, & vt Quod subsistere, & nihil inde concludit.

19 Ad secundam Resp. partes essentiales vnitas, non esse
vt Quod, per se assumptibiles, sed tãtum per accidens, &
vt Quo ad assumptionem totius naturæ. Quia verò assumpta tota natura vt Quod, necessum est, partes essentiales eius, vt Quo, assumi: fit, vt vna parte assumpta, necessariò sumatur alia, quia neutra per se assumitur, sed
ad assumptionem totius, in qua vtriusq. partis assumptio intimè, & essentialiter includitur. Ex quo patet, as- 20
sumptionem vnius partis essentialis V.G. materiæ, non
esse separabilem ab assumptione alterius, nempe, formæ; & nihilo minùs vnionem vtriusq; ab vnione hypostatica totius naturæ.

Tertia Conclusio. §. IIII.

PARTES integrales substantiæ non sunt per 21
se assumptibiles. Probatur, quia non subsistunt
per se, sed ad subsistentiam totius, quod integraliter componunt. De quo legendus est D. Thomas, &
Caietanus infra q. 17. art. 2. Neque obstant argumenta
in contrarium. Ad primum quidam Thomistæ, vt facilius defendant, partes integrales substantiæ non subsistere per se, respondent, subsistentiam cuiusuis substãtiæ totalis, etiam purè materialis, esse omninò indiuisibilem. Et ad rationem in contrarium ibi adductam, 22
nempe, quod recipitur in re diuisibili, & extensa, debere
esse extensum, distinguũt in forma. Quod recipitur per
modum actus, vel formæ informantis, concedũt. Quod
verò per modum termini intrinseci, negant quia punctum, inquiunt, recipitur hoc modo in linea extensa, &
diuisibili, & tamen est indiuisibile. Quia ergo subsistentia non tam est forma intrinsecè actuans, & informans
essentiam totius, quàm modus, & terminus intrinsecus
eam vltimò complens, & terminans substantialiter: fit,
vt licèt ipsa essentia sit extensa, & diuisibilis, possit subsistentia esse omninò indiuisibilis.

Cæterùm hæc solutio non est legitima, quia latum
est discrimen inter punctum terminans lineam, & sub- 23
sistentiam terminantem substantialem naturam: punctum enim ita lineam digitalem vltimò complet, & terminat, vt nõ totaliter, idest, secundùm omnem partem
ei vniatur: sed subsistentia ita totam naturam substantialem terminat, vt illi totaliter & secundùm omnes
partes, etiam minores minimo, sit ei substantialiter
vnita. Vnde hypostasi Christi non solùm tota natura 24
humana, sed omnes partes eius sunt substantialiter vnitæ. Vniri verò hoc modo rei diuisibili non potest, nisi
quod spirituale est, vt anima rationalis, quæ tota est in
toto, & tota in quauis parte: vel quod æquè fuerit extensum, totidem habens partes integrales, quot res, cui
adæquatè vnitur. Cùm ergo subsistentia purè materia- 25
lis nequeat esse spiritualis, quia est modus quidã intrinsecus, cũ ea realiter identificatus, iuxta sententiã quorũdã, & ex eius potẽtia eductus, necessariò cõcedendũ est,
hãc subsistentiã esse quid diuisibile, habẽs partes integrales, respõdentes partibus substantiæ materialis, cuius est
intrinsecus modus, & terminus. Verùm sicut plures par- 26
tes integrales hominis nõ sunt plures homines partialiter, eo quòd homo dicat vnã substantiã integrã ex omnibus his partibus compositam: sic neque plures partes
integrales subsistentiæ erunt plures subsistentiæ partialiter; quia subsistentia materialis est modus quidam cõpletus, & integer, ex omnibus his partibus integralibus
coalescens.

Sed dices, hoc solùm verum esse posse in substantijs 27
ethercogeneis, in quibus cùm essentia totius sit distinctæ rationis, & denominationis à partibus integralibus,

Digitized by Google

potest similiter modus completus eius, idest, totalis sub-
sistentia esse distinctæ rationis, & denominationis à
modis intrinsecis partium. Secus verò in homogeneis,
in quibus necessarium videtur, quòd subsistentia totius
substantiæ sit eiusdem rationis, & denominationis cũ
subsistentijs partiũ, sicut essentia totius est eiusdem ra-
28 tionis cum essentia partium integralium. Quemadmo-
dùm enim quæuis pars ignis est ignis: sic quælibet pars
subsistentiæ eius, erit subsistẽtia ignis formaliter: quod
à posteriori demonstratur. Si enim ignis in duas partes
diuidatur, post diuisionem manebunt duæ subsistentiæ
realiter diuersæ, sicut & duo supposita ergo & ante hãc
diuisionem substantialiter, & entitatiue præerant duæ
istæ subsistentiæ, vnitæ tamen inter se; sicut & entitas
substantialis istorum duorum ignium &c. Hæc conse-
quentia patet, quia per diuisionem continui nihil subs-
tantiale de nouo fit, sed solùm noua indiuisibilia quan-
titatis resultant, quibus diuersimodè terminatur subs-
tantia: ita vt quæ antè solùm erant duæ substantiæ par-
tiales, & duæ partiales subsistentiæ, post sunt duæ tota-
les numero diuersæ.

29 Resp. tã in substãtijs homogeneis, quàm etheroge-
neis doctrinã datam esse veram: sicut enim in igne non
quæuis pars integralis eius est suppositũ formaliter: sic
etiam non quæuis pars integralis componens subsisten
tiam totius, est formaliter subsistentia. Sicut enim sup-
positum dicit integram, & completam substantiam,
incommunicabilem omninò, per se & non in alio sub-
sistentem, & proinde eius ratio formalis partibus inte-
gralibus, quæ toti communicantur, & in eo subsistunt,
competere non potest: ita sanè subsistentia dicit modũ
completum, per quem res redditur incommunicabilis,
30 per se & non in alio subsistens. Quæ ratio in partibus
integralibus, ex quibus tota subsistentia componitur,
reperiri non potest. Neque enim partiales isti modi
partes substantiæ faciunt incommunicabiles, vel per se,
& nõ in alio subsistentes: vnde non possunt esse forma-
liter subsistentiæ. Per diuisionem verò ignis sicut resul-
tant duo supposita totalia, & integra; sic etiam duæ sub
sistentiæ. Acquirunt enim partes integrales subsistentiæ
antè præexistentis modum totalitatis, & completionis
substantialis: in quo consistit ratio formalis supposita-
litatis. Vnde entitas, quæ anteà non reddebat substantiã,
cui proximè vniebatur, incommunicabilem, & per se
subsistentem, modò post diuisionem facit subsistẽtem,
& incommunicabilem formaliter, & sic acquirit for-
malitatem subsistentiæ.

31 Ad secũdũ Resp. quòd cùm partes integrales existãt ad
existentiã totius per se subsistentis, necessum est, vt vna
& eadem sit subsistentia partium, & totius. Si verò ali-
quæ partes integrales V.G. caput, cor, manus &c. essent
à Verbo assumptæ, non verò reliquæ, non possent vnâ,
& eâdem etiam identitate continuitatis esse subsisten-
tia partium, & totius: quia quæ specie differunt, conti-
nuari non possint. Verbi autem subsistentia, & creata
plusquàm genere differunt, vnde ex illis vna continua
subsistentia consurgere non posset. Partes verò conti-
nuatæ per vnam continuam subsistentiam subsistere
32 debent. At verò partes integrales vnius continui acciden
tis, V.G. albedinis, possent esse continuæ ex parte etiam
existentiæ, licèt quædam illarum, nempe, contentæ in
dimidio hostiæ consecratæ, per se separatim; quædam
verò, scilicèt inclusæ in dimidio hostiæ non consecra-
tæ, in alio, nempe, in subiecto, existerent: quia acciden-
tia per suam intrinsecam existentiam primò & per se
existunt, & non secundariò ad existentiam subiecti. Vn-
de siue totaliter separentur ab illo, siue totaliter ei inhæ
reant, siue partim inhæreant, & partim separatim exis-
tant, vt in casu argumenti, cùm vnam, & eandem exis-
tentiam retineant, possunt perfectè continuari, & vnum
numero efficere. Non sic partes materiales substantiæ,
quæ cùm ad subsistentiam, & existentiam totius suppo-
siti existant, nũ possunt esse perfectè continuæ, vnumq;
efficere; nisi vel omnes in vno, & eodem supposito, alie-
no, vel proprio, & intrinseco subsistant.

QVINTA DISPVTATIO.

AN natura accidentalis possit Deo vniri hypos-
taticè. Pars affirmatiua probatur sic. Primò. 1
Deus potest sibi vnire omnem formam substã-
tialem, quia est potentiæ infinitæ; ergo eâdem ratione
poterit sibi vnire formam accidentariam. Secundò;
quia in Eucharistia Deus potest conseruare quantita-
tem sine substantia; ergo similiter potest eam sibi hy-
postaticè vnire. Tertiò, quia suppositare, & sustentare
accidens, est perfectio; ergo potest Deo cõuenire. Quar
tò, quia subiectum respectu accidentis concurrit in tri-
plici genere causæ, scilicet materialis, efficientis, & fina-
lis: ergo Deus poterit assumendo accidens, conseruare
illud, ac sustentare in duplici genere, nempe, efficiẽtis, &
finalis, quæ illi non repugnant, sine eo quòd sit materia
accidentis. Quintò, quia in triduo Verbum Diuinum de
facto assumpsit animam rationalem seorsum à corpo-
re; ergo poterit etiam accidens seorsum à substantia
sustentare, & assumere.

Dubitatio hæc potest dupliciter disputari. Primò, ita 2
vt ipsum Verbum per se terminet proximè, & immedia
tè formam accidentalem. Secundò, quòd forma acci-
dentaria assumatur à Verbo mediatè tantùm, nempe,
quia inest in natura assumpta, quamuis nullam habeat
immediatam vnionem cum Verbo. Et hoc posteriori
modo non est dubium, quin sit possibile, quia de facto
ita fuit in Christo, vt infra dicetur. Sed tota controuer-
sia est de priori modo, & communiter differitur de ac-
cidenti separato à subiecto. Hoc igitur supposito quidã 3
Theologi docent, posse Deum sibi hypostaticè vnire
accidens à subiecto separatum. Sic Marsilius in. 3. q. 3.
art. 1. Almainus d. 2. q. 2. & Gabriel d. 1. q. 1. art. 2. ad. 7.
inquit, quòd si Deus potest assumere naturam irratio-
nalem, potest etiam assumere accidentalem. Fundamen
tum huius sententiæ est, quia accidens separatum habet
modum per se essendi similem subsistentiæ; ergo potest
Deus accidens sibi vnire ad supplendum illum modũ,
non per inhærentiam, sed per modum hypostaticæ
vnionis. Sic enim sustentare accidens, nullam dicit im-
perfectionem in sustentante, sed supponit potiùs perfec-
tionem. Hanc eandem sententiam tenet Medina hîc.
Oppositam tamen tuentur alij Theologi, Basolis in. 3.
d. 1. q. 1. art. 2. Palacios q. 1. Suarez Disp. 14. Sectio. 4. &
multi alij recentiores. Vnde pro explicatione sit Con-
clusio.

Forma accidentalis nõ potest hypostaticè vniri Ver- 4
bo Dei immediatè. Probatur. Quod non est capax sub-
sistentiæ,

sistentiæ, non est per se assumptibile à Persona Diuina: sed accidens non est capax subsistentiæ per se; ergo neque per se est immediatè assumptibile. Maior patet ex præcedente disputatione,& minor probatur: quia subsistentia est modus quidam substantialis intrinsecus, oppositus omninò modo intrinseco accidentali inhærentiæ actualis: sed accidens non est capax modi substantialis intrinseci, sicut neque substantia modi intrinseci accidentalis, nempe, inhærentiæ: ergo neque subsistentiæ. Secundò probatur,& in idem fere redit. Personalitas est terminus substantialis naturæ constituens personam; sed accidens nequit esse persona, nec suppositum, neque eius pars: ergo terminari non potest Diuina Personalitate. Minor probatur quoad primã partem, quia accidens non est rationalis natura. Quoad secundam; quia nequit esse ens per se. Quoad tertiam, quoniam nõ potest esse pars intrinseca entis per se.

5 Tertiò: quia forma accidentalis vel intelligitur assumi à Diuino Supposito cum propria existentia, vel sine illa: non cum propria, quia repugnat, accidens habere propriam existentiam in supposito,& non inexistere,& inhærere illi, vt patet, quoniam non minùs est de essentia accidentis, cùm habet propriam existentiã in supposito, inhærere illi, quàm de essentia naturæ substantialis sibi dimissæ per se existere, & suppositum constituere: at verò repugnat formam accidentalem inhærere alicui supposito, nisi informando illud, & si illud informat, tale suppositum habet se vt materia respectu naturæ accidentalis: hoc autem repugnat Deo; ergo repugnat similiter, quòd assumat formam accidentariam cũ propria existentia in vnitatem suppositi. Si autem intelligatur assumi ad personam sine propria existentia, non est minor repugnantia, quia iam vniretur Deo secundùm subsistentiam personalem, eam recipiendo, quod implicat contradictionem, nam accidentis essentia dicit intrinsecum ordinem ad subiectum; ergo non potest existere per subsistentiam Diuinam, quæ est substantialis,& sine ordine ad subiectum. Confirmatur. Accidens non est capax illius, quod tollit aptitudinem ad inhærendum: sed subsistentia Diuina, si accidentariæ formæ communicaretur, auferret aptitudinem ad inhærendum, cùm sit substantialis; ergo communicari non potest accidenti. Postremò confirmatur, quia si Diuina Persona vniret sibi formam accidentalem, vt V. G. albedinem, ab ipsa denominaretur realiter alba; quod tamen est falsum, quia adhuc non afficeretur ab ipsa realiter, ac proinde nec denominaretur realiter ab ea: tũ, quia illud dicitur albũ iuxta communem modum loquendi, cui inhæret albedo, & cui est extensa per totum. Tum etiam, quia huiusmodi denominatio sumitur à forma, vt informante, aut inhærente, non vt subsistente. Sed contra conclusionem est argumentum.

6

7 Personalitas Diuina cõtinet eminenter omnem perfectionem personalitatis creatæ; sed personalitas creata terminat immediatè formam accidentalem: ergo similiter Personalitas Diuina poterit ipsam immediatè terminare. Respondetur, personam humanam terminare quidem naturam accidentalem non communicando illi propriam personalitatem, sed per hoc quòd accidens inexistit ipsi personæ, quæ inexistentia repugnat Diuinæ Personæ, & consequenter non posset accidens assumi,& terminari personalitate Diuina, nisi per hoc, quòd Diuina Persona communicaret illi suam personalitatem. Quòd autem Diuina Personalitas eminenter contineat creatæ personalitatis perfectionem, nihil refert ad præsens institutum, nam etiam continet eminenter cuiuscumque entis perfectionem, cùm sit infinita etiam in ratione entis: & tamen nequit immediatè per se tribuere esse album, aut hominem generare.

Ad primum argumentum negatur antecedens, & similiter consequentia propter repugnantiam assignatã. Vnde licet Deus habeat infinitam potentiam, & virtutem, vt efficere possit, quod suæ perfectioni, vel naturæ rei non repugnet, nihilominùs tamen istam assumptionem efficere non potest, quia repugnat & Diuinæ perfectioni,& naturæ accidentis, vt ostensum est. 8

Ad secundum respondetur, in Eucharistia conseruari accidentia effectiuè à tota Trinitate, terminatiuè verò à sua propria existentia, quæ saltem aptitudine est inexistentia. At vero si assumerentur ad Diuinã hypostasim, deberent terminatiuè conseruari à Diuina subsistentia, quæ illis conuenire non potest, cùm neque aptitudine possit esse inexistentia. Vel dicatur, Deum posse immediatè conseruare accidens absque omni subiecto, & tunc per se existet: quando verò est in supposito, siue existat propria, siue aliena existentia, semper debet inexistere,& inhærere: quod Verbo Diuino repugnat. 9

Ad tertium negatur consequentia, quia esset imperfectio Diuinæ Personæ, supposita re naturam accidentalem immediatè, propter rationes dictas: posset tamen illam sustentare, terminando, vt dicetur disputatione sequente. 10

Ad quartum respondetur, quòd assument vt sic debet terminare assumptum, quod non est causare, atque adeò parùm refert ad assumptionem hæc, vel illa causalitas. Terminare verò accidens nequit Diuina Persona conuenire propter assignatas rationes, ac proinde neque assumere. Rursus si Verbum tantùm se haberet, vt causa efficiens, siue conseruans respectu accidentis, non diceretur accidens esse in illo, neque posset vna persona assumere sine alia, cùm omnis efficientia communis sit toti Trinitati. Imò neque esset verum dicere, quòd assumeret talem formam accidentalem, sicut non est verum dicere, quòd tres Personæ assumpserunt humanitatem, per hoc, quòd illam effecerunt, & conseruant. 11

Ad quintum, negatur consequentia, quia anima rationalis est per se assumptibilis, quia subsistit per se. Sed e contra. Anima bruti non subsistit, & tamen potest per se seorsum assumi; ergo & accidens. Concessa maiori negatur minor cum consequentia, quia accidens ex sua natura habet inexistere actu, vel aptitudine, vnde per se subsistere non conuenit illi, nisi contra naturam, quod est contra rationem assumptionis. 12

SEXTA DISPVTATIO.

Vtrùm accidens possit immediatè terminari per Diuinam existentiam, quamuis non terminetur personalitate, & subsistentia. Probatur quòd non. Primò. Nulla res potest existere per existentiã alterius, sed necessariò per existentiã sibi propriã, & & cõnaturalem: sed repugnat, accidens cũ sua existentia sibi propria,& cõnaturali assumi à Deo, ergo. Probatur minor; quia existentia propria,& cõnaturalis accidensi, est 1

est inhærentia, quam in Deo habere non potest. Confirmatur. De essentia accidentis est, quod si existat in substantia, inhæreat illi: sed repugnat, quod inhæreat Deo: ergo & quod existat ad existentiam Dei.

2 Secundò. Accidens non est capax personalitatis, & subsistentiæ immediatè per suppositum: ergo non est capax existentiæ Diuinæ, atque adeò non potest assumi ad existentiam Dei. Tertiò. Accidens facit vnum cũ eo, in quo existit, & ipsum denominat: sed impliceat, Deũ denominari ab accidenti immediatè per se, non enim potest Deus esse albus, vel albedo: ergo. Quartò. Accidens habet duplicem dependentiam à subiecto, alteram, vt à causa efficiente, conseruante effectiuè ipsum accidens: alterã verò, vt à causa materiali, cui inhæret. Priorem dependentiam potest Deus supplere conseruando accidens separatum ab omni subiecto, vt conseruat in Sacramento altaris: posteriorem autem dependentiam Deus supplere non valet. At si Deus assumeret accidens sustentando illud per propriam subsistentiam, suppleret necessariò vicem causæ materialis: ergo. Probatur minor: quia vt sic non suppleret vicem causæ efficientis, nã terminare, vt sæpius dictum est, non est efficere: ergo suppleret vicem causæ materialis.

4 Quintò. Vel illud accidens assumeretur à Deo cum sua propria inexistentia, vel sine illa, neutrum est possibile: ergo. Probatur minor: nam si maneret cum sua inexistentia, inhæreret Deo, quod est impossibile. Si verò non haberet propriam inexistentiam, sed immediatè existeret per existentiã Dei, sequeretur, quòd existentia Dei haberet rationem inexistentiæ accidentalis, quoniam suppleret vicem inexistentiæ accidentalis, quod est impossibile: ergo.

5 Circa hanc difficultatem Palacio in. 3. d. 2. q. 1 tenet partem negatiuam, inductus 4. argumento proposito. Idem docet Suarez sectio. 4. disput. 14. dicẽs esse repugnantiam, quòd forma accidentalis assumatur ad existendum existentia Verbi.

6 Alij verò Theologi recentiores opinãtur, licèt Deus nequeat assumere naturam accidentis separatã ab omni subiecto ad personalitatem alicuius Diuinæ Personæ, posse tamen eam assumere ad Diuinam existentiam, Hæc sententia est verissima, & à nobis amplectenda. Et prætermissa priori parte, quæ iam est probata disputatione præcedente, probatur secunda: quia nulla maior repugnantia videtur esse, quòd accidens existat immediatè per existentiam Dei, quàm quòd separatum ab omni subiecto conseruetur à Deo in Sacramento altaris. Confirmatur, quia Diuina existentia continet eminenter quamcunq; existentiam, & inexistentiam cuiusuis naturæ creatæ: ergo sicut potest supplere vicem existentiæ creatæ substantialis, eò quòd eam continet eminenter: eâdem ratione poterit supplere vicem inexistentiæ accidentalis.

7 Præterea. Substantia incompleta, vt anima rationalis, quia est naturaliter capax propriæ existentiæ, est secundùm potentiam obedientialem susceptiua subsistentiæ, & existentiæ Diuinæ, quamuis hæc sit completa, & integra: similiter quælibet natura substantialis totalis, quia naturaliter est capax subsistentiæ imperfectissimę, potest supernaturaliter infinitã suscipere à Persona Diuina: ergo licèt accidens sit imperfectum, quia naturaliter est capax existentiæ creatæ, poterit Diuinã recipere.

Ex hoc modo dicendi sequitur, quòd si Deus assumeret naturam accidentis, assumptio non immediatè terminaretur ad aliquam Diuinam Personam, sed ad Deũ, vt præintelligitur Diuinis Personis: mediatè verò ad omnes tres Personas. Probatur, quia Personalitas, vt dictum est, non potest terminare immediatè accidentis naturam, sed immediatè debet terminari ad existentiam Diuinam. Existentia verò est perfectio essentialis, cõueniens immediatè Deo, mediatè verò tribus Personis: ergo. 8

Ad primum argumentum negãda est maior, vt cõstabit infra q. 17. & partim constat etiam ex dictis supra q. 2. art. 2. disput. 3. & art. 11. disput. 2. Si ergo accidens assumeretur à Deo, non haberet existentiam propriam, sed sibi communicaretur existentia Diuina. Imò verò etiam si admitteretur, quòd existentia propria accidentis esset ab eo inseparabilis, adhuc posset accidens assumi ad existentiam Dei, quemadmodùm in opinione Antithomarum, humanitas Christi cũ propria existentia assumpta est à Verbo. Neque in eo casu obstaret, quòd existentia propria accidentis est inexistentia, hoc enim est verum, quando accidens existit secundùm modum sibi proportionatum, & connaturalem. Si verò Diuina virtute accidens existat supernaturali modo, nõ requirit actualem inexistentiam, vt constat in Sacramento altaris. 9

Ad confirmationem negatur, quòd illa sit accidentis essentia: imò sicut accidens secundùm modum sibi cõnaturalem existit necessariò in substantia, à qua supranaturali virtute separatur, vt non existat in illa; sic etiã posset separari à proprio subiecto, & assumi ad esse Diuinum absque aliqua inexistentia. 10

Ad secundum patet responsio ex dictis, nempe accidens nõ esse terminabile per Diuinam Personalitatem, quia non est capax illius, esse tamen terminabile per Diuinam existentiam, cuius est capax. 11

Ad tertium respondetur, accidens vniri substantiæ inhærendo illi, eamq; denominare, quia substantia est subiectũ accidentis. Si vero accidens assumeretur à Deo, V. G. albedo, non vniretur illi tanquam subiecto, & ita Deus non esset albus, sed neque etiam esset albedo, quia hoc est nomen naturæ, non suppositi. Et sicut Deus nõ dicitur sanguis, licèt sanguis Christi existat per esse Diuinum; sic neque diceretur albedo. 12

Ad quartum respondetur, accidens non solùm depẽdere à substãtia tanquam à causa efficiente, & materiali, sed etiam dependere ab existentia substantiæ, tanquam à termino complente, & terminante perfectè ipsam accidentis naturam, quoniam inexistentia, quæ est proprius terminus accidentis, terminat essentiam accidentis incompletè, & dependenter ab existentia substantiali. Et ex hac parte optimè intelligitur, quo pacto Diuina existentia possit habere rationem termini respectu naturæ accidentalis complentis, & terminantis eius dependentiam. 13

Ad quintum respondetur, naturam accidentis posse terminari per Diuinam existentiam, nudata tamen & spoliata propria inexistentia. Ad impugnationem dicitur, existentiam Diuinam non esse formaliter inexistentiam accidentis, sed illam eminenter præhabere, quod satis est, vt eius vicem suppleat, sicut vicem existentiæ humanæ supplet, eò quòd illam continet eminenter. In 14

eo tamen casu, quo natura accidentis assumeretur, existeret quidem, sed nõ per se, neque in alio, sed per aliud, hoc est, per existentiam Personæ Diuinæ assumentis.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm Filius Dei assumpserit Personam.

CONCLVSIO *est negans.* Filius Dei nullo modo assumpsit personam humanam. *Probatur in argumento sed contra ex D. Augustino lib. 2. de Fide ad Petrum cap. 2. vbi ait.* Deus naturam hominis assumpsit, non personam. *Deinde in corpore. Illud, quod assumitur, debet præintelligi assumptioni, quemadmodùm quod mouetur secundum locum, præintelligitur ipsi motui: sed persona non præintelligitur assumptioni, sed magis se habet vt terminus assumptionis; ergo &c. Minor probatur, quia si præintelligeretur, vel illa corrumperetur per assumptionem, & sic frustra esset assumpta, vel illa remaneret post vnionem, & sic essent duæ Personæ in Christo, vna assument, & altera assumpta, quod est hæreticum, vt supra ostensum est q. 2.*

Est primum argumentum D. Thomæ. Verbum Diuinum assumpsit humanitatem in atomo, idest, in indiuiduo: sed indiuiduum rationalis naturæ est persona: ergo assumpsit personam. Respõdet, humanitatem fuisse assumptam in atomo, idest, in indiuiduo: quod non est aliud à supposito increato, quod est Persona Filij Dei: atque adeò nõ sequitur, quòd persona sit assumpta.

Secundum est. Filius Dei assumpsit ea, quæ in natura nostra plantauit: sed plantauit personalitatem: ergo assumpsit eam. Respondet, humanæ naturæ non deesse propriam personalitatem propter defectum alicuius, quod ad perfectionem naturæ pertineat: sed per additionem præstantioris personæ.

Tertium. Persona Dei consumpsit personam hominis: ergo persona hominis fuit priùs assumpta. Probatur consequentia: quia nihil consumitur, nisi quod est. Respondet D. Thomas, nomine consumptionis non significari ibi destructionem alicuius, quod prius fuerat, sed personam dici consumpsisse personam, quatenùs, eam impediuit, quia Diuina Persona sua vnione impediuit, nè humana natura propriã personalitatem haberet: atq; adeò impropriè dicitur consumpsisse.

Commentarius.

CONCLVSIO huius articuli est certa secùdùm fidem definita in Concilio Ephesino. 1.
contra Nestorium asserentem in Christo esse duplicem personam. Constat enim ex fide in Christo vnicam tantùm esse hypostasim, & personam, nempe, Diuinam, & non esse propriam personam naturæ humanæ, vt ostensum est supra q. 2. art. 2. & sequentibus vsque ad septimum.

Præterea. Recta fides docet, humanitatem assumptã 2
à Verbo non priùs habuisse propriam personalitatem, & posteà esse assumptam ad Personalitatem Verbi, quia fides est, Christum fuisse conceptum & natum ex Virgine; at si illa humanitas priùs habuisset propriam personalitatem, & posteà fuisset assumpta ad Verbi Personalitatem, non esset Filius Dei conceptus ex Virgine, sed ille homo, cuius naturam Filius Dei assumpsisset. Hæc ratiò est D. Thomæ. 4. contra Gentes cap. 43. Legendus est etiam cap. 38. & suprà q. 2. art. 11. & Castro lib. 4. de Hæresibus Verbo Christus hæresi. 1. & 4.

Illud autem testimonium Damasceni lib. 3. fidei cap. 11. adductum à D. Thoma in 2. arg. quòd Filius Dei assumpsit humanam naturam in atomo, bifariam in- 3
telligitur. Primò, vt natura in atomo, idest, singularis, & indiuidua, nempe, hæc humanitas intelligatur antè assumptionem, & non solùm humanitas in communi, & tunc illa determinatio, In atomo, determinat humanam naturam, quæ assumitur: & indiuiduum accipitur in ampla, & cõmuni acceptione, quatenùs est superius, & communius, quàm suppositum, & persona. Secundò intelligitur, vt illa determinatio, In atomo, determinet Verbum, Assumpsit, quantùm ad terminum assumptionis, non secundùm id, quod præintelligitur assumptioni, & tunc sensus est, quòd per assumptionem resultauit humana persona, & supposità humanum. Etenim Persona Diuina assumptione humanitatis facta est persona humana. Et hæc posterior intelligentia est consonantior testimonio Damasceni, & menti D Thomæ, vt constat ex solutione ad primum, & q. 2. art. 5. ad secundum.

PRIMA DISPVTATIO. §. I.

CIRCA istum articulum prima dubitatio, quę se se offert, est, An Suppositum supra naturam singularem addat aliquid realiter distinctum ab ipsa natura tam in rebus immaterialibus, quàm materialibus. Sed pro tituli intelligentia explicandi sunt 1
termini. Suppositum enim in præsenti sumitur pro substantia completa, indiuidua, subsistente incommunicabiliter. Dicitur substãtia, ad differentiã accidentis. Indiuidua, ad differentiam speciei. Completa, ad differentiam partium substantiæ. Subsistens verò ad differentiã humanitatis, quæ assumpta est à Verbo, & non est suppositum, quia non subsistit per se, sed per Verbi subsistentiam. Ponitur incommunicabiliter, ad differentiam Diuinæ Essentiæ, quę licèt sit substantia completa, subsistens, quia tamen est communis tribus Personis nõ est suppositum. In hac verò acceptione sumptum suppositum Grecè dicitur hypostasis. Et rursus si hoc Suppositum sit in natura rationali, aut intellectuali, dicitur persona, iuxta definitionem Boetij lib. de duabus naturis, *Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia.* Idest, prima substantia talis naturæ, vt rectè explicat D. Thomas

Thomas. 1. p. q. 19 art. 1. & 2. Secũdus terminus est, Natura, quæ licet multis modis vsurpetur, hic tamen naturæ nomine intelligitur singularis substantia, continens integram, & completam essentiam indiuidui, seu Suppositi in abstracto sumptam, quæ à Methaphysicis dici solet forma totius, vt est hæc humanitas cõstans ex hac anima, & hoc corpore, seu his carnibus, & his ossibus. Hoc supposito & præmisso de præsente difficultate sunt diuersæ Theologorum sententiæ.

Prima Opinio. §. II.

2 PRIMA igitur sententia est Durandi in 1. d. 34. q. 1. & Henrici de Gandauo quodlib. 4. q. 4. asserens, Suppositum supra naturam singularem nihil addere secundùm rem, sed sola ratione distingui penes diuersum modum significandi in abstracto, vel in concreto, quia natura significatur vt habita, Suppositũ verò, vt habens illam. Vnde isti authores concedunt has propositiones. Homo est humanitas, Petrus est sua humanitas. Ad hanc autem opinionem reducuntur plures aliæ, quæ solis verbis ab ea differunt. Et probatur primò. Eodem modo proportionali se habent cõcretum, & abstractum in substantijs, sicut in accidentibus; sed in his concretum & abstractum idem omnino significãt, & solùm distinguntur penes modum significandi, vt album, & albedo: nam album nullam realitatem intrinsecam addit supra albedinem, cùm solam qualitatem significet, sicut albedo, ergo pari modo in substantijs abstractum & concretum, vt homo, & humanitas, idem prorsus significant.

3 Secundò. Idem significat secundùm rem definitio, quod definitum; tametsi quòad explicitum modum, vel extrinsecum distinguantur; sed definitũ significat Suppositum, definitio verò essentiam naturæ: ergo Suppositum, & natura idem sunt secũdùm rem. Maior est Aristotelis lib. 7. Methaph. ca. cap. 11. vbi ait, quodquid est, esse idem cum eo, cuius est. Minor est manifesta, nam homo significat Petrum, vel Paulum &c. Definitio verò hominis indicat, Quid est homo: Quid autem quæris de quidditate, ergo eadem quidditas, vel natura importatur per nomen hominis, quod est nomen Suppositi.

4 Tertiò. Si Suppositum adderet aliquid supra naturã, vel illud additum esset materia, vel forma, vel compositum: sed hæc omnia includuntur in quidditate naturæ; ergo idem pollent. Confirmatur. Quia omnia quæ includit hic homo, includit etiam hæc humanitas, nã includit hãc materiam, istas carnes, & ista ossa, & ideò dicitur Filius Dei assumpsisse naturã humanã cum conditionibus indiuiduantibus, & vt ait Damascenus lib. 3. Fidei cap. 11. in atomo.

5 Quartò. Si lignum, vel aqua diuidatur in duas partes, ex ea diuisione resultant duo Supposita substãtialia, quæ anteà non erant; sed huiusmodi diuisio nõ est productiua alicuius nouæ entitatis: ergo illa entitas, quæ est Suppositum, non erat distincta à natura ligni, vel aquæ. Minor probatur, nam incredibile est, quòd per illam solam diuisionem producantur duo Supposita de nouo, & duæ entitates realiter distinctæ à natura.

6 Quintò. Si humanitas esset producta ad extra, singularis, & indiuidua, seclusa quacumq; alia personalitate, & ne subsistentia, esset verum Suppositum, & vera persona, nam persona est rationalis naturæ indiuidua substãtia: ergo persona in Petro nihil reale addit supra humanitatem ab ea realiter distinctum.

Sextò. Si Verbum Diuinum modò dimitteret humanitatem, statim illa esset quidam homo per se subsistens absque productione nouæ personalitatis, aut alicuius entitatis realis, ergo personalitas non distinguitur realiter à natura humana, sed est idem cum illa. Probatur antecedens; nam aliàs sequeretur, Deum non posse dimittere humanitatem. Sequela autem probatur, nam illa humanitas non esset Personata Diuina Personalitate, vt patet, neque personalitate propria: nam hæc personalitas non est materia, neque forma, neque compositum, nec videtur posse ostendi, vnde veniat: ergo &c. 7

Septimò. Suppositum nihil includit reale, quod ipsa natura non includat, ergo Suppositum nihil reale addit supra naturam. Probatur antecedens, nam aliàs hæc propositio esset falsa: Homo est res, quæ est humanitas: quã tamen concedunt Methaphysici. Et probatur, quia hæc est falsa, homo est res, quæ est materia prima, homo est res, quæ est anima, quia homo includit præter materiam ipsam formam, & præter animam includit corpus. Ergo si Suppositum supra naturam addit aliquid reale, illa propositio similiter erit falsa. 8

Octauò probatur speciatim in Angelis, ex D. Thoma 1. p. q. 3. art. 3. vbi asserit, quòd in his, quæ non sunt composita ex materia, & forma, in quibus indiuiduatio non est per materiam indiuidualem, sed ipsæ formæ per se indiuiduantur; oportet, quòd ipsæ formæ sint Supposita subsistentia, vnde in eis non differt Suppositum à natura. Ex quo loco manifestè colligitur, cùm Angeli per materiam non indiuiduentur, formam, & naturam ipsius Angeli esse ipsummet Suppositum subsistens. Idem videtur docere D. Thomas in hac. 3. p. q. 2. art. 2. ex quibus locis concluditur argumentum in forma. Suppositum Angelicum non addit suprà naturam aliquid, quod sit extra rationem specificam: ergo nihil addit positiuũ realiter distinctũ. Antecedens probatur. In Angelis nullũ est accidens ad indiuiduationem pertinens, quod nõ sit propria passio: sed propria passio pertinet ad naturam, & speciem: ergo &c. 9

Nonò. Entitates non sunt multiplicandæ sine necessitate: sed nulla cogit necessitas ponendi, Suppositũ ampliùs quàm modo significandi à natura distingui, ergo. Minor probatur: quia sola hæc distinctio sufficit, vt verè possit dici, Verbum assumpsisse naturam humanam, & non personam; sicut sola hæc distinctio sufficit in Diuinis, vt Deus, & non Deitas, dicatur generare, & spirare. 10

Secunda Opinio. §. III.

SECVNDA sententia docet, Suppositũ creatũ supra singularem naturã addere aliquid reale, nõ positiuum, sed negatiuum. Ita Scotus in. 3. d. 1. q. 1. & d. 6. q. 1. & in. 1. d. 23. & quodlib. 19. art. 3. & Ioannes de Neapoli in quodlib. q. 9. Henricus quodlib. 5. q. 8. qui licet diuerso modo illam explicent, vt posteà videbitur, conueniunt tamen in hoc, quòd Suppositum supra naturam singularem, solam negationem communicabilitatis addit. Probatur autem hæc sententia. 11

Primò.

Primò. Suppositũ, solùm addit supra naturã, quam pro materiali importat, quod significat pro formali: sed pro formali tam Suppositũ, quàm Persona solam negationem cõmunicabilitatis significant, ergo solam hanc supra naturam singularem addunt. Minor probatur ex definitione Personæ, scilicet. Rationalis naturæ indiuidua substantia, vel incommunicabilis substantia. Ratio verò indiuiduæ, seu incommunicabilis est mera negatio; ergo Suppositum supra naturam singularem meram negationem addit.

12 Secũdò. Si aliquid positiuũ adderet, ergo vel accidens, vel substantiam. Non accidens, quia Personalitas est cõplementũ intrinsecũ naturæ substantialis, hæc verò cõpleri non potest intrinsecè per aliquid accidentale. Nec verò substantiã, quia substantia adæquatè diuiditur ab Aristotele 2. de Anima, cap. 2. in materiam, formam, & compositum: sed Suppositalitas neq; est materia, neque forma, neq, compositum ex vtraq;: ergo non est substãtia, & sic nec positiuũ aliquid reale, sed mera negatio.

13 Tertiò. Si Suppositum adderet supra naturã aliquid positiuũ reale, sequeretur, esse aliquid in rerum natura, quod à Deo assumi non posset, nempe, illud positiuum cõplementum Suppositi: sed cõsequens est falsum; ergo &c. Minor probatur: quia omnis entitas creata æquè subditur potentiæ Dei, vt assumatur. Et quia secundùm Damascenum lib. 3. de Fide, cap. 6. id, quod à Verbo nõ est assumptum, non est sanatum: sed nihil est in homine positiuum realiter, quod à Verbo non fuerit sanatum: ergo nihil est positiuum reale in homine, quod à Verbo non fuerit assumptum; & ex consequenti Suppositalitas, quæ assumi non potuit, non est quid positiuum reale, sed mera negatio.

14 Confirmatur ex eodem Damasceno ibidem dicente, Deũ in homine assumpsisse, quod in ipso plantauerat: sed Deus plantauit in homine omne, quod est positiuũ, & reale: ergo assumpsit, quicquid est positiuũ reale. Sed non assumpsit Personalitatem; ergo hæc non est positiua, sed mera negatio communicabilitatis.

15 Quartò: quia posita hac negatione, omni alia entitate positiua realiter, & formaliter sublata, intelliguntur, quæ Concilia, & Sancti dicunt de natura, & Supposito creato, nempe, quòd Deus assumpserit naturã humanã, nõ Suppositũ: quòd illa sit cõmunicabilis, hoc verò omninò incõmunicabile. Ergo cùm entitates sine necessitate multiplicãdæ nõ sint, sequitur, Suppositũ supra naturã, merã negationem cõmunicabilitatis addere. Consequentia patet. Et antecedens probatur. Si Verbũ modò humanitatem dimitteret, etiã si nihil reale positiuũ in ipsa denuò resultaret, esset Suppositũ, & Persona humana: sed tũc præter entitatem substãtialem, quã intrinsecè includeret, solã diceret negationem cõmunicabilitatis, vel dependentiæ actualis ab alio: ergo solã hãc includit in suo formali conceptu Persona supra singularem naturã. Vltimũ antecedens patet: quia tunc humanitas non esset in alio; ergo esset per se subsistens. Ergo Persona, & Suppositũ. Cõsequẽtia patet: quia Suppositũ formaliter est substãtia cõpleta per se subsistens: Persona verò supra hoc addit, quòd sit naturæ intellectualis.

16 Quintò. Si Personalitas esset aliquid positiuũ superadditũ naturæ, fieret indè, vt posset esse illa entitas sine natura, sicut è cõtra natura est in Verbo sine illa entitate. Item natura magis substaret, quàm Suppositũ, vel Persona: nã Persona tãtùm substat accidentibus, natura verò accidentibus, & Personalitati. Rursus humanitati Christi defuisset aliqua entitas positiua, quæ est vltima perfectio, & actualitas rei: atq; adeò humanitas nunc esset violenter in Verbo, quia careret positiua perfectione connaturali. Et tandem Suppositũ esset quarta substantia ex tribus constituta, nempe, ex forma, materia, & illa realitate positiua, quod est absurdum asserere. Pro decisione veritatis sit Prima Conclusio.

Prima Conclusio. §. III.

S Vppositum, vel Persona in rebus creatis supra naturam singularem addit aliquid reale, siue sit positiuum, siue negatiuum. Hæc conclusio est cõmunis inter Theologos, & supposita fide mysterij Incarnationis, videtur posse euidenter demonstrari: quia Verbũ assumpsit naturã singularem humanã, & nõ Suppositũ, ergo hoc supra singularem naturã aliquid positiuũ reale, vel negatiuũ addit. Gabriel in 3. d. 1. q. 2. art. 3. Dubio. 2. Negat cõsequentiam, quia inquit sufficere diuersum modũ significãdi horum nominum, vt Deus naturam, & non Suppositum assumpsisse dicatur: sicut sufficit, vt Deus, & nõ Deitas dicatur generare. Sed cõtra est; quia saltem sequitur ex hac opinione, Verbũ assumpsisse totã entitatem Suppositi humani, & sic realiter identatiuè esse in Christo duo distincta Supposita realia, tametsi nõ formaliter ob formalem modũ significãdi nominis Suppositi humani, quod ex virtute sermonis importat naturã humanã per modũ habentis, & nõ habitæ: cõsequens autẽ licèt intrepidè cõcedat Ochã quodlib. 4. q. 11. sapit hæresim Nestorij. Meliùs ergo Richard. in 3. d. 6. art. 1. q. 2. negat cõsequentiã, quia cũ Persona sit idem, quod per se sonãs, & Suppositũ, quod per se, ac separatim positũ, eo ipso quòd humanitas Christi cũ alieno Supposito cõiungitur, amittit rationem Personæ, & Suppositi proprij. Sed cõtra est, quia vel humanitas Christi ex tali cõiũctione acquirit aliquem modũ realem, repugnantem modo naturali essendi propriæ personæ, vel nõ. Si nõ, ergo adhùc retinet propriã, & formalem rationem humanæ Personæ. Si verò acquirit modũ aliquem realem, repugnantem Suppositalitati propriæ: ergo Suppositũ propriũ supra singularem naturã addit aliquid reale, quo caret, eo ipso quòd natura cõiungatur alieno Supposito. Durandus verò vbi supra respondet; carere quidem actuali negatione essendi in alio, quæ per se consequitur ad rationem proprij Suppositi, nõ verò aliquo reali, & positiuo modo superaddito. Cæterùm hæc solutio coincidit cum secunda opinione Scoti, quæ sequente conclusione refutabitur. 17 18 19

20 Prætereà hæc cõclusio est cõmunis Sanctorũ Patrũ consensus, asserũt enim, hoc esse propriũ Dei, vt in eo Suppositũ, & natura realiter nõ distinguantur. Patrum autem testimonia referũtur à Magistro in 1. d. 8. & 34. Legendi sunt inter alios D. August. lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 10. & lib. 15. de Trinitate cap. 17. & D. Bernard. super Cantica sermo. 80. Item probatur: quia Suppositũ includit aliquid reale, quod natura nõ includit, ergo distinguitur per aliquid reale. Antecedẽs probatur nã multa prædicata realia dicũtur de Supposito, quæ de natura nõ dicũtur, vt V. G. subsistere, recipere accidentia, agere, & pati: ergo aliquid reale includit Suppositum, propter quod hæc omnia prædicata illi conueniunt, quod non includit natura. Rursus: Verbum Diuinum secundùm 21

fidem assumpsit naturã humanã,& nõ Suppositũ: ergo
per aliquid reale distinguuntur: aliàs si essent idem, quẽ-
admodum assumitur vnum, assumeretur & alterũ. Di-
cer, distingui ratione ex modo significãdi, atq; adeò po-
tuisse vnum sine altero assumi. Contra. Sola distinctio
rationis nõ sufficit falsificare propositionem, nisi aliqua
interueniat appellatio. sed hęc propositio, Homo est hu
manitas, est falsa, & nulla in ea admiscetur appellatio;
ergo nõ sola ratione distinguũtur Suppositũ & natura.
22 Insuper. In Christo secundùm fidem distinguuntur
realiter natura humana, & Suppositũ: ergo similiter in
omnibus alijs Suppositis. Cõsequentia est euidens; quia
Christus est verũ Suppositum humanæ naturæ, non se-
cus atq; alij homines. Antecedens verò probatur. Chris-
tus secundùm fidem non est idem etiã identicè cũ sua
humanitate, vt habetur in Cõcilio Basiliensi Actio. 22.
Vbi damnatur quidam Augustinus de Roma Episco-
pus Nazarenus, quid id affirmauit: ergo &c.

Secunda Conclusio. §. *IIII.*

23 Suppositum creatum supra naturam singularem
addit aliquid reale positiuum, & non solam ne-
gationem. Sic docent omnes ferè Theologi cum
Magistro in 3. d. 5. & D. Thomas. 4. Cõtra Gentes cap.
43. & in hoc articulo in solutione ad 3. vbi omnes eius
expositores idem sentiunt. M. Suarez latè probat hanc
conclusionem in Methaphysica Diput. 34. Sectio. 1. à
numero. 8. vsq; ad 19. Sed probatur omnibus modis,
quibus opinio secunda à suis authoribus confirmari so-
let. Primus est Henrici dicentis, Suppositũ supra naturã
addere negationem diuisionis in inferiora, per quam
natura vniuersalis, & cõmunis efficitur incõmunicabi-
24 lis pluribus. Sed refellitur hic modus, quia per hãc nega-
tionem cõmunicationis, & diuisionis in plura inferio-
ra, vt summũ, constitui potest natura in ratione singu-
laris, & indiuidui, nõ verò Suppositi. Hæc enim negatio
actu cõpetit naturæ assumptæ à Verbo, & nihilominùs
nõ conuenit illi ratio proprij Suppositi, vt ex fide cons-
tat. Secundus modus est Ioãnis de Neapoli dicentis, ne-
gationẽ, quã de formali addit Suppositũ supra naturã,
esse carentiã actualis dependẽtiæ ab alio. Idest, Eo ipso
naturã esse Suppositum, quò nõ intelligatur dependere
actualiter ab alio. Sed contra est, vt optimè obijcit Sco
tus, quòd anima separata non est actu Suppositum, vel
Persona, & tamen includit actu negationem commu-
nicationis cũ alio, & dependentię ab alieno Supposito.
25 Tertius modus est Scoti asserentis, formale cõstitu-
tiuũ creati Suppositi esse negationem duplicis depẽden
tiæ, actualis, & aptitudinalis. Hoc est: naturã cõpleri vlti
matè in ratione Suppositi per hoc, quòd nec dependeat
ab alio intrinsecè, nec dependere possit. Hãc autẽ dopli-
cẽ negationẽ appellat Scotus ens reale; nã quęlibet est
carentia entis realis, & nullo intellectu considerãte dici-
tur cõuenire subiecto. Itaq; Scotus intelligit primò na-
turã ipsam singularem, ita scilicet, vt nihil aliud sit ibi,
nisi ipsa natura, & ipsius singularitas positiua, deinde cõ
siderat negationem illius duplicis depẽdentiæ, quæ sin-
gularem naturã (nisi præueniatur) comitatur cõtinuò.
26 Interest tamen inter vtrãq; negationem, quòd negatio
actualis dependentię nõ comitatur necessariò naturam,
quia potest ab alio Supposito dependere; vt docet nos
Incarnationis mysteriũ: humanitas enim à Verbo assũp
ta, dependet actu à Supposito Verbi. At negatio depen-
dentiæ aptitudinalis semper comitatur naturã, quia ha
bet naturalem inclinationem ad propriũ Suppositũ. Et
ob id anima rationalis, nõ solùm dũ est corpori vnita,
nõ est Suppositũ, quia actu est in Supposito: verùmetiã
dùm est separata, nõ est Suppositũ, quia apta est pendere
à Supposito, seu potiùs illud cõponere. Quòd si obijcia- 27
tur Scoto, etiã humanitatem Petri nõ posse dici Suppo
sitũ, quia apta est vniri V. G. Diuino Verbo: respondet ne
gando esse aptã, sed solùm nõ repugnantem. Quod est
dicere: nõ esse aptã potentia, & aptitudine naturali, sed
capacitate tãtũ obedientiali. Quãdo verò assumitur ac-
tu, vel vnitur, tametsi eãdẽ negationẽ aptitudinis natura
lis retineat, amittit negationẽ actualis depẽdẽtiæ per ac
tualẽ vnione. & ideò desinit esse Suppositũ, vel Persona.
Nihilominùs cõtra hãc explicationem objicitur. Sup- 28
positũ est aliquid per se contentũ sub genere substãtiæ:
ergo nequit cõstitui formaliter per negationem. Ante-
cedens patet: quia Suppositũ est idem, quod prima subs
tãtia, directè in recta linea prædicamentali posita. Cõse
quentia verò probatur: quia nihil cõstitutũ formaliter
per negationẽ, sub positiuo genere substãtię per se, & es-
sentialiter cõtineri potest. Quæ ratio euidẽter ostẽdit, id
quod primò, & per se Suppositũ creatũ addit supra singu
larẽ naturã, nõ esse negationẽ, sed aliquid reale positiuũ.
Secũdò probatur. Omnis negatio cõsequitur per se, & 29
necessariò ex aliquo positiuo: sed negatio actualis, & ap
titudinalis dependentiæ ab alio, quã Suppositũ creatũ
Iuxta sententiã Scoti includit, nõ potest per se & necessa
riò cõsequi ex nuda natura præcisè sumpta, quia hæc in
Christo actualiter, & intrinsecè dependet ab alio, nẽpe,
à Verbo, ergo cõsequitur ex aliquo positiuo, quod addit
Suppositũ creatũ supra singularem naturam. Cæterùm 30
hæc ratio, nisi ampliùs addatur, parùm vrget: quia ipse
Scotus negat maiorẽ, & instat: quia accidentia in Sacra
mento altaris dicũt negationem actualis inhærentiæ,
& aer tenebrosus priuationem lucis. homo etiã in puris
naturalibus cõstituitur negationem aptitudinis; idest, na
turalis potentiæ recipiendi gratiã; & tamen nulla ex his
negatio cõsequitur per se, & necessariò ex aliquo positi
uo. Vrgebit tamẽ, si in maiori addatur. Omnis negatio 31
alicuius repugnãtiæ intrinsecæ alicui, per se cõsequitur
ex aliquo positiuo, & intrinseco, vt negatio, quam dicit
brutũ rationalitatis, irrationalitatis quã homo &c. Sed
negatio actualis, & aptitudinalis depẽdentię ab alio, quã
Suppositũ creatum intrinsecè dicit, est negatio alicuius
repugnantiæ intrinsecæ: ergo consequitur per se ex ali-
quo positiuo, & intrinseco, quod Suppositum includit;
cum quo formaliter, & intrinsecè actualis, vel aptitudi-
nalis dependentia ab alio est omninò incompossibilis.
Sed licèt hæc ratio sic formata optima sit, nec instari 32
queat, fundamentũ tamen sumitur ex mysterio Incarna
tionis, in quo Persona Verbi substituitur loco propriæ
Personalitatis humanæ, eiusq; vicem supplet, naturam
humanam intrinsecè terminando, sicut propria Perso-
nalitas terminaret: at si Personalitas humana esset for-
maliter negatio, naturam humanam intrinsecè termi-
nare nõ posset, nec Persona Verbi loco eius poni: ergo
Personalitas creata non est sola negatio, sed aliquid po-
sitiuum, & substantiale, quo singularis natura comple-
tur, & terminatur. Minor probatur: quia natura nega-
tione terminari non potest, cùm negatio vt sic nequeat
esse formalis terminus vnionis realis, vt constat.

Tertiò.

Digitized by Google

33 Tertiò. De sententia Scoti in 1.d.3.q.1.negatio non cōuenit alicui nisi per aliquā entitatem positiuā, cui repugnat affirmatio opposita negationi, vt constat in illa proprietate Patris, esse Ingenitum, sed Persona dicit negationem duplicis dependentiæ, vt ait Scotus: ergo nō conuenit ista negatio naturæ singulari, nisi per aliquā entitatem positiuā, cui formaliter repugnet affirmatio cōmunicabilitatis & ex consequenti posita ista entitate positiua in natura singulari, cōtinuò sequitur illa nega-
34 tio. Quò fit, vt priùs sit Persona per affirmationē, quàm per negationem. Confirmatur. Affirmatio est prior negatione, & ad ipsam supponitur: ergo negatio actualis, & aptitudinalis dependentiæ supponit aliquod positiuum, & affirmatiuum in re, ad quod sequitur negatio. Consequentia patet, & similiter antecedens; cùm habitus & forma sit prior priuatione, quæ est negatio ipsius formæ in subiecto determinato.

35 Quartò. Personalitas creata est perfectio naturæ: ergo non est negatio. Dices, negationem perfectionis nō esse perfectionem: at verò negationem imperfectionis esse perfectionē. Et cùm hæc negatio duplicis dependentiæ, sit negatio imperfectionis, erit perfectio ipsius naturæ. Cōtra. Natura antè istā negationem est imperfecta, & perfectibilis: sed negatio nihil potest perficere per se; ergo neq; per se potest esse perfectio. Probatur minor: quia negatio nihil ponit in natura: sed natura creata perficitur Personalitate ergo Personalitas aliquid ponit in natura; & ex cōsequenti Personalitas nequit esse
36 negatio. Cōfirmatur primò. Suppositū est prima substātia, quę est maximè, & principaliter substātia, quia substat primò: ergo nō est talis per negationem. Cōsequentia probatur: quia esse primū subiectū substās omnibus accidentibus, & substantijs incōpletis, est esse subiectum reale; ergo per formā realem. Sed negatio est nihil: ergo nō potest cōstituere rem capacem entitatū realiū. Cō-
37 firmatur secundò. Si Suppositū constitueretur negatione, constitueretur nihilo, & ita natura personaretur nihilo. Et cùm dicitur Verbum non assumpsisse Suppositum, diceretur non assumpsisse nihil. Et cùm inquit Innocentius Tertius, Diuinum Verbum consumpsisse humanam Personam, consumpsisset vtique nihil, sed nihil, cùm non sit, non est consumptibile: ergo.

38 Quintò. In Diuina Persona nō cōstituitur negatione, sed aliquo reali, & positiuo (etsi relatiuo) ergo similiter in creatis Persona cōstituitur aliquo positiuo reali, & nō negatione. Antecedens cōceditur ab Scoto, imò censet probabile, nō solùm esse necessarias tres relationes, sed etiā tres rationes Personales absolutas, quibus illæ Personæ cōstituātur. Cōsequentia verò probatur: tū, quia Persona creata est quædā participatio Personæ in-
39 creatæ. Tū etia, quia si Diuinæ Naturæ per se, & essentialiter subsistenti potest addi secundùm rationem aliquid positiuū incōmunicabile, nempe, relatio, à fortiori naturæ creatæ, quæ essentialiter & per se non est subsistens, poterit aliquid positiuū superaddi, quo realiter subsistat: quod quidem licèt sit absolutū, sit incommunicabile propter suam imperfectionem, & ita cōstituat Suppositum; hoc est, rem incōmunicabiliter subsistentem. Reliquum est diluere argumenta aduersariorum.

Diluuntur Argumenta. §. V.

40 AD Argumenta primæ opinionis respondetur; & pro solutione primi supponendum est, concreta accidentium dupliciter posse sumi. Vno modo formaliter; aut pro significato formali, qua ratione intelligendū est dictū Aristotelis, Albū solam qualitatem significat. Et sic sumptū concretū differt ab abstracto solùm in modo significandi quia eandem formam significāt albū & albedo, tametsi diuersimodè; nā albedo significat illam, vt per se existentem; albū verò cū ordine ad subiectū. Et hoc modo cōcreta accidentiū in prędicamento ponuntur, quia vt sic sunt vnū per se. Alio modo sumitur concretū in accidentibus non pro significato formali, sed pro habente formā, qua ratione dicitur, Albū est dulce. Et concreta vt sic nō constituuntur
in prædicamento, quia sunt vnū per accidens: & vt sic, 41
differūt ab abstractis plusquàm in modo significandi, quia addunt supra formā, rem habentem formam: quæ quidem res est alterius prædicamenti. Sed Suppositū supra naturā addit subsistentiam, quæ est eiusdem prædicamenti cum natura. Cuius differentiæ tota ratio est, quia substātia est ens per se, & accidens est ens in alio. Et inde prouenit, vt terminus vltimus naturæ substantialis sit eiusdem prædicamenti cum illa terminus verò naturæ accidentalis sit alterius prædicamenti.

Ad secundū concesso, rem esse id, quod sua definitio- 42
ne explicatur, distinguēda est minor quo ad eā partem, nempe, quòd definitio solùm explicet naturā. Etenim definitio potest dari, vel naturæ in abstracto, vt animalitas, & rationalitas vel in cōcreto, vt animal rationale. Et quāuis vtraq; definitio explicet tandem naturā, differunt tamen, quia in abstracto explicatur sola natura;
in concreto verò & natura, & habens naturam. Si dica- 43
tur, hæc duo solùm differre in modo significandi, negatur antecedens, sed vltra hoc differunt, quòd definitio in concreto explicat modū essendi, quem a parte rei habet natura: qui quidem modus est realis, sed in abstracto explicatur sola natura, nō modus essendi. Et ideò abstractum non prædicatur de cōcreto in substantijs creatis, non solùm propter diuersum modum significandi, sed propter modum realem essendi, qui in cōcreto significatur, non in abstracto. Locus verò ex Aristotele adductus hunc facit sensum, quòd in substantijs idem est definitum, & definitio, non tamen in accidentibus, quæ definiuntur per extrinsecum, quod non est idem cum definito.

Ad tertium Resp. id quod addit Suppositum supra na- 44
turam, non esse materiam, vel formam, vel compositū, sed esse vltimum terminum naturæ, proprium, & cōnaturalem, qui dicitur Subsistentia, vt constabit Disput. 3. Sed obijcitur. Substantia diuiditur in materiam, & formam, atq; ex his compositum, vt docet Aristoteles 2. de Anima: sed supra naturam substancialem addit Suppositum subsistentiam, quæ neq; est materia, neque forma, neq; ex vtraq; composita: ergo est accidens; aliàs esset quarta substantia præter illas tres. Resp. Aristote- 45
lem ibi disputasse de substantia sumpta pro natura, & hanc diuisisse in materiam, formam, & compositum: non tamen egisse de Persona, vel de Supposito, quia ad suum institutum non pertinebat. Secundò Resp. ex materia & forma esse duplicem compositionem: vna est tertiæ naturæ totalis ex duabus partialibus; altera verò, quæ ex Personalitate, & natura totali resultat. Et ita nomine substantiæ compositæ vtraq; compositio potest comprehendi, & significari, vt humanitas,

quæ est natura totalis, composita ex materia & formã, & Suppositum ex subsistentia, & humanitate constitutum. Neque est quarta substantia. Atque adeò in Christo fuit quidem natura totalis composita ex materia & forma, sed impedita fuit compositio cum personalitate creata.

46 Ad confirmationem negatur antecedens, quia ad rationem Suppositi non satis est, habere conditiones singulares, sed præcipuè, & essentialiter requiritur, vt per se subsistat, quod huic humanitati non cõpetit. Sed pro huius maiori intelligentia aduertendum est, quòd licèt accidentia singularia, & hæc priùs ad hanc naturã pertineant, quàm ad Suppositum; eò quòd natura sit singularis, & indiuidua, per ordinem ad hæc accidentia, at verò physicè, & realiter priùs natura inhærent Supposito, quàm ipsi naturæ: quoniã Suppositũ est propriũ, & immediatũ subiectũ accidentiũ, & natura non recipit illa nisi mediante Supposito. Et propterea Philosophi dicere solent, Suppositum addere accidentia supra naturam.
47 Imò verò D. Thomas quodlib. 2. art. 4. asserit, in Angelis distingui Suppositum à natura, quia præter naturam sunt accidentia in Angelis. Cæterùm D. Thomas ideò distinxit Suppositum à natura per accidentia, quæ addit supra naturam; non quia accidentia constituãt Suppositum, sed quia vbicumq; sunt accidentia, natura nõ est suum subsistere, neq; est purus actus; atq; adeò ibi distinguitur Suppositum subsistens à natura.

48 Ad quartum Resp. non esse incredibile, quòd ratione diuisionis resultent multæ realitates, quæ anteà nõ erãt; nam facta diuisione alicuius ligni resultant multæ superficies, & diuisa linea resultant plura puncta in actu, quæ anteà non erant. Item secùdùm Aristotelem in lacertis, & sectilibus sunt plures animæ in potentia, & per solam diuisionem reducuntur de potentia ad actũ. Sic etiam aqua, vel lignũ &c. Et per solam diuisionem resultat subsistentia in actu, quæ anteà erat in potentia.

49 Ad quintũ Resp. quamtumuis noster intellectus intelligat, humanitatem esse singularẽ, & extra suas causas, nunquàm intellecturum, talem humanitatem esse Personam, quousq; sit formaliter terminata per subsistentiam, & Personalitatem superadditam.

50 Ad sextũ respondebitur infra Disput. 6. interim dicitur, si Deus, quã assumpsisset, humanitatem dimitteret; cõtinuò naturali quadã cõsecutione resultaret Personalitas creata in humanitate dimissa, sicut ex lumine resultat splendor, & sicut statim atque lapis, qui erat impeditus, dimittitur, descendit in locum deorsum. An verò resultaret per nouã actionem, vel per antiquam, per quã humanitas fuit producta, examinabitur Disput. 6.

51 Ad septimũ negatur antecedens, & ad probationem conceditur, illam propositionem esse falsam, Homo est res, quæ est humanitas: quicquid reclament nonnulli Methaphysici.

52 Ad octauum Resp. in Supposito duo esse consideranda. Primum est indiuiduatio, & singularitas, à qua Suppositum habet, quòd sit hoc. Secundum est ipsa ratio propria Suppositi, quæ est subsistere per se, & esse per se separatim, vt distinguitur cõtra existere. Rursus nomẽ, Suppositũ, quandoq; vsurpatur in ampla, & communi acceptione, vt idem sit quod singulare, & indiuiduum: interdum verò sumitur strictè, & propriè, vt importat
53 propriam rationem Suppositi constitutiuam. Ex his colligitur legitima intelligẽtia prioris loci D. Thomæ, quia sumit ibidem D. Thomas Suppositũ in prima acceptione pro indiuiduo, & singulari; & in hac acceptione inquit, Suppositum in rebus immaterialibus nõ distingui à natura: quia in spiritualibus Suppositũ indiuiduatur ex principijs essentialibus, & specificis ipsius naturæ; neq; addit aliquod accidens, ad indiuiduationem pertinens, quod nõ sit propria passio, quæ ad ipsam speciem spectet. Itaq; per eandem differentiã constituitur 54
Angelus V. G. Michael, in esse Angelico, & in esse huius, nempe, Michaelis. At nõ negat D. Thomas, Suppositum secũdùm propriã rationem Suppositi realiter distingui à natura, cùm addat subsistentiã supra naturam. Subsistentia autem realiter distinguitur à natura, vel tãquàm res à re, vel saltem formaliter, in omnibus rebus creatis, sicut punctus, & linea, quæ in propositione etiã identica negantur, quia linea non est res, quæ est punctus.

Ad secundum locum ex 3. p. q. 2. art. 2. Resp. eo non 55
infirmari, sed potiùs confirmari nostram sententiam, quia D. Thomas tãtùm docet, in quibusdam rebus subsistentibus inueniri aliquid, quod ad rationem speciei non pertinet. Et hoc, inquit, maximè apparet in his, quę sunt ex materia, & forma composita. In quibus verbis non negat, in Angelis reperiri aliquid, quod sit extra rationem speciei; sed inquit, hoc maximè apparere in rebus corporalibus; quoniã in Angelis tantum reperitur subsistentia, quæ sit extra rationem speciei. In composi 56
tis verò ex materia & forma præter subsistentiam reperiuntur etiam accidentia indiuiduantia, quæ sunt extra rationem speciei. Et ideò Thomas paulò inferiùs subiũgit, quòd siqua res sit, in qua nihil aliud sit omninò præter rationem speciei, vel naturæ suæ, sicut est in Deo, ibi non est aliud secundùm rem Suppositum, & natura. Certè subindicans in omnibus alijs rebus præter Deum, Suppositum, & naturam realiter distingui. Ex his colligitur respõsio ad rationem, quæ ex D. Thoma collecta est.

Ad nonum Resp. non sufficere diuersum modũ sig- 57
nificandi, vt verificari possint, quæ Sancti, & Concilia de natura, & creato Supposito docent, vt constat ex prima conclusione. Nec est par ratio de Deo, & Deitate, entitate, & ente, quia natura & Suppositũ non differunt tantùm sicut cõcretũ, & abstractum; tam enim humanitas, quàm homo sunt nomina naturæ, & nõ personæ. Et quia hoc est peculiare in Deo, & ente, quòd in ipsis non differant concretum & abstractum, ob vniuersalitatem in ente, & ob infinitatem, & illimitationem in Deo, qua omnia sub vnica simplici actualitate cõtinet.

Ad primum argumentum secundæ opinionis Resp. 58
personam pro formali significare illud positiuum; ex quo proximè consequitur negatio communicabilitatis. Quia tamen positiua sæpè meliùs nobis patens per negationes illis inseparabiliter connexas; ideò à Boetio, & Richardo rectè definita est Persona per negationem diuisionis, & cõmunicabilitatis, sicut describitur substantia per non esse in alio.

Ad secundũ Resp. illud positiuũ, quod Suppositũ su- 59
pra singularem naturã addit, nõ esse materiam, nec formã, neq; cõpositũ, sed terminũ eius substantialem, cuius Aristoteles substantiã in tria illa membra diuidens non meminit, vel quia non nouit, vel quia ibi solùm de essentia substantiæ, & eius partibus disputabat.

60 Ad tertium conceditur, illud positiuum substantiale,
quo Suppositum formaliter constituitur, ita esse inas-
sumptibile, sicut Suppositum cõstitutum, & ideò affir-
mandum est, Deum non suscepisse, quicquid positiuum
est reale in homine. Neque hoc Damasceno aduersatur
in locis citatis: in secundo enim solùm docet, Deũ susce
pisse, quidquid in natura nostra plantauit. Consultò ve-
rò videtur dicere in natura nostra, & nõ in homine, vt
insinuaret, se loqui de pertinentibus ad naturam, & es-
sentiam; non de personalitate, quam propterea non as-
61 sumpsit. In prim. verò disputabat cõtra hæreticos, qui
dicebant, Verbum non suscepisse animam, vel mentem
humanam: quos quidem refellit; quia cùm assumptio
in remedium damni humano generi per peccatũ illati
fuerit ordinata, id omne oportuit à Verbo assumi, quod
per peccatum fuerat infectum. Corpus autem non so-
lùm fuit infectũ, sed etiam anima cũ eius potentijs; ergo
animã, & potentias Verbũ assumpsit, vel istæ nõ fuerũt
62 per assumptionem sanatæ. Dices, ex peccato Adæ non
solùm naturam humanam, sed personam etiam infec-
tam mansisse: ergo hanc etiam Verbum assumere de-
buisse, vt morbum ex peccato contractum perfectè sa-
naret. Respondetur, nullum aliud vulnus hominem in
Supposito accepisse, quàm illud, quod in natura, & po-
tentijs contraxit. Vnde ijs sanatis per assumptionem à
Verbo omnia Supposita naturæ humanæ quò ad suffi-
cientiam fuerunt à morbo liberata peccati.

63 Ad quartum Resp. ex secunda conclusione sufficien-
ter constare, nullam negationem satis esse ad verifican-
da, quæ Patres, & Concilia docent de natura, & persona
creata. Probationi autem dicitur, si humanitas Christi
dimitteretur à Verbo, & nihil positiuum reale illi adde-
retur, vel conseruari non posse, vel certè non esse perso-
nam completè, & formaliter: quia licèt esset incommu
nicabilis, vt, Quod, non tamen vt, Quo. Vtraq; enim
incõmunicabilitas ad rationem personæ est necessaria.
64 Et cùm obijcitur: est per se subsistens in natura intellec
tuali; ergo est Persona: Resp. si per subsistens intelligatur
substantialiter existens, conceditur antecedens, & nega-
tur consequentia. Sicut enim Essentia Diuina præcisis
relationibus est in hoc sensu per se subsistens, non ta-
men Persona formaliter, quia non est vltimatè com-
pleta, & formaliter incommunicabilis: sic etiam natura
humana in tali casu esset. An verò talis casus sit possibi-
lis, posteà declarabitur.

65 Ad quintũ negatur prima Sequella, quia licèt perso-
nalitas sit entitas positiua, à natura separari non potest;
nam de intrinseca eius ratione est, vt sit vltimus termi-
nus, & ita esse nõ potest nisi actu terminando naturam,
cuius est. Natura verò potest esse sine sua personalitate,
quia nõ est de intrinseca ratione illius, quòd actu subsis
tat, sed aptitudine. Hoc est, quòd sit talis natura, cui mo
dus subsistẽdi per se debeatur: sicut neq; est de intrinseca
ratione accidentis, quòd sit actu in alio, sed aptitudine.
Vnde sicut in accidenti, quod propriã, & distinctã entita
66 tem accidentariam habet, quia eius essentia nõ consistit
in actuali inhærentia, sed in aptitudinali; ideò actualis
inhæsio est modus distinctus saltem ex natura rei ab
essentia talis accidentis: nec potest fieri accidens, in quo
modus actualiter inhærendi nõ sit aliquid ab eius essen-
tia diuersum, sic etiã de natura substãtiali respectu sub-
sistentiæ dicendũ est, quòd talis modus per se subsistẽdi
semper est aliquid superadditũ, & in re à natura distinc-
tũ: ac propterea dari non posse Suppositũ creatũ, quod
in re nõ sit à sua natura distinctũ, sicut nulla potest fieri
substantia, quæ non sit vniuocè substantia cum his, quę
productæ sunt.

Ad secundã Sequellã Resp. naturam nõ substare suæ 67
personalitati, sed terminari ab illa: quia substare præ-
supponit modũ subsistendi, & ita per personalitatem
cõstituitur natura in esse personæ, vt accidentibus subs-
tare possit. Ad tertiã Sequellã Resp. humanitati Christi
nihil defuisse eorum, quæ ad essentiam, vel proprietates
pertinẽt. Defuisse tamen entitatem positiuã, quę naturã
in esse incõmunicabilis complere deberet: suppleri verò
per nobiliorem entitatem positiuã, ac proindè Christũ
esse vniuocè hominem nobiscũ. Ad quartũ negatur Se-
quella, vt superiùs dictũ est. Nomine autem compositi
intelligitur natura cum suo termino, & cõplemento.

SECVNDA DISPVTATIO.

VTrùm illud positiuum, quod Suppositum su-
pra singularem naturã addit, sit aliquid subs-
tantiale intrinsecum, vel accidentale. Nonnul- 1
li Discipuli D. Thomæ, quibusdã illius testimonijs de-
cepti, in quibus planè asserit, in rebus creatis Suppositũ,
& naturam distingui, quia rei creatæ præter specificam
essentiam, includunt etiam accidentia indiuiduantia (vt
3. p. q. 2. art. 2. & 4. Contra Gentes cap. 45.) affirmant,
Suppositum supra naturam sola extrinseca accidentia
addere. Fundamentum eorum non est aliud, nisi quod
quemadmodùm ex accidentium sigillatione resultat in
substantia materiali quidam modus substãtialis intrin-
secus, per quem formaliter redditur singularis: sic etiam
ex huiusmodi accidentibus consurgit modus substãtia-
lis, quo natura formaliter redditur incommunicabilis
omninò. Vnde sicut Philosophi communiter indiuiduã 2
substantiam definiunt per accidentium collectionem,
vt patet ex Porphyrio cap. de Specie: sic Sancti Patres
Suppositum creatum explicant per accidentales, & in-
diuiduas conditiones, quas Characteristicas proprietates
appellant, vt constat ex Damasceno lib. 1. institutionũ
cap. 1. & lib. 3. de Fide cap. 6.

Cæterùm Heruæus quodlib. 3. q. 6. & Capreolus in 3. 3
d. 5. q. 3. asserunt, Suppositum supra naturam addere ali-
quid substantiale, & non accidentia. Aiunt tamen, illud
non esse intrinsecum ipsi Supposito, sicut neq; naturæ,
aut essentiæ, sed sicut connotatum extrinsecè: quemad-
modùm scibile connotat actum scientiæ. Probant pri-
mò, quia si hoc esset intrinsecum Supposito, aliquid fo-
ret de essentia Suppositi, quod non esset de essentia na-
turæ; atq; adeò in hoc Supposito V.G. Petro, duplex es-
set essentia, altera naturæ, altera verò Suppositi &c. Se- 4
cũdò. Quod Suppositũ creatũ supra singularem naturã
addit, est actualis existentia: sed illa existentia est extrin-
seca Supposito creato, sicut ipsius naturæ: ergo &c. Mi-
nor probatur, quia Suppositũ supra naturam addit ip-
sius vltimum complementum: sed existentia est vltimũ
complementum substantiale naturæ; quicquid enim
aduenit substantię actu existenti, accidens est: ergo Sup-
positum supra singularem naturam addit existentiam.
Quòd autem hæc sit extrinseca ipsi Supposito, patet,
quia nequit esse de conceptu alicuius rei creatæ. Nihi-
lominus pro explicatione sit Prima Conclusio.

Digitized by Google

5 Id, quod Suppositum addit supra naturam, estò ipsi naturæ sit extrinsecum, Supposito tamen est intrinsecum. Probator. Quod addit Suppositum supra naturã, est id, per quod primò, & per se constituitur in ratione Suppositi, & à cæteris rebus distinguitur: sed id, per quod vnaquæq; res primò & per se constituitur, & à reliquis distinguitur non potest non esse intrinsecum; ergo id, quod addit Suppositum supra naturam, est ipsi Supposito intrinsecum.

6 Secunda conclusio. Quod Suppositum addit suprà naturam, neq; sunt accidentia, neq; aliquis modus ex ipsis deriuatus, sed aliquid substantiale absolutum, nullum explicitum ordinem importãs ad accidentia. Probatur, nã quod Suppositũ creatũ addit supra naturam creatam, est id, quo primò & per se constituitur in ratione Suppositi, hoc est, substantiæ completæ, & perfectæ: sed nequit constitui in ratione substantiæ completæ per accidentia, neque per modum ex illis deriuatum, sed neque per ordinem explicitum ad illa accidentia: ergo &c.
7 Confirmatur. In natura humana Christi sunt omnia accidentia, quæ in alijs hominibus, vna relatione prædicamentali excepta: & tamen non est Suppositum, aut Persona humana, ergo Suppositum creatum non constituitur per accidentia, neque verò per aliquem modũ substantialem ex illis deriuatũ.

8 Hinc refellitur primæ opinionis fundamentum. Licèt enim ex accidentibus præuijs, & disponentibus ad formam geniti possit deriuari in natura modus substantialis, quo sigilletur, & determinetur ad hanc numero formã: nequit tamen procedere aliquis modus substantialis, quo natura efficiatur incommunicabilis omninò, & inassumptibilis à Deo. Patres verò Suppositum
9 creatum explicãt per accidentia, nõ quia per illa constituatur, sed quia nobis à posteriori per accidentia innotescit. Et hoc eodem sensu distinxit D. Thomas Suppositũ creatũ à natura per accidentia. Nisi fortasis Suppositũ latiori significatione acceperit pro indiuiduo, quod ex ipsius sententia distinguitur à natura communi per ordinem ad accidentia. Quo autem pacto id sit intelligendum, explicat Caietanus. 1. p. q. 29. art. 1.

10 Ad primam rationem pro Capreolo adductã Resp. quòd sicut eadem est essentia lineæ absolutè sumptæ, & lineæ finitæ, & terminatæ, quamuis hæc supra absolutam essentiam lineæ addat modũ, seu terminũ, quo intrinsecè completur, nempe, punctum: sic eadem est essentia creatæ substantiæ absolutè sumptæ, & substantiæ terminatæ, & cõpletæ. Cæterùm quemadmodũ essentię lineæ cõsideratæ præcisè, vt est diuisibilis, punctus, quo terminatur, est extrinsecus, intrinsecus verò, si vt finita,
11 & terminata reduplicatiuè perpẽdatur: sic naturæ substãtiali, vt est essentia quædã præcisè cõcepta, extrinseca est Suppositalitas; intrinseca verò, si vt vltimò cõpleta est substãtialiter, reduplicatiuè consideretur. Licèt autẽ Suppositalitas, vt potè substãtialis naturæ terminus, sit quid intrinsecũ Supposito, prout dicit substãtiã vltimò completam: quia tamen eius genus, aut differentia est, ideò ad substantiam ipsius dicitur pertinere, nõ ad quidditatem, & essentiam.

12 Secundum argumentum postulat peculiarem quæstionem Disputatione sequenti examinandam.

TERTIA DISPVTATIO. §. I.

DVBITATVR, quid sit illud positiuum intrinsecum, quod Suppositum addit supra naturam. De qua re sunt variæ Theologorũ sententiæ. Quidam affirmant, illud reale positiuum esse subsistentiam. Et si ab illis quæratur, quid sit huiusmodi subsistentia, respondent, esse ipsam existentiam substantialem naturæ creatæ, & completæ, & per illã constitui Suppositum in esse Suppositi: superfluumq; esse, alias multiplicare entitates. Hanc sententiam sequũtur multi recentiores Thomistæ. Et prætermisso Capreolo, qui Suppositum creatum constitui docet per actualem existentiam, extrinsecùs, & in obliquo connotatã, vt visum est Disputatione præcedente; eam amplectuntur AEgidius. 3. de Anima Textu. 9. Paludanus in. 3. d. 2. q. 1. art. 3. & M. Medina hoc loco. Addunt tamen, existentiam, per quam vltimò completur Suppositum, esse illi intrinsecam. Fauet autem D. Thomas huic sententiæ multis in locis, præsertim supra q. 2. art. 2. ad. 2. & art. 5. ad 1. & q. 17. art. 2. Vbi ex eo colligit, non esse in Christo nisi vnicum esse existentiæ, quia in eo non est nisi vnum Suppositum. Quæ illatio nihil valeret, nisi existentia foret principiũ formale constitutiuum intrinsecè Suppositi. Et apertiùs quodlibet. 2. art. 4. ad 3. vbi docet, naturam, & Suppositum habere se sicut pars, & totum, quia natura, inquit, & esse adæquatè componunt Suppositum. Prætereà probatur ratione. 1

Primò. Suppositum creatũ est adæquatè idem, quod subsistens: sed subsistens constituitur formaliter, & intrinsecè per existentiam substantialem; ergo & Suppositum creatum. Consequentia patet, & maior est nota ex dictis suprà. Minor verò probatur; quia subsistens est formaliter idem quod substãtialiter existens: ergo subsistentia est idem, quod substantialis existentia. Sed Suppositum, & subsistens constituitur formaliter per subsistentiam omnium consensu; ergo & per substãtialem existentiam. 2

Secundò. Suppositum suprà naturam addit id, quod eam substantialiter, & vltimò terminat; sed hoc facit existentia: ergo &c. Minor probatur: quia existentia ita complet naturam, vt non relinquat eam in potentia ad aliqoid aliud substantialiter recipiendũ: quicquid enim aduenit substantiæ actu existenti, accidens est: ergo eam vltimò substantialiter terminat, & ex consequenti Suppositum per eam formaliter constituitur. 3

Tertiò. Per id formaliter Suppositum cõstituitur, ad quod negatio essendi in alio proximè consequitur: sed negatio essendi in alio proximè consequitur substantialem existentiam; ergo per hanc constituitur formaliter Suppositum. Maior patet ex dictis. Minor probatur. Suppositum ex eo in alio esse non potest, quia existit per se; sed quòd existat per se, proximè habet per substantialem existentiam: ergo & quòd in alio esse nõ possit. Ergo negationem essendi in alio. Ergo Suppositum formaliter & proximè constituitur per substantialem existentiam, ad quam talis negatio consequitur. 4

Quartò. Inter essentiam & esse in creaturis est immediata proportio, qualis potest reperiri inter potentiam, & proprium actum: ergo actus essendi, siue existentia substantialis est proprius, & immediatus terminus essentiæ substãtialis. Ergo nõ est necessaria alia entitás, vt essentia fiat susceptiuũ proportionatũ existentię. Cõsequẽtia est euidens, & probatur antecedens. Essentia creata, & existen- 5

Digitized by Google

& existentia creata, habent se vt proprius actus, & propria potentia: sed hæc habent immediatam proportionem: ergo & illa. Minor probatur: nam materia prima, & forma, quia se habent vt proprius actus, & propria potentia, habent immediatam proportionem. Item potentia, & operatio, quoniam se habent vt proprius actus, & propria potentia, habent immediatam proportionem: ergo similiter essentia, & existentia.

6 Quintò. Si aliud ab existentia esset constitutiuum suppositi, quod mediaret inter essentiam, & existentiam, sequeretur, Deum de potentia absoluta non posse communicare essentiæ existentiam immediatè: sed consequens est falsum: ergo. Probatur sequella: quia iuxta sententiam Thomistarum Deus existentiam materiæ primæ immediatè communicare non potest, quia non est immediatum existentiæ susceptiuum, nisi per formam. Et ita inquit D. Thomas 2. Contra Gent. cap. 54. Sicut se habet Diaphaneitas ad lucem, ita for-
7 ma ad esse: nam sicut Diaphaneitas facit, vt aer sit subiectum capax lucis; sic forma facit materiam capacem existentiæ: sed essentia per seipsam non est capax existentiæ, sed mediante aliquo alio: ergo &c. Falsitas consequentis probatur: quia essentia creata non est pura potentia, sed habet aliquid admixtum actualitatis; ergo nulla est repugnantia, quòd Deus communicet illi immediatè existentiam sine aliquo alio medio.

8 Sextò. Si præter existentiam esset alius terminus constitutiuus suppositi, sequeretur, in rebus materialibus esse triplicem compositionem: sed consequens est contra communem omnium sensum: ergo &c. Probatur sequella; quia esset compositio ex materia, & forma, ex essentia, & personalitate propria, & ex esse & essentia. Confirmatur; quia D. Thomas. 1. p. q. 3. art. 4. Satis superq; existimat se probasse, in Deo suppositum nihil reale addere supra naturam, quia probauit, in Deo non differre esse ab essentia. At verò si suppositum requiriria alium terminum illius constitutiuum ab esse distinctum, ex eo quòd D. Thomas probauerit, esse in Deo non differre ab Essentia, non probauit sufficienter, suppositum in Deo nihil reale addere naturæ: ergo &c.

Secunda Opinio. §. II.

9 SECVNDA Sententia præcedenti opposita docet, constitutiuum suppositi non esse existentiam, sed alium quendam terminum substantialem. Vnde suppositum iuxta hanc opinionem addit supra naturam singularem duas entitates ab illa realiter distinctas. Altera dicitur subsistentia, qua terminatur natura: altera verò existentia, qua natura formaliter existit. Inter has autem duas entitates superadditas naturæ est talis ordo, quòd subsistentia est prior, quàm existentia: quia natura per subsistentiam redditur capax existentiæ. Itaq; subsistentia est terminus substantialis naturæ, quæ illam complet, & terminat, & est ratio ipsi naturæ subsistendi, & substandi & existentiæ substantiali, & omnibus accidentibus proprijs, & communibus. Qui terminus non est intrinsecus naturæ, ita vt ad rationem eius pertineat, est tamen intrinsecus personæ, ipsam constituens in ratione personæ: sicut punctus lineæ non est de ratione lineæ absolutè, sed prout est ter-
10 minata. Quo fit, vt Personalitas non sit accidens, vt distinguitur contra substantiam, sed sit terminus substantialis reductiuè positus in prædicamento substantiæ. Hanc sententiam tenet Caietanus in commentario huius articuli, & Ferrar. 4. Contra Gent. cap. 43. M. Bañez 1. p. q. 3. art. 3. Dub. 1. & alij recentiores. Probat autem Caietanus suam opinionem ex D. Thom. infra q. 17. art. 2. vbi docet, existentiā cōuenire naturæ, vt, Quo, Supposito verò vt, Quod. Sed quod inest alicui vt, Quod, præsupponit illud iam constitutum; ergo non constituitur existentia, sed alia distincta entitate ab existentia, nempe, subsistentia. Præterea ibidem docet D. Tho- 11
mas, esse actualis existentiæ recipi in persona, non in natura; sed receptum præsupponit recipiens iam constitutum: ergo non constituitur intrinsecè existentia. Confirmatur: quia Suppositum debet constitui aliquo intrinseco: sed existentia est extrinseca, subsistentia verò intrinseca: ergo constituitur subsistentia. Item, quia in Diuinis Subsistentia est intrinseca Supposito, atq; adeò constitutiua illius. ergo similiter in creatis.

Tertia Opinio. §. III.

TERTIA Sententia asserit, in rebus creatis 12
suppositum addere supra naturam modum positiuum, quo perfectè terminatur natura, vt in se, & per se sit, neq; indigeat alio sustentante. Vnde constitutiuum formale suppositi est quidam modus intrinsecus essendi per se, & incommunicabiliter existentiæ superadditus; qui modus dicitur subsistentia, & modificat naturam existentem, vt existens est, atq; adeò ipsam existentiam: nam ex vi existentiæ solùm intelligitur natura esse extra suas causas, & apta vt in se, & per se sit; per subsistentiam verò actu terminatur, & quasi formaliter constituitur in modo per se essendi: sicut seruata proportione intelligitur in inhærentia accidentis actualis, quæ est modus existentiæ accidentalis, ex cuius vi 13
solùm constituitur forma accidentalis extra suas causas apta ad existendum in alio. Et per modum inhærentiæ terminatur, vt in alio actualiter existat. Vnde iuxta istam sententiam Personalitas, & Subsistentia ad hoc datur naturæ, vt illi det vltimum complementum in ratione existendi; vel vt eius existentiam compleat in ratione subsistentiæ, ita vt Personalitas, siue Subsistentia non sit propriè terminus, aut modus naturæ secundùm esse essentiæ, sed secundùm esse existentiæ ipsius naturæ. Itaq; secundùm istam opinionem existentia priùs conuenit naturæ, quàm subsistentia: & tunc existentia na- 14
turæ substantialis completè terminatur, quando afficitur modo existendi per se; qui modus complet rationem Subsistentiæ creatæ, & habet propriam rationem Personalitatis, seu Suppositalitatis. Etenim subsistere dicit determinatum modum existendi per se, & sine dependentia à sustentante. Subsistentia ergo dicitur terminus, aut modus naturæ, secundùm esse existentiæ: quia secundùm esse essentiæ iam natura est omninò completa, neq; indiget alia determinatione, præsertim 15
cùm iam supponatur contracta vsq; ad indiuiduationem, & singularitatem. Quare sic concepta secundùm esse essentiæ, proximè, & immediatè indiget existentia, qua fiat ens actu. Postquam autem actu essentia est ens actu, solùm indiget modo existendi in se, & per se, atq; adeò hic est vltimus terminus naturæ secūdū eius existentiam, & hoc est proprium munus Suppositalitatis.

intrinseca ratione illius, at verò in actu exercito, idest, prout exercet officium existentiæ, & constituit suppositum extra nihil, non esse de ratione illius. Similiter dicunt, illam propositionem, Petrus existit, nō esse perpetuæ veritatis, nam Verbum, Existit, dicit existentiam in actu exercito hæc autem non est de intrinseca ratione creati suppositi, sed solius Dei.

40 Nihilominùs vtraq; responsio est inualida, & facilè refutatur. Et prior quidem sic reijcitur. Existentia iuxta præfatam solutionem, in actu signato constituit suppositum, hoc est, prout est terminus naturæ, illam terminans, & complens. sed non potest terminare, & complere, nisi in actu exercito, prout exercet rationem existentiæ: ergo vt est in actu exercito, est de intrinseca ratione suppositi, quod est omninò falsum. Vnde hæc distinctio impertinens est, aliàs poterit dici, existentiam in actu signato esse intrinsecam, & essentialem naturæ specificæ; quod est inauditum: quia iuxta hanc responsionem existentia in actu exercito est tantùm de intrinseca ratione Dei, & vt sic nequit esse intrinseca, & essentialis creaturæ: ergo in actu signato potest esse intrin-
41 seca, & essentialis naturæ specificæ. Posterior responsio etiam refutatur, quia sicut differentia respectu naturæ specificæ est terminus essentialis, & sic prædicatur per se de specie, & propositio, in qua prædicatur differentia de specie, est perpetuæ veritatis: sic etiam existentia saltem in actu signato est terminus essentialis, & intrinsecus Supposito iuxta prædictam solutionem; atq; adeò debet prædicari per se de supposito creato, ita vt hæc prædicatio, Petrus est existens, in qua existentia prædicatur in actu signato, sit perpetuæ veritatis, quod à nemine conceditur.

42 Tertiò. Quæcumq; substantialis natura habet terminum substantialem, sibi proprium, & connaturalem, quo terminetur, & compleatur: sed existentia non est terminus proprius, & connaturalis naturæ creatæ; ergo assignandus est alius terminus completiuus naturæ, & constitutiuus suppositi. Consequentia patet: & maior est certa; nam quælibet natura est sibi sufficiens, atq; adeò habet terminum proprium, & sibi connaturalem, quo terminetur, & compleatur. Minor verò probatur: quia existentia est soli Deo connaturalis, & propria.
43 Dices, terminum essentialem cuiuscumq; naturæ, nempe, differentiam essentialem, debere esse proprium, & intrinsecum ipsi naturæ, terminum verò, qui est vltimum complementum naturæ, licèt non debeat esse omninò extraneum à principijs ipsius naturæ, optimè intelligitur, non esse illi omninò proprium, & connaturalem, sed haberi ex participatione supremæ naturæ increatæ, cuius est complere, & consummare omnia creata: Ita existentiam non esse omninò extraneam naturæ
44 creatæ, sed haberi ex Diuina participatione. Cæterùm contra hanc solutionem insurgitur. Existentia, vt pluribus locis docet D. Thomas, est extrinseca omni naturæ creatæ, & non est illi connaturalis, sed accidentaria; ergo nullo modo est terminus proprius, & intrinsecus naturæ. Item quia ad supremū ens, quod est extrinsecū omni creaturæ, & est supra omnem creaturā, pertinet complere, & consummare omnia creata extrinsecè, & per quandam extrinsecam perfectionem; quare existentia non est terminus proprius, & intrinsecus rei creatæ.

Postremò. Personalitas, seu Subsistentia Personalis est propria sui ratione est incommunicabilis pluribus suppositis: sed existentia in ratione existentiæ est pluribus suppositis communicabilis: ergo non est idem formaliter subsistentia, & existentia. Maior est nota, & minor probatur, quia existentia Diuina, cui per se primò conuenit ratio existentiæ, vna & eadem perseuerans, communicatur tribus Diuinis Personis. Confirmatur. quia in Deo constitutiuum Personæ non est existentia ergo in creaturis constitutiuum personæ, & suppositi non est existentia. Consequentia constat ex paritate rationis, & antecedens probatur: quia tres Diuinæ Personæ constituuntur in esse personali per relationes. 45

46 Ex dictis sequitur, sententiam Capreoli implicare contradictionem, quatenùs docet, existentiam extrinsecè constituere suppositum. Et probatur manifestè. quoniam si existentia solùm pertinet extrinsecè ad suppositum: ergo priùs naturâ intelligitur suppositum constitutum in esse suppositi, quàm intelligatur habere existentiam, & ex consequenti aliquod principium constitutiuum suppositi intrinsecum assignandum est; quod Capreolus non explicat. Consequentia probatur. Existentiam esse actum extrinsecum suppositi, nihil aliud esse potest, quàm quòd ratio suppositi constituatur in ordine ad existentiam, non tamen quòd ipsa existentia formaliter inhærens constituat ipsum suppositum: ergo priùs naturâ quàm intelligatur, suppositum habere formaliter existentiam, præintelligitur constitutum in esse suppositi.

47 Præterea est manifesta repugnantia dicere, suppositum & naturam distingui à parte rei, & tamen suppositum nihil addere naturæ, quod sit ipsi supposito intrinsecum, sed aliquid tantùm extrinsecè connotatum. Etenim si in ipsa intrinseca suppositi constitutione non includitur esse existentiæ, interrogo, An in his, quæ suppositum, intrinsecè includit, seu ex quibus intrinsecè constituitur, includatur aliquid, quod in intrinsecam naturæ constitutionem non intret. Si hoc dicatur: de eo inquiritur, quid sit: nam illud est per quod intrinsecè & formaliter distinguitur suppositum à natura, & non esse existentiæ, quod vtriq; iuxta sententiam Capreoli est extrinsecum. Si verò dicatur, nihil includi intrinsecè in supposito, quod in natura intrinsecè non 48 includatur, vel è contra; sequitur, hæc duo in re ipsa non distingui. Si asseratur, naturam & Suppositum non distingui intrinsecè, sed solùm extrinsecè contra. Distinctio in sola re extrinseca intelligi non potest, nisi ratione illius sit etiam distinctio in aliquo intrinseco: quia distinctio in hoc immediatè consistit, quòd vnum non sit aliud; & ideò necessariò requiritur, vt extrema realia, quæ in re distinguuntur, sic se habeant, vt vnumquodq; aliquid habeat intrinsecè in seipso, quod aliud non habeat: ac proinde distinctio per extrinseca semper immediatè est per aliquid intrinsecum. Vt V.G. si visus, & auditus per colorem, & sonum extrinsecè distinguuntur, necessariò debent intrinsecè distingui realiter in 49 entitatibus, quæ colores, vel sonos respiciunt. Si verò dicatur ita esse in præsenti, nam suppositum distinguitur à natura per habitudinem ad existentiam substantialem, cùm suppositum sit, cui debetur esse, naturæ verò non item: contra hoc est; quia essentia realis etiam dicit habitudinem ad realem existentiam. Dices, adhuc esse

esse differentiam, quia natura est quasi principiũ, Quo, existentiæ, suppositum autem est id, quod propriè existit. Contra. Ergo suppositum includit aliquid præter existentiam, in re distinctum à natura, ratione cuius dicitur capax existentiæ, vt, Quod, cùm natura tantùm sit vt, Quo. Illud ergo, quod suppositum includit, est, quod in ratione suppositi illud intrinsecè constituit.

Secunda Conclusio. §. V.

50 COMPLEMENTVM Substantiale, quo suppositum formaliter constituitur, non est modus subsequens existentiam, sed potiùs antecedens, & ad illam suscipiendam disponens. Sic docet expressè D.Thom. infra q. 17. art. 2. ad. 1. vbi ait. *Esse consequitur naturam, & suppositum; naturam quidem, sicut qua aliquid est, suppositum verò, sicut id, quod est, seu habens esse.* Ex quo sumitur argumentum. Quod consequitur rem aliquam, præsupponit illam constitutam; sed esse existentiæ consequitur suppositum; ergo præsupponis constitutum. Ergo & rationem formalem illius constitutiuam. Subsistentia ergo non est modus subsequens existentiam, sed potiùs illam antecedens.

51 Secundò. Priùs naturà conuenit rei, quod substantiale, & intrinsecum est, quàm quod accidentale, & extrinsecum: sed complementum substantiale, quo suppositum constituitur, est sibi intrinsecum, & substantiale; existentia verò extrinseca, & accidentalis: ergo constitutiuum suppositi prius est ordine naturæ, quàm existensia; & ex consequenti nõ est illius modus. Dices; cõuincere argumentum, complementum, quo suppositum constituitur, prius esse existentia suppositi, non verò existentia naturæ substantialis. Ex quo concluditur, rationem formalem constitutiuam suppositi non esse modum existentiæ ipsius suppositi: non tamen conuincere, non esse modum existentiæ naturæ substantialis.

52 Sed contra est: quia eadem est existentia, per quam suppositum existit, & natura: ergo si suppositalitas est prior ordine naturæ; quàm existentia suppositi, erit etiam prior quàm existentia naturæ. Antecedens probatur ex D. Thoma dicente, quòd vnius suppositi vnicum est esse simpliciter, quo totum ipsum per se est, & est id, quod est; at verò quæ ad constitutionem & integritatem eius pertinent, secundariò, & vt quo existunt. Ergo cùm suppositum creatum, quatenùs ex natura, & suppositalitate constituitur, sit vnum ens simpliciter;
53 vnico esse existentiæ Suppositum, vt Quod, natura verò & Suppositalitas, vt Quo, existunt. Etenim tot esse in quacumq; re existentias, quot entitates, est error intolerabilis in Philosophia: vt supra ostensum est; q. 1. artic. 11. Disput. 1. conclus. 3. Et multò intolerabilius est, quod M.Suarez affirmat, nempe, ad hoc, quòd Suppositum existat, indigere noua existentia distincta ab ipsius naturæ existentia. Etenim cùm ex sententia huius authoris id, quod Suppositum addit supra naturam substãtialem, sit modus intrinsecus existentiæ naturæ substantialis, faciens ipsam per se, & incommunicabiliter existere, fit, vt modus iste noua existensia non indigeat, vt per se existat, vt Quo. Ex quo obiter intelligitur, cur
54 tres Personæ Diuinæ per vnam indiuisibilem existentiam formaliter existant: nempe, quia res constitutiuæ Diuinarum Personarum sunt quasi modi existentiæ Diuinæ; modus autem, vt existat, noua alia existentia non indiget. Et quamuis natura haberet existentiam, ab existentia suppositi distinctam, vt Antithomæ volunt, adhuc facilè defendi posset, priùs suppositalitatẽ, quàm propriam existentiam recipere: nam quoties res est in 55
potentia ad plures actus recipiendos ordine quodam, priùs recipit actum substãtialem, & intrinsecum, quàm accidentalem, & extrinsecum: sed natura est in potentia ad recipiendos actus subsistentiæ, & existentiæ ordine quodam, ergo priùs recipit actum subsistentiæ, qui sibi est magis intrinsecus; quàm actum existentiæ; qui est accidentalis, & extrinsecus. Infra q. 17. art. 2. Disp. 2.

Confirmatur. Sicut punctus se habet respectu lineæ, 56
ita suppositalitas respectu substantialis naturæ: ergo sicut linea priùs intelligitur compleri per pũctum, quàm habeat existentiam, ita priùs naturà intelligitur compleri per subsistentiam, quàm per actualem existentiam. Imò natura non est capax existentiæ, nisi vt terminata per subsistentiam: sicut enim res se habent ad esse, ita ad operari. Vnde sicut essentia substantiæ crea- 57
tæ, quia est incompleta, & imperfecta, non est operatiua, sed indiget potentijs superadditis: sic etiam non est proximè existensiæ susceptiua, sed ad eam suscipiendam indiget subsistentia, per quam proximè fit capax existentiæ. Vnde cùm dicunt Philosophi, substantias creatas ex esse & essentia, veluti ex actu, & potentia componi, & D.Thomas, essentiam comparari ad esse, vt diaphanum ad lucem, non de nuda essentia, & quidditate per se, sed de ipsa iam completa; & terminatà, per subsistentiam loquuntur. Vide supra q. 1. art. 11. Disp. 1. conclus. 4.

Tertia Conclusio. §. VI.

COMPLEMENTVM Intrinsecum cons- 58
titutiuum suppositi est quidam terminus substantialis, purus, materialis, intrinsecus, & vltimus naturæ substantialis, vnam per se completam substantiam capacem essendi, & operandi, vt Quod, cum ipsa constituens, & dicitur Subsistentia, Personalitas, siue Suppositalitas. Hæc cõclusio est communis inter Thomistas, & magis indiget explicatione, quàm probatione, eamq; explicãs Caietanus, & M.Bañes. Et primò subsistentia dicitur substantialis terminus naturæ, quia licèt hæc antecedenter ad subsistentiam intelligatur cõpleta essentialiter per suam specificam differentiam, & materialiter contracta per differentiam indiuidualem: adhuc tamen in ratione substantiæ non est completa, & terminata, sicut neq; linea singularis sine puncto. Vnde 59
humanitas Christi, tametsi indiuidua, & singularis, quia propria caret subsistentia, potuit per subsistentiam Verbi substantialiter terminari. Dicitur purus, ad excludendum omne causalitatis genus; pendet enim natura à Subsistentia per se veluti à terminante. Sicut ergo linea pendet à puncto, vt à terminante, non verò vt à causa efficiente, & formali: sic etiam natura substantialis pendet à Suppositalitate, veluti à complemento substantiali, non verò vt à causa. Si enim substantialiter termina- 60
re naturam (quod solùm est de conceptu subsistentiæ) esset extrinsecum, putà causare effectiuè, aut finaliter, non posset vna Persona Diuina sine alia naturam creatam terminare, vt accidit in Christo. Si verò esset intrinsecè causare, nempe, materialiter, aut formaliter,

nulla

1 Thomas. 1. p. q. 2 9 art. 1. & 2. Secũdus terminus est, Natura, quæ licèt multis modis vsurpetur, hîc tamen naturæ nomine intelligitur singularis substantia, continens integram, & completam essentiam indiuidui, seu Suppositi in abstracto sumptam, quæ à Methaphysicis dici solet forma totius, vt est hæc humanitas cõstans ex hac anima, & hoc corpore, seu his carnibus, & his ossibus. Hoc supposito & præmisso de præsente difficultate sunt diuersæ Theologorum sententiæ.

Prima Opinio. §. *II.*

2 PRIMA igitur sententia est Durandi in 1. d. 34. q. 1. & Henrici de Gandauo quodlib. 4. q. 4. asserens, Suppositum supra naturam singularem nihil addere secundùm rem, sed sola ratione distingui penes diuersum modum significandi in abstracto, vel in concreto. quia natura significatur vt habita, Suppositũ verò, vt habens illam. Vnde isti authores concedunt has propositiones. Homo est humanitas, Petrus est sua humanitas. Ad hanc autem opinionem reducuntur plures aliæ, quæ solis verbis ab ea differunt. Et probatur primò. Eodem modo proportionali se habent cõcretum, & abstractum in substantijs, sicut in accidentibus; sed in his concretum & abstractum idem omnino significãt, & solùm distinguuntur penes modum significandi, vt album, & albedo: nam album nullam realitatem intrinsecam addit supra albedinem, cùm solam qualitatem significet, sicut albedo, ergo pari modo in substantijs abstractum & concretum, vt homo, & humanitas, idem prorsus significant.

3 Secundò. Idem significat secundùm rem definitio, quod definitum; tametsi quoad explicitum modum, vel extrinsecum distinguantur; sed definitũ significat Suppositum, definitio verò essentiam naturæ: ergo Suppositum, & natura idem sunt secũdùm rem. Maior est Aristotelis lib. 7. Methaph. ca. cap 11. vbi ait, quodquid est, esse idem cum eo, cuius est. Minor est manifesta, nam homo significat Petrum, vel Paulum &c. Definitio verò hominis indicat, Quid est homo: Quid autem quæris de quidditate, ergo eadem quidditas, vel natura importatur per nomen hominis, quod est nomen Suppositi.

4 Tertiò. Si Suppositum adderet aliquid supra naturã, vel illud additum esset materia, vel forma, vel compositum: sed hæc omnia includuntur in quidditate naturæ; ergo idem pollent. Confirmatur. Quia omnia quæ includit hic homo, includit etiam hæc humanitas, nã includit hãc materiam, istas carnes, & ista ossa, & ideò dicitur Filius Dei assumpsisse naturã humanã cum conditionibus indiuiduantibus, & vt ait Damascenus lib. 3. Fidei cap. 11. in atomo.

5 Quartò. Si lignum, vel aqua diuidatur in duas partes, ex ea diuisione resultant duo Supposita substãtialia, quæ antea non erant; sed huiusmodi diuisio nõ est productiua alicuius nouæ entitatis: ergo illa entitas, quæ est Suppositum, non erat distincta à natura ligni, vel aquæ. Minor probatur, nam incredibile est, quòd per illam solam diuisionem producantur duo Supposita de nouo, & duæ entitates realiter distinctæ à natura.

6 Quintò. Si humanitas esset producta ad extra, singularis, & indiuidua, seclusa quacumq; alia personalitate, aut subsistentia, esset verum Suppositum, & vera persona, nam persona est rationalis naturæ indiuidua substãtia: ergo persona in Petro nihil reale addit supra humanitatem ab ea realiter distinctum.

Sextò. Si Verbum Diuinum modò dimitteret hu- 7
manitatem, statim illa esset quidam homo per se subsistens absque productione nouæ personalitatis, aut alicuius entitatis realis, ergo personalitas non distinguitur realiter à natura humana, sed est idem cum illa. Probatur antecedens, nam aliàs sequeretur, Deum non posse dimittere humanitatem. Sequella autem probatur, nam illa humanitas non esset Personata Diuina Personalitate, vt patet, neque personalitate propria: nam hæc personalitas non est materia, neque forma, neque compositum, nec videtur posse ostendi, vnde veniat: ergo &c.

Septimò. Suppositum nihil includit reale, quod ipsa 8
natura non includat, ergo Suppositum nihil reale addit supra naturam. Probatur antecedens, nam aliàs hæc propositio esset falsa: Homo est res, quæ est humanitas: quã tamen concedunt Methaphysici. Et probatur, quia hæc est falsa, homo est res, quæ est materia prima, homo est res, quæ est anima, quia homo includit præter materiam ipsam formam, & præter animam includit corpus. Ergo si Suppositum supra naturam addit aliquid reale, illa propositio similiter erit falsa.

Octauò probatur speciatim in Angelis, ex D. Thoma 9
1. p. q. 3. art. 3. vbi asserit, quòd in his, quæ non sunt composita ex materia, & forma, in quibus indiuiduatio non est per materiam indiuidualem, sed ipsæ formæ per se indiuiduantur; oportet, quòd ipsæ formę sint Supposita subsistentia, vnde in eis non differt Suppositum à natura. Ex quo loco manifestè colligitur, cùm Angeli per materiam non indiuiduentur, formam, & naturam ipsius Angeli esse ipsummet Suppositum subsistens. Idem videtur docere D. Thomas in hac. 3. p. q. 2. art. 2. ex quibus locis concluditur argumentum in forma. Suppositum Angelicum non addit supra naturam aliquid, quod sit extra rationem specificam: ergo nihil addit positiuũ realiter distinctũ. Antecedens probatur. In Angelis nullũ est accidens ad indiuiduationem pertinens, quod nõ sit propria passio: sed propria passio pertinet ad naturam, & speciem; ergo &c.

Nonò. Entitates non sunt multiplicandæ sine neces- 10
sitate: sed nulla cogit necessitas ponendi, Suppositũ amplius quàm modo significandi à natura distingui; ergo. Minor probatur: quia sola hæc distinctio sufficit, vt verè posit dici, Verbum assumpsisse naturam humanam, & non personam; sicut sola hæc distinctio sufficit in Diuinis, vt Deus, & non Deitas, dicatur generare, & spirare.

Secunda Opinio. §. *III.*

SECVNDA sententia docet, Suppositũ creatũ 11
supra singularem naturã addere aliquid reale, nõ positiuum, sed negatiuum. Ita Scotus in. 3. d. 1. q. 1. & d. 6. q. 1. & in. 1. d. 23. & quodlib. 19. art. 3. & Ioannes de Neapoli in quodlib. q 9. Henricus quodlib. 5. q. 8. qui licèt diuerso modo illam explicent, vt posteà videbitur, conueniunt tamen in hoc, quòd Suppositum supra naturam singularem, solam negationem communicabilitatis addit. Probatur autem hæc sententia.

Primò.

Primò. Suppositũ, solũm addit supra naturã, quam pro materiali importat, quod significat pro formali: sed pro formali tam Suppositũ, quàm Persona solam nega tionem cõmunicabilitatis significant, ergo solam hanc supra naturam singularem adducit. Minor probatur ex definitione Personæ, scilicet. Rationalis naturæ indiuidua substantia, vel incommunicabilis substantia. Ratio verò indiuiduæ, seu incommunicabilis est mera negatio, ergò Suppositum supra naturam singularem meram negationem addit.

12 Secũdò. Si aliquid positiuũ adderet; ergo vel accidens, vel substantiam. Non accidens, quia Personalitas est cõplementũ intrinsecũ naturæ substantialis; hæc verò cõpleri non potest intrinsecè per aliquid accidentale. Nec verò substantiã, quia substantia adæquatè diuiditur ab Aristotele 2. de Anima, cap. 1. in materiam, formam, & compositum: sed Suppositalitas neq; est materia, neque forma, neq; compositum ex vtraq; : ergo non est substãtia, & sic nec positiuũ aliquid reale, sed mera negatio.

13 Tertiò. Si Suppositum adderet supra naturã aliquid positiuũ reale, sequeretur, esse aliquid in rerum natura, quod à Deo assumi non posset, nempe, illud positiuum cõplementum Suppositi: sed cõsequens est falsum; ergo &c. Minor probatur: quia omnis entitas creata æquè subditur potentiæ Dei, vt assumatur. Et quia secundum Damascenum lib. 3. de Fide, cap. 6. id, quod à Verbo nõ est assumptum, non est sanatum: sed nihil est in homine positiuum realiter, quod à Verbo non fuerit sanatum: ergo nihil est positiuum reale in homine, quod à Verbo non fuerit assumptum; & ex consequenti Suppositalitas, quæ assumi non potuit, non est quid positiuum reale, sed mera negatio.

14 Confirmatur ex eodem Damasceno ibidem dicente, Deũ in homine assumpsisse, quod in ipso plantauerat: sed Deus plantauit in homine omne, quod est positiuũ, & reale: ergo assumpsit, quicquid est positiuũ reale. Sed non assumpsit Personalitatem; ergo hæc non est positiua, sed mera negatio communicabilitatis.

15 Quartò: quia posita hac negatione, omni alia entitate positiua realiter, & formaliter sublata, intelliguntur, quæ Concilia, & Sancti dicunt de natura, & Supposito create, nempe, quòd Deus assumpserit naturã humanã, nõ Suppositũ: quòd illa sit cõmunicabilis, hoc verò omninò incõmunicabile. Ergo cũm entitates sine necessitate multiplicãdæ nõ sint, sequitur, Suppositũ supra naturã, merã negationem cõmunicabilitatis addere. Consequentia patet. Et antecedens probatur. Si Verbũ modò humanitatem dimitteret, etiã si nihil reale positiuũ in ipsa denuò resultaret, esset Suppositũ, & Persona humana: sed tũc præter entitatem substãtialem, quã intrinsecè includeret, solã diceret negationem cõmunicabilitatis, vel dependentiæ actualis ab alio: ergo solã hãc includit in suo formali concepto Persona supra singularem naturã. Vltimũ antecedens patet: quia tunc humanitas non esset in alio, ergo esset per se subsistens. Ergo Persona, & Suppositũ. Cõsequẽtia patet: quia Suppositũ formaliter est substãtia cõpleta per se subsistens: Persona verò supra hoc addit, quòd sit naturæ intellectualis.

16 Quintò. Si Personalitas esset aliquid positiuũ superadditũ naturæ, fieret indè, vt posset esse illa entitas sine natura, sicut è cõtra natura est in Verbo sine illa entitate. Item natura magis substaret, quàm Suppositũ, vel Persona: nã Persona tãtùm substat accidentibus, natura verò accidentibus, & Personalitati. Rursus humanitati Christi defuisset aliqua entitas positiua, quæ est vltima perfectio, & actualitas rei: atq; adeò humanitas nunc esset violenter in Verbo, quia careret positiua perfectione connaturali. Et tandem Suppositũ esset quarta substantia ex tribus constituta, nempe, ex forma, materia, & illa realitate positiua, quod est absurdum asserere. Pro decisione veritatis sit Prima Conclusio.

Prima Conclusio. §. III.

Suppositum, vel Persona in rebus creatis supra naturam singularem addit aliquid reale, siue sit positiuum, siue negatiuum. Hæc conclusio est cõmunis inter Theologos, & supposita fide mysterij Incarnationis, videtur posse euidenter demonstrari: quia Verbũ assumpsit naturã singularem humanã, & nõ Suppositũ, ergo hoc supra singularem naturã aliquid positiuũ reale, vel negatiuũ addit. Gabriel in 3. d. 1. q. 2. art. 3. Dubio. 1. Negat cõsequentiam, quia inquit sufficere diuersum modũ significãdi horum nominum, vt Deus naturam, & non Suppositum assumpsisse dicatur: sicut sufficit, vt Deus, & nõ Deitas dicatur generare. Sed cõtra est; quia saltem sequitur ex hac opinione, Verbũ assumpsisse totã entitatem Suppositi humani, & sic realiter identatiuè esse in Christo duo distincta Supposita realia, tametsi nõ formaliter ob formalem modũ significãdi nominis Suppositi humani, quod ex vi sua sermonis importat naturã humanã per modũ habentis, & nõ habitæ: cõsequens autẽ licèt intrepidè cõcedat Ochã quodlib. 4. q. 11. sapit hæresim Nestorij. Meliùs ergo Richard. in 3. d. 6. art. 1. q. 1. negat cõsequentiã, quia cũ Persona sit idem, quod per se sonãs, & Suppositũ, quod per se, ac separatim positũ, eo ipso quòd humanitas Christi cũ alieno Supposito cõiungitur, amittit rationem Personæ, & Suppositi proprij. Sed cõtra est, quia vel humanitas Christi ex tali cõiũctione acquirit aliquem modũ realem, repugnantem modo naturali essendi propriæ personæ, vel nõ. Si nõ, ergo adhuc retinet propriã, & formalem rationem humanæ Personæ. Si verò acquirit modũ aliquem realem, repugnantem Suppositalitati propriæ: ergo Suppositũ propriũ supra singularem naturã addit aliquid reale, quo caret, eo ipso quòd natura cõiungatur alieno Supposito. Durandus verò vbi supra respondet; carere quidem actuali negatione essendi in alio, quæ per se consequitur ad rationem proprij Suppositi, nõ verò aliquo reali, & positiuo modo superaddito. Cæterũm hæc solutio coincidit cum secunda opinione Scoti, quæ sequente conclusione refutabitur. 17 18 19

Præterea hæc cõclusio est cõmunis Sanctorũ Patrũ consensus, asserũt enim, hoc esse propriũ Dei, vt in eo Suppositũ, & natura realiter nõ distinguantur. Patrum autem testimonia referũtur à Magistro in 1. d. 8. & 34. Legendi sunt inter alios D. August. lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 10. & lib. 15. de Trinitate cap. 17. & D. Bernard. super Cantica sermo. 80. Item probatur: quia Suppositũ includit aliquid reale, quod natura nõ includit, ergo distinguũtur per aliquid reale. Antecedẽs probatur: nã multa prædicata realia dicũtur de Supposito, quæ de natura nõ dicũtur, vt V.G. subsistere, recipere accidẽtia, agere, & pati: ergo aliquid reale includit Suppositum, propter quod hæc omnia prædicata illi conueniunt, quod non includit natura. Rursus: Verbum Diuinum secundum 20 21

fidem assumpsit naturā humanā,& nō Suppositū: ergo
per aliquid reale distinguuntur: aliàs si essent idem, quē-
admodum assumitur vnum, assumeretur & alterū. Di-
ces, distingui ratione ex modo significādi, atq; adeò po-
tuisse vnum sine altero assumi. Contra. Sola distinctio
rationis nō sufficit falsificare propositionem, nisi aliqua
interueniat appellatio. sed hæc propositio, Homo est hu
manitas, est falsa, & nulla in ea admiscetur appellatio;
ergo nō sola ratione distinguūtur Suppositū & natura.
22 Insuper. In Christo secundùm fidem distinguuntur
realiter natura humana, & Suppositū: ergo similiter in
omnibus alijs Suppositis. Cōsequentia est euidens; quia
Christus est verū Suppositum humanæ naturæ, non se-
cus atq; alij homines. Antecedens verò probatur. Chris-
tus secundùm fidem non est idem etiā identicè cū sua
humanitate, vt habetur in Cōcilio Basiliensi Actio. 22.
Vbi damnatur quidam Augustinus de Roma Episco-
pus Nazarenus, quid id affirmanis: ergo &c.

Secunda Conclusio. §. IIII.

23 SVppositum creatum supra naturam singularem
addit aliquid reale positiuum, & non solam ne-
gationem. Sic docent omnes ferè Theologi cum
Magistro in 3. d. 5. & D. Thomas. 4. Cōtra Gentes cap.
43. & in hoc articulo in solutione ad 3. vbi omnes eius
expositores idem sentiunt. M. Suarez latè probat hanc
conclusionem in Methaphysica Diput. 34. Sectio. 1. à
numero. 8. vsq; ad 19. Sed probatur omnibus modis,
quibus opinio secunda à suis authoribus confirmari so-
let. Primus est Henrici dicentis, Suppositū supra naturā
addere negationem diuisionis in inferiora, per quam
natura vniuersalis, & cōmunis efficitur incōmunicabi-
24 lis pluribus. Sed refellitur hic modus, quia per hāc nega-
tionem cōmunicationis, & diuisionis in plura inferio-
ra, vt summū, constitui potest natura in ratione singu-
laris, & indiuidui, nō verò Suppositi. Hæc enim negatio
actu cōpetit naturæ assumptæ à Verbo, & nihilominùs
nō conuenit illi ratio proprij Suppositi, vt ex fide cons-
tat. Secundus modus est Ioānis de Neapoli dicentis, ne-
gationē, quā de formali addit Suppositū supra naturā,
esse carentiā actualis dependētiæ ab alio. Idest, Eo ipso
naturā esse Suppositum, quò nō intelligatur dependere
actualiter ab alio. Sed contra est, vt optimè objicit Sco
tus, quòd anima separata non est actu Suppositum, vel
Persona, & tamen includit actu negationem commu-
nicationis cū alio, & dependentiæ ab alieno Supposito.
25 Tertius modus est Scoti asserentis, formale cōstitu-
tiuū creati Suppositi esse negationem duplicis depēden
tiæ, actualis, & aptitudinalis. Hoc est: naturā cōpleri vlti
matè in ratione Suppositi per hoc, quòd nec dependeat
ab alio intrinsecè, nec dependere possit. Hāc autē dupli-
cē negationē appellat Scotus ens reale; nā quælibet est
carentia entis realis, & nullo intellectu considerāte dici-
tur cōuenire subiecto. Itaq; Scotus intelligit primò na-
turā ipsam singularem, ita scilicet, vt nihil aliud sit ibi,
nisi ipsa natura, & ipsius singularitas positiua, deinde cō
siderat negationem illius duplicis depēdentiæ, quæ sin-
gularem naturā (nisi præueniatur) comitatur cōtinuò.
26 Interest tamen inter vtrāq; negationem, quòd negatio
actualis dependentiæ nō comitatur necessariò naturam,
quia potest ab alio Supposito dependere; vt docet nos
Incarnationis mysteriū: humanitas enim à Verbo assūp
ta, dependet actu à Supposito Verbi. At negatio depen-
dentiæ aptitudinalis semper comitatur naturā, quia ha
bet naturalem inclinationem ad propriū Suppositū. Et
ob id anima rationalis, nō solùm dū est corpori vnita,
nō est Suppositū, quia actu est in Supposito: verùmetiā
dùm est separata, nō est Suppositū, quia apta est pendere
à Supposito, seu potiùs illud cōponere. Quòd si objicia- 27
tur Scoto, etiā humanitatem Petri nō posse dici Suppo
sitū, quia apta est vniri V. G. Diuino Verbo: respondet ne
gando esse aptā, sed solùm nō repugnantem. Quod est
dicere: nō esse aptā potentia, & aptitudine naturali, sed
capacitate tātū obedientiali. Quādo verò assumitur ac-
tu, vel vnitur, tametsi eādē negationē aptitudinis natura
lis retineat, amittit negationē actualis depēdētiæ per ac
tualē vnionē. & ideò desinit esse Suppositū, vel Persona.
Nihilominùs cōtra hāc explicationem objicitur. Sup- 28
positū est aliquid per se contentū sub genere substātiæ:
ergo nequit cōstitui formaliter per negationem. Ante-
cedens patet: quia Suppositū est idem, quod prima subs
tātia, directè in recta linea prædicamentali posita. Cōse
quentia verò probatur: quia nihil cōstitutū formaliter
per negationē, sub positiuo genere substātiæ per se, & es-
sentialiter cōtineri potest. Quæ ratio euidēter ostēdit, id
quod primò, & per se Suppositū creatū addit supra singu
larē naturā, nō esse negationē, sed aliquid reale positiuū.
Secūdò probatur. Omnis negatio cōsequitur per se, & 29
necessariò ex aliquo positiuo: sed negatio actualis, & ap
titudinalis dependentiæ ab alio, quā Suppositū creatū
Iuxta sententiā Scoti includit, nō potest per se & necessa
riò cōsequi ex nuda natura præcisè sumpta, quia hæc in
Christo actualiter, & intrinsecè dependet ab alio, nēpe,
à Verbo; ergo cōsequitur ex aliquo positiuo, quod addit
Suppositū creatū supra singularem naturam. Cæterùm 30
hæc ratio, nisi ampliùs addatur, parùm vrget: quia ipse
Scotus negat maiorē, & instat: quia accidentia in Sacra
mento altaris dicūt negationem actualis inhærentiæ,
& aer tenebrosus priuationem lucis: homo etiā in puris
naturalibus cōstitutus negationem aptitudinis; idest, na
turalis potentiæ recipiendi gratiā; & tamen nulla ex his
negatio cōsequitur per se, & necessariò ex aliquo positi
uo. Vrgebit tamē, si in maiori addatur. Omnis negatio 31
alicuius repugnātiæ intrinsecæ alicui, per se cōsequitur
ex aliquo positiuo, & intrinseco, vt negatio, quam dicit
brutū rationalitatis, irrationalitatis quā homo &c. Sed
negatio actualis, & aptitudinalis depēdentiæ ab alio, quā
Suppositū creatum intrinsecè dicit, est negatio alicuius
repugnantiæ intrinsecæ: ergo consequitur per se ex ali-
quo positiuo, & intrinseco, quod Suppositum includit;
cum quo formaliter, & intrinsecè actualis, vel aptitudi-
nalis dependentia ab alio est omninò incompossibilis.
Sed licèt hæc ratio sic formata optima sit, nec instari 32
queat, fundamentū tamen sumitur ex mysterio Incarna
tionis, in quo Persona Verbi substituitur loco propriæ
Personalitatis humanæ, eiusq; vicem supplet, naturam
humanam intrinsecè terminando, sicut propria Perso-
nalitas terminaret: at si Personalitas humana esset for-
maliter negatio, naturam humanam intrinsecè termi-
nare nō posset, nec Persona Verbi loco eius poni: ergo
Personalitas creata non est sola negatio, sed aliquid po-
sitiuum, & substantiale, quo singularis natura comple-
tur, & terminatur. Minor probatur: quia natura nega-
tione terminari non potest, cùm negatio vt sic nequeat
esse formalis terminus vnionis realis, vt constat.

Tertiò.

33 Tertiò. De sententia Scoti in 1.d.3.q.2.negatio non cōuenit alicui nisi per aliquā entitatem positiuā, cui repugnat affirmatio oppusita negationi, vt constat in illa proprietate Patris, esse ingenitum, sed Persona dicit negationem duplicis dependentiæ, vt ait Scotus: ergo nō conuenit ista negatio naturæ singulari, nisi per aliquā entitatem positiuā, cui formaliter repugnet affirmatio cōmunicabilitatis & ex consequenti posita illa entitate positiua in natura singulari, cōtinuò sequitur illa negatio. Quò fit, vt priùs sit Persona per affirmationē, quam per negationem. Confirmatur. Affirmatio est prior negatione, & ad ipsam supponitur: ergo negatio actualis, & aptitudinalis dependentiæ supponit aliquod positiuum, & affirmatiuum in re, ad quod sequitur negatio. Consequentia patet, & similiter antecedens; cùm habitus & forma sit prior priuatione, quæ est negatio ipsius formæ in subiecto determinato.

34

35 Quartò. Personalitas creata est perfectio naturæ: ergo non est negatio. Dices, negationem perfectionis nō esse perfectionem: at verò negationem imperfectionis esse perfectionē. Et cùm hæc negatio duplicis dependentiæ, sit negatio imperfectionis, erit perfectio ipsius naturæ. Cōtra. Natura antè istā negationem est imperfecta, & perfectibilis: sed negatio nihil potest perficere per se; ergo neq; per se potest esse perfectio. Probatur minor: quia negatio nihil ponit in natura: sed natura creata perficitur Personalitate ergo Personalitas aliquid ponit in natura; & ex cōsequenti Personalitas nequit esse negatio. Cōfirmatur primò. Suppositū est prima substātia, quę est maximè, & principaliter substātia, quia substat primò: ergo nō est talis per negationem. Cōsequentia probatur; quia esse primū subiectū substās omnibus accidentibus, & substantijs incōpletis, est esse subiectum reale; ergo per formā realem. Sed negatio est nihil: ergo nō potest cōstituere rem capacem entitatū realiū. Cōfirmatur secundò. Si Suppositū constitueretur negatione, constitueretur nihilo, & ita natura personaretur nihilo. Et cùm dicitur Verbum non assumpsisse Suppositum, diceretur non assumpsisse nihil. Et cùm inquit Innocentius Tertius, Diuinum Verbum consumpsisse humanam Personam, consumpsisset vtique nihil, sed nihil, cùm non sit, non est consūmptibile: ergo.

36

37

38 Quintò. In Diuinis Persona nō cōstituitur negatione, sed aliquo reali, & positiuo (scilicet relatiuo) ergo similiter in creatis Persona cōstituitur aliquo positiuo reali, & nō negatione. Antecedens cōceditur ab Scoto, imò censet probabile, nō solùm esse necessarias tres relationes, sed etiā tres rationes Personales absolutas, quibus illæ Personæ cōstituuntur. Cōsequentia verò probatur: tū, quia Persona creata est quædā participatio Personæ increatæ. Tū etia, quia si Diuinæ Naturæ per se, & essentialiter subsistenti potest addi secundùm rationem aliquid positiuū incōmunicabile, nempe, relatio, à fortiori naturæ creatæ, quæ essentialiter & per se non est subsistens, poterit aliquid positiuū superaddi, quo realiter subsistat: quod quidem licèt sit absolutū, sit incommunicabile propter suam imperfectionem, & ita cōstituat Suppositum; hoc est, rem incōmunicabiliter subsistentem. Reliquum est diluere argumenta aduersariorum.

39

Diluuntur Argumenta. §. V.

40 AD Argumenta primæ opinionis respondetur; & pro solutione primi supponendum est, concreta accidentium dupliciter posse sumi. Vno modo formaliter; aut pro significato formali, qua ratione intelligendū est dictū Aristotelis, Album solam qualitatem significat. Et sic sumptū concretū differt ab abstracto solùm in modo significandi quia eandem formam significat album & albedo tametsi diuersimodè; nā albedo significat illam, vt per se existentem; album verò cū ordine ad subiectū. Et hoc modo cōcreta accidentiū in prædicamento ponuntur, quia vt sic sunt vnū per se. Alio modo sumitur concretū in accidentibus non pro significato formali, sed pro habente formā, qua ratione dicitur, Albū est dulce. Et concreta vt sic nō constituuntur in prædicamento, quia sunt vnū per accidens: & vt sic differūt ab abstractis plusquàm in modo significandi, quia addunt supra formā, rem habentem formam: quæ quidem res est alterius prædicamenti. Sed Suppositū supra naturā addit subsistentiam, quæ est eiusdem prædicamenti cum natura. Cuius differentiæ tota ratio est, quia substātia est ens per se, & accidens est ens in alio. Et inde prouenit, vt terminus vltimus naturæ substantialis sit eiusdem prædicamenti cum illa terminus verò naturæ accidentalis sit alterius prædicamenti. 41

42 Ad secundū concesso, rem esse id, quod sua definitione explicatur, distinguenda est minor quo ad eā partem, nempe, quòd definitio solùm explicet naturā. Etenim definitio potest dari, vel naturæ in abstractu, vt animalitas, & rationalitas vel in cōcreto, vt animal rationale. Et quāuis vtraq; definitio explicet eandem naturā, differunt tamen, quia in abstracto explicatur sola natura; in concreto verò & natura, & habens naturam. Si dicatur, hæc duo solùm differre in modo significandi, negatur antecedens, sed vltra hoc differunt, quòd definitio in concreto explicat modū essendi, quem à parte rei habet natura: qui quidem modus est realis, sed in abstracto explicatur sola natura, nō modus essendi. Et ideò abstractum non prædicatur de cōcreto in substantijs creatis, non solùm propter diuersum modum significandi, sed propter modum realem essendi, qui in cōcreto significatur, non in abstracto. Locus verò ex Aristotele adductus hunc facit sensum, quòd in substantijs idem est definitum, & definitio, non tamen in accidentibus, quæ definiuntur per extrinsecum, quod non est idem cum definito. 43

44 Ad tertium Resp. id quod addit Suppositum supra naturam, non esse materiam, vel formam, vel compositū, sed esse vltimum terminum naturæ, proprium, & cōnaturalem, qui dicitur Subsistentia, vt constabit Disput. 3. Sed obijcitur. Substantia diuiditur in materiam, & formam, atq; ex his compositum, vt docet Aristoteles 2. de Anima: sed supra naturam substantialem addit Suppositum subsistentiam, quæ neq; est materia, neque forma, neq; ex vtraq; composita: ergo est accidens, aliàs esset quarta substantia præter illas tres. Resp. Aristotelem ibi disputasse de substantia sumpta pro natura, & hanc diuisisse in materiam, formam, & compositum: non tamen egisse de Persona, vel de Supposito, quia ad suum institutum non pertinebat. Secundò: Resp. ex materia & forma esse duplicem compositionem: vna est tertiæ naturæ totalis ex duabus partialibus, altera verò; quæ ex Personalitate, & natura totali resultat. Et ita nomine substantiæ compositæ vtraq; compositio potest comprehendi, & significari, vt humanitas, 45

quæ est natura totalis,composita ex materia & formã,
& Suppositum ex subsistentia, & humanitate constitu-
tum.Neque est quarta substantia.Atque adeò in Christo
fuit quidem natura totalis composita ex materia &
forma,sed impedita fuit compositio cum personalitate
creata.

46 Ad coofirmatiooem negatur antecedens,quia ad ra-
tionem Suppositi noo satis est, habere conditiooes sio-
gulares,sed præcipuè, & essentialiter requiritur, vt per
se subsistat,good huic humanitati non cõpetit. Sed pro
huius maiori intelligentia aduertendum est, quòd licèt
accidentia singularia, & hæc priùs ad hanc naturã per-
tineant,quàm ad Suppositum,eò qoòd natura sit singu
laris,& indiuidua,per ordinem ad hæc accidentia,at ve
rò physicè,& realiter priùs natura inhærent Supposito,
qoàm ipsi oaturæ:quooiã Suppositũ est propriũ,& im-
mediatũ subiectũ accidentiũ, & natura non recipit illa
nisi mediante Supposito.Et proptereà Philosophi dicere
soleot, Suppositum addere accidentia supra naturam.
47 Imò verò D.Thomas quodlib.2.art.4.asserit, in Ange-
lis distingui Suppositum à natura,quia præter naturam
sunt accidentia in Angelis. Cæterùm D. Thomas ideò
distinxit Suppositum à oatura per accidentia, quæ ad-
dit supra naturam;non quia accidentia constituãt Sup-
positum,sed quia vbicumq; sunt accidentia, natura nõ
est suum subsistere, neq; est purus actus; atq; adeò ibi
distinguitur Suppositum subsistens à oatura.

48 Ad quartum Resp.non esse incredibile, quòd ratiooe
diuisiooi resultent multæ realitates,quæ anteà nõ erãt;
nam facta diuisione alicuius ligoi resultant multæ su-
perficies, & diuisa linea resultant plura puncta in actu,
quæ anteà non erant.Item secùdùm Aristotelem in la-
certis,& sectilibus sunt plures animæ in potentia,& per
solam diuisionem reducuntur de potentia ad actũ. Sic
etiam aqua,vel lignũ &c. Et per solam diuisionem re-
sultat subsistentia in actu,quæ anteà erat in potentia.

49 Ad quintũ Resp.quamtumuis noster intellectus intel
ligat,humanitatem esse siogularẽ, & extra suas causas,
nunquàm intellecturum, talem humanitatem esse Per-
sonam,quousq; sit formaliter termioata per subsisten-
tiam,& Personalitatem superadditam.

50 Ad sextũ respondebitur infra Disput.6. interim dici-
tur, si Deus, quã assumpsisset,humanitatem dimitteret;
cõtinuò naturali quadã cõsecutione resultaret Persooa-
litas creata in humanitate dimissa,sicut ex lumine resul
tat splendor,& sicut statim atque lapis,qoi erat impedi
tus,dimittitur, descendit io locum deorsum. An verò
resultaret per nouã actionem,vel per antiquam,per quã
humanitas fuit producta,examinabitur Disput.6.

51 Ad septimũ negatur antecedens, & ad probatiooem
conceditur,illam propositionem esse falsam,Homo est
res,quæ est humanitas: quicqoid reclament nonnulli
Methaphysici.

52 Ad octauùm Resp.in Supposito duo esse consideran-
da.Primum est indiuiduatio,& singularitas,à qua Sup-
positum habet, quòd sit hoc.Secundum est ipsa ratio
propria Suppositi,quæ est subsistere per se, & esse per se
separatim,vt distinguitur cõtra existere. Rursus nomẽ,
Suppositũ,quandoq; vsurpatur in ampla, & communi
acceptione, vt idem sit quod siogulare, & indiuiduum:
interdum verò sumitur strictè,& propriè, vt importat
53 propriam rationem Suppositi constitutiuam. Ex his
colligitur legitima intelligẽtia prioris loci D.Thomæ;
quia sumit ibidem D.Thomas Suppositũ in prima ac-
ceptione pro indioiduo,& singulari;& in hac acceptio-
ne inquit,Suppositum in rebus immaterialibus nõ dis-
tingui à oatura:quia in spiritualibus Suppositũ indiui-
duatur ex principijs essentialibus, & specificis ipsius oa-
turæ;neq; addit aliqood accidens, ad indiuiduationem
pertinens,quod nõ sit propria passio,qoæ ad ipsam spe-
ciem spectet. Itaq; per eandem differentiã constituitur 54
Angelus V.G.Michael,in esse Angelico, & in esse huius,
nempe,Michaelis.At nõ negat D.Thomas,Suppositum
secũdùm propriã rationem Suppositi realiter distinguĩ
à natura,cùm addat subsistentiã supra oaturam.Subsis-
tentia autem realiter distinguitur à natura, vel tãquàm
res à re,vel saltem formaliter,io omnibus rebus creatis,
sicut punctus,& linea,quæ in propositione etiã identi-
ca negantur,quia linea non est res,quæ est punctus.

Ad secundum locum ex 3.p.q.2.art.2. Resp. eo non 55
infirmari, sed potiùs confirmari nostram sententiam,
quia D.Thomas tãtùm docet, in quibusdam rebus sub-
sistentibus inueniri aliquid, quod ad rationem speciei
non pertinet.Et hoc,inquit,maximè apparet in his,quę
suot ex materia,& forma composita. In quibus verbis
non negat,in Angelis reperiri aliquid,quod sit extra ra-
tionem speciei;sed inquit, hoc maximè apparere in re-
bus corporalibus; quoniã in Angelis taotùm reperitur
subsistentia, quæ sit extra rationem speciei.In composi 56
tis verò ex materia & forma præter subsistentiam repe
riuntur etiam accidentia indiuiduantia, quæ sunt extra
rationem speciei. Et ideò Thomas paulò inferiùs subiũ
git, quòd siqua res sit, in qua nihil aliud sit omninò
præter rationem speciei, vel naturæ suæ, sicut est in
Deo,ibi oon est aliud secoodùm rem Suppositum, &
natura. Certè subindicans in omnibus alijs rebus præ-
ter Deum, Suppositom, & naturam realiter distioguĩ.
Ex his colligitur respõsio ad rationem,quæ ex D.Tho-
ma collecta est.

Ad nonum Resp. non sufficere diuersum modũ sig- 57
nificandi,vt verificari possint,quæ Sancti, & Concilia
de oatura,& creato Supposito docent,vt constat ex pri
ma conclusione. Nec est par ratio de Deo, & Deitate,
entitate,& ente,quia oatura & Suppositũ non differunt
tantùm sicut cõcretũ,& abstractum; tam enim huma-
nitas,quàm homo sunt nomina naturæ,& nõ personæ.
Et quia hoc est peculiare in Deo,& ente, qoòd in ipsis
non differant concretum & abstractum, ob vniuersali-
tatem in ente,& ob infinitatem, & illimitationem in
Deo,qua omnia sub vnica simplici actualitate cõtinet.

Ad primum argumentum secundæ opinionis Resp. 58
personam pro formali significare illud positiuum; ex
qoo proximè consequitur negatio communicabilita-
tis.Quia tameo positiua sæpè meliùs nobis patent per
negationes illis inseparabiliter coonexas;ideò à Boetio,
& Richardo rectè definita est Persona per negationem
diuisionis,& cõmuoicabilitatis, sicut describitur sub-
staotia per non esse io alio.

Ad secundũ Resp.illud positiuũ, quod Suppositũ su- 59
pra singularem naturã addit,nõ esse materiam,nec for-
mã,neq, cõpositũ,sed termioũ eius substantialem,cuius
Aristoteles substantiã in tria illa membra diuidens non
meminit,vel quia non nouit, vel quia ibi solùm de es-
sentia substantiæ,& eius partibus disputabat.

60 Ad tertium conceditur, illud positiuum substantiale,
quo Suppositum formaliter constituitur, ita esse inas-
sumptibile, sicut Suppositum cõstitutum, & ideò affir-
mandum est, Deum non suscepisse, quicquid positiuum
est reale in homine. Neque hoc Damasceno aduersatur
in locis citatis: in secundo enim solùm docet, Deũ susce
pisse, quidquid in natura nostra plantauit. Consultò ve-
rò videtur dicere in natura nostra, & nõ in homine, vt
insinuaret, se loqui de pertinentibus ad naturam, & es-
sentiam, non de personalitate, quam propterea non as-
61 sumpsit. In primo verò disputabat cõtra hæreticos, qui
dicebant, Verbum non suscepisse animam, vel mentem
humanam: quos quidem refellit; quia cùm assumptio
in remedium damni humano generi per peccatũ illati
fuerit ordinata, id omne oportuit à Verbo assumi, quod
per peccatum fuerat infectum. Corpus autem non so-
lùm fuit infectũ, sed etiam anima cũ eius potentijs; ergo
animã, & potentias Verbũ assumpsit, vel istæ nõ fuerũt
62 per assumptionem sanatæ. Dices, ex peccato Adæ non
solùm naturam humanam, sed personam etiam infec-
tam mansisse: ergo hanc etiam Verbum assumere de-
buisse, vt morbum ex peccato contractum perfectè sa-
naret. Respondetur, nullum aliud vulnus hominem in
Supposito accepisse, quàm illud, quod in natura, & po-
tentijs contraxit. Vnde ijs sanatis per assumptionem à
Verbo omnia Supposita naturæ humanæ quò ad suffi-
cientiam fuerunt à morbo liberata peccati.
63 Ad quartum Resp. ex secunda conclusione sufficien-
ter constare, nullam negationem satis esse ad verifican-
da, quæ Patres, & Concilia docent de natura, & persona
creata. Probationi autem dicitur, si humanitas Christi
dimitteretur à Verbo, & nihil positiuum reale illi adde-
retur, vel conseruari non posse, vel certè non esse perso-
nam completè, & formaliter: quia licèt esset incommu
nicabilis, vt, Quod, non tamen vt, Quo. Vtraq; enim
incõmunicabilitas ad rationem personæ est necessaria.
64 Et cùm objicitur: est per se subsistens in natura intellec
tuali; ergo est Persona: Resp. si per subsistens intelligatur
substantialiter existens, conceditur antecedens, & nega-
tur consequentia. Sicut enim Essentia Diuina præcisis
relationibus est in hoc sensu per se subsistens, non ta-
men Persona formaliter, quia non est vltimatè com-
pleta, & formaliter incommunicabilis: sic etiam natura
humana in tali casu esset. An verò talis casus sit possibi-
lis, posteà declarabitur.
65 Ad quintũ negatur prima Sequella, quia licèt perso-
nalitas sit entitas positiua, à natura separari non potest;
nam de intrinseca eius ratione est, vt sit vltimus termi-
nus, & ita esse nõ potest nisi actu terminando naturam,
cuius est. Natura verò potest esse sine sua personalitate,
quia nõ est de intrinseca ratione illius, quòd actu subsis
tat, sed aptitudine. Hoc est, quòd sit talis natura, cui mo
dus subsistẽdi per se debeatur: sicut neq; est de intrinseca
ratione accidentis, quòd sit actu in alio, sed aptitudine.
Vnde sicut in accidenti, quod propriã, & distinctã entita
66 tem accidentariam habet, quia eius essentia nõ consistit
in actuali inhærentia, sed in aptitudinali; ideò actualis
inhæsio est modus distinctus saltem ex natura rei ab
essentia talis accidentis: nec potest fieri accidens, in quo
modus actualiter inhærendi nõ sit aliquid ab eius essen-
tia diuersum, sic etiã de natura substãciali respectu sub-
sistentiæ dicendũ est, quòd talis modus per se subsistẽdi
semper est aliquid superadditũ, & in re à natura distinc-
tũ: ac propterea dari non posse Suppositũ creatũ, quod
in re nõ sit à sua natura distinctũ, sicut nulla potest fieri
substantia, quæ non sit vniuocè substantia cum his, quę
productæ sunt.
Ad secundã Sequellã Resp. naturam nõ substare suæ 67
personalitati, sed terminari ab illa: quia substare præ-
supponit modũ subsistendi, & ita per personalitatem
cõstituitur natura in esse personæ, vt accidentibus subs-
tare possit. Ad tertiã Sequellã Resp. humanitati Christi
nihil defuisse eorum, quæ ad essentiam, vel proprietates
pertinẽt. Defuisse tamen entitatem positiuã, quę naturã
in esse incõmunicabilis complere deberet. suppleri verò
per nobiliorem entitatem positiuã, ac proindè Christũ
esse vniuocè hominem nobiscũ. Ad quartũ negatur Se-
quella, vt superiùs dictũ est. Nomine autem compositi
intelligitur natura cum suo termino, & cõplemento.

SECVNDA DISPVTATIO.

VTrùm illud positiuum, quod Suppositum su-
pra singularem naturã addit, sit aliquid subs-
tantiale intrinsecum, vel accidentale. Nonnul- 1
li Discipuli D. Thomæ, quibusdã illius testimonijs de-
cepti, in quibus planè asseris, in rebus creatis Suppositũ,
& naturam distingui, quia res creatæ præter specificam
essentiam, includunt etiam accidentia indiuiduantia (vt
3. p. q. 2. art. 2. & 4. Contra Gentes cap. 45.) affirmant,
Suppositum supra naturam sola extrinseca accidentia
addere. Fundamentum eorum non est aliud, nisi quòd
quemadmodùm ex accidentium sigillatione resultat in
substantia materiali quidam modus substãcialis intrin-
secus, per quem formaliter redditur singularis: sic etiam
ex huiusmodi accidentibus consurgit modus substãtia-
lis, quo natura formaliter redditur incommunicabilis
omninò. Vnde sicut Philosophi communiter indiuiduã 2
substantiam definiunt per accidentium collectionem,
vt patet ex Porphyrio cap. de Specie: sic Sancti Patres
Suppositum creatum explicant per accidentales, & in-
diuiduas conditiones, quas Characteristicas proprietates
appellant, vt constat ex Damasceno lib. 1. institutionũ
cap. 1. & lib. 3. de Fide cap. 6.
Cæterùm Heruæus quodlib. 3. q. 6. & Capreolus in 3. 3
d. 5. q. 3. asserunt, Suppositum supra naturam addere ali-
quid substantiale, & non accidentia. Aiunt tamen, illud
non esse intrinsecum ipsi Supposito, sicut neq; naturæ,
aut essentiæ, sed sicut connotatum extrinsecè: quemad-
modùm scibile connotat actum scientiæ. Probant pri-
mò, quia si hoc esset intrinsecum Supposito, aliquid fo-
ret de essentia Suppositi, quod non esset de essentia na-
turæ; atq; adeò in hoc Supposito V. G. Petro, duplex es-
set essentia, altera naturæ, altera verò Suppositi &c. Se- 4
cũdò. Quod Suppositũ creatũ supra singularem naturã
addit, est actualis existentia: sed illa existentia est extrin-
seca Supposito creato, sicut ipsius naturæ: ergo &c. Mi-
nor probatur; quia Suppositũ supra naturam addit ip-
sius vltimum complementum: sed existentia est vltimũ
complementum substantiale naturæ; quicquid enim
aduenit substantię actu existenti, accidens est: ergo Sup-
positum supra singularem naturam addit existentiam.
Quòd autem hæc sit extrinseca ipsi Supposito, patet,
quia nequit esse de conceptu alicuius rei creatæ. Nihi-
lominus pro explicatione sit Prima Conclusio.

Digitized by Google

5 Id, quod Suppositum addit supra naturam, estò ipsi naturæ sit extrinsecum, Supposito tamen est intrinsecum. Probatur. Quod addit Suppositum supra naturã, est id, per quod primò, & per se constituitur in ratione Suppositi, & à cæteris rebus distinguitur: sed id, per quod vnaquæq; res primò & per se constituitur, & à reliquis distinguitur non potest non esse intrinsecum; ergo id, quod addit Suppositum supra naturam, est ipsi Supposito intrinsecum.

6 Secunda conclusio. Quod Suppositum addit supra naturam, neq; sunt accidentia, neq; aliquis modus ex ipsis deriuatus, sed aliquid substantiale ab solutum, nullum explicitum ordinem importãs ad accidentia. Probatur; nã quod Suppositũ creatũ addit supra naturam creatam, est id, quo primò & per se constituitur in ratione Suppositi, hoc est, substantiæ completæ, & perfectæ: sed nequit constitui in ratione substantiæ completæ per accidentia, neque per modum ex illis deriuatum, sed neque per ordinem explicitum ad illa acci-
7 dentia: ergo &c. Confirmatur. In natura humana Christi sunt omnia accidentia, quæ in alijs hominibus, vna relatione prædicamentali excepta: & tamen non est Suppositum, aut Persona humana; ergo Suppositum creatum non constituitur per accidentia, neque verò per aliquem modũ substantialem ex illis deriuatũ.

8 Hinc refellitur primæ opinionis fundamentum. Licèt enim ex accidentibus præuijs, & disponentibus ad formam geniti possit deriuari in natura modus substantialis, quo sigilletur, & determinetur ad hanc numero formã: nequit tamen procedere aliquis modus substantialis, quo natura efficiatur incommunicabilis omninò, & inassumptibilis à Deo. Patres verò Suppositum
9 creatum explicãt per accidentia, nõ quia per illa constituatur; sed quia nobis à posteriori per accidentia innotescit. Et hoc eodem sensu distinxit D. Thomas Suppositũ creatũ à natura per accidentia. Nisi fortasis Suppositũ latiori significatione acceperit pro indiuiduo, quod ex ipsius sententia distinguitur à natura communi per ordinem ad accidentia. Quo autem pacto id sit intelligendum, explicat Caietanus. 1. p. q. 19. art. 1.

10 Ad primam rationem pro Capreolo adductã Resp. quòd sicut eadem est essentia lineæ absolutè sumptæ, & lineæ finitæ, & terminatæ, quamuis hæc supra absolutam essentiam lineæ addat modũ, seu terminũ, quo intrinsecè completur, nempe, punctum: sic eadem est essentia creatæ substantiæ absolutè sumptæ, & substantiæ terminatæ, & cõpletæ. Cæterùm quemadmodũ essentię lineæ cõsideratæ præcisè, vt est diuisibilis, punctus, quo terminatur, est extrinsecus, intrinsecus verò, si vt finita,
11 & terminata reduplicatiuè perpẽdatur: sic naturæ substãtiali, vt est essentia quædã præcisè cõcepta, extrinseca est Suppositalitas; intrinseca verò, si vt vltimò cõpleta est substãtialiter, reduplicatiuè consideretur. Licèt autẽ Suppositalitas, vt potè substãtialis naturæ terminus, sit quid intrinsecũ Supposito, prout dicit substãtiã vltimò completam: quia tamen eius genus, aut differentia est, ideò ad substantiam ipsius dicitur pertinere, nõ ad quidditatem, & essentiam.

12 Secundum argumentum postulat peculiarem quæstionem Disputatione sequenti examinandam.

TERTIA DISPVTATIO. §. I.

DVBITATVR, quid sit illud positiuum intrinsecum, quod Suppositum addit supra naturam. De qua re sunt variæ Theologorũ sententiæ. Quidam affirmant, illud reale positiuum esse subsistentiam. Et si ab illis quæratur, quid sit huiusmodi subsistentia, respondent, esse ipsam existentiam substantialem naturæ creatæ, & completæ, & per illã constitui Suppositum in esse Suppositi: superfluum enim; esse, alias multiplicare entitates. Hanc sententiam sequũtur multi recentiores Thomistæ. Et prætermisso Capreolo, qui Suppositum creatum constitui docet per actualem existentiam, extrinsecus, & in obliquo connotatã, vt visum est Disputatione præcedente; eam amplectuntur Ægidius. 3. de Anima Textu. 9. Paludanus in. 3. d. 1. q. 1. art. 3. & M. Medina hoc loco. Addunt tamen, existentiam, per quam vltimò completur Suppositum, esse illi intrinsecam. Fauet autem D. Thomas huic sententiæ multis in locis, præsertim supra q. 2. art. 2. ad. 2. & art. 5. ad 1. & q. 17. art. 2. Vbi ex eo colligit, non esse in Christo nisi vnicum esse existentiæ, quia in eo non est nisi vnum Suppositum. Quæ illatio nihil valeret, nisi existentia foret principiũ formale constitutiuum intrinsecè Suppositi. Et apertiùs quodlibet. 2. art. 4. ad 3. vbi docet, naturam, & Suppositum habere se sicut pars, & totum, quia natura, inquit, & esse adæquatè componunt Suppositum. Præterea probatur ratione. 1

Primò. Suppositum creatũ est adæquatè idem, quod subsistens: sed subsistens constituitur formaliter, & intrinsecè per existentiam substantialem; ergo & Suppositum creatum. Consequentia patet, & maior est nota ex dictis supra. Minor verò probatur; quia subsistens est formaliter idem quod substãtialiter existens: ergo subsistentia est idem, quod substantialis existentia. Sed Suppositum, & subsistens constituitur formaliter per subsistentiam omnium consensu; ergo & per substãtialem existentiam. 2

Secundò. Suppositum supra naturam addit id, quod
eam substantialiter, & vltimò terminat; sed hoc facit existentia: ergo &c. Minor probatur: quia existentia ita complet naturam, vt non relinquat eam in potentia ad aliquid aliud substantialiter recipiendũ: quicquid enim aduenit substantiæ actu existenti, accidens est: ergo eam vltimò substantialiter terminat, & ex consequenti Suppositum per eam formaliter constituitur. 3

Tertiò. Per id formaliter Suppositum cõstituitur, ad quod negatio essendi in alio proximè consequitur: sed negatio essendi in alio proximè consequitur substantialem existentiam; ergo per hanc constituitur formaliter Suppositum. Maior patet ex dictis. Minor probatur. Suppositum ex eo in alio esse non potest, quia existis per se, sed quòd existat per se, proximè habet per substantialem existentiam: ergo & quòd in alio esse nõ possit. Ergo negationem essendi in alio. Ergo Suppositum formaliter & proximè constituitur per substantialem existentiam, ad quam talis negatio consequitur. 4

Quartò. Inter essentiam & esse in creaturis est immediata proportio, qualis potest reperiri inter potentiam, & proprium actum: ergo actus essendi, siue existentia substantialis est proprius, & immediatus terminus essentiæ substãtialis. Ergo nõ est necessaria alia entitas, vt essentia fiat susceptiuũ proportionatũ existentię. Cõsequẽtia est euidens, & probatur antecedens. Essentia creata, & existen- 5

Digitized by Google

& exiſtentia creata, habent ſe vt proprius actus, & pro-
pria potentia: ſed hæc habent immediatam proportio-
nem; ergo & illa. Minor probatur: nam materia prima,
& forma, quia ſe habent vt proprius actus, & propria
potentia, habent immediatam proportionem. Item
potentia, & operatio, quoniam ſe habent vt proprius
actus, & propria potentia, habent immediatam pro-
portionem: ergo ſimiliter eſſentia, & exiſtentia.

6 Quintò. Si aliud ab exiſtentia eſſet conſtitutiuum
ſuppoſiti, quod mediaret inter eſſentiam, & exiſten-
tiam, ſequeretur, Deum de potentia abſoluta non poſſe
communicare eſſentiæ exiſtentiam immediatè: ſed
conſequens eſt falſum: ergo. Probatur ſequella: quia
iuxta ſententiam Thomiſtarum Deus exiſtentiam ma-
teriæ primæ immediatè communicare non poteſt,
quia non eſt immediatum exiſtentiæ ſuſceptiuum, niſi
per formam. Et ita inquit D. Thomas 2. Contra Gent.
cap. 54. Sicut ſe habet Diaphaneitas ad lucem, ita for-
7 ma ad eſſe: nam ſicut Diaphaneitas facit, vt aer ſit
ſubiectum capax lucis; ſic forma facit materiam capa-
cem exiſtentiæ: ſed eſſentia per ſeipſam non eſt capax
exiſtentiæ, ſed mediante aliquo alio. ergo &c. Falſitas
conſequentis probatur: quia eſſentia creata non eſt pu-
ra potentia, ſed habet aliquid admixtum actualitatis;
ergo nulla eſt repugnantia, quòd Deus communicet il-
li immediatè exiſtentiam ſine aliquo alio medio.

8 Sextò. Si præter exiſtentiam eſſet alius terminus
conſtitutiuus ſuppoſiti, ſequeretur, in rebus materiali-
bus eſſe triplicem compoſitionem: ſed conſequens eſt
contra communem omnium ſenſum: ergo &c. Pro-
batur ſequella; quia eſſet compoſitio ex materia, &
forma, ex eſſentia, & perſonalitate propria, & ex eſſe &
eſſentia. Confirmatur; quia D. Thomas. 1. p. q. 3. art. 4.
Satis ſuperq; exiſtimat ſe probaſſe, in Deo ſuppoſitum
nihil reale addere ſupra naturam, quia probauit, in Deo
non differre eſſe ab eſſentia. At verò ſi ſuppoſitum re-
quirit alium terminum illius conſtitutiuum ab eſſe
diſtinctum, ex eo quòd D. Thomas probauerit, eſſe in
Deo non differre ab Eſſentia, non probauit ſufficien-
ter, ſuppoſitum in Deo nihil reale addere naturæ: er-
go &c.

Secunda Opinio. §. *II.*

9 SECVNDA Sententia præcedenti oppoſita do-
cet, conſtitutiuum ſuppoſiti non eſſe exiſtentiam,
ſed alium quendam terminum ſubſtantialem.
Vnde ſuppoſitum iuxta hanc opinionem addit ſupra
naturam ſingularem duas entitates ab illa realiter diſ-
tinctas. Altera dicitur ſubſiſtentia, qua terminatur na-
tura: altera verò exiſtentia, qua natura formaliter exiſ-
tit. Inter has autem duas entitates ſuperadditas naturæ
eſt talis ordo, quòd ſubſiſtentia eſt prior, quàm exiſten-
tia: quia natura per ſubſiſtentiam redditur capax exiſ-
tentiæ. Itaq; ſubſiſtentia eſt terminus ſubſtantialis na-
turæ, quæ illam complet, & terminat, & eſt ratio ipſi
naturæ ſubſiſtendi, & ſubſtandi & exiſtentiæ ſubſtan-
tiali, & omnibus accidentibus proprijs, & communi-
bus. Qui terminus non eſt intrinſecus naturæ, ita vt ad
rationem eius pertineat, eſt tamen intrinſecus perſonæ,
ipſam conſtituens in ratione perſonæ: ſicut punctus li-
neæ non eſt de ratione lineæ abſolutè, ſed prout eſt ter-
10 minata. Quo fit, vt Perſonalitas non ſit accidens, vt diſ-
tinguitur contra ſubſtantiam, ſed ſit terminus ſubſtan-
tialis reductiuè poſitus in prædicamento ſubſtantiæ.
Hanc ſententiam tenet Caietanus in commentario hu-
ius articuli, & Ferrar. 4. Contra Gent. cap. 43. M. Bañez
1. p. q. 3. art. 3. Dob. 1. & alij recentiores. Probat autem
Caietanus ſuam opinionem ex D. Thom. infra q. 17. art.
2. vbi docet, exiſtentiã cõuenire naturæ, vt, Quo, Sup-
poſito verò vt, Quod. Sed quod ineſt alicui vt, Quod,
præſupponit illud iam conſtitutum; ergo non conſti-
tuitur exiſtentia, ſed alia diſtincta entitate ab exiſten-
tia, nempe, ſubſiſtentia. Præterea ibidem docet D. Tho- 11
mas, eſſe actualis exiſtentiæ recipi in perſona, non in
natura; ſed receptum præſupponit recipientem iam conſti-
tutum: ergo non conſtituitur intrinſecè exiſtentia.
Confirmatur: quia Suppoſitum debet conſtitui aliquo
intrinſeco: ſed exiſtentia eſt extrinſeca, ſubſiſtentia ve-
rò intrinſeca: ergo conſtituitur ſubſiſtentia. Item, quia
in Diuinis Subſiſtentia eſt intrinſeca Suppoſito, atq;
adeò conſtitutiua illius. ergo ſimiliter in creatis.

Tertia Opinio. §. *III.*

TERTIA Sententia aſſerit, in rebus creatis 12
ſuppoſitum addere ſupra naturam modum po-
ſitiuum, quo perfectè terminatur natura, vt in
ſe, & per ſe ſit, neq; indigeat alio ſuſtentante. Vnde conſ-
titutiuum formale ſuppoſiti eſt quidam modus intrin-
ſecus eſſendi per ſe, & incommunicabiliter exiſtentiæ
ſuperadditus; qui modus dicitur ſubſiſtentia, & modi-
ficat naturam exiſtentem, vt exiſtens eſt, atq; adeò ipſam
exiſtentiam: nam ex vi exiſtentiæ ſolùm intelligitur
natura eſſe extra ſuas cauſas, & apta vt in ſe, & per ſe ſit;
per ſubſiſtentiam verò actu terminatur, & quaſi forma-
liter conſtituitur in modo per ſe eſſendi: ſicut ſeruata
proportione intelligitur in inhærentia accidentis ac-
tuali, quæ eſt modus exiſtentiæ accidentalis, ex cuius vi 13
ſolùm conſtituitur forma accidentalis extra ſuas cau-
ſas apta ad exiſtendum in alio. Et per modum inhæren-
tiæ terminatur, vt in alio actualiter exiſtat. Vnde iuxta
iſtam ſententiam Perſonalitas, & Subſiſtentia ad hoc
datur naturæ, vt illi det vltimum complementum in
ratione exiſtendi; vel vt eius exiſtentiam compleat in
ratione ſubſiſtentiæ, ita vt Perſonalitas, ſiue Subſiſtentia
non ſit propriè terminus, aut modus naturæ ſecundùm
eſſe eſſentiæ, ſed ſecundùm eſſe exiſtentiæ ipſius naturæ.
Itaq; ſecundùm iſtam opinionem exiſtentia priùs con- 14
uenit naturæ, quàm ſubſiſtentia: & tunc exiſtentia na-
turæ ſubſtantialis completè terminatur, quando affici-
tur modo exiſtendi per ſe; qui modus complet ratio-
nem Subſiſtentiæ creatæ, & habet propriam rationem
Perſonalitatis, ſeu Suppoſitalitatis. Etenim ſubſiſtere di-
cit determinatum modum exiſtendi per ſe, & ſine de-
pendentia à ſuſtentante. Subſiſtentia ergo dicitur ter-
minus, aut modus naturæ, ſecundùm eſſe exiſtentiæ:
quia ſecundùm eſſe eſſentiæ iam natura eſt omninò
completa, neq; indiget alia determinatione, præſertim 15
cùm iam ſupponatur contracta vſq; ad indiuiduatio-
nem, & ſingularitatem. Quare ſic concepta ſecundùm
eſſe eſſentiæ, proximè, & immediatè indiget exiſtentia,
qua fiat ens actu. Poſtquàm autem actu eſſentia eſt ens
actu, ſolùm indiget modo exiſtendi in ſe, & per ſe, atq;
adeò hic eſt vltimus terminus naturæ ſecũdũ eius exiſ-
tentiam, & hoc eſt proprium munus Suppoſitalitatis.

16 Hanc sententiam sic expositam tenet M. Suarez supra q. 2. art. 8. Disput. 8. sectio. 4. Et latiùs in Methaphysica Disput. 34. sectio. 4. num. 24. Eandem tuetur M. Vazquez 1. p. Disp. 126. cap. 2. & 3. Probat autem Suarez num. 21. Personalitatem non comparari ad naturam, vt aliquid prius existentia propria ipsius naturæ; quia aliàs non posset facere realem compositionem cum illa. Etenim antè existentiam neq; ordine naturæ, neq; etiam secundùm modum concipiendi potest intelligi in ipsa essentia entitas sufficiens ad compositionem. Vnde sic formatur ratio Compositio realis requirit in extremis componentibus entitatem actualem, quam vnum ab alio formaliter non habeat: sed antè existentiam nulla talis entitas concipi potest; ergo nequit intelligi realis compositio ex natura & personalitate, quæ omnem rei existentiam antecedat, etiam ordine naturæ.

17 Confirmatur primò. Si priùs naturâ subsistentia conuenit naturæ, quàm existentia, iam non esset necessaria entitas existentiæ, sed sufficeret prior entitas subsistentiæ superaddita naturæ: sed hoc est falsum: ergo. Probatur maior. Natura per seipsam, seu per principia intrinseca habet actualitatem essentiæ, & rursus illi superadditur personalitas, quæ illam terminat, ita vt alteri non innitatur, sed per se sit: ergo non est necesse aliam entitatem adiungere. Patet consequentia; quia iam intelligitur rei extra suas causas, & per se, ac intrinsecè terminata.

18 Confirmatur secundò. Eodem modo se habent existentia, & subsistentia in substantijs creatis, sicut in accidentibus inhærentia actualis: oppositorum enim eadem est ratio; sunt autem oppositi modus essendi per se, & in alio: sed in accidentibus existentia præsupponitur inhærentiæ actuali; ergo etiam in substantia existentia præsupponitur subsistentiæ actuali.

19 Secundò probat ex inconuenientibus, quæ sequuntur ex opposita sententia. Primò sequitur, dari posse suppositum in rerum natura sine existentia; nam omne prius realiter distinctum potest esse sine posteriori, vt essentia potest dari sine passionibus realiter ab ea distinctis: sed existentia est posterior supposito, & ab eo realiter distincta; ergo. Secundò sequitur, suppositum creatum formaliter esse assumptibile à Persona Diuina: nam cùm suppositum creatum possit esse sine existentia, quæ ab ipso realiter distinguitur, eam poterit ab aliqua Diuina Persona accipere: nam sicut Christi humanitas subsistentiam, qua carebat, accepit; sic posset illud suppositum existentiam, qua carebat, accipere, si ab
20 illo esset realiter distincta. Tertiò sequeretur, humanitatem Christi duplici entitate fuisse priuatam, nempe, subsistentia, & existentia: atq; adeò ad vtramq; supplendam duplicem vnionem fuisse necessariam, vnam humanitatis cum subsistentia Verbi: alteram verò eiusdem humanitatis cum existentia illius. Cùmq; existentia in Deo non sit proprietas personalis, sed communis, & essentialis, sequeretur, humanitatem Christi non solùm fuisse vnitam Verbo, sed etiam Deo, prout communi
21 tribus Personis Trinitatis. Et tandem sequeretur, posse vnam ex his vnionibus separari ab alia de potentia Dei absoluta; atq; adeò humanitatem personatam propria personalitate posse vniri Diuinæ existentiæ, vt per illam existat, etiam si non vniatur Diuinæ Personæ, vt supponeretur, quæ omnia & sunt falsa, noua, & superflua, & sine fundamento, aut necessitate asserta.

Tertiò potest ampliùs hæc sententia confirmari. 22
Subsistentia est terminus vltimus substantialis naturæ; ergo non est priùs quàm existentia, sed posterior ordine naturæ. Consequentia probatur: quia vltimo termino, & complemento nihil est in eo genere posterius; sed subsistentia est vltimus terminus, vt contraria sententia etiam admittit: ergo cùm existentia ad genus substantiæ pertineat, non est posterior subsistentia, sed prior illa.

Quartò. Rationes formales communes Deo, & creaturis, quem ordinem seruant inter se in Deo, eundem 23
seruant in creaturis: sed subsistentia, & existentia sunt communes Deo, & creaturis: ergo quem ordinem inter se habent in Deo, eundem habent in creaturis. Sed in Deo est prior existentia, quàm subsistentia: ergo etiam in creaturis. Maior patet inductione in voluntate, & intellectu &c. Minor etiam patet: quia Dei existentia est ipsa Dei essentia communis Personis, quæ ad illas præsupponitur; ergo est prior quàm subsistentia.

Quintò. Suppositalitas est vltimus terminus substan- 24
tialis naturæ, non in esse essentiæ, sed in esse existentiæ (nam antè istum modum in esse essentiæ completa erat, vt patet in Christo) ergo suppositalitas, siue subsistentia est modus intrinsecus, quo existentia vltimatè completur, & perficitur. Completur autem vltimatè existentia per modum positiuum essendi per se, & incõmunicabiliter: ergo iste est formalis ratio per quam suppositum constituitur.

Sextò. Suppositum est substantia completa, & omni- 25
nò incommunicabilis: ergo per id completur formaliter, per quod incommunicabilis redditur: sed hoc fit per modum essendi per se, quem substantia dicit; ergo per modum istum essendi per se constituitur suppositum. Maior cum consequentia est nota, & minor probatur: quia natura ex eo alteri communicari non potest, quia per se existit; sed existit per se formaliter mediante isto modo: ergo per illum fit alteri incommuni-
cabilis. Dices, naturam fieri incommunicabilem per 26
modum essendi per se, & per illum suppositum formaliter constitui; cæterùm hunc modum non esse quidpiam superadditum substantiali existentiæ, sed differentiam essentialem ipsius constitutiuam. Sed contra hoc obijcitur. Sicut se habet modus essendi actualiter in alio ad existentiam accidentis; ita modus essendi actua-
liter per se ad existentiam substantiæ: sed mo- 27
dus essendi actualiter in alio, siue actualis inhærentia non est differentia essentialis existentiæ accidentis, sed modus superadditus, formaliter ab ea existentia distinctus; quo carent accidentia in Eucharistia: ergo esse actualiter per se non est differentia essentialis constitutiua substantialis existentiæ, sed modus superadditus, materialiter, & formaliter ab ea distinctus, & quo carere potest substantia gaudens existentia propria, & intrinseca; quod & de facto accidit in humanitate Christi.

Septimò. Existentia Dei est substantialis, & perfec- 28
tior infinitè existentia cuiuscumq; creaturæ, & tamen per se non complet vltimatè naturam Diuinam, neq; facit eam omninò incommunicabilem, sed hoc fit formaliter

Digitized by Google

formaliter per modum superadditum, ratione distinctum, quo suppositum, seu Persona Dei constituitur: ergo à fortiori existentia substantialis in creaturis per se nō poterit vltimatè complere naturam: ergo à fortiori existentia substantialis in creaturis per se non poterit vltimatè complere naturam; & eam omninò incommunicabilem reddere, sed hoc fit formaliter per modum intrinsecum superadditum, formaliter & ex natura rei ab ea distinctum, quo perinde constituitur formaliter
29 ipsum suppositum. Dices, existentiam Dei, quia est simpliciter, & absolutè infinita, posse communicari suppositis realiter distinctis, sed non posse naturam reddere incommunicabilem, nec suppositum constituere: secus verò esse de existentia substantiali creaturarum, quæ cùm sit omninò finita, & limitata est pluribus incommunicabilis; atq; adeò potest naturam, cui inest, facere incommunicabilem, & inassumptibilem omninò, & ; ex consequenti per seipsam constituere suppositum omni modo secluso, re aut ratione distincto.

30 Sed contra est: quia Verbum assumpsit humanitatem existentem per propriam, & intrinsecam existentiam, ergo existentia substantialis creata non facit naturam per seipsam incommunicabilem, atq; adeò neq; constituit suppositum. Consequentia est euidens, & antecedens probatur. Primò, quia vel Verbum assumpsit humanitatem actu existentem, vel possibilem: sed non assumpsit possibilem; quia quod assumitur præsupponitur assumptioni, sicut quod mouetur, præsupponitur ad motum, non solùm vt possibile, sed vt actu existens, vt docet D. Thomas in corpore: ergo & quod assumitur præsupponitur vt actu existens, & ex consequenti Verbum assumpsit humanitatem existentem propria,
31 & intrinseca existentia. Confirmatur: Assumpsit humanitatem productam: ergo existentem. Antecedens patet, ex dictis, nam quod assumitur debet in esse producto præsupponi assumptioni. Consequentia verò probatur, quia generatio, & productio est via ad esse.

32 Dices, esse viam ad esse essentiæ, non existentiæ per se, ac formaliter. Contra. Illa actio productiua humanitatis Christi non solùm habuit esse essentiæ, sed etiam actualis existentiæ; actu enim inhæsit in natura: ergo & terminus, nempe, humanitas producta ex vi illius actionis non solùm habuit esse essentiæ; sed etiam actualis existentiæ. Patet cōsequentia: tum, quia actio, & terminus commensurantur; tum etiam, quia actio eum sit modus realiter identificatus cùm termino, non habet essentiam realiter distinctam ab existentia termini: ergo neq; separabilem ab existentia illius.

33 Postremò probatur. Implicat rem existere intrinsecè per extrinsecam existentiam alterius, ita enim intrinseca est existentia rei actu existenti, sicut albedo albo; ergo sicut implicat, aliquid esse intrinsecè album per extrinsecam albedinem alterius, ita etiam esse existens per extrinsecam alterius existentiam. Sed humanitas Christi verè, & intrinsecè existit: ergo per intrinsecam existentiam, & non per alienam. Ergo existentia substantialis propria nō reddit naturam incommunicabilem, nec constituit suppositum, vt dicebat prima sententia, sed modus quidam incommunicabiliter existendi superadditus, & ab ipsa natura formaliter distinctus. Plures aliæ opiniones referuntur à Caietano, & Medina, sed hæ sunt celebriores. Vnde pro decisione veritatis sit Prima Conclusio.

Prima Conclusio. §. IIII.

QVAMVIS Suppositum addat supra naturam singularem, existentiam substantialem, illa tamen non est vltimum complementum constitutiuum suppositi, siue dicatur conuenire supposito intrinsecè, siue extrinsecè. Hæc conclusio est D. Thomæ quodlib. 2. artic. 4. vbi ait, esse existentiæ communicari quidem supposito, non tamen esse de ratione illius. Ex quo sumitur ratio, optima ad probandam conclusionem. Principium formale cōstitutiuum est de intrinseca ratione constituti, & conceptu eius: sed existentia non est ita de conceptu suppositi creati: ergo. Minor probatur; quia suppositum potest concipi sine existentia, imò cum opposito illius: ergo non est de intrinseca ratione, & conceptu illius, sed potiùs illi accidentalis. Dices, existentiam esse de conceptu suppositi actualis, de quo nunc est sermo. Sed contra est: quia vel est sermo de supposito actualiter existente specificatiuè, vel reduplicatiuè. Si primum, falsum est, existentiam esse de illius conceptu, nam existentia est accidens respectu cuiusuumq; creaturæ, & soli Deo essentialis. Si reduplicatiuè, etiam si sit verum, & vt tale admittatur, id non sufficit, nam etiam est de conceptu hominis actu existentis, & tamen nemo dixit, hominem constitui formaliter per existentiam. Vnde fit argumentum; Quoties effectus formalis alicuius formæ, alicui est accidentalis, etiam forma est accidentalis; sed existere est accidentale respectu cuiuslibet suppositi creati: ergo existentia, à qua prouenit talis effectus, erit tali supposito accidentalis. 34 35

Secundò. Suppositum creatum est adæquatè idem, quod prima substantia posita in recta linea; sed prima substantia non constituitur formaliter per actualem existentiam, sed per modum substantialem positiuum, ratione cuius debetur illi per se, & incommunicabiliter existere: etenim omnia, quæ in prædicamento collocantur, ab actuali existentia præscindunt; ens enim nominaliter, & non participialiter sumptum est, quod in decem genera diuiditur: ergo similiter suppositum creatum non constituitur per actualem existentiam formaliter, sed per modum substantialem intrinsecum, ratione cuius debetur illi per se & incommunicabiliter existere. 36

Confirmatur. Si existentia esset constitutiua suppositi, & de intrinseca ratione illius, hæc propositio, Petrus existit, esset perpetuæ veritatis, sed hoc est falsum: ergo. Maior patet; quia prædicatum est de intrinseca ratione subiecti. Minor verò probatur, quia iam Petrus existeret ab æterno. Etenim ad veritatem huius propositionis, Petrus existit, necessum est, vt Petrus in rerum natura existat: ergo si est perpetuæ veritatis, perpetuò existit Petrus. Item sequitur, hanc propositionem, Petrus est homo, non esse perpetuæ veritatis, nam æquiualet huic, Petrus existens est homo, siquidem existentia clauditur intrinsecè in subiecto, & est constitutiua illius: sed illa est falsa, saltem quando Petrus non existit, cùm non supponat subiectum, ergo. Quidam respondent, existentiam in actu signato, hoc est, conceptam per modum termini constitutiui suppositi, esse de intrinseca 37 38 39

Thomas.1.p.q.29 art.1.& 2. Secūdus terminus est, Natura, quæ licet multis modis vſurpetur, hîc tamen naturæ nomine intelligitur ſingularis ſubſtantia, continent integram, & completam eſſentiam indiuidui, ſeu Suppoſiti in abſtracto ſumptam, quæ à Methaphyſicis dici ſolet forma totius, vt eſt hæc humanitas cõſtant ex hac anima, & hoc corpore, ſeu his carnibus, & his oſſibus. Hoc ſuppoſito & præmiſſo de præſente difficultate ſunt diuerſæ Theologorum ſententiæ.

Prima Opinio. §. II.

2 PRIMA igitur ſententia eſt Durandi in 1.d.34. q.1.& Henrici de Gandauo quodlib. 4. q. 4. aſſerens, Suppoſitum ſupra naturam ſingularem nihil addere ſecundùm rem, ſed ſola ratione diſtingui penes diuerſum modum ſignificandi in abſtracto, vel in concreto. quia natura ſignificatur vt habita, Suppoſitū verò, vt habens illam. Vnde iſti authores concedunt has propoſitiones. Homo eſt humanitas, Petrus eſt ſua humanitas. Ad hanc autem opinionem reducuntur plures aliæ, quæ ſolis verbis ab ea differunt. Et probatur primò. Eodem modo proportionali ſe habent cõcretum, & abſtractum in ſubſtantijs, ſicut in accidentibus; ſed in his concretum & abſtractum idem omnino ſignificāt, & ſolùm diſtinguntur penes modum ſignificandi, vt album, & albedo: nam album nullam realitatem intrinſecam addit ſupra albedinem, cùm ſolam qualitatem ſignificet, ſicut albedo, ergo pari modo in ſubſtantijs abſtractum & concretum, vt homo, & humanitas, idem prorſus ſignificant.

3 Secundò. Idem ſignificat ſecundùm rem definitio, quod definitum; tametſi quòad explicitum modum, vel extrinſecum diſtinguantur; ſed definitū ſignificat Suppoſitum, definitio verò eſſentiam naturæ: ergo Suppoſitum, & natura idem ſunt ſecūdùm rem. Maior eſt Ariſtotelis lib.7. Methaph.ca.cap. 11. vbi ait, quodquid eſt, eſſe idem cum eo, cuius eſt. Minor eſt manifeſta, nam homo ſignificat Petrum, vel Paulum &c. Definitio verò hominis indicat, Quid eſt homo: Quid autem quæris de quidditate, ergo eadem quidditas, vel natura importatur per nomen hominis, quod eſt nomen Suppoſiti.

4 Tertiò. Si Suppoſitum adderet aliquid ſupra naturā, vel illud additum eſſet materia, vel forma, vel compoſitum: ſed hæc omnia includuntur in quidditate naturæ; ergo idem pollent. Confirmatur. Quia omnia quæ includit hic homo, includit etiam hæc humanitas, nā includit hāc materiam, iſtas carnes, & iſta oſſa, & ideò dicitur Filius Dei aſſumpſiſſe naturā humanā cum conditionibus indiuiduantibus, & vt ait Damaſcenus lib. 3. Fidei cap. 11. in atomo.

5 Quartò. Si lignum, vel aqua diuidatur in duas partes, ex ea diuiſione reſultant duo Suppoſita ſubſtātialia, quæ antea non erant; ſed huiuſmodi diuiſio nō eſt productiua alicuius nouæ entitatis: ergo illa entitas, quæ eſt Suppoſitum, non erat diſtincta à natura ligni, vel aquæ. Minor probatur, nam incredibile eſt, quòd per illam ſolam diuiſionem producantur duo Suppoſita de nouo, & duæ entitates realiter diſtinctæ à natura.

6 Quintò. Si humanitas eſſet producta ad extra, ſingularis, & indiuidua, ſecluſa quacumq; alia perſonalitate, aut ſubſiſtentia, eſſet verum Suppoſitum, & vera perſona, nam perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtātia: ergo perſona in Petro nihil reale addit ſupra humanitatem ab ea realiter diſtinctum.

Sextò. Si Verbum Diuinum modò dimitteret humanitatem, ſtatim illa eſſet quidam homo per ſe ſubſiſtens abſque productione nouæ perſonalitatis, aut alicuius entitatis realis, ergo perſonalitas non diſtinguitur realiter à natura humana, ſed eſt idem cum illa. Probatur antecedens; nam aliàs ſequeretur, Deum non poſſe dimittere humanitatem. Sequella autem probatur, nam illa humanitas non eſſet Perſonata Diuina Perſonalitate, vt patet, neque perſonalitate propria: nam hæc perſonalitas non eſt materia, neque forma, neque compoſitum, nec videtur poſſe oſtendi, vnde veniat: ergo &c. 7

Septimò. Suppoſitum nihil includit reale, quod ipſa natura non includat; ergo Suppoſitum nihil reale addit ſupra naturam. Probatur antecedens, nam aliàs hæc propoſitio eſſet falſa: Homo eſt res, quæ eſt humanitas: quā tamen concedunt Methaphyſici. Et probatur, quia hæc eſt falſa, homo eſt res, quæ eſt materia prima, homo eſt res, quæ eſt anima, quia homo includit præter materiam ipſam formam, & præter animam includit corpus. Ergo ſi Suppoſitum ſupra naturam addit aliquid reale, illa propoſitio ſimiliter erit falſa. 8

Octauò probatur ſpeciatim in Angelis, ex D.Thoma 1.p.q.3.art.3. vbi aſſerit, quòd in his, quæ non ſunt compoſita ex materia, & forma, in quibus indiuiduatio non eſt per materiam indiuidualem, ſed ipſæ formæ per ſe indiuiduantur; oportet, quòd ipſæ formę ſint Suppoſita ſubſiſtentia, vnde in eis non differt Suppoſitum à natura. Ex quo loco manifeſtè colligitur, cùm Angeli per materiam non indiuiduentur, formam, & naturam ipſius Angeli eſſe ipſummet Suppoſitum ſubſiſtens. Idem videtur docere D.Thomas in hac.3.p.q.2.art.2. ex quibus locis concluditur argumentum in forma. Suppoſitum Angelicum non addit ſupra naturam aliquid, quod ſit extra rationem ſpecificam: ergo nihil addit poſitiuū realiter diſtinctū. Antecedens probatur. In Angelis nullū eſt accidens ad indiuiduationem pertinens, quod nō ſit propria paſſio: ſed propria paſſio pertinet ad naturam, & ſpeciem; ergo &c. 9

Nonò. Entitates non ſunt multiplicandæ ſine neceſſitate: ſed nulla cogit neceſſitas ponendi, Suppoſitū amplius quàm modo ſignificandi à natura diſtingui; ergo. Minor probatur: quia ſola hæc diſtinctio ſufficit, vt verè poſſit dici, Verbum aſſumpſiſſe naturam humanam, & non perſonam; ſicut ſola hæc diſtinctio ſufficit in Diuinis, vt Deus, & non Deitas, dicatur generare, & ſpirare. 10

Secunda Opinio. §. III.

SECVNDA ſententia docet, Suppoſitū creatū ſupra ſingularem naturā addere aliquid reale, nō poſitiuum, ſed negatiuum. Ita Scotus in. 3. d. 1. q. 1. & d. 6. q. 1. & in. 1. d. 23. & quodlib. 19. art. 3. & Ioannes de Neapoli in quodlib. q. 9. Henricus quodlib. 5. q. 8. qui licèt diuerſo modo illam explicent, vt poſteà videbitur, conueniunt tamen in hoc, quòd Suppoſitum ſupra naturam ſingularem, ſolam negationem communicabilitatis addit. Probatur autem hæc ſententia. 11

Primò.

Primò. Suppositũ, solũm addit supra naturã, quam pro materiali importat, quod significat pro formali: sed pro formali tam Suppositũ, quàm Persona solàm negationem cõmunicabilitatis significant, ergo solam hanc supra naturam singularem addunt. Minor probatur ex definitione Personæ, scilicèt. Rationalis naturæ indiuidua substantia, vel incommunicabilis substantia. Ratio verò indiuiduæ, seu incommunicabili est mera negatio; ergò Suppositum supra naturam singularem meram negationem addit.

12 Secũdò. Si aliquid positiuũ adderet; ergo vel accidens, vel substantiam. Non accidens, quia Personalitas est cõplementũ intrinsecũ naturæ substantialis; hæc verò cõpleri non potest intrinsecè per aliquid accidentale. Nec verò substantiã, quia substantia adæquatè diuiditur ab Aristotele 2. de Anima, cap. 1. in materiam, formam, & compositum: sed Suppositalitas neq; est materia, neque forma, neq; compositum ex vtraq;: ergo non est substãtia, & sic nec positiuũ aliquid reale, sed mera negatio.

13 Tertiò. Si Suppositum adderet supra naturã aliquid positiuũ reale, sequeretur, esse aliquid in rerum natura, quod à Deo assumi non posset, nempe, illud positiuum cõplementum Suppositi: sed cõsequens est falsum; ergo & c. Minor probatur: quia omnis entitas creata æquè subditur potentiæ Dei, vt assumatur. Et quia secundum Damascenum lib. 3. de Fide, cap. 6. id, quod à Verbo nõ est assumptum, non est sanatum: sed nihil est in homine positiuum realiter, quod à Verbo non fuerit sanatum: ergo nihil est positiuum reale in homine, quod à Verbo non fuerit assumptum; & ex consequenti Suppositalitas, quæ assumi non potuit, non est quid positiuum reale, sed mera negatio.

14 Confirmatur ex eodem Damasceno ibidem dicente, Deũ in homine assumpsisse, quod in ipso plantauerat: sed Deus plantauit in homine omne, quod est positiuũ, & reale: ergo assumpsit, quicquid est positiuũ reale. Sed non assumpsit Personalitatem; ergo hæc non est positiua, sed mera negatio communicabilitatis.

15 Quartò: quia posita hac negatione, omni alia entitate positiua realiter, & formaliter sublata, intelliguntur, quæ Concilia, & Sancti dicunt de natura, & Supposito creato, nempe, quòd Deus assumpserit naturã humanã, nõ Suppositũ: quòd illa sit cõmunicabilis, hoc verò omninò incõmunicabile. Ergo cùm entitates sine necessitate multiplicãdæ nõ sint, sequitur, Suppositũ supra naturã, merã negationem cõmunicabilitatis addere. Consequentia patet. Et antecedens probatur. Si Verbũ modò humanitatem dimitteret, etiã si nihil reale positiuũ in ipsa denuò resultaret, esset Suppositũ, & Persona humana: sed tũc præter entitatem substãtialem, quã intrinsecè includeret, solã diceret negationem cõmunicabilitatis, vel dependentiæ actualis ab alio: ergo solã hãc includit in suo formali conceptu Persona supra singularem naturã. Vltimũ antecedens patet: quia tunc humanitas non esset in alio; ergo esset per se subsistens. Ergo Persona, & Suppositũ. Cõsequẽtia patet: quia Suppositũ formaliter est substãtia cõpleta per se subsistens: Persona verò supra hoc addit, quòd sit naturæ intellectualis.

16 Quintò. Si Personalitas esset aliquid positiuũ superadditũ naturæ, fieret indè, vt posset esse illa entitas sine natura, sicut è cõtra natura est in Verbo sine illa entitate. Item natura magis substaret, quàm Suppositũ, vel Persona: nã Persona tãtùm substat accidentibus, natura verò accidentibus, & Personalitati. Rursus humanitati Christi desu esset aliqua entitas positiua, quæ est vltima perfectio, & actualitas rei: atq; adeò humanitas nunc esset violenter in Verbo, quia careret positiua perfectione connaturali. Et tandem Suppositũ esset quarta substantia ex tribus constituta, nempe, ex forma, materia, & illa realitate positiua, quod est absurdum asserere. Pro decisione veritatis sit Prima Conclusio.

Prima Conclusio. §. III.

Svppositum, vel Persona in rebus creatis supra naturam singularem addit aliqiud reale, siue sit positiuum, siue negatiuum. Hæc conclusio est cõmunis inter Theologos, & supposita fide mysterij Incarnationis, videtur posse euidenter demonstrari: quia Verbũ assumpsit naturã singularem humanã, & nõ Suppositũ, ergo hoc supra singularem naturã aliquid positiuũ reale, vel negatiuũ addit. Gabriel in 3. d. 1. q. 2. art. 3. Dubio. 2. Negat cõsequentiam, quia inquit sufficere diuersum modũ significãdi horum nominum, vt Deus naturam, & non Suppositum assumpsisse dicatur: sicut sufficit, vt Deus, & nõ Deitas dicatur generare. Sed cõtra est; quia saltem sequitur ex hac opinione, Verbũ assumpsisse totã entitatem Suppositi humani, & sic realiter identitatiuè esse in Christo duo distincta Supposita realia, tametsi nõ formaliter ob formalem modũ significãdi nominis Suppositi humani, quod ex vi tute sermonis importat naturã humanã per modũ habentis, & nõ habitæ: cõsequens autẽ licèt intrepidè cõcedat Ochã quodlib. 4. q. 11. sapit hæresim Nestorij. Meliùs ergo Richard. in 3. d. 6. art. 1. q. 1. negat cõsequentiã, quia cũ Persona sit Idem, quod per se Ionãs, & Suppositũ, quod per se, ac separatim positũ, eo ipso quòd humanitas Christi cũ alieno Supposito cõiungitur, amittit rationem Personæ, & Suppositi proprij. Sed cõtra est, quia vel humanitas Christi ex tali cõiũctione acquirit aliquem modũ realem, repugnantem modo naturali essendi propriæ personæ, vel nõ. Si nõ, ergo adhùc retinet propriã, & formalem rationem humanæ Personæ. Si verò acquirit modũ aliquem realem, repugnantem Suppositalitati propriæ: ergo Suppositũ propriũ supra singularem naturã addit aliquid reale, quo caret, eo ipso quòd natura cõiungatur alieno Supposito. Durandus verò vbi supra respondet; carere quidem actuali negatione essendi in alio, quæ per se consequitur ad rationem proprij Suppositi, nõ verò aliquo reali, & positiuo modo superaddito. Cæterùm hæc solutio coincidit cum secunda opinione Scoti, quæ sequente conclusione refutabitur. 17 18 19

Præterea hæc cõclusio est cõmunis Sanctorũ Patrũ consensus, asserũt enim, hoc esse proprium Dei, vt in eo Suppositũ, & natura realiter nõ distinguantur. Patrum autem testimonia referũtur à Magistro in 1. d. 8. & 34. Legendi sunt inter alios D. August. lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 10. & lib. 15. de Trinitate cap. 17. & D. Bernard. super Cantica serm. 80. Item probatur: quia Suppositũ includit aliquid reale, quod natura nõ includit, ergo distinguũtur per aliquid reale. Antecedẽs probatur nã multa prædicata realia dicũtur de Supposito, quæ de natura nõ dicũtur, vt V. G. subsistere, recipere accidentia, agere, & pati: ergo aliquid reale includit Suppositum, propter quod hæc omnia prædicata illi conueniunt, quod non includit natura. Rursus: Verbum Diuinum secundùm 20 21

Digitized by Google

fidem assumpsit naturã humanã,& nõ Suppositũ: ergo per aliquid reale distinguuntur:aliàs si essent idem,quẽadmodum assumitur vnum,assumeretur & alterũ. Dices,distingui ratione ex modo significãdi,atq; adeò potuisse vnum sine altero assumi. Contra. Sola distinctio rationis nõ sufficit falsificare propositionem,nisi aliqua interueniat appellatio,sed hęc propositio,Homo est humanitas,est falsa, & nulla in ea admiscetur appellatio; ergo nõ sola ratione distinguũtur Suppositũ & natura.

22 Insuper. In Christo secundùm fidem distinguuntur realiter natura humana,& Suppositũ: ergo similiter in omnibus alijs Suppositis. Cõsequentia est euidens; quia Christus est verũ Suppositum humanæ naturæ,non secus atq; alij homines. Antecedens verò probatur. Christus secundùm fidem non est idem etiã identicè cũ sua humanitate,vt habetur in Cõcilio Basiliensi Actio. 22. Vbi damnatur quidam Augustinus de Roma Episcopus Nazarenus,quid id affirmauit: ergo &c.

Secunda Conclusio. §. IIII.

23 Suppositum creatum supra naturam singularem addit aliquid reale positiuum, & non solam negationem. Sic docent omnes ferè Theologi cum Magistro in 3.d.5.& D.Thomas.4. Cõtra Gentes cap. 43.& in hoc articulo in solutione ad 3. vbi omnes eius expositores idem sentiunt. M. Suarez latè probat hanc conclusionem in Methaphysica Diput. 34. Sectio. 2. à numero.8.vsq; ad 19. Sed probatur omnibus modis, quibus opinio secunda à suis authoribus confirmari solet. Primus est Henrici dicentis, Suppositũ supra naturã addere negationem diuisionis in inferiora, per quam natura vniuersalis,& cõmunis efficitur incõmunicabi-

24 lis pluribus. Sed refellitur hic modus,quia per hãc negationem cõmunicationis,& diuisionis in plura inferiora,vt summũ,constitui potest natura in ratione singularis,& indiuidui,nõ verò Suppositi. Hæc enim negatio actu cõpetit naturæ assumptæ à Verbo,& nihilominùs nõ conuenit illi ratio proprij Suppositi,vt ex fide constat. Secundus modus est Ioãnis de Neapoli dicentis, negationẽ, quã de formali addit Suppositũ supra naturã, esse carentiã actualis dependẽtiæ ab alio. Idest. Eo ipso naturã esse Suppositum, quò nõ intelligatur dependere actualiter ab alio. Sed contra est, vt optimè obijcit Scotus,quòd anima separata non est actu Suppositum, vel Persona, & tamen includit actu negationem communicationis cũ alio,& dependentiæ ab alieno Supposito.

25 Tertius modus est Scoti asserentis, formale cõstitutiuũ creati Suppositi esse negationem duplicis depẽdentiæ,actualis,& aptitudinalis. Hoc est:naturã cõpleri vltimarè in ratione Suppositi per hoc, quòd nec dependeat ab alio intrinsecè,nec dependere possit. Hãc autẽ duplicẽ negationẽ appellat Scotus eus reale ; nã quęlibet est carentia entis realis,& nullo intellectu considerãte dicitur cõuenire subiecto. Itaq; Scotus intelligit primò naturã ipsam singularem,ita scilicet , vt nihil aliud sit ibi, nisi ipsa natura,& ipsius singularitas positiua,deinde cõsiderat negationem illius duplicis depẽdentiæ, quæ singularem naturã(nisi præueniatur) comitatur cõtinuò.

26 Interest tamen inter vtrãq; negationem, quòd negatio actualis dependentię nõ comitatur necessariò naturam, quia potest ab alio Supposito dependere ; vt docet nos Incarnationis mysteriũ:humanitas enim à Verbo assumpta,dependet actu à Supposito Verbi. At negatio dependentiæ aptitudinalis semper comitatur naturã, quia habet naturalem inclinationem ad propriũ Suppositũ. Et ob id anima rationalis, nõ solùm dũ est corpori vnita, nõ est Suppositũ,quia actu est in Supposito : verùmetiã dùm est separata,nõ est Suppositũ,quia apta est pendere à Supposito,seu potiùs illud cõponere. Quòd si obijcia- 27
tur Scoto, etiã humanitatem Petri nõ posse dici Suppositũ,quia apta est vniri V.G. Diuino Verbo: respondet negando esse aptã,sed solùm nõ repugnantem. Quod est dicere:nõ esse aptã potentia , & aptitudine naturali , sed capacitate tãtũ obedientiali. Quãdo verò assumitur actu,vel vnitur,tamen eãdẽ negationẽ aptitudinis natura lis retineat,amittit negationẽ actualis depẽdẽtiæ per actualẽ vnionẽ,& ideò desinit esse Suppositũ,vel Persona.

Nihilominùs cõtra hãc explicationem obijcitur. Suppositũ est aliquid per se constitutũ sub genere substãtiæ: 28
ergo nequit cõstitui formaliter per negationem. Antecedens patet: quia Suppositũ est idem,quod prima substãtia,directè in recta linea prædicamentali posita. Cõsequentia verò probatur : quia nihil cõstitutũ formaliter per negationẽ,sub positiuo genere substãtię per se,& essentialiter cõtineri potest. Quæ ratio euidẽter ostẽdit,id quod primò,& per se Suppositũ creatũ addit supra singularẽ naturã,nõ esse negationẽ,sed aliquid reale positiuũ.

Secũdò probatur. Omnis negatio cõsequitur per se,& 29
necessariò ex aliquo positiuo:sed negatio actualis,& aptitudinalis dependentiæ ab alio, quã Suppositũ creatũ iuxta sententiã Scoti includit,nõ potest per se & necessariò cõsequi ex nuda natura præcisè sumpta,quia hæc in Christo actualiter, & intrinsecè dependet ab alio,népe, à Verbo;ergo cõsequitur per ex aliquo positiuo,quod addit Suppositũ creatũ supra singularem naturam. Cæterùm 30
hæc ratio,nisi ampliùs addatur,parùm vrget : quia ipse Scotus negat maiorẽ,& instat:quia accidentia in Sacramento altaris dicũt negationem actualis inhærentiæ, & aer tenebrosus priuationem lucis:homo etiã in puris naturalibus cõstitutus negationem aptitudinis;idest,naturalis potentiæ recipiendi gratiã;& tamen nulla ex his negatio cõsequitur per se,& necessariò ex aliquo positiuo. Vrgebit tamẽ,si in maiori addatur. Omnis negatio 31
alicuius repugnãtiæ intrinsecæ alicui, per se cõsequitur ex aliquo positiuo,& intrinseco,vt negatio,quam dicis brutũ rationalitatis,irrationalitatis quã homo &c. Sed negatio actualis,& aptitudinalis depẽdentię ab alio,quã Suppositũ creatum intrinsecè dicit,est negatio alicuius repugnantiæ intrinsecæ:ergo consequitur per se ex aliquo positiuo,& intrinseco, quod Suppositum includit; cum quo formaliter,& intrinsecè actualis,vel aptitudinalis dependentia ab alio est omninò incompossibilis.

Sed licet hæc ratio sic formata optima sit,nec instari 32
queat,fundamentũ tamen sumitur ex mysterio Incarnationis, in quo Persona Verbi substituitur loco propriæ Personalitatis humanæ,eiusq; vicem supplet, naturam humanam intrinsecè terminando, sicut propria Personalitas terminaret: at si Personalitas humana esset formaliter negatio, naturam humanam intrinsecè terminare nõ posset,nec Persona Verbi loco eius poni : ergo Personalitas creata non est sola negatio,sed aliquid positiuum,& substantiale , quo singularis natura complesur,& terminatur. Minor probatur : quia natura negatione terminari non potest,cùm negatio vt sic nequeat esse formalis terminus vnionis realis,vt constat.

Tertiò.

33 Tertiò. De sententia Scoti in 1.d.3.q.1.negatio non cōuenit alicui nisi per aliquā entitatem positiuā, cui repugnat affirmatio opposita negationi, vt constat in illa proprietate Patris, esse Ingenitum, sed Persona dicit negationem duplicis dependentiæ, vt ait Scotus: ergo nō conuenit ista negatio naturæ singulari, nisi per aliquā entitatem positiuā, cui formaliter repugnet affirmatio cōmunicabilitatis & ex consequenti posita ista entitate positiua in natura singulari, cōtinuò sequitur illa negatio.

34 Quò fit, vt priùs sit Persona per affirmationē, quàm per negationem. Confirmatur. Affirmatio est prior negatione, & ad ipsam supponitur: ergo negatio actualis, & aptitudinalis dependentiæ supponit aliquod positiuum, & affirmatiuum in re, ad quod sequitur negatio. Consequentia patet, & similiter antecedens; cùm habitus & forma sit prior priuatione, quæ est negatio ipsius formæ in subiecto determinato.

35 Quartò. Personalitas creata est perfectio naturæ: ergo non est negatio. Dices, negationem perfectionis nō esse perfectionem: at verò negationem imperfectionis esse perfectionē. Et cùm hæc negatio duplicis dependentiæ, sit negatio imperfectionis, erit perfectio ipsius naturæ. Cōtra. Natura antè istā negationem est imperfecta, & perfectibilis: sed negatio nihil potest perficere per se; ergo neq; per se potest esse perfectio. Probatur minor: quia negatio nihil ponit in natura: sed natura creata perficitur Personalitate ergo Personalitas aliquid ponit in natura; & ex cōsequenti Personalitas nequit esse

36 negatio. Cōfirmatur primò. Suppositū est prima substātia, quę est maximè, & principaliter substātia, quia substat primò: ergo nō est talis per negationem. Cōsequentia probatur; quia esse primū subiectū substās omnibus accidentibus, & substantijs incōpletis, est esse subiectum reale; ergo per formā realem. Sed negatio est nihil: ergo nō potest cōstituere rem capacem entitatū realiū. Cō-

37 firmatur secundò. Si Suppositū constitueretur negatione, constitueretur nihilo, & ita natura personaretur nihilo. Et cùm dicitur Verbum non assumpsisse Suppositum, diceretur non assumpsisse nihil. Et cùm inquit Innocentius Tertius, Diuinum Verbum consumpsisse humanam Personam, consumpsisset vtique nihil, sed nihil, cùm non sit, non est consumptibile: ergo.

38 Quintò. In Diuina Persona nō cōstituitur negatione, sed aliquo reali, & positiuo (etsi relatiuo) ergo similiter in creatis Persona cōstituitur aliquo positiuo reali, & nō negatione. Antecedens cōceditur ab Scoto, imò censet probabile, nō solùm esse necessarias tres relationes, sed etiā tres rationes Personales absolutas, quibus illæ Personæ cōstituātur. Cōsequentia verò probatur tū, quia Persona creata est quædā participatio Personæ in-

39 creatæ. Tū etia, quia si Diuinæ Naturæ per se, & essentialiter subsistenti potest addi secundùm rationem aliquid positiuū incōmunicabile, nempe, relatio, à fortiori naturæ creatæ, quæ essentialiter & per se non est subsistens, poterit aliquid positiuū superaddi, quo realiter subsistat: quod quidem licèt sit absolutū, sit incommunicabile propter suam imperfectionem, & ita cōstituat Suppositum; hoc est, rem incōmunicabiliter subsistentem. Reliquum est diluere argumenta aduersariorum.

Diluuntur Argumenta. §. V.

40 AD Argumenta primæ opinionis respondetur; & pro solutione primi supponendum est, concreta accidentium dupliciter posse sumi. Vno modo formaliter; aut pro significato formali, qua ratione intelligendū est dictū Aristotelis, Albū solam qualitatem significat. Et sic sumptū concretū differt ab abstracto solùm in modo significandi quia eandem formam significāt albū & albedo tametsi diuersimodè; nā albedo significat illam, vt per se existentem; albū verò eū ordine ad subiectū. Et hoc modo cōcreta accidentiū in prædicamento ponuntur, quia vt sic sunt vnū per se. Alio modo sumitur concretū in accidentibus non pro significato formali, sed pro habente formā, qua ratione dicitur, Albū est dulce. Et concreta vt sic nō constituuntur in prædicamento, quia sunt vnū per accidens: & vt sic 41
differūt ab abstractis plusquàm in modo significandi, quia addunt supra formā, rem habentem formam: quæ quidem res est alterius prædicamenti. Sed Suppositū supra naturā addit subsistentiam, quæ est eiusdem prædicamenti cum natura. Cuius differentiæ tota ratio est, quia substātia est ens per se, & accidens est ens in alio. Et inde prouenit, vt terminus vltimus naturæ substantialis sit eiusdem prædicamenti cum illa terminus verò naturæ accidentalis sit alterius prædicamenti.

Ad secundū concesso, rem esse id, quod sua definitione explicatur, distinguēda est minor quo ad eā partem, 42
nempe, quòd definitio solùm explicet naturā. Etenim definitio potest dari, vel naturæ in abstracto, vt animalitas, & rationalitas vel in cōcreto, vt animal rationale. Et quāuis vtraq; definitio explicet eandem naturā, differunt tamen, quia in abstracto explicatur sola natura; in concreto verò & natura, & habens naturam. Si dica- 43
tur, hæc duo solùm differre in modo significandi, negatur antecedens, sed vltra hoc differunt, quòd definitio in concreto explicat modū essendi, quem à parte rei habet natura: qui quidem modus est realis, sed in abstracto explicatur sola natura, nō modus essendi. Et ideò abstractum non prædicatur de cōcreto in substantijs creatis, non solùm propter diuersum modum significandi, sed propter modum realem essendi, qui in cōcreto significatur, non in abstracto. Locus verò ex Aristotele adductus hunc facit sensum, quòd in substantijs idem est definitum, & definitio, non tamen in accidentibus, quæ definiuntur per extrinsecum, quod non est idem cum definito.

Ad tertium Resp. id quod addit Suppositum supra na- 44
turam, non esse materiam, vel formam, vel compositū, sed esse vltimum terminum naturæ, proprium, & cōnaturalem, qui dicitur Subsistentia, vt constabit Disput. 3. Sed obijcitur. Substantia diuiditur in materiam, & formam, atq; ex his compositum, vt docet Aristoteles 2. de Anima: sed supra naturam substantialem addit Suppositum subsistentiam, quæ neq; est materia, neque forma, neq; ex vtraq; composita: ergo est accidens; aliàs esset quarta substantia præter illas tres. Resp. Aristote- 45
lem ibi disputasse de substantia sumpta pro natura, & hanc diuisisse in materiam, formam, & compositum: non tamen egisse de Persona, vel de Supposito, quia ad suum institutum non pertinebat. Secundò Resp. ex materia & forma esse duplicem compositionem: vna est tertiæ naturæ totalis ex duabus partialibus; altera verò; quæ ex Personalitate, & natura totali resultat. Et ita nomine substantiæ compositæ vtraq; compositio potest comprehendi, & significari, vt humanitas,

quæ est natura totalis, composita ex materia & forma, & Suppositum ex subsistentia, & humanitate constitutum. Neque est quarta substantia. Atque adeò in Christo fuit quidem natura totalis composita ex materia & forma, sed impedita fuit compositio cum personalitate creata.

46 Ad confirmationem negatur antecedens, quia ad rationem Suppositi non satis est, habere conditiones singulares, sed præcipuè, & essentialiter requiritur, vt per se subsistat, quod huic humanitati non cõpetit. Sed pro huius maiori intelligentia aduertendum est, quòd licèt accidentia singularia, & hæc priùs ad hanc naturã pertineant, quàm ad Suppositum; eò quòd natura sit singularis, & indiuidua, per ordinem ad hæc accidentia, at verò physicè, & realiter priùs natura inhærent Supposito, quàm ipsi naturæ: quoniã Suppositũ est propriũ, & immediatũ subiectũ accidentiũ, & natura non recipit illa nisi mediante Supposito. Et propterea Philosophi dicere solent, Suppositum addere accidentia supra naturam.

47 Imò verò D. Thomas quodlib. 2. art. 4. asserit, in Angelis distingui Suppositum à natura, quia præter naturam sunt accidentia in Angelis. Cæterùm D. Thomas ideò distinxit Suppositum à natura per accidentia, quæ addit supra naturam; non quia accidentia constituãt Suppositum, sed quia vbicumq; sunt accidentia, natura nõ est suum subsistere, neq; est purus actus; atq; adeò ibi distinguitur Suppositum subsistent à natura.

48 Ad quartum Resp. non esse incredibile, quòd ratione diuisionis resultent multæ realitates, quæ anteà nõ erãt; nam facta diuisione alicuius ligni resultant multæ superficies, & diuisa linea resultant plura puncta in actu, quæ anteà non erant. Item secùndùm Aristotelem in lacertis, & sectilibus sunt plures animæ in potentia, & per solam diuisionem reducuntur de potentia ad actũ. Sic etiam aqua, vel lignũ &c. Et per solam diuisionem resultat subsistentia in actu, quæ anteà erat in potentia.

49 Ad quintũ Resp. quamtumuis noster intellectus intelligat, humanitatem esse singularẽ, & extra suas causas, nunquàm intellecturum, talem humanitatem esse Personam, quousq; sit formaliter terminata per subsistentiam, & Personalitatem superadditam.

50 Ad sextũ respondebitur infra Disput. 6. interim dicitur, si Deus, quã assumpsisset, humanitatem dimitteret; cõtinuò naturali quadã cõsecutione resultaret Personalitas creata in humanitate dimissa, sicut ex lumine resultat splendor, & sicut statim atque lapis, qui erat impeditus, dimittitur, descendit in locum deorsum. An verò resultaret per nouã actionem, vel per antiquam, per quã humanitas fuit producta, examinabitur Disput. 6.

51 Ad septimũ negatur antecedens, & ad probationem conceditur, illam propositionem esse falsam, Homo est res, quæ est humanitas: quicquid reclament nonnulli Methaphysici.

52 Ad octauum Resp. in Supposito duo esse consideranda. Primum est indiuiduatio, & singularitas, à qua Suppositum habet, quòd sit hoc. Secundum est ipsa ratio propria Suppositi, quæ est subsistere per se, & esse per se separatim, vt distinguitur cõtra existere. Rursus nomẽ, Suppositũ, quandoq; vsurpatur in ampla, & communi acceptione, vt idem sit quod singulare, & indiuiduum: interdum verò sumitur strictè, & propriè, vt importat

53 propriam rationem Suppositi constitutiuam. Ex his colligitur legitima intelligẽtia prioris loci D. Thomæ, quia sumit ibidem D. Thomas Suppositũ in prima acceptione pro indiuiduo, & singulari; & in hac acceptione inquit, Suppositum in rebus immaterialibus nõ distingui à natura: quia in spiritualibus Suppositũ indiuiduatur ex principijs essentialibus, & specificis ipsius naturæ; neq; addit aliquod accidens, ad indiuiduationem pertinens, quod nõ sit propria passio, quæ ad ipsam speciem spectet. Itaq; per eandem differentiã constituitur Angelus V.G. Michael, in esse Angelico, & in esse huius, 54
nempe, Michaelis. At nõ negat D. Thomas, Suppositum secùndùm propriã rationem Suppositi realiter distingui à natura, cùm addat subsistentiã supra naturam. Subsistentia autem realiter distinguitur à natura, vel tãquàm res à re, vel saltem formaliter, in omnibus rebus creatis, sicut punctus, & linea, quæ in propositione etiã identica negantur, quia linea non est res, quæ est punctus.

Ad secundum locum ex 3. p. q. 2. art. 2. Resp. eo non infirmari, sed potiùs confirmari nostram sententiam, 55
quia D. Thomas tãtùm docet, in quibusdam rebus subsistentibus inueniri aliquid, quod ad rationem speciei non pertinet. Et hoc, inquit, maximè apparet in his, quę sunt ex materia, & forma composita. In quibus verbis non negat, in Angelis reperiri aliquid, quod sit extra rationem speciei; sed inquit, hoc maximè apparere in rebus corporalibus; quoniã in Angelis tantùm reperitur subsistentia, quæ sit extra rationem speciei. In compositis verò ex materia & forma præter subsistentiam reperiuntur etiam accidentia indiuiduantia, quæ sunt extra 56
rationem speciei. Et ideò Thomas paulò inferiùs subiũgit, quòd si qua res sit, in qua nihil aliud sit omninò præter rationem speciei, vel naturæ suæ, sicut est in Deo, ibi non est aliud secundùm rem Suppositum, & natura. Certè subindicans in omnibus alijs rebus præter Deum, Suppositum, & naturam realiter distingui. Ex his colligitur respõsio ad rationem, quæ ex D. Thoma collecta est.

Ad nonum Resp. non sufficere diuersum modũ significandi, vt verificari possint, quæ Sancti, & Concilia 57
de natura, & creato Supposito docent, vt constat ex prima conclusione. Nec est par ratio de Deo, & Deitate, entitate, & ente, quia natura & Suppositũ non differunt tantùm sicut cõcretũ, & abstractum; tam enim humanitas, quàm homo sunt nomina naturæ, & nõ personæ. Et quia hoc est peculiare in Deo, & ente, quòd in ipsis non differant concretum & abstractum, ob vniuersalitatem in ente, & ob infinitatem, & illimitationem in Deo, qua omnia sub vnica simplici actualitate cõtinet.

Ad primum argumentum secundæ opinionis Resp. 58
personam pro formali significare illud positiuum; ex quo proximè consequitur negatio communicabilitatis. Quia tamen positiua sæpè meliùs nobis patent per negationes illis inseparabiliter connexas; ideò à Boetio, & Richardo rectè definita est Persona per negationem diuisionis, & cõmunicabilitatis, sicut describitur substantia per non esse in alio.

Ad secundũ Resp. illud positiuũ, quod Suppositũ supra singularem naturã addit, nõ esse materiam, nec formã, neq; cõpositũ, sed terminũ eius substantialem, cuius 59
Aristoteles substantiã in tria illa membra diuidens non meminit, vel quia non nouit, vel quia ibi solùm de essentia substantiæ, & eius partibus disputabat.

Ad

60 Ad tertium conceditur, illud positiuum substantiale, quo Suppositum formaliter constituitur, ita esse inassumptibile, sicut Suppositum cõstitutum, & ideò affirmandum est, Deum non suscepisse, quicquid positiuum est reale in homine. Neque hoc Damasceno aduersatur in locis citatis: in secundo enim solùm docet, Deũ suscepisse, quidquid in natura nostra plantauit. Consultò verò videtur dicere in natura nostra, & nõ in homine, vt insinuaret, se loqui de pertinentibus ad naturam, & essentiam, non de personalitate, quam propterea non as-
61 sumpsit. In primo verò disputabat cõtra hæreticos, qui dicebant, Verbum non suscepisse animam, vel mentem humanam: quos quidem refellit; quia cùm assumptio in remedium damni humano generi per peccatũ illati fuerit ordinata, id omne oportuit à Verbo assumi, quod per peccatum fuerat infectum. Corpus autem non solùm fuit infectũ, sed etiam anima cũ eius potentijs; ergo animã, & potentias Verbũ assumpsit, vel istæ nõ fuerũt
62 per assumptionem sanatæ. Dices, ex peccato Adæ non solùm naturam humanam, sed personam etiam infectam mansisse: ergo hanc etiam Verbum assumere debuisse, vt morbum ex peccato contractum perfectè sanaret. Respondetur, nullum aliud vulnus hominem in Supposito accepisse, quàm illud, quod in natura, & potentijs contraxit. Vnde ijs sanatis per assumptionem à Verbo omnia Supposita naturæ humanæ quò ad sufficientiam fuerunt à morbo liberata peccati.

63 Ad quartum Resp. ex secunda conclusione sufficienter constare, nullam negationem satis esse ad verificanda, quæ Patres, & Concilia docent de natura, & persona creata. Probationi autem dicitur, si humanitas Christi dimitteretur à Verbo, & nihil positiuum reale illi adderetur, vel conseruari non posse, vel certè non esse personam completè, & formaliter: quia licèt esset incommunicabilis, vt, Quod, non tamen vt, Quo. Vtraq; enim incõmunicabilitas ad rationem personæ est necessaria.
64 Et cùm obijcitur: est per se subsistens in natura intellectuali; ergo est Persona: Resp. si per subsistens intelligatur substantialiter existens, conceditur antecedens, & negatur consequentia. Sicut enim Essentia Diuina præcisis relationibus est in hoc sensu per se subsistens, non tamen Persona formaliter, quia non est vltimatè completa, & formaliter incommunicabilis: sic etiam natura humana in tali casu esset. An verò talis casus sit possibilis, posteà declarabitur.

65 Ad quintũ negatur prima Sequella, quia licèt personalitas sit entitas positiua, à natura separari non potest; nam de intrinseca eius ratione est, vt sit vltimus terminus, & ita esse nõ potest nisi actu terminando naturam, cuius est. Natura verò potest esse sine sua personalitate, quia nõ est de intrinseca ratione illius, quòd actu subsistat, sed aptitudine. Hoc est, quòd sit talis natura, cui modus subsistẽdi per se debeatur: sicut neq; est de intrinseca ratione accidentis, quòd sit actu in alio, sed aptitudine. Vnde sicut in accidenti, quod propriã, & distinctã entita-
66 tem accidentariam habet, quia eius essentia nõ consistit in actuali inhærentia, sed in aptitudinali; ideò actualis inhæsio est modus distinctus saltem ex natura rei ab essentia talis accidentis: nec potest fieri accidens, in quo modus actualiter inhærendi nõ sit aliquid ab eius essentia diuersum, sic etiã de natura substãtiali respectu subsistentiæ dicendũ est, quòd talis modus per se subsistẽdi semper est aliquid superadditũ, & in re à natura distinctũ: ac propterea dari non posse Suppositũ creatũ, quod in re nõ sit à sua natura distinctũ, sicut nulla potest fieri substantia, quæ non sit vniuocè substantia cum his, quæ productæ sunt.

Ad secundã Sequellã Resp. naturam nõ substare suæ personalitati, sed terminari ab illa: quia substare præ- 67
supponit modũ subsistendi, & ita per personalitatem cõstituitur natura in esse personæ, vt accidentibus substare possit. Ad tertiã Sequellã Resp. humanitati Christi 68
nihil defuisse eorum, quæ ad essentiam, vel proprietates pertinẽt. Defuisse tamen entitatem positiuã, quæ naturã in esse incõmunicabilis complere deberet. suppleri verò per nobiliorem entitatem positiuã, ac proindè Christũ esse vniuocè hominem nobiscũ. Ad quartũ negatur Sequella, vt superiùs dictũ est. Nomine autem compositi intelligitur natura cum suo termino, & cõplemento.

SECVNDA DISPVTATIO.

VTrùm illud positiuum, quod Suppositum supra singularem naturã addit, sit aliquid substantiale intrinsecum, vel accidentale. Nonnul- 1
li Discipuli D. Thomæ, quibusdã illius testimonijs decepti, in quibus planè asseris, in rebus creatis Suppositũ, & naturam distingui, quia res creatæ præter specificam essentiam, includunt etiam accidentia indiuiduantia (vt 3. p. q. 2. art. 2. & 4. Contra Gentes cap. 45.) affirmant, Suppositum supra naturam sola extrinseca accidentia addere. Fundamentum eorum non est aliud, nisi quòd quemadmodùm ex accidentium sigillatione resultat in substantia materiali quidam modus substãtialis intrinsecus, per quem formaliter redditur singularis: sic etiam ex huiusmodi accidentibus consurgit modus substãtialis, quo natura formaliter redditur incommunicabilis
omninò. Vnde sicut Philosophi communiter indiuiduã 2
substantiam definiunt per accidentium collectionem, vt patet ex Porphyrio cap. de Specie: sic Sancti Patres Suppositum creatum explicant per accidentales, & indiuiduas conditiones, quas Characteristicas proprietates appellant, vt constat ex Damasceno lib. 1. institutionũ cap. 1. & lib. 3. de Fide cap. 6.

Cæterùm Heruæus quodlib. 3. q. 6. & Capreolus in 3. 3
d. 5. q. 3. asserunt, Suppositum supra naturam addere aliquid substantiale, & non accidentia. Aiunt tamen, illud non esse intrinsecum ipsi Supposito, sicut neq; naturæ, aut essentiæ, sed sicut connotatum extrinsecè: quemadmodùm scibile connotat actum scientiæ. Probant primò, quia si hoc esset intrinsecum Supposito, aliquid foret de essentia Suppositi, quod non esset de essentia naturæ; atq; adeò in hoc Supposito V. G. Petro, duplex es-
set essentia, altera naturæ, altera verò Suppositi &c. Se- 4
cũdò. Quod Suppositũ creatũ supra singularem naturã addit, est actualis existentia: sed illa existentia est extrinseca Supposito creato, sicut ipsius naturæ: ergo &c. Minor probatur; quia Suppositũ supra naturam addit ipsius vltimum complementum: sed existentia est vltimũ complementum substantiale naturæ; quicquid enim aduenit substantię actu existenti, accidens est: ergo Suppositum supra singularem naturam addit existentiam. Quòd autem hæc sit extrinseca ipsi Supposito, patet, quia nequit esse de conceptu alicuius rei creatæ. Nihilominus pro explicatione sit Prima Conclusio.

5 Id, quod Suppositum addit supra naturam, estò ipsi naturæ sit extrinsecum, Supposito tamen est intrinsecum. Probatur. Quod addit Suppositum supra naturã, est id, per quod primò, & per se constituitur in ratione Suppositi, & à cæteris rebus distinguitur: sed id, per quod vnaquæq; res primò & per se constituitur, & à reliquis distinguitur non potest non esse intrinsecum; ergo id, quod addit Suppositum supra naturam, est ipsi Supposito intrinsecum.

6 Secunda conclusio. Quod Suppositum addit supra naturam, neq; sunt accidentia, neq; aliqui modi ex ipsis deriuati, sed aliquid substantiale absolutum, nullum explicitum ordinem importãs ad accidentia. Probatur; nã quod Suppositũ creatũ addit supra naturam creatam, est id, quo primò & per se constituitur in ratione Suppositi, hoc est, substantiæ completæ, & perfectæ: sed nequit constitui in ratione substantiæ completæ per accidentia, neque per modum ex illis deriuatum, sed neque per ordinem explicitum ad illa accidentia: ergo &c. Confirmatur. In natura humana

7 Christi sunt omnia accidentia, quæ in alijs hominibus, vna relatione prædicamentali excepta: & tamen non est Suppositum, aut Persona humana; ergo Suppositum creatum neque constituitur per accidentia, neque verò per aliquem modũ substantialem ex illis deriuatũ.

8 Hinc refellitur primæ opinionis fundamentum. Licèt enim ex accidentibus præuijs, & disponentibus ad formam geniti possit deriuari in natura modus substantialis, quo sigilletur, & determinetur ad hanc numero formã: nequit tamen procedere aliquis modus substantialis, quo natura efficiatur incommunicabilis omninò, & inassumptibilis à Deo. Patres verò Suppositum

9 creatum explicãt per accidentia, nõ quia per illa constituatur, sed quia nobis à posteriori per accidentia innotescit. Et hoc eodem sensu distinxit D. Thomas Suppositũ creatũ à natura per accidentia. Nisi fortassis Suppositũ latiori significatione acceperit pro indiuiduo, quod ex ipsius sententia distinguitur à natura communi per ordinem ad accidentia. Quo autem pacto id sit intelligendum, explicat Caietanus. 1. p. q. 19. art. 1.

10 Ad primam rationem pro Capreolo adductã Resp. quòd sicut eadam est essentia lineæ absolutè sumptæ, & lineæ finitæ, & terminatæ, quamuis hæc supra absolutam essentiam lineæ addat modũ, seu terminũ, quo intrinsecè completur, nempe, punctum: sic eadem est essentia creatæ substantiæ absolutè sumptæ, & substantiæ terminatæ, & cõpletæ. Cæterùm quemadmodũ essentię lineæ cõsideratæ præcisè, vt est diuisibilis, punctus, quo terminatur, est extrinsecus, intrinsecus verò, si vt finita,

11 & terminata reduplicatiuè perpẽdatur: sic naturæ substãtiali, vt est assentia quædã præcisè cõcepta, extrinseca est Suppositalitas; intrinseca verò, si vt vltimò cõpleta est substãtialiter, reduplicatiuè consideretur. Licet autẽ Suppositalitas, vt pote substãtialis naturæ terminus, sit quid intrinsecũ Supposito, prout dicit substãtiã vltimò completam: quia tamen eius genus, aut differentia est, ideò ad substantiam ipsius dicitur pertinere, nõ ad quidditatem, & essentiam.

12 Secundum argumentum postulat peculiarem quæstionem Disputatione sequenti examinandam.

TERTIA DISPVTATIO. §. I.

DVBITATVR, quid sit illud positiuum intrinsecum, quod Suppositum addit supra naturam. De qua re sunt variæ Theologorũ sententiæ. Quidam affirmant, illud reale positiuum esse subsistentiam. Et si ab illis quæratur, quid sit huiusmodi subsistentia, respondent, esse ipsam existentiam substantialem naturæ creatæ, & completæ, & per illã constitui Suppositum in esse Suppositi: superfluum enim esse, alias multiplicare entitates. Hanc sententiam sequũtur multi recentiores Thomistæ. Et prætermisso Capreolo, qui Suppositum creatum constitui docet per actualem existentiam, extrinsecùs, & in obliquo connotatã, vt visum est Disputatione præcedente; eam amplectuntur Ægidius. 3. de Anima Textu. 9. Paludanus in. 3. d. 2. q. 1. art. 3. & M. Medina hoc loco. Addunt tamen, existentiam, per quam vltimò completur Suppositum, esse illi intrinsecam. Fauet autem D. Thomas huic sententiæ multis in locis, præsertim supra q. 2. art. 2. ad. 2. & art. 5. ad 1. & q. 17. art. 2. Vbi ex eo colligit, non esse in Christo nisi vnicum esse existentiæ, quia in eo non est nisi vnum Suppositum. Quæ illatio nihil valeret, nisi existentia foret principiũ formale constitutiuum intrinsecè Suppositi. Et apertiùs quodlibet. 2. art. 4. ad 3. vbi docet, naturam, & Suppositum habere se sicut pars, & totum, quia natura, inquit, & esse adæquatè componunt Suppositum. Prætereà probatur ratione. 1

Primò. Suppositum creatũ est adæquatè idem, quod subsistens: sed subsistens constituitur formaliter, & intrinsecè per existentiam substantialem; ergo & Suppositum creatum. Consequentia patet, & maior est nota ex dictis suprà. Minor verò probatur; quia subsistens est formaliter idem quod substãtialiter existens: ergo subsistentia est idem, quod substantialis existentia. Sed Suppositum, & subsistens constituitur formaliter per subsistentiam omnium consensu; ergo & per substãtialem existentiam. 2

Secundò. Suppositum suprà naturam addit id, quod eam substantialiter, & vltimũ terminat; sed hoc facit existentia: ergo &c. Minor probatur: quia existentia ita complet naturam, vt non relinquat eam in potentia ad aliquid aliud substantialiter recipiendũ: quicquid enim aduenit substantiæ actu existenti, accidens est: ergo eam vltimò substantialiter terminat, & ex consequenti Suppositum per eam formaliter constituitur. 3

Tertiò. Per id formaliter Suppositum cõstituitur, ad quod negatio essendi in alio proximè consequitur: sed negatio essendi in alio proximè consequitur substantialem existentiam; ergo per hanc constituitur formaliter Suppositum. Maior patet ex dictis. Minor probatur. Suppositum ex eo in alio esse non potest, quia existit per se, proximè quia habet per se substantialem existentiam: ergo & quòd in alio esse nõ possit. Ergo negationem essendi in alio. Ergo Suppositum formaliter & proximè constituitur per substantialem existentiam, ad quam talis negatio consequitur. 4

Quartò. Inter essentiam & esse in creaturis est immediata proportio, qualis potest reperiri inter potentiam, & proprium actum: ergo actus essendi, siue existentia substantialis est proprius, & immediatus terminus essentiæ substãtialis. Ergo nõ est necessaria alia entitas, vt essentia fiat susceptiuũ proportionatũ existentię. Cõsequẽtia est euidens, & probatur antecedens. Essentia creata, & existen- 5

& existentia creata, habent se vt proprius actus, & propria potentia: sed hæc habent immediatam proportionem: ergo & illa. Minor probatur: nam materia prima, & forma, quia se habent vt proprius actus, & propria potentia, habent immediatam proportionem. Item potentia, & operatio, quoniam se habent vt proprius actus, & propria potentia, habent immediatam proportionem: ergo similiter essentia, & existentia.

6 Quintò. Si aliud ab existentia esset constitutiuum suppositi, quod mediaret inter essentiam, & existentiam, sequeretur, Deum de potentia absoluta non posse communicare essentiæ existentiam immediatè: sed consequens est falsum: ergo. Probatur sequella: quia iuxta sententiam Thomistarum Deus existentiam materiæ primæ immediatè communicare non potest, quia non est immediatum existentiæ susceptiuum, nisi per formam. Et ita inquit D. Thomas 2. Contra Gent. cap. 54. Sicut se habet Diaphaneitas ad lucem, ita forma ad esse: nam sicut Diaphaneitas facit, vt aer sit

7 subiectum capax lucis; sic forma facit materiam capacem existentiæ: sed essentia per seipsam non est capax existentiæ, sed mediante aliquo alio: ergo &c. Falsitas consequentis probatur: quia essentia creata non est pura potentia, sed habet aliquid admixtum actualitatis; ergo nulla est repugnantia, quòd Deus communicet illi immediatè existentiam sine aliquo alio medio.

8 Sextò. Si præter existentiam esset alius terminus constitutiuus suppositi, sequeretur, in rebus materialibus esse triplicem compositionem: sed consequens est contra communem omnium sensum: ergo &c. Probatur sequella; quia esset compositio ex materia, & forma, ex essentia, & personalitate propria, & ex esse & essentia. Confirmatur; quia D. Thomas. 1. p. q. 3. art. 4. Satis superq; existimat se probasse, in Deo suppositum nihil reale addere supra naturam, quia probauit, in Deo non differre esse ab essentia. At verò si suppositum requirit alium terminum illius constitutiuum ab esse distinctum, ex eòquòd D. Thomas probauerit, esse in Deo non differre ab Essentia, non probauit sufficienter, suppositum in Deo nihil reale addere naturæ: ergo &c.

Secunda Opinio. §. II.

9 SECVNDA Sententia præcedenti opposita docet, constitutiuum suppositi non esse existentiam, sed alium quendam terminum substantialem. Vnde suppositum iuxta hanc opinionem addit supra naturam singularem duas entitates ab illa realiter distinctas. Altera dicitur subsistentia, qua terminatur natura: altera verò existentia, qua natura formaliter existit. Inter has autem duas entitates superadditas naturæ, est talis ordo, quòd subsistentia est prior, quàm existentia: quia natura per subsistentiam redditur capax existentiæ. Itaq; subsistentia est terminus substantialis naturæ, quæ illam complet, & terminat, & est ratio ipsi naturæ subsistendi, & substandi & existentiæ substantiali, & omnibus accidentibus proprijs, & communibus. Qui terminus non est intrinsecus naturæ, ita vt ad rationem eius pertineat, est tamen intrinsecus personæ, ipsam constituens in ratione personæ: sicut punctus lineæ non est de ratione lineæ absolutè, sed prout est ter-

10 minata. Quò fit, vt Personalitas non sit accidens, vt distinguitur contra substantiam, sed sit terminus substantialis reductiuè positus in prædicamento substantiæ. Hanc sententiam tenet Caietanus in commentario huius articuli, & Ferrar. 4. Contra Gent. cap. 43. M. Bañes 1. p. q. 3. art. 3. Dub. 1. & alij recentiores. Probat autem Caietanus suam opinionem ex D. Thom. infra q. 17. art. 2. vbi docet, existentiā cõuenire naturæ, vt, Quo, Supposito verò vt, Quod. Sed quod inest alicui vt, Quod, præsupponit illud iam constitutum; ergo non constituitur existentia, sed alia distincta entitate ab existentia, nempe, subsistentia. Præterea ibidem docet D. Thomas, esse actualis existentiæ recipi in persona, non in natura; sed receptum præsupponit recipiens iam constitutum: ergo non constituitur intrinsecè existentia. Confirmatur: quia Suppositum debet constitui aliquo intrinseco: sed existentia est extrinseca, subsistentia verò intrinseca: ergo constituitur subsistentia. Item, quia in Diuinis Subsistentia est intrinseca Supposito, atq; adeò constitutiua illius. ergo similiter in creatis. 11

Tertia Opinio. §. III.

TERTIA Sententia asserit, in rebus creatis suppositum addere supra naturam modum positiuum, quo perfectè terminatur natura, vt in se, & per se sit, neq; indigeat alio sustentante. Vnde constitutiuum formale suppositi est quidam modus intrinsecus essendi per se, & incommunicabiliter existentiæ superadditus; qui modus dicitur subsistentia, & modificat naturam existentem, vt existens est, atq; adeò ipsam existentiam: nam ex vi existentiæ solùm intelligitur natura esse extra suas causas, & apta vt in se, & per se sit; per subsistentiam verò actu terminatur, & quasi formaliter constituitur in modo per se essendi: sicut seruata proportione intelligitur in inhærentia accidentis actuali, quæ est modus existentiæ accidentalis, ex cuius vi solùm constituitur forma accidentalis extra suas causas apta ad existendum in alio. Et per modum inhærentiæ terminatur, vt in alio actualiter existat. Vnde iuxta istam sententiam Personalitas, & Subsistentia ad hoc datur naturæ, vt illi det vltimum complementum in ratione existendi; vel vt eius existentiam compleat in ratione subsistentiæ, ita vt Personalitas, siue Subsistentia non sit propriè terminus, aut modus naturæ secundùm esse essentiæ, sed secundùm esse existentiæ ipsius naturæ. Itaq; secundùm istam opinionem existentia prius conuenit naturæ, quàm subsistentia: & tunc existentia naturæ substantialis completè terminatur, quando afficitur modo existendi per se; qui modus complet rationem Subsistentiæ creatæ, & habet propriam rationem Personalitatis, seu Suppositalitatis. Etenim subsistere dicit determinatum modum existendi per se, & sine dependentia à sustentante. Subsistentia ergo dicitur terminus, aut modus naturæ, secundùm esse existentiæ: quia secundùm esse essentiæ iam natura est omninò completa, neq; indiget alia determinatione, præsertim cùm iam supponatur contracta vsq; ad indiuiduationem, & singularitatem. Quare sic concepta secundùm esse essentiæ, proximè, & immediatè indiget existentia, qua fiat ens actu. Postquàm autem actu essentia est ens actu, solùm indiget modo existendi in se, & per se, atq; adeò hic est vltimus terminus naturæ secūdū eius existentiam, & hoc est proprium munus Suppositalitatis. 12 13 14 15

formaliter per modum superadditum, ratione distinctum, quo suppositum, seu Persona Dei constituitur: ergo à fortiori existentia substantialis in creaturis per se nō poterit vltimatè emplere naturam: ergo à fortiori existentia substantialis in creaturis per se non poterit vltimatè complere naturam, & eam omninò incommunicabilem reddere, sed hoc fit formaliter per modum intrinsecum superadditum, formaliter & ex natura rei ab ea distinctum, quo perinde constituitur formaliter ipsum suppositum. Dices, existentiam Dei, quia est simpliciter, & absolutè infinita, posse communicari suppositis realiter distinctis, sed non posse naturam reddere incommunicabilem, nec suppositum constituere: secus verò esse de existentia substantiali creaturarum, quæ cùm sit omninò finita, & limitata est pluribus incommunicabilis; atq; adeò potest naturam, cui inest, facere incommunicabilem, & inassumptibilem omninò, & ex consequenti per seipsam constituere suppositum omni modo secluso, re aut ratione distincto.

29

30 Sed contra est: quia Verbum assumpsit humanitatem existentem per propriam, & intrinsecam existentiam, ergo existentia substantialis creata non facit naturam per seipsam incommunicabilem, atq; adeò neq; constituit suppositum. Consequentia est euident, & antecedens probatur. Primò, quia vel Verbum assumpsit humanitatem actu existentem, vel possibilem: sed non assumpsit possibilem; quia quod assumitur præsupponitur assumptioni, sicut quod mouetur, præsupponitur ad motum, non solùm vt possibile, sed vt actu existens, vt docet D. Thomas in corpore: ergo & quod assumitur præsupponitur vt actu existens, & ex consequenti Verbum assumpsit humanitatem existentem propria,

31 & intrinseca existentia. Confirmatur. Assumpsit humanitatem productam: ergo existentem. Antecedens patet, ex dictis, nam quod assumitur debet in esse producto præsupponi assumptioni. Consequentia verò probatur, quia generatio, & productio est via ad esse.

32 Dices, esse viam ad esse essentiæ, non existentiæ per se, ac formaliter. Contra. Illa actio productiua humanitatis Christi non solùm habuit esse essentiæ, sed etiam actualis existentiæ; actu enim inhæsit in natura: ergo & terminus, nempe, humanitas producta ex vi illius actionis non solùm habuit esse essentiæ; sed etiam actualis existentiæ. Patet cōsequentia: tum, quia actio, & terminus commensurantur; tum etiam, quia actio cum sit modus realiter identificatus cùm termino, non habet essentiam realiter distinctam ab existentia termini: ergo neq; separabilem ab existentia illius.

33 Postremò probatur. Implicat rem existere intrinsecè per extrinsecam existentiam alterius, ita enim intrinseca est existentia rei actu existenti, sicut albedo albo; ergo sicut implicat, aliquid esse intrinsecè album per extrinsecam albedinem alterius, ita etiam esse existens per extrinsecam alterius existentiam. Sed humanitas Christi verè, & intrinsecè existit: ergo per intrinsecam existentiam, & non per alienam. Ergo existentia substantialis propria nō reddit naturam incommunicabilem, nec constituit suppositum, vt dicebat prima sententia, sed modus quidam incommunicabiliter existendi superadditus, & ab ipsa natura formaliter distinctus. Plures aliæ opiniones referuntur à Caietano, & Medina, sed hæ sunt celebriores. Vnde pro decisione veritatis sit Prima Conclusio.

Prima Conclusio. §. IIII.

QVAMVIS Suppositum addat supra naturam singularem, existentiam substantialem, illa tamen non est vltimum complementum constitutiuum suppositi, siue dicatur conuenire supposito intrinsecè, siue extrinsecè. Hæc conclusio est D. Thomæ quodlib. 2. artic. 4. vbi ait, esse existentiæ communicari quidem supposito, non tamen esse de ratione illius. Ex quo sumitur ratio, optima ad probandam conclusionem. Principium formale cōstitutiuum est de intrinseca ratione constituti, & conceptu eius: sed existentia non est ita de conceptu suppositi creati: ergo. Minor probatur; quia suppositum potest concipi sine existentia, imò cum opposito illius: ergo non est de intrinseca ratione, & conceptu illius, sed potiùs illi accidentalis. Dices, existentiam esse de conceptu suppositi actualis, de quo nunc est sermo. Sed contra est: quia vel est sermo de supposito actualiter existente specificatiuè, vel reduplicatiuè. Si primum, falsum est, existentiam esse de illius conceptu, nam existentia est accidens respectu cuiusuis; creaturæ, & soli Deo essentialis. Si reduplicatiuè, etiam si sit verum, & vt tale admittatur, id non sufficit, nam etiam est de conceptu hominis actu existentis, & tamen nemo dixit, hominem constitui formaliter per existentiam. Vnde fit argumentum. Quoties effectus formalis alicuius formæ, alieni est accidentalis, etiam forma est accidentalis; sed existere est accidentale respectu cuiuslibet suppositi creati: ergo existentia, à qua prouenit talis effectus, erit tali supposito accidentalis. 34 35

Secundò. Suppositum creatum est adæquatè idem, quod prima substantia posita in recta linea; sed prima substantia non constituitur formaliter per actualem existentiam, sed per modum substantialem positiuum, ratione cuius debetur illi per se, & incommunicabiliter existere: etenim omnia, quæ in prædicamento collocantur, ab actuali existentia præscindunt; ens enim nominaliter, & non participialiter sumptum est, quod in decem genera diuiditur: ergo similiter suppositum creatum non constituitur per actualem existentiam formaliter, sed per modum substantialem intrinsecum, ratione cuius debetur illi per se & incommunicabiliter existere. 36

Confirmatur. Si existentia esset constitutiua suppositi, & de intrinseca ratione illius, hæc propositio, Petrus existit, esset perpetuæ veritatis, sed hoc est falsum: ergo. Maior patet; quia prædicatum est de intrinseca ratione subiecti. Minor verò probatur, quia iam Petrus existeret ab æterno. Etenim ad veritatem huius propositionis, Petrus existit, necessum est, vt Petrus in rerum natura existat: ergo si est perpetuæ veritatis, perpetuò existit Petrus. Item sequitur, hanc propositionem, Petrus est homo, non esse perpetuæ veritatis, nam æquiualet huic, Petrus existens est homo, siquidem existentia clauditur intrinsecè in subiecto, & est constitutiua illius: sed illa est falsa, saltem quando Petrus non existit, cùm non supponat subiectum, ergo. Quidam respondent, existentiam in actu signato, hoc est, conceptam per modum termini constitutiui suppositi, esse de intrinseca 37 38 39

intrinseca ratione illius, at verò in actu exercito, idest,
prout exercet officium existentiæ, & constituit suppo-
situm extra nihil, non esse de ratione illius. Similiter
dicunt, illam propositionem, Petrus existit, nō esse per-
petuæ veritatis, nam Verbum, Existit, dicit existentiam
in actu exercito hæc autem non est de intrinseca ratio-
ne creati suppositi, sed solius Dei.

40 Nihilominùs vtraq; responsio est inualida, & facilè
refutatur. Et prior quidem sic reijcitur. Existentia iuxta
præfatam solutionem, in actu signato constituit sup-
positum, hoc est, prout est terminus naturæ, illam ter-
minans, & complens. sed non potest terminare, & com-
plere, nisi in actu exercito, prout exercet rationem exis-
tentiæ, ergo vt est in actu exercito, est de intrinseca ra-
tione suppositi, quod est omninò falsum. Vnde hæc dis-
tinctio impertinens est, aliàs poterit dici, existentiam in
actu signato esse intrinsecam, & essentialem naturæ
specificæ; quod est inauditum: quia iuxta hanc respon-
sionem existentia in actu exercito est tantùm de intrin-
seca ratione Dei, & vt sic nequit esse intrinseca, & essen-
tialis creaturæ: ergo in actu signato potest esse intrin-
41 seca, & essentialis naturæ specificæ. Posterior res-
ponsio etiam refutatur, quia sicut differentia respe-
ctu naturæ specificæ est terminus essentialis, & sic præ-
dicatur per se de specie, & propositio, in qua prædicatur
differentia de specie, est perpetuæ veritatis: sic etiam
existentia saltem in actu signato est terminus essentia-
lis, & intrinsecus Supposito iuxta prædictam solutio-
nem; atq; adeò debet prædicari per se de supposito
creato: ita vt hæc prædicatio, Petrus est existens, in qua
existentia prædicatur in actu signato, sit perpetuæ ve-
ritatis, quod à nemine conceditur.

42 Tertiò. Quæcumq; substantialis natura habet ter-
minum substantialem, sibi proprium, & connaturalem,
quo terminetur, & compleatur: sed existentia non est
terminus proprius, & connaturalis naturæ creatæ; ergo
assignandus est alius terminus completiuus naturæ, &
constitutiuus suppositi. Consequentia patet: & maior
est certa; nam quælibet natura est sibi sufficiens, atq;
adeò habet terminum proprium, & sibi connaturalem,
quo terminetur, & compleatur. Minor verò probatur:
quia existentia est soli Deo connaturalis, & propria.
43 Dices, terminum essentialem cuiuscumq; naturæ, nem-
pe, differentiam essentialem, debere esse proprium, & in-
trinsecum ipsi naturæ; terminum verò, qui est vltimum
complementum naturæ, licet non debeat esse omninò
extraneum à principijs ipsius naturæ, optimè intelligi-
tur, non esse illi omninò proprium, & connaturalem,
sed haberi ex participatione supremæ naturæ increa-
tæ, cuius est complere, & consummare omnia creata:
Et ita existentiam non esse omninò extraneam naturæ
44 creatæ, sed haberi ex Diuina participatione. Cæterùm
contra hanc solutionem instatur. Existentia, vt pluri-
bus locis docet D. Thomas, est extrinseca omni naturæ
creatæ, & non est illi connaturalis, sed accidentaria; er-
go nullo modo est terminus proprius, & intrinsecus
naturæ. Item quia ad supremū ens, quod est extrinsecū
omni creaturæ, & est supra omnem creaturā, pertinet
complere, & consummare omnia creata extrinsecè, &
per quandam extrinsecam perfectionem; quare exis-
tentia non est terminus proprius, & intrinsecus rei
creatæ.

Postremò. Personalitas, seu Subsistentia Personalis est 45
propria sui ratione est incommunicabilis pluribus sup-
positis: sed existentia in ratione existentiæ est pluribus
suppositis communicabilis: ergo non est idem forma-
liter subsistentia, & existentia. Maior est nota, & minor
probatur, quia existentia Diuina, cui per se primò con-
uenit ratio existentiæ, vna & eadem perseuerant, com-
municatur tribus Diuinis Personis. Confirmatur. quia
in Deo constitutiuum Personæ non est existentia ergo
in creatoris constitutiuum personæ, & suppositi non est
existentia. Consequentia constat ex paritate rationis, &
antecedens probatur: quia tres Diuinæ Personæ consti-
tuuntur in esse personali per relationes.

Ex dictis sequitur, sententiam Capreoli implicare 46
contradictionem, quatenùs docet, existentiam extrinse-
cè constituere suppositum. Et probatur manifestè. quo-
niam si existentia solùm pertinet extrinsecè ad supposi-
tum: ergo priùs naturâ intelligitur suppositum consti-
tutum in esse suppositi, quàm intelligatur habere exis-
tentiam, & ex consequenti aliquod principium consti-
tutiuum suppositi intrinsecum assignandum est; quod
Capreolus non explicat. Consequentia probatur. Exis-
tentiam esse actum extrinsecum suppositi, nihil aliud
esse potest, quàm quòd ratio suppositi constituatur in
ordine ad existentiam, non tamen quòd ipsa existentia
formaliter inhærens constituat ipsum suppositum: er-
go priùs naturâ quàm intelligatur, suppositum habere
formaliter existentiam, præintelligitur constitutum in
esse suppositi.

Præterea est manifesta repugnantia dicere, suppositum 47
tum & naturam distingui à parte rei, & tamen supposi-
tum nihil addere naturæ, quod sit ipsi supposito intrin-
secum, sed aliquid tantùm extrinsecè connotatum. Ete-
nim si in ipsa intrinseca suppositi constitutione non
includitur esse existentiæ, interrogo, An in his, quæ sup-
positum intrinsecè includit, seu ex quibus intrinsecè
constituitur, includatur aliquid, quod in intrinsecam
naturæ constitutionem non intret. Si hoc dicatur: de
eo inquiritur, quid sit: nam illud est per quod intrinse-
cè & formaliter distinguitur suppositum à natura, &
non esse existentiæ, quod vtiq; iuxta sententiam Ca-
preoli est extrinsecum. Si vero dicatur, nihil includi in-
trinsecè in supposito, quod in natura intrinsecè non in-
cludatur, vel è contra; sequitur, hæc duo in re ipsa non 48
distingui. Si asseratur, naturam & Suppositum non dis-
tingui intrinsecè, sed solùm extrinsecè contra. Distin-
ctio in sola re extrinseca intelligi non potest, nisi ratio-
ne illius sit etiam distinctio in aliquo intrinseco: quia
distinctio in hoc immediatè consistit, quòd vnum non
sit aliud; & ideò necessariò requiritur, vt extrema realia,
quæ in re distinguuntur, sic se habeant, vt vnumquod-
q; aliquid habeat intrinsecè in seipso, quod aliud non
habeat: ac proinde distinctio per extrinseca semper im-
mediatè est per aliquid intrinsecum. Vt V.G. si visus, &
auditus per colorem, & sonum extrinsecè distinguun-
tur, necessariò debent intrinsecè distingui realiter in
entitatibus, quæ colores, vel sonos respiciunt. Si verò 49
dicatur ita esse in præsenti, nam suppositum distingui-
tur à natura per habitudinem ad existentiam substan-
tialem, cùm suppositum sit, cui debetur esse, naturæ ve-
rò non item: contra hoc est; quia essentia realis etiam
dicit habitudinem ad realem existentiam. Dices, adhuc
esse

esse differentiam, quia natura est quasi principiũ, Quo; existentiæ, suppositum autem est id, quod propriè existit. Contra. Ergo suppositum includit aliquid præter existentiam, in re distinctum à natura, ratione cuius dicitur capax existentiæ, vt, Quod, cùm natura tantùm sit vt, Quo. Illud ergo, quod suppositum includit, est, quod in ratione suppositi illud intrinsecè constituit.

Secunda Conclusio. §. V.

50 COMPLEMENTVM Substantiale, quo suppositum formaliter constituitur, non est modus subsequens existentiam, sed potiùs antecedens, & ad illam suscipiendam disponens. Sic docet expressè D.Thom. infra q. 17. art. 2. ad. 1. vbi ais. *Esse consequitur naturam, & suppositum, naturam quidem, sicut qua aliquid est, suppositum verò, sicut id, quod est, seu habens esse.* Ex quo sumitur argumentum. Quod consequitur rem aliquam, præsupponit illam constitutam; sed esse existentiæ consequitur suppositum; ergo præsupponit constitutum. Ergo & rationem formalem illius constitutiuam. Subsistentia ergo non est modus subsequens existentiam, sed potiùs illam antecedens.

51 Secundò. Prius naturà conuenit rei, quod substantiale, & intrinsecum est, quàm quod accidentale, & extrinsecum: sed complementum substantiale, quo suppositum constituitur, est sibi intrinsecum, & substantiale; existentia verò extrinseca, & accidentalis: ergo constitutiuum suppositi prius est ordine naturæ, quàm existentia; & ex consequenti nõ est illius modus. Dices; conuincere argumentum, complementum, quo suppositum constituitur, prius esse existentia suppositi, non verò existentia naturæ substantialis. Ex quo concluditur, rationem formalem constitutiuam suppositi non esse modum existentiæ ipsius suppositi: non tamen conuincere, non esse modum existentiæ naturæ substantialis.

52 Sed contra est: quia eadem est existentia, per quam suppositum existit, & natura: ergo si suppositalitas est prior ordine naturæ; quàm existentia suppositi, erit etiam prior quàm existentia naturæ. Antecedens probatur ex D. Thoma dicente, quòd vnius suppositi vnicum est esse simpliciter, quo totum ipsum per se est, & est id, quod est; at verò quæ ad constitutionem & integritatem eius pertinent, secundariò, & vt quo existunt. Ergo cùm suppositum creatum, quatenus ex natura, &

53 suppositalitate constituitur, sit vnum ens simpliciter; vnico esse existentiæ Suppositum, vt Quod, natura verò & Suppositalitas, vt Quo, existunt. Etenim tot esse in quacumq; re existentias, quot entitates, est error intolerabilis in Philosophia: vt supra ostensum est; q. 3. artic. 11. Disput. 2. conclus. 3. Et multò intolerabilius est, quod M. Suarez affirmat, nempe, ad hoc, quòd Suppositum existat, indigere noua existentia distincta ab ipsius naturæ existentia. Etenim cùm ex sententia huius authoris id, quod Suppositum addit supra naturam substãtialem, sit modus intrinsecus existentiæ naturæ substantialis, faciens ipsam per se, & incommunicabiliter existere, fit, vt modus iste noua existentia non indigeat,

54 vt per se existat, vt Quo. Ex quo obiter intelligitur, cur tres Personæ Diuinæ per vnam indiuisibilem existentiam formaliter existant: nempe, quia res constitutiuæ Diuinarum Personarum sunt quasi modi existentiæ Diuinæ; modus autem, vt existat, noua alia existentia non indiget. Et quamuis natura haberet existentiam, ab existentia suppositi distinctam, vt Antithomæ volunt, adhuc facilè defendi posset, priùs suppositalitatẽ, quàm propriam existentiam recipere: nam quoties res est in potentia ad plures actus recipiendos ordine quodam, 55
priùs recipit actum substãtialem, & intrinsecum, quàm accidentalem, & extrinsecum: sed natura est in potentia ad recipiendos actus subsistentiæ, & existentiæ ordine quodam, ergo priùs recipit actum subsistentiæ, qui sibi est magis intrinsecus, quàm actum existentiæ; qui est accidentalis, & extrinsecus. Infra q. 17. art. 2. Disp. 2.

Confirmatur. Sicut punctus se habet respectu lineæ, 56
ita suppositalitas respectu substantialis naturæ: ergo sicut linea priùs intelligitur compleri per pũctum, quàm habeat existentiam, ita priùs naturà intelligitur compleri per subsistentiam, quàm per actualem existentiam. Imò natura non est capax existentiæ, nisi vt terminata per subsistentiam: sicut enim res se habent ad esse, ita ad operari. Vnde sicut essentia substantiæ crea- 57.
tæ, quia est incompleta, & imperfecta, non est operatiua, sed indiget potentijs superadditis: sic etiam non est proximè existentiæ susceptiua, sed ad eam suscipiendam indiget subsistentia, per quam proximè fit capax existentiæ. Vnde cùm dicunt Philosophi, substantias creatas ex esse & essentia, veluti ex actu, & potentia componi, & D.Thomas, essentiam comparari ad esse, vt diaphanum ad lucem, non de nuda essentia, & quidditate per se, sed de ipsa iam completa; & terminata, per subsistentiam loquuntur. Vide supra q. 3. art. 11. Disp. 2. conclus. 4.

Tertia Conclusio. §. VI.

COMPLEMENTVM Intrinsecum constitutiuum suppositi est quidam terminus substantialis, purus, materialis, intrinsecus, & vltimus naturæ substantialis, vnam per se completam substantiam capacem essendi, & operandi, vt Quod, cum ipsa constituens, & dicitur Subsistentia, Personalitas, siue Suppositalitas. Hæc cõclusio est communis inter Thomistas, & magis indiget explicatione, quàm probatione, eamq; explicãt Caietanus, & M. Bañes. Et primò subsistentia dicitur substantialis terminus naturæ, quia licèt hæc antecedenter ad subsistentiam intelligatur cõpleta essentialiter per suam specificam differentiam, & materialiter contracta per differentiam indiuidualem: adhuc tamen in ratione substantiæ non est completa, & terminata, sicut neq; linea singularis sine puncto. Vnde 58
humanitas Christi, tametsi indiuidua, & singularis, quia propria caret subsistentia, potuit per subsistentiam Verbi substantialiter terminari. Dicitur purus, ad excludendum omne causalitatis genus; pendet enim natura à Subsistentia per se veluti à terminante. Sicut ergo linea pendet à puncto, vt à terminante, non verò vt à causa efficiente, & formali: sic etiam natura substantialis pendet à Suppositalitate, veluti à complemento substantiali, non verò vt à causa. Si enim substantialiter termina- 59
re naturam (quod solùm est de conceptu subsistentiæ) esset extrinsecum, putà causare effectiuè, aut finaliter, non posset vna Persona Diuina sine alia naturam creatam terminare, vt accidit in Christo. Si verò esset intrinsecè causare, nempe, materialiter, aut formaliter, 60
nulla

nulla Persona Diuina posset terminare naturam: etenim
puro actui repugnat & informare, & informari. Ve-
rum est tamen, quòd ratio termini propter similitudi-
nem, quam habet cum forma in hoc, quod est comple-
re, & perficere, ad genus causæ formalis reduci solet.
Vi de sublatis imperfectionibus actualis informatio-
nis, & inhærentiæ, Persona Verbi potest dici forma, &
actus humanitatis Christi, prout explicat Caietanus in
fine sequentis articuli.

61 Dicitur Materialis, non quòd subsistentia à materia
potissimùm oriatur, vt inquit M. Suarez Disp. 34. citata
sectio. 3. Præcipue enim prouenit à forma, cùm sit quid
substantiale constituens Suppositum substãtiale, & re-
spiciens actum essendi: etenim Subsistentia non est acci-
dens, vt distinguitur contra substantiam, tametsi acci-
dat naturæ: & ideò reductiuè ponitur in prædicamento
substantiæ ad latus Suppositi, quod constituit. sed appel-
latur materialis, vel quia subiectum proximè, & quasi
materiam actui essendi constituit, vel quia non nouam
essentiam, & quidditatem, sicut differentia specifica
62 constituit, sed eandem naturæ essentiam nouo modo
determinat, sicut differentia indiuidualis, quæ ob ean-
dem rationem materialis appellari solet. Item dicitur
materialis ad differentiam existentiæ, quæ respectu es-
sentiæ, & omnium graduum habet rationem termini
formalis. Subsistentia verò nequit propriè appellari ter-
minus formalis, quia ex sua ratione habet constituere
primam substantiam, quæ est primum subiectum ma-
ximè substans, ac proinde potiùs est terminus materia-
lis, quàm formalis: nam subiectum, quod constituit, ha-
bet rationem materiæ.

63 Præterea appellatur intrinsecus, nempe, Supposito, vel
naturæ completæ, & terminatæ, siue vt est substantia
in recta linea prædicamentali directè constituta. Natu-
ra enim, vt à Subsistentia præscindit, habet rationem
quidditatis, & essentiæ: imò vt est singularis, reductiuè
tantùm ad prædicamentum substantiæ pertinet, vt pa-
tet in humanitate Christi. Dicitur vltimus, quia sicut
punctus est vltimus terminus lineæ, quia ita illam com-
plet, & perficit, vt nihil intrinsecum desit illi, considera-
tæ vt est natura quædam, posita directè in prædica-
mento quantitatis: sic etiam subsistentia est vltimus
terminus naturæ substantialis, quoniam ita illam ter-
minat, & complet, vt nihil intrinsecũ illi desit, quomi-
nùs sit cõpleta substãtia in recta linea directè cõstituta.

64 Tandem dicitur Subsistentia vnam substantiam per
se cum natura constituere, quia in quolibet genere ex
terminabili, & terminante vnum per se completum re-
sultat, vt ex linea, & puncto in quantitate: & ita ex natu-
ra & Subsistentia resultat vna completa substantia ca-
pax operandi, vt Quod; natura autem sine subsistentia
tantum habet operari, vt Quo; esse enim, & operari, vt
Quod, est propriũ Suppositi, vt est receptum in doctri-
65 na D. Thomæ, & Aristotelis. Illud etiam est aduerten-
dum, subsistentiam facere subiectum capax proximè es-
sendi, vt Quód, operandi verò radicaliter, & remotè,
& non cum proxima potentia. Et quia actus, & po-
tentia sunt in eodem genere, vt docet D. Thom. 1.
part. quæst. 77. artic. 1. fit, vt suppositum per suam
intrinsecam entitatem substantialem, possit esse in
proxima potentia ad actum essendi substantialem,
non verò ad actum accidentalem operationum.

Sic autem explicata conclusio est Caietani in hoc
articulo, vbi reuocat sententiam, quam 1. p. q. 3. artic. 3. 66
docuerat, nempe, in immaterialibus, vt in Angelis, non
distingui Suppositũ à natura per aliquid ipsi Supposito
intrinsecum. Hic autem oppositum tenet, dicens, sup-
positum à natura distingui, quia addit supra il-
lam, quandam terminationem, & complemen-
tum intrinsecum, quod est subsistentia. Sed proba-
tur conclusio. Quæcumq; natura habet terminum 67
completiuum, sibi proprium, & connaturalem: sed exis-
tentia non est terminus proprius, & connaturalis alicui
naturæ creatæ, quia existere est proprium solius Dei,
creaturis verò conuenit per quandam participationem;
ergo existentia non est proprius terminus completiuus
naturæ creatæ: at verò personalitas, & subsistentia est
terminus completiuus ipsius naturæ, ergo &c.

Confirmatur primò. Antequàm natura intelligatur 68
in Supposito constituta, etiam si sit existens, vt in opi-
nione Antithomarum fuit humanitas Christi ante as-
sumptionem, intelligitur communicabilis, intermi-
nata, & dependens ab alio, constituta autem in
Supposito intelligitur terminata, incommunicabi-
lis, & independens ab alio, tanquàm à sustentante: ergo
suppositum intrinsecè constituitur per subsistentiam, &
addit supra naturam hunc terminum, & complemen-
tum intrinsecum ipsius naturæ. Secundò confirmatur: 69
quia personare, & personari, est, terminare, ac termina-
ri, ideò enim natura à Verbo assumpta, dicitur termi-
nari per Suppositum Verbi, quia Personatur à Verbo, &
Verbum dicitur terminare, quia personat, hoc est, com-
municat suam Personalitatẽ, & Subsistentiam ipsi hu-
manitati: ergo Personalitas est terminus naturæ: & vlti-
mus quidem, vt appellatur à Caietano, & Ferrariensi:
quia est terminus proprius, & connaturalis, ac intrinse-
cus ipsius naturæ; & ex consequenti reddit illam vlti-
mò incommunicabilem. Et licèt existentia sit etiam 70
vltimus terminus naturæ, quia tamen non est illi pro-
prius omninò, & connaturalis, sed extrinsecè conuenit
illi, & per participationem à Diuina existentia: idcircò
ex se non habet reddere naturam incommunicabilem,
quin potiùs ipsa existentia creata redditur incommuni-
cabilis ex subiecto, in quo recipitur, nempe, ex supposi-
to, quod est proprium eius susceptiuum. Item existen-
tia, quamuis terminet vltimò & personam, & naturam
in ratione existendi, quia non existunt nisi per existen-
tiã, nõ tamẽ est terminus in ratione subsistẽdi, neq; pri-
mus, neq; vltimus, quia non est proprius, & cõnaturalis.

Ex his sequitur primò, primam rationẽ incõmuni- 71
cabilitatis in persona, non esse existentiam, sed subsis-
tentiam, quæ est terminus intrinsecus per se primò
constituens Suppositum, vel Personam in ratione per-
sonæ. Infertur secundò, personalitatem, & subsisten-
tiam esse aliquid distinctum à natura singulari, nam
terminus est aliquid distinctum à re, quam terminat:
esse tamen aliquid naturæ (completæ, scilicet, & perfe-
ctæ) sicut punctus est aliquid lineæ, quam terminat,
cùm sit ipsius terminus. Elicitur tertiò, posse hunc ter- 72
minum separari à natura, ita scilicet, vt natura singula-
ris existat sine actuali terminatione propria, vt cùm as-
sumitur ad aliquid completius, vt constat in Christi
humanitate; non tamen illa entitas sine natura existere
potest, sicut linea potest esse sine actuali termino,
nempe,

Digitized by Google

nempe, sine puncto in actu, vt linea circularis, punctus verò sine linea non existit.

73 Colligitur quartò: quòd istum terminum, & entitatem positiuam sequitur illa duplex negatio Scoti, & entitates reales positiuæ, vt existentia, & filiatio realis, quia simul ac terminata est natura proprio termino, & personalitate, intelligitur terminata totaliter, intensiuè, & extensiuè, & ex consequenti neq; terminata, neq; terminabilis Diuina Personalitate. Et quòd sequantur entitates personales, constat ex eo, quòd natura per personalitatem primò constituitur capax talium realitatum, quæ sunt propriæ naturæ terminatæ, & quæ iam est Suppositum. Quid autem horum priùs sequatur naturam, illa duplex negatio, an potius realitates, dicendum

74 videtur, quòd priùs sequitur naturam terminatam negatio in primo signo naturæ, quæ in illa entitate positiua immediatè fundatur: nam eo ipso quòd est terminata proprio termino, intelligitur non terminata, neq; terminabilis alieno; & statim quasi in secundo signo sequuntur aliæ realitates personales. Ad hoc autem explicandum est simile in homine, cui in primo signo conuenit negatio prædicati disparati, vt non esse equum, aut Leonem; quæ in sua propria differentia constitutiua fundatur, & in secundo signo conueniunt proprietates ad naturam pertinentes, vt esse risibilem, flebilem, &c.

75 Deducitur quintò, falsò asseruisse Caietanum hic, cui subscribit Fonseca lib. 5. Methaphys. cap. 8. q. 4. sectione vltima ad vltimum, hanc entitatem non facere compositionem cum natura, quia non est forma, neq; accidens eius, sed purus terminus: terminus autem nō componit cum terminato, vt linea non componitur ex punctis; & ita Personalitas non componit cum natura, sed habent se sicut terminus, & terminatum. Cæterùm hæc

76 sententia est falsa, & manifestam inuoluit repugnantiã, quòd hæc entitas sit res distincta à natura, & quòd ex illa & natura resultet Suppositum, quod est ens per se vnum, & quòd non sit per veram, & propriam compositionem. Etenim inter illa necessario debet intercedere aliqua realis vnio, aliàs non resultaret ex eis vnum per se: ergo eadem ratione debet intercedere compositio; quia cōpositio nihil est aliud, quàm realis vnio rerum distinctarum. Secundò. Suppositum creatum non est ens simplex ex vi suæ constitutionis, in hoc enim secundùm omnes distinguitur à Supposito increato: ergo est ens cōpositū, quia inter hæc nō est mediū. Ergo est cōpositū ratione cōpositionis, quæ sit ex natura, & Suppo-

77 sitalitate. Tertiò. Existentia, quamuis non sit accidens, neq; forma, sed terminus extrinsecus essentiæ, facit veram compositionem cum essentia, vt concedit Caietanus de Ente, & Essentia q. 11. dicens, omnem creaturam verè, & realiter esse compositam ex esse & essentia. ergo licèt personalitas non sit forma, neq; accidens, neq; pars propriè sumpta, potest realiter componere cum essentia, & natura.

78 Confirmatur, quia ex Verbo, & humanitate in Incarnatione fit propria compositio, tametsi ineffabilis, vt supra ostensum est q. 2. art. 4. Et tamen Verbum neq; est forma, neq; accidens, sed terminus naturæ assumptæ. Ratio ergo compositionis, seu extremi componentis latiùs patet, quàm hæc omnia, quia ratio vnionis realis, quæ inter res diuersas immediatè intercedit, est etiam cōmunior; & hoc solùm requiritur ad compositionem realem. Vnde etiam in linea fit vera compositio ex pūctis, & partibus lineæ; quia licèt linea non componatur 79
ex punctis, solis, videlicet, aut inter se immediatè vnitis (sic enim illud principium est intelligendum) componitur tamen ex partibus, & punctis, nam partes per puncta, partes autem & puncta inter se immediatè vniuntur, & sic componunt lineam. Quare Supposita distinctione reali inter personalitatem, & naturam, necessariò fatendum est, fieri ex eis compositionem, tanquàm ex termino, & terminabili, nam hæc duo quodammodò comparantur, vt actus, & potentia. Hanc sententiam sequitur etiam M. Suarez in Methaphys. Disput. 34. sectio. 4. num. 39. Et multi recentiores Thomistæ.

Quarta Conclusio. §. VII.

PROBABILE Est, existentiam pertinere ad rationem Suppositi, tãquàm terminum eius extrinsecum. Hoc est. Quamuis Supposituā intrinsecè cōstituatur in esse Suppositi per subsistentiam, hæc autem in sua ratione formali importat ordinem, & habitudinem ad existentiam, tãquàm ad proprium actum ipsius Suppositi: ac proindè Suppositum, licèt intrinsecè non includat existentiam, sed tantùm extrinsecè; dicit tamen intrinsecum ordinem ad existentiam. Vndè sicut scientia specificatur intrinsecè ab ordine transcendentali, qui est in ipsa scientia, sed ille ordo desumitur ab aliquo extrinseco, nempe, ab obiecto, quod extrinsecè specificat: sic etiam Suppositum intrinsecè constituitur 81
per subsistentiam, tanquàm per aliquid intrinsecum; sed hæc subsistentia dicit ordinem ad existentiam, quæ est aliquid extrinsecum. Hæc conclusio sic explicata conceditur à Capreolo in 1. d. 3. q. 5. Et per eam conciliãtur variæ Thomistarum sententiæ. Et probatur. Suppositum est immediatum, & proprium existentiæ substantialis susceptiuum, vt ostensum est: ergo sicut potentia in sua ratione includit ordinem ad proprium actum, ita Suppositum importat ordinem ad extrinsecam existentiam, sicut ad actū sibi proportionatū. Sed suppositum constituitur per subsistentiam: ergo subsistentia dicit intrinsecum ordinem ad extrinsecam existentiam. Item 82
quia Suppositū dicitur subsistens, & existens; est enim Suppositum substantia indiuidua subsistens, & existens, quam licèt actu existentiam non includat, dicit tamen ordinem ad illam. Rursus hæc sententia videtur esse D. Thomæ quodlib. 2. art. 4. Et hac ratione D. Thomas, & alij Theologi frequenter explicant Suppositum per actum existendi; non quia Suppositum intrinsecè claudat huiusmodi actum, tanquàm illius constitutiuum: sed quia ratio intrinsecè constitutiua Suppositi, desumitur ex ordine ad actum existendi. Superest diluere contrariarum opinionum argumenta, ex quorum solutione magis constabit veritas nostræ sententiæ.

Soluuntur Argumenta primæ opinionis. §. VIII.

AD Argumenta primæ sententiæ, proposita Paragrapho primo, Respondetur, D. Thomam ex 83
vnitate Suppositi in Christo vnum solum esse in eo posuisse, quia licèt existentia non sit principium formale constitutiuum Suppositi, est tamen

proprius illius actus, quo Suppositum primò, & per se existit, vt Quod, quæ verò illi substantialiter vniuntur, vt Quo, & secundariò. Vnde cùm humanitas Christi vnita fuerit Supposito Verbi substantialiter, sequitur planè, per existentiam Diuini Verbi existere, carereq; proprio, & intrinseco essendi actu. In eo verò quòd asserit, Suppositum componi ex natura, & esse, vel per esse non intelligit actuale esse existentiæ, sed aptitudinale completæ substantiæ, quod est eius radix: vel certè à posteriori compositionem cōpositi declarauit: quemadmodum cùm per esse per se solet definiri substantia. Quòd autem D. Thomas altero ex his duobus modis debeat explicari, constat, quia paulò antè in solutione antecedentis argumenti dixerat, esse per se non esse de ratione Suppositi: quod sanè falsum esset, si istud esse foret principium formale constitutiuum Suppositi.

84

85 Ad primum ex ratione desumptum Resp. Quòd sicut ens dupliciter vsurpatur; nempe, nominaliter, & participaliter, & priori modo significat essentiam, posteriori verò existentiam actualem, estq; adæquatè idem, quod participium existens: ita subsistens dupliciter sumitur: Primò, vt nomen, & ita significat completam substantiam, secundò vt participium, & sic pro formali importat actum existendi per se. Hoc autem posteriori modo sumptū est idem, quod per se actualiter existens: priori verò modo est idem, quod Suppositum, & prima substantia; ex quo diluitur argumentum.

86 Ad secundum respondetur, non esse de ratione vltimi termini intrinseci, quòd ita compleat rem, quam terminat, vt eam in potentia ad suscipiendum aliquid illius generis non relinquat, sed solùm quòd post ipsum nihil intrinsecum aduenire illi queat, vt supra de puncto lineam terminante dictum est. Quia vero subsistentia ita naturam substantialem terminat, ideò rationem habet termini vltimi intrinseci. Sed obijcitur. Ergo falsò dicunt Thomistæ, existentiam esse vltimum terminum substantialem Negatur consequentia; imò absolutè existentia est vltimus terminus substantialis, eòquòd post illam nihil substantiale aduenire possit. Quidquid enim aduenit substantiæ existenti in actu, est accidens; Subsistentia verò est vltimus terminus cum illo addito, nempe, intrinsecus. Vnde constat, nullam esse in Caietano contradictionem (vt falsò quidam Iuniores illi imponunt) cùm inquit, Subsistentiam esse vltimum terminum intrinsecum naturæ, & similiter existentiam esse vltimum terminum substantialem. Etenim illa est vltimus terminus intrinsecus, hæc verò vltimus terminus extrinsecus.

87

88 Ad tertium Resp. Quòd cùm esse per se sit proprium completæ substantiæ, dupliciter vsurpari potest, nempe, formaliter, & aptitudinaliter, vel radicaliter. Et esse in alio, quod directè opponitur huic, quod est, esse per se, dupliciter potest sumi. Primò pro esse in alio, tanquàm in complente, & terminante substantialiter, dante illud primum esse per se radicale Secundò tanquàm in dante esse existentiæ. Vnde duplex est negatio essendi in alio; vna, quæ negat dependentiam ab alio, tanquàm complente, & terminante substantialiter, & intrinsecè, quæ sanè consequitur propriam Subsistentiam. Altera, quæ negat dependentiam ab alio, tanquàm à dante esse actualis existentiæ, quæ proximè consequitur actualem existentiam substantialem; radicaliter tamen deriuatur ex propria Subsistentia, seu Personalitate. Etenim prima radix, à qua Suppositum habet, quòd ab alio intrinsecè dependere non possit, est, quia ita est per propriam subsistentiam completum, & terminatum, vt ab alio Supposito ampliùs compleri non possit, neq; illi vniri ad faciendum vnum per se in genere substantiæ. Et quia Suppositum dicit omnimodam independentiam ab alio; ideò ratio formalis constitutiua Suppositi, & complementum substantiale est subsistentia; vnde omnimoda negatio intrinsecæ dependentiæ à quocumq; alio Supposito oritur.

89

Ad quartum Resp. Inter essentiam, & existentiam esse immediatam proportionem, non tanquàm inter proprium, & immediatum susceptiuum, & inter actum, seu terminum eius, qui suscipitur, sed tanquàm inter principium formale, Quo, & terminum, seu actum, qui ex illo oritur; quoniam Subsistentia dimanat ex forma substantiali, tanquàm eius formalis effectus secūdarius. Rursus est immediata proportio inter essentiam, & existentiam in eo, quòd essentia est forma, ratione cuius Suppositum est proximum susceptiuum existentiæ: nam Subsistentia constitutiua Suppositi non concurrit vt forma ad constitutionem Suppositi, in ratione susceptiui existentiæ, sed vt modus intrinsecus necessariò adiunctus rationi formali constitutiuæ susceptiui existentiæ. 90

Ad quintum respondebitur Disputatione sexta. Ad sextum concedenda est sequela, neq; est inconueniens plures admittere compositiones, dummodò sint plures rationes extremorum. Ad cōfirmationem Resp. Quòd vbi esse non differt ab essentia, nihil potest fingi, quod Suppositum supra naturam realiter addat, & ab ea sit re ipsa distinctum. Et ideò D. Thomas, cùm probaret, in Deo esse non distingui ab essentia, consequenter probauit, Subsistentiā in Deo nihil reale addere supra Diuinā Essentiam. Caietanus eo loco aliter respōdet dicens, D. Thom. ibidē nō loqui de Diuino Supposito in rigore, & cū proprietate: nam in Diuinis sunt tria Supposita, tribus relationibus cōstituta; & nō erat illius loci definire, An relationes realiter distinguerentur à natura, vel non: ac proinde non fuit solicitus D. Thom. eo loco in explicanda ratione constitutiua Diuini Suppositi. 91

92

Soluuntur Argumenta tertiæ sententiæ. §. IX.

AD Primū argumentū tertiæ opinionis cōcessa maiori, negatur minor, quia vt q. 3. art. 1. Disp. 3. Parag. 5. Ostensum est, existentia nō cōstituit intrinsecè, & essentialiter actualitatē rei; sed vnaquæq; cōstituitur in esse actualis entitatis per suā formā specificā, tametsi ad talē cōstitutionē cōcurrat existentia, vt necessaria cōditio, sine qua forma specifica nō cōstitueret, neq; cōferret actualitatē entitatiuā. Et ideò ante existentiā rectè intelligitur cōpositio ex Subsistentia, & natura: nam per formam specificam constituitur natura in esse actualis entitatis, sufficientis ad compositionem. 93

Ad primā confirmationem Resp. Nō esse superfluam entitatem existentiæ, sed necessariò requiri, tāquàm cōditionem, vt forma specifica tribuat entitatē actualem. Etenim essentia actualis, vt sic, formaliter & intrinsecè nō includit nisi actualitatē in genere entis, prouenientem à forma specifica: extrinsecè tamen exigit existentiam, tanquàm 94

tanquam conditionem necessariò requisitam, vt formæ
actu conferat suam actualitatem entitatiuam.
95 Ad secundam confirmationem Resp. Essentiam ac-
cidentis esse magis completam in suo genere, quàm es-
sentiam substantiæ. Vnde illa potest immediatè existen-
tiam suscipere, hæc verò non, nisi priùs fuerit per subsis-
tentiam completa. Quare non ita se habet subsistentia
ad existentiam in substantijs, sicut inhærentia ad exis-
tentiam in accidenti: nec dicit modum essendi directè
& formaliter oppositum inhærentiæ, vt infra apertiùs
constabit.
96 Ad secundum principale negatur, sequi illa inconue-
nientia. Et quidem non primum: quia cùm ita impli-
cet, Suppositum actu existere sine existentia, sicut quòd
sit album sine albedine, Deus efficere non potest, quòd
Suppositum actu existat sine existentia, sicut neq; quòd
sit album sine albedine. Neq; obstat, quòd Suppositum
sit prius existentia, & ab ea realiter distinctum; nam si-
militer essentia est prior, & eodem modo ab existentia
distincta, & tamen nequit sine illa conseruari. Vt igitur
illa maior sit vera addendum est, nisi prius dependeat à
posteriori, veluti à dante intrinsecè esse: quo pacto ma-
teria prima dependet à forma, & ideò sine illa conser-
uari non potest, sicut neq; res sine propria, vel aliena
97 existentia. Præterea neq; secundum inconueniens rectè
deducitur, nam cùm Persona Diuina existentiam alteri
communicare nō possit, nisi quatenùs illud sibi hypos-
taticè vnit; implicat, quòd creato Supposito existen-
tiā cōmunicet, sicut repugnat, quòd hypostaticè vniat.
Repugnare verò, quòd creatum Suppositum Diuinæ
Personæ hypostaticè vniatur, est per se notum: nam
vniri hypostaticè Personæ Diuinæ, est cum illa vnam
hypostasim, seu Suppositum facere; implicat verò, duo
Supposita cōpleta, vt sunt Diuinum, & creatum, vnum
per se Suppositum facere, imò & vnum ens per se (nam
ex duobus entibus completis in genere substantiæ, ne-
quit vnū per se in eo genere resultare) atq; adeò impli-
cat omninò, quòd vnū esse existentiæ habeant: tot enim
esse existentiæ sunt, quot sunt entia cōpleta, vt dictū est.
98 Sed dubitatur, An Diuina Persona assumere posset
naturam habentem propriam existentiam, carentem
verò subsistentia; eiq; suam subsistentiam communica-
re. Quidam affirmant, posse à Deo ordinem immutari,
& existentiam nudæ naturæ substantiali communicari
immediatè. Quo Supposito probant, id accidere posse:
quia existentia præcisa à subsistentia non reddit natu-
ram incommunicabilem, vt patet in Essentia Diuina.
Item, quia talis natura esset Personabilis propria Perso-
nalitate: ergo & Diuina eminenter continente perfec-
tionem creatæ; ergo esset assumptibilis à Persona Di-
99 uina. Resp. Data illa hypothesi, naturam cum propria
existentia non posse Verbo hypostaticè vniri. Primò,
quia eo ipso quòd Diuinæ Personæ substantialiter vni-
retur, deberet ad eius existentiam existere: sed implicat,
quòd habeat existentiam propriam, & intrinsecam, &
quòd ad alterius existentiā existat: ergo & quòd Diui-
100 næ Personæ hypostaticè vniatur. Secundò, quia si natu-
ra substantialiter vniretur Personæ Diuinæ, faceret cum
illa vnum per se simpliciter in genere substantiæ; sed
vnius esse simpliciter vnicū est esse existentiæ, quo to-
tum per se primò, & vt Quod existit, quæ verò ad cons-
titutionem illius concurrunt, consequenter, & vt Quo
existunt: ergo Persona Diuina, & natura humana in ta-
li casu vnicum haberent esse existentiæ simpliciter: sed
non creatum: ergo Diuinum. Ergo eo ipso quòd natura
præexistens Diuino Verbo vniretur, suam propriam
existentiam amitteret.
Ad tertium inconueniens conceditur sequella, nem- 101
pe, humanitatem Christi carere duplici entitate distin-
cta, scilicet, subsistentia, & existentia, sed inde non de-
ducuntur illa duo inconuenientia, nempe, duplicem
vnionem fuisse necessariam, alteram, qua cum subsis-
tentia vniretur, alteram verò, qua coniungeretur Diui-
næ existentiæ: & multò minùs sequitur, fuisse vnitam
Deo, prout cōmuni tribus Personis; quia eo ipso quòd
natura hypostaticè vniatur alicui Personæ, consequen-
ter existit ad illius existentiam. Et quamuis illa existen- 102
tia sit communis, vt est existentia Diuina, quia tamen
natura non vnitur existentiæ per se, nisi quatenùs inclu-
ditur in Persona, cui immediatè est vnita; ideò non se-
quitur cæteris Personis vniri; quia licèt fiat mediatè
vnio in eo, quod est commune; non tamen prout est
commune. Etenim existentia Diuina, prout est in Fi-
lio, actuat, & terminat humanitatem, non verò prout
est in Patre, aut Spiritu Sancto: nam vt est in Filio 103
habet diuersum modum existendi, quem non habet in
Patre, neq; in Spiritu Sancto, & ideo vt est in Filio
terminat humanitatem, & solus Filius est homo, non
Pater, neq; Spiritus Sanctus; quemadmodum Natura
Diuina, vnica cùm sit in tribus Personis, prout est in
Patre, est principium generationis, non verò prout est
in Filio, aut Spiritu Sancto. Sic etiam dicendum est
de Diuina existentia. Vnde Caietanus infra quæst.
17. artic. 2. Rectè docet ex D. Thoma, Diuinum es-
se, non quatenùs est naturæ, fuisse humanitati Chris-
ti communicatum, sed prout est Personæ: nam hu-
manitas Christi assumpta est ad Personalitatem Diui-
ni Verbi.
Ad vltimam sequellam Resp. Fieri posse de potentia 104
absoluta, vt natura Personata propria Personalitate,
vniatur Diuinæ existentiæ, vt per illam existat. Imò
verò non repugnat, vniri Diuinæ Personalitati, vt per
illam Supponetur. Et ratio est, quia natura termi-
nata per subsistentiam Verbi, potest assumi à Patre, &
rursus terminari per subsistentiam Patris, vt quæst. 3.
artic. 4. Ostensum est: ergo etiam natura terminata
propria subsistentia poterit assumi. Item, quoniam 105
ita perfectè, & completè terminatur natura per Diui-
nam Personalitatem, sicut per propriam: sed non obs-
tante terminatione vnius Personalitatis Diuinæ, potest
natura adhuc terminari per alteram Personalitatem
Diuinam: ergo. Rursus, quia Pater potest assumere na-
turam terminatam Personalitate Verbi, sine eo quòd as-
sumat ipsam Personalitatem: ergo etiam poterit assu-
mere naturam terminatam propria Personalitate, sine
assumptione ipsius Personalitatis. Postremò: quia hu-
manitas in opinione Antithomarum potest assumi à
Verbo cum propria existentia, imò de facto est ita as-
sumpta ex eorum sententia: ergo poterit etiam assumi
cum propria subsistentia.
Sed contra obijcitur. Implicat naturam vltimò ter- 106
minatam vlteriùs terminari: sed natura est vltimò ter-
minata per propriā Personalitatē; ergo implicat, quòd
vlteriùs terminetur, sicut repugnat, quòd vna figura per

aliam terminetur, & vnum punctùm per aliud, & quòd materia prima, quæ est primum subiectum, sit in subiecto.

107 Confirmatur primò, quia implicat, eandem naturam subsistere per se, & in alio. sed in casu posito eadem natura subsisteret per se in proprio Supposito, & in alio, nempe, in Supposito Diuino: ergo. Confirmatur secundo, quia essent duæ Personæ, altera purè humana, quæ per Personalitatem connaturalem naturæ subsisteret, altera Diuina, & humana simul. sed implicat, duas Personas posse substantialiter vniri ergo &c.

108 Ad argumentum Resp. Id duntaxat probare, quòd Personalitas sit inassumptibilis, non tamen quòd natura terminata in Persona sit inassumptibilis. Stat enim, assumi naturam personatam absq; eo, quòd Personalitas siue Persona assumatur, quia non assumitur natura secundùm rationem personæ, sed tantùm secundùm rationem naturæ. Et ita humanitas modò in Verbo Personata, etsi non sit assumptibilis à Patre secundùm rationem Personæ; absolutè tamen est assumptibilis ab

109 illo. Et sicut personalitas extranea communicata naturæ non impedit assumptionem illius; sic neq;, Personalitas propria impediret: non enim terminatur natura, neq; completur minùs per Diuinam Personalitatem sibi extraneam, quàm terminaretur, & compleretur per propriam.

110 Ad primam confirmationem Resp. Humanam naturam semper subsistere per se, siue teneatur per propriam personalitatem, siue per alienam. Quòd autem subsistat per se in Personalitate propria, & simul subsistat per se in Personalitate extranea, quod est subsistere per aliud, nullam innoluit implicationem: quia implicatio, siqua esset in hac parte, non esset desumenda ex eo quòd natura subsistat in se, vel in alio, sed potiùs ex terminatione naturæ.

111 Ad secundam confirmationem Resp. Aliud esse quærere, An natura subsistens in persona posit assumi manente personalitate, aliud verò, An ipsa Persona posit assumi. Quòd enim Persona assumi non posit, certissimum est, quia talis vnio esset accidentalis, & non substantialis; nam duæ Personæ substantialiter vniri non possunt. Natura verò etiam subsistens in persona, potest substantialiter, & hypostaticè vniri, siue subsistat in persona propria, siue in aliena. Siqua ergo repugnantia reperitur, ea est, quòd simul eadem natura existeret duplici existentia realiter distincta, quia cuicumq; Personalitati propria existentia respondet, Personalitati Diuinæ existentia Diuina, & Personalitati propriæ existentia

112 humana. Est autem implicatio, eandem rem simul existere duabus existentijs, ita distinctis diuersorum ordinum. Et in hoc est manifestum discrimen, si eadem humanitas à tribus Personis assumeretur; quia tunc illa humanitas per vnicam tãtùm existentiam existeret, nempe, per Diuinam, quæ est vna tantùm. In casu autem posito necessariò deberet existere per duas existentias realiter distinctas. Verum est tamen in opinione contraria, quam impugnamus, hoc non reputari inconueniens, cùm de facto ponat in humanitate Christi pro-

113 priam, & creatam existentiam simul cum Diuina. Sed in sententia D. Thomæ implicat, duplicem existentiam constituere. Quare dicendum est, eo ipso, quòd natura præexistens vniretur Diuinæ Personæ, suam propriam existentiam amitteret vt dictum est num. 56.

Et amplius explicabitur infra q. 17. art. 2. Disp. 1. Parag. 4. num. 146. vsq; ad 150. Ex quibus constat, inaduertenter asseruisse M. Suarez, ea omnia, quæ in hoc secundo argumento ex sententia Caietani deducit, esse falsa, noua, & superflua, & sine fundamento, aut necessitate dicta. Ex his enim, quæ in hac Disputatione definita sunt, manifeste patet, sententiam Caietani esse verisimam, & cæteris longè probabiliorem: opinionem verò Suarez esse falsam, & quò ad aliqua implicatoriam.

Ad tertium principale Resp. Subsistentiam esse complementum, & terminum substantialem, quia ita complet & terminat naturam, vt nihil ei aduenire posit, quod sit illi intrinsecum, & de eius conceptu formali. Nec obstat, quòd aduenìat postea existentia, quæ est quid substantiale, vt distinguitur contra accidens prædicamentale: est enim extrinseca, & extra essentiam substantiæ creatæ. Sicut ergo punctus est terminus lineæ, non obstante quòd lineæ terminatæ per punctum 115 aduenìat existentia actualis, quæ ad prædicamentum quantitatis reductiuè pertinet, quatenùs existentia est extra rationem lineæ terminatæ: sic etiam subsistentia est terminus intrinsecus substãtialis naturæ, post quem aduenit existentia reductiuè pertinens ad prædicamentum substantiæ: quia esse actu est omninò extra rationem substantiæ completæ. Sicut enim linea terminata abstrahit ab actuali existentia; sic etiam Suppositum. Vnde ista propositio, Petrus est Suppositum, vel substantia completa, est per se; ista verò, Petrus est existens, est accidentaria. 114

Ad quartũ Resp. Existentiã in Deo esse ipsam Dei essentiam, & sic præsupponi ad Subsistentiã: creaturarum verò existentiã esse accidentalem, & ideò præsupponere in illis Subsistentiã, quæ est terminus intrinsecus. Neq; est verum, eundem ordinem seruare rationes formales in Deo, & in nobis: nam in Deo intellectus, & voluntas præsupponuntur ab Subsistentiam; in nobis verò cùm sint accidentia, posteriùs sunt quàm Subsistentia, quæ est terminus essentialis. 116

Ad quintũ Resp. Subsistentiã, qua Suppositũ constituitur, complere naturam, non quò ad essentiam, neq; quò ad existentiam; quia substantia completa creata abstrahit ab existentia: sed quò ad esse intrinsecum substantiale. Natura enim sine Subsistentia, licèt sit completa essentia, non tamen completa substantia, atq; adeò nec directè ponitur in recta linea prædicamentali. 117

Ad sextum Resp. Quòd cùm existere per se actualiter non sit de conceptu Suppositi creati, modus essendi per se nequit esse constitutiuum creati Suppositi, neq; intrinsecum cõplementũ naturæ substantialis, sed quidam quasi extrinsecus actus præsupponent Suppositũ constitutum, & naturam vltimò cõpletam intrinsecè. Ex quo patet, modũ istum per se existendi nõ facere naturã primò incõmunicabilem, sed præsupponere incõmunicabilẽ per subsistẽtiã, qua intrinsecè cõpletur, & terminatur: eo enim ipso quòd sit substãtia cõpleta, non potest 119 vniri cũ Persona Diuina substãtialiter, quia vnũ cũ illa per se componere non potest: ex duobus enim entibus completis nequit vnum per se in genere substantiæ resultare. Verum est, quòd cùm modus per se existendi sit actus cõpletæ substãtiæ, illi maximè cõnaturalis, & proportionatus, facit secundariè ipsam incõmunicabilem; vel 118

vel potiùs reducit in actum quasi secundum essendi ipsius incommunicabilitatis.

120 Est tamen aduertendum, quòd esse per se actualiter, non est aliquid distinctum ab existentia substantialis naturæ, sed ipsa adæquatè, & formaliter. Neq; est par ratio de modo actualiter essendi in alio, respectu existentiæ accidentalis; nam accidens, etiam actu existens, est indifferens, quantùm est de se, vt sit actu in subiecto, vel ab illo separatum: nihil enim intrinsecum habet, ratione cuius illi repugnet alter ex his duobus statibus. Etenim quia existentia accidentis, sicuti & essentia, est imperfecta, & insufficient per se ipsum accidens sustentare: ideò recipere potest à subiecto modum quendam positiuum, per quem actu illi inhæreat, & ab eo dependeat. Quia verò huiusmodi dependentia non est essentialis, &

121 intrinseca; ideò Deus suo extrinseco concursu efficienter potest illum supplere, & accidens sine tali inhærentia actuali conseruare. At verò substantia actu existens non est indifferens, vt sit per se, vel in alio. Cùm enim ipsius existentia sit completa, & perfecta, sicut & prima substantia, cuius est actus, potest, imò de facto illam per se sustentat independenter ab omni alio. Vnde repugnat substantiæ existenti per propriam existentiam esse in alio, non solùm vt subiecto (hoc enim quælibet substantia etiam incompleta habet) sed etiam tanquàm in Supposito substantialiter, & intrinsecè sustentante. Cùm enim Suppositum alienum substantiam sibi vnitam formaliter sustentet, quatenùs illam intrinsecè complet, & terminat: sicut repugnat, quòd substantiam completam actu existentem terminet, & compleat substantialiter; ita & quòd illam sustentet intrinsecè per modum Suppositi, vel hypostasis.

122 Præterea aduertendum est, modum per se existendi, qui in existentia substantiæ completæ includitur, non opponi directè, & formaliter modo essendi actualiter in alio, quem accidens in subiecto habet; sed modo existendi substantialiter, quem humanitas Christi habet in Verbo. Vnde argumentum deductum ab Analogia modi essendi in alio, superadditi existentiæ accidentis, quo recentiores plurimùm nituntur, ad probādum, modū essendi per se, hoc est, non in alio Supposito, esse distinctum, & superadditum existentiæ substantiali: nihil omninò valet, quin potiùs siquid valeret, concluderet, substantiam actu existentem, vt per se (hoc est, non in subiecto) existeret, indigere modo superaddito, à sua existentia distincto, & opposito inhærentiæ accidentali, sicut indiget accidens existens, vt actu sit in alio: quod tamen constat esse falsum.

123 Ad septimum Resp. Quòd cùm existentia in Deo sit de eius essentia, imò ipsa Dei essentia, tribus Personis communis, neq; facit, neq; præsupponit naturam Diuinam incommunicabilem. At verò existentia creata, cùm omninò sit extra essentiam naturæ completæ, & vltimò terminatæ intrinsecè, & substantialiter, quamuis primò & per se non faciat incommunicabilem, supponit tamen illam iam incommunicabilem factam; imò & secūdariò illam facit incommunicabilem. Cùm enim existentia sit actus Suppositi incommunicabilis, maximè illi proportionatus, & connaturalis, fit, vt sicut ipsum Suppositum est quasi in actu primo substantiali, potens existere incommunicabiliter, sic ipsius existentia sit ratio faciens illud existere incōmunicabiliter actu. Implicat ergo, naturam propria existentia com- 124 pletam posse vniri, aut communicari alteri substantialiter. Vnde negandum est, humanitatem in Christo per propriam existentiam existere: imò potiùs dicendum est necessariò, existere per existentiam Diuini Verbi, cui vnitur hypostaticè: vt docet D. Thomas infra q. 17. art. 2. Et definitur in Epistola Sophronij, lecta, & approbata in 6. Synodo generali actio. 11. vbi dicitur. *Simul caro, simul Verbi Dei caro, animata, rationalis. In illo itaq; & non in semetipsa habuit existentiam vnam. Ne- 125 q; valet dicere, per existentiam substantialem intellexisse subsistentiam; quia hoc est liberè, imò temerè Concilij verba interpretari. Deinde ex verbis, & intentione Sophronij efficaciter colligitur, existentiam in propria, & communi significatione vsurpasse: intendebat enim ibi aduersùs quosdam hæreticos demonstrare, humanitatem Christi non priùs extitisse, quàm à Verbo assumpta fuisset. Hoc autem efficaciter demonstrat, quia vnam cum Verbo indiuisam existentiam habuit; atq; adeò existere non potuisse, antequàm ipsi hypostaticè fuisset vnita: quare negatur, Verbum assumpsisse humanitatem existentem.

Ad octauum Resp. Verbum assumpsisse veram, & 126 realem essentiam humanitatis, quæ erat entitas actualis, non quidem actu existentem, sed capacem existentiæ. Etenim inter possibile, & existens actu datur medium, nempe, potens existere, non tantùm potentia logica, & obiectiua, quæ solùm est quædam non repugnantia, sed Physica reali, & positiua, receptiua actus existentiæ realis. Cùm enim nulla essentia creata sit suum esse, vt existat actualiter, oportet, vt in se aliquid reale superadditum recipiat, nempe, existentiam, per quam vltimatè in actum substantialiter reducitur. Sed prius quàm essentia hunc vltimum actum recipiat; debet compleri, & terminari intrinsecè per subsistentiam, & Personalitatem Verbi, quàm ipsius existentia fuerit illi communicata. Quomodo autem essentia antè existentiam dicatur entitas actualis, explicatum est supra quæstio. 3. artic. 2. Disput. 3. Parag. 5. & infra quæst. 17. artic. 2. Disput. 1. Parag. 4. numer. 136. vsq; ad 141.

Ad confirmationem negatur antecedens, vt latiùs 127 patet ex dictis supra q. 2. art. 11. Disput. 2. Sed stando in solutione assignata huic argumento, Resp. ad replicam, eius solutionem pendere ex illa quæstione, An accidentia solùm distincta formaliter à substantia (cuiusmodi est productio humanitatis Christi) habeant propriam existentiam, vel existant ad existentiam substantiæ, cum qua realiter identificantur. Qui hoc vltimum tenent, respondent, actionem productiuam humanitatis Christi caruisse propria, & intrinseca existentia: neq; hoc esse mirabilius, quàm quòd eius terminus, nempe, humanitas, illa caruerit. Et cùm obijcitur. Illa actio actu inhæsit humanitati Christi; sed inhærentia actualis accidentis non potest esse sine actuali existentia; ergo &c. Respondent, accidentia, quæ solùm 128 formaliter à substantia distinguuntur, propriè non inhærere, nam inhærentia propriè dicta, quæ existentiam præsupponit, est modus quidam realis existentiæ accidentalis superadditus, quo accidens natura sua indifferens ad essendum, & non essendum in subiecto actualiter, subiecto vnitur actu.

Digitized by Google

Cæterùm accidentia, quæ realiter cum substantia identificantur, sunt modi ipsius: modi autem, vt vniãtur rei, cuius sunt modi, non indigent modo vnionis superaddito. Sicut ergo actio per suam essentiam modalem vnitur immediatè, ita & inhærere dicitur. Vnde non concluditur habuisse existentiam propriam humani-
129 tatis Christi, eòquòd inhæserit humanitati actu. Qui verò asseruerint, accidentia etiam identificata cū substantia habere modalem, & actualem existentiam (quod probabilius apparet, quia secundùm D. Thomam infra q. 17. art. 2. Solùm possunt per existentiam substantiæ formaliter existere, quæ vnum per se cum ea faciunt) concedent, productionem humanitatis Christi habuisse propriam existentiam: de ipsa tamen humanitate negabunt. Et ratio est, quia illa actio, vt pote accidentalis non potuit ad existentiam Verbi existere, potuit verò humanitas Christi, quia illi substantialiter vniebatur, neq; proportio essentialis, quæ inter actionem & terminum reperitur, consistit in hoc, quòd si vnum existit existentia propria, existat quoq; & alterum.

130 Quod autem obijcitur, existentiam modi ab existentia rei, cuius est modus, separari non posse, etiam de potentia Dei absoluta, falsum est: quinimò naturaliter contingit, vt modus accidentalis suam propriam existentiam habeat, & tamen res, cuius est modus, nullam habere possit, vt constat de relatione, quæ in materia prima immediatè fundatur. Ratio verò à priori est, quia modus non dependet intrinsecè nisi ab eo, cum quo identificatur: modus verò non identificatur cum existentia reali, sed cum substantiali illius entitate intrinseca.

131 Ad vltimum Resp. Non magis repugnare, humanitatem Christi existere per existentiam Verbi, quàm quòd ad illius subsistentiam subsistat. Sicut enim existere non est extrinseca denominatio, sic neq; subsistere. Vnde sicut de facto Verbum sua subsistentia terminat naturam humanam intrinsecè, & illam facit in ipso, & non in semetipsa subsistere, sic etiam mediante existentia Diuina terminat eandem humanitatem, & facit eam in ipso, & non in se existere. Cùm verò dicitur, implicare, quòd aliquid sit album per alterius albedinem; ergo & existens per alterius existentiam: negatur consequentia; quia albedo non facit album, nisi informando subiectum, implicat autem, albedinem in alio subiecto existentem informare simul alterum, atq; adeò illud album efficere. At verò existentia non facit naturam existentem, illam informando, sed terminando, sicut subsistentia. Vnde sicut Verbum facit humanitatem subsistentem illam terminando, sic & existentem.

QVARTA DISPVTATIO.

1 VTRVM Subsistentia, quam Suppositū creatum addit supra naturam, differat ab ea realiter, vel ratione tantùm. Cùm Suppositum & natura habeant se sicut includens & inclusum, idem est quærere, vt frequentiùs solet, quomodò Suppositum à natura distinguatur, ac quærere, quo pacto id, quod suppositum supra naturam in rebus creatis addit, ab ipsa differat. Dixi in creaturis, quia in Deo constat, sola ratione ratiocinata distingui, vel formaliter virtute, vt dici solet 1. p. q. 28. artic. 2. De proposita igitur difficultate non est consentiens Theologorum sententia.

Quidam dicunt, in creatis Suppositum à natura sola 2
ratione distingui. Sic Durandus in 1. d. 34. q. 1. Henricus quodlib 4. q. 4. & probatur. Inter Suppositum & naturam non est ponenda maior distinctio in rebus creatis, quàm quæ sufficiat, vt verè dicatur, Verbum humanitatem, & non Suppositum assumpsisse: sed ad hoc sufficit sola distinctio rationis; ergo dicendum est, Suppositum & naturam solùm differre ratione. Maior patet: quia tota ratio distinguendi Suppositum à natura, fuit desumpta ex mysterio Incarnationis. Minor verò probatur; quia sola distinctio rationis inter Suppositum & naturam Diuinam sufficit, vt Persona dicatur verè humanitatem assumere, non autem natura Diuina: ergo hæc eadem distinctio sufficit, vt natura creata dicatur assumpta, & non Suppositum creatum.

Secundò. Si id, quod Suppositum addit supra natu- 3
ram, distinguitur ab ea plusquàm ratione: ergo vel distinguitur tanquàm res à re, vel tanquàm modus. Sed neutro modo; ergo solùm ratione. Minor probatur: non tanquàm res à re, quia sic possent ab inuicem separari de potentia Dei absoluta, neq; vt modus, quia sic quamuis Subsistentia esse non possit sine natura, bene tamen natura sine Subsistētia, sicut fundamentum sine relatione: sed implicat, Subsistentiam esse sine natura, aut naturam sine Subsistentia: ergo non differunt nisi ratione.

Tertiò. Si Subsistentia realiter differt à natura, Sup- 4
positum ex illis resultās esset verè compositum, sed non est; ergo non differunt nisi ratione. Maior probatur: quia compositum non est aliud, quàm vnum ex pluribus rebus vnitis constans. Minor patet: quia omnis realis compositio adæquatè diuiditur, in Methaphysicam ex esse & existentia, & Physicam ex materia & forma: sed Suppositum formaliter neq; est cōpositum Physicè ex materia, & forma; neq; Methaphysicè ex esse & essentia: ergo non est realiter compositum; & ex consequenti extrema solùm ratione inter se distinguuntur.

Alij Theologi docent, Subsistentiam distingui à na- 5
tura formaliter, siue ex natura rei, sicut modus intrinsecus, & substantialis naturæ, non tamen realiter, tanquàm res à re. Sic docet Soto in Logica q. 3. Vniuersalium, & Suarez in Methaphysica Disp. 34 sect. 4. & Vazquez. 1. p. Disp. 126. cap. 2. & 3. Et probatur hæc sententia. Primò, quia Subsistentia est modus naturæ, sed modus non distinguitur realiter à re, cuius est modus, sed tantùm formaliter, vt sessio à sedente: ergo Subsistentia non distinguitur realiter à natura, quam modificat, sed solùm formaliter. Maior probatur, tum ex communi modo loquendi Theologorum, qui passim dicūt, Suppositum addere supra naturam singularem, quendam modum substantialem, qui est, esse per se: tum etiam ratione; quia sic se habet esse in se; quæ est ratio substantiæ, ad naturam substantialem, sicut esse in alio ad accidens. sed esse in alio, est modus accidentis, non distinctus realiter ab accidenti: ergo esse in se erit modus substantiæ non distinctus ab illa.

Cōfirmatur primò. Natura est de essentia Suppositi: 6
ergo non distinguitur realiter à Supposito. Patet consequentia: nam quod est de essentia alicuius, ab illo realiter, vt vna res ab alia, non distinguitur. Confirmatur secundò: quia maior identitas videtur esse inter Petrum, & humanitatē, quàm inter albedinem, & similitudinē.

Secundò.

7 Secundò: Si Subsistentia realiter distinguitur à natura; ergo est per se subsistens. Sed consequens est falsum: ergo. Probatur Sequella: quia ad hoc ponitur subsistentia, vt sit naturæ sustentaculũ, quæ, quia per se sustineri non potest, indiget illa entitate superaddita, vt per illam sustentetur: ad hoc autem necessarium est, vt illa per se subsistat: nam impossibile est, naturam ab eo sustentari, quod per se non subsistit. Minor probatur: tum, quia illa entitas est affixa naturæ, & quasi illi inhærens, & seclusa natura, illa per se subsistere non posset: tum etiam, quia aliàs perfectior esset natura, cùm actus subsistendi sit perfectissimus.

8 Tertiò. Terminus intrinsecus rei non est entitas à re, quam terminat, realiter distincta, sed modus quidam intrinsecus ipsius, solùm ex natura rei diuersus, vt patet in figura respectu quantitatis; sed Subsistentia est terminus intrinsecus substantialis naturæ: ergo non est res ab ea realiter diuersa, sed modus intrinsecus, formaliter & ex natura rei distinctus tantùm.

9 Confirmatur. Suppositum differt à naturà vt terminatum à terminabili, sed res terminata à seipsa vt terminabili, solùm modaliter differt: ergo Suppositum à natura solùm differt modaliter; & ex consequenti quod supra illam addit, solùm est modus diuersus formaliter.

10 Quartò. Nulla entitas diuersa realiter, præsertim substantialis, potest de nouo consurgere ex sola continui diuisione: sed ex sola diuisione aquæ continuæ consurgit de nouo Suppositalitas, duo enim aquæ Supposita post diuisionem manent, cùm anteà solùm essent vnũ: ergo Subsistentia non est entitas substantialis à natura realiter diuersa, sed illius modus formaliter tantùm ab ea distinctus: proprium enim est modi sic posse de nouo consurgere.

11 Quintò. Subsistentia non magis potest à natura separari, quàm punctus à linea: sed huius ratio nõ est alia, nisi quia subsistentia est modus intrinsecus naturæ, ab ea solùm formaliter diuersus; ergo. Minor probatur: quia si esset entitas tanquàm res à re distincta, cùm non dependeat à natura nisi tanquàm à causa materiali sustentante, ergo potest Deus dependentiam suo concursu supplere, sicut de facto supplet in accidentibus Eucharistiæ; atque adeò posset à natura separata conseruari Diuina virtute. Quòd si non potest, vt re vera non potest, ideò est, quia non est à natura diuersa, sed modus intrinsecus ab ipsa inseparabilis eo modo, quo relatio à fundamento. Sicut enim ex eo quòd mobile possit esse sine motu, fundamentum sine relatione, efficaciter colligitur, solùm formaliter & ex natura rei, non autem realiter vt res à re hæc omnia distingui: sic etiam ex eo quòd natura possit esse absque propria subsistentia (vt in Christo, non autem è contra subsistentia sine propria natura, efficaciter colligitur, hæc duo in rebus creatis solùm modaliter, non autem vt res à re distingui.

12 Confirmatur, quia huiusmodi modalis distinctio sufficit ad explicanda omnia, quæ Concilia, & Sancti Patres de Incarnationis mysterio docent; & multò magis accõmodata est ad hoc, quàm distinctio realis.

Pro explicatione sit Prima Conclusio. Subsisten-
13 tia, quam Suppositum addit supra naturam, actu & formaliter distinguitur ab ea, secluso omni ordine ad intellectum. Hæc conclusio est communis Theologorum, & euidenter probatur: quia à parte rei inuenitur humanitas in Christo; & non propria eius subsistentia: ergo Subsistentia à parte rei differt in creatis à natura secluso intellectu. Consequentia est euidens: quia si natura, & Subsistentia foret vna entitas à parte rei, & sola ratione differret, non posset à parte rei natura separari à Subsistentia, sed solùm per intellectum præscindi, vt genus à differentia. Etenim realis separatio vnius ab alio realem distinctionem ostendit: quod enim est vnum & idem realiter à parte rei, indiuisum est. Quò fit, vt sententia asserens, Suppositum creatum à natura sola ratione distingui, sit temeraria saltem; nam ex illa sequitur, esse in Christo totam entitatem realem Suppositi humani, atque adeò Christum esse entitatiuè duo Supposita; quod est hæreticum.

Secunda Conclusio. Subsistentia realiter distin- 14
guitur tanquàm res à re, à natura, tam in substantijs creatis materialibus, quàm spiritualibus. Ita colligitur ex D. Thoma supra quæst. 2. art. 2. & 1. p. quæst. 3. art. 3. & idem docent communiter Thomistæ: Caietanus ibidem, & hîc. Ferrar. 4. Contra Gentes cap. 43. & M. Bañes. 1. p. quæst. 3. art. 3. Probatur autem primò. In Christo secundùm fidem distinguuntur tãquàm res à re natura humana, & Suppositum: ergo similiter in omnibus alijs Suppositis. Consequentia patet: quia Christus est verum Suppositum humanæ naturæ, non secus atq; alij homines. Antecedens verò probatur: nam Christus secundùm fidem non est idem etiam identicè cum sua humanitate, vt habetur in Concilio Basiliensi Actio. 22.

Secundò. Ex eo quòd quantitas est figurata per figu- 15
ram, quæ solùm distinguitur formaliter à quantitate, & albedo est similis per similitudinem, ab ipsa formaliter distinctam; implicat, hæc à Deo suppleri per entitates realiter distinctas: ergo si natura subsisteret per subsistentiam solùm formaliter distinctam, implicaret suppleri à Deo per entitatem realiter distinctam.

Tertiò. Suppositũm à parte rei operatur, & non na- 16
tura: ergo inter illa est à parte rei distinctio realis, vt rei à re. Probatur consequentia: quia sicut natura creata propter sui imperfectionem & limitationem, seipsa immediatè operari non potest, sed vt operetur, necessariũ est, vt illi superaddãtur potentiæ ab illa realiter distinctæ, tanquàm res à re: sic etiam ex eadem imperfectione oritur, vt seipsa immediatè subsistere non queat, nisi illi addatur noua entitas Subsistentiæ, distincta realiter vt res à re. Quartò. In substãtijs creatis sic se habent natura, subsistentia, & existentia, sicut essentia, potentia, & operatio: sed hæc tria inter se realiter distinguuntur, vt res à re, ergo & illa.

Quintò quia vt colligitur ex D. Thoma. 1. p. q. 77. 17
art. 1. quoties duo dicunt rationes formales oppositas, ab eadem entitate intrinseca se inuicem excludentes, inter se realiter differunt, tanquàm res à re: sed natura & Suppositalitas dicũt rationes formales oppositas, ab eadẽ entitate intrinseca se inuicem excludentes; ergo differũt realiter, vt res à re. Maior est nota, quia ex illo principio elicitur in doctrina D. Thomæ, potentiã ab anima, & actũ à potentia realiter distingui, & essentiã differre ab existentia. Sed minor probatur: quia natura substan-

substantialiter est communicabilis, subsistentia verò incommunicabilis; natura habet rationem potentiæ actuabilis, siue complebilis substantialiter, subsistentia verò rationem actus substantialiter determinantis illam. Sed rationes communicabilis, & incommunicabilis, potentiæ & actus, terminabilis & termini sunt oppositæ, & se inuicem ab eadem entitate excludentes; nequit enim intelligi, quomodò vna indiuisibilis entitas simul sit communicabilis, & incommunicabilis: ergo &c.

18 Sextò. Subsistentia realiter distinguitur, hoc est, secluso intellectu, à singulari natura, & non vt modus illius; ergo vt res à re. Consequentia est euidens, maior communiter recipitur à Theologis: & probatur minor. quoniam si Subsistentia esset modus intrinsecus naturæ, ab ea tantùm formaliter distinctus, proprius eius effectus esset intrinsecè modificare naturam; & ex consequenti Diuina Persona illum supplere nõ posset; quia implicat, Diuinam Personam intrinsecè modificare naturam, sicut illam informare: non enim minor imperfectio, sed maior includitur in conceptu modificantis, quàm informantis; quia maior est dependentia modi à re, quam modificat, quàm formæ, ab eo, quod informat.

19 Sed pro diluendis argumentis aduertendum est, subsistentiam, propriè & rigorosè loquendo, non esse dicendam modum naturæ, sed tantùm terminum, vt pũctum in linea. Ratio autem est, quia modus in eo, quòd modificat, actuat, & informat rem modificatã. In quo Subsistentia differt inter alia à singularitate, per quam natura constituitur indiuidua, & singularis, nam singularitas, quatenùs determinat naturam, & ipsam constituit indiuiduam, modificat eam, & propriè nuncupatur modus naturæ. Subsistentia verò, etsi materialiter, & propter sui imperfectionem, quia in seipsa non subsistit, modificet naturam, & quodammodò illam informet. nihilominùs secundùm propriam, & formalem rationem, qua Suppositum constituit, neque modificat, neque informat naturam, sed per modum termini illã complet, ac terminat. sicut species intelligibilis, licèt in quantùm est accidens, inhæreat intellectui, inhærentia tamen non pertinet ad rationem formalem speciei: & ideò Diuina Essentia vicem speciei intelligibilis supplere potest. Ad eundem modum in mysterio Incarnationis Diuina Subsistentia vicem huius termini supplet absq; vlla inhærentia, quia hæc non est de ratione termini. Hoc Supposito respondetur ad argumenta primæ opinionis.

20 Ad primum Resp. multa in creaturis distingui re, quæ in Deo propter eius infinitatem sola ratione distinguuntur. Vnde licèt in Deo natura, & Persona differant ratione (propter quod Persona assumit, natura verò non assumit) tamen in creaturis hoc, quod est assumi, quod conuenit naturæ, & non Supposito, arguit distinctionem realem inter naturã, quæ assumitur, & subsistentiam, quæ non assumitur.

21 Ad secundùm Resp. Subsistentiam realiter distingui à natura, vt vna res ab alia. Ad impugnationem Resp. nõ rectè sequi, si duo inter se realiter distinguuntur, posse ab inuicem separari, nam materia & forma realiter distinguuntur, & materia à forma separari non potest. Sed in proposito concedendum est, naturam posse à subsistentia seiungi, vt de facto contigit in Christo, cuius humanitas caret propria subsistentia, & per Subsistentiam Verbi subsistit. Tametsi Subsistentia sine propria natura conseruari non possit, vel quia importat intrinsecam dependentiam, & ordinem ad illam: vel saltem, quoniã est vltimus terminus naturæ, & esse nõ potest nisi actu terminando naturam, cuius est.

Ad tertium conceditur, Suppositum esse compositũ ex natura & subsistentia, vt supra contra Caietanum, & Fonseca ostensum est Disput. 3. nume. 41. 22

Ad primum argumentum propositum pro secunda opinione Resp. loquendo vt plures, tametsi sentiendo vt pauci, Subsistentiam communiter appellari modum substantialem, non quia propriè, & in rigore sit modus, sed latè, & largè loquendo de modo. Nihilominùs modus est duplex, alter, qui est quidditatiuè, & essentialiter modus, & hic à re modificata solùm formaliter distinguitur, non vt res à re. Alter verò, qui rem in esse perfecto complet, & solet dici per informationem, vel terminationem, quo pacto forma dicitur modus materiæ, & punctus lineæ. Et hic modus potest realiter à re modificata distingui: & huiusmodi est Subsistentia. Cæterùm esse in alio est modus quidditatiuus accidentis, & ideò ab eo formaliter tantùm distinctus. 23

Ad primam confirmationem Resp. quòd licèt natura differat vt res à re à Subsistentia, tamen à Supposito differt sicut inclusum ab includente, non est autem inconueniens, vt aliquid distinctum realiter ab alio, sit de essentia illius, vt inclusum, qua ratione materia est de essentia hominis. Ad secundam confirmationem negatur antecedens ob rationem assignatam. 24

Ad secundum Resp. cùm natura per Subsistentiam subsistat, non opus esse, Subsistentiã subsistere, vt Quod, sed sufficit, subsistere, vt Quo; quemadmodũ vt corpus sit album per albedinem, sufficit albedinem esse albam, vt Quo. Neque obstat, Subsistentiam esse affixam naturæ, neque sequitur, ipsam esse perfectiorem natura, nisi tantùm secundùm quid, nempe, in ratione actuandi: ipsa enim sustentatur à natura in diuerso genere causæ. 25

Ad tertiũ negatur antecedens, nam punctus realiter differt à linea, quam terminat. Exemplũ verò adductũ de figura respectu quantitatis, nihil conuincit, quia figura est quidditatiuè modus quantitatis, & ideò ab ea formaliter tantùm distinguitur. Subsistentia verò propriè loquendo est terminus, non modus, nisi largè & latè. 26

Ad confirmationem negatur antecedens, etenim illæ denominationes terminati & terminabilis, sunt tãtùm naturæ, non Suppositi: quia natura antequàm intelligatur completa per Suppositalitatem, habet rationẽm terminabilis, prout verò completur, & terminatur per illã, habet rationem terminati. Suppositum autem respectu naturæ potest dici habere rationem terminantis, quia per subsistentiam, quam addit supra naturam, terminat, & complet eam. Tametsi propriè loquendo Suppositalitas est quæ terminat, & complet naturam, ex quarum compositione resultat Suppositum compositum ex Subsistentia terminante, & natura terminata. 28

Ad quartum negãda est maior, nam per diuisionem aquæ corrumpitur tota Subsistentia aquæ diuisæ, & duæ aliæ de nouo producuntur. destruitur enim vnum 28

i

Suppositum,

28 Suppositum,& incipiunt duo. Ad quintum cōcessa maiori, neganda est minor, non enim propter illam rationem Subsistentia est inseparabilis à natura, sed quia ex intrinseca ratione est vltimus terminus intrinsecus suæ naturæ, & ideò esse nō potest, nisi actu terminando naturam, cuius est. Ad confirmationem Resp. distinctionem realem vt rei à re esse magis accommodatam ad explicandum Incarnationis mysterium, quàm sit distinctio formalis: quia per illam realem distinctionem facilius intelligitur, quo pacto potuerit Diuinum Verbum naturam humanam, & non Suppositum realiter assumere. Quòd si tantùm esset vna entitas realis, ægrè intelligi posset, quòd naturam realiter, & non Suppositum assumpserit, aut saltem totam eius entitatem, tametsi non formalitatem, vt Nominales dicebant, quod esse falsum, supra ostendimus.

29

30 Quomodò autem Subsistentia differat ab Existentia, dicendum est, eodem modo distingui sicut à natura, nempe, vt vna res ab alia realiter distinguitur. Ratio est, quia Subsistentia est intrinseca Supposito, & ponitur in eius definitione, Existentia verò est extrinseca, & nō est de ratione aut definitione alicuius rei creatæ. Itē quia priùs naturâ Suppositum constituitur per Subsistentiam, quàm sit, & intelligatur existentia, nam Suppositum iam constitutum est existentiæ susceptiuū, & quod est prius, seu priùs constituitur, nō dependet in illo genere ab alio, ac subinde realiter tanquàm res à re distinguitur.

QVINTA DISPVTATIO.

1 Vtrùm Subsistentia sit terminus Substantialis simplex, vel compositus. Hoc est, an careat partibus essentialibus respondentibus materiæ & formæ, vel illis constet. Vnde titulus Disputationis intelligitur de Subsistentia rerum compositarum ex materia & forma; nam Substantiarum simplicium, puta Angelorum, Subsistentiam esse simplicem & spiritualem, dubitari non potest. Mouetur autem hoc dubium propter M. Suarez, qui in Methaphysica Disput. 34. sectio. 5. nume. 7. & 17. docet, Subsistentiam esse modum, non simplicem, sed substantialiter compositum ex duplici modo respondente materiæ & formæ. Probatur autem hæc sententia. Subsistentia est modus intrinsecus identificatus cum essentia realiter; sed modus simplex nequit realiter identificari cum re composita: ergo Subsistentia non est modus simplex, si essentia, quā terminat, est composita. Minor probatur; quia modus compositus identificari non potest cum essentia simplici: ergo neque è contra modus simplex cum essentia composita. Tum maximè, quia essentia composita non est aliud, quàm suæ partes, sed modus cum partibus realiter diuersis, nempe, materia & forma identificari non potest: ergo neque cum substantia composita, erit igitur Subsistentia modus compositus ex duplici parte, vna identificata cum forma, altera cum materia.

2 Secundò. Subsistentia est modus completæ Substantiæ in ea adæquatè receptus: ergo cùm Substantia cōplera non sit tertia entitas distincta à materia & forma vnitis, sequitur, si modus ille recipitur in toto, partem recipi in parte totius, atque adeo istum modum habere partes respondentes partibus subiecti, in quo recipitur. Confirmatur; quia modus indiuisibilis in re diuisibili completè recipi non potest: ergo neque modus simplex partibus essentialibus carens, in re composita ex partibus essentialibus recipi adæquatè potest: sed subsistentia adæquatè in Substantia composita recipitur; ergo est modus compositus, & non simplex. Antecedens probatur; quia ex hoc dicitur, Subsistentiam totius integralis esse diuisibilem; quia subiectum est diuisibile.

Tertiò: quia Subsistentia in homine necessariò debet esse composita ex duplici partiali modo, altero materiali respondente materiæ; altero verò spirituali respondente formæ. Et probatur; quia corpus, & anima hominis, quatenùs inter se, & à toto, quod componunt, condistincta, per se, & vt Quod, subsistunt: ergo habent suas partiales Subsistentias. Ergo Subsistentia totalis hominis ex illis essentialiter componitur, sicuti eius essentia ex materia & forma. Antecedens, quantùm attinet ad animam rationalem; est expressa sententia D. Thomæ. 1. p. q. 75. art. 2. Vbi docet, in hóc animā hominis à cæteris differre; quia illa sit per se Subsistens; aliæ verò non. Ex quo principio q. 90. art. 2. deduxit, animam rationalem fieri per creationem, quæ; vt constat ex q. 45. est propria subsistentium, alias verò formas per eductionem de potentia materiæ. Et est per se notum, quia anima rationalis existit, & operatur, vt Quod, per se, & independenter à corpore, & à toto, quod constituit: sed esse & operari, vt Quod, independenter ab alio, est proprium subsistentis: ergo anima rationalis subsistit per se. Quòd autem corpus subsistat, probatur. Sicut anima rationalis sustentat per se, & vt Quod, accidentia spiritualia, scilicet, intellectum & voluntatem, & earum actiones; sic etiam corpus accidentia materialia sed sustentare, vt Quod, non conuenit nisi subsistenti; ergo tam anima, quàm corpus in homine subsistunt vt, Quod, & habent partiales Subsistentias. 3

Denique probatur argumento Theologico, quia Verbum Diuinum per se, & vt, Quod, assumpsit corpus, & animam hominis, & non tantùm vt, Quo, id assumptionem totius humanitatis: ergo per se, & vt, Quod, subsistunt per suas partiales Subsistentias, & non tantùm vt, Quo, ad Subsistentiam totius naturæ. Consequentia patet, quia non est per se assumptibile, nisi quod per se est capax propriæ Subsistentiæ, cuius loco Diuina subrogetur. Antecedens patet: quia si corpus & anima tantùm vt, Quo, assumpta essent à Verbo ad assumptionem totius humanitatis, ergo soluta vnione totius humanitatis cum Verbo, vt soluta fuit in triduo mortis Christi; vnio quoque hypostatica corporis & animæ cum Verbo dissolueretur necessariò. At hoc est falsum, nam in illo triduo tam corpus, quàm anima rationalis seorsum manserunt vnita Verbo Diuino hypostaticè; ergo per se ac seorsum assumpta fuerunt à Verbo Diuino, & non tantùm per accidens ad assumptionem humanitatis. 4

Pro explicatione huius difficultatis recolendum est ex superiùs dictis quæst. 2. art. 2. Disput. 4. nomen Subsistentiæ interdum sumi pro Hypostasi, seu Supposito, hoc est, pro Substantia completa omninò incommunicabili; interdum verò pro forma hypostatica, idest, Substantiali complemento Suppositi, scilicet, Suppositalitate. In præsenti ergo sumitur Subsistentia in hac secunda significatione, vt est idem 5

quod

quod Suppositalitas. Vnde sit Conclusio.

6 Subsistentia rerũ compositarum ex materia & forma est vnica, & simplex, & nullo modo composita ex Subsistentijs partium essentialium. Hæc conclusio recipitur ab omnibus Thomistis. Et probatur. Subsistentia est vna per se in genere substãtiæ, sicut Essentia, quã terminat: sed nõ potest esse vna per se, si ex Subsistentijs partium componatur, ergo. Minor probatur: quia ex duobus realiter distinctis nequit vnum per se fieri, nisi alterum habeat rationem actus, & alterum potentiæ, vel saltem terminabilis, & termini &c. Sed duæ Subsistentiæ non possunt habere inter se rationem potentiæ & actus, terminabilis & termini, nam vtraq; essentialiter habet, quòd sit terminus vltimus substantialis tantùm: ergo ex illis vna per se Subsistentia fieri non posset.

7 Confirmatur. Quia implicat, vnam Subsistentiam formaliter subsistere per aliam: ergo & vnam Subsistentiam actuari, & terminari per aliam. Consequentia est euidens, & antecedens probatur: quia Subsistentia est actualis ratio subsistendi, sicut existentia existendi: ergo sicut implicat, vnam existentiam per aliam formaliter existere, ita & vnam Subsistentiam per aliam subsistere.

8 Secundò. Subsistentia est terminus ita proprius totius substantialis naturæ, vt partibus essentialibus ipsius nulla ratione immediatè competere possit: ergo Subsistentia est vnica, & simplex forma, & non composita ex Subsistentijs partium essentialium. Antecedens probatur: Subsistentia est vltimum complementum substantiale rei, ipsam incommunicabilem faciens: sed implicat, quòd partibus essentialibus immediatè, & proxime competat aliquid, quod ipsas faciat vltimò completas, & incommunicabiles: est enim contra naturam partis esse incommunicabilem, & cõpletam; ergo Subsistentia nulla ratione partibus essentialibus proximè, & immediatè competere potest. Confirmatur: quia Subsistentia ita facit, rem, cui vnitur, esse per se, vt repugnet illi sic terminatæ esse in alio. Sed repugnat, quod pars ita per se sit, vt repugnet illi esse in alio: ergo implicat dari propriam Subsistentiam partium.

9 M. Suarez respondet, de ratione Subsistentiæ completæ esse, facere rem omninò incommunicabilem, hoc est; nullo modo potentem esse in alio, & de ratione Subsistentiæ partialis esse, facere, quòd pars nequeat esse in alio veluti subiecto per modum inhærentis, sicut accidens, non tamen quòd non possit esse in alio veluti in toto, quod componitur intrinsecè & substantialiter ex illa. Imò modus iste essendi in alio veluti in toto est proprius modus subsistendi partium: dicuntur enim per se subsistere partialiter, quatenus vnum per se subsistens completum faciunt. Sed hæc responsio est insufficiens: quia partibus substantiæ ratione suæ essentiæ præciso quocumq; alio modo ipsis superaddito, repugnat intrinsecè esse, & communicari alteri, tanquam subiecto inhæsionis: ergo incommunicabilitas non est effectus formalis Subsistentiæ partialis, quæ ex sententia huius authoris est modus partibus superadditus.

10 Secundò respondet, effectũ formalem partialis Subsistentiæ esse reddere partes incommunicabiles alieno Supposito. Vnde quia partes humanitatis Christi carent prædicta partiali Subsistentia, potuerunt alieno Verbi Supposito communicari; quod vtique fieri non posset, si haberent suas proprias partiales Subsistentias. Sed contra hanc solutionem instatur Naturæ Diuinæ conceptæ per modum essentiæ in abstracto significatæ, repugnat intrinsecè alieno Supposito communicari: licèt vt sic concepta includat Subsistentiam, quam tamen aliqui probabiliter negant: ergo ad hoc vt aliquid per se subsistat, non sufficit, quòd alieno Supposito communicari non possit, sed insuper requiritur, quòd ita sit vltimatè completa, vt nulla ratione possit esse in alio, siue alteri communicari.

11 Dices, Diuinam Essentiam, quia infinitam per se, & secluso quocumque alio esse alieno Supposito incommunicabilem, non verò partes substantiæ, & ideò indigere Subsistentia superaddita, vt hunc effectum formalem participent. Sed contra est, quia partes substãtiales, nempe, materia, & forma, per hoc, quòd natura, quam componunt, propria gaudet Subsistentia, sunt incommunicabiles alteri Supposito: implicat enim, quòd natura, quam componunt, sit in proprio Supposito, & quòd eius partes in alio Supposito subsistant: contra verò si natura careat propria Subsistentia, quicquid partibus eius supperaddi fingatur, nõ repugnabit, quòd alieno Supposito communicentur: nam eo ipso quòd tota natura alteri Supposito substantialiter communicetur, necessariò partes eius debent illi communicari, & aliud intelligi non potest: ergo ratio formalis, vnde partibus prouenit, quòd alieno Supposito sint incommunicabiles, non est aliquis modus ipsarum proprius, sed Subsistentia totius naturæ substantialis. Vnde confirmatur doctrina D. Thomæ, nam vnica simplex Subsistentia sufficit, vt tota natura substantialis primò & per se subsistat, vt Quod, & fiat alteri incommunicabilis, partes verò Subsistant secundariò, & vt Quo, & eodem modo incommunicabiles reddantur. Cùm ergo entitates sine necessitate vlla multiplicari non debeãt, frustra in vnaquaq; substantia tres Subsistentiæ finguntur, duæ partiales, & vna totalis, inter se realiter distinctæ. Vnde ad argumenta in contrarium respondendum est.

12 Ad duo priora argumenta, quæ supponunt totum essentiale Physicum non esse tertiam entitatem à partibus componentibus distinctam, quod cum Caietano, Ferrar. Iabello, & alijs Thomistis negari posset, sed eo admisso, Resp. quòd licèt modus simplex cum partibus realiter diuersis identificari nõ possit, si illæ seorsum sumantur, potest tamen cũ illis vt vnitis substãtialiter, siue quatenùs sunt per se vna substãtia identificari. Potestque exemplo confirmari: nam relatio filiationis est quidam modus accidentalis, cũ tota forma geniti identificatus, & tamen est simpliciter forma; & non composita ex duplici relatione filiationis, altera cum forma, altera cum materia identificata. Ad eundem ergo modum quamuis Subsistentia sit quædam simplex forma partibus essentialibus carens, poterit cum tota substantiali natura adæquatè identificari. Hæc solutio est vera in opinione M. Suarez qui tenet, Subsistentiã esse modum formaliter tantùm distinctum à natura. Sed in nostra sententia, secundùm quam Subsistentia realiter, vt res à re distinguitur à natura, neganda est maior.

13 Ad secundum conceditur, Subsistentiam completè vniri, & recipi in tota natura substantiali, & ex consequenti

Digitized by Google

quenti partialiter, & incompletè partibus essentialibus ipsius, nempe, materiæ, & formæ communicari. Cæterum formam partialiter recipi in partibus totius substantiæ, non est, quòd partes ipsius correspondeant partibus substantiæ, sed quòd toti substantiæ insint, quatenùs ex illis partibus compositæ, vt quantitas in homine, potentiæ sensitiuæ in ipso &c. Ex quo intelligitur, quo pacto formæ simplices accidentales possint in toto composito, & non in materia recipi: quod tamen in doctrina D. Thomæ necessariò est admittendû de omnibus accidentibus materialibus, tametsi partibus distinctis essentialibus non constent. Et similiter concedendum est, simplices totius compositi passiones, nempe, potentias vitales, internos, & externos sensus, potentias ridendi, flendi, & admirandi in tota substantia, & non in anima solùm subiectari, aut corpore. Item fatendum est, simplicium Subsistentiam, quæ essentiam cõpositam præsupponit, in tota substantia, & non in parte recipi.

14 Ad confirmationem Resp. Quòd sicut potentiæ vitales, quæ in tota viuentis substantia subiectantur, sunt quædam formæ simplices partibus essentialibus carentes nihilominùs tamen sunt diuisibiles, & extensæ, habentq; partes integrales, respondentes partibus organi materialis, in quo recipiuntur: sic Subsistentia est quidã terminus omninò simplex carens partibus essentialibus, est tamen diuisibilis, & extensus secundùm partes integrales correspondentes partibus essentialibus totius integralis substantiæ, nempe, capiti, manibus &c. vt est probabilis quorundam sententia.

15 Si autem inquiratur, cur repugnet, modum indiuisibilem recipi adæquatè in toto aliquo subiecto diuisibili, & non simplicem in composita substantia? Resp. rem diuisibilem constare ex partibus, quarum vna est extra aliam modo quantitatiuo. Vnde vt forma possit illi secundùm omnes suas partes vniri, necessum est, aut quòd spiritualis sit, ita vt tota sit in toto, & tota in qualibet parte; aut quòd similiter habeat partes extra partes respõdentes partibus totius integralis, in quo subiectatur. At verò totum essentiale Physicum nõ habet partes extra partes, sed substantialiter, & indiuisibili modo vnitas, facientes vnam per se substantiam, in qua forma, aut terminus simplex optimè recipi potest, tametsi partibus essentialibus careat.

16 Ad tertium respõdent aliqui, animam appellari Subsistentem, eo quòd inter omnes formas propriam habeat existentiã, qua separata à corpore existere valet. Dû autem est in corpore, sicut ibi operatur, vt Quo, (vt docet D. Tho. 1. p. q. 75. art. 2. dicens, quòd licet aliquo modo affirmari possit, animam intelligere, meliùs tamen dicitur, hominem per animam intelligere) sic etiam & ibi existit, & subsistit vt, Quo, tantùm ad existentiam, & Subsistentiam totius Nihilominùs dicendum est, animã separatam existere vt, Quod; eum ordine tamen & habitudine ad existendum vt, Quo, vniendo se materiæ per existentiam totius, quod resultat. Corpus autem in homine neque ista propria existentia potest gaudere, qua separatum existat, sicut anima rationalis. Vnde colligitur, nec Subsistentiam in homine esse compositam ex partibus essentialibus; nam materia nullam habet Subsistentiam propriam: anima autem rationalis, dum est in corpore, licèt habeat propriam Subsistentiã, quia est id, quod subsistit, & existit, & id, quo totus homo subsistit, & existit: verùmtamen quia illam communicat toti composito, ita vt eádem numero Subsistentia subsistant & Suppositum, & anima, & corpus, & alia quæ sunt in homine, idcircò talis Subsistentia non est composita ex Subsistentijs partialibus, sed est omninò simplex.

Ad probationem autem Resp. falsum esse, accidentia materialia immediatè subiectari in hominis materia. 17
Et similiter quod in secunda ratione additur, nempe, corpus vt ab anima & tota humanitate cõdistinctum, assumptum fuisse à Verbo Diuino immediatè. Quo autem pacto potuerit in triduo mortis Christi mansisse vnitum, si non fuit per se assumptum, infra explicabitur. Interim dicendum est, vnitum mansisse non per eãdem numero vnionem indiuisibilem; qua primo Incarnationis instanti Diuino Verbo hypostaticè fuit cõiunctum; sed per aliam vnionem continuò illi succedentem, qua natura cadaueris, sub cuius forma in triduo mortis materia Christi existebat, fuit Diuino Verbo primò, & per se copulata. Ex quibus constat, Subsistentiam tam in homine, quàm in alijs nõ constare ex partibus essentialibus, sed esse terminum quendam essentialiter indiuisibilem.

Sed dubitatur, An sit diuisibilis secundùm partes integrales. Aliqui dicunt, etiam hoc modo esse indiuisibilem, & probant. Primò quia Subsistentia est vltimus terminus substantialis naturæ: de ratione autem vltimi termini est, esse indiuisibilem, vt patet in puncto, linea &c. consideratis præcisè, quatenùs termini sunt. 18

Secundò: quia si Subsistentia constat partibus integralibus respondentibus partibus substantiæ integralis: ergo quælibet pars integralis substantiæ ratione partialis Subsistentiæ illi respondentis, & cum ipsa identificata, per se & vt, Quod, partialiter subsistit, imò est particulare Suppositum; quæ omnia sunt absurda. Sicut enim materia & forma subsistunt secundariò ad Subsistentiam totius: sic etiam istæ partes. Et sicut illæ non habent rationem Suppositi, quia sunt alteri, nempe, toti communicabiles, ita neque integrales, quia de ipsarum ratione non est solùm posse cõmunicari toti, sed quòd illi sint communicatæ: partes enim integrantes, quandiù actu nõ sunt inter se, & cum toto, quod componût, vnitæ, iam non partis, sed totius integrantis rationem habent. 19

Tertiò probatur, Subsistentiam hominis esse indiuisibilem. Existentia hominis est indiuisibilis: ergo & Subsistentia. Consequentia patet, quia existentia, & Subsistentia mutuò inter se proportionantur. Antecedens verò probatur; quia D. Thomas. 1. p. q. 76. art. 1. ad 5. inquit, eandem esse existentiam, quâ totus homo existit, & quâ anima rationalis: sed existentia, qua anima rationalis existit, est indiuisibilis: ergo existentia, qua totus homo existit, est indiuisibilis, & spiritualis, sicut illa, quæ est animæ rationalis. 20

Alij Theologi docent, Subsistentiam totius integralis Substantialis naturæ, non esse indiuisibilem, sed extensam secundùm partes integrales, respondentes partibus substãtiæ. Sic M. Suarez vbi supra. Et probatur breuiter. Dupliciter potest intelligi, quòd Subsistentia rerû materialium careat partibus integralibus, vel quia spiritualis esset, vt anima rationalis, vel quia indiuisibilis 21
vt

vt punctus: sed nullo ex his modis. ergo. Minor probatur quo ad primam partem, quia Subsistentia est terminus naturæ materialis, ab ea pendens in fieri, & conseruari: ergo non est spiritualis: implicat enim, quòd res spiritualis dependeat à re materiali. Quò ad secundam partem probatur: quia si esset indiuisibilis, vt punctus, non posset totaliter, & adæquatè respondere toti substantiæ integrali, neq; illi vniri versùs omnes partes: sed Subsistentia adæquatè respondet toti substantiæ integrali, & illi vnitur versùs omnem partem; nulla enim est pars, quæ per Subsistentiam non sit terminata; ergo non est indiuisibilis vt punctus, qui tantùm terminat lineam versùs partem vltimam indesignatam.

22 Confirmatur, quia si foret indiuisibilis eo modo, quo punctus, ergo solùm esset ratio, aut conditio recipiendi, vt punctum indiuisibile quātitatis, non solùm quantitatem, sed etiam alia accidentia; sed hoc est falsum, nā Subsistentia est omninò necessaria conditio ad recipienda accidentia, cùm sustentare illa sit proprium Subsistentiæ per talem Subsistentiam constituti.

23 Dices, totum discursum falso niti fundamento, nempe, quòd nihil potest recipi in subiecto diuisibili, nisi sit diuisibile, quod est falsum; nam animæ brutorum perfectorum sunt materiales, & indiuisibiles, & nihilominùs actuant corpus secundùm omnes suas partes: ergo etia m Subsistentia poterit esse materialis, & indiuisibilis, & nihilominùs totam substantiam, & illius omnes partes terminare. Quidā dicūt, in intelligibile esse, quòd aliquid rei diuisibili & extensæ adæquatè vniatur, nisi vel spirituale sit, vel totidem partes habeat, ac illud, cui adæquatè coniungitur. Vnde negant, animas brutorū esse indiuisibiles secundùm partes integrantes, respondentes partibus subiecti, sunt enim diuisibiles. Et cùm D. Thomas has formas indiuisibiles appellat, non ideò esse, quod in plures partes diuidi non possint, sed quòd nequeant ita diuidi, vt separatæ maneant, sicut animæ imperfectorum animalium. Et quamuis hoc non ita esset, non ideò argumentum vim haberet ad probandum, quòd Subsistentia rei materialis sit indiuisibilis secundùm partes integrantes. Vtraque sententia est probabilis, & facilè potest defendi. Sed hæc secunda non videtur admittenda, si intelligatur de hominis Subsistentia, hæc enim, cùm sit spiritualis, necessariò debet esse indiuisibilis. De reliquis vero Subsistentijs materialibus potest illa sententia probabiliter defendi, vt eam latè tuetur M. Suarez loco citato. Vnde argumenta in contrarium sic dilui possunt.

24 Ad primum Resp. non esse de ratione termini substantialis, quòd sit indiuisibilis, sed quòd compleat substantiam modo sibi proportionato. Vnde si substantia sit diuisibilis, & extensa in partes, terminus similiter habebit partes integrantes. Neque est eadem ratio de terminis quantitatis: nam isti non vniuntur adæquatè toti parti quantitatis, sicut Subsistentia toti substantiæ.

25 Ad secundum conceditur, Subsistentiam rerum materialium constare pluribus partibus integralibus Subsistentiæ. Negatur tamen componi ex pluribus Subsistentijs partialibus Ideoq; illæ partes non sunt Supposita partialia, quia ibi non sunt Subsistentiæ partiales: nā ratio formalis Subsistentiæ, quæ est vltimum complementum substantialis naturæ, ipsam omninò incommunicabilem reddens, ipsis partibus conuenire nō potest, cùm hæ non faciant partes naturæ, quibus vniuntur, completas, aut incūmunicabiles, communicantur enim toti Supposito.

Dices, posse similiter affirmari in sententia Suarez, Subsistentiam rerum compositarum esse quidem essentialiter compositam ex duplici modo substantiali respondente materiæ & formæ, non tamen constare ex duabus Subsistentijs partialibus propter rationem assignatam. Aliqui ita concedunt, nam inquiunt, Subsistentiam totius esse modum compositum ex duplici modo substantiali vnionis, quo materia & forma inuicem copulantur. Nihilominùs hæc sententia, quamuis à M. Suarez probabilis reputetur, est euidenter falsa, nam modi partiales vnionis ordinantur duntaxat ad naturæ, & essentiæ constitutionem. Vnde natura humana in Christo, licèt habeat duplicem istum modum vnionis, carebat tamen propria Subsistentia, per quam formaliter constituitur Suppositum. Resp. ergo negando paritatem rationis, nam vt aliquis modus recipi possit in substantia composita ex partibus essentialibus, non oportet, quòd sit essentialiter compositus, sed necessariò debet esse simplex, quia non respicit tanquàm immediatum susceptiuum ipsas partes, sed substantiam ex illis resultantem. At verò in re extensa habente partes extra partes nequit forma, aut modus recipi, nisi spiritualis sit, aut si materialis, totidem partes integrantes habeat, sicut subiectum, cui vnitur. 26

Ad tertium respondetur, existentiam hominis esse spiritualem & indiuisibilem, & similiter Subsistentiā, nam sicut totus homo existit per existentiam animæ rationalis, sic & per illius Subsistentiam subsistit, nam anima rationalis, vt pote spiritualis, ita est perfecta forma, vt propriam sibi vendicet Subsistentiam, & existentiam, quæ dum actu corpori est vnita, toti ipsi hominī quem essentialiter constituit, formaliter & vt quo cōmunicat, & vt quod retinet, dum actu ab illo est separata. Imo verò dum est in corpore, subsistit etiā vt quod; vt latiùs ostendetur infra q. 6. art. 3. Qui verò priorem sententiam defendere voluerit, diluet argumenta in oppositum negando fundamentum illius, vt cōstat in anima bruti quæ cùm sit indiuisibilis, gaudet Subsistentia indiuisibili. 27

SEXTA DISPVTATIO.

Vtrùm natura Substātialis de potentia Dei absoluta possit conseruari existens sine vlla Subsistentia propria, vel aliena. Caietanus hîc in solutione ad quartum argumentum Scoti tenet partem affirmatiuam. Et potest hæc sententia sic confirmari. Primò. Subsistentia realiter distinguitur à natura, & ab existentia, vt ostensum est Disput. 4. ergo nō repugnat, naturam conseruari cum propria existentia, sine vlla Subsistentia, præsertim cùm demonstrari sufficienter non possit, existentiam adeò intrinsecè à Subsistentia dependere, vt absque illa naturæ conuenire non queat. 1

Secundò. Deus potest materiam primam sine forma conseruare, vt est probabilis Antithomarum opinio: ergo potest conseruare naturam existentem sine Subsistentia. Consequentia patet, quia natura etiam sine Subsistentia magis habet de actualitate, quàm materia prima 2

Digitized by Google

prima spoliata omni forma.

3 Tertiò. Subsistentia respectu naturæ per se loquendo non habet rationem formæ, sed tantùm termini, & modi completiui naturæ, vt ex superioribus constat: ergo sine Subsistentia poterit natura conseruari cum sola existentia. Consequentia patet, & ampliùs explicatur. Cùm ex parte subiecti, vel susceptiui requiritur aliqua forma, per quam subiectum formaliter constituitur in esse susceptiuo alicuius actus, tunc implicat talem actum suscipi in subiecto, nisi interuentu talis formæ, ad quam dicit intrinsecam habitudinem, tanquàm ad formale constitutiuum proprij, & immediati susceptiui sic materia nequit suscipere actum existentiæ, nisi per formam. Quādo verò ex parte subiecti, & susceptiui solùm requiritur, vt terminus, & modus naturæ, tantùm exigitur, vt conditio necessaria, ac subinde suppleri potest à Deo. Cùm ergo Subsistentia formaliter loquendo non constituat naturam substantialem in ratione susceptiui existentiæ, sed sit quidam modus, & terminus eius, qui licèt naturaliter prærequiratur ex parte naturæ ad existentiam, vt conditio necessaria, non tamen hic terminus est adeò prærequisitus, vt per Diuinam potentiam suppleri non possit: conditio enim necessaria bene potest suppleri à Deo. Quare necessariò dicendum est, naturam sine Subsistentia conseruari posse.

4 Confirmatur, & explicatur adhuc. Existentia ideò nequit immediatè communicari materiæ primæ, quia existentia dicit maximam actualitatem in rebus creatis, & ferè puram actualitatem, materia verò dicit puram potentialitatem; & sic materia prima non est immediatum, & proportionatum existentiæ susceptiuum, nisi mediante forma, quæ aliquid habet de actu, & aliquid de potentia: sed natura etiam sine Subsistentia habet aliquid de actu, & aliquid de potentia; & insuper Subsistentia non est actualitas, & forma naturæ, sed solùm terminus, & complementum, & in ratione susceptiui accedit ad rationem conditionis: ergo existentia potest naturæ sine Subsistentia immediatè communicari.

5 M. Suarez in Methaphysica Disput. 34. sectio. 6. à num. 11. vsque ad 19. & M. Fonseca lib. 5. Methaphysi. cap. 8. q. 6. sectio. 5. ad 4. Scoti, tuentur negationem. Et potest hæc sententia confirmari. Primò. Subsistentia est prior, quàm existentia, & constituit proprium susceptiuum existentiæ, vt ostensum est Disp. 4. sed natura conseruari non potest sine existentia, ergo neq; sine Subsistentia, quæ est prior. Consequentia patet, & probatur minor: quia essentia, & natura non minùs dependet ab existentia, quantùm ad esse, quàm materia prima à forma substantiali, imò magis, quoniam existentia est causa formalis existendi, sicut albedo albi, forma verò non est ita causa formalis existendi materiæ primæ: sed materia prima de potentia absoluta conseruari non potest sine forma substantiali; ergo neque natura sine existentia.

6 Dices, ideò essentiam sine existentia conseruari non posse, quia habet cum existentia intrinsecam & necessariam connexionem in ratione essendi: quæ quidem connexio necessaria, non est inter Subsistentiam, & existentiam; quia Subsistentia in ordine ad naturam solum habet rationem termini, & completiui, non formæ. Et est conditio necessariò requisita, vt natura sit susceptiua existentiæ: conditio autem rectè suppleri potest à Deo. Sed contra est, quia licèt Subsistentia in ordine ad naturam solùm habeat rationem termini, & completiui, & non formæ: nihilominùs est ratio formalis constitutiua susceptiui existentiæ, atque adeò in ratione susceptiui habet rationem formæ, vel saltem habet rationem modi intrinseci tenentis se ex parte rationis formalis; & ex consequenti à Deo suppleri non potest, cùm ad rationem formalem reducatur. Itaque licèt Subsistentia non esset ratio formalis constitutiua susceptiui existentiæ, sed talis ratio sit forma; tamen quia saltem est modus intrinsecus necessariò adiunctus huic rationi formali, non potest à Deo suppleri: nec magis potest Deus existentiam cōmunicare naturæ, etiam constitutæ per formam sine Subsistentia, quæ est modus intrinsecus naturæ terminatæ, quàm facere vnum sine priuatione diuisionis, quæ est modus intrinsecus, & intraneus vnitati.

Secundò probatur. Deus non potest conseruare materiam sine forma, quia non est capax existentiæ, nisi per formam, quæ constituit susceptiuum existentiæ, nec potest existentia constitui extra proprium susceptiuum, vt est receptum in doctrina D. Thomæ: sed natura non est capax existentiæ nisi per Subsistentiam, nec potest existentia constitui extra proprium susceptiuum: ergo natura sine Subsistentia conseruari non potest. 7

Confirmatur. Inter terminum intrinsecum & rem terminatam est intrinseca connexio; sed Subsistentia est intrinsecus terminus naturæ, vt ostensum est: ergo natura conseruari non potest sine Subsistentia intrinsecè terminante. Consequentia patet, & probatur; quia natura & Subsistentia non solùm comparantur vt terminus & terminabile, sed etiam Subsistentia est talis terminus, vt sit immutabilis ex natura rei, & faciat magis vnum cum natura, quàm figura cum quantitate. Maior constat inductione. quia intelligi non potest, vt linea maneat prorsus sine termino; aut quòd cùm linea diuiditur, & punctus continuans partes aufertur, non resultent proprij termini in partibus diuisis: vel quòd detur aliqua quantitas in rerum natura figurâ terminabilis, & quòd nulla terminetur figura; vel quòd linea non sit recta, aut obliqua; & superficies aut rotunda, aut triangularis &c. Figura enim est modus quantitatis, ab illa formaliter distinctus. Item fieri non potest, vt sit quantitas in rerum natura, & nullum habeat localem præsentiam, tametsi hanc, vel illam variare possit. 8

Tertiò. Existentia habet intrinsecam dependentiam à Subsistentia: ergo communicari non potest naturæ sine Subsistentia. Consequentia patet, & antecedens probatur. Inter potentiam, & proprium actum connaturalem est intrinseca habitudo, & dependentia: sed natura terminata per Subsistentiā, est propria potentia, & propriū susceptiuū existentiæ: ergo inter existentiā & Subsistentiā est intrinseca dependentia. Confirmatur. Natura creata etiā de potentia Dei absoluta terminari non potest per alienam Subsistentiam creatam, vt supra ostensum est quæst. 3. art. 1. & hoc propter intrinsecam dependentiam, quæ est inter naturam, & propriam Subsistentiam, ac propterea per alienam Subsistere 9

aliam terminetur,& vnum punctum per aliud, & quòd materia prima,quæ est primum subiectum, sit in subiecto.

107 Confirmatur primo, quia implicat, eandem naturam subsistere per se, & in alio sed in casu posito eadem natura subsisteret per se in proprio Supposito, & in alio,nempe, in Supposito Diuino: ergo. Confirmatur secundo, quia essent duæ Personæ, altera purè humana, quæ per Personalitatem connaturalem naturæ subsisteret,altera Diuina,& humana simul.sed implicat, duas Personas posse substantialiter vniri ergo &c.

108 Ad argumentum Resp. Id duntaxat probare, quòd Personalitas sit inassumptibilis, non tamen quòd natura terminata in Persona sit Inassumptibilis. Stat enim, assumi naturam personatam absq; eo, quòd Personalitas siue Persona assumatur, quia non assumitur natura secundùm rationem personæ, sed tantùm secundùm rationem naturæ. Et ita humanitas modò in Verbo Personata, etsi non sit assumptibilis à Patre secundùm rationem Personæ; absolutè tamen est assumptibilis ab

109 illo. Et sicut personalitas extranea communicata naturæ non impedit assumptionem illius; sic neq; Personalitas propria impediret: non enim terminatur natura, neq; completur minùs per Diuinam Personalitatem sibi extraneam, quàm terminaretur, & compleretur per propriam.

110 Ad primam confirmationem Resp. Humanam naturam semper subsistere per se, siue teneatur per propriam personalitatem, siue per alienam. Quòd autem subsistat per se in Personalitate propria, & simul subsistat per se in Personalitate extranea, quod est subsistere per aliud,nullam inuoluit implicationem: quia implicatio, siqua esset in hac parte, non esset desumenda ex eòquòd natura subsistat in se, vel in alio, sed potiùs ex terminatione naturæ.

111 Ad secundam confirmationem Resp.Aliud esse quærere,An natura subsistens in persona possit assumi manére personalitate,aliud verò,An ipsa Persona possit assumi. Quòd enim Persona assumi non possit, certissimum est,quia talis volo esset accidentalis, & non substantialis; nam duæ Personæ substantialiter vniri non possunt.Natura verò etiam subsistens in persona, potest substantialiter,& hypostaticè vniri,siue subsistat in persona propria,siue in aliena. Siqua ergo repugnantia reperitur,ea est, quòd simul eadem natura existeret duplici existentia realiter distincta,quia cuicumq; Personalitati propria existentia respondet, Personalitati Diuinæ existentia Diuina, & Personalitati propriæ existentia

112 humana. Est autem implicatio,eandem rem simul existere duabus existentijs, ita distinctis diuersorum ordinum. Et in hoc est manifestum discrimen, si eadem humanitas à tribus Personis assumeretur; quia tunc illa humanitas per vnicam tátùm existentiam existeret, nempe, per Diuinam, quæ est vna tantùm. In casu autem posito necessariò deberet existere per duas existentias realiter distinctas. Verum est tamen in opinione contraria, quam impugnamus, hoc non reputari inconueniens,cùm de facto ponat in humanitate Christi pro-

113 priam, & creatam existentiam simul cum Diuina. Sed in sententia D. Thomæ implicat, duplicem existentiam constituere. Quare dicendum est, eo ipso, quòd natura præexistens vniretur Diuinæ Personæ, suam propriam existentiam amitteret vt dictum est num.56.

Et amplius explicabitur infra q.17.art.2. Disp.1.Parag. 4. num.146. vsq; ad 150. Ex quibus constat, inaduertenter asseruisse M.Suarez,ea omnia,quæ in hoc secundo argumento ex sententia Caietani deducit, esse falsa, noua, & superflua, & sine fundamento, aut necessitate dicta. Ex his enim, quæ in hac Disputatione definita sunt, manifestè patet, sententiam Caietani esse verisimam,& cæteris longè probabiliorem: opinionem verò Suarez esse falsam, & quò ad aliqua implicatoriam.

Ad tertium principale Resp. Subsistentiam esse complementum,& terminum substantialem, quia ita complet & terminat naturam, vt nihil ei aduenire possit, quod sit illi intrinsecum, & de eius conceptu formali. Nec obstat, quòd adueniat posteà existentia, quæ est quid substantiale, vt distinguitur contra accidens prædicamentale: est enim extrinseca, & extra essentiam substantiæ creatæ. Sicut ergo punctus est terminus lineæ, non obstante quòd lineæ terminatæ per punctum adueniat existentia actualis, quæ ad prædicamentum quantitatis reductiuè pertinet, quatenùs existentia est extra rationem lineæ terminatæ: sic etiam subsistentia est terminus intrinsecus substátialis naturæ, post quem aduenit existentia reductiuè pertinens ad prædicamentum substantiæ: quia esse actu est omninò extra rationem substantiæ completæ. Sicut enim linea terminata abstrahit ab actuali existentia; sic etiam Suppositum. Vnde ista propositio, Petrus est Suppositum, vel substantia completa, est per se,ista verò, Petrus est existens, est accidentaria. 114 115

Ad quartú Resp. Existentiá in Deo esse ipsam Dei essentiam,& sic præsupponi ad Subsistentiá:creaturarum verò existentiá esse accidentalem,& ideò præsupponere in illis Subsistentiá, quæ est terminus intrinsecus. Neq; est verum,eundem ordinem seruare rationes formales in Deo,& in nobis:nam in Deo intellectus, & voluntas præsupponuntur ab Subsistentiam; in nobis verò cùm sint accidentia, posteriùs sunt quàm Subsistentia, quæ est terminus essentialis. 116

Ad quintú Resp. Subsistentiá, qua Suppositú constituitur, complere naturam, non quò ad essentiam, neq; quò ad existentiam; quia substantia completa creata abstrahit ab existentia:sed quò ad esse intrinsecum substantiale.Natura enim sine Subsistentia,licèt sit completa essentia, non tamen completa substantia; atq; adeò nec directè ponitur in recta linea prædicamentali. 117

Ad sextum Resp. Quòd cùm existere per se actualiter non sit de conceptu Suppositi creati,modus essendi per se nequit esse constitutiuum creati Suppositi, neq; intrinsecum cóplementú naturæ substantialis,sed quidam quasi extrinsecus actus præsupponens Suppositú constitutum,& naturam vltimò cópletam intrinsecè. Ex quo patet,modú istum per se existendi nó facere naturá primò incómunicabilem, sed præsupponere incómunicabilé per subsistétiá, qua intrinsecè cópletur,& terminatur: eo enim ipso quòd sit substátia cópleta, non potest vniri cú Persona Diuina substátialiter, quia vnú cú illa per se componere non potest: ex duobus enim entibus completis nequit vnum per se in genere substantiæ resultare. Verum est, quòd cùm modus per se existendi sit actus cópletæ substátiæ,illi maximè cónaturalis, & proportionatus,facit secundariò ipsam incómunicabilem; 118 119

vel

vel potiùs reducit in actum quasi secundum essendi ipsius incommunicabilitatis.

120 Est tamen aduertendum, quòd esse per se actualiter, non est aliquid distinctum ab existentia substantialis naturæ, sed ipsa adæquatè, & formaliter. Neq; est par ratio de modo actualiter essendi in alio, respectu existentiæ accidentalis; nam accidens, etiam actu existens, est indifferens, quantùm est de se, vt sit actu in subiecto, vel ab illo separatum: nihil enim iotrinsecum habet, ratione cuius illi repugnet alter ex his duobus statibus. Etenim quia existentia accidentis, sicuti & essentia, est imperfecta, & insufficiens per se ipsum accidens sustentare: ideò recipere potest à subiecto modum quendam positiuum, per quem actu illi inhæreat, & ab eo dependeat. Quia verò huiusmodi dependentia non est essentialis, &

121 intrinseca; ideò Deus suo extrinseco concursu efficienter potest illum supplere, & accidens sine tali inhærentia actuali conseruare. At verò substantia actu existens non est indifferens, vt sit per se, vel in alio. Cùm enim ipsius existentia sit completa, & perfecta, sicut & prima substantia, cuius est actus, potest, imò de facto illam per se sustentat independenter ab omni alio. Vnde repugnat substantiæ existenti per propriam existentiam esse in alio, non solùm vt subiecto (hoc enim quælibet substantia etiam incompleta habet) sed etiam tanquàm in Supposito substantialiter, & intrinsecè sustentante. Cùm enim Suppositum alienum substantiam sibi vnitam formaliter sustentet, quatenus illam intrinsecè complet, & terminat: sicut repugnat, quòd substantiam completam actu existentem terminet, & compleat substantialiter; ita & quòd illam sustentet intrinsecè per modum Suppositi, vel hypostasis.

122 Præterea aduertendum est, modum per se existendi, qui in existentia substantiæ completæ includitur, non opponi directè, & formaliter modo essendi actualiter in alio, quem accidens in subiecto habet; sed modo existendi substantialiter, quem humanitas Christi habet in Verbo. Vnde argumentum deductum ab Analogia modi essendi in alio, superadditi existentiæ accidentis, quo recentiores plurimùm nituntur, ad probàdum, modũ essendi per se, hoc est, non in alio Supposito, esse distinctum, & superadditum existentiæ substantiali: nihil omninò valet, quin potiùs si quid valeret, concluderet, substantiam actu existentem, vt per se (hoc est, non in subiecto) existeret, indigere modo superaddito, à sua existentia distincto, & opposito inhærentiæ accidentali, sicut indiget accidens existens, vt actu sit in alio: quod tamen constat esse falsum.

123 Ad septimum Resp. Quòd cùm existentia in Deo sit de eius essentia, imò ipsa Dei essentia, tribus Personis communis, neq; facit, neq; præsupponit naturam Diuinam incommunicabilem. At verò existentia creata, cùm omninò sit extra essentiam naturæ completæ, & vltimò terminatæ intrinsecè, & substantialiter, quamuis primò & per se non faciat incommunicabilem, supponit tamen illam iam incommunicabilem factam; imò & secũdariò illam facit incommunicabilem. Cùm enim existentia sit actus Suppositi incommunicabilis, maximè illi proportionatus, & connaturalis, fit, vt sicut ipsum Suppositum est quasi in actu primo substantiali, potens existere incommunicabiliter, sic ipsius existentia sit ratio faciens illud existere incõmunicabiliter actu. Implicat ergo, naturam propria existentia completam posse vniri, aut communicari alteri substantialiter. Vnde negandum est, humanitatem in Christo per 124 propriam existentiam existere: imò potiùs dicendum est necessariò, existere per existentiam Diuini Verbi, cui vnitur hypostaticè: vt docet D. Thomas infra q. 17. art. 2. Et definitur in Epistola Sophronij, lecta, & approbata in 6. Synodo generali actio. 11. vbi dicitur. *Simul caro, simul Verbi Dei caro, animata, rationalis. In illo itaq; & non in semetipsa habuit existentiam vnam. Ne- 125 q; valet dicere, per existentiam substantialem intellexisse subsistentiam; quia hoc est liberè, imò temerè Concilij verba interpretari. Deinde ex verbis, & intentione Sophronij efficaciter colligitur, existentiam in propria, & communi significatione vsurpasse: intendebat enim ibi aduersùs quosdam hæreticos demonstrare, humanitatem Christi non priùs extitisse, quàm à Verbo assumpta fuisset. Hoc autem efficaciter demonstrat, quia vnam cum Verbo indiuisam existentiam habuit; atq; adeò existere non potuisse, antequàm ipsi hypostaticè fuisset vnita: quare negatur, Verbum assumpsisse humanitatem existentem.

Ad octauum Resp. Verbum assumpsisse veram, & 126 realem essentiam humanitatis, quæ erat entitas actualis, non quidem actu existentem, sed capacem existentiæ. Etenim inter possibile, & existens actu datur medium, nempe, potens existere, non tantùm potentia logica, & obiectiua, quæ solùm est quædam non repugnantia; sed Physica reali, & positiua, receptiua actus existentiæ realis. Cùm enim nulla essentia creata sit suum esse, vt existat actualiter, oportet, vt in se aliquid reale superadditum recipiat, nempe, existentiam, per quam vltimatè in actum substantialiter reducitur. Sed prius quàm essentia hunc vltimum actum recipiat; debet compleri, & terminari intrinsecè per subsistentiam, & Personalitatem Verbi, quàm ipsius existentia fuerit illi communicata. Quomodo autem essentia antè existentiam dicatur entitas actualis, explicatum est supra quæstio. 2. artic. 2. Disput. 3. Parag. 5. & infra quæst. 17. artic. 2. Disput. 1. Parag. 4. numer. 136. vsq; ad 141.

Ad confirmationem negatur antecedens, vt latiùs 127 patet ex dictis supra q. 2. art. 11. Disput. 2. Sed stando in solutione assignata huic argumento, Resp. ad replicam, eius solutionem pendere ex illa quæstione, An accidentia solùm distincta formaliter à substantia (cuiusmodi est productio humanitatis Christi) habeant propriam existentiam, vel existant ad existentiam substantiæ, cum qua realiter identificantur. Qui hoc vltimum tenent, respondent, actionem productiuam humanitatis Christi caruisse propria, & intrinseca existentia: neq; hoc esse mirabilius, quàm quòd eius terminus, nempe, humanitas, illa caruerit. Et cùm obijcitur. Illa actio actu inhæsit humanitati Christi; sed inhærentia actualis accidentis non potest esse sine actuali existentia; ergo &c. Respondent, accidentia, quæ solùm 128 formaliter à substantia distinguuntur, propriè non inhærere, nam inhærentia propriè dicta, quæ existentiam præsupponit, est modus quidam realis existentiæ accidentali superadditus, quo accidens naturâ suâ indifferens ad essendum, & non essendum in subiecto actualiter, subiecto vnitur actu.

Digitized by Google

Cæterùm accidentia, quæ realiter cum substantia identificantur, sunt modi ipsius: modi autem, vt vniātur rei, cuius sunt modi, non indigent modo vnionis superaddito. Sicut ergo actio per suam essentiam modalem vnitur immediatè, ita & inhærere dicitur. Vnde non concluditur habuisse existentiam propriam humani-
129 tatis Christi, eòquòd inhæserit humanitati actu. Qui verò asseruerint, accidentia etiam identificata cū substantia habere modalem, & actualem existentiam (quod probabilius apparet, quia secundùm D. Thomam infra q. 17. art. 2. Solum possunt per existentiam substantiæ formaliter existere, quæ vnum per se cum ea faciunt) concedent, productionem humanitatis Christi habuisse propriam existentiam: de ipsa tamen humanitate negabunt. Et ratio est, quia illa actio, vt pote accidentalis non potuit ad existentiam Verbi existere, potuit verò humanitas Christi, quia illi substantialiter vniebatur, neq; proportio essentialis, quæ inter actionem & terminum reperitur, consistit in hoc, quòd si vnum existit existentia propria, existat quoq; & alterum.

130 Quod autem obijcitur, existentiam modi ab existentia rei, cuius est modus, separari non posse, etiam de potentia Dei absoluta, falsum est: quinimò naturaliter contingit, vt modus accidentalis suam propriam existentiam habeat, & tamen res, cuius est modus, nullam habere possit, vt constat de relatione, quæ in materia prima immediatè fundatur. Ratio verò à priori est, quia modus non dependet intrinsecè nisi ab eo, cum quo identificatur: modus verò non identificatur cum existentia reali, sed cum substantiali illius entitate intrinseca.

131 Ad vltimum Resp. Non magis repugnare, humanitatem Christi existere per existentiam Verbi, quàm quòd ad illius subsistentiam subsistat. Sicut enim existere non est extrinseca denominatio, sic neq; subsistere. Vnde sicut de facto Verbum sua subsistentia terminat naturam humanam intrinsecè, & illam facit in ipso, & non in semetipsa subsistere. sic etiam mediante existentia Diuina terminat eandem humanitatem, & facit eam in ipso, & non in se existere. Cùm verò dicitur, implicare, quòd aliquid sit album per alterius albedinem; ergo & existens per alterius existentiam: negatur consequentia; quia albedo non facit album, nisi informando subiectum, implicat autem, albedinem in alio subiecto existentem informare simul alterum, atq; adeò illud album efficere. At verò existentia non facit naturam existentem, illam informando, sed terminando, sicut subsistentia. Vnde sicut Verbum facit humanitatem subsistentem illam terminando, sic & existentem.

QVARTA DISPVTATIO.

1 VTRVM Subsistentia, quam Suppositū creatum addit supra naturam, differat ab ea realiter, vel ratione tantùm. Cùm Suppositum & natura habeant se sicut includens & inclusum, idem est quærere, vt frequentiùs solet, quomodò Suppositum à natura distinguatur, ac quærere, quo pacto id, quod suppositum supra naturam in rebus creatis addit, ab ipsa differat. Dixi in creaturis, quia in Deo constat, sola ratione ratiocinata distingui, vel formaliter virtute, vt dici solet 1. p. q. 28. artic. 2. De proposita igitur difficultate non est consentiens Theologorum sententia.

Quidam dicunt, in creatis Suppositum à natura sola 2
ratione distingui. Sic Durandus in 1. d. 34. q. 1. Henricus quodlib 4. q. 4. & probatur. Inter Suppositum & naturam non est ponenda maior distinctio in rebus creatis, quàm quæ sufficiat, vt verè dicatur, Verbum humanitatem, & non Suppositum assumpsisse: sed ad hoc sufficit sola distinctio rationis: ergo dicendum est, Suppositum & naturam solùm differre ratione. Maior patet: quia tota ratio distinguendi Suppositum à natura, fuit desumpta ex mysterio Incarnationis. Minor verò probatur; quia sola distinctio rationis inter Suppositum & naturam Diuinam sufficit, vt Persona dicatur verè humanitatem assumere, non autem natura Diuina: ergo hæc eadem distinctio sufficit, vt natura creata dicatur assumpta, & non Suppositum creatum.

Secundò. Si id, quod Suppositum addit supra natu- 3
ram, distinguitur ab ea plusquàm ratione: ergo vel distinguitur tanquàm res à re, vel tanquàm modus. Sed neutro modo; ergo solùm ratione. Minor probatur: non tanquàm res à re, quia sic possent ab inuicem separari de potentia Dei absoluta, neq; vt modus, quia sic quamuis Subsistentia esse non possit sine natura, bene tamen natura sine Subsistētia, sicut fundamentum sine relatione: sed implicat, Subsistentiam esse sine natura, aut naturam sine Subsistentia: ergo non differunt nisi ratione.

Tertiò. Si Subsistentia realiter differt à natura, Sup- 4
positum ex illis resultās esset verè compositum, sed non est; ergo non differunt nisi ratione. Maior probatur: quia compositum non est aliud, quàm vnum ex pluribus rebus vnitis constans. Minor patet: quia omnis realis compositio adæquatè diuiditur, in Methaphysicam ex esse & existentia, & Physicam ex materia & forma: sed Suppositum formaliter neq; est cōpositum Physicè ex materia, & forma; neq; Methaphysicè ex esse & essentia: ergo non est realiter compositum; & ex consequenti extrema solùm ratione inter se distinguuntur.

Alij Theologi docent, Subsistentiam distingui à na- 5
tura formaliter, siue ex natura rei, sicut modus intrinsecus, & substantialis naturæ, non tamen realiter, tanquàm res à re. Sic docet Soto in Logica q. 3. Vniuersalium, & Suarez in Methaphysica Disp. 34 sect. 4. & Vazquez. 1. p. Disp. 126. cap. 2. & 3. Et probatur hæc sententia. Primò, quia Subsistentia est modus naturæ, sed modus non distinguitur realiter à re, cuius est modus, sed tantùm formaliter, vt sessio à sedente: ergo Subsistentia non distinguitur realiter à natura, quam modificat, sed solùm formaliter. Maior probatur, tum ex communi modo loquendi Theologorum, qui passim dicūt, Suppositum addere supra naturam singularem, quendam modum substantialem, qui est, esse per se. tum etiam ratione; quia sic se habet esse in se, quæ est ratio substantiæ, ad naturam substantialem, sicut esse in alio ad accidens. sed esse in alio, est modus accidentis, non distinctus realiter ab accidenti: ergo esse in se erit modus substantiæ non distinctus ab illa.

Cōfirmatur primò. Natura est de essentia Suppositi: 6
ergo non distinguitur realiter à Supposito. Patet consequentia: nam quod est de essentia alicuius, ab illo realiter, vt vna res ab alia, non distinguitur. Confirmatur secundò: quia maior identitas videtur esse inter Petrum, & humanitatē, quàm inter albedinem, & similitudinē.

Secundò.

7 Secundò. Si Subsistentia realiter distinguitur à natura; ergo est per se subsistens. Sed consequens est falsum: ergo. Probatur Sequella: quia ad hoc ponitur subsistentia, vt sit naturæ sustentaculũ, quæ, quia per se sustineri non potest, indiget illa entitate superaddita, vt per illam sustentetur: ad hoc autem necessarium est, vt illa per se subsistat: nam impossibile est, naturam ab eo sustentari, quod per se non subsistit. Minor probatur: tum, quia illa entitas est affixa naturæ, & quasi illi inhærens, & seclusa natura, illa per se subsistere non posset: tum etiam, quia aliàs perfectior esset natura, cùm actus subsistendi sit perfectissimus.

8 Tertiò. Terminus intrinsecus rei non est entitas à re, quam terminat, realiter distincta, sed modus quidam intrinsecus ipsius, solùm ex natura rei diuersus, vt patet in figura respectu quantitatis; sed Subsistentia est terminus intrinsecus substantialis naturæ: ergo non est res ab ea realiter diuersa, sed modus intrinsecus, formaliter & ex natura rei distinctus tantùm.

9 Confirmatur. Suppositum defferet à natura vt terminatum à terminabili, sed res terminata à seipsa vt terminabili, solùm modaliter differt: ergo Suppositum à natura solùm differt modaliter; & ex consequenti quod supra illam addit, solùm est modus diuersus formaliter.

10 Quartò. Nulla entitas diuersa realiter, præsertim substantialis, potest de nouo consurgere ex sola continui diuisione: sed ex sola diuisione aquæ continuæ consurgit de nouo Suppositalitas, duo enim aquæ Supposita post diuisionem manent, cùm anteà solùm essent vnũ: ergo Subsistentia non est entitas substantialis à natura realiter diuersa, sed illius modus formaliter tantùm ab ea distinctus: proprium enim est modi sic posse de nouo consurgere.

11 Quintò. Subsistentia non magis potest à natura separari, quàm punctus à linea: sed huius ratio nõ est alia, nisi quia subsistentia est modus intrinsecus naturæ, ab ea solùm formaliter diuersus; ergo. Minor probatur: quia si esset entitas tanquàm res à re distincta, cùm non dependeat à natura nisi tanquàm à causa materiali sustentante, ergo potest Deus dependentiam suo concursu supplere, sicut de facto supplet in accidentibus Eucharistiæ; atque adeò posset à natura separata conseruari Diuina virtute. Quòd si non potest, vt re vera non potest, ideò est, quia non est à natura diuersa, sed modus intrinsecus ab ipsa inseparabilis eo modo, quo relatio à fundamento. Sicut enim ex eo quòd mobile possit esse sine motu, fundamentum sine relatione, efficaciter colligitur, solùm formaliter & ex natura rei, non autem realiter vt res à re h̃ec omnia distingui: sic etiam ex eo quòd natura possit esse absque propria subsistentia (vt in Christo, non autem è contra subsistentia sine propria natura, efficaciter colligitur, hæc duo in rebus creatis solùm modaliter, non autem vt res à re distingui.

12 Confirmatur, quia huiusmodi modalis distinctio sufficit ad explicanda omnia, quæ Concilia, & Sancti Patres de Incarnationis mysterio docent; & multò magis accõmodata est ad hoc, quàm distinctio realis.

13 Pro explicatione sit Prima Conclusio. Subsistentia, quam Suppositum addit supra naturam, actu & formaliter distinguitur ab ea, secluso omni ordine ad intellectum. Hæc conclusio est communis Theologorum, & euidenter probatur: quia à parte rei inuenitur humanitas in Christo; & non propria eius subsistentia: ergo Subsistentia à parte rei differt in creatis à natura secluso intellectu. Consequentia est euidens: quia si natura, & Subsistentia foret vna entitas à parte rei, & sola ratione differret, non posset à parte rei natura separari à Subsistentia, sed solùm per intellectum præscindi, vt genus à differentia. Etenim realis separatio vnius ab alio realem distinctionem ostendit: quod enim est vnum & idem realiter à parte rei, indiuisum est. Quò fit, vt sententia asserens, Suppositum creatum à natura sola ratione distingui, sit temeraria saltem; nam ex illa sequitur, esse in Christo totam entitatem realem Suppositi humani, atque adeò Christum esse entitatiuè duo Supposita; quod est hæreticum.

14 Secunda Conclusio. Subsistentia realiter distinguitur tanquàm res à re, à natura, tam in substantijs creatis materialibus, quàm spiritualibus. Ita colligitur ex D. Thoma supra quæst. 2. art. 2. & 1. p. quæst. 3. art. 3. & idem docent communiter Thomistæ: Caietanus ibidem, & hîc. Ferrar. 4. Contra Gentes cap. 43. & M. Bañes. 1. p. quæst. 3. art. 3. Probatur autem primò. In Christo secundùm fidem distinguuntur tãquàm res à re natura humana, & Suppositum: ergo similiter in omnibus alijs Suppositis. Consequentia patet: quia Christus est verum Suppositum humanæ naturæ, non secus atq; alij homines. Antecedens verò probatur: nam Christus secundùm fidem non est idem etiam identicè cum sua humanitate, vt habetur in Concilio Basiliensi Actio. 22.

15 Secundò. Ex eo quòd quantitas est figurata per figuram, quæ solùm distinguitur formaliter à quantitate, & albedo est similis per similitudinem, ab ipsa formaliter distinctam; implicat, hæc à Deo suppleri per entitates realiter distinctas: ergo si natura subsisteret per subsistentiam solùm formaliter distinctam, implicaret suppleri à Deo per entitatem realiter distinctam.

16 Tertiò. Suppositũm à parte rei operatur, & non natura: ergo inter illa est à parte rei distinctio realis, vt rei à re. Probatur consequentia: quia sicut natura creata propter sui imperfectionem & limitationem, seipsa immediatè operari non potest, sed vt operetur, necessariũ est, vt illi superaddãtur potentiæ ab illa realiter distinctæ, tanquàm res à re: sic etiam ex eadem imperfectione oritur, vt seipsa immediatè subsistere non queat, nisi illi addatur noua entitas Subsistentiæ, distincta realiter vt res à re. Quartò. In substãtijs creatis sic se habent natura, subsistentia, & existentia, sicut essentia, potentia, & operatio: sed hæc tria inter se realiter distinguuntur, vt res à re; ergo & illa.

17 Quintò quia vt colligitur ex D. Thoma. 1. p. q. 77. art. 1. quoties duo dicunt rationes formales oppositas, ab eadem entitate entrinseca se inuicem excludentes, inter se realiter differunt, tanquàm res à re: sed natura & Suppositalitas dicũt rationes formales oppositas, ab eadẽ entitate intrinseca se inuicem excludentes; ergo differũt realiter, vt res à re. Maior est nota, quia ex illo principio elicitur in doctrina D. Thomæ, potentiã ab anima, & actũ à potentia realiter distingui, & essentiã differre ab existentia. Sed minor probatur: quia natura

substantialis est communicabilis, subsistentia verò incommunicabilis; natura habet rationem potentiæ actuabilis, siue complebilis substantialiter, subsistentia verò rationem actus substantialiter determinantis illam. Sed ratione communicabilis, & incommunicabilis, potentiæ & actus, terminabilis & termini sunt oppositæ, & se inuicem ab eadem entitate excludentes; nequit enim intelligi, quomodò vna indiuisibilis entitas simul sit communicabilis, & incommunicabilis: ergo &c.

18 Sextò. Subsistentia realiter distinguitur, hoc est, secluso intellectu, à singulari natura, & non vt modus illius; ergo vt res à re. Consequentia est euidens, maior communiter recipitur à Theologis: & probatur minor. quoniam si Subsistentia esset modus intrinsecus naturæ, ab ea tantùm formaliter distinctus, proprius eius effectus esset intrinsecè modificare naturam; & ea consequenti Diuina Persona illum supplere nũ posset; quia implicat, Diuinam Personam intrinsecè modificare naturam, sicut illam informare: non enim minor imperfectio, sed maior includitur in conceptu modificantis, quàm informantis; quia maior est dependentia modi à re, quam modificat, quàm formæ, ab eo, quod informat.

19 Sed pro diluendis argumentis aduertendum est, subsistentiam, propriè & rigurosè loquendo, non esse dicendam modum naturæ, sed tantùm terminum, vt punctum in linea. Ratio autem est, quia modus in eo, quòd modificat, actuat, & informat rem modificatã. In quo Subsistentia differt inter alia à singularitate, per quam natura constituitur indiuidua, & singularis, nam singularitas, quatenùs determinat naturam, & ipsam constituit indiuiduam, modificat eam, & propriè nuncupatur modus naturæ. Subsistentia verò, etsi materialiter, & propter sui imperfectionem, quia in seipsa non subsistit, modificet naturam, & quodammodò illam informet. nihilominùs secundùm propriam, & formalem rationem, qua Suppositum constituit, neque modificat, neque informat naturam, sed per modum termini illã complet, ac terminat sicut species intelligibilis, licèt inquantùm est accidens, inhæreat intellectui, inhærentia tamen non pertinet ad rationem formalem speciei: & ideò Diuina Essentia vicem speciei intelligibilis supplere potest. Ad eundem modum in mysterio Incarnationis Diuina Subsistentia vicem huius termini supplet absq; vlla inhærentia, quia hæc non est de ratione termini. Hoc Supposito respondetur ad argumenta primæ opinionis.

20 Ad primum Resp. multa in creaturis distingui re, quæ in Deo propter eius infinitatem sola ratione distinguuntur. Vnde licèt in Deo natura, & Persona differans ratione (propter quod Persona assumit, natura verò non assumit) tamen in creaturis hoc, quod est assumi, quod conuenit naturæ, & non Supposito, arguit distinctionem realem inter naturã, quæ assumitur, & subsistentiam, quæ non assumitur.

21 Ad secundùm Resp. Subsistentiam realiter distingui à natura, vt vna res ab alia. Ad impugnationem Resp. nõ rectè sequi, si duo inter se realiter distinguuntur, posse ab inuicem separari, nam materia & forma realiter distinguuntur, & materia à forma separari non potest. Sed in proposito concedendum est, naturam posse à subsistentia seiungi, vt de facto contigit in Christo, cuius humanitas caret propria subsistentia, & per Subsistentiam Verbi subsistit. Tametsi Subsistentia sine propria natura conseruari non posit, vel quia importat intrinsecam dependentiam, & ordinem ad illam: vel saltem, quoniã est vltimus terminus naturæ, & esse nõ potest nisi actu terminando naturam, cuius est.

Ad tertium conceditur, Suppositum esse compositũ ex natura & subsistentia, vt supra contra Caietanum, & Fonseca ostensum est Disput. 3. num. 41. 22

Ad primum argumentum propositum pro secunda opinione Resp. loquendo vt plures, tametsi sentiendo vt pauci, Subsistentiam communiter appellari modum substantialem, non quia propriè, & in rigore sit modus, sed latè, & largè loquendo de modo. Nihilominùs modus est duplex, alter, qui est quidditatiuè, & essentialiter modus, & hic à re modificata solùm formaliter distinguitur, non vt res à re. Alter verò, qui rem in esse perfecto complet, & solet dici per informationem, vel terminationem, quo pacto forma dicitur modus materiæ, & punctus lineæ. Et hic modus potest realiter à re modificata distingui: & huiusmodi est Subsistentia. Cæterùm esse in alio est modus quidditatiuus accidentis, & ideò ab eo formaliter tantùm distinctus. 23

Ad primam confirmationem Resp. quòd licèt natura differat vt res à re à Subsistentia, tamen à Supposito differt sicut inclusum ab includente, non est autem inconueniens, vt aliquid distinctum realiter ab alio, sit de essentia illius, vt inclusum, qua ratione materia est de essentia hominis. Ad secundam confirmationem negatur antecedens ob rationem assignatam. 24

Ad secundum Resp. cùm natura per Subsistentiam subsistat, non opus esse, Subsistentiã subsistere, vt Quod, sed sufficit, subsistere, vt Quo; quemadmodũ vt corpus sit album per albedinem, sufficit albedinem esse albam, vt Quo. Neque obstat, Subsistentiam esse affixam naturæ, neque sequitur, ipsam esse perfectiorem natura, nisi tantùm secundùm quid, nempe, in ratione actuandi: ipsa enim sustentatur à natura in diuerso genere causæ. 25

Ad tertiũ negatur antecedens, nam punctus realiter differt à linea, quam terminat. Exemplũ verò adductũ de figura respectu quantitatis, nihil conuincit, quia figura est quidditatiuè modus quantitatis, & ideò ab ea formaliter tantùm distinguitur. Subsistentia verò propriè loquendo est terminus, non modus, nisi largè & latè. 26

Ad confirmationem negatur antecedens, etenim illæ denominationes terminati & terminabilis, sunt tãtùm naturæ, non Suppositi: quia natura antequàm intelligatur completa per Suppositalitatem, habet rationẽm terminabilis, prout verò completur, & terminatur per illã, habet rationem terminati. Suppositum autem respectu naturæ potest dici habere rationem terminantis, quia per subsistentiam, quam addit supra naturam, terminat, & complet eam. Tametsi propriè loquendo Suppositalitas est quæ terminat, & complet naturam, ex quarum compositione resultat Suppositum compositum ex Subsistentia terminante, & natura terminata. 28

Ad quartum negãda est maior, nam per diuisionem aquæ corrumpitur tota Subsistentia aquæ diuisæ, & duæ aliæ de nouo producuntur. destruitur enim vnum 28

Suppositum,

Digitized by Google

28 Suppoſitum,& incipiunt duo. Ad quintum cōceſſa maiori, negandà eſt minor, non enim propter illam rationem Subſiſtentia eſt inſeparabilis à natura, ſed quia ex intrinſeca ratione eſt vltimus terminus intrinſecus ſuæ naturæ,& ideò eſſe nō poteſt, niſi actu terminando na-
29 turam, cuius eſt. Ad confirmationem Reſp. diſtinctionem realem vt rei à re eſſe magis accommodatam ad explicandum Incarnationis myſterium, quàm ſi diſtinctio formalis: quia per illam realem diſtinctionem faciliùs intelligitur, quo pacto potuerit Diuinum Verbum naturam humanam, & non Suppoſitum realiter aſſumere. Quòd ſi tantùm eſſet vna entitas realis, ægrè intelligi poſſet, quòd naturam realiter, & non Suppoſitum aſſumpſerit, aut ſaltem totam eius entitatem, tametſi non formalitatem, vt Nominales dicebant, quod eſſe falſum, ſupra oſtendimus.

30 Quomodò autem Subſiſtentia differat ab Exiſtentia, dicendum eſt, eodem modo diſtingui ſicut à natura, nempe, vt vna res ab alia realiter diſtinguitur. Ratio eſt, quia Subſiſtentia eſt intrinſeca Suppoſito, & ponitur in eius definitione, Exiſtentia verò eſt extrinſeca, & nō eſt de ratione aut definitione alicuius rei creatæ. Itē quia priùs naturà Suppoſitum conſtituitur per Subſiſtentiam, quàm ſit, & intelligatur exiſtentia, nam Suppoſitum iam conſtitutum eſt exiſtentiæ ſusceptiuū, & quod eſt prius, ſeu priùs conſtituitur, nō dependet in illo genere ab alio, ac ſubinde realiter tanquàm res à re diſtinguitur.

QVINTA DISPVTATIO.

1 Vtrùm Subſiſtentia ſit terminus Subſtantialis ſimplex, vel compoſitus. Hoc eſt, an careat partibus eſſentialibus reſpondentibus materiæ & formæ, vel illis conſtet. Vnde titulus Diſputationis intelligitur de Subſiſtentia rerum compoſitarum ex materia & forma; nam Subſtantiarum ſimplicium, puta Angelorum, Subſiſtentiam eſſe ſimplicem & ſpiritualem, dubitari non poteſt. Mouetur autem hoc dubium propter M. Suarez, qui in Methaphyſica Diſput. 34. ſectio. 5. nume. 7. & 17. docet, Subſiſtentiam eſſe modum, non ſimplicem, ſed ſubſtantialiter compoſitum ex duplici modo reſpondente materiæ & formæ. Probatur autem hæc ſententia. Subſiſtentia eſt modus intrinſecus identificatus cum eſſentia realiter; ſed modus ſimplex nequit realiter identificari cum re compoſita: ergo Subſiſtentia non eſt modus ſimplex, ſi eſſentia, quā terminat, eſt compoſita. Minor probatur; quia modus compoſitus identificari non poteſt cum eſſentia ſimplici: ergo neque è contra modus ſimplex cum eſſentia compoſita. Tum maximè, quia eſſentia compoſita non eſt aliud, quàm ſuæ partes, ſed modus cum partibus realiter diuerſis, nempe, materia & forma identificari non poteſt: ergo neque cum ſubſtantia compoſita, erit igitur Subſiſtentia modus compoſitus ex duplici parte, vna identificata cum forma, altera cum materia.

2 Secundò. Subſiſtentia eſt modus completæ Subſtantiæ in ea adæquatè receptus: ergo cùm Subſtantia cōpleta non ſit tertia entitas diſtincta à materia & forma vnitis, ſequitur, ſi modus ille recipitur in toto, partem recipi in parte totius; atque adeo iſtum modum habere partes reſpondentes partibus ſubiecti, in quo recipitur. Confirmatur; quia modus indiuiſibilis in re diuiſibili completè recipi non poteſt: ergo neque modus ſimplex partibus eſſentialibus carens, in re compoſita ex partibus eſſentialibus recipi adæquatè poteſt: ſed ſubſiſtentia adæquatè in Subſtantia compoſita recipitur, ergo eſt modus compoſitus, & non ſimplex. Antecedens probatur; quia ex hoc dicitur, Subſiſtentiam totius integralis eſſe diuiſibilem, quia ſubiectum eſt diuiſibile.

Tertiò: quia Subſiſtentia in homine neceſſariò debet eſſe compoſita ex duplici partiali modo, altero materiali reſpondente materiæ; altero verò ſpirituali reſpondente formæ. Et probatur; quia corpus, & anima hominis, quatenùs inter ſe, & à toto, quod componunt, condiſtincta, per ſe, & vt Quod, ſubſiſtunt: ergo habent ſuas partiales Subſiſtentias. Ergo Subſiſtentia totalis hominis ex illis eſſentialiter componitur, ſicuti eius eſſentia ex materia & forma. Antecedens, quantùm attinet ad animam rationalem; eſt expreſſa ſententia D. Thomæ. 1. p. q. 75. art. 2. Vbi docet, in hoc animā hominis à cæteris differre; quia illa ſit per ſe Subſiſtens; aliæ verò non. Ex quo principio q. 90. art. 2. deduxit, animam rationalem fieri per creationem, quæ; vt conſtat ex q. 45. eſt propria ſubſiſtentium, alias verò formas per eductionem de potentia materiæ. Et eſt per ſe notum, quia anima rationalis exiſtit, & operatur, vt Quod, per ſe, & independenter à corpore, & à toto, quod conſtituit: ſed eſſe & operari, vt Quod, independenter ab alio, eſt proprium ſubſiſtentis: ergo anima rationalis ſubſiſtit per ſe. Quòd autem corpus ſubſiſtat, probatur. Sicut anima rationalis ſuſtentat per ſe, & vt Quod, accidentia ſpiritualia, ſcilicet, intellectum & voluntatem, & earum actiones; ſic etiam corpus accidentia materialia ſed ſuſtentare, vt Quod, non conuenit niſi ſubſiſtenti; ergo tam anima, quàm corpus in homine ſubſiſtunt vt, Quod, & habent partiales Subſiſtentias.

4 Denique probatur argumento Theologico, quia Verbum Diuinum per ſe, & vt Quod, aſſumpſit corpus, & animam hominis, & non tantùm vt, Quo, ad aſſumptionem totius humanitatis: ergo per ſe, & vt Quod ſubſiſtunt per ſuas partiales Subſiſtentias; & non tantùm vt, Quo, ad Subſiſtentiam totius naturæ. Conſequentia patet, quia non eſt per ſe aſſumptibile, niſi quod per ſe eſt capax propriæ Subſiſtentiæ, cuius loco Diuina ſubrogetur. Antecedens patet: quia ſi corpus & anima tantùm vt, Quo, aſſumpta eſſent à Verbo ad aſſumptionem totius humanitatis, ergo ſoluta vnione totius humanitatis cum Verbo, vt ſoluta fuit in triduo mortis Chriſti; vnio quoque hypoſtatica corporis & animæ cum Verbo diſſolueretur neceſſariò. At hoc eſt falſum, nam in illo triduo tam corpus, quàm anima rationalis ſeorſum manſerunt vnita Verbo Diuino hypoſtaticè; ergo per ſe ac ſeorſum aſſumpta fuerunt à Verbo Diuino, & non tantùm per accidens ad aſſumptionem humanitatis.

5 Pro explicatione huius difficultatis recolendum eſt ex ſuperiùs dictis quæſt. 1. art. 2. Diſput. 4. nomen Subſiſtentiæ interdum ſumi pro Hypoſtaſi, ſeu Suppoſito, hoc eſt, pro Subſtantia completa omninò incommunicabili; interdum verò pro forma hypoſtatica, id eſt, Subſtantiali complemento Suppoſiti, ſcilicet, Suppoſitalitate. In præſenti ergo ſumitur Subſiſtentia in hac ſecunda ſignificatione, vt ſit idem quod

quod Suppositalitas. Vnde sit Conclusio.

6 Subsistentia rerũ compositarum ex materia & forma est vnica, & simplex, & nullo modo composita ex Subsistentijs partium essentialium. Hæc conclusio recipitur ab omnibus Thomistis. Et probatur. Subsistentia est vna per se in genere substãtiæ, sicut Essentia, quã terminat: sed nõ potest esse vna per se, si ex Subsistentijs partium componatur, ergo. Minor probatur: quia ex duobus realiter distinctis nequit vnum per se fieri, nisi alterum habeat rationem actus, & alterum potentiæ, vel saltem terminabilis, & termini &c. Sed duæ Subsistentiæ non possunt habere inter se rationem potentiæ & actus, terminabilis & termini, cum vtraq; essentialiter habet, quòd sit terminus vltimus substantialis tantùm: ergo ex illis vna per se Subsistentia fieri non potest.

7 Confirmatur. Quia implicat, vnam Subsistentiam formaliter subsistere per aliam: ergo & vnam Subsistentiam actuari, & terminari per aliam. Consequentia est euidens, & antecedens probatur: quia Subsistentia est actualis ratio subsistendi; sicut existentia existendi: ergo sicut implicat, vnam existentiam per aliam formaliter existere, ita & vnam Subsistentiam per aliam subsistere.

8 Secundò. Subsistentia est terminus ita proprius totius substantialis naturæ, vt partibus essentialibus ipsius nulla ratione immediatè competere possit: ergo Subsistentia est vnica, & simplex forma, & non composita ex Subsistentijs partium essentialium. Antecedens probatur: Subsistentia est vltimum complementum substantiale rei, ipsam incommunicabilem faciens: sed implicat, quòd partibus essentialibus immediatè, & proximè competat aliquid, quod ipsas faciat vltimò completas, & incommunicabiles: est enim contra naturam partis esse incommunicabilem, & cõpletam; ergo Subsistentia nulla ratione partibus essentialibus proximè, & immediatè competere potest. Confirmatur: quia Subsistentia ita facit, rem, cui vnitur, esse per se, vt repugnet illi sic terminatæ esse in alio. Sed repugnat, quod pars ita per se fit, vt repugnet illi esse in alio: ergo implicat dari propriam Subsistentiam partium.

9 M. Suarez respondet, de ratione Subsistentiæ completæ esse, facere rem omninò incommunicabilem, hoc est, nullo modo potentem esse in alio, & de ratione Subsistentiæ partialis esse, facere, quòd pars nequeat esse in alio veluti subiecto per modum inhærentis, sicut accidens, non tamen quòd non possit esse in alio veluti in toto, quod componitur intrinsecè & substantialiter ex illa. Imò modus iste essendi in alio veluti in toto est proprius modus subsistendi partium: dicuntur enim per se subsistere partialiter, quatenùs vnum per se subsistens completum faciunt. Sed hæc responsio est insufficiens: quia partibus substantiæ ratione suæ essentiæ præcisò quocumq; alio modo ipsis superaddito, repugnat intrinsecè esse, & communicari alteri, tanquam subiecto inhæsionis: ergo incommunicabilitas non est effectus formalis Subsistentiæ partialis, quæ ex sententia huius authoris est modus partibus superadditus.

10 Secundò respondet, effectũ formalem partialis Subsistentiæ esse reddere partes incommunicabiles alieno Supposito. Vnde quia partes humanitatis Christi carent prædicta partiali Subsistentia, potuerunt alieno Verbi Supposito communicari; quod vtique fieri non posset, si haberent suas proprias partiales Subsistentias. Sed contra hanc solutionem instatur Naturæ Diuinæ conceptæ per modum essentiæ in abstracto significatæ, repugnat intrinsecè alieno Supposito communicabilem vt sic concepta includat Subsistentiam, quam tamen aliqui probabiliter negant: ergo ad hoc vt aliquid per se subsistat, non sufficit, quòd alieno Supposito communicari non possit, sed insuper requiritur, quòd ita sit vltimatè completa, vt nulla ratione possit esse in alio, siue alteri communicari.

Dices, Diuinam Essentiam, quia infinitam per se, & seclusa quocumque alio esse alieno Supposito incommunicabilem, non verò partes substantiæ, & ideò indigere Subsistentia superaddita, vt hunc effectum formalem participent. Sed contra est, quia partes substãtiales, nempe, materia, & forma, per hoc, quòd natura, quam componunt, propria gaudet Subsistentia, sunt incommunicabiles alteri Supposito: implicat enim, quòd natura, quam componunt, sit in proprio Supposito, & quòd eius partes in alio Supposito subsistant: contra verò si natura careat propria Subsistentia, quicquid partibus eius superaddi fingatur, nũ repugnat, quòd alieno Supposito communicetur: nam eo ipso quòd tota natura alteri Supposito substantialiter communicetur, necessariò partes eius debent illi communicari, & aliud intelligi non potest: ergo ratio formalis, vnde partibus prouenit, quòd alieno Supposito sint incommunicabiles, non est aliquis modus ipsarum proprius, sed Subsistentia totius naturæ substantialis. Vnde confirmatur doctrina D. Thomæ, nam vnica simplex Subsistentia sufficit, vt tota natura substantialis primò & per se subsistat, vt Quod, & fiat alteri incommunicabilis, partes verò Subsistant secundariò, & vt Quo, & eodem modo incommunicabiles reddantur. Cùm ergo entitates sine necessitate vlla multiplicari non debeãt, frustra in vnaquaq; substantia tres Subsistentiæ finguntur, duæ partiales, & vna totalis, inter se realiter distinctæ. Vnde ad argumenta in contrarium respondendum est. 11

Ad duo priora argumenta, quæ supponunt totum essentiale Physicum non esse tertiam entitatem à partibus componentibus distinctam, quod cum Caietano, Ferrar. Iabello, & alijs Thomistis negari posset, sed eo admisso, Resp. quòd licèt modus simplex cum partibus realiter diuersis identificari nõ possit, si illæ seorsum sumantur, potest tamen cũ illis vt vnitis substãtialiter, siue quatenùs sunt per se vna substãtia identificari. Potestque exemplo confirmari: nam relatio filiationis est quidam modus accidentalis, cũ tota formageniti identificatus, & tamen est simpliciter forma; & non compositae duplici relatione filiationis, altera cum forma, altera cum materia identificata. Ad eundem ergo modum quamuis Subsistentia sit quædam simplex forma partibus essentialibus carens, poterit cum tota substantiali natura adæquatè identificari. Hæc solutio est vera in opinione M. Suarez qui tenet, Subsistentiã esse modum formaliter tantùm distinctum à natura. Sed in nostra sententia, secundùm quam Subsistentia realiter, vt res à re distinguitur à natura, neganda est maior. 12

Ad secundum conceditur, Subsistentiam completè vniri, & recipi in tota natura substantiali, & ex consequenti 13

quenti partialiter, & incompletè partibus essentialibus ipsius, nempe, materiæ, & formæ communicari. Cæterum formam partialiter recipi in partibus totius substantiæ, non est, quòd partes ipsius correspondeant partibus substantiæ, sed quòd toti substantiæ insins, quatenus ex illis partibus compositæ, vt quantitas in homine, potentiæ sensitiuæ in ipso &c. Ex quo intelligitur, quo pacto formæ simplices accidentales possint in toto composito, & non in materia recipi: quod tamen in doctrina D. Thomæ necessariò est admittendū de omnibus accidentibus materialibus, tametsi partibus distinctis essentialibus non constent. Et similiter concedendum est, simplices totius compositi passiones, nempe, potentias vitales, internos, & externos sensus, potentias ridendi, flendi, & admirandi in tota substantia, & non in anima solùm subiectari, aut corpore. Item fatendum est, simplicium Subsistentiam, quæ essentiam cōpositam præsupponit, in tota substantia, & non in parte recipi.

14 Ad confirmationem Resp. Quòd sicut potentiæ vitales, quæ in tota viuentis substantia subiectantur, sunt quædam formæ simplices partibus essentialibus carentes nihilominùs tamen sunt diuisibiles, & extensæ, habentq; partes integrales, respondentes partibus organi materialis, in quo recipiuntur: sic Subsistentia est quidā terminus omninò simplex carens partibus essentialibus, est tamen diuisibilis, & extensus secundùm partes integrales correspondentes partibus essentialibus totius integralis substantiæ, nempe, capiti, manibus &c. vt est probabilis quorundam sententia.

15 Si autem inquiratur, cur repugnet, modum indiuisibilem recipi adæquatè in toto aliquo subiecto diuisibili, & non simplicem in composita substantia? Resp. rem diuisibilem constare ex partibus, quarum vna est extra aliam modo quantitatiuo. Vnde vt forma possit illi secundùm omnes suas partes vniri, necessum est, aut quòd spiritualis sit, ita vt tota sit in toto, & tota in qualibet parte, aut quòd similiter habeat partes extra partes respōdentes partibus totius integralis, in quo subiectatur. At verò totum essentiale Physicum nō habet partes extra partes, sed substantialiter, & indiuisibili modo vnitas, facientes vnam per se substantiam, in qua forma, aut terminus simplex optimè recipi potest, tametsi partibus essentialibus careat.

16 Ad tertium respōdent aliqui, animam appellari Subsistentem, eo quòd inter omnes formas propriam habeat existentiā, qua separata à corpore existere valet. Dū autem est in corpore, sicut ibi operatur, vt Quo, (vt docet D. Tho. 1. p. q. 75. art. 2. dicens, quòd licèt aliquo modo affirmari possit, animam intelligere, meliùs tamen dicitur, hominem per animam intelligere) sic etiam & ibi existit, & subsistit vt, Quo, tantùm ad existentiam, & Subsistentiam totius. Nihilominùs dicendum est, animā separatam existere vt, Quod; cum ordine tamen & habitudine ad existendum vt, Quo, vniendo se materiæ per existentiam totius, quod resultat. Corpus autem in homine neque ista propria existentia potest gaudere, qua separatum existat, sicut anima rationalis. Vnde colligitur, nec Subsistentiam in homine esse compositam ex partibus essentialibus; nam materia nullam habet Subsistentiam propriam: anima autem rationalis, dum est in corpore, licèt habeat propriam Subsistentiā, quia est id, quod subsistit, & existit, & id, quo totus homo subsistit, & existit: verùm tamen quia illam communicat toti composito, ita vt eâdem numero Subsistentia subsistant & Suppositum, & anima, & corpus, & alia quæ sunt in homine; idcircò talis Subsistentia non est composita ex Subsistentijs partialibus, sed est omninò simplex.

17 Ad probationem autem Resp. falsum esse, accidentià materialia immediatè subiectari in hominis materia. Et similiter quod in secunda ratione additur, nempe, corpus vt ab anima & tota humanitate cōdistinctum, assumptum fuisse à Verbo Diuino immediatè. Quo autem pacto potuerit in triduo mortis Christi mansisse vnitum, si non fuit per se assumptum, infra explicabitur. Interim dicendum est, vnitum mansisse non per eādem numero vnionem indiuisibilem; qua primo Incarnationis instanti Diuino Verbo hypostaticè fuit cō iunctum; sed per aliam vnionem continuò illi succedentem, qua natura cadauerit, sub cuius forma in triduo mortis materia Christi existebat, fuit Diuino Verbo primò, & per se copulata. Ex quibus constat, Subsistentiam tam in homine, quàm in alijs nō constare ex partibus essentialibus, sed esse terminum quendam essentialiter indiuisibilem.

18 Sed dubitatur, An sit diuisibilis secundùm partes integrales. Aliqui dicunt, etiam hoc modo esse indiuisibilem, & probant. Primò quia Subsistentia est vltimus terminus substantialis naturæ: de ratione autem vltimi termini est, esse indiuisibilem, vt patet in puncto, linea &c. consideratis præcisè, quatenus termini sunt.

19 Secundò: quia si Subsistentia constat partibus integralibus respondentibus partibus substantiæ integralis: ergo quælibet pars integralis substantiæ ratione partialis Subsistentiæ illi respondentis, & cum ipsa identificata, per se & vt, Quod, partialiter subsistit, imò est particulare Suppositum; quæ omnia sunt absurda. Sicut enim materia & forma subsistunt secundariò ad Subsistentiam totius: sic etiam istæ partes. Et sicut illæ non habent rationem Suppositi, quia sunt alteri, nempe, toti communicabiles, ita neque integrales, quia de ipsarum ratione non est solùm posse cōmunicari toti, sed quòd illi sint communicatæ: partes enim integrantes, quandiù actu nō sunt inter se, & cum toto, quod componūt, vnitæ, iam non partis, sed totius integrantis rationem habent.

20 Tertiò probatur, Subsistentiam hominis esse indiuisibilem. Existentia hominis est indiuisibilis: ergo & Subsistentia. Consequentia patet; quia existentia, & Subsistentia mutuò inter se proportionantur. Antecedens verò probatur; quia D. Thomas. 1. p. q. 76. art. 1. ad 5. inquit, eandem esse existentiam, qua totus homo existit, & qua anima rationalis: sed existentia, qua anima rationalis existit, est indiuisibilis: ergo existentia, qua totus homo existit, est indiuisibilis, & spiritualis, sicut illa, quæ est animæ rationalis.

21 Alij Theologi docent, Subsistentiam totius integralis Substantialis naturæ, non esse indiuisibilem, sed extensam secundùm partes integrales, respondentes partibus substātiæ. Sic M. Suarez vbi supra. Et probatur breuiter. Dupliciter potest intelligi, quòd Subsistentia rerū materialium careat partibus integralibus, vel quia spiritualis esset, vt anima rationalis, vel quia indiuisibilis

vt

prima spoliata omni forma.

3 Tertiò. Subsistentia respectu naturæ per se loquendo non habet rationem formæ, sed tantùm termini, & modi completiui naturæ, vt ex superioribus constat: ergo sine Subsistentia poterit natura conseruari cum sola existentia. Consequentia patet, & amplius explicatur. Cùm ex parte subiecti, vel susceptiui requiritur aliqua forma, per quam subiectum formaliter constituitur in esse susceptiuo alicuius actus, tunc implicat talem actum suscipi in subiecto, nisi interueniente talis formæ, ad quam dicit intrinsecam habitudinem, tanquàm ad formale constitutiuum proprij, & immediati susceptiui sic materia nequit suscipere actum existentiæ, nisi per formam. Quando verò ex parte subiecti, & susceptiui solùm requiritur, vt terminus, & modus naturæ, tantùm exigitur, vt conditio necessaria, ac subinde suppleri potest à Deo. Cùm ergo Subsistentia formaliter loquendo non constituat naturam substantialem in ratione susceptiui existentiæ, sed sit quidam modus, & terminus eius, qui licèt naturaliter prærequiratur ex parte naturæ ad existentiam, vt conditio necessaria, non tamen hic terminus est adeò prærequisitus, vt per Diuinam potentiam suppleri non possit: conditio enim necessaria bene potest suppleri à Deo. Quare necessariò dicendum est, naturam sine Subsistentia conseruari posse.

4 Confirmatur, & explicatur adhuc. Existentia ideò nequit immediatè communicari materiæ primæ, quia existentia dicit maximam actualitatem in rebus creatis, & ferè puram actualitatem, materia verò dicit puram potentialitatem; & sic materia prima non est immediatum, & proportionatum existentiæ susceptiuum, nisi mediante forma, quæ aliquid habet de actu, & aliquid de potentia: sed natura etiam sine Subsistentia habet aliquid de actu, & aliquid de potentia; & insuper Subsistentia non est actualitas, & forma naturæ, sed solùm terminus, & complementum, & in ratione susceptiui accedit ad rationem conditionis: ergo existentia potest naturæ sine Subsistentia immediatè communicari.

5 M. Suarez in Methaphysica Disput. 34. sectio. 4. à num. 11. vsque ad 19. & M. Fonseca lib. 5. Methaphysi. cap. 8. q. 4. sectio. 5. ad 4. Scoti, tuentur negationem. Et potest hæc sententia confirmari. Primò. Subsistentia est prior, quàm existentia, & constituit proprium susceptiuum existentiæ, vt ostensum est Disp. 4. sed natura conseruari non potest sine existentia; ergo neq; sine Subsistentia, quæ est prior. Consequentia patet, & probatur minor: quia essentia, & natura non minùs dependet ab existentia, quantùm ad esse, quàm materia prima à forma substantiali, imò magis, quoniam existentia est causa formalis existendi, sicut albedo albi, forma verò non est ita causa formalis existendi materiæ primæ: sed materia prima de potentia absoluta conseruari non potest sine forma substantiali; ergo neque natura sine existentia.

6 Dicet, ideò essentiam sine existentia conseruari non posse, quia habet cum existentia intrinsecam & necessariam connexionem in ratione essendi: quæ quidem connexio necessaria, non est inter Subsistentiam, & existentiam; quia Subsistentia in ordine ad naturam solum habet rationem termini, & completiui, non formæ. Et est conditio necessariò requisita, vt natura sit susceptiua existentiæ: conditio autem rectè suppleri potest à Deo. Sed contra est, quia licèt Subsistentia in ordine ad naturam solùm habeat rationem termini, & completiui, & non formæ: nihilominùs est ratio formalis constitutiua susceptiui existentiæ, atque adeò in ratione susceptiui habet rationem formæ, vel saltem habet rationem modi intrinseci tenentis se ex parte rationis formalis; & ex consequenti à Deo suppleri non potest, cùm ad rationem formalem reducatur. Itaque licèt Subsistentia non esset ratio formalis constitutiua susceptiui existentiæ, sed talis ratio sit forma; tamen quia saltem est modus intrinsecus necessariò adiunctus huic rationi formali, non potest à Deo suppleri: nec magis potest Deus existentiam cõmunicare naturæ, etiam constitutæ per formam sine Subsistentia, quæ est modus intrinsecus naturæ terminatæ, quàm facere vnum sine priuatione diuisionis, quæ est modus intrinsecus, & intraneus vnitati.

7 Secundò probatur. Deus non potest conseruare materiam sine forma, quia non est capax existentiæ, nisi per formam, quæ constituit susceptiuum existentiæ, nec potest existentia constitui extra proprium susceptiuum, vt est receptum in doctrina D. Thomæ: sed natura non est capax existentiæ nisi per Subsistentiam, nec potest existentia constitui extra proprium susceptiuum: ergo natura sine Subsistentia conseruari non potest.

8 Confirmatur. Inter terminum intrinsecum & rem terminatam est intrinseca connexio; sed Subsistentia est intrinsecus terminus naturæ, vt ostensum est: ergo natura conseruari non potest sine Subsistentia intrinsecè terminante. Consequentia patet, & probatur; quia natura & Subsistentia non solùm comparantur vt terminus & terminabile, sed etiam Subsistentia est talis terminus, vt sit immutabilis ex natura rei, & faciat magis vnum cum natura, quàm figura cum quantitate. Maior constat inductione, quia intelligi non potest, vt linea maneat prorsus sine termino; aut quòd cùm linea diuiditur, & punctus continuans partes aufertur, non resultent proprij termini in partibus diuisis: vel quòd detur aliqua quantitas in rerum natura figurâ terminabilis, & quòd nulla terminetur figura; vel quòd linea non sit recta, aut obliqua; & superficies aut rotunda, aut triangularis &c. Figura enim est modus quantitatis, ab illa formaliter distinctus. Item fieri non potest, vt sit quantitas in rerum natura, & nullum habeat localem præsentiam, tametsi hanc, vel illam variare possit.

9 Tertiò. Existentia habet intrinsecam dependentiam à Subsistentia: ergo communicari non potest naturæ sine Subsistentia. Consequentia patet, & antecedens probatur. Inter potentiam, & proprium actum connaturalem est intrinseca habitudo, & dependentia: sed natura terminata per Subsistentiã, est propria potentia, & propriũ susceptiuũ existentiæ: ergo inter existentiã & Subsistentiã est intrinseca dependentia. Confirmatur. Natura creata etiã de potentia Dei absoluta terminari non potest per alienam Subsistentiam creatam, vt supra ostensum est quæst. 3. art. 2. & hoc propter intrinsecam dependentiam, quæ est inter naturam, & propriam Subsistentiam, ac propterea per alienam Subsistere non

non potest, nisi per Diuinam Subsistentiam, quæ omnem creatam eminenter continet: ergo neque existentia poterit immediatè communicari naturæ non Personatæ.

10 Ex his duabus sententijs licèt prior sit valdè probabilis, posterior tamen probabilior mihi videtur, & sententiæ D. Thomæ consonantior: Iuxta quam dicendũ est, implicare contradictionem, quòd natura creata sine vlla Subsistentia conseruetur existens. Ratio est, quia essentia, Subsistentia, & existentia habent se sicut substantia, potentia, & operatio: sed per nullam potentiam fieri potest, vt essentia creata operetur sine potentia: ergo implicat, essentiam existere sine Subsistentia. Consequentia patet, quia per Subsistentiam constituitur essentia in ratione susceptiui existentiæ, sicut per potentiam constituitur in ratione operatiui. Confirmatur.
11 Implicat, rem priùs esse in actu secundo, quàm in actu primo; ergo implicat priùs existere in actu secundo, quàm Subsistat in actu primo. Consequentia probatur, quia Suppositum comparatur ad esse actuale sicut res in actu primo ad actum secundum substantialem. Confirmatur secundò. Esse per se, vel in alio opponuntur immediatè: ergo vnum ex his debet conuenire naturæ. Ergo vel est per se, & sic habet propriam Subsistentiam; vel est in alio, & ita aliena terminatur Subsistentia. Argumenta verò in contrarium facilè diluuntur.

12 Ad primum concesso antecedenti negatur consequentia; quia existentia intrinsecè dependet à Subsistentia vel tanquàm à ratione formali, vel saltem tanquàm à modo intrinseco necessariò adiuncto rationi formali constitutiuæ susceptiui existentiæ, quæ ratio est ipsa
13 forma. Ad secundum negatur antecedens, & cõsequens, quia natura sine Subsistentia non est magis susceptiua existentiæ, quàm materia prima sine forma. Ad tertium respondetur, quòd licèt Subsistentia respectu naturæ non habeat rationem formæ, sed termini, est tamen modus intrinsecus necessariò coniunctus cum forma constitutiua susceptiui existentiæ, atque adeò reducitur ad rationem formalem, nec potest à Deo suppleri: quia modus intrinsecus rei non est mera conditio, sed mediat inter rationem formalem, & meram cõditionem; etenim non est ratio formalis rei, neq; omninò condi-
14 tio sine qua non, sed ex vna parte induit rationem cõditionis, & ex alia parte reducitur ad rationem formalem, & participat vtroq; extremo. Vnde quando ex parte subiecti, vel susceptiui requiritur aliqua forma, vel modus intrinsecus, ratione cuius subiectum constituitur formaliter in esse susceptiuo alicuius actus, tunc repugnat, talem actum suscipi in subiecto, nisi interuentu talis formæ, vel modi intrinseci, ad quem dicit intrinsecam habitudinem tanquàm ad formale
15 constitutiuum proprij & immediati susceptiui. Et sic est in præsenti, quòd existentia nequit suscipi in natura nisi media Subsistentia, quæ si non est forma constitutiua susceptiui existentiæ, est saltem modus intrinsecus, & intraneus ipsi formæ, ad quem proindè dicit existentia intrinsecam habitudinem tanquàm ad modum intrinsecum, & necessariò requisitum ad constituendum proprium & immediatum susceptiuum existentiæ. Ad confirmationem Resp. eodem modo, non enim natura est magis susceptiua existentiæ sine Subsistentia, quàm materia prima sine forma. Similiter etiã iam ostensum est, quomodò Subsistentia in ratione susceptiui non sit mera conditio, sed vel ratio formalis, vel saltem modus intrinsecus.

SEPTIMA DISPVTATIO.

An Subsistentia effectiuè dimanet ab essentia. 1
Affirmatio ita suadetur. Primò ex D. Thoma infra quæst. 16. art. 12. Vbi apertè significat, Subsistentiam causari in homine ex principijs naturæ humanæ: ait enim, humanæ naturæ in Christo deberi propriam Personalitatem causatam ex principijs humanæ naturæ. Et idem docet expressè in solutione ad primum.

Secundò probatur ratione. Subsistentia est magis 2
connaturalis, & intrinseca rei, quàm quælibet eius passio: sed hæc dimanat intrinsecè ab essentia; ergo & Subsistentia. Dices, Subsistentiam non esse proprietatem Substantialis naturæ, sed intrinsecum eius terminum; & ideo non inferri ex dimanatione intrinseca propriæ passionis ab essentia dimanationem Subsistentiæ ex principijs intrinsecis naturæ. Sed contra hoc obijcitur. Terminus intrinsecus non minùs necessariò, & inseparabiliter consequitur rem, cuius est terminus, quàm propria passio, vt patet in figura respectu quantitatis, & in puncto respectu lineæ: sed Subsistentia est terminus intrinsecus naturæ, ergo ab illa necessariò veluti à principio dimanat. Confirmatur. Qui dat formam, mediante illa actiuè concurrente dat consequentia ad formã: sed Subsistentia consequitur necessariò naturam substantialem, ergo agens tribuens formam, mediãte illa effectiuè causabit Subsistentiam.

Tertiò. Si Verbum Diuinum modò dimitteret hu- 3
manitatem, ab illa pullularet propria Subsistentia, in qua subsisteret: ergo natura est principium efficiens Subsistentiæ. Maior est D. Thomæ pluribus in locis, vt refert M. Medina, & præterea probatur: nam graue sublato impedimento tendit deorsum ad proprium locum: ergo natura similiter ad propriam Subsistentiam sublata Subsistentia Diuina. Dices, naturam humanam à Verbo dimissam manere in potentia passiua ad propriam Subsistentiam, & non aliter illam appetere, quàm materia formam substantialem. Vnde sicut materia formam habere non potest, nisi illam ab agente recipiat: sic neque natura Subsistentiam, nisi illam recipiat ab agente, à quo in actum reducã debet. Sed contra est, quia natura substantialis est essentialiter perfectior, quàm Personalitas: ergo illam eminenter continet. Ergo respectu illius non solùm est in potentia passiua, verùmetiam actiua. Et ideò illam poterit efficienter causare, sicut aqua causat in se frigiditatem, per quam se in actum reducit.

Quartò. Deus numquàm imprimit alicui appeti- 4
tum alicuius finis, quin imprimat vim consequendi talem finem: sed Deus impressit naturæ substantiali appetitum propriæ Subsistentiæ; ergo communicauit potentiam, cum qua istam Subsistentiam comparare posset. Sed hæc vis alia esse non potest, quàm intrinseca virtus actiua, causatiua Subsistentiæ: ergo natura propriam Subsistentiam in se producere valet.

Digitized by Google

5 Pro decisione huius difficultatis aduertendum est cum Ferrar. 2. Contra Gent. cap. 98. ex D. Thoma 1. 2. quæst. 6. artic. 5. ad 2. Duobus modis aliquid dici naturale. Primò, quia est à natura sicut à principio actiuo, quemadmodùm calefacere est naturale igni, quia est ab igne tanquàm à principio effectiuo. Secundò dicitur naturale secundùm principium passiuum, nempe, quia est innata rei inclinatio ad illud recipiendum à principio extrinseco, sicut motus circularis est naturalis cælo, quia naturalem habet inclinationem ad illum recipiendum, & caret omni principio
6 intrinseco actiuo. Hoc præmisso omnes Theologi consentiunt in eo, quòd natura respectu propriæ Personalitatis habet aliquam causalitatem. Sed dissentiunt in explicanda huiusmodi causalitate. Quidam enim affirmant, esse effectiuam, ita vt Subsistentia effectiuè sequatur ex principijs intrinsecis naturæ per simplicem emanationem, ad eundem modum, quo propria passio oritur ex natura, nam Subsistentia est prima, & immediata passio naturæ, illam immediatiùs consequens, quàm reliquæ propriæ passiones, quæ ad compositum spectant. Et iuxta istam sententiam Subsistentia est connaturalis naturæ priori modo, dimanans ab ea, tanquàm à principio intrinseco effectiuo. Hanc opinionem amplectitur M. Suarez 3. p. q. 2. art. 8. Disput. 8. sectio. 3. & in Methaphy. Disp. 34. sectio. 6. num. 9. & in eandem videtur D. Caietanus propendere hìc, & infra q. 17. artic. 2. dicens; humanitatem plùs virtutis habere ad propriam Subsistentiam, quàm graue ad motum deorsum. Graue autem habet virtutem effectiuam: ergo.

7 Alij verò asserunt, naturam concurrere ad productionem Subsistentiæ in genere causæ materialis, & potentialis tantùm, hoc est, naturam esse proprium, & immediatum susceptiuum Subsistentiæ. Vnde iuxta istam sententiam Subsistentia est connaturalis ratione principij passiui tantùm, non actiui: vt motus cæli respectu
8 ipsius cæli. Sic M. Medina hìc. Alij denique docent, naturam concurrere in genere causæ formalis ad causandam Subsistentiam, quæ est effectus formalis naturæ secundarius, & oritur ab ipsa natura per modum propriæ passionis, & cuiusdam simplicis emanationis, ac naturalis sequellæ. Itaque iuxta hanc opinionem sicut existentia non est effectus formalis primarius formæ, & naturæ, sed secundarius, imbibitus in effectu formali primario, veluti complementum effectus formalis primarij, qui est esse specificum, ad quod inseparabiliter consequitur esse existentiæ per modum naturalis sequellæ, & simplicis emanationis: ita similiter Subsistentia non est propria passio naturæ, quamuis habeat modum propriæ passionis, sicut habitus habet modum dispositionis, tametsi dispositio non sit. Etenim sicut passio semper concomitatur subiectum inseparabiliter, cùm in eius essentia intimè sit contenta, & imbibita, ita Subsistentia semper comitatur naturam, & formam, & est complementum effectus formalis formæ, & naturæ, imbibitus in primario effectu, nempe, in natura Substantiali. Dicitur tamen habere modum propriæ passionis quantùm ad concomitantiam; & quantùm ad hoc, quòd sicut in essentia vnum continetur primariò, aliud verò secundariò, quod ex primo consequitur; vt V. G. in essentia hominis primariò continetur animal rationale, secundariò verò risibile, quod ad animal rationale consequitur: sic etiam in essentia, vel forma est aliquis effectus primarius, maximè illi intimus, qui est ipsamet natura substantialis, quæ per formam constituitur; est etiam alius effectus secundarius, qui ad primum consequitur, & illum inseparabiliter comitatur per modum naturalis sequellæ nempe, Subsistentia.

Aduertunt prætereà authores huius sententiæ, vt hic effectus secundarius in ipsa natura resultet, non esse necessarium, vt natura præexistat, quia ad causandum hunc effectum non concurrit natura in genere causæ efficientis, quæ causa prærequirit prioritatem simpliciter, & priùs debet habere esse, cùm agat, in- 9
quantùm est in actu: sed concurrit natura ad istum effectum in genere causæ materialis, & formalis. Ad causalitatem autem materialem, vel formalem non requiritur præexistentia materiæ, & formæ. Obseruant etiam, vt natura, vel forma hunc causet effectum, non esse necessarium, interueniat media actio, sed per modum concomitantiæ, & naturalis sequellæ adest naturæ, non sicut propria passio consequitur subiectum iam constitutum; quia Subsistentia non ea ratione consequitur, & adest naturæ, quasi quòd data forma, dentur consequentia ad formam, sed sicut perfectio, seu complementum effectus naturaliter sequitur effectum, cuius est complementum. Quare actio agentis nō intelligitur consummata, & perfecta, donec natura habeat Subsistentiam, & existentiam. Et ita modus, quo Subsistentia sequitur naturam, vel naturæ principia, est, quo terminus actionis, & rei factæ naturaliter adest in fine actionis ipsi rei factæ. Vnde quamuis Subsistentia habeat modum propriæ passionis, re vera non est propria passio, quia non fluit à natura & forma per simplicem emanationem, sicut propria passio, nec dat nouum esse accidentarium, sed est complementum, & perfectio ipsius esse substantialis. Hanc sententiam sic explicatam tenet M. Ledesma de Diuina perfectione quæst. 4. art. 3. quem sequuntur multi recentiores. Sed pro resolutione sit Prima Conclusio.

Subsistentia non potest à substantiali natura effectiuè dimanare, ac proindè non est connaturalis naturæ 10
ratione principij actiui, neque in natura est aliquod principium effectiuum Subsistentiæ. Sic docet M. Bañes 1. p. q. 3. & probatur. Quod in aliquo intrinsecè prærequiritur ad agendum, ab eo effectiuè dimanare non potest (implicat enim, idem esse principium, & terminum actionis) sed Subsistentia intrinsecè requiritur ad agendum: ergo &c. Maior cum consequentia patet: & minor probatur; tum, quia actiones sunt Suppositorum: tum etiam, quia existentia est conditio necessaria ad agendum: nihil enim agere potest, nisi quatenùs est in actu; sed ad recipiendam existentiam necessariò prærequiritur Subsistentia, vt dictum est supra: ergo ad agendum: atque adeò sicut propria existentia ab essentia dimanare non potest effectiuè, sic neque propria Subsistentia. Cæterùm quia dicet Magister Suarez, Subsistentiam non antecedere existentiam, sed subsequi, sicut intrinsecum eius modum, ac proindè illam rationem esse inefficacem ad probandum conclusionem: probatur secundò. Subsistentia iuxta opinionē eiusdem Suarez eodem modo

Hhh 2 comparatur

comparatur ad naturam substantialem existentem, quo inhærentia ad naturam accidentalem comparatur: sed inhærentia non dimanat à natura accidentali effectiuè: ergo neque Subsistentia à substantiali, sed ab extrinseco agente.

11 Confirmatur. Sicut in sententia M. Suárez accidens existens propria existentia, est indifferens, vt per se, ac separatũ existat, vel in alio, nempe, in subiecto: sic substantia propria gaudens existentia est indifferens ad existendum per se, & in proprio Supposito, vel in alieno; sed accidens nequit seipsum actiuè reducere ab hac passiua potentia, secundùm quam est indifferens ad essendum per se, vel in alio, in alterutram ex his duabus partibus, vel actibus, sed reducitur ab extrinseco agente, ipsum generante, vel conseruante: ergo etiam substantia non potest se ad alterutrum ex his duobus actibus, scilicet, per se, vel in alio, ad quos est in potentia passiua, actiuè reducere, sed necessariò reduci debet ab agente eam generante, vt dicetur in solutione ad secundum.

12 Secunda Conclusio. Subsistentia dimanat à natura substantiali in genere causæ materialis, atque adeò est illi connaturalis ratione principij passiui. Probatur. Subsistentia est maxima perfectio naturæ, est enim cõplementũ illius ergo in ipsa natura est aptitudo ad recipiendam Subsistentiam, ac proindè est causa materialis respectu illius. Confirmatur. In natura cæli est inclinatio, & aptitudo naturalis ad motum circularem, & motus cæli est illi naturalis ratione principij passiui, etsi talis motus sit perfectio extrinseca; & propriæ passiones sunt naturales subiecto ratione principij passiui, vt docet D. Thomas. 1. p. q. 77. art. 6. quia sunt perfectiones subiecti: sed Subsistentia est complementum naturæ, & maxima eius perfectio, imò & perfectio intrinseca naturæ terminatæ, ergo est naturalis ratione principij passiui, & ex consequenti natura est causa materialis Subsistentiæ. Et in hoc sensu intelligendi sunt Doctores, cùm dicunt, naturam inclinari in propriam Personalitatem.

13 Ex quo sequitur, quòd sicut motus circularis cæli omninò prouenit ab extrinseco, est tamen illi naturalis propter inclinationem, & aptitudinem ad illam: sic etiã Subsistentia est naturalis ipsi naturæ propter aptitudinem, & inclinationem, quam habet natura ad illam, tametsi omninò ab extrinseco proueniat.

14 Sed obijcitur. Subsistentia non comparatur ad naturam, vt forma, sed vt purus terminus: ergo neque natura comparatur ad Subsistentiam vt materia, vel proprium subiectum. Consequentia patet, quia materia & forma mutuò se consequuntur, & sunt quasi correlatiua. Antecedens verò probatur; quia aliàs Verbum Diuinum vicem Subsistentiæ supplere non posset, cùm nequeat esse forma. Propter hoc argumentum M. Suarez in Methaphy. Disp. 34. sectio. 6. num. 33. negat, naturam comparari ad Subsistentiam, vt materiam, vel

15 subiectum, sed vt terminabile ad suum terminum, cum quo habet naturalem connexionem. Sed hæc ratio non multùm vrget: quia licèt Subsistentia non sit forma, est terminus naturæ, & hæc est terminabilis per illam. Terminabile autem habet rationem materiæ, subiecti, & susceptiui respectu termini. Item natura & Subsistentia habens se sicut actus & potentia, sed potentia receptiua alicuius actus habet rationem materiæ, & subiecti respectu illius: ergo natura comparatur ad Subsistentiã, vt materia vel proprium subiectum. Neque 16
in hoc modo loquendi est aliqua improprietas, sicut esset, si diceretur Subsistentia inhærere naturæ; quia cùm sit terminus substantialis, & reductiuè de prædicamento substantiæ, impropriè diceretur inhærere. Vnde substantialis vnio Subsistentiæ cum natura est alterius rationis, quàm sit inhæsio; hæc enim repugnat Subsistentiæ, non solùm vt, Quod, verùmtiam vt, Quo. Hoc est, non tantùm repugnat, Subsistentiam constituere rem inhærentem: sed etiam repugnat illi esse inhærentem. Itaq; Subsistentia constituit Subsistens, cui vt sic repugnat, quòd inhæreat. Rursus terminat naturam, quam reddit ineptam ad inhærendum, vel inexistendũ alteri: & hoc facit Subsistentia sine eo, quòd inhæreat tali naturæ.

Tertia Conclusio. Probabile est, naturam concurrere in genere causæ formalis ad causandam Subsistentiam, & hanc dimanare ab ipsa naturâ per modum simplicis emanationis, & naturalis sequellæ. Ita colligitur ex D. Thoma 2. Contra Gentes cap. 52. Vbi loquens de esse inquit, formam habere se ad esse, sicut lux ad lucere. Ergo similiter natura & forma habet se ad propriam Subsistentiam, sicut lux se habet ad lucere: quia sicut lucere concomitatur lucem à sole productam, & habet modum cuiusdam naturalis sequellæ, & simplicis emanationis, quatenùs lucere est veluti terminus lucis, & complementum illius, & intrinsecus eius modus: ita Subsistentia concomitatur naturam productam per modum cuiusdam naturalis sequellæ, & simplicis emanationis, tanquàm complementum, & terminus illius. 17

Ad primum igitur argumentum ex authoritate D. Thomæ desumptum Resp. Subsistentiam causari à natura in genere causæ materialis, & hoc satis esse, vt verè dicatur à D. Thoma, Subsistentiam causari ex principijs intrinsecis naturæ. Sed nunquàm D. Thomas ibi loquutus est de causalitate efficiente. 18

Ad secundum Resp. proprias passiones præsupponere naturam, à qua oriuntur, vltimatè completam, & perfectam substantialiter, & actu existentem, ac proindè posse ab ea veluti à principio effectiuo dimanare: at verò Subsistentia non præsupponit naturam completam, & existentem, & sic ab illa effectiuè dimanare non potest; sicut neque talis existentia potest effi- cienter ab aliqua re dimanare, si sit existentia propria: esse enim, vt ait D. Thomas. 3. Contra Gent. cap. 65. Non sequitur vt effectus causam efficientem, sed sicut formam substantialem vltimò dispositam. Quòd eleganter cap. 66. exposuit. Et Clariut. 1. p. quæst. 104. artic. 1. ad 2. Inquit enim, quòd sicut lumen sequitur ad Diaphanum, ita esse formam creatam. Vnde constat deceptos fuisse, qui asserunt, existentiam effectiuè dimanare ab essentia ad modum propriæ passionis. Fit ergo Subsistentia tanquàm intrinsecus terminus naturæ ab agente, naturam substantialem primò generante, vel conseruante. Generant enim, nisi impediatur, vt in generatione Christi fuit impeditum, naturam completam & terminatam proprio, & intrinseco termino Subsistentiæ producit, & generat. Generatio namque ad totum Suppositum tendit. 19 20

Ex

Ex quo patet, longè esse diuersam rationem de productione Subsistentiæ, & propriarum passionum: hæ enim non sunt complementum intrinsecum, & substantiale geniti; vnde neque per substantialem generationem fiunt, sed per aliam accidentalem realiter diuersam. At Subsistentia est complementum substantiæ geniti, & ideò debet ab ipso generante per generationem fieri. Et hinc patet ad confirmationem.

21 Ad tertiũ Caietanus hîc, & infra q. 17. art. 2. & M. Ledesma loco citato respondent, si Verbum Diuinum dimitteret humanitatem, resultaret ex illa propria Subsistentia, non per aliquam nouam actionem, sed per illam, qua humanitas fuit producta. Cuius rationem reddunt, quia Subsistentia est vltimum complementum rei: atque adeò per illam actionem fit, per quam

22 ipsa res. Vnde sublato impedimento in humanitate Christi, nempe, Subsistentia Verbi, statim resultaret propria Subsistentia, non tamen per distinctam actionem ab ea, qua ipsa humanitas fuit producta. Cæterùm hæc solutio videtur falsa; quia effectus in actu exigit causam in actu, hoc est, actu influentem: vnde si est Subsistentia de nouo in actu, postulat nouum influxum, qui quidem est actio; ergo necessariò debet denuò concedi aliqua actio. Explicatur ampliùs. Actio nihil aliud est, quàm effectus in fieri, seu potiùs ipsum fieri; sed tunc datur nouus effectus, denuò productus, scilicet, Subsistentia: ergo datur nouum fieri, & noua actio. Sed hæc non potest esse generatio humanitatis Christi, quia hæc actu non est, sed præterijt: ergo alia distincta debet necessariò concedi, per quam Subsistentia resultaret.

23 M. Suarez 3. p. Disput. 8. sectio 3. reputat impossibile, quòd humanitas à Verbo dimissa inciperet habere nouam Subsistentiam sine noua actione, & efficientia. Et ita mihi videtur. Quare necessariò dicendum est, in humanitate à Verbo dimissa requiri nouam actionem productiuam illius Subsistentiæ. Quæ actio tunc non ab alio esset efficienter, quàm à Verbo conseruante illam naturam in suo proprio Supposito: & modaliter differret ab alia actione humanitatis productiua, sicut terminus ipse modaliter differt ab actio-

24 ne. Vnde negandum est, ablato impedimento vnionis hypostaticæ, eodem modo tendere humanitatem in proprium Subsistentiæ terminum, quo lapis in centrum: nam lapis ratione grauitatis se in centrum moueret: at natura humana esset duntaxat in pura potentia passiua respectu propriæ Subsistentiæ; atque adeò illam acquirere non posset, nisi ab extrinseco agente, nempe, Deo ipsam conseruante. Neque obstat, quòd natura propriam appetat Subsistentiam, non minùs quàm graue centrum; quia ex appetitu alicuius rei, non rectè virtus illius in appetente infertur, nam materia appetit formam, & tamen ipsa nõ habet virtutem ad illam cõparandam.

25 Ad quartum Resp. dupliciter aliquid dici finem alicuius. Vno modo, quia est id, quod agens ad agendum mouet; sic sanitas est finis ægroti, & centrum lapidis. Secundò, quia est rei consummatio, & perfectio. Et hoc modo vocatur ab Aristotele forma terminus, & finis materiæ: & sic Subsistentia potest dici finis naturæ. Respectu finis priori modo nunquam datur naturalis appetitus, quin detur in appetente naturalis facultas illum consequendi. Respectu autem finis posteriori modo, satis est, detur naturalis capacitas, seu passiua potentia, vt patet in materia respectu formæ.

OCTAVA DISPVTATIO.

AN humanitas Christi Domini terminata Personalitate Diuina adhuc propriam, & connaturalem appetat Subsistẽtiã. Dominus Caietanus in cõmentario huius articuli asserit, si humanitas consideretur secũdũm se, appetere quidem suam Personalitatem, & Subsistentiam: si verò perpendatur, prout est terminata Personalitate Verbi, nullo modo neque actu, neque aptitudine inclinari in propriam Personalitatem, sed perfectißimo modo quiescere in Verbo; quia licèt non habeat formaliter suam Personalitatem naturalem, habet tamen illius perfectionem in ipso Verbo eminẽtiori modo, ac proinde nobiliori termino, & actu contenta est. Hanc sententiam sequitur etiã M. Medina hîc. Dubio. 2. & eandem approbat, & recipit M. Suarez supra quæst. 2. Disput. sectio. 3. & communiter recentiores Thomistæ. Et probatur his argumentis. 1

Primò. Quia aliàs sequeretur, humanitatem esse violenter in Christo, si esset naturaliter inclinata ad propriam Personalitatem, quam non habet: violentum enim nihil aliud est, quàm quod est contra propriam inclinationem, & appetitum: cùmq; nullũ violentum sit perpetuum, sequitur vnionem humanitatis ad Verbum non esse suapte naturã perpetuam. Item talis inclinatio naturæ esset frustranea, vt pote nunquàm ad implenda. Rursus sequeretur, aliquid pertinens ad naturam humanam Christi esse imperfectum, quia omnis inclinatio naturalis est imperfecta, quandiu terminum sibi debitum non attingit: sed natura humana adhuc in Verbo Supposita, si in proprium terminum remanet propensa, nondum attigit terminum sibi debitum: ergo erit imperfecta. Et tandem sequitur, humanitatem Christi appetere separari à Verbo: quia omne, quod appetit naturaliter aliquam formam, desiderat carere alia, cum qua illa est incompossibilis: sed Subsistentia propria est incompossibilis cum vnione hypostaticã ad Verbum; ergo si humanitas Verbo vnita appetit naturaliter propriam Subsistentiam, appetet etiam carere Diuina Subsistentia, & separari ab illa, atque adeò violenter est, donec ab illa separetur, non minùs quàm lapis, qui supra detinetur. Dices, hoc esse verũ de appetitu innato, quo res non tam in id, quod melius est, fertur, quàm in id, quod sibi est connaturale, & proportionatum: non verò de elicito. Contra; quia appetitus innatus non est minùs rationi conformis, vt pote ab authore naturæ inditus, quàm appetitus elicitus: sed humanitas Christi nequit appetitu elicito desiderare propriam Subsistentiam, & carere Diuina, quia huiusmodi appetitus esset inordinatus: ergo neque potest appetere appetitu innato, quia similiter esset inordinatus, non minùs quàm elicitus. 2

Secundò. Subsistentia Diuina præstat naturæ humanæ, quidquid præstat propria, & perfectiori modo: sed propria Subsistentia satiaret appetitum naturæ; 3

ergo multò magis Diuina Subsistentia satiat appetitũ naturæ. Consequentia patet, quia quælibet inclinatio est satiata, & perfecta; quando attingit aliquid continens eminenter suum terminum. Maior etiam constat, quia Diuina Subsistentia cõtinet eminenter perfectionem Subsistentiæ creatæ.

4 Confirmatur. Quotiescumq; potentia actuatur per formam perfectiorem continentem eminenter minùs perfectam, ita est contenta in perfectiori, vt minùs perfectam non desideret: sed humanitas Christi vnita Diuinæ Subsistentiæ perficitur per Subsistentiam perfectiorem continentem minùs perfectam, nempe; propriam eminenter: ergo illa cõtenta manet, neq; desiderat propriam minùs perfectam. Antecedens probatur: quia si potentia habens perfectiorem formam desideraret minùs perfectam, inordinatum esse tale desiderium; sed nõ potest naturale desiderium, vt pote à Deo impositum esse inordinatum: ergo neq; potest habens perfectiorem formam desiderare minùs perfectam.

5 Tertiò. Vnusquisq; naturaliter appetit proprijs viribus rerum omnium scientiar, si tamen alicui concedatur rerum omnium scientia infusa, vel beatifica, iam ampliùs non haberet appetitum scientiæ acquisitæ, quia aliunde expletur per scientiam infusam, & beatificam, aliàs intellectus beati non satiaretur videndo Deũ. Item si daretur forma continens eminenter omnes formas generabilium, & corruptibilium, hæc satiaret appetitum materiæ: sed Subsistentia Diuina continet eminenter alias Subsistentias creatas; ergo satiat perfectè appetitum naturæ.

6 Est altera sententia Scoti quodlib. 19. q. 3. asserensis, humanitatem assumptam à Verbo habere propensionem, & appetitum ad propriam Personalitatem; quia hic appetitus nihil aliud est, quàm ipsa naturalis capacitas perfectionis connaturalis, & debitæ, ac non obtentæ: sed in humanitate Christi manet capacitas naturalis respectu propriæ Personalitatis, hæc enim à natura, ipsa manente, auferri non potest, sicut forma actuando materiam tollere non potest naturalem eius capacitatem ad alias formas, ergo manet etiam appetitus, qui nihil aliud est, quàm hæc naturalis capacitas perfectionis nõ obtentæ. Item hæc sententia videtur esse D. Thomæ in hoc articulo ad tertium, vbi dicit, Personam Verbi impediuisse humanitatem à propria Personalitate, in quã erat inclinata, sed id, quod manet impeditum ab eo, ad quod naturaliter inclinatur, remanet propensum in illud. ergo humanitas &c. Nec valet expositio Caietani, & Medinæ, quòd impediuit in ipso assumptionis instanti, sed modò iam assumpta humanitate non impedit; quoniam si assumendo impediuit humanitatem à propria Subsistentia, & modò illam actu non habet: ergo modò impedit, atq; adeò humanitas &c. Vnde sit prima ratio pro hac sententia.

7 Quicquid Diuino miraculo caret aliquo sibi naturaliter debito, adhùc naturaliter inclinatur in illud, sicut ignis Babilonicus Danielis. 3 carens actu comburendi, adhùc naturaliter inclinabatur ad comburendum, & accidentia in Eucharistia, tametsi subiecto non inhæreant, sunt ad inhærendum propensa. sed illa humanitas caret propria Subsistentia, sibi naturaliter debita; ergo in illam manet inclinata. Sed respondet Caietanus, humanitatem ab omni Personalitate suspensam, remanere inclinatam in propriam, sicut accidentia Eucharistiæ ab omni subiecto separata inclinantur ad inhærendum: secus autem humanitatem Personatã iam Diuina Subsistentia, in qua quiescit. Sed contra. Si quiesceret, eò maximè esset, quia illa Diuina Personalitas continet eminenter propriam humanitatis Subsistentiam, ad quam erat inclinata: sed hoc non sufficit, quia oportet suo termino formali formaliter actuari, sicut materia, ex hoc quod formaliter inclinatur ad formam sensitiuam; non quiescit actuata anima rationali, quæ virtute continet formam sensitiuam; imò verò & reliquas omnes appetit: ergo quamuis Diuina Personalitas propriam humanitatis Subsistentiam eminenter contineat, adhùc humanitas in propriam remanebit propensa.

8 Præterea. Illa humanitas assumpta est eiusdem speciei cum reliquis: ergo habet easdem potentias, & inclinationes specificas. Sed reliquæ humanitates in proprias hypostases naturaliter inclinantur: ergo & illa assumpta à Verbo. Respondet Caietanus, naturales potentias, & inclinationes naturæ secundùm se esse eiusdem rationis, non autem secundùm terminationem, quia humanitas assumpta terminatur Diuina Personalitate, reliquæ verò proprijs Subsistentijs creatis. Sed contra: Inclinatio ad terminationem est in natura secundùm se: ergo est eadem specie in omnibus. Sed eadem inclinatio specie in ordine ad terminum satiari non potest, nisi termino eiusdem rationis: at verò Personalitas humana, & Diuina plusquàm specie differunt: ergo inclinatio humanitatis assumptæ eiusdem rationis cũ reliquis, non poterit Diuina, sed propria Personalitate satiari.

9 Rursus. Sicut accidens separatum à subiecto naturaliter propenditur ad inhærendum, sic substantia ad per se existendum: sed illa humanitas assumpta, quamuis subsistat, sed non omni modo per se, cùm non ex viribus suæ naturæ; ergo remanet inclinata ad per se existendum absolutè sua propria Personalitate. Insuper. Inseparabiliùs consequitur naturam propria Suppositatio, quàm potentiam sua operatio: sed potentia abstracta à sua operatione inclinatur naturaliter in eam: ergo etiam humanitas abstracta à propria Personalitate. Respondet Caietanus, humanitatem suspensam ab omni Personalitate esse inclinatam in propriam, sicuti potentia ab omni actu abstracta: secus autem si iam actuetur Diuina Personalitate. Sed contra. Potentia actuata ab actu alterius rationis, quàm à proprio, non quiesceret: ergo humanitas Personata Diuina Personalitate alterius rationis à propria, quamtumuis eam eminenter contineat, non satiabitur.

10 Postremò, Vnumquodque est in illud naturaliter inclinatum, quod ex sola subtractione impedientis sine noua actione profluit, & sic ex mente Caietani grauia naturaliter mouentur deorsum, eo quòd sublato impedimento absque noua generantis actione per antiquam actionem à generante mouentur: sed humanitas assumpta, si dimitteretur à Verbo, acciperet propriam Personalitatem absque noua actione, vt concedit Caietanus: ergo remanet in illam inclinata.

11 Ad explicationem huius difficultatis aduertendum est primò, appetitum naturalem, de quo in præsenti disputatur, hoc potissimùm ab elicito differre, quod

Digitized by Google

quòd hic ſit actus ſecundus vitalis, quo viuens bonum à ſe præcognitum proſequitur; ille verò ſit naturalis potentia, per ſeipſam ſine vllo ſuperaddito actu, & abſq; vlla cognitione præuia in proprium, & connaturale bonum, ac perfectionem inclinata, & propenſa, ſeu potiùs ipſamet rei appetentis entitas in bonū perfectiuum ſui à natura ordinata, & directa. Hinc inter hos duos appetitus alia deducitur differentia, quòd appetitus elicitus abeſſe poteſt omninò ab appetitione, innatus verò ſeu naturalis non poteſt. Cùm enim appetitus elicitus præuiam boni cognitionem ſequatur, & ab ea dependeat, fit, vt ſicut viuens poteſt à boni apprehenſione ceſſare, ſic ab appetitione. Et ſicut mediante cognoſcitiua potentia poteſt idemmet obiectum, nunc vt bonum, & conueniens apprehendere, nunc vt malum & diſconueniens: ſic per appetitiuam potentiam nunc amare, nunc

13 odiſſe, nunc proſequi, nunc fugere &c. At appetitus innatus, cùm in ipſamet rei appetentis eſſentia fundetur, imò ſit ipſamet rei appetentis natura, atq; eſſentia, proprio bono, & perfectioni connaturali conformis, & coaptata: hinc eſt, vt bonū, quod hoc appetitu ab aliquo ſemel appetitur, non poſſit non appeti. Etenim fieri non poteſt, vt bonum, quod ſemel alicui ſuapte natura conſentaneum eſt, non ſit ſemper conforme, & proportionatum. Cùm igitur in Chriſti humanitate conſiderata ſecundùm ſuam eſſentiam (neceſſarium ſit, propriæ ſubſiſtentiæ (vt pote connaturalis, & debitæ perfectionis) appetitum innatum admittere, in eâdem humanitate vnita hypoſtaticè Verbo neceſſe quoq; eſt, hunc ipſum appetitum propriæ Perſonalitatis concedere. Neq; enim per vnionem ad Verbum eſſentia illius immutata eſt, vt bonum, quod erat illi ſuapte naturâ proportionatum, & conforme, iam non ſit conforme, & proportionatum.

14 Secundò aduertendum eſt, quòd ſicut in appetitu vitali tres ſolent à Philoſophis condiſtingui actus, quibus viuens bonum à ſe præcognitum proſequitur, nempe, amor, qui eſt appetitus boni abſolutè conſiderati, vt abſtrahit à præſenti, & abſenti, & gaudium (quod eſt boni præſentis) ac deniq; deſiderium (quod eſt boni abſentis) ſic in appetitu innato totidem poſſunt condiſtingui modi methaphoricè appetendi, iuxta triplicem modum, quo res naturalis appetere proprium bonum, & perfectionem, poteſt ad illud comparari, & referri. Si enim conſideretur, prout proprio, & connaturali bono commenſuratur, ſine iſtud præſens ſit, ſiue abſens, amare illud dicitur, & huiuſmodi cōformitas, & coap-

15 tatio dicitur amor. Si verò ad illud, vt præſens eſt, referatur, in eo dicitur quieſcere, & gaudere; & huiuſmodi quies nuncupatur gaudium, & delectatio. Si deniq; cum bono abſenti comparetur, illud deſiderare dicitur. Et huiuſmodi coaptatio ad bonum ſic abſens dicitur naturale deſiderium.

16 His præmiſsis ſit Prima Concluſio. Humanitati Chriſti Verbo hypoſtaticè vnitæ ineſt appetitus per modum ſimplicis amoris ad ſuam propriam, & connaturalem ſubſiſtentiam. Sic docet M. Suarez, & re vera negari non poteſt, quia appetitus per modum ſimplicis amoris nihil eſt aliud, quàm naturalis conformitas, & coaptatio rei ad ſuam propriam, & intrinſecam perfectionem; ſed humanitati Chriſti Verbo vnitæ ineſt huiuſmodi conformitas, & coaptatio ad propriam ſubſiſtentiam, veluti connaturalem, & intrinſecam ſui perfectionem; ergo & appetitus per modum ſimplicis amoris. Maior cum conſequentia eſt euident. Minor probatur: quia eſſentia humanitatis Chriſti non eſt mutata per hypoſtaticam vnionem: ergo perfectio, quæ illi ſecundùm ſe conſideratæ eſt proportionata, ei, etiam vnitæ Verbo, eſt commenſurata, & naturaliter conformis.

Sed dices. Humanitati vnitæ Verbo repugnat omninò propria ſubſiſtentia; ergo non eſt conformis. Reſpondetur, humanitati Chriſti vnitæ Verbo in ſenſu compoſito repugnare quidem propriam ſubſiſtentiam, non tamen in ſenſu diuiſo, in quo nunc loquimur, cùm dicimus, humanitati vnitæ Verbo ineſſe appetitum propriæ ſubſiſtentiæ, ſeu naturalem amorem. 17

Secunda Concluſio. Chriſti humanitati Verbo vnitæ non ineſt appetitus naturalis per modum gaudij, ſeu delectationis ſubſiſtentiæ, & perſonalitatis propriæ. Patet, quia appetitus per modum gaudij non eſt niſi de bono præſenti, at propria ſubſiſtentia non eſt bonum, aut perfectio præſens humanitati Chriſti, ſed potiùs abſens: ergo &c. 18

Tertia Concluſio. Humanitati Chriſti Diuino Verbo vnitæ ineſt appetitus per modum deſiderij propriæ, & connaturalis ſubſiſtentiæ. Probatur. Appetitus naturalis per modum deſiderij ſupra ſimplicem amorem, hoc eſt, conformitatem rei ad proprium bonum, & perfectionem, duntaxat includit boni huius abſentiam, & priuationem: ſed humanitas Chriſti vnita Verbo non ſolùm includit conformitatem, & coaptationem ad propriam ſubſiſtentiam, veluti ad proprium, & connaturale bonum, ſeu perfectionem, verùmetiam abſentiam, & priuationem eius: ergo non ſolùm ineſt illi appetitus naturalis propriæ ſubſiſtentiæ per modum ſimplicis amoris, ſed etiam per modum deſiderij. 19

Reſpondent aduerſarij, quòd ſicut in appetitu vitali priuatio minoris boni orta ex præſentia maioris præcipuè incompoſsibili, non cauſat deſiderium minoris boni proprium, ſeu elicitum: ſic neque in appetitu innato naturale ſeu methaphoricum. Ac proinde cùm priuatio, & abſentia ſubſiſtentiæ propriæ in humanitate Chriſti proueniat ex præſentia alterius boni longè excellentioris, nempe, Perſonalitatis Diuinæ, deſiderium propriæ ſubſiſtentiæ methaphoricum, ſeu innatum nullo modo poteſt cauſare, ſicut neq; excitare deſiderium elicitum, & proprium. Sed contra eſt. Priuatio boni connaturalis nō cauſat deſiderium innatum Phyſicè, vt impediri poſsit, ſed logicè; hoc eſt, neceſſariò illud infert, & colligit, non aliter, quàm animal rationale hominē: ſed humanitati vnitæ hypoſtaticè Verbo ineſt priuatio ſubſiſtentiæ connaturalis, hoc eſt, debitæ perfectionis; ergo & deſiderium innatum eiuſdem, quod adæquatè conſiſtit in prædicta priuatione. Neq; obſtat, quòd hæc in humanitate Chriſti proueniat ex præſentia ſubſiſtentiæ perfectioris, nempe, Perſonalitatis Diuinæ, quominus inferat deſiderium naturale ſubſiſtentiæ connaturalis, & propriæ: etenim priuatio formarum corruptibilium in materia informata per animam rationalem, oritur ex præſentia formæ longè perfectioris, nempe, ipſius animæ rationalis; & nihilominùs 20 21

minùs causat in materia appetitum formarum inferiorum, sed necessariò illum infert, & colligit, vt docent omnes Philosophi. Ergo nihil obstabit, quòd priuatio subsistentiæ propriæ in humanitate Verbo vnita oriatur ex præsentia subsistentiæ perfectioris, quominùs subsistentiæ propriæ, & intrinsecæ desiderium, seu appetitum in humanitate causare, seu necessariò colligere, atq; inferre possit.

22 Respondent aliqui, materiam informatam anima rationali ideò appetere formas inferiores, quia desiderat naturaliter perpetuò esse, quod rationalis anima vt pote ab ipsa separabilis præstare illi nullatenus potest. Si enim anima rationalis inseparabilis à materia foret, ea contenta esset, sicut materia cæli contenta est sua forma. At Subsistentia Verbi suapte natura potest naturam humanam perpetuò terminare; & quidem multò perfectiùs, quam connaturalis, & propria: ac proinde contenta est Diuina subsistentia, & non appetit crea-
23 tam, seu propriam. Sed contra est; quia appetitus aliarum formarum in materia informata anima rationali non oritur ex separabilitate animæ, sed potiùs contrà, separabilitas animæ ex appetitu aliarum formarum, quem habet materia hæc, prouenit. Neq; enim hominis corruptio (quæ in separatione animæ à corpore consistit) est causa appetitus materiæ: quin potiùs appetitus hic est prima radix corruptionis secundùm omnes
24 Philosophos. Neq; verò materia cæli propterea formas alias non appetit, sed sua contenta est, quòd hæc sit inseparabilis; quin potiùs contra cælestis forma propterea est inseparabilis à materia, quia hæc alias formas appetere, aut suscipere nequeat, quarum aduentu forma cælestis expelli à materia possit. Si enim eas posset naturaliter suscipere (quemadmodùm materia horum inferiorum) non dubito, quin forma cælestis esset à materia separabilis, & cælum suapte natura corruptibile foret, sicut reliqua inferiora corpora.

25 Alij ergo probabiliùs respondent, longè disparem rationem esse, quod ad præsens attinet, de anima rationali, & Persona Verbi. Etenim anima rationalis non continet eminenter reliquas inferiores formas, sicut subsistentia Verbi creatam subsistentiam continet; ac proinde nequit earum vicem supplere, & appetitum explere, sicut subsistentia Verbi potest satiare desiderium
26 creatæ Personalitatis, & eius defectum supplere. Sed contra est. Priuatio formæ formaliter talis tolli non potest nisi per formam formaliter talem: sed desiderium naturale propriæ subsistentiæ in natura humana consistit formaliter in priuatione formæ formaliter talis, nempe, subsistentiæ creatæ, & propriæ: ergo tolli nō potest per formā solùm eminenter talem, qualis est Subsistentia Diuina, sed necessariò debet per propriam, & connaturalem subsistentiam creatam auferri. Quod ampliùs exemplo confirmatur.

27 Appetitus innatus vnius potentiæ solùm satiatur per actum talis potentiæ, per actum verò alteriùs potentiæ, quantumlibet perfectum satiari, & expleri non potest: sed subsistentia Verbi Diuini non est actus potentiæ passiuæ naturalis, quam humanitas habet respectu propriæ subsistentiæ, sed alterius potentiæ, videlicet obedientialis: ergo appetitus huiusmodi potentiæ passiuæ naturalis nequit per subsistentiam Verbi Diuini, tametsi infinitè perfectam, satiari, sed necessariò debet expleri per proprium, & connaturalem actum, hoc est subsistentiam propriam, & creatam. Hæc conclusio probatur etiam rationibus propositis pro sententia Scoti. Reliquum est dissoluere argumenta Caietani, & Domini M. Medinæ.

Ad primum Resp. Non posse alicui violentiam in- 28
ferri nisi ex parte eius aliqua adsit resistentia, seu repugnantia. Cùm igitur humanitas Christi Verbo Diuino fuerit hypostaticè vnita, & propria subsistentia destituta absq; vlla eius resistentia, vel repugnantia: hinc est, vt ipsi violentum non sit, vnitam esse Verbo, aut propria
subsistentia priuari. Neq; obstat, quòd hoc sit contra 29
propriam inclinationem, seu appetitum naturalem, nam quod solùm est contra inclinationem potentiæ passiuæ (qualis est ea, quam humanitas erga suam propriam Personalitatem habet) non est violentum: aliàs etiam violentum foret animæ rationali esse à corpore separatam; quod vtiq; falsum esse docet axioma Philosophicum, asserens nihil violentum posse esse perpetuum per naturam. At rationalis anima per naturam posset perpetuò à corpore separata conseruari, imò ita futura erat, nisi maximum illud resurrectionis corporum intercederet miraculum.

Sed obijcitur. Violentum, vt definit Aristotel. 3. Ethi- 30
cor. cap. 1. est, quod fit ab extrinseco agente passo non conferente vim: sed quòd humanitas Christi fuerit Verbo hypostaticè vnita, & propria subsistentia priuata, totum fuit factum ab extrinseco agente (Deo scilicet authore supranaturali) ipsa humanitate patiente, & non conferente vim (neq; enim ad hos effectus actiuè est cooperata, sed merè passiuè se habuit) ergo vtrumq; hoc, nempe vniri Verbo hypostaticè, & propria subsis-
tentia priuari, fuit humanitati Christi violentum. Resp. 31
Particulam illam, Passo non conferente vim, in definitione violenti positam, non esse negatiuè (vt sonat) interpretandam, quasi satis sit, vt violentum aliquid patienti dicatur, quòd patiens ad illud actiuè non concurrat, sed passiuè tantùm (aliàs necessariò dicendum esset, violentum esse aeri illuminari à sole, materiæ formam substantialem suscipere, & animæ omnes infusos, & supernaturales habitus) sed positiuè & contrariè, ita vt idem sit, passum non conferre vim ad effectum, qui ab extrinseco fit, atq; eidem per vim contrariam, & intrin-
secum impetum resistere, & repugnare. Quod multò 32
clariùs expressit Aristoteles in alia violenti definitione, quam adhibet 2. Ethicor. dicens. *Quando igitur foris quidpiam præter (hoc est, contra) internum impetum mouerit, sedauerit ve, tunc id vi, seu violentè fieri asseueramus. Cùm verò secus, non vi. Internum autem impetum appellat Aristoteles vel actiuam virtutem (qualem habet graue ad motum deorsum, & aqua ad reducendum se in pristinam frigiditatem, iuxta probabilem quorundam Philosophorum sententiam: vnde graue sursum contra internum grauitatis impetum moueri, vel à motu deorsum impediri, & retardari, & aquam
calefieri, vel prohiberi actionem, qua se in pristinam re- 33
ducit frigiditatem, vtriq; & graui, & aquæ est violentum) vel certe vim formalem, qua vna forma à subiecto in quo est, aliam incompossibilem excludere valet. Vnde si in subiectum calidum frigus ab extrinseco agente inducatur, violentum id erit, quia contra impetum internum caloris introducitur forma frigoris

resistentis,

resistentis, & repugnantis formaliter. Cùm igitur natura humana neq; habeat vim effectiuam suæ propriæ, & intrinsecæ subsistentiæ, neq; verò formalem, sed passiuam tantùm, sicut aer respectu lucis: idcircò sicut aeri non est violentum lucem suscipere, neq; ea priuari; sic neq; humanitati Christi propriam subsistentiam accipere, aut ea priuari, vel per alienam, videlicet Personalitatem Verbi terminari. Etenim hæc omnia fiunt absq; vlla intrinseca humanitatis resistentia, vel repugnantia, sine qua vis, aut violentia intelligi non potest, vt ex secunda violenti definitione constat.

34 Sed obijcitur. Violentum opponitur naturali; sed naturale non solùm dicitur aliquid à principio actiuo, vel formali, sed à passiuo etiam, & materiali, non enim sola forma, sed materia etiam est natura, vt ex 2. Physic. constat: ergo non solùm erit violentum, quod opponitur inclinationi principij actiui, vel formalis, verùm etiam quod opponitur inclinationi principij passiui, seu materialis. Resp. Violentum non opponi cuicumq; naturali, sed naturali simpliciter, naturale autem simpliciter non dicitur aliquid à principio materiali, & passiuo, sed ab actiuo, vel formali. Etenim sola forma est natura simpliciter, materia autem secundùm quid tantùm: vt latiùs 2. Physic.

35 Sed dices. Motus raptus, quo inferiores orbes à primo mobili mouentur ab oriente in occidens, secùdùm omnes Philosophos est violentus, & tamen non est cōtra internum impetum, sed contra passiuam inclinationem naturalem tantùm: ergo hoc sufficit ad rationem violenti; ac proindè humanitati Christi violentum erit
36 propria subsistentia priuari. Respondetur, quòd cùm Philosophi dicunt, motum raptus esse violentum cælis inferioribus, loquuntur de illis, non secundùm se consideratis, sed vt motis ab intelligentijs ex occidente in oriens. Sic autem planum est, motum raptus esse violentum, vt pote contra impetum, & motum, quo ab Angelis in contrarium cientur. Si tamen Angeli eos ab occidente in oriens mouere desisterent, motus, quo à primo mobili raperentur, non esset violentus: fieret enim sine vlla cælorum resistentia, & repugnantia.

37 Ad secundam sequellam negatur, illam inclinationem naturæ ad propriam subsistentiam esse frustraneam, quia etiam remansit in Christi humanitate potentia, capacitas, & aptitudo ad propriam subsistētiam, & tamen non dicitur frustranea. Neq; est inconueniens concedere, inclinationem naturalem aliqualiter esse imperfectam; quatenus natura priuatur sua connaturali subsistentia: sed quia afficitur alia personalitate per-
38 fectiori, simpliciter nō dicitur imperfecta. Ad vltimam sequellam rectè ibidem responsum est, nempe, nullum esse inconueniens concedere, humanitatem Christi appetitu innato, quo primariò propriam subsistentiam desiderat, secundariò, & quasi consequenter appetere separari à Verbo. Neq; est eadem ratio de desiderio elicito voluntatis; hoc enim vt rectum sit, & ordinatum, oportet, conformetur iudicio intellectus præferentis vnionem hypostaticam subsistentiæ propriæ, & con-
39 naturali, atq; adeò oportere, vt humanitas Christi desiderio elicito voluntatis malit per alienam Verbi subsistentiam, quàm per propriam, & intrinsecam terminari. At verò appetitu innato (qui non id, quod melius ac perfectius est, sed quod suæ naturæ est connaturale, ac proportionatum, respicit) potiùs desiderat propriam subsistentiam, quàm Verbi Personalitatem.

Ad secundum conceditur, Subsistentiam Verbi multò
perfectiùs terminare, & complere humanitatem Chri- 40
sti, quàm propria, & intrinseca subsistentia faceret: tamen quia illam non actuat modo connaturali, sicut propria; ideò non potest sicut hæc, appetitum naturalem (qui solum connaturalem actum, & terminum res-
picit) satiare. Ad reliqua argumenta Resp. Quòd si illa 41
forma, quam Caietanus fingit, contineret formaliter reliquarum formarum perfectiones, satiaret quidem appetitum materiæ, tribueret enim omnes effectus formales, quos à reliquis formis accipere posset, ac proindè nullam aliam desideraret. Sin autem has solùm formas eminenter contineret (sicut subsistentia Verbi continet creatam, & anima rationalis forsam continet animas brutorum, & plantarum) non posset appetitum materiæ explere, nam hic consistit in priuatione, seu capacitate effectuum formalium, quod forma solùm eminen-
ter talis tribuere non potest. Quemadmodùm scientia 42
beatifica non satiat desiderium, quod intellectus habet scientiarū acquisitarum, sed solum elicitum ipsius voluntatis; non enim est de ratione beatitudinis, quòd expleat appetitū innatum (alioqui animæ beatæ non appeterent naturaliter suam reunionem) sed tantùm quòd expleat omne desiderium rationabile elicitū voluntatis, quod solum, vt pote vitale, & perceptibile, potest causare solicitudinem, & anxietatem statui beatifico contrariam. Desiderium verò innatum, cùm percipi experimento non possit, nequit animum cruciare, aut augere, ac proinde nec beatitudinis quietē perturbare.

ARTICVLVS III.

Utrùm Persona Diuina assumpserit hominem.

CONCLVSIO *Est negans.* Non est propriè dictū, quòd Persona assumpserit hominem. *Probatur ex felice Papa, vt in argumento sed contra. Deinde in corpore. Homo significat naturam, prout nata est, esse in Supposito, vt ait Damascenus lib. 3. Fidei cap. 4. & 11. Sicut Deus significat habentem Deitatem; ergo nō rectè dicitur, Deum assumpsisse hominem. Patet consequentia, nàm quod assumitur, non est terminus assumptionis, sed præintelligitur illi; sed indiuiduum, in quo assumitur, est terminus assumptionis, scilicet, Diuina Persona: ergo Persona non assumitur, supposito, quòd sit verum, esse in Christo vnam tantùm hypostasim.*

Primum argumentum D. Thomæ desumitur ex testimonio D. Augustin. lib. de Agone Christi, quòd Filius Dei hominem assumpsit, & in illo humana perpessus

perpessus est. Sed Respondet D.Thomas, huiusmodi locutiones esse piè interpretandas, & nullo modo extendendas vt proprias, ita vt dicatur, hominem esse assumptum, quia eius natura est assumpta; & quia assumptio terminata est ad hoc, vt Deus sit homo. Secundum est. Hoc nomen Homo significat naturam humanam: sed Filius Dei assumpsit humanam naturam: ergo assumpsit hominem. Respondet, nomen, Homo, significare naturam in concreto, & in Supposito: & ideò sicut affirmari non potest, Suppositum esse assumptum, ita neq; dici potest, hominem esse assumptum. Tertium. Filius Dei est homo; sed non est homo, quem non assumpsit, sic enim esset Petrus, vel Paulus &c. Ergo est homo, quem assumpsit. Respondet, Filium Dei non esse hominem, quem assumpsit, sed cuius naturam assumpsit.

Commentarius.

1 CIRCA Hunc articulum grauis occurrit controuersia, An propriè, & in rigore possit concedi, Deum assumpsisse hominem. Affirmatio potissimùm suadetur hac ratione, quòd à Patribus, & Concilijs frequenter conceditur, Deum assumpsisse hominem, vt constat ex Concilio Toletano.6.Can.1. His verbis. *Cùm tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis &c. Et in Toletano.11. artic.4. His Verbis. *De his tribus Personis solam Filij Personam pro liberatione humani generis hominem verum sine peccato de Sancta, & immaculata Maria Virgine credimus assumpsisse.* Si dicatur, ita concedi in his Concilijs, quia non erat specialis difficultas de hac re proposita, at verò vbicunque de Vnitate Personali Christi Domini suscipitur Disputatio, nunquam ita cōcedi: contra hoc est, quia in Concilio Ephesino contra Nestorium congregato, qui duas Personas in Christo constituebat, cano.8. sic definitur. *Siquis audet dicere, assumptum hominem coadorandum cum Dei Verbo, & conglorificandum &c.* Sic etiam quotidiè
2 canit Ecclesia, *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis vterum.* Et illud Psalm. 64. *Beatus quem elegisti, & assumpsisti.* Exponitur in Glossa de homine assumpto à Verbo Diuino. Imò ex D.Paulo deprehendi videtur: qua enim phrasi negatiuè asseruit, *Angelos non apprehendit, sed semen Abrahæ* poteras dicere, hominem apprehendit, nam re vera id significat nomen illud, *Semen Abrahæ.* Ex Patribus etiam multi hoc cōcedunt. Athanasius lib. de assumptione hominis ità loquitur frequenter, his verbis. *Qui hominem verum, quem assumpsit Dei Filius, passum fuisse non confitetur &c.* Et D. Hieronymus tomo.4. in Epistola ad Damasum sic ait. *Dicimus Dei Filium, naturæ nostræ hominem assumpsisse.* Et D.Augustinus sæpissimè id concedit, præsertim de Prædestinatione Sanctorum cap.15. & lib. de Agone Christiano cap.11. & lib.9. de Ciuitate cap.17. & 21. & in Psalm.4. & 29. & D. Damascen. lib.3. Fidei cap.6. & D.Anselmus lib. de Incarnatione cap.5. Et Irenæus lib.5. contra Hæreses cap.1. Et probatur ratione, quia licet homo significet naturam, & Suppositum, siue Personalitatem, principaliùs tamen significat humanitatem; ergo simpliciter, & absolutè in ea propositione significabit naturam, quod est consonum Fidei, præsertim cùm ille terminus teneat se ex parte prædicati, vbi termini accipiuntur pro significato formali, & principali.

Negationem verò suadet authoritas Felicis Papæ, & 3
Martyris introducta ab Ephesina Synodo, & refertur in Chalcedonensi actione.1. post fidem Synodi Nicenæ, his verbis. *Quoniam ipse est sempiternus Dei Filius, & Verbum, & non homo à Deo susceptus, vt alter esset præter ipsum: neque enim hominem assumpsit Dei Filius, vt esset alter præter ipsum.* Et in Toletano Concil.6. cano.1. sic definitur. *Et humanitatem sine peccato de ista Virgine assumpsisse.* Et paulò inferius. *Solus tamen Filius suscepit humanitatem in singularitate Personæ.* Et passim Concilia, dum explicant Diuini Verbi Incarnationem, vtuntur nomine humanitatis, & naturæ humanæ, non hominis, vt videre est in omnibus Concilijs congregatis ad refutandas hæreses statuentium duas Personas in Christo, vel vnicam
naturam. Et Sancti Patres hac eadem phrasi ad idem 4
explicandum vtuntur, præsertim D. Hieronymus in expositione Fidei Catholicæ affirmans sic. *Confitemur vnam in Christo esse Personam, vt confiteamur, duas esse perfectas, & integras substantias, idest, humanitatis, & Deitatis.* Et ratio suffragatur, quia homo significat naturam Personatam; sed iuxta fidem Catholicam natura Personata non fuit assumpta; ergo. Vnde D. Thomas, negat illam locutionem, Filius Dei assumpsit hominem, in rigore, & proprietate sermonis esse veram, tametsi reprehendatur propter hoc à Ludouico
viuet lib.9. de Ciuitate cap.17. Sed D.Thomæ senten- 5
tia est communis Theologorum in 3. d.6. Quare Patres oppositum asserentes sunt piè interpretandi, sicut illos explicat D.Thomas in solutione ad primum, nempe, vt homo dicatur assumptus, quia eius natura assumpta est, vel quia assumptio est ad hoc terminata, vt Deus sit homo. In qua significatione Verbum assumendi non significat actionem, vt est mutatio rei assumptæ, sed vt est veluti productio termini resultantis ex vnione.

Ex solutione ad secundū colligit D.Caietanus, hanc 6
propositionem, Homo assumptus est à Verbo, esse magis impropriam, quàm hanc, Verbum assumpsit hominem, quia subiecta stant magis materialiter, quàm prædicata, & ideò in prima propositione magis significatur, Suppositum, vel personā hominis esse assumptam, quàm in secunda: licet etiam in secunda idem innuatur, si verbo Assumptionis propriè vtendum est, quod in rigore Supponit vt subiectum, totum illud, quod dicitur assumi.

Ex responsione ad tertium colligit Caietanus, quòd 7
cùm ait D. Thomas, Filium Dei non esse hominem, quem assumpsit, sed cuius naturam assumpsit, non est sensus, quòd sit quidam alius homo, cuius naturam assumpsit, sed ideò Filium Dei esse hominem, cuius naturam assumpsit, quia ipse est ille homo, cuius naturam assumpsit, ita vt terminus, homo, non Supponat pro alio,

alio, quàm pro Filio Dei, indiſtinctè tamen. Et illud relatiuum, Cuius, refert non alium hominem, quàm Filium Dei, qui eſt Suppoſitum Diuinum humanam naturam habens.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm Filius Dei debuerit aſſumere humanam naturam abſtractam ab omnibus indiuiduis.

PRIMÀ *Concluſio.* Filius Dei non debuit aſſumere naturam abſtractam ab omnibus indiuiduis, ad eum modum, quo illam conſtituebat Plato. *Probatur, tum, quia natura vniuerſalis, eo modo quo plato poſuit ideas, dari non poteſt: cùm natura ſenſibilis pertineat ad materiam ſenſibilem: tum etiam, quia etſi daretur, non deberet aſſumi; quia iſta aſſumptio terminatur ad Perſonam: eſſe autem in Perſona eſt contra rationem formæ communis, nam indiuiduatur in Perſona. Secundò, quia naturæ communi non poſſunt attribui niſi communes, & vniuerſales operationes, ſecundùm quas homo neque meretur, aut demeretur, & tamen aſſumptio tota tendit, vt nobis Filius Dei mereretur. Tertiò, quia Filius Dei aſſumpſit naturam humanam, vt viſibilis appareret; iuxta illud Baruch.* 3. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. *Sed illa natura non eſſet viſibilis, ſed intelligibilis tantùm: ergò.*

Secunda Concluſio. Non potuit aſſumi natura humana, prout eſt in intellectu Diuino. *Probatur; quia hoc modo nihil aliud eſt quàm natura Diuina; ergo ſic aſſumendo naturam humanam, ab æterno Filius Dei illam aſſumpſiſſet, cùm naturam Diuinam habuerit ab æterno.*

Tertia Concluſio. Non conuenit dicere, quòd Filius Dei aſſumpſerit naturam humanam, prout eſt in intellectu humano; *Quia hoc nihil aliud eſſet, quàm quòd intelligeretur aſſumere naturam humanam, & ſic ſi non aſſumeret in rerum natura, intellectus eſſet falſus. Item probatur in argumento ſed contra ex Damaſceno* 3. *lib. Fidei cap.* 1. *vbi ait, Filium Dei non acce- piſſe naturam, quæ in nuda contemplatione conſideratur, quia Incarnatio eſſet quædam fictio.*

Primum argumentum eſt. Aſſumptio humanæ naturæ facta eſt ad communem omnium hominum ſalutem, iuxta illud. 1. *ad Timot.* 4. *Saluator omnium hominum maximè fidelium: ſed natura prout eſt in indiuiduis, recedit à ſua communitate: ergo Filius Dei debuit humanam naturam aſſumere, prout eſt ab omnibus indiuiduis abſtracta. Reſpondet D. Thomas, Chriſtum eſſe communem ſaluatorem, non communitate generis, vel ſpeciei, ſed cauſa, quia fuit cauſa vniuerſalis ſalutis.*

Secundum eſt. Filius Dei debuit aſſumere hominem per ſe; ſed homo per ſe eſt ipſa natura humana ab indiuiduis ſeparata: ergo illam debuit Filius Dei aſſumere. Maior probatur: quia in vnoquoq; genere quod eſt per ſe, eſt potiſſimum, ac proinde Deo attribuendum. Reſpondet D. Thomas non dari hominem per ſe in natura, niſi in indiuiduis.

Tertium. Humana natura non eſt aſſumpta à Filio Dei, prout ſignificatur in concreto per hoc nomen, Homo: ſic enim ſignificatur, prout eſt in ſingularibus: ergo Filius Dei aſſumpſit naturam humanam, prout eſt ab indiuiduis abſtracta. Reſpondet, quòd licèt natura humana non ſit aſſumpta in concreto, vt Suppoſitum præintelligatur aſſumptioni; ſic tamen eſt aſſumpta in indiuiduo, vt ſit in indiuiduo,

Commentarius.

AD Examinandam rationem primã D. Thom. dubitat Dñs Caietanus, An illa propoſitio, Contra rationem formæ communis eſt, eſſe in Perſona, ſit vera. Videtur enim falſa; Primò, quia ſi humanitas eſſet ſubſiſtens, & abſtracta ab omni materia ſenſibili, non eſſet perfectior alijs ſubſtantijs ſeparatis; quales ſunt Angeli; ſed non eſt contra rationem naturæ Angelicæ eſſe in Perſona, imò de facto natura Angelica per Suppoſitalem rationem terminatur; ergo non eſſet contra rationem humanitatis abſtractæ terminari per Perſonalitatem. Secundò. Si talis forma exiſteret, neceſſariò eſſet indiuidua, & non eſſet vniuerſalis in eſſendo, ſed in cauſando, ſeu in ratione cauſæ exemplaris; ergo non eſſet contra rationem eius, vt aſſumeretur in Perſona.

Dñs Caietanus pro ſolutione huius dubitationis Supponit, in naturis cõpletis, & ſpiritualibus exiſtere naturam ſpecificam, quaſi abſtractam, & ſeparatam; & nihilominus eſſe terminatam per ſubſiſtentiam, & Perſonalitatem, quod dicis repugnare naturæ materiali. Ex quo colligis, rationem D. Thomæ non probare, eſſe impoſſibile, formam abſtractam aſſumi in Perſona, ſed ſolùm non eſſe conueniens. Etſi ſtatim contrarium docère videatur; nam conſtituit differentiam inter naturam humanam abſtractam, & naturam Angelicam, quòd in Angelis licèt natura ſit abſtracta, in eis tamen non ſolùm eſt natura, ſed etiam habens naturam. Si vèrò humanitas eſſet abſtracta, tantùm eſſet natura, & humanitas, & reſpectu illius non poſſet eſſe aliquod habens naturam, & ideò eſſet impoſſibile aſſumi. Sed hæc ſolutio Caietani videtur ſine fundamento dicta: nam ſi daretur ſpecies humana abſtracta ab indiuiduis, non

tantum

tantùm humanitas existeret, sed etiam homo abstractè.

4 Ad intelligentiam igitur D. Thomæ affirmandum est, id tantùm voluisse probare, esse impossibilem assumptionem talis naturæ abstractæ, non solùm, quia est impossibile, illam naturam sic existere, verùmetiam, quia haberet specialem repugnantiam cum assumptione, quia natura in communi, etiam si fingatur existens, tantùm posset esse subsistens subsistentia in communi, & non aliqua certa, & determinata Personalitate: nam in Persona indiuidua nequit esse nisi natura indiuidua, assumptio verò terminata est ad certam, & determinatam Personam.

5 Neque contra hunc sensum procedit Caietani Dubium, quia in eo casu talis natura esset vniuersalis in causando, & in essendo, & prædicando, & ex consequenti, quamuis sequatur fore indiuiduam, quia existentem; sequitur etiam non fore indiuiduam, quia esset abstracta, & vniuersalis: ex illa enim hypothesi sequitur hæc implicatio. Et ex posteriori membro sequitur, illam naturam vt sic non esse assumptibilem, neque Personabilem, neque principium operationum particularium.

6 Neque ratio dubitandi aliquid concludit in natura Angelica, quæ licèt sit abstractior, & immaterialior, quàm humanitas, potuit nihilominùs assumi natura Angelica singularis, eòquòd determinabilis est per subsistentiam, non autem humanitas abstracta à conditionibus singularibus. Atque adeò falsò supponit Caietanus naturam Angelicam existere separatam, non enim existit à singularibus abstracta, sed est quædam indiuidua, & singularis natura, non minùs quàm hæc humanitas, & quantùm ad hoc nullum est discrimen inter naturam spiritualem, & materialem.

7 Circa secundam rationem dubitat Caietanus, quia vel est sermo de operatione communi, communitate tenente se ex parte subiecti, ita vt vniuersalis operatio à tali natura debuerit promanare, & hoc non, quia illa natura vniuersalis per se deberet existere, atque adeò esset singularis in essendo, & consequenter eius operatio esset etiam singularis, ex parte subiecti. Vel sumitur vniuersale quoad effectus, & tunc decebat maximè, vt sicut effectus operationis fuit vniuersalis, siquidem Christus meruit nobis, vt causa vniuersalis, sic etiam in eodem

8 genere assumpsisset naturam vniuersalem. Respondet Caietanus, vniuersale non sumi ex parte effectus, sed ex parte subiecti, non ita quòd operatio deberet esse abstracta in communi, sed vniuersalis, quæ sequeretur naturam secundùm se, non prout in hoc, aut in illo, vt V. G. comedere, ridere &c. Natura autem secundùm se dicitur communis, & vniuersalis: & natura congrua assumptioni sic se debet habere, vt operationes Personales, & non solùm naturales congruè sibi attribuantur.

9 Sed obijcitur. Si istæ operationes appellantur communes, falsò illis denegatur meritum, quia sunt liberæ, & in Deum possunt referri, iuxta illud Pauli. *Omnia, quæcumque facitis, in gloriam Dei facite.* Respondet Caietanus, huiusmodi operationes ex obiecto non habere, quòd possint esse meritoriæ, siquidem ex obiecto sunt naturales, & communes cum brutis, sed dumtaxat ex parte operantis. Opera verò moralia ex obiecto habens, vt ex vi talis obiecti possint ad meritum eleuari. Cætera, quæ docet Caietanus, sunt perspicua, & vera, legite illa.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm Filius Dei naturam humanam assumere debuerit in omnibus indiuiduis.

CONCLVSIO *Est negans.* Non fuit cōueniens, vt natura humana in omnibus Suppositis, siue indiuiduis assumeretur. *Probatur primò in sed contra ex Damasceno. Deinde in corpore, quia tolleretur multitudo Suppositorum in humana natura, quæ est illi connaturalis, nam in natura assumpta non consideratur aliud Suppositum præter Personam assumentem, & ita esset vnicum Suppositum naturæ humanæ: scilicet, Personæ assumentis. Secundò, quia derogaret dignitati Christi: tunc enim non esset primogenitus in multis fratribus, cùm omnes homines essent eiusdem dignitatis, vt potè in Verbo Diuino Suppositati. Tertiò, quia conueniens est, quòd sicut vnum Suppositum Diuinum est incarnatum, ita vna natura assumeretur.*

Est primum argumentum D. Thomæ. Natura humana est id, quod primò & per se est assumptum: sed quod alicui naturæ per se cōuenit, omnibus etiā in eadem natura existentibus conuenit: ergo conueniens fuit, vt natura humana assumeretur à verbo in omnibus suis Suppositis. Respondet D. Thomas ad maiorem, quòd naturæ humanæ conuenit secundùm se assumi, quia non conuenit ei ratione Personæ, sicut naturæ Diuinæ conuenit assumere ratione Personæ: at cùm hoc non competat illi per se, hoc est, ex principijs essentialibus, non conuenit omnibus indiuiduis.

Secundum est. Incarnatio processit ex Diuina charitate; sed Deus magis ostenderet suam charitatem, & dilectionem, si plures naturas, imò si omnes assumeret: ergo debuit assumere naturā humanam in omnibus indiuiduis. Respondet D. Thomas, dilectionem Dei non solùm ostendi in ipsa assumptione naturæ, sed præcipuè in his, quæ in ea pro singulis passus est, iuxta illud ad Roman. 5. Commendat autem Deus charitatem suam &c.

Tertium. Sapiens operator perficit suum opus breuiori via, qua potest: sed breuior via fuisset, si omnes homines fuissent assumpti ad naturalem filiationem,

limionem, quàm quòd per vnum filium naturalem multi in adoptionem filiorum adducantur, vt dicitur ad Galat. 4. Ergo humana natura debuit à Filio Dei assumi in omnibus Suppositis. Respondet: ad breuitatem viæ, quam sapiens intendit, pertinere, vt sapiens per multa non faciat, quod potest per vnum. Et ita conueniens fuit, vt per vnum hominem omnes saluarentur.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm fuerit conueniens, quòd Filius Dei humanam naturam assumeret ex stirpe Adæ.

CONCLVSIO *Est affirmatiua, quam probat D. Thomas in argumento sed contra ex Lucæ, 3. vbi Christi Genealogia reducitur vsque ad Adam. Deinde in corpore. Primò, quia fuit conueniens hoc, vt vinceret inimicum, qui ex genere esset victi, vt ait Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 18. Quod quidem pertinet ad hominis dignitatem. Secundò propter iustitiam, vt is satisfaceret, qui peccauit. Et ideò de natura per peccatum corrupta debuit assumi id, per quod satisfactio erat implenda pro tota natura. Tertiò: vt ostenderetur Dei potentia, dum de natura corrupta, & infirma assumpsit id, quod in tantam virtutem, & dignitatem est promotum.*

Primum argumentum D. Thomæ desumitur ex Paulo ad Heb. 7. vbi ait. Talis decebat, vt esset nobis Pontifex, segregatus à peccatoribus: sed magis esset à peccatoribus segregatus, si naturam humanam ex stirpe Adæ non assumpsisset: ergo non debuit illam de stirpe Adæ assumere. Respondet D. Thomas, debuisse Christum esse à peccatoribus segregatum, quantùm ad culpam, quam debuit delere, non verò quantùm ad naturam, quam debuit saluare, vt esset suis fratribus similis.

Secundũ argumẽtũ probat, debuisse Christũ assumere naturã in Adã, quia in quolibet genere principiũ est nobilius eo, quod est à principio. Resp. Nõ debuisse assumere naturam in ipso Adam, quia eius culpam tollere venerat, & ideò emundatione egere non debuit; quia primum mouens in quocumq; genere motus debet esse immotum secundùm illum motum, sicut primum alterans est inalterabile.

Tertium est: Gentiles fuerunt magis peccatores, quàm Iudæi; ergo ex illis magis quàm ex stirpe Abrahæ, qui fuit iustus, debuit naturam assumere. Negatur consequentia, quia licèt Gentiles fuerint magis peccatores, quàm Hebræi, non tamen debuit ex illis nasci, à quibus erat segregatus quoad culpam. Vt autem indicium Sanctitatis daretur natus est ex quibusdam iustis. Et ideò instituit etiã quædam Sanctitatis signa, quæ cœperunt in Abraham, cui primùm facta fuit Incarnationis promissio. Conclusio huius articuli est de fide tenenda, vt constat ex loco citato Lucæ. 3. de qua copiosiùs disputabitur infra q. 31.

QVÆSTIO. V.

De modo vnionis ex parte partium humanæ naturæ.

PROSEQVITVR D. Thomas tractatum causæ materialis huius Diuinæ assumptionis, diuidens humanam naturam, quæ est materia in suas partes Physicas, & essentiales. Et in primo articulo quærit.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm Filius Dei debuerit assumere verum corpus.

CONCLVSIO *Est affirmatiua, et probatur primo in argumento sed cõtra ex August. lib. 83. q. q. 14.* Si phantasma fuit corpus Christi, fefellit, si fefellit, veritas non est. *Deinde in corpore. Primò: quia verum corpus pertinet ad veram naturam humanam: ergo Supposito ex supradictis, quòd debuerit naturam humanam assumere, debuit assumere verum corpus. Secundò: quia si non habuisset verum corpus, nihil verè egisset, nec verè mortuus esset, & proinde non esset vera salus hominis. Tertiò, quia Persona Verbi assumentis naturam, est ipsa veritas; ac proindè indecens erat, vt in ea esset aliquid fictitium.*

Primum argumentum D. Thomæ desumitur ex testimonio Pauli dicentis ad Philip. 2. Filium Dei in similitudinem hominum factum esse: sed quod verè est, non dicitur esse secundùm similitudinem: ergo Filius Dei non aßumpsit verum corpus. Respondet D. Thomas, cùm dicitur, in similitudinem hominum factus, sensum esse, in vera natura humana, in qua omnes sunt similes: sed non intelligi similitudinem phantasticam. Et ideò subditur à Paulo: factus est obediens vsq; ad mortem &c. Quod fieri non potuißet, si esset sola similitudo phantastica.

Secundum est. Assumptio corporis in nullo derogauit dignitati Diuinitatis, iuxta illud Leonis Papæ in serm. 1. de Natiuit. Nec inferiorem naturam consumpsit glorificatio, neq; superiorem minuit assumptio: sed ad dignitatem Dei pertinet, esse omninò à corpore separatum: ergo Deus per assumptionem non fuit corpori vnitus. Respondet, per hoc quòd assumpsit corpus, nõ esse diminutam eius dignitatẽ, quia nõ est factus corpus, quod Diuinæ simplicitati repugnat: hoc enim esset assumere corpus in vnitatẽ naturæ, quod est impossibile: sed salua distinctione naturæ assũpsit corp⁹ in vnitatẽ Personæ.

Tertium. Signa debent respondere signatis; sed apparitiones veteris Testamenti, quæ fuerunt signa apparitionis Christi, non fuerunt secundùm corporis veritatem, sed secundùm imaginariam visionem, vt constat ex illo Isaiæ. 6. Vidi Dominum sedentem &c. Ergo etiam apparitio Filij Dei debuit esse secũdùm imaginationẽ, & nõ secũdùm verum corpus. Respondet: quòd figura debet respondere rei quòad similitudinẽ, nõ quòad veritatem; aliàs esset ipsa res, vt inquit Damascenus lib. 3. Fidei cap. 26. Vnde apparitiones veteris Testamenti fuerunt secundùm apparentiam, quasi figuræ: at apparitio Filij Dei fuit secundũ veritatem, quasi res figurata per illas figuras: iuxta illud Pauli. 2. ad Colos. 2. Quæ sunt vmbra futurorum, corpus autem Christi.

Commentarius.

1 CONCLVSIO Huius articuli est de fide tenẽda cõtra quosdã hæreticos, asserentes Christũ verũ corpus nõ assumpsisse, sed Phãtasticũ & apparẽs. Sic Martiõ cõtra quẽ scripsit Tertullian. libris cõtra illũ, & lib. de Carne Christi. Eũdem errorẽ tribuũt Martioni Iustinus Martyr Apologia secunda pro Christianis, Epiphan. hæres. 42. August. hæresi. 22. Irenæus lib. 1. cap. 29. tribuitur etiã idem error cuidã Lucano, & Cerdoni, vt constat ex Tertul. lib. de Præscript. Hæreticor. Et Epiphan. hæresi. 41. & August. in 21. Item Manichæis, vt referũt Epiphan. hæresi. 66. & August. in 46. & Procliamitis, apud Augustinum hæresi. 60. seu Prodianitis, vt est apud Phylastrium libro de Hæresibus, & eãdẽ Priscillianistis, vt refert Leo Papa Epist. 93.
2 cap. 4. & 17. Sed nostrã cõclusio cõstat ex Sancta Scriptura; nã Genes. 22. dictũ est ad Abrahã, *In semine tuo benedicentur omnes Gentes.* Quæ verba explicãtur à D. Paulo ad Galat. 3. de Christo. Et Ioan. 1. *Verbũ caro factũ est. Et Matth. 14. cùm discipuli viderẽt Christũ supra mare ambulãtẽ, & arbitrarentur phãtasma, ait illis Christus, *Nolite timere, ego sum.* Et Lucæ vltimo, cùm existimarent discipuli se spiritum videre, Christum videntes, ait illis Christus, *Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Hoc denique clamat tota historia Euangelica, & Epistola ad Roman. cap. 1. *Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem.* Est etiam definita hæc conclusio in Concilijs, Niceno, Ephesino, Chalcedonensi, in. 5. & 6. Synodo Generali, & in Lateranensi sub Innocentio. III. Et refertur in cap. Firmiter de Summa Trinitate, & de Fide Catholica, & in Toletano. 1. & asseritur etiam hæc veritas à Sanctis Patribus. Et rationes D. Thomæ efficaciter probant hanc veritatem.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm Filius Dei debuerit assumere corpus terrenum, scilicet carnem, & sanguinem.

CONCLVSIO *Est affirmans.* Corpus Christi non debuit esse cæleste, sed carneum. *Probatur in argumento sed cõtra ex illo Lucæ vltimo, spiritus carnem, & ossa nõ habet &c. Deinde in corpore. Primò, quia si sumpsisset corpus cæleste, vt voluit Valentinus, non saluaretur veritas naturæ humanæ, quæ carnem, & ossa requirit. Secundò; quia derogaret veritati eorum, quæ Christus gessit; & tertiò derogaret veritati Diuinæ, nam fuisset falsa demonstratio, cùm se hominem hominibus demonstraret.*

Primum argumentum sumitur ex testimonio Pauli. 1. ad Corint. 15. vbi ait. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis: sed primus homo nempe, Adam fuit de terra, quantùm ad corpus, vt patet Genes. 1. Ergo etiam secundus homo, scilicet Christus fuit de cælo, quantùm ad corpus. Respondet D. Thomas, Christum dici de cælo descendisse ratione naturæ Diuinæ, non quòd natura Diuina desierit esse in cælo; sed quia hîc nouo modo apparuit iuxta illud Ioan. 3. Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo. Vel ratione corporis, non quia ipsum corpus Christi secundùm suam substantiam de cælo descenderit: sed quia virtute cælesti, hoc est, Spiritu Sancto corpus eius est formatum.

Secundum argumentum desumitur ex alio Pauli loco. 1. Corint. 15. Caro, & sanguis Regnum Dei non possidebunt: sed Regnũ Dei principaliter est in Christo: ergo in ipso nõ est caro, & sanguis, sed magis corpus cæleste. Respondet, carnẽ & sanguinẽ eo loco nõ accipi pro substãtia carnis, & sanguinis, sed pro corruptione carnis, & sanguinis quòad culpam: quæ nõ fuit in Christo, tametsi quoad ad pœnã fuerit in eo ad tempus, vt redemptionis opus expleret.

Tertium argumentum est. Deo est tribuendum, quicquid est optimũ: sed inter omnia corpora cæleste est optimũ: ergo tale corpus debuit Christus assumere. Respondet, ad gloriam Christi pertinere, quòd corpus tam vile ad tantam gloriam euexerit, vt si artifex

artifex ex luto infimo aliquid præclarum formaret, vt dicitur in Synodo Ephesina ex verbis sancti Theophili.

Commentarius.

1 CONCLVSIO Est dogma fidei definitum in eisdem Concilijs, quibus præcedentis Articuli Conclusio est definita, contra Valentinum hæreticum discipulum Manichæi, qui asserebat Christum assumpsisse corpus cæleste, vt author est Augustinus hæresi. 11. Et Tertullianus lib. de Præscript. hæretico. Est similiter definita contra Apolinarium, qui affirmanit habuisse corpus Diuinum, consubstantiale Diuinitati, vel ex ipsa formatum, vt refert Iustinus Martyr Apologia secunda ad fideles. Constat autem hæc conclusio ex illis principijs generalibus, quòd Christus est verus homo, cóceptus ex muliere. Et patet ex illo Ioan. 1. *Verbum caro factum est.* Et ad Hebræ. 1. *Semen Abrahæ apprehendit.* Et cap. 2. *Quia pueri communicauerunt carni, & sanguini, & Filius Dei participauit eisdem.* Et ad Rom. 1. *Qui factus est ei ex semine

2 Dauid secundùm carnem.* Et 1. Petri. 4. *Christo igitur passo in carne, & vos eâdem cogitatione armamini.* Est etiam definita in Concilio Hispalensi. 2. cap. 13. Et in Bracharensi. 1. cap. 4. Et in Decretis Eutychiani, Liberij, & Damasi Pontificum, & à Leone Papa Epistol. 93. cap. 4. & 57. Et à Tertulliano lib. de Carne Christi. Ambrosio lib. de Incarnationis Dominicæ Sacramento cap. 7. Et Augustino Epistol. 46. Et rationes D. Thomæ apertè conuincunt corpus Christi non fuisse confectum ex materia, seu substantia cælesti, sed ex illa materia, qua cætera corpora humana constare solent. Consequenter verò conuincunt, corpus Christi mistũ fuisse, & ex quatuor elemẽtis coagmentatũ, habuisseq; quatuor humores, vt latius constabit Disputationibus sequentibus.

PRIMA DISPVTATIO.

1 AN Sanguis fuerit vnitus hypostaticè Verbo Diuino, & idem dubitatur de alijs tribus humoribus. Negatio autem ita probatur. Primò. Verbum tantùm assumpsit ad vnionem hypostaticam ea, quæ pertinent ad integritatem, & veritatem naturæ humanæ, tanquàm illius partes: at sanguis, & reliqui humores non sunt partes humanæ naturæ; ergo non sunt assumpti à Verbo ad vnionem hypostaticam. Minor asseritur à grauibus Philosophis, & Theologis; vt videre est in M. Bañes lib. 1. de Generatione quæst. 8. artic. 5.

2 Confirmatur. Si Verbum hypostaticè assumpsisset hos humores, sequeretur, quòd Christus esset sanguis, flegma atra bilis, & flaua; sed consequens est absurdum; ergo. Probatur sequela; quia sicut Christus dicitur, & est homo, quia assumpsit naturam humanam, ita similiter esset, & diceretur sanguis, &c. Quia assumpsit naturam sanguinis, quæ omninò distincta est à natura humana.

3 Secundò. Quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit, vt est axioma Theologorum receptissimum ex Damasceno desumptum: sed Verbum dimisit sanguinem, vt patet in circuncisione & passione: ergo nunquam illum assumpsit.

Confirmatur, quia aliàs diceretur Christus in Passione effusus, quod est absurdum. Probatur: quia sicut Christus dicitur sepultus, quia corpus eius fuit sepultum, diciturque etiam ad inferos descendisse, quia anima eius Deo hypostaticè vnita, ad inferos descendit; ita similiter diceretur effusus, si sanguis vnitus hypostaticè fuit effusus. Neque hoc argumentum sufficienter dissoluitur per hoc, quòd licèt sanguis fuerit hypostaticè vnitus Filio Dei, non tamen dicitur sanguis. Etenim quamuis Christus non esset corpus, neque anima, dicebatur sepultus, & ad inferos descendisse, ratione harum partium; ergo similiter Christus dicetur effusus ratione sanguinis effusi. 4

Confirmatur secundò: quia aliàs sanguis esset Deus, quia habet existentiam Diuinam, sicut humanitas. Item sanguis esset homo, quia rectè valet, hic Deus est sanguis, & hic Deus est homo; ergo homo est sanguis. Rursus sequeretur, quòd sanguis separatus, & effusus mansisset vnitus Verbo, sicut corpus & anima in triduo fuerunt vnita Verbo. 5

Tertiò: quia hæc consequentia est inualida, Sanguis est assumptus, ergo fuit vnitus Verbo hypostaticè. Non enim quidquid Verbum assumpsit, voluit sibi hypostaticè: nam capillos, & vngues assumpsit, quibus Diuinitas non est hypostaticè coniuncta. 6

Circa hanc difficultatem sunt variæ Theologorum sententiæ. Quidam negant, sanguinem, & reliquos humores fuisse immediatè vnitos hypostaticè Verbo. Sic Durandus in 4. dist. 10. quæst. 1. numer. 19. Maironis dist. 43. Gabriel in Canonem lectio. 53. & Supplem. Gabriel. in 4. dist. 44. q. 1. Et Richardus in 3. dist. 2. artic. 2. quæst. 5. Fauet huic sententiæ, negans sanguinem Christi in triduo fuisse adorandum latria, quia non est, inquit, essentialis pars corporis. Et Abulensis Paradoxa 2. cap. 140. & sequentibus dicit, in triduo non fuisse sanguinem vnitum Verbo. De sanguine verò existente in corpore viuo, non expressè id negat, sed potiùs dicit fuisse consequenter assumptum. 7

Alij Theologi distinguunt duplicem sanguinem, vnum, qui est in venis, & dicitur venalis, siue nutrimentalis, qui non informatur anima, neque est plenè decoctus, aut dispositus, & solum deseruit ad alendum corpus: alterum verò, qui est in arterijs, & dicitur arterialis, & est sanguis perfectus & decoctus, ex quo generantur spiritus vitales, cum quibus per arterias diffunditur ad omnia membra, vt apta sint ad exercendas vitales operationes, & hic sanguis pertinet ad integritatem humani corporis, & dicitur informari anima. Hac ergo distinctione præmissa, aiunt isti Doctores, priorem sanguinem, scilicet, nutrimentalem, non fuisse Verbo hypostaticè vnitum, bene tamen posteriorem. Sic docet Dominus Caietanus hic, & infra quæst. 54. artic. 2. Et Siluester in Rosa Aurea quæst. 31. Et est communis sententia recentiorum. 8

Pro decisione veritatis sit Prima Conclusio. Siue sanguis sit pars actualis informata anima rationali, siue non, necessariò dicendum est, aliquem sanguinem proximè, & immediatè fuisse Dei Verbo hypostaticè 9

vnitum. Hæc conclusio est adeò certa, vt contraria sine errore, & nota hæresis affirmari non possit. Eam tenet D. Thomas hic in corpore, & ad secundum, vbi eodem modo loquitur de assumptione carnis, & sanguinis. Et quodlibet. 5. q. 3. art. 5. Caietanus hic, Siluester in Rosa Aurea tract. 3. q. 50. Capreolus in 4. d. 11. q. 1. art. 3. ad 5. contra. 1. conclus. Soto in 4. d. 10. q. 1. art. 2. & omnes recentiores, Medina hic, & Suarez Disput. 15. sectio. 6. &

10 probatur primò ex Sacris literis. Sanguis Christi fuit infinitum pretium nostræ redemptionis condignum, ad Ephes. 1. ad Colos. 1. ad Rom. 3. *Per fidem in sanguine ipsius.* Et ad Heb. 9. *Quantò magis sanguis Christi &c.* Et 1. Petri. 1. *Non corruptibilibus auro, & argento redempti estis &c. Sed pretioso sanguine quasi agni immaculati.* Et. 1. Ioan. 1. *Sanguis Iesu Christi Filij eius emundat nos ab omni peccato.* Et Apocal. 1. *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Et cap. 7. dicuntur Sancti dealbasse stollas suas in sanguine agni. Et Lucæ. 22. ait Christus. *Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effundetur.* Et Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Ex quibus locis colligitur, Scripturam tribuere sanguini Christi redemptionem à peccatis: sed nō posset esse pre-

11 tium redemptionis, nisi esset hypostaticè vnitus: ergo. Si autem pro Durando dicatur, omnem sanguinem Christi fuisse salubriter effusum, quia à Diuina Persona effundebatur per modū meriti ad hominū salutem, atque ita ex parte Personæ effundentis sanguinem operatū fuisse redemptionem, & ex consequenti quoticūque sanguini tribuitur redemptio, esse intelligendū ratione Personæ effundentis, nō quia hypostaticè sit vnitus. Hæc solutio nullius momēti est, quia Scriptura aliquid peculiare tribuit sanguini, quod nō lachrymis, & tamen ex parte effundentis est par de vtrisque ratio. Vult igitur insinuare, sanguinem fuisse vnitū hypostaticè, & nō lachrymas, ac proinde ipsum sanguinem propter hypostasim illi immediatè vnitā fuisse infiniti valoris, & nō tātùm prop-

12 ter dignitatem effundentis. Et colligitur apertè ex illo ad Heb. 2. *Quia ergo pueri cōmunicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem.* Loquitur autem Paulus de Filio Dei, & de carne, & sanguine, vt significēt substātiā humanitatis, & inquit; sumpsisse carnem, & sanguinē, idest, naturā humanā, & participasse, seu cōmunicasse carni, & sanguini, per vnionem, videlicet, hypostaticā, quia Verbum Dei nullo alio modo cōmunicauit nostræ naturæ, & hac ratione æquè dicit, carni, & sanguini participasse. Quare sicut carnē proximè sibi vniuit, sic etiā & sanguinē. Sic intelligit hūc locū Cyril. Epist. 2. ad Nestoriū, vbi illud Ioan. 1. *Verbū caro factū est.* Ita exponit. Nihil aliud est, quàm quod in carne, & sangui e nobiscum communicauerit.

13 Secundò probatur conclusio ex definitionibus Conciliorū, quia in Ephesino cano. 5. dicitur, Verbū æquè, ac nos, cōmunicasse carni, & sanguini. Et in Epistola Cyrilli cū Cōcilio Alexandrino, quæ habetur, & probatur in Ephesino tom. 1. cap. 14 definitur, verum, naturalemq; Deum carnem, & sanguinem assumpsisse. Quæ omnia referuntur, & confirmātur in. 5. Synodo Generali actio. 6. Et in Concilio Chalcedonensi actio. 1. refertur, & approbatur illa expositio Cyrilli, *Verbum caro factum est,* idest, carnem, & sanguinem sumpsit. Et denique Clemens sextus in Extrauaganti Vnigenitus de Pœnitent. & remission. asserit, vnam guttam Sanguinis Christi fuisse sufficiens pretium nostræ redemptionis propter vnionem ad Verbum. Et apertè loquitur de vnione ipsius Sanguinis, non corporis, ita vt pretium fuerit infinitum ex parte rei oblatæ, & non solùm ex dignitate offerentis.

Tertiò hæc conclusio est concors Sanctorū Patrum 14
sententia. Legendus est Nazianzen. orat. 5. vbi, Verbum, inquit, caro factum est, non putatiuè, sed verè, quia assumpsit corpus ex carne, ossibus, & sanguine constans. Item Beda super illud Actor. 20. *Quam acquisiuit sanguine suo,* ait. Non dubitauit Paulus sanguinem Dei dicere propter vnionem ad Personā in duabus naturis. Et Leo Papa Epist. 10. cap. 5. Multa dicit de infinito valore Sanguinis Christi. Quartò probatur ratione. 15
Verbum Diuinum in Eucharistia non minùs est per concomitantiam sub speciebus vini, quàm sub speciebus panis; ergo non minùs est vnitum sanguini, quàm corpori. Consequentia probatur, quia aliàs, cùm ex vi Verborum consecrationis calicis tantùm sit sanguis sub speciebus vini, si ille sanguis non esset immediatè vnitus Verbo, non esset Verbum per concomitantiam sub illis speciebus, saltem immediatè, sed ad summum mediante carne, & anima, ac proinde si in triduo sanguis consecraretur, non esset ibi Verbum per concomitantiam, quod videtur falsum omninò, nam Ioan. 6. ait Christus æque de carne, & sanguine, *Caro mea verè est cibus, & Sāguis meus verè est potus &c.* Ergo quotiescumque ex vi consecrationis est Sanguis sub illis speciebus, ibi est Suppositum Diuinum, ac propterea semper est idem, qui offert, & quod offertur, quod totum est propter immediatam vnionem ad hypostasim Verbi.

Confirmatur. Sanguis verè & propriè pertinet ad veritatem, & integritatem naturæ humanæ; sed Christus 16
hypostaticè assumpsit veram & integram humanam naturam; ergo assumpsit ad vnionem hypostaticam sanguinem. Maior est D. Thomæ infra q. 54. art. 2. ad 3. & in 4. d. 44. quæst. 1. artic. 2. ad 3. Et ideò omnes Theologi docent, in corpore glorificato manere sanguinem, quia sanguis simpliciter est necessarius ad consistentiam corporis humani, & quasi ad fouenda omnia membra, & conseruandum calorem naturalem necessarium ad vitam, & spiritus vitales, & animales, qui ad vitæ conseruationem, & vsum sensuum sunt maximè necessarij. Quæ omnia sunt vera, siue sanguis sit actu pars informata anima rationali, siue non. Minor est certa, quia humanitas Christi est eiusdem speciei cum alijs humanitatibus, & consequenter eiusdem veritatis, integritatis, & perfectionis, & ideò dixit Paulus, Filium Dei, propterea assumpsisse carnem, & sanguinem, quia alij homines carne, & sanguine constant.

Secunda Conclusio. Omnis sanguis, qui erat in 17
Christo, dum in corpore mortali vixit, & qui ab illo pro nobis effusus est, fuit immediatè vnitus Verbo hypostaticè. Intelligitur autem Conclusio tam de sanguine ad integritatem naturæ necessario, qui dicitur arterialis, quàm de nutrimentali, quo alitur, & augetur corpus, & respectu sanguinis absolutè necessarij ad integritatem naturæ, dicitur superfluus: sed verè; sanguis est eiusdem speciei,

&

Digitized by Google

& solum distinguuntur penes magis, & minus, nam arterialis est magis decoctus, & in corde purior redditus: nutrimentalis verò, siue venalis, neque est ita purus, neque ita decoctus. Sic verò intellecta conclusio, tametsi non habeat tantam certitudinem, atque præcedens, est adeò vera, vt contraria nec sit secura, nec pia. Et ita recipitur à Medina, & Suarez, & ab alijs recentioribus, &
18 probatur: quia nõ est maior ratio de vna sanguinis parte, quàm de alia, cùm sint eiusdem speciei, & dixerit Damascenus, Verbum assumpsisse, quidquid in natura plantauerat; ergo si aliquis sanguis plantatus est in humana natura Christi, omnis ille assumptus est. Plantauit autem sanguinem ad integritatem, vt arterialẽ, & similiter nutrimentalem eiusdem speciei cum priori; ergo assumpsit vtrumque. Item, quia Sacra Scriptura, Concilia, & Patres indefinitè loquuntur de Sanguine Christi, & in loquutionibus doctrinalibus indefinita æquiualet vniuersali. Rursus, quia si non totus sanguis, qui fuit in corpore Christi, fuit vnitus, ergo neque totus sanguis effusus fuit vnitus. Sed consequens est falsum, quia totus sanguis effusus à Christo censetur eiusdem valoris à Patribus, vt constat ex Clemente sexto definiente, quamlibet guttam sanguinis effusi fuisse infiniti valoris propter vnionem.

19 Postremò, quia ex vi Verborum consecrationis calicis totus Sanguis Christi ponitur sub speciebus, nam illud Verbum, Sãguis meus, totum includit, sed vbicumque est sanguis Christi, vel aliqua eius pars, ibi est per concomitantiam totum Suppositum Christi: ergo.

20 Tertia Cõclusio. Reliqui tres humores fuerũt hypostaticè vniti immediatè Diuino Verbo. Hãc Cõclusionẽ vt valdè probabilẽ recipiũt recẽtiores Thomistæ, & antiquiores, vt Caietanus, Siluester, Soto, & alij, & colligitur ex Innocentio III. in cap. In quadã, extra de celebratione Missarum, vbi ait, de latere Christi exijsse sanguinem, & aquam, vt esset signum, corpus illud constare ex quatuor elementis, & habere quatuor humores, quod est de ratione, & compositione veri corporis humani, quale Verbum assumpsit. Et Damasc. lib. 2. de Fide cap. 12. asserit, corpora animaliũ ex quatuor humoribus constare, & ita omnes hi humores nomine sanguinis solent cõprehendi, quia in corpore humano ferè semper sunt misti, & se se mutuò iuuant ad conseruationem corporis, & operationes vitæ. Vnde desumitur ratio pro Conclusione. Isti humores sunt de veritate humanæ naturæ, & per se requiruntur ad conuenientem statum corporis humani, & ideò permanebunt in corporibus glo-
21 riosis. Ergo sunt assumpti à Verbo hypostaticè. Quod si interdum ab Aristotele huiusmodi humores vocentur excremẽta, vt de pituita dicit lib. 1. de Generatione Animaliũ cap. 18. & de bile lib. 4. de Partibus Animal. cap. 2. Non ideò est, quia corpori humano non sint per se necessarij, sed quia nõ per se ordinãtur ad nutritionem, sicut sanguis. Vel quia solent magna ex parte esse superflui, & tanquam excrementa, licèt per se sint necessarij ad debitum temperamentum ipsius corporis, & vt ipse sanguis sit liquidus, fluens, & humidus, & debitè tempe-
22 ratus. An vero spiritus vitales, & animales fuerint hypostaticè assumpti, cùm spectent ad veritatem naturæ humanæ, & sint necessarij ad operationes vitæ, & ad naturalem statum, & conseruationem corporis humani, ac proinde futuri sint in corporibus gloriosis, negant aliqui. Sed probabilius est, quòd fuerint assumpti, & licèt in hac mortali vita varientur per continuam actionem, & reactionem; at in corpore glorioso ijdem perpetuò manebunt incorruptibiles. Denique omnia illa, 23
quæ sunt de humanæ naturæ veritate & integritate, & per se requiruntur ad perfectam eius consistentiam, sunt assumpta, vt dentes, vngues, & capilli. Et de dentibus, & vnguibus constat, quia est valdè probabile, informari anima rationali, & vitaliter augeri, & sunt de integritate corporis humani, & per se necessarij non solùm ad ornamentum, verùmetiam ad nonnullas actiones humanas. Et de capillis probatur; quia pertinent ad quod- 24
dam complementum, & ornamentum corporis humani, & sunt propterea futuri in corporibus resurgentium, vt author est August in. 22. de Ciuit. cap. 19. & in Enchirid. cap. 88. & omnes Theologi in 4. d. 44. vbi D. Thom. q. 1. art. 2. q. 3. ad. 3. dicit, eos informari anima rationali, & idem insinuat. 1. p. q. 27. art. 3. Ergo eâdem ratione dicendum est, fuisse vnitos Verbo Diuino, cùm ex hoc nullum sequatur incommodum, imò verò cedat in maiorem Christi dignitatem, & huius vnionis perfectionem. Nec refert, hæc omnia facilè transmutari, & resolui, & ex consequenti dimitti, quia idem etiam accidit in continua nutritione, & resolutione partium omnium, etiam perfectarum, & maximè ipsius sanguinis. Ea verò, quæ ad integritatem, & consistentiam naturæ non pertinent, non fuerunt hypostaticè assumpta, euiusmodi sunt lachrymæ, saliua, sudor, & alia excrementa, quæ ad integritatem humanæ naturæ nullo modo pertinent.

Ad primum argumentum respondetur concessa ma- 25
iori negando minorem, quia etiam si non informarentur anima rationali, vt volunt aduersarij, Verbum assumpsit non solùm partes humanæ naturæ, quæ informantur anima rationali, verùmetiam id, quod pertinet ad consistentiam eiusdem naturæ humanæ tanquam fomentum, & nutrimentum, & huiusmodi est sanguis, & alij humores.

Ad confirmationem negatur sequella, quia Supposi- 26
tum non denominatur nisi à natura perfecta, humores verò sunt naturæ quædam imperfectæ, destinatæ tanquam via ad naturam perfectam, videlicet, ad naturam humanam, tanquam nutrimentum, & fomentum corporis viui, de cuius necessitate, & integritate sunt.

Ad secundum respondetur, dictum Damasceni esse 27
intelligendũ de corpore, & anima, & de partibus similaribus, aut dissimilaribus, vt sunt caro, ossa, nerui &c. Et de omnibus partibus necessarijs ad integritatem, corpulentiã, & pulchritudinem naturæ, quæ per nutritionẽ reparari possunt. Sed de his partibus intelligẽdũ est, quãtũ ad speciẽ harũ partiũ, nõ de ipsis materialiter sumptis. Quò fit, vt Christus nunquam dimiserit sanguinem, & reliquos humores, dentes, vngues, capillos, quæ sunt partes per nutritionem reparabiles, quia licèt sanguinem effuderit, capillos totonderit, vngues secuerit, quos vngues, & capillos sectos neque informabat anima rationalis, neque Diuinitas post separationem habebat coniunctos, retinuit tamen semper capillorum, vnguium, & sanguinis speciem, quæ quidem partes per continuam nutritionem reparabantur: & ita sanguis in circuncisione effusus, fuit dimissus à Verbo quoad illam partem materialem, quæ pars est per nutritionem reparata.

28 Ad confirmationem respondetur, communicatio-
nem idiomatũ fieri in recto,& in obliquo.Priori modo
fit in his.quæ dicuntur de subsistente , vt esse hominem,
esse æternum &c. Est enim Filius Dei homo , æternus,
mortalis &c. Posteriori modo dicitur in his , quæ con-
ueniunt partibus , quatenùs partes sunt , neque toti tri-
buunt denominationem,in quibus est effusio,quæ con-
uenit sanguini, quatenus est pars. Et ideo Christus non
dicitur effussus, sed habens sanguinem effusum, sicut nõ
dicitur forma humana,sed habens formam humanam.
Ad eundem modum dicitur sanguis inhæsisse cruci, pe-
dibus hominum fuisse conculcatus,sed Christus nõ hæ-
sit cruci, quia Christus significat Suppositum subsistens
in Diuina,& humana natura.Et per hoc soluitur secun-
da confirmatio, quòad duas priores sequellas,& ad vlti-
mam dicetur Disputatione sequenti. Ad tertium patet
ex dictis.

SECVNDA DISPVTATIO.

1 AN Sanguis Christi in passione effusus manserit
post effusionem Diuino Verbo vnitus, & fuerit
posteà in resurrectione totus reassumptus. De
hac re est prima opinio asserens nullum sanguinem ef-
fusum à Christo post effusionem fuisse vnitum Verbo,
sed Verbum duntaxat mansisse vnitum corpori , & ani-
mæ : & de his tantùm loqui Damascenum , cùm dixit,
quod semel assumpsit , nunquã dimisit. Sic docet May-
ronnes in 4.d.43.q.1.& in sermone quodam,qui incipit,
Memoriam fecit mirabilium suorum, & Richard.in.3.
d 1.art.5.q.2. Et Sixtus 4.in quodam libello de sangui-
ne Christi , vbi ait , hanc sententiam fuisse approbatam
2 ab Achademia Parisiensi. Et potest probari,quia si san-
guis effusus maneret Verbo vnitus,sequeretur,hanc pro-
positionem,Verbum est sanguis,esse veram,sicut & hæc
est vera,Verbum est homo. Item sequeretur, Christum
modò manere affixum cruci,quia modò sanguis manet
in cruce:ergo propter communicationem idiomatum
etiam Christus , & Verbum modò manent in cruce.
Præterea eàdem ratione diceretur Christus terræ com-
mistus,& in terram conuersus,& effusus,quia de sangui-
ne omnia hæc verificantur , nempe , quòd fuerit terræ
commistus , & secundùm aliquas particulas in terram
versus,& tandem in terram effusus.
3 Secunda sententia docet, sanguinẽ effusum ante tem-
pus passionis,vt in circuncisione, & in horto, quãdo pro-
fluxit sudor ille sanguineus,non fuisse vnitum post effu-
sionem , neque reunitum in resurrectione : sanguinem
verò,qui effusus est in passione,fuisse vnitum , & reuni-
tum totum in resurrectione. Et probatur. Primò, quia
Christus, cũ pateretur, erat in ætate perfecta, & nullum
habebat morbum,sed erat firmissima valetudine : ergo
tantùm habebat sanguinem pertinentem ad integrita-
tem naturæ : & omnis iste reassumptus est. Ergo om-
nem sanguinem,quem in passione effudit , reassumpsit.
4 Secundò quia sanguis Martyrum reassumetur ab illis in
resurrectione ad decorem : ergo sanguis à Christo effu-
sus multò magis reassumetur. Tertiò, quia quod semel
assumpsit, nunquam dimisit , vt ex Damasceno dictum
est:sed assumpsit omnẽ sanguinem in passione effusum;
ergo nunquã illũ dimisit , atq; adeò fuit reunitus in re-
5 surrectione. Quartò, quia si modò maneret aliquis san-
guis ex illo,qui in passione effusus est,sequeretur, Verbũ
Diuinũ mãsisse vnitũ hypostaticè alicui naturæ existẽti
in terris, essetq; aliqua natura hypostaticè vnita alibi,
quàm in cælo , & Eucharistia , deberetq; talis sanguis
adorari adoratione latriæ ratione vnionis hypostati-
cæ;quæ videtur nullatenùs esse cõcedẽda. Hãc sententiã
docet D.Thom. quodlib.5.q.3.art.5.vbi docet, nullum
sanguinẽ modò esse in terris ex illo, quẽ Christus tẽpore
passionis effudit. Siquis autem sanguis modò videtur,
esse de sanguine cuiusdam percussæ imaginis.
Pro explicatione huius dubij reducẽda est in memo- 6
riam illa diuisio sanguinis supra assignatã,est enim qui-
dam sanguis,sine quo homo viuere non posset, quia est
de integritate naturæ, & necessariò debet esse in corpo-
re humano,etiã si corpus nõ debeat nutriri.Et iste dici-
tur sanguis arterialis. Alter est superfluus, & sine quo
homo posset esse,& tantùm deseruit nutritioni,appella-
turq; sanguis nutrimẽtalis. Et licèt iste sanguis pro hoc
statu corporis corruptibilis sit necessarius, simpliciter
tamẽ nõ est necessarius,neq; erit in corpore glorioso.
Hoc Supposito sit Prima Cõclusio. Sanguis,qui erat 7.
de integritate naturæ, semper mansit vnitus Verbo Di-
uino hypostaticè,& quando erat in corpore , & post ef-
fusionem , & totus fuit reassumptus in resurrectione.
Hæc conclusio est communis Theologorum nostræ
ætatis.Et in Cõpẽdio Inquisitorũ refertur, quosdã præ-
dicasse Barchinonæ , sanguinem Christi in passione ef-
fusum fuisse à Diuinitate separatũ , & coactos fuisse ab
Inquisitoribus publicè sententiã reuocare.Probatur au-
tem hæc pars cõclusionis,quia cùm sanguis Christi fue-
rit assumptus à Verbo , & fuerit etiam in resurrectione
reassumendus frustrà in triduo natura sanguinis habe-
ret proprium Suppositum , quod statim esset corrum-
pendum. Vnde sine nota erroris hæc pars negari non
potest. Secunda pars probatur , quia nostra resurrectio 8
futura est conformis resurrectioni Christi ; sed in nobis
non surget omnis sanguis,sed is tantùm, qui est de inte-
gritate naturæ , vt docens Theologi in. 4. d. 44. Quia
cùm non sit nutritio post resurrectionem , nullus alius
sanguis est necessarius præter illum , qui est de integri-
tate naturæ : ergo in Christo post resurrectionem ille
tantùm sanguis est , sine quo corpus Christi non esset
integrum.
Secunda Conclusio.Sanguis nutrimentalis post effu- 9
sionem non mansit hypostaticè vnitus , sed omninò se-
paratus à Diuinitate , neque in resurrectione fuit reas-
sumptus. Probatur , quia sequeretur , modò Verbum
esse alibi hypostaticè vnitum, quàm humanitati in cæ-
lo existenti , vel eidem in Sacramento altaris, nempe,
sanguini seorsum existenti, quod est cõtra communem
sensum Theologorum. Vnde particulæ sanguinis , quæ
modo in spinis , in sudario , & ferro lanceæ videntur,
pertinent ad sanguinem nutrimentalem. Item præpu-
tium , quod in circuncisione abscissum est , non resur-
rexit cum Christo , sed modò asseruatur Romæ in ca-
pella , quæ dicitur Sancta Sanctorum , vt refert Sixtus
quartus in libro de Sanguine Christi veritate. 7. Ergo
magis credibile est de sanguine , qui in passione effusus
est.Fuit autem ille sanguis à Diuinitate separatus,in in-
stanti post effusionem , quia cùm fuisset effusus non
reuniendus , nulla cogit necessitas ponendi vnio-
nem Verbi cum sanguine seorsum , quæ statim erat
peritura.

Sed

Digitized by Google

10 Sed obijcitur Omnis sanguis est eiusdem speciei, ergo si vnus manet vnitus, & alter debet manere vnitus: ideò enim disputatione præcedente ostensum est, omnem sanguinem Christi in vita mortali fuisse Verbo vnitum, quia non est maior ratio de vno, quàm de altero, cùm vterque sit eiusdem speciei, ergo in reassumptione idem est dicendum. Sed neganda est consequentia: nam est diuersa ratio in vita Christi, & in eius Resurrectione quò ad vnionem sanguinis, nam in vita cū vterque sanguis esset in corpore Christi requisitus, vterque hypostaticè vniebatur, nè esset diuersa ratio vnius,
11 & alterius. In Resurrectione verò, cùm solùm reassumā tur ea, quæ sunt de necessitate naturæ, non erat vterque sanguis reassumendus, sed ille tantùm, qui erat de integritate naturæ, ac propterea ille solus mansit omni tempore hypostaticè vnitus, quia reassumendus erat, ne tot mutationes in eo inuenirentur. Superfluus autem cùm non esset reuniendus, non est mirum, si non manserit Verbo vnitus.

12 Tertia Conclusio. Sanguis, qui mansit in terra ex effusione corporis Christi, & ille, quem dicit D. Thomas fuisse illius imaginis percussæ, est adorandus latria. Probatur, quia adoratio latriæ debetur Deo, vel rei vnitæ hypostaticè Deo, vel ratione contactus eum eo, vel ratione denique imaginis ipsius; quorum singula sufficiunt, vt adoratio latriæ exhibeatur, vt communiter docent Theologi: sed sanguis, qui mansit ex effusione, fuit vnitus hypostaticè, & tetigit ipsum Christum, sicut crux, & corona spinea, lancea &c. Similiter sanguis ex illa imagine effusus repræsentat Christum tanquā imago, sicut crux, quæ conficitur à nobis: ergo prædictus sanguis, qui modò in Ecclesia seruatur, est adorandus latria.

13 Ad primum argumentum respondetur, Verbum non dici sanguinem, etiam si sanguinem assumpserit, nam sanguis non dicit naturam completam, sed incompletam, & ordinatam ex sua natura ad aliam. Vnde eadem ratio haberi debet de denominatione sanguinis, sicut de denominatione naturæ partialis, quales sunt capilli, vngues, manus &c. Et sicut Verbum assumens naturam partialem capitis, vel manus, non dicitur caput, vel manus, ita neque dicitur sanguis. Et sicut in triduo non dicebatur anima, ita neque sanguis. Quò fit, vt etiam si sanguis esset ex natura sua res quædam per se subsistens, & distincta ab alijs partibus: quia tamen incompletè existeret, & in ordine ad aliud tanquam pars, inde est, quòd etiam si assumatur, denominationem nō tribuat, sed potiùs induat conditionem partis. Et ideò Verbum dicetur habens sanguinem, sicut dicitur habens animam, & non anima.

14 Ad alias sequellas respondetur, sanguinem, qui post Resurrectionem remansit extra corpus Christi, nō manere vnitum Verbo hypostaticè, ac proinde non manere idiomatum communicationem. Si tamen sit sermo in triduo de sanguine, qui post fuit reassumptus, qualis erat ille, qui ad integritatem pertinebat, respondetur, denominationem, quæ conuenit parti, vt pars est, vel illi rei, quæ habet rationem partis, & distinguitur à toto, non conuenire composito: sicut animæ, prout distinguitur à toto, conuenit, quòd informet, composito autem illud non conuenit: Sic etiam Verbo, quod animā sibi assumpserat, non conueniebat informare. Ita etiam sanguini, qui habet rationem partis, conueniunt illæ denominationes, prout differt à composito, in quo est, & ideò totum non dicitur effusum, aut sparsum, aut terræ cōmistum, ac proinde Verbum tales denominationes non suscipit.

Sed obijcitur. Verbo conuenit descensus ad inferos 15
ratione animæ, quæ est pars, & similiter iacere in sepulchro ratione corporis; ergo effundi, aut commisceri conueniet illi ratione sanguinis. Negatur consequentia, quia descendere ad inferos, & iacere in sepulchro, sunt denominationes, quæ etiam composito conueniunt, ac effundi solùm conuenit parti. Quare illæ denominationes, quæ indifferentes sunt ad denominandum compositum, & partem, possunt Verbo conuenire.

Sed replicatur. Homini conuenit esse crispum ratione 16
ratione partis, nempe, capillorum, ergo eidem conuenit effundi ratione sanguinis. Respondetur concedendo, aliqua conuenire composito absolutè ratione alicuius, quod inhæreat parti, sicut Petrus dicitur crispus, aut canus ratione capillorum. Nihilominùs alia sunt, quæ ita conueniunt parti, vt non sufficiant simpliciter denominare totum, sed secundùm quid, vt Æthiops non dicitur albus propter dentes, neque homo vocatur niger propter capillos, & huius generis sunt illa prædicata, sparsum, effusum, quæ conueniunt sanguini, & non homini.

Ad secundum conceditur, Christum fuisse passum in
ætate perfecta 33. anno; sed negatur non habuisse san- 17
guinem superfluum, seu nutrimentalem, cùm vsque ad mortem fuerit nutritus. Etenim ex Aristotele lib. 1. de Generatione cap. 5. tandiu nutrimur, quandiu viuimus. Atque adeò cùm nutritio indigeat sanguine superfluo, vt ex eo restauretur deperditum, inde fit, vt in Christo adhùc tempore passionis fuerit sanguis superfluus, ac nutrimentalis.

Sed obijcitur: quia omnis sanguis effluxit in horto 18
cum illo sudore sanguineo; ergo non remansit nisi solus ille, qui erat de integritate naturæ. Respondet Caietanus 3. p. q. 54. art. 2. Alimentum paulò antè in cæna assumptum non fuisse omninò in sanguinem conuersum, quando profluxit ille sudor sanguineus. Quare adhùc in passione existens alimentum in sanguinem conuertebatur, & sic fuit in illo sanguis superfluus: præsertim quod non omnis sanguis superfluus in horto profluxit, etiam si magna illius copia exiuerit. Secunda ratio pro nobis est, quia sicut in alijs Martyribus non omnis sanguis reassumetur, sed ille tantùm, qui pertinet ad integritatem naturæ, sic etiam in Christo ille solus reassumptus est. Tertia ratio iam est soluta disputatio-
ne præcedente. Et quarta probat, sanguinem, qui apud 19
nos est, adorandum esse latria, non quia actu sit Verbo hypostaticè vnitus, sed quia vel fuerit, & habuerit contactum, vel saltem per modum imaginis, quia passionem Christi repræsentauerit, & repræsentat. Quod dicitur propter sanguinem effluxum ab illa imagine percussa à Iudæis, cuius hystoriam refert Athanasius sermone de imagine Christi, & eius magna pars refertur in 6. Synodo generali actione 4. Quod si D. Thomas aliquando oppositum sensit, ideo fuit, quia suo tempore hæc res non erat tam certa, sicut postea, &c.

(*,*)

Digitized by Google

ARTICVLVS. III.

Utrùm Filius Dei aſſumpſerit naturam.

CONCLVSIO. Falſum eſt, quod Filius Dei ſolùm carnem aſſumpſerit abſque anima, & quòd Verbum fuerit loco animæ, vt voluit Apollinaris. *Probatur in argumento ſed contra ex Auguſtino. Deinde in corpore Matth. 26. Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Et Joann. 10. Poteſtatem habeo ponendi animam &c. In quibus locis anima non ſumitur methaphoricè, quia ſicut ea, quæ ibi habentur, demonſtrant verum corpus, ſic demonſtrāt veram animam. Item iſte error derogat vtilitati Incarnationis, quæ eſt liberatio hominis, nam ſi anima non fuiſſet aſſumpta, non fuiſſet ſanata. Rurſus eſt etiam contra veritatem Incarnationis, nam caro, & partes hominis per animam ſortiuntur ſpeciem, ſine qua æquiuocè dicuntur. Et tandem ſequitur ex iſto errore non fuiſſe in Chriſto duas naturas.*

Primum argumentum D. Thomæ eſt. Verbum dicitur caro factum; quia aſſumpſit carnem, & non dicitur anima factum; ergo non aſſumpſit animam. Reſpondet, cùm dicitur, Verbum caro factum eſt, ſumi carnem pro toto homine, ac ſi diceretur, Verbum homo factum eſt. Euangeliſtam autem nominauiſſe carnem, omiſſa anima; quia caro minùs aſſumptibilis videbatur.

Secundum argumentum eſt. Anima eſt neceſſaria ad viuificandum corpus, ſed ad hoc non eſt neceſſaria corpori Chriſti, cùm Verbum, de quo dicitur Pſalmo. 35. Apud te eſt fons vitæ, poſſet illum viuificare: ergo &c. Reſpondet, quòd Verbum eſt fons vitæ, tanquàm prima cauſa, ſed anima eſt principium vitæ tanquam forma: forma autem eſt effectus tanquā agens: ex qua Verbi præſentia magis concluditur, quòd corpus ſit animatum: ſicut ad præſentiam ignis concluditur, corpus, cui adhæret ignis, eſſe calidum.

Tertium. Ex vnione animæ ad corpus conſtituitur natura communis, quæ eſt ſpecies humana; ſed in Chriſto non eſt communem ſpeciem accipere, vt ait Damaſcenus lib. 3. cap. 1. & 11. ergo non aſſumpſit animam. Reſpondet, in Chriſto fuiſſe naturam conſtitutam ex vnione animæ cum corpore: non tamen eſſe communem ſpeciem, quaſi aliquid tertium ex vnione Diuinitatis, & humanitatis reſultans: & hoc voluit Damaſcenus.

Commentarius.

CONCLVSIO huius articuli eſt certa ſecundùm fidem, contra hæreſim exiſtimantium, Verbum Diuinū non aſſumpſiſſe niſi ſolā carnem, quā viuificabat Diuina Natura. Hęc hæreſis tribuitur Arrio tanquā primo inuentori, vt refert Epiphanius hæreſi. 69. & Auguſtinus in 49. Nazianzenus oratio. 51. Cyrillus Alexandrinus Epiſt ola. 9. & 19. Eūdem errorem poſtea ſuſcitauit Apollinaris, quāuis poſteà cōuictus quibuſdā ſcripturæ teſtimonijs aſſeruerit eſſe in Chriſto animā ſenſitiuā, non tamen mentem. Sic refert Epiphanius hæreſi 77. Auguſtinus hæreſi 55. Vincentius Lyrinenſis in ſuo libello contra hæreſes cap. 17. Rufinus lib. 11. hiſtoriæ cap. 20. & Tripartita lib. 5. cap. 44. Sed hæreſis hæc redarguitur teſtimonijs Sanctæ Scripturæ citatis, & damnatur à Damaſo Papa cū Concilio Romano in profeſſione fidei, quæ habetur inter decreta eius, & refert etiam Theodoretus lib. 5. hiſtoriæ cap. 9. 10. & 11. & lib. 9. Tripartitæ cap. 15. & Nicephorus lib. 12. hiſtoriæ cap. 13. Idem etiam habetur in Cōcilio Epheſino in Epiſtola Cyrilli ad Neſtorium, quæ ibidem canō. 3. approbatur. Et in Chalcedonenſi actione 1. & 5. Synodo ſeſſ. 8. cano. 4. & 11. & 6. Synodo actione 11. in Epiſtola Sophronij. Et eſt recepta hæc concluſio omnibus Patribus, Leoni Epiſtola 11. 83. & 95. Auguſtino lib. de Agone Chriſtiano cap. 19. & 21. & lib. contra Felicianum cap. 13. & alijs Patribus. Et ratione etiā conuincitur, quia Deus nequit eſſe forma corporis, vt oſtenſum eſt ſupra q. 2. Et quamuis poſſet aliquo modò informare, natura tamen compoſita ex tali forma non eſſet humanitas, & ita neque Chriſtus eſſet verus homo: quia Deus effectum cauſę formalis ſupplere non poteſt. Tertiò contra Apollinarem, quia in homine anima ſenſitiua non eſt diſtincta à rationali: quare ſi Chriſtus aſſumpſiſſet animam ſenſitiuam ſine rationali, neceſſariò aſſumpſiſſet naturam alicuius bruti, aut embrionis.

An vero anima Chriſti ſit perfectior animabus aliorum hominum, non eſt huius loci diſputare, ſed pertinet ad primam partem q. 85. art. 7. illud autem eſt certum, animam Chriſti eſſe perfectiorem, & quantùm ad eſſe, quod eſt diuinium, & quantum ad habitus naturales concreatos, & inditos à natura, nempe, lumen naturale, ſynderesim, & ſolertiam, & perſpicacitatem ingenij. Præterea iuxtà ſententiam Caietani opinantis, animas eſſe inæqualis perfectionis eſſentialis, non ſpecificè, ſed numericè, aſſerendum eſt animam Chriſti eſſe perfectiorem in ſeipſa reliquis animabus.

ARTICVLVS. IIII.

Utrùm Filius Dei debuerit habere intellectum.

CONCLVSIO. *Filius Dei aſſumpſit intellectum. Probat D. Thomas in argumento ſed contra ex D. Auguſtino lib. de Fide ad Petrum cap. 14. vbi ait. Firmiſsimè tene, & nullatenùs dubites, Chriſtum Filium Dei habere veram*

veram nostri generis carnem, & animam rationalem, qui de carne sua dicit, palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere. Lucæ ultimo. Animam quoq; se habere ostendit dicens. Ego pono animam meam, & iterùm sumo eam. *Ioan. 10. Intellectum quoque animæ ostendit se habere, cùm dicit.* Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. *Matthæi 11. Et de ipso per Prophetã dicit Deus.* Ecce intelliget puer meus. *Isaiæ. 52. Deinde in corpore refutat D. Thomas errorem Apollinaristarum, qui asserebant cum Arianis, Christum carnem solã sine anima suscepisse, & Verbum fuisse loco animæ. Sed is error aduersatur narrationi Euangelicæ, quæ ait, Christum fuisse admiratum, vt patet Matthæi 8. Admiratio autem sine ratione esse non potest, cùm importet collationem effectus ad causam, vt dum quis videns effectum, cuius causam ignorat, quærit. Secundò, quia repugnat vtilitati Incarnationis, quæ est iustificatio animæ à peccato: cuius anima non est capax, sicuti neq; gratiæ, nisi per mẽtem, quam si non assumpsit, non curauit: vt ait Damascenus lib. 3. cap. 9. Tertiò, quia repugnat veritati Incarnationis, cùm nõ sit vera anima sine mẽte, neq; vera caro sine vera anima, aliàs vt inquit Augustinus lib. 83. qq. q. 80. Filius Dei fuisset quædam bellua in forma humana; quod similiter repugnat veritati Diuinæ, quæ nullam patitur fictionis falsitatem.*

Primum argumentum D. Thomæ est. Vbi est præsentia rei, non requiritur eius imago: sed homo secundùm mentem est imago Dei, vt inquit Augustinus lib. 14. de Trinit. cap. 3. & 6. ergo in Christo non debuit esse mens humana, cùm in eo fuerit præsentia Diuini Verbi. Respondet D. Thom. vbi est ipsa res per sui præsentiam, non requiri eius imaginem ad supplendum locum ipsius rei: quemadmodùm milites imaginem Imperatoris non venerantur, cùm ipse est præsens. Nihilominùs tamen cum præsentia rei requiritur imago eius, vt perficiatur ex rei præsentia; sicut imago perficitur in cera per impressionẽ sigilli, & imago hominis per eius præsentiam in speculo resultat. Sic ergo ad perficiẽdam mentem humanam, necessarium fuit, vt Verbum eam sibi vnierit.

Secundum est. Maior lux offuscat minorem; sed Verbum Dei, quod est lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum Ioan. 1. Comparatur ad mentem, sicut lux maior ad minorem: est enim ipsa mens lux quædam, quasi lucerna illuminata à prima luce; iuxtà illud Prouerb. 20. Lucerna Domini spiraculum hominis: ergo in Christo, quia est Verbũ Dei, non fuit necessariũ esse mẽtem humanã. Respondet ad maiorem, quòd lux maior enacuat lucem alterius corporis illuminantis, sed non enacuat, quinpotiùs perficit lumen corporis illuminati: sicuti lux solis perficit aerem, sed obscurat stellarum lucem. Sic etiam præsentia Verbi mẽs humana perficitur.

Tertium. Assumptio naturæ humanæ à Dei Verbo, dicitur Incarnatio; sed intellectus, siue mens humana neque est caro, neque actus carnis, quia nullius corporis est actus, vt probatur in 3. de Anima tex. 6. & 12. ergo Filius Dei non assumpsit humanam mentem. Respondet, licèt intellectus non sit actus corporis, esse tamen assumptum: quia essentia animæ, quæ est forma corporis, requiritur, quòd sit nobilior ad hoc, quòd habeat potentiam intelligendi: & ideò necesse est, vt corpus meliùs dispositum ei respondeat.

Commentarius.

CONCLVSIO huius articuli est de fide tenenda cõtra Apollinarim hæreticum, qui postquàm conuictus concessit, Verbum assumpsisse animam carni vnitam, negauit assumpsisse intellectũ sed ipsum Verbum fuisse animæ loco intellectus. Probatur autem conclusio eisdem testimonijs, quibus cõclusio articuli præcedentis confirmata est. Fuit verò intellectus Christi tantæ perfectionis, vt omnes intellectus humanos, etiam Adami intellectum excesserit: tum ex dignitate Personæ, tum etiã ex altiori fine, ad quem anima Christi creabatur, & assumebatur.

QVÆSTIO. VI.

De modo Assumptionis.

CVM Sacrosancta Diuini Verbi assumptio non solùm ad naturam humanam, verùmetiam ad partes naturæ sit terminata, hinc tota controuersia de ordine assumptionis ortum habuit. Disceptatur enim inter Theologos, An ordine quodam sit effecta assumptio. Et quia natura humana à Filio Dei assumpta suis partibus constat, quæ partes, & inter sese, & in comparatione ad totam naturam, quam componunt, ordinem habent, & perfecti, & imperfecti, actus, & potentiæ, causæ, & effectus: ideò D. Tho. in hac quæstione vtramque habitudinem considerat, & priùs disputat de ordine partium inter sese à primo articulo vsque ad quintum, & à quinto disserit de ordine partium in ordine ad humanam naturam.

(*,*)

Articulus

ARTICVLVS. I.

Vtrum Filius Dei assumpserit carnem mediante anima.

SVPPONIT D. Thomas, *medium dici respectu principij, & finis importare; ordinem, sicut principium, & finis. Supponit insuper, duplicem esse ordinem, vnum temporis, & alterum naturæ, & istum attendi, vel secundùm gradum dignitatis, & sic Angeli dicuntur medij inter Deum, & homines; vel secundùm causalitatem, & sic causa media est inter primam, & vltimum effectum. Hoc supposito constituit D. Thomas triplicem conclusionem.*

Prima est. In assumptione non est mediũ temporis. *Probat: quia Verbum totam naturam simul sibi vniuit. Secunda conclusio.* Ordine naturæ secundùm perfectionem caro est assumpta mediante anima. *Hoc est, nisi caro fuisset animata, non fuisset assumpta. Probat in argumento sed contra ex Augustino Epistola 3. ad Volusianum, vbi ait, corpus fuisse assumptum per animam. Tertia conclusio.* Ordine causalitatis anima aliqualiter est causa carnis vniendæ Filio Dei. *Probatur, quia non esset assumptibilis nisi per ordinem ad animam rationalem, à qua habet, quòd sit caro humana.*

Est primum argumentum. Deus est immediatè in omnibus creaturis, atque adeò in anima, & in carne per essentiam, præsentiam, & potentiam, & non in vna, mediante alia: ergo similiter Verbum immediatè vnitur carni, & non mediante anima. Patet consequentia, quia perfectior est modus, quo Verbum vnitur humanæ naturæ, & partibus eius, quã quo est in omnibus creaturis. Respondet negando consequentiam, quia est duplex ordo inter Deum, & creaturas, alter essendi, & sic omnia immediatè pendent à Deo, & Deus est in omnibus: alter, quo reducuntur in Deum, vt in finem. & sic datur medium inter Deum & creaturas, quia per superiores reducuntur inferiores. & ad hũc ordinem pertinet assumptio, & ob id dicitur Verbum assumpsisse partem inferiorem, media superiori.

Secundum argumentum est. Anima, & caro sunt vnita Verbo Dei in vnitate hypostasis, seu Personæ: sed corpus immediatè, & magis propinquè videtur se habere ad hypostasim, quàm anima, quia est materia, à qua sumitur principium indiuiduationis: ergo caro non est assumpta mediãte anima. Negatur minor: quia si hypostasis Verbi constitueretur per humanam naturam simpliciter, corpus esset illi vicinius, nam est principium indiuiduationis propter materiam. Sed quia hypostasis Verbi est prior, & altior, quàm natura humana: ideò quod in ea est perfectius, est illi propinquius, & vnitur vicinius.

Tertium argumentum. Remoto medio, separãtur ea, quæ per medium coniunguntur, sicut sublata quantitate tollerentur illa accidentia, quæ sunt in corpore media quãtitate: sed separata anima Christi per mortem, adhuc eius corpus mansit vnitum Diuinitati; ergo non vniebatur mediante anima. Negatur consequentia, quia nihil prohibet, aliquid esse causam alicuius quantùm ad aptitudinem, & congruitatem, quo tamen remoto illud non tollitur: quia licèt fieri alicuius dependeat ex aliquo, postquàm tamen est in facto esse, non dependet ab eo. Sicut quamuis aliqua ducatur in matrimonium propter pulchritudinem, cessante tamen pulchritudine, non dissoluitur matrimonium, & similiter separata anima, remanet vnio Dei ad carnem.

Commentarius.

PRIMA conclusio est certa secundùm fidem, & expressè definita in 5. Synodo generali actio. 11. & in Concilio Ephesino cano. 13. & eam ostendit ex professo D. Thomas infra art. 4. Secunda conclusio similiter est certa, & recipitur ab omnibus Theologis. De tertia verò est dissensio, An anima priùs naturâ fuerit assumpta, quàm corpus. Durandus in 3. d. 2. q. 2. Negat omninò esse aliquem ordinem in assumptione inter partes inter sese, vel in ordine ad totum. Et probat, nullum esse ordinem ex parte assumptionis; quia assumptio est vnica tantùm actio; eiusdem autem ad seipsum non potest esse ordo causalitatis, neque aliquis alius respectus realis. Probat etiam non esse ordinem inter partes, quæ assumuntur, quoniam anima, & caro vniuntur Verbo assumenti, nõ prout sunt distinctæ inter sese, sed quatenùs faciunt vnam naturã, & sunt vnũ. Inter illa verò, quę alicui tertiò vniuntur, vt sunt vnum, non potest esse ordo causalitatis, ergo. 1 2

Confirmatur primò. Anima non intelligitur priùs assumpta, quàm actuet, & informet carnem, neque caro priùs intelligitur assumpta, quàm sit animata per animam; ergo nullus est ordo inter carnem, & animã respectu assumptionis. 3

Confirmatur secundò. Verbum immediatè fuit vnitum carni, & sine aliqua dependentia ab vnione inter ipsam carnem, & animam; ergo non assumpsit carnem mediante anima. Consequentia patet, quia aliàs vnio inter carnem, & Verbũ intrinsecè dependeret ab vnione inter carnem, & animã. Sed probatur antecedens. Dissoluta vnione inter carnem, & animam, vt in triduo mortis Christi, Verbum Diuinum erat vnitum carni; ergo immediatè à principio Verbũ sibi vniuit carnem non mediante anima. 4

Nihi-

5 Nihilominùs sententia Durandi est singularis, & contra Sanctos, & Theologos. Vnde conclusio D. Thomæ est certissima, & communis Theologorum, & Patrum: nec secundùm rectam Philosophiam potest negari, esse ordinem, & prioritatem naturæ inter partes, & suum totum, & inter partes ipsas secundùm se, & in ordine ad assumptionem. Ratio primi est, quia inter veram causam, siue principium, & suum principiatũ est ordo realis, ac prioritas naturæ; sed forma est realis causa, & principium compositi, & materia similiter; ergo inter istas partes & compositum est realis ordo, ac proindè potuit Deus ordine naturæ vnum istorum assumere priùs naturâ, quàm aliud.

6 Ratio secundi, quia anima est forma, & finis corporis, corpus verò non est finis animæ, ac proindè potuit Deus assumere corpus per animam. Et ita fecit. Verum est tamẽ, in genere causæ materialis & susceptiuæ prius esse corpus, quàm animam. Ratio tertij, quia anima fuit corpori medium, quo assumeretur.

7 Sed obijcitur. Corpus etiam est causa respectu animæ, si non ipsius esse animæ simpliciter, saltem secundùm informationem: ergo quo pacto dicit D. Thomas, assumpsisse Verbum carnem media anima, potest etiam dici, assumpsisse animam media carne. Respondetur, carnem esse causam animę secundum informationem, sed modò non est sermo nisi de causalitate reali secundùm congruentiam ad assumptionem. At verò anima realiter effecit carnem assumptibilem secundùm congruentiam, non tamen è contra, & ob id dicitur Verbum assumpsisse carnẽ media anima, ita vt fuerit anima priùs naturâ assumpta, quia caro non habet congruentiam, vt sit assumptibilis à Verbo, nisi mediante anima, per quam habet quòd sit caro humana, & pars naturæ, & ita ex ipsamet anima habet congruentiam assumptibilitatis, vt verè dicatur Filius Dei assumpsisse carnem mediante animâ. Et in hoc sensu sententia D. Thomæ est communis Theologorum, & habetur in 6. Synodo generali actio. 11. vbi dicitur. *Confitemur carnem sibi mediente anima rationali compaginasse Verbum Dei.*

8 Si iterum obijciatur, quia etiam anima non habet quòd sit pars naturæ, nisi secundùm quòd recipitur in materia, & vnitur carni, & consequenter etiam non habet congruentiam assumptibilitatis anima per se, sed quatenùs vnitur carni, & ita potest dici Deus assumpsisse animam mediante carne. Respondetur, Verbum secundùm ordinem intentionis nostro modo intelligendi, principaliter assumpsisse naturam, vt infra explicabitur, & partes secundùm eundem ordinem, quem inter se habent in compositione naturæ, in qua compo-
9 sitione digniorem locum obtinet anima, quàm caro, quia est actus formaliter constituens, & specificans ipsam naturam, & in his, quæ spectant ad constitutionem naturæ, semper habet digniorem locum forma, quàm materia. Et ita Verbum in assumptione naturæ, & partium illius principaliter intendit naturam, & secundariò partes, & inter partes, principaliter animam, quæ in genere causandi digniori, & priori pertinet ad naturã. Præterquàm quòd est alia ratio in anima rationali, quia illa est subiectum peccati, & capax redemptionis, etiam secundùm se considerata, non autem corpus.

Ex quibus colligitur explicatio doctrinæ D. Thomæ 10 ad secundum, dum ait, in his, quæ pertinent ad indiuiduationem, & constitutionem hypostasis, & Personæ, principaliùs se habere materiam, quàm formam; quia materia limitat quodammodò formam in ipsa constitutione naturæ, & in his, quæ spectant ad incommunicabilitatem Suppositi, & determinationem illius propinquiùs se habet materia, quàm forma. E contrario autem in his, quæ spectans ad cõstitutionem, & speciem naturæ, immediatiùs se habet forma, quàm materia, & hinc est, quòd ipsamet Personalitas, siue Suppositalitas, si consideretur, prout est terminus naturæ, magis pertinet ad materiam, quàm ad formam, quamuis considerata secundùm quòd dimanat ab ipsa natura, vt effectus formalis eius secundarius, immediatiùs pertinet ad formam, quæ est dignior pars naturæ.

Ad argumentum ergo Durandi respõdetur, esse qui- 11 dem ordinem ex parte eorum, quæ assumũtur, quia licèt anima, & caro componant vnam humanitatem, constituunt tamen illam, vt sunt duæ partes physicæ realiter inter se distinctæ, & ideò quælibet illarum partium secundùm se vnitur Verbo: quamuis anima sit ratio, & medium, quo caro assumatur.

Ad vtramque confirmationem concedendum est 12 Verbum vniri vtrique parti, ita vt caro immediatè assumatur, & independenter in facto esse, & ideò facta separatione animæ à carne, vt in triduo, manet caro vnita Verbo. Cæterùm in fieri, anima est ratio, & medium, 13 quo caro assumitur, quia ipsa anima ex sua creatione habet, quòd sit digna secundùm congruitatem, & apta, vt assumatur. Caro verò non intelligitur habere cõgruitatem, & dignitatem, vt assumatur, nisi intelligatur animata anima rationali. Itaque inter animæ productionem, & eius assumptionem nihil mediat, at inter productionem carnis, & assumptionem illius mediat ipsius carnis animatio. An vero anima sit tantùm medium, Quo, vel etiam, Quod, explicabitur artic. 5.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm Filius Dei assumpserit animam mediante spiritu, seu mente.

CONCLVSIO *est affirmatiua, & probatur primò, quia hoc fuit conueniens propter dignitatem, anima enim non est assumptibilis secundùm congruitatem, nisi quia est capax Dei, vt est eius imago, quod conuenit secundùm mentem, quæ dicitur spiritus. Secundò ratione ordinis, quia intellectus inter alias partes animæ est superior, & dignior, & Deo similior, vt docet Damascenus 3. Fidei cap. 6.*

Primum argumentum D. Thomæ est. Idem nõ potest esse medium inter seipsum, & aliquid aliud: sed spiritus, siue mens non est aliud in essentia, ab ipsa anima, vt constat ex 1. p. q. 77. art. 1. Ergo Filius

Filius Dei non assumpsit animam mediante spiritu, siue mente. Respondet, quòd licèt intellectus non sit aliud ab anima secundùm essentiam: ab alijs tamen partibus distinguitur secundùm rationem potentiæ; & secundùm hoc competit sibi ratio medij.

Secundum argumentum est. Illud est magis assumptibile, quo mediante facta est assumptio; sed spiritus, siue mens nō est magis assumptibilis, quàm anima: ergo non est aßumpta anima mediante spiritu. Minor patet: quia spiritus Angelicus non est assumptibilis, vt supra ostensum est q. 4. art. 1. Respondet ad minorem, Angelico spiritui non deesse congruitatem assumptibilitatis propter defectum dignitatis, sed propter irreparationem: quod de spiritu humano dici non potest, vt constat ex 1. p. q. 64. art. 2.

Tertium. Posterius assumitur mediante priori; sed anima, cùm importet ipsam essentiam, est prior naturâ sua potentia, quæ est mens: ergo non est assumpta mediante spiritu, siue mente. Respondet, animam hoc loco non sumi pro essentia animæ, quæ est omnibus potentijs communis, & est prior: sed pro potentijs inferioribus, quæ sunt omni animæ communes.

Commentarius.

CONCLVSIO huius articuli potest habere duplicem sensum. Alter est, quòd cùm in eâdem anima rationali reperiantur diuersi gradus formæ, vegetatiuæ, sensitiuæ, & intellectualis, nō erat anima assumptibilis secundū duos priores gradus præcisè, sed secundùm vltimū gradum intellectualitatis, ex quo gradu habet congruentiam ipsamet anima secundùm se, vt assumatur etiam secūdùm alios gradus, à quibus non est separabilis. Secundus sensus est, vt fiat comparatio non inter diuersos gradus eiusdem animæ secundùm essentiam, sed inter potentias eiusdem animæ, inter quas dignior, & assumptibilior est intellectus, & mediāte dignitate intellectus secundùm congruentiam sunt aliæ potentiæ inferiores animæ assumptibiles.

M. Medina hîc censet, priorem sensum esse magis intentum à Diuo Thoma, ita vt Filius Dei assumpserit animam, prout dat esse vegetatiuum, & sensitiuum ipsa mediante, quatenùs dat esse intellectiuum, seu rationale. Quare nomine mentis, seu spiritus non intellexit D. Thomas ipsam potentiam intellectiuam, sed essentiam animæ, prout dat gradum intellectualem. Eodem modo explicat M. Suarez hîc. Et certè hic sensus non est alienus à mente D. Thomæ: sed, vt opinor, non est primariò intentus, sed loquitur D. Thomas in sensu posteriori, nempe, de potentijs animæ, ita vt Filius Dei assumpserit potentias animæ inferiores, videlicet, vegetatiuas, & sensitiuas mediante intellectu secundùm ordinem dignitatis, & causalitatis: nā cùm sit realis distinctio inter intellectum, & inferiores potentias, optimè intelligitur in assumptione ordo causalitatis. Itaque intellectus est verè causa constituens inferiores potentias congruas, & aptas assumptioni, non enim haberent cōgruitatem ad assumptionem, nisi coniungerentur cum intellectiua potentia, illique realiter subordinarentur. Hic autem ordo causalitatis non poterit congruè saluari iuxta priorem sensum conclusionis, quia anima, quatenùs confert gradum intellectiuum, non differt realiter à semetipsa, vt confert gradus vegatiuum, & sensitiuum: ordo enim realis causalitatis saluari non potest absque distinctione reali. Quòd autem hic sensus posterior sit intentus à D. Thoma, constat ex responsione ad primum, & tertium, vbi ait, præsertim ad tertium, quòd anima, quæ assumitur mediante intellectu, non denotat essentiam animæ, sed potentias inferiores, quæ sunt cuicumque animanti communes. Ecce D. Thomas expresse dicit, se loqui in præsenti de ordine potentiarum animæ inter se in assumptione. Verum est quòd ex isto ordine, qui inter potentias animæ reperitur, à posteriori colligitur ordo, qui inuenitur in assumptione inter ipsammet animæ substantiam, prout dat gradum intellectiuum, & prout confert gradus vitæ vegetatiuæ, & sensitiuæ.

In responsione ad primum docet D. Thomas, intellectum non esse aliud ab anima secundùm essentiam, distingui tamen ab alijs partibus animæ secundùm rationem potentiæ, & secundùm hoc competere illi rationem medij. Quibus verbis insinuat D. Thomas, intellectum non distingui ab ipsa anima, cuius oppositum docet 1. p. q. 77. art. 1. Sed respondetur, animam respectu suarum potentiarum esse totum potestatiuum, quod secundùm totam suam essentiam adest cuilibet parti, seu potentiæ, & ideò dicitur intellectus non esse aliud essentialiter ab anima, quia tota anima secundùm totam essentiam adest intellectui.

ARTICVLVS III.

Vtrùm anima à Dei Filio prius fuerit assumpta, quam caro.

PRIMA *Conclusio.* Inconueniens est, animam Christi à principio fuisse creatam, & non statim vnitā Verbo. *Probatur, quia habuißet aliquando propriam subsistentiam, & ita cùm fuißet vnita, vel non fuisset facta vnio secundùm subsistentiam, vel subsistentia præexistens fuisset corrupta.*

Secunda Conclusio. Inconueniens est, si dicatur à principio fuisse Verbo vnitam, & posteà in vtero Virginis Incarnatam: *Quia nō videretur esse eiusdem naturæ cum nostris, quæ simul creantur, & corporibus infunduntur: cùm tamen sit eiusdem naturæ, vt ait Leo Papa Epistola 11. ad Iulianum.*

Tertia Conclusio. Anima non est assumpta priusquàm caro. *Probatur in argumento sed*

contra

cōtra ex Damasc. lib 4. Fidei cap. 6. Et quia animæ nō sunt creatæ à principio, vt existimauit Origenes.

Primum argumentum D. Thomæ est. Filius Dei assumpsit carnem mediante anima, vt art. 1. huius quæstionis ostensum est: sed prius peruenitur ad medium, quàm ad extremum; ergo Filius Dei priùs assumpsit animam, quàm corpus. Respondet, quòd anima Christi dicitur esse medium ad vnionē carnis cum Verbo secundū ordinē naturæ, sed nō secūdùm ordinem temporis.

Secundum argumentum est. Anima Christi est dignior Angelis, iuxtâ illud Psalm. 96. Adorate eum omnes Angeli eius. *Sed Angeli creati sunt à principio, vt ostensum est. 1. p. q. 46. art. 3. ergo & anima Christi, quæ non fuit priùs creata, quàm assumpta: vt constat ex Damasceno lib. 3. Fidei cap. 2. dicente, nunquam neq; animam Christi, neque corpus propriam habuisse hypostasim, præter hypostasim Verbi. Ergo anima Christi priùs fuit assumpta, quàm caro, quæ in vtero Virginis est cōcepta. Respondet D. Thomas, animam Christi excellere nostras animas, non diuersitate generis, sed sublimitate virtutis, & gratiæ: est enim eiusdem generis cum animabus nostris: excellere etiam Angelos in plenitudine gratiæ: sed modum creationis respondere animæ secundùm proprietatem sui generis, ex quo habet, cùm sit corporis forma, vt simul creetur, & corpori infundatur: quod quidē non cōuenit Angelis, qui sunt substantiæ corporis expertes.*

Tertiū. De plenitudine Christi nos omnes accepimus, vt dicitur Ioā. 1. Quod, exponēte Chrysostomo, intelligitur de omnibus fidelibus quocūq; tempore: sed hoc verè dici nō posset, nisi anima Christi habuisset plenitudinē gratiæ, & veritatis antè omnes Sāctos, qui ab origine mūdi fuerunt: causa enim non est posterior causato: ergo anima Christi à principio mūdi fuit à Diuino Verbo assumpta. Patet consequētia, quia nō habuit plenitudinē gratiæ, & veritatis nisi ex vnione ad Verbū, iuxta illud Ioan. 1. Vidimus gloriā eius quasi vnigeniti à Patre, plenū gratiæ, & veritatis. Respondet, de plenitudine Christi omnes accipere secundùm fidem, quam habent in Christum: iuxta illud ad Rom. 3. Iustitia Dei est per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in ipsum. *Etenim sicut nos modò credimus in Christū, vt in iā natū; sic antiqui crediderunt in ipsum, vt in nasciturum. Et quia habet vim iustificandi, secundùm propositum gratiæ Dei, quod propositum est æternum: ideò non implicat, aliquos iustificari per fidem Christi, antequàm eius anima esset plena gratiæ, & veritatis.*

Commentarius.

OMNES istæ conclusiones sunt intelligendæ de ordine, & prioritate temporis, & de eâdem etiam intelligitur articulus quartus seqoēs. Sunt autem certæ secundùm fidem contra Origenem, qui in hac re duos introduxit errores. Primus est, omnes animas, & animam etiam Christi fuisse à principio creatas. Quod asserit lib. 1. Periarchon cap. 7. & 8. Secunda est, animam Christi fuisse ab initio creatam, & Verbo Diuino inseparabiliter, atque indissociabiliter coniunctam. Ita lib. 2. Periarchon cap. 6. 1

2 Nihilominùs Fides Catholica docet, animam Christi non priùs tempore fuisse creatam, quàm Verbo Diuino vnitam, atque adeò hunc hominem Christum nūquam fuisse purum hominem, sed à principio suæ conceptionis fuisse hominem Deum. Ita colligitur ex illo ad Hebræ. 1. *Et cùm iterùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli eius.* Et Lucæ. 1. *Quod ex te nascetur sanctū, vocabitur Filius Dei.* Definitur etiam hæc veritas in Concilio Ephesino. 1. Cano. 13. desumpto ex Epistola Cyrilli ad Nestorium, vbi dicitur, ideò Deum natum esse ex Virgine, & conceptum, quia in vtero Virginis, & in ipsa conceptione hominis Deus carni vnitus est. Quæ Epistola est lecta, & approbata in Concilio Chalcedonensi Actio. 1. Idem sumitur ex 5. Synodo Collatio. 5. Cano. 6. & sexta Synodo Actio. 11. & 7. Synodo Actio. 3. in Epistola Synodica Theodori Hierosolymitani, quā omnes Patres receperunt. Et in Cōcilio Frācofordiensi 3 in Epistola ad Episcopos Hispaniæ circa finem referuntur hæc verba ex Gregorio in Epistola ad Quirinum: *Non priùs in vtero Virginis caro concepta est, & postmodùm Diuinitas venit in carnem &c.* Deniq; omnes Patres idem vnanimiter sentiunt. Et ratio suffragatur, quia nisi hæc vnio facta fuisset in eodem instanti, in quo humanitas facta fuit in vtero Virginis, non cōcepisset B. Virgo Deum, sed purum hominem. Et errores Origenis confutantur, primus in 6. Synodo generali Actio. 11. & in Bracharensi Cano. 6. & in Epistola. 11. Leonis Papæ ad Iulianum. Et in eadem confutatur secunda, & à Damasceno lib. 4. Fidei cap. 6.

4 Dom. Caietanus in Cōmentario huius articuli docet aliqua, quæ nō omnibus sunt probata. Asserit enim, animam nunc esse id, quo totus homo subsistit, at in statu resurrectionis mutabitur conditio animæ, & efficietur id, quod subsistit. Sed hoc videtur aduersari toti Philosophiæ, secundùm quam forma constituens formaliter aliquod totum, non est id, Quod, sed id, Quo. Deinde videtur contra fidei veritatem sequi, quòd anima in statu resurrectionis non sit verè, & propriè forma corporis humani: nam forma est id, quo totum subsistit. Item sequitur, quòd Petrus in statu resur- 5 rectionis sit alterius rationis à semetipso, prout fuit in statu mortali, sed consequens non est admittendum; ergo. Probatur sequella: quia anima Petri in in statu resurrectionis erit id, quod subsistit, in statu verò præsenti est id, quo Petrus subsistit, ergo fit variatio in forma substantiali.

6 Nihilominùs pro intelligentia Caietani aduertendum est, non negare Caietanum, animam post

resurrectionem eſſe id, quo totus homo ſubſiſtit, &
exiſtit: fatetur enim, animam eſſe formam totius ho-
minis, & ex conſequenti illam eſſe principium formale,
Quo, ſed ait, animam in illo ſtatu non ſolùm eſſe id,
quo ſubſiſtit, & exiſtit homo, ſed etiam eſſe ſimul id,
quod ſubſiſtit, & exiſtit. In ſtatu autem mortalis vitæ
eſſe tantùm id, quo ſubſiſtit, & exiſtit homo, & non
id, Quod. Cùm verò ſeparatur à corpore, efficitur id,
quod ſubſiſtit, & exiſtit, tanquam quædam ſemiperſo-
na: ſubſiſtit enim per ſe, incompletè tamen, quia non
7 eſt natura completa, ſed tantùm pars naturæ. Et hanc
ſemiperſonalitatem, & ſubſiſtentiam, quam ſemel ac-
quirit anima ſeparata à corpore, etiam retinebit in
reſurrectione, licèt modò non habeat illam. Itaque
ſecundùm Caietanum diuerſo modo ſe habet anima
rationalis, quando primò infunditur corpori, & quan-
dò poſteà in reſurrectione illi reunitur: nam cùm pri-
mò anima infunditur corpori, non ſubſiſtit ipſa ani-
ma per ſe, tanquam, Quod, ſed ſolùm eſt forma, qua to-
8 tus homo ſubſiſtit. In reſurrectione verò anima re-
tinet eandem perſonalitatem, & ſubſiſtentiam incom-
pletam, quam acquiſiuit, cùm primùm fuit à corpore
ſeparata, & ſubſiſtit vt Quod, & eam communicat
toti homini tanquam pars formalis illius, & ita ſimul
eſt Quod, & Quo; quia non tantùm eſt forma, qua to-
tus homo reſurgens ſubſiſtit, verùm etiam ipſamet ani-
ma ſubſiſtit per ſe. Rationem autem huius diuerſita-
tis aſsignat Caietanus, quia in prima infuſione animæ
in corpus, anima indiuiduatur per ordinem ad hoc
determinatum corpus, cui infunditur; & ita non ha-
9 bet eſſe per ſe ſubſiſtens. In reſurrectione verò ani-
ma non indiuiduatur per corpus, ſed potiùs è contra
anima indiuiduat ipſum corpus, vt conſtat in paruu-
lis, qui non reſurgent in eodem corpore paruulo, quod
in hac vita habuerunt, ſed in corpore integro, & perfec-
to. Conſtat etiam in illis, qui per totam vitam carni-
bus humanis nutriti ſunt; nam caro aliorum hominũ,
qua fuerunt nutriti, reſtituetur eis, quorũ erat propria,
& illi, qui eaſdem carnes comederunt, habebunt aliud
corpus, & aliam carnem.
10 In hac doctrina Caietani ſunt duo certa. Alterum eſt,
quòd anima ſeparata à corpore eſt id, quod ſubſiſtit.
Alterum verò, quòd reunita corpori ſimul eſt id,
Quod, & id Quo. Itaque eſt ratio formalis, vt ſubſiſtat
11 homo, & eſt etiam ſubiectum, quod ſubſiſtit. Præte-
reà alia duo ſunt etiam falſa in doctrina Caietani. Pri-
mum eſt, quòd anima in ſtatu vitæ corruptibilis eſt
tantùm id, quo homo ſubſiſtit, & non id, quod ſubſiſ-
tit. Cuius oppoſitum docet idem Caietanus 1. p. q. 76.
art. 1. & colligitur apertè ex D. Thoma ibidem ad quin
tum. Vbi vterque Thomas docet, animam rationa-
lem in hoc differre à formis corruptibilibus, quòd for-
ma quæcumque corruptibilis eſt tantum id, quo to-
tum compoſitum ſubſiſtit: forma verò rationalis non
ſolùm eſt Quo, ſed etiam, Quod, imò immediatiùs
12 anima eſt, quod ſubſiſtit, quàm totus homo. Vnde im-
pugnatur ſententia Caietani. Anima rationalis incipit
eſſe per creationem independenter à toto compoſito:
ergo fit per ſe, & non comproducitur ad productio-
nem totius hominis. Tunc vltra: ergo habet eſſe
per ſe independenter à toto homine. Antecedens negari
non poteſt ſalua Fidei, & Philoſophiæ veritate. Prima
conſequentia patet, nam totus homo non producitur
per creationem, ſed per generationem, anima autem
non per generationem, ſed per creationem fit; ergo
non comproducitur ad productionem totius hominis,
ſed fit per ſe. Secunda conſequentia probatur; nam
fieri eſt acquirere eſſe; ergo ſi anima per ſe fit, & inde-
pendenter à toto, per ſe etiam, & independenter à toto
habet eſſe.
Confirmatur. Anima rationalis fit per creationem 13
priùs naturâ, quàm corpori vniatur; ergo fit ſubſiſ-
tens in eo inſtanti in quo creatur; ergo manet ſubſiſ-
tens, dum eſt in corpore. Antecedens eſt certiſsi-
mum. Prior conſequentia probatur ex D. Thoma 1.
p. quæſt. 45. art. 4. vbi probat, creari eſſe propriè re-
rum ſubſiſtentium; ergo ſi anima hominis creatur in
corpore, in illo etiam ſubſiſtit. Poſterior conſequen-
tia eſt manifeſta; quia anima rationalis in eodem inſ-
tanti temporis, quo creatur, informat corpus; ergo
ſi in illo inſtanti creatur ſubſiſtens, ſimul habet ſub-
ſiſtentiam cum informatione; quia non poteſt in eo-
dem inſtanti temporis priùs naturâ recipere ſubſiſten-
tiam, & illa priuari propter vnionem ad corpus; quia
hoc implicat contradictionem. Quòd ſi in illo primo
inſtanti conuenit animæ & ſubſiſtentia, & informatio,
etiã toto tempore, quo eſt in corpore, habebit vtrãque;
quia non magis repugnat habere illas omni tempore,
quàm in vno inſtanti.
Secundò impugnatur eadem Caietani ſententia; 14
quia ex ea ſequitur, animam rationalem ſecundùm
ſuam naturam eſſe corruptibilem, & ſolùm per mi-
raculum habere immortalitatem; ſed conſequens eſt
contra fidem: ergo. Probatur ſequella. Anima in ſuo
eſſe dependet à toto, iuxta hanc ſententiam, quia
non habet eſſe per ſe, ſed ad eſſe totius; ergo ſecun-
dùm ordinem naturæ destructo eſſe totius, deſtrui-
tur eſſe ipſiuſmet animæ. Confirmatur: nam ideò
cæteræ formæ ſubſtantiales ſunt corruptibiles, quia
non habent eſſe per ſe, ſed dependenter à ſuis totis ſubſ-
tantialibus; ergo.
His argumentis reſpondent aduerſarij, animam ra- 15
tionalem eò differre à cæteris formis ſubſtantialibus,
quòd aliæ formæ neque habent eſſe per ſe, neque poſ-
ſunt habere: & ideò nequeunt eſſe terminus creationis,
nec per naturam exiſtere à corporibus ſeparatæ. Ani-
ma verò rationalis, quamuis dum eſt in corpore cor-
ruptibili, non per ſe exiſtat, eſt tamen talis natu-
ræ, quòd poteſt per ſe exiſtere. Hæc tamen ſolutio 16
eſt inſufficiens; quia ſi anima non exiſtit per ſe, non
poteſt eſſe terminus per ſe creationis, nam ex eo,
quòd per ſe exiſtere poteſt, tantùm colligitur, quòd
poſsit eſſe terminus creationis. At verò vt actu ſit ter-
minus creationis, vt re vera eſt, oportet, vt actu exiſtat
per ſe. Item malè explicatur, qua ratione anima ratio-
nalis poſsit per ſe exiſtere à corpore ſeparata, ſi ex ſua
natura, dum eſt in corpore, ita pendet ab eſſe totius,
ſicut formæ corruptibiles pendent à ſuis totis ſubſtan-
tialibus.
Quare hæc Caietani ſententia non eſt ſatis con- 17
ſentanea ad explicandam animæ immortalitatem, &
ideò eſt omninò reijcienda: & fatendum neceſſariò,
animam, & in corpore corruptibili, & in ſtatu Re-
ſurrectionis ſimul eſſe & id, quod exiſtit, & id quo totus
homo

Digitized by Google

hoṁo existit,& subsistit : & quantum ad hoc nullū esse
discrimen inter vtrumq; statum animæ : separatā verò
à corpore tantùm esse id,quod subsistit, & existit, tan-
quam totale subiectum & subsistentiæ, & existentiæ.
Verum est tamen, quòd sicut anima separata nō est na-
tura integra,& totalis,sed pars naturæ humanæ: sic etiā
subsistentia,qua subsistit,non est integra, & totalis, sed
18 incompleta. Vbi duo sunt aduertenda. Primū est, quòd
sicut in natura totali subsistentia,seu personalitas reali-
ter distinguitur ab existentia ; ita in anima separata se-
mipersonalitas, seu subsistentia incompleta realiter dis-
tinguitur ab existentia, & anima efficitur susceptiuum
proximum existentiæ per hanc semipersonalitatem; si-
cuti natura integra per subsistentiam & personalitatem
completam est subiectum proximum, & totale exis-
tentiæ.
19 2. Secundum est, quòd sicut existentia animæ separatæ
est simpliciter completa in sua ratione, & tantum est
incompleta secundùm quid,nempe,ratione subiecti, in
quo est,scilicet, quia terminat naturam incompletam,
nempe,animam,& ideò, quando posteà in statu Resur-
rectionis illa existentia communicatur toti naturæ,ac-
quirit totale complementum suum, absque intrinseca
aliqua perfectione noua ipsius existentiæ, sed ex eo so-
lùm,quia erit terminus naturæ totalis, & integræ, ipsa
20 autem existentia est prorsus eadem in anima separata,
& coniuncta corpori, nam totus homo existit per ean-
dem omninò existentiam, per quam existit anima: sic
etiam subsistentia animæ separatæ est incompleta, si-
cuti & natura animæ,cuius est intrinsecus, & connatu-
ralis terminus.Completur autem, cùm anima reunitur
corpori, non quidem quia acquirat denuò aliquam in-
trinsecam perfectionem, sed ex eo solùm, quòd termi-
nat naturam completam. Vnde eâdem omnino subsis-
tentia animæ subsistit suppositum, anima, corpus, &
alia quæ sunt in homine: ac proinde eadem numero
subsistentia, prout est animæ, denominat illam subsis-
tentem incompletè,prout verò est Suppositi, denomi-
nat illud subsistens completè.
21 Prætereà.Illa differantia assignata à D.Caietano inter
diuersos animæ status,falsò nititur fundamento, & vt
optimè aduertit M. Medina hîc, parùm consono fidei,
& veritati Resurrectionis. Docet enim fides, homines
in eodem corpore,& in eadem carne Resurrecturos, vt
ostendunt Theologi in 4.d.44.Quare falsum est, quòd
anima in Resurrectione indiuiduet corpus, & quòd nō
reuniatur eidem corpori,per ordinem ad quod in prin-
cipio suæ creationis fuit indiuiduata: aliàs non staret
22 veritas Resurrectionis. Neque hæc doctrina Caietani
aliquid conducit ad intelligentiam D. Thomæ, quæ
ex se facilis est. Tantùm enim intendit D. Thomas,
animam Christi non debuisse creari à corpore sepa-
ratam,neque antè ipsum corpus, quia anima rationalis
ex propria ratione est pars naturæ humanæ,& comple
mentum speciei, & naturæ humanæ : & ita secundum
ordinem naturæ proportionatum ipsi animæ & natu-
ræ, quæ per illam completur, pertinet quodammodò
ad ipsam naturam animæ, quòd ante corpus non cree-
tur. Et si in hoc aliqua diuersitas esset inter animam
Christi, & aliorum hominum, refunderetur quodam-
modò in diuersitatem specificā, vt optimè explicat D.
Thomas art.4.sequenti ad secundum.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm caro Christi fuerit priùs à Verbo assumpta, quàm anima vnita.

CONCLVSIO *Est negatiua. Probatur in argumento sed contra ex Damasceno lib. 3.cap.2.dicente.* Simul Dei Verbi caro, simul animata caro rationalis, & intellectiua. *Deinde in corpore. Caro est assumptibilis secundùm ordinem, quem habet ad animam rationalem, vt ad suam formam ; sed hunc ordinem non habet, antequàm anima ei adueniat: simul enim materia fit propria alicuius formæ, & recipit illam, & ideò in eodem instanti terminatur alteratio, in quo introducitur forma: ergo non debuit caro assumi, antequàm esset caro humana, quod fit per aduentum animæ rationalis. Itē, anima non est priùs assumpta, quàm caro: est enim contra naturam animæ, vt priùs sit, quàm corpori vniatur : ergo neque caro est priùs assumpta, quàm animæ vnita: quia non est priùs caro humana, quàm habeat animam rationalem.*

Primum argumentum D. Thomæ est desumptum ex testimonio D. Augustini lib. de Fide ad Petrum cap. 18. vbi sic ait. Firmissimè tene, & nullatenùs dubites, non carnem Christi sine Diuinitate conceptam in vtero Virginis, priusquàm susciperetur à Verbo: sed caro Christi priùs fuit concepta, quàm anima rationali vnita; materia enim, vel dispositio est prior via generationis; quàm forma completiua: ergo priùs fuit caro Christi assumpta, quàm animæ vnita. Respōdet D. Thomas, carnem habere esse per animam, & antè animam posse esse dispositionem ad carnem. At verò in Christo Spiritus Sāctus vnico instanti materiam disposuit, & perfecit.

Secundum argumentum est. Sicut anima est pars naturæ humanæ, ita & corpus ; sed anima humana non habuit aliud principiū sui esse in Christo, quàm in alijs hominibus, vt patet ex Leone Papa in Epist. 11. ad Iulianum : ergo neque corpus Christi aliter habuit principium essendi: quàm in nobis. Sed in nobis priùs concipitur caro, quàm adueniat anima rationalis : ergo similiter in Christo : ac proindè caro priùs fuit à Verbo assumpta, quàm animæ vnita. Respondet, esse contra rationem formæ, quòd præexistat naturæ speciei, quia perficitur per vnionem ad materiam : sed non esse contra rationem materiæ, quòd præexistat naturæ speciei. Vnde differētia inter originem Christi, & nostram

Digitized by Google

est, quòd caro nostra priùs concipitur, quàm animetur, non autem caro Christi. Si autem esset discrimẽ quoad originem animæ, in diuersitatem naturæ redundaret.

Tertium argumentum est. Causa prima plus influit in causatum, & priùs vnitur ei, quàm causa secunda; vt dicitur in lib. de causis: sed anima Christi comparatur ad Verbum, vt causa secunda ad primam; ergo priùs Verbum est vnitum carni, quàm anima. Respondet, Verbum priùs natura dici vnitum carni, quàm animæ secundùm communem modum essendi in omnibus per essentiam, potentiã, & præsentiam. Etenim priùs naturâ intelligitur caro, vt quoddam ens, quod à Verbo habet, quàm vt animata, quod habet ab anima. At vero in vnione personali priùs secundùm intellectum caro debet animæ vniri, quàm Verbo: quia ex vnione ad animam habet, quòd sit vnibilis Verbo in Persona: præsertim quòd persona non nisi in natura rationali inuenitur.

Commentarius.

1 CONCLVSIO huius articuli est de fide tenenda, & intelligitur de prioritate tẽporis, estq; definita in 6. Synodo generali actio. 11. in oratione Sophronii, quæ actione 13. approbatur, & in Cõcilio Ephesino Can. 13. quibus locis dicitur, illam carnem simul fuisse carnem, & carnem Verbi, & Verbum nõ assumpsisse carnem, nisi animatam anima rationali. Idem habetur in Edicto Fidei Iustiniani Imperatoris. Et in Leone Papa Epistola. 11. Augustino Epistola. 3. Ambrosio de Incarnatione cap. 6. & 7. Theodoreto Dialogo 1. & Fulgentio lib. de Incarnatione cap. 3. Multa autem pertinentia ad intelligentiam huius conclusionis disputabuntur infra q. 33.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm tota humana natura sit assumpta mediantibus partibus.

SVPPONIT D. Thomas, cùm aliquid dicitur medium in assumptione Incarnationis, non designari ordinem temporis, quia simul facta est assumptio totius, & omnium partiũ: designari verò ordinem naturæ, vt per id, quod est prius naturâ, assumatur posterius, qui sanè ordo attenditur vel ex parte agentis, vel ex parte materiæ; nam istæ causæ præexistunt rei. Vnde ex parte agentis illud est simpliciter primũ, quod est priùs intentum, & secũdum quid illud, à quo incipit operatio: at ex parte materiæ illud est prius, quod est prius in eius transmutatione.

Hoc supposito est prima conclusio. Verbũ Dei secundùm ordinem intentionis assumpsit partes humanæ naturæ mediante toto. Probatur in argumento sed contra ex Damasceno lib. 3 Fidei cap. 16. dicente. In Domino nostro Iesu Christo non partes partium intuemur, sed quæ proximè componuntur, idest, Deitatem, & humanitatem: sed humanitas est quoddam totum, quod componitur ex anima, & corpore, sicut ex partibus; ergo Filius Dei assumpsit partes mediante toto. Secundò probatur in corpore. Ordine naturæ secũdùm intentionem agentis prius simpliciter est completum, quàm incompletum; & secundùm quid partes, vnde incipit operatio; sed in Incarnatione oportet attendere ordinem ex parte agẽtis, quia ex Augustino Epistola. 3. ad Volusianũ, in talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis: ergo. Tertiò probatur ex proportione, quia assumpsit carnem propter ordinem ad animam: ergo & partes propter ordinẽ ad naturam, & totum.

Secunda Conclusio ex responsione ad primũ. Assumptio partium est prior via executionis, & operationis, non tempore, sed intellectu: assumptio verò naturæ est prior intentione.

Primum argumentum est desumptum ex Augustino lib. de Agone Christiano cap. 18. 19. & 20. vbi ait, quòd inuisibilis, & incommutabilis veritas per spiritum animam, & per animam corpus, & sic totum hominem assumpsit: sed spiritus, anima, & corpus sunt partes totius hominis; ergo totum assumpsit mediantibus partibus. Respondet D. Thomas, ex illis Verbis tãtùm colligi, quòd Verbum assumendo partes humanæ naturæ, totam naturam humanam assumpsit. Et ita assumptio partiũ est prior, in via operationis, nõ tempore, sed intellectu: assumptio autem naturæ est prior in via intentionis; quod est esse prius simpliciter.

Secundũ. Verbũ ideò assumpsit carnẽ mediante anima, quia anima est Deo similior, quàm corpus: sed partes humanæ naturæ, cùm sint simpliciores, quàm corpus, sunt similiores Deo, qui est simplicissimus, quàm totũ: ergo assumpsit totũ mediantibus partibus. Respondet, Deum ita esse simpliciem, vt sic perfectissimus. Et sic totum, inquantùm est perfectius, esse Deo similius, quàm partes. Tertiũ. Totum resultat ex vnione partiũ: sed vnio intelligitur vt terminus assumptionis, partes autem præintelliguntur assumptioni; ergo totum per partes assumpsit. Respondet, vnionem personalem esse id, ad quod terminatur assumptio, non autem vnionem naturæ, quæ ex coniunctione partium resultat.

Commentarius.

Commentarius.

1 DE Prima Conclusione nulla est dubitatio, sed est communiter recepta Theologis, nam in hoc Mysterio per se primò intentum fuit, vt Verbum fieret homo; ergo assumptio totius humanitatis per se primò fuit intenta, partes verò ideò sunt assumptæ, quia ad componendam humanitatem sunt institutæ.

2 De secunda verò cõclusione est dissensio Theologorũ, & prætermissa sententia Durandi negantis omnem prioritatem naturæ inter assumptionem totius, & partium, & inter partes inter se se, quam supra artic. 5. reiecimus, est opinio Scoti in 3. d. 2. quæst. 2. Asserentis, humanitatem priùs naturâ fuisse simpliciter, & absolutè assumptam, quàm corpus, vel animam. Ratio potissima huius opinionis est, quia vnio personalis per se primò facta est in humanitate, & ratione illius in partibus, nam per se primò conuenit humanitati, vt subsistat, partibus verò ratione illius; ergo humanitas est id, quod per se primò assumitur.

3 Confirmatur, nam Verbum primariò factum est homo: ergo primò assumpsit humanitatem, atque adeò illa priùs natura est assumpta, quàm partes. Infert etiam hæc opinio, partes non posse dici medium vt Quod, seu tanquam rem priùs natura assumptam, quàm totum, posse autem dici medium, Quo, seu rationem constituentem totam naturam assumptibilem.

4 Nihilominùs conclusio D. Thomæ est verissima, & asseritur à D. Augustino lib. de Agone Christiano cap. 18. 19. 20. & 21. Sed circa intelligentiam sententiæ D. Thomæ est diuersitas inter eius Discipulos, à quibus tripliciter explicatur. Primò secundùm Caietanum in hoc commentario, quòd partes naturæ humanæ in Christo possunt considerari, primò comparantur inter se, & per ordinem ad naturam humanam, quam componunt. Si comparentur inter se se, altera, nempe, anima est medium, quo altera, videlicet, materia fuit assumpta à Verbo, vt colligitur ex articulo primo huius quæstionis; sed non fuit medium Quod, non enim habuis anima priùs esse subsistentiæ, aut existentiæ, quàm corpus, sed vtraque pars simul fuis à Verbo assumpta. Hæc doctrina Caietani, quatenùs asserit, animam non fuisse medium, Quod, assumptionis corporis fundatur in alia sententia eiusdem, quæ docet, animam in corpore corruptibili non esse id, Quod, sed tãtùm, Quo. Quam sententiam iam refutauimus; & ideò hæc Caietani doctrina prætermittenda est vt falsa, nec de ea ampliùs est loquendum.

5 Dicit præterea D. Caietanus, quòd si vtraq; pars, nempe, anima, & corpus, comparetur ad naturam, non solùm fuit medium, Quo, assumptionis naturæ, sed etiam medium, Quod. Itaque priùs natura vtraque pars habuit esse Diuinum subsistentiæ, & existentiæ, quàm tota integra natura. Hæc sententia placet aliquibus recentioribus. Et probatur primò. Si partes naturæ humanæ priùs tempore fuissent à Verbo assumptæ, quàm tota natura, non solùm fuissent medium, Quo, sed etiam Quod, itaque priùs tempore existerent, quàm natura; ergo cùm priùs natura fuerint assumptæ, quàm tota natura humana, priùs etiam natura, existunt, vt medium Quod. Antecedens patet, & consequentia probatur. Quia diuersitas prioritatis temporis, aut naturæ non mutat modum essendi rei prioris, & posterioris, vt V. G. si domus, quæ tempore ædificatur, in instanti fabricaretur, partes, quæ modò priùs tempore existunt, quàm tota domus, in illo casu existerent priùs natura.

6 Secundò. Quæ sunt posteriora ordine resolutionis, sunt priora ordine cõpositionis: sed ordine resolutionis tota natura priùs amisit esse Diuinum, quàm partes, imò in morte Christi humanitas amisit esse Diuinum, partes vero retinuerunt esse Personale Verbi, vt fides docet; ergo ordine compositionis esse Diuinum priùs fuit partibus communicatum, quàm naturæ.

7 Confirmatur primò. Si partes humanitatis non habent esse Diuinum nisi dependenter à tota humanitate, sequitur, fuisse miraculum nouum, quòd dissoluta humanitate Christi in morte, partes manerent assumptæ à Verbo; sed istud nouum miraculum non est admittendum absque vrgente ratione; ergo.

8 Confirmatur secundò: sequitur ex eadem ratione, partes in triduo mortis retinuisse esse Diuinum ex vi nouæ assumptionis, & non ex vi primæ assumptionis factæ in vtero Virginis: consequens non est admittendum: ergo. Patet sequela: quia partes ex vi primæ assumptionis non habebant esse Diuinum, vt Quod, sed tantùm vt Quo; at in triduo mortis habebant Diuinũ esse, vt Quod, ergo ex vi nouæ assumptionis.

9 Tertiò probatur. Humanitas eodem modo habet esse in Verbo Diuino post Resurrectionem, & antè mortem, quoniam Christus eodem modo est homo, & idem prorsus homo: sed post Resurrectionem partes habent Diuinum esse, vt Quod; ergo & ante mortem. Confirmatur. In puncto Resurrectionis, vt natura humana subsisteret in Verbo, partes fuerunt medium, non solùm, Quo, sed etiam, Quod; ergo similiter cùm primùm natura fuit assumpta à Verbo, partes fuerunt medium, Quod.

10 Est secunda explicatio, quam sequitur M. Medina, videlicet, partes naturæ humanæ non fuisse medium, Quod, assumptionis ipsius naturæ, sed tãtùm medium, Quo, quatenùs priùs natura, quàm humanitas assumeretur à Verbo, ipsam causabant, & componebant substantialiter. Vnde neutra pars humanitatis priùs natura subsistebat subsistentia Verbi; quàm tota natura humana, sed potiùs è contra. Probat Medina tripliciter. Primò ex D. Thoma hîc, asserente, totam naturam fuisse simpliciter priùs assumptam, quàm partes; at si partes priùs existerent, vt Quod, subsistentia Verbi, quàm tota natura; dicendum esset, quòd partes simpliciter fuissent priùs assumptæ à Verbo, quàm tota humanitas. Confirmatur, quia D. Thomas eodem modo loquitur de vtraque parte naturæ humanæ; sed corpus non existit priùs, quàm tota natura, 11
sed dependenter ab ipsa; ergo idem de anima dicendum est. Secundò. In generatione compositi Physici, 12
dicuntur priùs natura ordine executionis secundùm quid generari partes, & esse, quàm totum, non quidem quia partes priùs natura simpliciter existant, quàm totum, cùm res è contra se habeat; sed quia partes compositi priùs natura causant, & componunt totum, in genere causæ materialis, quàm totum fit. Totum enim

 est

est causa formalis respectu partium, & partes sunt causa materialis respectu totius: ergo idem dicendum est de partibus, & tota natura in ordine ad assumptionem.

13 Tertiò: Quia partes humanæ naturæ respectu propriæ Personalitatis mediant ordine quodam executionis, & priùs personantur, quàm tota ipsa natura, & priùs suscipiùt Personalitatem, quàm ipsum totum, cùm sint causæ non solùm ipsius humanitatis, sed etiam ipsius Personalitatis: verùmtamen simpliciter, & absolutè loquendo ipsa humanitas priùs personatur quàm partes: ergo idem ordo est constituendus in hac assumptione. Antecedens patet, & consequentia probatur: quia de rebus spiritualibus philosophandum est secūdùm id, quod in naturalibus conspicimus, quando nulla sequitur absurditas, aut repugnantia.

14 Est tertia explicatio aliorum Thomistarum, nempe, animam priùs naturâ fuisse assumptam, vt, Quod, quàm tota humanitas, corpus autem, vt quo duntaxat fuisse priùs assumptum. Hæc sententia conuenit cum prima, vt procedit de anima, cum secunda verò, vt procedit de corpore. Et probatur quia in Mysterio Incarnationis ea sunt veriora, & magis amplectenda, quæ sine præiudicio fidei magis consonant naturæ; sed in hoc modo explicandi in nullo derogatur fidei, vt est certum, & explicatur ordo conformis naturæ; ergo. Probatur minor: quia in generatione naturali hominis anima per creationem recipit immediatè existentiam in seipsa, & ita ostensum est supra contra Caietanum, animam à principio sui esse existere tanquam Quod, & suum esse communicari toti homini. Cùm ergo in aliis hominibus anima in se recipiat proprium esse priùs naturâ, quàm recipiatur in toto composito, & in corpore; sic etiam & anima Christi priùs naturâ secundùm ordinem executionis intelligitur participare esse Diuinũ, & existere per ipsum tanquam Quod, quàm intelligatur existere corpus, & tota humanitas.

15 Secundò, quia si anima Christi non intelligitur priùs existere tanquam Quod, sed existit dependenter à tota humanitate, sequeretur, quòd neque esset creata anima Christi, imò neque concreata, sed comproducta per generationem: sed consequens est falsum; ergo. Probatur sequella: quia creatio terminatur immediatè ad rem creatam, vt existat tanquam Quod, siue per existentiam propriam, siue per alienam communicatam sibi in termino creationis; sed anima Christi iuxta oppositam sententiam non existit tanquàm, Quòd, immediatè, ergo non fuit creata. Rursus, neque concreata: quia illud concreatur, quod creatur, & producitur ad creationem alterius rei, sed in hoc Mysterio nihil potest intelligi creatum præter animam: ergo. Itaque secundùm ordinem naturalem anima Christi Domini priùs naturâ existit in se, tanquam, Quod, quàm tota humanitas. De corpore autem eâdem ratione probatur, quòd non existat priùs naturâ tanquam quod, quia in generatione & ordine naturali corpus non existit priùs naturâ, tanquam quod, quàm totum, imò neque forma præterquàm in homine propter immortalitatem, & dignitatem animæ; quæ cùm producatur per creationem, necessariò habet esse in seipsa in termino creationis.

16 Ex his tribus explicationibus hæc tertia est verior, & probabilior, ac necessariò amplectenda. Prima explicatio est satis probabilis, secūda est minùs probabilis. Vnde argumenta primæ sententiæ, quatenus procedunt de anima, probant tertiam explicationem, vt autem procedunt de corpore, dissoluenda sunt.

17 Ad primum negatur consequentia, & ad probationem respondetur, quòd cùm partes, & totum subsistunt simpliciter diuersis subsistentiis, vt partes domus, & ipsa domus, prioritas temporis aut naturæ non variat modum essendi, secus autem est, quando partes non subsistunt propriis subsistentiis, sed subsistentia totius, nam tunc si partes per possibile, vel impossibile priùs tempore existerent, quàm totum, mutarent modum essendi, quia conueniret illis simpliciter priùs esse, quàm toti: modò autem simpliciter cōuenit priùs toti, quàm partibus.

18 Ad secundum respondent quidam, ordinem resolutionis non esse contrarium ordini compositionis, nisi in compositis, quæ constant ex pluribus entibus in actu, sicuti domus. In his verò compositis, in quibus partes tantùm sunt in potentia, non seruatur hic ordo, vt patet in continuo, cuius partes facta diuisione continui manent existentes in actu, & tamen in ordine compositionis non habent priùs esse, quàm totum cōtinuum, sed è contra: homo autem non constat ex pluribus entibus in actu, sed in potentia, & ita necessarium non est, seruari illum ordinem compositionis, & resolutionis.

19 Ex hoc respōdent ad primã cōfirmationẽ, quòd absq; aliquo miraculo in triduo mortis vtraq; pars permãsit vnita Verbo, & similiter absq; noua assũptione, sed per solã separationem vnius partis ab alia, sicut partes cōtinui per solam diuisionem fiũt actu existentes, quæ antea erant in potentia. Hæc doctrina potest fundari in D. Thoma art. 4. ad 3. vbi ait, corpus in assumptione dependere ab anima, quantùm ad fieri, non verò quantùm ad esse, & ita separatum ab anima manere vnitum Verbo. Et certè videtur D. Thomas docere, quòd absque miraculo, imò ex vi naturalis consequentiæ manserunt partes Verbo vnitæ, humanitate per mortem dissoluta.

20 Cæterum hæc solutio non satisfacit, & contra illam obiicitur. Primò. Esse Diuinum non pertinebat ad corpus, nisi prout erat pars humanæ naturæ, & quatenus erat corpus humanum, vt ait D. Thomas hîc art. 4. Sed anima rationali à corpore separata, secundùm ordinem naturæ tale corpus neque erat propriè humanum, neq; pars humanæ naturæ; ergo esse Diuinum, quod anteà habebat, non pertinebat ad ipsum in triduo mortis secundùm naturalem, & physicam consequentiam.

21 Secundò. Mutata forma, mutatur etiam esse secundùm ordinem naturę, quoniam esse sequitur formam; sed corpus in triduo mortis habebat aliam formam, nempe, formam cadaueris; ergo secundùm naturalem ordinem non retinebat illud esse, quod habuit antè mortem.

22 Quare existimo, fuisse miraculum, quòd post mortem corpus maneret vnitum Verbo, & retineret esse, quod priùs habuerat. Sed non est censendum, fuisse simpliciter miraculum nouum, sed consequens ad primum miraculum Incarnationis, non quidem physica, & naturali consequentia, vt satis probant duo argumenta facta, sed iuxta Diuinam intentionem, qua

Deus

Deus statuit, nunquam dimittere naturam, quam as-
sumpsit quò ad partes essentiales. Etenim illam assump-
sit, vt in semetipso eã per mortem, & resurrectionem re-
23 pararet. Vnde ad D. Thom. pro solutione præcedẽte al-
legatum, respondetur, id tantùm velle, nempe, materiam
corpoream, antequam informeretur anima rationali,
nullam habera cógruitatem, vt Diuinum esse illi com-
municaretur. At postquàm semel illa materia fuerat in-
formata anima rationali Christi, iam censebatur con-
grua, vt post animæ separationem retineret esse Verbi
Diuini, eoquòd Christi corpus fuerat informatum eius
anima. Non tamen docet D. Thomas, naturali conse-
quentia post Christi mortem corpus mansisse vnitum
Verbo. Ex his autem manet solutum secundum argu-
mentum cum prima confirmatione.

24 Ad secundam negatur sequella, & ad probationem
respondetur, quòd corpus, quandiu erat animæ vnitum,
re vera existebat per esse Diuinum, non tamen diceba-
tur existere vt, Quod, quia existebat dependenter à tota
humanitate, & ita sublata per miraculum dependentia
ab humanitate, absque noua assumptione corpus in
triduo existebat, vt, Quod.

25 Ad tertium respondetur, post resurrectionem corpus
existere per esse Verbi Diuini dependenter ab humani-
tate, sicut antè mortem, & ita non existere vt, Quod,
nam communicatur illi esse Diuinum, quatenùs
per resurrectionem fuit denuò informatum ani-
ma rationali, & prout est pars actualis humanitatis
Christi.

26 Ad confirmationem respondetur, in assumptione
humanitatis Verbum Diuinum seruasse, quantùm fieri
potuit, ordinem proportionatum ordini naturæ, iuxta
quem corpus non debuit priùs assumi, vt mediũ quod.
At in resurrectione non potuit omninò iste ordo ser-
uari, eòquòd propter exigentiam Mysterij Incarnatio-
nis vtraque pars in morte existebat vt quod per exis-
tentiam Verbi. Vnde ad argumentum negande est con-
sequentia.

27 Secundò respondetur, quòd in resurrectione partes
fuerunt medium, Quod, in fieri, non in facto esse, nam
in facto esse corpus existit dependenter ab anima, & à
tota humanitate. V. G. Si lapis ex quo construitur do-
mus antè constructionem habebat propriam formam,
& in constructione domus posita, spoliaretur forma
sua, & indueret formam totius domus, lapis in fieri il-
lius domus, esset medium, Quod; at in facto esse est me-
dium, Quo. Ita in proposito proportionabiliter lo-
quendum est.

28 Ad argumenta M. Medinæ pro secunda explicatione
respõdetur, D. Thomam in primo argumento citatum
nihil aliud velle, quàm quòd partes humanæ naturæ
non fuerunt assumptæ à Verbo propter semetipsas, sed
propter totam humanitatem, & ideò humanitas dici-
tur priùs assumpta simpliciter, nempe, prioritate finis,
quæ est prioritas potissima; hoc ergo supposito ne-
ganda est minor secundùm sensum intentum à D.
Thoma.

29 Ad confirmationem respõdetur, secundùm D. Tho-
mam ordine executionis vtramque partem fuisse priùs
assumptam, quàm tota natura. An verò vtraque pars
fuerit priùs assumpta, vt mediũ, Quod, vel vt medium,
Quo, non explicuit D. Thomas, sed aliunde erit expli-
candum, nempe, ex ordine quem seruat natura in gene-
ratione Physica, cui hæc assumptio est accommodan-
da, quantùm fieri potest. Et per hoc soluuntur reliqua
argumenta.

Sed adhuc est difficile argumentum pro sententia 30
Medinæ. Per assumptionem communicata est Persona-
litas Verbi Diuini; sed natura humana integra est capax
Diuinæ Personalitatis, anima verò non est capax illius,
eòquòd anima per seipsam tantùm habere potest se-
mipersonalitatem: personalitas verò Diuina est com-
pletissime, & rationem semipersonalitatis habere non
potest; nam hæc esset magna imperfectio; ergo assump-
tio primò terminata est ad totam naturam, & non ad
animam. Resp. Diuinam Personalitatem, quamuis sit 31
perfectissima, & completissima absque aliqua sui im-
perfectione potuisse terminare animam immediatè per
modum semipersonalitatis accommodando se ad na-
turam imperfectam animæ, quod omninò dicendum
est in triduo mortis, quando anima separata à corpore
mansit vnita Verbo, quia tota imperfectio, quæ ibi re-
periebatur, erat ex parte naturæ assumptæ, & non ex
parte Diuinæ Personalitatis.

M. Medina hic dissoluens alia argumenta aliter respõ- 32
det huic argumento dicens, in assumptione esse distin-
guendum actum Diuinæ existentiæ à Personalitate
Verbi, & inquit, animam priùs naturâ habuisse actum
Diuinæ existentiæ, quàm tota humanitas fuerit as-
sumpta, non tamen fuisse priùs illi communicatam
Personalitatem. Sed hæc responsio nõ satisfacit. Primò,
quia sequitur, animam Christi, in illo priori, in quo fuit
illi cõmunicatus actus existentiæ Diuinæ, assumptam
fuisse à tota Trinitate quantùm ad actum existendi; sed
consequens est falsum: ergo & antecedens. Probatur se-
quella. Actus Diuinæ existentiæ est communis toti
Trinitati, etenim Diuinæ Personæ non distinguuntur
per actum existendi, sed per proprietates personales: er-
go quatenùs animæ in illo priori communicatus est
actus existendi, non fuit assumpta anima ad aliquam
particularem personam, sed ad totam Trinitatem. Vbi 33
est notandum, quòd si dicamus, Personalitatem Verbi
fuisse priùs communicatam animæ, & mediante perso-
nalitate communicatum fuisse actum existendi, non se-
quitur inde inconueniens illatum, quia terminus secun-
darius debet proportionari termino primario. Et ita si
terminus primarius fuit Personalitas Verbi, actus exis-
tendi, qui fuit terminus secundarius, proportionatur il-
li, atq; adeò licet iste actus existendi sit communis toti
Trinitati, non tamen fuit communicatus animæ Chris-
ti, prout communis, sed quatenùs pertinebat ad solam
Personam Verbi: sicut quamuis Diuina Essentia sit
communis toti Trinitati, non tamen est principium
formale generationis Verbi, prout communis, sed prout
est in Patre, quæ est Persona generans.

Secundò. Sequitur ex eadem sententia, quòd modò 34
anima Christi existat per Diuinam existentiam, vt est
communis toti Trinitati, quod est falsum: & probatur
sequella. Anima Christi modò existit ex vi prioris as-
sumptionis: sed fuit assumpta ad existentiam commu-
nem toti Trinitati, vt probatum est argumento præ-
cedenti; ergo. Vnde omnia ferè argumenta, quæ Medi-
na proponit contra sententiam Durandi supra. q. 3. art.
3. Procedunt contra hanc eiusdem Medinæ doctrinam.

Quare dicendum est, priùs nostro modo intelligendi animam Christi fuisse assumptam ad Personalitatem Verbi, quàm illi communicaretur actus Diuinæ existentiæ.

35 Sed cõtra hoc est argumentum. Anima Christi priùs natura fuit creata, quàm assumpta ad Personalitatem Verbi: ergo priùs habuit actum existendi, quàm assumeretur ad Personalitatem Verbi. Sed non habuit actum existentiæ creatæ, vt patebit infra q. 17. art. 2. Ergo existentiæ Diuinæ. Antecedens patet: quia anima fuit creata, & assumpta, sed non priùs assumpta, quàm creata; ergo cùm sit ordo inter creationem animæ, & eius assumptionem, priùs fuit creata, quàm assumpta. Prima consequentia probatur, quoniam actus existendi est proprius terminus creationis, seu essentia rei sub actu existendi; ergo si anima priùs natura intelligitur creata, priùs natura intelligitur existens.

36 De hoc argumento satis superq; dictum est supra q. 2. art. 11. Disput. 2. Modò respondetur, creationem animæ Christi præsupponi ad assumptionem in fieri, sed non in facto esse, neque in termino, imò è contra assumptio in suo termino præintelligitur creationi in termino. Itaque creatio animæ Christi terminata est ad Diuinam existentiam, communicatam animæ: quia licèt anima Christi priùs natura intelligatur creari, quàm assumi à Verbo, non tamen priùs intelligitur creata in facto esse, quàm intelligatur assumpta, quia in ipso termino creationis assumitur. Vt autem dicatur

37 verè, animam priùs creari, quàm assumi, non est necessarium, quòd priùs natura habuerit actum essendi, sed sufficit, quòd quantùm erat ex vi creationis, tenderet ad actum propriæ existentiæ, qui tamen fuit impeditus per existentiam Verbi communicatam animæ per assumptionem. Neq; mirandum est, quòd duæ actiones ita se habeant, vt vna sit prior altera in fieri, & in via, non autem in termino, sed potiùs è contra. Cuius rei est exemplum accommodatum. In intellectu est duplex actio formaliter loquendo, Dictio, idest, productio verbi, &

38 Intellectio: inter quas talis reperitur ordo, quòd intellectio prout est in via, & quasi in fieri, præsupponitur ad dictionem, quia ex D.Thom. 1. p. q. 34. art. 1. ad 3. Ex eo intellectus producit Verbum lapidis, quia cognoscit lapidem. Vnde productio verbi dependet ex cognitione. At ex parte termini è contra intellectio præsupponit dictionem, quia intellectio fit in Verbo producto, tanquam in obiecto & termino intrinseco. Cuius doctrinæ ea est ratio, quia esse priùs natura nõ est aliud, quàm

39 esse priùs causalitate, at non est mirum, quòd aliqua actio, prout est in via, & in fieri sit causa alterius, & prout est completa in suo termino, sit effectus eius, præsertim in diuerso genere causalitatis: & ita contingit in præsenti, quòd creatio animæ est quodammodò causa assumptionis in genere causæ materialis, prout est in fieri, & in via, eò quòd assumptio est ab alio ad se sumptio, vt explicatum est supra quæst. 2. artic. 8. Et ita res assumenda debet præsupponi saltem in fieri ad assumptionem. At verò ex parte termini, assumptio est prior creatione animæ in genere causæ formalis; quia creatio nequit ibi suum terminum consequi, nempe, esse, nisi dependenter ab assumptione: terminus autem pertinet ad rationem causæ formalis.

Sed obijcitur. Humanitas assumenda à Verbo præsupponitur assumptioni; ergo præsupponitur vt existens: nam quod non est, non præsupponitur. Respondetur, nullum esse instans, in quo illa humanitas existat, & subsistat sine Persona Verbi, at in illo priori naturę, quo præsupponitur assumptioni, non intelligitur existens, nec subsistens, sed in via ad existentiam, & subsistentiam. Sicut in illo priori, in quo generatio antecedit rem genitam, non intelligimus rem genitam esse, sed intelligimus eam in fieri, & tendentem ad esse. 40

Ad fundamentum Scoticæ sententiæ respondetur, probare quidem, ordine intentionis totam humanitatem priùs natura fuisse assumptam, quàm partes, & eodem sensu posse dici medium seu rationem assumendi partes; ordine verò executionis partes esse priùs natura assumptas, quàm totam humanitatem, & hoc sensu dici medium ad assumendam humanitatem. 41

Sed obijcitur. Anima Christi existit per esse Diuinũ dependenter à tota humanitate; ergo non existit per se tanquàm, Quod, priùs natura, quàm tota humanitas: ideò enim corpus, imò etiam forma in alijs compositis naturalibus præter hominem non existit per se priùs natura quàm totum, quia existit dependenter à toto composito. Resp. Animam Christi in sua existentia tantùm secundùm ordinem intentionis dependere à toto, non autem secũdùm ordinem executionis. Itaque priùs intelligitur, quòd Deus intendat communicare existentiam Diuinam humanitati, quàm animæ rationali; ordine tamen executionis priùs eam communicat animę, vt ordo proportionatus naturæ seruetur. 42

ARTICVLVS VI.

Vtrùm humana natura sit assumpta mediante gratia.

PRIMA *Conclusio*. Gratia habitualis non potest intelligi vt medium in assumptione humanæ naturæ. *Probatur primò in argumento sed contra. Gratia fit accepta est quoddam accidens, vt ostenditur 1. 2. q. 110. art. 2. Sed vnio Verbi ad humanam naturam est facta secundùm subsistentiam, & non secundùm accidens, vt supra q. 2. art. 6. ostensum est: ergo natura humana non est assumpta mediãte gratia. Deinde in corpore. Ista gratia est effectus consequens vnionem, pertinens ad sanctitatem illius hominis, qui erat plenus gratiæ, & veritatis; ergo.*

Secunda Conclusio. Gratia vnionis non potest esse medium in hac assumptione. *Probatur, quia hæc gratia est ipsum esse Personale, quod gratis datur humanæ naturæ, & est terminus assumptionis.*

Tertia Conclusio. Si per gratiam intelligatur voluntas Dei, quæ gratis aliquid facit, vnio facta est per gratiam, nõ sicut per medium; sed

sed vt per causam efficientem.

Primum argumentum D. Thomæ est. Per gratiam vnimur Deo: sed humana natura in Christo fuit Deo maximè vnita; ergo illa vnio fuit facta per gratiam. Respondet, vnionem nostrã ad Deum esse per operationem, hoc est, per cognitionem, & amorem, & ideò fieri per gratiam habitualem, in quantùm operatio perfecta procedit ab habitu. Vnionem verò naturæ humanæ ad Verbum esse secundùm esse personale, quod à nullo habitu dependet, sed immediatè ab ipsa natura.

Secundum est. Sicut corpus viuit per animam, quæ est eius perfectio, ita anima per gratiam: sed humana natura redditur congrua ad assumptionem per animam, ergo anima redditur congrua ad assumptionem per gratiam: atq; adeò mediante illa assumpta est. Respondet, gratiam esse perfectionem accidentalem animæ, animam vero esse perfectionem substantialem corporis: & propterea gratiam non ordinare animam ad vnionem personalem, quæ non est accidentalis.

Tertium desumitur ex August. lib. 15. de Trinit. cap. 11. vbi ait, Verbum Incarnatum esse sicut Verbum nostrum in voce: sed nostrum Verbum vnitur voci mediante spiritu; ergo Verbum Dei vnitur carni mediante Spiritu Sancto, & ita mediante gratia, quæ attribuitur Spiritui Sancto. Respondet, Verbum nostrum vniri voci mediante Spiritu, non vt medio formali, sed vt medio mouente: quia ex Verbo concepto procedit Spiritus, quo formatur vox. Et ita ex Verbo æterno procedit Spiritus, quo Christi corpus formatur: sed inde non sequitur, quòd gratia Spiritus Sancti sit medium formale in hac vnione.

Commentarius.

1 CIRCA Primam Conclusionem dubitatur, An gratia Christi habitualis sit medium ad vnionem hypostaticam, vel saltem dispositio ad illam. Et pro tituli intelligentia aduertere oportet, non esse idem, aliquid esse dispositionem ad formam, & esse medium ad illam: nam in generatione substantiali forma non suscipitur nisi in materia disposita, verùmtamen dispositiones non sunt medium ad formam suscipiendam saltem in facto esse, quia potiùs forma immediatè vnitur materiæ. Quæritur ergo, An gratia Christi habitualis habuerit rationem medij in ordine ad vnionem, vel saltem dispositionis. Et quòd non fuerit dispositio, probatum est supra q. 2. art. 10. Quòd autem sit medium probatur ex D. Thom. infra q. 7. art. 12. in corpore & ad 2. vbi ait, gratiam ordinari ad vnionem hypostaticam tanquàm ad finem. Ex quibus verbis manifestè colligitur, quod sit medium, quia id, quod ad aliod ordinatur tanquàm ad finem, habet rationem medij. Et infra q. 8. art. 5. ad. 3. asserit, gratiam personalem posse quodammodò dici gratiam vnionis, prout facit congruitatem quandam ad vnionem. Et in. 3. d. 2. q. 2. art. 2. quæst. 1. ait, gratiam habitualem esse mediũ congruitatis ad vnionem.

Pro explicatione huius dubij obseruandum est, finem, & medium dupliciter comparari inter se. Vno modo, vt finis pendeat in esse ab ipso medio secundùm executionem, vt sanitas, quæ est finis medicinæ, pendet in suo esse à medicina; à qua causatur in genere causæ efficientis. Secundo modo, vt finis præintelligatur existere antè medium, neque in suo esse ab illo dependeat, quantùm ad executionem, tametsi assumat medium ad operandum. Itaq; tale medium, non est, vt finis sit, sed vt finis operetur. Sic dicitur Deus finis creaturarum, & essentia dicitur finis potentiarum naturalium, quæ sunt media, vt ipsa essentia operetur, & Suppositum. 2

Hoc præmisso dicendum est gratiam habitualem Christi non esse medium primo modo ad vnionem hypostaticam, benè tamen secundo modo. Ratio primi est, quia vnio hypostatica est substantialis secundùm fidem; ergo nullo modo facta est mediante gratia. Probatur consequentia; quia si vnio hypostatica facta esset mediante gratia, humanitas vniretur verbo mediante accidenti, & per accidens, ac proinde esset vnio accidentaria. Secundò. Gratia habitualis nequit immediatè vniri Verbo Diuino, neque tanquam accidens subiecto, vt patet, neque tanquam natura hypostasi, quia tunc Verbum Diuinum immediatè, & primò terminaret dependentiam illius habitus, priusquàm dependentiam humanitatis. Et ita priùs existeret ille habitus per Diuinam subsistentiam, quàm humanitas, ergo nullo modo vnio facta est mediante gratia. Ratio secundi est authoritas D. Thomæ locis citatis. Quò fit, vt D. Thomas hîc non retractet sententiam, quam olim secutus est in 3. vt inquit Caietanus in hoc articulo, sed tantùm docet, fuisse congruum, vt Verbum assumeret humanitatem cum gratia, non verò quòd gratia intelligatur in aliquo genere causæ priùs natura in anima Christi, quàm intelligatur Incarnatio Verbi. Imò potiùs docet ibidem, gratiam habitualem consequenter se habere ad Incarnationem. Nihilominus tamen congruum fuit, vt Verbum assumeret naturam humanam cum gratia, sicut quòd assumeret ipsam cũ scientia, vel sanitate. Sicut ergo non intendit D. Thom. in tertio, quòd vnio sit facta mediante scientia, vel sanitate, sed solùm quòd fuerit congruum, naturam assumi cum scientia, vel sanitate; sic etiam tantùm intendit, fuisse congruum, naturam non assumi sine gratia &c. 3 4

QVÆSTIO. VII.

De gratia Christi.

HACTENVS Disputauit D. Thomas de his, quæ pertinent ad assumptionem humanæ naturæ, & ad Personam assumentem, & naturam assumptam. Deinceps disserit de his, quæ simul cum natura humana à Diuino Verbo assumpta sunt, quæ à Theologis coassumpta dicuntur. Coassumptorum autem duo sunt genera. Quædam enim spectans ad præstantiam, & perfectionem naturæ assumptæ: quædam

vero

verò ad imbecillitatem, & defectum ipsius, cuius generis sunt timor, tristitia, fames, sitis, &c. Primi generis sunt gratia, scientia, & potentia, de quibus initio est nobis disputandum: ac primò de gratia. Porrò gratia Christi potest dupliciter considerari. Primò in ordine ad ipsum Christum, secundò in ordine ad alios homines, quatenus eos sanctificat, & in ipsos influit. In hac ergo quæstione disserit D. Thomas de Gratia Christi in prima consideratione, inquantum perficit ipsum. De qua disputant Theologi cum Magistro in 3. d. 13.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm in anima Christi sit aliqua gratia habitualis.

CONCLVSIO *Est affirmans.* Necesse est ponere in Christo gratiam habitualem. *Probatur in argumento sed contra ex illo Isaiæ. 11.* Requiescet super eum Spiritus Domini. *Sed Spiritus Domini est in homine per gratiam habitualem, vt dicitur. 1. p. q. 43. art. 6. Ergo in Christo fuit gratia habitualis, Deinde in corpore. Quò aliquod receptiuum est propinquius causæ influenti, eò magis participat eius influentiam: sed anima Christi erat vnita Verbo Dei, qui est author gratiæ: ergo. Item. Anima Christi debebat exercere operationes, quibus propinquissimè attingeret Deum cognitione, & amore: sed natura rationalis ad hoc eleuatur per gratiam: ergo. Rursus, quia Christus, vt homo, est mediator Dei, & hominum; ergo debuit habere gratiam in alios redundantem, iuxta illud Ioan. 1. de Plenitudine eius omnes accepimus, & gratiam pro gratia.*

Est primum argumentum. Gratia constituit habentem, Deum per participationem, cùm sit participium Diuinitatis, iuxta illud, 2. Petri. 1. Per quem maxima, & pretiosa promissa nobis donauit, vt Diuinæ simus cōsortes naturæ. *Sed Christus est verus Deus, non per participationem; ergo in eo non fuit gratia habitualis. Respondet D. Thomas, Christum esse verum Deum secundùm Personam, & naturam Diuinam; sed quia cum vnitate Personæ remanet naturarum distinctio, & humana natura remanet in suo esse, ideò anima Christi, cùm non sit Diuina per Essentiam, debuit fieri Diuina per participationem, ac proptereà habuit gratiam, quæ est Diuinitatis participatio.*

Secundum argumentum est. Christo propter vnionem debetur hæreditas vitæ æternæ, & facultas omnia rectè operandi; ergo non indigebat alia gratia, nisi vnione ad Verbum. Respondet, Christo, vt est Filius Dei, deberi hæreditatem æternam, quæ est ipsa beatitudo increata per actum increatum cognitionis, & amoris Dei, quo pater cognoscit, & amat seipsum. Sed quia anima erat incapax huius actus, debuit attingere Deum per actum fruitionis creatum, qui sine gratia haberi non potest. Et similiter præter operationem Diuinam, ponenda est in Christo operatio humana, ad quam perficiendam est necessaria gratia habitualis.

Tertium argumentum, Quod operatur per modum instrumenti, non indiget habitu ad proprias operationes, quia habitus fundatur in principali agente: sed humanitas Christi fuit instrumentum Diuinitatis: ergo non est ponenda in Christo gratia habitualis. Respondetur, quod operatur per modum instrumenti inanimati, quod solùm agitur, & nullo modo agit, non indigere habitu. Humanitatem verò esse instrumentum Diuinitatis animatum, quod etiam agit, ac proptereà indiguisse gratia, qua moueretur.

Commentarius.

DE Multiplici gratiæ acceptione differit D. Thom. 1. 2. q. 110. art. 2. & 3. vbi legendi sunt M Medina, & M. Zumel. Hic autē loquitur de gratia iustificāte, quæ in essentia animæ, tanquā in subiecto residet, illam gratificans, & reddens dignam vitæ æternæ, & consortem Diuinæ Naturæ, quam rectè appellauit D. Augustinus Animam animæ: quia quod anima physicè præstat corpori, gratia Theologicè confert animæ. Quærit autem D. Thomas in hoc articulo, An in essentia animæ Christi fuerit gratia, qua Deo redderetur grata: & deinde inuestigat, An per modum habitus, vel qualitatis fuerit in ea. Et ideo pro explicatione Conclusionis D. Thomæ sit

PRIMA DISPVTATIO.

AN In Christo Domino fuerit gratia habitualis, & in quo gradu certitudinis sit Conclusio D. Thomæ tenenda. Videtur enim, quòd gratia habitualis nullo modo potuerit esse in anima Christi. Primò, quia aliàs sequeretur, Christum esse Filium Dei adoptiuum, sed consequens est plusquàm falsum, etiam si specificatiuè dicatur, Christus in quantùm homo, est Filius Dei adoptiuus, vt constat ex D. Thoma infra q. 23. art. vltimo, & videtur esse definitum in Concilio Francofordiensi: ergo in Christo non est gratia habitualis. Sequella probatur. Filiatio adoptiua est effectus formalis gratiæ, vel primarius, vt aliqui volunt, vel secundarius, vt alijs placet, sed effectus formalis primarius est omninò inseparabilis à sua forma in subiecto suscepta, secundarius verò est etiam inseparabilis à forma nisi per miraculum: sed in Christi gratia non est ponendum miraculum, quod præter ipsius gratiæ ordinem contingat absque magno fundamento; ergo si

in

In Christo est gratia habitualis, est etiam hic effectus formalis gratiæ, nempe, filiatio adoptiua.

2 Confirmatur. Infusio gratiæ est quædam participata, & quasi adoptiua generatio spiritualis, iuxta illud Iacobi. 1. Voluntariè genuit nos &c. Vbi voluntaria generatio vocatur ipsa infusio gratię; sed generatio adoptiua respicit tanquam proprium terminum filium adoptiuum, & ad ipsum ordinatur: ergo si in Christo fuit gratia habitualis, est filius adoptiuus, saltem specificatiuè, in quantùm homo.

3 Secundò. Gratia participata est quædam Dei similitudo, & ad hoc confertur homini, vt ipsum constituat similem Deo similitudine participata; sed Christus seipso, & ex vi hypostaticæ vnionis est perfectissimè similis Patri iuxta illud Pauli ad Hebræ. 1. *Qui cùm sit splendor gloriæ Patris, & figura substantiæ eius, &c.* Vbi loquebatur de Filio Dei, vt est homo, sicut illum significat hæc vox, Christus: ergo in Christo non est ponenda gratia habitualis.

4 Tertiò. Effectus formalis primarius gratiæ in Christi anima reperiri non potest, ergo neque ipsa gratia habitualis. Consequentia patet, quia repugnat, aliquam formam esse in subiecto, & suum effectum formalem primarium illi non tribuere, & subiectum, quod est incapax alicuius effectus formalis primarij, est etiam incapax ipsius formæ: vt subiectum V.G. quod non potest esse album, non potest in se habere albedinem. Antecedens probatur. Effectus primarius formalis gratiæ est esse Diuinum participatum; sed tale esse Diuinum participatum repugnat animæ Christi: cùm habeat sibi vnitam totam plenitudinem Diuinitatis iuxta illud ad Colos. 3. in quo, scilicet, Christo, *Habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.* Et 2. Corint. 5. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Ergo &c.

5 Confirmatur primò. Cui competit aliquod esse per essentiam, repugnat simul habere illud esse per participationem, etenim habere aliquid totaliter, & perfectè, & simul partialiter, & imperfectè est implicatio in adiecto: sed anima Christi habet esse Verbi, quod est esse Diuinum per essentiam; ergo non potest simul habere gratiam, quæ est formalis quædam participatio Diuini esse.

6 Confirmatur secundò: quia aliàs Christus diceretur Deus per participationem, sicut quilibet iustus per gratiam dicitur, & est Deus participatiuè, iuxta illud Ioan. 10. *Si eos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, &c.* Sed consequens est absurdum, nam Christus, qui secundùm fidem est Deus per essentiam, nequit simul esse, & dici Deus per participationem; ergo.

7 Quartò. Si in anima Christi esset ponenda gratia habitualis, maximè vt esset grata Deo; sed hoc habet in summo gradu ex vi solius gratiæ vnionis. ergo impertinens est Christo gratia habitualis. Probatur minor. Christus est charus, & gratissimus Patri, eòquòd est filius eius naturalis iuxta illud Matth. 17. *Hic est Filius meus dilectus &c.* Ergo non ex habituali, sed ex gratia vnionis competit Christo, esse charissimum Patri, illiq; gratissimum.

8 Confirmatur primò. Christus per gratiam vnionis habet saltem eminenter totam illam gratitudinem, & sanctitatem, quæ illi posset ex gratia habituali prouenire: ergo superflua & otiosa est gratia habitualis in Christo. Probatur antecedens. Christus per gratiam vnionis est simpliciter infinitè gratus Deo, & infinitè Sanctus; sed extra infinitum nihil est accipere. 3. Physic. Idest, intra ipsum infinitum continetur totum illius generis, in quo est simpliciter infinitum; ergo omnis gratitudo, & sanctitas, quæ per gratiam habitualem conferri potest, intra gratitudinem, & sanctitatem, quam Christus habet ex gratia vnionis eminenter præhabetur, aliàs enim hæc gratitudo, & sanctitas non essent simpliciter infinitæ in suis rationibus, videlicet, gratitudinis, & sanctitatis.

Confirmatur secundò. Subiectum, quod præhabet eminenter aliquam perfectionem, non est capax eiusdem perfectionis in esse formali habitæ, vt V.G. Sol, qui eminenter est calidus, est incapax caloris formalis: & homo, qui ratione animæ rationalis eminenter continet gradum sensitiuum, non est capax alterius animæ, quæ formaliter ei conferat gradum sensitiuum; sed gratia vnionis eminenter continet & gratiam habitualem, & omnem formalem eius effectum; ergo Christus, qui est gratus Deo ex vi gratiæ vnionis, non est capax gratiæ habitualis, vel saltem sine magno miraculo, eam suscipere nequiuit. At miracula sine vrgente, & rationabili causa non sunt admittenda: ergo &c. 9

Pro decisione huius controuersiæ aduertendum est, gratiam habitualem dupliciter posse considerari. Vno modo secundùm se, vt est quædam entitas, & habitus: alio modo secundùm suum effectum formalem, qui est facere hominem consortem Diuinæ naturæ, & dignum vitæ æternæ secundùm quandam connaturalitatem, & proportionem, ita vt habeat operationes supernaturales cognitionis, & amoris, omninò perfectas, & sibi connaturales non solùm ab extrinseco, sed etiam formaliter, idest ratione alicuius formæ in ipso existentis. 10

Hoc posito sit Prima Conclusio. Non est certum secundùm fidem, ita vt oppositum sit manifesta hæresis, aut error in fide, quòd gratia Christi Domini sit habitus superadditus animæ ipsius, & ab ipsa realiter distinctus. Est tamen adeò certum, vt oppositum sit temerarium, periculosum, & errori proximum. Probatur primò, quia idem iudicium ferendum est de gratia Christi, atque de gratia aliorum hominum, quantùm ad istum sensum, sed non est de fide, gratiam aliorum hominum habitualem esse qualitatem, seu habitum in essentia animæ existentem; ergo neque in Christo. Minor probatur: quia antè Concilium Tridentinum illa sententia, quæ negabat habitus infusos, & virtutes infusas, censebatur probabilis, vt constat ex Innocentio III. in cap. Maiores, de Baptismo, & Concilium viennense non damnauit illam, vt erroneam, sed reputauit minùs probabilem, quàm oppositam. Neque Tridentinum definiuit vt dogma fidei, gratiam iustificationis esse verum habitum, seu verè qualitatem habitualem. Ita sentiunt Magistri Cano. lib. 7. de Locis cap. 2. Medina. 1. 2. q. 53. artic. 3. & in hoc articulo. Bañes, 1. 2. q. 23. art. 2. & Soto lib. 2. de Natura & Gratia cap. 17. 11

Secunda pars conclusionis, nempe, quòd sit temerarium, periculosum, & errori proximù negare gratiam Christi 12

Christi esse habitum superadditum, probatur, quia post Concilium Tridentinū est temerarium, & errori proximum negare, gratiam habitualem non esse qualitatem, seu habitum in hominibus iustis: nam sess. 6. cap. 7. & cano. 11. definitur, charitatem, & gratiam diffundi in cordibus hominum, & illis inhærere: atque adeò definitur tanquam de fide, gratiam, & charitatem, quæ iustis conferuntur, esse accidentia. Ex quo loco per euidentem consequentiam deducitur, gratiam, & charitatem

13 esse qualitates. Et probatur. De fide est certum, esse accidentia; ergo aut qualitatem, aut relationem, vel actionem, & passionem (de his tribus dumtaxat est controuersia) sed constat ex Concilio Tridentino non esse relationem, quia in eo expressè habetur, gratiam habitualem esse principium productiuum boni operis, & per se acquiri, & deperdi, augeri, & minui, quæ omnia de relatione nullatenùs dici possunt. Ergo &c. Item neque est actio, neque passio, quia ex eodem Concilio constat, gratiam habitualem & charitatem permanere in hominibus iustis, actio verò, aut passio statim transit: ergo.

14 Secunda Conclusio. Dogma fidei est, in anima Christi esse gratiam secundùm suum effectum formalem, habitualiter, idest, permanenter se habentem. Probatur, quia secundùm fidem in anima Christi est aliquid, quo formaliter Christus, vt homo, est sanctus, & iustus, & acceptus Deo, & dignus vitæ æternæ, ratione cuius operationes illius essent sibi connaturales, siue illud sit qualitas, siue relatio, aut actio, vel passio. Vnde Isaiæ. 11. dicitur. *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ &c.* Quem locum explicat Cyrillus de donis etiam gratiæ habitualis. Et Tertullianus lib. contra Iudæos cap. 9. numer. 119. *Requiescet, inquit, super eum spiritus Dei.* Idest, vniuersitas spiritualium documentorum, quæ in solum Christum competebat. Et lib. 3. contra Marcio. cap. 17. dicit, hanc esse pulchritudinem gratiæ spiritualis, & interiorem eius qualitatem, propter quam dictus est, Speciosus forma præ filijs hominum. Et Ioan. 1. *Vidimus gloriam

15 eius, plenum gratiæ, & veritatis.* Et Ioan. 10. *Quem pater sanctificauit & misit in mundum.* Hæc autem sanctificatio ex sententia Athanasij lib. de incarnatione Christi, & Chrysostomi homil. 60. intelligenda est de sanctificatione facta per gratiam iustificantem. Et Lucæ. 1. *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quem locum tractans D. Bernardus homil. 4. super Missus est. *Singulariter, inquit, sanctum fuit, quidquid virgo concepit, & per spiritus sanctificationem, & per verbi assumptionem.* Et Rupertus lib. 1. de Operibus Spiritus Sancti cap. 10. interpretatur eundem locum de sanctitate, quæ fit per gratiam iustificantem. Et Psal. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Vbi ad literam fit sermo de

16 Christo, & illud lætitiæ, & exultationis oleum communiter explicant Patres de charismatibus, & donis Spiritus Sancti, quorum præcipuum est gratia iustificās. Vnde 1. Ioan. 3. *Vnctio docebit vos de omnibus.* Et 1. Ioan. 2. *Et vos vnctionem habetis à Sancto.* Quam vnctionem dicit Cyrillus in Epistola ad solitariam vitam agentes, fuisse in Christo. Et D. Hieronymus ad illud Abacuc. 3. *Egressus es in salutem populi tui,* ait. *Super omnia vnguentorum genera est vnguentum spirituale, quod vocatur oleum exultationis, quo vngitur Saluator.* Et D. Ambrosius super ad Hebræ. 1. hoc vnguentum dicit esse gratiam, quæ communis est Christo, & nobis, quamuis in illo sit excellentiori modo, tanquàm in capite. Et denique omnes sancti Patres, & Theologi Scholastici recipiunt hanc conclusionem. Quare cùm communis consensus Sancto- 17 rum, & Theologorum conspirantium in assertionem alicuius veritatis, vt indubitatam, & in scripturis contentam, faciat certitudinem fidei, & omnes colligant ex sacris literis, animam Christi fuisse sanctificatam, & vnctam gratia iustificante, & reliquis Spiritus Sancti donis, necessariò fatendum est, hanc veritatem esse dogma fidei.

Confirmatur etiam ratione: quia secundùm fidem 18 Christus eliciebat actiones creatas supernaturales charitatis, religionis, & obedientiæ, quibus Deo placebat, & erat illi gratus; sed illæ operationes eliciebantur à Christo per humanitatem, & animam ipsius: ergo secundùm fidem asserendum est, in Christi anima fuisse gratiam quantùm ad formalem effectum.

Tertia Conclusio. Hæc gratia habitualiter iustifi- 19 cans fuit in anima Christi simul tempore cum gratia vnionis à primo instanti suæ conceptionis. Hæc conclusio est communis inter Theologos, sed de eius certitudine non constat inter illos. M. Cano lib. 12. de Locis cap. 14. Medina. 3. p. q. 19. art. 4. Dub. 4. & q. 34. artic. 4. & Bellarminus. 1. tomo. lib. 4. de Anima Christi cap. 2. & 3. Censent, hanc assertionem esse veritatem fidei, & multa afferunt Sanctorum Patrum testimonia ad id probandum. Sed alijs Theologis non tam certa videtur, sed dicunt, oppositum illius esse plus quàm temerarium, & in fide erroneum, quia omnia testimonia Sacræ Scripturæ, ex quibus præcedens conclusio collecta est, hanc veritatem insinuant, præsertim illud Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.* Quod ita debet expendi. Si gloria, & plenitudo gratiæ, & veritatis collata fuerit Christo, quia est Vnigenitus Dei Filius, nulla est ratio verisimilis, ob quam in ipso conceptionis instanti ei non darentur, sed aliud tempus expectaretur. Neque aliud potest commodius assignari, cùm infusio gratiæ non meritis Christi respondeat, sed personali eius dignitati, quam totam, & totaliter habuit in primo suæ Incarnationis instanti. Colligitur etiam ex verbis Isaiæ 20 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini.* In eodem ergo momento, quo beatissima virgo floruit concipiendo filium, requieuit super eum Spiritus Domini. Etenim Sancti Patres sæpè per virgam intelligunt Virginem, & per florem Christum. Et Lucæ. 2. loquens Angelus pastoribus, *Euangelizo vobis, ait, gaudium magnum, quia natus est vobis hodiè Saluator, qui est Christus Dominus.* Ecce iam erat tunc Christus. Idest, vnctus Spiritus Sancti charismatibus, & oleo exultationis, quod sanè oleum iam est ostensum, esse gratiam spiritualem, quam reliqua dona supernaturalia comitantur. Innumera sunt testimonia Sacræ Scripturæ, quæ videri poterunt apud Canum, & Medinam. Et similiter Patrum dicta, quæ Cano, & Bellarmi-

nus

minus referunt. Præsertim Gregorius Nazianzenus in
Basilium. *Proficiebat, inquit, sapientia, non vt incre-
mentum aliquod acciperet, cùm ab initio Dominus sa-
pientia, & gratia absolutus esset, sed quòd hominibus
ignaris paulatim appareret.*

21 Præterea confirmatur conclusio ratione. Primò, quia
Angeli creati sunt in gratia, vt ex Augustino docent pe-
ritiores Theologi, dicente. *Deus simul erat in eis con-
dens naturam, & largiens gratiam.* Ergo si hoc proba-
biliter dicitur de Angelis, imò & de primis paren-
tibus etiam dicitur, fuisse creatos in iustitia origina-
li, & gratia Dei, multò magis erit de Christo affir-
mandum. Secundò, Inter statum gratiæ, & statum
peccati nullum de facto, & secundùm legem ordi-
nariam datur medium; sed anima Christi non fuit
creata in peccato; ergo fuit creata in gratia, &
iustitia.

22 Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd
filiatio adoptiua, cùm sit vera, & prædicamentalis rela-
tio, gratia autem sit forma absoluta de prædicamento
qualitatis, neque est primarius, neque secundarius ef-
fectus gratiæ, neque potest esse; sed relatio conse-
quens ad primarium eius effectum, dummodò gratia
sit in subiecto apto nato huiusmodi relationem sus-
cipere, nempe, in subiecto, quod secundùm se, est ex-
traneum à Natura Diuina, & cui aliàs non est debita
gratia. Christus autem cùm sit Filius Dei naturalis,
non est extraneus à Natura Diuina, & illius humani-
tati propter vnionem hypostaticam iure connaturali-
23 tatis debentur gratia, & gloria. Et ideò Christus,
etiam vt homo, est incapax huius relationis, nempe,
filiationis adoptiuæ, atque adeò gratia in hoc subie-
cto non se explicat in hanc relationem, quia
deest conditio necessaria ipsam fundandi, nempe, ex-
traneitas à natura Diuina, in supposito, in quo est
gratia.

24 Sed obiicies. Quòd gratia non se explicet in hanc
relationem filiationis adoptiuæ, fieri non potest sine
magno miraculo, cùm hæc relatio per se consequatur
ipsam gratiam, & primarium eius effectum forma-
lem; sed non sunt multiplicanda miracula in Incar-
natione sine magno fundamento; ergo &c. Respon-
detur, hic interuenire miraculum, sed non nouum; &
omninò distinctum ab eo, quod est, Verbum factum
fuisse carnem; nam eò ipso, quòd Verbum factum
est caro, debita est eius humanitati omnis gra-
tiæ plenitudo secundùm omnem illum effectum, qui
ad ipsam humanitatem pertinet; & cuius ipsa est
capax sublatis imperfectionibus, quæ naturali dig-
25 nitati suppositi repugnant. Hæc autem relatio filia-
tionis non pertinet ad humanitatem, quia relatio
filiationis, siue naturalis, siue adoptiuæ, concer-
nit suppositum, & non naturam, vt infra quæst. 23.
& quæst. 34. latiùs ostendetur. At suppositum hu-
manitatis, nempe, Verbum Diuinum, est incapax
adoptiuæ filiationis. Secundò respondetur, nullum in
hac re miraculum interuenisse, quia ad perfectionem
connaturalem gratiæ pertinet, quòd sit in tali subie-
cto, in quo non constituat filiationem adoptiuam,
sed potius naturalem, per modum cuiusdam dispo-
sitionis concomitantis. De qua re in sequente solu-
tione.

Præterea dico ad primum argumentum, de ratione 26
gratiæ habitualis per se esse, tribuere Diuinam filiatio-
nem subiecto, in quo est, abstrahendo à filiatione natu-
rali, & adoptiua: veruntamen si subiectum fuerit à natura
Diuina extraneum, constituet in illo adoptiuam filia-
tionem, vt contingit in omni pura creatura rationali,
in qua reperitur gratia habitualis. Sin autem, tribuit
illi naturalem filiationem, & ita fit in Christo: Non
quòd ipsa gratia tribuat Christo formaliter Dei filia-
tionem, sed dispositiuè, per modum dispositionis con-
comitantis; quia vt constabit ex art. 3. huius quæstio- 27
nis, gratia habitualis est dispositio concomitans hy-
postaticam vnionem Verbi cum humanitate. Vnde
habitualis gratia verè concurrit per modum prædictæ
dispositionis, vt Christus, in quantum homo, sit per
gratiam vnionis Filius Dei naturalis. Et multò quidem
excellentius est, & Diuinius habituali gratiæ, con-
currere dispositiuè ad naturalem Dei Filiationem,
quàm quòd formaliter constituat filiationem adop-
tiuam.

Ad confirmationem respondetur, si gratiæ infusio 28
fiat in subiecto à Natura Diuina extraneo, habere ra-
tionem participatæ generationis Diuinæ, quam adop-
tiua Dei Filiatio comitatur; quia tunc est communica-
tiua participationis Naturæ Diuinæ in subiecto, quod
secundùm se, ab ipsa Dei Natura erat alienum. At in
Christo, qui est verus Deus, & Filius Dei naturalis, in-
fusio gratiæ est quædam generatio communis, & acci-
dentalis, sicut acquisitio cuiuscunque alterius acciden-
tis, sed non habet rationem generationis adoptiuæ, sed
dispositionis, concomitanter disponentis ad filiatio-
nem naturalem, quod satis est ad saluandam essentiam,
& perfectionem gratiæ.

Ad secundum respondetur, Christum, vt hominem, 29
personaliter tantùm esse similem Patri essentiali, & per-
fecta similitudine, cum qua bene stat similitudo parti-
cipata per gratiam in anima Christi, quia hæc est for-
malis similitudo, & non personalis. Itaque Christus, vt
Deus, est naturalis imago Patris æterni, cùm sit splen-
dor gloriæ, & figura substantiæ eius, atque adeò per-
sonaliter est Patri perfectè similis, & consubstantialis
eius imago. Vt homo autem, est etiam Deo similis per
gratiam, participata quidem similitudine, summa ta-
men, quæ secundùm ordinariam Dei potentiam expri-
mi potest, & hac ratione dicitur imago inuisibilis Dei.
Sed illa similitudo non fuit consubstantialis, & adæ-
quata.

Ad tertium negatur antecedens. Et ad probatio- 30
nem respondetur, vnionem hypostaticam animæ
rationalis ad Verbum non tollere capacitatem ani-
mæ, vt habeat esse Diuinum participatum formali
participatione, quia non est deificata per vnionem
hypostaticam formali deificatione, sed personali tan-
tùm. Itaque anima Christi priùs ordine naturæ fuit
deificata per vnionem personalem. Sed quia per illam
vnionem anima non est facta Diuina per essentiam, vel
naturam, sed solùm per assumptionem, ideo potuit illa
anima vnita suscipere in se participationem Diuinæ
naturæ, & hoc modo dicitur facta Diuina per gra-
tiam. Et quod dicitur de anima, potest dici de hu-
manitate ratione animæ. De Christo autem non potest 31
simpliciter dici, quòd sit Deus per participationem, vel

quòd sit deificatus participatiuè, quia non est de ratione gratiæ creatæ, vt per ipsam deificetur suppositum secundùm se, sed satis esse deificari naturam.

32 Ad primam confirmationem respondetur, eo modo, quo Christi humanitati competit esse Diuinum per essentiam, repugnare illi omninò esse Diuinum participatum. Vnde sicut illi competit Diuinum esse per essentiam vnione personali, ita repugnat illi esse personaliter per participationem Diuinæ hypostasis. Sed quia per modum formalis deificationis nō habet esse Diuinum essentiale, ideò participatione formali potest per gratiam participare esse Diuinum.

33 Ad secundam confirmationem respondetur; hanc propositionem, Christus, inquantùm homo, est Deus per participationem, esse concedendam: sicut conceditur ista, Christus, vt homo est ens per participationem. At verò hæc propositio, Christus est Deus per participationem, est neganda, sicut & illa, Christus est ens per participationem: quia esse per participationem, includit implicitè negationem essendi per essentiam, atque adeò nisi apponatur illa specificatio, Inquantùm homo, negatur Christo essentialis Diuinitas, cùm dicimus, Christum esse Deum per participationem.

34 Ad quartum respondetur, habitualem gratiam non fuisse necessariam in animam Christi, vt eam simpliciter, & absolutè gratam, & dilectam efficeret, quia ad hoc sufficiebat gratia vnionis; sed vt eam redderet formaliter gratam, & acceptam Deo, ac sanctam formali gratitudine, & sanctitate. Vnde si minor intelligatur de sanctitate, & gratitudine personali, est vera: si verò de formali sanctitate, & gratitudine, est falsa.

35 Ad primam confirmationem negatur antecedens, & ad probationem respondetur, gratiam vnionis esse infinitam, personaliter tantùm, & ideò posse secum admittere in Christi humanitate habitualem gratiam, quæ confert formalem gratitudinem, & sanctitatem, sine qua non esset vndiquaque sancta, & grata ipsa Christi humanitas, sed personaliter duntaxat.

36 Sed contra obijcitur. Ipsum esse Personale Verbi est omnibus modis infinitum, & infinitè sanctum, & gratum Deo personali, & formali gratitudine; ergo facit humanitatem sanctam, & gratam non solùm personaliter, sed etiam formaliter: atque adeò gratia habitualis non est necessaria. Neganda est consequentia, quia esse Verbi non vnitur, & communicatur humanitati secundùm omnimodam rationem sanctitatis, & gratitudinis, quam in se habet, nō enim illi communicatur per modum formæ, sed per modum tantùm personalitatis, seu personæ: atque adeò requiritur gratia habitualis, per quam humanitas formali gratitudine, & sanctitate gratificetur, & sanctificetur: eoquòd Verbum eo modo, quo humanitati communicatur, non adimplet obedientialem potentiam, quam habet anima Christi ad formalem sanctitatem, & gratitudinem, ac proinde fuit necessaria gratia habitualis.

37 Dixi autem eo modo, quo Verbum humanitati vnitur, nam realiter in Christo habitat omnis plenitudo Diuinitatis Verbi corporaliter, & Personalis, & essentialis, non tamen vnita per modum essentialis formæ. Et ob id requiritur gratia habitualis, per quam ipsa Deitas communicatur animæ Christi per modum formæ, cōmunicatione quidem participata; sicut Diuina Essentia, quæ est infinita in ratione speciei, & in ratione luminis Diuini, quia intellectui beato non vnitur per modum luminis, sed tantùm per modum speciei intelligibilis: ideò relinquit locum lumini gloriæ creato, imo exigit illud per modum necessariæ dispositionis, & intellectiuæ virtutis ad eliciendam visionem, vt docet D. Thomas. 1. p. q. 12. art. 5.

38 Pro solutione secundæ confirmationis aduertendum est, virtualem, & eminentem continentiam esse duplicem. Alteram, secundum formam superiorem, quæ seipsa eminentiori quodam modo exequitur totum id, quod inferior forma præstare potest, ita vt impleat totam potentiam, & capacitatem subiecti, quam forma inferior adimpleret. Sic anima rationalis eminenter continet formas inferiores, corpoream, vegatatiuam, & sensitiuam, quia seipsa confert omnes gradus substātiales, quos istæ formæ inferiores tribuere possunt, & id quidem altiori, & eminentiori modo. Altera verò cōtinentia eminentialis potest esse secūdùm rationem principij effectiui, seu quasi effectiui: & sic rationalitas eminenter continet risibilitatem, quia per modum substantialis, & eminentis principij, eam quasi efficienter causat, & efficit. Dico, quasi efficienter, quia non per propriam actionem, sed per naturalem effluxum risibilitas efficitur à rationalitate.

39 Hac ergo distinctione præmissa respondetur ad confirmationem, quòd cum illa forma, quæ eminenter præhabet inferiorem formam priori modo, non compatitur ipsa inferior forma, vt in homine, cum anima rationali non compatitur alia substantialis forma, vegetatiua, aut sensitiua &c. Quia forma superior, & eminentior implet totā illam subiecti capacitatem, quam inferior forma ad implere posset. At cùm forma eminentiori, quæ posteriori modo præhabet formam inferiorem, benè compatitur ipsa inferior forma, non solùm de potentia absoluta, sed etiam secundùm ordinem connaturalem rerū, vt risibilitas cōpatitur cū forma rationali, imò ordine naturali illā cōsequitur. In proposito ergo gratia vnionis secū cōpatitur gratiā habitualem in Christo, imò & illā secū affert naturali consequutione, quia continentia virtualis, & eminens, qua illā continet, est posterioris generis. Si autem Verbū humanitati vniretur per modum formæ ipsam deificans, & non tantùm per modū hypostasis, dicendum esset, continentiam gratiæ habitualis respectu humanitatis esse prioris generis, atque adeò non admitteret secum habitualem gratiam saltem de potentia ordinaria.

40 An verò Sol, qui sua luce continet eminenter calorem, sit capax eiusdem caloris formalis, dicendum est, de potentia absoluta non repugnare: quia illa continentia eminentialis caloris in luce Solis est posterioris generis, repugnaret tamen, si esset prioris generis. Secundò potest dici, secundùm ordinem naturæ solem esse incapacem formalis caloris, non quia ipsum eminenter contineat, sed quia modo quodam eminentiæ incorruptibili eum continet, cui repugnat corruptibilis forma, qualis est formalis calor.

SECVNDA DISPVTATIO. §. I.

AN Gratia habitualis fuerit simpliciter necessaria in humanitate Christi; ita vt Christus vt homo, etiā de potentia Dei absoluta non potuerit esse gratus,

Digitized by Google

& acceptus Deo sine ista gratia, An verò per gratiam vnionis sit simpliciter Sanctus, ac Deo gratus, & acceptus.
1 In hac disputatione illud est certum, & sine vlla controuersia, vt rectè obseruauit Caietanus, simpliciter loquendo, huiusmodi habitum gratiæ non fuisse necessarium in humanitate Christi, de potentia Dei absoluta, quia omnes Theologi fatentur præter Alexandrum Alensem, quem supra quæst. 2. artic. 10. reiecimus, potuisse humanitatem assumi à Verbo absque vllo habitu supernaturali, & sine illo etiam permanere in facto esse. Itaque potuit Verbum in fieri, & in facto esse humanitatem in puris naturalibus sibi hypostaticè vnire absque vlla gratia habituali, quæ gra-
2 tiam vnionis vel præcederet, vel sequeretur; & constat apertè, quia nulla est intrinseca dependentia vnionis hypostaticæ à gratia habituali. Etenim cùm gratia habitualis sit qualitas omninò distincta ab anima, & à gratia vnionis, & formaliter non concurrat ad vnionem, neque sit dispositio ad illam, sed quid eam consequens, nihil repugnat, quòd Deus suspendat influxum illius conseruando vnionem. Verum est, quòd in tali casu non posset Verbum humanitatem assumere sine gratia habituali, quin sibi eam gratam redderet, communicando illi gratiam vnionis, quæ est donum excedens omne donum & naturæ, & gratiæ.
3 Quod igitur controuertitur, est, vtrùm ad aliquem effectum consequendum fuerit gratia habitualis simpliciter necessaria homini Christo, ita vt sine illa talis effectus comparari nõ valeat, An potiùs sufficiat gratia vnionis. Videtur, quòd gratia habitualis sit necessaria simpliciter ad consequendum hunc effectum, qui est esse gratum.

4 Primò. Esse formaliter gratum in ordine ad finem supernaturalem, est primarius effectus formalis gratiæ habitualis: ergo Christus, vt homo, ex vi solius gratiæ vnionis non est formaliter Deo gratus, & simpliciter gratus, & rectus in ordine ad finem supernaturalem. Consequentia patet, quia effectus formalis primarius alicuius formæ non est separabilis ab ea.

5 Confirmatur. Bene valet. Christus, vt homo, non habet Dei gratiam: ergo non est Deo gratus: atque adeò in illo rationis, seu naturæ signo, in quo gratia vnionis prointelligitur gratiæ habituali, Christus non intelligitur gratus, & acceptus Deo.

6 Dices, gratiam vnionis eminenter præhabere gratiam habitualem, vnde illum met effectum, quem confert habitualis gratia, potest humanitas Christi à gratia vnionis suscipere, atque adeò sola gratia vnionis sufficit, vt Christus dicatur gratus, & acceptus Deo. Contra, sequitur ex hac solutione, solam gratiam vnionis absque lumine gloriæ, & absque beatifica visione, constituere hominem simpliciter, & formaliter beatum, quod est falsum.

7 Secundò. Christus, secundùm quòd homo, non est Deo gratus, & dilectus, vt Dei filius naturalis, quia Christus homo non est naturalis Dei Filius, vt docet D. Thomas infra quæst. 23. artic. 4. Neque est gratus per gratiam habitualem (supponimus humanitatem omni habituali gratia carentem) ergo Christus nulla ratione esset gratus Deo, neque Sanctus ex vi solius hypostaticæ vnionis, si fingamus humanitatem in puris naturalibus assumptam.

Tertiò. Christus, vt homo, sine gratia habituali non esset acceptus ad vitam æternam; ergo non esset simpliciter Deo gratus, & acceptus, ac proinde nec simpliciter sanctificatus. Consequentia patet, quia illa tantùm est dilectio Dei simpliciter, qua quis diligitur à Deo ad æterna bona. Sed probatur antecedens. Deus in illo casu non vellet Christo, vt homini, gratiam; ergo neque vellet ei gloriam. Patet consequentia: tum, quia gloria est gratia consummata: tum etiam, quia anima Christi non esset sine gratia & charitate sufficienter disposita ad gloriam: sed qui non vult alicui subiecto sufficientem dispositionem ad aliquam formam, neque vult ei ipsam formam: ergo &c. 8

Quartò sequitur ex opposita sententia, si Verbum assumeret naturam Leonis, Filius Dei vt Leo, formaliter, & simpliciter diceretur gratus, & acceptus Deo, ac sanctus ratione vnionis hypostaticæ: sed consequens est absurdum; ergo. Probatur sequella; quia seclusa gratia habituali eiusdem rationis est vnio hypostatica Verbi cum natura Leonina, cuius est vnio Verbi cum humanitate, neque maius donum acciperet humanitas, quàm natura Leonina, quia vtraque acciperet infinitum Suppositum Verbi, & nihil amplius. 9

Dices, humanitatem ita à Verbo assumi, vt ex vi huius assumptionis possit habitualem gratiam, & omnia dona supernaturalia suscipere, quæ ex vi vnionis sunt illi debita, & connaturalia, quod tamen in natura Leonina non contingeret, quia est incapax horum supernaturalium donorum. Contra. Ergo humanitas Christi neque est sancta, neque Deo grata & accepta nisi ratione gratiæ habitualis, ac proindè per gratiam vnionis erit quidem sancta, & grata radicaliter, quia ipsa gratia vnionis est radix habitualis gratiæ, sed non erit grata formaliter, & simpliciter, ac proinde neque Christus, vt homo, ratione solius vnionis hypostaticæ est sanctus, & Deo gratus: sicut homo per rationalitatem est risibilis radicaliter, quia risibilitas præhabetur in rationalitate, vt in prima radice, formaliter verò, & simpliciter non dicitur risibilis, nisi per proximam ridendi potentiam, quæ dicitur risibilitas. 10

Quintò. Christo, vt homini, non repugnat ab intrinseco peccatum, siue mortale, siue veniale, ergò ex vi gratiæ vnionis seclusa gratia habituali non constituitur gratus simpliciter, & sanctus. Consequentia patet, quia ideò cum gratia habituali nequit stare peccatum mortale, quia hæc gratia ex sua natura habet sanctificare animam, & illam formaliter constituere Deo gratam, & acceptam: ergo si cum gratia vnionis potest ex natura rei compati peccatum mortale in Christi humanitate, iam gratia vnionis nõ habet ex se constituere Christum simpliciter iustum, & Deo gratum. Antecedens probatur; quia impossibilitas peccandi in Christo tantùm prouenit ex extrinseca Verbi prouidentia, qua humanitati à se assumptæ specialiter prouidet, non ex aliqua intrinseca humanitatis dispositione. 11

Confirmatur. Verbum Diuinum, prout vnitur humanitati, non habet rationem formæ actuantis, & informantis humanitatem, neque habet rationem principij effectiui immutantis humanitatem, sed tantum terminantis, & supplentis vicem subsistentiæ naturalis ... 12

ergo ex vi solius vnionis hypostaticæ nulla potest in humanitate Christi assignari realis immutatio, & dispositio, cui vel actuale, vel habituale peccatum repugnet, ac proinde ex sola extrinseca Verbi prouidentia consideranda est tota peccandi impossibilitas.

13 Circa hanc difficultatem non est consentiens Theologorum sententia. Quidam, vt refert Paludanus in. 3. d. 13. q. 2. censent, habitualem gratiam non esse Christo simpliciter necessariam, sed sufficere illi gratiam vnionis, per quam fuisset tam sanctus, & Deo gratus, & acceptus, vt esset otiosa, & frustranea in eo gratia habitualis cum omnibus alijs donis, quæ ipsam comitantur. Alexander Alensis. 3. q. 7. membro. 2. art. 1. opinatur, gratiam habitualem ita fuisse Christo simpliciter necessariam, vt etiam de potentia Dei absoluta non potuerit Verbum humanitatem assumere gratia habituali non exornatam. loquit enim, non esse possibile per donum naturæ eleuari, & disponi humanitatem ad Diuinam vnionem, & ideò necessariam fuisse gratiam.

14 Ex recentioribus autem, nonnulli, de quorum numero est M. Suarez in hoc articulo, Disput. 18. sectio. 1. & 2. asserũt, Christũ, vt hominẽ, ex vi ipsius gratię vnionis fuisse formaliter, & simpliciter sanctum, & Deo gratum, nihilominus gratiam habitualem non fuisse in Christo otiosam, & superuacaneam, quin potius quàm plurimùm expedire ad debitam illius animæ pulchritudinem, & dispositionem, & ad connaturalem modum operandi, atque adeò ad perfectam participationem Diuinitatis, & consummatam iustificationem. Hanc sententiam probant multis Sanctorum testimonijs ad illud Psalmi. 44. *Vnxit te Deus; Deus tuus oleo letitiæ.* Et Isaiæ. 61. & Lucæ. 4. *Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me.* Dicunt enim hanc vnctionem, qua Christus fuit vnctus, esse ipsam Diuinitatem, seu Verbum. Sic docet Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 19. &

15 Nazianzenus Oratio. 36. & 42. Damascen. Orat. 1. de Imaginibus. Et lib. 3. Fidei cap. 3. 4. & 17. Et lib. 4. cap. 6. & D. Augustinus lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 15. vbi ait, vnctam fuisse inuisibili Deo humanam naturam, quando Diuinæ est iuncta personæ. Et Nicetas lib. 3. Thesauri cap. 3. ait. *Ipse seipsum vnxit, Diuinitas enim humanitatis est vnctio.* Anselmus ad Hebr. 1. Fulgentius de Incarnatione & gratia cap. 10. Et videtur ita esse definitum in Concilio Francofordiensi sub Adriano primo. Idem docet Athanasius Oratio. 2. contra Arrianos, quod videtur etiam insinuari. Lucæ. 1. illis verbis; *Quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Vbi Angelus sanctitatem Christi non ad aliquam specialem gratiam Spiritus Sancti reducit, sed ad ipsam Christi generationem, & nascentiam.

16 Secundò probatur hæc sententia. Christus, inquantum homo, est prædestinatus, vt sit Filius Dei naturalis, vt docet D. Thomas infra q. 24. art. 1. Nullo habito respectu ad gratiam habitualem; sed prædestinatio intrinsecè claudit dilectionem Dei, imò eam præsupponit secundùm ordinem rationis; prius enim intelligimus, Deum dilexisse, imò & elegisse aliquem ad tale, vel tale bonum, quàm quòd ad idem bonum eum prædestinauerit; ergo Christus, vt homo, seclusa gratia habituali; sicut esset prædestinatus, vt esset Filius Dei naturalis, ita esset dilectus à Deo, & ad tantum bonum prælectus.

Confirmatur primò ex illo Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Nam simili ratione dicere poterat. Sic Deus hanc humanitatem Christi dilexit, vt ei Filium suum vnigenitum per vnionem hypostaticam daret: ergo Christus, vt homo, est summè dilectus à Deo per hanc vnionem, summèque gratus. Patet consequentia, quia Deum diligere aliquem nihil est aliud, quàm illi velle bonum, & summè diligere est velle ei summum, & maximum bonum, atque adeò humanitas Christi, cui tantum bonũ voluit Deus, non potuit hac ratione non esse summè dilecta, & maximè grata. 17

Confirmatur secundò. Humanitati Christi ex vi vnionis ad Verbum debetur gratia habitualis; ergo ex vi vnionis Christus, vt homo, simpliciter, & formaliter est sanctificatus, & gratus Deo. Consequentia probatur. Vt quis sit Sanctus, & gratus formaliter, & simpliciter, solùm requiritur, quod odio non habeatur, neque possit haberi à Deo, & habeat in seipso propter quod sit dignus acceptari ad gloriam; sed Christus, vt homo, ex vi vnionis est dignus amore Dei, quia est dignus gratia, debita sibi debito connaturalitatis; & est dignus acceptari ad gloriam; ergo simpliciter censendus est gratus Deo, & acceptus, atque adeò sanctificatus. 18

Obseruationes. §. II.

PRO Decisione huius difficultatis aduertendum est, triplicem in Christo distingui gratitudinem; nempe, essentialem, personalem, & formalem. Essentialis conuenit Christo, inquantum est Filius Dei naturalis, per quam diligitur à Patre, quæ proinde dicitur gratitudo, non quia sit effectus alicuius gratiæ, & doni gratuiti, sed obiectiuè, in eo sensu, in quo, id, quod voluntati placet, dicitur ipsi gratum, & acceptum. Personalis gratitudo conuenit Christo ratione vnionis hypostaticæ, per quam esse Verbi Personale communicatum est humanitati, & in eo sensu appellatur gratitudo, quatenus designat effectum gratiæ, idest, doni gratuiti, & summi beneficij, quale fuit vnio hypostatica, quæ re vera fuit gratia, & gratuitum donum, & immensum beneficium humanitati collatum. Gratitudo formalis conuenit humanitati Christi per gratiam habitualem, qua Diuinæ naturæ participatio illi communicatur formaliter. Hæc gratitudo dicitur formalis, & non personalis, quia consistit in communicatione formæ perficientis, & eleuantis humanitatem Christi. 19 20

Conuenit autem hæc formalis gratitudo cum personali in eo, quòd vtraque est effectus gratuitæ dilectionis, & consistit in communicatione beneficij gratuiti. Differunt tamen inter se in duobus. Primò, quòd personalis gratitudo est substantialis, quia bonum gratuitò collatum humanitati est ipsamet substantialis Personalitas Verbi Diuini; formalis verò gratitudo est accidentaria, quia consistit in communicatione Diuinæ naturæ per formam accidentalem, qua subiectum fit consors Diuinæ naturæ. Secundò; illa est personalis, quia bonum per se primò collatum humanitati est duntaxat ipsa Verbi Personalitas vnita 21

humanitati

humanitati per modum personalitatis; ista verò est formalis, idest, per modum formæ actuantis, & eleuantis humanitatem Christi, & communicantis illi spiritualem Diuinitatem, quæ est forma efficiens, & communis tribus Personis communis. Vnde duplici titulo appellatur gratitudo formalis, altera quia est effectus formalis, altera habitualis gratiæ, tum etiam quia consistit in participio Diuinæ naturæ secundùm rationem naturæ, & formæ substantialis.

22 Secundo quod notandum est, effectum, vel fructum gratiæ iustificantis, seu gratificantis esse multiplicem. Vnum est facere hominem participem Diuinæ naturæ, acceptum Deo, & ordinatum ad vitam æternam quomodocumque. Alius est, vt opus bonum à gratia elicitum, sit dignum meritorium vitæ æternæ. Tertius est, im perficere hominem informando essentiam, vel eius potentiam, vt illum efficiat consortem Diuinæ naturæ secundùm quandam condignitatem, & connaturalitatem, attentam ex parte hominis, ita vt in se habeat aliquid intrinsecum, quod reddat eum dignum, & proportionatum ad tale consortium, & participium: sicut primogenitus Regis ex vi, & modo suæ prosapiæ, & Regiæ generationis, habet dignitatem & proportionem, vt accipiatur ad Regnum, quia ex vi, & modo suæ originis, & generationis Regiæ, intrinsecè, & connaturaliter hoc sibi conuenit. Vltimus tandem effectus gratiæ est, efficere etiam, vt operationes supernaturales elicitæ ab humanitate sibi sint connaturales, ita vt formaliter habeat participatione alicuius formæ ab ipsa existentis, & non solùm ab extrinseco sibi sint connaturales. His positis sit Prima Conclusio.

Prima Conclusio. §. III.

24 CHRISTVS, Vt homo, ex vi vnionis hypostaticæ priùs naturâ quàm reciperet gratiam habitualem, fuit simpliciter Sanctus, gratus, & acceptus Deo sanctitudine, & gratitudine personali, non formali; sed tantùm radicaliter. Prima pars est adeò certa, vt eius oppositum non sit tutum in fide, & efficaciter probatur rationibus, & Sanctorum testi

25 moniis adductis pro sententia Magistri Suarez. Et præterea probatur, quia vnio hypostatica est verè, & propriè gratia, & ita communiter vocatur gratia vnionis, quæ gratia fuit facta Christo, non vt est Deus, quia sic est gratus essentiali gratitudine, quæ illi non conuenit ex vi vnionis hypostaticæ, aut ex gratia vnionis, sed ex æterna generatione, qua processit à Patre; at hæc gratia vnionis facta est Christo, vt est homo, quatenus substantialis gratitudo, & Sanctitas Personæ Verbi communicata est humanitati communicatione substantiali, qua Personalitas Verbi communicata est humanitati; in qua substantiali communicatione consistit gratia vnionis; ergo ex vi illius Christus, vt homo, est gratus, & acceptus Deo, & Sanctus.

26 Secunda pars probatur. Gratitudo formalis est effectus formalis, & primarius gratiæ habitualis; ergo ex vi solius hypostaticæ vnionis, & prout ordine naturæ antecedit gratiam habitualem, nequit Christus esse simpliciter gratus, & Sanctus formali gratitudine, & Sanctitate. Consequentia patet, quia effectus formalis primarius est inseparabilis à forma. Antecedens patet ex secunda annotatione, in qua ostensum est, quod facere consortem Diuinæ naturæ, & dare connaturalitatem ad vitam æternam, est effectus primarius gratiæ, 26
illi intrinsecus, & essentialis. Et constat ex D. Thoma 1. 2. quæst. 110. artic. 1. vbi ait, quòd gratia secundùm essentiam habet constituere hominem in esse supernaturali, ratione cuius habet proportionem & dignitatem respectu vitæ æternæ. Et ideò in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. definitur gratiam esse causam formalem iustificationis, nempè quia dignificando nos ad Diuinum amorem, & beatitudinem, aufert peccatum habituale, quod est dignitas ad odium Dei, & ad priuationem beatitudinis.

Tertia pars conclusionis sola indiget explicatione. 27
Affirmat enim, quòd sicut rationalitas est radicaliter risibilitas, quia ex rationalitate oritur naturaliter, sed quandiu non intelligitur in homine ipsa risibilitas, homo non dicitur simpliciter risibilis, sed tantùm radicaliter, in quo sensu solet dici risiuus: ita Christus ratione vnionis tantùm est radicaliter Sanctus, & gratus gratitudine formali, quia habitualis gratia, cuius effectus formalis est hæc gratitudo formalis, in vnione radicaliter præhabetur. Argumenta initio disputationis proposita confirmant hanc partem, & præcedentem.

Secunda Conclusio. §. IIII.

DE Potentia etiam absoluta Dei fieri non po 28
test, vt Christus, inquantùm homo, sit gratus formali gratitudine absque gratia habituali. Probatur primò. Gratia habitualis est quædam qualitas à Deo producta: ergo habet aliquem effectum formalem sibi intrinsecum, & essentialem secundùm propriam rationem specificam, qui nisi ab illa haberi non potest: omnis enim qualitas est productiua alicuius effectus intrinseci, qui sibi essentialiter, & intrinsecè conueniat secundùm propriam rationem specificam; sed effectus intrinsecus, & essentialis gratiæ habitualis est facere hominem acceptum, & dignum vita æterna, secundùm proportionem, & connaturalitatem quandam: ergo ad hunc effectum consequendum simpliciter est necessaria gratia habitualis in humanitate Christi.

Confirmatur, & explicatur exemplo. Benè potest 29
Deus terram cum sua grauitate in loco superiori ignis collocare, efficere verò, quòd ipsi sit connaturalis, & proportionata loco supremo absque leuitate, fieri non potest: ita similiter quòd homo sit acceptus Deo, & dignus vita æterna, denominatione quadam extrinseca à Deo sic ordinante, habereq; operationes supernaturales, ex auxilio tantùm speciali Dei prouenientes, fieri quidem potest absque gratia habituali. Quòd verò sit dignus connaturaliter, & secundùm proportionem, & operatio supernaturalis sibi sit connaturalis, & omninò perfecta, sine gratia habituali fieri non potest. Et hoc est quod dixit D. Thomas, in responsione ad secundum, hanc gratiam esse necessariam, vt Christi operatio esset perfecta. Et in solutione ad tertium, vt esset consummata.

30 Secundò probatur. Implicat, esse effectum formalem primarium sine causa formali; sed esse gratum Deo gratitudine formali, hoc est, esse participem Diuinæ naturæ connaturaliter, & condigne, est effectus primarius gratiæ, ergo implicat, aliquem esse gratum Deo sine gratia habituali. Maior patet, & probatur minor ex dictis: & præterea; quia sicut effectus formalis charitatis est facere charum, & fortitudinis fortem, & albedinis album; ita effectus formalis gratiæ primarius est facere gratum. Hoc etiam insinuatum est in Concilio
31 Tridentino sess. 6. cap. 7. vbi definitur, causam formalem nostræ iustitiæ esse aliquid nobis inhærens. Ex quo desumitur argumentum. Homo de facto est formaliter gratus per aliquid sibi intrinsecum, & inhærens, nempe, per gratiam habitualem: quod enim est formaliter tale, est per causam formaliter talem: ergo implicat, hominem esse formaliter gratum sine qualitate gratiæ. Patet consequentia; quia effectus formalis est inuariabilis, & ob id implicat, hominem aliquando esse album sine albedine, quia modò de facto est formaliter albus per albedinem: ergo pari ratione in præsenti.

32 Tertiò probatur. Christus, in quantum homo, vel est gratus gratitudine formali per aliquam formam sibi intrinsecam, & inhærentem, vel extrinsecam. Secundum dici non potest, aliàs de facto non esset gratus formaliter per aliquid inhærens, sed per extrinsecam denominationem ab acceptatione, vel fauore Dei contra definitionem Concilij, in quo damnantur anathemate, qui nostram iustitiam dixerint non esse aliquid inhærens, vel gratiam iustificantem esse tantùm fauorem Dei. Necessariò ergo dicendum est primum, videlicet, esse gratum per aliquam formam intrinsecam, & sibi inhærentem. Tunc vlteriùs. Sed Deus supplere non potest causalitatem, & vicem causæ formalis: ergo non potest facere gratum sine gratia.

33 Sed obijcitur primò contra hanc assertionem. Deus potest per seipsum supplere in intellectu beati id, quod præstat species intelligibilis creata in intellectu cuiuslibet, imò verò Deus facit subsistere humanitatem Christi sine vlla creata subsistentia: ergo similiter poterit facere Christum formaliter gratum sine gratia. Consequentia patet, quia facere naturam subsistentem est effectus formalis subsistentiæ creatæ, sicut gratiæ efficere gratum. Respondetur, Deum non supplere id, quod præstaret species in genere causæ formalis informando ipsum subiectum, sed id tantùm, quod præstaret in genere causæ efficientis cooperando cum subiecto. Et sic Deus facit naturam humanam subsistere sine propria subsistentia, non tamen sine formali subsistentia, qualis est Diuina ipsius Verbi, atque adeò non supplere effectum formalem sine causa formali, & ob id neque posse facere gratum sine gratia, cui essentialiter, & intrinsecè conuenit dare esse gratum.

34 Secundò obijcitur ex D. Thoma 1. 2. q. 114. art. 6. & 2. 2. q. 124. art. 8. vbi ait. Siquis faciat opus meritorium, licèt non augeatur gratia in esse qualitatis, augeri in esse gratiæ, vt cùm operatur per actus remissiores, quàm sit habitus: tunc enim homo est acceptus ad maiorem gloriam, quàm anteà, atque adeo magis gratus Deo, quia Deus nō acceptat ad maiorem gloriam, nisi eum, qui est sibi magis gratus: ergo si potest esse magis gratus sine maiori qualitate, poterit etiam esse absolutè gratus sine qualitate: sicut si potest esse magis albus sine maiori albedine, potest etiam esse albus sine albedine. Patet consequentia, quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis: sed potest esse magis gratus sine intensiori qualitate gratiæ: ergo poterit esse gratus sine vlla qualitate.

Respondetur, impossibile esse, quòd gratia augeatur in esse gratiæ, & non in esse qualitatis, atque adeò repugnare, aliquem esse magis gratum sine intensiori qualitate: quia homo non est gratus de lege nisi per qualitatem gratiæ: ergo neque magis gratus nisi per maiorem qualitatem. Et hæc est communis sententia Theologorum omnium huius ætatis, & proinde nihil conuincit argumentum contra nostram opinionem. 35

Tertiò obijcitur. Anima Christi, vel cuiuscumque hominis dicitur grata Deo, quatenùs ab eo diligitur; sed Deus potest aliquem diligere sine eo, quòd infundat ei qualitatem gratiæ, ergo. Probatur minor, quia vel requiritur hæc qualitas tanquam effectus necessarius dilectionis Dei, & hoc non, quia iste effectus non habet necessariam, seu essentialem dependentiam à dilectione, cùm non procedat ab illa, nisi in genere causæ efficientis: ergo posset esse dilectio sine tali effectu, sicut homo diligit alium hominem, vel Deum, sine eo, quòd ex tali dilectione sequatur aliquis effectus. Vel requiritur ista qualitas tanquam obiectum necessariò præsuppositum ad dilectionem Dei, & hoc non, quia Deus amat, quos prædestinat, & non supponit in eis talem qualitatem: ergo &c. 36

Pro solutione aduertendum est, actum Diuinæ dilectionis circa hominem posse dupliciter considerari. 37
Vno modo actiuè, vt est actus Diuinæ voluntatis, & sic in creatura nihil ponit præter denominationem extrinsecam, in Deo autem denominationem intrinsecam ab actu dilectionis, & hoc modo procedit argumentum. Secundò potest ille actus considerari passiuè, seu obiectiuè, quatenùs per illum actum redditur homo obiectum Diuinæ dilectionis, & sic ponit aliquid in illo, quia, vt constat ex D. Thoma 1. p. q. 23. artic. 1. & 2. in voluntate Dei est duplex actus, alter, qui causat obiectum, vel per modum prædestinationis, vt cùm Deus ab æterno statuit, & voluit, suam gloriam quibusdam tribuere, per hunc actum illos constituit suæ dilectionis obiectum, vel per modum executionis, vt cùm Deus reipsa, & in effectu confert gratiam, & gloriam. Alter actus Diuinæ voluntatis dicitur complacentiæ, & præsupponit in re dilecta bonitatem, & rationem diligendi, iuxta illud, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.*

Vnde constat, actum Diuinæ dilectionis, si sumatur passiuè, intelligi non posse absque eo, quòd in re dilecta aliquod bonum constituat. Si enim consideretur actus Diuinæ voluntatis, vt est prædestinatio (saltem antecedenter) iā in mente Diuina correspondet aliquod bonum prædestinatum, & prædefinitum, saltem obiectiuè respectu rei dilectæ. Etenim si statuit dare gloriam, iam gloria danda est bonum, quod ponit in re dilecta. Si verò consideretur actus voluntatis, vt executiuus, ponit in anima gratiam. Similiter, vt est actus complacentiæ 38

ponit

ponit aliquid; quia implicat, Deum complacere nisi de
39 bono prius existenti in aliquo: nam cùm creatura nullum habeat bonum supranaturale, vt Deus dicatur eam diligere amore supranaturali, oportet, quòd illi conferat aliquod bonum supernaturale, in quo complaceat, vel eam ordinet ad aliquod bonũ supernaturale, quod illi velit. Quare intelligi non potest, Deum diligere aliquem efficaciter, & quòd in eo non ponat aliquod bonum aliqua ratione, & ex consequenti falsò asseritur, actum Diuinæ dilectionis solùm ponere in anima extrinsecam denominationem.

40 Sed contra replicatur. Prius non pendet à posteriori; sed dilectio Dei est causa omnis gratiæ existentis in anima, ergo est prior, & ex consequenti potest esse sine illa. Respondetur, negando consequentiam: quamuis enim dilectio Dei sit prior, quàm gratia resultans præcisè considerata, non tamen est prior, si dilectio Dei in actu secundo consideretur, hoc est, quatenus est productiua gratiæ, quia vt sic sunt simul natura. Omnis enim causa in actu secundo considerata simul naturâ est cum positione sui effectus, & ideò inter illa est mutua relatio; constat autem relatiua esse simul naturâ.

41 Postremò obijcitur: Deus potest per auxilium speciale, quod est Diuina motio, mouere ipsam animã, & ratione illius motionis gratam reddere: ergo sine gratia habituali potest supplere esse gratum. Respondetur, posse Deum gratificare hominem per motionem auxilij specialis, sed hoc erit in actu secundo, & per modũ causæ efficientis, de quo non est præsens disputatio: reddere verò esse gratum per modum actus primi, nequit efficere nisi media gratia habituali animam informante.

42 Ex dictis sequitur primò, effectum formalem gratiæ non esse acceptari actu ad vitam æternam, sed esse dignum, & connaturale ad hoc, vt acceptetur; & quasi intrinsecè proportionatũ, & coaptatum ad vitam æternã, iuxta illud ad Coloss. 1. *Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, & transtulit in regnũ Filij dilectionis suæ.* Itaque sicut per generationem naturalem Filius Regis habet quandam intrinsecam connaturalitatem ad regnum: sic per generationem spiritualem, qua Deus interuentu gratiæ habitualis cõmunicat homini esse supernaturale, & Diuinum, habet homo connaturalem proportionem per formam supernaturalem intrinsecam ad hoc, vt diligatur à Deo, & acceptetur ad vitam æternam, nempe, ex illa qualitate gratuita ordinis supernaturalis. Vnde etiam si Deus statuisset nunquam dare gloriam habenti talem qualitatem, ipse tamen, quantùm est de se, esset proximè proportionatus, & ad vitam æternam coaptatus; atque adeò gratus Deo.

43 Sequitur secundò: humanitatem Christi etiam de potentia Dei absoluta absque gratia habituali in ea existente non esse acceptam ad gloriam. Itaque humanitas Christi quantumcumque sit personaliter grata, si ab ea excludatur gratia habitualis, est improportionata ad consequutionem beatitudinis: quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam. Vnde operatio, quantumuis bona, si non procedat à libero arbitrio informato per gratiam, non habet condignitatem, & connaturalitatem, ac rationem acceptationis ad gloriam: quia ex D. Thoma 1. 2. q. 109. art. 5. & q. 114. art. 1. Homo nequit habere proportionem cõdignitatis, aut acceptationis ad gloriam, nisi sit deiformis, & consors Diuinæ Naturæ, & habeat intra se principium faciens proportionem inter ipsum, & Deum. Cùm ergo gratia id conferat, qui ea caret, similiter caret omni eo, quod ad illam consequitur.

Vnde perperàm Scotus in 1. d. 17. q. 1. Quamuis nobiscum consentiat in hoc, quòd gratia est qualitas supernaturalis, efficiens hominem Deo gratum, & deiformem; negat tamen gratiam facere proportionem, & condignitatem inter Deum, & hominem; inter meritum, & præmium, quia inter finitũ, & infinitum, creatum, & increatum nulla, inquit, potest esse proportio, aut condignitas. Quare cùm Deus sit infinitus, nulla creatura potest ad illum facere proportionem; atque adeò neque gratia, cùm sit creatura, potest facere huiusmodi proportionem: & sic posita gratia in homine, & operibus meritorijs non acceptatur homo ad gloriam per modum iustitiæ, aut condignitatis, & proportionis, quæ in eius operibus sit respectu Dei, sed per modũ liberalitatis, quia Deus se præstat liberalem, & magnificum. 44

Nihilominùs deceptus est Scotus non animaduertens, proportionem, & æqualitatem, quam facit gratia inter Deum, & hominem, non esse Arithmeticam, qualis est inter duo, & duo, sed Geometricã, quatenùs opera nostra facta in gratia habent proportionem cum Deo in gratia, considerando Deum; non quidem entitatiuè, sed vt est participabilis, & communicabilis. Vnde sicut lumen gloriæ in intellectu beato facit proportionem inter intellectum ad visionem Dei ex vna parte, & Deum, vt est obiectum visionis, ex alia, & hanc proportionem non facit in ratione rei; cùm Deus sit infinitus, sed in ratione obiecti, & potentiæ: ita gratia facit proportionem inter animam, & Deum, vt est cõmunicabilis, & participabilis, & ad hanc condignitatem gratia eleuat animam, ita vt sine illa maneat improportionata. 45

Sequitur tertiò, gratiam actualem adiuuantem fuisse necessariam animæ Christi ad actus supernaturales efficiendos, sicut alijs hominibus, hoc est, intellectum animæ Christi indiguisse actuali auxilio supernaturali ad videndum Deũ, & voluntatem ad diligendũ Deum ex charitate, & hoc auxilium appellatur gratia adiuuãs. Ratio huius est, quia isti actus sunt in se supernaturales respectu animæ Christi, & intellectus, & voluntatis, & potentiarũ eius, cùm sint supra vires earum naturales, quare concursus necessarius ad illos actus debet esse supernaturalis tam secundùm se, quàm respectu eius, cui 46
confertur concursus. Neque Verbum potest huiusmodi concursum supernaturalem supplere, quia vnio Verbi 47
per se, & formaliter accepta, terminata est præcisè ad subsistendum, & non est formale principium, aut ratio agendi, aut efficiendi aliquid; atque adeò nequit per se supplere defectum, quem habet natura assumpta ad aliquid efficiendum. Quemadmodùm si calor existens in hoc, aut illo subiecto, & non adiuuetur ab ipsis, vel eorum formis ad agendum, nõ poterit plus agere in vno, quàm in altero subiecto propter nobilitatem ipsius subiecti.

Et confirmatur, quia potentia naturalis adiuuari nõ potest à Verbo ad actum supernaturalem, nisi quate- 48

[illegible] ipsum Verbum [illegible] in illum actum, [illegible] & [illegible] ad ipsum actum; sed [illegible] quædam effectio, debet [illegible] Trinitati, ergo non est à Verbo, vt peculiariter vnito [illegible] à causa prima, & principali [illegible] proinde totū illud
48 [illegible] pertinet ad gratiam adiuuantem, & est eiusdem rationis cum [illegible], quod ad similes actus aliis hominibus confertur.

49 Supponendo quartò: si anima Christi vnita Verbo consideretur, vt beata, [illegible] & aliis [illegible] nulla indiguisse gratia excitante [illegible] supernaturalis in intellectu, præter visionem beatificam, & scientiam infusam, quam semper habuit anima Christi, neque [illegible] voluntate præter [illegible] Deum [illegible] quia ipsa visio fuit illi sufficiens principium, vt per seipsam posset, velut i[illegible] ad considerandum, quidquid ad [illegible] talem actionem est necessarium [illegible] etiam mouit, & impulit illā [illegible] Christi, ad [illegible] actum.

50 Si verò anima Christi fuisse assumpta in statu viatoris præcisè, indigeret gratia excitante ad prædictos actus supernaturales, non obstante vnione; non enim posset anima Christi [illegible] beatificam [illegible] cognitionem mysteriorū supernaturalium [illegible] aliqua Diuina motione, [illegible] magis quàm alia quælibet anima nō vnita [illegible]. Ratio est, quia necessitas gratiæ excitantis [illegible] ordo istorum actuum supernaturalium est supra capacitatem, & naturam animæ humanæ; ergo pari ratione est supra capacitatem naturalem illius animæ [illegible], prout [illegible] supponitur vnio enim non [illegible] naturalem capacitatem, neque per seipsam [illegible] formaliter eleuat potentias illius [illegible] supernaturalia, aut eas excitando, & mouendo, vt dictum est. Itaque anima Christi, vt beata, non indiguit gratia excitante, si verò consideretur præcisè vt viatrix, indiguit illa.

51 Quòd si aliquis roget, vtra sanctitas, & gratitudo sit potior, & principalior in Christo, Personalis, vel formalis; respondetur, habere se sicut excedens, & excessum, nam personalis gratitudo non solùm materialiter, & entitatiuè, sed etiam formaliter, in ratione formali gratitudinis & sanctitatis, excedit gratitudinem formalem; tum, quia sanctitas personalis nullum secum admittit peccatum, neque etiam veniale, vt infra ostendetur q. 15. sed sanctitudo formalis admittit secum veniale peccatum; tum etiam, quia gratia vnionis est simpliciter maius bonum humanitati Christi, quam habitualis gratia, vt explicabitur infra q. 24. art. 1. & 2. vbi ostendetur, Christum, vt hominem, fuisse prædestinatum, vt esset Filius Dei naturalis per gratiam vnionis; & non fuisse prædestinatum ad gratiam habitualem.

52 Nihilominus ex alia parte gratitudo, & sanctitas formalis excedit personalem, quatenus gratia habitualis confert animæ maiorem, & potiorem gratitudinem, & sanctitatem, reddens illam gratam, & sanctam formaliter, & replens formaliter illam potentiam obedientialem, quæ in anima reperitur ad ipsam gratiam habitualem; quam potentiam non replet formaliter gratia vnionis, sed radicaliter duntaxat, & quatenus proximè potentias animæ disponit ad operandū per virtutes, quæ ipsius gratiæ essentiam comitantur, & tribuit etiam operationibus animæ studiosis non solùm moralem condignitatem ad bona supernaturalia, verùm etiam condignitatem, & proportionem Physicam, quam quidem constituit, prout formaliter eleuat animam ad ordinem Diuinum, & ex illa fluunt supernaturales virtutes infusæ, quæ sunt proxima principia actuum supernaturalium.

Respondetur ad Argumenta. §. V.

53 RELIQUUM est dissoluere argumenta in contrarium proposita. Argumenta autem facta in fauorem sententiæ M. Suarez tantum probant primam partem prioris conclusionis. Neque sancti Patres ibidem citati vnquam negarunt, humanitatem Christi formaliter sanctificari, & gratificari per gratiam habitualem; imò in eisdem locis citatis, in quibus docent, humanitatem Christi per gratiā vnionis esse sanctam, & gratam Deo, explicant, vel saltem insinuant, quòd [illegible] personalem sanctitatem, & gratitudinem communicatur in anima Christi formalis gratitudo, & sanctitas, quam illi tribuit gratia cum reliquis donis Spiritus Sancti.

54 Argumenta verò initio disputationis proposita probant secundam, & tertiam partem primæ conclusionis, sed quatenus militant contra primam partem dissoluenda sunt. Vnde ad primum respondetur, effectum formalem gratiæ habitualis non esse, facere habentem gratum Deo vtcunque, nam hic effectus est communis gratiæ habituali, & gratiæ vnionis, sed est facere gratū Deo formali gratitudine, & secundùm participationem Diuinæ naturæ, vt dictum est.

55 Ad confirmationem respondetur, non esse simpliciter concedendum supposita vnione hypostatica, Christum, vt hominem, non habere gratiam, sed non habere habitualem gratiam, & tunc conceditur similiter, non esse gratum formaliter, sed tantùm personaliter, quæ gratitudo personalis est quasi formalis effectus gratiæ vnionis.

56 Solutio verò inter arguendum assignata non satisfacit, quia eminentialis continentia, qua gratia vnionis habitualem continet, non sufficit, vt Christus formaliter denominetur gratus gratitudine pertinente ad gratiam habitualem, quæ est gratitudo formalis. Si autem Diuinum Verbum formaliter humanitati vniretur, id est, per modum formæ actuantis ipsam, & constituentis eam formaliter Diuinam, talis solutio valeret, quia tunc humanitas esset Deo grata formali gratitudine Diuina, eminenter continente habitualem gratiā, & formalem gratitudinem. At cùm Verbum tantùm vniatur Personaliter humanitati, non tribuit illi gratitudinem formalem, neque formaliter, neque eminenter, sed tantùm suppositalem, quæ radicaliter præhabet gratiam habitualem, sed non eminentia formali, ita vt denominet humanitatem gratam, & sanctā per modum formæ eminentioris, sed duntaxat per modum eminentissimi suppositi.

57 Ad secundum respondetur cum D. Caietano infra q. 24. art. 1. Christum, vt hominem, non esse Filium Dei adoptiuum;

adoptiuum, neque naturalem, si absolutè, & absque vlla explicatione proferatur hæc propositio, Christus, vt homo, est Filius Dei. Est tamen vera hæc propositio, si addatur hæc explicatio, nempe, per gratiam vnionis. Et tunc dicendum est, Christum, vt hominem, per gratiã vnionis esse Filium Dei naturalem, & eadem ratione esse sanctum, & gratũ Deo personali sanctitate, & gratitudine.

59 Ad tertium respondetur, Christum, vt hominem, sine gratia habituali neque esse gratum formaliter, sed tantùm personaliter, neque esse acceptum simpliciter loquendo ad vitam æternam, sed radicaliter duntaxat, quamuis illi deberentur connaturalitatis debito & gratia habitualis, & gloria. Nihilominus absolutè dicendus esset gratus, & dilectus Deo, quia ad verificandam absolutè hanc propositionem, satis esset ipsa vnionis gratia, quæ ipsum formaliter constituit sanctum, & gratum, & efficit sibi debitam connaturalitatis debito gratiam habitualem consummatam.

60 Ad quartum rectè ibidem responsum est. Ad replicã autem dicitur, Christum per gratiam vnionis non dici simpliciter gratum, & sanctum sine aliquo respectu ad gratiam habitualem, quæ si à Christi humanitate secluderetur, non appellabitur formaliter gratus, & sanctus per ipsam gratiam habitualem; sed solùm personaliter per gratiam vnionis. Hoc est, quòd nisi gratia vnionis in semetipsa tanquam in radice præhaberet gratiam habitualem, re vera non esset gratia vnionis, neque Christum, vt hominem, denominaret gratum, sicut rationalitas non constitueret hominis essentiam, neque re vera esset rationalitas, nisi virtute contineret disciplinabilitatem, risibilitatem, intellectum, voluntatem, & reliquas proprietates, & potentias, humanæ naturæ debitas. Verùm supposito, quòd illas virtute, & radicaliter continet, etiam si fingamus Deum miraculosè impedire naturalem earum effluxum, seipsa constitueret hominis essentiam, & ipsum simpliciter denominaret hominem. Ita proportionabiliter de gratia vnionis dicendum est respectu gratiæ habitualis.

61 Ad quintum negatur antecedens, & ad probationem respondetur, impossibilitatem peccandi in Christo non tantùm prouenire ex extrinseca Verbi prouidentia, sed ex reali, Physica, & interna animæ dispositione, cum qua peccatum habet intrinsecam oppositionem, & repugnantiam. Vnde ipsa personalis terminatio, qua humanitas realiter terminatur per Verbi Personalitatem, ex sua natura habet incompossibilitatem realem, & Physicam cum quouis peccato, etiam habituali, quia est quædam virtualis rectificatio humanitatis Christi, ab ipsa totaliter excludens omnem moralem deordinationem. Etenim ex illa Personali Verbi terminatione habet humanitas, nihil posse operari nisi sub actuali Verbi directione, & motione, quia natura per se pendet à supposito in esse, & in operari.

62 Ad confirmationem respondetur, licèt Personalitas Verbi nullam inducat formalem immutationem in Christi humanitate, cui repugnet moralis deformitas, & deordinatio per modum contrarietatis formalis, inducere tamen personalem terminationem passiuam, quæ est vera, & realis ipsius humanitatis immutatio, cui omnino repugnat omnis moralis deordinatio, in eadem humanitate, tanquam primæ radici totius moralis rectitudinis, & sanctitudinis formalis, ad eum modum, quo calor, etsi aquæ non opponatur formaliter, sed frigiditati illius, illi tamen naturaliter repugnat, & opponitur, vt primæ radici frigiditatis. Hæc autem repugnantia non tam pertinet ad ordinem moralem, quam ad Physicum. Appellatur verò in præsenti ordo moralis, is, qui ad extrinsecam Dei prouidentiam pertinet, & non consurgit ex intrinsecis rei principiis.

TERTIA DISPVTATIO.

AN Christus Dominus sine gratia habituali posset mereri. Pars affirmans sic probatur. Primò, Christus sine gratia habituali esset simpliciter gratus Deo, nõ solùm vt Deus, sed etiam vt homo, quia infinita Verbi gratitudo communicatur humanitati Christi communicatione personali; ergo operationes Christi essent simpliciter gratæ Deo, & ex consequenti essent meritoriæ. 1

Confirmatur. Gratitudo, & sanctitas personalis in Christo, vt homine, est perfectior, & maior simpliciter in ratione sanctitatis, & gratitudinis, quàm gratitudo formalis illi collata à gratia habituali: ergo si sanctitas, & gratitudo formalis est sufficiens ad meritum, & satisfactionem, à fortiori erit sufficiens in Christo gratitudo, & sanctitas personalis. 2

Secundò. Opera hominis iusti moraliter bona, quæ his neque actu, neque virtute referantur in finem supernaturalem, sunt simpliciter meritoria vitæ æternæ iuxta probabilem quorundam Theologorũ opinionem, ex eo solùm, quia procedunt ab homine grato, & ipsi Deo accepto: ergo à fortiori idem dicendum est de operationibus Christi moraliter bonis, quia procederent à supposito infinitè grato, & accepto Deo. 3

Tertiò. Illæ operationes à Christo productæ essent infiniti valoris coram Deo; ergo essent meritoriæ cuiuscumque præmii, quantumcumque excellentis, & supernaturalis ordinis. Consequentia patet: quia operatio habens infinitum valorem, est digna ex propria sui ratione cuiuscumque excellentis præmii. Antecedens probatur. Operationes modò productæ ab humanitate Christi, ideò sunt infiniti valoris, quia procedunt à supposito infinitè grato, & non quia eliciuntur ab habitu charitatis, vel ab habitu gratiæ, vel à quauis alia virtute infusa; sed hæc ratio infinitatis suppositi eadem maneret in illo casu; ergo. 4

Confirmatur primò. Opera Christi de facto fuerunt infiniti meriti; sed non quatenus fluebant à gratia habituali creata infinita, quæ non erat talis; ergo sicut suppositum de facto contulit infinitum valorem, quem ipsa gratia conferre non poterat, ita sine vlla gratia habituali id posset. 5

Confirmatur secundò. Ad meritũ requiritur, vt operatio sit subiecti Deo grati, & ordinata in finem supernaturalem, & vt habeat aliquid supernaturalitatis; sed hoc habent opera Christi seclusa gratia creata: ergo. Probatur minor. Opera procedentia à supposito grato gratitudine participata, & imperfecta, habent veram supernaturalitatem, & ordinem ad finem supernaturalem; ergo à fortiori opera profecta à supposito infinitè grato, participant aliquid supernaturalitatis, & efficaciter ordinantur in finem supernaturalem, & ex consequenti sunt meritoria. 6

Quartò.

7 Quartò. Si Christus mereri non posset sine gratia creata, sequeretur, meritum eius non esse de rigore iustitiæ, itaque posse esse, sed consequens est falsum; ergo. Probatur sequela. Illa gratia est finita; ergo si est principium meriti, & gratia vnionis est impertinens ad meritum, tale meritum erit finitum, & non de rigore iustitiæ; Sed opera Christi sunt infiniti valoris personaliter: ergo infinitè meritoria.

8 Confirmatur primò, quia implicat, Christum Filium Dei naturalem offerre Patri aliquod opus, & illud non esse acceptum Patri: etenim ieiunium hominis iusti relatum in gloriam Dei est meritorium vitæ æternæ de condigno; ergo multò magis ieiunium Christi, cùm sit Filius Dei naturalis.

9 Confirmatur secundò: quia opera Christi ex vnione hypostatica erant eleuata ad eundem ordinem cum fine supernaturali, & erant infinitæ dignitatis, ergo erant maximè meritoria.

10 Quintò. Deus de potentia absoluta potest vti qualibet creatura ad quamcumque operationem, vt instrumento; potest enim calefacere per frigiditatem, & infrigidare per calorem; ergo per auxilium speciale poterit mouere intellectum, & voluntatem, ad elicienda opera meritoria, sine interuentu gratiæ. Confirmatur, quia actus meritorius procedit à potentia animæ in genere causæ efficientis; sed Deus potest supplere vicem causæ effectricis, ergo.

11 Circa hanc difficultatem sunt diuersæ Theologorum sententiæ: Quidam affirmant, gratiam habitualem nõ fuisse Christo simpliciter necessariam ad merendum. Quò fit, vt si Verbũ assumeret humanitatem in puris naturalibus, omni supernaturali auxilio habituali, & actuali destitutam, eius operationes bonæ essent meritoriæ gratiæ, & gloriæ, & aliorum bonorum supernaturalium, quæ nobis Christus de facto meruit. Ita Soto lib. 3. de Natura, & Gratia cap. 6. & in 4. d. 19. q. 1. art. 2. & Vega super Cõcilium Tridentin. lib. 7. cap. 6. Medina hic. Suarez infra q. 19. art. 3. Disput. 39. sectio. 2. in fine, & Zumel. 1. 2. q. 114. art. 2. Disput.

12 Addunt etiam hi authores, operationes Christi sic elicitas non solùm esse meritorias, sed etiam supernaturales simpliciter supernaturalitate morali, & Physica, ac entitatiua. Potissimum fundamentum est, quia ad exercendum actiones supernaturales non sunt simpliciter necessarij habitus infusi, sed sufficit auxilium Dei speciale actuale, secundùm communem Theologorum sententiam; sed vnio hypostatica humanitatis ad Verbum est longè altius, & excellentius principium supernaturale, quàm quodcumque speciale auxilium; quoniam ex vi vnionis hypostaticæ Verbum Diuinum, quatenus est suppositum humanum, est comprincipium omnium operationum ipsius naturæ simul cum ipsa elicitiuum; ergo Christus, vt homo, poterat elicere ex vi solius vnionis hypostaticæ operationes simpliciter supernaturales, non solùm moraliter, sed etiam Physicè, & entitatiuè.

13 Alij Theologi docent, de potentia ordinaria Dei nõ potuisse Christum mereri sine gratia habituali; benè tamen de potentia absoluta. Alij verò affirmant, seclusa omni gratia, habituali, & actuali ab humanitate Christi, operationem illius non esse meritoriam alicuius boni supernaturalis. Cæterùm seclusa gratia habituali ab anima Christi, si ex parte intellectus, & voluntatis ponantur aliqua auxilia supernaturalia, siue actualia, siue habitualia, quæ essent principia actionum supernaturalium, operationem Christi fore simpliciter meritoriam, sicut de facto fuit per gratiam habitualem.

Alij denique affirmant, gratiam habitualem simpliciter, & secundùm omnem potentiam fuisse Christo necessariam ad merendum præmium ordinis supernaturalis, nam de hoc præmio est tota præsens disputatio. Sic Durandus in 3. d. 18. Capreolus q. 19. Driedo de Captiuitate, & redemptione generis humani tracta. 2. cap. 3. parte 3. & multi recentiores. 14

Pro decisione huius dubitationis est aduertendum, duas conditiones esse simpliciter necessarias, vt aliqua operatio sit verè, & propriè meritoria alicuius præmij determinati. Prima, vt secundùm se sit condigna talis præmij, idest, quòd valeat tantum, quantum valet ipsum præmium. Vnde si Deus promitteret vitam æternam homini in puris naturalibus constituto, si benè operaretur intra limites rationis naturalis, illa operatio non esset simpliciter meritoria vitæ æternæ, sed gratis, & sine merito illi daretur. Et quamuis ibi intercederet aliquod debitum inter Deum, & hominem benè operantem, illud tamen debitum non simpliciter pertineret ad rationem meriti, & præmij, sed tantùm ad fidelitatem Diuinæ promissionis, ita quòd Deus potiùs sibi deberet, & suæ fidelitati, quàm homini sic operanti. Secunda cõditio est, quòd operans referat suã operationem saltem virtualiter, & implicitè ad ipsum præmiantem, & ad præmiũ ab eo suscipiendũ. Licèt enim operetur quis aliquod bonum opus, & ex se magno præmio dignum, nihil tamen tali opere merebitur, nisi illud in bonum præmiantis referat, & velit propter tale opus aliquod præmium sibi rependi. 15 16 17

Hoc supposito sit Conclusio responsiua: Fieri non potest, etiam de potentia Dei absoluta, vt opera Christi sint meritoria vitæ æternæ, & relata in Deum, vt est supernaturalis remunerator, & ad ipsum præmium supernaturale, nisi proficiscantur ab aliqua gratia, vel habituali, vel actuali, quæ habeat rationem proximi, & formalis principij, ipsorum operum effectiui. Hæc cõclusio est D. Thomæ in hoc articulo, ratione tertia, & in solutione ad 1. & 2. vbi expressè docet, præter gratiam vnionis fuisse necessariam humanitati Christi gratiam habitualem, vt operatio ipsius humanitatis esset perfecta, hoc est, vt esset supernaturalis, & Diuini ordinis. Et in solutione ad primum dixerat, gratiam habitualem fuisse humanitati Christi necessariam, vt eam constitueret Diuinam per participationem. 18

Idem docet D. Thomas infra q. 34. art. 3. ad 1. & de veritate q. 29. art. 2. in corpore, & ad 4. & opertius art. 5. ad 4. vbi dicit, quamuis meritum Christi habeat quandam infinitatem ex dignitate personæ, rationem tamen meriti habere ex gratia habituali, sine qua meritũ esse non potest. Nec satisfacit dicere, D. Thomam loqui de lege ordinaria; quia D. Thomas loquitur de his, quæ per se, & necessariò requiruntur ad merendum: etenim ad meritum requiritur ordo, & relatio in finem supernaturalem, sed sine gratia non est talis ordo, & relatio in humanitate, cùm sine gratia nulla sit intrinseca Diuinæ Naturæ participatio: ergo. 19

Confirmatur. Ad meritum de condigno necessariò requiritur proportio cum fine supernaturali, vt docet 20

D.Tho-

D. Thomas 1.2.q.114.art.2. sed sine gratia creata nullum opus est proportionatum fini supernaturali, cùm is finis excedat omnem naturam: ergo sine gratia nullum potest esse meritum. Probatur consequentia. Seclusa gratia creata, & donis supernaturalibus vnio hypostatica præcisè de se tantùm habet communicare esse Verbi Personale, & de se non includit ordinem ad beatitudinem creatam, ergo neque de se tribuit vires ad merendum vitam æternam.
21 Quod autem de se non includat ordinem, & habitudinem ad beatitudinem creatam, Probatur; quia aliàs sequeretur, Deum non posse de potentia absoluta assumere humanitatem absque eo, quòd illam beatificaret, quæ enim sunt de intrinseca ratione, & natura rei, Deus immutare non potest: ergo. Vnde cùm ad meritum vitæ æternæ necessariò requiratur supernaturalis operatio, quia illa sola supernaturalem finem attingere valet, neq. vires naturæ sufficiunt, sequitur, quòd sine gratiâ meritum esse non potest.

22 Confirmatur secundò. Suppositum nō operatur, nisi juxta facultatem, & vim illius naturæ, cuius est suppositum, ergo Verbum Diuinum, quatenùs est humanum suppositum, non operatur nisi juxta potentiam, & virtutem humanitatis. Ergo si humanitas non esset eleuata per gratiam, & per habitus supernaturales, vel saltem per auxilia specialia ordinis supernaturalis, omne opus, quod Verbum, vt suppositum humanitatis, exerceret, esset ordinis naturalis simpliciter, & secundùm substantiam.

23 Confirmatur tertiò. Species substantialis cuiuscumq; actionis non desumitur ex supposito operante, sed ex principio proximo formali efficienti, V.G. species calefactionis sumitur ex calore, qui est proximum, & formale principium calefactiuum; ergo specifica substantia operum Christi non est pensanda ex Diuino Verbo, quod est suppositum operans, sed ex proxima, & formali dispositione ipsius humanitatis, & potentiarum eius: & ex consequenti sublata à Christi humanitate omni formali dispositione, & vi supernaturali, opera Christi non essent supranaturalia simpliciter, etiam quantùm ad specificam eorum substantiam.

24 Quartò. Operationes elicitæ à Christi humanitate seclusa gratia habituali, & omni supernaturali auxilio, essent simpliciter naturales, & non Diuini, & supernaturalis ordinis, ergo non essent proportionatæ præmio supernaturali, atque adeò neq; meritoriæ talis præmij: quia operatio naturalis est improportionata fini, & præmio supernaturali.

25 Quintò cōfirmatur ex illo Genes. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Hoc est, non solùm respexit Deus ad dignitatem Abelis offerentis sacrificiū, verùmetiam ad munera eius: idest, ad qualitatem, & dignitatem ipsorum: ergo vt opera Christi sint meritoria, non satis est dignitas ipsius Christi operantis, sed necessariò requiritur, vt eius opera sint præmio proportionata, & digna, vt acceptentur à Deo pro tali præmio: hoc autem in Christi operibus non reperitur seclusa omni gratia habituali, & actuali ab eius humanitate: ergo &c.

26 Sextò. Seclusa gratia habituali à Christo, non esset Christus, vt homo, simpliciter gratus Deo; ergo neque eius opera essent simpliciter Deo grata, & ex consequenti neque meritoria. Antecedens probatur: quia esse gratum Deo est effectus formalis gratiæ habitualis; ergo habituali gratia seclusa ab humanitate Christi, non esset Christus, vt homo, simpliciter gratus Deo. Patet cōsequentia; quia effectus formalis non est separabilis à forma, neque sine ipsa potest in aliquo subiecto reperiri.

Septimò. Charitas est prima radix totius meriti, vt 27
docet D. Thomas 1.2.q.114.art.4. Sed gratia habituali à Christi humanitate seclusa, non maneret in ea charitas: ergo neque maneret prima radix meriti, ac proinde neque posset mereri.

Octauo. Vt operatio sit meritoria, debet esse condig 28
na præmij, & ab operante relata formaliter, vel virtute in Deum, & in præmium: sed operatio Christi sine omni gratia, vel habituali, vel actuali non est huiusmodi, ergo neque meritoria. Patet minor: quia talis operatio secundùm substantiam esset ordinis naturalis, ergo non esset digna præmij supernaturalis, neque relata in præmiatorem supernaturalem, neque in præmium supernaturale.

Dices: illam operationem esse supernaturalem super 29
naturalitate morali, hoc est, dignitate morali ex Diuino supposito participata. Sed hoc non sufficit, quia præmium, nempe, vita æterna, non solùm est supernaturale secundùm entitatem moralem, verùmetiam Physicè, & entitatiuè, idest, secundùm suam Physicam substantiam. Meritum autem debet esse præmio proportionatum, atque adeò non solùm moraliter, sed Physicè etiam, & entitatiuè, debet esse supernaturale.

Nonò. Opus meritorium est opus vitale secundùm 30
vitam æternam, ergo debet procedere à principio vitali. Sed principium vitale respectu Diuinæ vitæ est gratia creata: ergo sine illa non potest intelligi opus meritorium. Consequentia patet; quia sicut in actionibus humanis nequit actio humana intelligi sine anima, quæ est primū principium vitale, dans esse: ita similiter cùm gratia sit anima animæ secūdùm D. Augustinū, nō potest intelligi operatio digna vitæ æternæ, & quòd sit vitalis respectu illius, sine gratia. Antecedens probatur: quia meritū dicit intrinsecū ordinem, & necessariam habitudinem ad principium supernaturale (quod est
gratia) à quo specificatur: ergo est actio vitalis. Et tan- 31
dem confirmatur, quia gratia vnionis in Christo per se loquendo ordinatur ad vnionem hypostaticam, & non ad vitam æternam, ergo per illam Christus mereri non potuit. Patet consequentia, quia meritum ordinatur per se ad vitam æternam, sicut medium ad præmium: ergo illa gratia vnionis non ordinat ad præmiū, neque ad meritum.

Argumenta in oppositum tantùm probant ex parte 32
operantis non fuisse Christo simpliciter necessariam gratiam habitualem ad merendum, sed suffecisse gratiam vnionis, secundùm quam Christus verè & propriè, etiam vt est homo, est gratus, & acceptus Deo personali gratitudine, quæ in hoc posita est, quòd ipsum esse Personale Verbi communicatum fuit humanitati: Vndè hæc personalis gratitudo, quantùm est ex parte
operantis, sufficiens erat ad rationem meriti. Cæterùm 33
ex parte operationis fuit necessaria supernaturalis condignitas, & relatio ad Deum, vt est supernaturalis remunerator, & ad ipsum supernaturale præmium. Hāc autem condignitatem, & relationem non potuit humana

Christi

Digitized by Google

Christi operatio ex sola gratia vnionis participare, sed
necessarium illi fuit aliquod supernaturale principium
proximum, vel habituale, vel actuale, quod haberet ra-
tionem proximi, & formalis principij effectiui ipsius
actionis. Nihilominus maioris claritatis gratia singula
dissoluentur.

34 Ad primum igitur argumentum, concesso anteceden-
ti negatur consequentia, quia licet operationes Christi
ex vi vnionis hypostaticæ essent Deo gratæ personali-
ter, non tamen formaliter. Vt autem Christi operatio-
nes essent meritoriæ, debuissent proportionari cũ præ-
mio, & referri in Deum authorem gratiæ, & in præ-
mium supernaturale; ad quam relationem, & condig-
nitatem fuit necessaria in Christo aliqua gratia creata,
siue habitualis, siue actualis.

35 Ad confirmationem iam diximus Disput. 1. gratiam
vnionis, & gratiã habitualem habere se sicut excedens,
& excessum. Sed licet gratia vnionis simpliciter præs-
tet habituali gratiæ, non sequitur, si hæc est principium
meriti, ita & illam, nam quamuis ex parte operantis
sufficeret gratia vnionis ad merendum, ex parte tamen
operationis requiritur gratia habitualis, quæ sola con-
fert dignitatem proportionis, & connaturalitatis ad
gloriam, & relationem ad præmium supernaturale, &
ad Deum præmiatorem.

36 Ad secundum negatur antecedens, quia vt supra osten
sum est; Respexit Dominus ad Abel, & ad munera
eius. Itaque munera, idest, merita præmianda à Deo
debens esse ordinis supernaturalis, & proportionata su-
37 pernaturali præmio. Secundò respondetur, quidquid
sit de antecedenti, negando consequentiam, quia in ho-
mine iusto operante benè moraliter, natura humana,
quæ est principium proximum bonarum operationũ
per gratiam, & charitatem, est habitualiter relata in fi-
nem supernaturalem: quam relationem habitualem
participant ipsa opera moraliter bona. At humanitas
Christi seclusio omni dono supernaturali non esset or-
dinata in finem supernaturalem, atque adeò eius opera-
tiones, quantum ad ipsarum substantiam essent simpli-
citer ordinis naturalis, & ex consequenti neque essent
meritoriæ supernaturalis præmij, quamuis de rigo-
re iustitiæ mererentur præmium ordinis naturalis.

38 Ad tertium concesso antecedenti negatur consequen
tia. Et ad probationem respondetur, operationem infi-
niti valoris non esse dignam cuiuscumq; meriti supra-
naturalis, nisi sit relata in præmium supernaturale, & in
Deum præmiatorem supernaturalem. Huiusmodi au-
tem relatio fieri non potest sine gratia creata, vt dic-
tum est.

39 Ad primam confirmationem respondetur, infinita-
tem meriti Christi effluxisse à supposito Verbi humani
tati vnito, vt à prima radice, & similiter, vt à proximo,
& immediato principio, vt supra ostensum est q. 1. art.
2. Disp. 5. Parag. 5. num. 3. Sed rationem meriti ema-
nasse à gratia, sine qua operatio Christi non esset me-
ritoria.

40 Ad secundam confirmationem respondetur, vt opus
sit meritorium; esse eliciendum à subiecto grato Deo
gratitudine formali, quæ fit per gratiam habitualem, à
qua prouenit dignitas proportionis, & connaturalitatis
ad gloriam, & vitam æternam, sola enim gratia habi-
tualis facit hominem consortem Diuinæ Naturæ, &
amicum Dei. Christus autem sine gratia habituali esset
gratus personali gratitudine, quæ cùm non faciat for-
maliter consortem Diuinæ Naturæ, neque conferat
proportionem condignitatis, & connaturalitatis ad
præmium, non sufficit ad constituendam operationem
meritoriam; imò neque supernaturalem Physicã & en-
titatiua supernaturalitate, sed tantùm morali. Atq; vo- 41
luntas, & intellectus Christi secluso omni principio su-
pernaturali creato, siue sit auxilium, siue habitus, non
possent elicere operationes supernaturales Physicè, &
entitatiuè, cuius ratio est: quia cùm in principio actiuo
operationis sint duo, quorum vtrumque ad eliciendam
operationem per se concurrit, nempe, Quod, idest, suppo-
situm: & Quo, idest, forma, per quam operatur, substan-
tialis, & Physica species actionis, & perfectio non desu-
mitur à principio, Quod, sed à principio, Quo. Actio
enim in ratione formali actionis specificatur à princi-
pio actiuo, vt docet D. Thomas 1. 2. q. 1. art. 3. Cùm igi- 42
tur humanitas sine aliquo principio supernaturali crea
to non sit principium, Quo, actionis supernaturalis, ha-
bentis dignitatem proportionis, & connaturalitatis ad
vitam æternam, sequitur manifestè, quod ex vi vnionis
præcisè, seclusa omni gratia creata, nullam possit ope-
rationem supernaturalem elicere supernaturalitate Phy
sica, & entitatiua. Vnde vt intellectus, & voluntas in
Christo ad aliquod opus supernaturale moueantur à
Verbo, vt tale opus eliciant simpliciter, moraliter; &
entitatiuè, aliquid supernaturale in seipsis suscipere de-
bent, vel saltem motionem supernaturalem transeun-
tem secundùm effectum. Quod si illud non susceperint,
talem operationem elicere non queunt.

Neque potest Deus illud supplere, quia cùm meritum 43
sit actio vitalis supernaturalis, debet esse à principio vi-
tali: humanitas autem Christi non constituitur in ra-
tione principij vitalis, nisi per gratiam, vt dictum est,
atque adeò sine illa nullam potest elicere operationem
supernaturalem, & meritoriã, supernaturalitate, inquã,
Physica, & entitatiua; neque in finem supernaturalem
referre.

Sed contra obijcitur. Operationes Christi seclusa 44
omni gratia creata sunt supernaturales in esse moris, vt
dictum est, quatenus participant dignitatem suppositi
Diuini; ergo in esse moris sunt proportionatæ præmio
supernaturali, & ex consequenti meritoriæ. Neganda est
vtraque consequentia, quia cùm præmium, scilicet, vita
æterna nõ solùm sit quid supranaturale in esse moris,
sed etiã Physicè, & entitatiuè, vt opera Christi sint tali
præmio proportionata, necessariò debent esse, non tã-
tùm moraliter, sed etiam Physicè, & entitatiuè super-
naturalia. Imò etiam si Christus sua opera retulisset in 45
aliquem supernaturalem finem lumine supernaturali
non cognitum, sed tantùm humana fide, ita quòd ex so-
la eius libera voluntate, & non ex aliquo speciali Dei
auxilio oriretur talis relatio, talia opera non essent me
ritoria illius supernaturalis præmij: quia non essent su-
pernaturalia nisi tantùm ex parte obiecti materialiter
sumpti, atque adeò non essent satis proportionata cũ
præmio supernaturali, & ex consequenti neque meri-
toria: quia ad rationem meriti est necessaria propor-
tio, vt dictum est.

Ad quartum negatur sequella, & ad probationem 46
respondetur, gratiã Christi in esse gratiæ esse infinitam
secundum

secundùm moralem dignitatem, vt latiùs constabit articulo vnd ecimo huius quæstionis.

47 Ad primam confirmationem respondetur, opus elicitum à Christo siue gratia habituali non esse simpliciter acceptum Patri ad vitam æternam, nisi tantùm radicaliter, quatenus gratia vnionis, quæ præstat gratitudinem personalem, continet radicaliter gratiã habitualem, quæ est formale merendi principium, & Diuinæ Naturæ participatio, & confert acceptationem ad gloriam. Neque valet similitudo de ieiunio hominis iusti, nam cùm illud procedat à gratia habituali, ab eadem participat proportionem, & connaturalitatem ad vitã æternam, quam proportionem non participat ieiuniũ Christi, si ex vi solius gratiæ vnionis seclusa gratia habituali eliceretur.

48 Ad secundam confirmationem respondetur, opera Christi ex vi vnionis hypostaticæ fuisse eleuata in esse morali ad eũdem ordinem cum fine supernaturali, saltem obiectiuè, & sic fuisse infinitæ dignitatis, & valoris: sed hoc non sufficit, vt sint meritoria, quia debuerunt eleuari non solùm in esse morali, verùmetiam in esse entitatiuo, & Physico, sicut finis est supernaturalis, & moraliter, & Physicè.

49 Ad quintum concesso antecedenti negatur consequentia, quia cùm meritum sit operatio vitalis, dicit intrinsecum ordinem ad principium viuens vita Diuina: nullum autem principium viuere potest aliquo genere vitæ, nisi per formam vitalem informantem, & ideò voluntas nequit esse principium alicuius actus meritorij, nisi per formam vitalem sit informata in esse Diuino.

50 Ad confirmationem respõdetur, quòd operationem procedentem à causa efficiente vniuoca, Deus se solo præstare non potest, quia se solo hominem generare non valet generatione formaliter vniuoca. Vnde cùm operatio vitalis essentialiter dependeat à causa sibi propria formaliter, non potest à Deo suppleri, sicut nutritio à solo Deo fieri non valet, quia intrinsecè includit causam formalem. Cùm ergo meritum sit operatio vitalis vitæ æternæ, & superaturalis, inuoluit essentialiter principium formale vitale, ac proinde à Deo suppleri non potest.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm in Christo fuerint virtutes.

CONCLVSIO. Christus habuit omnes virtutes. *Probatur primo in sed cõtra, ex glossa ad illud Psal. 1. Sed in lege Domini voluntas eius, dicente, Christum fuisse plenum omni bono; sed bona qualitas mentis est virtus; ergo Christus fuit plenus omni virtute. Deinde in corpore. Gratia Christi fuit perfectissima: ergo ex ipsa processerunt virtutes ad perficiendas omnes animæ potentias, quantùm ad omnes actus. Probatur consequentia; quia sicut gratia respicit animæ essentiã, ita virtus eius potentiam; sed potentiæ deriuantur ab essentia; ergo virtutes à gratia, quæ cùm sit perfectissima, magis imprimit suos effectus.*

Secunda Conclusio ex responsione ad secundum. Habitus heroicus non differt ab habitu virtutis nisi secundùm perfectionem, & ideò Christus habuit virtutes in gradu heroico.

Tertia Conclusio ex respõsione ad tertiũ. Christus non habuit omnes virtutes secundùm omnes earum actus.

Est primum argumentum D. Thomæ. In Christo fuit abundantia gratiæ; sed gratia sufficit ad omnia rectè agendum, iuxta illud 2. Corint. 12. Sufficit tibi gratia mea: *ergo in Christo non fuerunt virtutes. Respondet gratiã sufficere ad omnia, quibus homo ad beatitudinẽ ordinatur: sed ex his quædã à gratia immediatè proficisci, vt facere gratũ Deo, quædã verò medijs virtutibus, quæ à gratia fluũt.*

Secundum est. Virtus diuiditur contra habitum heroicum, siue Diuinum, qui hominibus Diuinis attribuitur, vt docet Aristoteles. 7. Ethico. Sed hic habitus maximè conuenit Christo: ergo Christus nõ habuit virtutes, sed aliquid altius virtute. Respondet, habitum heroicum non differre ab habitu virtutis communiter dictæ nisi secundùm perfectionẽ, inquantùm scilicet aliquis est dispositus ad bonum altiori quodam modo, quàm omnibus communiter competat. Ex quo non concluditur, Christum virtutes non habuisse, sed quòd eas perfectissimè habuerit vltra communem modum. Quemadmodùm etiam Plotinus constituit quendam sublimem modum virtutum, quas dixit esse animi purgati.

Tertium est. Omnes virtutes sunt connexæ, & vna siue altera haberi non potest, vt dicitur 1. 2. q. 65. art. 1. & 2. Sed Christus non debuit habere omnes virtutes, vt constat in liberalitate, & magnificentia, quæ versantur circa diuitias, quas Christus cõtempsit, iuxta illud Matth. 18. Filius hominis non habet, vbi caput suum reclinet: *& similiter intemperantia, & continentia, quæ sunt circa prauas concupiscentias, quæ in Christo non fuerũt: ergo Christus non habuit virtutes. Respondet, liberalitatem, & magnificentiam fuisse in Christo in summo gradu, quatenus omnes diuitias contempsit. Tametsi actum liberalitatis etiã exercuerit, quatenùs sibi erat conueniens, faciendo pauperibus erogari, quæ sibi dabantur. Item prauas concupiscentias licèt Christus non habuerit, habuit tamen temperantiam, quæ tantò in homine est perfectior, quantò magis prauis cõncupiscentijs caret. Vnde secundùm Aristotelem lib. 7. Ethico. cap. 9. temperatus*

temperatus in hoc differt à continente, quòd ille non habet prauas concupiscentias, quas iste patitur. Quare sic accipiendo continentiam, non est ponenda in Christo, tametsi in eo omnes fuerint virtutes, quia continentia non est virtus, sed aliquid minus virtute. Quod est dicere, non esse in Christo illam imperfectionem, quam nomen continentiæ denotat: dicit enim virtutem in eo statu, in quo & multum habet admistum de vitio contrario, & affectiones patitur immoderatas.

Commentarius.

1 PRO intelligentia primæ conclusionis aduer-
tendum est ex D. Thoma 1.2.q.62. artic. 3. & 4.
præter virtutes Theologicas, & morales acquisi
tas poni in homine iusto virtutes morales infusas ex
genere suo, ita vt simul cum gratia infundantur, imò
ita ab ipsa gratia dimanent, sicut propriæ passiones ab
essentia rei deriuantur, vt docet D. Thomas in corpo-
re, atque adeò secundùm quantitatem perfectionis gra-
tiæ habitualis in essentia animę existentis, sumitur men
sura perfectionis reliquarum virtutum infusarum exis-
tentium in animæ potentijs. De harum numero est pœ
nitentia, castitas, religio, humilitas, obedientia, &
aliæ quatuor virtutes morales infusæ, quæ quatuor
2 virtutibus Cardinalibus acquisitis respondent. Nomine
igitur virtutis non intelligit D. Thomas in conclu-
sione virtutes intellectuales, tum quia de his agit quæs-
tione sequente nona sub nomine scientiæ: tũ etiã, quia
istæ non sunt simpliciter virtutes, ex eo quòd non fa-
ciunt rectum vsum actus, sed duntaxat bonum actum
ex obiecto. Præterea non intelligit dona Spiritus Sanc-
ti, quia de his speciatim disputat art. 5. neque de virtu-
tibus Theologicis intelligit fidem, & spem, quia de his
agit art. 3. & 4. Denique non intelligit virtutes mora-
les acquisitas, quia non deriuantur à gratia habituali,
sicut potentiæ ab essentia animæ: hoc enim solùm
conuenit virtutibus moralibus infusis ex suo genere.
3 Ex quibus constat, nomine virtutis intelligere D. Tho-
mam, & charitatem, & virtutes morales per se infusas,
quæ in sua ratione nullam important imperfectio-
nem. Quod dicitur propter pœnitentiam infusam,
nam sicut à Christo excluditur fides, & spes, quæ cum
beatitudine repugnant, qua anima eius ab initio frue-
batur: ita excluditur pœnitentia, quæ cum impeccabi-
litate stare non potest, quam Christus habuit ex sua
natura. Idem dicitur etiam propter continentiam, quæ
ideò excluditur à Christo, quia hæc virtus versatur
circa passiones concupiscibiles contra rationem insur-
gentes, ipsamq; præuenientes, quæ in Christo, qui om-
4 ninò fomitis est expers, nullatenus fuerunt. Idem deniq;
dicitur propter alias virtutes, quæ cum iustitia, forti-
tudine, & temperantia connectuntur, si quæ sunt, quæ
in sua ratione intrinseca includunt imperfectionem re-
pugnantem perfectionibus Christi. Sic autem intellecta
conclusio D. Thomæ est dogma fidei, iuxta illud Sap. 8.
vbi de sapientia, idest, de Christo dicitur. *Sobrieta-
tem, & iustitiam, & prudentiam, & virtutem, idest, for-
titudinem docet.* Ad has autem reducuntur omnes
virtutes morales. De humilitate, & charitate, quibus
aliæ virtutes connectuntur, expressa sunt testimonia
Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis
corde.* & Ioan. 15. *Præceptum dedi vobis, vt diliga-
tis inuicem, sicut dilexi vos.*

Pro intelligentia secundæ conclusionis aduertendũ 5
est, virtutem heroicam non differre à communi, diffe-
rentia specifica, sed tantùm accidentali secundùm ma-
gis, & minus perfectum in eadem specie: est enim heroi-
ca virtus excelsa quædã, & præstantissima virtus intra
eandem speciem: ita tamen, vt hæc celsitudo non atten-
datur tantùm secundùm intensionem, sed etiam secun-
dùm accidens quoddam Diuinum, quo præstat virtuti
communi. Etenim omnis virtus ita est bonum haben-
tis, vt illum perficiat, non solùm in ordine ad bona tem
poralia huius vitæ, sed etiã in ordine ad bona Diuina, &
æterna futuræ vitæ. Itaque heroica virtus in hoc dif- 6
fert à communi, quòd illa comparatur ex actibus, ita
regulas æternas secundùm rationem humanã respicien
tibus, vt omnia temporalia contemnat. Cõmunis verò
generatur ex actibus, qui ita respiciunt regulas tempo-
rales iuxta dictamen rationis humanæ, vt æterna non
attingat. Quò fit, vt assueti operari semper circa Diui-
na, & æterna, euadant veluti Diuini, ac proinde soleant
heroes nuncupari: assueti verò sequi bonum rationis
secundùm regulas temporales, euadunt quidem studio-
si, sed non alia virtute, quàm communi.

Sed obijcitur contra hanc doctrinam. Sequitur ergo 7
ex ea, virtutem heroicam, & communem differre spe-
cie; quia differunt obiecto. Respondetur, hanc differen-
tiam tantùm esse in obiecto materiali, non in formali,
quia sub eadem ratione formali, nempe, quia ratio na-
turalis dictat, tenditur in hæc, vel illa obiecta materia-
lia. Quò fit, vt aliter differant inter se virtus moralis ac-
quisita, & infusa, & aliter etiam differant inter se virtus
moralis infusa, & donum Spiritus Sancti, quàm virtus
heroica, & communis: nam virtus acquisita, & infusa
moralis differunt formaliter, quia ratio formalis vir-
tutis infusæ est dictamen rationis, prout innititur lu-
mini supernaturali; ratio verò formalis virtutis ac- 8
quisitæ, siue circa temporalia, siue circa æterna est
dictamen rationis duntaxat, prout innitur lumini na-
turali. Donum autem Spiritus Sancti differt à vir-
tute infusa, quòd licèt vtrumque lumini supernaturali
innitatur, donum tamen non sequitur discursum ra-
tionis, sicut virtus, sed iudicium tantùm motione Spiri-
tus Sancti impressum absq; vllo discursu, & ideò omnia
hæc differũt inter se specie, qua tamen ratione non dif-
ferũt virtus heroica, & cõmunis, quia sub eadem ratio-
ne formali tendũt in sua obiecta materialia, vt dictũ est.

Tertia conclusio est etiam certissima, nam Christus 9
Dominus, si attendatur iustitia, non habuit actum res-
tituendi, aut negociandi: si temperantia, non habuit
actum castitatis coniugalis, si fortitudo, non habuit ac-
tum circa pericula belli; & idem dicendum est de acti-
bus liberalitatis, & magnificentiæ, de quibus loquitur
D. Thomas in litera. Cũ hoc tamen stat vt singularum
harum virtutum habuerit aliquem actum, & illum ex-
cellentissimum, nam actus excellentissimus temperan-
tiæ est virginitas, fortitudinis autem summa patientia
in perferenda turpissima morte, iustitiæ vero religio,
liberalitatis, & magnificentiæ maximus diuitiarum
contemptus

Digitized by Google

10 contemptus propter Deum. Vnde immeritò Caietanus hoc loco docet, Christum actum liberalitatis habuisse, non tamen magnificentiæ, nam quamuis ita sit, vt docet D. Thomas ad tertium quòd per partes distribuerit pecunias, quatenùs ex paucis illi erogatis, pauperibus largiretur, & non habuerit actum distribuendi, & efficiendi magnificos sumptus, & ideò in hoc differat liberalitas in Christo à magnificentia: conueniunt tamen in hoc, quòd vtraque habuit in illo actum excellentissimum contemnendi tam diuitias, quàm magnificos sumptus, nam re vera actus iste est actus liberalitatis, & magnificentię: nã sicut per partes distribuere, & per partes magnificos sumptus facere, sunt actus vtriusque virtutis; sic etiam simul omnia tradere, cùm rationabilis causa constat, si semel habeatur, & oblata contemnere ex rationabili etiã causa, sunt actus vtriusq; virtutis, & hos habuit Christus Redemptor noster. His ita constitutis est prima dubitatio.

PRIMA DISPVTATIO.

1 AN in Christo fuerint virtutes morales acquisitæ. Negatio his argumentis suadetur. Primò. Vbi non est actus alicuius habitus, ibi non est necessarius talis habitus; sed in Christo neque fuerunt, neque potuerunt esse actus virtutum moralium acquisitarum, ergo &c. Probatur minor: quia omnes actus Christi fuerunt virtutum infusarum, vtpote exerciti propter nostram salutem, & propter finem supernaturalem; ergo:

2 Secūdò. Omnis operatio Christi fuit perfectissima; ergo procedebat ex intentione finis supernaturalis, & à ratione regulata supernaturali regula. Rursus. Ergo omnis operatio moralis Christi procedebat à virtutibus infusis, & nō à virtutibus acquisitis. Probatur vltima cōsequentia, nam virtus moralis acquisita nequit saltem immediatè sub ordine naturalis finis operari, nam per se primò respicit finem naturalem, in quo differt à morali virtute infusa, quæ per se primò attendit finem supernaturalem.

3 Tertiò; quia habitus augentur per actus; ergo si Christus habuit actus à virtutibus acquisitis elicitos, tales virtutes augmentatæ sunt, sed tale virtutum augmentum inferret Christo maximam imperfectionem, ergo.

4 Quartò. Virtutes morales acquisitæ ponuntur in anima ad frenandas passiones immoderatas; sed in Christo nunquam fuerunt, neque potuerunt esse immoderatæ passiones: ergo neque tales virtutes fuerunt in Christo, imò illi repugnant.

5 Propter hæc argumenta nonnulli recentiores negant, virtutes morales acquisitas in Christo esse constituendas, Nihilominùs contraria sententia est longè probabilior. Et colligitur ratio efficax ex D. Thoma, qui infra quæst. 12. probat in Christo fuisse scientiam acquisitam, vt eius intellectus perficeretur modo sibi proportionato, & connaturali; ergo eadem ratione in voluntate Christi ponendæ sunt virtutes morales acquisitæ, quibus modo sibi connaturali operari posset, aliàs humana Christi voluntas non esset simpliciter, idest, omnibus modis perfecta.

6 Ad primum argumentum negatur minor: & ad probationem respondetur, non omnes actus studiosos Christi fuisse actus virtutum infusarum, sed aliquando ad opera virtutum fuisse motum, & concitatum ex pietate naturali, & regulis humanæ prudentiæ, quamuis verum sit omnia sua opera in finem charitatis direxisse.

Ad secundum respondetur, licèt Christus non posset aliter operari, quàm ex intentione finis supernaturalis, potuisse tamen sub hac intentione vti virtutibus acquisitis, ita vt operatio proximè, & immediatè referretur in finem naturalem, mediatè verò, & extrinseca relatione in finem supernaturalem. Ad argumentum igitur distinguitur primum consequens. Regulatione intrinseca, negatur. Extrinseca, conceditur, & ita negãda est secunda consequentia. 7

Secundò respondetur, potuisse Christum interdum vti virtutibus acquisitis, sine actuali relatione ad finem supernaturalem, satis enim erat, quòd operationes sic elicitæ essent referibiles in finem supernaturalem, sicut timor, quo Christus mortem timebat, forsam actu nō referebatur in finem charitatis: licèt esset subiectus Diuinæ voluntati, & fini charitatis, quia in eo timore voluntas regulabatur per rationes inferiores, & naturæ humanæ permittebatur se in propriam explicare infirmitatem, aptam tamen corrigi, & moderari à superiori ratione, & regula. Neque per hoc ponitur in Christo aliqua imperfectio, sicut nulla est imperfectio intellectus Christi, vel alterius cuiusuis beati, vt nonnunquam intelligat per conuersionem ad phantasmata (vt poterunt intelligere post resurrectionem) eò quòd liberū est ei sine huiusmodi conuersione intelligere, cùm velit. 8

Ad tertiū respondet M. Medina hîc, virtutes acquisitas in Christo suscepisse augmentum per proprios actus. Sed hæc responsio meritò displicet alijs Thomistis asserentibus, Christum Dominum ab instanti suæ conceptionis has virtutes accepisse in summo gradu, ad quem per totam naturæ facultatem pertingere poterant. Et ita Christus nunquam habuit actus intensiores, & perfectiores ipsis virtutibus, ac proinde per suos actus augeri non potuerunt. 9

Ad quartū Dom. Caietanus hîc ad tertiū respondet; Christum nunquam habuisse passiones immoderatas, quæ à recta ratione discordarent, sed semper fuisse frænatissimas, & moderatissimas, dum Christus in hac vita vixit: sed hanc passionum moderantiam, inquit Caietanus, causatam fuisse ab ipsis virtutibus moralibus, & ideò sine vlla imperfectione fuisse in Christo. 10

Nihilominùs hæc solutio nō satisfacit, quia in Christo ex vi vnionis, quacumque superaddita qualitate seclusa, fuit omninò extinctus fomes peccati, vt infra ostendetur q. 15. ergo virtutes morales, siue infusæ, siue acquisitæ non constituunt in Christo moderantiam appetitus sensitiui. Consequentia est euidens: quia sicut secundùm ordinem naturæ præsupponebant extinctum fomitem, sic etiam passiones perfectè moderatas: nam si passiones in appetitu Christi possent aduersùs rationem insurgere, non esset fomes extinctus, vel saltem ligatus. 11

Ad argumentum ergo respondetur, de ratione essentiali virtutum moralium acquisibilium esse, vt sint 12

aptæ nata frænare, & componere animæ passiones, si ipsas in subiecto immoderatas repererint: atque adeò huiusmodi virtutes inueniri non posse nisi in subiecto, quod suapte natura aptum est huiusmodi passionibus affici. Sed non est de earum essentia has passiones actu moderari, sed satis est, disponant appetitum sensitiuum ad electiones in proprijs materijs rationi consentaneas: etenim sicut appetitus sensitiuus in homine est rationis particeps; ita potest elicere rationabiles electiones circa materias sensibiles. Quòd si aliquando in Diuo Thoma reperiatur, proprium esse virtutum moralium acquisibilium frenare, & componere passiones appetitus sensitiui, intelligendum est de aptitudinali passionum moderantia, non de actuali; 1. 2. quæst. 56. art. 5. Nam primis parentibus in statu innocentiæ infusæ fuerunt hæ virtutes morales, & tamen nullam in eis passionem moderatæ, quia præsupposuerunt omnimodam earundem passionum moderationem comparatam per iustitiam originalem. Et in statu futuræ resurrectionis erunt in beatis huiusmodi virtutes in grado heroico, & perfectissimo, & tamen nullam in eis passionum moderantiam constituent.

13

SECVNDA DISPVTATIO.

1 AN Christus Dominus acquisierit per proprium actum ab instanti suæ conceptionis has virtutes morales, An verò simul cum gratia fuerint illi infusæ. Medina hic, & Suarez Disput. 19. sectio 2. Asserunt, habuisse Christum huiusmodi virtutes per infusionem ab instanti suæ conceptionis, & non per acquisitionem. Probatur hæc sententia. Primò, quia virtutes humanæ acquisitæ regulantur per rationem, & scientiam humanam, in quo potissimùm distinguuntur ab infusis, quæ scientia supernaturali regulantur; sed Christus in primo instanti suæ conceptionis non habuit scientiam humanam, sed eam rerum experimento acquisiuit: ergo in primo instanti vsus rationis non acquisiuit per proprios actus virtutes morales suo genere acquisibiles.

2 Secundò. Aliquæ virtutes morales acquisitæ subiectantur in appetitu sensitiuo, & in corpore, vt fortitudo, & temperantia, quæ proinde sequuntur cognitionem sensitiuam perfectam, sicut requiritur ad perfectæ virtutis dispositionem; sed hanc non habuit Christus in infantili ætate: ergo proprijs actibus eas non acquisiuit. Minor patet; quia non habuit Christus in instanti conceptionis, imò multo tempore sequente exercitium omnium membrorum, & sensuū: ergo.

3 Hæc duo argumenta sunt M. Medinæ. Cōfirmatur, quia difficilimè potuit Christo in breui tempore offerri occasio exercendi se in officijs, & actus omnium virtutum moralium; ergo per multum temporis interuallum his virtutibus caruisset. Ergo in illo medio tempore, in quo virtutibus acquisitis non fuit præditus, habuit immoderatas animæ passiones. Sed consequens est blasphemum, & summæ Christi dignitati contrarium, ergo.

4 Dices, in illo medio tempore passiones Christi fuisse frenatas per virtutes morales ex suo genere infusas, quas simul accepit cum gratia iustificante. Contra. Sequitur ex hac solutione, virtutes acquisitas non constituere passionum moderantiam in appetitu sensitiuo Christi, cùm eam præsupponant virtutibus moralibus infusis effectam. Secundò, falsum est per virtutes morales infusas, quæ gratiam comitantur, reprimi, & frenari passiones appetitus sensitiui: constat enim experientia in multis iustis hominibus, quibus cum gratia iustificante infunduntur huiusmodi virtutes, passiones non esse moderatas, ergo non est de ratione harum virtutum componere animæ passiones.

Tertiò obijcit M. Suarez: quia Adæ fuerunt infusæ huiusmodi virtutes à principio creationis, ergo multò magis Christo. Confirmatur: quia Christus habuit à principio omnes affectus optimè dispositos, & moderatos, & rationi rectæ subiectos, & optimo modo, nempe, per internam affectionem, & dispositionem; ergo. 5

Quartò. Perfectius, & dignius fuit Christo has virtutes per infusionem accipere, quàm per proprium exercitium, & laborem comparare: sed Christo tribuendum est, quod est dignius, & perfectius; ergo. Probatur maior: tum, quia virtutes morales faciunt bonum simpliciter habentem: ergo defectus illarū cōstituit in Christo maximam imperfectionem. 6

Pro decisione huius difficultatis aduertendū est cum Aristotele 2. de Anima cap. 4. tex. 41. & D. Tho. 1. p. q. 78. art. 4. quòd sicut potentia vegetatiua coniuncta animæ sensitiuæ, & vt instrumentum illius, potest carnem generare, quod in planta existens efficere non valet: & simi- liter potentia sensitiua propter coniunctionem cum rationali potentia potest collationem facere inter singularia, quod in bruto non præstat: ita humanitas Christi cum Diuino Verbo hypostaticè coniuncta potest prorùpere in operationes naturales, multò excellentiores, quoad substantiam, & quoad modum, quàm si esset in proprio supposito. Vnde anima Christi in primo instāti sui esse in supposito Diuino potuit habere actum intellectus sibi naturalem, quo omnes scientias acquireret, sumens species intelligibiles ad eas necessarias ex phantasia, per sensum tactus mota, & habere actum volūtatis circa finem, & media, per quem omnes virtutum habitus produceret. Etenim si ex sententia D. Thomæ 1. 2. q. 51. art. 3. actus perfectus generat habitū tam scientiæ, quàm virtutis, quando talis actus intellectum conuincit, & voluntatem determinat, cùm actus voluntatis Christi in eo instanti fuerit omninò perfectissimus, nō est illi denegandum, quòd habitum generare potuerit. 7 8

Secundò aduertendum est, quòd sicut in generatione ignis calor summus, qui est vltima dispositio ad formam, est causa dispositiua formæ, & est simul cum illa in eodem instanti terminatiuo alterationis; ita in illo instanti, in quo in nobis generatur habitus per actum perfectum, ipse actus perfectus est causa ipsius habitus per modum consecutionis, nam principia luminis naturalis producendo actum perfectum, consequenter inducunt habitum, vt explicat D. Thomas loco citato. Deinde habitus generatus est etiam causa dispositiua ipsius actus perfecti, nā ideò potentia recipit actū promptè, & delectabiliter, quia ad ipsum habitum ordinatur, qui habitus posteà in esse constitutus producit efficienter simul cum potentia alios actus. Ad eundem modum dicendum est, animam Christi in primo instāti, in quo habuit esse in supposito Diuino, habuisse 9 10

actus

actus perfectos generatiuos habituum, in quo instanti quilibet actus perfectus fuit causa generationis habitus sibi in suo genere correspondentis per modum cuiusdam consecutionis: & habitus genitus in Christo fuit etiam causa dispositiua illius actus, ad quem consequebatur, quia ratione illius ipsa potentia suauiter, & facile illum recipiebat. Et deinde ille habitus genitus fuit causa simul cum potentia in humanitate Christi aliorum actuum, quos secundum temporis exigentiā producebant.

11 His ergo ita suppositis sit Prima Conclusio. Virtutes morales per se acquisitæ non dimanarunt ex gratia Christi habituali per simplicem resultantiam, sicut fluxerunt virtutes morales per se infusæ. Est contra quosdam Neothericos Thomistas, qui oppositum censent, sed eorum sententia est falsa, & probatur veritas nostræ conclusionis. Primò, quia gratia Christi Physicè cōsiderata est eiusdem speciei cum gratia aliorum iustorum, vt infra constabit; sed gratia in cæteris iustis non præhabet sua virtute huiusmodi morales virtutes, ita vt ex ipsa per simplicem emanationem procedant; ergo neque ex gratia Christi effluxerunt per simplicem resultantiam, neque in eius virtute præhabebātur, sicut propriæ passiones in essentia subiecti præhabentur. Consequentia est euidens, & probatur minor; nam qui multis vitijs, & peccatis erat implicitus, cum per pœnitentiam reparatur, & redit in gratiam Dei, remanet malè habituatus, & ad peccata antiqua propensus; quod sanè nō cōtingeret, si cum gratia simul has virtutes ex ipsa gratia resultantes accepisset.

12 Secundò. Si istæ virtutes aptæ sunt ex essentia animæ per simplicem emanationem effluere, sequitur, eas simpliciter esse, & ex suo genere infusas, & ex consequenti non distingui specie ab his virtutibus moralibus, quæ per se dicuntur infusæ, sed consequens est falsum: ergo. Probatur sequella, nam habitus, qui per se infunduntur simul cum habitu gratiæ non debent censeri per se acquisiti, sed potiùs per se infusi, sicuti & ipse habitus gratiæ, quem per se comitantur, quia accessorium naturam sequitur principalis, vt inquit regula iuris. Vnde sequitur, quod si Christus has virtutes simul cum natura humana accepit, fuerunt illi infusæ per actionem Dei ab infusione gratiæ distinctam, quæ fuit vera, & noua actio, & non simplex emanatio, & resultantia naturalis.

13 Secunda Conclusio. Christus Dominus proprijs actibus acquisiuit has virtutes morales in instanti suæ cōceptionis, sicut proprio exercitio acquisiuit scientiam distinctam à scientia beata, & à scientia per se infusa. Hæc cōclusio patet ex annotatione, & fundamento præmisso: & pro maiori eius explicatione aduertendum est præterea, in illo primo instanti conceptionis Christi, in quo constituimus omnes habitus per proprium actum productos, multa interuenisse instantia, loquendo de ordine naturæ. Etenim in illo priori instanti naturæ, Synderesis, quæ est primum principium insitum à natura in intellectu respectu agibilium, proposuit voluntati animæ Christi omnes fines virtutum moralium, nō

14 solùm in vniuersali, sed etiam in particulari. Deinde in secundo instanti naturæ in ipsa voluntate, & in appetitu sensitiuo generati sunt omnes habitus virtutum per actum voluntatis efficacem, scilicet, per intentionem circa tales fines, & eâ ratione actum, quàm habitus producti vterij, appetitus est ordinatus in fines virtutū. In tertio instāti naturæ habitus prudentiæ generatus, motus à Synderesi, & appetitu finis, fecit consilium, & inquisitionem de medijs ad consequendos virtutum fines, & hoc cum maxima certitudine, & sine vlla hæsitatione. In quarto denique instanti naturæ Christus per virtutes morales iam acquisitas elegit ea media, quæ prudentia dictabat, vt secundùm temporis exigentiam opere exequerentur.

Ex his constat vera intelligentia nostræ conclusionis: & præterea confirmatur hac ratione. Prudentia, quæ est præcipua inter morales virtutes, vtpote earum forma, & regula, non fuit indita animæ Christi in suæ conceptionis instanti, sed proprio actu illam comparauit, ergo idem dicendum est de alijs moralibus virtutibus suo genere acquisibilibus. Probatur antecedens. Anima Christi non accepit species infusas, sed eas officio intellectus agentis comparauit, vt docet D. Thomas infra q. 9. art. 4. Sed prudentia constare non potest absque speciebus intelligibilibus, non enim in actum prodire valet, nisi præsupposita obiecti apprehensione, quæ fit medijs speciebus; ergo &c. 15

Ad primum argumentū M. Medinæ negatur minor, imò Christus in illo primo instanti habuit scientiam humanam proprio actu acquisitam, quia habuit vsum sensus tactus, & sic intellectus agens ex phantasmatibus abstraxit species intelligibiles, & illas irradiauit, & sic genitus est habitus scientiæ humanæ: & hoc est magis rationi consentaneum, quàm dicere, vt ait Medina, animam Christi accepisse per infusionem à Deo habitum scientiæ acquisitæ sine speciebus, sed postea temporis successu eas comparasse: etenim habitus scientificus existens in intellectu possibili intrinsecam, & connaturalem habet connexionem cum speciebus intelligibilibus, quibus intellectus possibilis in actu primo cōstituitur. Quare intelligi nō potest, vt habitus scientificus per infusionem ponatur, & non ponantur species intelligibiles. 16

Ad secundum negatur non fuisse in Christo in primo instanti suæ conceptionis sufficientem rationem cognitionis ad quoscumque habitus generādos, vt ostensum est in explicatione secundæ cōclusionis. Et per hoc soluitur confirmatio: non enim temporis successu, sed in instāti eodem temporis diuiso in diuersa instantia naturæ acquisiuit virtutes morales, & scientias. 17

Ad tertium respondetur, maiorem fuisse perfectionem Christi, huiusmodi virtutes proprijs actibus cōparasse, quàm per infusionem illas habere. Neque hæc perfectio est Adamo tribuenda, qui eas per infusionem accepit, nec potuisset in primo instanti suæ creationis habere, sicut anima Christi, quæ propter coniunctionem ad Verbum potuit in operationes naturales prodire multò præstantiores, quàm si esset in proprio supposito, & ex consequenti, quàm reliqui homines. 18

Quartum argumentum nihil concludit, quia nunquam fuit Christus sine huiusmodi virtutibus, cum eas in primo instanti suæ conceptionis comparauerit &c. 19

(**)

ARTICVLVS III.

Vtrùm in Christo fuerit Fides.

CONCLVSIO *est negans, & probatur in argumento sed contra, quia ex Paulo ad Hebræ. 11.* Fides est argumentum nõ apparentium. *Sed in Christo nihil fuit non apparens, quia Petrus dixit ei Ioan. vltimo. Tu omnia nosti. Ergo in Christo non fuit Fides. Deinde in corpore. Obiectum Fidei est res Diuina non visa, vt dicitur 2.2.q.1.artic.1. Ergo ablata hac ratione non remanet Fides, cùm habitus virtutis ab obiecto specificetur. Sed Christus ab instanti suæ Incarnationis plenè vidit Deum per essentiam, vt infra dicetur q.34.art.4. Ergo in eo nõ potuit esse Fides.*

Est primum argumentum, Fides est nobilior virtutibus moralibus, sed hæ fuerunt in Christo, vt dictum est articulo præcedenti: ergo & illa. Negatur consequentia, quia licèt Fides sit altior virtutibus moralibus, tamen ex essentiali comparatione obiecti ad subiectum, importat quendam defectum, qui in Christo esse non potuit: oportet enim ea, quæ creduntur esse non visa per comparationem ad credentem.

Secundum argumentum. Christus dicitur author & consummator Fidei, ad Hebræ. 12. Ergo habuit virtutem Fidei. Respondetur, Christum habuisse meritum Fidei, quod in eo cõsistit, vt homo ex obedientia assentiat rebus Fidei, iuxta illud ad Roma. 1. Ad obediendum Fidei in omnibus gentibus pro nomine eius. *Christus autem plenissimè obediuit Deo, iuxta illud ad Philip. 2.* Factus est obediens vsque ad mortem. *Et ideò nihil docuit Christus ad meritum spectans, quod ipse excellentius non impleret.*

Tertium argumentum est. Quidquid est imperfectionis, excluditur à beatis: sed in beatis est Fides, vt ait glossa ad illud Roma. 1. Iustitia Dei reuelatur in eo ex Fide in Fidem. *Ergo etiam in Christo fuit Fides. Resp. Fidem impropriè dici de rebus visis, quantùm ad certitudinem, & adhæsionem; & sic accepit glossa: propriè autem de his, quæ creduntur, & non videntur.*

Commentarius.

1 CONCLVSIO huius articuli non solùm est intelligenda de Fide acquisita, sed etiam de infusa, tam secundùm actum, quàm habitum. Et primum, quòd Christus non habuerit actum Fidei, est certum secundùm Fidem, quia de Fide est animã Christi ab instanti suæ conceptionis fuisse beatam, & vidisse Deum. A videntibus autem Diuinam Essentiam excludit Paulus 1. Corint. 13. Actum Fidei. *Videmus,* inquit, *Nũc per speculum, tunc autem facie ad faciem.* Ex quo loco colligunt omnes Theologi contra Durandum in 3.d.31.q.4. in videntibus Diuinam Essentiam non solùm de facto non esse actum Fidei, sed neq; posse esse per Diuinam potentiam, quia ex prædicto testimonio constat, in conspicientibus Deum euacuari, & destrui omne id, quod visioni essentialiter opponitur; & omnem imperfectionem respectu visionis: sed de ratione actus Fidei est imperfectio non videndi, & in hoc essentialiter opponitur visioni; ergo per nullam potentiã isti duo actus possunt esse simul. Quòd verò in Christo nullus fuerit habitus Fidei, non est tã de Fide, sicut quòd non fuerit actus Fidei, quia Paulus in eo loco non tam de habitu, quàm de actu loquitur. Est tamen adeò certum, vt oppositũ esset falsum, temerarium, & erroneũ, vel saltem errori proximum. Sed pro maiori huius rei examine, probatur in Christo potuisse reperiri habitum Fidei, & actum eius. 2

Primò Fides solùm petit intrinsecè, vt Fidelis assentiatur ob authoritatem dicentis: sed Christus potuit, & debuit assentiri Deo aliqua reuelanti: ergo fuit in eo Fides. Confirmatur. Deus potuit reuelare Christo aliqua, reuelatione obscura, ea, scilicet, quæ in Verbo non intuetur, non enim anima Christi videt in Verbo omnes creaturas, & veritates possibiles; ergo harum rerum potuit Christus habere Fidem. 3

Secundò: quia si in Christo non fuisset Fides, neque etiam esset meritum Fidei, quod est falsum. 4

Tertiò: quia in Christo fuerunt liberalitas, & magnificentia, quamuis illi defuerit materia harum virtutum, nempe, diuitiæ; ergo similiter fuit habitus Fidei, quamuis defuerit Christo materia circa quam Fidei, nempe, res obscurè reuelata. Etenim ex defectu materiæ circa quam non potest inferri defectus habitus, cùm contingat pauperem esse magnificum. 5

Quartò: quia Isaiæ 11. dicitur de Christo, & erit Fides cinctorium renum eius. 5

Durandus loco citato asserit habitum Fidei, siue humanæ, siue Diuinæ nõ repugnare statui beatifico Christi; atque adeò potuisse habere habitum Fidei. Sed pro intelligentia dubij dicendũ est, contra Durandũ, habitũ Fidei humanæ & acquisitæ neque fuisse, neq; potuisse reperiri in Christo, etiam de potentia absoluta: habitũ verò infusæ Fidei non repugnare statui beatifico, solùmq; deesse de facto Christo, & alijs beatis, quia frustra esset talis habitus. Ratio prima est, quia repugnat in Christo esse habitum vitij, aut erroris; ergo repugnat esse in eo habitum Fidei humanæ. Probatur consequentia, quia ex eo repugnat Christo habitus vitij, aut erroris, quia sequeretur, Christum secundùm talem habitum esse inclinatum ad errandum, vel peccandum, quod ipsi repugnat. Sed similiter sequitur, per habitum Fidei humanæ, Christum inclinatũ esse ad errandum, quia ex natura talis habitus homo inclinatur ad assentiendum rei propter testimonium humanum, quod est fallibile; ergo. Secundum autem probatur: quia in eo casu, quo aliqua Christo obscurè reuelarentur, reperiretur ratio formalis sub qua obiecti Fidei, nempe, prima veritas obscurè reuelans, 6 7 8

dans; ergo maneret habitus fidei. Secundò, quia actus fidei, quo Christus crederet illas res sibi reuelatas, esset eiusdem speciei cum actu elicito in nobis ab habitu fidei: ergo posset elici in Christo ille actus ab habitu fidei.
9 Tertiò, quia de facto cum actu visionis fuit habitus fidei in Paulo in raptu, quamuis ille actus fuerit per modum transeuntis; ergo de potentia Dei absoluta poterit esse cum actu visionis per modum permanentis. Antecedens est Caietani 2. 2. q. 175. art. 3. vbi docet, postquàm D. Paulus in raptu vidit Diuinam essentiam, habitum fidei, qui in illo permansit, nunquam potuisse exire in actum circa Deum Trinum, & vnum, qui est obiectum primarium fidei. Quare cùm in Paulo permanserit fides, deficiente obiecto primario, poterit etiam in Christo, & in quolibet beato esse habitus fidei circa obiectum secundarium deficiente primario
10 obiecto. Quartò: quia actus opponitur actui, non habitui, & ideo licèt actus fidei, & visionis etiam de potentia Dei absoluta nequeant esse simul in eodem intellectu, nulla est repugnantia, quòd simul sint actus visionis, & habitus fidei etiam respectu eiusdem rei, ad hoc enim quòd habitus fidei actu existat, non est necessarium, vt eius obiectum non visum actu existat, quia est potentia quædam. Vnde quia de potentia absoluta fieri potest, vt obiectum fidei actu reperiatur in Christo, potest enim fieri, vt humanitas Christi non videat Deum; sic etiam per eandem potentiam absolutam fieri po-
11 test, vt cum actu visionis simul sit habitus fidei. Et ad D. Thomã, qui in corpore huius articuli probat, in Christo non esse habitum fidei, ex eo, quòd in illo reperiri non potuit obiectum fidei, respondetur, D. Thomam loqui de potentia ordinaria, non de absoluta, quod ex eo maximè constat, quia illud probat ex parte obiecti fidei. Manifestum est autem posse in Christo de potentia absoluta esse obiectum fidei, vt diximus, quia fieri potest, vt Christus, in quantùm homo, non videat Deum.

12 Sed dices, totam repugnantiam prouenire ex parte luminis gloriæ, cum quo est incompossibilis habitus fidei in eodem intellectu. Verùmtamen falsum est, quòd isti duo habitus sint incompossibiles, propterea quòd differunt specie. Etenim ob id habitus vitij, & habitus virtutis infusæ contrariæ sunt in eodem subiecto compossibiles, quia differunt specie: tum etiam, quia vniuersim est verum, quòd licèt habituum contrariorum actus simul esse non valeant, ipsi verò habitus se compatiuntur, quia sunt quædam potentiales inclinationes, & potentiæ proximæ ad operandum. Et quia vnum, & idem potest esse in potentia ad diuersa, non simul habenda, sed successiuè, ideò non repugnat, vt in eodem intellectu sit lumen gloriæ, & habitus fidei, atque adeò satis probabiliter dicitur, habitum fidei de facto non reperiri in beatis, vel in Christo, quia ibi frustra maneret.

13 Vnde constat, habitum fidei posse de potentia Dei absoluta esse simul cum clara Dei visione, & cum scientifica cognitione. Implicat autem actum fidei simul reperiri cum actuali eiusdem obiecti notitia euidente. Ratio verò discriminis iam est insinuata, quia actus per se primò opponitur actui, nõ habitui. Vnde actus fidei, & actus scientiæ eiusdem obiecti directè opponuntur oppositione priuatiua, quæ virtute includit oppositionem contradictoriam, quoniam opponuntur sicut euidens, & ineuidens, clarum, & obscurum, ac proinde isti duo actus oppositi in eodem subiecto simul esse non possunt. Sed quia habitus fidei directè non opponitur actui scientiæ, aut claræ Dei notitiæ, & visioni, non implicat quòd simul sint in eodem subiecto, & de eâdem re.

Primum argumentum probat de potentia Dei absoluta posse in Christo, & in quolibet alio beato fidei habitum, & actum esse respectu earum rerum, quæ in Verbo non videntur, de lege verò ordinaria negandum est, quia obscura reuelatio, & ineuidens cognitio non decet statum beatificum. Sed replicatur. Fides est virtus Theologica; ergo non potest saluari habitus fidei, nisi versetur circa Deum. Sed in casu quòd reuelarentur res, quæ non videntur in Verbo, nõ haberetur fides de Deo, sed de creaturis obscurè reuelatis à Deo: ergo. Prior cõsequentia probatur. De ratione virtutis Theologicæ est versari circa Deum, tanquam obiectum primarium, & potissimum: ergo illo sublato, aufertur etiam ipsa virtus Theologica. 14

Secundò. Deficiente obiecto primario alicuius habitus, nequit ipse habitus permanere, licèt adsit secundarium obiectum; sed Deus credendus est obiectum fidei primarium, creaturæ verò à Deo reuelatæ pertinent ad obiectum secundarium: ergo cùm in casu posito deficiat primarium obiectum fidei (Deus enim cùm videtur, non creditur) nequaquam potest fides permanere. Maior probatur. Obiectum secundarium non pertinet ad aliquem habitum, nisi quatenus cadit sub obiecto primario; ergo deficiente primario obiecto nequit habitus versari circa secundarium obiectum, & ex consequenti omninò aufertur ipse habitus. 15

Confirmatur. Si pericula mortis omninò deficerent, quæ sunt primarium fortitudinis obiectum, non maneret virtus fortitudinis, quamuis essent alia pericula leuiora, quæ sunt secundarium fortitudinis obiectum; 16
ergo eadem ratio est in fide. Hæc argumenta tantùm probant, de lege ordinaria, & secundùm ordinem rerum ipsis proportionatum, deficiente primario obiecto alicuius habitus, etiam si perseueret obiectum secundarium sub ratione formali sub qua obiecti, non manere habitum. Sed de potentia absoluta Dei bene potest perseuerare habitus circa obiectum secundarium, etiam si primarium deficiat. Et sic in casu posito perseueraret habitus fidei circa creaturas reuelatas deficiente primario obiecto, quod est Deus creditus. Quo fit, vt in casu argumenti nisi ponatur nouum miraculum pertinens ad absolutam Dei potentiam, non esset habitus fidei in anima Christi. 17

Ad secundum respondet M. Medina, Christũ habuisse meritum fidei, quatenus habebat fidem in animi præparatione, sicut Paulus eam habuit in præparatione animi respectu eorum, quæ transacta visione vidit in Diuina essentia. Sed hæc solutio non euacuat difficultatem, quia cùm Christus fuisset simpliciter beatus, nullo modo ad eum pertinebat fides, atque adeò dici non potest, eam habuisse in animi præparatione, sicut à nemine dicitur, beatos in patria habere fidem in animi præparatione: quod etiam probatur, quia fides in animi præparatione est fides simpliciter, & ita D. Paulus simpliciter dicebatur habere fidem eorum, quæ viderat in 18

rapta, & erat verè fidelis, ergo si Christus habuit fidem in animi præparatione, habuit simpliciter fidem, & fuit simpliciter fidelis, quod nullo modo est concedendum.

19 **Exemplum autem ex D. Paulo non est ad propositum,** quia Paulus erat simpliciter & omnibus modis viator, atque adeò fides per se pertinebat ad illum. Christus verò etsi iuxta inferiorem partem fuerit viator, simpliciter tamen potest dici beatus, & comprehensor, fides autem ad comprehensorem non attinet. Ad argumentum ergo respõdetur cum Caietano, Christum non habuisse formaliter meritum fidei, sed eminenter duntaxat, quatenùs obedientia, per quam meruit apud Patrem, regulabatur per cognitionem supernaturalem, in qua eminenter comprehenditur cognitio fidei, seclusis eius imperfectionibus. Et sic intelligitur D. Thomas in responsione ad secundum.

20 Ad tertiũ argumẽtũ respondet Dom. Caietanus hîc, esse diuersam rationem liberalitatis, ac magnificentiæ ex vna parte, & fidei ex alia, quia in Christo mansit obiectum fidei materiale, nempe, Deus, mysteria Trinitatis, Incarnationis &c. Sed non mansit obiectum formale, scilicet, non visum. Magnificentiæ vero, & liberalitatis non mansit obiectum materiale, videlicet magnifici sumptus, mansit tamen obiectum formale harum virtutum, nempe, recta ratio dictans quando, quomodo, & quibus circunstantijs oporteret distribuere diuitias, si essent & quia deficiente obiecto formali, debet necessario habitus deficere, etiam si adsit obiectum materiale, ideò in Christo non fuit fides, sed non defuit illi magnificentia.

21 Cæterùm hæc Caietani solutio non placet alijs D. Thomæ interpretibus, quia vt saluetur aliqua virtus, vel habitus, non satis est, adesse obiectum formale, sed requiritur etiam, vt adsit obiectum materiale, in quo ratio formalis possit saluari: quoniam ratio formalis specifica obiecti virtutis saluari non potest, nisi determinata ad propriam materiam talis virtutis, etenim hæc ratio formalis virtutis abstracta ab omni materia est communis ad omnem virtutem. Quare deficiente obiecto materiali liberalitatis & magnificentiæ, nulla ratione potuit in Christo saluari ratio formalis specifica harum virtutum.

22 **Confirmatur: quia si obiectum formale virtutis potest saluari deficiente obiecto materiali omninò, sequeretur, in Angelis reperiri virtutes fortitudinis, & temperantiæ, quia in illis est ratio formalis harum virtutum, scilicet, recta ratio dictans, quando, & quomodo illis operandum esset circa obiecta materialia, si essent, sed consequens est contra communem omnium Theologorum sententiam, ab Angelis remouentium huiusmodi virtutes, nam in illis non sunt passiones irascibilis, & concupiscibilis, circa quas hæ virtutes versentur: ergo.**

23 **Ad argumentum ergo respondetur, Christo Domino non defuisse obiectum formale, neque materiale liberalitatis, & magnificentiæ, licet enim actum distribuendi diuitias, nullatenus habuerit habuit tamen illas oblatas, & in sua potestate fuit eas habere, vel non habere, ex quibus magnos posset facere sumptus, habuitq; simul actum illas contemnendi, qui est præstantissimus magnificentiæ actus. Et sic neque frustrà, neque præter naturam fuit in illo magnificentia, sicut re vera fuisset habitus fidei.**

Ad quartum argumentum ex cap. 11. Isaiæ desumptum, respondetur, fidem ibi nõ designare credulitatem, sed fidelitatem, & veracitatem, quæ est quædam virtus moralis constituens consonantiam inter dicta, & facta. Sic explicant D. Hieronymus, & D. Cyrillus. Hæc autem fides moralis, quæ fidelitatem significat, seu constantiam, & veritatem in promissis seruandis, fuit in Christo perfectissima. 24

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm in Christo fuerit Spes.

P*RIMA Conclusio.* Christus non habuit spem, vt est virtus Theologica. *Probatur in sed contra.* **Quod videt quis,** *Ait Paulus ad Rom. 8.* **Quid sperat,** *Et ita spes est de non visis, sicut & fides: sed in Christo non fuit fides: ergo neque spes. Deinde in corpore. Spes est de Deo non habito, vt de obiecto, vt patet de fide, quæ est de Deo non viso, & sic est virtus Theologica: sed Christus à principio conceptionis plenè habuit fruitionem Diuinam; ergo non habuit virtutem spei.*

Secunda Conclusio. **Christus habuit spem respectu aliquorum, quæ nõdum erat adeptus, vt immortalitatis, gloriæ corporis, & omnium prædestinatorum.** *Probatur, nam licet spes Deum habeat pro obiecto, ex consequenti tamen alia etiam nondum adepta sperantur, sicuti fide non solum credimus Deum, sed etiam alia reuelata, at nondum erat adeptus omnem perfectionem: ergo.*

Tertia Conclusio. **Quia Christus plenè videbat omnia, totaliter ab eo excludebatur fides, non autem totaliter spes, cùm plenè omnia non haberet.**

Primum argumentum D. Thomæ desumitur ex illo Psalm. 30. In te Domine speraui: quod in Persona Christi dicitur: sed per virtutem spei homo sperat in Deum; ergo in Christo fuit virtus spei. Respondet, illud non dici de Christo secundùm spem, quæ est virtus Theologica, sed de ea, qua non habita sperauit.

Secundum est. Spes est expectatio futuræ beatitudinis, vt dicitur 2. 2. q. 17. art. 5. Sed Christus aliquid expectauit ad beatitudinem pertinens, nempe, gloriam corporis: ergo in Christo fuit spes. Resp. Gloriam corporis non pertinere ad beatitudinem, sicut id, in quo beatitudo principaliter consistat, sed sed per quandam redundantiam à gloria animæ,

Spes

Spes autem, quæ est virtus Theologica, non respicit beatitudinem corporis, sed beatitudinē animæ, quæ in Diuina fruitione consistit.

Tertium est. Vnusquisq; potest sperare id, quod ad eius perfectionem spectat, si sit futurum: sed aliquid erat futurum, quod ad Christi perfectionem pertinet, iuxta illud ad Ephes. 4. Ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi: ergo in Christo fuit spes. Resp. Ædificationem Ecclesiæ non pertinere per se ad perfectionem Christi, quia in se est perfectus, sed ad perfectionem, qua alios perficit. At spes propriè est de eo, quod expectatur habendum in se, non in alio.

Commentarius.

1 PRIMA Conclusio quamuis expressè neget Christo spem virtutem Theologicam, intelligenda est etiam de spe acquisita, & de veraque tam secundùm actum, quàm secūdùm habitum, in quo sensu recipitur ab omnibus Theologis in 3. d. 26. Verum est tamen, non eodem gradu certitudinis esse certam, si intelligatur de habitu, sicut de actu. Intellecta enim de actu, est de fide, vt constat ex Paulo ad Rom. 8. *Quod videt quis, quid sperat?* Vbi ab omnibus beatis excludit actum sperandi beatitudinem, quia Deum actu habent per visionem, & fruitionem. Quod si à beatis excluditur, multò magis à Christo, qui ab instanti
2 suæ conceptionis fuit beatus. Quod verò non sit de fide loquendo de habitu, ex eo constat, quòd Paulus in testimonio citato solùm loquitur de actu spei. Est tamen consensus omnium Theologorum, vt diximus, affirmantium, Christum nullum habuisse habitum spei, siue acquisitæ, siue infusæ, quod non solùm est verum de potentia ordinaria, verùm etiam de absoluta. Quòd autem spem acquisitam habere non potuerit, constat propter eandem rationem, qua supra à Christo Domino fidem acquisitam excludimus, quia spes acquisita necessariò præsupponit fidem acquisitam. Ergo si hæc
3 repugnat Christo, & illa. Quòd verò non potuerit habere habitum spei infusæ, probatur. Christo repugnat actus sperandi vitam æternam, ergo repugnat habitus sperandi vitam æternam. Patet antecedens, quia vita æterna, etiam si Christus illa careret, vt homo, non posset esse Christo bonum arduum, & difficile, quod est de ratione spei: conuenit enim spes cum desiderio, quòd vtrumque est de bono nondum habito, & possibili: differt verò; quia spes est de bono nondum habito, possibili, arduo, & difficili: at verò humanitati ad esse Diuinum eleuatæ beatitudo non potuit esse ardua, & difficilis adhuc de potentia Dei absoluta: quia talis humanitatis voluntas non potuit non esse conformis Diuinæ volūtati: & ita quacumque operatione etiam facillima mereretur beatitudinem: ergo si Christo repugnabit actus sperādi beatitudinem, repugnat etiam & habitus. Patet consequentia, quia cui repugnat actus, repugnat
4 etiam habitus. Nonnulli recentiores Thomistæ reputant probabile, de potentia Dei absoluta potuisse Christum habere habitum spei cum clara Dei visione, non tamen actum spei cum actu visionis, quia id repugnat.

Præterea repugnat statui Christi beatifico, quòd per habitum spei voluntas Christi speret facialem Dei visionem, quæ inter obiecta particularia virtutis spei tenet principem locum: quod enim possidetur, nulla ratione fieri potest, quòd simul speretur, & desideretur.

5 Circa secundam Conclusionem dubitatur, An actus, quo Christus sui corporis gloriam desiderabat, dum erat in vita mortali, esset simpliciter actus spei, & gloria corporis esset simpliciter obiectum spei. Affirmatio probatur ex D. Thoma in hac secunda conclusione. Et præterea, quia gloria corporis erat bonum supernaturale futurum, & arduum respectu Christi; ergo erat obiectum spei, atque adeò actus ille erat actus spei. Probatur antecedens quoad illam partem, Arduum. Christus secundùm legem à Deo statutam non poterat consequi gloriam corporis nisi mediante passione, & morte, iuxta illud Lucæ vltimo, *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Ergo consecutio gloriæ corporis fuit Christo difficilis, & ardua.
6 Quidam Theologi putant, illum actum fuisse simpliciter actum virtutis spei eiusdem rationis cum actu spei, quo purus viator sperat sui corporis gloriam. Dicunt tamen in Christo non fuisse habitum spei propter defectū obiecti primarij, à quo per se pendet ipsa Theologica
7 ca virtus. Dom. Caietanus existimat, illū actū non esse spem, sed desiderium, si propriè loquendum est, sicut dicuntur beati desiderare futuram corporum gloriam, sed non sperare. Hæc Caietani sententia communiter recipitur à Thomistis. Et Caietani ratio est, quia gloria corporis in Christo non erat simpliciter bonum arduum, & difficile, quia ex gloria animæ naturaliter resultat gloria corporis, vnde est debita in radice, & potentia intrinseca: obiectum autem spei est bonum difficile, & arduum, & futurum quasi per extrinsecam potentiam. Vnde colligit Caietanus, hunc actum fuisse in Christo perfectissimum: quia licèt ex nullo habitu processerit, tamen processit ex meliori, & præstantiori dispositione, quàm sit habitus: etenim in nobis, in quibus huiusmodi actus procedit ex habitu, talis actus innititur Deo non habito, sed habendo: in Christo autem innitebatur Deo, iam habito, quæ est melior dispositio, vt certiùs, & firmiùs corporis gloriam posset sperare. Quò fit, vt actus sperandi corporis gloriam multò perfectior fuerit in Christo, quàm sit in nobis.

8 Colligit etiam Caietanus, quòd cùm iste actus non processerit ex aliquo habitu in Christo, nullus fuit in Christo habitus Theologicus, à quo talis actus elici potuisset: qui actus potest dici Theologicus, non quidem ex parte principij, sed ex parte obiecti; quoniam si in nobis est Theologicus, quia innititur Deo habendo; cùm longè perfectius sit inniti Deo iam habito, erit etiam in Christo potiori ratione Theologicus ex parte obiecti.

9 M. Suarez in hoc articulo hanc Caietani sententiam reijcit, quoniam iste actus sperandi, vel desiderandi gloriam corporis, est in se supernaturalis, cùm sit de obiecto supernaturali, & illi proportionatur; ergo debet effici ab aliquo habitu infuso. Probatur consequentia, quia propria, & adæquata ratio, ob quam est necessarius habitus infusus, est actus supernaturalis, qui ex eo, quod

quòd est supernaturalis, est satis difficilis, & arduus, cùm sit improportionatus potentiæ ergo oportet illam per habitum eleuari, vt perfectè, & connaturali modo saltem, actum elicere posit. Confirmatur, quia aliàs ille actus esset imperfectus, quia natus elici per habitum, vt in nobis, & de facto elicitus sine habitu.

10 Propter hoc argumentum censet M. Suarez esse necessariò ponendum habitum infusum, à quo talis actus eliciatur, & hunc habitum dicit esse habitum spei, qui prout est in via, dicitur spes denominatione sumpta ab actu difficiliori, & maximè arduo, & necessario viatori, & prout est in patria dicitur habitualis amor concupiscentiæ propriæ beatitudinis. Vnde ille habitus, vt connotat imperfectionem spei, non manet in beatis; nihilominùs inquantùm potest esse principium amandi, & fruendi propria beatitudine supernaturali, potest manere. Et ab isto habitu, à quo elicitur amor propriæ beatitudinis, dimanat etiam actus ille expectandi, vel desiderandi corporis gloriam.

11 Sed certè hæc sententia non explicat, neque euacuat difficultatem, quia ille actus sperandi gloriam corporis est elicitus ab habitu, qui essentialiter est virtus spei; sed spes vt sic intrinsecè denotat imperfectionem: ergo manet in beatis, etiam vt connotat imperfectionem. Rursus. Quando aliquid natum est appeti tanquam secundarium obiectum in ordine ad aliud, quod appetitur, vt primarium, deficiente habitu circa primarium obiectum, necessariò etiam debet deficere idem habitus circa obiectum secundarium. sed gloria corporis est secundarium obiectum respectu gloriæ animæ, quam primariò respicit virtus Theologica spei: ergo deficiente in Christo habitu sperandi gloriam animæ, sicut re vera defecit, necessariò etiam defecit habitus sperandi gloriam corporis, siue consideretur hoc, siue illo modo.

12 Vnde standum est doctrinæ à Caietano traditæ, nempe, illum actum non esse ab habitu spei, cùm deficiat ratio formalis obiecti. Et ad argumentum Suarez concedo, illum actum esse supernaturalem, sed nego, quòd debeat esse ab aliquo habitu infuso, vel remanente in patria. Et ad probationem dico, habitum infusum esse necessarium ad eliciendum actũ supernaturalem, quando principium elicitiuum talis actus non est tam rectè dispositum ad illum actum eliciendum sine habitu, quàm cũ habitu. Si vero est meliùs dispositum ad producendũ actum sine habitu, quàm si esset habituatum, tunc non est necessarius habitus. Et sic est in proposito, quia voluntas Christi fruens Deo non in spe, sed in re, est meliùs disposita ad expectandum gloriam corporis, quàm si haberet habitum spei, quanto res est certior, & excellentior, quàm spes. Quo fit, vt expectatio, qua voluntas Christi fertur in gloriam corporis, deficiat à ratione actualis spei, & ex parte obiecti, & ex parte subiecti, & potius est desiderium, quàm spes: cùm enim spes dicat imperfectionem, quanto minus spei habetur, tantò magis ab imperfectione receditur.

13 Ad confirmationem respondetur eodem modo: negatur, quòd actus spei in Christo esset imperfectus sine habitu. Et ad probationem negatur, omnem actum natum informari habitu, esse imperfectum sine habitu, quando actus non est omnino eiusdem rationis, qualis est actus spei in Christo. Etenim actus sperandi immortalitatem, & gloriam corporis nõ est omninò eiusdem speciei ex parte obiecti in nobis, & in Christo, quia illa gloria in nobis habet rationem ardui, & non in Christo.

Sed dices: Voluntas, quantumuis sit disposita per fruitionem, non potest esse principium eliciens illum actum, quia proximè debet eleuari per aliquem habitum, qui sit veluti intrinseca facultas ad eliciendum actum, sicut per visionem beatam disponitur beatus ad amandum Deum, & tamen amorem Dei elicere non valet sine habitu. ergo similiter in proposito. Respondetur, voluntatem, vt taliter dispositam, esse principium elicitiuum illius actus, & per illam dispositionem proximè eleuari ad eliciendum actum, erat autem illa dispositio possessio primarij obiecti spei per apprehensionem, & 14
fruisionem summi boni. Constat enim, quòd qui possidet bonum primarium spei, sufficienter est dispositus ad 15
operandum secundarium obiectum spei, non per ipsam spem, quia est exclusa per tentionem summi boni, sed per charitatem, quæ est vinculum perfectionis. An verò posiit elici actus charitatis, & amoris Dei sine habitu cum solo auxilio speciali Dei, non est huius loci disputare.

Ad primum igitur argumentum contra secundam conclusionem respondetur, quòd cùm gloria corporis haberet aliquid difficultatis, & arduitatis in Christo, quam in cæteris beatis non habet; ideo D. Thomas desiderium, quo Christus corporis gloriam desiderabat, appellat spem, quod tamen in alijs beatis non admittit. At verò hæc difficultas non fuit sufficiens ad constituendam propriam, & essentialem rationem spei, sed ampla quadam, & lata acceptione illud Christi desiderium appellatur à D. Thoma spes. 16

Ad secundum respondetur, illam difficultatem consequendi gloriam corporis in Christo, non esse sufficientem ad obiectum spei, quia ea sola difficultas requiritur ad obiectum formale spei, quæ reddit dubiam, & non omninò securam, consequutionem boni sperati. At licèt Christo esset difficilimum, & arduum consequi gloriam sui corporis, de eius tamen assecutione erat securissimus, nam secundùm legem à Deo statutam, & secundùm propriam dispositionem, videlicet, gloriam animæ, infalibiliter erat futura corporis immortalitas. Ad argumentum ergo respondetur, consecutionem gloriæ corporis fuisse Christo laboriosam, sed non difficilem, & arduam, vt requiritur ad spem. 17

Sed contra hoc objicitur. Sequitur, quòd siquis certò cognoscat, se esse prædestinatum, aut confirmatum in gratia, non posset habere actum virtutis spei: sed consequens est falsum: ergo. Probatur sequella. Iste homo non dubitat de consecutione vitæ æternæ: ergo consecutio vitæ æternæ non est ei difficilis, & ardua, vt requirit virtus spei. Respondetur, illi homini per se loquendo dubiam esse, & difficilem cõsequutionem vitæ æternæ, quia intra se nullum habet principium, ex cu- 18
ius virtute necessariò, & infallibiliter sit vitam æter- 19
nam consecuturus. Est autem illi certa adeptio gloriæ per accidens ex gratia speciali Dei. Vnde per se & simpliciter vita æterna est illi difficilis, & ardua. Christo autem consecutio gloriæ sui corporis erat certa, & infallibilis

insallibilis per se, nempe, ex virtute principij intrinseci effectiui, quia ex gloria animæ per se redundat corporis gloria, & immortalisas.

10 Præterea admissa illa sententia M. Suarez, videlicet,
Christum habuisse veram spem gloriæ sui corporis, dobitatur, An sis eoncedendum, illum actum spei fuisse eiusdem speciei cum illo, quo nos speramus futuram corporis gloriam. Quidam affirmans, quoniam ille actus spei habebat in Christo eandem rationem formalem, quam in nobis habet actus spei: respiciebat enim motiuum supernaturale, & innitebatur Diuinæ virtuti ergo. Alij verò negant, quorum ratio est, quia obiectum illius actus non pertinebat ad virtutem spei, nam deficiebat obiectum primarium spei, nempe, Deus non
11 visus, possibilis autem videri, sed tota essentialis ratio
virtutis spei desumitur ex primario eius obiecto, & non sufficis ratio formalis sub qua, nisi ad obiectum primarium determinetur: ergo &c. Probatur minor, quia tota ratio virtutis Theologicæ consistis in hoc, quòd versatur circa Deum tanquam obiectum primarium: ergo nisi ratio formalis sub qua determinetur ad istud obiectum primarium, non sufficit constituere Theologicam virtutem, neque actum eiusdem speciei cum actu
12 elicito à virtute Theologica. Propser hoc argumen-
sum probabilius est dicere, illum actum esse diuersæ speciei ab actu eliciso à nobis per virsutem spei. Es huius sensentiæ est Caietanus, quia in nobis ille actus habet rationem difficilis, & ardui: & ideò vt sit perfectus, requirit habitum spei, quod in Christo locum non habet.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm in Christo fuerint Dona.

CONCLVSIO Est affirmans, & probatur ex Glossa ad illud Isaiæ. 4. Apprehendent septem mulieres virum vnum. Item: quia anima Christi perfectissimè mouebatur à Spiritu Sancto: ergo in Christo fuerunt excellentissimè eius dona: nam dona sunt perfectiones potentiarum animæ secundùm quòd sunt natæ moueri à Spiritu Sancto.

Primum argumentum D. Thomæ est. Dona dantur in adiutorium virtutum; sed quod est in se perfectum, non indiget exteriori auxilio: ergo neq; in Christo fuerunt dona; cùm in eo fuerint virtutes perfectæ. Resp. Quod est perfectum in sua natura, indigere auxilio alterius naturæ altioris. Et ita virtutes, quæ in Christo erant perfectæ, indigent auxilio donorum, quæ perficiunt potentias, vt moueantur à Spiritu Sancto.

Secundum. Non est eiusdem dare dona, & recipere, etenim dare est habentis, accipere verò non habentis: sed Christi est dare dona, iuxta illud Psal. 57. Dedit dona hominibus; ergo Christi non est accipere dona Spiritus Sancti. Resp. Non esse eiusdem secundùm idem dare & recipere, & ita Christus alia ratione dat, & alia ratione recipit dona Spiritus Sancti. Dat enim vt Deus, recipit autem vt homo. Ideò asserit Gregorius lib. 2. Moral. cap. 41. Spiritum Sanctum ab humanitate Christi nunquam recessisse, ex cuius Diuinitate procedit.

Tertium. Quatuor dona pertinent ad contemplationem viæ, nempe, sapientia, scientia, intellectus, & consilium, quod pertinet ad prudentiam; & ideò Aristoteles. 6. Ethico. Ea numerat inter virtutes intellectuales: sed Christus habuit contemplationem patriæ: ergo non habuit huiusmodi dona. Resp. Christum fuisse comprehensorem, & viatorem, & ita habuisse cognitionem patriæ, & viæ. Tum etiam, quia dona Spiritus Sancti sunt aliquo modo in patria, vt 1. 2. q. 68. artic. 6. ostenditur.

Commentarius.

HAEC Conclusio est de fide tenenda, vt constat ex illo Isaiæ. 11. *Requiescet super eum 1
Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietasis; & replebit eum spiritus timoris Domini.* Ex quo loco colligunt Theologi dona Spiritus Sancti; Nam tripliciter potest homo ad bonum moueri. Primò per rationem humanam, & ad hoc ponuntur virtutes acquisitæ, vt homo promptè, & delectabiliter sequatur rationem. Secundò per rationes supranaturales, & fidei, & ad hæc bona sequenda conferuntur virtutes infusæ. Tertiò per impulsum, & instinctum Spiritus Sancti ad aliquos actus ita extraordinarios, & heroicos, vt solo lumine naturali, aut fidei exerceri non possint, ac proinde vt homo ad similes actus heroicos sit facile mobilis à Spiritu Sancto, ponuntur hæc dona Spiritus Sancti:
quæ ideò dicuntur Spiritus Sancti dona, quia sicut Spi- 2
ritus inter alia significat ventum quendam, & aerem concitatum, ita quoniam homo impulsu quodam Diuino rapitur præter vsitatum modum fidei, spei, & charitatis, & aliarum virtutum, dona Spiritus appellantur. Et quia Christus Dominus opera heroica erat facturus, & præter cursum ordinarium quadraginta diebus, & quadraginta noctibus ieiunaturus, & à dæmone erat in deserto sentandus, oportuit hæc dona in eius mente collocare, iuxta illud Matth. 4. *Ductus est Iesus à Spiritu in desertum.* Est tamen aduertendum iustos per 3
hæc dona Spiritus Sancti sæpè efficere operationes inconsulta ratione, & absque propria deliberatione, quia à Spiritu Sancto instigante subitò rapiuntur, vt patet in Sansone arripiente templi columnas, & in alijs Sanctis, qui se in ignem conijciebant, iuxta illud, *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filij Dei.* Vbi ponderanda est illa vox, Aguntur, significat enim, Spiritum Sanctum in illis operari. In Christo autem non secundùm istum modum ponuntur dona, quia scientiæ plenitudinem habebat, & sic de omnibus, quæ agebat, etiam istorum donorum impulsu rationem reddere poterat.

Præterea

4 Præterea aduertendum est, hæc dona differre specie à virtutibus, siue acquisitis, siue per se infusis, vt ostendit D.Thom. 1.2. q. 68. art. 2. Quia licèt versentur circa eadem obiecta materialia, quæ virtutes respiciunt, quibus respondent (etenim intellectui, qui est habitus principiorum naturalium, respondet donum intellectus circa supernaturalia, sapientiæ verò, quæ est suprema in rebus naturalibus, respondet donum sapientiæ, quo iudicatur de rebus secundùm altissimas causas, atque rationes: omnibus verò alijs scientijs naturalibus respondet donum scientiæ, quo rectè iudicatur de rebus secundùm inferiores causas, atque rationes; prudentiæ respondet

5 consilij donum, quod est bona illa consultatio, qua rectè, ac sine errore cócluditur, quid sit faciendum secundùm leges Dei. iustitiæ respondet donum pietatis, quod est ipse cultus, ac religio in Deum, quo homo in ordine etiam ad proximum rectè se gerit, vt sit beneuolus, & iustus. Fortitudini respondet donum fortitudinis ad aggredienda quæcumque difficilia, temperantiæ denique respondet donum timoris, quod in eo consistit, vt homo præ oculis habens Diuinam maiestatem, illam reuereatur, & offendere timeat.) Nihilominùs tamen aliud est obiectum formale: nam ratio formalis virtutum moralium acquisibilium est tendere in obiectum, prout ratio naturalis dictat, infusarum vero est tendere in idem obiectum, prout dictat ratio supranaturalis.

6 Cæterùm dona Spiritus Sancti tendunt in eadem obiecta materialia ex motione, & impulsu Spiritus Sancti. Itaque quamuis in virtutibus infusis reperiatur motio Spiritus Sancti, & in ipsis donis etiam reperiatur dictamen rationis supernaturalis, id tamen diuersa ratione contingit, quia in virtutibus inuenitur dictamen rationis supernaturalis, tanquam ratio formalis, & intrinseca ipsarum, motio verò, & impulsus Spiritus Sancti extrinsecè duntaxat reperitur, ita vt qui agit ex aliqua virtute infusa licèt agat ex motione Spiritus Sancti, non tamen propter motionem, sed tantùm propter dictamen rationis deductum ex consilio, & inquisitione agit. E contrà verò donum Spiritus Sancti, quamuis sequatur dictamen rationis supernaturalis, non tamen agit propter illud, sed propter motionem Spiritus Sancti, & ideò differunt specie.

7 Postremò obseruandum est, rationem D.Thomæ non probare, dona Spiritus Sancti simpliciter fuisse Christo necessaria, quia ista motio erat naturalis, & debita humanitati, prout eleuatæ ad esse Diuinum, & ita facillimè respondebat huiusmodi motioni, & impulsui: nihilominùs probare, fuisse Christo hæc dona necessaria in ordine ad finem, nempe, vt Christi operationes de rebus supernaturalibus omni possibili modo essent perfectæ, & sibi connaturales: qua ratione diximus supra, gratiam esse humanitati Christi simpliciter necessariam, id quod etiam de virtutibus moralibus infusis dicendum est.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm in Christo fuerit donum timoris.

SVPPOSITO, *Quòd timor respicit duo obiecta, quorum vnum est malum terribile, aliud verò, cuius potestate malum potest inferri, vt cùm quis timet Regem, inquantùm habet potestatem occidendi, cui propter suam eminentiam resisti non potest, est prima conclusio.* In Christo non fuit timor, prout dicit malum separationis à Deo, vel malum punitionis propter culpam. *Secunda Conclusio.* In Christo fuit donum timoris, prout timor respicit Diuinam eminentiam, quam timor reueretur. *Probatur primo ex illo Isaiæ.* 11. Replebit eum Spiritus timoris Domini. *Secundò. Anima Christi quodam affectu reuerentiæ mouebatur in Deum à Spiritu Sancto; quia in omnibus exauditus est pro sua reuerentia, ad Hebræ. 5. ergo. Et quia hunc affectum habuit Christus præ cæteris hominibus, ideò illi tribuitur plenitudo timoris Domini.*

Primum argumentum est. In Christo non fuit virtus spei, vt ostensum est art. 4. huius quæstionis: ergo neque fuit donum timoris. Probatur consequentia: quia spes est potior, quàm timor, cùm illius obiectum sit bonum, huius verò malum, vt ostenditur 2. 2. q. 17. art. 1. Resp. Negando consequentiam, & probationi dicitur, virtutes, & dona respicere bonum ex se, malum verò ex consequenti. Vnde de ratione timoris non est malum, sed excellentia boni, propter quod illud malum inferri potest. At spes respicit & authorem boni, & ipsum bonum, quatenùs est non habitum. Quare Christo, qui perfectum beatitudinis bonum iam habebat, non tribuitur virtus spei, sed donum timoris.

Secundum est. Per donum timoris timetur vel separatio à Deo per peccatum, vel punitio propter ipsum; sed neutrum potuit Christus timere, cùm peccare non posset, vt infra q. 15. constabit: timor autem non est de re impossibili: ergo in Christo non fuit donum timoris. Resp. Hoc argumentum procedere de timore, vt respicit malum.

Tertium. Perfecta charitas foras mittit timorem, vt dicitur 1. Ioan. 4. Sed in Christo fuit perfectissima charitas, iuxta illud ad Ephes. 3. supereminentem scientiæ charitatem Christi: ergo in Christo non fuit donum timoris. Resp. Quòd perfecta charitas foras mittit timorem seruilem, qui respicit pœnam per se. Et hic timor non fuit in Christo.

Commentarius.

IN Christo Domino fuisse timorem Dei, est de fide tenendum, vt constat ex loco Isaiæ. 11. citato. Et Psal. 18. Timor Domini Sanctus permanet in seculum 1

culum sæculi.* Vnde D. Bernardus Epist. 190. inter
errores Petri Abailardi numerat contrarium, & inter
hæreses ponunt Castro Verbo, Christus, hæresi 9. & San-
derus lib. 7. de Visibili Monarchia hæresi. 144. Et quam-
uis non sit dogma fidei in beatis manere actum doni
timoris, imò neque est de fide, manere habitum, est ta-
men certum secundùm fidem in Christo reperiri donum
timoris saltem quoad actum. Et ratio discriminis est
inter Christum & beatos, quòd illud testimonium Psal.
18. *Timor Domini Sanctus &c.* Legitimè explica-
tur, quòd permaneat in æternum in beatis, non essen-
tialiter, & in semetipso, sed in suo termino, & effectu,
nempe, in præmio vitæ æternæ, sicuti omnia opera bo-
na dicuntur in æternū permanere. Colligitur hæc expli-
catio ex D. August. lib. 20. de Ciuit. cap. 9. Cæterùm lo-
cus ille Isaiæ. 11. *Repleuit eum Spiritus timoris Do-
mini.* Ex quo colligitur in Christo reperiri timo-
rem, adeò est manifestus, vt aliter intelligi non possit,
quàm de ipso timore essentialiter, & formaliter. Con-
firmatur hoc, quia cùm Christus gloriam animæ non
meruerit per actum timoris, aut per aliam meritoriam
operationem, quia sine meritis fuit illi collata, non po-
test verosimiliter dici, timorem permanere in Christo,
& non essentialiter, sed in suo termino, & proprio effe-
ctu; quia gloria animæ non fuit effectus, aut terminus
2 timoris. Absolutè tamen fateri oportet, timorem san-
ctum formaliter, & essentialiter permanere in omnibus
beatis, iuxta illud Iob. 26. *Columnæ cœli contremis-
cunt, & pauent ad nutum eius.* Per columnas cœli in-
telligunt multi sancti, præsertim Gregorius lib. 17. Mo-
ral. cap. 14. Angelos beatos. Idem docet D. August. loco
citato. Et est communis Sanctorum Patrum doctrina,
& Theologorum in 3. d. 34. Vnde falsus fuit Durandus
ibidem q. 3. dicens, donum timoris reperiri in beatis,
quantùm ad habitum, nō verò quoad actum. Imò mul-
tò certius est reperiri quoad actum, quàm quo ad habi-
tum, quia Sancta Scriptura & Patres cū de timore bea-
torum loquuntur, parum curant de habitu, sed de actu
est illis sermo.
3 Præterea aduertendum est, timorem, qui est donum
Spiritus Sāctū, de quo disputat D. Thomas 2. 2. q. 19. di-
uidi in seruilem, filialem, & reuerentialem, ex quibus
Christus tantùm habuit reuerentialem, vt ait D. Thom.
Vnde quia dona Spiritus Sancti perficiunt secundùm
motionem Spiritus Sancti easdem potentias, quas per-
ficiunt virtutes intellectuales, & morales iuxta dicta-
men rationis, nam sicut iustitia perficit voluntatem, ita
donum pietatis illis respondens, & quemadmodùm for-
titudo perficit irascibilem, sic etiam donum fortitudi-
nis illi respondens, atque adeò sicut temperantia perfi-
cit concupiscibilem, ita donum timoris illi respondens;
4 idcircò, quemadmodùm in Christo fuit plenissimè om-
nis actus temperantiæ, ita vt non solùm habuerit actum
ipsius temperantiæ, verùm etiam modestiæ, humilitatis,
castitatis &c. Ita eodem modo intelligendum est, ha-
buisse omnes huiusmodi actus iuxta motionem Spiri-
tus Sancti, quod est plenissimè habuisse donum timo-
ris. Itaque ille actus summæ reuerentiæ erga excellen-
tiam, & eminentiam Diuinæ potestatis, quem D. Tho-
mas in litera explicat, est potissimus actus omnium, qui
temperantiæ conuenire possunt, quia est proprius actus
humilitatis, quæ inter omnes, quæ temperantiæ con-
nectuntur, potissima est. Humilitas enim in tantùm facit 5
nos Deum reuereri, & sub eius obedientia, & subiectio-
ne contineri, inquantùm reprimit motus concupiscibi-
lis, ratione quorum homines à Dei subiectione se sub-
trahere solent. Et ob hāc causam D. Thomas postquam
articulo præcedenti probauit, in Christo fuisse omnia
dona Spiritus Sancti, specificè hîc quærit de dono ti-
moris, an fuerit in Christo, quia magnam continet
difficultatem, quo pacto actus humilitatis, qui ad tem-
perantiam pertinet, & cui respondet donum timoris,
possit appellari timor.
Pro parte autem negatiua fortiter argumentum ex 6
D. Thom. 2. 2. q. 19. vbi omnem timorem dicit esse, aut
mundanum, aut seruilem, aut initialem, aut filialem; sed
humilitas nequit esse timor mundanus, neque seruilis,
quia actus humilitatis non potest esse malus, timor au-
tem mundanus semper est malus, & seruilis, vt sic, secun-
dùm se est indifferens, & ita potest esse bonus, & malus.
Neque est timor filialis, aut initialis, quia isti duo ti-
mores, quamuis differāt in hoc, quòd initialis interdum
secum admittit seruilem, filialis verò minimè, conue-
niunt tamen in hoc, quod vterque est actus charitatis,
nam eiusdem virtutis est fugere cōtrarium proprij ob-
iecti, & prosequi propriū obiectū. Et quia per timorem 7
initialem, & filialem fugimus offensam Dei, prout est
offensa Dei, per charitatem verò diligimus Deum, prout
est Deus, ideò vterque timor est actus charitatis, sed
charitas distinguitur ab humilitate: ergo &c.
Confirmatur, Quia omnis timor pertinet ad irasci- 8
bilem, cuius obiectum est malum difficile, & arduum,
sed actus humilitatis pertinet ad concupiscibilem, sine
mouetur iuxta dictamen rationis, siue iuxta motio-
nem Spiritus Sancti; ergo humilitas non potest esse
timor.
Quidam recentiores respondent, illum actum humi- 9
litatis, & reuerentiæ summæ erga eminentiam Di-
uinæ potestatis, qui est potissimus actus doni timoris,
non esse propriè timorem filialem: sed dici timorem,
quia versatur circa idem obiectum, ex quo actus timo-
ris filialis generari solet: nam ex D. Augustino lib. 14.
de Trinit. cap. 9. de ratione filialis timoris est refuge-
re, Deo se æquare, & ab eius obedientia per culpam se
subducere, qui quidem actus debet esse sine securi-
tate, & cum sollicitudine, ex eo quòd apprehendi-
tur hoc malum, vt possibile, arduum, & difficile.
At verò actus humilitatis est ex consideratione eius- 10
dem eminentiæ, & potestatis Diuinæ subijcere se
Deo, & illum maximè reuereri. Quò fit, vt tam timor
filialis, quàm donum timoris, quod propriè est humi-
litas, versentur circa eandem eminentiam Diuinæ
potestatis, tametsi diuersa ratione; quia timor fi-
lialis tendit in Diuinam obedientiam actu quodam
nolitionis, & fugæ, refugiendo se Deo æquare, &
ab eius obedientia propter culpam se subducere: cæ-
terùm humilitas tendit in eandem obedientiam ac- 11
tu quodam prosecutionis, & volitionis actu, quo
quis vult subijci Deo propter suam eminentiam,
eumque summè reuereri. Atque ita verum est, hunc
actum humilitatis non esse propriè actum timoris
filialis, quia cùm vnus sit negatiuus, & alius
prosequutiuus, vnus habet pro obiecto primario
malum, alter verò bonum, & ex consequenti

realiter distinguuntur: quare solùm dicitur timor, quia est eiusdem obiecti. Et hæc videtur esse sententia D. Thomæ, qui non negauit Christo omnem timorem filialem, sed tantùm, prout habet culpam pro obiecto, concessit autem reuerentialem, qui propriè est actus humilitatis, & septimum donum Spiritus Sancti. Idem etiam constat ex eodem D. Thoma in hoc loco, dicente, timorem istum reuerentialem habere bonum pro obiecto primario. At verò 2.2. q. 19. apertè docet, omnem timorem etiam filialem, habere pro obiecto primario malum. Vnde ad argumentum concedendum est, quod intendit, scilicet, hunc actum humilitatis, & reuerentiæ non esse proprium actum timoris filialis, sed dici talem, quia est eiusdem obiecti, cuius est timor.

12 Hæc sententia est valdè probabilis, sed quia non est tam communis, explicanda est aliorum opinio, quæ in Christo ponit re vera actum timoris distinctũ ab actu humilitatis. In hac autem sententia illud facit difficultatem, quòd cùm timor consistat in fuga alicuius mali, vel culpæ, vel pœnæ, & in statu beatitudinis, qui est omnium bonorum aggregatione perfectus, nulla appareat ratio mali, non est, vnde timor ille reuerentialis propriè appelletur timor.

13 Dom. Caietanus in explicatione huius dubij asserit, omnipotentia Dei dupliciter posse cõsiderari, vno modo, quatenùs potest infligere, & causare malũ absolutè. Secundò, quatenùs reipsa causat, si est malum pœnæ, illam inferendo, & si est malum culpæ, permittendo. Ait ergo Caietanus, timorem reuerentialem in beatis habere pro obiecto immediato omnipotentiam Dei priori modo acceptam, nempe, vt est causatiua mali: etenim anima beata Diuinam eminentiam considerans, quatenùs potens est malum pœnæ inferre, & culpæ malum permittere, exit in actum reuerentialis timoris. Considerata verò Diuina eminentia, quatenùs per volũtatem est determinata ad non inferendũ, non causat timorem, sed securitatem. Vnde ex sententia Caietani, obiectum timoris reuerentialis est Diuina eminentia, considerata vt causatiua mali, cũ hac conditione, si vellet, secundùm potentiã absolutã. Hanc explicationem Caietani sequũtur cõmuniter Thomistæ recentiores, sed alij Theo-
14 logi reijciũt, quoniã actus timoris qui est propriè timor, nõ debet esse de malo impossibili, sed anima Christi erat certa sibi non posse euenire aliquod malũ, ergo nũquã habuit actum timoris. Maior est euidens, nam malum, quod per se terminat actum timoris, debet esse malum imminens, quod iudicio, non solũ speculatiuo, sed etiam practico iudicetur esse possibile: nemo enim timet, quòd cœlum ruat, quamuis speculatiuè iudicet esse possibilem cœli ruinam. Minor etiam patet, quia nũquam Christus iudicauit iudicio practico imminere sibi aliquod malum, præsertim culpæ, quia erat securus nihil tale sibi futurum.

15 Alij respondent, malum moraliter possibile, & qui iudicio practico imminens iudicatur, non pertinere ad obiectum primarium, & formale doni timoris, sed esse obiectum timoris seruilis, & timoris, qui est passio, sed malum simpliciter possibile pertinere ad obiectũ formale doni timoris. Itaque iudicium, quo Christus, vel quilibet beatus iudicat, & practicè cõsiderat eminentiã Diuinam, vt potentem, si vellet, illi malum infligere, & in nihilum vertere, quamuis sit certus, id nunquam esse futurum, satis superq; est ad excitandum ipsum actum doni timoris.

Sed hæc responsio est insufficiens, quia timor reuerentialis, cùm ponatur in re, & de facto in anima beata, pertinet ad statũ beatitudinis; sed quæ pertinent ad statum beatitudinis sunt disposita per Diuinã potentiam ordinatã per voluntatis determinationem: ergo nequit timeri malum in statu beatifico, nisi quod cadit sub Diuina ordinatione, & ex cõsequenti sine causa recurritur ad malum simpliciter possibile secundùm absolutã Dei potentiã, quia ista possibilitas est extra statũ beatitudi- 16
nis. Vnde si beati cõsiderant potentiã Dei absolutã, con- 17
gruentius est eã cõsiderare, vt sibi beneuolã, quàm vt sibi potentem inferre malũ. Quare inaduertentèr M. Bañes 2.2. q. 19. art. 2. affirmat, licèt culpa non fuisset possibilis naturæ humanæ assumptæ à Verbo, vt erat in tali supposito, fuisse tamen illi possibilem secundùm se consideratæ, & hoc sufficere ad istũ timorem excitãdũ. Nihilominus hoc stare non potest, quia est sermo de gradu perfectissimo, qualis est reuerentialis, qui in tanta perfectione, reperiri non potest, nisi in sola beatitudine, ergo impertinens est distinctio, quam adhibet Bañes, quoniam anima Christi cum timore reuerentiali intelligi non potest, quin sit beata, & Verbo hypostaticè vnita, aliàs enim esset implicatio in adiecto.

Præterea sequitur ex Caietani explicatione, talem timorem nasci ex charitate, non vt est amor amicitiæ, sed quatenùs est amor concupiscentiæ, & ex consequenti esse imperfectiorem, quàm sit timor filialis existens in via, qui respicit culpam, vt offensam. Patet sequela, quia talis timor est fuga mali possibilis: ergo iam propter amorem sui timetur tale malum. 18

Prætermissa ergo Caietani expositione, ad intelligentiam propositæ difficultatis animaduertunt quidam, iuxta istam opinionem, timorem reuerentialem non esse essentialiter distinctum à timore filiali, sed esse vnum, & eundem timorem, qui, vt est in via, & respicit Diuinam potentiam, vt inflictiuam mali, siue culpæ, permittendo, siue pœnæ, infligendo, & refugit culpam, & separationem à Deo, dicitur filialis. Vt autem est in Patria, & in termino, ille idem timor, qui erat filialis, quamuis reipsa sit idem in beatitudine, per rationem tamen ratiocinantem amittit nomen filiationis, quia iam non est malum, & peccatum, quod possit timeri, neque vt separatio à Deo, neque vt offensa Dei, & induit nomen reuerentiæ, & dicitur timor reuerentialis, quia nouo modo, nouaq; ratione tendit in Deum. 19

Vnde constat, timorem reuerentialem in beatis existentem non consistere in fuga mali, etiam possibilis, nam cùm huiusmodi timor oriatur ex charitate existente in suo perfecto statu, prout est amor amicitiæ, non est in eo quærenda aliqua ratio mali, à qua rationem timoris sortiatur, sicut contingit in timore, qui ex amore concupiscentiæ ortum habet: quod insinuauit D. Thomas hic ad primũ dicens, quòd timor reuerentialis ex sua natura, & ratione sui status non respicit malum, sed bonum: quod significatur, cùm appellatur timor reuerentialis. Illa enim particula, Reuerentialis, 20
est modificatiua, & explicat illum timorem esse per 21
modum

modum reuerentiæ, idest, non per modum fugæ, sed prosequutionis, & exhibitionis: quia alij timores, vt seruilis, & Initialis, & filialis, quia sunt in statu pugnæ, & militiæ, consistunt in fuga mali: & ideò sine ordine ad aliquod malum intelligi non possunt. Timor verò reuerentialis, quia est in termino, & in portu tranquillitatis, & in statu diligentium se amore amicitiæ, eius ratio in fuga mali etiam possibilis non est posita, sed in boni prosequutione, & hoc ratione status in quo est. Vnde sine causa eius obiectum formale, & immediatum per ordinem ad Diuinam eminentiã, vt potentem malum infligere, exquiritur; cùm illi statui fœlicissimo id re-
22 pugnet. Quare dicendum est, actum timoris reuerentialis in beatis existentem, oriri tanquam ex obiecto immediato ex duplici radice. Prima est, cognitio ipsius beati, qua seipsum considerat, exiguitatem suæ naturæ, merita, & demerita. Deinde considerat Diuinam iustitiam, cum, vt est punitiua, non quidem à parte post, vt putauit Caietanus, sed à parte antè, quatenùs potuit punire demerita in hac vita commissa, & non fecit propter altissimas rationes, quæ ibi perpenduntur. Tum etiam, quatenùs sua merita præmiat vltra condignum, etenim in consideratione beati vilescunt sua merita, &
23 quasi nihil apparent, in ordine ad præmium. Ex hac duplici radice, ex vna parte, ex consideratione suæ imbecillitatis in meritis, & natura, & etiam demeritis, & ex alia parte ex consideratione Diuinæ iustitiæ modo explicato, fit in mente beati quasi quædam contractio, & coartactio, ac timor, qui est reuerentialis. Ex his autem radicibus & rationibus potiorem locum tenet consideratio iustitiæ, vt est punitiua à parte antè, & præmiatiua vltra condignum. Omnes istæ explicationes sunt probabiles, vnusquisque in suo sensu abundet, & eligat, quam maluerit.

ARTICVLVS. VII.

Utrùm in Christo fuerint gratiæ gratis datæ.

CONCLVSIO. In Christo excellentissimè fuerunt omnes gratiæ gratis datæ, vt in primo, & principali fidei authore. *Probatur in argumento sed contra ex Augustino Epistol. 57. ad Dardanum, quòd sicut in capite sunt omnes sensus, ita in Christo fuerunt omnes gratiæ. Deinde in corpore, gratiæ gratis datæ debent esse in eo, qui docet, cùm dentur ad manifestationem spiritualis doctrinæ, aliàs doctrina esset inutilis: sed spiritualis doctrinæ, & fidei primus, & principalis Doctor est Christus, iuxta illud ad Hebræ.* 2. Cùm initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portentis, &c. *Ergo.*

Primum argumentum D. Thomæ est. Christus habuit plenitudinem gratiæ, iuxta illud Ioan. 1. *Plenum gratiæ, & veritatis: sed gratiæ gratis datæ sunt quædam Dei participationes, quæ diuisim & particulariter diuersis attribuuntur, secundũ illud* 1. *Corint.* 12. *Diuisiones gratiarum sunt. Ergo in Christo nõ fuerũt gratiæ gratis datæ. Consequentia probatur; quia habenti aliquid secũdùm plenitudinẽ, non cõpetit illud habere per participationẽ. Respõdet, tã gratiã gratũ faciẽtẽ, quàm gratis datã in Christo fuisse plenissimã; quatenùs eius anima erat Diuinitati vnita. At sancti, quia mouentur à Deo vt instrumẽta separata recipiũt particularẽ gratiã ad huiusmodi actus, & ideò in illis diuiduntur, non in Christo.*

Secũdũ est. Christo vt homini debitũ erat, vt sermone sapiẽtiæ, & sciẽtiæ abũdaret, & potẽs esset in virtutibus faciendis, & in alijs huiusmodi, quæ ad gratias gratis datas spectant, cùm ipse sit Dei virtus, & Dei Sapientia. 1. *ad Cor.* 1. *Ergo Christus nõ habuit gratias gratis datas. Patet cõsequẽtia, nam quod alicui est debitũ, nõ est illi gratis datũ. Respondet, Christũ dici Dei virtutem, & Dei sapientiã, vt est Deus, & sic nõ accepisse dona gratis data. Nihilominùs habuisse gratiam, prout homo est.*

Tertium est. Christus nõ est vsus omnibus gratijs gratis datis, vt patet in dono linguarũ; ergo nõ habuit omnes gratias gratis datas. Consequentia probatur: quia gratiæ gratis datæ ordinantur ad vtilitatem fideliũ, iuxta illud 2. *ad Corint.* 12. *Vnicuiq; datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem: sed ad vtilitatẽ aliorũ nõ pertinet habitus, aut quæcumq; dispositio; si homo illa non vtatur, secundùm illud Ecclesi.* 20. *Sapientia abscondita, & Thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque? ergo. Respondet D. Thomas cõcesso antecedenti negando consequentiã; quia Christus venit, vt minister circuncisionis, & ideò non opus fuit, vt pluribus linguis loqueretur. Nouit tamen omnes linguas, qui omnium nouit corda; quorum voces sunt signa. Neq; hoc donum frustra fuit in Christo, sicut non est frustra habitus, quando quis eo non vtitur, quia non est occasio.*

Commentarius.

CONCLVSIO D. Thomæ est de fide tenenda, vt constat ex Paulò ad Colos. 2. *In Christo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.*. Et ratio D. Thomæ probat, eãdẽ cõclusionẽ esse de fide: quia huiusmodi gratiæ cõceduntur hominibus in Ecclesia ad aliorũ ædificationem, nempe, vt alios instruat, & ad gloriã perducant: sed de fide est, Christũ fuisse Magistrum, & præceptorem vniuersorum, vt constat Ioelis. 2. Filiæ Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem iustitiæ.* Et Isaiæ. 55. *Ecce testem populis dedi eum, ducem, ac

Digitized by Google

præceptorem gentibus.* Idem etiam patet ex D. Paulo ad Hebræ.1.citato.

2 Sed pro intelligentia conclusionis est primò aduertendum, gratias gratis datas, quarum meminit Paulus ad Ephes.4. & 1.Corint.12. esse nouem, quas D. Thomas ad tria membra reducit. 1.2.q.111. & 2.2.q.176. nempe, ad cognitionem, sermonem, & operationem. Ad cognitionem reducuntur tres, fides, prophetia, & discretio Spirituum: ad sermonem quatuor, videlicet, sermo sapientiæ, sermo scientiæ, genera linguarum, & interpretatio sermonum: ad operationem verò pertinent reliquæ duæ, scilicet, gratia sanitatum, & virtus miraculorum.

3 Secundò obseruandum est, huiusmodi gratias, prout sunt in Christo, differre à seipsis, prout sunt in alijs hominibus, tripliciter. Primò, quia in Christo sunt secundùm plenitudinem, In alijs verò secundùm mensuram, & donationem eiusdem Christi. Secundò, in alijs non sunt omnes, sed aliquæ earum, in Christo autem sunt omnes. Tertiò, quia in Christo sunt per modum habitus, & ita illis poterat vti, cùm volebat, in alijs verò sunt per modum actus. & ita non semper atque volunt, illis vtuntur. Quæ omnia docet D. Thomas in solutione ad primum, quorum rationem reddit, quia istæ gratiæ dantur hominibus per coniunctionem ad Deum, at verò Christus, vt homo, coniunctus est Deo tanquam instrumentum coniunctum, alij verò vt instrumenta separata.

4 Tertiò notandum est, quòd fides, prout est gratia gratis data, dicit quandam fiduciam operandi opera supernaturalia. Et ideò quàuis in Christo non fuerit fides, prout est virtus Theologica, fuit tamen in illo, quatenus est gratia gratis data, quia firmissimam habebat fiduciam se posse consequi, quidquid vellet operari supernaturaliter, ex meliori dispositione profectã, quàm dimanet huiusmodi gratia in viatoribus, nempe, ex visione Diuinæ essentiæ.

5 Postremò aduertendum est, in Christo Domino fuisse etiam donum linguarum, quia cùm Christus omnium hominum cogitationes cognouerit, ex eoquòd futurus est iudex vniuersorum, oportebat, vt hoc etiam donum illi concederetur, vt omnium hominum conceptus posset exprimere.

6 Sed obijcitur. Virtus fidei non fuit in Christo, quia frustrà esset, ex eoquòd nullum actum fidei poterat habere, sed similiter non habuit omnem actum linguarum; ergo frustra ponitur huiusmodi gratia gratis data. Respondetur primò, licet concedatur non habuisse vsum omnium linguarum, potuisse tamen omnibus illis vti, & sic non fuisse frustra. At verò habitu fidei nulla ratione potuisse vti.

7 Secundò respondetur, probabile esse, Christum vsum fuisse omnibus linguis, dum in hac vita fuit, nam loquens cum Samaritanis, Tyrijs, & Sidonijs, creditur vsus fuisse illorum lingua. Et cùm in aduentu Spiritus Sancti collatum fuerit hoc donum Apostolis, & Ioan. 14. dicatur, omnia, quæ Spiritus Sanctus Apostolis suggessit, prius eos accepisse à Christo, creditur etiam eum Apostolis vsus fuisse omnibus linguis, vt hac ratione illos instrueret, & disponeret ad receptionem doni linguarum.

8 Tertiò dicitur, quamuis non constet in via vsum non fuisse hoc dono, in Patria tamen omnibus beatis laudantibus Deum omni genere linguarum, Christus etiam eorum laudibus suam adhibet, & ita non est frustra &c.

ARTICVLVS. VIII.

Vtrùm in Christo fuerit prophetia.

CONCLVSIO *Est affirmans, & probatur ex illo Deuter.18.* Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris. *Et Matth. 13. & Ioan.4. ait Christus de se.* Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua. *Deinde. Quicumque viator cognoscens procul existentia à notitia aliorum, cùm quibus existit, est Propheta, Propheta enim dicitur quasi procul fans, & procul videns, quæ sunt procul ab hominum sensibus, & ideò Angeli, qui nobiscum sunt, etsi occulta videant, non sunt Prophetæ, cùm non attingant nostrùm statum; sed Christus ante Passionem non solùm fuit comprehensor, sed etiam viator, & quæ procul erant ab alijs cognoscebat: ergo.*

Primum argumentum D. Thomæ est. Prophetia importat quandam obscuram, & imperfectam notitiam, iuxta illud Num. 12. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, per somnum, aut in visione loquar ad eum: sed Christus habuit plenam, & apertam notitiam; multo maiorem quàm Moyses, de quo ibi subditur, quòd palàm & non per ænigmata vidit Deum: ergo in Christo non debuit poni prophetia. Respondet, illis verbis nõ significari, esse de ratione prophetiæ ænigmaticam cognitionem, quæ fit per somnium, & in visione, sed tãtùm ostendi, alios Prophetas per somnium, & in visione percepisse Diuina: Moysen verò palàm, & non per ænigmata Deum vidisse. Cæterùm Christus, licèt habuerit plenam, & apertam notitiam quantùm ad partem intellectiuam: ratione tamen imaginatiuæ quasdam similitudines habere potuit, quibus Diuina contemplaretur, non solùm vt comprehensor, sed etiam vt viator.

Secundum est. In Christo non fuit fides, neq; spes: ergo neq; prophetia. Probatur consequentia, quia sicut fides est eorum, quæ non videntur, & spes eorũ, quæ non habentur, ita prophetia est eorum, quæ distant, & non sunt præsentia: Propheta enim dicitur, quasi procul fans. Resp. Prophetiam esse eorum, quæ procùl sunt à communi sensu eorum, cũ quibus Propheta conuersatur, & cõmunicat in statu viæ. Vnde prophetia non repugnat Christo, vt fides, & spes.

Tertium

Digitized by Google

Tertium est, Propheta est inferioris ordinis, quàm Angelus: sed Christus non est minoratus ab Angelis: ergo non fuit Propheta. Resp. Angelum, cùm sit comprehensor, esse supra Prophetam, quia est purus viator: non autem supra Christum, qui fuit simul viator, & comprehensor.

Commentarius.

1 CONCLVSIO Est de fide tenenda, vt constat ex testimonio citato, Prophetam suscitabit &c. Qui locus ad literam intelligitur de Christo, sicut illum accepit Stephanus Actor. 7. ad probandum Iudæis Iesum Mariæ Filium fuisse Messiam in lege promissum. Et ita intellexerunt, qui Lucæ. 7. Magnificantes Deum dixerunt, *Quia suscitauit Dominus Prophetam, & visitauit plebem suam.* Et qui Ioan. 6. similiter dixerunt de Christo. *Hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.* Ratio etiam D. Thomæ idem ostendit, quia duo sunt de ratione Prophetæ. Primum est, vt ea, quæ prænunciat, procul sint ab hominum cognitione. Secundum est, vt simul sit, & in eodem statu vitæ cum his, quibus prophetat, sed hæc duo fuerunt in Christo, nam ea, quæ prædixit, procul erant ab hominum conditione, simul etiam degebat in eodem statu vitæ mortalis cum hominibus, quibus prophetabat: ergo.

2 Sed contra istam rationem obijcitur, nam primò videtur, quod secunda conditio non sit sufficiens ad veram rationem Prophetæ. Sequeretur enim, quòd cùm Deus aliquid reuelat beatis in proprio genere, diceretur eorum Propheta, quia illa reuelata, & prænunciata procul sunt ab eorum cognitione. Secundò, videtur non esse necessarium, quia D. Thomas. 2. 2. q. 174. art. 5. ad 4. dicit, quòd aut anima Samuelis, vel demon eius nomine prædixit Sauli interitum suum in bello. In qua prænunciatione Ecclesiastici. 46. Ipse Samuel dicitur fuisse Propheta, & tamen non degebat, neq; cum Saule conuersabatur in eodem statu vitæ: ergo.

3 Pro solutione aduertendum est cum Caietano, cùm dicitur de ratione veri Prophetæ esse, vt videat, & prænunciet ea, quæ procul sunt, dupliciter contingere, quòd prænunciata sint procul, aut cognitioni propheticæ, aut ipsi Prophetæ cognoscenti. Cognitioni dicuntur prænunciata esse procul, cùm in seipsis non cognoscuntur, sed in effectis: ipsi verò Prophetæ dicuntur esse procul, quando longe sunt ab illo distantia temporis, aut

4 loci. Ex quo sequitur, Deum, vt Deum, neq; beatum, vt beatum, nulla ratione posse dici Prophetam, quia neque Deo, neque beatificæ cognitioni, quam habet beatus, potest aliquid esse procul, quia Deus, & beatus vt sic, omnia quæ cognoscunt, vel in seipsis cognoscunt, vel in re eminentiori, & propter hoc rectè asseruit Apostolus, in beatitudine prophetiam euacuari, non quòd in patria cesset euidens cognitio, quam habuit Propheta ex prænunciatione, sed quia illamet cognitio desinit esse prophetica, per hoc quòd desinunt prænunciata esse

5 procul, aut à cognitione, aut à cognoscente. Ex eodem principio sequitur, id quod bene aduertit Caietanus, duplici ex causa fuisse in Christo veram prophetiam. Prima, quia ex parte inferiori non erat beatus, & ita secundùm illam partem prænunciata poterant esse procul suæ cognitioni; cognoscendo scilicet ea non in seipsis, sed vel in effectis, vel in signris, in vigilia, aut in somno. Secunda, quia licèt nullam aliam cognitionem haberet præter beatificam, quia tamen secundùm corpus erat viator, & secundùm illud distabat tempore, vel loco ab his, quæ prænunciabat: ideò illamet visio beatifica in illo potuit habere rationem prophetiæ. Quando ergo D. 6
Thomas in hoc loco asserit, de ratione veri Prophetæ esse, vt simul sit cum his, quibus aliquid prænunciat, sic est intelligendum, hoc esse necessarium, quando simul esse, & cōuersari in aliquo statu cum his, quibus aliquid prænunciatur, necessarium est ad hoc, quòd prænunciata procul sint, vel à cognitione prophetica, vel ab ipso Propheta cognoscente. Et sic ea, quæ dicit hoc loco debent concordari cum his, quæ docet loco citato 2. 2. aliàs hæc doctrina non posset esse vera, quia adhuc in viatoribus est verum, non oportere, vt Propheta simul sit, & conuersetur cum his, quibus prophetat: quia benè 7
potest is, qui Romæ existit, aliquid prophetice prædicere existentibus in Hispania, eorū, quæ in Gallia eodem tempore, vel futuro geruntur, atq; adeò hæc secūda cōditio tātùm est necessaria, quādo esse simul, & in eodem statu est necessarium, vt prænunciata sint procul, vel à cognitione, vel à Propheta: vnde si alia ratione possunt esse procul, non est necessaria hæc conditio.

8 Vnde constat, quòd cùm Angelis viatoribus, & animabus existentibus in Purgatorio, vel in Lymbo, imò & ipsis beatis cognoscentibus res in proprio genere, multa possint esse procul, ea scilicet, quæ ab ipsis cognoscuntur, vt in effectis, vel in figuris: ideò nihil obstat, quominùs veri Prophetæ esse possint, cùm aliquid nobis prænunciant, quamuis nobiscum non agant, neque conuersentur in eodem statu vitæ mortalis.

Ad primam ergo obiectionem respondetur, Deo repugnare prophetiam, quia in sua intrinseca ratione includit imperfectionem, nempe, quòd prænunciata sint procul vel à cognitione Prophetæ, vel ab ipso Propheta, quod Deo nulla ratione potest conuenire. 9

Ad secundam patet ex dictis solutio. Verum enim est, Samuelem vel ratione sui, vel nomine dæmonis loquentis, fuisse tunc verum Prophetam, quia prænunciata erant procul ab eius cognitione. Ex quo sequitur secundùm Caietanum, Christum posse dici Prophetam, inquantùm est viator, non inquantùm Deus, vel comprehensor, si particula, Inquantum, sumatur specificatiuè, & non reduplicatiuè, quia reduplicatio significat omnem viatorem esse Prophetam, specificatio verò tantùm significat illi prophetiam conuenire ex illa natura, secundùm quam est viator. Imò addiderim, Christum posse dici simpliciter Prophetam, nam sicut passus, & mortuus est, inquantùm homo, cùm hoc tamen simpliciter dicitur passus, & mortuus: ita dicendum est, quòd licèt sit Propheta, inquantùm viator, simpliciter potest dici Propheta. Ex quibus omnibus constat, falsò asseruisse Abulensem in cap. 11. Num. q. 64. Christum non fuisse Prophetam, neque rationes illius quicquàm concludunt, vt latè ostendunt hic Magistri Medina, & Suarez Disput. 21. sectio. 1. 10

ARTICVLVS IX.

Vtrùm in Christo fuerit plenitudo gratiæ.

SVPPOSITO, *Quòd illud dicitur haberi plenè, quod perfectè, & totaliter habetur, vel secundùm quantitatem intensiuam, vt si albedo habeatur, quantùm nata est haberi, vel secundùm virtutem, idest, secundùm omnes effectus, quo modò vita est plenè in homine, & non in bruto, vel in planta: est conclusio D. Thomæ.* Christus habuit plenitudinem gratiæ, tam intensiuè, quàm extensiuè. *Idest, habuit summam gratiam, secundùm omnem effectum possibilem. Probatur primò ex illo Ioan. 1.* Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis. *Deinde in corpore probatur quoad primam partem; quia anima Christi fuit inter omnes creaturas propinquissima Deo, qui est causa influens gratiam; ergo debuit gratiam intensiuè, & maximè, ac in summo recipere. Secundò; quia sic recipiebat gratiam, vt ex ipso quodammodò transfunderetur in alios: ergo debuit habere maximam gratiam, sicut ignis, qui est causa caloris, debet esse maximè calidus. Quoad posteriorem partem probatur: quia Christus habuit gratiam ad omnes operationes, & effectus eius, nam ei conferebatur, vt vniuersali principio in genere habentium gratiam; sed vniuersale principium in aliquo genere extendit se ad omnes effectus illius generis, vt Sol, qui est vniuersalis causa generationis, sua virtute extenditur ad omnes generationes: ergo gratia Christi extendit se ad omnes effectus gratiæ, qui sunt virtutes, dona &c.*

Primum argumentum est. Omnes virtutes deriuantur à gratia, vt constat ex 1. 2. q. 110. art. 4. Sed in Christo non fuerunt omnes virtutes, non enim fuit in eo fides, neq; spes, vt ostensum est art. 3. & 4. Ergo in Christo non fuit plenitudo gratiæ. Respondet D. Thomas negando minorem, & probationi dicit, in Christo non fuisse eos defectus, quos important fides, & spes, nominant enim effectus gratiæ cũ defectu ex parte recipientis gratiam: quatenùs fides est de non visis, & spes de non habitis. Cæterùm prout dicunt perfectionem, fuisse in Christo: sicut in igne non sunt omnes modi caloris defectiui ex defectu subiecti, sed quod pertinet ad perfectionem caloris.

Secundum est. Gratia diuiditur in operantem, & cooperantem, vt constat ex 1. 2. q. 111. art. 2. Sed in Christo non fuit gratia operans, ergo in Christo non fuit plenitudo gratiæ. Minor probatur, quia gratia operans dicitur, per quam impius iustificatur, sed Christus iustificari non potuit, cùm nullum habuerit peccatum; ergo &c. Respondet negando minorem, & probationi dicit, ad gratiam operantem per se spectare, facere iustum: facere autem iustum ex impio, accidere gratiæ ex parte subiecti, in quo peccatum inuenitur. Vnde anima Christi iustificata est per gratiam operantem, quatenùs per illam facta est iusta, & sancta ab instanti suæ conceptionis, non quòd antè fuerit peccatrix, aut etiam non iusta. Idest, iniusta; sed quia ex non sancta, & iusta facta est sancta & iusta; quod est iustificari contradictoriè, & non contrariè.

Tertium est desumptum ex authoritate Iacobi 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum, de sursum est descendens à Patre luminum: sed quod descendit, non habetur plenè, sed particulariter: ergo anima Christi non habuit plenitudinem donorum gratiæ. Respondet, plenitudinem gratiæ tribui animæ Christi secundùm capacitatem creaturæ, & non in comparatione ad infinitatem bonitatis Diuinæ.

Commentarius.

CONCLVSIONEM Huius articuli colligit D. Thomas ex superioribus, tanquam consectarium. Si enim in Christo fuerunt virtutes in gradu heroico, & gratiæ gratis datæ perfectissimè, & dona Spiritus Sancti excellentissimè, apertè sequitur, habuisse plenitudinem gratiæ, nihilq; ei defuisse, quod ad gratiæ perfectionem pertineat. Eandem conclusionem efficaciter confirmant rationes D. Thomæ, nam vtraque ratio, tam illa, quæ sumitur ex coniunctione ad primum principium gratiæ, quàm ea, quæ sumitur ex vniuersali causalitate in alios, probant, non solùm gratiam habitualem, quæ est in essentia animæ, sed etiam omnes alias, quæ sunt in potentijs, fuisse in Christo secundùm plenitudinem intensiuam, & extensiuam similiter, hoc est, quamlibet earum, & omnes simul habuisse virtutem producendi omnes effectus sibi proportionatos. De qua re legendus est Dominus Caietanus. 1

Circa responsionem ad tertium notat Caietanus rectè asseruisse D. Thomam, plenitudinem gratiæ Christi non emanasse à gratia Dei, sed ab ipsius bonitate, quia gratia formaliter loquendo nihil est aliud, quàm forma quædam, quæ facit aliquem gratum, & acceptum Deo; & ideò secundùm hanc rationem formalem, gratia non est in Deo, quamuis sit res ipsa, quæ est gratia, nempe, Diuina natura, cuius participatio in nobis est gratia habitualis, & charitas. Et quia hęc omnia in Deo sunt Diuina bonitas, ideò dicitur ad nos ex Diuina bonitate deriuari. Cùm verò dicit D. Thom. vlterius in eadem solutione, istã gratiæ plenitudinem fuisse in Christo secũdùm capacitatem creaturæ, significat, huiusmodi 2

gratiam

gratiam esse simpliciter infinitá ex parte principij productiui, sed non ex parte subiecti receptiui, nempe, humanitatis, quæ cùm sit creatura, habet finitam capacitatem.

PRIMA DISPVTATIO.

1 AN sit certum, Christum habuisse plenitudinem gratiæ. Negatio ita suadetur. Primò. Christus habet gratiã per participationem; ergo non habet plenitudinem illius. Cõsequentia patet: quia implicat habere aliquid participatiuè, & ad plenum, sicut calor, qui participatiuè est in aqua, non dicitur esse in illa secundùm plenitudinem, sed in igne: ergo similiter dicendum est, gratiam in Deo esse secundùm plenitudinem, in anima verò Christi non nisi per participationem. Antecedens probatur, quia Christus, vt homo, fuit gratus formali gratitudine, quæ est effectus primarius gratiæ habitualis; sed hæc est quædam Diuinæ Naturæ participatio: ergo fuit gratus per participationem.

2 Secundò. Si in Christo fuit plenitudo gratiæ, ita vt habuerit, quidquid pertinet ad rationem gratiæ, sequitur, gratiam datam esse Angelis de plenitudine Christi, quod est contra D. Thomam. Item sequitur, primis parentibus in statu innocentiæ datam esse gratiam ex meritis Christi: sed consequens est falsum: ergo. Probatur falsitas consequentis; quia sequitur, quòd si in gratia perseuerassent, fuissent merita Christi, & fuisset Christus, quod D. Thomas negat.

3 Tertiò, quia D. Thomas in explicanda plenitudine gratiæ Christi est sibi contrarius, nam in hoc articulo tribuit animæ Christi plenitudinem gratiæ secundùm capacitatem creaturæ ex parte subiecti, & in articulo decimo sequenti docet, in Christo esse plenitudinem gratiæ ex parte ipsius gratiæ, quæ est propria Christo; tametsi plenitudo gratiæ ex parte subiecti sit multis alijs sanctis communis.

4 Quartò, quia rationes D. Thomę, quibus probat plenitudinem gratiæ Christi, non conuincunt, præsertim illa, quòd Christo data est gratia tanquam vniuersali principio gratificationis omnium habentiũ gratiam: quoniam aut Christus est vniuersale principium contentum intra genus habentium gratiam, sicut ignis continetur in genere calidorum, aut non est ita contentum, sed supra genus habentium gratiam, sicut sol in genere generabilium, & corruptibilium. Si dicatur primùm, malè affertur à D. Thoma exemplum de sole, ad id confirmandum; quia sol, quia est causa vniuersalis omnium generabilium, non est causa vniuoca generationis, cùm sit ingenerabilis, & incorruptibilis: imò ex hoc sequitur, gratiam Christi, & aliorum habentium gratiam, differre specie. Si dicatur secundum, similiter est falsum; quia Christus est causa vniuersalis habentiũ gratiam, habens etiam ipse eandem gratiam secundùm speciem.

5 Pro explicatione huius rei aduertendum est, quòd esse plenũ, eo quòd dicitur sumpta methaphora ex plenitudine vasis, in rigore loquendo, non denotat plenitudinem formæ susceptæ absolutè loquendo, sed per habitudinem, & proportionem ad capacitatem subiecti, in quo suscipitur. Etenim tunc vas dicitur aqua plenũ, quando est ipsa aqua adimpletum, quamuis non habeat aquam summam, & secundùm omnem eius plenitudinem. Vnde potissima acceptio huius vocis, Plenũ, cùm ad aliquam formam applicatur, sumenda est per comparationem ad capacitatem, & potentiam subiecti. Secundò sumitur Plenum, vt idem sit quod multum, sicut dicitur aliquis plenus miserijs, & calamitatibus. Ezechiel 7. *Plena est terra iudicio sanguinum, & ciuitas plena iniquitate.* Tertiò, Plenum idem pollet, quod exuberans, & affluens, & denotat redundantiam ad extra. Sic dicitur Isaiæ 6. *Plena erat terra gloria Domini, & ea, quæ sub ipso erant, replebant templum.* Quartò significat id, quod est excellens, & perfectissimũ in aliquo genere. Sic sol poterit dici plenus luce, & ignis plenus calore. 6

Hoc posito sit Prima Conclusio. Gratia Christi Domini intensiuè, & extensiuè fuit plena, & summa, quæ de lege ordinaria potest esse, & habuit illam quadruplicem plenitudinem explicatam. Hæc conclusio est D. Thomæ in hoc articulo, & tribus sequentibus, & omnium ferè Theologorum in 3. d. 13. & quod attinet ad plenitudinem, est dogma fidei, iuxta illud Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.* Explicant autem vniuersi Patres hunc locum de Christo. Quare nequeunt à nota saltem temeritatis liberari Erasmus, & Caietanus, qui illã plenitudinẽ gratiæ, & veritatis referũt nõ ad Christũ, sed ad Ioãnẽ, ita literã cõstruentes, vt sermo de Christo finiatur illis Verbis. *Vidimus gloriam eius, gloriã quasi vnigeniti à Patre.* Et deinde incipiat sermo de Ioanne hoc modo. *Plenus gratiæ, & veritatis Ioannes testimonium perhibet de ipso.* Ratio illorum est, quia in Græco codice habetur plenus in nominatiuo, & generis masculini, & ideò cum antecedentibus non potest construi, sed cum sequentibus. Sed hæc explicatio est plusquàm temeraria contra communem sensum totius Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum, & contra ipsum contextum: nam statim subditur, Ioannem Baptistam de Christo fuisse testificatum. De plenitudine eius omnes accepimus. Quòd autem nomen, Plenus, sit masculinum, non obstat, quia nomen, Logos, cum quo Græcè construitur, etiam est masculinum. Quòd verò ponatur in nominatiuo in Græco exemplari, non constat, quia in illo sunt variæ lectiones: & Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 17. Chrysostomus homil. 11. in Ioan. & Origenes homil. 2. in Matth. circa finem, videntur in accusatiuo legisse. Si autem legatur in recto, sic est construendum, *Habitabit sermo in nobis plenus gratiæ & veritatis.* Reliqua autem verba sunt per parenthesim explicanda, & interponenda. Et vidimus gloriam eius. 7 8 9

Quòd verò gratia Christi fuerit plena, & summa intensiuè, & extensiuè de potentia ordinaria, est communis Theologorum sententia, tametsi in eius explicatione dissentiant. Appellatur autem plenitudo gratiæ Christi summa, secundùm propriam ipsius gratiæ naturam: licèt enim Deus, vt author naturæ, & gratiæ, cuicumque formæ præfigat ordinem, & modum, vltra quem nunquam de facto progredietur iuxta illud Sap. 11. *Omnia in numero, pondere, & mensura disposuisti.* Et determinatio gratiæ in tali intensionis gradu nõ prouenit ex intrinseca differentia gratiæ, sed ex sola Dei voluntate: nihilominùs talis determinatio gratiæ est conformis naturæ ipsius gratiæ. Et ideò gratia Christi dicitur habere eam omnem plenitudinem, qua maior 10

non poteſt conueoire gratiæ,ſecundùm naturam ipſiot
11 gratiæ.Ratio eſt, quia gratia ex propria ſui ratione debet eommenſurari cum voluntate liberali Dei, eſt enim ex ſua natura donom gratuitum,& volontarium, iuxta illud Iacobi. 1. *Voluntariè genuit nos Verbo veritatis.* Sed illa forma, quæ ex ſua oatura eſt voluntaria, & liberalis, realiter ſubordinatur in ſui perfectioue, & inteoſione liberæ,& voluntariæ diſpoſitioni eius volūtatis,à qua perſe pendet:ergo gratia ex ſua oatura eoutenta eſt illo intenſioris, & perfectionis gradu, in quo Diuina voluntas decreuit illam efficere, & non in maiori.Quò fit,vt ille gradus gratiæ, qoi eſt maximos, & ſummus ſecundùm ordioariam Dei potentiam, ſit etiā ſummus,& maximos per habitudinem, & conformitatem ad naturam ipſinsmet gratiæ.

12 Probatur autem plenitudo gratiæ Chriſti,quoad iotenſionem:quia nihil poteſt cogitari in natura excellentius,& præſtantius,quàm Deus homo; ergo Deos nulli creaturæ dedit maiorem gratiam,quàm animæ Chriſti.Cooſirmatur:nam Chriſto,quatenùs eſt Deus homo, debetur gratia iure eonnaturalitatis: ergo cùm ratio debiti fundetur in Dinino ſuppoſito,& ooo io humaoitate,hoc debitum eſt ſummum, & ad ſummam gratiā extenſum, quæ de lege ſaltem ordinaria eſt communi-
13 cabilis creaturæ. Item,quia aliàs ſequeretur, Chriſtum ſecundùm gratiam habitualem poſſe alicui creaturæ gratiæ ſubordinari,quod eſt abſurdū.Probatur ſequella: quia ſi perfectior gratia alteri creaturæ tribueretur, talis creatura ſecundùm gratiam habitualem eſſet ſuperior,& dignior,quàm anima Chriſti,atque adeo ſecuodum haoc perfectionem gratia animæ Chriſti ſubordioaretur illi creaturæ,eſſetq́; ipſa inferior.

14 Præterea probatur plenitudo gratiæ Chriſti quoad extenſionem:hoc eſt,quòd io Chriſto exequitur omoes effectus poſsibiles gratiæ, neque vllus eſt ſignabilis, ad quem gratia Chriſti nō ſe extendat. Sic docet Chryſoſtomus homil. 19. in Ioao. Vbi expooeos illud Ioan. 3. *Noo ad menſurā dat Deus ſpiritum,* ita ait. *Aliis datur ſpiritus ad has, vel illas functiooes, filio verò ad omoes.* Itaque gratia Chriſti habet totum, quod pertioet ad bonum vſum, & perfectionem gratiæ tā gratum facientis,quàm gratis datæ, tam gratiæ perſonalis,quàm gratiæ capitis,& ad omoia gratiæ muoia perfectiſsimè ſe extendit,& ob id dicitur plena. Et Ioan. 3. dicitur eſſe data noo ad menſuram,ideſt, noo determioata ad aliquos determinatos effectus gratiæ.

15 Rurſus probatur poſterior pars concluſionis, & ſigillatim oſtenditur, illos quatuor plenitudinis modos competere gratiæ Chriſti.Et de primo, qui eſt ex parte ſubiecti, conſtat ex teſtimonio citato Ioan. 1. *Plenū gratiæ,& veritatis.* Quæ verba, vt minimùm intelligenda ſunt de plenitudine ex parte ſubiecti,ideſt, quòd Chriſto data eſt omois gratia, quam ipſius Chriſti dignitas poſtulabat, & quæ neceſſaria erat, & conueniens ad debitè exequendum Redemptoris officium.

16 De ſecundo autem modo plenitudinis, qui deſignat magnam,& multam gratiam,valdeq; intenſam,& perfectam, probatur ex illo Ioan. 3. *Non ad menſuram dat Deus de ſpiritu,* Nempe, Filio ſuo: de qoo ipſe Chriſtus ibi loquebatur.Vnde D. Hieronymos ad illud Iſaiæ. 11. *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domioi,* Aſſerit, Chriſtum non per partem accepiſſe Spiritum Sanctum, ſed ipſum fontem Spiritus Sancti in Chriſtū deſcendiſſe iuxta Nazareorum Euangelium.Ex quo D. Hieronymi teſtimonio probatur etiā cōueoire Chriſto tertium plenitudinis modum,hoc eſt, Chriſti gratiā eſſe tam abundantem, & affluentem, vt intra ipſam Chriſti animam non ſe contineat, ſed ad nos vſque deriuetur,iuxta illud Ioan.1. *De plenitudine eius omnes accepimus.*

17 Poſtremò probatur, quartum plenitudinis modum conuenire gratiæ Chriſti,ita vt Chriſtus io ordine gratiæ ſit primus, & omnium maximus, nam in Chriſto eſt gratia tanquam in fonte, vt conſtat ex teſtimonio D.Hieronymi adducto,io cæteris autem tanquam in quibuſdam riuulis ex ipſo fonte deriuatis. Item etiam, quia gratia Chriſti eſt gratia capitis, vt docet D. Thomas infra q.8.art. 1. Caput autem habet eminentiam ſupra totum corpus,& in omnia membra influit, quæ duo ad tertium, & quartum pleoitudinis modum ſpectant.

18 Rurſus. Prædeſtinatio Chriſti eſt exemplar prædeſtinationis hominum, & gratia omoibus hominibus collata conſtituit io eis conformitatem ad Chriſtum, & ad eius gratiā, iuxta illud ad Roma.8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui.* Qui locus intelligendus eſt non ſolùm de conformitate ad Dei Filium, ſecundùm Naturam Diuinā, ſed etiam ſecundùm humanitatem aſſumptam, quatenùs per gratiam habitualem eſt Deo gratiſsima: ergo Chriſtus eſt primus prædeſtinatus, & omnium prædeſtinatorum princeps: & ex conſequenti ipſa prædeſtinationis gratia reſidet io ipſo tanquam in ſupremo, & maximo totius ordinis gratiæ.

19 Cæterùm pro maiori intelligentia aduertendum eſt, ad explicandam ſufficientiſsimè plenitudinem gratiæ Chriſti io rigore loquendo,ſatis eſſe,dicere, Chriſtum eſſe plenum gratiæ, plenitudioe primo modo acceptæ hoc eſt,ex parte ſubiecti,quoniam dignitati Chriſti debetur omnis illa pleoitudo gratiæ,pertineat ad alios tres modos plenitudinis.Etenim, quia Chriſtus eſt Filius Dei, debetur illi gratia in maxima quantitate perfectionis,& intenſionis,& debetur illi gratia exuberans, & affluens,& quæ ad alios iuſtos deriuetur: & tandem debetur illi,qood in ordine gratiæ ſit ſummum, & maximum,& habeat rationem capitis. Vnde Cyrillus lib. 1.in Ioan.cap.17.inquit,Deum dediſſe Chriſto,omnem gratiam,& omnem ſapientiam,quia Filius Dei eſt.Ecce 20 vbi totam gratiæ,& ſapieotiæ Chriſti plenitudinem ad dignitatem ſubiecti reuocat.Et D. Thomas io hoc articulo,& in ſequenti docet,gratiam Chriſti habere omnem plenitudinem & ex parte ſubiecti, & ex parte gratiæ. Et quamuis plenitudinem gratiæ ex parte ipſius gratiæ diſtinguat à plenitudine gratiæ ex parte ſubiecti, id tamen fecit claritatis cauſa, nam re ipſa plenitudo ex parte ſubiecti io Chriſto coincidit cū plenitudine gratiæ ex parte gratiæ,qood non contingit de plenitudine gratiæ ex parte ſubiecti in aliis ſanctis, etiam in Beata Virgine, vt conſtabit articulo ſequenti. Plenitudo verò ex parte gratiæ io eo poſita eſt, quòd gratia Chriſti ſummum illum iotenſionis gradum attingat, vltra quem decreuit Deus author gratiæ non producere gratiam in aliquo ſubiecto.

Secunda Cōcluſio.Gratia habitualis Chriſti Domini 21 ita-

Digitized by Google

ita fuit summa, & plena quoad intensionem, & extensionem, vt non solum excedat gratiam cuiuscumque sancti, sed etiam totam collectionem gratiæ, quæ in omnibus sanctis, & Angelis, & hominibus reperitur. Hæc conclusio sequitur ex præcedentibus, & est recepta pluribus recentioribus, estq; probabilissima, & maximè cedit in Christi gloriam, & dignitatem, & consonat doctrinæ Sanctorum Patrum, & Theologorum, qui vnanimiter docent, Christi gratiam esse immensam, & summè plenam: imò & Sanctæ Scripturæ dicenti, non fuisse datũ Christo spiritum ad mensuram. Similiter est consentanea doctrinæ D. Thomæ in hoc articulo, & sequenti, vbi ait, in Christo fuisse plenitudinem gratiæ, & ex parte subiecti, & ex parte gratiæ. Neque enim in rigore hęc posterior plenitudo competeret gratiæ Christi, nisi totam hanc intensionem haberet. Item D. Thomas 1. p. q.
22 20. art. vltimo ad 1. & 2. Hanc assertionem insinuauit dicens, Deum plus diligere animam Christi, quàm totã vniuersitatem omnium creaturarum, & Christum esse meliorem omnibus Angelis, & hominibus: maximè, ratione vnionis. Vnde illa dictio, Maximè, denotat apertè, non solùm ratione vnionis, Christum esse meliorem Angelis, & hominibus, verùm etiam ratione gratiæ habitualis, & donorum supernaturalium, quæ sunt in anima Christi. Quare ex mente D. Thomę gratia habitualis Christi excellit quoad intensionem omnem gratiam omnium hominum, & Angelorum collectiuè sumptam, considerando omnem eius collectiuum pro tota æternitate: sicut aqua maris sua plenitudine excedit quantitatem omnium aquarum, quæ sparsæ reperiuntur in vniuersis fontibus, fluminibus, & riuulis. Tota ergo plenitudo competit gratiæ Christi, iuxta illud ad Colos. 1. *Complacuit Deo in ipso omnem plenitudinem inhabitare.* Quæ sanè plenitudo potest ad tria capita reuocari.

23 Pro cuius intelligentia aduertendum est, quòd sicut in Christi humanitate reperitur triplex capacitas, & obedientialis potentia in ordine ad bona supernaturalia. Prima, ad ipsam Verbi Personalitatem, & existentiã, & hæc est potentia ad gratiam vnionis. Secũda ad gratiam habitualem, & alia dona, quæ eam consequuntur: Tertia ad supernaturales actiones, quæ capacitas radicaliter est in ipsa animæ essentia, proximè verò in eius potentijs, nempe, intellectu, & voluntate &c. Sicut ergo in humanitate Christi fuit hæc triplex capacitas, & obedientialis potentia; ita fuit triplex supernaturalis plenitudo ex vnione hypostatica proueniens. Primam accepit humanitas à Verbo quasi formaliter, quatenus Verbum humanitati personaliter vnitum eam sua Diuinitate repleuit, ita vt homo verè, & propriè dicatur, & sit
24 Deus. Secundam, & tertiam plenitudinem accepit à Verbo Diuino, vt à principio efficienti. Secundam quidem immediatè à solo Verbo, vel quatenus habitus supernaturales per simplicem resultantiam ex vnione hypostatica effluxerunt, vt quidam volunt, vel per nouam actionem toti Trinitati communem, vt alijs placet. Tertiã vero plenitudinem accepit humanitas à Verbo medijs suis potentijs eliciuè, & vitaliter concurrentibus. Et hanc triplicem plenitudinem spiritualem insinuauit, & intendit D. Paulus illis verbis, *In quo,* idest, in Christo, *Habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.* itaque nomine Diuinitatis vtramque Diuinitatem complectitur Paulus, & essentialem, & participatã, & vtramq; secundùm omnem plenitudinem dixit habitare in anima Christi.

Ad primũ ergo argumentũ respondet Dom. Caietanus, quædam esse in homine, quæ etiam in Deo formaliter inueniuntur, vt sapientia, bonitas &c. Quædam verò esse in homine formaliter, quæ in Deo tantùm sunt eminenter, vt risibilitas. Dicit ergo Caietanus, gratiam esse in anima Christi formaliter, in Deo autem eminenter, & sic posse esse in anima Christi secundùm plenitudinem. Hæc solutio nõ probatur alijs Thomistis, quatenus docet, gratiam non esse in Deo formaliter, nam Deus est formaliter sibi gratus, & Filius est gratus Patri æterno gratia increata iuxta illud, *Hic est Filius meus dilectus &c* ideò respondetur secundò, quòd sicut Angelus, & anima rationalis per comparationem ad immortalitatem Dei dicuntur mortales, & corruptibiles, non quia revera sint mortales, cùm non habeant principium corruptionis intra se dicuntur autem incorruptibiles, quia non aliunde, sed per suam essentiã sunt incorruptibiles; ita similiter gratia existens in anima Christi comparata ad eam, quæ est in Deo, amittit nomen gratiæ, & sic non habet plenitudinem: comparata verò ad animam cum vnione ad Verbum, vt est vniuersale principium gratificãdi, habet plenitudinem gratiæ. 25 26

Ad secundum conceditur, gratiam Angelis collatam fuisse ex meritis Christi, & hæc est expressa sententia D. Thomæ in hoc articulo, vbi absolutè, & simpliciter, & absque vlla exceptione asserit, Christum, inquantùm est homo, esse causam vniuersalem omnium habentiũ gratiam, sicut sol est causa omnium generabilium, & corruptibilium. De quo latiùs q. 8. Similiter concedendum est, primis parentibus datam fuisse gratiam ex meritis Christi, vt supra ostendimus q. 2. art. 3. Disput. 1. Paragra. 16. ad 11. Neque sequitur, etiã si non foret peccatum, futurum Christum, quia data est gratia illis post præuisum à Deo peccatum. 27

Ad tertium respondetur, D. Thomam negare plenitudinem gratiæ in Christo per comparationem ad causam effectricem, hoc est, ad infinitatem Diuinæ bonitatis, concedere verò plenitudinem gratiæ in Christo secundũ capacitatem creaturæ, idest, tãtam, quanta potuit inesse creaturæ saltem de potentia ordinaria. 28

Ad quartum respondet Caietanus, quòd licèt Christus habuerit gratiam, quæ reuera est eiusdem speciei, & rationis cum nostra, nihilominùs secundùm illam dicitur vniuersale principium omnium habentium gratiam, non quidem contentum in genere, sed supra genus habentium gratiam. Primò, quia omnes alij habentes gratiam sunt Filij adoptiui, Christus verò est Filius Dei naturalis. Secundò, quia longè alia ratione hæc gratia habetur à Christo, & ab alijs hominibus, nam cæteri habent istam gratiam merè gratis, Christus verò habet illam ex natura sua, & naturaliter sibi debitam. Vnde optimè adductum est exemplum de sole, quia tãtùm adducitur ad probandum, Christum, vt est vniuersale principium, quodammodò esse vltra genus habentium gratiam. M. Medina respondet, licet Christus sit vniuersale principium gratiæ, non inde sequi, eius gratiam, & nostram differre specie, nam lux solis, est vniuersale principiũ, ex quo omnis lux deriuatur, & tamen lux 29 30

Digitized by Google

lux solis & lux horum inferiorum non differunt specie. Sed pro maiori huius rei explicatione sit

SECVNDA DISPVTATIO.

1 An gratia Christi, & nostra differant specie, vel non. Negatio probatur. Primò, quia in Christo habet effectus differentes specie ab his, quos efficit in nobis; causat enim gratiam, & gratificat homines, & fuit principium meriti, & satisfactionis de toto rigore iustitiæ: ergo differt specie à gratia nostra.

2 Secundò. Gratia Christi est principium vniuersale gratificationis, sicut sol generationis; sed sol habet virtutem alterius rationis eminentè, ergo. In oppositū est,
3 quòd effectus formalis gratiæ est facere Deo gratū, & cōsortem Diuinæ Naturæ; sed istū effectū habet gratia in anima Christi, & in alijs, ergo in omnibus est eadem
4 secundùm speciem. Confirmatur: quia charitas Christi, & aliorum non differunt specie, cùm habeant idem obiectum formale: ergo gratia Christi, & gratia aliorū sunt eiusdem speciei. Probatur consequentia; quia charitas est propria passio, quæ consequitur gratiam. Item gloria Christi, & gloria aliorum sunt eiusdem speciei, nam vtraque est visio Diuinitatis; ergo gratia Christi, & gratia aliorum sunt eiusdem speciei, cùm gratia sit radix gloriæ iuxta illud Roma. 6. *Gratia Dei vita æterna,* & effectus gratiæ saltem secūdarius est acceptatio ad gloriam.

5 De hac difficultate sunt variæ Theologorum sententiæ. Quidam asserunt, gratiam Christi habitualem secū dùm esse Physicum esse diuersæ speciei à gratia aliorum hominum, sed hanc specificam diuersitatem Physicam desumi totam ex parte subiecti, siue ex parte suppositi humanitatis Christi, in qua residet gratia. Quæ quidem species non est essentialis, sed modalis: ac proinde gratia Christi est eiusdem speciei essentialis cum gratia aliorum, est tamen diuersæ speciei modalis, ratione illius speciei, quæ ex parte subiecti conuenit gratiæ Christi. Vt calor naturalis V.G. animalis, qui essentialiter, & simpliciter est eiusdem speciei cū calore ignis, verùmtamen modaliter, & ex parte subiecti, quatenus, prout est virtus animalis, est productiuus vitæ, & caruis, differt specie à calore ignis. Item calor ignis est eiusdem speciei secūdùm essentiam in igne, aere, & mixtis, ex modo tamen essendi differt specie, nam calor in igne residet tāquam in proprio subiecto, in quo est plenitudo caloris secundùm omnes gradus intensionis, & extensionis, in alijs
6 verò non residet secundùm istam plenitudinem. Ad eūdem modum dicunt de gratia Christi, quòd inquātùm est participatio Naturæ Diuinæ, quæ est propria, & essentialis ratio gratiæ, est eiusdem speciei cū gratia aliorum: differt autem specie, quatenus habet virtutem effectiuam gratiæ in alijs, quæ virtus est Physica, proueniens ex subiecto, idest, ex ipsa gratia vnionis. Item in Christo fuit gratia secundùm omnem plenitudinem intensiuam, & extensiuam, in alijs verò secundùm mensuram donationis Christi. Sic docet Caietanus in hoc articulo 9. & 11. sequenti, & M. Medina ibidem.

7 Alij verò Theologi docent, quòd sicut calor ignis in duplici specie reponitur, quarum altera non est modus alterius, neque indiuiduale eius accidens, sed vtraque est perfecta species, & vna non pendet essentialiter ab alia, etenim calor ignis est in tertia specie qualitatis, quæ est passio, vel passibilis qualitas, & in secunda specie, quæ est potentia, vel impotentia: ita similiter existimāt gratiam collocari in duplici specie, altera, quæ est communis gratiæ Christi, & nostræ, quatenus vtraq; est quoddam formale participium Naturæ Diuinæ: altera verò secundùm quam habet rationem potentiæ actiuæ, & productiuæ supernaturalium effectuum in hominibus, & Angelis: & hæc secūda species est perfectior, inquiūt, quàm prima, quia habet infinitatem in ratione gratiæ, in qua eminenter continetur prior species gratiæ: nam gratia Christi habet vim productiuam gratiæ in nobis, prout est participatio Naturæ Diuinæ, in qua ratione formaliter consistit prior species gratiæ. Ex quo hac posteriori specie gratia Christi simpliciter differt à gratia nostra differentia essentiali.

8 Alij denique affirmant, gratiam Christi in vnica dūtaxat reponi specie, sed illam speciem continere virtualiter eminenter aliam speciem gratiæ, ad quam pertinet gratia nostra, sicut figura superior, V.G. Tetragonū est alterius speciei à figura inferiori, nempe, Trigonum: nihilominus illam virtualiter, & eminenter continet. Ex qua sententia infertur, quòd sicut Tetragonū, quāuis eminenter cōtineat Trigonum, est tamen simpliciter alterius speciei à figura Trigona: ita gratia Christi simpliciter est alterius speciei à gratia nostra, quamuis illam eminenter complectatur.

9 Pro decisione autem sit Prima Conclusio. Gratia Christi Physicè considerata simpliciter loquendo est eiusdem speciei cum gratia aliorum. Probatur. Primò: quia fieri nequit secundùm omnem potentiam, quòd dentur duæ gratiæ essentialiter differentes in esse gratiæ: ergo &c. Probatur antecedens. Gratia formaliter, & essentialiter est participatio Naturæ Diuinæ, quantùm ad omnia eius essentialia attributa: ergo cùm Natura Diuina sit vnica, & simplicissima, gratia, quæ est eius participatio, & formalis expressio, est vnius, & eiusdem rationis essentialis.

10 Confirmatur. Non est factibile lumen gloriæ, quod specie differat à lumine, quod nunc reperitur in beatis, neque lumen gloriæ collatū animæ Christi est alterius speciei à lumine gloriæ, quod alijs beatis cōfertur, sicut visio beatifica animæ Christi non differt specie, neque potest differre à visione beatifica aliorum beatorum. Similiter charitas, qua diligitur Deus, prout est summū bonum supranaturale, non potest ad diuersas species essentiales pertinere, neque est alterius speciei charitas animæ Christi ab specie, ad quam spectat charitas, qua purus homo Deum super omnia diligit; ergo cùm eadem sit ratio de gratia, diuersæ species gratiæ reperiri non possunt.

11 Secundò probatur. Gratia Christi est gratia capitis respectu gratiæ nostræ, quæ est gratia membrorū; sed caput, & membrum sunt eiusdem speciei. Ergo Physicè loquendo gratia Christi, & nostra sunt eiusdem speciei. Confirmatur ex illa similitudine posita à Christo Ioan. 15. *Ego sum vitis vera, & vos palmites.* Itaque eo modo nos comparamur ad Christum, quo palmites ad vitem, sed inter vitem & palmites non est specifica, & essentialis differentia, nā eadem virtus, quæ est in vite, vt in radice, diffunditur ad palmites; ergo eadem gratia
12 secundùm speciem est in Christo tanquam in capite, & radice

radice spiritualis vitæ, & in nobis tanquam in membris, & palmitibus. Hoc pertinet illud ad Roma. 8. *Quos præsciuit, & prædestinauit cõformes fieri imaginis Filij sui.* Vbi Paulus loquitur de Filio Dei, & vt Deo, & vt homine, cui vtroque modo debent homines conformari per gratiam. At si Christi gratia esset alterius speciei simpliciter à gratia aliorum, non posset inter illos, & Christum hæc tanta conformitas reperiri, quin potius essentiali difformes, cùm non viuant eadem vita gratiæ, qua ipse viuit; ergo.

13 Tertiò. Gratia Christi nullam habet infinitatem Physicam, neque essentialem, neque modalem, ergo neque specie differt Physicè loquendo à gratia aliorum, neque essentiali specie, neq; modali, sed sicut perfectũ à minus perfecto intra eandem speciem. Antecedens probabitur infra art. 11. & breuiter probatur ex communi consensu Theologorum asserentium, gratiam ex vnione ad Verbũ nullam aliam entitatem, aut perfectionem accipere, nisi quandam dignitatem, quæ illam reddit infiniti valoris, & constituit in ratione principij gratificatiui infinitorum hominum; sed huiusmodi dignitas, non est Physica, sed moralis, vt loco citato constabit; ergo.

14 Secunda Conclusio. Gratia Christi in esse morali differt specie à gratia nostra, & Angelorum, ita vt etiã de potentia Dei absoluta illa moralis species, quæ in gratia Christi reperitur, non sit communicabilis gratiæ, quæ est in pura creatura. Hæc conclusio communiter recipitur à Theologis quoad vtramque partem. Et probatur prima pars, quia gratia Christi est infinita in ratione gratiæ, vt constabit art. 11. Hæc autem moralis infinitas nulli alteri gratiæ nullatenus competit; ergo gratia Christi secundùm hanc moralem dignitatem formaliter distinguitur à quacomque alia gratia, atque adeò distinguitur specie, imò forsan genere: quia illa dignitas moralis, quæ ex parte Diuini suppositi communicatur gratiç Christi, videtur esse quasi alterius ordinis, aut saltem alterius generis ab illa dignitate, quæ aliorum gratiæ competit, quatenus est participatio Diuinæ Naturæ.

15 Secunda pars conclusionis etiam patet, quia moralis dignitas infinita, quæ in Christi gratia reperitur, dicit formalem habitudinem ad suppositum Diuinum, & ideò hæc dignitas consequitur hypostaticam vnionem eo modo, quo relatio sequitur positis fundamento & extremis, vt constabit art. 11. & 13. Sed relatio habet formalem, & intrinsecam connexionem cum fundamento, & extremis, ita vt illis positis, non possit non sequi, & illis non positis, sequi non possit, ergo per nullã potentiam est factibile, quod illa species infinitatis moralis, quæ gratiæ Christi competit, communicetur al-

16 teri gratiæ. Vnde cõstat, quod quantũmuis crescat perfectio gratiæ puræ creaturæ, non poterit absolutè loquendo peruenire ad perfectionem gratiæ Christi, quia non poterit habere hanc modalem speciem infinitatis dignitatis, quæ est maxima perfectio gratiæ Christi, etiam in ratione gratiæ, vt constabit art. 11. & quę multò maior est simpliciter loquendo, quàm omnis specifica, & essentialis perfectio Physica ipsiusmet gratiæ.

17 Sed contra primam partem huius conclusionis obijcitur. Si in puro homine daretur meritum, quo infinitam gloriam mereretur, esset eiusdem speciei cum merito, quo nunc de facto meretur gradum finitum, & limitatum gloriæ, tãtũmq; differret hæc duo merita, vt minus perfectum, & magis perfectum intra idem gẽ- nus: ergo idem dicendum est de gratia Christi, & gratia aliorum in esse morali considerata. Negatur, quòd illa merita essent eiusdem speciei, sicut neque gloria infinita potest esse eiusdem speciei cum gloria finita. Etenim infinita gloria est ipsa visio comprehensiua Diuinæ essentiæ, quæ plusquàm genere differt à quacumq; beata visione non comprehensiua. Ex dictis in his duabus conclusionibus soluitur argumenta initio disputationis proposita.

Postremò dubitatur, an si humanitas dimitteretur à Verbo, gratia habitualis in eadem humanitate permanens esset eiusdem speciei, cuius est habitualis Christi gratia. Respondetur breuiter, quod fuisse Physico retineret eandem omninò essentialem speciem, quam nunc habet in Christo, moralem verò speciem, quæ ex coniunctione ad Verbum competit gratiæ Christi, non retineret, nam hæc moralis species, sicut sequitur per modum relationis posita vnione humanitatis ad Verbum, ita dissoluta eadem vnione ad modum similiter relationis euanesceret. 18

ARTICVLVS X.

Vtrùm plenitudo gratiæ sit propria Christi.

SVPPONIT D. Thomas, plenitudinem gratiæ attendi, vel ex parte ipsius gratiæ, prout quis pertingit ad summũ gratiæ, quãtùm ad eius essentiam, & virtutem, hoc est, intensiuè, & extensiuè, alio modo ex parte subiecti, quatenùs quis habet plenè gratiam pro sua conditione, iuxta terminum illi præfixum à Deo secundùm mensuram donationis Christi, siue secundùm virtutem, prout habet gratiam pertinentem ad suum statum, iuxta illud ad Ephes. 4. Vnicuique nostrũ data est gratia secundùm mensuram donationis Christi, Et ad Ephes. 3. Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, illuminare omnes.

Hoc supposito est Prima Conclusio D. Thomæ. Plenitudo gratiæ ex parte ipsius gratiæ ita fuit propria Christo, vt nulli alij possit cõuenire. *Probatur in sed contra. Plenitudo gratiæ attribuitur Christo, prout est vnigenitus à Patre, iuxta illud Ioan. 1.* Vidimus eum quasi vnigenitum à Patre, plenum gratiæ, & veritatis: *sed esse vnigenitum à Patre, est proprium Christo; ergo & sibi proprium est, esse plenum gratiæ, & veritatis. Item, quia solus Christus habuit plenitudinem gratiæ, quantùm ad essentiam, & virtutẽ; ergo.*

Secunda Conclusio. Habere plenitudinem gratiæ

gratiæ ex parte subiecti, fuit commune Christo cum multis alijs.

Primum argumentum est. Quod est propriũ alicuius, sibi soli conuenit: sed esse plenum gratia, conuenit etiam alijs, vt Beatissimæ Virgini, Lucæ 1. vbi vocatur ab Angelo gratia plena, & Stephano, qui Actor. 6. dicitur plenus gratia, & fortitudine: ergo plenitudo gratiæ non est propria Christo. Resp. B. Virginem, Stephanum, & alios sanctos dici plenos gratia, non quidem ex parte ipsius gratiæ, sed ex parte subiecti secundum statum, ad quem Deus eos elegit. Quæ plenitudo est maior, vel minor pro varietate statuum.

Secundum est. Quod alijs potest per Christum communicari, nõ est proprium Christo: sed plenitudo gratiæ potest per Christum alijs communicari, iuxta illud ad Ephes. 3. Vt impleamini in omnem plenitudinem Dei: ergo plenitudo gratiæ non est propria Christo. Resp. locum illum intelligi de plenitudine gratiæ ex parte subiecti, in comparatione ad id, ad quod homo est à Deo ordinatus. Quod quidem vel est aliquid commune, vt fruitio Dei, vel aliquid speciale, quod ad excellentiam aliquorum pertinet.

Tertium est. Status viæ proportionatur statui patriæ: sed in patria est quædam plenitudo communis, vbi nullum bonum singulariter possidetur, vt inquit Gregorius homil. 34 in Euangelia: ergo plenitudo gratiæ non est propria Christi. Resp. tam in via, quam in patria esse quædam dona communia, & de his loquitur Gregorius, tametsi in vtroq; statu sint quædam prærogatiuæ sanctorum, quæ ab omnibus non habentur.

Commentarius.

1 VTRAQVE Conclusio est de fide tenenda, nam quod solus Christus habuerit plenitudinem gratiæ ex parte ipsius gratiæ tam intensiuè, quàm extensiuè, idest, quod habuerit summã gratiam, quæ haberi potest, & secundùm naturam, & secundùm virtutem ipsius gratiæ, constat ex illo Ioan. 1. Vidimus gloriam eius &c. Ex quo colligitur, Christum habuisse eam gratiæ plenitudinem, quæ decebat vnigenitum Patris æterni. Decebat autem vnigenitum Filium Dei habere summam gratiam, quæ haberi potest, & secundùm naturam, & secundùm virtutem gratiæ: ergo illam sic habuit.

2 Secunda Conclusio est etiam certa secundùm fidem, nam de Beata Virgine dicitur, quòd fuerit plena gratia, & de Ioanne Baptista, quòd erat repletus Spiritu Sancto adhuc ex vtero matris suæ. Et de Apostolis, quòd repleti sunt Spiritu Sancto, & de Stephano Actorum 7. Quod plenus gratia, & fortitudine faciebat &c. Est igitur certum secũdùm fidem, multos alios à Christo fuisse plenos gratia ex parte subiecti tam intensiuè, quam extensiuè. Neque ex hoc aliqua Christo irrogatur iniuria, sicut ex hoc, quòd minora vasa plena sint aliquo liquore pretioso, nulla fit iniuria vasi capacissimo, si plenus sit.

Vnde sequitur primò, Christum Dominum tantum excelluisse alios homines in plenitudine gratiæ ex parte subiecti, quantum ipsum subiectum, vel conditio subiecti præstabat omnibus alijs, & quantum munus, ad quod Christus fuit ordinatus, & assumptus à Deo, excellebat omnia alia munera, ad quæ reliqui homines erant ordinati, vel à Deo poterant ordinari. Ex quibus duobus, vt dicit D. Thomas in litera, sumitur plenitudo gratiæ ex parte subiecti, & ideò, vt rectè obseruauit Caietanus, in Christo plenitudo gratiæ ex parte gratiæ, & plenitudo gratiæ ex parte subiecti, conuertũtur, quod in alijs hominibus non fit. Et D. Augustinus ad Dardanum cap. 39. Asserit, ideò Christum appellari plenum gratiæ, quia habuit omnes gratias, & omnia charismata requisita, vt esset verus Messias in lege promissus, & Redemptor, & caput influens in omnes. 3

Sequitur secundò, Beatissimam Virginem inter puras creaturas, secundum obtinuisse gradum in plenitudine gratiæ ex parte subiecti, quia & in conditione subiecti, & in munere Matris Dei, ad quod fuit electa à Deo, omnibus alijs præstabat. Dixerim inter puras creaturas, quia vt obseruauit Caietanus in solutione ad primũ, adhùc plenitudo gratiæ Virginis ex parte subiecti manet incomparabilis cum plenitudine gratiæ Christi, etiam ex parte subiecti, eò quòd ipsa subiecta sunt incomparabilia, scilicet, natura humana in proprio supposito, & natura humana in Supposito Diuino. 4

An verò plenitudo gratiæ ex parte subiecti, quæ fuit in Beata Virgine, exuberet intensione & perfectione omnem gratiam collectiuè sumptam omnium hominũ, & Angelorum, non constat inter doctores. Quidam enim existimant, quòd sicut dignitas Matris Dei excedit omnem dignitatem collectiuè sumptam omnium hominum, & Angelorũ, quæ ratione cuiusuis ministerij, aut officij in cælo, & in terra potest Angelis, & hominibus competere, propter quam causam D. Thomas 1. p. q. 25. art. vltimo ad vltimum, hanc dignitatem vocat infinitam: ita similiter dignitas gratiæ Beatæ Virginis, quæ est proportionata dignitati Matris Dei, & ob quam dicitur à D. Thoma in hoc articulo in respõsione ad primum, plena esse ex parte subiecti, idest, habere totam plenitudinem, quam exigit dignitas matris; excellit dignitatem omnis gratiæ collectiuè sumptæ, quæ in omni intellectuali, & rationali creatura reperitur. At verò quantùm ad intensionem, dicunt non excellere omnem gratiam collectiuè sumptam omnium hominum, & Angelorum, quia in Beata Virgine gratia habuit quidem plenitudinem ex parte subiecti, non verò ex parte ipsius gratiæ, vt docet D. Thomas in litera: istud enim priuilegium soli gratiæ Christi est concedendum, vt dictum est art. 9. quia de solo Christo dixit Paulus ad Colos. 1. Deo cũplacuit ille in ipso omnem plenitudinem inhabitare. 5 6

Alij verò Theologi, de quorum numero est M. Suarez tomo 2. q. 27. disput. 4. sectio. 1. conclusione 4. affirmant cum D. Thoma art. 5. eiusdem quæstionis, Beatissimã Virginem præ cæteris habuisse maiorem gratiæ plenitudinem, quia fuit Christo coniunctior, quàm cæteri: 7

tæ; quæ plenitudo exuberauit omnem gratiam hominum, & Angelorũ collectioẽ sumptam. Quod pluribus Sanctorum Patrum testimonijs probat Suarez. Quæ sententia est piissima, & B. Virginis dignitati maximè consentanea, & explicatur, defenditur exactè à M. Suarez q. 37. art 4. disput. 18, sectio 4. assertione 2. neque in hoc aliqua Christo irrogatur iniuria, neque illi æquatur gratia Virginis, quia Christi gratia multùm excellit, & gratiam Virginis, & omnium aliorum, simul sumptã: gratia autem Virginis collata cum gratijs aliorum sanctorum, eas superare dicitur.

Sequitur tertiò, maiorem fuisse in tertio gradu plenitudinem gratiæ ex parte subiecti Apostolorum, & B. Ioannis Baptistæ, quàm aliorum omnium, eò quòd munus Apostolicum, ad quod electi, & ordinati fuerũt à Deo, excellentius, & præstantius fuit, quàm munera Prophetarum, Doctorum, & reliquorum omnium, in quibus pensanda est maior, vel minor plenitudo gratiæ ex parte subiecti secundùm excellentius, vel minus excellens munus, ad quod vnusquisque ordinatus, & assumptus est à Deo. Neque obstat, quòd capacitas naturalis, seu obedientialis ad gratiam, sit æqualis in omnibus habentibus plenitudinem gratiæ ex parte subiecti, quoniam capacitas supernaturalis non est æqualis. Consistit autem capacitas supernaturalis in duobus secundùm D. Thomam, & in ordinatione Dei ad aliquod munus supernaturale explendum, & in vocatione, seu motione Spiritus Sancti ad tale munus obeundum. Et quia Deus vnicuiq; tribuit motionem istam Spiritus Sancti iuxta exigentiam muneris, ad quod ab ipso est ordinatus, & assumptus; hinc est, quòd sicut munera sunt inæqualia, ita etiam motiones Spiritus Sancti sunt inæquales. Et ideò, quamuis omnes dicantur gratia pleni, hoc est, licèt habeant eam gratiæ plenitudinem, quam exigit & conditio subiecti, & mu.us, ad quod eliguntur, in illis tamen gratia est inæqualis.

ARTICVLVS. XI.

Vtrùm gratia Christi sit infinita,

PRIMA Conclusio. Gratia vnionis fuit simpliciter infinita. *Probatur, quia hæc gratia nihil est aliud, quàm Diuinam Personam vniri, & communicari humanitati; sed Persona Diuina etiam vt communicata, & vnita est infinita simpliciter: ergo.*

Secunda Conclusio. Gratia habitualis in ratione entis fuit simpliciter finita. *Probatur, tum, quia fuit ens quoddam creatum à Deo; tum etiam, quia hæc gratia secundùm suam entitatem fuit recepta in subiecto finito, nempe, in anima Christi.*

Tertia Conclusio. Habitualis graria Christi in ratione gratiæ potest dici infinita. *Probatur; quia habet, quicquid pertinet ad rationem gratiæ, sicut lux solis potest dici infinita in ratione lucis, quia habet quidquid pertinet ad rationem lucis: tum etiam secundò, quia ipsa gratia data fuit Christo absque aliqua mensura, eò quòd fuit in eo tanquam in vniuersali principio gratificationis humanæ naturæ.*

Est primum argumentum D. Thomæ contra secundam conclusionem. Omne immensum est infinitum: sed gratia Christi est immensa, non enim ad mensuram dat Deus spiritum Filio, nempe, Christo; ergo gratia Christi est infinita. Resp. eum locum, Pater non dat Filio secundùm mensuram, intelligi, vel ratione Diuinitatis, quam totaliter communicat: vel ratione personæ, quæ est infinita; & est infinitum donum humanitati Christi concessum, vt Diuina Personæ vniatur. Vel ratione gratiæ habitualis, quæ illi non est collata secundùm certam latitudinem, sed ad omnes effectus.

Secundum est. Effectus infinitus ostendit virtutem infinitam, & essentiam infinitam; sed effectus gratiæ Christi est infinitus, cùm se extendat ad salutẽ humani generis: ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris, & totius mundi, 1. Ioan. 2. ergo gratia Christi est infinita. Resp. gratiam Christi habere infinitum effectum, tum propter vnionem, tum etiam propter infinitatem dictam,

Tertium. Omne finitum per additionem finiti potest peruenire ad quantitatem cuiuscumq; finiti, at si gratia Christi esset finita, posset in quantitate adæquari à gratia alterius hominis, contra illud Iob 28. Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum: ergo gratia Christi est infinita. Resp. Minus per augmentum posse peruenire ad quantitatem maioris, in his, quæ sunt eiusdem generis, & habent quantitates eiusdem rationis. At verò gratia alterius hominis ad gratiam Christi habet se vt virtus particularis ad vniuersalem, & vt virtus ignis ad virtutem solis. Et ideò quantumuis augeatur, eam adæquare non poterit.

VNICA DISPVTATIO.

QVAESTIO huius articuli celebris est, & multùm cõtrouersa inter Doctores. De qua legendus est D. Thomas in 3. d. 13. q. 2. Durandus q. 1. Scotus q. 3. & Gabriel q. 3. Tota verò difficultas posita est circa tertiam conclusionem D. Thomæ, quæ de habituali Christi gratia loquitur: nempe, vtrùm in ratione gratiæ sit infinita. De qua re sunt variæ Theologorum sententiæ.

Prima Opinio. §. I.

1 PRIMA sententia asserit, gratiam Christi habitualem in ratione gratiæ esse actu infinitam, intensiuè, & extensiuè, atque adeò esse infinitam qualitatem, infinitum habitū, infinitum ens, non tamen in ratione qualitatis, habitus, aut entis, quemadmodū si daretur infinita linea, illa esset actu infinita in ratione lineæ, & ex consequenti infinita quātitas, nō quidem in ratione quantitatis, quia nō contineret omnem quantitatem: ita similiter gratia Christi habitualis, ex eò quòd est actu infinita in ratione gratiæ, fit, vt sit habitus infinitus, infinita qualitas, infinitū ens, nō tamen in ratione habitus, aut qualitatis, aut entis, quia nō cōtinet omnē

2 rationem habitus, qualitatis, aut entis. Ratio autem huius diuersæ loquutionis ea est, quòd hic modus loquendi, Infinitū in ratione entis, habitus, aut qualitatis, reddit sensum formalem, amplectentē totā illā rationem, & totū illud genus, de quo loquimur. At cū dicitur, Ens infinitū, habitus infinitus, aut qualitas infinita, nō fit huiusmodi formalis sensus, sed potiùs materialis. Vnde semel admissa gratiā esse infinitā in ratione gratiæ, est etiam cōcedendū, infinitā esse in genere qualitatis; quia hæc loquutio nō reddit illū amplissimū sensum, cōtinentem totū genus qualitatis, sed sensus est, quòd gratia Christi est infinita intra genus qualitatis, & hoc est verum supposita illa sententia, quoniā habet infinitatem gratiæ; quæ intra genus qualitatis continetur.

3 Hanc sententiam sic explicatā tenent Ioannes Maior in 3. d. 13. q. 3. & Almainus ibidem. Et probant primò, quia nō repugnat fieri gratiā in esse qualitatis intensiuè infinitam: ergo de facto collata est Christo. Probatur antecedens. Deus potest facere gratiā intensiorem in infinitum, ergo tota latitudo gratiæ, quā Deus comprehendit, vt possibilem, continet infinitos gradus gratiæ: aliàs si essent finiti, ad eos posset terminari augmentum gratiæ: ergo illa gratia infinita est possibilis. Ergo non implicat, quòd Deus illā cōferat creaturæ, ac proinde animę Christi. Prima cōsequentia probatur, quia Christo propter vnionem debetur gratia habitualis, & nō debetur illi in aliquo gradu finito; quia cùm gratia vnionis sit infinita, & altioris ordinis, excedit quemcūq; gradū finitū habitualis gratiæ, & ob id ex parte illius nequit terminus assignari in gratia habituali, & cōsequenter fit, vt si hæc gratia infinita sit possibilis, negari non possit, fuisse de facto animæ Christi tributam.

4 Secundò. Quæcumq; gratia data, si est finita, adhùc maiorem, & maiorem exigit Christus, ergo aut Christus non erit gratia plenus, si habeat gratiā actu finitam in ratione gratiæ, aut necessariò dicendum est, habere gratiam actu infinitam in ratione gratiæ.

5 Tertiò. Vnaquæq; qualitas secundùm D. Thomā articulo sequēti, ex fine, ad quem ordinatur, sortitur quātitatem intensionis; ob id enim terra habet summam grauitatem, quia ad infimū locum ordinatur: sed gratia habitualis Christi, cùm ex gratia vnionis emanauerit tanquam propria passio, in eandem vnionem tanquam in finem ordinatur, etenim omnis propria passio ordinatur in eam naturam, à qua fluit, tanquam in finem proprium; sed gratia vnionis in Christo fuit simpliciter infinita: ergo & gratia habitualis ad illam ordinata.

Quartò. Habitualis Christi gratia fuit principium, & radix omnis meriti, & satisfactionis eius; sed meritum, & satisfactio Christi fuit infiniti valoris simpliciter: ergo &c. 6

Quintò. Si gratia habitualis Christi est actu finita; ergo poterit adæquari, imò & multò superari per gratiā hominis viatoris. Patet consequentia: quia de fide est, gratiam cuiuscumq; viatoris in infinitū crescere posse; sed consequens est contra communem Theologorum sententiam: ergo &c. 7

Secunda Opinio. §. II.

SCOTVS verò, & Durandus in 3. d. 13. q. 1. & Albertus q. 1. Et aliqui recentiores per oppositū affirmant, gratiam Christi habitualem, etiam in ratione gratiæ esse actu finitā, quoad intensionem, & extensionem. Et probant primò ex D. Thoma in hoc articulo ad tertiū, vbi cùm vis argumenti ea tenderet, vt probaret, gratiam Christi habitualem esse simpliciter infinitam in ratione gratiæ, & acceptationis, non illud concedit, quia si hoc ita esset, facile solueret argumentum dicens, ideò gratiā puri viatoris nō posse pertingere ad gratiam Christi, quia fieri non potest, vt per eam homo sit infinitè gratus, & acceptus, sicut est Christus. Quare cùm istud non concedat, & aliter argumento satisfaciat, euidens est sentire, huiusmodi gratiam Christi simpliciter esse finitam in ratione gratiæ, & acceptationis. 8

Secundò. Omnis forma inhærens subiecto habet necessariò aliquem effectum formalem sibi propriū, qui & ab alia forma haberi non potest, & ab ea non potest non haberi, ergo necessariò talis effectus æqualis est tali formæ, ita vt si effectus sit finitus simpliciter, forma similiter sit finita simpliciter. Sed acceptatio ad vitam æternam est effectus formalis proprius gratiæ in ratione gratiæ, ergo repugnat, hunc effectum esse simpliciter finitum, habituali gratia existente infinita: sed si hæc est infinita, effectus erit infinitus. 9

Tertiò. Gratia in ratione gratiæ nihil est aliud, quàm acceptatio, & ordinatio quædam ad gloriam, atq; adeò pro mensura gratiæ confertur à Deo gloria, & visio beatifica: ergo si in anima Christi est infinita gratia simpliciter in ratione gratiæ, & acceptationis, est accepta ad infinitam gloriam, & infinitam visionem Dei. Ergo infinitè videt Deum, ac proinde comprehendit illum: Sed repugnat creaturam comprehendere Deum, & illū infinite videre; ergo. 10

Quartò. Illud est simpliciter infinitum, extra quod non est aliud accipere; ergo si gratia Christi in esse gratiæ non est simpliciter finita, sed infinita, non erit accipere aliam gratiam realiter distinctam à gratia Christi, atq; adeò incideretur in errorem Lutheri asserentis, neminem iustificari per iustitiam, & gratiā inhærentem, sed per extrinsecam imputationem. 11

Dices, vt gratia Christi sit infinita simpliciter in esse gratiæ, satis esse, vt extra illàm nulla possit sumi gratia, quæ in ipsa eminenter, & virtualiter non contineatur, sicut Deus simpliciter est infinitus in ratione entis, & vt sit talis, sufficit, nullum ens esse extra Deum, quod in ipso Deo eminenter non contineatur. Ita similiter omnis gratia hominū reperitur eminenter in gratia Christi, sicut est quædam gratiæ Christi participatio. 12

Sed

13 Sed contra hanc solutionem objicitur primò: quia sequitur ex illa, gratiam Christi esse alterius speciei à gratia aliorum, sed consequens est falsum: ergo. Probatur sequella. Effectus eminenter contentus in aliqua forma superiori, distinguitur specie ab ipsa eminente forma, vt calor, qui eminenter præhabetur in luce solis, est alterius speciei à luce solis. Et forma superior, & eminentior essentialiter includit aliquid perfectionis, quod non includitur in effectu in ipsa eminenter præhabito, quia huiusmodi effectus, nequit simpliciter adæquare perfectionem superioris formæ, aliàs impropriè diceretur in ea eminenter contineri; ergo ibi est diuersitas specifica. Secũdò objicitur. Si Pater æternus assumeret aliã humanitatem, tũc gratia reperta in ea humanitate, non cõtineretur virtualiter, aut eminenter in gratia Christi; quia Pater factus homo nõ dependeret in gratia à gratia Christi; ergo non omnis gratia continetur eminenter in ipsa Christi gratia, atq; adeò nulla est solutio.

14 Quintò. Gratia Christi habet intensionem finitã, sed intensio est perfectio pertinens ad rationem gratiæ: perficit enim essentiã ipsius gratiæ: ergo gratia Christi in ratione formali gratiæ est simpliciter finita. Patet cõsequentia: quia deest illi infinitas aliqua, nempe, intensiua, quæ per se pertinet ad perfectionem gratiæ secundùm rationem gratiæ. At infinitum simpliciter, cùm sit de genere bonorum, postulat omnimodam infinitatem in ea ratione, qua dicitur infinitum, nam bonũ ex integra causa consurgit, malum verò ex particulari defectu ergo &c.

15 Sextò. Anima Christi per gratiam habitualem acceptatur ad finitam gloriam, ita vt ad maiorem, & perfectiorem posset acceptari: sed acceptatio ad gloriam per se pertinet ad rationem gratiæ, cùm sit effectus illius saltem secundarius: ergo gratia Christi non habet plenariam perfectionem ad rationem gratiæ pertinentem, ac proinde est simpliciter finita in ratione gratiæ.

16 Septimò. Charitas Christi est finita in esse charitatis: ergo gratia in esse gratiæ. Patet cõsequentia, quia charitas oritur ex gratia, tãquam propria eius passio. Ergo si gratia in esse gratiæ nõ esset finita, sed infinita, refunderet suam infinitatem ad charitatem, nam passio proportionatur essentiæ. Probatur antecedens. Charitas Christi finitè diligit Deum; ergo in esse charitatis est finita. Patet hæc consequentia, quia tota ratio charitatis consistit in hoc, quod est diligere Deum super omnia.

17 Confirmatur primò. Visio beatifica animæ Christi ex eo est simpliciter finita in esse visionis, quia anima Christi finitè videt Deum: ergo cùm finitè etiam diligat Deum, eius charitas simpliciter est finita in esse charitatis. Patet consequentia, quia sicut se habet videre ad visionem beatificam, & ad lumen gloriæ, ita diligere ad charitatem.

18 Confirmatur secũdò. Voluntas humana Christi diligit Deum iuxta proportionem virtutis, quam illi tribuit habitus charitatis; sed hæc virtus à charitate proueniens est simpliciter finita, aliàs si esset infinita, posset exire in actum dilectionis infinitum, quia actus debet proportionari cum virtute sui principij; ergo charitas est finita, & ex consequenti gratia, à qua dimanat.

19 Octauò. Gratia Christi non est principium meriti infiniti; ergo in esse gratiæ non est infinita, sed finita. Cõsequentia patet, quia ideò dicunt Theologi, gratiam esse infinitam in esse gratiæ, quia est principium infiniti meriti, aut satisfactionis, vt docet D. Thomas in hoc articulo ad argumenta. Sed probatur antecedens: quia tota infinitas meriti, aut satisfactionis reducitur ad infinitatem Diuini suppositi. Ex eo namque meritum Christi est infinitum, quia procedit à supposito infinito: ergo gratia non tribuit infinitatem merito, aut satisfactioni Christi, sed talis infinitas procedit à supposito infinito Christi, vt sic.

Nonò. Gratia Christi ideò dicitur infinita à D. Thoma, quia disponit humanitatem ad vnionem hypostaticam Verbi; sed hæc ratio nõ sufficit, vt gratia sit infinita simpliciter in esse gratiæ, ergo. Probatur minor: quia ex hac ratione tantùm sequitur, gratiã esse infinitã denominatione quadã extrinseca, nempe, ratione Diuini esse Personalis, ad quod disponit, sicut ait D. Thomas 3. p. q. 25. art. 6. ad 4. competere humanitati Christi quãdam infinitatem dignitatis per vnionem ad Verbum, quæ infinitas est omninò extrinseca ipsi humanitati; ergo ex eo quòd gratia Christi disponat ad vnionem hypostaticam, vt plurimùm consurgit in illa quædam ratio extrinsecæ infinitatis, quæ non constituit ipsam infinitam simpliciter in ratione gratiæ. 20

Confirmatur, quia D. Thomas infra q. 10. art. 4. ad 3. asserit, quòd sicut gratia Christi est infinita per habitudinem ad vnionem humanitatis cum Verbo, ita beatifica visio animæ Christi est similiter infinita. Sed visio beata animæ Christi non est simpliciter infinita in ratione visionis beatificæ; ergo neque gratia in esse gratiæ est simpliciter infinita, ex eo quòd disponat ad vnionem hypostaticam. 21

Tertia Opinio. §. III.

TERTIA sententia, quam docet Bonauentura eâdem dist. 15. q. 1. art. 2. Asserit, gratiã Christi, si consideretur secundùm seipsam, & per ordinem ad animam Christi, in qua subiectatur, simpliciter esse finitã: esse autem infinitã in ratione gratiæ per cõparationem ad membra Christi, & vt est gratia capitis, quoniã gratia Christi est incõmensurabilis cuicumque gratiæ puri hominis, & quãtumuis crescat gratia puri hominis, non potuit attingere gradum gratiæ plenitudinis Christi. Et ideò gratia Christi comparatione ad gratiam membrorũ est simpliciter infinita in esse gratiæ. Ad hanc sententiam reducitur opinio Michaelis de Palacios eâdem distinctione, disputatione vnica asserens, infinitatem gratiæ Christi non esse intensiuã, neq; gradualem, sed extensiuã, quatenùs opera Christi meritoria ex gratia ipsius Christi prouenientia possent conferre ad redemptionem, & sanctificationem hominum infinitorum, si defacto fuissent infiniti. 22

Quarta Opinio. §. IIII.

COmmunis Thomistarum sententia est, gratiam Christi in esse qualitatis, & entis, & secũdùm intensionem esse simpliciter, & actu finitã; infinitã verò in ratione gratiæ. Cæterùm in explicãda huiusmodi infinitate, quã habet in esse gratiæ, variant Thomistæ. Quidam enim dicũt, gratiã Christi habitualem esse infinitã in ratione gratiæ secũdũ quandã extrinsecã acceptationẽ, quatenùs Deus acceptat ipsam, vt sit principium infiniti meriti, & satisfactionis, & vt sit debita 23

dispositio ad vnionem. At verò hæc acceptatio Dei nullam veram, & realem infinitatem ponit in ipsa, sed solam denominationem extrinsecam: nã gratia habitualis in ratione gratiæ ex sententia istorum nihil est aliud, quàm denominatio quædam extrinseca, qua iustus per illã qualitatem dicitur gratus Deo, ordinatus, & acceptus ad vitam æternam, Deo illum extrinsecè ordinante & acceptante: sicut numisma in ratione valoris nihil est aliud, quàm denominatio extrinseca proueniens illi à rege appreciante, & ordinante.

24 Ex hoc autem colligunt primò, gratiam in ratione gratiæ, & in ratione qualitatis, & habitus non semper esse æqualia in via, tametsi in patria semper æquentur. Inferunt secundò, gratiam in ratione gratiæ semper crescere secundùm omnem suã latitudinem per quoscumque actus meritorios, quãtumuis remissos, at verò in esse qualitatis, & habitus tantùm crescere per actus intensiores non secundùm omnem suam latitudinem, sed duntaxat secundum excessum actus meritorij. V.G. Siquis habeat gratiam vt sex, & ex ea eliciat actum meritorium, vt octo, gratia præcedens augetur in ratione gratiæ iuxta omnem suam latitudinem, & ideò elicito tali actu, habebit ille homo gratiam, vt quatuordecim in ratione gratiæ. Cæterùm in esse qualitatis, & habitus, tantùm habebit gratiam, vt octo: quia in hoc esse gratiæ aucta est secũdùm excessum actus. Quòd si actus meritorius fuerit remissior, quàm sit gratia, vt sex, adhùc illa augebitur secũdùm omnẽ suã latitudinem in esse gratiæ, & nullo modo in esse qualitatis. Et quod dicũt isti authores de gratia, affirmãt similiter de charitate. Ex his probatur hæc sententia.

25 Primò. Cum minori gratia in esse qualitatis stat, aliquem hominem habere maiorem gratiam in esse gratiæ, idest, esse magis acceptum, & ordinatum ad gloriã, si eliciat actum remissiorem gratiæ, ergo poterit etiam stare, vt cum gratia simpliciter finita in esse qualitatis, habeat quis infinitam gratiam in esse gratiæ, idest, quòd sit infinitè acceptus, & ordinatus ad gloriam. Sed talis fuit Christus; ergo habuit infinitam gratiã in esse gratiæ, licèt in esse qualitatis fuerit simpliciter finita. Et hoc aiunt voluisse D. Thomam, cùm asseruit, gratiam Christi habitualem in genere entis esse finitã, in genere autem gratiæ esse infinitam.

26 Secũdò. Quotiescumq; aliqua qualitas habet aliquem effectum extrinsecum, potest fieri, vt crescat secundùm illum effectum absq; eo, quòd crescat in esse qualitatis, sicut albedo, quæ facit extrinsecè simile, potest crescere, quatenùs est similitudo, non crescens inquantùm est albedo, per hoc, quòd alterum extremum fiat magis album: ergo similiter cùm gratia habitualis habeat hunc effectum, qui est facere hominem acceptum, & ordinatum ad gloriam, potest crescere secundùm hunc effectum, quod est crescere in esse gratiæ, absque hoc quòd crescat in esse qualitatis. Hãc sententiã tenet M. Victoria in relectione de augmento charitatis num. 4. & M. Soto lib. 2. de Natura & Gratia cap. 17. & in 4. d. 15. q. 3. art. 1.

27 Alij Thomistæ affirmant, gratiam Christi esse infinitam in ratione gratiæ, quia operatur omnes effectus possibiles ipsi gratiæ, ita vt fieri nõ possit de potentia Dei absoluta, vt gratia cuiuscumq; iusti ad aliquem effectũ se extendat, ad cuius similem secundùm speciem essentialẽ nõ se extendat de facto ipsa Christi gratia. Sed quia non efficit hos effectus in summo gradu per absolutam Dei potentiam possibili, (non enim qualificat animam intensione infinitã, neque eã reddit acceptã ad summum gloriæ gradum) ideò hæc ratio non sufficit gratiã Christi constituere simpliciter infinitam in esse gratiæ, quamuis prædictam infinitatem intra genus, & speciem gratiæ illi tribuat: ac proinde potest dici infinita intra rationem gratiæ: quia habet aliquã infinitatẽ, quæ intra hãc rationem cõprehenditur, nempe, quòd se extendit ad omnes effectus gratiæ possibiles. Sed non potest appellari infinita in esse gratiæ, seu in ratione gratiæ, quia istæ locutiones denotant totalem infinitatem gratiæ secundũ propriã rationem gratiæ: quemadmodùm lux solis solet infinita appellari, eò quòd lux in sole extendit se ad omnes effectus suæ naturæ possibiles.

28 Alij verò Thomistæ docent, gratiam Christi essentialiter consideratam in ratione gratiæ nullam habere infinitatem actualem, & Categorematicã, quia est omninò eiusdem speciei cũ gratia aliorũ. At verò, quia est in tali subiecto, nempe, in Christo, consurgit in ea quidam modus realis, & Physicus, qui est modus infinitatis, per quem cõstituitur simpliciter infinita in esse gratiæ. Et hic realis modus infinitatis tribuit gratiæ Christi quandam modalem speciem, superadditam essentialĩ ipsiusmet gratiæ speciei. Vnde inferunt, dimissa humanitate à Verbo, quòd gratia in humanitate permanens retineret eandemmet essentialem speciem, quam nunc habet in Christo, non tamen eam speciem, quæ illi cõpetit ex modo infinitatis supradicto.

29 Pro huius difficultatis resolutione aduertendum est, infinitũ dupliciter sumi. Vno modo ex parte materiæ, sicut dicitur potentia materiæ primæ esse infinita; alio modo ex parte formæ, sicut Deus dicitur actu infinitus. Prima infinitas importat imperfectionem, cùm ad potentialitatem pertineat, secunda verò perfectionem, quia est actualis. In præsenti ergo est sermo de infinitate secundo modo sumpta. Et quia bonum, & perfectum consurgit ex integra causa, ideò vt gratia sit infinita simpliciter in esse gratiæ, debet omni ex parte habere infinitatem in esse gratiæ, & si ex aliqua ratione fuerit finita, erit simpliciter appellanda finita in esse gratiæ, tametsi aliquas, & multas rationes habeat infinitas in tali genere. Inter tot igitur, ac tam varias sententias, vt veriorem eligamus, sit Prima Conclusio.

Prima Conclusio. §. V.

30 HABITVALIS gratia Christi actu, & Categorematicè est simpliciter finita secundũ intensionem, quã habet in subiecto, seu in gradibus intensionis. Hæc cõclusio est cõtra primã opinionẽ, & est cõmuniter recepta omnibus Theologis in 3. d. 15. & Phylosophis, qui cũ Aristotele 3. Physico. & D. Thoma 1. p. q. 7. censent, esse impossibile, aliquem effectũ à Deo produci actu, & Categorematicè in aliquo genere infinitũ, tam essentialiter, & entitatiuè, ac Physicè, quàm intensiuè, & quãtitatiuè. Probatur primò ex ipsa ratione infiniti, quod cùm sit aliquid confusum, & indeterminatum, non apparet, qua ratione cadere possit sub certa, & determinata intensione agentis, vt docet
D. Thomas loco citato. Firmamentum ergo huius cõclusionis potest esse illud cõmune, quòd impossibile sit 31
fieri gratiã actu infinitã, quoniã si hæc esset possibilis,

non posset ostendi, defacto non fuisse collatam animæ Christi. Imò est multorum opinio, data illa hypothesi esse probabilius, infinitam gratiam secundùm intensionem entitatiuam, & Categorematicam concessam fuisse animæ Christi; quia si non repugnat, fieri gratiam intensiue infinitam, in esse qualitatis, non est, cur negetur animæ Christi, quoniã Christo debetur propter vnionem perfectissima gratia, & non in aliquo gradu finito. Etenim cùm gratia vnionis sit infinita, & altioris ordinis, excedit quemcumque gradum finitum gratiæ habitualis, & ideò ex parte illius nullus in gratia habituali terminus signari potest. Quare si hæc infinita gratia est possibilis, nullo modo potest negari, Christo Domino fuisse tributam.

32 Præterea probatur, gratiam habitualem non posse esse actu infinitam. Primò ex incapacitate subiecti, quia anima, cùm sit creatura nõ est capax infinitæ perfectionis; ergo cùm habitualis gratia Christi sit in anima ipsius, non potest esse infinita actu, & Categorematicè, quoad intensionem: etenim cùm anima Christi sit creatura, nõ est capax nisi finitæ perfectionis. Sed dices, capacitatẽ animæ ad recipiendã intensionem gratiæ esse infinitã, cùm possit gratiã intensiorem in infinitũ suscipere. Respondetur, capacitatem animę simpliciter dici finitã, quia nõ potest recipere perfectionem actu infinitam quacumque ratione, vt ostendit D. Thom. 1. p. q. 7.

33 Secũdò probatur ex propria ratione ipsius gratiæ, quæ est facere gratũ, sed creatura nunquam potest esse ita grata, quin possit fieri gratior: ergo nõ est capax infinitæ gratiæ. Cõfirmatur. Si gratia Christi esset actu infinita, pari ratione lumen gloriæ, & visio eius beatifica essent actu infinita, & ex consequenti anima Christi videret Deum, quantùm visibilis est, ex parte obiecti, videndo in eo quidquid ab ipso fieri potest. Probatur cõ-

34 sequentia, quia gratiæ respondet gloria. Etenim si habitui gratiæ, aut lumini gloriæ non repugnat intensio actu infinita, neq; etiã repugnabit actui videndi, quantùm est ex parte illius, ergo similiter nõ repugnabit, potentiam humanam eleuari ad eliciendum illum actum per illum habitum, seu principium infinitè intensum cum auxilio proportionato: præsertim quòd intellectus creatus non concurrit ad visionem Dei secundùm mensuram perfectionis naturalis, sed iuxta mensuram auxilij, & formæ, per quam eleuatur.

35 Tertiò probatur. Nullus effectus est à Deo producibilis, nisi in eo gradu, quem Deus determinatè cognoscit, sed Deus non cognoscit vltimum, & determinatum intensionis gradum, in quo gratia actu, & Categorematicè possit esse infinitæ intensionis, quia nõ est cognoscibilis; ergo non potest produci gratia infinitè intensa. Antecedens probatur. Gratia ex propria sui ratione est in infinitũ augmentabilis, ita vt quocumq; intensionis gradu dato, ad vlteriorem progredi possit; ergo nõ est dabilis gradus gratiæ vltimus secundùm intensionem, atq; adeò neque est cognoscibilis à Diuino intellectu.

36 Quartò. Si gratia intensionis infinitæ actu potest produci, sequitur, Diuinam potentiam posse exhauriri in hoc sensu, quòd possint dari producti extra suas causas omnes effectus possibiles à Deo produci, & secũdùm omnes possibiles modos, sub quibus à Diuina potentia fieri possunt, sed consequens est absurdum: ergo &c. Probatur sequella. Eàdem ratione, qua Deus potest producere gratiam infinitæ intensionis, poterit etiam efficere eandem gratiam sub omnibus modis possibilibus secundùm potentiam ipsius Dei, cùm non sit maior ratio de alijs modis, quàm est de modo intensionis infinitæ: ergo.

Secunda Conclusio. §. VI.

SI Gratia habitualis Christi est in semetipsa finita, non potest esse simpliciter, & Categorematicè infinita per cõparationẽ ad gratias membrorũ. 37
Est contra tertiam opinionem: & probatur primò. Si gratia Christi in semetipsa est finita; ergo cuicumque alteri gratiæ comparata retinebit hanc finitatem, & limitationem: quia cõparatio ad extrinsecũ nõ confert infinitatem simpliciter rei comparatæ. Quòd si tribuit infinitatem, talis infinitas erit intrinseca ipsi rei comparatæ. Si autem est intrinseca gratiæ talis infinitas; ergo in semetipsa erit infinita, & nõ solùm per comparationem ad gratias membrorum.

Dices, gratiam Christi esse infinitã secundùm acceptationem Dei extrinsecam, atq; adeò per comparationem ad extrinsecũ tribuere infinitatem simpliciter rei cõparatæ. Contra, quia est omninò improbabile, & falsum, quòd gratia Christi sit infinita tantùm secundùm acceptationem Dei extrinsecam, nã hæc extrinseca Dei acceptatio nullam ponit perfectionem in ipsa gratia Christi, secundùm quã acceptationem albedo Christi, imo & albedo cuiuscumq; hominis, potest esse infinita: nam Deus posset illam acceptare ad quamlibet dignitatem, & finem comparãdum. Vnde in materia de gratia, siue Christi, siue aliorũ, huiusmodi acceptatio Dei extrinseca releganda est ab scholis, quia est impertinens ad perfectionem gratiæ, & iustitiæ formaliter inhærentis animæ: & posset in errorem Lutheranorum incidere, qui totam animę iustitiam, & gratiam, ad extrinsecũ Dei fauorem reuocat. 38

Secundò probatur conclusio. Gratia Christi per cõparationem ad gratias membrorum, tantùm differt à semetipsa, sicut gratia capitis à gratia personali; nam quòd gratia Christi, sit gratia capitis, in eo solùm consistit, quòd non solùm gratificat animam Christi, sed etiam est omnium animarum sanctificatrix, & gratificatiua, sed gratia capitis in Christo est omninò eadem gratia cum gratia personali, & nullam addit perfectionem supra gratiam personalem, sed respectum dumtaxat ad membra, vt colligitur ex D. Thoma infra quæst. 8. art. 5. ergo. 39

Confirmatur ratione D. Thomæ eodem articulo 5. citato. Subiectum, quod per aliquam formam operatur ad extra, non operatur, nisi quatenùs est actu cõstitutum per talem formã, & secundùm virtutem, quam ab illa participat, vt calefactiuũ V. G. nõ calefacit vltra virtutem, quam suscipit à calore, à quo constituitur actu calidum; etenim omne agens agit inquantùm est in actu, & iuxta proportionem sui actus, & non aliàs. Ergo anima Christi per gratiam habitualem nihil influit, & operatur in membra, nisi iuxta proportionem gratiæ, quam habet in semetipsa, & quatenùs est constituta in actu per huiusmodi gratiam: ergo non est gratificatiua aliarum animarum, nisi iuxta proportionem, qua ipsa est actu grata. Quare impertinenter statuitur illa distinctio, gratiam Christi, in seipsa esse finitam, & 40

comparatione ad gratias membrorum esse simpliciter infinitam.

41 Ex his constat, sententiam Michaelis Palacios asserentis, gratiam Christi intensiuè esse finitam simpliciter, extensiuè verò infinitam, esse falsam, & improbabilem, quia nulla forma potest se extendere ad producendos infinitos effectus, nisi in semetipsa fuerit infinita, atque adeò infinita extensio in aliqua forma, infinitam præsupponit perfectionem, & intensionem in eadem forma. Voco intensionem, perfectionem intrinsecam ipsius formæ, non enim loquor strictè de accidentali intensione, quę fit per maiorem inhæsionem, & radicationem in subiecto. Hæc autem ratio procedit, supposito, quòd extensio non sit purè materialis, sed formalis.

42 Si enim extensio fuerit purè materialis, forma simpliciter finita poterit ad infinitos effectus se extendere, sicut vnica candela per eandem omninò virtutem infinitis candelis poterit lucem communicare. Secus autem esset, si lux magis, ac magis accresceret in ipsis candelis, nam tunc esset extensio formalis secundùm maiorem, & maiorem perfectionem, atque adeò esset necessaria infinita lux in candela, ex qua fieret ista extensiua communicatio, quæ non solùm esset extensiua, sed & simpliciter intensiua. Et quoniam extensio gratiæ ad infinitos homines, si darentur, nō esset purè materialis, sed formalis, & simpliciter intensiua, ideo argumentū factū est efficax cōtra sentētiā D. Bonauēt. & Michaelis Palacios.

43 Constat etiam ex hac conclusione, falsò asseruisse quosdā recentiores Thomistas, quod cùm D. Thomas docuit in hoc articulo, gratiam Christi esse infinitam, ex eo quòd fuit animæ Christi collata tanquā vniuersali principio gratificationis, intellexerit, gratiam esse infinitam secundùm extensionem tantùm. Sed hæc explicatio est falsa, & à mente D. Thom. aliena, qui quæstione 8. sequente reducit extensionem gratiæ ad eius perfectionem intensiuam.

Tertia Conclusio. §. VII.

44 GRATIA Christi ex vnione ad Verbū nullam participat Physicam infinitatem, vel essentialem, vel modalem, quæ illam in esse gratiæ constituat infinitam simpliciter. Hæc conclusio est cōmunis Thomistarū quoad infinitatem essentialem, & probatur primò; quia essentia gratiæ in duobus potissimùm consistit, nempe, quòd reddat animā formaliter consortem, & participem Diuinæ Naturæ, & quòd cōstituat formaliter acceptā ad gloriā: sed quoad vtrumq; gratia Christi est simpliciter finita; ergo habet essentiā finitā Physicè loquendo. Minor patet, quia Diuina Natura adhùc est magis participabilis, quàm per gratiam participetur ab anima Christi; cùm enim sit in infinitū participabilis, nequit totaliter participari. Item anima Christi potuit de potentia Dei absoluta ad maiorem gloriam acceptari, quàm defacto est acceptata; quia anima Christi non comprehendit essentiam Dei per illam visionem beatificam, qua nunc illam intuetur: ergo.

45 Secundò. Charitas, lumen gloriæ, & reliqua dona Spiritus Sancti Physicè loquendo sunt finita simpliciter; ergo & ipsa gratia, ex qua oriuntur, essentialiter est finita. Patet consequentia; quia effectus per naturalem resultantiam dimanantes à forma, proportionantur ipsi formæ; ergo si hęc dona ex gratia resultantia sunt simpliciter finita in suis proprijs rationibus, & essentijs, ipsa etiam essentia gratiæ in esse gratiæ est simpliciter finita.

Tertiò. Gratia Christi in esse qualitatis est finita, sed qualitas est ratio essentialis gratiæ, quia est ratio generica ipsius; ergo impossibile est, quòd gratia Christi in esse gratiæ sit simpliciter infinita. Maior constat ex supradictis, & est D. Thomæ in hoc articulo, & q. 29. de Verita. art. 3. vbi comparat gratiam Christi in ratione infinitatis luci solis, sed lux solis est qualitas actu finita, & simpliciter; ergo. 46

Confirmatur. Differentiæ specificæ continentur sub potentia generis: ergo quādo ratio generica est simpliciter finita, differentia etiam specifica est finita, & limitata, & ex consequenti differentia specifica, & essentialis gratię nō potuit esse simpliciter infinita in gratia Christi, cùm ratio qualitatis, quæ est ratio eius generica, nō sit in ipsa simpliciter infinita. 47

Præterea probatur, nullum esse modum Physicum in gratia Christi, qui sit infinitus simpliciter in ratione gratiæ, ipsam constituens infinitam in esse gratiæ. Iste modus neque est, neque fingi potest esse aliud, quàm quòd gratia mediante anima Christi, in qua residet, sit supernaturaliter terminata, & completa à Verbo: sed hæc modificatio, & terminatio non inducit infinitatem simpliciter in esse gratiæ: ergo. Minor probatur. Quia essentia animæ, & ipsa Christi humanitas, ad quā primò hæc terminatio pertinet, non est simpliciter infinita in esse humanitatis, neque essentialiter, neque modaliter. Item reliqua accidentia, siue spiritualia, vt scientia infusa, siue naturalia, vt albedo, & scientia acquisita, ex hac terminatione non participant infinitatem simpliciter in suis proprijs rationibus. Etenim scientia Christi, siue per se infusa, siue per se acquisita, non est simpliciter infinita in ratione scientiæ, quia de potentia Dei absoluta posset crescere secundùm formalem rationem scientiæ, posset enim intellectus Christi plura cognoscere per vtramq; scientiam, quàm defacto cognoscit, & ea, quæ nunc cognoscit, perfectiùs nosse: ergo idem dicendum est de gratia habituali, quòd illa terminatio personalis nullā inducit infinitatem simpliciter in ipsam secundùm rationem gratiæ. 48 49

Ex quo sequitur, ineptam esse quorundam Theologorum sententiam, qui vt hunc modum infinitū Physicum in gratia Christi defendant, asserunt, ipsum Verbum seipso quasi modaliter constituere gratiā Christi infinitam simpliciter in esse gratiæ. Sed hæc sententia nullo nititur firmamento, & eâdem ratione esset dicendum, quòd Verbum Diuinum terminās humanitatem, eam similiter modificat cōstituens ipsam in esse humanitatis simpliciter infinitam. Et præterea chimericum est dicere, Verbum Diuinum induere rationem modi Physicè modificantis gratiam, quia modalis modificatio imperfectionem inuoluit. 50

Secundò probatur, quòd non reperiatur hic modus Physicam infinitatem tribuens gratiæ Christi. Vnio Diuini Verbi ad humanitatem non est operatiua, & factiua alicuius effectus; sed tantùm est terminatiua, & completiua naturæ; ergo ex vi vnionis neque in Christi humanitate, neque in eius gratia, neque in aliquo eius accidenti, siue naturali, siue supernaturali resultat aliquis nouus modus præter præter passiuā terminationē suppositi 51

suppositalem, cuius ratione gratia possit aliquam Physicam infinitaté participare. Antecedens patet, quia suppositum, quatenùs exequitur propriam suppositi rationem, nihil efficit, sed tantùm habet terminare naturam.

52 Confirmatur. Verbum Diuinum terminat, & complet humanitatem propria Verbi Personalitate: sed Personalitas Verbi nullius effectus est productiua, cùm sit relatio, nempe, Filiatio, quæ non est forma operatiua; ergo Verbum Diuinum, prout terminat humanitatem, nullum effectum, aut modum Physicum in ipsa humanitate, aut in eius accidentibus efficit.

53 Tertiò. Ille modus infinitatis Physicus neque efficitur à Verbo naturali, & necessaria resultantia, neque noua actione: ergo nullo modo fit, atque adeò non est. Probatur antecedens. Et primum, quòd ille modus non procedat à Verbo per naturalem, & necessariam resultantiam, est euidens, quia Verbum nullum effectum operatur necessariò, sed liberè secundùm consilium voluntatis suæ, vt ait Paulus ad Ephes. 1. Probatur autem, quòd non procedat à Verbo per nouam, & liberam actionem. Primò: quia aliàs sequeretur, hûc modum Physicæ infinitatis immediatè fieri à tota Trinitate, & non procedere à Verbo, quatenùs est humanitatis suppositum: quod est contra omnes Theologos ponentes

54 aliquam infinitatem in Christi gratia, quam totam reducunt ad Verbum, vt est humanitatis suppositum, & ad ipsam gratiam vnionis. Probatur sequella. Verbum non causat illum modum Physicæ infinitatis per actionem alicuius humanæ potentiæ, sed immediatè per actionem virtutis, & potentiæ Diuinæ: ergo Verbum non causat istum modum Physicum, prout est suppositum humanitatis, sed quatenùs habet eandem potentiam, & virtutem Diuinam cum Patre, & Spiritu Sancto, atque adeò prout est Diuinitatis Suppositum.

55 Secundò, quia posset fieri per absolutam Dei potentiam, quòd gratia Christi nullam haberet infinitatem in ratione gratiæ, quod est contra omnes Theologos, qui in ea hanc infinitatem agnoscunt. Dicunt enim, eò ipso, quòd gratia est in tali subiecto, nempe, in humanitate vnita Verbo hypostaticè, non posse non esse infinitam in ratione gratiæ. Sicut humanitas Christi, eò ipso, quò vnitur Verbo, non potest non participare quandam infinitam dignitatem, vt docet D. Thomas. 1. p. q. 25. art. 6. ad 4. Ergo. Patet sequella, quia si Verbum per nouam, & liberam actionem produxit illum infinitatis modum, potuisset non producere, aliàs non liberè, sed necessariò produxisset, & posset modò, si vellet, separare hunc modum infinitatis ab ipsa gratia: ergo.

56 Confirmatur. Si iste modus infinitatis Physicæ nullam habet necessariam connexionem cum vnione hypostatica, sed noua, & libera actione Verbi fuit productus, sine fundamento appellatur infinita gratia Christi, quia nulla est ratio, qua possit constare, Verbum Diuinum liberè effecisse hunc modum infinitatis in sua gratia. Sed Theologi, qui docent, gratiã Christi esse infinitam, existimant, hanc infinitatem esse intrinsecam, & necessariam gratiæ Christi, prout est in tali subiecto: ergo.

57 Confirmatur secundò. Sequitur posse Deum ysimilem infinitatem tribuere gratiæ cuiuslibet hominis iusti, ita vt gratia Petri esset tam infinita in ratione gratiæ, sicut gratia Christi: sed consequens est falsum: ergo. Probatur sequella. Quicumque modus Physicus, cuius est capax gratia Christi, potest poni in quacumque gratia, & ex alia parte hic modus Physicæ infinitatis, cùm sit liberè productus à Verbo, non habet maiorem connexionem, neque magis intrinsecam, & essentialem cum gratia Christi, quàm cum gratia alterius iusti, aliàs si intrinsecam haberet connexionem, necessariò, & per naturalem resultantiam ei competeret, & non liberè, neque per actionem liberam: ergo cùm hic modus Physicæ infinitatis neque liberè, neque necessariò fuerit gratiæ communicatus, dicendum est, non reperiri talem infinitatis modum in ipsa Christi gratia.

Sed contra hanc conclusionem obijcitur primò. 58
Gratia Christi est infinita in ratione dispositionis ad vnionem hypostaticam, vt docet D. Thomas artic. 12. sequenti, & infra q. 10. art. 4. ad 3. Sed hæc infinitas est Physica: ergo. Probatur minor. Ratio dispositionis ad vnionem hypostaticam in hoc est posita, quòd humanitas fiat proportionata Diuino Verbo, cui personaliter vnitur; sed huiusmodi proportio nequit non esse Physica, quia per illam constituitur humanitas Christi in esse supernaturali, & Diuino eiusdem ordinis cum esse Personali Verbi; ergo.

Respondetur, infinitatem, quam gratia Christi in ra- 59
tione dispositionis participat à Verbo, non esse Physicam, sed moralem. Et cùm instat argumentum, quòd ratio dispositionis Physicæ est Physica, dicitur, quòd dispositio, qua humanitas per gratiam disponitur ad hypostaticam vnionem, partim est Physica, & partim moralis. Est quidem Physica, quatenùs humanitas efficitur eiusdem ordinis supernaturalis cum Verbo, atque adeò illi proportionata. Vnde hæc dispositio est finita, quia non magis humanitas proportionatur Verbo hac Physica proportione, quàm sit ipse gradus intensionis
gratiæ. Partim vero est moralis, & hac ratione est infi- 60
nita in esse dispositionis. Et cõsistit eius infinitas in hoc, quòd gratia, quatenùs concomitanter se habet ad Verbum, participat infinitam quandam dignitatem, cuius ratione humanitas infinitè est grata Deo, & ab illo reputatur digna ipsius hypostaticæ vnionis. Hæc autem moralis infinitas non est sola extrinseca denominatio in gratia habituali, sed eius perfectio in esse morali intrinseca, & eius naturæ proportionata: ratio est, quia gratia est forma supernaturalis ordinis, & suâ naturâ gratificatiua, & dignificatiua subiecti in ordine ad finem, & bonum supernaturale, est capax huius realis infinitatis, quam à Verbo participat: in quo maximè ab humanitate differt, quæ cùm sit naturalis, & inferioris ordinis, extrinsecè tantùm potest illi competere illa dignitatis infinitas.

Sed pro huius rei maiori explicatione aduertendum 61
est, quòd licèt infinitas moralis proueniat gratiæ Christi ab extrinseco principio, nempe, à Verbo, & Supposito Diuino, est tamen illi intrinseca; & habet se per modum vnius perfectionis, cum illa moralitate gratiæ, quæ ipsi conuenit ex principijs intrinsecis, & ex intrinseca eius differentia, quoniam dignitas moralis ex Supposito proueniens non est extranea à ratione gratiæ, sed intra eius genus continetur, atque adeò perficit ipsam gratiam proportionabiliter ad eius naturam, & efficit

vnam integram perfectionem cùm illa moralitate, quæ
62 est omnino intrinseca gratiæ. Et licet Diuinum Suppositum, à quo prædicta dignitas deriuatur, sit extrinsecum habituali gratiæ, est tamen illi proportionatum, quia vt constabit artic. 13. huius quæstionis, Christus est subiectum magis proprium, & magis proportionatum gratiæ, quàm quælibet pura creatura, siue rationalis, siue intellectualis. Vnde illa perfectio & dignitas, quæ ex tali subiecto ad gratiam deriuatur, non debet computari inter perfectiones gratiæ extrinsecas.

63 Secundò obijcitur. Gratiæ habituali Christi ex reali coniunctione ad Verbum conuenit, quòd sit gratia capitis, quòd sit gratificatiua, & sanctificatiua omnium hominum, etiam infinitorum, si darentur infiniti, & hoc non solum moraliter, sed etiam Physicè, vt notum est in schola D. Thomæ: ergo aliquis modus Physicæ infinitatis resultabit in ipsa Christi gratia ex reali coniunctione ad Verbum: alias non esset Physicè sanctificatiua, & gratificatiua infinitorum hominum. Concesso
64 antecedenti, negatur consequentia: quia sicut Christi caro ex coniunctione ad Verbum absque aliquo reali, & Physico infinitatis modo superaddito est viuificatrix, & sanctificatrix infinitarum animarum, si essent, per modum instrumenti coniuncti Diuino Verbo; ita habitualis gratia non immediatè, sed mediante Christi anima Diuino Verbo coniuncta habet vim sanctificatiuam, & viuificatiuam infinitorum hominum. Vt autem caro Christi & habitualis eius gratia possint dici absolutè viuificatrices, & sanctificatrices animarum, sufficit ipsa realis coniunctio, qua Verbo coniunguntur.

65 Tertiò obijcitur. In calore animalis ex coniunctione ad ipsam animalis vitam participatur quidam modus vitalis, & substantialis, ratione cuius est proprium ipsius animalis vitæ instrumentum ad vitales actiones exequendum; ergo similiter gratia Christi ex reali coniunctione ad Verbum participat quendam modum Physicæ infinitatis, ratione cuius est proportionatum ipsius Verbi instrumentum: immò à fortiori hoc est dicendum, quia calori accidit omninò esse in animali, non enim animal est subiectum proportionatum naturæ caloris, sed Christus est subiectum gratiæ, illius na-
66 turæ valde proportionatum. Respondetur concesso antecedenti, negando consequentiam, quia coniunctio caloris ad essentialem animalis vitam est formalis, hoc est, quòd calor subordinatur animalis vitæ, vt forma accidentalis, & inferior superiori, & essentiali formæ, atque adeò ab ipsa participat quandam vim formalem vitalem. Coniunctio autem gratiæ habitualis ad Verbum in Christo, non est formalis, sed suppositalis, quia Verbum non exequitur rationem formæ, sed tantùm substantialis suppositi humanitatem, & eius accidentia terminantis. Suppositum autem in ratione suppositi nihil efficit, ac proinde nulla virtus, neque finita, neque infinita ad habitualem gratiam ex ipso dimanat, ac effluit, sed solùm consurgit in habituali Christi gratia ex coniunctione ad Verbum, quoddam veluti naturale ius, vt assumatur, tanquam instrumentum in operationibus sanctificatiuis, & gratificatiuis animarum.

Quarta Conclusio. §. VIII.

GRATIA Christi est simpliciter infinita in 67
esse gratiæ infinitate dignitatis moralis. Probatur. Opera Christi, quæ procedebant ex gratia habituali, erant infiniti valoris moralis, quem aliquo modo ex ipsa gratia participabant, ergo in ipsa gratia præhabetur hic infinitus valor moralis, & infinita dignitas, atque adeò est infinita moraliter. Consequentia patet, quia tota perfectio, quæ in effectu reperitur, debet præhaberi perfectiori modo in eius causa. Antecedens probatur, quia meritum Christi fuit infinitum in ratione meriti, & satisfactio Christi fuit infinita in ratione satisfactionis; sed opera meritoria, & satisfactoria Christi procedebant ex gratia habituali tanquam ex principio formali, imò simpliciter, vt à primo formali principio, quia gratia vnionis pertinet ad principium, Quod, Personale, & non ad formale: ergo &c.

Confirmatur primò, quia gratia habitualis sua natura est gratificatiua, & dignificatiua subiecti supernaturali dignitate: ergo est capax infinitæ dignitatis tanquam proximum principium operis infiniti valoris, & infinitæ dignitatis meritoriæ, & satisfactoriæ, atque adeò illam accepit à Verbo. 68

Confirmatur secundò. Humanitas Christi ex vi vnio- 69
nis hypostaticæ participat infinitam dignitatem, vt docet D. Thomas loco citato. 1. p. Ergo à fortiori gratia, cùm sit Diuini generis, & eiusdem ordinis cum Verbo, participat infinitam dignitatem ex eadem vnione hypostatica. Dixi autem, quòd hæc moralis dignitas 70
infinita constituit gratiam infinitam in esse gratiæ, quia tota hæc moralis dignitas per se pertinet ad rationem gratiæ, nam esse principium meriti, aut satisfactionis coram Deo, est proprium officium gratiæ diuinæ satisfacere, & mereri perfectè ad ordinem gratiæ pertinent, & ex consequenti infinitas moralis gratiæ, ex qua habet esse principium infiniti meriti, & satisfactionis, constituit ipsam infinitam intra rationem gratiæ. Hæc autem moralis infinitas, vt supra dicebam, est realis perfectio gratiæ, & illi intrinseca; sed non est entitatiuè realiter distincta ab ipsa substantia gratiæ, sed tantùm formaliter. De hac conclusione recolenda sunt quæ diximus supra quæst. 1. art. 2. Disput. 5. Parag. 10. num. 73.

Cæterùm ad maiorem huius quartæ conclusionis 70
illustrationem obijcitur contra illam. Primò. In gratia Christi reperitur aliqua ratio moralis, quæ non est simpliciter infinita; ergo gratia Christi non est censenda simpliciter infinita in esse morali, quamuis habeat aliquam infinitatem moralem, inquantum est principium meriti infiniti, & satisfactionis infinitæ. Consequentia patet ex dictis: infinitum enim, cùm sit de genere bonorum, consurgit ex integra causa. Antecedens probatur. Gratia Christi est acceptatio ad finitam gloriam; sed hæc ratio acceptationis ad gloriam est moralis, quia consideratur respectu voluntatis ipsius acceptantis, ea autem, quæ per ordinem ad voluntatem, & actionem liberam operantis considerantur, non pertinent ad Physicum ordinem, sed ad moralem: ergo.

Confirmatur, meritum Christi respectu gloriæ sui 71
corporis non fuit simpliciter infinitum, sed proportionatum gloriæ animæ, quæ est simpliciter finita: sed hæc

ratio

ratio est moralis; ergo gratia Christi non est simpliciter infinita secundùm rationem moralem.

72 Ad argumentum respondetur, acceptationem ad gloriam posse dupliciter considerari per ordinem ad gratiam. Vno modo quatenus fundatur in opere meritorio ex gratia procedente, ita quòd homo gratus acceptetur ad gloriam iuxta sui meriti proportionem, & sic acceptatio ad gloriam est moralis, sicut & ipsum meritum, cui respondet, pertinet ad ordinem moralem. Cæterùm hæc acceptatio ad gloriam non reperitur in gratia Christi, nam Christus non habet gloriam ex meritis, sed ex vi vnionis hypostaticæ habet gratiam, & gloriam animæ. Alio modo consideratur acceptatio ad gloriam secundùm connaturalem proportionem, & habitudinem, quam habet gratia ad ipsam, nam sicut terra per grauitatem proportionatur centro coaptatione quadam naturali: ita iustus per gratiam connaturaliter proportionatur gloriæ, & iure connaturalitatis
73 illi debetur. Hæc autem acceptatio ad gloriam, prout se tenet ex parte gratiæ constituentis passiuam acceptationem in anima, idest, connaturalem proportionem, & ius connaturalitatis ad gloriam, pertinet ad ordinem Physicum, & non ad moralem, sicut coaptatio terræ per grauitatem ad centrum est Physica. Et hæc acceptatio fuit in gratia Christi respectu gloriæ, quia animæ Christi collata fuit gloria in instanti Incarnationis non ex aliquo merito, sed iuxta exigentiam gratiæ, & proportionabiliter ad dispositionem, qua anima Christi in seipsa fuit disposita per gratiam habitualem. Vnde licèt hæc acceptatio sit finita in gratia Christi, non sequitur, quòd gratia secundùm dignitatem moralem sit finita, sed solùm sequitur, quòd in esse Physico sit finita.

74 Sed replicatur. De potentia Dei absoluta potuit fieri, vt animæ Christi daretur gloria ex meritis procedentibus ex ipsa gratia habituali: sed illud meritum esset finitum; & acceptatio ad gloriam esset finita, quia gloria animæ per nullam potentiam poterat esse infinita; ergo gratia Christi non præhabet in semetipsa omnem plenitudinem dignitatis moralis, nam quatenus esset principium illius meriti, esset finita.

75 Respondetur, admisso illo casu, quòd meritum, quo anima Christi mereretur suam gloriam, esset simpliciter infinitum in ratione meriti, non quidem ex parte præmij materialiter sumpti, nam illi merito responderet finita gloria, quia infinita esse non poterat: sed esset infinitum ratione modi, qui modus refunderetur in ipsum præmium, & redderet ipsum formaliter infinitum in ratione præmij. Hic autem modus esset, quòd Christus mereretur gloriam ex iustitia rigorosa: quam perfectionem rigorosæ iustitiæ nullum opus potest coram Deo habere, si non fuerit infiniti valoris, & infinitæ dignitatis moralis. Et tunc gloria, quæ daretur animæ Christi, formaliter sumpta in ratione præmij esset infinita, quamuis in esse gloriæ, & in esse visionis Diuinæ esset finita, quia daretur Christo tanquam merces
76 illi debita de rigore iustitiæ. Vnde constat, quòd gratia Christi in ordine ad gloriam animæ ipsius Christi, habet infinitam dignitatem simpliciter, & valorem infinitum moralem, licèt propter repugnantiam ex parte facti non posset mereri gloriam in esse gloriæ infinitam: illa enim de se, & ex parte valoris illius, est meritoria infinitæ gloriæ, si posset dari. Et ideò in esse moris dicitur simpliciter infinita, sicut Dei omnipotentia, quamuis propter facti repugnantiam nequeat effectum actu infinitum producere, est tamen infinita simpliciter, nam quantùm est de se, illum producere potest.

Ad confirmationem patet ex dictis solutio, etenim 77
ex parte modi meritum Christi respectu gloriæ sui corporis fuit infinitum, quia ex omni rigore iustitiæ meruit illam. Vel dicendum, quòd quantùm erat ex parte gratiæ, sicut potuit Christus mereri infinitam gloriam animæ: sic potuit mereri infinitam sui corporis gloriam, nisi ex parte effectus, nempe, gloriæ corporis repugnaret.

Secundò obijcitur contra eandem conclusionem. 78
Gratia Christi non habet vim, vt virtutes supernaturales infinitæ secundùm proprias virtutum rationes ex ipsa effluant, charitas enim secundùm rationem charitatis est finita in Christo, & similiter temperantia est virtus finita in ratione temperantiæ: sed propria ratio harum virtutum pertinet ad ordinem moralem: ergo gratia Christi etiam secundùm rationem moralem non est simpliciter infinita in esse gratiæ. Respondetur, virtutes, quæ fluunt ex Christi gratia, habere similem infinitatem in suis proprijs rationibus, quam habet gratia in ratione gratiæ, & hanc virtutum infinitatem dimanare ex morali ipsius gratiæ infinitate, sicut earum essentiæ fluunt ex essentia gratiæ: seu potiùs ex infinitate Personæ Verbi.

Tertiò. Moralis infinitas gratiæ est quidam modus 79
realis in ipsamet gratia; ergo vel iste modus est effectus à Verbo per actionem nouam, vel liberam, vel potiùs resultauit per naturalem emanationem: atque adeò est eadem difficultas de hoc modo infinitatis moralis, quæ est de modo infinitatis Physicæ in tertia conclusione refutato.

Pro explicatione huius argumenti, & totius doctri- 80
næ in quarta conclusione traditæ, aduertendum est, infinitatem dignitatis moralis consequenter se habere ad gratiam vnionis, ita vt per nullam potentiam possit impediri. Cuius ratio est, quia moralis entitas, & perfectio, cùm consistat in quadam proportione, & habitudine transcendentali ad liberam voluntatis intentionem, & ad rationem, quæ est prima regula totius moralitatis, in modo suæ productionis habet modum relationis in hoc, quòd ipsa non fit per se primò, sed consequitur ad aliud. Sicut enim relatio non producitur per se, & propriè, sed comproducitur ad sui fundamenti productionem, ita vt vtroque extremo existente nequeat non sequi ipsa relatio, vt duobus albis in natura positis non potest non sequi in eis mutuæ similitudinis relatio: ita moralis entitas positis requisitis quasi fundamentis, & terminis ad eius existentiam, non potest
non resultare. Vnde videtur aduenire, & corrumpi abs- 81
que reali subiecti mutatione, sicut de relatione prædicamentali dicunt Methaphysici. Est exemplum. Siquis in die ieiunij propè mediam noctem futuri diei, carnes comedat temperatè, & earum comestionem vsque ad horam post mediam noctem continuando protrahat culpabiliter, non considerans quota sit hora noctis, tunc illa exterior actio manducationis carnium ante mediã noctem est bona, & studiosa moraliter, sed post mediam

mediam noctem redditur praua, & iniqua: & tamen nulla neque in operante, neque in ipsa actione interueniat perceptibilis mutatio. Ad eundem modum
82 dicendum est infinitatem dignitatis moralis non potuisse non sequi in gratia Christi, supposita ipsius gratiæ inhærentia in Christi humanitate: neque hanc moralem sequellam gratiæ postulare in Verbo supponitante naturam humanam, aliam actionem præter eam, qua tota Trinitas ipsam vnionem efficit, sicut sequella relationis prædicamentalis nulla alia indiget actione ab illa, qua producuntur proxima, & formalia extrema ipsius relationis. Quòd si humanitas dimitteretur à Verbo, nullâ potentiâ fieri posset, vt hæc moralis dignitatis infinitas remaneret in humanitate, quia sicut est intrinseca, & formalis habitudo inter fundamentum, & relationem: ita hæc moralis infinitas gratiæ habet intrinsecam & formalem dependentiam à Verbo humanitati personaliter vnito.

83 Ad argumentum ergo respondetur esse diuersam rationem de infinitate Physica modali gratiæ, & de infinitate morali dignitatis, quia modus Physicæ infinitatis, cùm esset entitas simpliciter absoluta, non posset consequi vnionem hypostaticam ad modum relationis, sed indigeret aliqua actione productiua ex parte Verbi, prout est humanum suppositum, quæ actio admitti non potest, quia suppositum, quatenus exequitur suppositi rationem, non est actiuum principium, sed terminus quasi formaliter complens, & terminans dependentiam naturæ. Et hoc maximè est verum in Verbo
84 Diuino, quoniam eius dignitati, & actualitati infinitæ repugnat, quòd aliquem effectum producat actione naturali, & necessaria. At verò infinitas dignitatis moralis, cùm per modum relationis consequatur, non exigit aliquam peculiarem actionem, neque repugnat, sed maximè decet ipsam Verbi dignitatem, quòd gratia ex reali coniunctione ad Verbum infinitam dignitatem sortiatur, & id quidem necessaria, & inimpedibili sequella: quæ moralis dignitas, vt iam diximus, est vera, & realis entitas, qua humanitas Christi realiter dignificatur, & perficitur. Reliquum est dissoluere argumenta contrariarum opinionum.

Argumenta primæ opinionis soluuntur. §. IX.

85 AD Primum igitur argumentum prioris sententiæ, negatur posse fieri gratiam actu infinitam in esse qualitatis, quia estò gratia possit in infinitum crescere; tota tamen latitudo gratiæ, quam Deus vt possibilem cognoscit, & comprehendit, non est vna aliqua certa gratia, sed sunt gratiæ in infinitum multiplicabiles, quarum vna potest esse intensior alia; sed nulla earum cognoscitur, quæ possit esse actu infinita. Similiter, quamuis cognoscatur, posse fieri additionem cuicumque gratiæ in infinitum, non tamen cognoscitur, posse illi fieri additionem simpliciter infinitam, sicut de quantitate continua, vel discreta est ne-
86 cessariò dicendum. Quòd si roges, de tota illa latitudine simul sumpta respectu eiusdem numero gratiæ, quia tunc si producatur, efficiet gratiam actu infinitam: respondetur, illam non esse Categorematicè, seu actu infinitam, sed Syncategorematicè, siue in potentia. Et ideò nequit tota simul actu conuenire in re ipsa alicui gratiæ; quia repugnat hoc rationi infiniti in potentia, & similiter, quia tota illa latitudo simul sumpta est quasi quid indeterminatum, quod vt sic cadere non potest sub actione, & intentione agentis.

Ad secundum respondetur, quacumque gratia data maiorem exigere Christum de potentia Dei absoluta, & attenta capacitate obedientiali naturæ humanæ, non autem de potentia ordinaria; & secundùm capacitatem supernaturalem eiusdem humanitatis: & iuxta hanc dicitur Christus gratia plenus. Itaque sicut in quolibet homine iusto, vt dicatur gratia plenus, non est attendenda capacitas naturalis, secundùm quam est in potentia obedientiali ad Deum, sed capacitas supernaturalis, quæ consistit in vocatione Dei, & in ordinatione ad aliquod munus supernaturale obeundum: sic etiam vt Christus dicatur plenus gratia, non debet attendi capacitas naturalis, vel ex parte humanitatis, vel ex parte vnionis hypostaticæ, sed capacitas supernaturalis, quæ consistit in ordinatione Dei ad munus supernaturale, & Diuinum exercendum: & hac supposita habet plenitudinem gratiæ. Etenim supposito, quòd ad supremum munus redemptionis humanæ naturæ, & iustificationis, & glorificationis creaturæ intellectualis ordinatus est Christus, debuit illi conferri summa, & excellentissima gratia: hoc est, maior, & ad plures effectus sufficeat, quàm omnibus alijs creaturis. Et hoc est, quod D. Thomas in hoc articulo asseruit, collatam scilicet fuisse Christo gratiam, secundùm mensuram, quam Deus præ definiuit, & ordinauit. 87 88

Ad tertium respondetur, gratiam habitualem Christi ordinari ad gratiam vnionis tanquam ad finem, non quidem tanquam ad finem effectum, sed tanquam ad finem efficientem: sicut creaturæ ordinantur in Deum, Et ideò quamuis finis sit infinitus simpliciter, nō oportet, vt media sint simpliciter infinita. Quòd enim in terra sit summa grauitas, quæ esse potest, ex eo quòd ad infimum locum ordinatur; inde prouenit, quòd grauitas attingat terram adæquatè. At verò gratia Christi habitualis non adæquatè attingit gratiam vnionis, ad quam ordinatur, sicut neque creaturæ attingunt Deum, ac proinde non oportuit, vt esset summa, quæ esse potest, sed sat est, vt esset summa, quæ debuit esse secundùm ordinationem Diuinam. An verò gratia oriatur ex vnione tanquam propria passio, disputabitur infra art. 13. huius quæstionis. 89

Ad quartum respondetur, gratiam Christi habitualem fuisse proximum, & immediatum principium formale omnis meriti, & satisfactionis Christi: sed sicut omnis satisfactio, & meritum Christi non fuit actu infinitum, sed fuit simpliciter infinitum secundùm moralem dignitatem in ratione meriti, & satisfactionis: sic de gratia dicendum est. 90

Pro solutione ad quintum argumentum aduertendum est, gratiam Christi habitualem posse considerari, & quatenus est comprehensoris, & quatenus est viatoris. Et quidem si priori modo consideretur, eadem est ratio de gratia Christi, & de gratia, & charitate cuiuscumque beati. Vnde gratia puri hominis in via nulla ratione potest in intensione pertingere ad gratiam Christi, prout est beatus, & comprehensor: nam iuxta D. Thomam 2. 2. q. 24. art. 6. Charitas viæ in tantum crescere non potest, vt attingat in intensione charitatem minimi beati in patria: & idem dicendum est de gratia 91

gratia Christi, qui est omnium beatorum maximus. Si verò sit sermo de gratia Christi, prout est viator præcisè, & non videns Deum, Caietanus in hoc articulo censet, gratiam viatoris non posse attingere in intensione gratiam Christi, prout viatoris simpliciter, non solùm de potentia Dei ordinaria, sed neque de potentia absoluta. Mouetur ad hoc asserendum ex D. Thoma ad tertium huius articuli, quia illa ratio non solùm videtur locum habere comparando gratiam puri hominis in via ad gratiam Christi, prout beati, sed etiam prout viatoris. Etenim tota ratio, propter quam D. Thomas dicit, gratiam puri hominis esse cum alijs incomparabilem, est, quia in Christo est vniuersaliter, in puro homine particulariter. Item etiam quia gratia Christi, prout est viator, est causa vniuersalis gratiæ aliorum hominum. Rursus, quia calor in aere nequit adhùc de potentia absoluta crescendo pertingere ad intensionem caloris ignis; ergo neque gratia puri hominis ad gratiam Christi. Item etiam, quia gratia Christi, & puri hominis comparantur sicut totum & pars; sed virtus partis vt sic nequit crescendo pertingere ad virtutem totius, vt totum est: ergo. Nihilominùs dicendum est, quòd licèt de potentia Dei ordinaria gratia puri hominis nō possit in intensione attingere gratiam Christi habitualem, prout est viator: benè tamen de potentia absoluta. Quòd si de morali gratiæ perfectione sit sermo, per nullam potentiam fieri potest, vt gratia puri hominis accedat ad moralem dignitatem gratiæ Christi. Et cùm hæc moralis perfectio, & dignitas non sit à ratione gratiæ extranea, sed eius naturæ valdè proportionata, absolutè dicendum est, gratiam puri hominis non posse ad gratiæ Christi perfectionem pertingere. Argumenta verò facta in fauorem Caietani nihil concludunt: nam primum desumptum ex ratione D. Thomæ tantùm probat de potentia Dei ordinaria. Quòd si extendatur ad potentiam absolutam, solùm probat de morali dignitate, vel quòd nullius hominis gratia possit ad Christi gratiam pertingere secundùm aliquam circunstantiam, quæ necessariò est in Christo, & in puro homine reperiri non potest: non tamen secundùm intensionem, de qua est sermo. Circunstantia autem est, quòd in Christo est vniuersaliter ex sua natura, idest, quòd Christus sit caput, & vniuersale principium totius gratiæ, & conueniat illi naturaliter. Cæterùm quòd purus homo sit tale principium secundùm quancumque intensionem gratiæ, non potest illi naturaliter conuenire, sed ex mera gratia, & misericordia.

96 Ad secundum respondetur, calorem, qui est in aere, nō posse naturaliter esse tantæ intensionis, quantæ est in igne, supernaturaliter verò, & de potentia absoluta posse esse maioris intensionis, ipso Deo conseruante.

97 Tertium similiter probat de potentia ordinaria, non de absoluta, secundùm quam non repugnat, gratiam purè hominis à Christo non deriuari. Vel quamuis ab ipso participetur, non repugnat esse tantæ intensionis, imò maioris, quàm in Christo, quod enim participatum sit maius principio, à quo participatur, solùm repugnat, quando principium est prima, & propria causa. Quando verò est instrumentalis duntaxat, non repugnat. Et quia humanitas Christi per gratiam habitualem est instrumentalis causa homines gratificandi, potest quidem de potentia Dei absoluta gratia puri hominis attingere intensionem gratiæ Christi, quamuis ab ipso deriuetur.

Soluuntur argumenta secundæ opinionis. §. X.

PRIMVM Argumentum secundæ sententiæ desumptum ex D. Thoma nihil concludit contra nostram sententiam, quæ est D. Thomæ, vt ostensum est in quarta conclusione. 98

Ad secundum concesso antecedenti negatur consequentia. Et quidquid sit de alijs formis, de gratia Christi censendum est, omni opere meritorio secluso propter suam dignitatem sibi deberi omnem possibilem intensionem, & acceptationem ad gloriam. Quòd si illi non tribuuntur istæ duæ perfectiones, prouenit ex impossibilitate facti, quia nequit esse actu producta omnis possibilis intensio gratiæ, neque omnis possibilis acceptatio ad gloriam. Itaque tanta est gratiæ Christi dignitas, & excellentia, vt nisi ex parte effectus repugnaret, & ipsa secundùm intensionem esset infinita, & effectus formalis illius similiter esset infinitus. Vnde tota gratiæ perfectio, quæ esse, & intelligi potest, comprehenditur sub infinitate moralis dignitatis gratiæ Christi; quæ tamen propter repugnantiam ex parte facti non se explicat in omnem perfectionem, & effectum nisi iuxta mensuram Diuina prouidentia dispositam. Quò fit, vt hæc dignitas, quæ gratiæ Christi in esse morali tribuitur, simpliciter sit infinita. Et licèt ab extrinseco desumatur, nempe, à Diuino Verbo, prout est humanum suppositum, intrinsecè tamen perficit gratiam, eamq; infinita morali perfectione dignificat. 99 100

Ad tertium respondetur eodem modo, quòd quantùm est ex parte gratiæ, anima Christi fuisset accepta ad infinitam gloriam, & infinitam visionem Dei; sed quia repugnat ex parte effectus, ideò non acceptatur nisi ad finitam gloriam, quæ quodammodò potest dici infinita, vt dicetur in responsione ad confirmationem septimi argumenti. Ex hoc autem non sequitur, gratiam Christi non esse simpliciter infinitam, quia licèt non se explicet in effectum infinitum, non est ex defectu sui, sed propter repugnantiam ex parte facti. 101

Ad quartum respondetur, quòd in infinito, quod est simpliciter infinitum in aliquo genere secundùm omnem rationem illius generis, verum est, extra infinitum non esse aliud accipere. V.G. Si daretur quantitas, quæ esset infinita secundùm omnem dimensionem latitudinis, longitudinis, & profunditatis, tunc extra illam non esset accipere aliam quantitatem. At verò in infinito, quod est infinitum in aliquo genere secundùm limitatam, & peculiarem rationem, illa propositio non habet verum. V. G. Si per impossibile daretur linea infinita, nullum esset inconueniens, quòd extra illam daretur alia linea finita, imò verò & infinita. Quare cùm gratia Christi non sit omnibus modis infinita simpliciter in genere gratiæ, nisi secundùm peculiarem rationem moralem, non est inconueniens, quòd extra gratiam Christi possit dari alia gratia, siue finita, qualis est gratia hominum, & Angelorum, siue infinita, qualis esset illa gratia, quam haberet Persona Patris, si fieret homo, vel Angelus. 102 103

Secundò respondetur, solutionem inter arguendum assignatam esse legitimam, & rationabilem. Et ad primam 104

primam replicam respondetur, gratiam Christi, quatenùs est infinita infinitate morali, esse alterius speciei à gratia nostra, quamuis in esse Physico, & entitatiuo sit eiusdem rationis, vt ostensum est articulo septimo huius quæstionis Disput. 2.

105 Ad secundam replicam respondetur, quòd in eo casu gratia Patris non præhaberetur in gratia Christi formaliter loquendo secundùm rationem moralis infinitatis, nam vtraque esset simpliciter infinita in esse gratiæ infinitate morali, atque adeò essent æqualis dignitatis, & perfectionis. Et cùm instat argumentũ, quòd tunc essent duæ gratiæ infinitæ in esse gratiæ, & repugnat dari duo infinita in vna, & eadem ratione: respondetur, quòd infinitas moralis vtriusque gratiæ, & Chris-
106 ti, & Patris, formaliter loquendo esset vna, & eadem infinitas, & materialiter duntaxat distinguerentur. Cuius ratio est, quia infinitas vtriusque gratiæ desumeretur ex vna, & eâdem infinitate, & perfectione Diuina. Etenim licèt Personalitas Verbi in ratione talis Personalitatis realiter distinguatur à Personalitate Patris, non tamen distinguitur ab illa in ratione infinitæ perfectionis absolutæ, sed illæ duæ personalitates sunt simpliciter vna, & eadem infinita perfectio. Infinitas autem gratiæ Christi sumitur ex Personalitate Verbi, vt est Personalitas infinitæ perfectionis. Et idem dicendum esset in illo casu de gratia Patris, atque adeò infinitas vtriusque gratiæ ex eâdem omninò infinitate Diuina dimanaret, & ex consequenti esset formaliter vna, & eadem infinitas.

107 Tertiò respondetur ad quartum argumentum, extra infinitum non esse accipere aliud, quod sit eiusdem rationis cum ipso infinito, quatenus infinitum est: sed posse bene accipi aliud, quod sit alterius rationis ab ipso infinito formaliter sumpto. Et quia gratia Christi, quatenùs est infinita in esse morali, est alterius rationis à gratia hominum, & Angelorum, ideò non repugnat infinitati gratiæ Christi, accipi extra illam Angelorum, & hominum gratiam.

108 Ad quintum & sextum patet responsio ex dictis, procedunt enim de perfectione gratiæ Physica, quæ vt diximus conclusione. 1. & 3. est finita. Est tamen aduertendum, hanc Physicam perfectionem, quæ consistit in intensione gratiæ, & in acceptatione ad gloriam, contineri intra virtutem infinitatis moralis, quæ est in habituali Christi gratia: quia vt supra ostensum est, ex vi huius habitualis gratiæ interuentu charitatis, & aliarum virtutum poterat mereri infinitam gloriam, si possibilis esset, & infinitam ipsius gratiæ intensionem, si ex parte facti non repugnaret.

109 Ad septimum respondetur, charitatem, & reliquas virtutes morales animæ Christi habere infinitatem quandam moralem in suo genere ex vnione ad Verbum, atque adeò esse simpliciter infinitas infinitate morali in proprijs rationibus: etenim charitas in ratione charitatis, & reliquæ virtutes ex reali coniunctione ad Diuinam Personam participant infinitam quandam dignitatem; quia reuera ordinantur etiam ad ipsam vnionem, vt sint quædam ornamenta, & bonæ disposi-
110 tiones Verbi Incarnati. Rursus etiam sunt principia infiniti meriti, nam iustitia, vel religio in Christo propter vnionem ad Verbum, habet vt sit perfecta iustitia respectu Dei, & perfecta gratitudo, seu gratiarum actio æqualis beneficijs acceptis. Hæc autem est infinita quædam dignitas talis virtutis: & similiter obedientia Christi, & humilitas, eòquòd sunt Verbi Dei, inæstimabilem quandam recipiunt dignitatem; nam quod in ipsis operationibus intelligimus, proportionabiliter debet accõmodari ipsis virtutibus, & eadem est ratio de reliquis omnibus.

Sed obijcitur. Ergo eâdem ratione omnia acciden- 111
tia humanitatis Christi ratione vnionis ad Verbum, habent aliquam infinitatem. Respondetur, omnia accidentia, quatenùs sunt aliquo modo coniuncta Verbo, quandam inde habere singularem dignitatem, ratione cuius sunt maxima veneratione tractanda, quæ quidem dignitas dicitur suo modo infinita. Sed hæc in omnibus accidentibus non pertinet ad dignitatem moralem, quæ ad meritum conducit, & ad moralem valorem honestarum operationum, quia non omnia sunt capacia huius valoris, sed tantùm ipsæ operationes liberæ, aut earum principia, quatenùs talia sunt.

Ad argumentum ergo negatur antecedens, & ad pro- 112
bationem dicitur, quod licèt actus charitatis sit finitus, quia repugnat dari actum intensiuè infinitum in creatis, hoc tamen non obstat, quominùs charitas in ratione charitatis sit infinita, vt dictum est de gratia Christi, cuius tanta est dignitas, vt nisi ex parte effectus repugnaret, & ipsa secundùm intensionem esset infinita. Et similiter virtutes morales, & charitas, quæ ex ipsa effluunt, & dimanant, in esse virtutum essent intensiuè infinitæ, & infinitorum actuum, quantùm est de se, elicitiuæ.

Ad confirmationem respondetur, visionem beatifi- 113
cam animæ Christi, licèt entitatiuè, & Physicè sit finita, participare tamen quandam infinitatem moralem, prout disponit animam Christi ad vnionem cum Verbo: quæ licèt ab extrinseco sumatur, illam tamen formaliter perficit non solùm in ratione entis, verùm etiam in ratione visionis. Sed quidquid sit de visione beata animæ Christi, de eius charitate philosophandum est sicuti de gratia, vt dictum est. Et similiter patet responsio ad secundam confirmationem: etenim charitas nequit in actum dilectionis infinitum exire, quia repugnat ex parte facti, non ex defectu virtutis charitatis.

Ad octauum negatur antecedens, & ad probationem 114
respondetur, infinitatem meriti, & satisfactionis Christi reduci quidem ad suppositum Diuinum, & tanquam ad primam, & principalem radicem, & tanquam ad proximam, & immediatam causam, propter quam gratia Christi induta infinitam dignitatem moralem, ratione cuius dicitur esse principium infiniti meriti. Vnde hæc propositio, Christus, inquantùm homo, est infinitè gratus habituali gratia, est vera, quamuis inconsideratè negetur à Medina in hoc articulo, quia effectus formalis debet suæ formæ proportionari. Quare cùm gratia habitualis Christi sit forma in esse gratiæ infinita secundùm ordinem moralem, necessariò dicendum est, Christum vt hominem, esse infinitè gratum per gratiam habitualem, & similiter acceptum ad gloriam habitualiter.

Ad nonum respondetur, gratiam Christi habitualem 115
esse dispositionem concomitantem vnionem hypostaticam, vt dicetur art. 13. sequenti, & vt sic conuenire

illi

illi hanc infinitatem moralem, quæ licèt sumatur ab extrinseco, nempe, à Diuino Verbo, est tamen intrinseca ipsi gratiæ, & illam intrinsecè perficit, & infinita morali perfectione dignificat. Neque est eadem ratio de humanitate assumpta, atque de gratia, nam perfectio, qua anima Christi perficitur, & dignificatur ex vnione ad Verbum, est illi extrinseca, & ipsam in ratione humanitatis non perficit, quoniam humanitas
116 Christi, etsi ex vnione ad Verbum quandam induat infinitam dignitatem in esse morali realem, non tamen constituitur infinita in ratione humanitatis, quia hæc infinita dignitas non pertinet ad essentialia humanitatis principia. At verò gratia per illam dignitatem, quam attingit in Christo, prout disponit ad vnionem hypostaticam, verè dignificatur, & perficitur in ratione gratiæ: nam proprium est ipsi gratiæ perficere subiectum, & disponere ad vnionem cum Deo, non solùm secundùm operationem, sed maximè secundùm esse. Vnde negandum est, hanc dignitatem esse extrinsecam gratiæ, sicut est extrinseca humanitati.

117 Ad confirmationem respondetur, quòd sicut visio beatifica Physicè, & entitatiuè non est simpliciter infinita; ita similiter gratia, vt dictum est. Sed est aduertendum, quòd licet gratia secundùm suam entitatem sit proportionata, & conueniens dispositio ad vnionem Verbi cum humanitate, quia est eiusdem ordinis cum ipso Verbo; non tamen est dispositio adæquata secundùm suam entitatem præcisè sumptam, & ideò in ratione dispositionis non habet infinitatem simpliciter, entitatiuè, & Physicè. Tertia opinio iam refutata est Conclusione secunda.

Soluuntur argumenta quartæ opinionis. §.XI.

118 QVARTA Sententia, quatenus ponit gratiam Christi esse infinitam secundùm quandam acceptationem extrinsecam, iam supra confutata est conclusione secunda. Illud autem primum huius opinionis consectarium, quòd gratia in ratione gratiæ, & in ratione qualitatis, & habitus non semper sit æqualis in via, falsum est, quia de lege ordinaria nemo est gratus Deo nisi per qualitatem inhærentem, tanquam per causam formalem: ergo esse gratum vt duo, V. G. prouenit à qualitate gratiæ; vt duo, & esse magis gratum prouenit ab intensiori, & perfec-
119 tiori qualitate gratiæ. Etenim hoc, quod est, gratum esse Deo, est effectus formalis huius qualitatis, ita vt implicet contradictionem, esse aliquem formaliter gratum sine ista qualitate: ergo impossibile etiam est, esse magis gratum sine intensiori qualitate. Secundò probatur. Qualificare conuenit gratiæ ex parte generis, constituere autem gratum ex parte vltimæ differentiæ, sed implicat esse vltimam differentiam alicuius speciei sine genere: ergo implicat, aliquem esse gratum, quæ est vltima differentia huius qualitatis, quæ est gratia, quin etiam sit qualificatus, quod est genus illius: atque adeò esse magis gratum infert esse magis qualificatum, iuxta illud commune proloquium, sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis.

120 Secundum corollarium prædictæ sententiæ tangit illam difficultatem de augmento gratiæ, quæ non est huius loci. Resolutio est, gratiam dispositiuè & connaturaliter non augeri nisi solùm per actus intensiores; meritoriè autem per quemcumque actum etiam remissum. Et quotiescumque augetur in esse gratiæ, augetur etiam in esse qualitatis secundùm totam latitudinem meriti, & valoris actus meritorij, siue sit intensus, siue remissus, ita vt si actus sit meritorius, vt quatuor, augeatur gratia per ipsum vt quatuor. Hoc supposito respondetur ad argumenta quartæ opinionis.

Ad primum dicitur, effectum formalem, & proprium 121
gratiæ habitualis in ratione gratiæ non esse quomodocumque facere hominem Deo gratum, acceptumq; & ordinatum ad vitam æternam: quia fieri potest, vt absque aliquo habitu, sed per actum duntaxat, imò absque aliquo intrinseco, sed tantùm per solam Dei ordinationem ab æterno in ipso existentem sit aliquis acceptus, & ordinatus ad gloriam. Sed proprius, & formalis effectus gratiæ habitualis est, facere hominem consortem Diuinæ naturæ, acceptum, & ordinatum ad
gloriam habitualiter: ideò illa acceptatio, quæ est pro- 122
prios, & formalis effectus gratiæ, nequit esse extrinseca denominatio, sed necessariò debet esse intrinseca, ac proinde semper est æqualis ipsi habitui, neque potest crescere habitu non crescente. Vnde exemplum de numismate, quo frequenter vtitur M. Soto in hac re, non est ad propositum, quia valor pretij numismatis sic ab ordinatione Regis dependet, vt non sit de ratione materiæ, in qua reperitur, quia potest rex pro suo libito illud in quacumque materia taxare, etiam non pretiosa ex sua natura. Cæterùm hæc habitualis acceptatio est adeò intrinsecus, & naturalis effectus gratiæ habitualis, vt non magis ab ea valeat separari, quàm ratio habitus, ac proinde repugnat, hanc habitualem acceptationem formaliter crescere, quin simul habitus ipse crescat.

Ad secundum respondetur, diuersam esse rationem 123
de habituali acceptatione respectu gratiæ, & de similitudine respectu albedinis, quia similitudo est effectus extrinsecus albedinis, cùm albedo possit esse absque similitudine. At verò acceptatio habitualis est effectus formalis & intrinsecus gratiæ habitualis, & ab illa omninò inseparabilis, atque adeò semper se consequuntur in augmento, & æqualitate.

M. Medina 1.2. q. 110. art. 4. docet, reddere gratum, 124
& acceptum Deo, esse effectum formalem gratiæ, secundarium tamen, & ideò posse à gratia separari, & absque illa inueniri. Et constituit exemplum. Siquis enim esset similis alteri in albedine, cuius similitudinis causa formalis est albedo, si vnus eorum moriatur, iam desinit esse similitudo, & manet albedo, atque ita separatur effectus formalis à forma. Item quòd materia existat, est effectus formalis formæ, extrinsecus tamen, & secundarius, & secundùm quorundam opinionem potest materia sine forma existere de potentia Dei absoluta. Item effectus formalis quantitatis est distinguere partem extra partem in substantia corporea, & nihilominus si Deus separaret quantitatem ab homine, adhuc vna pars substantiæ esset extra aliam partem substantialiter, licèt non quantitatiuè.

Cæterùm nostra sententia est verissima, quia effectus 125
formalis nequit separari à forma, cùm Deus effectum

causæ formalis supplere non possit. Neque exempla adducta à M. Medina conuincunt intentum: nulla enim ratione dici potest, albedinem formaliter facere simile, nam similitudo est formaliter relatio, & vnitas in albedine est proximum fundamentum similitudinis, albedo autem remotum: quoniam relatio non fundatur in qualitate præcisè, imò verò similitudo potest esse inter duo nigra, & inter duas figuras. Quare cùm gratia sit vera qualitas, necessum est illi assignare effectum formalem absolutum, licèt fortassis possit esse relatiuum secundùm dici, sicut scientia.

126 Secundum exemplum de existentia materiæ supponit opinionem contrariam sententiæ D. Thomæ, nempe, quòd materia possit existere sine forma. Sed admissa veritate exempli, non est simile cum gratia: quia effectus absolutus gratiæ est primarius, nempe, hominem esse consortem Diuinæ naturæ, & acceptum ad gloriam habitualiter: alter verò, qui est relatio, videlicet, esse gratum, debet habere fundamentum reale intrinsecum, aliàs esset relatio rationis, quæ nullo modo est

127 formalis effectus gratiæ. Item exemplum de quantitate non satisfacit, quia effectus formalis quantitatis continuæ est distinguere partes substantiæ corporeæ continuatæ, ita vt pars sit extra partem. Extendere autem partes substantiæ in ordine ad locum dicitur à Methaphysicis effectus secundarius. Et ideò in Eucharistia quantitas corporis Christi est illic distinguens partes extra partes formaliter respectu totius, non tamen illas

128 commensurans respectu loci. Neque enim est illic tanquam in loco, neque quantitas est ratio existendi illic, sed concomitanter est in Sacramento ratione substantiæ corporis Christi, in quam panis transsubstantiatur. Item etiam non est simile, quia gratia habet aliquem effectum per se primarium formaliter intrinsecum huic qualitati, qui per nullam potentiam potest suppleri, & ille est consortium Diuinæ naturæ, & acceptatio ad gloriam habitualiter.

129 Postremò circa hunc articulum aduertit Caietanus, cùm ait D. Thomas, Christum esse vniuersale principium gratificandi in natura humana, illam limitationem, In naturâ humana, positam esse à D. Thoma ad ostendendam tantùm necessitatem Incarnationis, non autem ad limitandam gratiam in ratione principij. Quasi velit dicere, quòd licèt ex peccato hominis tanquam ex occasione Verbum caro factum sit, cum hoc tamen stat, vt gratia Christi extendatur non solùm ad

130 gratificandos homines, sed etiam Angelos. Existimo tamen, illam particulam non esse limitationem, sed specificationem principij, quasi velit dicere D. Thomas, in hoc differre Christum à Patre, & Spiritu Sancto in ratione principij gratificandi homines, & Angelos, quòd illi tantùm sunt principium in Natura Diuina, Christus verò in Diuina, & in humana; hoc est, quòd Christus non solùm vt Deus, sed etiam vt homo, Pater autem & Spiritus Sanctus duntaxat vt Deus.

ARTICVLVS. XII.

Vtrùm gratia Christi potuerit augeri.

SVPPONIT D. Thomas, *ex duplici capite prouenire, quòd aliqua forma non possit augeri, vel ex parte subiecti, quod attingit vltimum gradum illius secundùm suum modum, vt si aer haberet vltimum gradum caloris, qui potest esse in eius natura, tametsi possit esse maior calor in rerum natura, vt calor ignis. Vel ex parte formæ, cùm subiectum attingit vltimam perfectionem, quam potest illa forma habere in natura, vt si dicamus, calorem ignis non posse augeri, quia non potest dari maior. Et idem dicendum est de gratia, cùm omnia facta sint in mensura. Hoc præmisso est Prima Conclusio.* Gratia Christi non potest augeri ex parte ipsius gratiæ, neque ex parte subiecti. *Prima pars conclusionis probatur in argumento sed contra ex illo Ioan. 1.* Vidimus eum quasi Vnigenitum à Patre, plenum gratiæ, & veritatis. *Sed nihil potest esse, aut intelligi maius quàm quòd quis sit Vnigenitus à Patre; ergo neque maior gratia, quàm illa, qua Christus fuit plenus. Deinde in corpore. Non potest esse maior vnio creaturæ cum Deo, quàm quæ est in Persona; ergo gratia Christi venit ad summam mensuram. Consequentia patet: quia mensura formæ præfigitur per comparationem ad suum finem, sicut non est maior grauitas, quàm grauitas terræ, quia nequit esse inferior locus loco terræ: sed finis gratiæ est vnio creaturæ rationalis ad Deum, & in Christo illa gratia fuit ordinata ad vnionem, quæ vnio est summa, quæ in creatura reperiri potest; ergo & illa gratia habuit in Christo summum gradum, quem habere potest secundùm Diuinæ sapientiæ mensuram, & legem. Secunda pars conclusionis probatur; quia Christus ab instanti suæ conceptionis fuit verus, & plenus comprehensor: ergo in eo non potest augeri gratia, sicuti neque in beatis, cùm sint in termino.*

Secunda Conclusio. Gratia puri viatoris potest augeri & ex parte formæ, quia non attingit summum gradum, & ex parte subiecti, quia non est in termino.

Primum argumentum D. Thomæ est. Omni finito potest fieri additio: sed gratia Christi est finita, vt ostensum est articulo præcedenti: ergo potuit augeri. Respondet, quantitati mathematicæ posse fieri additionem, quia ex parte quantitatis finitæ nihil repugnat additioni: at verò quantitati naturali nullam posse fieri additionem; quia repugnat ex parte formæ, cui

cui debetur certa quantitas, sicut & alia determinata accidentia: iuxta illud Aristotelis lib. 2. de Anima Text. 41. Omnium natura constantium est terminus; & ratiõ magnitudinis, & augmenti: quare sicut quantitati totius cæli non potest fieri additio: ita magis debetur terminus formis; ac proinde gratiæ Christi additio fieri non potest, quamuis secundùm essentiam sit finita.

Secundum est. Augmentum gratiæ fit Diuina virtute, iuxta illud. 2. ad Corint. 9. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: sed virtus Diuina nullo termino coarctatur, cùm sit infinita: ergo potuit augere gratiam Christi. Respondet, quòd licèt virtus Diuina possit facere aliquid maius, & melius, quàm sit habitualis gratia Christi; non tamen efficere potest, quòd ordinetur ad aliquid maius, quam sit vnio personali ad Filium vnigenitum à Patre, cui vnioni sufficienter correspondet talis mẽsura gratiæ iuxta definitionem Diuinæ sapientiæ.

Tertium est. Puer Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines vt dicitur Lucæ. 2. Ergo gratia Christi potuit augeri. Respondet, in sapientia, & gratia posse aliquem dupliciter proficere. Vno modo secundùm ipsos habitus sapiẽtiæ, & gratiæ auctos, et sic Christus in eis nõ proficiebat. Alio modo secundùm effectus, prout quis sapientiora, & virtuosiora opera facit; & sic Christus proficiebat sapientia, et gratia, sicuti et ætate: nam secundùm processum ætatis opera perfectiora faciebat, vt se verum hominem demonstraret in his, quæ sunt ad Deum, & ad homines.

Commentarius.

1 QVAESTIO Huius articuli est celebris inter Theologos. Intellecta autem Conclusio de potentia Dei ordinaria, est communis omnium Theologorum consensus. Cum Magistro in. 3. d. 13. Supposito enim quòd intensiuè sit finita, vt articulo præcedenti probatum est, saluari non possunt, quę de illa in Sancta Scriptura dicuntur, nisi ponatur summa, & inaugmentabilis secundùm legem Dei ordinariam: nam Ioan. 1. dicitur Christus plenus gratiæ, & veritatis. Et Ioan. 3. Non esse illi datum spiritum ad mensuram. Quæ loca vel de infinitate gratiæ intensiua sunt intelligenda, quod repugnat, vel de ea plenitudine, & consummatione, quæ maior esse non potest secundùm potentiam Dei ordinariam, quod est verum, vt eleganter ostendunt rationes D. Thomæ. Tota ergo
2 difficultas huius conclusionis est, si intelligatur de potentia Dei absoluta. Et quamuis hæc quæstio possit de omni qualitate gratiæ disputari, sicut à Theologis versatur apud Magistrum in. 1. d. 17. Nobis tamen in hoc loco tanquam huic rei proprio disputandũ est de gratia. Et quia gratia, & charitas æquales sunt semper in eodem subiecto; ideò sermo extendendus est ad charitatem. Et ita legendi sunt interpretes D. Thomæ. 2.2. q. 24. art. 7. M. Zumel. 1. p. q. 95. art. 4. Disp. 1. & 1.2. q. 114. art. 8. Disput. 2. 3. & 4. est igitur Disputatio.

DISPVTATIO VNICA. §. I.

VTRVM Habitus gratię, & charitatis fuerit in Christo summus, quo maior esse non posit de potentia absoluta. Pro tituli intelligentia aduertendum est, hanc quæstionẽ posse habere duplicem sensum ex parte illius termini, Summus. Vnus est, si sumatur affirmatiuè: hoc est, An aliquis istorũ habituũ sit maior omnibus possibilibus de potentia Dei absoluta, in quo sensu non procedit quæstio, quia certum est, neque gratiam, neque charitatem Christi fuisse hoc modo summam, cùm constet, Patrem, vel Spiritum Sanctum imò ipsum Filium posse assumere aliam naturam humanam, vel Angelicam cum æquali gratia, & charitate, quæ fuit in humanitate Christi. Quæstio igitur procedit tantùm negatiuè, idest, quòd alia gratia, vel charitas maior esse non possit, quamuis ipse habitus non sit maior omnibus alijs. Affirmatio bis argumentis probatur, 1

Primò. Authoritate D. Thomæ in hoc articulo asserentis, gratiam Christi neque ex parte subiecti, neque ex parte ipsius gratiæ posse augeri. Et art. 9. præcedẽti loquens de intensione gratiæ Christi asserit, esse in summo, & perfectissimo gradu, quo maior esse non potest. Et articulo decimo ait, gratiam, & secundùm essentiam, & secundùm virtutem esse summam in Christo, ita vt augeri non valeat. Perfectio autem gratiæ secundùm essentiam compræhendit ex mente D. Thomæ ibidem perfectionem intensiuam ipsius gratiæ. Et in hoc articulo in argumento sed contra affirmat, nullam gratiam posse esse, neque intelligi maiorem, quàm sit gratia Christi. Et in corpore ait, gratiam Christi esse summam, quæ esse potest, ex eo quòd ordinatur tanquam in finem in gratiam vnionis, qua nulla esse potest maior de potentia Dei absoluta. Ex quibus tale conficitur argumentum. Gratia habitualis Christi est proportionata & fini, in quem ordinatur, & subiecto, in quo recipitur; sed subiectum, & finis ampliùs crescere non possunt de potentia Dei absoluta; ergo neque gratia habitualis Christi. 2

Confirmatur, quia semper D. Thomas loquitur eodem modo de gratia Christi secundùm intensionem, & secundùm extensionem; sed de potentia Dei absoluta gratia non potest ampliùs extendi, hoc est, ad plura subiecta gratificanda, vel ad plures effectus gratiæ producendos, quàm extenditur in Christo; ergo neque potest esse maior intensiuè gratia Christi etiam de potentia Dei absoluta. 3

Secundò. Quia aliàs sequeretur, dari actu infinitum in rerum natura. Patet Sequella, quia si non est dabilis summa gratia, quæ esse potest de potentia Dei absoluta, sed potest fieri maior, & maior in infinitum; ergo datur infinita distantia inter primam gratiam; & aliam. Patet consequentia; quia aliàs augmentatio non posset crescere in infinitum, sed infinita 4

distantia non potest esse, nisi illa gratia, quæ infinitè distat à prima sit actu infinita: ergo, &c.

6 Tertiò ex Aristotele. 9. Methaphysi. Cuiuscumque rei est potentia, est etiam actus; ergo si non datur summa gratia de potentia Dei absoluta, sed potest crescere in infinitum, iam illius potentiæ dabitur aliquis actus iste autem actus nullus esse potest nisi gratia actu infinita. Ergo.

7 Quartò. Omnis gratia producibilis à Deo, cognoscitur à Deo; ergo dabitur vel infinita actu, quod repugnat, vel danda est summa, qua maior esse non possit de potentia Dei absoluta. Patet consequentia, quia infinita in potentia non est actu cognoscibilis.

8 Quintò. Gratia ex sua natura habet terminum intensionis, vltra quem per nullam potentiam potest augeri; sed Christo propter suam dignitatem debetur gratia secundùm omnem possibilem intensionis gradum: ergo de facto Christus recepit gratiam in summo gradu intensionis, vltra quem nequit fieri progressus. Maior est expressa sententia Diui Thomæ in hoc articulo dicentis, quòd sicut omnes formæ naturales habent terminum suæ perfectionis, vltra quem progredi non possunt, ita & gratiæ determinatus est proprius intensionis, & perfectionis terminus,
9 vltra quem non suscipit augmentum. Et confirmat D. Thomas hanc doctrinam ex illo Sapient. 11. Omnia in pondere, numero, & mensura disposuisti. Sed probatur ratione eadem maior: quia omnis creatura, ea eo quòd est creatura, habet limitatam, & finitam perfectionem, infinita enim perfectio repugnat creaturæ: ergo gratia quatenus est creatura, ex sua natura determinatur ad certum intensionis, & perfectionis gradum.

10 Sextò. Si gratia ex sua natura non habet terminum intensionis, & perfectionis determinatum, maximè quia est participatio Diuinæ Naturæ infinitæ, atque à Deo ipsa gratia habet infinitatem intrinsecam: sed hoc non obstat; ergo, Probatur minor. Quilibet gradus gratiæ est participium totius Naturæ Diuinæ infinitæ, non enim vnus gradus gratiæ est participatio vnius Diuinæ perfectionis, & alius gradus alterius perfectionis, sed quilibet gradus retinens essentiam gratiæ est participatio ipsius Naturæ Diuinæ, atque adeò quilibet gradus gratiæ totam Dei naturam participat; ergo non crescit participatio Diuinæ Naturæ secundùm maiorem intensionem gratiæ, & ex consequenti infinitas gratiæ nequit ex eo sumi, quòd Natura Diuina est infinita, & infinitè participabilis.

11 Sed dicetur forsan. Quamuis quilibet gradus gratiæ totam Naturam Diuinam participet, non tamen totaliter, sicut quicumque vident Deum videt totum Deum, non tamen videt totaliter, & ex ea parte potest crescere gratia, sicut potest crescere quæcumque creata Dei visio, quia magis ac magis potest per gratiam natura Dei participari. Sed contra. Intensio gratiæ non fit per additionem noui gradus, sed per maiorem radicationem in subiecto, vt docet D. Thom. 1.2.q.54.& 2.2. q 24. Ergo maior intensio gratiæ non est participatio Diuinæ Naturæ, sed est eademmet participatio magis firmata & radicata in anima, sicut est edemmet gradus gratiæ magis radicatus in animæ essentia.

Septimò. Susceptiuum qualitatis recipientis latitu- 12
dinem gradualem, cui à natura non est determinatus certus gradus intensionis, potest illam qualitatem quantouis gradu intensionis recipere, etenim licèt calor naturæ aquæ non repugnet, cùm aqua sit caloris receptiua: non tamen potest quantumcumque calorem recipere, sed præscriptus est certus gradus caloris, quē salua sua natura recipere potest, adeo vt si intensiorem reciperet, iam desineret esse, sed anima Christi est susceptiua gratiæ habentis latitudinem gradualem, neque est illi determinatus certus gradus intensionis, quē recipiat; ergo potuit gratiam quantouis intensionis gradu recipere, & ex consequenti de facto recepit. Probatur vltima consequentia ex D. Augustino lib. 3. de Libero Arbitrio dicente, Deum id omne, quod est rationi conforme, fecisse potiùs, quàm non fecisse; sed est magis rationi consentaneum, Deum animæ Christi summam gratiam creabilem contulisse, quàm non tribuisse: ergo de facto dedit.

Confirmatur primò. Anima Christi eleuata est ad 13
summam vnionem possibilem cum Deo quò ad esse, quæ posita est in vnione hypostatica, ergo similiter euecta est ad summam vnionem, quoad operari. Sed hæc summa vnio consistit in summo habitu gratiæ, ergo data est Christo summa gratia creabilis, ac proinde gratia Christi augeri non potuit.

Confirmatur secundò. Quantamcumque gratiam 14
Deus potest creare, tantam potest actu ponere; possibili enim posito in esse, nullum sequitur inconueniēs. Ponatur ergo in esse illa gratia; aut igitur illa est finita, vel infinita. Sed non potest esse infinita; ergo est finita, & ex consequenti maior, & intensior creari non potest. Consequentia probatur: nam si intensior, & perfectior creari potest, iam non est posita in esse quantacumque potuit creari.

Octauò. Deus habet totam suam virtutem simul, 15
sicut & totam suam scientiam; ergo quidquid potest successiuè efficere, potest etiam simul facere. Sed potest successiuè, qualitatem intensibilem in infinitum intendere: ergo simul potest hoc efficere, præsertim cùm id susceptiuo non repugnet. Cùm ergo gratia successiuè possit in infinitum intendi, potest Deus illud simul efficere, ac proinde actu ponere gratiam infinitā, & ex cōsequenti non erit augmentabilis.

Confirmatur primò. Processus in infinitum ne- 16
quit dari in ordine ad formam, vt dicit Commentator. 3. Physicorum Text. 60. Quia omnis forma est intra genus, & differentiam, & sic habet limitem: sed processus in augmento gratiæ est ad formam:
ergo datur in illo status. 17

Confirmatur secundò. Potentia ad entitatem permanentem, & perfectam est reducibilis ad actum: sed potentia, quæ est in anima ad gratiam, est reducibilis: ergo potest ad actum reduci. Ergo si potest in infinitum augeri, erit dabilis gratia infinita in actu.

Confirmatur tertiò: quia ex Aristotele. 8. Physicor. 18
nullus motus alterationis potest esse infinitus: sed motus intensionis, & remissionis est motus alterationis: ergo &c. At per gratiæ augmentum alteratur anima: ergo in tali augmentu est status.

Confir-

19 Confirmatur quartò: quia in omni forma recipiente magis & minus, datur terminus in minimo ex ipsa natura formæ, ergo similiter est dare terminum in maximo: sed gratia recipit magis & minus; ergo sicut habet terminum in minimo, sic etiam habet terminum in maximo.

Referuntur opiniones. §. II.

20 PRO Decisione huius difficultatis aduertendum est ex triplici capite posse prouenire, quòd aliqua forma habeat terminum magnitudinis intensiuè, aut extensiuè. Primo ex principio effectiuo, quoniam ex determinata virtute agentis determinantur etiam gradus formæ productæ: etenim calidum vt quatuor non potest calorem vt sex producere, & ignis determinatæ magnitudinis non potest habere calorem nisi secundùm certam, & determinatam distantiam, & extensionem ipsius spatij intra sphæram suæ actiuitatis.

21 Secundò ex propria, & intrinseca ratione ipsius formæ, sicut omnes formæ viuentium vendicant sibi ex propria ratione certum magnitudinis, & paruitatis terminum, & quælibet forma naturalis intensibilis, & remissibilis vendicat sibi ex propria natura certum intensionis, & extensionis terminum, siue intrinsecum, siue extrinsecum, vltra quem non est progressus. Tertiò ex potentia receptiua subiecti, quæ apta nata est suscipere formam in tali gradu intensionis, & non in maiori.

22 Hoc supposito: Est prima sententia asserens gratiam Christi esse intensiuè summam, ita vt maior esse non posit etiam de potentia Dei absoluta. Quidam Theologi sic defendunt hanc opinionem, quòd gratia ex sua natura nullum habet terminum, sed potest in infinitum crescere secundùm intensionem. At verò potentia obedientialis, & capacitas, quæ est in anima ad suscipiendam gratiam, est finita, & intrinsecè determinata, ita vt de potentia Dei absoluta augeri non valeat. Vnde inferunt, gratiam Christi ex parte ipsius gratiæ non esse summam, ex parte tamen subiecti esse in summo intensionis gradu, ita vt etiam de potentia Dei absoluta intensior fieri non possit, eoquòd anima Christi accepit gratiam adimplentem totam capacitatem, & potentiam obedientialem ipsius animæ. Sic docet Albertus Magnus in 3. distinc. 13. Gabriel eadem distinctione quæst. vltima artic. 2. conclus. 2. Durandus ibidem quæst. 1. Et eandem indicant Richardus eadem distinctione quæst. 2. artic. 2. ad 1. & Bonauentura artic. 1. quæst. 2.

23 Alij verò Theologi sic intelligunt istam sententiam, quòd gratia Christi ex parte ipsius gratiæ est summa, ita vt maior esse non posit neque in Christo, neque in alio subiecto etiam de potentia absoluta, quoniam gratia fuit collata Christo secundùm omnem illam intensionem, cuius ipsa gratia est capax: quæ quidem gratia ex sua natura, & ab intrinseco postulat determinatum gradum intensionis, vltra quem augeri non potest. Sic docet Caietanus in hoc articulo, & apertiùs 2. 2. quæst. 24. artic. 7. Scotus in. 3. distinc. 13. Durandus in 1. distin. 17. quæst. 9. Fundamentum autem Caietani est primum argumentum ex propositis, Scoti verò sunt ferè omnia alia argumenta.

24 Secunda sententia est aliorum, qui dicunt, gratiam Christi de potentia Dei ordinaria esse summam, posse tamen de potentia absoluta in infinitum augeri intensiuè, & extensiuè, cùm ex sua natura nullum habeat terminum. Sed quia capacitas, & potentia obedientialis animæ ex sua natura est finita, & limitata, ideò secundùm naturam ipsius potentiæ & capacitatis determinatus est gradus gratiæ, qui in anima suscipi potest. Et in hoc gradu collocatur gratia animæ Christi. Sicut autem potest de potentia Dei absoluta crescere capacitas, & potentia obedientialis ad gratiam suscipiendam; sic etiam potest crescere ipsa Christi gratia. Sic docet Marsilius in. 3. quæst. 10. Gabriel loco citato, & in. 1. distinct. 17. quæst. vltima, & Gregorius in. 3. distinct. 17. quæst. 2. in eandem sententiam propendit. Et Driedo lib. de Captiuitate generis humani tractatu. 2. art. 6. sent. 8. videtur esse eiusdem opinionis. Alij verò Theologi sic intelligunt secundam opinionem, quòd gratia ex sua natura, sicus omnes aliæ formæ, est determinata ad certum gradum intensionis, in quo gradu ipsam accepit anima Christi. Sed de potentia Dei absoluta potest gratia ampliùs intendi, atque adeò gratia Christi augeri. Sic Capreolus in. 3. distinctione. 13. quæst. Vnica, quem sequuntur nonnulli Thomistæ. Nihilominus ad explicandam sententiam D. Thomæ sit Prima Conclusio.

Prima Conclusio. §. III.

25 GRATIA Nullum habet terminum intensionis, neque ex parte principij effectiui, neque ex propria, & intrinseca sua ratione specifica, neque ex parte potentiæ receptiuæ, sed est infinita Syncategorematicè, ita vt quocumque gradu intensionis assignato, natura sua ampliùs apta nata sit intendi. Hæc conclusio est communis Thomistarum, quam colligũt ex D. Thoma 2. 2. q. 24. art. 7. Vbi idem ferè docet de charitate: eadem enim est ratio de charitate, & gratia, imò in gratia videtur esse potior, quia est simpliciter perfectior charitate, & illam præhabet tanquam in radice intra suam essentiam, sicut natura substantialis continet proprias passiones. Probatur autem conclusio. Et primò, quòd ex parte efficientis gratia nullum habeat terminum intensionis, euidens est, quia gratia per se loquendo à solo Deo producitur immediatè, tanquam ab agente principali; sed Deus est infinitæ virtutis, ergo ex hac parte nullus potest assignari terminus intensionis.

26 Confirmatur. Calor V. G. & aliæ formæ, & qualitates naturales ex eo habent suapte natura certum terminum intensionis, quia per se loquendo procedunt ex aliqua substantia creata virtutis finitæ & limitatæ; sed gratia non potest procedere, etiam de potentia Dei absoluta ex aliqua substantia creata, & fieri tanquam proprietas eius naturalis; ergo ex parte principij effectiui non habet terminum intensionis.

27 Sed obijcitur. Deus est immediatum principium efficiens Angeli, & animæ rationalis, & tamen Angelus, & anima habent terminum intrinsecum suæ perfectionis; ergo ob id, quòd gratia immediatè efficiatur à Deo, tanquam à principali agente, nõ rectè colligitur, quod careat termino intensionis. Respõdetur Angelũ, animam, & alias

& alias creaturas immediatè productas à Deo non habere terminum suæ perfectionis formaliter, & per se loquendo ex parte Ipsius efficientis, sed habere illum ex propria, & intrinseca ratione specifica, quæ certum postulat modum essendi limitatum ad talem, & talem gradum entis.

28 Quòd verò gratia non habeat terminum intensionis ex propria & intrinseca sua ratione specifica, probatur. Gratia est forma ordinis infiniti, & est participatio infinitæ naturæ Dei, ita quòd eius essentia posita est in hoc, vt sit participium ipsius naturæ Dei, sed Diuina essentia, cùm sit infinita, est infinitè participabilis: ergo gratia ex propria, & formali sui ratione nullum habet terminum intensionis, sed potest in infinitum secundùm intensionem augeri.

29 Confirmatur. Charitas ex propria, & formali ratione charitatis nullum habet determinatum terminum intensionis, nam cùm Deus sit summè, & infinitè diligibilis; charitas, quæ est virtus dilectiua Dei, nullum determinatum dilectionis gradum postulat, sed ex sua natura in infinitum crescere potest; ergo eàdem ratione id ipsum de gratia affirmare oportet: imò & à fortiori, quia gratia est forma perfectior charitate, & comparatur ad ipsam, sicut essentia ad propriam potentiam, seu passionem.

30 Cæterùm hæc ratio, quæ est D. Thomæ. 2. 2. quæst. 24. artic. 7. Videtur potiùs contrarium probare, quàm quod intendit, nam ex eo quòd gratia est participatio infinitæ naturæ Dei, potiùs colligitur, ipsam esse finitam, & limitatam ex propria ratione, quàm esse intensibilem, aut augmentabilem in infinitum, nam hoc, quod est esse participationem, intrinsecè importat limitationem quandam ad certum gradum perfectionis intensiuè. Confirmatur. Qualibet forma creata est participatio entitatis, & formæ infinitæ, quæ est Deus, & tamen hoc non obstante omnes formæ naturales habent ex propria ratione terminum augmenti: ergo similiter quamuis gratia sit participatio naturæ Diuinæ, & charitas sit participatio infinitæ charitatis Diuinæ, habebit tamen certum terminum intensionis ex propria ratione gratiæ, & charitatis creatæ.

31 Respondetur, in præsenti esse sermonem de participatione secundùm gradum, & modum supremum talis participationis, quæ est per conuenientiam quasi formalem, & eiusdem ordinis cum illo. Vnde cùm gratia, & charitas in sua ratione formali conueniant in eodem ordine cum natura, & charitate Dei, & talem conuenientiam non adæquent, possunt in infinitum ad illum proximiùs accedere. Et ideò si charitas nostra terminum haberet, eundem etiam haberet charitas Dei, cùm habeant idem obiectum, & quasi conueniant

32 aliquo modo in eadem ratione formali. Itaque aliter conuenit charitati, esse participationem infinitæ charitatis Dei, & aliter alijs formis naturalibus, esse participationem infinitæ perfectionis Diuinæ: etenim charitas est participatio eiusdem ordinis cum charitate, quæ formaliter est Deus; quatenùs ordinatur ad idem obiectum diligibile, quod est Deus, prout est in seipso. Neque potest esse connaturalis perfectio alterius substantiæ præter ipsum Deum. Cæterùm formæ naturales, licèt sint participationes entitatis Diuinæ, non tamen sunt eiusdem ordinis cum infinita perfectione Dei, sed longè inferioris, & ideò optimè colligitur, ex eo, quòd gratia est participatio esse Diuini, esse eiusdem ordinis. Et ex eo etiam, quòd charitas est participium eiusdem ordinis cum charitate infinita Dei, quòd non habeant terminum augmenti ex propria, & intrinseca ratione, sicut aliæ formæ naturales illum habent, quamuis sint participationes infinitæ entitatis Dei. 33

34 Præterea non est eadem ratio de qualitatibus naturalibus, quæ ad formas finitas consequuntur, quibus sunt connaturales, & ob id disponunt ad similes formas, & habent limitatam perfectionem à formis, quibus coaptantur, & de qualitatibus supernaturalibus: etenim qualitates supernaturales sunt Diuini ordinis, & nulli formæ creatæ possunt esse connaturales, nisi Deo: & ideò sequuntur naturam suæ formæ. Et sicut à Deo suum esse participant, ita & suam infinitatem. Et quamuis limitentur de facto, possunt tamen in infinitum augeri per approximationem ad perfectionem, quam in proprio subiecto habent. Et ita gratia, quantò magis augetur, reddit subiectum magis capax infinitæ perfectionis, quæ est in Deo. Ex quo colligitur alia ratio in confirmationem nostræ conclusionis.

35 Perfectiones simpliciter simplices, quæ sunt Diuinæ perfectionis participia, nullum habent terminum; sed possunt in infinitum perfici: quia participant Diuinam perfectionem secundùm aliquam rationem in Deo formaliter existentem, vt patet de bonitate, & sapientia, & alijs huiusmodi: quacumque enim bonitate, vel sapientia creata potest creari sapientia, & bonitas perfectior, & perfectior in infinitum; sed gratia, & similiter charitas ex propria ratione formali est perfectio simpliciter, & in Deo formalissimè reperitur: ergo nullum habet terminum in sua ratione formali, sed in infinitum crescere potest, quantum est ex propria ratione ipsius.

36 Sed contra. Ergo nulla perfectio simpliciter simplex habet terminum in sua ratione formali, cùm formaliter reperiatur in Deo, sicut charitas, & gratia. Respondetur, absolutè ita esse, nam scientiæ non repugnat in infinitum crescere. Nihilominùs aliquæ sunt perfectiones simpliciter, quæ creaturis connaturales esse possunt, vt intelligere, & scire, quæ vt sic, id est, vt connaturales creaturis, habent terminum in illis, vel ex parte subiecti, vel ex parte principij, à quo fluunt, tametsi hoc non sit de ratione, & conceptu vltimo illarum absolutè loquendo. At verò quæ sunt supernaturales, vt gratia, vel lumen gloriæ, ex nulla parte limitantur.

37 Postremò probatur. Charitas secundùm suam rationem specificam, tendit in Deum, prout in se est infinitè amabilis, & diligibilis; sed Deus est infinitè amabilis: ergo magis ac magis potest amari in infinitum, & ex consequenti charitas ex sua natura est infinitè augmentabilis, & quantùm est ex parte suæ rationis specificæ nullum habet terminum intensionis, sed quacumque charitate data potest dari perfectior.

38 Idem argumentum fit de gratia, quæ est participatio quædam Diuini esse: imo vero gratia per se est acceptatio ad gloriam, & ordinatur ad visionem Dei, sed visio Dei in infinitum crescere potest, cùm sit Deus infinitè visibilis; ergo gratia ex sua natura crescet in infinitum.

Sed

39 Sed dicit Durandus, esse repugnantiam ex parte crea-
turæ, quæ non potest magis ac magis diligere, aut vi-
dere Deum. Respondetur tamen, creaturam nõ operari
suis viribus naturalibus, sed ex auxilio Dei, quod in in-
finitum potest esse maius, atque ita posse magis ac ma-
gis diligere Deum.

40 Deinde probatur, quòd gratia non habeat terminũ
intensionis ex parte subiecti receptiui gratiæ. Potentia
obedientialis, quæ est in anima ad suscipiendam gra-
tiam, nullum habet terminum; sed gratia non educitur
de potentia naturali animæ, sed de potentia eius obe-
dientiali, vt multis placet; ergo ex parte subiecti reci-
pientis nullam habet determinationem, & terminum.
Minor est manifesta, quia forma supernaturalis non
respicit per se naturalem potentiã, sed supernaturalem,
cuiusmodi est potentia obedientialis; actus enim & po-
tentia debent proportionari, & esse eiusdem generis, vt
docet Aristoteles 9. Methap. cap. 13. Sed probatur ma-
41 ior. Determinatio potentiæ passiuæ nequit sumi nisi
vel ex potentia actiua, cui respondet, & subijcitur; vel
ex actu & forma, ad quam suscipiendam ordinatur: sed
potentia obedientialis animæ ad gratiam suscipiendã
non limitatur ex virtute actiua Dei, quæ est principiũ
proximum effectiuum gratiæ, & cui subordinatur, &
respondet ipsa potentia obedientialis: neque limitatur
ex forma, & actu, in quem ordinatur, nempe, ex ipsa gra
tia, quia gratia secundùm se nullum habet terminum,
& determinationem, quam potentiæ obedientiali cõ-
municare possit, ergo.

42 Confirmatur. Potentia obedientialis consistit in
quadam subiectione, qua creatura subijcitur Deo, vt in
ea efficiat, quidquid ex parte rei productæ non inuoluit
contradictionem. Quare cùm hæc subiectio creaturæ
ad Deum sit totalis, & plenaria, nulla potest ex ipsa limi
tatio, seu determinatio desumi.

43 Sed obijcitur. Potentia obedientialis animæ & capa
citas est finita, & ideò anima non potest recipere infi-
nitam gratiam, vt docet D. Thomas art. 11. præceden-
ti; ergo gratia limitatur ex ipsamet potentia passiua
animæ, ac proinde non est in infinitum augmentabilis.
Respondetur D. Thomam loqui de infinitate gratiæ
simpliciter, & in genere entis, & negare, gratiam habere
hanc infinitatem: sed non negare, gratiam esse infinitã
in genere gratiæ Syncategorematicè; & similiter po-
tentiam obedientialem animæ, & eius capacitatem esse
infinitam ad suscipiendam gratiam. In eodem sensu ex-
plicandus est D. Thomas de Veritate q. 29. art. 3. ad 6.
Vbi docet, animam Christi habere capacitatem finitam
ad gratiam suscipiendã. Loquitur enim D. Thomas de
capacitate animæ comparatione ad gratiam simplici-
ter, & in esse entis infinitam.

44 Ex dictis constat, falsò asseruisse D. Bonauenturam,
& Richardum locis citatis, potentiam obedientialem
animæ ad suscipiendam gratiam, secundùm se esse limi
tatam ad certum intensionis gradum, sed in Christi
anima multùm creuisse hanc potentiam ex vnione ad
Verbum. Ex quo inferunt, animam Christi in eo gradu
intensionis accepisse gratiam, in quo nulla alia anima,
quæ Deo non esset vnita, ipsam suscipere posset etiam
45 de potentia Dei absoluta. Sed huius sententiæ falsitas
ex eo maximè constat, quòd potentia obedientialis in
quacumque creatura rationali, & intellectuali est illimi
tata, & suâ naturâ infinita Syncategorematicè; ergo
etiam respectu gratiæ suscipiendæ omnes creaturæ ca-
paces illius habent æqualem potentiam obedientialem:
nam in cælesti Hierusalem, idest, in his, quæ pertinent
ad æternam vitam, eadem est Angeli, & hominis men-
sura, vt dicitur Apocalipsis 21. Item, quia Verbũ, prout 46
terminat hypostaticè humanam naturam, nullam ipse
mutationem infert præter illam, quæ consistit in ipsa
terminatione passiua, qua humanitas à Verbo Persona-
liter terminatur. Etenim Verbum non habet rationem
formæ ipsam humanitatem informantis, & actuantis,
neque rationem actiui principij aliquid in ea efficientis,
sed tantùm rationem termini, ipsam naturam per mo-
dum suppositi terminantis: ergo ex vnione Verbi ad
humanitatem non crescit ipsa potentia obedientialis
ad gratiam suscipiendam. Rursus: quoniam illud aug- 47
mentum, quod in potentia obedientiali animæ Christi
ex vnione hypostatica accrescit, vel prouenit à Verbo,
vt à formali principio, vel vt ab efficienti. Primum dici
non potest, quia Verbum non habet rationem formæ
actuantis humanitatem; aliàs potentia obedientialis
animæ Christi esset simpliciter infinita, & similiter gra-
tia collata animæ Christi esset secundùm intensionem
infinita, quod est contra superiùs dicta articulo præce-
denti. Si dicatur secundum, sequitur, similem infinita-
tem posse conferri à Deo cuicumque alteri animæ ra-
tionali; nam quidquid Verbum per modum efficientis
principij potest in sua humanitate causare, potest illud
efficere in alia quacumque humanitate, quia eadem est
capacitas in quacumque humanitate ad effectum Di-
uinæ virtutis suscipiendum, & virtus etiam Diuini Ver-
bi eadem est, & æqualem vim habet respectu cuiuscũq;
humanitatis.

Sed obijcies ex D. Thoma 2. 2. q. 24. art. 7. dicente, 48
quòd per gratiæ, & charitatis susceptionem crescit ani-
mæ capacitas ad vlteriorem gradum suscipiendum; er-
go eâdem ratione dicendum est, capacitatem animæ
Christi ad gratiam creuisse ex vnione personali ad Ver-
bum. Respondetur, D. Thomam loqui de capacitate
proxima ad gratiam, & id tantùm asserit, quòd per vnũ
gradum gratiæ, & charitatis anima quodammodò
disponitur, & fit magis proportionata ad vlteriorem
gradum.

Contra. Capacitas animæ ad suscipiendam gratiam, 49
& charitatem est naturalis iuxta illud D. Augustini l. de
Prædestinatione Sanctorum cap. 4. Posse habere fidem,
& gratiam, naturæ est hominum: sed id, quod est natu-
rale, inuariabiliter conuenit, & non augetur, neque mi-
nuitur per formam superuenientem, forma enim non
dat materiæ propriam causalitatem materialem: ergo
falsum est, quòd per gratiæ, & charitatis susceptio-
nem crescat animæ capacitas ad vlteriorem gradum
suscipiendum. Respondetur, capacitatem remotam, & 50
radicalem in ordine ad charitatem, & gratiam conue-
nire intrinsecè naturæ rationali, & vt sic nõ augeri per
susceptionem gratiæ, & charitatis, sed esse eâdem prorsus
respectu totius latitudinis gratiæ & charitatis, &
omnium graduum ipsius. Hæc autem capacitas remota
est potentia obedientialis, quæ nunquam augetur, quia
est ipsa entitas rei, & est finita positiuè, infinita tamen
negatiuè, idest, non ad tantum, quin ad maius. Capaci-
tas verò proxima, vt dictum est, augetur per susceptio-

nem gratiæ, & charitatis, quia quantò perfectiùs quis diligit Deum, tantò magis disponitur, & redditur habilior ad diligendum magis, ac magis perfectè Deũ mediante gratia ipsius. In Christo etiam est diuersa ratio, atque in alijs, & ideò ex coniunctione ad Verbum hæc proxima capacitas non creuit, nam cùm Verbum non vniatur humanitati per modum formæ, sicut illi vniũtur gratia, & charitas, non ipsam disponit ad aliquam formam vlteriorem, sed tantùm illi confert quoddam connaturalitatis ius, vt dictum est articulo 11.

Secunda Conclusio. §. IIII.

51 GRATIA Christi habitualis non est tam intensa, vt de potentia Dei absoluta augeri non possit. Hæc conclusio sequitur ex præcedente, & probatur, quia gratia Christi ex propria sua formali, & specifica ratione est in infinitum augmentabilis secundùm intensionem; sed in Christo non fuit intensiuè infinita: ergo potest augeri saltem de potentia Dei absoluta. Hæc est expressa D. Thomæ sententia, quã spe-
52 cialiter probat de charitate in 1. d. 17. q. 4. hac efficaci ratione. Quotiescumque inter accedentem ad terminũ, & ipsum terminum est infinita distantia, potest esse progressus maior, & maior in infinitum; sed homo tendit in Deum per charitatem, & inter dilectionem, & rem dilectam est infinita distantia: ergo potest esse progressus per charitatem in Deum maior, & maior in infinitũ. Et quia eadem est ratio de charitate Christi, & cuiuscũq; alterius hominis, eadẽ ratio probat de charitate eiusdem Christi, quòd possit in infinitũ crescere. Et quoniã habitualis gratia semper est ęqualis charitati in eodem subiecto, eadem ratio probat de gratia Christi, quòd potest in infinitum crescere de potentia absoluta.

53 Præterea, non implicat contradictionem, gratiam, & charitatem Christi posse in infinitum crescere de potentia Dei absoluta; ergo id non est negandum. Antecedens probatur, quia sicut non repugnat, numerum materialem in infinitum crescere per diuisionem continui, eò quòd tenditur ad materiã, & imperfectionem; sic etiam non repugnat, numerum formalem in infinitum crescere, licèt tendatur ad formã, & perfectionem. Probatur; quoniam certum est, Deum posse creare Angelum perfectiorem, & perfectiorem in infinitum; sed Deus confert Angelis gratiam, & charitatem iuxta eorum naturalia, ergo potest similiter facere maiorem, & maiorem gratiam, & charitatem in infinitum. Item D.
54 Augustinus Epist. 80. ad Nebridium, & Epist. 106. ad Bonifacium docet, posse Deum facere mũdum maiorem, & meliorem in infinitum. ergo sicut tunc potest quantitas esse maior, & maior in infinitũ, ita qualitas, & ex cõsequenti gratia; quia vnũ non repugnat magis quàm alterum. Rursus. Nullus beatus videt Deum adæquatè, & comprehensiuè; ergo potest eius visio in infinitum crescere, & ex cõsequenti gratia habitualis, nam vt quis Deum videat, debet esse acceptus habitualiter per gratiã ad videndum.

Soluuntur argumenta. §. V.

55 AD Primum igitur argumentum in cõtrarium respondetur, D. Thomam illis locis tantùm loqui de potentia Dei ordinaria, & non de absoluta, vt constat ex hoc articulo, in quo ex professo agit de hac re. Et quòd in isto articulo loquatur de potentia ordinaria, constat ex duobus. Primò, quia tota ratio, qua probat in corpore, gratiam Christi non posse crescere, fuit, quia erat comprehensor, & gratiam in termino habebat, sed gratia beatifica, sicut & visio beatifica tantùm est in termino de potentia Dei ordinaria, non absoluta, secundùm quam omnes fatentur posse esse maiorem, quia in via plura potuerunt, & maiora merita præcedere. Secundò patet ex solutione ad primum, vbi docet, quòd sicut quantitas in cælo nequit esse maior, ita neque gratia habitualis Christi. Constat autem ex Epistolis citatis Augustini, cælum posse fieri maius; ergo intelligit D. Thomas secundùm eandem potentiam, gratiam Christi posse esse maiorem intensiuè.

Neque obstat quod dicitur in argomento sed cõtra, 56
nempe, quòd maior gratia neque esse, neque intelligi potest, quia hoc explicat in responsione ad secundum dicens, non posse intelligi maiorem respectu finis, in quem ordinatur, scilicet, vnionis hypostaticæ: quã etiã ratione articulo præcedenti dixit, esse infinitam. Et subiungit, tantùm esse infinitam, & summam secundùm definitionem Diuinæ sapientiæ, hoc est, de potentia ordinaria Dei. Vnde infert, quòd absolutè loquendo potest esse aliquid maius, & melius; quod non tantùm in ratione entis intelligendum est, quia hoc modo defacto datur aliquid maius, & melius, scilicet, substantia: ve-
rùmetiam in ratione gratiæ. Ad rationem ergo col- 57
lectam ex testimonijs D. Thomæ respondetur, gratiam Christi fuisse proportionatam subiecto & fini; eò quòd de potentia ordinaria fuit summa, quæ potuit puræ creaturæ conferri. Et hoc satis est: non enim potuit esse infinita, quia dabilis non est, quamuis hoc exigeret subiectum, sed fuit summa, quæ potuit esse modo possibili de potentia ordinaria.

Ad confirmationem respondetur, verum esse, quòd 58
adhuc de potentia Dei absoluta nequiuit esse maior gratia extensiuè, quàm gratia Christi habitualis: sed hoc habuit tantùm ab extrinseco, idest, ratione suppositi, cũ quo tamen stat, vt secundùm intensionem potuerit esse maior, quoniam hoc conuenit illi ab intrinseco, & formaliter.

Ad secundum, quod est Scoti respondetur, quòd licèt 59
gratia possit in infinitum crescere, non sequitur dari infinitam distantiam inter primam gratiam, & quamcumq; aliam, nam quæcumque detur, est actu finita: sicut ex hoc, quòd numerus materialis in infinitum crescere possit secundùm ipsum Scotum, non sequitur dari infinitam distantiam inter primam vnitatem, & quemcumque numerum, nam quicumq; detur, est actu finitus. Ratio vtriusque est, quia cùm aliquid dicitur in infinitum crescere, ly Infinitum, sumitur extrinsecè, idest, potest peruenire ad quemcumque terminum citra infinitum.

Ad tertium respondetur, eo modo, quo datur poten- 60
tia, dari etiam actum, & quia potentia in infinitum est infinitum tantùm extrinsecè, ideò datur actus illius, qui semper debet esse citra infinitum, & per cõsequens actu finitus.

Ad quartum respondetur, non posse omnia produci- 61
bilia à Deo actu produci, bene tamen posse ab eo actu cognosci, quia vt actu cognoscantur, non est necesse ipsa esse distincta actu secundùm rem, sed satis est, vnum

aliquod

Digitized by Google

aliquod euidenter cognosci, in quo ipsa eminenter cōtineātur, vt est Diuina Essentia, in qua distinctè & clarè à Deo cognoscuntur. Itaque diuersa ratio est cognitionis, & productionis rerum, vt q. 10. explicabitur.

62 Ad quintum respondetur, gratiam esse quidem creaturam, sed esse ordinis increati, & Diuini, ac proinde nō esse mensurandam legibus aliarum creaturarum, sed suâ naturâ posse in æternum crescere, nullumq; habere alium determinatum limitem intensionis, & perfectionis, præter eum, quem Deus ipsi sua prouidentia præscripsit.

63 Ad sextum responsio inter arguendum assignata est sufficiens. Ad replicam respondetur, ex doctrina D. Thomæ 2.2.q.24.art.4.ad 3. vbi loquens de charitatis augmento dicit, propriam vocem ignorare, qui dicunt accidens non perfici in sua essentia per maiorem inhæsionem, & radicationem in subiecto, nam cùm essentia accidentis sit inesse subiecto, non stat, quòd accidens insit perfectiùs subiecto, quin eius essentia perfectior reddatur. Vnde colligit D. Thomas, essentiam charitatis perfici per inhæsionem ad subiectum, & tantò magis esse perfectam charitatem in sua essentia, quantò magis in subiecto radicatur. Idem etiam de gratia dicendum est, quòd eius essentia, quæ in formali participatione Diuinæ Naturæ consistit, perficitur per maiorem intensionem, & radicationem in anima.

64

65 Ad septimum respondetur, susceptiuum qualitatis intensibilis, si sit incorporeum, & incorruptibile, posse recipere illam qualitatem sub quantouis intensionis gradu, & ita anima Christi potuit recipere gratiam quantouis intensionis gradu, sed negatur, quòd de facto receperit. Et ad D. Augustinū dicitur, Deum contulisse animæ Christi summam gratiam creabilem de lege ordinaria, non de potentia absoluta, secundùm quam maior & maior potuit creari, & dari animæ Christi.

66 Per hoc respondetur ad primam confirmationem. Ad secundam respondetur, illam quantamcumque gratiā, quam Deus potest creare, posse Deum ponere in actu diuisiuè, non collectiuè, & simul, nam quacumque gratia actu posita, potest Deus perfectiorem efficere: sed nūquam efficiet gratiā infinitè perfectam, quia gratia infinita intensiuè, non est factibilis, & creabilis.

67 Ad octauum respondetur, illud esse verum, dummodò actus simultaneus illi non repugnet. Infinito autem Syncategorematicè repugnat actus simultaneus, quia infinitum Syncategorematicè non est tantum, quin maius, neque tot, quin plura.

68 Ad primam confirmationem dicitur, commentatorem ibidem loqui de formis naturalibus, quæ de potentia subiecti educuntur, in quibus est status iuxta finitā dispositionem subiecti. Gratia verò, cùm sit formale Dei participium, non limitatur, nec finitur ex parte subiecti, de cuius potentia obedientiali educitur iuxta quorundam sententiam, de qua infra q. 13. art. 2.

69 Ad secundam concesso antecedenti, & prima consequentia, negatur vltima, quia ex infinito Syncategorematicè non sequitur infinitum Categorematicè. Vnde ex eo quòd gratia est augmentabilis in infinitum, non rectè concluditur; ergo datur gratia infinita actu, quia est accipere infinitum distincto modo.

70 Ad tertiam confirmationem respondetur, Aristotelem solùm cognouisse formas naturales, & sic considerando illarum intensionem fieri secundùm potentiam Physicam, & naturalem passiuam subiecti, quæ est finita, & limitata, ideò consequenter posuisse, in intensione formarum non fieri progressum in infinitum.

Quarta confirmatio petit, An detur minimum in intensione gratiæ, sub qua gratia conseruari possit, ita vt sub minori non valeat. Responsio est, formas naturales intensibiles non habere terminum paruitatis actu, neque dari in illis minimam intensionem, sub qua forma conseruari possit: itaque non datur minimus calor. Ratio huius est, quia istæ formæ augentur per motum alterationis, sed non datur primum esse motus, sed ante mutatum esse præcedit motus; ergo non dabitur minimum in qualitate intensibili per motum. At verò istæ qualitates habent terminū in maximo, & in magnitudine, quia calor V. G. consequitur ad formam ignis, sed forma ignis est finitæ perfectionis: ergo implicat, quòd ex forma finita consequatur calor infinitus vel potentia, vel actu; nam vbicumque producatur calor etiam de potentia Dei absoluta, semper debet consequi ad formam finitam; ergo habebit semper terminū in maximo. Vnde falsum est antecedens argumenti: sed negatur consequentia, quia potest fieri, vt habeat forma intensibilis terminum quoad maximum, & nō quoad minimum. Sed loquendo de gratia dicendum est, dari primum esse gratiæ in anima, quia non incipit per motum, sed in Instanti, ex hoc tamen non sequitur habere terminum in maximo, quia terminus, quoad maximū non colligitur in intensione qualitatis ex termino in paruitate, sed ex eo quòd consequitur ad formam, vel ad potentiam subiecti limitatam, & finitam, quod in gratia non contingit. 71

72

Sed contra. Si non datur minima qualitas, V. G. minima frigiditas, sequitur, quòd calidum agens in frigidum ageret in infinitum, & nunquam posset inducere calidum. Respondetur, quòd sicut datur in substantijs generabilibus minimum naturale, in quo forma, & substantia conseruatur, quia substantia incipit esse in instanti per primum sui esse: ita datur vltima dispositio ad formam substantialem, tam quantitatiua, quàm qualificatiua, sub qua substantialis forma potuit generari, & sub minori nō potuit. Cùm ergo calidum agens in frigidum peruenerit ad istam vltimā dispositionem, tam quantitatiuam, quàm qualitatiuam, causabit corruptionem in forma, & ex consequenti in agendo non abibit in infinitum. 73

ARTICVLVS. XIII.

Qualiter gratia Christi se habeat ad vnionem.

IN hoc articulo intendit D. Thomas probare, proprium fuisse Christo, habere plenitudinem gratiæ, non solùm ex parte ipsius gratiæ, sed etiam ex parte modi habendi illam, atque ita respondet vnica conclusione. Gratia vnionis præcessit habitualem gratiam in Christo, non tempore, sed natura, & intellectu. *Probatur in*

in sed contra ex illo Isaiæ 42. Ecce seruus meus suscipiam eum. *Et deinde sequitur,* Dedi spiritum meum super eum: *Quod quidem pertinet ad donum gratiæ habitualis. Item probatur in corpore tripliciter. Primò. Principium gratiæ vnionis est Filius, qui dicitur missus in mundum secundùm humanam naturam, quam assumpsit: principium autem gratiæ habitualis est Spiritus Sanctus, qui dicitur mitti secundùm gratiam, qua in mente habitat: sed missio Filij secūdùm ordinem naturæ est prior missione Spiritus Sancti, qui à Filio procedit; ergo vnio personalis, secundùm quam intelligitur missio Filij, est prior ordine naturæ, habituali gratia, secundùm quam intelligitur missio Spiritus Sancti. Secundò probatur ex habitudine gratiæ ad suam causam: gratia enim causatur in homine ex præsentia Diuinitatis, vt lumen ex præsentia solis in aere, iuxta illud Ezechiel* 43. Gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem, & terra splendebat à magestate eius: *Sed præsentia Dei in Christo est prius secundùm vnionem, ad quam sequitur gratia habitualis, vt ad solem sequitur splendor: ergo. Tertiò ex fine gratiæ, quia gratia ordinatur ad bene agendum, actiones autem sunt suppositorum, & ita actio, & gratia supponunt hypostasim operantem, quæ ante vnionem non supponitur in natura humana.*

Primum argumentum est. Idem non sequitur ad seipsum, sed gratia habitualis est eadem cum gratia vnionis, vt docet D. Augustinus lib. de Prædestinat. Sanct. cap. 15. Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicumq; Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus. Quorum primum pertinet ad gratiam habitualem, secundum ad gratiam vnionis: ergo gratia habitualis non subsequitur vnionem. Respondet D. Thomas, gratiam vocari ab Augustinō gratuitam Dei voluntatem, gratis beneficia largientem. Et propter hoc eādem gratia, dicit, quemcumq; hominem fieri Christianū, qua gratia factus est homo Christus, quia vtrumq; gratuita Dei voluntate factum est.

Secundum argumentum est. Dispositio præcedit perfectionem tempore, vel saltem intellectu: sed gratia habitualis est quædam dispositio humanæ naturæ ad vnionem personalem; ergo gratia habitualis præcedit vnionem, & non subsequitur. Respondet, quòd sicut dispositio via generationis præcedit perfectionem, ad quam disponit in his, quæ successiuè perficiuntur; ita sequitur naturalem perfectionē, quam quis consequutus est: vt calor, qui fuit dispositio ad formam ignis, est effectus profluens à forma ignis iam præexistentis. Sed quia vnio facta est sine successione, gratia nō præcessit, sed sequuta est, vt quædam proprietas naturalis. Et ideò gratia secundùm Augustinum in Enchiridio. cap. 40. est Christo quodammodò naturalis.

Tertium argumentum est. Commune est prius proprio: sed gratia habitualis est communis Christo, & alijs hominibus, gratia autē vnionis est propria Christo. ergo prior est secundùm intellectum gratia habitualis, quàm ipsa vnio: atque adeò non sequitur eam. Resp. commune esse prius proprio, si vtrumq; sit vnius generis. At in his, quæ sunt diuersorum generum, nihil prohibet, proprium esse prius communi. Gratia verò vnionis non est in genere gratiæ habitualis, sed est supra omne genus, sicut & ipsa Diuina Persona. Itaq; non inconuenit, proprium esse prius communi, cùm non se habet per additionē ad commune, sed potiùs tanquam principium, & origo eius, quod est commune, sicuti gratia vnionis ad habitualē, quæ ex illa fluit.

Hic articulus nullo indiget commentario; sed quæ ad eius intelligentiam sunt necessaria, disputationibus sequentibus examinabuntur.

PRIMA DISPVTATIO. §. I.

CIRCA istum articulum dubitatur primò, An gratia Christi habitualis sequatur ad gratiam vnionis veluti propria passio illius per simplicem quandam emanationem, aut resultantiam absque noua media actione, sicut risibilitas dimanat ab essentia hominis, & hinnibilitas ab essentia equi. Affirmatio ita suadetur. Primò ex illo Ioan. 1. *Vidimus gloriā eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.* Nomine autem gloriæ secundùm D. Augustinū tracta. 1. in Ioan. designatur gratia Christi habitualis consummata per visionem beatam. Et insinuatur, gratiam, & gloriam animæ Christi consequi ad esse Personale Filij Dei in natura humana assumpta. 1

Secundo probatur ex D. Thoma in hoc articulo ad secundum dicente, quòd gratia habitualis consequitur gratiam vnionis tanquam eius naturalis proprietas. Et inducit D. Augustinum in Enchiridio. asserentem cap. 40. gratiam fuisse Christo naturalem. Sed id, quod consequitur rem, vt eius proprietas, consequitur per simplicem resultantiam sine noua actione, vt constat in omnibus proprijs passionibus: ergo &c. Idem docet D. Thomas in corpore, dicens, gratiam causari in Christi humanitate ex Diuinitatis præsentia, sicut lumen causatur in aere ex præsentia solis. Et confirmat ex illo Ezechielis 43. *Gloria Dei Israel ingrediebatur per viā orientalem, & terra splendebat à magestate eius.* Terram autem splendere à magestate Dei ingredientis per viam orientalem significat, humanitatem mirabili gratiæ splendore fulgere ex vnione Verbi cum humanitate. Etenim Incarnatio Verbi Diuini appellatur ab Isaia cap. 6. gloria Dei: ex quo desumitur argumentum. Ex præsentia solis ad corpus Diaphanū naturali resultātia 2

dimanat 3

dimanat lumen illustrans ipsum corpus Diaphanum; ergo ex præsentia Verbi ad humanitatem naturali ema natione effluxit gratia habitualis.

4 Confirmatur ratione. Verbum Diuinum est ipsa lux per essentiam, iuxta illud Ioan. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum &c.* Sed gratia est quoddam lumen participatum Diuinum, & infusio gratiæ in anima est quædam supernaturalis illuminatio; iuxta illud 2. Corint. 4. *Qui dixit, lumen de tenebris splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris.* Meritò ergo dicit D. Thomas, quòd sicut ad præsentiam solis fit in corpore Diaphano irradiatio illuminosa, ita ad præsentiā Verbi in Christi humanitate fuit subsequuta spiritualis irradiatio per gratiam in anima eius: sed irradiatio, & splendor simplici emanatione resultat ex luce solis; ergo similiter naturaliter, & per simplicem effluxum dimanat gratia habitualis, quæ est lux quædam Diuina participata à Verbo, quod est gratum per essentiam.

5 Tertiò. Eò ipso quòd res ordinis inferioris coniungitur rei ordinis superioris, consequitur absque aliqua media actione quædam perfectio in ipsa re inferiori, participata ex coniunctione ad superiorem, V.G. cogitatiua, quæ secundùm se non est particeps discursus, & ratiocinationis, ex coniunctione ad intellectum in homine absque vlla media actione participat quandam vim ratiocinandi, & discurrendi. Similiter in resurrectione, vt docet D. Augustinus Epistola. 3. ad Dioscorū, corpus ex coniunctione ad animam beatam participabit immortalitatem, & alias dotes: ergo anima Christi ex coniunctione ad Verbum absque alia noua actione per emanationem simplicem participabit supernaturalem vitam gratiæ.

6 Quartò. Ex ipsa gratia habituali oriuntur in potentijs animæ virtutes supernaturales, & dona Spiritus Sancti, vt docet D. Thomas 1. 2. q. 110. Sed Diuinum Verbū multò eminentiùs præhabet in se perfectionem gratiæ, & donorum supernaturalium, quàm ipsa gratia contineat dona Spiritus Sancti, & virtutes; ergo à fortiori ex coniunctione Verbi ad humanitatem naturaliter fuit cōsequuta gratia habitualis in anima Christi cum reliquis donis supernaturalibus.

7 Quintò. Verbum Diuinum fuit humanitati vnitum, quatenus est fons, & principium totius vitæ spiritualis: ergo ex vnione ipsius ad humanitatem consequuta fuit spiritualis vita facta per gratiam in anima Christi. Antecedens est consentaneum modo loquendi Scripturæ, & Patrum. Consequentia verò probatur, quia ex eò, quòd calidum vnitur subiecto in ratione calidi, naturaliter sequitur, quòd calefaciat subiectum, cui vnitur. Ergo si Verbum fuit humanitati vnitum in ratione principij effectiui spiritualis vitæ, consequenter resultauit vita spiritualis in Christi humanitate per gratiam.

Referuntur Opiniones. §. II.

8 CIRCA hanc difficultatem sunt variæ Theologorum sententiæ. Quidam dicunt, gratiam habitualem esse connaturalem Christo, & propriā illius passionem, quę simplici emanatione absq; aliqua media actione dimanat ex vnione hypostatica. Sic M. Medina 3. p. q. 7. art. 10. & D. Caietanus 3. p. q. 2. ar. 12. & M. Canu lib. 12. de locis cap. 14. Alij verò Theologi cōcedunt, gratiā habitualem esse propriam passionem Christi, & illi connaturalem, non tamen effluxisse per simplicem emanationem ab vnione hypostatica, sed per aliam nouam Dei actionem fuisse productā; quia non est necessarium, vt omnis propria passio alicuius subiecti fluat ex eius essentia per simplicem resultantiā, sicut species intelligibiles collatæ Angelis sunt propriæ passiones, & proprietates intellectus Angelici, & tamen non resultant per simplicem emanationem ex ipso intellectu, sed actione quadam extrinseca authoris naturæ
Angelicæ fuerunt inditæ, & impressæ intellectui Ange- 9
lico. Alij autem affirmant, gratiam habitualem esse Christo connaturalem, & illi debitam connaturalitatis debito, negans tamen esse propriam passionem Christi, aut per simplicem resultantiam ex vnione dimanasse, sed per nouam actionem Dei authoris gratiæ fuisse Christo collatam. Pro decisione ergo difficultatis sit Prima Conclusio.

Prima Conclusio. §. III.

HABITVALIS Christi gratia fuit illi debita cōnaturalitatis debito ad modum cuius- 10
dam naturalis proprietatis, habens connaturalem connexionem cum vnione hypostatica. Hæc assertio est D. Thomæ in hoc articulo in corpore, & ad secundum, & in 3. d. 13. per totam, & omnium ferè Theologorum in illa distinctione. Legendi sunt Alexander Alensis 3. p. q. 8. membro 3. art. 4. Parag. Ad maiorem: & M. Soto in 4. d. 19. q. 1. art. 4. Argumenta autem proposita pro parte affirmatiua efficaciter probant hanc cōclusionem, & colligitur ex illo Lucæ 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: ideòque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Illud Verbum, *Sanctum,* Non solùm denotat sanctitatem personalem, verùmetiam formalem in Christi humanitate habitam per gratiam. Et hanc sanctitatem dicit Angelus conuenire Christo ratione suæ conceptionis. hanc enim vim habet illa causalis, Ideòque & quod nascetur ex te sanctum &c. Ergo sanctitas gratiæ est Christo connaturalis, & illi debita ex vi suæ conceptionis, & ratione vnionis hypostaticæ.
Item colligitur ex illo Isaiæ 11. *Flos de radice eius 11
ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini &c.* Illa autem particula, Et, denotat concomitantiam donorū Spiritus Sancti in Christo ad eius generationem in vtero Virginis virtute Spiritus Sancti effectā, quam generationem explicuit Propheta illis Verbis. *Flos de radice eius ascendet.* Rursus Ioan. 3. *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius.* Etenim ex paterna dilectione prouenerunt Christo omnia bona, quę illi contulit Pater, quorum potissimū fuit gratiā. Et in Concilio Francofordiensi definitur, Christum esse vnctum per naturam. Idest, Christi humanitatem esse vnctam oleo gratiæ habitualis. Et paulò inferiùs habetur in eodem Concilio, *Non gratia sed natura, vt esset etiam plenus gratia.* Idest, ex naturali debito plenus
est gratia. Vnde Cyrillus explicans illud Isaiæ 11. *Re- 12
quiescet super eum spiritus Domini &c.* Inquit, Spiritus Sancti dona non fuisse Christo aduentitia, sicut alijs hominibus, sed vt sua, & propria accepisse. Et D. Basilius ad illud Psalmi 44. *Vnxit te Deus &c.* Per oleum

Digitized by Google

oleum intelligit Spiritum Sanctum, quatenùs dat spirituale gaudium, & infundit omnia dona spiritualia.

13 Est tamen aduertendum cum D. Thoma supra q. 2. art. 12. ex tribus, vel quatuor capitibus desumi huiusmodi connaturalitatem. Primum est, quia gratia in Christo prouenit à principio intrinseco, nempe, à Diuinitate, quæ est intra ipsum Christum. Etenim Diuinitas Verbi causauit gratiam habitualem in humanitate ipsius Christi: quod autem est à principio intrinseco, meritò dicitur naturale. Secundum, quia gratia simul collata fuit Christo cum humanitate, ita quòd infusio gratiæ habuit se quasi concomitanter ad ipsam Christi

14 generationem. Quod autem simul aduenit cum natura, consueuit nuncupari naturale, sicut peccatum originale interdum vocatur naturale iuxta illud Pauli ad Ephes. 2. *Eramus naturâ Filij iræ.* Tertium, quia Christus conceptus est de Spiritu Sancto, ita vt Christi conceptio quantùm ad præparationem materiæ in vtero Virginis, & quantùm ad vnionem animæ cum tali materia sic præparata, specialiter tribuatur Spiritui Sancto. Operatio autem Spiritus Sancti non solùm attigit conceptionem Christi, sed perfectam animæ illius sanctificationem per gratiam, & charitatem, & alia dona Spiritus Sancti effectam. Vnde ex ipso conceptionis Christi effectiuo principio fuit connaturalis Christo habitualis gratia alijs donis supernaturalibus associata. Quartum est, quia humanitas in Christo fuit vnita Verbo summa, & maxima vnione, ac proinde fuit illi debitum, vt ex præsentia Verbi cõiuncti susciperet plenitudinem gratiæ habitualis.

Secunda Conclusio. §. IIII.

15 GRATIA habitualis propriè, & rigorosè loquendo non est propria passio Christi. Probatur. Propria passio in rigore loquendo sequitur naturaliter cõmunia speciei principia; sed gratia in Christo nõ sequitur principia specificæ naturæ, nempe, humanitatis, vt patet: ergo non est verè propria Christi passio. Confirmatur. In Christo nulla sunt principia specificæ naturæ, quæ in alijs hominibus non sint: ergo nullam habet propriam passionem in rigore loquendò præter illas, quæ toti naturæ humanæ, & omnibus eius indiuiduis sunt communes.

16 Secundò probatur. Omnis propria passio consequitur ad aliquam essentiam, vt constat; sed in Christo nulla est essentia, ad quam consequatur gratia habitualis, quia non consequitur ad essentiam humanam; neque etiam ad Diuinam; ergo. Tertiò. Forma, quæ consequitur per modum propriæ passionis, consequitur ex vi illius essentiæ, à qua dimanat in gradu determinato, sicut calor consequens essentiam ignis habet determinatum gradum ex ipsa natura ignis: sed gratia in Christo non habet determinatum gradum ex natura rei, sed rarùm ex libera voluntate Dei determinatur gradus intensionis in gratia Christi ergo.

17 Quod si roges, An gratia Christi debeat vocari accidens eius proprium indiuiduale, respondetur, in rigore non esse accidens indiuiduale proprium, quia neq; cõstituit indiuiduationem humanitatis Christi, neque sequitur ex principijs ipsam indiuiduantibus. Etenim humanitas prius naturâ fuit singularis, & indiuidua, quàm Verbo vnita, quia Verbum in atomo, & in singulari assumpsit humanitatem. Potest autem dici accidens personale proprium, nam est accidens receptum in humanitate Christi, ipsi naturæ connaturale, ratione Diuinæ Personalitatis, per quam ipsa humanitas suppositaliter terminatur.

Tertia Conclusio. §. V.

18 GRATIA habitualis non emanauit in Christo per simplicem resultantiam ex vnione hypostatica, sed per nouam Dei actionem fuit in anima Christi producta. Probatur primò, quia si dimanaret ab vnione hypostatica per simplicem resultantiam, sequeretur, quòd ex vi suæ emanationis haberet certum, & determinatum gradum intensionis iuxta proportionem causæ, à qua dimanat, sed consequens est falsum, vt constat ex art. 12 præcedenti; ergo. Probatur sequella. Natura est determinata ad vnum: ergo illa dimanatio naturalis, quæ est per simplicem resultantiam, determinatur ad certum, & limitatum gradum, atque adeò si gratia Christi ita dimanauit ab vnione hypostatica, debet ex vi suæ propriæ emanationis habere certũ gradum intensionis.

19 Confirmatur. Propria passio oritur ab essentia iuxta virtutem, & quantitatem essentiæ, ergo si gratia Christi oritur ex vnione hypostatica, vt propria eius passio, debet oriri in gradu intensionis infinitæ, quoniam vnio hypostatica, à qua dimanat, habet virtutem infinitam.

20 Secundò. Omnis proprietas, seu propria passio alicuius subiecti, quæ per simplicem emanationẽ oritur in eo, dimanat ab aliqua forma, quæ habet rationem principij formalis effectiui in tali subiecto; sed in Christo nulla forma est assignabilis, quæ rationem principij formalis effectiui gratiæ habitualis sortiatur: ergo. Minor probatur. Verbum non habet rationem formæ: quia non vnitur humanitati per modum formæ, sed per modum termini duntaxat terminantis, & complentis dependentiam humanæ naturæ, cui vnitur. Neque

21 verò vnitur in ratione principij formalis effectiui, quia virtus effectiua est cõmunis toti Trinitati, & ex æquo se habet ad tres Diuinas Personas, atque adeò vnio terminaretur ex æquo ad totam Trinitatem, quod est hæreticum. Item humanitas non est forma, quæ habeat vim effectiuam gratiæ, Diuinitas etiã nequit esse principium, ex quo immediatè effluat in Christi anima gratia habitualis, nam Diuinitas nõ vnitur immediatè humanitati, sed mediante Verbi Personalitate: quare si Personalitas Verbi non est immediatum principium emanationis gratiæ, Diuinitas non habet rationem mediati principij eiusdem emanationis, ac proinde nullum est assignabile formale principium gratiæ in Christo.

22 Confirmatur. Si Diuinitas est immediatum principium emanationis gratiæ, & non mediatum ratione Personalitatis Verbi: ergo illa emanatio immediatè est tribuenda toti Trinitati; quæ enim immediatè competunt Naturæ Diuinæ, & non ratione alicuius personalitatis, ex æquo competunt tribus Diuinis Personis. Hoc autem nullatenùs est dicendum, sed tribuenda est talis dimanatio Diuino Verbo, ad quod vnio hypostatica fuit terminata, nã resultantia gratiæ, si qua est, prouenit ex vi vnionis hypostaticæ.

Sed

Digitized by Google

23 Sed respondent aduersarij, ex quibus est M. Medina,
quòd sicut virtutes infusæ, charitas, iustitia, prudentia
&c. per simplicem resultantiam dimanant ex anima
hominis iusti eleuata per gratiam habitualem, & non
absolutè; ita ex humanitate, non absolutè considerata,
sed prout est eleuata ad esse Personale Verbi, resultat
24 gratia simplici emanatione. Cæterùm hæc solutio non
satisfacit. Primò, quia charitas, & virtutes morales infu-
sæ non dimanant, propriè loquendo, ab essentia ani-
mæ, sed ab ipsa gratia, quæ est forma eleuans animam
ad esse Diuinum. Secundò, quia gratia est vera forma
actuans animæ essentiam, atque adeò potest habere ra-
tionem principij formalis effectiui comparatione ad
virtutes infusas: at Verbum Diuinum nō vnitur huma-
nitati in ratione formæ, neq; illud esse, quod humanitas
suscipit à Verbo, habet rationem principij formalis ef-
fectiui, sed est tantùm esse personale terminatiuum, &
completiuum humanitatis, supplens in ea vicem pro-
priæ personalitatis. Vnde sicut esse personale, quod hu-
manitas Christi posset à propria personalitate suscipere,
non esset formale principium effectiuum alicuius natu-
ralis qualitatis, neq; per propriam actionem, neque per
simplicem resultantiam: ita esse personale, quod suscipit
à Verbo, nullius qualitatis supernaturalis potest esse for-
male principium effectiuum.

25 Ex hac doctrina soluitur quoddam argumentū pro
contraria sententia, quod est huiusmodi. Virtus operādi
sequitur esse rei, ergo Verbum, eò ipso quòd tribuit hu-
manitati esse supernaturale, tribuit etiam virtutem ad
operandum supernaturales actiones: quæ virtus est ipsa-
met gratia, quatenus est radix omnium supernaturaliū
habituum, & actionum. Sed respondetur, virtutem ope-
randi desumi ex esse formali rei, & non ex esse personali
tantùm, quia tota operatio rei, & virtus operatiua pen-
satur ex principio formali, & oritur ex forma rei.

26 Tertiò. Si gratia per simplicem emanationem resul-
tat ex vnione hypostatica, eius emanatio est referendā
ad Verbū, prout est suppositum humanum; sed hac ra-
tione Verbum nequit esse principium gratiæ, ergo. Ma-
ior patet, quia Verbum, prout est suppositum humanū,
est primarius terminus vnionis hypostaticæ; ergo ter-
27 minus secūdarius eiusdem vnionis, nempe gratia, debet
referri ad Verbum secundùm hanc rationem, quia ter-
minus secundarius alicuius actionis dimanat à termino
primario, ea ratione, qua est primarius terminus. Minor
probatur: nam Verbum Diuinum, prout est humanum
suppositum, nihil efficit nisi iuxta proportionem ipsius
humanitatis, cuius est suppositum. Cùm ergo natura hu-
mana nullam habeat ex se vim productiuam gratiæ,
eius emanatio ad Verbum referri non potest, vt ad
principium effectiuum, prout est suppositum hu-
manum.

28 Quartò. Si gratia habitualis oritur à Verbo Diuino
in Christi humanitate per naturalem emanationem, se-
quitur, Verbum Diuinum operari aliquid ad extra per
modum naturæ, & non per modum libertatis, quod
est contra fidem. Probatur sequela. Simplex alicuius
formæ emanatio non est libera, sed naturalis, vt pro-
ductio formæ emanantis ex termino primario per a-
ctionem principalem producto, vt intellectus naturali
emanatione consequitur animæ essentiam productam
per creationem, ita quòd hæc emanatio proximè attri-
buitur essentiæ animæ virtute præhabentis intellectū;
sed tandem reducitur vt ad causam principalem ad ip-
sum Deum creatorem animæ; ergo in nostro casu
gratia habitualis non procedit emanatione libera, sed
naturali à Verbo, vt à termino principalis actionis, vi-
delicet, vnionis hypostaticæ, vt à causa proxima, &
immediata, non libera, sed necessaria, naturaliq; virtute,
& radicaliter præhabenti ipsam gratiam habitualem.

Sed respondent aduersarij, vnionem hypostaticā, ad 29
cuius principalem terminum, videlicet, Verbum huma-
nitati vnitum, immediatè sequitur gratia, vt secunda-
rius, & minus principalis terminus eiusdem vnionis,
fuisse actionem liberam totius Trinitatis, atque adeò
ipsum effluxum gratiæ consequentis, licèt secundùm
quid, & in sensu composito sit necessarius, & natu-
ralis, simpliciter tamen esse liberum totius Trinitatis
effectum.

Verùmtamen hæc solutio non labefactat difficulta- 30
tem, quia dimanatio gratiæ habitualis in Christi huma-
nitate iuxta prædictam solutionem, licèt absolutè, &
simpliciter sit libera ex parte totius Trinitatis, at com-
paratione ad Verbum, ex quo tanquam ex immediato
& principali termino hypostaticæ vnionis dimanat
gratia, est naturalis simpliciter, & necessaria; sicut intel-
lectus effluxus comparatione ad Deum est liber, & sim-
pliciter voluntarius: at respectu animæ, ad quam imme-
diatè sequitur intellectus, est necessarius, & naturalis
simpliciter. Est autem absurdum dicere, aliquem effe-
ctum in rerum natura productum emanasse à Diuino
Verbo necessariò, & naturaliter, & non liberè.

Quintò sequitur ex opposita sententia, gratiā Christi 31
ex vi suæ emanationis esse infinitam quoad intensio-
nem; sed consequens est falsum, vt ostensum est art. 1.
præcedenti; ergo. Probatur sequella. Emanatio natu-
ralis terminatur ad maximum, & summū, in quod po-
test ipsa naturalis causæ virtus, ex qua fit talis emanatio;
etenim causa naturalis operatur, quantum potest, & se-
cundùm vltimum suæ virtutis, & potentiæ, ac proinde
efficit effectum in summo gradu, ad quem peruenire
potest, nisi apponatur aliquod impedimentum; sed Ver-
bum Diuinum est infinitæ virtutis, & gratia ex sua na-
tura nullum habet terminum intensionis, sed potest in
infinitum augeri; ergo si per naturalem emanationem
gratia effluxit à Verbo, necessariò emanauit in gradu
intensionis infinitæ.

Sed dices, talem intensionis gradū repugnare ex par- 32
te facti, quia licèt gratia nullum habeat determinatum
intensionis gradum, nequit tamen esse infinita secun-
dùm intensionem actu, & Categorematicè. Sed hoc
non satisfacit, quia adhuc assignanda est ratio, cur
gratia Christi in tali gradu intensionis, V.G. vt centum,
dimanauerit, cùm posset in maiori gradu, V.G. vt mille
effluere. Quæ sanè ratio ex ipsa naturali emanatione
desumi non potest, cùm naturalis emanatio, eo quòd
est naturalis, ad summum, & maximum gradum
gratiæ ex propria sui ratione tendat: ac proinde ad libe-
ram Dei voluntatem recurrendum est, quæ per spe-
cialem actionem, gratiam Christi in tali gradu constit-
utam produxit.

Postremò probatur: quia productio gratiæ habitualis 33
in anima Christi non tribuitur in sacris literis Verbo
Diuino, sed Spiritui Sancto; at si efflueret à Verbo

Q qq Diuino

Diuino humanitati vnito per simplicē emanationem,
& resultantiam, potiùs esset tribuenda Verbo Diuino,
quàm Spiritui Sancto; ergo. Minor patet, quia omnia,
quæ conueniunt Verbo, vt est suppositum humanum,
tribuuntur ipsi tanquam proprio principio, & non Pa-
tri, aut Spiritui Sancto. Maior etiam probatur ex illo
Lucæ 1, Quod Angelus dixit Mariæ, *Spiritus Sanc-
tus superueniet in te &c.* Et subiungit. *Ideóq; &
quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*
Quasi diceret. Quia Spiritus Sanctus interueniet in
Christi generatione, ideò eius humanitas ex vi suæ ge-
34 nerationis sanctificabitur per gratiam habitualem. Huc
pertinet, quod docet D. Thomas in prima huius articuli
ratione, quod in Incarnationis mysterio principium
vnionis est Persona Filij assument humanam naturam,
principium verò habitualis gratiæ est ipse Spiritus Sāc-
tus. Ex quo infert, quòd gratia vnionis præcessit ordine
naturæ habitualem Christi gratiam, quoniam missio
Personæ Filij est prior missione Spiritus Sancti, sicut
Filius est prior origine, quàm Persona Spiritus Sancti.

35 Vnde constat, gratiam Christi habitualem fuisse hu-
manitati Christi collatā per specialem totius Trinitatis
actionem, ab illa distinctam, per quam facta fuit subs-
tantialis vnio: etenim si ex ipsa vnione substantiali, seu
quod idem est, ex Verbo Diuino humanitati hyposta-
ticè vnito, qui fuit primarius actiuæ vnitionis termi-
nus, non dimanauit habitualis gratia per simplicem
resultantiam, necessariò dicendum est, eam fuisse ani-
mæ Christi infusam per aliam Dei actionem ab vnitio-
ne distinctam: quæ cùm fuerit actio Dei ad extra, non
36 potuit non esse libera, & toti Trinitati communis. Hæc
autem noua Dei actio, supposita gratia vnionis, non
minùs fuit debita, & veluti connaturalis ipsi humanita-
ti Christi, atque fuit illi connaturalis, & debita ipsa ha-
bitualis gratia. Itaque esset miraculum in ordine gra-
tiæ, si Deus noua actione non infudisset animæ Christi
hanc gratiam sanctificantem. Et hoc est, quod asseruit
Cyrillus loco citato, Christum accepisse Spiritus Sanc-
ti charismata, non vt aduentitia, sed vt sua, & propria,
hoc est, vt sibi iure connaturalitatis debita, & per ac-
37 tionem eodem iure sibi debitam. Neque verò tollit
huius connaturalitatis debitum libertas ipsius actionis;
cuius rei in natura est exemplum; nam motus circu-
laris cæli est connaturalis, & debitus ipsi cælo, &
tamen vt propria passio non dimanat per simplicem
resultantiam ab eius essentia, vt docet D. Thomas q. 5.
de Potentia art. 5. sed noua actione ab extrinseca intelli-
gentia mouetur cælum; quæ actio licet sit libera, &
voluntaria, ac extrinseca, debetur nihilominùs orbi
cælesti iure connaturalitatis; vnde cessatio huius ac-
38 tionis non poterit non esse miraculosa. Item est aliud
exemplum de speciebus intelligibilibus inditis intellec-
tui Angelico, quæ, vt rectè obseruauit Ferrar. 2. contra
Gentes cap. 98. non dimanarunt ex ipsa natura Angelis
ca per simplicem resultantiam: & ideò nequeunt dici
propriæ passiones Angelicæ naturæ, sed speciali, & li-
bera Dei actione producuntur, & tamen ea actio iure
cōnaturalitatis est debita naturæ Angelicæ. Illæ autem
species dicuntur Angelo naturales ratione principij
passiui, nam Angelus habet principium passiuum ad il-
las recipiendum immediatè à Deo statim à principio
suæ conditionis, propter suam maximam actualitatem,

& perfectionem in esse intelligibili. Et quia habent mo- 39
dum naturalis sequellæ: nam concomitantur naturali-
ter Angelicam naturam per modum simplicis emana-
tionis, productæ tamen per distinctam actionem ab illa,
qua Angelus creatur: in quo differunt species intelligi-
biles à subsistentia, & existentia, quia subsistentia & exis-
tentia concomitantur naturam per modum naturalis
sequellæ, & eâdem actione producuntur, qua ipsa na-
tura producitur. At verò species intelligibiles producū- 40
tur distincta actione à creatione Angeli, tametsi illum
comitentur per modum naturalis sequellæ. Ratio diffe-
rentiæ est, quia subsistentia, & existentia non extrahunt
naturam à proprio esse ad aliud esse, & alium gradum,
sed tantùm terminant, & complent esse substantiale: &
ideò non est necessaria distincta actio. Cæterùm species
intelligibiles complent quidem naturam Angelicam
secundùm Intellectum, qui est accidens, & ita conferunt
esse accidentarium distinctum ab esse substantiali, ac
proinde requiritur distincta actio ad earū productionē.

Quarta Conclusio. §. VI.

CHRISTVS Dominus est proprium, & per 41
se gratiæ habitualis subiectum. Idest. Christo,
quatenùs est Deus homo, per se cōpetit gratia
habitualis, & iure connaturalitatis illi debetur, & hoc
subiectū est valdè proportionatum, & connaturale na-
turæ gratiæ habitualis. Prior conclusionis pars, nempe,
quòd Christo per se cōpetat gratia, cōstat ex præceden-
tibus cōclusionibus. Posterior verò pars, scilicet, Chris-
tū esse propriū gratiæ subiectū, & eius naturæ maximè
proportionatū, & connaturale, probatur primò. Gratia
est Christo connaturalis, & habet se ad Verbum huma-
nitati vnitum, vt splendor ad lucem, vt patet ex prima
conclusione; ergo Christus est subiectum proprium, &
connaturale gratiæ. Patet consequentia: quia omnis
qualitas alicui subiecto connaturalis, vendicat sibi il-
ludmet subiectum, tanquam sibi magis proprium, &
connaturale. Neque obstat instantia ex calore anima- 42
lis desumpta, quòd animali per se competit calor, per
accidens autem est calori inesse animali, nam propriū
eius, & connaturale subiectum est ignis. Hæc, inquam,
instantia nihil efficit, tum, quia animali non competit
per se calor absolutè in ratione caloris, sed calor vitalis
proportionatus vitæ animalis, quem calorem vocare
solemus animalem; calor autem animalis etiam per se
respicit ipsum animal, tanquam sibi proprium, imò
& necessarium subiectum. Tum etiam, quia animal 43
vendicat sibi calorem ex inferiori natura participatū, vt
illo vtatur tanquam instrumento necessario ad ipsas
vitæ animalis actiones, sed gratia non cōuenit Christo,
vt ex aliqua inferiori natura, in ipso participata, sed
potiùs vt participatio Diuinitatis, quæ secundùm ple-
nitudinem habitat in Christo. Vnde gratia non fuit
data humanitati Christi eò solùm, vt esset Diuinitatis
instrumentum, ex aliena natura petitū, sed vt qualitas
ipsi Diuinitati connaturalis, idest, eiusdem ordinis cum
ipsa, ac proinde eiusdem ordinis cum Christo ratione
Diuinitatis. Vnde propter hanc connaturalitatem inter
gratiam & Christum, & gratia per se cōpetit Christo,
& Christus est proprium, & connaturale subiectum
gratiæ: quæ ratio cōnaturalitatis inter animalis vitam,
& calorem non reperitur.

Secundò

44 Secundò probatur eadem posterior pars conclusionis. Illud est proprium alicuius qualitatis subiectum, in quo ipsa qualitas habet omnem suæ perfectionis plenitudinem, & ad omnes sibi proprios, & connaturales effectus extenditur; hac enim ratione sol est proprium subiectum lucis, quia lux in sole omnem illam cõtinet perfectionem, quæ ipsi luci naturaliter competere potest: & quia ad omnes effectus sibi possibiles se extendit, & ob eandem causam ignis est proprium caloris subiectũ: sed gratia habitualis continet in Christo omnem gratiæ plenitudinem, & ad omnes effectus se extendit, ad quos gratia intra totum genus gratiæ pertingere potest, vt docuit D. Thomas artic. 9. huius quæstionis; ergo &c.

45 Tertiò probatur. Gratia in Christo habet omnes effectus sibi possibiles, & plures, quos in alio subiecto habere non potest; & illi effectus continentur intra ordinem gratiæ, & intra genus eius; ergo Christus est proprium & natiuum subiectum gratiæ. Probatur minor. Gratia in Christo habet tria, quæ ipsi in alio subiecto cõuenire non possunt, nempe, disponere humanitatem dispositione cõcomitante ad vnionem cum Verbo; esse principiũ meriti infiniti, & infinitæ, ac rigorosæ satisfactionis: sed hæc tria cõtinentur intra rationem, & ge-
46 nus gratiæ, ergo. Probatur hæc minor, & primò de dispositione ad vnionem. Vltimus, & proprius finis gratiæ, vt docet D. Tho. art. 10. præcedenti est vnire creaturam rationalem cum Deo: quòd fit, vt vnio Diuinæ Essentiæ cũ intellectu beati per modum speciei intelligibilis, sit magna gratiæ perfectio, & eius naturæ valde proportionata, quoniam eius finis est vnire: ergo quòd sit dispositio ad vnionem hypostaticam Verbi cum humanitate, clauditur sub fine proprio gratiæ, ac proinde pertinet ad naturam ipsius gratiæ.

47 Confirmatur, quia gratia eatenus est dispositio humanitatis ad vnionem cũ Verbo, quatenus eleuat ipsam humanitatem, & constituit eam eiusdem ordinis Diuini cũ Verbo; hæc autem ratio est propria, & natiua gratiæ: ergo. Secundò probatur de merito, & satisfactione, quia gratia ex sua natura habet esse principium meriti supernaturalis, & satisfactionis; ergo quòd in Christo eleuetur gratia ad hoc, quòd sit principium proximũ meriti perfectissimi, & exactæ satisfactionis, pertinet ad perfectionem gratiæ ipsi connaturalem.

48 Cæterùm nõ desunt Theologi, quibus hæc nostra cõclusio nõ probetur, & contra illam argumentantur. Primò. Si gratia est Christo connaturalis ad modũ proprietatis naturalis, sequeretur, hãc propositionem, Christus per essentiam est gratus habituali gratia, esse concedendam; sicut ista conceditur, Sol est lucidus per essentiam: sed consequens est falsum; ergo. Probatur minor. Christus nõ est causa totius gratiæ, nam gratia Angelorum & primorum parentum in statu innocentiæ nõ fuit collata per Christũ, vt probabiliter tenent nonnulli Thomistæ; sed qui est gratus per essentiam, debet esse causa formalis, sicut sol est fons totius lucis, & ignis totius caloris, quod enim est per essentiã tale, est causa omnium eorũ,
49 quæ sunt talia per participationem, ergo &c. Respondetur primò negando, Christum debere dici gratum per essentiam, eo quòd gratia non sequitur ad eius essentiã, neq; est ei connaturalis ratione formæ essentialis, sed ratione dignitatis suppositi, in quo magnum versatur discrimen inter gratiam per comparationem ad Christũ, & lucem comparatã ad solem; etenim lux sequitur formalem essentiam solis, & similiter calor essentiam ignis. & ideò supra asseruimus, gratiam esse accidens proprium Christo, non specificum, neque indiuiduale, sed personale duntaxat. Secũdò respõdetur cõcedendo, Christum appellandum esse gratũ per essentiam; sed negatur non fuisse causam gratiæ Angelorum, & protoparentum meritoriam, vt de primis parentibus ostensum est supra q. 1. artic. 3. disput. 1. Parag. 16. ad vndecimum argumentum principale, & de Angelis ostendetur q. sequente art. 4.

Secundò obijcitur. Meritum perfectum & infinitũ, & 50
similiter satisfactio rigorosa importãt rationes repugnãtes gratiæ; ergo nõ continentur intra genus gratiæ. Probatur antecedens. Gratia secũdùm rationem gratiæ tollit rigorem iustitiæ in merito, & satisfactione, quia meritũ, quod in gratia fundatur, nõ potest habere perfectã rationem iustitiæ; quia gratia, in qua fundatur, id nõ permittit, & idem dicendũ est de satisfactione: & ob hãc causam, licet iusti mereãtur de cõdigno, & Deo cõdignã offerant satisfactionem pro peccatis, non tamen ibi interuenit exacta iustitia: ergo meritũ Christi, quatenus est perfectũ, & rigorosum, nõ pertinet ad naturam gratiæ, imò videtur ipsam destruere aliqua ex parte, nã quantò magis fuerit de iustitia, tantò minus erit de gratia, & idem iudicium est de satisfactione rigorosa. Ergo malè dicitur, quòd hæc fundantur in gratia. Res- 51
pondetur, iustitiam rigorosam meriti aut satisfactionis exactæ nõ repugnare gratiæ. Verum est, quòd non cõuenit ei esse principium meriti rigorosi, aut satisfactionis perfectæ, nisi quando gratia fuerit debita, & connaturalis merenti, & satisfacienti. Itaque exacta iustitia satisfactionis, aut meriti repugnat cũ gratia non debita, & quæ non est connaturalis merenti, & satisfacienti, sed absolutè non repugnat gratiæ. Verùmtamen replicitur.
Quòd gratia sit debita, tollit rationem gratiæ, nam 52
quod ex debito datur, non est donum gratuitum: ergo hæc solutio supponit falsum, nempe, quòd gratia nequit esse debita. Respondetur, gratiam Christi habitualem posse comparari, & ad humanitatem Christi, quæ est proximum subiectum ipsius gratiæ, & ad totum Christum, qui est eius subiectũ, Quod, & totale. Si cõparetur ad humanitatem, habet plenariã rationem gratiæ; quia nõ est debita humanitati absolutè aliquo debito. Dico absolutè, quia ex suppositione, nempe, supposita gratia vnionis, debetur illi gratia habitualis; sed hoc est debitum secundùm quid, nam totum reducitur ad gratiam vnionis, quæ est maxima gratia. Comparata verò 53
ad Christum habet rationem cuiusdam Diuinæ formæ; non verò rationem gratiæ, est enim simpliciter debita Christo, quia est Deus homo. Quoniam autem operãs, quod meretur, non est humanitas Christi, sed Christus, ideò eius operationes habuerunt perfectam rationem meriti, & satisfactionis: quia ratio meriti, & satisfactionis Christi non reducebatur ad aliquam gratiam, & liberalitatem Christo exhibitam à Patre, nam Christus, vt est Diuinum suppositum est incapax, vt ei aliquod donum, aut beneficium exhibeatur.

Tertiò obijcitur. Gratia ex propria sui ratione consti- 54
tuit habentem Filium Dei adoptiuum; sed Christus non est capax filiationis adoptiuæ, vt ostendemus infra, in

ergo non est proprium, & connaturale subiectum gratiæ. Maior est manifesta, quia gratia omnem hominem iustum, præter Christum, constituit Filium Dei adoptiuum, & hoc non conuenit gratiæ ex aliquo priuilegio extrinseco, & acceptatione Dei extrinseca, sed ea propria sua natura habet hunc affectum, eò quòd est formalis quædam participatio Naturæ Diuinæ. Cōsequentia autem probatur: quia propriū subiectū alicuius formæ est illud, in quo forma potest se explicare in omnē effectū sibi connaturalem, vt de luce, & calore cōstat. Et ratio aperta huic doctrinæ suffragatur, quia subiectū proprium, & connaturale formę est subiectum ipsi formæ adæquatum, idest, illud subiectum, in quo forma explicat se in omnem suam virtutem: ergo &c.

55 Respondetur, quòd gratia ex sua natura habet constituere habentem Dei Filium, siue naturale n, siue adoptiuum. Si subiectum habens gratiam fuerit secundùm se extraneum à Natura Diuina: gratia formaliter illud constituet Filium Dei adoptiuū. Si autem fuerit Filius Dei naturalis, vt est Christus, constituet illum Filiū Dei naturalem, non quidem formaliter, sed dispositiuè, dispositione concomitante. Est autem multò perfectius, & connaturalius gratiæ, quòd per modum dispositionis

56 constituat Filium Dei naturalem, quàm quòd formaliter cōstituat Filios Dei adoptiuos. Imò verò necessariū non est, vt cōstituat ipsum habentem Filiū Dei, vel naturalem, vel adoptiuū. Si enim Spiritus Sanctus humanitatem assumeret gratia habituali exornatam, nō censeretur Filius Dei, naturalis, aut adoptiuus: sed quatenùs est Spiritus Sanctus, esset Deus essentialiter: inquantùm verò esset homo, etiam per gratiam vnionis esset Deus essentialiter, & ad hoc concurreret gratia habitualis per modum dispositionis concomitantis. Esset autem per gratiam habitualem Deus participatiuè, quam participationem formaliter conferret ipsa gratia habitualis.

57 Quartò obijcit M. Suarez art. 1. huius quæstionis disput. 18. sectio 3. contendens probare, gratiam secùdùm habitudinem sibi intrinsecam, & connaturalem, ac Physicam non respicere Christum, vt subiectum proprium, & connaturale. Maior distantia, & improportio est inter gratiam vnionis & gratiam habitualem, quàm inter naturam, & gratiam; sed natura nequit dicere connaturalem habitudinem ad gratiam propter improportionem, & distantiam diuersorum ordinum; ergo neque gratia habitualis, quæcumq; illa sit, potest dicere habitudinem intrinsecam, & connaturalem ad gratiam vnionis, ita vt ex natura sua petat coniunctionem, & vnionem ad illam, quia est inter illa maior distantia, & improportio. Ergo non potest gratia habitualis dicere habitudinem intrinsecā, & cōnaturalem ad Christū, vt Deū hominem. Patet hæc consequentia, quia Christus, vt Deus homo, essentialiter includit gratiā vnionis, seu per illam constituitur, vel potiùs ipse est maxima excellentia, & supremus ordo gratiæ vnionis. Maior argumenti probatur: quia distātia inter gratiam vnionis, & gratiam habitualem est distantia inter ens per essentiam, & ens per participationem; quę verò est inter naturam & gratiam, est inter duo entia per participationem.

58 Confirmatur primò. Sicut perfectiones, quę communicantur naturæ per gratiam habitualem sunt supra vires connaturales eius, & illā attollunt ad superiorem ordinem, ita perfectiones, quæ gratiæ habituali communicātur per cōiunctionem ad gratiā vnionis, sunt supra vires connaturales gratiæ creatæ, & pertinent ad aliud supremum ordinem: ergo sicut propter eam causam, naturæ non debetur perfectio gratiæ, neq; coniunctio cum illa, ita neq; gratiæ creatæ ex propria sua ratione debetur cōiunctio ad vnionem hypostaticā. Ergo neq; debetur subiectū, quod sit Deus homo. Ergo nō respicit hoc subiectum tanquam sibi proprium, & connaturale.

Confirmatur secundò. Gratia, vt est quædam qualitas realis, ac Physica, licèt sit ordinis Diuini, dicit ordinem ad subiectum, cui proximè inhæreat, quod sit forma, vel natura creata: ad suppositum autem naturæ non dicit habitudinem, nisi quatenùs est necessarium, illam naturam, cui ipsa debet inhærere, priùs subsistere, vel sustentari, quàm sustentare aliud; ergo gratia ex se non potest dicere connaturalem habitudinem ad illā naturam, vt subsistentem in supposito increato; quia hoc est tali naturæ extrinsecum, & per se nō necessariū ad inhæsionem gratiæ creatæ, & formalem eius effectum. Vnde si habitudo connaturalis præcisè consideretur, potiùs dicendum est, quòd sicut gratia creata intrinsecè respicit naturam creatam, ita ex se cōtenta est subsistentia creata talis naturæ. 59

Ad argumentum negatur consequentia, quia licèt sit maior distantia inter gratiā vnionis, & habitualem, quā inter naturā & gratiam, adhùc gratia habitualis, prout est in Christo, dicit intrinsecam & connaturalem habitudinem ad gratiā vnionis, ita vt quatenùs est in Christo, petat vnionem ad illam. Gratia verò habitualis absolutè considerata nō dicit huiusmodi habitudinem, aliàs vbicumq; esset, importaret illam, quod est falsum. Cæterùm prout est in tali subiecto, quod est Deus homo, dicit habitudinem connaturalem ad gratiam vnionis, & ex cōsequenti ad Christū. Sicut calor absolutè cōsideratus nō exigit summū intensiuus gradū, quem secundùm ordinem naturæ habere potest, nā interdum citra summū reperitur. Si verò cōsideretur, prout est in igne, requirit summū intensionis gradū, ad quem per naturā pertingere potest, nisi aliquod interueniat impedimentum, vel ex parte causæ efficientis, vel ex parte subiecti recipientis. Ita in proposito dicendū est de gratia. Si absolutè consideretur, non dicit intrinsecā, & connaturalem habitudinem ad gratiam vnionis: si verò perpendatur, vt est in tali subiecto, eam importat. Neq; maior, aut minor distantia tollit huiusmodi habitudinem cōnaturalem, nā maior distantia & improportio est inter substantiam, & accidens quàm inter duas substantias, & tamen accidens dicit habitudinem ad substantiam, quia est entis ens, quam tamen vnā substantia non dicit ad aliam. 60 61

Ad primam confirmationem conceditur, gratiæ habituali absolutæ consideratæ ex sua propria ratione nō deberi coniunctionem ad vnionem hypostaticā, neque subiectum, quod sit Deus homo. Si verò consideretur, vt est talis gratia, nempe, capitis gratia, & principium meriti infiniti, & satisfactionis exactæ, debetur illi coniunctio ad vnionem hypostaticam, & subiectum, quod sit Deus homo, & respicit illud tanquam sibi propriū, & connaturale. 62

Ad secundam confirmationem respondetur, gratiam habitualem 63

habitualem Christi dicere ordinem ad humanitatem, vel animam Christi, vt subsistentem in persona increata, tanquam ad subiectum proximum, aut inhæret; ad Christum verò importare habitudinem intrinsecam, & connaturalem, tanquam ad subiectum, Quod, & totale, cui simpliciter est debita connaturalitatis debito. Neq; ex hoc, quòd gratia habitualis sit forma creata, sequitur, prout est in Christo, non dicere habitudinem connaturalem ad personam increatam, cùm sit eiusdem ordinis Diuini cum illa. Reliquum est respondere ad argumenta initio disputationis proposita.

Soluuntur argumenta. §. VII.

64 PRIMVM & secundum argumentum probant duntaxat, gratiam esse Christo connaturalem, & debitam per modum proprietatis naturalis; sed non conuincunt, esse propriam passionem dimanantem per simplicem resultantiam ex gratia vnionis. Ad rationem autem desumptam ex D. Thoma negatur, quòd lumen productum in corpore Diaphano dimanet à sole per simplicem resultantiam, seu emanationem; sed per veram, & propriam actionem Physicam distinctam à creatione solis, per quam ipse sol effectiuè producit lumen, neque ipsum lumen productum est propria passio, & proprietas solis. Ita similiter gratia non effluxit per simplicem resultantiam in Christi humanitatem ex præsentia Diuini Verbi, sed fuit producta per nouam Dei actionem, ab vnione hypostatica distinctam.

65 Exemplum verò & similitudo D. Thomæ, nempe, sic se habere gratiam Christi ad Diuinum Verbum, sicut se habet splendor ad lucem solis; in hoc solùm tenet, quòd sicut splendor est effectus proportionatus, & eiusdem ordinis cum luce solis, & ab ipsa deriuatur; ita gratia est effectus proportionatus, & eiusdem ordinis cũ Verbo Diuino, cùm sit quoddam Diuinitatis participium. Sed non intendit D. Thomas, gratiã dimanare à Verbo naturali resultãtia, sicut splendor procedit à luce, quia lux producitur à sole necessitate naturali, nam sol est causa purè naturalis; & operatur per

66 modum naturæ per formam effectiui proportionatam. Etenim lumen Diaphani oritur ex luce, quæ est in ipso sole; gratia verò producitur à Diuino Verbo in humanitate per actionem simpliciter liberam, quamuis hæc actio libera induat rationem actionis naturalis in ordine gratiæ, quatenus fuit humanitati Christi debita supposita gratia vnionis. Necdum quòd Verbum non vnitur humanitati, vt forma, sed in ratione suppositi.

67 Ad tertium respondetur, quando est coniunctio formalis inter naturã superiorem, & inferiorem, esse verũ, quod in argumento asseritur. Secus autem esse, quando coniunctio est tãtùm in esse personali, qualis est humanitatis ad Verbũ: nã suppositũ in ratione suppositi nullã aliã perfectionem tribuit naturæ secundùm ordinem Physicũ, quàm ipsam terminare & cõplere: suppositum enim nõ operatur Physicè secundùm propriam virtutem, sed iuxta proportionem naturæ, cui suppositaliter vnitur. Vnde visio Christi, quãuis alicitur à supposito infinito, non tamen est perfectior visione alterius hominis habentis potentiam visiuam in perfectione æquali cum potentia visiua Christi, eò quòd tota visionis perfectio in Christo sumitur per habitudinem, & proportionem ad potentiam visiuam, & non ad suppositum.

Ad quartũ respõdetur, ex gratia habituali, siue ex anima per gratiã eleuata oriri per simplicẽ emanationem virtutes supernaturales, & dona Spiritus Sancti, quia gratia est principium formale, & quasi effectiuum harũ virtutum, & vnitur animæ per modum formæ: Verbũ autem non vnitur per modum formæ, sed tantùm per modum suppositi, atq; adeò ex eius vnione ad humanitatem, licèt resultet debitum connaturalitatis inter humanitatem assumptam, & gratiam, non tamen resultat ipsa gratia, sed noua actione est producenda. 68

Ad quintum respondetur, antecedens esse falsum, si intelligatur in genere causæ formalis, nam Verbum nõ fuit humanitati vnitum in ratione principij formalis effectiui gratiæ, aut alterius cuiusuis effectus, sed tãtùm in ratione suppositi terminantis, & complentis illam dependentiam, qua humanitas pendet à proprio supposito, cuius vicem Verbum eminenter gerit. Si autem intelligatur antecedens in genere causæ finalis, est verũ; quia Verbum Diuinũ ideò fuit humanitati suppositaliter vnitum, vt eam sanctificaret, & per ipsam sanctificatam tanquam per instrumentum coniunctum nos redimeret, & sanctificaret. 69

Cæterùm cùm duplex sit humanitatis Christi sanctificatio, altera facta per gratiã habitualem, & altera per gratiam vnionis, hanc posteriorem tribuit humanitati Verbum seipso, & quasi formaliter, nam hæc tota humanitatis sanctitas est ipsum Verbum, quatenus personaliter humanitati cõiungitur. Priorem verò sanctitatem causauit Verbũ efficienter in sua humanitate, per nouam, & liberam actionem, quę licèt accommodetur ipsi Verbo, fuit tamen toti Trinitati communis. 70

Ad argumentum ergo respondetur in forma, ex eo quòd Verbũ fuerit humanitati vnitum in ratione principij viuificãtis, & sanctificantis per modum causæ finalis, hoc est, vt esset principium viuificatiuum, & sanctificatiuum, non sequi, quòd vita spiritualis, & sanctitas resultaret per simplicem emanationem, aut in nobis, aut in Christi humanitate, sed duntaxat colligitur esse proprium effectum Verbi humanitati coniuncti. 71

SECVNDA DISPVTATIO.

AN Christus Dominus acceperit gratiam per propriam dispositionem. Et pars affirmatiua videtur vera. Primò, quia Christus accepit gratiam habitualem per actum liberi arbitrij, sed actus liberi arbitrij, quatenus procedit à gratia, vel ab auxilio speciali Dei, habet rationem dispositionis ad ipsam gratiam; ergo. Maior patet, nam Christus in illo primo instanti, in quo gratiam suscepit, fuit liber, & potuit habere vsum liberi arbitrij, & ideò adhuc dũ erat in vtero Virginis, appellabatur vir in sacris literis, iuxta illud Ieremiæ 31. Fœmina circumdabit virum. 1

Confirmatur primò. Sanctificari per actum liberi arbitrij, est longè perfectius, quàm sanctificari per solam gratiam habitualem, quia sanctificatio, quæ est per vsum arbitrij, est simul actualis, & habitualis, actus verò præstat habitui; sed sanctificationi animæ Christi tribuenda est maior, & maxima perfectio; ergo Christus sanctificatus est per proprium actum, & habitum, sicut adulti, & non per solam infusionem gratię habitualis, sicut sanctificantur paruuli. 2

Digitized by Google

Hæc ratio colligitur ex D. Thoma infra quæst. 34. art. 3. & 4.

3 Confirmatur secundò. Anima Christi fuit sanctificata sanctificatione adultorum, nempe, per liberum suæ voluntatis consensum, vt docet D. Thomas loco citato: sed liber voluntatis consensus in sanctificatione cuiuscumque hominis est dispositio ad ipsam sanctitatem, & gratiam, vt omnes Theologi fatentur: ergo.

4 Secundò. Christus in instanti suæ Incarnationis habuit actum supernaturalem & liberum, quo Deum dilexit, & homines, & decreuit mandato Patris obedire circa mortem pro hominum redemptione subeundã: ergo ille actus potuit habere rationem dispositionis ad gratiam, quam in eodem instãti accepit anima Christi, sicut actus, quem habet is, qui iustificatur in instanti suæ iustificationis, est dispositio ad gratiam, quæ in eodem instanti infunditur. Etenim actus contritionis, qui dispositio ad gratiam iustificantem vocatur, est in eodem instanti cum infusione ipsius gratiæ. Antecedens patet ex illo Pauli ad Hebræ. 10. & Psal. 39. *Ingrediens mũdum dixit, ecce venio, Deus meus volui.* Et subiungit Paulus: *Qua voluntate sanctificati sumus.* Ex quo loco duo colliguntur. Primum, quòd ille actus voluntatis, quo Christus Patri obedire voluit circa subeũdam mortem, fuit elicitus in ipso instãti Incarnationis. Hoc enim designant illa Verba, *Ingrediens mũdum &c.* Hoc est, in ipso actuali ingressu, qui fuit primum instãs Incarnationis. Secundum, quòd ille actus fuit liber, quia fuit omnium hominum sanctificatiuus: hoc enim denotant illa verba, *Qua voluntate sanctificati sumus.*

5 Tertiò. Primus parens in statu innocentiæ accepit gratiam simul cum natura in primo suæ creationis instanti, & tamen eam accepit per dispositionem liberi arbitrij, vt docet D. Thomas 1. p. quæst. 95. per totam, & idem fatetur de Angelis 1. p. q. 62. art. 2. ad 3. Ergo à fortiori anima Christi, licet susceperit gratiam in ipso suæ creationis instanti, eam tamen accepit per dispositionem liberi arbitrij. Et ratio communis ad animam Christi, ad Angelos, & protho parentem est, quam assignat D. Thomas q. 95. citata, nempe, quòd sanctificatio animæ per gratiam est quoddam spirituale matrimonium inter animam sanctificatam, & Deum, iuxta illud Oseæ. 2. *Desponsabo te mihi in fide,* Scilicet, viuificata per gratiam, & charitatem: atque requiritur consensus liber ex parte ipsius animæ sanctificatæ, qui vt ordine naturæ præcedit, habet rationem naturalis dispositionis ad gratiã. Et hæc est ratio communis pro omni gratia.

6 In hac difficultate M. Soto, quem refert M. Medina in hoc articulo, tuetur partem negantem. Sed ipse Medina hic, & infra quæst. 34. artic. 1. Defendit affirmantem, quam multi ex recentioribus Thomistis sequuntur, existimantes esse sententiam D. Thomæ.

7 Pro decisione autem quæstionis aduertendum est, dispositionem ad aliquam formam esse duplicem, alteram antecedentem, idest, quæ præcedit ipsam formam siue tempore, siue naturá, sicut calor solet vocari dispositio ad formam ignis, & contritio dispositio ad gratiam; alteram vero concomitantem, hoc est, quæ non præcedit formam, neque naturæ, neque temporis prioritate, sed concomitatur ipsam formam in instanti productionis eius, & est necessaria, nõ vt forma introducatur in subiectum, ad quod deseruit dispositio antecedens, sed vt forma rectè se habeat in subiecto, in quo suscipitur. 8 Sic potẽtiæ naturales, & propriæ passiones, quæ per simplicem emanationem effluunt à forma substantiali, solent appellari dispositiones cõcomitantes, nempe, quia non disponunt ad introductionem formæ in subiecto, sed ad bene esse ipsius formæ in tali subiecto; vt scilicet operetur iuxta modum sibi proprium, & connaturalem; & subiectum habeat in omnibus modum proportionatum ipsi formæ: sicut supra q. 2. diximus art. 11. cum D. Thoma, gratiã habitualem fuisse in Christo dispositionem cõcomitãtem ad vnionem hypostaticã.

9 Secundò aduertendum est, quòd si in Christi anima fuit aliqua dispositio ad gratiam suscipiendam, quę dispositionis nomen verè mereatur, debuit esse actus supernaturalis, & liber. Supernaturalis quidem, vt ipsam Christi animam redderet proportionatam, & eiusdem ordinis cum gratia suscipienda: liber autem, vt gratia reciperetur in anima proportionabiliter ad naturam ipsius. Etenim in his duobus consistit propria ratio dispositionis ad formam, nempe, quòd subiectum proportionetur ipsi formę, & quòd forma accommodetur ipsi subiecto, & ad modum eius recipiatur.

10 His ita constitutis sit Prima Conclusio. In anima Christi fuit vera dispositio ad gratiam habitualem, si sit sermo de dispositione concomitante; per quam benè se habeat gratia in anima Christi. Hæc conclusio probatur argumentis partis affirmantis. Et prætereà confirmatur; nam charitas, & reliquæ virtutes supernaturales, quæ simul fuerunt infusæ cum gratia in animã Christi, potuerunt exire in proprias operationes in eodem instanti, quo fuerunt infusæ, sicut sol in eodem instanti suæ creationis exeruit se in actũ illuminationis erga corpus Diaphanũ: ergo in instãti infusionis gratiæ Christi ipsa Christi anima prodiuit in operationes supernaturales, & liberas, ac proinde habuit dispositionem concomitantem gratiam, quia ad rationem dispositionis concomitantis gratiam tria hæc sufficiunt, nempe, quòd sit in eodem instanti infusionis gratiæ, quòd sit supernaturalis, & quòd sit operatio libera. Colligitur hæc conclusio ex D. Thoma infra q. 34. Vbi licet non faciat expressam mentionem de dispositione ad gratiã Christi: implicitè tamẽ & virtualiter illã statuit, quatenus docuit, animam Christi per proprium actũ fuisse sanctificatam, sicut sanctificantur adulti.

11 Secunda Conclusio. In anima Christi nulla dispositio antecessit infusionem gratiæ priùs tempore, vel naturâ. Probatur, quia ex opposita sententia sequeretur, Christum meruisse de condigno, imò & de rigore iustitiæ suam gratiam, & cõsequenter gloriam animæ suę; sed cõsequens non est admittendum, vt ostendetur infra q. 19. ergo. Probatur sequella. Actũs, quo anima Christi disponeretur ad gratiã dispositione antecedente, esset actus supernaturalis, & liber, & procederet à supposito infinite grato, ergo in illo priori naturæ, quo gratiã habitualem antecederet, esset simpliciter meritorius de cõdigno. Ergo mereretur ipsam gratiam posteriùs naturã cõferendã animæ Christi. Prior cõsequentia est euidens, & cõstat ex dictis art. 1. huius quæstionis. Posterior vero 12 probatur, quia nihil deerat illi actui, quominùs esset meritorius gratiæ & gloriæ animæ; quia habebat omnia requisita

Digitized by Google

requisita ad rationem meriti, & gratia posteriùs naturâ infundenda poterat habere rationem præmij, nam ad rationem præmij non est necesse, quod sit posterius tempore merito, sed sufficit esse posterius naturâ, vt patet in augmento gratiæ, quod iustus meretur, quoniam in eodem instanti confertur, in quo illud meretur. Ergò similiter dicendum est, Christum meruisse suam gratiam, si habuit dispositionem antecedentem ad ipsam.

13 Fateor quidem, hanc rationem non esse efficacem, saltem in nostra sententia, quam art. 1. huius quæstionis tenuimus, nempe, Christum mereri non potuisse sine gratia creata, vel habituali, vel ad minus actuali. Vnde ille actus ordine naturæ præcedens gratiam, licèt esset supranaturalis moraliter, non tamen Physicè, ac proinde non esset meritorius gratiæ, aut gloriæ animæ Christi. Quòd si ab auxilio aliquo speciali Dei procederet, proculdubiò esset meritorius, & gratiæ, & gloriæ.

14 Sed quidquid sit de hac ratione probatur secundò conclusio. Operatio Christi libera, quæ potuit habere rationem dispositionis ad gratiam eius habitualem, præsupponit in Christo ipsam gratiam simpliciter, & sine vlla limitatione, ergo nequiuit esse prior ipsa gratia, atque adeò neque habuit rationem dispositionis antecedentis. Probatur antecedens. Solus actus charitatis liber potuit esse sufficiens, & vltima dispositio ad gratiam in anima Christi, sed actus charitatis liber in anima Christi præsupponit gratiam iam habitam, neque potuit ad ipsius gratiæ infusionem, & introductionem ordinari; ergo. Probatur minor. In anima Christi actus charitatis potuit esse liber dupliciter tantùm. Primò, quatenus regulatur per scientiam infusam, quæ est cognitio extra Verbum, & non per visionem beatam. Secundò
15 idemmet, qui regulatur, & quatenus regulatur per scientiam beatam, sed non vt formaliter attingit Deum in semetipso, sed prout attingit Deum, quatenus est ratio diligendi creaturas, & obseruandi illa præcepta, quæ intrinsecam connexionem non habent cum statu beatifico, cuiusmodi fuit præceptum moriendi. Itaque idemmet actus charitatis regulatus per visionem beatam est simpliciter necessarius, prout fertur in Diuinam bonitatem secundùm se sumptam, & est liber quoad exercitium saltem, prout fertur in eandem Diuinam bonitatem, vt est ratio amandi creaturas, & implendi prædicta
16 mandata. Tunc sic. Vterque iste actus liber præsupponebat necessariò gratiam in anima Christi, quod sic explicatur: nam si erat actus charitatis regulatus per scientiam infusam animæ Christi, præsupponebat necessariò de potentia Dei ordinaria scientiam beatam, nam scientia infusa in intellectu beati consequitur ad ipsam visionem beatam, vt eius effectus: visio autem beata præsupponit gratiam, non enim confertur visio beata nisi animæ assumptæ per gratiam ad participationem Diuinæ
17 naturæ. Vnde improbabilis est sententia relata à M. Medina hic, affirmans visionem beatam animæ Christi præcessisse infusionem gratiæ habitualis. Si verò sermo sit de actu charitatis per scientiam beatam regulato, quatenus attingit Diuinã bonitatem, vt est ratio amandi creaturas, talis operatio similiter præsupponebat ipsam scientiam beatam, & amorem charitatis, prout attingit Diuinam bonitatem in seipsa: ergo similiter præsupponebat gratiam infusam, ac proinde nulla ratione potuit esse dispositio ad ipsam antecedens.

Tertiò probatur conclusio. Gratia habitualis fuit Christo collata ex debito connaturalitatis, vt supra ostensum est; ergo non fuit illi collata ex vi liberæ dispositionis voluntatis eius. Patet consequentia; quia repugnant hæc duo, quod aliquid detur propter debitum naturæ, & similiter propter liberam dispositionem, quia libertas contraponitur naturæ. Vnde falsò asserit M. 18
Medina infra q. 34. art. 1. Gratiam Christi fuisse eius animæ collatam duplici titulo, & titulo connaturalitatis ad modum propriæ passionis consequentis vnionem hypostaticam, & titulo liberæ dispositionis; nam isti duo tituli mutuam habent repugnantiam. Etenim improbabiliter diceretur, risibilitatem, quæ in homine ex naturali essentia per modum connaturalis passionis, & proprietatis oritur, habere in sui productione dependentiam ex actu liberæ voluntatis humanæ: oriri enim per modum naturæ, & per modum libertatis est implicatio in adiecto. 19

Quartò. Longè fuit perfectius animæ Christi habere gratiam per modum naturæ, quàm per modum liberæ dispositionis, nam Deo assimilari naturaliter est maxima perfectio, quæ in natura creata reperiri potest; sed animæ Christi est tribuendus ille modus sanctificationis, & gratificationis, qui est magis perfectus, ergo illi tribuenda est gratia non ex vi dispositionis, sed ex debito connaturalitatis illi collata. 20

Posteriò. Iustificatio animæ Christi facta per gratiam habitualem, non habuit rationem spiritualis matrimonij celebrati inter animam Christi, & Deum, si propriè loquendum est; ergo illa ratio relata ex D. Thoma, propter quam requiritur dispositio antecedens ad gratiam iustificantem tam in Angelis, quàm in hominibus, quæ desumitur ex ratione spiritualis matrimonij mutuum exigentis consensum, non habet locum in Christo. Antecedens probatur. Gratia Christi fuit quoddam ornamentum quasi naturaliter consequens ad illud excellens matrimonium, quod inter Verbum, & humanitatem assumptam fuit celebratum; ergo non habuit, propriè loquendo, rationem spiritualis matrimonij sanctificatio facta per gratiam: neque enim oportet fingere duo spiritualia matrimonia. Verum est, actum liberi arbitrij in Christo fuisse quendam approbationis consensum matrimonij per vnionem hypostaticam celebrati, sed ex hoc nullam induit rationem dispositionis præcedentis. 21

Ex his manent soluta argumenta initio disputationis proposita, quæ vt plurimùm probant, gratiam Christi secum attulisse liberum voluntatis consensum, qui habuit rationem dispositionis concomitantis. Neque D. Thomas quidquam aliud docuit, siquando insinuauit, necessariam fuisse dispositionem in anima Christi ad eius habitualem gratiam: est enim illi satis in vsu concomitantem dispositionem appellare simpliciter dispositionem. Et ita licet ipse docuerit, nullam præcessisse dispositionem in Christi humanitate ad gratiam vnionis, quamsæpius tamen docet, gratiam habitualem, & gloriam animæ Christi fuisse dispositionem ad gratiam vnionis: vt constat ex dictis in hac quæstione, & sexta præcedente: quibus locis loquitur de dispositione concomitante. 22

QVÆSTIO. VIII.

De gratia Christi, secundùm quòd est caput Ecclesiæ.

HACTENVS Disputauit D. Thomas de gratia Christi, prout est formalis perfectio illius, deinceps agit de illa, quatenus est principium alios gratificandi. Et quia hæc efficacia conuenit Christo, inquantum est caput Ecclesiæ, idcircò D. Thomas in hac quæstione duo examinat. Primum est, qua ratione conueniat Christo hæc capitis dignitas, & respectu quorum. Secundum est, quæ sit gratia, per quam influit, vt caput: hæc enim propriè dicitur gratia capitis.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm Christus sit caput Ecclesiæ.

CONCLVSIO. Christus côuenienter dicitur caput Ecclesiæ secundùm similitudinem humani capitis. *Probatur primò in argumento sed contra ex illo ad Ephes. 1. Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam. Deinde in corpore. Tota Ecclesia dicitur vnum corpus secundùm similitudinem corporis humani, quod secundùm diuersa membra habet diuersos actus, vt docet Paulus ad Roman. 12. & 1. Cor. 12. Ergo Christus erit caput Ecclesiæ modo dicto. Item, quia in capite sunt tria, nempe, ordo; quia caput est prima pars hominis incipiendo à superiori, & ideò omne principium dici solet caput, iuxta illud Ezechiel. 16.* Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ. *Perfectio; quia in eo sunt omnes sensus interiores, & exteriores; virtus, & motiu; & sic rectores dicuntur caput, quia alios mouent, iuxta illud 1. Reg. 15.* Nonnè cum esses paruulus in oculis tuis caput in tribubus Israel factus es? *Sed hæc tria conueniunt Christo spiritualiter; est enim prior dignitate & gratia, quia omnes alij acceperunt gratiam per respectum ad gratiam ipsius, iuxta illud ad Rom. 8.* Quos præsciuit, hos & prædestinauit, conformes fieri imaginis Filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. *Item conuenit illi perfectio propter plenitudinem omnium gratiarum secundùm illud Ioan. 1.* Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis. *Est etiam in eo virtus influendi gratiam in omnia membra iuxta illud.* De plenitudine eius omnes accepimus; *ergo &c.*

Primum argumentum D. Thomæ est. Caput influit sensum, & motum in membra: sed Christus, vt homo, non influit in homines sensum, & motum spiritualem, qui fit per gratiam; cùm non det Spiritum Sanctum, inquantum est homo, sed solùm vt est Deus, vt ait Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 12. Ergo Christus, vt homo, non est caput Ecclesiæ. Respondet, Christum, vt hominem, non dare gratiam, aut Spiritum Sanctum per authoritatem, sed meritoriè, & efficienter instrumentaliter: cæteros verò dare ministerialiter.

Secundum est. Capitis non est aliud caput; sed Christi, vt hominis, Deus est caput 1. ad Corint. 11. Ergo Christus non est caput. Respondet, capitis naturalis non esse aliud caput, nam corpus humanum non est pars alterius corporis. At verò capitis Metaphorici rectè dari aliud caput. Sic in corpore similitudinario vna multitudo est ordinata ad alteram, & est pars illius, vt multitudo domestica est pars multitudinis ciuilis. Et ita vnum caput, V. G. familiæ, potest habere alterum, videlicet caput ciuitatis. Et hoc modo Deus est caput Christi, cùm tamen ipse Christus sit caput Ecclesiæ.

Tertium. Caput est quoddam particulare membrum, influxum à corde recipiens: sed Christus est vniuersale principium totius Ecclesiæ; ergo non est caput illius. Resp. Caput habere manifestam præeminentiam respectu membrorum, cor autem non ita, sed influentiam occultam: cui comparatur Spiritus Sanctus, qui Ecclesiam inuisibiliter viuificat, & vnit. Christus autem secundùm visibilem naturam comparatur capiti, secundùm quam homo hominibus præfertur.

Commentarius.

PRO intelligentia conclusionis aduertendum est, eam esse certam secundùm fidem, vt constat ex Paulo ad Ephes. 1. *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Et cap. 4. *Crescamus in illo per omnia, qui est caput, ex quo totum corpus compactum est.* Et cap. 5. *Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse saluator corporis eius.* Et ad Coloss. 1. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ.* An verò nomine Ecclesiæ intelligat D. 1
Thomas solam Ecclesiam militantem in hominibus, vel simpliciter totam Ecclesiam, vt constat ex Angelis, & hominibus, & partim est militans, & partim triumphans, non apertè explicat D. Thomas, sed quantum ex illo colligi potest, loquitur de Ecclesia in posteriori sensu, quia ex hoc principio, quòd Christus est caput Ecclesiæ, infert in sequentibus articulis, esse caput hominum, & Angelorum, & eodem sensu loquitur Paulus de Ecclesia in testimonijs citatis. 2

Sed pro maiori examine conclusionis obijcitur contra illam. Primò. Extra rationem capitis est, quòd efficiat & constituat membra in esse substantiali membrorum; quia proprium capitis officium est influere motum, & sensum in membra iam constituta & vnita ipsi 3
capiti

Digitized by Google

capiti per generationem substantialem; sed Christus habet efficere, & constituere membra spiritualia in esse substantiali membrorum: ergo propriè non est caput Ecclesiæ. Minor est de fide, vt constabit infra q. 19. Maior etiam patet ex proprietate corporis naturalis ad cuius similitudinem Christus appellatur caput Ecclesiæ
4 per quandam methaphoram. Respondetur, Christum in ordine ad Ecclesiam duo habuisse officia: alterum, quòd efficit ipsa membra spiritualia, & constituit in ratione membrorum, illaq; sibi copulat, & vnit. Alterum verò, quòd in hæc membra sibi vnita influit motum spiritualis vitæ, eaq; conseruat, & fouet, ac dirigit in actionibus spiritualibus. Secundum officium constat pertinere ad rationem capitis, primum autem potiùs pertinet ad rationem generantis, quàm ad capitis ordinem. Et ita Christus in Sancta Scriptura appellatur Pater, vt Isaiæ. 9. *Pater futuri sæculi.* Et quidem in naturalibus intelligi non potest, quòd idem sit pater generans, &
5 simul sit caput. Verùmtamen, quia ea, quæ sunt in inferioribus diuisa, adunantur in superioribus, optimè intelligitur, quòd vnus, & idem Christus sit pater generans in esse spirituali iustos omnes, & simul sit eorum caput. Frequentiùs tamen Christus in sacris literis appellatur caput, quàm pater, quia, Caput, est nomen vniuersalius, in sua significatione comprehendens, & caput, quod est propriè caput, & similiter patrem, nam pater, quatenùs est filiorum principium, gaudet nomine capitis. Ad argumentum ergo conceditur, Christum non solùm gerere officium capitis, verùmetiam patris generantis.

6 Secundò obijcitur. Christus non est caput Ecclesiæ inquantùm Deus, quia vt sic nihil conuenit Christo, quod alijs Personis Diuinis non conueniat: neque inquantùm homo, quia si non esset Deus, non influeret vitam, & motum spiritualem in Ecclesiam, ac proinde neque esset caput: ergo. Hoc argumentum petit, An Christus Dominus sit caput Ecclesiæ, inquantùm Deus,
7 vel inquantùm homo. Vnde pro resolutione dicendum est primò, Christum, inquantum est Deus, esse caput Ecclesiæ secundùm eandem rationem, qua Pater, & Spiritus Sanctus sunt etiam caput Ecclesiæ, sed sub hac consideratione est caput quasi æquiuocum alterius rationis, de quo non loquitur D. Thomas in præsenti. De Christo autem, prout est homo, M. Medina hic, & art. 4. sequenti affirmat, esse temerarium negare, quòd sit ca-
8 pus Ecclesiæ. Quare dicendum est secundò, hanc propositionem, Christus, inquantùm homo, est caput Ecclesiæ, esse veram, & catholicam, si particula, Inquantùm, sumatur specificatiuè, ita vt sit sensus, quòd Christus per humanitatem exequitur officium capitis. Si verò accipiatur reduplicatiuè, ita vt sit sensus, Christum à sola humanitate habere, quòd sit caput Ecclesiæ, talis propositio est falsa: nam Christus habet esse caput Ecclesiæ, quatenùs per meritum infinitum, & satisfactio-
9 nem infinitam influit motum, & vitam spiritualem. At meritum Christi non habet esse infinitum ab humanitate, neque ab eâdem habuit Christi satisfactio, quòd esset de rigore iustitiæ. Quare ratio capitis non est desumenda à sola humanitate, sed simul à Diuinitate, & humanitate collectiuè. Quò fit, vt hæc propositio, Christus, inquantùm Deus homo, est caput Ecclesiæ, sit formalior, quàm ea, Christus inquantùm homo, est caput Ecclesiæ: quia prior propositio absque vlla distinctione est concedenda, posterior verò tantùm conceditur in
sensu specificatiuo. Et in eo conceditur à D. Thoma & 10
eius rationes manifestè procedunt de Christo, inquantùm homo est, nam vt sic influit omnem virtutem, & motum supernaturalem in alia membra, vt docet expressè D. Thomas ad primum. Imò in hoc excellit virtutem capitis naturalis, nam caput naturale non est principium totius vitæ animalis, sed tantùm eius vitæ, & motus, qui fit media apprehensione vitæ tamen ve-
getatiuæ. Vnde caput non est principium motus, qui 11
omnem apprehensionem antecedit, sed solùm cor: & ideò cor appellatur principium totius vitæ, vt docet expressè Aristoteles lib. de Somno, & Vigilia, & lib. 3. de Partibus Animalium cap. 3. & 4. Et D. Thom. 1. p. q. 20. art. 1. ad. 1. Cæterùm Christus, etiam inquantùm homo, est principium totius vitæ spiritualis, & primæ dispositionis ad ipsam, & secretissimæ etiam motionis, ratione cuius Spiritus Sanctus appellatur à D. Thoma cor Ecclesiæ.

Tertiò obijcitur. Si Christus est caput Ecclesiæ, se- 12
quitur, quòd est membrum, & pars Ecclesiæ: sed consequens est falsum; ergo. Probatur sequella: quia caput in naturalibus est propriè membrum, & pars totius corporis: sed Christus est caput Ecclesiæ ad instar corporis naturalis, ergo. Falsitas consequentis ex eo constat, quia nomen partis, vel membri dicit intrinsecè imperfectionem, & dependentiam à toto, & alijs partibus, quæ imperfectio repugnat Christo. Propter hoc argumentum quidam Theologi absolutè concedunt, Christum appellandum esse membrum siue partem Ecclesiæ. Sic Antisiodorensis lib. 3. Sūmæ Theologiæ tract. 1. cap. 4. q. 6. & Turrecremata lib. 1. Sūmæ Ecclesiasticæ cap. 46. Imò & D. Thomas idem docet. 1. Corint. 12. lectio. 3. videturq; id confirmari ex verbis Apostoli ibidem asserentis. *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.* Idest, de Christo, qui est potissimum Eccle-
siæ membrum. Nihilominùs ipse D. Thomas in. 3. d. 13
13. q. 2. art. 1. ad vltimum expressè mutat sententiam, & docet oppositum, nempe, Christum non esse appellandum Ecclesiæ membrum, neque partem, nam ratio membri importat intrinsecam dependentiam à toto, & ab alijs partibus, vt constat ex membris corporis Physici, ex quo hæc methaphora desumitur: Christus verò nullam omninò dependentiam habet à corpore, neque ab illo quidquam accipit. Neque locus D. Pauli obstat, cuius sensus est, vos estis membra de membro, idest, membra adinuicem diuisa, & ad diuersos fines immediatos, & operationes destinata. Vel vt explicat Caietanus, membra de membro, idest, ex parte, nam illa dictio, De membro, vt patet ex contextu Græco, idem denotat, quod pars membrorum, & fit sensus, vos estis aliqua pars membrorum corporis Christi. Aliam solutionem adhibet D. Thomas ibidem, nempe, Corinthios esse membra istius corporis mystici de alio membro, idest, per prædicationem eiusdem Apostoli ad fidem conuersi.

Ad argumentum ergo negatur sequella, & ad proba- 14
tionem neganda est consequentia, quia licèt rectè valeat in corpore naturali, in corpore tamen mystico, & morali nulla est consequencia, vt constat in varijs exemplis; nam Christus Dominus in Sacris literis appellatur

Leo,

Leo, ouis, ignis, & alia huiusmodi, ad quæ omnia superius prædicatum est brutum, & irrationale, & tamen Christus non dicitur brutum, & Deus appellatur ignis,
15 non verò elementum. Ratio autem huius diuersitatis est, quia Ecclesia & fideles non dicuntur corpus, neque membra propriè, sed tantùm methaphoricè, & propter quandam rationem similitudinis, similiter Christus non dicitur propriè, sed methaphoricè caput. Hæc vero methaphora, & similitudo attenditur penes ea, quæ sunt propria capitis, vt caput est, & vt distinguitur ab alijs membris, non verò secundùm quòd caput est membrum, sicut etiam methaphora, iuxta quam Christus dicitur Leo, & agnus, attenditur secundùm similitudinem, quam habet cum Leone in aliqua proprietate Leonis, vt Leo est, vel agni, vt agnus est, non tamen secundùm
16 quòd est brutum. Itaque in appellationibus methaphoricis non valet semper argumentum ab inferiori ad suum superius, eòquòd in ratione inferiori explicatur aliquid pertinens ad methaphoram, quod in ratione superiori non explicatur, quin potiùs explicatur aliquid impediens appellationem methaphoricam. Et ideò Christus appellatur caput & non membrum, licet membrum sit quasi genus ad caput. Neque Christus propriè loquendo debet dici pars Ecclesiæ, quia pars importat imperfectionem dependentiæ ab alijs partibus, sed dicitur pertinere ad Ecclesiam, tanquam author & principium totius virtutis & perfectionis, quæ est in Ecclesia ad eum modum, quo Deus ad hoc vniuersum pertinet non tanquam totum, neque tanquam pars, sed vt author, & principium illius.

Circa responsionẽ ad primũ disputat Dom. Caietan. celebrem illam quæstionem de modo, quo humanitas Christi causat gratiam, de quo commodiùs differetur infra quæst. 13. artic. 2.

ARTICVLVS II.

Vtrum Christus sit caput hominum quantùm ad corpora, vel solùm quantùm ad animas.

SVPPONIT D. Thomas, corpus humanum habere naturalem ordinem ad animam rationalem, quæ est propria eius forma, & motor. Et inquantum est forma corporis, recipere ab anima vitam, & cæteras proprietates conuenientes humano corpori secundùm suam speciem. Quatenùs verò est motor corporis, corpus esse instrumentum animæ. Hoc supposito est Prima Conclusio D. Thomæ. Tota Christi humanitas, scilicet, secundùm animam, & corpus influit in homines, & quantùm ad animam, & quantùm ad corpus, sed principaliter quantùm ad animam, secundariò quantùm ad corpus. *Probatur primò in argumento sed contra ex illo ad Philippens. 3.* Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. *Deinde in corpore. Humanitas Christi habet vim influendi, vt est coniuncta Verbo, cui corpus vnitur per animam, & corpus humanum habet ordinem ad animam, & vt materia ad formam, & vt instrumentum ad motorem; ergo humanitas Christi agit in vtrumque, sed priùs in vnum, secundariò in alterum. Secunda Conclusio.* Humanitas Christi agit in corpus, quatenùs eius membra exhibentur arma iustitiæ, quæ est in anima à Christo, vt ait Paulus ad Rom. 6. Et quatenùs gloria animæ redundat ad corpus, iuxta illud ad Rom. 8. Qui suscitauit Christum Iesum à mortuis &c.

Primum argumentum D. Thomæ est. Christus est caput Ecclesiæ, quatenùs in eam influit spiritualem sensum, & motum gratiæ; sed corpus non est capax huius spiritualis motus & sensus: ergo Christus non est caput hominum secundùm corpora. Resp. Sensum spiritualem gratiæ peruenire quidem ad corpus, non primò & principaliter, sed secundariò, & instrumentaliter.

Secundum est. Si Christus esset caput hominum quantùm ad corpora, sequeretur, quòd etiam esset caput brutorum animalium, cùm homines quantùm ad corpora communicent cum brutis. Resp. Quòd licèt homines corpore communicent cum brutis, corpus tamen humanum habet ordinem ad animam rationalem. Non sic corpus brutorum, quorum Christus non est caput.

Tertium est. Christus corpus suum ab alijs hominibus traxit, vt constat Matth. 1. & Luca. 3. Sed caput est primum inter cætera membra: ergo Christus non est caput Ecclesiæ quantùm ad corpora. Resp. Quòd licèt Christus materiam corporis ab homine acceperit: vitam tamen immortalem corporis omnes homines accipiunt ab ipso, in quo omnes viuificabuntur, vt 1. ad Corint. 15.

Commentarius.

CONCLVSIO verasque sic est intelligenda, quòd Christus, vt author gratiæ, non solùm secundùm suam animam, verùm etiam secundùm suum corpus, quamuis per corpus mediante anima, influat gratiam, & est caput hominum principaliter quantùm ad animas, secundariò quantùm ad corpora: nam in hac vita influit vlteriùs, & auxilium, vt corpora efficiantur organa iustitiæ, & ut cor, & caro in ipsum exultent, vt sic faciliùs operentur virtutem, & passiones sustineant. Et tandem omnia bona corporis, quæ ad salutem æternam sunt media vtilia, dantur propter Christum, & pertinent ad istum influxum. Item in futura vita

visa influet corporum resurrectionem, vitam immor-
2 talem, & alias dotes corporis gloriosi. Dicitur autem Christus caput corporum secundariò, quia bona gratiæ, quibus corpus est capax, sunt secundaria, & minus principalia in illo ordine. Dicitur etiam caput secundùm suum corpus, quia per suum corpus nos redemit, & nos suo sanguine lauit, & in statu gloriæ per suum corpus beatificabit corpora nostra, & efficientèr, & obiectiuè. Sed non est necessarium, vt actione corporis semper influat in corpora, & actione animæ in animas; nam etiam actione corporis in animam influere potest, & per actionem animæ in corpus.

DISPVTATIO VNICA.

3 CIRCA Istum articulum dubitatur, An Christus Dominus sit caput omnium creaturarum, etiam quantùm ad esse naturale ipsarum, sine aliqua subordinatione ad finem supernaturalem, & ordinem gratiæ: etenim quatenùs naturalia subordinantur ordini gratiæ, sine dubio Christus est caput illorum, & illa meruit, quia sic sunt effectus nostræ prædestinationis. Dubium ergo procedit de creaturis præcisè in sua natura consideratis quantùm ad naturalia sine aliquo ordine ad finem supernaturalem: in quo sensu probatur, Christum esse caput earum. Primò ex Paulo ad Colossens. 1. vbi Christum appellat primogenitum
4 omnis creaturæ: & in eo esse condita vniuersa. Loquitur autem Paulus de Christo, secundùm quòd est homo. De quo statim subdit, ipsum esse caput corporis Ecclesiæ: ergo Christus est primogenitus omnis creaturæ etiam in esse naturali influens in ipsas, quoniam in ipso
5 Christo condita sunt vniuersa. Secundò, quia huiusmodi ratio capitis pertinet ad Christi excellentiam. Tertiò, quia ad rationem capitis sufficit, vt omnia pendeant à Christo, & ab eius gubernatione, omnes autem creaturæ etiam in esse naturali pendent à Christo Domino, & ab eius gubernatione, quia omnia sunt illi tradita à Patre.

6 In hac re Ambrosius Catharinus libro de Eximia Christi prædestinatione, tenet partem affirmatiuam, cui subscribit Petrus Galatinus lib. 7. de Arcanis Catholicæ veritatis cap. 2. Vbi refert ex quibusdam Rabbinis Hebræorum, quòd cùm Deus præuideret peccatum Adæ, & aliorum hominum, noluisse mundum creare. Posteà verò videns eximiam Christi, & Beatissimæ Virginis Sanctitatem, voluit condere mundum. Et ita ex meritis Christi habent esse omnes creaturæ etiam quan-
7 tùm ad esse naturale. Nihilominus pro explicatione aduertendum est, aliud esse loqui de ratione capitis; aliud verò de ratione finis. Etenim ad rationem finis sufficit, aliquid esse perfectius, & inferiora ordinari ad ipsum. Naturalia autem ordinantur ad ordinem gratiæ, & ordo gratiæ ad gloriam, gloria autem ad vnionem hypostaticam; hoc tamen non sufficit ad rationem capitis, sed præterea requiritur, quòd caput habeat aliquem influxum in membra, ita vt membra participent aliquam virtutem, & perfectionem ab ipso. Et ita Christus Dominus est finis dæmonum, & damnatorum, & punitionis ipsorum, non tamen est eorum caput.

7 Hoc supposito. Dicendum est primò, Christum, etiam prout est homo, esse finem omnium creaturarum. Probatur primò ex Paulo 1. ad Corint. 3. *Omnia vestra sunt, siue præsentia, siue præterita &c. Vos autem Christi, Christus autem Dei.* Secundò, quia vnio hypostatica est supremum bonum præter Deum, ad cuius gloriam ordinantur inferiores ordines naturæ, gratiæ, & gloriæ.

8 Dicendum est secundò, Christum non esse caput creaturarum, si hæ præcisè considerentur in ordine naturali sine subordinatione ad finem supernaturalem. Probatur. Creaturæ in esse naturali non sunt factæ propter Christum, neque ex meritis illius ergo Christus secundùm istam rationem non est caput illarum. Et ideò Christus, vt explicaretur gratia, secundùm quam veniebat in mundum, non accepit nomen conditoris, vel creatoris, sed redemptoris. Vnde D. Augustinus Epistol. 105. explicat hanc veritatem, ostendens, quæ sit illa gratia, quam maximè commendat Apostolus ad Roman. 8. Et refert sententiam quorundam asserentium, illam gratiam esse nostrum liberum arbitrium, quod sine vllis meritis nostris præcedentibus nobis cõ-
ceditur. Refellit autem Augustinus hanc sententiam di- 9
cens. *Abijciatur à cordibus fidelium ista fallacia, nam omninò istam gratiam non commendat Paulus Apostolus, qua creati sumus, vt homines essemus, sed qua iustificati sumus, vt iusti essemus. Etenim Christus non pro nullis mortuus est, vt homines condemnentur, sed pro impijs, vt iustificarentur.* Hoc est, merita mortis, & redemptionis Christi non attingunt creationem hominis ex nihilo, supposito tamen quòd iam semel sit creatus, & in peccatum lapsus, attingunt reparationem illius.

Præterea. Dæmones, & damnati non sunt membra 10
Christi, neque etiam in potentia, neque Christus dicitur aliquo modo eorum caput, quia nullum spiritualem influxum habet in eos, vt ostendit D. Thomas articulo sequenti; sed in creaturas præcisè consideratas secundùm ordinem naturæ nihil etiam influit Christus: ergo non est caput earum. Postremò. Vel Christus, inquantùm homo, est caput creaturarum in esse naturali, considerando præcisè naturam humanam Christi, & perfectiones naturales illius, vel secundùm quòd humanitas est eleuata ad vnionem hypostaticam, & donis su-
pernaturalibus perfecta. Primùm dici non potest; tum 11
quia secundùm illam rationem omnes Angeli sunt Christo perfectiores, tum etiam, quia sic nullam virtutem alijs creaturis communicat. Si verò dicatur secundùm, habetur intentum, nempe, esse caput aliarum creaturarum, prout subordinantur ordini gratiæ, & vnionis hypostaticæ, ita vt hæc subordinatio non solùm in ratione finis consistat, sed in eo potissimùm, quòd ex meritis ipsiusmet Christi subordinentur gratiæ, & gloriæ. Et ita D. Thomas Opusculo 20. de Regimine Principum lib. 3. cap. 13. & 14. docet, Christum Dominum habere vniuersale dominium supra totum orbem, & supra omnia naturalia, secundùm tamen quòd subordinantur gratiæ, & ordini supernaturali.

Ad primum argumentum negatur, ex meritis Chris- 12
ti, vel in ordine ad illa habuisse esse, vel fuisse creaturas naturales. Ad locum autem Pauli respondetur, quòd cùm in Christo Domino sit duplex natura, Diuina, scilicet, & humana, quædam ex his, quæ ibidem asserit Apostolus, conueniunt Christo secundùm naturam Diuinam,

Diuinam, secundùm quam in ipso sunt condita vniuersa, quia in principio, idest, in Verbo, creauit Deus cœlum, & terram: & secundùm eandem Naturam Diui-
13 nam dicitur etiam primogenitus omnis creaturæ, quia est ab æterno genitus, & in ipso condita sunt vniuersa in tempore. Quo etiam sensu Ecclesiastici. 24. Ipsummet Verbum Diuinum sub nomine sapientiæ dicitur Primogenitum ante omnem creaturam. Item esse imaginem Dei conuenit Christo, quatenus est Deus, licèt aliqui impropriè explicent illud de Christo, inquantùm est homo, ex illo Ioan. 14. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* Quod verò subdit Apostolus, ipsum esse constitutum caput Ecclesiæ, competit Christo, prout homo est.

14 Ad secundum respondetur, Christo Domino esse tribuendam omnem excellentiam, & dignitatem, quæ cum officio Redemptoris, & in ordine ad redemptionem stare potest. Et ideò concedenda est Christo, inquantùm homo est, tota excellentia Redemptoris, non tamen creatoris.

15 Ad tertium respondetur, omnia tradita fuisse Christo in ordine ad finem gratiæ, & gloriæ, & non aliàs. Neque sufficit quæcumque eminentia, imò verò neque ratio finis, vt dicatur caput: sed præterea requiritur aliquis virtutis influxus, quem nisi modo iam explicato non habet Christus.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm Christus sit caput omnium hominum.

SVPPONIT D. Thomas, hanc esse differentiam inter corpus hominis naturale, & corpus mysticum Ecclesiæ, quòd illud habet omnia membra simul, hoc verò non habet omnia simul, neque quò ad esse naturæ: quia corpus Ecclesiæ constituitur ex hominibus, qui à principio mundi fuerunt, vsque ad finem ipsius, neque quò ad esse gratiæ, nam quidam eam habent, alij verò illa carent. Quò fit, vt membra corporis mystici accipiantur, non solùm prout sunt in actu, sed etiam prout sunt in potentia, quæ vel nunquam reducetur ad actum, vel reducta est ad actum, & hoc tripliciter, vel per fidem, vel per charitatem, vel per gloriam: vel aliquando reducetur.

Hoc supposito est Prima Conclusio. Christus generali quadam ratione est caput omnium hominum secundùm totum tempus mundi. *Probatur in argumento sed contrà, quia Christus dicitur Saluator omnium hominum, & propitiatio pro peccatis totius mundi: sed hæc conueniunt Christo, vt est caput: ergo.*

Secunda Conclusio. Christus est caput omnium secundùm diuersos gradus, nempe, secundùm quinque gradus. *Primus & potissimus est eorum, qui illi vniuntur per gloriam. Secundus eorum, qui per charitatem. Tertius eorum, qui per fidem. Quartus eorum, qui potentia tantùm illi vniuntur, potentia, inquam, quæ ad actum est reducenda: & quintus eorum, qui vniuntur in potentia, quæ ad actum nunquam reducetur.*

Tertia Conclusio. Præsciti ex hoc sæculo decedentes omninò desinunt esse membra Christi. *Quia iam non sunt in potentia, vt Christo vniantur.*

Primum argumentum D. Thomæ est. Caput dicit relationem ad membra sui corporis; sed infideles nullo modo sunt membra Ecclesiæ, quæ est corpus Christi: ergo Christus non est caput omnium hominum. Resp. Infideles esse membra Ecclesiæ in potentia, quæ fundatur in merito Christi principaliter, & in libertate arbitrij secundariò.

Secundum est. Ecclesia est sine macula, & ruga, vt ait Paulus ad Ephes. 5. Christus tradidit semetipsum pro Ecclesia, vt ipse exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi; sed multi sunt etiam fideles, in quibus inuenitur macula, aut ruga peccati: ergo Christus nō est caput omnium fidelium. Resp. Quòd Ecclesia sine ruga, & macula erit in patria: non tamen in via: si enim dixerimus, quòd peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, vt dicitur 1. Ioan. 1. Vnde qui sunt membra vnita per charitatem, sunt membra actu: qui fide tantùm, sunt membra in potentia; vel sunt membra imperfectè per fidem informem, prout recipiunt à Christo actum vitæ, quod est credere.

Tertium est. Sacramenta veteris legis comparantur ad Christum, sicut vmbra ad corpus, vt dicitur ad Colos. 2. Sed Patres veteris Testamenti Sacramentis illis suo tempore seruiebant, iuxta illud ad Hebræ. 8. Qui exemplari, & vmbræ deseruiunt cœlestium: ergo non pertinebant ad corpus Christi; atque adeò Christus non est caput omnium hominum. Resp. Quòd Sancti Patres seruando legalia, ferebantur in Christum per fidem, & dilectionem, prout Christus erat in illis vt in imagine: quia ex Aristotele lib. de Memoria, & Reminiscentia cap. 2. Idem est motus in imaginem, & rem, cuius est imago. Et ideò ad corpus Ecclesiæ pertinebant.

Commentarius.

PRIMA, Et Secunda Conclusio sunt de fide tenendæ, vt constat ex D. Paulo. 1. ad Tim. 4. *Est Saluator omnium hominum, & maximè fidelium.* Et 1. Ioan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis

nostris,

nostris, non pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Tertia Conclusio est similiter de fide, cùm constet, huiusmodi reprobos iam esse extra statum salutis, in inferno enim nulla est redemptio, ac proinde carere potentia, vt vniantur Christo capiti. Sed pro maiori examine conclusionum sit primum argumentum, quo probatur, Christum non esse caput omnium hominum.

2 Primò. Christus non est caput infidelium; ergo. Antecedens probatur, nam infideles non sunt membra Christi, cùm sint bis mortui, vt ait Iudas Apostolus in sua Canonica, quia neque participant vitam spiritualem, neque aliquem eius motum. Dicetur forsan, infideles esse in potentia, vt vniantur Christo, ac proinde esse membra in potentia, sicut fideles, qui charitatem non habent, sunt membra mortua actu, viua autem in

3 potentia. Sed contra est. Primò, quia hæc potentia est tantùm obedientialis, vt constat, cùm sit ad actum supernaturalem, potentia autem obedientialis non sufficit, vt aliquis dicatur membrum Christi, etiam in potentia, quoniam hæc obedientialis potentia manet similiter in dæmone, & in damnatis, qui tamen non sunt membra Christi, vt docet D. Thom. in 3. Conclusione. Secundò, quia Christus esset caput illorum in potentia, & non in actu, quod est falsum.

4 Confirmatur. Rex Hispaniæ nullo modo dicitur caput Turcarum, etiam si Turcæ possint aliquando reduci ad obedientiam illius, ergo neque Christus est caput infidelium, etiam si sint in potentia.

5 Secundò. Patres antiqui, qui in sinu Abrahæ existebant, ante aduentum Christi, animæ etiam existentes in Purgatorio, in nullo ex his quinque gradibus à D. Thoma annumeratis continentur: ergo Christus non est caput eorum saltem quantùm ad istos status.

6 Tertiò. Reprobi sunt inimici Dei, & ab illo habiti odio; ergo non pertinent ad Ecclesiam, neque Christus habet rationem capitis in ordine ad illos. Confirmatur.

7 Influxus gratiæ & vitæ supernaturalis, si quis est aliquãdo in reprobis, vt fuit de facto in Iuda, quando erat in gratia, & in aliis multis reprobis, qui baptizantur, & interdum sunt amici Dei, & actu recipiunt influxum, & virtutem à Christo: hæc, inquam, virtus, & communicatio illius non ordinatur ad bonum ipsorum reproborum, sed ad maiorem potiùs eorum condemnationem: ergo Christus non habet rationem capitis in tali influxu. Patet cõsequentia, quia influxus capitis in membra debet esse in ordine ad bonum, & meliorem consistentiam ipsorum membrorum.

8 Quartò. Schismatici repugnant, & contradicunt Ecclesiæ, excommunicati item separantur ab Ecclesia, hæretici etiam impugnant Ecclesiam: ergo Christus Dominus saltem istorum non est caput.

9 Quintò. Contra tertiam conclusionem speciatim obiicitur. Damnati in inferno puniuntur citra condignum; sed hoc beneficium confertur illis propter merita Christi; ergo sunt membra Christi, cùm ab illo aliquem recipiant influxum. Item pueri in solo originali decedentes recipiunt aliquando aliquam Dei cognitionem, & amorem, & aliquem modum fœlicitatis, vt piè creditur à multis Theologis: sed hoc illis conceditur propter Christum, & eius merita; ergo sunt membra illius.

Pro explicatione huius rei aduertendum est, in hac parte idem esse iudicium eorum, qui pertinent ad Ecclesiam tanquam membra illius, & ad Christum tanquam caput. Christus enim est caput corporis duntaxat, quod est Ecclesia, vt dicitur ad Ephes. 1. Neque hic est sermo de Ecclesia secundùm strictam quandam acceptionem, vt pertinet tantùm ad statũ legis nouæ, secundùm quam rationem definitur à Catholicis nostri temporis contra recentiores Lutheranos, quod sit collectio fidelium baptizatorum sub vno capite Christo in cœlis, & eius Vicario in terris: huiusmodi ergo acceptio tantùm conuenit Ecclesiæ secundùm peculiarem legis Euangelicæ statum, quia in lege naturæ, aut in scripta non erat vnum caput Ecclesiæ in terris. Sermo itaque est de Ecclesia, 11 prout definitur à Nicolao Pontifice in cap. Ecclesia, de Consecratione d. 1. Quòd sit collectio omniũ fidelium, qui habuerũt, vel habituri sunt fidem in Deũ, & in Christum: qua ratione dicitur esse vna Ecclesia, quæ fuit ab initio mundi, & durabit vsque in finem. Imò Ecclesia triumphans est etiam eadem, quia omnes beati fuerunt iustificati ex fide, & meritis Christi. 10

Secundò obseruandum est, rationem membri in hoc 12 potissimùm cõsistere, quòd vniatur capiti secũdùm aliquam subordinationem, & subiectionem in recipiendo ab ipso, vel actu, vel potentia aliquem influxum, & virtutem in ordine ad participationem vitæ supernaturalis totius corporis. Et ideò eo modo, quo aliquis se habet ad hanc participationem, habet etiam se ad hoc vt sit membrum. Hinc est, quòd licet dãnati recipiant à Deo 13 ex meritis Christi aliqua supernaturalia (resurrectio enim dãnatorũ, & immortalitas corporum, quam post diem iudicij habebunt, supernaturalis est, & ex meritis Christi) quia tamen hæc supernaturalia nõ recipiunt in ordine ad istam vnionem, neque ad aliquam participationem vitæ talis capitis & corporis, nullo modo dicũtur membra Christi: cuius rei etiam est exemplum in naturalibus: nam excrementa corporis naturalis, & humores superflui, etiam si calorem naturalem participent, nullo modo dicuntur membra, quia ad participationem vitæ nullatenus ordinantur.

His præmissis sit Prima Conclusio. Christus Domi- 14 nus actu est caput omniũ hominũ, qui actu participant ab ipso fidem, & charitatem, & alia dona supernaturalia, quæ fidem subsequũtur. Probatur, quia respectu istorũ hominũ cõueniunt Christo Domino actu cõditiones capitis explicatæ art. 1. Et actu influit aliquod donũ supernaturale pertinens ad finem, & vitã supernaturalem corporis mystici: ergo actu sunt mẽbra Christi. Ex hac 15 conclusione sequitur primò, Christũ Dominũ, etiã antequàm fieret homo, fuisse verũ caput iustorum, & fideliũ antiquæ legis; omnes enim receperunt à Christo in genere causæ finalis, & meritoriæ fidem, & alia supernaturalia bona. Et ita quamuis non esset caput illorum secundùm omnem rationem, iuxta quã modò est caput nostrum, quia in illos effectiuè non influebat, sicut modò in nos influit: ille tamen influxus in genere causæ finalis, & meritoriæ, ita, scilicet, quòd nõ tãtùm in ordine ad Christum, vt finem, sed etiam ex virtute meritorum ipsius Christi, quæ Deus præuidit, conferretur illis gratia, & fides, sufficiens erat ad rationem capitis.

Sequitur secundò, quemcumque fidelem, etiam si in 16 peccato mortali existat, esse actu membrũ Christi, quia

talis peccator actu recipit fidem, quæ ex meritis Christi est fundamentum, & radix totius supernaturalis vitæ. Etenim ad saluandam rationem membri saltem imperfectè non requiritur gradus vitæ sensitiuæ, sed sufficit vegetatiuæ. Et sic fideles existentes in peccato mortali sunt membra Christi propter fidem, & alios motus supernaturales, imperfectè tamē propter defectū charitatis, vt docet D. Thom. hîc ad secūdū dicens, peccatores esse membra Christi actualiter secundùm quid, & non simpliciter, hoc est, imperfectè, & non secundùm totam perfectionem ad rationem membri spectantem. Ratio D. Thomæ est, quia percipiunt à Christo quendā actum vitæ, qui est credere, sicut membrū mortificatum mouetur aliqualiter ab homine. Sed membra mortificata propriè (licèt imperfectè) participāt rationem membri: ergo huiusmodi peccatores propriè sunt mēbra Christi.

18 Neque obstat, quòd peccatores fideles sunt simpliciter membra diaboli, nam quantò vna res imperfectiùs participat aliquam rationem formalem, tantò magis habet de mistione rationis oppositæ: & ideò non est inconueniens, quòd idem simul sit membrū Christi, & membrum diaboli diuersis considerationibus, nā sunt membra Christi, quatenùs ab eo accipiunt fidem, & spem, atque alia dona necessaria ad suam, & aliorum salutem: sunt autem membra diaboli ratione peccatorum, quæ sunt propria opera diaboli, iuxta illud. *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Vnde Christus, & diabolus concurrunt in vno, & eodem homine, Christus quidem fidem infundendo, diabolus verò mouendo ad peccatum.

19 Sequitur tertiò: Catechumeni, etiam antequàm baptismum suscipiant, si habeant fidem, & charitatem, esse actu membra Christi, quia actu recipiunt ab ipso fidem, & alia dona. Et quamuis Cathecumeni non pertineant ad Ecclesiam secundùm gubernationem visibilem, ad quam necessariū requiritur actualis, & visibilis susceptio baptismi: spectant tamen ad Ecclesiam secundùm interiorem sanctitatem, & virtutem. Sed hæc pressiùs vrgere, non est huius loci, sed pertinet ad 22. q. 1. artic. 10. vbi legendi sunt Magister Bañes, & Magister Aragon.

20 Secūda Cōclusio. Omniū viatorū, qui nō habent fidē, Christus est caput tātùm in potētia. Probatur. Tales non recipiūt influxū supernaturalis vitæ à Christo, nisi tātū in potentia, ergo non sunt actu membra talis capitis, sed tantùm in potentia. Sed dices. Huiusmodi infideles sæpè ex meritis Christi recipiunt inspirationes supernaturales ad recipiendam fidem, & legem Euangelicam; ergo vtiq; influit Christus actu in illos, & ita nō erūt solùm mem-
21 bra in potentia, sed etiam in actu. Respondetur, illas omnes inspirationes, & motiones supernaturales esse quasi dispositiones remotissimas ad supernaturalem vitam, & sic non facere membrum in actu, ad eum modum, quo etiam in naturalibus alimentum, dum calefit ab stomacho, & digeritur, licet participet aliquam virtutem à corpore viuente, nō tamen dicitur aliquo modo membrum, neque pars corporis viuentis, sed solùm est in via, & dispositione, vt in carnem conuertatur, & fiat pars, vel membrum.

22 Ad primum argumentum rectè ibidem responsum est, quòd infideles sunt membra in potentia. Ad primam replicam respondetur cū Caietano hîc, hanc potentiam non tantùm esse logicam, vel obedientialem, sed moralem secundùm potentiam, & legem ordinariā Dei. Sunt enim in Ecclesia Sacramenta, & prædicatio Euangelij, quæ secūdùm potentiā, & legem ordinariā possunt infidelibus applicari, non tamen damnatis, ad quos merita Christi nullatenùs se extendūt, quia in inferno nulla est redemptio. Itaque si peccator, vel infidelis præcisè in sua natura consideretur, ad Deum conuerti non potest secūdùm naturalem potentiā: potest tamen secūdùm Diuinū auxiliū, quod iuxta legē ordinariā Dei, & sine miraculo possunt in hac vita infideles obtinere. Dæmones verò, & damnati tale auxiliū cōsequi nequeūt, nisi magno miraculo secundùm absolutam Dei potentiam.

Ex quo sequitur primò, pueros in limbo existētes nullo modo esse membra Christi, quia licet nullum ibi habeant actum, vel effectum malum, in illo tamen statu non sunt participes Redemptionis Christi, neque sunt in potentia, vt secundùm legem Dei ordinariam aliquid supernaturalis vitæ participent. 23

Sequitur secūdò, pueros, qui in ventre maternis moriuntur, statim atque incipiūt viuere, posse dici membra Christi, quia & sunt participes redemptionis Christi, & eius influxum possunt recipere, quāuis interdū impediatur per accidens. Aliqui etiam in vtero sanctificati sunt per merita Christi, & aliqui etiam præsertim prædestinati recipiunt aliquod auxilium per specialem prouidentiam saltem medijs parentibus, & hoc satis est, vt Christus verè sit eorum caput. 24

Sequitur tertiò, infideles amentes dicendos esse membra Christi in potentia, quia secundùm legem ordinariam possunt absque miraculo baptizari, & fieri actu membra Christi. Vnde libertatem arbitrij, in qua dicit D. Thomas ad primum fundari hanc potentiam infidelium, vt sint membra Christi, non est necessarium, in omni indiuiduo naturæ saluari, sed sufficit, quòd sit aliquis viator, cui ex meritis Christi possit alius liberè applicare Sacramentum fidei. 25

Ad secundam replicam conceditur sequella, iuxta dicta in Secunda Conclusione: vel dicendum, duo posse in capite considerari. Vnum est ipsum esse capitis, alterum est actualis vnio membrorum ad ipsum. Christus ergo habet actu quidquid ad esse, seu constitutionem capitis pertinet, & de se potens est ad influendū in omnia membra, & sine vlla sui mutatione omnibus potest vniri, si ipsa velint illi coniungi. Interdum etiam habet aliquem influxum in eos, qui tantùm sunt membra in potentia immisendo aliquas inspirationes, quibus eos ad suam fidem & amorem paulatim trahat. 26

Ad confirmationem respondetur, Christum absolutè esse caput omnium hominum, quia de facto pro omnibus hominibus passus est, & quantùm ad sufficientiam habet remedium pro omnibus, & quantùm est ex parte sua vult omnes homines saluos fieri. Et ideò specialiori ratione dicitur caput infidelium, quàm Rex Hispaniæ diceretur caput Turcarum. 27

Ad secundum respondetur, Patres existentes in sinu Abrahæ participasse actu virtutem redemptionis Christi, comprehendique à Diuo Thoma sub numero beatorum, quia nihil eis purgandum restabat. Animæ vero existentes in Purgatorio, quamuis ex meritis Christi sint iam confirmatæ in gratia, nondum tamen sunt in termino, sed superest illis 28
aliquid

Digitized by Google

aliquid purgandum, & ita commodiùs reducuntur ad gradum viatorum existentium in gratia.

29 Ad tertium respondetur, reprobos dici odio habitos à Deo secundùm peccata præuisa, & finalem eorum impœnitentiam. Interdum verò secundùm præsentem iustitiam vniuntur Christo per fidem, imò etiam per charitatem, & tunc secundùm præsentem iustitiam sunt actu membra Christi, & ab ipso dilecti.

30 Ad confirmationem respondetur, influxum supernaturalis vitæ, & fidei, quem à Deo & Christo recipiunt reprobi, per se, & ex intentione Dei, & Christi ordinari in spirituale ipsorum bonum, sed ex eorum malitia conuerti illis in malum, quam malitiam etsi Deus præuideat, non tamen tenetur eam efficaciter vitare, quia hoc esset naturam inuertere.

31 Ad quartū respondetur, Schismaticos verè esse membra Ecclesiæ, quia Schisma non destruit fidem, neque est vitium ad intellectum pertinens, sed ad voluntatem. Excomunicati etiam, quamuis ab Ecclesia separentur quantùm ad communicationem exteriorem, & participationem cum alijs fidelibus, retinent tamen veram fidem, imò aliquando sunt in gratia, & charitate, & ideò actu recipiunt influxum à Christo, & sunt membra illius. Hæretici autem nullo modo sunt actu membra Christi, neque Ecclesiæ, secundùm interiorem influxum, & virtutem, licèt nonnunquàm secundùm exteriorem gubernationem tractentur ab Ecclesia, & tolerentur vt membra illius, & ab ipsa etiam puniantur.

32 Ad quintum respondetur ex secunda annotatione, quòd licèt aliquid supernaturale ex meritis Christi recipiant, quia tamen illud non recipiunt in ordine ad vnionem eum capite, neque ad aliquam participationem vitæ talis capitis, & corporis, non dicuntur membra Christi.

33 Secundò respondetur, nullum beneficium recipere ex meritis Christi, quia nemini communicatur meritum Christi nisi per fidem, vel saltem remotè propter aliquam dispositionem ordinatam ad consequendam fidem, quæ omnia tandem ad charitatem, & gloriam obtinendam referuntur: sed isti sunt incapaces fidei, & aliorum bonorum supernaturalium, quæ in illa fundantur, vel per illam obtinentur. Illa igitur pœna remissior, siqua est in damnatis, non est ex meritis Christi, sed ex quadam generali prouidentia, & benignitate Dei. Et similiter si aliquod bonum conferendum est pueris in solo originali decedentibus, solùm erit ordinis naturalis, spectans ad generalem prouidentiam.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Christus sit caput Angelorum.

CONCLVSIO. Christus non solùm est caput hominum, sed etiam Angelorum. *Probatur in argumento sed contra: quia ad Coloss. 2. dicitur caput omnis principatus, & potestatis, & eadem est ratio de Angelis aliorum ordinum. Deinde in corpore Angeli, & homines ordinantur ad vnum finem, id est, ad fruitionem Dei: ergo corpus mysticum Ecclesiæ constat ex Angelis, & hominibus. Patet consequentia, quia corpus secundùm similitudinem dicitur quæcunque vna multitudo ordinata in vnum secundùm diuersos actus, & officia; ergo tota hæc multitudo debet habere vnum caput; quia vnius corporis est vnum caput, sed hoc caput est Christus, tum, quia est propinquior Deo; tum quia perfectiùs participat dona ipsius, quàm homines, & Angeli; tum deniq; quia influit in homines, & Angelos: ergo, Confirmatur ex D. Paulo ad Ephes. 1. qui ait, Deum constituisse Christum supra omnem potestatem in hoc & futuro sæculo. Et ideò Matth. 4. Angeli accedentes ministrabant ei.*

Primum argumentum D. Thomæ est. Caput & membra sunt vnius naturæ; sed Christus, vt homo, nō est eiusdem naturæ cum Angelis, sed solùm cum hominibus, iuxta illud ad Hebræ. 2. Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit: ergo Christus, vt homo, non est caput Angelorum. Respondet, principalem influentiam Christi super homines esse quantùm ad animas, in quibus sunt Angelis aliquo modo similes, saltem genere, licèt non specie. Et ita Christum cum illis conuenire, ac propterea posse eandem influentiam in illis habere, esseq; illorum caput.

Secundum est. Christus est caput illorum, qui pertinent ad Ecclesiam, quæ est corpus illius, vt dicitur ad Ephes. 1. Sed Angeli nō pertinēt ad Ecclesiā; ergo Christus, vt homo, nō est caput Angelorū. Minor probatur, nā Ecclesia est cōgregatio fideliū, fides autem nō est in Angelis, nō enim ambulāt per fidē, sed per speciem; alids peregrinarentur à Domino, vt ait Paulus 2. Corint. 5. Resp. Ecclesiā secundum statum viæ esse congregationem fidelium, in Patria verò esse congregationem comprehensorū. Et quia Christus fuit viator, & comprehensor, ideò vtriusq; status fuit caput, vt perfectus viator, & comprehensor quò ad gratiam, & gloriam.

Tertium est. Christus, vt homo, non influit vitam Angelis; ergo non est caput illorum. Antecedens probatur ex Augustino tract. 23. in Ioannem, vbi ait, quòd sicut Verbum, quod erat in principio apud Patrem, viuificat animas; ita Verbū caro factum viuificat corpora, quibus Angeli carent. Resp. Augustinum ibi loqui secundùm quandam similationem causæ ad effectum, prout scilicet res corporalis agit in corpus, & res spiritualis in res spirituales. Cæterùm humanitas Christi potest etiam

Digitized by Google

aliquid in Angelis causare propter coniunctionem ad Diuinitatem.

Commentarius.

1 CONCLVSIO Huius articuli, absolutè est de fide tenenda, vt constat ea prædictis locis D. Pauli,& ex alijs multis. Sed quia hæc ratio capitis in ordine ad Angelos potest Christo conuenire, & inquantum est Deus, & inquantum est homo, meritò à Theologis reuocatur in dubium, An Christus, inquantùm homo,specificatiuè, idest, in ipsa humanitate habeat hanc dignitatem, & per eam munus capitis exerceat. Quidam Theologi negant, Christum, vt hominem esse caput Angelorum, quia non est eiusdem naturæ specificæ cum illis, caput autem debet esse homogeneum. Sic Altiosiodorensis lib. 3. Summæ tract. 1. cap. 4. q. 2. Gabriel in 3. d. 13. art. 3. Dub. 2. Soto in 4. d. 49. q. 4. art. 2. Sed hæc sententia à multis censetur temeraria, vt à Medina hîc, vel saltem est omninò improbabilis. Vnde

2 necessariò dicendum est, Christum, vt hominem, esse caput Angelorum: & probatur manifestè ea eisdem testimonijs citatis ex Paulo, præsertim ad Ephes. 1. vbi dicit, quod pater constituit eum, idest Christum, ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius. Quę verba de Christo, vt homine, sunt necessariò intelligenda; tum, quia ibi loquitur de Christo à mortuis suscitato, & ad dexterā Patris exaltato: tum etiam, quia Christus, inquantùm Deus, non dicitur constitutus caput Ecclesiæ à Deo, sed est authoritatiuè caput, sicut Pater, & Spiritus Sanctus. Et ita secundùm proprietatem sermonis si est cōstitutus caput à Deo, secundùm humanitatem est constitutus. Sic explicant hunc locū D. Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, & alij Patres, & D. Augustinus in Enchirid. cap. 56. Ratio autem suffragatur, quia

3 in Christo, prout est homo, reperiuntur omnia, quæ sunt de ratione capitis, etiam per comparationem ad Angelos: nā in Christo est maior propinquitas ad Deū, maior perfectio in donis spiritualibus, iuxta illud Ioan. 1. *Plenum gratiæ, & veritatis &c.* Et ad Philip. 2. *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestiū &c.* Est etiā influxus donorū supranaturaliū, quia illuminat Angelos de multis, & mittit eos in nostrū ministeriū, & tandem eos iudicat, & causat illorū gloriā, saltem accidentariā. Hæc autem omnia exercet Christus nō solùm per animā, sed etiā per corpus suū. Itaque Christus etiā secūdùm corpus est caput Angelorū, nā Christi corpus prædictos actus influit, & exercet in Angelos ratione vnionis personalis cū Verbo, vt docet D. Thomas hîc ad tertiū. Fūdamentū verò oppositæ sententiæ, nullius

4 roboris est, quia nō est necessariū, vt caput mysticū sit omninò eiusdem speciei, cū omnibus membris: nā diabolus est caput malorū hominū, & Deus vt Deus, est caput Christi hominis, & Angelorū, & nō sunt eiusdē speciei. Sufficit ergo, vt in gradu intellectuali cōueniant, & in fine, & beatitudine, ad quā tendūt. Et sic cōueniūt natura humana, & Angelica, quæ sunt veluti eiusdem speciei in ordine ad bona supernaturalia. Et hoc satis est, vt Christus verè dicatur, & sit caput Angelorū. Cū quibus conuenit in vita supernaturali gratiæ, & gloriæ, & secundùm istam vitam habet in eos aliquem influxum. Est autem eiusdem speciei, & naturæ vita gratiæ in Christo, & in Angelis. Supposito ergo Christum, vt hominem, esse caput Angelorum est dubitatio:

DISPVTATIO VNICA.

1 AN Gratia, & gloria fuerit Angelis collata ratione alicuius causalitatis finalis, & meritoriæ ab humanitate Christi prouenientis. Et pro tituli intelligentia aduertendū est, duplicē esse Angelorū gloriā, vnā, quæ à Theologis dicitur accidentalis, & quā habent de rebus à se gestis in salutis hominū ministerio, de qua intelligitur illud Lucæ. 15. *Gaudiū est in cœlo super vno peccatore pœnitentiā agente.* Et de hac nulla est cōtrouersia, quin eā habeāt Angeli ex meritis Christi, cùm cōsequatur ad cōuersionem peccatoris, quam sine dubio Christus meruit. Itaque Christus, vt homo, est caput Angelorū, quia cōmunicat illis gaudia accidentalia, & alias perfectiones, præsupposita gratia, & gloria eo-

2 rū. Ratio huius est, quia tota Ecclesia militās est vna respublica: ergo primus, qui huic reipublicæ præest, tāquā omniū Dominus imperans, & gubernans, ac distribuens etiam aliqua dona, est caput omniū aliorum: sed Christus, inquantùm homo, imperat Angelis mittens eos in ministerium salutis humanæ, & gubernat illos: gaudent etiam Angeli de conuersione peccatorum, quæ fit ex meritis Christi, reuelanturq; illis mysteria supernaturalia in ordine ad nostram redemptionem, instaurantur etiam sedes Angelorum, qui peccauerunt, propter merita eiusdem Christi; ergo &c. Altera Angelorum gloria dicitur essentialis, quæ eorum primæ gratiæ correspondet, & de ea, sicut de prima gratia, cui correspondet, inquiritur, An ratione meritorum Christi fuerit illis collata. De qua te sunt variæ Theologorum sententiæ.

Prima Opinio. §. I.

3 PRIMA Sententia negat, gratiam, aut gloriam fuisse Angelis collatam ex vllis meritis Christi. Probatur autem primò. Christus non est Incarnatus, & mortuus pro Angelis, sed pro hominibus tantùm, ergo non meruit gratiam, & gloriam Angelis. Cōsequentia est euidens, & probatur antecedens: quia Scriptura nunquā dicit, Christum propter Angelos venisse, vt eis gratiam, & gloriam mereretur, imò verò Christus Dominus dicit se reliquisse nonaginta nouem oues, & venisse ad quærendam vnā ouem perditam. Matth. 18. & Lucæ. 15. Quibus locis Patres intelligunt, Diuinum Verbum venisse ad quærendam humanam naturam relictis in cœlo Angelis. Et Lucæ. 2. Angelus ad Pastores. *Euāgelizo, ait, vobis &c. quia natus est vobis hodiè Saluator.* Et nō dixit, nobis. Et Actor. 4. dixit Petrus.

4 *Non est sub cœlo aliud nomen nobis datum, in quo oporteat nos saluos fieri.* Et 1. ad Tim. 4. inquit Paulus, Christū esse Saluatorem omniū hominū, maximè fideliū. Et nihil dixit de Angelis. Item ad Hebræ. 2. *Qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes, propter quam causam non confunditur eos fratres vocare.* Et infra. *Quia ergo pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem.* Quibus verbis exigit Paulus, vt sanctificans,

Digitized by Google

& sanctificati ab eodem parente Adamo originem trahunt, vel communicent in eadem natura. Vnde sic concluditur ratio. Qui sanctificantur ex meritis Christi, sunt pueri & fratres Christi, & communicant cum illo in carne, & sanguine: sed Angeli non sunt hoc modo fratres Christi, cùm non habeant carnem, & sanguinem, neque illis assimiletur Christus; ergo non sunt ex meritis Christi sanctificati.

5 Secundò. Si Christus esset causa meritoria gratiæ, & gloriæ Angelorum, venisset vtique in mundum, etiam si Adam non peccasset: sed consequens est falsum, vt ostensum est supra q. 1. art. 3. Ergo. Probatur sequella: Angelis fuit collata gratia, & gloria antè peccatum Primi Parentis, etiam sine aliqua dependentia ad illius peccatum; ergo si eis meritis Christi futuris data est illis gratia, & gloria, futurum esset meritum Christi, etiam si Adam non peccasset.

6 Confirmatur. Angeli sunt prædestinati ante præuisum peccatum originale: sed Christus fuit prædestinatus post præuisum peccatum originis, ergo non sunt Angeli prædestinati ex meritis Christi. Consequentia patet: quia in illo signo, quo Angeli sunt prædestinati, non intelligitur Christus, qui nondum est prædestinatus nisi post præscientiam originalis culpæ. Maior probatur, quia priùs intelligitur consummatum totum Angelorum negotium antè peccatum Adæ præuisum: priùs enim intelligitur præuisum peccatum Angelorum, quàm Adæ, quia fuit aliquo modo causa illius.

7 Confirmatur secundò. Gratia, & gloria Angelorum fuit independens ab hominum peccato: sed Christus fuit prædestinatus post præuisum peccatum hominum, & dependenter ab illo; ergo Angeli non habuerunt gratiam & gloriam dependenter à Christo.

8 Tertiò. Filius Dei cò venit in mundum, vt esset hominum Redemptor, aliàs non venturus, vt probatum est q. 1. art. 3. Ergo omnis gratia per Christum collata est gratia redimens, & sanans à peccato. Sed huiusmodi gratia non pertinet ad Angelos, non enim redempti fuere ab aliqua culpa: ergo.

9 Confirmatur. Omnia opera, quibus Christus gratiam meruit, fuerunt pœnalia, & satisfactoria, meruit enim per passionem, & mortem; ergo omnis gratia, quam Christus meruit, est gratia redemptionis, & satisfactionis.

10 Quartò. Sancti Patres non sunt admissi ad gloriam ante mortem Christi, quia ex eius meritis sunt sanctificati: ergo neque Angeli fuissent gloriam adepti, antequàm Christus nasceretur, si ex meritis Christi gratiam accepissent.

11 Quintò: quia Apocalips. 7. homines Redempti clamabant. *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno.* Angeli verò solum dicebant. *Benedictio, & claritas &c. Deo nostro.* Ex quo euidenter colligitur, homines quidem ex merito Agni fuisse sanctificatos, Angelos verò ex sola liberalitate, & misericordia Dei.

12 Sextò: quia sequeretur, Angelos, qui non peccauerunt, fuisse Redemptos à Christo, saltem per modum præseruationis, sicut Beatissima Virgo fuit Redempta. Patet sequella: quia per Christum receperunt gratiam, qua sunt à peccato præseruati.

Hæc sententia videtur esse D. Thomæ in. 3. d. 13. q. 2. art. 2. quæstiuncula. 2. vbi insinuat, Christum nullo modo fuisse causam gratiæ, & gloriæ Angelorum, nam Christus, inquit, non influxit in Angelos remouendo prohibens, & peccatum, neque merendo primam gratiam &c. Et de Verita. quæst. 29. artic. 7. ad 5. asserit, Christum non meruisse Angelis gloriam essentialem, quæ primæ gratiæ correspondet, & ex consequenti neque primam gratiam. Et 3. p. q. 59. art. 6. in corpore, & ad primum ait, Christum non iudicare Angelos, prout est homo, quantum ad pœnam, vel gloriam essentialem; ergo ex sententia D. Thomæ Christus ratione suæ humanitatis nullam habuit causalitatem circa gratiam, & gloriam Angelorum. Eandem sententiam tenent communiter Thomistæ. 13

Secunda Opinio. §. II.

SECVNDA Sententia ex diametro opposita præcedenti affirmat, Angelos fuisse consequutos gratiam, & gloriam essentialem ex meritis Christi præuisis. Et probatur primò ex illo ad Hebræ. 2. *Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis per passionem consummari.* Hoc autem testimonium, vt ibidem aduertit Caietanus, de Christo cómodè intelligitur, de quo asserit, quòd priusquàm per passionem consummaretur, multos filios adduxerat in gloriam, qui quidem filij non alij poterant esse, nisi Angeli, quia antequàm Christus pateretur, nullus hominum intrauit in gloriam. Ergo. Confirmatur ex illo ad Rom. 5. *Si enim vnius delicto mortui sunt multi, multò magis gratia, & donum in gratia vnius hominis Christi abundabit in plures.* Nequiret autem dici, gratiam Christi in plures abundasse, quàm peccatum primi hominis, nisi ad Angelos extenderetur, nam peccatum Primi Parentis omnes homines infecit. 14 15

Secundò supra q. 1. art. 3. definitum est, prædestinationem Christi in mente Diuina, præcessisse in genere causæ finalis gratiam, & gloriam omnium hominum, & Angelorum, imò totum esse naturale totius vniuersi; ergo meritum Christi in Diuina præordinatione præcessit gratiam, & gloriam Angelorum, & ex consequenti, cùm sit meritum infinitum, extendit se ad gratiam, & gloriam Angelorum. Consequentia patet, quia in Christi prædestinatione non solùm cadit ipse Christus, nempe, homo Deus, sed vniuersæ operationes & perfectiones ipsius Christi pertinent ad eius prædestinationem, iuxta illud ad Roman. 1. *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundùm Spiritum sanctificationis.* 16

Tertiò. Gratia collata Primo Parenti in statu innocentiæ fuit ex merito Christi; ergo gratia etiam Angelorum. Consequentia patet ex paritate rationis, & probatur antecedens. Adam habet modo aliquem gradum gloriæ essentialis correspondentem illi gratiæ, nã iuxta probabilissimam Theologorum sententiam merita per peccatum mortificata reuiuiscunt per pœnitentiam, & ita merita Adæ in statu innocentiæ, quæ per peccatum fuerunt mortificata, reuixerunt per pœnitentiã: sed omnis gradus gloriæ collatus Adæ est ex meritis Christi, aliàs dicendum esset, in gloria Adæ reperiri aliquem gradum in meritis Christi fundatum, & alium 17

Digitized by Google

gradum non pertinentem ad Christum, quod est absurdum: ergo.

18 Confirmatur primò. Fides, & Spes, quas habuit Adam in statu innocentiæ, fuerunt illi collatæ ex meritis Christi; ergo etiam gratia, & charitas. Probatur antecedens. Idem habitus fidei collatus Adæ in statu innocentiæ perseuerauit posteà in statu reparationis per pœnitentiam, sed illa fides, quam habuit Adamus, postquàm egit pœnitentiam, innitebatur meritis Christi, quoniam omnia spiritualia bona, quæ tunc possidebat Adam, pertinebant ad Christum Redemptorem; ergo &c. Idem argumentum potest fieri de spe.

19 Confirmatur secundò. Iuxta sententiam D. Thomæ supra q. 1. art. 3. ad. 5. & 2. 2. q. 2. art. 7. Adam in statu innocentiæ habuit fidem Christi, cognouitq; ipsum futurum in mundo: ergo fuit iustificatus ex fide Christi; ergo similiter fuit iustificatus ex meritis Christi. Prima consequentia est nota, nam iustificatio est ex fide; ergo si erat fides Christi, fuit iustificatus ex fide Christi. Secunda consequentia probatur, nam fides Christi innititur meritis ipsius Christi. Idem argumentum potest fieri in Angelis: nam quòd Angeli habuerint fidem Christi in prima sui iustificatione, docet expressè D. Thomas 1. part. quæst. 64. art. 1. ad 4. Et colligitur ex Augustino lib. 5. Genesis ad liter. cap. 19. Et ex Bernardo serm. 17. in Cantica, & ex Ruperto lib. 2. in Ioan. ad illa verba. *Ille homicida erat ab initio.* Et ratio patrocinatur, quia Angeli beati vident in Verbo Incarnationis mysterium: ergo priùs illud crediderunt in via, cùm visio succedat fidei.

20 Quartò. Quod est tale per essentiam, est causa omnium aliorum, quæ talia sunt per participationem, sicut ignis, qui est calidus per essentiam, est causa omnium aliorum, quæ participatiuè sunt calida, prout calida sunt: sed Christus est gratus per essentiam gratia habituali: ergo est causa omnium participantium gratiam, siue hominum, siue Angelorum, quatenùs participant

21 gratiam. Hanc sententiam tenet Albertus Magnus in 3. d. 13. art. 2. dicens, Christum esse caput Angelorũ quò ad influxum gratiæ, & gloriæ. Caietanus 3. p. q. 7. artic. 11. Catharinus lib. 1. de Eximia Christi prædestinatione, & Opusculo de gloria & peccato Angelorum. Galatinus lib. 3. de Arcanis Catholicæ veritatis cap. 4. Ioannes Arboreus lib. 3. Theosophiæ cap. 13. Viguerius in Institutionibus cap. 20. Parag. 1. Versiculo. 4. Iacobus de Valentia in Psal. 102. super illud, *Benedicite Dominum omnia opera eius.* Naclantus super ad Ephes. 1. & lib. qui inscribitur, Medula Sacræ Scripturæ, in tertia mundi ætate cap. 2. Melchior Flauius lib. de Regno Christi, Franciscus de Cartagena lib. de Prædestinatione, & Reprobatione Angelorum Discursu. 6. Ricardus art. 2. & 3. & Suarez q. 19. art. 4. Disput. 42. sectio. 1.

Tertia Opinio. §. *III.*

22 TERTIA Sententia docet, gratiam fuisse collatam Angelis duplici titulo, nempe, ex sola Dei liberalitate, & etiam ex Christi meritis. Itaque Deus ab æterno decreuit conferre gratiam, & gloriam Angelis absque vlla meritorum Christi præuisione, sed deinceps in alio signo rationis, cùm præuidisset Deus Christum in carne humana futurum, statuit, vt eadem gratia, & gloria, quas priùs Angelis ex sola liberalitate conferre decreuerat, darentur etiam propter Christi merita. Hanc sententiam refert Cartagena vbi supra, & Discursu vndecimo illam extendit ad gratiam homini collatam in statu innocentiæ, quia eadem est ratio de gratia Angelorum, & de illa gratia primi hominis. Vt autem explicetur, quæ nam ex his opinionibus sit probabilior, sit Prima Conclusio.

Prima Conclusio. §. *IIII.*

CHRISTVS Dominus non est mortuus pro Angelis, neque illos redemit, propriè loquendo. 23
Prior huius conclusionis pars est D. Augustini in Enchiridione cap. 61. & sequentibus, & communiter recipitur à Theologis, & probatur ex illo 2. ad Cor. 5. *Si vnus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt.* Sed Angeli nõ sunt mortui; ergo neq; Christus pro illis est mortuus. Et confirmatur, quia mors, vt mors, nõ est assumpta propter Angelos, sed solùm propter homines lapsos, & ideò gratia non est collata Angelis ex meritis præuisis fundatis in morte Christi, sed fundatis absolutè in charitate, & bonis operibus Christi hominis, ac proptereà neque illis data est gratia dependenter à morte Christi; quia si Adã non peccasset, Christus non venisset, & ex cõsequenti neque mereretur. Imò 24
etiam si venisset, non existente peccato, vt sentiunt quidam, non venisset moriturus, quia nulla esset culpa, pro qua expianda moreretur: sed quia homines traducendi erant ab statu peccati ad statum iustitiæ: idcircò pro illis Christus est mortuus, & proptereà in Sanctis Scripturis peccatũ hominis assignatur pro causa mortis Christi iuxta illud ad Rom. 4. *Traditus est propter delicta nostra.* Et 1. Cor. 15. *Mortuus est propter delicta nostra.* Angeli verò cũ nõ fuerint educti ab statu peccati ad statũ iustitiæ, nõ dicitur Christus mortuus pro ipsis.

Prætereà. Christus pro illis tantùm mortuus est, pro 25
quibus satisfecit, mors enim, & aliæ pœnæ per se primò assumptæ sunt ad satisfaciendum, sed non satisfecit pro Angelis, licet illis meruerit, sed tantùm pro hominibus: ergo pro illis solùm mortuus est, non pro Angelis, quibus nihil meruit per mortem, sed per alios actus charitatis, vel religionis &c. Potuit enim Christus aliquos suos actus ad vnum effectum ordinare, & non ad alios, & ita mortem suam ad meritum pro Angelis non ordinauit, ac proinde non est mortuus pro illis.

Posterior pars conclusionis est similiter certa, quia 26
redemptio est iterata emptio eius, quod fuit captiuum, & venundatum sub peccato, vel in se, vel in sua radice, ex qua necessariò contrahenda esset captiuitas peccati; sed Angeli Sancti non fuerunt obnoxij peccato in se, neque in alio, sicut nos sumus, & Beatissima Virgo, quæ sine dubio contraheret originale, nisi esset Spiritus Sancti gratia præuenta, ergo non fuerunt redempti, neque à Christo meritoriè, neque à Deo, vt principali authore gratiæ: sicut neque Angeli mali possunt dici redempti quòad sufficientiam, eo quòd illis data sit sufficiens gratia, qua peccatum vitare possent. Quòd sit interdum 27
Patres videantur appellare redemptionem, vt Bernardus serm. 17. & 22. in Cantica, & Dionysius cap. 8. de Diuinis nominibus, intelligendi, & explicandi sunt largè, pro liberatione à peccato, quod incurrere potuerunt: sed redemptio propriè dicit liberationem à peccato, quod quis contraxit, vel necessariò debuit cõtrahere.

Vnde

Vnde Christus verè dicitur sanctificator, iustificator, & glorificator Angelorum, sed non propriè Redemptor. Et quãuis Angeli potuerint peccare, & propter Christi merita fuerint præseruati: non ideò dicuntur redempti, sed præuenti propter Christi merita, nè peccarent, seu defensi à peccato, vt loquitur Fulgentius lib. 2. ad Trasimundum cap. 2. circa finem.

Secunda Conclusio. §. V.

28 ANGELI iustificati sunt, & gloriam obtinuerunt ex fide in Christum venturum, & ex meritis eius. Itaque gratia prima, & gloria essentialis illi correspódens, collata est eis propter merita Christi præuisa. Hæc conclusio est D. Thomæ, quam expressè tenet exponens illud Ioan. 1. *De plenitudine eius omnes nos accepimus. Omnes,* inquit, *Apostoli, Patriarchæ, Prophetæ, & Iusti, qui fuerunt, sunt, & erunt, & etiam omnes Angeli.* Et infra. *Quia plenitudo gratiæ, quæ est in Christo, est causa omnium gratiarũ, quæ sunt in omnibus intellectualibus creaturis.* Et in præsenti articulo idem docet, quamuis non ita expressè, nam cùm generatim loquatur, & eodem modo affirmet, Christum influere in homines, & Angelos, tãquam caput in membra, manifestè hoc indicat. Etenim art. 1. huius quæstionis absolutè, & sine vlla limitatione docet, Christum influere gratiam in omnia membra Ecclesiæ. Deinde in hoc articulo 4. asserit, hanc Ecclesiam, cuius Christus est caput, constare ex hominibus, & Angelis, & respectu Angelorum applicat Christo tres capitis conditiones, quas articulo primo assignauerat. Quare cùm in hoc articulo quarto definiat, non solùm homines, sed Angelos etiam influxum Christi recipere, nisi magna æquiuocatione vtatur, de influentia
29 gratiæ loquitur in vtroque loco. Sed quia posset aliquis dicere, D. Thomam in hoc articulo quarto sermonem facere de influxu pertinente ad ordinem gratiæ, non quidem de primario ipsius gratiæ influxu, sed de secundario alicuius perfectionis accidentalis, hoc excludit D. Thom. in solutione ad primum, vbi docet, Christum, vt hominem, esse caput Angelorum, quamuis humanitas sit corporea, quia primarius huius capitis influxus super homines, est quantùm ad animas, in quibus aliquo modo assimilantur Angelis, & ideò potest Christus eundem influxum in illos habere, ac propterea esse caput illorum. Constat autem, illum principalem influxum, quem Christus super homines quãtùm ad animas habet, esse ipsius gratiæ influentiam, seu donationem.
30 Item q. 7. præcedente art. 9. ait D. Thomas, Christo esse datam plenitudinem gratiæ simpliciter, quia est illi data, vt vniuersali principio in genere habentium gratiã, in quo genere Angeli sunt contenti. Et ideò cùm subiungit, & vt eam ad alios transmittat, comprehendit etiam Angelos, aliàs eius ratio non esset efficax: etenim volens probare in Christo esse simpliciter plenitudinem gratiæ respectu hominum, & Angelorum, probat ex efficacia illius, nempe, quia est principium vniuersale gratiæ, ac proinde intelligit necessariò etiam respectu An-
31 gelorum. Et quamuis articulo 11. sequenti, hoc limitare videatur dicens, gratiam fuisse collatam Christo, vt vniuersali principio gratificationis in natura humana, illa particula, In natura humana; vt rectè obseruauit Caietanus, designat quidem subiectum necessitatis, ex quo sumpta est occasio meritorum Christi, non verò significat subiectum extensionis, quia meritum Christi, quamuis ex occasione peccati hominum sit ordinatũ, est tamen ad Angelos extensum. Vel potiùs designat 32
principium, in quo, vel per quod Christus est vniuersale gratificationis principium, non subiectum, seu terminum, cui illa gratificatio communicatur. Vel denique si intelligatur D. Thomas, vt iacet, in prædicto articulo 11. solùm affirmat particularem terminum huius gratificationis, non verò negat vniuersalem, quem artic. 9. assignauerat. Aliam etiam explicationem posuimus eodem articulo vndecimo, nume. 130.

Ex dictis constat, D. Thomam retractasse sententiã 33
his locis citatis, quam tenuit in 3. & q. 29. de Veritate. Neque in 3. p. q. 59. art. 6. est nobis contrarius, si attentè intelligatur, quoniam aliud est loqui de iudicio, & aliud de merito: etenim ad aliquem iudicãdum, necessarium est, iudicem præexistere, cùm iudicare nihil aliud sit, quàm pœnam, vel præmium pro meritis alicui tribuere; ad merendum verò nõ est necesse, vt is, qui meretur, præexistat, sed sat est, meritum personæ tunc existentis, futuræ tamen in aliqua natura, acceptari. Docet ergo D. Thomas eo in loco, Christum non iudicasse Angelos quantùm ad pœnam, vel gloriam, quod est verum, sed inde non colligitur, Angelis gratiam, aut gloriam non meruisse.

Præterea hæc sententia colligitur ex D. Paulo ad 34
Ephes. 1. vbi loquens de redemptione, prædestinatione, & iustificatione per Christum, ait: *Instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt in ipso.* Et ad Colossens. 1. sermonem instituens de Christo inquit: *Per eum reconciliari omnia in ipso pacificans per sanguinem Crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt.* Item sancti Patres docent hanc sententiam, nam D. Hieronymus explicãs illa verba ad Ephes. 1. *Ipsum, videlicet Christũ, dedit caput super omnem Ecclesiam.* Affirmat, Crucem Saluatoris non solùm purgare homines, sed & Angelos, cùm illos à peccato præseruauerit. Et exponens illud ad Ephes. 4. *Qui des- 35
cendit, ipse est qui ascendit super omnes cælos, vt impleret omnia,* ait. *Neq; enim scire possumus, quomodo & Angelis, & ijs, qui in inferno erant, sanguis Christi profuerit, & tamen quin profuerit, nescire non possumus.* Idem docet D. Bernardus sermo. 22. in Cãtica, vbi circa medium illius sermonis ita loquitur. *At Angelis,* inquit, *Quomodo redemptio fuerit, non video.* Et post pauca respondet. *Audi breuiter, qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo, ne laberetur, sic illum à captiuitate eruens, sicut istum à captiuitate defendens: & sic Christus Angelis fuit redemptio, sicut iustitia, sapientia, & sanctificatio.* In quibus verbis concedit Bernardus primò, Angelos per Christũ fuisse præseruatos, nè laberentur. Secundò, per illũ sanctificationem recepisse. Quod verò dicit, Christum An- 36
gelis fuisse redemptionem, sicut & iustitiam, intelligendum est, non in significatione propria, & rigorosa redemptionis, nam redemptio dicit iteratã emptionem, & supponit in redempto captiuitatem, & seruitutem sub peccato: nullus enim redimitur, nisi is, qui sub peccato seruit, vt ex Zozimo Papa dicit Augustinus Epistola 157. & sancti Angeli nunquam seruierunt peccato: sed loquitur largè de redemptione, vocans redemp-

tionem, omnem liberationem à peccato. Idem etiam docet Theodoretus in illud ad Ephes. 1. *Vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* Æcumenius in cap. 2. ad Hebræos Origines homil. 1. in Leuiticum, Gregorius lib. 1. Regum cap. 1. ad illud, *Non est alius
37 extra te.* Subauditur, inquit, sanctus, quia nullus hominum, neque Angelorum est sanctus, nisi per Christum: Et homil. 14. in Ezechielem explicans illa verba cap. 40. *Et ecce murus forinsecus in circuitu domus vndique,* sic ait. *Vnigenitus Patris, qui sursum est firmitas Angelorum, inferius factus est hominum redemptio.* Loquitur autem Gregorius de muro extrinseco, quem dixerat esse Verbum Incarnatum. Item Laurentius Iustinianus sermone de Ascensione Domini dicit Christum factum esse Angelorum parietem, & hominum.

38 Rursus probatur conclusio rationibus, quibus secunda opinio confirmata est, quæ est cæteris probabilior, & in Christi gloriam maxime cedens. Et confirmatur. Deus cùm in principio temporis creauit Angelos, proposuit illis Christum adorandum per fidem, quem propositurus erat re ipsa colendum futuris temporibus, iuxta illud ad Hebræ. 1. *Cùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei.* Sed nulla creatura adorat Christum, & credit in eum, quæ non assequatur gratiam, & quæcumque alia bona supernaturalia per Christum, cùm ad eius dignitatem hoc pertineat, qui est verus Deus, in quo vniuersa sunt condita: ergo Angeli per ipsum iustificati sunt, & ex meritis eius assequuti sunt gratiam, & gloriam.

39 Confirmatur secundò. In quo præcipitur aliqui, vt fidem suam collocet, in eo etiam præcipitur, spem, & amorem constituere: sed Angeli ex præcepto Dei habuerũt fidem in Christum, ergo per Christum assequuti sunt iustitiam. Consequentia probatur, quia vera iustitia est, in eo fidem, spem, & amorem collocare, in quo debet collocari, ac præceptum est constitui, & in vniuersum creatura intellectus & rationis particeps iustificatur per eum, in quem credit, seruata tamen proportione, vt in quantum Deus est, iustificetur per illum, vt Deũ, quatenus verò est mediator, iustificetur per eum, vt mediatorem.

40 Confirmatur tertiò. Quia optimus rerum ordo exigit, vt omnia quæ sunt vnius generis, reuocentur in vnã causam in eo genere, quoad fieri possit. Item in vno corpore, quò maior est connexio omnium membrorum cum capite, eò constitutio est perfectior: sed Angeli & homines conueniunt in vno genere gratiæ, & sunt membra vnius corporis Ecclesiæ, cuius Christus est caput; ergo perfectior, & conuenientior erit ordo, si totum hoc corpus habeat vnum principium, & vnum caput, per cuius influxum omnia eius membra participent vitam, & sensum spiritualem.

41 Confirmatur quartò. Quidquid est tale per participationem, reducitur ad id, quod est per se tale: sed Angeli sunt grati per participationem, & solus Christus est gratus per se: ergò ad Christum reducuntur, vt ab illo, & per illum gratiam consequantur. Item primũ in essendo in aliquo genere, est etiam primum in efficiendo, vt primum mobile est causa omnium motuũ, & ignis causa calidorũ; sed Christus est primus in essendo quoad bona gratiæ ergo est primus & vniuersalis effector bonorum gratiæ, & à quo omnis gratia deriuatur, sicut lux à sole, ac proinde tam homines, quàm Angeli, recipiunt gratiam ab ipso. Maior est vniuersaliter vera loquendo de causis vniuersalibus, & in ordine ad ea, quæ per se infunduntur, ac fiunt.

Postremò confirmatur, quia si iuxta Paulũ in Christo, siue propter Christum condita sunt vniuersa, & est caput omnis principatus, & potestatis; & Deus constituit illum ad dexterã suam supra omnem potestatem, & omnia sub pedibus eius subiecit, ipsumq; dedit caput super omnem Ecclesiam, qui omnia in omnibus adimplet, idest, perficit, & operatur, cõsequens est, vt si est caput principatuũ, & Angelorum, illis gratiam infundat: nam eò Christus dicitur caput, quia motum, ac vitam spiritualem his influit, quorum est caput, iuxta illud ad Ephes. 4. *Qui est caput, ex quo totum corpus compactum, & connexum secundùm operationem vniuscuiusque membri augmentum facit in charitate.* 42

Tertia Conclusio. §. VI.

GRATIA & gloria non conferuntur Angelis duplici titulo, nempe, ex sola Dei liberalitate, & ex merito Christi. Hæc assertio est contra tertiam opinionem. Et probatur à Carthagena, duplici ratione. Prima: quia nequit intelligi, vt eadem gratia, vel gloria detur duplici titulo, nam titulus iustitiæ repugnat titulo meræ liberalitatis. Secunda: quia eadem ratione posset dici, primam gratiam dari nobis ex duplici titulo, nempe, ex misericordia Dei, & ex merito nostro; Sed hæc argumenta nullius momenti sunt, quia Christo Domino data est gloria corporis ex duplici titulo, altero, quia est Filius Dei naturalis, & ex gloria animæ; altero etiam propter merita. Item prima gloria, quæ respondet adulto, quando iustificatur, secundùm probabilissimam sententiam confertur duplici titulo, & secũdùm quod respondet primæ gratiæ, & quatenus respõdet contritioni. Et per hoc dissoluitur prima ratio. Secunda verò facilius labefactatur, quia meritum antè gratiam intelligi non potest, & ita repugnat dari primam gratiam ex merito præcedenti. At duplex titulus, quem imaginatur illa tertia sententia, non inuoluit istam repugnantiam, quia cùm Deus decreuit mittere filium suum in mundum, non erat gratia iam Angelis collata, sed adhuc erat conferenda, & ita potuit habere rationẽ præmij respectu meritorũ Christi. Impugnatur autem illa sententia efficaciter, quia prædestinatio est efficax transmissio creaturæ in determinatam gloriam per certa, & determinata media, & ita est omninò inuariabilis; ergo si in primo signo rationis Angeli fuerũt prædestinati, manet illorum prædestinatio omninò inuariabilis, & ex consequenti intelligi non potest, quòd posteà illi superaddatur aliquod nouum medium; aliàs variaretur, & prædestinatio, & voluntas Dei. Reliquũ est dissoluere argumenta primæ opinionis, si opinio dicenda est, quæ Christi dignitatem & excellentiam tãtoperè diminuit. 43 44 45

Soluuntur argumenta primæ sententiæ. §. VII.

AD Primum argumentum concesso antecedenti negatur consequentia; quia licèt non meruerit Angelis gratiã per suam mortem, meruit tamen illis 43

illis per actus charitatis, vel religionis, quos ordinauit ad merendum Angelis gratiam & gloriam, sicut ordinauit mortem ad merendum hominibus eandem gratiam. Etenim omnes actus Christi de se erant digni quolibet præmio, sed ab ipso ordinati sunt quidam actus ad vnum effectum, ad quem alij non sunt ordinati, & alij ad alios. Vnde gratia non est collata Angelis ex præuisione meriti fundati in morte Christi, sed fundati absolutè in charitate, & bonis operibus Christi hominis, & ideò neq; illis est data gratia dependenter à mor-
47 te Christi. Et, quamuis occasio Incarnationis Christi fuerit hominum redemptio; & ob id frequentiùs loquitur scriptura de effectu passionis Christi per modum redemptionis & liberationis à peccato, hoc non tollit, quin veniente Christo, fuerit causa meritoria Angelos gratificandi, nam voluit Deus, vt Christo veniente, ratione suorum meritorum etiam Angeli iustificarentur, sicut quando medicus intrant in domum infirmi, vt eius ægritudinem sanet, ex accidenti amicum ibi existentem visitat, & alloquitur, ille quidem mouetur à sanitare languidi tanquam à causa eundi in domũ ægroti, aliàs non iturus; supposito tamen aduentu vtrumque
48 præstitit. Non dissimiliter Diuini Verbi Incarnatio ordinata est à Deo in hominum redemptionem, tanquam in causam sine qua non Christus non veniret, supposita tamen semel Incarnatione facienda, ordinata est in Angelorum iustificationem, licèt nõ tanquam in causam, & occasionem veniendi. Et ideò cùm scriptura loquitur de gratificatione, seu sanctificatione, quæ fit per Christum, vel cùm ipsum proponit, vt vniuersalem authorem gratiæ, & salutis, nunquam excludit Angelos, sed illos etiam comprehendit. Sed quia Christus non venit ad illos redimendum, & liberandum à peccato, neq; eos tot medijs, & modis quæsiuit, atque homines; ideò dicitur Angelos reliquisse, sed hoc non fuit illis nõ me-
49 reri. Et similiter explicanda sunt cætera testimonia scripturæ, quæ dicunt, Christum propter nos venisse, & non propter Angelos. Id verò, quod Angelus dixit pastoribus, *Natus est vobis hodie Saluator,* Nihil conuincit, quia nomen Saluatoris illi tantùm propriè cõpetit, qui alium à malo, cui subiacet, eripit. Vnde cùm Angeli non fuerint obnoxij peccato, non dicitur Christus Saluator illorum. Quæ doctrina est D. Gregorij lib. à 8. Moral. cap. 14. Secundò, licèt Angelis Christus esset natus, quia tamen homines ad gaudium excitabãt, ideò Angeli hominibus natum esse dicebant, non negantes
50 esse sibi natum. In eundem sensum explicanda sunt cætera testimonia ex Actor. 4. & 1. ad Timo. 4. illud autẽ testimonium ad Hebræ. 2. *Qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes.* Idest, ex vno Adamo, vel ex vna stirpe, & natura, non est intelligendum de quauis sanctificatione, sed de illa, qua liberatur à peccato is, qui sanctificatur. Sic enim colligitur ex contextu Verborũ Pauli, præmisserat enim: *Decebat eum, per quem omnia, & propter quem omnia, qui multos filios in gloriã adduxerat, authorem salutis eorum per passionem con-
51 summari.* Quare necessarium fuit, vt non solùm esset eiusdem naturæ cum sanctificandis, sed etiam eiusdem conditionis mortalis, quia hoc totum ibi comprehenditur sub nomine carnis, & sanguinis. Et propterea homines ita sanctificati dicuntur specialiter fratres Christi, propter specialem in natura conuenientiam. Angeli verò simul cum hominibus sub nomine filiorum cõprehenduntur, quos Christus per sua merita præuisa in gloriam adduxerat.

Ad secundum argumentum negatur maior, & ad 52
probationem similiter negandum est, gratiam & gloriam fuisse Angelis collatam ante peccatum primi parentis, quia gratia & gloria Angelorum fuit quodammodò dependens à peccato hominis tanquam à conditione, & causa sine qua non ipsi non prædestinarentur. Etenim cùm Deus statuisset, nemini dare gratiam, & gloriam nisi in Christo, & per Christum, & Christus nõ esset futurus nisi peccato originali existente, ideò gratia Angelorum fuit à tali peccato dependens.

Ad primam confirmationem negatur maior, quia in 53
genere causæ materialis præsupponitur præscientia, & peccati Angelici, & culpæ originalis ad prædestinationem Angelorum: nã cùm Angeli prædestinati nõ sint, nisi in Christo, & propter Christum, tanquam propter finem, & caput totius Angelicæ gratiæ, prædestinatio verò Christi præsupponat præscientiam peccati originalis in ordine, & genere causæ materialis; & similiter præuisionem peccati Angeli, quod etiam fuit aliquo modo causa peccati Adæ, nempe, inducens, & suadens; constat apertè, prædestinationem Angeli præsupponere
præscientiã peccati originalis. Et ex consequenti, cùm 54
prædestinatio Christi antecesserit in genere causæ finalis decretum prædestinationis, & creationis Angelorũ, & totius vniuersi ideò Angeli dependent à Christo, non solùm vt à fine, verùm etiam vt à causa meritoria: sicut Patres, qui præcesserunt Incarnationem, acceperunt gratiam ex meritis Christi præuisis per modum causæ finalis. Vnde Christus fuit Angelis finis, & causa meritoria, iustificator, & author salutis: hominibus verò & finis, ac redemptor, & causa meritoria, ac satisfactoria. Et per hæc patet responsio ad secundam confirmationem.

Ad tertium principale respõdetur, Christum Domi- 55
num venisse in mundum, non solùm vt Redemptorem, sed etiam vt sanctificatorem, legislatorem, Doctorem, summum sacerdotem, regem, & denique cum potestate ad influendum in eos omnes, qui sunt veluti partes, & membra sui corporis mystici: ac propterea ad dignitatem capitis Christi pertinet potestas condendi Ecclesiã, illuminandi, sanctificandi, redimendi, ferendi leges, docendi &c. Quam potestatem quò ad hæc omnia, exercuit Christus respectu hominum. In ordine verò ad Angelos vsus est tantùm potestate sanctificandi, illuminãdi, & docendi, non redimendi. Et ideò gratia Christi nõ solùm est redimens, & sanans à peccato, sed etiam est illuminans, sanctificans, & docens. Respectu quidem Angelorum, est sanctificans, respectu verò hominum est sanctificans, & redimens, ac sanans à peccato.

Secundò respondetur, omnem gratiam per Christũ 56
collatam esse gratiam redimentem, & sanantem à peccato, in eo, qui est capax redemptionis & sanationis, nã gratia Christi ex se erat sufficiens, & potens redimere, & sanare quodcumque subiectum capax redemptionis. Quòd si Angelos nõ redemit, nec sanauit, ideò fuit, quia erant sanationis, & redemptionis incapaces: sanaret verò, si fuissent sanabiles; sed quia non erant, sanctificauit, & gratificauit eos, non tamen redemit, neque sanauit.

Sed

57 Sed obijcitur. Ergo etiam si non esset peccatum, venisset Christus, vt Angelos sanctificaret, & vt esset author salutis eorum. Negatur consequentia, quia noluit Deus à parte rei fore Christum cum dignitate sanctificatoris, nisi adiuncta dignitate Redemptoris. Et quia homine non peccante, non veniret vt hominum Redemptor, neq; etiam veniret vt Angelorum sanctifica-
58 tor. Ideò diximus Angelorum gratiam, & prædestinationem quodammodo dependere à peccato hominum, tanquam à conditione sine qua non: quoniam à parte rei dignitas sanctificatoris, glorificatoris, & authoris salutis, quæ respectu Angelorum conuenit Christo, non erat nisi coniuncta cum dignitate Redemptoris, quæ conuenit Christo ratione prædestinationis hominum.

59 Ad confirmationem respondetur, Christum Dominũ non solùm meruisse per passionem & mortem & alia opera pœnalia, sed etiam per actus charitatis, vel religionis. Vnde merita Christi præuisa, ratione quorum gratia est Angelis collata, non fundantur in passione, & morte Christi, sed absoluté fundantur in charitate, & bonis operibus Christi hominis, siue sint pœnalia, siue non: ac propterea non est Angelis gratia tributa dependenter à passione & morte Christi.

60 Ad quartum negatur consequentia, nam, quia homo peccauit, & pro illo peccato delendo Christus est mortuus, iusté decretum fuit, ne quis hominum regnum intraret; priusquàm Christi mors, & satisfactio exhiberetur: quamuis enim homines ante mortem Christi sine peccato decederent, adhùc tamen erant captiui quãtum ad reatum, hoc est, exclusionem à regno cælorum, cuius exclusionis pœna fuit à Christo abolita eo tempore, quo nostræ redemptionis pretium solutum est in cruce. Vnde ante pretij exhibitionem non sunt homi-
61 nes liberati ab ea captiuitate, & exclusione. Angeli verò, quia perseuerauerũt in gratia accepta, nec fuerunt vllo modo captiui, statim finita eorum via adepti sunt gloriam. Etenim Christus nemini clausit ianuam regni cælorum, nec debuit aliquem retardare ab ingressu gloriæ, & susceptione præmij, & ideò ante Christum acceperũt præmium, sicut acciperent, dato quòd haberent gratiam sine meritis Christi. Et idem foret de hominibus, si in iustitia permansissent. Sed quia peccauerunt, positum fuit obstaculum, quod per Christum est ablatum & remotum, ac proinde ipse debuit primò intrare in gloriam suam.

62 Ad quintum respõdetur, Angelos, & homines, & vniuersam creaturam dare gloriam Agno, vt constat ex cap. 5. Apocalip. & forte cap. 7. homines peculiariter laudabant Agnum, quia pro illis duntaxat mortuus est Christus, eosque redemit, ac pro illis solis satisfecit.

63 Ad sextum negatur sequella, quia Beatissima Virgo ideò fuit redempta, quia in Adam fuit obnoxia peccato, quod de facto contraxisset, nisi diuinitus fuisset præuenta, & præseruata: Angeli verò non fuerunt obnoxij peccato, nec in se, neque in alio, ac propterea, licèt gratiam, & auxilium, nè laberentur in peccatum, habuerint ex meritis Christi præuisis, nõ dicũtur ab illo redempti, quia redemptio supponit eũ, qui redimitur, esse aliquo modo captiuum, & venundatum sub peccato, vel in se vel in sua radice, ex qua necessariò esset contrahenda seruitus, & captiuitas peccati, sancti autem Angeli nullo modo fuerunt captiui, & ideò non fuerunt redempti &c.

64 Sed dubitatur, qua ratione Christus, vt homo, seu ratione humanitatis, possit influere, & agere in Angelos, cùm res corporea non agat in res incorporeas. Respondetur, humanitatem Christi ante vnionem hypostaticã influxisse meritoriè, & finaliter gratiam & gloriam Angelorum: post vnionem autem ad Verbum aliquid operari in Angelis in genere causæ efficientis, vt colligitur ex Dionysio cap. 7. de cælesti hierarchia, vbi asserit, omnes Angelos à Christo illuminari, & doceri, sicut & inter ipsos Angelos inferiores à superioribus illuminantur. Constat verò, inferiores spiritus à superioribus
in genere causæ efficientis illuminari. Hoc autem non 65
solùm est intelligendum de humanitate Christi ex parte animæ tantùm, sed ex parte etiam corporis anima informati: vt rectè docet D. Thomas hìc ad 3. Etenim quemadmodum sacramenta, prout eleuata à Deo agũt in animam, & ignis inferni tanquam instrumentũ Dei potest dæmones, & animas torquere, non per solam detentionem, sed per veram, & realem efficientiam, & phantasmata prout illuminata ab intellectu agente possunt instrumentaliter, & efficienter concurrere ad productionem specierum intelligibilium: ita humanitas Christi ad esse Personale Diuini Verbi eleuata habet
aliquam efficientiam circa Angelos. Vnde sicut phan- 66
tasma illustratum speciem intelligibilem in intellectu producit; sic etiam Christus, vt homo, mediantibus verbis vocalibus, & locutionibus eleuatis Diuina virtute, producit apprehensionem, & iudicium in intellectu Angeli, multò melius quàm Angelus superior sua media illuminatione, & conceptuum directione: quamuis etiã verum sit, interdum ad modum ipsorum Angelorum per solam interiorem illuminationem absque exterioribus signis, & vocalibus verbis Christum eos mouere. Itaque humanitas Christi, vt instrumentum verbi coniunctum agit in Angelos, non tantùm eos illuminando, sed etiam suis meritis, & voluntate illis administrando omnia eorum bona.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm gratia Christi, secundùm quam est caput Ecclesiæ, sit eadem cum gratia habituali eius, secundùm quòd est quidam homo singularis.

PRIMA *Conclusio.* Eadem est secundùm essentiam gratia personalis, qua anima Christi est iustificata, & gratia eius secundùm quam est caput Ecclesiæ iustificans alios. *Probatur in argmento sed contra. Christus est caput nostrum, prout de eius plenitudine accepimus; sed hanc plenitudinem habuit, secundùm quòd in ea fuit gratia personalis perfectè,* vt

Digitized by Google

vt supra q. 7. art. 9. ostensum est: ergo secundùm gratiam personalem est caput nostrum, & ita gratia capitis, & gratia personalis realiter non differunt. Deinde in corpore. Eadem est gratia, qua Christus est gratus Deo, & influit in alios; quia gratia, qua influit, est gratia capitis superabundans, & eminens: agens enim influens debet habere praeminentiam supra passum; ergo eadem est gratia, qua est iustus, & qua influit. Patet consequentia, quia idem est, quo aliquid est actu, & quo agit, vt ignis, qui calore est calidus, & eodem calefacit.

Secunda Conclusio. Gratia personalis, & gratia capitis differũt ratione, quatenùs eadem gratia sanctificat animam Christi, & influit in alios.

Est primum argumentum D. Thomæ. In Adamo aliud est peccatũ actuale ipsius Adæ, & aliud est peccatum originale, quod in posteros traduxit: ergo in Christo alia est gratia personalis, quæ est propria ipsius Christi, & alia gratia capitis, quæ ab ipso derivatur ad alios. Negatur consequentia, & ratio discriminis est, quia in Adam distinguitur duplex peccatum, nempe, personæ, quod constitit in actu primi peccati Adæ, & peccatum naturæ derivatum ab illo peccato Adæ, & in nos transfusum. Et ideò in Adam persona corrupit naturam, quæ peccatum in posteros derivatur; prout natura corrupta corrumpit personam. Etenim natura est corrupta per actionem personæ, & natura sic corrupta communicatur posteris, & cum natura communicatur etiam culpa. At verò in Christo gratia communicatur humanitati assumptæ, non per aliquam actionem ipsius naturæ, sed immediatè à Deo propter dignitatem personæ. Christus verò communicat nobis gratiam, non per actionem, seu communicationem naturæ, sed per suam propriam actionem personalem, qua nobis meruit, & gratiam voluntariè influit. Vndè non oportet in Christo distinguere duplicem gratiam, quarum vna respondeat naturæ, & alia personæ, sicut in Adam distinguitur peccatum naturæ, & personæ.

Secundum argumentũ est. Ad alium actũ ordinatur in Christo gratia eius personalis, nempe ad sanctificationem suæ animæ, & ad alium actum ordinatur gratia capitis, scilicet, ad sanctificationẽ aliorum: ergo alia est gratia personalis in Christo, & alia gratia capitis. Patet consequentia, quia habitus distinguntur per actus. Respondetur, diversos actus, quorum vnus est ratio, & causa alterius, non diversificare habitum. Et quia actus gratiæ personalis, qui est facere sanctum formaliter habentem, est ratio iustificandi alios, quæ pertinet ad gratiam capitis, ideò per huiusmodi differentiam non diversificatur essentia habitus.

Tertium. In Christo distinguitur triplex gratia, nempe, vnionis, capitis, & personalis; sed gratia personalis est alia à gratia vnionis: ergo est etiam alia à gratia capitis. Respondetur, gratiam personalem, & gratiam capitis ordinari ad aliquem actum, gratiam verò vnionis ad esse personale, & nõ ad actum. Et ideò gratia personalis, & gratia capitis conveniunt in essentia habitus, gratia autem vnionis non convenit cum alijs gratijs, quæ sunt ad actum. Quatenùs verò gratia personalis facit congruitatem ad vnionem, potest dici gratia vnionis, & sic erit vna per essentiam gratia vnionis, gratia capitis, & gratia personalis, different tamen ratione.

Commentarius.

AD explicationem conclusionis primæ aduertendum est, eminentiam, quam D. Thomas tribuit in præsenti gratiæ Christi, esse in duplici differentia. Vnam quidem secundùm gradum & intensionem, nam gratia Christi est summa, & intensissima omnium gratiarum, alteram verò, prout gratia Christi residet in anima coniuncta Personaliter Diuino Verbo. D. Thomas non intelligitur hîc de priori eminentia, quia ex illa colligi non potest, gratiam Christi in alios influere ex necessitate, & in illis gratiam causare nisi de congruo tantùm, & ex libera Dei acceptatione, quo pacto vnus homo potest alteri primam gratiam promereri, vt Stephanus promeruit gratiam Saulo de congruo. Intelligitur ergo de posteriori eminentia, ex qua dignitate & præstãtia habet gratia Christi, vt quãtùm de se est, in eos necessariò influat, quos ipse Christus velit, nec potest illius influxus à Patre non acceptari. 1

Secundò obseruãdum est, in gratia Christi duplicem influxum, & efficientiam posse considerari. Vnam, quatenùs est elicitiuum principium operationum ipsius Christi, quibus meretur, & per hanc efficientiam non constituitur gratia capitis, sed pertinet ad gratiam personalem: etenim cuiusque hominis gratia est hoc modo elicitiuum, & effectiuum suarum operationũ principium. Alteram vero respectu aliorum, in quos influit, & causat bona spiritualia, & per hanc efficientiam & influxum constituitur gratia capitis, quia non dicitur gratia capitis nisi respectu aliorum. 2

Circa secundam conclusionem notandum est, quòd sicut forma in naturalibus, quatenùs dat esse materiæ, & in ea recipitur, sola ratione distinguitur à seipsa, quatenùs est effectiuum principium: sic etiam gratia personalis, quatenùs ipsum Christum constituit gratum tanquam forma in illo recepta, sola ratione distinguitur à seipsa, prout est principium effectiuum in alios influens. 3

Ex responsione ad primum colligitur ex sententia D. Thomæ fuisse in Adam peccatum originale. Quod à multis 4

multis Thomistis negatur, & à M Suarez hîc. Sed nega-
ri non potest, fuisse in Adam peccatum originale secun-
dùm suam speciem & essentiam, si fiat sermo de re, quæ
vocatur peccatum originale. vt cōstat ex D. Thoma in
hac responsione, & 1. 2. q. 81. art. 1. & 3. vbi ait, peccatū
originale esse quendam habitum, non infusum, neque
acquisitum, nisi per actum Primi Parentis. Quibus ver-
bis insinuat, Adamum acquisiuisse in seipso per suum
actum rem, quæ dicitur peccatum originale, quod in
alios per seminalem rationem traduxit. Idem docet D.
Thomas de Potentia q. 3. artic. 5. ad primum, dicens,
quòd sicut in natura Adæ erat natura omnium origi-
naliter, sic etiam peccatū originale, quod est in nobis,
erat originaliter in illo peccato originali primi homi-
5 nis. Ratio verò suffragatur, quia in Adamo fuit habi-
tualis conuersio ad obiectum indebitum, cui conuer-
sioni fuit adiuncta tanquam complementum priuatio
conformitatis ad legem, quam transgressus est Adam,
& auersio quæ in eodem permansit per modum habi-
tus, & hæc omnia fuerūt eiusdem speciei in genere mo-
ris, cum eo, quod ab ipso in suis posteris per generatio-
nem participatur: nam similiter erat habitualis conuer
sio ad commutabile bonum cum priuatione rectitu-
dinis, & conformitatis, quam deberet habere natura
6 conformiter ad rectam rationem & legem. Neq; obs-
tat, quòd hæc non fuerint participata in Adam per ge-
nerationem, quia diuersitas in modo participandi ali-
quod esse, nisi in ipsum esse refundatur, non inducit dis-
tinctionem specificam in eo. Vnde eiusdem speciei sunt
homo per creationem productus, & ortus per genera-
tionem naturalem. Constat autem, quòd participari in
nobis illam habitualem conuersionem per generatio-
nem, & non in Adam, non redundat in aliquam diuersi-
tatem ipsius conuersionis habitualis, & deformitatis
annexæ, cùm semper importet habitualem conuersio-
nem ad obiectum indebitum, cui adiuncta est habitua-
lis auersio, & deformitas, & priuatio conformitatis ad
7 legem, & priuatio eiusdem rectitudinis. Neque est de es-
sentia peccati originalis, quòd sit causatum per origi-
nem ab alio, sed solùm est de eius essentia, quòd sit per
se & ex natura sua deordinatio & deformitas naturæ, &
peccatum naturæ, siue sit per originem traductum ab
alio, siue ab illo in alios. Et hoc modo peccatū origina-
le fuit in Adā tāquā in causa, vel principio, quod à qui-
busdā dicitur peccatū originale, originās, & nō origina
le. habuitq; in Adamo rationē peccati actualis, quia fuit
8 causatū proprio actu. Neq; obstat, quòd peccato origi-
nali debetur sola pœna damni, & peccato Adami pœna
sensus, quia peccato originali passiuè, idest cōtracto per
originem secūdùm suā speciem, debetur tantùm pœna
damni, at verò peccato originali, originanti, quod est
originale actiuè, & tanquam causa, cum sit actuale, de-
betur illi, vt actuale est, pœna damni, & sensus. Etenim
diuersus modus producendi rem, nunquam variat essen
tiam, & speciem rei productæ, nisi diuersitas specifica
9 aliúde proueniat. Et ideò, peccatum originale, licèt in
Adamo proprio actu fuerit productum, & non per ge-
nerationem contractum, in nobis autem sit è conuer-
so per generationem causatum, & non actu proprio, est
tamen eiusdem speciei, & essentiæ moralis in omnibus,
& solùm differt accidentaliter penes hunc modum di-
uersum productionis: sicut scientia naturalis acquisita
est eiusdem speciei cum scientia naturali per accidens
infusa, quia ille diuersus modus productionis ex acci-
denti se habet ad essentiam specificam.

Præterea. Sicut peccatum Adæ diuersis consideratio- 10
nibus fuit originale, & personale, ita in hoc conuenit
proportionaliter cum gratia Christi, quæ & est capita-
lis, & personalis. Est tamen differentia inter Adamum &
Christum, quòd in Adamo ipsum peccatum originale,
quod fuit veluti totius naturæ deordinatio per se, qua-
tenùs respiciebat voluntatem naturæ, ortum est ex pec- 11
cato actuali, quod fuit deordinatio personæ, seu perso-
nalis, quatenus respiciebat voluntatem personæ vt sic,
& ita natura est corrupta per actum personæ, & natura
sic corrupta communicatur filijs Adæ, & cum natura
communicatur etiam culpa, & hoc modo distinguitur
in Adam peccatum naturæ à peccato personæ. Cæte-
rùm in Christo gratia non communicatur humanitati
per aliquem actum ipsius, sed immediatè à Deo ob per-
sonæ dignitatem, neque gratia Christi deriuatur ad nos
per actionem naturæ, sed per actionem voluntariam
Christi, qua nobis meruit, & communicauit gratiam,
ac propterea non distinguitur in eo gratia personalis à
gratia capitali.

Circa responsionem ad tertium est aduertendum, nō 12
assignari à D. Thoma discrimen inter gratiam perso-
nalem, & capitalem ex vna parte, & gratiam vnionis ex
altera quantùm ad hoc, quod est ordinari ad actū, quasi
gratia capitalis & personalis immediatè ordinetur ad ac-
tū, gratia verò vnionis mediatè, nō inquā, cōstituitur à
D. Thoma differētia in hoc, quia omnis gratia, cùm in
essentia animæ resideat, non ordinatur immediatè ad
operationem, sed mediatè per virtutes in potentijs resi-
dentes, & hoc modo gratia etiam vnionis ordinatur ad
operationem, quia vnumquodque agit, secūdùm quod
est in actu. Cùm ergo humanitas Christi sit in actu per
gratiam vnionis, per illam gratiam subinde operatur
mediatè. Discrimen itaque positum à D. Thoma in eo 13
consistit, quòd gratia capitalis & personalis ordinatur
ad actum, tanquam in suum finem, & perfectionem,
actus siquidem gratiæ & gloriæ perfectiores sunt ipsa
gratia personali, & capitali. Gratia verò vnionis non
ordinatur ad actum tanquam in suum finem, & aliquid
perfectius, quia infinitè est perfectior gratia vnionis
ipsa etiam beatitudine: Imò gratia vnionis est finis glo-
riæ, & beatitudinis. De huiusmodi ergo ordinatione
ad aliquid perfectius intelligitur D. Thomas, quando
in hac solutione inquit, gratiam vnionis ad opera-
tionem non ordinari.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm esse caput Ecclesiæ sit proprium Christo.

SVPPONIT D. Thomas caput influere in alia membra dupliciter. Vno modo per influxum intrinsecum & interiorem, prout scilicet virtus motiua, & sensitiua à capite deriuatur in alia membra: alio modo quantùm ad exteriorem guberna-

Digitized by Google

gubernationem, sicut per visum, & sensus, qui sunt in capite, dirigitur homo in exterioribus actionibus.

Hoc supposito est Prima Conclusio. Esse caput Ecclesiæ secũdùm interiorem influxum, est proprium Christo. *Probatur; quia sola humanitas Christi habet vim iustificandi, cùm sit coniuncta Verbo; ergo.*

Secunda Conclusio. Esse caput Ecclesiæ secũdùm gubernationem exteriorem est commune Christo cum alijs: *Nam Amos 6. optimates vocantur capita populorum.*

Tertia Conclusio. Esse caput hoc modo differenter conuenit Christo, & alijs. *Primò, quia Christus est caput omnium secundùm omnem locum, & tempus, & statum, alij verò vel secundùm tempus, sicut Papa est caput Ecclesiæ totius pro tempore sui Pontificatus: vel secundùm locum, sicut Episcopi suarum Ecclesiarum &c. Secundò, quia Christus est caput propria virtute, & authoritate, alij verò, quia gerunt vicem Christi, cuius legatione funguntur, iuxta illud 2. Corint. 2.* Nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in Persona Christi. *Et cap. 5.* Pro Christo legatione fungimur, tanquã Deo exortante per nos.

Primum argumentum D. Thomæ desumitur ex illo 1. Reg. 15. Cùm esses paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es: sed in nouo, & veteri Testamento vna est Ecclesia: ergo alius homo præter Christum poterit esse caput Ecclesiæ. Respondet, illud verbum intelligi, secundùm quòd ratio capitis cõsideratur ex exteriori gubernatione, prout Rex dicitur caput sui regni. Et hoc modo commune est Christo cum alijs esse caput Ecclesiæ secundùm gubernationem exteriorem.

Secundum est. Ex eo dicitur Christus esse caput *Ecclesiæ, quia influit gratiam membris Ecclesiæ; sed alij etiam conferunt gratiam alijs, iuxta illud ad Ephes. 4. Omnis sermo malus ex ore vestro nõ procedat, sed si quis bonus est ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus: ergo alijs, quàm Christo competit esse caput Ecclesiæ. Respondet, quòd cùm caput influat, intrinseco influxu, & secundum exteriorem gubernationẽ, homini non conuenit influere nisi secundo modo, exteriùs persuadendo, & monendo ad ea, quæ sunt gratiæ.*

Tertium est. Christus non solùm est caput, sed etiam est pastor, & fundamentum Ecclesiæ; sed vtrumq; alijs communicauit: ergo etiam nomen capitis. Minor quoad priorem partem patet ex illo 1. Petri 5. Cùm apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam. Quoad posteriorem etiam pate: ex illo Apocalip. 21. Murus ciuitatis habens fundamenta duodecim. Respondet, quòd sicut sunt plures pastores, sed omnes sunt vnius pastoris membra: sic sunt plura fundamenta, & capita, sed omnia sunt vnius capitis, & fundamenti membra. Et quamuis nomen pastoris alijs communicauerit, sibi tamen nomen ostij retinuit, quia in ostio importatur principalis authoritas, quatenùs per ostium fit ingressus in domum, & per Christum solum habemus accessum ad Deũ: per alia vero nomina denotatur authoritas, non solùm principalis, sed etiam secundaria.

Commentarius.

PRIMA Conclusio debet intelligi de influxu gratiæ, qui est per modum meriti & redemptionis, & propriè conuenit Christo, vt est caput Ecclesiæ, & hic influxus non communicatur alijs, qui aliquam rationem capitis participant. Vnde ministri Ecclesiæ, qui à Christo recipiunt potestatem influendi gratiam, & dandi remissionem peccatorum in administratione Sacramentorum, sunt instromenta ipsius Christi, & ad exercendam huiusmodi potestatem non censentur capita, sed instrumenta ipsius capitis Christi. At verò Christus tanquam caput habet hanc potestatem, quia est causa principalis, saltem meritoria, & exemplaris huius influxus, & secundùm probabilem sententiam Magistri Medina, est causa principalis efficiens, quouis secunda. Et hac ratione solus Christus dicitur caput secundùm internum influxum, quia est causa principalis gratiæ, reliqui verò ministri Ecclesiæ sunt duntaxat huius capitis instrumenta. Quò fit, vt hæc dignitas & gratia capitis ita sit propria Christo, vt nulli alteri sit de facto communicata, nec sit puræ creaturæ communicabilis saltem quoad perfectionem, & modum influendi gratiam in alios ex perfecta iustitia. 1

Ao verò præter Christum possit alius dici caput Ecclesiæ, dicendum est, eo modo, quo Christus est caput, cum potestate excellentiæ, nullum aliud esse caput. Nihilominùs sub Christo, & dependenter ab illo Papa dicitur caput Ecclesiæ militantis, tanquam supremus gubernator & dispensator mysteriorum Dei ab ipso Christo institutus. Nec propriè loquendo Christus, & Papa sunt duo capita, sed vnum caput formaliter, nam authoritas Christi, & Papæ eadem omnino est, nisi quòd in Christo residet excellenter, & in Papa limitatè. 2

3

ARTICVLVS. VII.

Vtrùm diabolus sit caput omnium malorum.

S ff *Prima*

PRIMA *Conclusio.* Diabolus est caput omnium malorum secundùm exteriorem gubernationem. *Probatur primò ex glossa ad illud Iob* 18. Memoria illius pereat de terra. *Vbi dicit. De vnoquoque iniquo dicitur, vt ad caput, idest, ad diabolum reuertatur. Et cap.* 41. Ipse est rex super omnes filios superbiæ. *Secundò. Peccatores ducuntur à diabolo in suum finem, qui est auertere hominem à Deo: ergo sunt sub eius regimine, & ita est eorum caput. Antecedens probatur, quia auersio habet rationem finis sub specie libertatis, quam appetit peccator: iuxta illud Ieremiæ* 2. A sæculo confregisti iugum, rupisti vincula, & dixisti non seruiam.

Secunda Conclusio ex responsione ad primum. Diabolus non est caput malorum, vt caput dicit influxum interiorem, non enim influit in mentem, sed exteriùs suggerit.

Primum argumentum D. Thomæ est. De ratione capitis est, quòd influat in membra sensum, & motum, vt ait glossa super illud ad Ephes. 1. *Ipsum dedit caput &c. Sed diabolus non influit malitiam peccati, cùm hoc procedat ex voluntate peccantis: ergo diabolus non est caput malorum. Resp. diabolū non esse caput malorum, vt caput dicit influxum interiorem; non enim influit in mentem, sed exteriùs suggerit, & inducit ad malum.*

Secundum argumentum est. Per quodlibet peccatum fit homo malus, sed non omnia peccata sunt à diabolo: ergo diabolus non est caput omnium malorum. Minor patet in peccatis dæmonum, qui non ex persuasione alterius peccauerunt. Item quia vt habetur in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 82. *Non omnes cogitationes nostræ malæ, semper diaboli instinctu excitantur, sed aliquoties ex motu arbitrij nostri emergunt. Resp. quòd licèt diabolus non omnia peccata suggerat, quia tamen omnibus, tanquàm dux erexit vexillum peccati, quod sequimur imitando, vel sponte, vel ex suggestione; ideò dicitur caput omnium malorum; iuxta illud Sap.* 2. *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum.*

Tertium. Tota multitudo malorum in nullo conuenit; cùm malum malo contingat esse contrarium, & etiam fit ex diuersis defectibus: ergo diabolus nō est caput omnium malorum. Patet consequentia, quia vnum caput vni corpori præficitur. Resp. multitudinem malorum habere vnum, in quo omnes vniuntur, nempe, auersionem à Deo; tametsi conuersione ad diuersa bona commutabilia differant.

Commentarius.

CVM vnum contrarium ex comparatione alterius magis elucescat, ideò D. Thomas in hac quæstione, qua de eminentia gratiæ Christi instituit sermonem, addit disputationem de eminentia malitiæ diaboli, & Antichristi, vt perfectio gratiæ Christi magis appareat. Est tamen obseruandum, hîc sumi diabolum non pro tota collectione diabolici exercitus, quamuis Caietanus articulo sequenti id insinuare videatur; sed sumitur pro Principe dæmoniorum, qui per anthonomasiam solet in scriptura vocari diabolus: & D. Thomas comparat illum ad omnes malos, tam dæmones, quàm homines, quia omnium est caput, & omnes superat malitia, & omnes aliquo modo ad peccatū induxit, vel per se, vel per alios: propter quod Ioan. 12. dicitur princeps huius mūdi. Colligitur autem hæc explicatio ex D. Thoma in solutione ad secundum, vbi explicat, quo pacto diabolus fuerit causa peccandi, & dæmonibus, & hominibus. Hîc dubitatur à quibusdam, 1
verùm Adam possit dici caput omnium malorum. Et ratio dubitandi est, quia est caput peccati originalis, ex cuius malitia deriuantur etiam omnia alia peccata actualia; ergo magis influit Adam in peccatores, quàm diabolus. Sed respondetur, nullo modo id esse dicendum de Adam, quia hæc peccati communicatio est omninò præter eius intentionem, & ita effectus etiam peccati sunt præter intentionem ipsius. Ad rationem autem capitis in moralibus necessarium est, quòd per propriam voluntatem influat moraliter, vel saltem gubernet, & dirigat membra. 2

ARTICVLVS. VIII.

Vtrùm Antichristus sit caput omnium malorum.

PRIMA *Conclusio.* Antichristus nō est caput omniū malorū quantùm ad ordinē tēporis, & virtutem influendi. *Ratio primi est, quia eius peccatum non præcessit tempore aliorum peccata. Ratio secundi: quoniam qui eum præcesserunt, non sunt inducti ab eo ad peccandum, nec eius malitiam sunt imitati, sed aliqui suo tempore, quos ad malum conuertet, & sic erit aliquorum caput.*

Secunda Conclusio. Antichristus est caput omnium malorum perfectione. *Idest, propter suam perfectā malitiā. Probatur ex glossa ad illud Thessaloni.* 2. Ostendens se tanquam sit Deus, *dicente: in eo esse plenitudinē malitiæ, non quia eius humanitas sit assumpta à diabolo, sed quia diabolus eminentiùs in eum influet, malitiā suggerendo &c.*

Primum argumentum est. Vnius corporis non sunt diuersa capita: sed diabolus est caput malorum; ergo Antichristus non est eorum caput. Resp. diabolum, & Antichristum non esse duo capita, sed vnum,

vnum, quatenùs in Antichristo pleniùs reperitur malitia diaboli. Vnde diabolus erit in eo per malitiæ effectum, non per vnionem personalem, nec per intrinsecam inhabitationem (solus enim Deus menti illabitur, vt dicitur in lib. de Ecclesiast. dogmatibus) sed per malitiæ effectum.

Secundum. Antichristus est membrum diaboli: sed caput distinguitur à membris; ergo Antichristus non est caput malorum. Resp. quòd sicut Deus est caput Christi, & tamen ipse Christus est caput Ecclesiæ: ita Antichristus est membrum diaboli, & caput malorum.

Tertium. Caput influit in membra; sed Antichristus nullum habet influxum in malos, qui eum præcesserunt; ergo non est caput malorum. Resp. quòd licèt Antichristus non influat in omnes, tamen ob similitudinem perfectionis malitiæ dicitur caput, quatenùs diabolus deducet in eo malitiam suam ad caput; hoc est, ad propositum suum.

Commentarius.

1 PRO intelligentia cõclusionis aduertendum est, hoc nomen, Antichristus, dupliciter sumi in sancta Scriptura. Vno modo pro collectione hominum malorum, qui dicũtur Antichristi, quia sunt figura illius hominis pessimi, qui futurus est in vltimis temporibus, atque ipsius similitudinem gerunt. Sic 1. ad Corint. 2. & 4. dicitur. *Antichristi sunt multi.* Secundò vsurpatur pro quadam particulari persona, quam D. Paulus 2. Thessalonicens. 2. asserit futuram. Sic enim ait. *Tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui, eum, cuius est aduentus secundùm operatio-
2 nem Sathanæ in omni virtute & signis.* Et quidem secundùm fidem asserendum est, fore talem singularem personã, vt constat ex citato loco Pauli, & ex communi consensu Ecclesiæ. Siquis verò diceret, hanc singularem personam fuisse Lutherum, Arrium, vel alium insignem hæreticum, non esset hæreticus censendus, possunt enim applicari conditiones, quas eo loco describit Paulus Luthero, aut alteri simili, esset tamen temerarius, quia vniuersalis Ecclesia adhùc expectat Antichristum.

3 Dom. Caiet. dubitat, An Antichristus sit caput omniũ malorum, tam dæmonum, quàm hominum, & respondet esse caput malorum hominum tantùm, & eius ratio est, quia est impossibile, vt Antichristus dæmones malitia superet, cùm illi ita sint in malo obstinati, vt neque possint conuerti, neque bene operari; Antichristus verò futurus sit viator. M. Suarez intelligit hunc articulum de omnibus malis comprehendendo etiam dæmones præter Luciferum: quod etiam videtur insinuare D. Thomas in responsionibus ad argumenta, dicens Antichristum esse quasi primarium membrum diaboli, & caput aliorum malorum.

4 Ratio autem Caietani est parui momenti, tum, quia probaret etiam, non omnes malos homines posse in hoc titulo intelligi, quia homines damnati sunt etiam obstinati, sicut dæmones. Tum etiam, quia licèt probet ratio de statu excedere statum damnatorum in malitia statum cuiuslibet viatoris; nihilominùs in intensione, & multitudine malitiæ potest aliquando viator excedere damnatum. Vnde exactior mihi videtur explicatio Suarez. Cætera, quæ de Antichristo poterant explicari, non sunt huius loci: differuntur à Suarez infrà q. 59. art. 6. Disput. 54. Bellarmino lib. 3. de Romano Pontifice. Henriquez lib. vltimo de fine hominis cap. 22. & sequentibus, Sandero lib. 8. de Visibili Monarchia, & Soto in 4. d. 46. q. 1.

QVÆSTIO. IX.

De scientia Christi in communi.

QVAESTIONIBVS præcedentibus 7. & 8. disseruit D. Thomas de primo coassumpto ad perfectionem humanitatis Christi pertinente, videlicet, de gratia eius, virtutibus, & donis, iam congruo ordine incipit disputare de altero, quod spectat ad perfectionem ipsius intellectus, nempe, de scientia animæ eius. Priùs quidem in communi in hac quæstione nona, in qua tractat quæstionem, An est, cuiusuemq; scientiæ existentis in anima Christi: deinde verò de scientia illius in particulari à quæstione 10. vsque ad duodecimam inclusiuè.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm Christus habuerit aliquã scientiam præter Diuinam.

RESPONDET *D. Thomas vnica cõclusione affirmante.* Christus habuit aliquam scientiam creatam præter Diuinam, & increatam. *Probat primò in argumẽtò sed contra authoritate D. Ambrosij in libello quodã de Incarnatione, qui habetur 2. tomo cap. 7. vbi ait. Deus in carne perfectionẽ naturæ assumpsit humanæ, suscepit sensum hominis, sed non sensum carnis inflatum; sed ad sensum hominis pertinet sciẽtia creata; ergo in Christo fuit scientia creata. In corpore probat tripliciter. Primò. Anima Christi fuit perfecta per scientiam, quæ est propria perfectio ipsius animæ; ergo habuit Christus aliquam scientiam creatam præter Diuinam. Consequentia probatur; quia aliàs anima Christi esset imperfectior animabus aliorum hominum, in seipsis habentibus scientiam creatã, quæ est propria earum perfectio. Antecedens probatur. Non fuit conueniens, vt Filius Dei assumeret naturam humanam imperfectam, sed perfectam; cùm per illam redemptúrus esset totum genus humanum ad perfectum: &*

ita Filius Dei assumpsit animam humanam cũ intellectu & ratione; sed anima secundùm se considerata, idest, absolutè, & nudè, sine aliqua scientia est imperfecta: ergo in Christo fuit anima per aliquam scientiam perfecta. Minor probatur. Anima Christi considerata secundùm se sine aliqua scientia est in potentia ad omnia intelligibilia cognoscẽda, nam est tanquam tabula rasa, in qua nihil est scriptum, vel depictum, & tamen possibile est in ea aliquid scribi per intellectum possibilem, vt docet Aristot. 3. de Anima tex. 18. Sed quod est in potentia est imperfectum, nisi ad actum, ad quem est talis potentia, reducatur; ergo anima Christi sine scientia esset imperfecta; nam scientia est actus, ad quem anima est in potentia secundùm se.

Secundò probatur conclusio. Nisi anima Christi haberet aliquam scientiam creatam, frustrà esset anima intellectiua in Christo; ergo habuit illam. Probatur consequentia, quia euidens est, animam intellectiuam non fuisse frustrà assumptam à Verbo. Antecedens probatur, quoniam ex Aristotele 2. de Cælo tex. 17. Vnumquodq; est propter suam operationem.

Tertiò. Nihil naturalium, idest, eorum, quæ pertinent ad perfectionem naturæ humanæ, vt est natura, defuit Christo, cùm Verbum totam naturam humanã assumpserit; sed aliqua scientia creata pertinet ad naturam humanæ animæ, illa scilicet per quam cognoscit prima principia; ergo aliquam sciẽtiam creatam habuit anima Christi, saltem hanc. Denique D. Thomas in calce corporis articuli confirmat suam conclusionem ex sexta Synodo generali, vbi damnatur sententia eorum, qui negant in Christo duas scientias, vel sapientias, alterã creatam, alteram verò increatam. Vnde constat, D. Thomam credidisse, suam conclusionem esse certam secundùm fidem.

Primum argumentum D. Thomæ est. Scientia ad hoc est necessaria, vt per eam aliqua cognoscantur: sed Christus per scientiam Diuinam cognouit omnia; ergo non fuit illi necessaria alia scientia. Respondet, Christum omnia cognouisse per scientiam Diuinam operatione increata, quæ est idem, quod Essentia Diuina: & quia hic actus non potuit esse animæ humanæ, cùm sit alterius naturæ, ideò debuit in ea dari alius actus scientificus, nè esset frustrà, cùm vnumquodq; sit propter suam operationem.

Secundum. Omnis scientia creata comparatur ad scientiam increatam Dei, sicut lux minor ad maiorem, sed lux minor offuscatur per maiorem: ergo in Christo non fuit alia scientia præter Diuinam. Resp. Quòd si sint duo luminaria in eodem ordine, nempe illuminantis, maius offuscat minus. At si maius sit in ordine illuminantis, & minus in ordine illuminati, minus magis augetur, vt lumen aeris per lumen solis. Et hoc modo lumen scientiæ humanæ in Christo magis clarescit per scientiam Diuinam.

Tertium. In Christo est quædam scientia vnionis, per quam plenius cognouit, quàm alij, quicquid pertinet ad mysterium Incarnationis: sed vnio personalis continet duas naturas: ergo in Christo est vna tantùm scientia pertinens ad vtramq; naturam. Resp. Scientias in Christo poni ex parte vnitorum, hoc est naturarum in supposito: ita vt propter vnionem, secundùm quam est eadem hypostasis Dei, & hominis, id, quod est Dei, attribuitur homini; & id, quod est hominis, attribuitur Deo. At ex parte ipsius vnionis nulla scientia potest poni in Christo: nam illa vnio est ad esse personale; scientia autem non conuenit personæ, nisi ratione alicuius naturæ.

Commentarius.

1 EX vltimis verbis corporis articuli colligitur manifestè, D. Thomam existimasse hanc conclusionem esse de fide tenendam, cùm dicat, damnatam fuisse in sexta Synodo generali positionem negantium, in Christo duas esse scientias, nempe, creatam, & increatam. Asserere autem aliquid contra manifestam & expressam definitionem Concilij, est aperta hæresis. Accedit, quòd Ioan. 1. dicitur Verbum plenum gratiæ & veritatis, qui locus sine dubio intelligendus est de veritate, & scientia creata, sicut intelligitur de gratia creata. Et Ioan. 8. ait Christus, *Ego cognosco eum,* idest, Patrem, *Et mandata eius obseruo.* At Christus seruat Patris mandata per voluntatem, & actiones creatas; ergo cognoscebat etiam Patrem per intellectum, & cognitionem creatam. 2 Item. In Christo secundùm fidem est scientia, quæ est donum Spiritus Sãcti, sed huiusmodi scientia est creata, ergo in Christo secundùm fidem est scientia creata. Consequentia cum minori patet, & maior similiter est euidens ex dictis supra q. 7. art. 5. vbi probatum est secundùm fidem, esse in Christo dona Spiritus Sancti, & colligitur ex illo Isaiæ 11. *Requiescet super eum spiritus Domini &c.* Inter dona autem Spiritus Sancti connumeratur scientia: ergo.

3 Ex alia verò parte videtur conclusio D. Thomæ non esse certa secundùm fidem: quia in ea sexta Synodo generali tantùm damnatur positio negantium duas operationes in Christo, Diuinam, scilicet, & humanam, quod optimè potest saluari de alijs operationibus humanis, ab his, quæ sunt intellectus, & voluntatis, nihil tamen definitur de scientia, vt constat ex Actione 4. 8. 11. & 17. Imò verò, quamuis ponatur in Christo

Christo operatio voluntatis creatæ, non inde fit consequens, necessariò esse ponendam operationem intellectus creati, nam licèt operatio voluntatis sequatur operationem intellectus, satis est, quòd intellectus ille, cuius operatio præcedit, sit increatus: poterit enim voluntas creata ferri in obiectum ab intellectu increato propositum. Nec verò in alijs Concilijs quidquam definitur de scientia creata Christi. Quòd si aliquando, vel in aliquo Concilio, vel in aliquo loco Sanctæ Scripturæ dicatur Christus scire, aut nosse, id poterit commodè explicari de scientia, vel notitia increata, quam habuit Christus, quatenùs Deus.

4 Secundò. Scientia creata est habitus; sed non est certũ secundùm fidem in Christo esse aliquem habitum creatum, siue intellectus, siue voluntatis; omnia enim, quæ de Christo dicuntur quantùm ad voluntatem, & intellectum, saluari possunt de actibus; ergo.

5 Tertiò obijcitur argumento primo D. Tho. Christus sciebat omnia per scientiam increatam; ergo superflua erat in eo scientia creata. Consequentia patet. Quia vbi aliquis effectus potest perfectissimè fieri per vnam eamdem, non sunt ponendæ duæ. Si respondeatur cum D.Thoma, Christum cognouisse omnia per scientiam increatam operatione increata tantùm, quod est dicere, sciuisse omnia per scientiam increatam, quatenùs erat Deus, non secundùm quòd erat homo: contra hoc Ins-
7 tatur. Anima Christi poterat intelligere per scientiam increatam; ergo etiam, quatenùs homo sciebat omnia per illam. Antecedens probatur: quia Diuina Essentia poterat vniri animæ Christi in ratione scientiæ, sicut vnitur intellectui beato in ratione speciei.

8 Quartò obijcitur secundo argumento D. Thomæ. In præsentia maioris luminis non est opus minori, sed scientia creata comparatur ad Diuinam, & increatam, sicut minus lumen comparatur maiori: ergo cùm in Christo esset scientia increata, non erat illi necessaria creata. Maior probatur ex eo, quòd lumen maius, præterquàm quòd efficit multò meliùs, quod à minori efficitur, offuscat etiam illud, ita vt in eius præsentia non luceat, neque appareat. Si dicatur cum D.Thoma, duo lumina eiusdem rationis, idest quorum vtrumq; est illuminans independenter ab alio, vt lux solis, & candelæ, vnum offuscari ab alio, quando verò alterum accipitur in ratione illuminantis, & alterum in ratione illuminati, tunc minus lumen non offuscatur, sed magis augetur in præsentia maioris, vt patet in lumine solis, & aëris. Contra hoc instatur. Contingit, vt lumen
9 etiam illuminatum non appareat in præsentia maioris illuminantis, vt est videre in lumine solis, & stellarum, & præterea, quia scientia creata Christi non illuminatur à scientia increata, non enim vbicumque est scientia increata, statim necessariò causatur scientia creata: ergo.

10 Pro intelligentia conclusionis D. Thomæ aduertendum est, nomine scientiæ creatæ non intelligi determinatè scientiam propriè dictam, secundùm quod Logici, & Methaphysici dicunt, scientiam esse habitum demõstratiuum, nec accipi pro habitu, sed largè pro quacumque cognitione intellectiua. Hoc supposito dico, cõclusionem D. Thomæ esse de fide tenendam, nempe, in Christo esse aliquam scientiam creatam præter Diuinã, & increatam: hoc est, aliquam cognitionem intellectualem creatam. Est contra Macharium, & sectatores suos Monotheliter, qui cùm in Christo non ponerent nisi vnicam simplicem operationem, quam appellabāt Theandricam, idest, Deiuirilem, vt posè operationem mirabilem, & Diuinam, consequenter deberent necessariò dicere, tantùm esse in eo scientiam increatã. Et præ- 11
ter ille testimonia, quæ supra retulimus pro conclusione, sunt multa alia, quæ Christo tribui non possunt, nisi vt homo est, in quibus ostenditur, Christum habuisse operationem intellectus creati. Dicitur enim de ipso, animam eius fuisse tristem vsque ad mortem; quæ tristitia causabatur in anima eius ex intensissima apprehensione dolorũ, quos in morte erat passurus. Dicitur etiã de eo, quòd fuerit admiratus; admiratio autem nequie esse operatio Diuini intellectus. Similiter tribuuntur Christo humana verba propriè dicta, quæ ex conceptibus oriuntur humanis, vt pote ad eos exprimendos prin
cipaliter inuenta. Præterea colligitur certitudo huius 12
conclusionis secundùm fidem ex Concilijs, in quibus definitur, in Christo esse duas operationes, scilicet, increatam, & creatam, tam intellectus, quàm voluntatis. Ita quinta Synodus generalis Actio 4. & 11. Et sexta Synodus Actio 8. & 17. Ex quo necessariò colligitur, in illis Concilijs esse definitum, esse in Christo scientiam, vel sapientiam creatam, quamuis non sub istis nominibus, sed sub nomine operationis intellectus. Et propterea D.Thomas allegans in hoc articulo illud Conciliũ, non tam curans verba, quàm sensum Concilij, definijsse dixit esse in Christo duas sapientias, vel scientias, vnam
creatam, & alteram increatam. Item confirmatur ra- 13
tione, & præter eas, quas D.Thomas adducit, quæ suam conclusionem euidenter ostendunt, est alia egregie & optima. Christus Dominus, inquantùm homo meruit, & satisfecit pro nobis, vt constat secundùm fidem; sed meritum intrinsecè claudit actum intellectus, & voluntatis animæ rationalis: ergo inquantùm homo habuit operationem creatam, intellectus. Minor probatur, nã meritũ esse non potest, nisi vbi est libera voluntas, hæc autem esse non potest nisi vbi est operatio intellectus, nascitur enim libertas voluntatis ex opere intellectus non determinata ad vnum.

Dico secundò, conclusionem D. Thomæ non esse 14
dogma fidei, si intelligatur de scientia creata, quantùm ad habitum, licèt sit temerarium oppositum dicere. Ratio primi est, quia Concilia duntaxat expressè loquuntur de scientia actuali: definiunt enim in Christo esse operationem creatam intellectus, hæc autem non est aliud, quàm scientia actualis. Et in Sancta Scriptura nunquam dicitur expressè, Christum habuisse scientiam creatam habitualem, sed tantùm actualem. Vt cùm dicitur Ioan. 13. *Sciens Iesus, quia venit hora
eius.* Et cap. 8. *Ego scio eum.* Ratio secundi 15
est, quia est temerarium negare Christo lumen gloriæ creatum, vt patet: lumen autem gloriæ est habitus quidam intellectus, saltem modaliter, est enim qualitas permanens in intellectu illum constituens in actu primo per ordinem ad actum secundum. Item, quia temerarium est dicere, non esse scientiam creatam permanenter in anima Christi, ita vt cùm Christus dormiret, non fuisset sapientissimus, vel prudentissimus habitualiter. Rursus, quia Christus in actum intellectus exibat, quoties volebat promptè, & delectabiliter,

atque adeò habebat habitũ in eius anima existentem, à
16 quo ille actus procederet. Quòd si dicas, istam promptitudinem & delectationem operandi non prouenire ab habitu, sed à concursu Dei speciali, qui Christo aderat infallibiliter, quoties operari volebat, veluti ex quodã pacto, & conuentione facta cum anima Christi, cùm eam sibi personaliter vniuit, ad eum modum, quo Christus per suam humanitatem, quoties volebat, promptè, & delectabiliter operabatur miracula, sine eo, quod in anima eius ponatur aliqua facultas, & permanens
17 potestas ad efficienda miracula: Respondetur, huiusmodi assertum non esse errorem in fide, quia illo modo saluas veritatem scripturæ, Conciliorum, & Patrum aliqua ratione. Sed quia est contra communem Theologorum sententiam, & ponit miraculum sine vlla prorsus necessitate, & modum intelligendi contrarium intellectui creato, esse saltem temerarium.

18 Ex his patet quid sit dicendum ad argumentum primum in oppositum, solùm enim probat non esse de fide, ponere in Christo scientiam creatam habitualem: esse tamen temerarium illam negare. Et idem Resp. ad secundum quod licèt non sit expressè contrà fidem negare habitus intellectuales, est tamen temerarium.

19 Ad tertium pro nunc respondetur, quod licet anima Christi posset intelligere per scientiam increatam, non ideò est illi deneganda scientia creata, cùm sit perfectio naturalis non derogans Christo, quemadmodùm etsi in eo poneretur sanctificatio substantialis, quam quidam fingunt, adhuc non esset illi neganda gratia habitualis. Secundò Resp. plusquàm falsum esse, dicere, animam Christi posse intelligere per Diuinam intellectionem, vt probabitur disputatione sequente.

20 Ad quartum Resp. primò, quòd sicut maior lux offuscat minorem, per hoc quòd quantitas maioris lucis facit non apparere quantitatem minoris; ita scientia creata cuiuscumque hominis comparata cum Diuina, & increata scientia, veluti ab ea offuscatur, & quasi non apparet in præsentia illius, quatenus infinitè distat ab eius perfectione, & sic scientia creata animæ Christi offuscabatur à Diuina scientia.

21 Secundò Resp. quòd tunc minor lux non apparet in præsentia maioris, quando minor lux non dependet à maiori, vt patet in luce stellarum respectu lucis solis. Quando verò dependet, tunc apparet, vt constat in luce aeris. Vnde cum scientia creata Christi dependeret à scientia increata, ideò apparebit in præsentia illius.

22 Tertiò Resp cum D. Thoma ad secundum hîc & supra q.5.art.4 ad 2. Quòd cùm duo lumina accipiuntur in eodem ordine, & ratione, hoc est, in ordine & ratione illuminantis, ita quòd vtrumq; illuminat, tunc maius lumen offuscat, & veluti euacuat id, quod est minus lumen. Quando verò alterum est illuminans, alterum illuminatum ab eo, tunc non offuscatur, neque euacuatur à maiori, sed potius augetur, & perficitur in præsentia illius. Constat enim quòd ad præsentiam solis, lux stellarum obscuratur, & similiter candelæ: lux verò aeris augetur, atq; perficitur.

23 Ad replicam contra istam solutionem Resp. lumen aliquod dupliciter posse illuminare. Vno modo effectiuè, alio modo formaliter. Etenim lumen solis effectiuè illuminat aerem, formaliter verò ipsum solem, sicuti lux aeris aerem. Quando ergo asserit D. Thomas, quòd si duo lumina in ratione illuminantis accipiantur, maius offuscat, quod minus est, loquitur de luminibus illuminantibus effectiuè: patet enim, lucem solis, & lucem stellarum esse duas luces illuminantes effectiuè, & tunc quidem maior lux offuscat minorem, quamuis id, quod est minus, causetur effectiuè à maiori. Quã- 24
do verò dicit, quòd si lumen maius sumatur in ratione illuminãtis, & lumen minus in ratione illuminati, tunc maius perficit minus; loquitur de illuminante effectiuè, & similiter de illuminato effectiuè, illuminante tamen formaliter. Lux enim solis effectiuè illuminat aerem, & lux aeris effectiuè illuminatur à sole, cæterùm lux aeris nihil effectiuè illuminat, sed formaliter tantùm ipsum
aerem. Ratio huius est apertissima, quia lumen effec- 25
tiuè illuminatum ab alio, vt lumen aeris respectu illius, habet se vt effectus dependens, & virtutem accipiens ab eo; effectus autem augetur & perficitur in præsentia suæ causæ. Cæterùm lumen effectiuè illuminans, si minus sit, impeditur à maiori effectiuè illuminante, ne à potentia percipiatur, proptereà quòd maius lumen potentiam implet, & excellens sensibile facit, ne sentiatur, quod minus sensibile est, sicut experientia constat in dolore sensuum, qui cum duplici dolore interdum vexentur, maiorem percipiunt, minori non percepto.

Quartò Resp. absque distinctione verum esse, quòd 26
in præsentia maioris luminis non indigemus minori, cæterùm animæ Christi non aderat præsens scientia increata, cùm per illam nihil posset intelligere, aut scire. Et per hoc patet ad secundam replicam quarti argumenti: scientia enim creata Christi illuminatur à scientia increata, quoniam ab ea causatur in Christo, licèt nõ in alijs hominibus, alia enim est ratio de Christo, & de alijs hominibus propter vnionem.

PRIMA DISPVTATIO.

CIRCA solutionem ad primum D. Thomæ 1
dubitatur, An de potentia Dei absoluta anima Christi posset intelligere & scire per scientiam increatam, ita vt per eam constitueretur formaliter in esse intelligentis, & scientis. Affirmatiua pars sic probatur. Primò. Subsistentia & Personalitas Diuina potest communicari naturæ creatæ, ita vt talem naturam faciat formaliter subsistentem: ergo similiter poterit cõmunicari animæ, vel intellectui creato scientia increata Dei, & eius intellectio, sic quòd per eam dicatur anima formaliter intelligere. Antecedens patet ex mysterio Incarnationis. Consequentia verò probatur: quia si aliquid hoc redderet impossibile, id esset, quoniam scientia increata est propria & naturalis ipsi Deo; sed hoc non obstat, quin communicari possit alteri naturæ, vt patet de subsistentia Dei: nihil enim inconuenit, aliquid esse proprium vnius naturæ, & ei connaturale, & tamen ab altera communicari & participari, nam calor est qualitas propria & connaturalis igni, & tamen communicatur, & participatur ab aqua: similiter gratia, & gloria sunt propria, & naturalia Deo, & tamen communicãtur creaturæ rationali.

Secundò. Si Deus esset formaliter albedo, vel quanti- 2
tas,

Digitized by Google

tas, & vniretur humanitati, redderet illam formaliter albam, vel quantam; sed Deus est formaliter scientia, & intellectio; ergo si vnitur humanitati, poterit illi formaliter tribuere esse scientis, & intelligentis.

3 Tertiò. Deus potest vniri intellectui creato in ratione speciei intelligibilis, & de facto sic vnitur illi in beatitudine, supplens rationem & vicem speciei creatæ; ergo similiter poterit illi vniri in ratione scientiæ, & intellectionis. Probatur consequentia. Magis repugnat Deo ratio formæ habitualis, quàm actualis, si ergo potest supplere vicem formæ habitualis, qualis est species intelligibilis, multò meliùs potest supplere vicem formæ actualis, qualis est scientia, & intellectio.

4 Dices, intellectionem suppleri non posse, quamuis species intelligibilis possit, quia de ratione intellectionis est, vt informet intelligentem, & sit forma illius, quod non est de ratione speciei intelligibilis. Sed contra est. Intellectio increata Dei est verè, & propriè intellectio, & tamen non est forma Diuini intellectus, aut intelligentis Dei, cùm ipsum non informet: ergo.

5 Quartò. Eadem est ratio de esse Diuino, & de intelligere Diuino, nam Diuinum intelligere est Diuinum esse: sed aliqua creatura, nempe anima Christi subsistit formaliter esse Diuino; ergo potest intelligere formaliter intellectione Diuina.

6 Quintò. Christus meruit beatitudinem infinitam, & visionem Diuinæ Essentiæ infinitam; sed sola visio increata Dei est infinita: ergo illa communicata est animæ Christi, & potest alijs communicari. Maior probatur. Præmium & meritum debent æquiparari; sed meritum Christi fuit infinitum: ergo visio Dei, quæ est præmium illius meriti, debet esse infinita.

7 Sextò. Visio beata est aliquid increatum: sed intellectui beato communicatur visio beata; ergo & actus increatus. Maior est D. Augustini lib. 4. de Trinit. cap. vltimo, vbi dum dicit de illa visione beata, nempe, illa Deum esse sapientem, & beatum, & præterea eandem visionem esse summum bonum, cuius adipiscendi gratia iubemur agere, quidquid ratione agimus. Ergo de sententia Augustini visio beata est aliquid increatum, aliàs Deus esset beatus aliqua re creata, & aliquid creatum esset summum bonum.

8 Septimò. Etiam si Diuina intellectio creatum intellectum non informet, potest tamen sic ei vniri, vt mediante illa dicatur intelligere, sicut Verbum Diuinum propter sui cum anima humana vnionem dicitur animatum, & tamen ab anima non informatur.

9 In hac difficultate quidam Ioannes de Ripa, vt refert Capreolus in 3. d. 14. q. 2. art. 2. in argumentis contra 2. conclus. & Caietanus in hoc articulo: non solùm docet esse possibile, sed etiam asserit de facto animam Christi, & reliquos beatos videre Deum visione increata, qua Deus seipsum intuetur. Eandem sententiam affirmat Gregorius Arimin. in. 2. d. 7. q. 2. Parisijs fuisse publicè defensatam. Item Hugo de Sancto Victore Opusculo de Anima Christi, & eius scientia & lib. 2. de Sacramentis p. 6. cap. 2. asserit, animam Christi cognouisse per scientiam increatam, quamuis habuerit aliquem actum creatum.

10 Nihilominus pro explicatione sit Prima Conclusio. Periculosum est, & temerarium, atque proximum errori asserere, animam Christi, ac reliquos beatos de facto videre Deum visione Diuina, & increata, licèt non sit hæresis manifesta. Prior pars conclusionis probatur primò ex concilijs; quia in 6. Synodo generali citata definitum est, in Christo esse duplicem intellectum, Diuinum, & humanum, ac duplicem operationem, Diuinam, & humanam: ergo anima Christi videt Deum per propriam operationem humanam, & creatam. Item in Cócilio Viennensi, quod refertur in Clementina Ad nostrum de Hæreticis, definitur, beatis inesse lumen gloriæ creatum; sed lumen gloriæ confertur beatis, vt claram Diuinæ essentiæ visionem producere valeant: ergo.

Præterea in Concilio Tridentino sessio. 6. Cano. 4. 11
definitur, liberum hominis arbitrium in sua iustificatione aliquid agere, & non tantùm pati. Et Cano. 10. & 11. definitur, homines esse iustos formaliter per iustitiam propriam, quæ illis inhæreat; ergo similiter dicendum est, visionem beatificam, qua beati intuentur Deum, esse creatam, & propriam beatorum actionem.

Secundò probatur. Actus dilectionis, & charitatis in 12
Christo, & in omnibus beatis secundùm fidem est actus creatus, & non est ipsa Dei dilectio increata, qua seipsum diligit; ergo visio, qua beati vident Deum, est creata, & non illa increata, qua se Deus videt. Consequentia patet, & probatur antecedens. Charitas viæ secundùm fidem manet in Patria, quod docet Paulus 1. Corint. 13. Sed actus charitatis viæ est creatus; ergo & Patriæ.

Tertiò sequitur ex illa sententia, quemlibet beatum 13
comprehendere Deum, & similiter omnes beatos esse æquales in beatitudine: sed vtrumque consequens est hæreticum; ergo & antecedens saltem est errori proximum, & temerarium. Probatur sequella pro prima parte. Si beati viderent Deum per Diuinam visionem increatam, cognoscerent ipsum, quantùm cognoscibilis, & intelligibilis est, cùm illa visio sit infinita, & comprehensiua Dei. Item omnes beati iuxta illam sententiam Deum vident vnica, & eâdem visione infinita: ergo vnicam, & eandem habent beatitudinem æqualem.

Secunda pars conclusionis, nempe, quòd non sit hæ- 14
resis manifesta, non aliter probatur; quàm aliquali argumentorum solutione, quæ pro parte præcedente sunt facta, quæ quidem difficillimè dissoluuntur, ac subinde probant illam esse temerariam, sed quia habent aliqualem solutionem, non conuincunt esse hæresim.

Ad primam ergo probationem responderi potest, il- 15
lam sententiam non negare intellectionem creatam in Christo, qua ipse Christus, & eius anima intelligit. Ea per hoc Resp. ad 2. Ad 3. resp. Negando vtramque sequellam, quia sicut Diuina Essentia vnitur intellectui beato in ratione speciei, finito tamen modo, & inæqualiter iuxta quantitatem luminis gloriæ cuiuscumque beati, ita similiter posset dici, quòd intellectio illa creata vniretur finitè, & inæqualiter, quamuis ipsa esset infinita, & vna in omnibus.

Secunda Conclusio. Fieri non potest etiam de po- 16
tentia Dei absoluta, intellectionem increatam Dei communicari creaturæ, quæcumque illa sit, ita vt per eam

formaliter constituatur in esse scientis, vel intelligentis. Hæc conclusio est adeò certa, vt oppositum sit manifestè falsum, sed existimo non esse temerarium asserere, de potentia Dei absoluta posse fieri, vt Deus vniatur intellectui creato in ratione scientiæ actualis, sicut de facto vnitur in ratione scientiæ habitualis, videlicet, in ratione speciei intelligibilis: vt sicut de facto intellectus beati per Diuinam Essentiam constituitur intelligens in actu primo, ita posset per potentiam Dei absolutam constitui intelligens in actu secundo: quia neque Patres quidquam de hoc definierunt, nec Theologi partem negatiuam determinarunt, tanquam aliquo modo pertinentem ad fidem, sed tanquam certam secundùm regulas
17 Philosophiæ, vt ex eorum rationibus constat. Est autem hæc conclusio communis Theologorum sententia cum D. Thoma hìc, & in 3. q. 2. art. 2. & q. 20. de Veritate art. 1. Et colligitur ex Epistola Agathonis Papæ, quæ refertur 6. Synodo actio. 4. & in 8. suscipitur; vbi inter alia sic dicitur. *Confitemur in Christo omnia duplicia, quæ ad naturas pertinent, duas naturas eius prædicamus, & vnamquamq; proprietates naturales habere confitemur: Diuinam, omnia quæ Diuina, humanã, omnia quæ humana sunt, absque vllo peccato. Vnde Pontifex inde probat non posse in Christo esse vnã operationem vtriusque naturę, quia impossibile est, propriam operationem vnius naturæ fieri operationem al-
18 terius. Colligitur etiam ex D. Augustino lib. de duabus Animabus cap. 10. Et ex Ambrosio lib. 2. de Fide cap. 4. vbi expressè ait, operationem vnius potestatis nõ posse esse alterius, nam vbi est, inquit substantia diuersa, nequit esse operatio vna. Eodem modo loquitur Damascenus lib. 3. cap. 13. 14. & 15. Et Leo Papa Epistola 10. ad Flauianum, & Epistola 96. ad Leonem Augustum.

19 Sed probatur Conclusio ratione D. Thomę, quam habet in solutione ad primum. Anima Christi est alterius naturæ à Diuina: ergo intelligere non potest per scientiam increatã, quę est propria Diuinæ Naturæ. Probatur consequentia quia etsi aliquid, quod est proprium, & naturale alieni naturę communicari quandoque contingat alteri naturæ secundùm speciem, non tamen secundùm identitatem numeralem: nunquã enim idem numero calor, qui est in igne, participatur ab aqua, neque eadem lux Solis participatur ab aere. Cùm
20 igitur scientia increata sit vna indiuisibilis omninò, & sit propria Naturæ Diuinæ, communicari non potest naturæ creatæ secundùm numerum, ita vt per eandem numero scientiam increatam, per quam intelligit Deus, intelligat creatura, neque verò communicari potest secundum identitatem specificam, quia scientia increata, cùm sit eadem Essentia Diuina, nequit multiplicari, nec plurificari. Hæc ratio D. Thomæ est Agathonis Pontificis in Epistola citatã, Ambrosij, Damasceni, & Gregorij Nysseni, quem refert Damascenus libro tertio, capite 15.

21 Secundò probatur Conclusio ratione, quam Caietanus in hoc articulo adducit. Operatio est actus operãtis secundùm esse naturale, operans enim inquantùm operans operatur secundùm suum esse naturale: sed Diuina substantia nequit esse actus secundùm esse actuale alicuius creaturæ operantis; ergo Diuinum intelligere non potest esse actus, quo creatura formaliter intelligat. Maior est nota intellecta de operatione propria operãtis, & de operante principaliter. Minor etiam cum cõ-
22 sequentia patet. Hæc ratio, inquit Caietanus, est explicatio rationis D. Thomæ in solutione ad primum, quæ procedit ex alietate naturæ. Ait enim D. Thomas, Quia alia est natura animæ, & alia Naturæ Diuinæ, aliã esse, atque aliam operationem vtriusque. Quòd autem ratio D. Thomę fundetur in hoc principio, quòd operatio est actio operantis secundùm esse naturale, colligitur sic. Impossibile est, quòd operatio, quæ est substantia vnius naturæ, conueniat alienæ, nisi talis substãtia vniatur alienæ in esse naturæ, ita vt ex vtraque fiat vna natura, hoc enim est coniungi in esse naturæ: sed est implicatio, ex Diuina & humana natura fieri vnam: ergo implicat, quòd Diuina intellectio, quæ est substantia Dei, sit intellectio creaturæ, ipsam formaliter reddens intelligentem. Maior ex eo est vera, quòd operatio est actus operantis secundùm esse naturæ eius, operatio enim formaliter loquendo consequitur ad esse naturale rei, & proficiscitur à principijs naturalibus rei.

23 Dicit autem Caietanus, operationem esse actum operantis secundùm suum esse naturale, ita vt oppositum contingere non possit etiam de potentia Dei absoluta; quia nullum est inconueniens, aliquid esse actum alterius ab operante secundùm esse intelligibile: obiectum enim intellectus & similiter species intelligibilis sunt actus intellectus, & perfectiones ipsius in esse intelligibili, quia sunt res, quæ non solùm sunt actus in esse entis, sed
24 etiam in esse intelligibili. Vocat autem Caietanus secũdùm esse intelligibile, vel in esse intelligibili actum alterius naturæ ab operante, quicquid eam perficit, & actuat ad intelligendum siue intrinsecè, siue extrinsecè, modò non sit actus in esse naturæ, idest, quòd ab ea non procedat tanquam à natura quadam, & quidditate: sic enim species intelligibilis est actus intelligentis, quòd non procedit ab eo in esse naturæ, idest, ab eius natura, & quidditate. Cæterùm intellectio est actus intelligentis secundùm esse naturæ intellectus, cùm naturæ intellectiuæ nihil melius sit, quàm intelligere.

25 Tertiò probatur conclusio. Omnis cognitio, vel intellectio est substantialiter & essentialiter vitalis actio: sed de ratione substantiali, & essentiali actionis vitalis est, quòd producatur à cognoscente, vel intelligente, & in eo recipiatur per informationem, ille enim verè dicitur intelligere formaliter, qui intellectionem producit, & eam recipit in se, illaque informatur: ergo nulla creatura potest formaliter intelligere per intellectionẽ à se non productam, neque in se receptam, & qua non
26 informatur. Vlteriùs. Sed omninò repugnat, animam Christi producere, aut recipere in se Diuinam scientiam vel intellectionem: cùm scientia increata & Diuina omninò improducibilis sit: ergo omnimoda repugnantia est, quòd anima Christi formaliter intelligat, vel sciat aliquid per scientiam increatam. Maior patet, quia nihil intelligere, aut cognoscere potest nisi viuens, & inter opera omnia vitæ principem, & excellentissimum locum sibi vendicat intellectio. Minor verò probatur; quia actualiter viuere, quod nihil est aliud, quàm facere opera vitæ, seu vitales operationes, est à viuere substantialiter, implicat enim, quòd actualiter viuat, quod substantialiter non viuit, idest, quòd exerceat opera vitæ, qui esse substantiale viuentis non habet.

Confirmatur

27 Confirmatur hæc ratio. Repugnat, quòd aliquid viuat vita actuali intellectuali, idest, quòd actualiter intelligat, & quòd tale intelligere non sit ab intelligente; sed Diuinum intelligere, aut scire nequit esse, vel dependere ab aliqua creatura; ergo implicat, quòd intelligere, quo Deus formaliter intelligit, sit intelligere, quo formaliter intelligit creatura, quemadmodum est impossibile, quòd Petrus generet Paulum, & actus generandi non sit à Petro generãte: & quòd moueatur progressiuo motu animalis, & motus ille non sit ab eo, qui mouetur, & quòd velit aliquid, & actus volendi non sit à volente: ergo similiter repugnat, quòd aliquis intelligat, & actus intelligendi non sit ab intelligente. Hæc ratio ita efficax est, vt meritò dicat Caietanus, qui eius vim non penetrant, propriam ignorare vocem vitalis operationis.

28 Sed dices, posse Deum de potentia absoluta vnire intellectionem cum re, cuius non est intellectio, vt si V.G. ponat intellectionem in lapide, vel in bruto, in quo nulla apparet implicatio: cùm enim intellectio sit quædam realis entitas ab intellectu realiter distincta, poterit illam Deus ab intellectu separare, & alibi collocare, duorum enim entium realiter distinctorum poterit Deus vnum ab altero separare vtroque manente, quo quidem admisso, cùm intellectio vniatur per inhærentiã, & non aliter, sequitur quòd denominabit rem illam formaliter intelligentem, & informabit eam, prout est quædam qualitas modificatiua. Cæterùm quidquid sit de tali

29 vnione, quam concedit M. Soto, adhuc licèt ita esset, non denominaretur res illa formaliter intelligens, nec informaretur tali intellectione, prout intellectio est, sed solùm talis res conseruaret entitatem intellectionis per modum conseruantis. Esset enim chimericum dicere, quòd lapis, vel brutum posset fieri formaliter intelligens, manente natura lapidis, aut bruti. Dico igitur, esse

30 impossibilem talem vnionem per modum informationis, quia intellectio, & similiter omnis alia vitalis operatio in eo essentialiter consistit, quòd à sua potentia vitali effectiuè procedat, & in ea per informationem recipiatur. Vnde sicut implicat, Deum intelligere, vel scire per intellectionem creatam, quia hæc nequit à Diuino intellectu procedere, aut in eo recipi; sic neq; creatura per intellectionem increatam Dei propter eandem rationem. Est autem maximè aduertenda hæc differen-

31 tia inter operationem vitalem, & eam, quæ non est vitalis, quòd per operationem vitalem nihil potest percipi, nisi à potentia vitali in eo ordine, quo est vitalis operatio, neque enim visus potest intelligere, neque intellectus videre. Atuerò per operationem, quæ non est vitalis, potest aliquis operari id, quod non est prorium principium talis operationis Ratio huius discriminis est, quia ad actionem vitalem exigitur essentialis dependentia à sua potentia, vel vitali principio, quæ ratio non

32 exigitur in alijs operationibus non vitalibus. Vnde potest desumi argumentum pro nostra conclusione. Visus nequit etiam de potentia Dei absoluta intelligere, vel audire, neque intellectus, vel auditus videre, quia requiritur essentialiter potentia cognoscitiua, & vitalis per illum actum, ad quem vt vitalis ordinatur; sed maior distinctio est atque distantia inter potentiam cognoscitiuam animæ nostræ, & cuiuscumque intellectus creati ex vna parte, & intellectus Diuini ex altera; ergo impossibile est, quòd intellectio Diuina communicetur intellectui creato.

Ad primum igitur argumentum negatur consequentia, quia subsistentia increata non est actus subsistentis tanquam à subsistente operatus, intellectio verò est actus proueniens ab intelligente, & ita potest subsistentia cõmmunicari, cùm non sit actus à principio intrinseco vitali, quamuis sit actus substantialis, & ideò suppleri potest per subsistentiam increatam, etiam substantialem. Intellectio verò creata est actus accidentalis, & à principio intrinseco vitæ, ac proinde suppleri non potest ab intellectione substantiali, qualis est Diuina. 33

Ad probationem consequentiæ posset dici, quòd nihil communicatur alteri secundùm numerum, vt in prima ratione ostensum est. Sed meliùs respondet Caietanus, quòd licet illud ita sit quandoq;, in præsenti tamen est omninò impossibile, quia implicat, operationem vnius naturæ alteri communicari, nisi ei vniatur in ratione naturæ, quod in præsenti est omninò impossibile. Itaque non negat D. Thomas, id, quod est proprium vnius naturæ, posse alteri communicari, sed tantùm vult, operationem vitalem, & immanentem vnius naturæ nulla ratione posse alteri communicari, quia illi debet vniri in ratione naturæ, quod in præsenti repugnat. 34

Secundò Resp. Diuersitatem & alietatem naturæ non tollere communicationem, quando ipsa natura est communicabilis, vt forma communicatur cum materia, & ignis cum ferro. Si verò est incommunicabilis, tunc diuersitas naturæ tollit non solùm naturalitatem, sed etiam communicationem; ita vt actus illius naturæ neque possit esse alicui alteri naturalis, neque cõmunicatus. Iam verò natura Diuina est omninò incommunicabilis creaturæ in esse naturæ. Diuina etiam Personalitas & subsistentia non communicatur vt actus alterius naturæ, sed vt terminus: intellectio verò Diuina communicari non potest, nisi vt actus alterius naturæ, quod prorsus repugnat. 35

Ad secundum negatur maior, quia albedo nihil potest denominare album formaliter, nisi illi inhæreat. Per hoc autem quòd Deus esset albedo, & humanitati vniretur, talis albedo non inhæreret humanitati, imò neque inhærere posset ex vi talis vnionis. Et est appositissimum exemplum, nam Deus est formaliter vita, & vnitur Personaliter corpori Christi, & ipsum non reddit formaliter viuum absque anima creata, vt patet in triduo mortis, nec oppositum fieri potuit de absoluta potentia, cùm anima sit essentialiter principium vitæ. 36

Vnde constat, nullam perfectionem formaliter existentem in Deo, posse per seipsam formaliter communicari seu vniri creaturæ, præter subsistentiam & esse, quia omnis alia perfectio, vt est in Deo, pertinet ad ipsius naturæ Diuinæ constitutionem, Deus autem non potest vniri creaturæ in natura, vt supra quæst. 2. artic. 1. ostensum est. 37

Ad tertium, negatur consequentia, quia species essentialiter est principium effectiuum, & ita potest Deus absque vlla imperfectione illud supplere, non verò intellectionem, quæ essentialiter est principium formale, neq; est de ratione speciei, quòd sit habitus, vel quòd inhæreat, sed id conuenit speciei creatæ & limitatæ, quia est accidens, non ex vi conceptus necessarij ad intellectionem 38

Digitized by Google

tionem: etenim species intelligibilis creata per se non
39 requiritur, vt informet, sed vt efficiat, quia per se tantùm est quasi semen obiecti, vt suppleat absentiam, vel efficaciã eius. Ad hoc enim, quòd intellectus intelligat, requiritur sui obiecti concursus, qui non est concursus formæ intrinsecè informantis, sed efficientis, aut termini specificantis, species autem ponitur, vt suppleat vicem illius, maximè in ratione principij efficientis, ac proinde talis efficientia potest à Deo suppleri. Sic respondent communiter Theologi ad hoc argumentum, & M. Suarez in hunc articulu Disput. 24 sectiõ. 2.

40 Caietanus verò aliter respondet: nempe, Deum posse esse speciem intelligibilem creaturæ, non tamen eius intellectionem: quia esse speciem intelligibilem creaturæ, est esse actum eius secundùm esse intelligibile, quod nihil prohibet; esse verò actũ intellectionis ipsius creaturæ, est esse actum eius secundùm esse naturale, quod implicat contradictionem.

41 Hæc solutio Caietani non placet M. Suarez, & obijcit contra illam; quia omnis forma in esse intelligibili, vel formaliter dat esse reale aliquod, vel nullum. Si nullum confert, ergo nõ est forma realis, cùm non habeat realem causalitatem formæ, quæ est dare formaliter aliquod esse reale, componendo vnum aliquod reale ens. Si confert formaliter aliquod esse, sequitur, Diuinam essentiam non ita informare intellectũ creatum, quia nec potest illi tribuere esse substantiale, cùm intellectus non sit capax illius, nec accidentale, cùm ipsa formaliter non sit accidens, neque posset altero ex his modis vniri, quin esset vera forma substantialis, vel accidentalis, atque adeò forma Physica. Potest etiam confirmari hæc ratio.

42 Primò: quia species verè informat intellectum secundùm suum esse naturale, & reale, non minùs, quàm intellectio; ergo si suppleri potest species, poterit etiam intellectio. Secundò. Vel per esse intelligibile intelligit Caietanus esse condistinctum ab esse reali, & sic falsum est, speciem esse formam in esse intelligibili; cùm realiter concurrat ad intellectionem, tãquam actus quidam realis. Vel intelligit esse naturale, & reale secundùm ordinem intellectiui principij, quaerendo ad intellectionem requiritur, & hoc nihil facit ad rem, quia non tollit veram informationem realem, de qua modò disputatur, An possit à Deo suppleri. Imò hac ratione potiùs intellectio erit forma intellectus in esse intelligibili; cùm ipsa

43 ad genus intellectiui magis pertineat. Omissa ergo solutione Caietani respondent alij, quòd sicut Verbum supplet vicem subsistentiæ creatæ secundùm id, quod est de ratione terminandi, non verò modum imperfectum, quo terminat subsistentia creata: ita similiter supplet, quod in specie est perfectionis, sublata omni imperfectione. Hæc solutio vera est, sed nihil noui affert supra ea, quæ tradis Caietanus, neque argumenta proposita militant contra eius doctrinam, vt patet ex dictis in explicatione rationis Caietani, & ex alijs, quæ sequuntur.

44 Ad replicam tertij argumenti Resp. Quòd licet Diuina intellectio re vera non sit forma informans Diuinum intellectum, est tamen forma reddens ipsum formaliter intelligentem, & nostro intelligendi more ab ea procedens, & in illo recepta. Nomine autem intellectionis significatur Diuina substantia per modum actionis immanentis, cuius est à tali agente procedere, & in eo manere tanquam in subiecto.

Ad quartum Resp. Non esse parem rationem de Diuino esse, & de Diuino intelligere, quia intellectio nulli potentiæ potest conuenire, nisi ei, cui inhæreat; sed Diuinum esse potest alicui communicari, non tanquam ei, quod eius interuentu formaliter existit, sed tanquam ei, quod Diuino supposito coexistit. 45

Ad quintum Resp. Christum non meruisse sibi beatitudinem, ac subinde nõ est necesse, Christi beatitudinem esse infinitam, sicut meritum fuit infinitum, meruit autem Christus nobis, ad cuius meriti infinitatem satis est, quòd ex proprijs merueris, & ex toto rigore iustitiæ. Ac rursus, quòd meruerit facere vns de iniustis iustos: quod quidem opus ex modo faciendi est infinitum, sicut Dei potentia est infinita, quamuis infinitum facere non possit, quia ex nihilo creat res, quod opus ex modo faciendi est infinitum. Præterea meruit Christus visionem Dei, quæ est infinita ex parte obiecti, licet in se sit finita. Et tandem meruit infinitam visionem, & beatitudinem Syncathegorematicè, idest non tantam, quin maiorem, ac maiorem. 46

Ad sextum Resp. Eandem esse beatitudinem Dei, & nostram obiectiuè, & modaliter, nam Deus à se, & à nobis per seipsum videtur, est etiam illa beatitudo obiectiua summum bonum simpliciter infinitum, nam est ipsemet Deus: beatitudo verò formalis, quæ consistit in actione, per quam attingitur obiectiua beatitudo, est summum bonum, non simpliciter, sed inter bona creata. Augustinus autem loquitur de beatitudine obiectiua. Neque est inconueniens, aliquam creaturam esse finem vltimum formalem, idest, adeptionem, & consequutionem vltimi finis, nempe, Dei, dummodò finis vltimus obiectiuus sit ipse Deus clarè visus. 47

Ad septimum neganda est paritas rationis, quia Verbum Diuinum dicitur animatum per communicationem idiomatum, sed anima humana non potuit sic dici intelligens, sed per formalem intellectionis inhærentiam, nam actio immanens inhæret agenti. 48

ARTICVLVS. II.

Vtrùm Christus habuerit scientiam, quam habent beati, & comprehensores.

PRIMA *Conclusio.* In Christo fuit scientia beatorum. *Probat D. Thomas in argumento sed contra. Ista scientia consistit in cognitione Dei: sed Christus plenè cognouit Deũ, etiam secundùm quòd homo, iuxta illud Ioan. 8.* Scio eum, & sermonem eius seruo. *Ergo in Christo fuit scientia beatorum. In corpore probat hac ratione. Quod reducit aliquid de potentia ad actum, debet esse in actu, vt patet de calido, quod calefacit; sed Christus reducit hominem, qui est in potentia ad istam scientiam, ad actum, quia multos filios in gloriam adduxit, iuxta illud ad Hebræ. 2.* Decebat eum, propter quem omnia, & per quem

quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consummari. *Ergo.*

Secunda Conclusio. Ista scientia est in Christo excellentissimè. *Probatur. Quia in eo est tanquam in primo principio, & prima causa, quæ semper est potior causato.*

Est primum argumentum D. Thomæ. Scientia beatorum est per participationem Diuini luminis, secundùm illud Psal. 35. In lumine tuo videbimus lumen. *Sed Christus nullum participauit lumen, sed ipsam Diuinitatem in se habuit substantialiter manentem: ergo. Concessa maiori negat D. Thomas minorem, quia cùm Diuinitas non sit vnita humanitati in natura, sed in Persona, eum vnitate Personæ remanent naturæ distinctæ, ac proinde cognitio animæ Christi debet fieri per lumen gloriæ participatum à Diuina natura, vt Deus per essentiam videatur.*

Secundum. Scientia beatorum facit eos beatos, iuxta illud Ioan. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te, solum verum Deum, &c. *Sed ille homo fuit beatus eo ipso, quòd fuit Deo hypostaticè vnitus, secundùm illud Psal.* 64. Beatus, quem elegisti, & assumpsisti. *Ergo non fuit illi necessaria scientia beatorum. Respondet distinguendo minorem, fuit enim beatus per vnionem beatitudine increata, sicuti per eandem est Deus; sed præter hanc beatitudinem debuit esse beatus beatitudine creata, qua eius anima in suo fine constitueretur.*

Tertium. Visio Dei non est secundùm hominis naturam, sed supra: sed in Christo est scientia Diuina, quæ excedit scientiam beatorum in visione consistentem: ergo in illo non fuit scientia beatorum. Respondet, visionem beatam esse quodammodò supra naturam animæ rationalis, quatenus propria virtute illam assequi non potest, esse verò secùndum naturam ipsius, inquantùm habet capacitatem & obedientialem potentiam ad illam, cùm sit ad imaginem Dei facta, scientia verò increata est omnibus modis supra naturam animæ rationalis.

Commentarius.

1 PRO Intelligentia Primæ Conclusionis aduertendum est, non esse dubium, An modò Christus habeat scientiam beatam, & Deum faciali visione intueatur: hoc enim est articulus fidei, qui in solennitate Ascensionis Dominicæ proponitur ab Ecclesia. Dominus enim Iesus assumptus est in coelum, & sedet à dextris Dei; Marci vltimo. Sed cõtrouersia est, An illam habuerit, dum erat in hac vita mortali. Neque quæstio est de tempore, quo illam accepit in via, hoc enim disputatur infra q. 34. art. 4. sed absolutè inquiritur, verùm quando erat viator, simul esset comprehensor, & videret
Deum. Conclusio autem D. Thomæ est adeò certa, vt 2
oppositum non solùm sit temerarium, & contra omnes Patres vnanimiter explicantes, lucem illam corpoream, quæ Matth. 17. in Transfiguratione apparuit in corpore Christi, ex gloria & beatitudine animæ in corpus processisse: verùm etiam sit error in fide. Vnde M. Medina probat, hanc conclusionem esse de fide tenendam, ex illo Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam, quasi vnigeniti à Patre.* Cæterùm ex hoc loco non probatur intentum, quia ibi non est sermo de gloria animæ inuisibili Christi Domini, quam nullus vidit Apostolorum, neque ipse Ioannes; sed est sermo de gloria, & excellentia humanitatis Christi, quæ in eo relucebat, tum in operibus miraculorum, tum etiam in gratia prædica-
tionis. Vel potest dici, Ioannem fuisse loqnutum de glo- 3
ria corporis Christi in monte Thabor sibi demonstrata. Caietanus probat ex illo Ioan. 3. *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de cœlo.* Vbi sermo est de ascensione secundùm humanitatem, nam secundùm Diuinitatem, neq; fit ascensus, neque descensus. Cùm igitur eo tempore, quo Christus hæc dicebat, in cœlum secundùm corpus non ascendisset, relinquitur, hunc ascensum fuisse secundùm animam, non quidem substantialiter, sed per visionem Dei, & Patriæ cœlestis, ad eũdem modum, quo intelligitur illud. *Hodie mecum erit in Pa-
radiso.* Verùm locus iste non videtur ad propositum, 4
priùs enim ponitur ascendere, quàm descendere, nam est sensus. Nullus ascendit, nisi qui priùs descendit. Sed Christus non priùs ascendit secundùm humanitatem per visionem, quàm descenderit per vnionem; ergo non benè probatur. Nihilominùs efficax est testimonium adductum pro conclusione, & sensus illius est, Filium Dei per visionem ascendisse, qui priùs per vnionem descenderat. Item efficaciter probatur ex illo. *Plenum gratiæ, & veritatis.* Nisi enim Christus haberet scientiam beatam, non haberet veritatem, & scientiam perfectam,
ac plenam: gratia enim viæ imperfecta est, & augeri po- 5
test vsque ad terminum viæ, quod gratiæ Christi non conuenit. Rursus probatur ex illo Ioan. 1. *Deum nemo vidit vnquam, Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Ex quo loco efficax sumitur argumentum,
quia nullum fidei negotium omninò fit sufficienter, si 6
nullus fuerit testis oculatus: his enim, qui audierunt, fidem habemus, proptereà quòd acceperunt ab his, qui viderunt. Videbat enim Christus omnia mysteria, quæ nobis reuelauit, quod de ipso testificatur Ioãnes dicens. Quod vidit, hoc testatur. Et hoc sanè pertinet ad dignitatem primi præceptoris fidei, talis autem erat Christus. Quòd si hæc testabatur inquantùm homo, consequens est, quòd illa, inquantùm homo, videret.
Contra rationem D. Thomæ est argumentum, quia 7
tota illa ratio fundatur in illa propositione, Quod est in potentia, debet ad actum reduci per id, quod est in actu. Sed hæc propositio tantùm est vera in causis principalibus, non in instrumentalibus: ergo ex illa per bonam consequentiam inferri non potest, Christum actu esse beatum; quia in nobis beatitudinem causat. Consequentia patet. Humanitas Christi non est princeps nostræ beatitudinis causa, sed instrumentaria, ergo. Minor autem probatur inductione facta in instrumentis, tam naturalibus,

8 naturalibus, quàm artificiosis. Semen enim, quod est generationis animalis, & plantæ instrumentum, non habet actu formam animalis, vel plantæ. Item penicillus, qui est instrumentum ad pingendam imaginem, non habet actu formam imaginis. M. Medina respondet, instrumenta, vt constat ex D. Thoma supra q. 7. art. 1. ad 3. esse in dupliei differentia, quædam inanimata, quæ
9 aguntur, & mouentur à causa principali, & nullo modo agunt, nec se mouent, vt penicillus. Alia sunt instrumenta animata, quæ mouentur, & simul se mouent: aguntur, ac simul agunt, vt seruus V. G. est instrumentum, & organum heri, animatum, quidem ac liberum. Primi generis instrumenta, non est necessarium, habeant actum, & formam, quam causant. Secundi verò generis instrumenta, necessum est, habeant formam, quam causant. Et ideò Christus, cùm sit liberum instrumentum, oportet, habeat formam, quam in nobis causat.

10 Hæc tamen solutio non est vera, quia etsi liberum instrumentum præsupponatur in actu libertatis, vt se liberè moueat, non tamen præsupponitur in actu secundùm formam causandam in effectu, quia respectu illius etiam se habet vt motum ab agente principali, & ideò effectus non debet huic instrumento assimilari, sed tantùm agenti principali, vt constat manifeste in ministris Sacramentorum, qui libera sunt instrumenta respectu productionis gratiæ, & tamen in ipsis non præsupponitur gratia, quia etiam in peccato mortali existentes causant gratiam in suscipientibus Sacramenta.

11 Respondetur ergo, Christum Dominum, inquantùm est homo, estò sit instrumentum physicum coniunctum Diuinitatis, quod attinet ad rationem agentis Physici, in alio tamen genere esse etiam causam principalem, est enim Doctor respectu hominum, & non tantùm docet homines instrumentariè, sed tanquam causa principalis. Similiter est etiam causa principalis meritoria. Præterquàm quòd D. Thomas loquitur etiam secundùm ea, quæ ipsum Deum maximè decent. Decet autem maximè, quòd instrumentum præcipuum, & coniunctum Diuinitati, sit in actu respectu cuiuscumque perfectionis in altero causandæ. An vero Christus, vt homo, possit dici causa principalis gratiæ in genere causæ efficientis, disputabitur infra q. 13. art. 1.

PRIMA DISPVTATIO. §. I.

CIRCA Conclusionem huius articuli, & responsionem ad primum plures sese offerunt disputationes examinandæ. Prima est, An Christus Dominus ita habuerit scientiam beatam, vt in hac vita viderit Deum per essentiam. Negatio his argumentis
1 probatur. Primò. Inter cognoscentem & cognitum debet esse aliqua proportio; sed inter Deum clarè visum, & intellectum creatum Christi, quacumque illius ele-
2 uatione facta nulla est proportio, sicut neque inter finitum & Infinitum, cùm Deus infinitè excedat intellectum creatum Christi: ergo nequiuit Christi intellectus eleuari ad Deum clarè & per essentiam in hac vita videndum. Dices, non proportionari in genere entis, proportionari tamen in genere intelligibilis, & cognoscibilis. Contra est. Etiam in esse cognoscibilis est infinita distantia creati ad increatum; ergo solutio nulla. Antecedens patet, tum, quia cognoscibilitas est proprietas entis; ergo si in genere entis infinitè distant, etiã distabunt infinitè in genere intelligibilis. Tum etiam, quia ideò in esse entis non est proportio, quoniam se habent, vt finitum & infinitum; sed in genere cognoscibilis, & intelligibilis habent se, sicut finitum & infinitum, vt de se cõstat: ergo vt sic non est proportio.

Secundò. Quod videtur clarè & per essentiam, ipso intellectu attingitur; sed quod infinitè distat, nulla ratione est attingibile, ergo intellectus creatus Christi infinitè distans à Deo, ipsum per essentiam non potest videre. 3

Confirmatur primò. Quantò visibile est magis remotum; tantò maiorem exigit vim in potentia, vt ipsum attingat, & percipiat: ergo infinitè distans, qualis est Deus, videri non potest, nisi à visu infinitæ virtutis. 4

Confirmatur secundò. Cognoscere aliquam rem infimam clarè & apertè, est aliqua perfectio, & perfectiorem intueri maior perfectio, & sic deinceps, quantò cognitum est perfectius, tantò cognitio est perfectior. Ergo infinitum clarè, & per essentiam cognoscere, erit infinita perfectio, quæ intellectui creato Christi repugnat. 5

Tertiò. Intellectus creatus, cùm de se sit indeterminatus, & indifferens ad omnia intelligibilia, nihil potest determinatè cognoscere, nisi per ipsum obiectum determinetur: sed Deus non est obiectum, quod Christi intellectum creatum possit determinare, cùm sit summum, ac generalissimum ens, nullo modo determinatum; ergo intellectus Christi ipsum videre non potest. 6

Quartò. Ad quamlibet cognitionem iudicium requiritur, sed intellectus creatus Christi iudicium circa Deum elicere non potest, cùm iudicium sit superioris de inferiori; ergo nequit Deum clarè, & apertè videre. 7

Quintò. Nulla res potest ab vna specie ad alteram transire, & multòminus permanens in sua propria specie aliam oppositam superinduere: sed si intellectus Christi creatus eleuaretur ad claram Dei visionem, transiret in aliam oppositam speciem, adhùc permanens simul in propria; ergo eleuari repugnat. Minor probatur. Potentiæ specificantur ex actibus, & obiectis, vt docet Aristot. 3. de Anima: ergo si potentia naturalis, qualis est intellectus creatus Christi, eleuaretur ad actum, & obiectum supernaturale, cuiusmodi sunt visio, & Deus clarè visus, ex illo actu & obiecto sortiretur speciem supernaturalis potentiæ, essetq; proinde naturalis, ac supernaturalis potentia, vt pote ad actum naturalem, & supernaturalem ordinata. 8

Sextò. Nulla naturalis potentia eleuari potest ad producendum effectum supernaturalem, tanquam causa principalis illius: sed visio Dei clara per essentiam est effectus supernaturalis, ad quam intellectus Christi creatus concurrere non potest, nisi tanquam principalis causa, vt ad alium actum, quemcumque vitalem; ergo eleuari ad illud non potest. Minor cum consequentia patet, & probatur maior. Nulla creatura eleuari potest ad gratiam, & charitatem, lumen gloriæ, & alia similia producenda, vt principalis causa, etsi instrumentariè eam producere posset, vt Dei instrumentum; ergo visio clara, cùm non sit minus supernaturalis, quàm illa, vt pote eiusdem ordinis. 9

Septimò.

10 Septimò. Nulla potentia potest eleuari vltra latitudinem sui obiecti; sed Deus clarè visus non continetur intra latitudinem obiecti intellectus creati: ergo eleuari non potest ad videndum Deum. Maior inductione patet. Minor verò probatur. Primò: quia Deus est quid infinitum simpliciter, & omni modo; ergo non continetur sub obiecto intellectus creati. Consequentia patet; quia obiectum intellectus nostri est quid limitatum: ergo infinitum non continetur sub illo. Antecedens patet, quia non latiùs patet obiectum, quàm potentia, siquidem debent inter se commensurari: ergo si potentia est finita, obiectum non potest esse infinitum, neque infinitum includere.

11 Secundò probatur eadem minor. Inter intellectum nostrum, & obiectum specificans debet esse idem genus rerum; sed intellectus noster est potentia naturalis: ergo & obiectum, & ea, quæ sub obiecto continentur, debent esse naturalia, alioqui non erunt eiusdem ordinis.

12 Confirmatur. Deus trinus, & Deus beatificans, aut Deus, vt est obiectum visionis, non est ordinis naturalis; ergo neque continetur sub obiecto potentiæ naturalis. Probatur cõsequentia, nã implicat cõtineri sub obiecto potentiæ naturalis, quin contineatur sub ipsa potentia naturali; implicat verò, supernaturale vt sic formaliter contineri sub potentia naturali, vt ex terminis constat.

13 Tertiò. Si Deus secundùm suam essentiam, & vt est obiectum beatificum, continetur sub obiecto intellectus nostri; ergo intellectus noster ita ex sua natura respicit Deum, vt obiectum visionis, sicut alias res naturales. Probatur consequentia: nam quod respicit ex sua ratione specifica aliquod obiectum adæquatum, respicit inadæquatè omnia illa, quæ sub obiecto continentur. Quò fit, vt potentia naturalis per se respiciat, quamuis inadæquatè, supernaturalia.

14 Confirmatur: nam sequeretur quòd primò & per se, & principaliùs noster intellectus ex natura sua respiceret Deum in se & clarè visum, quàm res naturales; consequens est absurdum: ergo & antecedens. Sequella patet, quia sub obiecto intellectus creati, quod est ens, per se & primò continetur Deus, quàm creaturæ: quia ratio entis illi conuenit, vt principali membro analogiæ: ergo si illum respicit, vt continetur sub ente, respicit, vt quid principaliùs, & primò, & per se.

15 Quartò. Deus secundùm suam essentiam, & vt est obiectum beatificum, est obiectum adæquatum, & specificans nostro intelligendi more Diuinum intellectum; ergo intellectus creatus, & illius obiectum specificatiuum, non continent sub se Deum secundùm suam essentiam. Probatur consequentia, quia maximè incongruit, vt obiectum adæquatum Diuinæ potentiæ sit inadæquatum & inferius ad obiectum potentiæ creatæ. Tum etiam quia sequeretur, intellectum Diuinum subordinari intellectui creato: quia si obiectum Diuini intellectus subordinatur obiecto intellectus creati, etiam intellectus Diuinus subordinabitur intellectui creato; cùm potentia, & obiectum sibi respondeant.

16 Quintò. Intellectus Diuinus, & intellectus humanus differunt plusquàm genere: ergo obiectum intellectus Diuini non subordinatur, neq; includitur sub obiecto nostri intellectus. Probatur consequentia; nam quæ differunt plusquàm genere, neque in seipsis, neque in suis obiectis subordinantur.

Sextò. Ratio specificans intellectum est vna: ergo & obiectum est vnum secundùm illam rationem, cùm eadem vnitas requiratur in obiecto, quæ in potentia reperitur, & in ratione formali. Sed ens, vt continet Deum clarè visum, & entia creata, non est vnum simpliciter, sed analogum, vt habet communis sententia: ergo obiectum specificans intellectum non est ens, vt continet Deum sub se. Pro explicatione sit Conclusio. 17

Conclusio. §. II.

ANIMA Christi Domini, etiam eo tempore, quo mortali corpori fuit vnita, habuit scientiã beatam, & Deum vidit per essentiam. Hæc conclusio, vt iacet, abstrahendo à tempore, quo Christus fuit beatus, & vidit Deum, est de fide tenenda. An verò ab instanti suæ conceptionis habuerit scientiam beatorum, & viderit Deum per essentiam, non pertinet ad fidem. Est tamen adeò certum, vt oppositum sit error in fide, & proximus hæresi. Quam conclusionem recipiunt omnes Theologi in 3. dist. 14. & D. Thomas in hoc articulo, & infra quæst. 15. art. 10. & quæst. 34. artic. 4. Similiter Sancti Patres idem docent, quorũ testimonia referuntur à M. Cano. lib. 12. de Locis, cap. 14. Et præter testimonia Sacræ Scripturæ adducta in Commentario, sunt optimæ rationes, quæ id efficaciter probant, & ratio D. Thomæ est optima; quia Christus est caput influens in omnes gratiam, & gloriam: ergo debuit ipse multò magis habere gratiam, & gloriam. Confirmatur, 18 19 quia Christus de iustitia meruit alijs gratiam, & gloriam: ergo debuit ipse habere gratiam, & gloriam, quia etsi visio Dei propriè & per se ad meritum non requiratur, in eo tamen, qui est perfectissimum omnis meriti principium, & qui ad suam sanctificationem non indigebat merito, conuenientissimum fuit, vt gratia consummata fuisset illi principium meriti. Item, quia Christus semper fuit Filius Dei naturalis: ergo hæres, & possessor, quia tempore non indigebat ad fruendum hæreditate. Neque erat interuentura mors Patris, vt Filius in possessionem mitteretur. Sed non est necesse in hac fidei veritate elucidanda multùm immorari, & ideò respondere oportet ad argumenta.

Soluuntur Argumenta. §. III.

AD Primum respondetur, inter cognoscentem, & cognitum sufficere proportionem, & habitudinem, quæ est effectus ad causam, potentiæ ad actum, & materiæ ad formam: quæ sanè proportio reperitur inter Deum, & intellectum Christi, & nostrum, & habitudo consistit in hoc, vt docet Ferrar. 3. contra Gentes cap. 54. quòd intellectus sit aptus natus recipere Essentiam Diuinam per modum formæ actuantis, & ipsa Essentia Diuina sit nata recipi in intellectu ipso tanquam in materia actuãda, etsi nõ informanda. Neque ex hoc rectè infertur, quòd si hæc proportio effectus ad causam sufficiat inter cognoscentem & cognitum, possit intellectus suis viribus Deum per essentiam cognoscere, saltem vt authorem naturæ, cùm sit secundùm vires naturales consideratus effectus Dei, ac proinde Deus secundùm ea, quæ illi conueniunt, vt est author naturæ, sit proportionatũ nostri intellectus obiectum. Hæc inquam illatio nulla est, quia solutio tantùm vult, 20 21

Digitized by Google

quòd huiusmodi proportio sufficiat ad cognoscendum Deum vtcumque, ex quo infertur, posse per Diuinam potentiam eleuari ad visionem Dei per essentiam.

22 Secundò resp. Quòd licet finiti ad infinitum nulla sit proportio, potest tamen inter ea esse proportionalitas, quæ est similitudo, & proportio inter duas proportiones, ita vt sicut finitum finito æquat, ita & infinitum infinito. Ad hoc ergo quòd aliquid cognoscatur nõ complexè & totaliter, sufficit proportionalitas, vt sicut se habet cognoscens ad cognoscendum, ita se habeat cognoscibile ad hoc, vt cognoscatur. Imò verò sufficit interdum hæc proportionalitas ad perfectam vndique, & totalem rei cognitionem, vt cùm Deus infinitum cognoscens, creaturam finitam plenissimè cognoscit, cui non proportionatur.

23 Ad instantiam contra solutionem in argumento assignatam resp. Intellectum creatum ex participatione luminis gloriæ, quod est Diuini ordinis, & præcipuè ex vnione Diuinæ Essentiæ in ratione speciei intelligibilis, participare quandam infinitatem ab ipsa infinita specie, ratione cuius proportionatur in ratione intelligentis, intelligibili infinito. Hæc autem infinitas intellectus non est in esse rei, sed in ratione tantùm intelligibilis, eoquòd prouenit ab specie intelligibili actuante intellectum in ordine ad talem cognitionem, non quidem tribuente intellectui esse infinitum, sed vim ad cognoscendum obiectum infinitum: cuius ratio est, quia cùm

24 species intelligibilis est per se subsistens, vt Essentia Diuina respectu cognitionis beatificæ, & essentia Angeli respectu cognitionis sui ipsius, tunc non informat intellectum in esse naturæ, cùm ipsi non inhæreat, ac proinde non tribuit illi aliquam perfectionem in esse entis, & naturæ, sed tantùm informat intellectum in esse intelligibili, tribuens subinde perfectionem in genere intelligibilis duntaxat.

25 Secundò resp. Etiam si concedatur, intellectum post talem vnionem, manere omnibus modis finitũ, eoquòd infinitam speciem finito, ac limitato modo participat secundùm modum, & quantitatem luminis gloriæ finiti, adhuc tamen manere proportionatum Diuinæ Essentiæ in ratione cognoscibilis, quia licet Diuina Essentia sit infinitè cognoscibilis cognitione cõprehensiua, est tamen finitè cognoscibilis cognitione clara citra comprehensionem, ita vt non repugnet infinitum finito modo cognosci sitq; infinitum infinitè cognoscibile

26 cognitione totali, & adæquata, finitè etiam cognoscibile cognitione non totali. Itaque Deus clarè visus visione comprehensiua est improportionatum obiectum respectu intellectus creati at clarè visus visione non comprehensiua est proportionatum obiectũ intellectui habenti Diuinam Essentiam vnitam in ratione speciei intelligibilis; quia sicut ex parte potentiæ, & cognoscentis adest species infinita, finito tamen modo participata sic etiam ex parte obiecti & cogniti adest infinitum cognoscibile secundùm se, finito tamen modo cognitũ.

27 Ad argumẽtũ igitur priorẽ resp. in forma: finitũ cognoscitiuũ proportionari infinito cognoscibili secũdùm rationẽ aliquã finitã, idest, vt finitè cognitũ, proportio enim inter potẽtiã, & obiectũ terminatiuũ est præcipuè attendenda: obiectũ autem terminatiuũ potentiæ cognoscitiuæ est cognitum. Deus ergo vt cognitus à nostro intellectu importat infinitũ secũdùm modũ finitũ.

Sed contra vtramque solutionem replicetur. Qualis est proportio inter res in genere entis, talis est in genere cognoscibilis; sed inter Essentiam Diuinam & intellectum creatum nulla est proportio in genere entis: ergo neque in genere cognoscibilis. Maior patet, quia cognoscibilitas sequitur entitatem, ita vt quot sunt gradus entitatis, tot sint scibilitatis, & cognoscibilitatis: sicut & veritatis, & infinitum ens sit infinitè verum, cognoscibile, & scibile, cùm vnumquodque, inquantum ens sit cognoscibile, vt docet D. Thomas 1. part. quæst. 12. artic. 1. vbi rationem cognoscibilitatis, & maioris cognoscibilitatis colligit ex entitate & actualitate maiori rei. 28

Resp. primo: ens infinitum esse infinitè cognoscibile cognitione totali, adæquata, & comprehensiua, posse tamen finitè cognosci inadæquata cognitione, in quo est latum discrimen inter rationem entis, & rationem cognoscibilis, quòd ens infinitum nullo modo potest limitari in ratione entis, cùm repugnet finitum, & infinitum in genere entis, quod genus ab intrinseco desumitur. At in genere cogniti, cùm esse cognitum nihil ponat in re, potest id, quod est infinitè cognoscibile, secundùm se permanens in sua infinitate, esse finitè cognitum ab aliquo intellectu, & finitatem, & infinitatem simul participare in ordine ad diuersas potentias. 29

Secundò resp. Inter intellectum lumine gloriæ illustratum, & præcipuè Essentia Diuina in ratione speciei actuatum, & ipsum Deum, esse proportionem aliquam in genere entis, ita vt intellectus creatus ab ipsa Diuina Essentia sibi vnita participet quandam infinitatem in genere entis, qua proportionetur obiecto infinito, non infinitè cognito. Hæc solutio colligitur ex D. Thoma de Verita. q. 8. art. 1. ad 9. & 11. vbi ait, Deum non excedere intellectum nostrum secũdùm formam, qua in patria actuatur, nempe, essentiam Diuinam. Et in 4. d. 49. q. 2. art. 1. ad 5. idem repetit, vbi certè ratione Diuinæ Essentiæ infinitatem videtur intellectui tribuere etiam in genere entis. 30

Sed obijcitur. Formæ intentionales nullum esse reale tribuunt, nullamq; entitatem, in quo à formis naturalibus & realibus distinguuntur, sed tantùm tribuunt quoddam esse intentionale, & in genere intelligibilis, illi subiecto, cui inhærent; ergo Diuina Essentia, cùm intellectui vniatur in ratione formæ intentionalis, & speciei intelligibilis, nihil tribuit intellectui in genere entis, ac proinde neque infinitatem, neque aliquod esse. Resp. Formam intentionalem non distingui à naturali, & reali, quia non habet esse reale, vt distinguitur contra esse rationis, sed est realis perfectio potentiæ, & eo ipso quòd perficit potentiam cognoscitiuam in genere cognoscitiui, perficit ipsam in genere entis, quia sua entitas & realitas est, esse cognoscitiuam: sed dicuntur intentionales species, & à naturalibus distingui solent; quia cùm sint rerum sensibilium & materialium, quandam habent immaterialitatem, ita vt species albedinis non tribuat esse album, neque diaphanum, neq; oculo. Diuina igitur essentia actuans intellectum in genere intelligibilis, & intellectiui, perficit consequenter in genere entis, quoniam sua entitas est esse intellectiuum. Ac rursus cùm perficiatur in ordine ad obiectum, à quo entitatem desumit, & speciem, 31 32

speciem, in genere entis perficitur. Et tandem perficitur à lumine gloriæ, quo realiter informatur, quod quidem habet quandam infinitatem, inquantum est vltima dispositio ad formam infinitam, nempe, ad Diuinam essentiam intellectui vniendam. De quo legendus est Ferrariens. 3. contra Gentes cap. 54. circa solutionem ad tertium D. Thomæ.

33 Alij respondent ad argumentum, in esse intelligibilis non ita improportionari, quia excessus infiniti ad finitum est per accidens ad rationem intelligibilis, cùm intelligibile vt sic, relationem importet: ad relationem verò impertinenter se habet finitas, vel infinitas.

34 Respondent secundò, in esse entis, & intelligibilis esse æqualem improportionem inter creatum, & increatum, quia in præsenti improportio significat excessum, qui absque dubio conuenit Deo respectu creaturæ non solùm in esse entis, sed etiam in esse intelligibilis. Tum etiam, quia si Deus in se esset proportionatus in ratione intelligibilis nostræ potentiæ, absque lumine eleuante possemus cognoscere Deum in se, sicut alia entia in esse

35 cognoscibili nobis proportionata cognoscimus. Dicitur ergo, quòd sicut inter finitum, & infinitum, naturale & supernaturale non est proportio geometrica, idest, excessus determinatus; sic etiam in ratione cognoscibilis nequit reperiri illa geometrica proportio: reperitur tamen vna ratio cognoscibilis, quamuis obiecta particularia, & inadæquata non sint quantitatiuè comparabilia: quia supponitur realis proportio, & conuenientia inter illa in ratione entis, quæ fundat cognoscibilitatem: etenim finitum, & infinitum, creatum & in-

36 creatum &c. conueniunt in vno concepto entis, quamuis analogo, & in vno conceptu tametsi analogo rectè potest fundari vnica ratio cognoscibilitatis, vt constat in obiecto Methaphysicæ, vbi vna ratio realis analoga fundat vnicam speciem scibilis, & scientia viuius speciei vna ratione tendit in creaturam, quæ est finita, & in authorem naturæ, qui est infinitus, & increatus. Hoc autem insinuatur à D. Thoma. 1. part. quæst. 12. artic. 1. ad 4. vbi ait, ad cognoscendum Deum in se non requiri geometricam proportionem, sed sufficere aliqualem conuenientiam, & habitudinem. Hæc solutio non caret probabilitate, sed prior magis mihi placet.

37 Ad secundum principale resp. cum D. Thoma quæst. 8. de Veritate artic. 1. ad vltimum, Diuinam Essentiam infinitè distantem attingi non posse ab intellectu creato, ita vt perueniat ad eandem perfectionem, vel ad hoc, vt sit eiusdem naturæ cum ea. Nihilominus pertingit ad ipsam, vt ad formam intelligibilem, ita vt creatus intellectus essentiam Diuinam attingat, eam suscipient tanquam materia formam, qua informatus intellectus eliciat actum erga ipsum Deum.

38 Ad primam confirmationem respondet D. Thomas quæst. 8. citata de Veritate ad 12. Ideò visibile remotius maiorem exigere vim in potentia visiua, vt percipiatur, quia quantò est magis remotum, tantò minorem angulum causat in oculo, minusq; de visibili peruenit ad potentiã. At si æqualis forma perueniat à remoto, & propinquo, non magis videretur propinquum, quàm remotum, neque maiorem exposceret vim in potentia remotum, quàm propinquum. Deus ergo quamuis in infinitum distet ab intellectu creato, tota tamen Diuina essentia intellectui coniungitur, illumq; actuat.

Ad secundam confirmationem resp. Quòd si cognitiones sint rebus cognitis commensuratæ, adæquatæ, totales, & comprehensiuæ, quantò cognitum est perfectius, tantò proportionabiliter perfectior erit cognitio, ita vt eadem sit proportio inter cognitiones, quæ est inter res cognitas. Verùmtamẽ si cognitiones sint inadæquatæ, non totales, neque comprehensiuæ, non seruatur illa graduatio, sed rei infinitæ cognitio est finita, quia non desumit quantitatem & perfectionem ab obiecto præcisè, sed etiam à principio, à quo dimanat, & ex modo, quo tendit in obiectum, à quo limitatur, finitur, & coarctatur. Quare etsi inter huiusmodi cognitiones perfectioris obiecti cognitio sit perfectior, non tamen quò perfectior est obiectum, eò cognitio erit perfectior, cùm non sit obiecto adæquata. 39

Ad tertium resp. cum D. Thoma quolib. 7. art. 1. ad 1. Etsi Diuina Essentia non sit determinata, idest, limitata, & coarctata, eo quòd in nullo est recepta: esse tamen determinatam ratione distinctionis à cunctis alijs rebus. Quare non est quid generale in essendo, sed tantùm in causando, & hæc determinatio distinctionis sufficit ad determinandum intellectum. 40

Ad quartum resp. cum D. Thoma quæst. 7. de Veritate artic. 1. Duplex esse iudicium, alterum, quo iudicamus, qualiter res debeat esse, & hoc superioris est, alterum, quo iudicatur, qualiter res sit, & hoc potest esse inferioris erga superiora. Non enim potest quis minùs iudicare de Rege, an stet, vel sedeat, quàm de rustico, & huiusmodi iudicium est in quacumque cognitione. 41

Sed contra hanc responsionem replicatur ex eodem D. Thoma quæst. citata: quia secundùm Boetium. 5. libro de Consolatione Prosa. 5. Iudicium est actus iudicantis, ita vt iudicatum se habeat ad iudicium, vt passum; sed Diuina Essentia non potest habere se, vt passum respectu alicuius intellectus creati; ergo nullum iudicium, & ex consequenti nec visionem erga Deum habere potest. Resp. Iudicium non esse operationem transeuntem in rem exteriorem ipsamq; transmutantem, sed esse immanentem, & ideò non oportet, quòd iudicatum sit passum, etiam si per modum passi significetur, quin potiùs intelligibile, de quo est iudicium, habet se ad intellectum, vt agens, cùm intelligere sit quoddam pati. 42

Ad quintum resp. primò, potentiam specificari ex obiecto, & actu proportionato omnibus modis, quem proprijs viribus sumere potest, non tamen sumere speciem ex obiecto, & actu, ad quem eleuatur, & quem virtute supernaturali communicata tantummodò producere potest. Quare ex eleuatione intellectus ad claram Dei visionem non sortitur speciem, nec quidquam essentiale participat, sed permanet adhuc in specie naturalis potentiæ. 43

Sed replicatur. Potentia & actus sunt eiusdem speciei: sed actus est supernaturalis; ergo & potentia, quatenus illum actum elicit. Respondetur, potentiam, & actum omninò proportionatum, quem propria virtute, & per propriam formam producit, esse eiusdem speciei. Actum verò, quem producit potentia per virtutem superiorem, per alienam formam suæ naturæ superadditam, non esse eiusdem 44

ſpeciei cum potentia, ſed cum illa forma ſuperaddita, per quam operatur.

45 Sed inſtatur. Potentia eſt cauſa principalis cuiuſque
actus, & eſt cauſa vniuoca, & non æquiuoca; ergo aſſi-
milat ſibi actum in ſpecie. Reſpondetur, potentiam eſſe
cauſam principalem, & vniuocam, ſi conſideretur ſe-
cundùm formam, qua operatur, cui reſpondet, & aſſi-
46 milatur effectus. Secundò reſpondetur, intellectum
creatum, in quantùm eſt naturalis quædam potentia,
ſpecificari ab ente, in quantùm eſt ens reale, quod com-
prehendit & naturalia, & ſupernaturalia entia, & à
quocumque actu, quò ens attingitur, ſiue actus ſit na-
turalis, ſiue ſupernaturalis, ita vt ens naturale & ſuper-
naturale in vna ſpecifica ratione obiecti intellectus
conueniant. Actus item naturales, & ſupernaturales
ſunt eiuſdem ſpeciei in ratione actus potentiæ intellec-
tiuæ, quatenùs in ſecunda ſpecie qualitatis reponitur.
47 Tertiò reſpondetur, eundem intellectum ſecundùm
rem & eſſe potentiam naturalem reſpectu actus, & ob-
iecti ſupernaturalis, & eſſe potentiam obedientialem
reſpectu actus, & obiecti ſupernaturalis, ac proinde
geminam ſortiri rationem potentiæ, & naturalis, &
ſupernaturalis, & vtramque ſpecificam rationem in
eadem re materiali conuenire, quod non implicat,
nam quælibet res naturalis eſt etiam obedientialis po-
tentia, quatenùs ſubditur Diuinæ omnipotentiæ in or-
dine ad actus ſupernaturales, vim ſuæ naturæ tranſ-
cendentes.

48 Sed inſtatur. Potentia obedientialis eſt tantummo-
dò non repugnantia reſpectu actus ſupernaturalis; ſed
intellectus non concurrit ad actum viſionis claræ ſo-
lùm non repugnando, ſed vt cauſa principalis elicien-
do: ergo reſpectu talis actus dici non poteſt obedien-
tialis potentia. Reſpondetur, potentiam obedientialem
formaliter eſſe aliquid reale & poſitiuum, connotare
verò negationem repugnantiæ, vt oſtenſum eſt ſupra
49 quæſt. 1. artic. 1. Diſput. 6. Dubio. 1. Vnde cùm po-
tentia obedientialis ſit paſſiua, & actiua reſpectu diuer-
ſorum, vt actiua, neceſſariò influit in effectum per vir-
tutem ſupernaturalem ſibi à Deo communicatam; vt
paſſiua, hoc eſt, quatenùs talem virtutem à Deo re-
cipit, concurrit non tantùm non repugnando, ſed in-
quantùm poſtmodum per virtutem receptam opera-
tur, concurrit efficiendo: vt Sacramentum V. G. reci-
pit à Deo ſupernaturalem virtutem non repugnando
50 tali receptioni, communicationi, & influxui, cauſat
tamen gratiam per illam virtutem receptam efficien-
do: cauſat, inquam, non per naturalem, ſed per obe-
dientialem potentiam, inquantùm ſubſtat Diuinæ po-
tentiæ, à qua eleuatur ad actum ſuperantem propriam
naturam. Quare cùm receptio virtutis operatiuæ ſit
actus potentiæ obedientialis, operatio per virtutem
receptam ſubſequens hanc receptionem, erit actus po-
tentiæ obedientialis.

51 Ad ſextum principale, conceſſo per nullam poten-
tiam eleuari poſſe rem naturalem ad producendum
gratiam, vel habitum charitatis, & ſimilia, tanquam
cauſam principalem, vt docet M. Bañes 2.2. quæſt. 24.
artic. 6. Dubio. 1. (Vno excepto Chriſto, de quo eſt
peculiaris ratio, vt diſputabitur infra quæſt. 13. artic. 2.)
Negatur conſequentia, quia eſt differentia inter actus
ſupernaturales, vt viſionem claram Dei, dilectionem
Dei ſuper omnia, etiam vt gratiæ authorem, & habi-
tus, à quibus promanant, quòd licèt ſint eiuſdem ſpe- 52
ciei actus cum ſuis habitibus, ſintq; ſupernaturales quò
ad ſubſtantiam: adhùc tamen aliquid naturalitatis re-
peritur admiſtum in actibus, quod non in habitibus,
nam eò, quòd actus vitales ſunt, pendent neceſſariò
ab ipſa potentia naturali, tanquam à principio prin-
cipali, & non proprijs viribus, ſed per formam ali-
quam ſupernaturalem operante, & ideò non habent
tantam vndique ſupernaturalitatem, quantam ipſi ha-
bitus, qui à ſolo Deo ſupernaturaliter operante neceſ-
ſariò pendent, poteſtq; proinde potentia eleuari ad ac-
tum ſupernaturalem producendum tanquam cauſa ſe-
cunda principalis, ad habitum verò, vel quidpiam aliud
ſupernaturale, quod non ſit actus vitalis, eleuari non
poteſt.

Solutio ſeptimi argumenti. §. IIII.

PRO Solutione ſeptimi argumenti aduerten- 53
dum eſt, duplex eſſe obiectum intellectus. Vnum eſt adæquatum, & totale, quod totam latitudinem rationis formalis continet, ita vt potentia ad aliquid aliud extra illud ſe extendere nequeat. Et hoc obiectum adæquatum vocatur ſpecificatiuum, quia ab illo ſpecificatur potentia. Aliud eſt obiectum potentiæ proportionatum, quod habet proportionem, & connaturalitatem cum ipſa potentia, ita vt obiectum nullum habeat exceſſum ſupra potentiam. Hoc ſuppoſito quidam reſpondent, obiectum adæquatum, & ſpecificatiuum intellectus humani eſſe ens, inquantùm ens: proportionatum verò eſſe quidditatem rei materialis. Et quia Deus continetur intra latitudinem obiecti adæquati, & ſpecificantis intellectum creatum: ideò poteſt intellectus ad Deum videndum eleuari.

Adducunt prætereà ij authores, quòd licèt Deus, prout 54
eſt in ſe, contineatur intra latitudinem obiecti formalis intellectus creati; non tamen continetur vniuocè cum obiecto proportionato, ſed analogicè: quia ex iſtorum opinione quamuis obiectum ſpecificatiuum, & formale noſtri intellectus ſit ens in confuſo, vt comprehendit & ens naturale, & ſupernaturale: non tamen importat vnicam rationem vniuocam enti naturali, & ſupernaturali, non ſolùm in ratione entis, ſed neq; in ratione obiecti, & intelligibilis. Vnde ens, inquantùm ens, ſolùm importat vnicam rationem obiecti intellectus analogicam, ſub qua continentur diuerſæ rationes ſpecie, imò & genere, obiecti intelligibilis, repertæ in ente naturali, & ſu-
pernaturali. Neq; reputant inconueniens, potentias 55
vniuerſaliſsimas, vt ſunt intellectus, & voluntas, vnitatem ſpecificam deſumere à ratione obiecti analogica. Cùm igitur in ente naturali, & ſupernaturali ſit diuerſa ſecundùm genus ratio obiecti intellectus, diuerſimodè in illa entia inclinatur intellectus, in ens naturale naturaliter, in ens verò ſupernaturale ſupernaturaliter, quatenùs ſupernaturaliter ſit in actu reſpectu illius obiecti per ſupernaturalia dona. Sic docent M. Bañes, & M. Zumel. 1. part. quæſt. 12. artic 1. Dub. 1. ad 2. Quibus per omnia ſubſcribere videtur Magiſter Ledeſma tractatu de Diuina Perfectione quæſtione. 8. articulo. 2. præſertim concluſ. 3.
Vbi

Digitized by Google

Vbi multis rationibus id probat. Et similiter probatur à M. Bañes.

56 Primò: quia obiectum intellectus est ens, vt abstrahit non solùm à Deo, & creaturis, sed ab ente reali, & rationis: sed hæc nequeunt in vnica ratione vniuoca obiecti contineri; cùm ratio cognoscibilis competat enti rationis per ordinem ad ens reale, dependeanterq; ab illo cognoscatur: ergo ratio specificatiua obiecti intellectus non est vna vniuocè, sed duntaxat analogicè.

57 Secundò. Ita comparatur ratio entis specificatiua ad intellectum, sicut ratio boni specificans voluntatem ad ipsam voluntatem: sed ratio boni specificans voluntatem non est vnica vniuocè etiam in ratione obiecti, sed analogica, cùm sit communis bono vero & apparenti: apparens autem bonum nequit in ratione vniuoca cum bono vero conuenire: ergo.

58 Tertiò. Obiectum Methaphysicæ est analogum, vt docet Caietanus Opusculo de Nominum analogia cap. 10. & Sonzinas 4. Methaphysic. quæst. 10. ad 5. Quia eius obiectum est ens abstrahens à Deo, & creatura, substantia, & accidenti: ergo à fortiori obiectum intellectus erit analogicum, cum eandem habeat abstractionem.

59 Quartò. Conceptus formalis entis, vt abstrahit à substantia & accidenti, est vnus simpliciter, non solùm vnitate specifica, sed etiam numerica: & tamen eius obiectum formale, quod est ratio entis, substantiæ & accidenti communis, est analogica, cùm importet duas rationes primò diuersas: ergo à fortiori vnitas specifica intellectus ex vnitate obiecti analogici desumitur.

60 Quintò. Ratio intelligibilis specificatiua intellectus est ipsa ratio veri, quæ, vt docet D. Thomas, non addit supra ens nisi respectum rationis ad intellectum: sed ratio veri est analoga, & non vniuoca, quales sunt omnium transcendentium rationes: ergo ratio specificans intellectum est analogica.

61 Nihilominùs hæc sententia est falsa, & his argumentis refutatur. Primò: quia vltra genus entis constituendum est aliud genus scibilis, & intelligibilis, vt ea, quæ in genere entis non conueniunt in vnica ratione specifica, in genere saltem scibilis, & intelligibilis conueniant, ad vnitatem & diuersitatem habituum constituendam, vt constat ex Caietano. 1. Poster. cap. 2. Vbi pro hac doctrina refert D. Thomam in eodem capite, qui eam expressè docet. Et 1. part. quæst. 77. artic. 3. Constitutionem & distinctionem specificam omnium potentiarum ex ratione formali specifica obiecti desumit. Et quæst. 79. artic. 11. ostendit, intellectum practicum & speculatiuum nõ esse potentias diuersas, quia vtriusq; obiecta non differunt in ratione formali obiecti, sed secundùm quandam rationem accidentariam: ergo quæcumq; diuersitas in ratione formali obiecti est sufficiens ad multiplicandas potentias: & vnitas simpliciter est necessaria ad vnitatem potentiæ specificam.

62 Secundò impugnatur ratione. Obiectum ita comparatur ad potentiam, sicut ad habitum; cùm habitus & potentiæ per obiecta constituantur, ac distinguantur: sed vnius habitus secundùm speciem vnicum debet assignari obiectum secundùm specificam rationem; ergo similiter in specie vnius potentiæ assignandum est vnicum obiectum secundùm speciem.

Cõfirmatur. Sic se habet intelligibile ad intellectum, sicut scibile ad scientiam: sed vnius scientiæ specie, quãtumuis vniuersalissimæ (nulla excepta) datur vnum obiectum secundùm speciem scibilis, vt docet Caietanus loco citato ex D. Thoma, imò & ex ipso Aristotele: ergo similiter vnius intellectus secundùm speciem vnicum est intelligibile secundùm specificam intelligibilis rationem, à quo specificetur. 63

Tertiò. Hæc sententia inuoluit contradictionem asserens, obiectum in ratione obiecti esse multiplex, & nihilominùs vnicam speciem tribuere, & probatur. Obiectum in ratione obiecti est multiplex: ergo & in ratione specificantis est multiplex, & ex consequenti plures cõstituit species. Consequentia patet, quia obiectum in ratione obiecti specifici tribuit speciem. Item potentia intellectiua habet vnitatem specificam: sed non ex subiecto, cùm huiusmodi vnitas sit numeralis, ac materialis: ergo ex obiecto. Ergo nequit esse multiplex formaliter. 64

Dices, ex vnitate analogica desumi vnitatem specificam potentiæ. Sed cõtra hoc obijcitur. Vnitas analogica est multò maior multiplicitas, ac diuersitas, quàm multiplicitas specifica obiecti; sed multiplicitas obiecti formalis specifica multiplicat potentias, & habitus: ergo à fortiori & analogica multiplicat potentias, & habitus. Tum etiam, quoniam obiecta omnium potentiarum in vnica ratione obiecti, si non generica, saltem analogica conueniunt: ergo si ista vnitas est sufficiens ad vnitatem specificam constituendam, omnes potentiæ essent eiusdem speciei. 65

Sed respondet M. Bañes, & similiter M. Ledesma, hoc esse proprium causæ formalis, vt tribuat id, quod non habet, vt albedo tribuit esse album, cùm tamen ipsa non sit alba: & anima rationalis confert esse hominem, & ipsa non est homo. Cùm ergo obiectum comparetur ad potentiam, vt forma, potest vnitatem specificam, quam non habet, tribuere. Sed contra hanc responsionem sit quartum argumentum. 66

Quantumcumq; forma conferat esse, quod non habet, impossibile tamen est, plures formas specie diuersas idem esse specificum tribuere, vt constat inductione in cunctis formis cuiuscumq; generis facta: tum etiam euidenti ratione, nam quælibet forma specie tribuit esse specificum: ergo plures formæ secundùm speciem plura esse secundùm speciem tribuunt. Item nequit idem effectus à diuersis causis produci: ergo neq; idem esse à diuersis formis causari, cùm sint causæ diuersæ. Neque potest dici esse causas partiales, quia tunc esset quædam chimera, ex pluribus formis partialibus constituta: ergo diuersa obiecta intellectus secũdùm speciẽ, imò & primò diuersa, cùm sint formæ specificantes, nequeunt idem esse secundùm speciem constituere. 67

Confirmatur. Forma intrinseca, ac differentia constituens specificam rationem cuiusq; potentiæ, est ordo ad obiectum, vt est omnibus receptum: sed in potentia intellectiua iuxta istam sententiam est multiplex ordo, & aptitudo ad obiectum: ergo per multiplicem differentiam constituitur in specie, quod est inintelligibile. Minor probatur: quia ex sententia aduersariorum intellectus aliam habitudinem dicit ad ens naturale, & aliam plusquàm specie diuersam ad ens supernaturale. 68

Et probatur ratione. Habitudines, & ordines ex terminis diuersificantur, & multiplicantur: sed illæ habitudines sunt ad diuersa obiecta, & diuersos terminos secundùm speciem in ratione terminandi: ergo secùdùm speciem sunt habitudines diuersæ.

69 Quintò impugnatur illa sententia. Si obiectum intellectus est analogicum, quatenus comprehendit ens reale, & ens rationis, quod dependenter à reali cognoscitur, & obiectum similiter voluntatis, eoquòd comprehendit bonum verum & apparens: sequeretur similiter, obiectum potentiæ visiuæ rationem etiam analogicam importare, cùm sit coloratum verum, vel apparens. Visus namq; etiam percipit sub ratione colorati: quod neq; ipsi aduersarij audent concedere asserentes, specificari à ratione analogica, solùm concedi intellectui, & voluntati propter suam amplitudinem.

70 Sequeretur etiam pari ratione, substantiam creatam & accidens non contineri sub vnica ratione specifica obiecti intellectus, cùm accidens in sui cognitione pendeat à substantia, & in ordine ad illam cognoscatur. Imò & obiectum intellectus humani analogicè diceretur de substantia corporali, & spirituali, cùm in hac vita spiritualia per ordinem, & modum corporalium cognoscantur: sed hæc concedere esset absurdum; ergo &c.

71 Postremò sequeretur ex opposita sententia, intellectum creatum naturaliter inclinari in Deum clarè visum: quod vt falsum negatur ab aduersarijs. Probatur sequella. Intellectus in sua intrinseca ratione specifica includit ordinem naturalem, siue vnum, siue multiplicem ad suum obiectum specificatiuum, siue vniuocum sit, siue analogicum: ergo quantumcumq; diuersimodè feratur in ens creatum, & increatum, naturaliter tamen ordine suæ naturæ intrinseco fertur, & respicit vtrumq;.

72 Nec dissoluitur hæc ratio ex responsione M. Bañes, quòd licet intellectus non sit in actu respectu visionis claræ, & entis supernaturalis, nisi supernaturaliter per supernaturalia principia, ita neq; inclinatur in ens supernaturale, nisi supernaturaliter. Hæc, inquam, responsio est insufficiens: quia etsi intellectus non fiat in actu etiam respectu entis, nisi per speciem, nihilominùs antequàm informetur specie, habet naturalem ordinem & habitudinem ad tale obiectum, quia est specificatiuum ipsius intellectus. Ergo similiter quamuis intellectus non sit in actu primo ad visionem claram nisi per supernaturalia principia, tamen ante ipsorum receptionem, in ipsum Deum clarè visum naturali ordine fertur, cùm sub obiecto specificatiuo continetur.

73 Argumenta autem aduersariorum facilè soluuntur. Ad primum Resp. Quòd licet ens rationis cognoscatur ab intellectu dependenter ab ente reali quantùm ad ordinem cognitionis, ita vt cognitio entis rationis præsupponat cognitionem entis realis, & secunda intentio primam; nihilominùs iste ordo non sufficit ad analogiam constituendam: cùm inter vniuersaliora & minùs vniuersalia reperiatur, vt lib. 1. Physicor. ostenditur; & tamen in vna cognoscibilis ratione conueniunt. Ens autem rationis non cognoscitur dependenter ab ente reali ad hunc sensum, quòd per ordinem ad ens reale cognoscatur; sed per illud esse qualecumq;, quod habet, terminat cognitionem.

Sed obijcitur. Ens rationis cognoscitur ab intellectu, & est obiectum intellectus, quatenùs habet apparentiam entis realis: ergo cognoscitur per ordinem ad ens reale. Sicut rectè sequitur. Vrina est sana, quatenùs est signum sanitatis animalis: ergo est sana per ordinem ad animal. Resp. Quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam; & est manifesta instantia. Colores iridis percipiuntur à visu, quatenùs habent apparentiam veri coloris: ergo videntur per ordinem ad verum colorem. Non valet illatio: sed terminant visionem non aliter, atq; si essent veri colores, nulla analogia, & habitudine ad verum colorem. Item filius cognoscitur, quatenùs habet habitudinem, & ordinem ad patrem, cùm per talem habitudinem constituatur formaliter filius: ergo cognoscitur per ordinem ad Patrem. Nulla est consequentia: aliàs in ratione cognoscibilis esset analogia ad Filium & Patrem. Cognosci ergo vnum in ordine ad aliud, non est quomodocumq; vnum cognitum ab alio pendere, vel vnum non posse sine alio cognosci, vel quòd ambo simul cognoscantur; vel quomodocumq; vnum ab alio pendere in genere entis; sed est dependentia formalis in genere cognoscibilitatis, & obiecti, ita vt sit verum dicere: quia illud est obiectum intellectus, & cognoscitur, istud est obiectum intellectus, & cognoscitur: tunc enim istud cognoscitur per ordinem ad illud. At verò ens rationis non est obiectum intellectus, quia ens reale est obiectum, neq; terminat cognitionem, quia ens reale terminat, sed per seipsum, ac sui ratione cognitionem terminat. Quare illa consequentia de vrina non est alteri similis, sed huic assimilatur. Ens rationis est obiectum intellectus, quatenùs appares obiectum, vel cognoscitur, prout apparet obiectum: ergo cognoscitur per ordinem ad aliud: ita vt illa dictio, Quatenùs, siue, Prout, reduplicet rationem cognoscibilis, & obiecti, non rationem entis in antecedente, sicut & in illa illatione; Vrina est sana, quatenùs significat animal sanum: reduplicat enim eandem sanitatis rationem ex parte prædicati, quæ ex parte subiecti significatur. Sed tunc falsum est illud antecedens, quoniam non cognoscitur ens rationis, quatenùs apparet cognoscibile, & obiectum, sed quatenùs verè est obiectum. Item hæc est bona consequentia, & similis alteri de vrina. Ens rationis est ens, quatenùs apparet ens reale: ergo est ens per ordinem ad ens reale. Et tunc antecedens est verum, ostenditq; in ratione entis esse analogiam. 74 75 76 77

Sed instatur. Ens rationis est obiectum intellectus, quatenùs ens, sed est ens per ordinem ad ens reale: ergo est obiectum per ordinem ad ens reale. Negatur consequentia, quia sicut ista illatio est nulla. Ens rationis est scibile, quatenùs ens, sed est ens secundùm quid: ergo est scibile & cognoscibile secundùm quid. Nulla est consequentia, imo est simpliciter scibile, cùm de illo sit simpliciter scientia. Vnde in omnibus consequentijs negatis variatur appellatio: nam obiectum, scibile, cognoscibile &c. appellationem rationis importante. In minori enim applicatur habitudo entis rationis ad ens reale in ratione entis: in consequenti verò rationis appellationis applicatur ordo entis rationis ad ens reale in ratione obiecti, & cognoscibilis: compertum est autem, aliam esse entis, aliam verò cognoscibilis rationem. 78

Secundò

79 Secundò Reſp. negando maiorem: etenim ens rationis non eſt obiectum intellectus, quatenùs ens, ſed quatenùs habet entis apparentiam, ita vt obiectum intellectus in tota ſua latitudine ſit ens, vel quidquid habet entis apparentiam, ſeu habitudinem aliquam ad ens. Quare cùm apparentia entis abſolutè conueniat enti rationis, & ſimpliciter, & non per ordinem ad aliud ita abſolutè & ſimpliciter eſt obiectum intellectus: aliàs neque eſſet ſimpliciter ſcibile, & cognoſcibile, & ex cõſequenti neque Dialectica eſſet ſimpliciter ſcientia. Quare ens apparens non minùs eſt obiectum intellectus, quàm ſi intellectus obiectum eſſet præciſè ens apparens ſub ratione apparentis entis.

80 Sed adhuc replicatur. Ens rationis, quatenùs apparent ens, eſt ens, nam ex eo quòd habet aliquam entis apparentiam, participat rationem entis: ſed quatenùs ens, dicit ordinem ad ens reale; ergo quatenùs apparens ens, & ex conſequenti quatenùs obiectum intellectus. Negatur conſequentia, quia arguitur à ratione vniuerſali, in qua eſt analogia, & inæqualitas, quæ inæqualiter participatur, ad rationem contractam, in qua non eſt analo-
81 gia: quemadmodùm hæc conſequentia eſt nulla. Ens rationis, quatenùs ens rationis, eſt ens: ſed quatenùs ens, eſt ens in ordine ad aliud: ergo eſt ens rationis in ordine ad aliud. Nulla eſt conſequentia, ſicut neque iſta. Ens rationis, quatenùs eſt ens, eſt ens ſecundùm quid: ergo eſt ens rationis ſecundùm quid. Non enim ens rationis dicitur analogicè, & ſecundùm quid, ſed vniuocè. Et quantùm ad præſens attinet, dicendum eſt, quòd ens rationis, vel ens apparens per ordinem ad aliud, exigit, vt vtrumque ſit ens rationis, vel ens apparens, & vtriq; competat eſſe rationis, vel apparentia per ordinem ad aliud.

82 Ad ſecundum argumentum Magiſtri Bañes eodem modo Reſp. nempe, obiectum voluntatis in ratione appetibilis non eſſe analogicum, ſed vniuocum ſecũdùm ſpecificam obiecti rationem, neque eſſe bonũ, vt bonũ, ſed vel bonum, vel apparens bonũ. Ex hoc autem quòd appareat bonum, habet ſufficientem rationem bonitatis in obiecto requiſitam. Poteſt etiam dici, in bono apparenti veram boni rationem appeti à voluntate; ita vt ſemper velit verum bonum, quamuis interdum decipiatur: vt cùm intellectus exiſtimans hanc bonitatem, quã voluntas appetit, eſſe in hoc, vel in illo ſubiecto, in quo revera non eſt, & proponit voluntati tale obiectum ſub
83 ratione bonitatis, quam revera non habet. Itaque in hypocrita voluntas veram amat virtutis bonitatem, quã in eo exiſtimat eſſe: & in auricbalco veram appetit rationem auri exiſtimatam eſſe in tali re. Vnde iuxta hũc dicendi modum; obiectum voluntatis tantùm eſt vera bonitas. Cùm autem dicitur, obiectum illius eſſe bonũ verum, vel apparens, fit ſermo de ipſius bonitatis ſubiectis, in quibus quandoq; apparet bonitas, quæ non eſt. Sed voluntas in eam apparentiam non fertur, ſed in bonitatem veram, quam ibi appetit, quamuis ibi non ſit.

84 Ad tertium Reſp. Obiectum Metaphyſicæ in genere entis eſſe analogum, in genere autem ſcibilis eſſe vniuocum, & vnius ſpeciei atomę, vt conſtat ex rationibus contra aduerſarios adductis ex mente D. Thomæ, & Caietani. Vnde illo loco citato tantùm vult Caietanus, de obiecto in eſſe rei analogo poſſe eſſe ſcientiam, & ex ratione analogica in ſua vniuerſalitate, poſſe aliquam propriam paſſionem adæquatam dimanare, quæ de ſubiecto demonſtrari poſſit. Et idem docet Sonzinas.

Ad quartum ſimiliter Reſp. conceptum vniuerſaliſſi- 85
mum entis ſpecificari ab obiecto analogo in genere entis, ſed in genere intelligibilis, & cognoſcibilis, ab obiecto vniuoco & vnius ſpeciei. Itaque ſicut intellectus, & intellectio ſpecificantur ex obiecto in ratione intelligibilis, ac proinde omnes intellectiones rerum, quantumcumque diuerſarum, ſunt eiuſdem ſpeciei atomæ cum ipſo intellectu in ſecunda ſpecie qualitatis repoſitæ, vt multis placet: ita & cõceptus, cùm ſit intellectionis terminus, & cõplementũ, ab obiecto ſpecificatur in ratione intelligibilis, ſuntq; omnes conceptus proinde eiuſdem ſpeciei, in ſecunda ſpecie qualitatis repoſiti.

Ad quintum, admiſſo pro nunc rationem intelligibi 86
lis eſſe ipſam veri rationem ſecundùm illud, quod verũ addit ſupra ens, nempe reſpectum ad intellectũ: qui reſpectus vniuocè, & æqualiter in omnibus entibus reperitur, ſiue ſint entia ſubſtantifica, ſiue accidentaria, ſiue rei, ſiue rationis: Reſp. verum abſolutè loquendo dici analogicè de his omnibus, quia formaliter non importat illum reſpectum, tanquam rationem formalem veri, ſed rationem entis, quæ eſt analoga. Illum autem reſpectum cognoſcibilitatis, & obiecti importat, tanquam conditionem requiſitam, quia obiectum formaliter loquendo eſt verum ſecundùm conditionem importatam, non ſecundùm formalem rationem. Sed de hoc diſputatur 1.p.q.16.

Ex dictis colligitur primò, Deum ſecundùm ſe, & vt 87
eſt author ſupernaturalis, realiter contineri ſub obiecto adæquato, & ſpecificatiuo intellectus creati; quod eſt ens reale, ita vt ſi ſub illo non contineretur, ab ipſo intellectu directè & intuitiuè cognoſci nõ poſſet. Sequitur ſecũdò, rationem ſpecificã intellectus humani neceſſariò debere eſſe vnam ſimpliciter; quia ratio ſpecifica debet eſſe vniformis, ac proinde non analoga, ſed abſolutè & ſimpliciter vna. Tum etiam, quia ſpecies eſt ſimpliciter vnum ab vnitate ſpecifica: vnitas autem ſpecifica nequit proximè prouenire ab analogo vt ſic.

Deducitur tertiò, ordinem tranſcendentalem, quem 88
dicit intellectus humanus ad ſuum obiectum, eſſe ſimpliciter vnum, nõ analogum, quia talis ordo ſpecificat potentiam, & habet eandem vnitatem atq; illa. Infertur quartò, modum & rationem tendendi intellectus noſtri in ſuum obiectum, debere eſſe ita plenè vnum, ſicut eſt ipſa potentia, & ratio tranſcendentalis; quoniã illa eſt propria ratio, & modus tendendi intellectus humani, ſecundùm quòd eſt talis ſpeciei: ergo debet eſſe ſimpliciter vna. Impoſſibile eſt enim, vt aliquid alicui conueniat, ſecundùm quòd perfectè vnum, quin & ipſum habeat vnitatem.

Elicitur quintò, obiectum intellectus humani in eſſe 89
obiecti formaliter debere eſſe vnum, etiam ſpecie, quia obiectum, inquantùm eſt terminus habitudinis, nõ debet habere minorem vnitatem, quã habeat ipſa habitudo. Item, quia tendentia, aut modus tendendi intellectus humani ad obiectũ adæquatũ, eſt vnus & vnius ſpeciei, à quo potiſſimùm intellectus cõſtituitur in tali eſſe: ergo, obiectum formaliter talis tendentiæ debet eſſe vnũ, & terminare ſub vna ratione vniuoca. Probatur conſequentia: quia ſub eadem ratione, qua potentia tendit in

Digitized by Google

90 obiectum, terminat obiectum formaliter. Neque incõuenit, quòd relatio transcendentalis, quam intellectus humanus habet ad obiectum, sit vniuoca, & quod obiectum in esse rei sit analogum; quia intellectus noster non respicit ens, secũdùm quòd inæqualiter à suis membris participatur, sed quatenùs omnia cõueniunt in ratione entis, & secundùm rationem actus. Et ita omnis inæqualitas, & analogia, quæ reperitur in ente, per accidens & impertinenter se habet ad rationem intellectus, & ad ordinem transcendentalem, quem intellectus ex sua specie habet. Ex quibus constat, qualiter ens, quod est analogum in ordine ad sua inferiora, potest fundare respectum vniuocum per comparationem ad intellectum, quia videlicet vt est terminus intellectus, nullam dicit, nec supponit per se inæqualitatem.

91 Sed contra superiùs dicta est argumentum. Deus clarè visus continetur sub obiecto adæquato, & specificatiuo nostri intellectus: ergo naturalis inclinatio illius tendit in Deum in particulari. Probatur consequentia; nam quælibet potentia naturaliter fertur in omnia obiecta, quæ sub obiecto adæquato talis potentiæ continentur, vt visus V.G. naturaliter inclinatur in omne coloratum.

92 Confirmatur primò. Eadem omninò ratio obiecti intellectus specifica reperitur in Deo clarè viso, quæ & in alia quacumq; re naturali: ergo sicut intellectus naturaliter inclinatur ad quamcumq; rem naturalem cognoscendam, propter rationem sui obiecti in ea repertã, etiam inclinabitur in Deum clarè visum, in quo illa eadem ratio relucet. Dices, Deum clarè visum contineri quidem sub obiecto intellectus adæquato, non tamen sub proportionato, cùm sit nimis excellens. Intellectus autem & quæcumq; potentia non inclinatur naturaliter nisi in obiectum proportionatum. Sed contra hoc

93 est, quòd tunc Deus clarè visus esset obiectum, & finis naturalis quòad inclinationem, tametsi supernaturalis quòad assequutionem (quod in doctrina D. Thomæ non est verum) sicut lux solis respectu potentiæ visiuæ vespertilionis est naturale obiectum quòad inclinationem, quoniam vespertilionis potentia etiam in lucem solis intuendam inclinatur, quamuis eam attingere, & assequi non possit. Item quælibet potentia visiua in omne visibile naturaliter inclinatur, tametsi nulla omne visibile attingere queat.

94 Confirmatur secundò. Omnis potentia dicit naturalem habitudinem, & ordinem ad obiectum, à quo specificatur; qui ordo est differentia intrinseca, & specifica potentiæ: sed ens, quatenùs includit etiam Deum clarè visum, est obiectum specificatiuum nostri intellectus; ergo ad illũ dicit ordinem, & habitudinem naturalem, & ad quodcumq; sub illo contentum.

95 Confirmatur tertiò. Intellectus in sua naturali essentia dicit ordinem ad Deum, prout est in se: sed iste ordo nihil est aliud, quàm inclinatio quædam naturalis: ergo in sua essentia includit inclinationem naturalem ad Deum, vt sic. Consequentia patet, & maior probatur. Deus, prout est in se, continetur intra rationem formalem specificatiuam intellectus humani: ergo dicit ordinem ad Deum, prout est in se.

96 Ad argumentum bene responsum est, videlicet potentiam non inclinari, nec ferri naturaliter in omne contentum sub latitudine sui obiecti, sed in illud duntaxat, quod est obiectum proportionatum, potentiæ vires nõ excedens. Ad replicam Resp. nihil minùs sequi ex solutione assignata, quàm quòd Deus, prout est in se, sit finis naturalis quòad inclinationem: sed negatur huiusmodi inclinatio propter improportionatam obiecti excellentiam.

Ad argumentum de inclinatione vespertilionis ad lu- 97
cem solis intuendam, respondetur, lucem solis esse obiectum proportionatum potentiæ visiuæ vespertilionis secundùm specificam rationem consideratæ, quoniam licèt illa potentia, prout est in tali subiecto, ad illius visionem pertingere non valeat, in alijs tamen subiectis potest quidem. Etenim potentia visiua vespertilionis est eiusdem speciei in ratione potentiæ cum visiua aquilæ; sed potentiæ visiuæ aquilæ lux solis est obiectum proportionatum: ergo etiam potentiæ vespertilionis secũ-
dùm speciam. Cùm ergo inclinatio & propensio in ob- 98
iectum, principia potentiæ specifica sequatur, concedi potest, potentiam visiuam vespertilionis inclinari in lucem solis intuendam: neque esse necessarium, huiusmodi potentiã in omnibus subiectis impleri, sed sufficere, vt in aliquo impleatur. Cæterùm Deus, prout est in se, nõ est obiectum proportionatũ respectu intellectus creati secundùm speciem etiam considerati, cùm in nullo subiecto proprijs viribus illud attingere possit, atq; adeò
nullam habet in ipsum naturalem propensionem. Itaq; 99
potentia visiua naturaliter fertur in omne visibile, in omne coloratum, in omne lucidum, quia omne visibile, coloratum, & lucidum est obiectum illi proportionatum secundùm speciem, & in diuersis subiectis eadem potentia secũdùm speciem permanent illa omnia attingere potest neq; est necessarium, vt in quocumque subiecto in particulari omnia visibilia attingat.

Ad primam confirmationem respondetur, quòd li- 100
cèt eadem obiecti ratio specifica reperiatur in Deo clarè viso, & in quacumque alia re naturali, non tamen reperitur eadem proportio cum potentia intellectus creati. Etenim maior, vel minor obiecti excellentia, etsi non variet speciem obiecti, & potentiæ, variat tamen proportionem.

Ad secundam confirmationem, concesso intellectum 101
humanum dicere ordinem naturalem ad ens in tota sua latitudine, vt comprehendit etiam Deum clarè visum, & consequenter ad ipsum Deum, prout est in se: negatur, habere inclinationem, propensionem, & appetitum in Deum clarè visum; quia ordo, & appetitus longè differunt. Ordo namque transcendentalis cuiusque potentiæ ad proprium obiectum, est veluti differentia essentialis speciem potentiæ intrinsecè constituens: appetitus & propensio in obiectum non est differentia specifica, neque ad ipsam potentiæ essentiam pertinens, sed subsequens, & dimanans ex ipsa essentia: quod etiam habet verum in pura potentia, cuiusmodi est materia prima, in qua secundùm probabiliorem sententiam potentia, & appetitus sunt duæ rationes formales diuersæ, ita vt ex ordine specifico, quem materia habet ad formam, dimanet ad modum passionis ipse appetitus. Vel vt quidam volunt, appetitus est ratio inferior contrahens, & determinans aptitudinem, quæ nomine potentiæ in
præsenti significatur. Itaque ordo specificatiuus poten- 102
tiæ est ad obiectum, secundùm totum, quod sub illius latitudine continetur, siue sit proportionatum, siue impropor-

improportionatum, dum tamen sit aliquo modo à potentia perceptibile, & attingibile, nihil enim aliud respicit in obiecto & termino iste ordo. At appetitus importat ordinem ad obiectum, suis viribus proportionatū, quod per illas perfectè haberi potest, & attingi. Intellectus ergo dicit ordinem specificatiuum potentiæ ad ens, vt etiam cótinet Deum, prout est in se: ordinem autem propensionis, & appetitus ad ens duntaxat proportionatum; sicut gustus dicit ordinem ad quodcumque gustabile, cùm omne gustare possit, quamuis sit amarum, & insipidum: sed sapidum duntaxat appetit.

103 Secundò potest responderi, quòd licèt cuiusque potentiæ appetitus feratur in obiectum specificans secundùm omnia sub illo contenta, non tamen necesse est, feratur in ipsum secundùm omnes modos & rationes cótentorum; quamuis sint modi & rationes, vel conditiones obiecti, rationem specificam illius non diuersificantes. Exemplum sit. Sensus tactus specificatiuū ordinem importat ad omnes qualitates tangibiles secundùm omnes ipsarum gradus, quoniam in illis omnibus gradibus est earum qualitatum perceptiuus: etenim ordinem dicit ad calorem etiam in summo, vel alio quocumque superexcedente, quoniam est perceptiuus caloris, etiam ignis. Verùmtamen etsi in ipso sensu tactus sit appetitus ad omnes qualitates tangibiles, calorem, frigiditatem &c. non tamen secūdùm omnem modum, & gradum, sed secundùm quandam ac debitam proportionem sibi conuenientem ad optimam sui dispositionem, & conseruationem, non tamen superexcedentem, quæ cor-
104 ruptiua est. Ad eundem modum proportionabiliter intellectus ordinem specificatiuum importat ad ens vt sic, secundùm omnem modum entis, appetitū verò licèt habeat ad omne ens, finitum vel infinitum, non tamen secundùm omnem modum entis. Hoc est. Appetit Dei infiniti entis cognitionem, non quatenùs est author gratiæ, qui est modus quidam, & habitudo Dei in ordine ad nos, sed quatenùs est author naturæ. Neq; ille appetitus est Dei, prout est in se, qui est modus cognitionis, sed vtcumque cogniti, quatenùs humana fragilitas patitur: qua ratione ad ipsum natura attingere potest.

105 Cæterùm contra vtramque solutionem adhùc instatur. Quamuis in intellectu alia sit ad obiectum habitudo, constitutiua potentiæ in specie, alia verò habitudo appetitus: tamen in voluntate locum non habet hæc distinctio, de qua manet insolutum argumentum in hunc modum. Ordo ad obiectum specificatiuum voluntatis est formaliter ordo appetitus ad appetibile (cùm formaliter & specificè voluntas sit appetitus) sed iste ordo specificatiuus potentiæ voluntatis, est sibi naturalis, respiciens bonum vt sic, qua ratione continet summū bonum, vt est obiectum fruitionis, & visionis beatificæ, & amoris perfectissimi in patria: ita vt potentia voluntatis in tale obiectum sit naturaliter ordinata; ergo voluntas, vt appetitus, naturaliter tendit, & ordinatur in illud obiectum, ac proinde naturaliter appetit, vt fruitionis obiectum, cùm sit idem ordo, & habitudo voluntatis, vt potentiæ, & vt appetitus.

106 Respondetur, si fiat sermo de appetitu voluntatis nō elicito, sed de propensione & pondere voluntatis, talem appetitum, & ordinem, quem hac ratione ad appetibile importat, non esse voluntatis specificatiuum, cùm in hoc conueniat cum reliquis naturis, etiam insensibilibus. Conuenit q; voluntati huiusmodi pondus, non vt est voluntas, sed vt est quædam natura: qui ordo appetitus est tantùm ad obiectum, & bonum viribus voluntatis proportionatum. At si fiat sermo de appetitu elicito, & de ordine, & habitudine huius appetitus; sic iste ordo est specificatiuus potentiæ voluntatis: saluatur tamen non solùm in voluntate absoluta & efficaci, sed etiam in quacumque imperfecta volitione, & conditionata
velleitate. Nos autem negamus appetitum naturalem 107
erga Deum clarè visum, vt est fruitionis obiectum, qui sit voluntas absoluta, & perfecta: sed non negamus appetitum, qui est veleitas, naturalem quidem, vt distinguitur contra supernaturalem. Voluntas ergo specificatur ab ordine in bonum secundùm totam suam latitudinem, quocumq; modo attingibile, siue perfectè, siue imperfectè: appetit tamen absolutè & perfectè proportionatum duntaxat, & sub ratione appetitus perfecti, & absoluti tantùm dicit ordinem ad bonum proprijs viribus proportionatum, perfectè attingibile.

Addendum est etiam, illum ordinem specificatiuum 108
non constituere voluntatis appetitum naturalem respectu omnium, quæ sub obiecto continentur, vt importat potentiam naturalem appetitiuam: quoniam hæc cùm sit perfectus appetitus, ex sua ratione & natura tantùm respicit proportionatum obiectum, in quod viribus naturæ perfectè tendere potest; sed constituit ille ordo appetitum naturalem, vt abstrahit à naturali potentia, & à capacitate naturali, ita vt necessarium nō sit, quòd voluntas tendat in omne sub obiecto suo naturali contentum, tanquam naturalis potentia appetitiua illius, sed aliquo modo tanquam naturalis capacitas adiutorio supernaturali ad illud appetendum. Et hæc naturalis capacitas interdum dicitur naturalis appetitus, imperfectus tamen. Voluntas ergo secundùm suam speciem est appetitua naturalis omnium, quæ sub obiecto suo specificatiuo continentur, vt abstrahit à potentia perfecta, & à capacitate imperfecta: dicitq; naturalem ordinem in illa omnia abstrahens ab ordine potentiæ perfectæ, vel capacitatis. Ex dictis patet responsio ad tertiam confirmationem.

Aliter solet ad hoc argumentum responderi: nempe 109
Deum clarè visum contineri sub obiecto nostri intellectus materialiter, & inadæquatè; potentiā verò non inclinari naturaliter & per se in id, quod materialiter, & inadæquatè sub eius obiecto specificante continetur: nam visus V. G. non propenditur natus aliter in lucem solis, neque gustus ad percipiendum absinthium, aut voluntas ad furtum: tametsi hæc omnia sub obiectis talium potentiarum contineantur. Et ita intellectus in Deum clarè visum naturaliter non inclinatur, quia materialiter duntaxat sub eius obiecto continetur.

His igitur ita constitutis respondendum est ad septi- 110
mum argumentum principale. Vnde concessa maiori neganda est minor. Ad primam autem probationem illius negatur consequentia: quia obiectum nostri intellectus, & similiter Angelici est etiam illimitatum secundùm extensionem; nam ens, quod terminat intellectum creatum, includit in se omnia entia vsque ad possibilia. Et hoc intendit D. Thomas cùm 1. p. q. 54. art. 1. dicit, intelligere habere infinitatem simpliciter. Loquitur enim de infinitate extēsiua, & secundū latitudinem,
non

non verò de infinitate simpliciter in genere entis; constat enim, solum Deum esse infinitum simpliciter in genere entis. Quare neque intellectus, neque intellectio creata, nec obiectum per se terminans possunt habere infinitatem simpliciter, nisi dicatur, quod obiectum immediatum & specificans intellectum nostrum, sit Deus
111 in se, quod est absurdum. Est ergo obiectum intellectus nostri ens in communi, quod solùm dicitur infinitum secundùm ambitum, includens sub se etiam ipsum Deũ. Vnde negandum est, quòd obiectum potentiæ limitatæ debeat esse limitatum omninò. Nec in hoc debent sibi respondere, sed satis est, quòd ratio obiecti sit limitata, vt patet in potentia visiua, quæ licet possit infinitas coloris species percipere, si darentur, ipsa tamen limitata est, & similiter ratio coloris, quam per se respicit, est limitata.

112 Ad secundam probationem minoris Resp. intellectũ nostrum dici potentiam naturalem, & quia fluit à natura, & quia in obiectum sibi proportionatum naturaliter tendit, non tamen, quia obiectum adæquatum, & specificatiuum sit naturale, alioqui deberet poni alia potentia intellectiua ad supernaturalia. Ex quo sequitur, naturale, & supernaturale non esse differentias per se in esse intelligibilis, vel in genere entis, vt specificātis intellectum nostrum, quia implicat, differre genere, vt continentur sub obiecto nostri intellectus, & quòd ratio obiecti realis sit specifica, & atoma: est enim impossibile, quòd ratio vnica & specifica in genere intelligibilis contineat sub se rationes genericas, etiam in esse intelligibilis. Præter quā quòd eâdem ratione sub illo priori membro, possent diuidi membra diuersa, & ita distantia, sicut naturale, & supernaturale, nam sub ente naturali, quod est primum membrum, continetur finitum,
113 & infinitum, creatum, & increatum. Dicendum est ergo ad argumentum, quòd obiectum per se specificans requirit esse diuersi ordinis ab ipsa potētia, & ita naturale, vt sic, à supernaturali formaliter specificari nō potest. Sed non requiritur, quòd tale obiectum specificatiuum sit eiusdem ordinis, secundùm omnia, quæ sub se includit, quatenùs considerantur in suis rationibus peculiaribus, & diuersis satis enim fuerit, quòd illa omnia, quamtumcumq; diuersa, materialiter, & in particulari conueniant in ratione specificante potentiam. Et ita fit in præsenti, quòd licet supernaturale, vt supernaturale est, excedat intellectum naturalem, non tamen illum excedit secundùm quòd ens.

114 Per hoc respondetur ad confirmationem, quòd sicut Deus in se, aut clarè visus continetur sub obiecto, quia est ens, non verò secundùm quòd supernaturale; sic etiā, qua ex parte Deus est ens, continetur sub potentia naturali. Et cùm dicitur, quòd naturale, vt naturale est, includeret supernaturale formaliter, distinguendũ est. Includit illud secūdùm rationem supernaturalitatis, negatur: secundùm verò quòd supernaturale habet rationem entis, conceditur.

115 Sed obijcies. Supernaturale, vt supernaturale, est ens: ens vt ens est obiectum potentiæ naturalis; ergo supernaturale vt sic includitur sub ente, vt est obiectum potentiæ naturalis. Negatur consequentia, & variatur appellatio, & est instantia in obiecto Methaphysicæ respectu entis increati vt sic, & in seipso: & similiter in albedine, quæ terminat visum meum in particulari. Illa siquidem formaliter est albedo, & albedo vt albedo est color, qui formaliter terminat visum, & illum specificat, & tamen ista albedo, vt hæc, neque quatenus est albedo, habet contineri sub obiecto visus, sed quatenùs participat rationem coloris.

Ad tertiam probationem minoris Resp. primò, intel- 116
lectum humanum secundùm se non respicere obiecta particularia, quæ sub ente continentur, non enim respicis hominem, aut equum; quia intellectus habet ordinem transcendentalem ad obiectum duntaxat, à quo specificatur, & iste ordo est adæquatus potentiæ, & terminatur per se ad vnum obiectum. Quare figmentum est dicere, quòd iste ordo terminetur mediatè, & inadæquatè ad alios terminos, vel quòd sint in potentia præter illum ordinem alij respectus inadæquati, qui respiciunt obiecta particularia. Sed dicendum est, ordinem potentiæ per se esse solum vnum, & adæquatum, ordinem verò actuum potentiæ posse multiplicari ad particularia obiecta, sicut ipsæ actiones. Et ita intellectus noster non respicit creaturas in particulari, aut creatorem inadæquatè, sed respicit ens, sub quo materialiter continentur creator, & creatura. Secundò Resp. quòd 117
etiam si noster intellectus inadæquatè respiceret ea, quę sub obiecto entis inadæquatè continentur, non tamen respicit illa etiam inadæquatè secundùm rationes particulares, sed secundùm communem rationem obiecti.

Ad confirmationem, quæ habet magnam difficulta- 118
tem in opinione illorum, qui dicunt, intellectum specificari ab ente, secundum quòd diuersimodè, & inæqualiter participatur à suis membris, ac proinde conuincit, primò & per se respicere præstantissimum membrum in esse entis: Resp. quòd intellectus humanus respicit ens secundum illam communem rationem, non respiciendo diuersitatem, quam habent ipsa membra entis, nec secundum quòd diuersimodè est participabile à suis inferioribus.

Ad quartam probationem Resp. concludere quidem 119
Deum contineri non posse secundùm illam rationem sub obiecto intellectus nostri, illique subordinari, nam obiectum intellectus Diuini est Deus in se, secundùm quòd in particulari est infinitus, & habens talem essentiam, & tale esse continens rationem naturalis, & supernaturalis, & similiter vt totus, & totaliter cognoscibilis, qua ratione non terminat aliquem intellectũ creatũ de se, neque subordinatum intellectui nostro, bene tamen secundùm quod ens.

Ad quintam, quæ tangit difficultatem de distinctio- 120
ne intellectuũ, qualiter, scilicet, humanus ab Angelico, & Diuinus ab vtroque differat, dimissis aliorum sententijs Resp. intellectus differre in modo tendendi, quā transijt, & refunditur in obiecta: modus verò tendendi consideratur ex eorum natura, quatenùs, videlicet, Diuinus intellectus ex sua essentia est summè actuatus, & ita se explicat in intelligere, quod est suum esse. Humanus verò intellectus per oppositum est nuda potentia de se, quæ determinatur ab extrinseco, & semper hoc modo exit in actum, & sub hac imperfectione. Intellectus autem Angelicus est medius, habens ex se aliquid potentialitatis, in qua conuenit cum humano, & aliquid actualitatis, in quo cum Diuino conuenit: nam sua naturâ est determinatus per propriam essentiam, & per species sibi connaturales.

Ad

122 Ad argumentum ergo Resp. intellectum Diuinum
& creatum differre ex parte obiecti per se, quia obiectũ
intellectus Diuini est ipsa Diuina Essentia, obiectũ verò
intellectus creati est ens, quod diuersimodè terminat di-
uersas potentias, secundùm quòd ipsæ potentiæ diuersi-
modè tendunt in tale ens: quæ differentia explicatur ad
modum dictum penes diuersitatem potentiæ, & actus.
Legendus est Caietanus 1.p.q.79.art.7.

123 Vltima minoris probatio inquirit, An ratio intellec-
tus nostri ad creatũ, & increatũ, naturale, & supernatu-
rale sit vna simpliciter, vel analoga. Ad quod patet res-
ponsio ex dictis.

SECVNDA DISPVTATIO.

SVPPOSITO, Christum Dominum in hac
mortali vita degentem fuisse beatum, Deumque
per essentiam vidisse, meritò dubitatur, An huius-
modi visionem habuerit abstractus à sensuum opera-
tione, vel potius sic viderit Deum, vt sensuum operatio-
1 nes simul exerceret. Ratio dubitandi est, quia Exodi 33.
dixit Deus, *Non videbis me homo, & viuet.* Qui
locus ex communi Sanctorum Patrum explicatione
intelligitur saltem de actu vitali sensuum. Idest, non vi-
debit me quispiam, nisi anima corpus relinquat, vel
quòad informationem, vel quòad vsum sensuum: ergo
Christus videns Deum in hac vita, necessariò erat à sen-
sibus abstractus.

2 Confirmatur ex D. Thoma 1.p.q. 12.art.11.ad 2. &
expressiùs q.13.art.3.& 2.2.q.175.art.4. Vbi affirmat esse
impossibile, aliquem in statu viæ Deum per essentiam
videre sine abstractione à sensibus, & sermonem facit de
potentia absoluta, qua miracula fiunt. Et idem docet
quodlib. 1.art.1. Et hac ratione concludit, beatum Be-
nedictum nec miraculosè Diuinam Essentiam vidisse,
quia non fuerit à sensibus alienatus.

3 Secundò. Ad videndum Deum necesse est totam ani-
mi intentionem, & attentionem colligi, vt omni cona-
tu, & secundùm vltimum potentiæ lumine gloriæ ele-
uatæ in Deum tendat, cùm Deus sit vehementissimum
intelligibile, ad quod pertingere non potest, nisi toto
conatu in illum tendat: sed implicat animam totaliter
attendere ad actum vnius potentiæ, quin ab actu alte-
rius abstrahatur; ergo impossibile est, quòd Christus
in hac vita Deum viderit, quin abstraheretur à corpo-
re, & à sensuum operationibus. Minor probatur; quia
impossibile est, animam ad plurium potentiarum ope-
rationes attendere, quin attentio circa singula minua-
tur, & experimento constat, quòd cùm quis ad visionem
totaliter attendit, nihil potest percipere auditu, vel ali-
quo alio sensu. Hac ratione vtitur D. Thom. quæst. 13.
de Verita. artic. 3. & 2.2. loco citato, & pluribus alijs
locis.

4 Nihilominùs pro explicatione sit Prima Conclusio.
Ad videndum Deum in hac vita mortali non est neces-
saria abstractio ab operatione partis vegetabilis, vt à
nutritione, augmentatione, & alijs similibus. Hæc asser
tio est D. Thomæ q. 13. de Verita artic. 8. Et probatur;
quia operationes huius partis sunt naturales, & rationi
nullatenus subiectæ, ad quarum exequutionem nulla
sequitur intentio, neque attentio, ideóq; nec impe-
diunt, nec diuertunt attentionis vehementiam circa
alias operationes. Videnda sunt alia ad hanc conclu-
sionem pertinentia quæst. 13. citatâ de Veritate.

Secunda Conclusio. Implicat contradictionem, Deũ 5
videre per connexionem ad phantasmata, & dependen-
ter ab vsu alicuius sensus. Probatur. Implicat Deum vi-
dere per speciem abstractam à phãtasmatibus, & minis-
terio sensuum comparatam, vel per aliquam aliã crea-
tam, vt ostendetur infra q. 12. sed per Diuinam Essentiã
in ratione speciei vnitam: sed repugnat Diuinam Essen
tiam in ratione speciei aliquam habere colligationem
cum phantasmate, vel ab eo dependere, vel ab aliqua
sensus operatione: ergo. Secundò: quia implicat visio- 6
nem beatificam totam animam ad se non rapere, &
conuertere destitutis potentijs sensitiuis, nisi intercedat
aliquod miraculum impediens raptum; ergo visio non
potest dependere ab vsu alicuius sensus, sed ab omnibus
necessariò abstrahit.

Tertia Conclusio. Christus Dominus in hac morta- 7.
li vita constitutus, & verè viator, Deum vidit nulla fac-
ta à sensibus abstractione. Pro intelligentia huius con-
clusionis aduertendum est ex D. Thoma 2.2.q.175. cita
ta art. 4. ad 2. Intellectum Christi adhuc in hac vita fuis-
se perfectè glorificatum per actuale lumen gloriæ: fuis-
se verò simul viatorem propter corporis passibilitatẽ,
non propter aliquem defectũ ex parte intellectus, ideóq;
non fuisse illo necessariam abstractionem à sensibus.
Vbi D. Thomas ad lumen gloriæ perfectè Christo col-
latum reducere videtur potentiam videndi Deum sine
abstractione à sensibus: quod duobus modis potest in-
telligi. Primò, quia ex illo lumine perfectè collato per- 8
manenter, & per modum actus, nata erat sequi corporis
glorificatio, & omnium sensuum, ideóque etsi defacto
per nouum quoddam miraculum non sequatur talis
glorificatio, sequatur tamen sensuum operatio secun-
dùm regulas Diuinæ visionis, illiq; subordinata, quæ
non distrahit intellectus visionem, nec visio intellectiua
à tali sensitiua cognitione abstrahitur. In alijs verò, qui- 9
bus per miraculum confertur visio beata, vt de Paulo,
& Moyse opinatur D. Thomas, datur lumen gloriæ
non permanenter, sed per modum passionis transeuntis,
& consequenter minùs perfectè, nec constituit partem
intellectiuam perfectè & simpliciter beatam, & glorifi-
catam, sed adhuc manet cum imperfectione fidei, & ha-
bens talem visionem vndiq; & secundùm omnem par-
tem viator, & secundùm nullam comprehensor, neque
ex tali visione nata est sequi corporis glorificatio, &
illa sensuum subiectio; ideóq; si non esset abstractio à
sensibus, intellectus à visione distraheretur.

Sed obijcitur. Actus sensuum non plenè subduntur 10
illo modo visioni, vt per illam regulentur, ab illaq; non
distrahant, nisi quatenùs fit redundantia ab intellectu, &
visione ad corpus, vt secundùm regulas Diuinæ visio-
nis anima intendat phantasmatibus, & pars sensitiua
intellectiuæ subijciatur, & mutuò non se impediant, ne-
que vna distrahat ab alia, vt docet D. Thomas artic. 4.
citato ad 1. Sed in Christo Domino non fuit hæc redũ-
dantia, vt per se notum est, ergo. Resp. fortassè posse di-
ci, quòd licèt in Christo non fuerit redundantia ad cor
pus quantùm ad illius glorificationem, fuisse tamen
quantùm ad regulationem actuum partis sensitiuæ, quę
est redundantia secundùm quid. Ex quo colligitur dis- 11
crimen in hac parte inter Christum Dominum, dum
erat viator, & Paulum, dum vidit Deum in hac vita,
quod

Digitized by Google

quòd in Christo nouum miraculum fuit, vt glorificatio ad corpus non redundaret, sed non fuit necessarium nouum miraculum, vt operatio sensuum intellectum non distraheret, vel vt simul cum illa visione fuisset sensuum operatio. At verò in Paulo nouum requirebatur miraculum, vt non esset abstractio à sensibus, & vt esset sensuum operatio non distrahens propter differentiam visionis, & luminis gloriæ, vtrique concessi.

12 Secundò potest intelligi D. Thomas, quòd ratione luminis gloriæ perfectè collati intellectui Christi, & ratione beatitudinis detentæ in parte superiori, anima Christi, & eius intellectus non distrahebatur à sensuum operatione, ita vt hæc non distractio ex suppositione operationis sensus fieret sine nouo miraculo ex vi luminis perfectè concessi, fuisse autem nouum miraculum, visione illa non fieri abstractionem à sensuum operatione, ita vt illa intellectio secum raperet sensus omnes. At verò in Diuo Paulo, cùm non ita perfectè lumen & visio fuerint concessa, sequebatur abstractio à sensibus, & sic vt esset sensuum operatio, requirebatur nouum miraculum, vt illam à visione beatifica non distraheret.

13 Itaque constituit D. Thomas discrimen inter Christum, & reliquos, non quidem in hoc, quòd visionem Christi non sequatur abstractio à sensibus, supposito illo miraculo impediente sequellam glorificationis corporis, & partium inferiorum; etenim abstractio ista sequeretur ex tali suppositione, sicut sequitur visionem cuiusq; alterius, sed in hoc quòd posita sensus operatione, sine corporis glorificatione, non sequeretur distractio in Christo, sicut sequeretur in alijs.

14 Si verò dicas, D. Thomam in illa solutione ad secundum contendere, ex natura visionis beatificæ Christi, eiusque luminis perfecti non sequi abstractionem à sensuum operatione, ex conditione autem visionis D. Pauli sequi huiusmodi abstractionem, & in hoc consistere discrimen inter vnam & aliam visionem: Resp. mentem D. Thomæ hanc esse, quòd ratione perfectionis visionis, & luminis Christi non requirebatur abstractio à sensibus ad hoc, vt non esset in visione distractio, sed etiã si non esset sensuum operatio, nulla fuisset distractio. Ex conditione autem aliarum visionum per modum raptus concessarum sequi, ac necessariò requiri huiusmodi raptus sensuum, ne fiat distractio.

15 Ex his explicationibus colligitur vera intelligentia conclusionis. Et probatur. Beati post Resurrectionem Deum perfectissimè videbunt absque aliqua abstractione à sensum operatione: sed Christus Dominus in hac vita, etiam dum erat viator, fuit simul comprehensor, & beatus, vt ostensum est; ergo vidit Deum nulla facta à sensibus abstractione. Maior est manifesta; quia post resurrectionem fit redundantia ab intellectu beato & visione beatifica ad corpus, & ad vires sensitiuas, & ideò secundum regulas Diuinæ visionis anima intendit phãtasmatibus, plenariéq; sensitiua pars subijcitur intellectiuæ, ac proinde non se mutuò impediunt, neq; vna distrahit ab alia.

16 Secundò probatur. Cognitiones diuersorum ordinũ etiam in eadem potentia, non se mutuò impediunt, neq; vna diuertit, vel distrahit ab alia, vt patet in cognitione vespertina, & matutina, & alijs pluribus: sed visio beatifica est alterius ordinis à cognitione sensitiua; ergo in Christo, neq; illã impedit, neq; ab illa impeditur.

17 Pro intelligentia huius rationis aduertendum est, intellectiones diuersorum ordinum ita se habere, quòd inferioris ordinis intellectio est quædam participatio intellectionis superioris ordinis, illam consequens, & illi subordinata quodammodò, & veluti ab illa dimanans, & in illa inclusa: ideóq; non censentur omninò diuersa, neque vna ab alia distrahit, vel aliam impedit. Etenim visionem beatificam animæ Christi consequuntur cognitiones infusa, & acquisita, suntque veluti riuuli ab illo fonte dimanantes, atque adeò, quando cognitio sensitiua sequitur visionem beatificam, illiq; plenè subditur, non distrahit à beatifica. 18 In homine verò vitam mortalem agente, etiam si visio Dei illi concedatur per modũ transeuntis, cognitio sensitiua non ita plene subditur intellectiuæ, nec sensatio regulatur secundùm regulas Diuinæ visionis, neque sequitur visionem, sed antecedit: neq; ab intellectu & visione beatifica per modum raptus fit redundantia in corpus: ideò illam impedit, vel necessum est, animam à sensibus esse abstractam. Simile est in passionibus: passio enim rationem subsequens ex vi actus rationis concitata non impedit rationis actum, sed potiùs iuuat: quando autem aliter se habet, impedit, & minuit voluntarium, & distrahit.

19 Ad primum argumentum Resp. primò, illum locum à multis intelligi de ipsa vita, quæ in vnione animæ ad corpus mortale consistit, & ita intelligi, de lege ordinaria Deum videri non posse nisi morte intercedente per separationem animæ à corpore. Secundò Resp. admissa illa expositione in argumento adducta, quæ est D. Augustini, & D. Thomæ intelligendum esse supposito tantùm illo miraculo visionis homini in hac vita concesso, secluso omni alio miraculo de nouo superaddito, ita vt sit sensus, non poterit me homo videre, nisi moriatur. Vel saltem ex ratione ipsius visionis miraculosè concessæ sine morte sequatur abstractio à sensibus: quæ tamen abstractio aliquo superaddito miraculo impediri poterit.

20 Ad D. Thomam Resp. Deum in hac vita mortali videri non posse sine abstractione à sensibus, si aliud non addatur miraculum præter illud visionis beatificæ. Si verò addatur aliud nouum miraculum impediens raptum, vt contigit in Christo, poterit Deus videri sine abstractione à sensibus.

21 Ad secundum Resp. additis quibusdam miraculis Diuinæ omnipotentiæ absolutè possibilibus, posse visionem claram simul esse cum sensuum operatione in homine viatore. Etenim vltra illud magnum miraculum, quo quis in hac mortali vita, non præmissa separatione animæ à corpore Deum videat, requiritur speciale aliquod miraculum, vt posita tali visione non fiat à sensibus abstractio, sed habeant sensus suas operationes, quibus positis videtur aliud miraculum, vt huiusmodi operationes sensuum non distrahant intellectum à visione, quod quidem Deus sua omnipotentia efficere potest, continens vtrasque potentias in suis proprijs officijs, ne se se rapiant, vel impediant. 22 Et hoc sanè, vel conferendo vtrisque potentijs aliquid per modum actualis auxilij, quo fortificentur; vel impediendo, ne intellectus secum rapiat sensum, nulla vi superaddita sensui: & impediendo ne sensus distrahat intellectũ, nulla addita vi intellectui, sed vnãquãq; potentiã intra suos limites cõtinens, ne se se ad alias quoquo modo diffundat.

Sed

Digitized by Google

23 Sed instatur, quia est inintelligibile animam pluribus intendere, non imminuta attentione, ac viribus finitis diuisis, ita vt non tota secundùm totam suam vim attendat visioni Dei, si partem etiam virium, & attentionis sensui tribuat. Ideóque si in illa Pauli visione esset sensuum operatio, minùs vehemens, minùs intensa, minúsque perfecta esset. Resp. intensionem, ac perfectionem visionis Dei claræ non desumi ex viribus naturalibus animæ, & intellectus, sed ex lumine gloriæ, cuius quantitati, intensioni, & perfectioni correspondet quantitas, intensio, & perfectio actus visionis. Verùm
24 est tamen, quòd cùm gratia supponat, ac perficiat naturam, actus visionis, qui non ab anima & intellectu secundùm suas vires naturales, & efficaciam elicitur, sed secundùm vim luminis gloriæ, exigit ex sua natura totam vim animæ in nullo alio actu distractam: licet aliud possit per Dei omnipotentiam fieri.

TERTIA DISPVTATIO. §. I.

CONSTITVTO Christum Dominum Deum in hac vita vidisse absque vlla abstractione à sensibus, consequenter dubitatur, An sensu aliquo, siue externo, siue interno Deum perceperit, ac fuerit intuitus. Et pro parte affirmatiua sit
1 primum argumentum. Sicut Deus per suam essentiam fuit præsens intellectui Christi, sic etiam fuit præsens sensui illius, sed Deus fuit visus ab intellectu Christi, eo quòd Diuina Essentia illi coniungitur: ergo similiter potuit percipi à sensu, cui etiam fuit coniunctus. Maior colligitur ex D.Paulo 1.Corint.15. vbi loquens de Deo, inquit, esse omnia in omnibus.
2 Confirmatur. Id tantùm est verè & realiter præsens sensui, quod sensu percipitur, neque enim quod sensu aliquo non percipitur, præsens iudicatur; sed Deus in hac vita mortali fuit præsens sensibus Christi; ergo fuit ab illis, vel ab aliquo illorum realiter perceptus.
3 Secundò. Sensus est perceptiuus specierum materialium, & spiritualium; ergo potest habere proprium actum circa immaterialia, & spiritualia. Patet consequentia, quia actus primus & secundus proportionantur, obiectum item & species; ergo si actus primus, qui est species, est immaterialis, per illum proportionatur immateriali obiecto, & elicit immaterialem actum. Antecedens probatur ex Aristotele 2. de Anima text. 121. & 138. afferente, sensum esse perceptiuum specierum sine materia, idest, immaterialium.
4 Dices, speciem sensibilem esse quidem materialem in essendo, non tamen in repræsentando, quia repræsentat rem materialem cum materialibus conditionibus, in quo differt ab intellectuali, quæ repræsentat rem materialem, non tamen eum materialibus conditionibus indiuiduationis, sed in vniuersali. Sed contra est, quia ex D.Thoma 1.p.q.12. art. 3. potentia materialis in essendo est susceptiua spiritualis, & immaterialis actus in essendo.
5 Tertiò. Intellectus quantumcumque secundùm se sit improportionatus Deo clarè viso, lumine gloriæ illustratus proportionatur illi obiecto excellentissimo; ergo similiter sensus, quantumuis sit improportionatus, eodem lumine gloriæ perfusus redditur proportionatus, ita vt quò maior fuerit improportio ex parte sensus, plus luminis gloriæ concedatur.

Dices, sensum esse incapacem luminis gloriæ, quia lumen illud est spirituale, & sensus corporeus. Contra hoc est instantia. Virtus sacramentalis, etsi spiritualis sit, recipitur in sacramentis, quæ sunt res corporeæ, tanquam forma & actus sacramenti, vt docet D. Thomas infra q. 62. artic. 4. Et ad primum docet illam virtutem esse spiritualem, & est per se manifestum, quia cùm sacramentis corporeis conferatur ad illa eleuanda ad spiritualem effectum causandum, si corporalis esset virtus, non eleuaret ad spiritualem effectum. Ergo proportionabiliter, quantumcumque spirituale sit lumen gloriæ, suscipi potest in sensu corporeo. 6

Quartò. Bruta sensu, quo solo pollent, percipiunt res omninò immateriales, vt ouis cognoscit matris amicitiam, quam prosequitur, & lupi inimicitiam, quam refugit, quæ quidem amicitia, & inimicitia sunt immaterialia: ergo sensus humanus virtute supernaturali eleuari potest ad incorporea supernaturalia percipienda, cùm spiritualia sub ipsius naturali obiecto etiam contineantur. 7

Confirmatur. Corpus Diuina virtute potest eleuari, vt agat in spiritum, causetque spiritualem effectum, vt videre licet in sacramentis corporeis, quæ in anima operantur spirituales effectus, in igne inferni, qui realiter torquet dæmones, etsi spirituales sint, ergo similiter sensus quantumcumque corporeus, potest virtute Diuina eleuari, vt suum actum eliciat erga spiritualia, & immaterialia. 8

Quintò. Christus, vt homo, fuit beatus in hac vita quantùm ad animam, & eius potentias, & post resurrectionem fuit beatificatus quantùm ad corpus & eius potentias, ita vt sit beatus, non solùm inquantùm rationalis, verùmetiam inquantùm sensitiuus, sed solus Deus potuit hominem Christum beatificare; cùm ille solus sit vltimus finis eius, & omnium potentiarum etiam sensitiuarum; ergo omnibus potentiis, & sensibus Christus fuit Deum consequutus, ipsumque attigit, & percepit, ac proinde visu corporeo Deum vidit, auditu audiuit, imaginatione imaginatus est &c. eùm beatitudo cuiusque sensus in actu illius consistat, & finem vltimum non nisi suo actu consequatur. 9

Sextò. Intellectus est perceptiuus corporalium; ergo & sensus incorporalium. Probatur consequentia, nam quantum corporalia visibilia distant à corporali potentia, tantum distant corporalia visibilia ab spirituali potentia: ergo est eadem proportio. 10

Dices: corporalia subiici spiritualibus, illisque supponi, ac subordinari, non è contra, ita vt spiritualia agere possint in corporalia: corporalia verò nullo modo in spiritum, ideò intellectus potest corporalia percipere, non verò sensus spiritualia. Contra hoc est instantia. Non magis repugnat, potentiam vitalem corpoream habere actum vltra suum obiectum, quàm vitalem incorpoream; ergo si intellectus spiritualis, & incorporeus potest percipere corporalia, quæ non continentur sub eius obiecto, quod est spirituale, ita & sensus corporeus spiritualia percipere potest, quamuis intra 11

Digitized by Google

latitudinem proprij obiecti non contineantur.

12 Dices, obiectum intellectus non esse spirituale, sed ens, inquam omnes, ad sensum supra explicatum Disput. 1. præcedente, sub quo continentur etiam corporalia, & ideò non extrahi intellectiorem vltra suum obiectum, quando corporalia percipit, obiectum autem sensus esse sensibile, & corporale, sub quo spirituale non continetur. Contra hanc responsionem est replica. Omnes potentiæ, siue corporeæ, siue spirituales debent proportionari obiectis, à quibus speciem specificantur: ergo sicut potentia corporea sumit speciem ab obiecto corporali, sic etiam spiritualis ab obiecto spirituali, aliàs non seruaretur proportio inter obiectum & potentiam.

13 Item potentia in genere secatur in potentiam corpoream, & spiritualem, tanquam genus in suas species subiectiuas oppositas, quarum altera alteram non includit, sicut substãtia, in incorpoream, & corpoream: sed distinctio specifica potentiarum desumitur ex obiectis: ergo distinguuntur penes ordinem ad obiecta corporale, & spirituale, neque aliunde distinctio desumi potest, & sicut vna potentia alteram non includit, ita neque vnius obiectum debet alterius obiectum includere.

14 Septimò. Actus vitalis non habet maiorem dependentiam à potentia vitali, quàm actus non vitalis à potentia non vitali: sed potentia non vitalis potest eleuari per Dei omnipotentiam ad quemcumque actum, & cuiuscumque conditionis eliciendum; ergo & vitalis similiter. Consequentia patet ex ratione, quæ huius differentiæ communiter reddi solet: quòd actus vitalis pendet in genere causæ formalis à potentia vitali, & ideò si potentia eleuatur ad actum alterius rationis, variaretur forma & essentia, atque vna, & eadem forma plures species tribueret, quod repugnat: actus verò non vitalis solùm comparatur ad suam potentiam, tanquam ad causam efficientem, quæ vna, & eadem permanens potest diuersarum specierum effectus producere. Antecedens principale probatur. Actus vitalis non magis specificatur à potentia vitali,

15 quàm non vitalis à sua potentia, à qua dimanat: tum, quoniam de cunctis actibus, & præcipue vitalibus docent cum Aristotele omnes Philosophi, specificari ab obiectis, non à potentijs, & actus ipsos tribuere speciem potentijs, & non contra: tum etiam, quia omnis actio, siue immanens, siue transiens specificatur ab agente, & actiuo principio, vt constat ex ipsa definitione actionis, nempe, motus, vt procedit ab agente: vbi ordo ad agens loco differentiæ constituitur: tum etiam ex D. Thoma id expressè asserente infra quæst. 19. artic. 1. ad 3. & 1 p. quæst. 14. artic. 5. ad 3. & 1. 2. quæst. 1. artic. 3. Ergo quantùm ad specificationem, & dependentiam à potentia & principio actiuo pares sunt omnes actiones, immanentes, & transeuntes, vitales, & non vitales. Nihilominùs pro explicatione sit

Prima Conclusio. §. II.

16 CHRISTVS Dominus nullo sensu, siue externo, siue interno percepit, aut vidit Deum per se notitia intuitiua, aut abstractiua. Probatur conclusio quoad singulas eius partes. Et primò, quòd non perceperit Deum per se sensu exteriori, est manifestum, quia Deus non est visibilis, neque audibilis, neque odorabilis, neque gustabilis, neque tangibilis; ergo nullo sensu externo à Christo percipi potuit. Consequentia est euidens, quia istæ sunt omnes sensibilium differentiæ. Quòd neque sensu interiori, probatur. 17
Obiectum sensus interni est res materialis, & corporea: sed Deus est totius materiæ, & corporis expers; ergo nullo sensu interiori percipi potuit. Item. Deus est spiritus, & à corpore independens; sed potentia sensitiua est corporea, & in organo corporeo existens. Ergo nullo sensu interiori percipi potuit. Quòd verò notitia intuitiua id fieri non possit, neque abstractiua, quemadmodùm cæcus potest notitiam coloris abstractiuam habere in sensu interno, nempe, in sensu communi, vel aliquo alio, ita similiter sensus interior Dei notitiam aliquam connotatiuam & abstractiuam formare non possit, probatur: quia repugnat, potentiam aliquam eleuari extra latitudinem sui obiecti, vt visus non potest sonum videre, neque auditus colorem percipere: sed obiectum potentiæ sensitiuæ est corpus materiale & sensibile; ergo per nullam potentiam potest eleuari, vt rem immaterialem, & incorpoream percipiat. Quòd autem potentia eleuari non possit vltra latitudinem sui obiecti, patet; quia cùm ab obiecto specificetur, si ad aliud obiectum eleuaretur, iam ad aliam speciem transiret. Neque obstat exemplum de cæco adductum, quia cæcus illam 18
notitiam, quam habet, non habet per visum, sed vel per sensum communem, cuius officium est differentiam rerum sensibilium percipere, vel per intellectum, cuius munus est omnes percipere veritates.

Secunda Conclusio. §. III.

CHRISTVS Dominus etiam in hac vita mortali degens, vidit Deum per accidens ad sui ipsius corporis visionem. Probatur. Illud 19
est per accidens sensibile, quod est coniunctum cum sensibili per se, quamtumuis illud secundùm se non sit sensibile; sed Deus est maximè coniunctus corpori Christi, cùm illi sit hypostaticè vnitus; ergo ad visionem corporis Christi videtur ipse Deus: & ex consequenti Christus videns suum corpus, Deum ex accidenti videbat.

Dices, hac ratione probari, Deum non solùm videri ad visionem corporis Christi, sed etiam ad visionem cuiuscumque rei corporeæ, cùm omnibus rebus sit intimè coniunctus, per essentiam, præsentiam, & potentiam. Respondetur, non omne quod est coniunctum cum per se sensibili, esse per accidens sensibile, neque quoties aliquis videt visibile per se, videre per accidens omnia, quæ cum illo coniunguntur, sed tunc dicitur quidpiam spirituale per accidens sentiri, quando ex illo, quod sensus percipit per se, intellectus illud spirituale apprehendit sine dubitatione, & discursu, sicut ex hoc quòd sensu percipimus aliquem loqui, per accidens sentimus ipsum viuere, quia ex loquutione sensu percepta vis apprehensiua interior sine dubitatione, & discursu apprehendit ipsum viuere: ita similiter, quia ex visione corporis Christi, quod per se erat sensu perceptum, statim intellectus Christi sine vlla dubitatione apprehendebat, Diuinã 20 21

Essentiam

Essentiam tali corpori hypostaticè esse vnitam, ideò Christus ad sui corporis visionem vidit Deum: qui tamen ad visionem aliarum rerum, quibus adest per essentiam, præsentiam, & potentiam, non percipitur, cùm illis vniuersali, ac communi cunctis modo sit coniunctus. Ex hoc autem non licet inferre, Christum Dominum vidisse Deum ex creaturis, sed in creatura corporaliter visa, nempe, in suo corpore viso. In via autem non videtur Deus in creaturis, etsi ex illis per discursum posit aliqualis Dei cogitatio comparari.

22 Ex hoc soluitur argumentum, quod nonnulli magnificant. Beatissima Virgo oculis corporeis vidit Christum; sed Christus est Deus: ergo corporeis oculis vidit Deum. Respondetur verum esse consequens de visione per accidens. Sicut bene sequitur. Oculus percipit coloratum; coloratum est substantia: ergo percipit substantiam: per accidens quidem. Item consequens est verum per communicationem idiomatum.

23 Sed replicatur. Beatissima Virgo corporeis oculis per se vidit Christum, Christus per se est Deus; ergo vidit per se Deum. Neque satis est recurrere ad variationem appellationis; quia verba tantùm, quæ importaut actum animæ Internum, appellationem admittunt, nō quæ externum, vt habet Dialecticorum regula. Resp. nihilominùs variari appellationem, quia etsi regula tantùm designet actum animæ internum, extendenda necessariò est ad actus etiam sensuum exteriorū, vt cap. de Appellatione lectione 1. docet M. Soto, ita vt nomine actus interni comprehendatur quicumq; actus immanens.

24 Secundò Resp. ratione illius dictionis, Per se, fieri reduplicationem diuersarum rationum formaliū Dei in sua puritate, & Christi, qui est Deus, in natura humana subsistens, sicut non valet. Homo per se est rationalis, homo per se est animal; ergo animal per se est rationale. Tandem illa propositio in rigore videtur falsa: Oculus corporeus videt per se Christum, quoniam Christus formaliter importat substantiam hæc autem est vera. Oculus corporeus videt per se coloratum.

Soluuntur argumenta. §. IIII.

25 AD PRIMVM igitur argumentum principale respondetur, intellectum, cùm sit perceptiuus rerum spiritualium, posse cognoscere Diuinam Essentiam sibi vnitam: sensum verò, cùm rerum immaterialium non sit perceptiuus, non posse immaterialem essentiam, quamtumuis præsentem cognoscere. Itaque Diuina Essentia potuit ab intellectu Christi cognosci, quia est illi præsens, non solùm in ratione rei, & causæ primæ, sed etiam in ratione cognoscibilis sob ratione proprij, & adæquati obiecti, contenta in ratione intelligibilis. At sensui, quamuis sit præsent Diuina Essentia in ratione primæ & infinitæ causæ, non tamen in ratione sensibilis, ac proprij obiecti. Rursus, Diuina Essentia est coniuncta

26 intellectui Christi, & in eo non tantùm per præsentiam communem, potentiam, & infinitatem essentiæ, sed per quandam vnionem in ratione speciei intelligibilis, quæ efficit potentiam tali obiecto proportionatam, atque eleuatam: hæc autem coniunctio sensui competere non potest, vt ostensum est supra q. 2. artic. 1.

Ad confirmationem respondetur, licèt id tantùm sit præsens sensui in ratione sensibilis, quod vel causat speciem in sensu, vel terminat sensationem; absolutè tamen id dici realiter alteri præsens, quod vel ab illo patitur, vel in illud agit. Et ita Deus præsens est speciali modo sensibus Christi, non quia ab illis sentiatur, sed quia speciales effectus in sensibus Christi causat, qui est modus proprius essendi Dei in rebus. Vel dicito, Diuinam Essentiam esse præsentem sensibus Christi, non solùm actiuè, sed etiam aliquo modo passiuè, quatenùs sensu per accidens percipitur. 27

Ad secundum respondetur, species sensibiles non dici ab Aristotele immateriales, quia tantùm dicit, quòd sensus recipit species sine materia, idest, formas quasdam, etsi materiales afficientes substantiam materialem, & eductas de potentia materiæ, in quo consistit ratio materialis formæ, non tamen compositas ex materia, & forma. Negat igitur ab illis materiam, quæ est altera pars compositi, siue sit materia prima, siue subiectum, quod cum accidenti quandam facit compositionem, etsi impropriè dictam; ita vt velit, speciem sensibilem non esse quid compositum, vt albi species non constat ex subiecto & forma, sicut ipsum album, sed sit tantùm forma. Item etsi species sensibiles vocentur immateriales, non est intelligendum, quòd simpliciter sint immateriales, sed comparatione ad obiectum, quod repræsentant, ita vt non sint tam materiales sicut obiectum repræsentatum. Immateriale ergo in specie tantùm negat materiam illam crassam, quæ in obiecto est: ita vt species, & obiectum in specie sit minùs materiale, quàm obiectum in se, habent minùs materialem essendi modum: minùs autem materiale comparatione ad magis materiale, immateriale dicitor. Tertiò dicuntur immateriales huiusmodi species, quia sunt formæ quædam intentionales. Etenim sicut esse intentionale in speciebus, quamuis sit esse reale, prout distinguitur contra esse rationis, tamen intentionale condistinguitur contra ens reale, vel quia est quoddam esse diminutum, vt quidam volunt, vel quia abstractius, & præstantius (vt alij existimant) illo esse, quod res repræsentatæ participant: ita etiam illud esse dicatur immateriale, etsi habeat materialitatem, distinguaturque ab esse materiali, propterea quòd materialitas in ipso est diminuta. 28 29

Ad tertium rectè responsum est in eius propositione, & licèt concederetur, lumen gloriæ afficere potentiam sensitiuam, non esset in illa; nec posset esse principium sentiendi, cùm sit habitus quidam intellectualis, saltem modaliter. Quare non esset formaliter in illa potentia in ratione habitus, sed materialiter in esse rei, & qualitatis cuiusdam, quamuis fortsitam neque hoc modo esse posit. 30

Ad replicam respondet Capreolus in 4. d. 1. quæst. 1. virtutem sacramentalem esse omninò spiritualem; cuius ratio potest assignari, quia non est inconueniens, vt spirituale quoddam in genere spiritualium infimum, qualis est virtus illa, quæ habet quoddam esse 31

diminutum, ac fluens, & non permanens, sit corporis actus, sicut de anima rationali dici solet, quòd licèt sit spiritualis, quia obtinet infimum spiritualitatis gradũ, est forma corporis.

32 Cæterùm quia hæc responsio quamplures patitur calumnias, ideo Resp. secundò cum Paludano dist. 1. quæst. 1. Illam virtutem esse quidem corpoream, & materialem respectu subiecti corporei, in quo suscipitur, spiritualem verò in ordine ad effectum spiritualem, quem causat. Neque hoc vllam inuoluit repugnantiam in virtute imperfecta, & instrumentaria, vt respectu diuersorum diuersam induat rationem, sicut potentia obedientialis, quia est quid imperfectum in genere potentiæ, est naturalis in ordine ad subiectum, su-
33 pernaturalis verò in ordine ad obiectum. Illud igitur, quod materialitatem quandam habet in ordine ad subiectum, potest esse vis instrumentalis causatiua effectus spiritualis; quoniam effectus non omninò proportionatur virtuti instrumentali, sed causæ principali, cui correspondet. Virtus igitur sacramentalis est corporea in essendo, cùm à subiecto desumatur ratio accidentis corporei, vel spiritualis. Est autem spiritualis in causando, tum quia est instrumentum causæ principalis; tum etiam, quia ad effectum spiritualem ordinatur. Sicut vox, quamuis in essendo sit quid sensibile, simpliciter tamen, vt a Magistro prolata habet nescio quid latentis energiæ, quæ animum immutat.

34 Ad quartum respondet M. Medina 1.2. quæst. 3. art. 5. conclus. 4. ouem, supposita cognitione sensitiua matris, & lupi, quæ sunt obiecta sensibilia, concipere nõnullam rationem amicitiæ, & inimicitiæ, sed per species matris, & lupi. Quam solutionem existimo esse intelligendam de cognitione per accidens, quòd aliqualiter per accidens ouis cognita matre conuenientiam quandam percipiat, & cognito lupo disconuenientiam: vel potiùs res disconuenientes, & conuenientes, quàm conuenientiam, & disconuenientiam. Quòd si velit Medina, habitudines ipsas aliquo modo percipere, debet intelligi, quòd ipsas in rebus sensibilibus percipiat, prout in illis sunt contractæ, ita vt ouis sentiens matrem, quodammodò sentiat conuenientiam.

35 Ad confirmationem multiplex solet assignari solutio. M. Medina loco citato 1.2. respondet, non esse supra vires potentiæ corporeæ, agere in spiritum, vt videre est in corpore humano, quod agit in animam. Esse tamen supra vires potentiæ cognoscitiuæ eleuari vltra latitudinem sui obiecti. Sed hæc responsio insufficiens videtur. Tum, quia actus & potentia debent in omnibus proportionari: tum quia non apparet, quam actionem habeat corpus humanum in animam, cùm ad illam comparetur in genere causæ materialis, tanquam materia ad formam tum etiam, quia etsi anima, ex eo quòd est actus corporis possit aliquid à corpore pati, non tamen ea, quæ omnibus modis sunt spiritualia, quæ neque sunt corporea, neque corporis actus, quales sunt Angeli, respectu quorum virtute Diuina eleuatur corpus supra omnes suas vires, ac proinde non est, cur sensus corporeus similiter eleuari non valeat.

36 Secundò respondet ibidem Medina negando consequentiam, nam cùm corpus agit in spiritum, comparatur tanquam causa efficiens ad effectum; sensus verò comparatur ad obiectum tanquam ad formam. Vnde Deus potest eleuare causam efficientem ad quemcomque effectum, sicut & potest vicem cuiusq; causæ efficientis supplere, sed non potest dependentiam causæ formalis supplere, sicut neque illius vicem. Et ideò quemadmodùm potentiam alterius speciei efficere non potest, neq; illi tribuere esse sine propria forma, ita neq; eam ad aliud obiectum eleuare.

Sed contra hanc responsionem est instantia; quia 37
omnis potentia actiua comparatur ad effectum, tanquam ad obiectum & formam, à qua specificatur, cùm potentiam specificari per actum, & actum per obiectum, de cunctis potentijs sine vlla differentia concedunt Philosophi: ita vt non solùm potentia visiua specificetur à visione, & visio à visibili, sed etiam potentia calefactiua à calefactione, & calefactio à calore, seu calido producto, quod est illius terminus; ergo si hoc non obstante eleuari potest calefactiua potentia ad spiritualia, & visiua similiter eleuari poterit.

Tertiò respondet idem Medina, quòd cùm omnis 38
cognitio fiat per assimilationem, ita vt potentia cognoscitiua debeat fieri res cognita, sicut corpus nequit fieri spiritus, ita neque potentia corporea cognoscitiua potest ad videndum spiritum eleuari. Sed hæc responsio non est minùs insufficiens, quia ex illa sequitur, neque spiritualem potentiam posse cognoscere rem corpoream, nam sicut corpus nequit fieri spiritus, ita neque spiritus potest effici corpus: tum etiam, quia solutio hæc non reddit rationem, quare potentiæ sensitiuæ appetitiuæ eleuari non possint vltra latitudinem sui obiecti, ita vt appetitus sensitiuus Deum ipsum attingat, cùm non requiratur in huiusmodi potentijs hæc assimilatio.

Quartò respondet idem author, quòd cùm instru- 39
mentum corporeum eleuatur virtute Diuina, vt agat in spiritum, exercet quidem suam operationem corpoream non circa spiritum, sed erga corpus. Etenim ignis nullum potest calorem immittere in Angelum, cui repugnat suscipere calorem, atque illo informari. Aqua item baptismi exercet ablutionem materialem circa ipsum corpus, neque potest eleuari aqua ad abluendam animam illa ablutione corporea: ita similiter eleuari non potest sensus, vt sensationem materialem exerceat circa spiritum.

Sed contra hanc responsionem est instantia; quia 40
sicut aqua, licèt non possit exercere ablutionem corpoream erga animam, neque ad illam exercendam eleuetur, ad causandam tamen ablutionem spiritualem erga ipsam animam eleuatur, ita vt verè illam efficiat aqua baptismalis: ergo similiter, licèt visus corpoream visionem exercere non possit erga spiritum, poterit eleuari, vt verè sit causa spiritualis visionis circa spiritum exercitæ, vt sicut aqua abluit spiritualiter, ita & visus videat Deum spiritualiter.
Item sicut aqua mediante ablutione materiali circa 41
corpus exercita, potest exercere ablutionem spiritualem erga spiritum, sic etiam poterit visiua potentia mediante visione materiali exercita circa corpus aliquod, exercere spiritualem visionem circa spiritum. Rursus. Ideò aqua, vel ignis nequeunt eleuari ad suas actiones corporeas erga spiritum immediatè exercendas, quia

causant

Digitized by Google

causant aliquid in re, circa quam exercentur, quod susci-pi in spiritu prorsus repugnat: sed potentia visiua, & aliæ sensitiuæ nihil causant in obiecto; ergo non repugnat ex hac parte eleuari ad propriam materialem actionem immediatè in spiritu exercendam. Etenim si calefactio nihil poneret in calefacto immediatè, ignis inferni per calefactionem torqueret dæmones, calefactionemq; erga illos exerceret.

42 Quintò respondet M. Bañes 1. p. q. 11. art. 3. Id discriminis interesse inter potentias vitales, & non vitales, quas in præsenti appellamus naturales, quòd non vitales assumi possunt à Deo vt instrumenta ad actus illis non correspondentes vt causis principalibus, sed vt instrumentis duntaxat. Potentiæ verò vitales concurrunt ad actus vt causæ principales, non vt merè instrumentales, ita vt sit de intrinseca ratione potentiæ vitalis, vt concurrat tanquam principalis causa ad suum actum, & de ratione formali actus vitalis sit, vt à vitali potentia, tanquam à principali causa procedat.

43 Sed contra hanc responsionem est instantia. Verbum Diuinum vtitur cunctis potentijs vitalibus naturæ humanæ, imò & ipsa natura assumpta, vt instrumento ad vitales actiones causandas; ergo potentia vitalis potest esse instrumentum vitalis actionis. Antecedens est D. Thomæ supra quæst. 2. art. 6. ad 4. & ratione probatur. Illud est instrumentum tantùm respectu alicuius actionis, cui actio non proportionatur, nec adæquatur, sed illud superat, & excedit; at operationes vitales Christi sunt infinitæ, & humanitas finita: ergo non sunt ab hu-
44 manitate tanquam à causa principali. Confirmatur, quia actiones sunt suppositorum; ergo illæ actiones sunt suppositi Diuini, prout est humanum, non naturæ. Secundò impugnatur solutio. Phanthasia, quamuis sit vitalis potentia, concurrit ad productionem speciei intelligibilis, vt merum instrumentum, cùm non possit esse causa principalis effectus spiritualis: ergo. Si dicas, esse causam principalem speciei intelligibilis; contra. Ergo potentia vitalis corporea potest eleuari ad actum spiritualem producendum, ac proinde visiua poterit eleuari ad producendam visionem spiritualem.

45 Tertiò, Deus vtitur sacerdote, & potentia loquutiua illius, & actione vitali loquutionis, vt instrumento ad gratiam causandam in Sacramento Pœnitentiæ, & ad conuertendum panem & vinum in corpus & sanguinem Christi in Eucharistia: & ad miracula facienda vsus est quorundam sanctorum vocibus, & potest vti mea visiua potentia ad causandam gratiam in anima alicuius; ergo potentiæ vitales rectè possunt esse instrumenta.

46 Dices, in eo casu potentiam visiuam esse quidem causam principalem respectu visionis, instrumentalem verò respectu gratiæ, tunc enim non eleuaretur ad gratiā, vel animam videndā, sed vt per visionem corporis causaretur gratia in anima.

47 Contra hanc responsionem est prima instantia. Ex eo solùm, quòd ad actionem propriam alicuius potentiæ non vitalis Deus causat aliquem effectum, vt cùm V. G. ad calefactionem ignis torquet Angelos, & animas, & ad frigidationem, & humectationem aquæ causat gratiam, verè dicitur assumi vt instrumentum, quamuis illæ naturales potentiæ sint causæ principales suorum actuum; ergo si ad visionem meam Deus gratiam causaret, verè diceretur potentiam meam visiuam vt instrumentum ad gratiam causandam assumpsisse.

Secundò quia iam pares constituerentur in hac parte 48
potentiæ vitales, & non vitales, quia sicut potentia vitalis esset tunc causa principalis suæ propriæ operationis, ita etiam non vitalis, quotiescumq; assumitur à Deo vt instrumentum, est causa principalis propriæ operationis, quam exercet, vt patet in aqua baptismi, & igne inferni, quæ vt causæ principales infrigidant, & calefaciunt, aqua quidem corpus baptizati, & ignis aerem circumstantem, vel quidpiam aliud corporeum: non enim calefacit dæmones, cum implicet calefactionem, & calorem in spiritu suscipi.

Nihilominùs pro intelligentia huius vltimæ solu- 49
tionis à M. Bañes assignatæ, quam legitimam existimo quibusdam additis, præsupponendam est primò, omnem potentiam, siue vitalem, siue non vitalem, omnemq; creaturam tam viuentem, quàm non viuentem, posse à Deo assumi vt instrumentum ad aliquem effectum operandum vltra sui obiecti latitudinem, vt efficaciter probant instantiæ adductæ contra quintam responsionem. Itaque in hac parte nullum quoad istud est discrimen inter potentias vitales, & non vitales.

Secundò aduertendum est cum D. Thom. 1. p. q. 45. 50
art. 5. cuiusque instrumenti duplicem esse actionem, alteram proportiam propriæ formæ correspondentem, alteram verò principalis agentis conuenientem instrumento, non ex propria forma, sed ex influxu tantùm & motione agentis principalis, vt in aqua baptismi reperitur humectatio, & infrigidatio, quæ est operatio secundùm propriam formam, & naturam illi conueniens, & rursus gratiæ productio, quæ ex motione Diuina peculiari competit tantùm. Ad primam operationem concurrit instrumentum, non vt instrumentum, sed vt causa principalis, ad secundam verò instrumentariè duntaxat: in quo etiam pares sunt potentiæ vitales, & non vitales.

Tertiò præmittendum est, quamcumq; potentiam, 51
etsi possit eleuari, vt instrumentaliter operetur, vltra totam sui obiecti latitudinem, implicare tamen contradictionem, eleuari, præsertim si sit actiua, siue vitalis, siue non vitalis, ad quidpiam efficiendum vltra latitudinem sui obiecti tanquam causam principalem. Cuius ratio est, quia instrumētū proportionatur cū effectu proportione requisita inter instrumentum & effectū, quæ diminuta est, ex eo tātùm quòd mouetur à principali agente: & per hāc motionē recipit virtutem
instrumentalem, transeuntem, & fluxam. Et si aliquādo 52
ab agente principali formam permanentem recipiat, talis potentia est imperfecta, vt character sacerdotalis. Agens verò principale operatur per formam perfectam, & completam, per quam assimilat sibi effectum, per formam quidem substantialem, tanquam per principium Quo, principale, ac primū, per potentiam verò accidentariam naturalem, tanquam per principium, Quo, proximum, & minùs principale: quod præcipuè est verum in illis potentijs, quæ necessariò ab essentia actualiter pendent, ita vt operari non possint, neq; esse in ratione potentiæ, nisi in substantia, à qua dimanant: cuiusmodi

sunt potentiæ omnes vitales, & in agentibus vitalibus, de quorum ratione intrinseca est, vt operentur vitales actiones, quatenus sunt in actu per propriam formam vitalem.

53 Præterea probatur hoc documentum. Actus, cuius potentia est causa principalis, est eiusdem speciei cum potentia, aliàs potentia non assimilaret sibi effectum, ac proinde nō esset principalis eius causa: tum etiam quoniam per actum potentia specificatur, ac proinde debet esse eiusdem speciei cum actu, quem vt causa principalis producit, & ab illo speciem desumere. Ergo si eleuatur vltra latitudinem sui obiecti ad alium actum, & obiectum specie distinctum, iam constitueretur in alia essentia, & potentia.

54 Quartò obseruandum est, discrimen inter potentias vitales, & non vitales in hoc potissimùm consistere, quòd non vitalis potest à Deo assumi tanquam instrumentum ad actionem aliàs propriam; secundùm propriam formam cōuenientem, ita vt potentiæ calefactiuæ ignis concurrere non repugnet ad calefactionem merè instrumentariè, & ideò non implicat eleuari potentiā nō vitalem, vt calefactiuam V. G. ad efficiendam suam propriam actionem circa aliquod obiectum, & subiectum, non comprehensum sub tota calefactibilis latitudine: & sic potest eleuari ad calefaciendum cælum instrumentaliter. At potentiæ vitali repugnat concurrere ad suum proprium actum instrumentariè, sed ipsum viuens debet vt causa principalis concurrere, propter illam formalem habitudinem, quam habet actus vitalis ad ipsum viuens, & ad potentiam vitalem, tāquam ad causam principalem proximam. Quò fit, vt ab actu vitali nihil possit instrumentaliter denominari, hoc est, nihil potest instrumentaliter videre, bene tamen calefacere, torquere dęmones, gratiam causare, & omnes alios actus non vitales exercere, quia actus vitalis ex sua intrinseca ratione non denominat nisi causam principalem per propriam formam operātem, propter rationem habitudinem inter actum vitalem, & principium principale.

56 Si dicas, ignem eleuatum ad calefaciendum cælū esse causam principalem respectu illius effectus, quia illa est causa principalis, cui assimilatur, & correspondet effectus: sed cælum calidum assimilatur calido producenti, cùm cælum calidū formaliter, & in ratione calidi esset eiusdem speciei cū quocumq; calido, cùm species à forma sumatur, & non à materia; ergo. Resp. effectum causæ principalis assimilari causæ secundùm formam, per quam operatur. Et quia ignis tunc non operaretur talem effectum per calorem natiuum, sed per influxum, & motum à Deo impressum, cui calor productus non assimilatur, neque tanquam causæ vniuocæ, neque etiam æquiuocæ, cùm illa virtus sit imperfectè participata per modum motus & fluxus, quæ est propria ratio virtutis instrumentalis: ideò non saluatur similitudo requisita inter effectum, & causam principalem.

57 Secundò Resp. similitudinem esse in duplici differentia, alteram, quæ fundatur in actione & passione, quæ est causæ ad effectum, alteram verò, quæ fundatur in vnitate alicuius qualitatis, seu naturæ, sine eo quòd interueniat inter extrema actio aliqua, & passio vnius ad alterum. Prima similitudo est inter Patrem & Filium, secunda inter duos quoscumq; homines eandem naturā specie participātes, & inter duos albos, quorū neuter est alterius causa. Et hæc posterior similitudo esset tunc inter ignem, & cælum calidum, quæ fundaretur in hoc, qòd eandem qualitatem specie participaret, non quòd vnius calor alium sua virtute causaret.

58 Tertiò Resp. assimilari per accidens, quia accidentarium est, quòd ignis participet calorem, consideratus in ratione causæ caloris in cælo, quia etsi calorem nō participaret, nihilominùs causaret in cælo calorem per illū influxum, quo concurrit.

59 Quartò potest dici, illos duos calores ignis, & cæli, non assimilari tanquam exemplar, & exemplatū, sed tāquam duo exemplata vni tertio exemplari, ita vt sit mutua relatio illa similitudinis inter ignem, & cælum eiusdem rationis ex parte vtriusq; extremi. Neque magis posset dici cælum calidum assimilari igni calefacienti, quàm è contra: quod tamen non reperitur in similitudine causæ & effectus, effectus enim assimilatur causæ; non è contra: quoniam assimilari propriè est ad alterius similitudinem deduci. Et ita negandum est, quòd 60 tunc ignis assimilaret sibi effectum, quod est ad ipsius similitudinem deducere, quamuis esset illis similis. Huius rei exemplum est in maleo, quo faber ferrarius aliū maleum facit, non vt causa principalis: sed proculdubiò maleus, quo vtitur, vt merum instrumentum concurrit, assimilaturq; illi maleus denuò factus, non vt causæ exemplari, nam hoc modo soli ideę artificis correspondet, sed vt vnum exemplatū alteri. Est item aliud simile in Episcopo alium cōsecrante, vel sacerdotes ordinante, quibus assimilatur in charactere, quo operatur, & tamen character est merum instrumentū, non exemplar, sed exemplatum.

61 Ex his colligitur solutio confirmationis principalis, & omnium instantiarum, quæ propositæ sunt contra illam responsionem Magistri Bañes, nempe, potentiam vitalem non posse ad suum actum concurrere, nisi vt causa principalis, & cùm nihil possit eleuari vltra sui obiecti latitudinem ad operandum tanquā causa principalis, repugnat potentiam visiuam ad videndum spiritum eleuari.

62 Ad primam instantiam contra quintam responsionem Resp. quidquid sit de ipsis potentijs, & natura, nullum viuens ad actionem vitalem cōcurrere, nisi vt causam illius principalem, ita vt si aliquod obiectū videat, ipsum viuens sit principalis causa visionis. Actiones autem Christi humanas exercet Verbū Diuinum tāquam causa principalis, inquantùm suppositum humanū, hoc est, quatenùs verè homo viuens vita humana.

63 Secundò Resp. naturam humanā, & potentias vitales in Christo concurrere ad humanas operationes, vt principiū formale, quo Diuinū Verbū operatur, omne autem principiū, Quo, dici so let instrumentum respectu principij, Quod. Et quòd natura humana sit principiū, Quo, principale, euidens est, quia ab ea actiones Christi speciem desumpserunt, illisq; corresponderunt, ac proportionatæ fuere. Denique in actionibus Christi duo reperiuntur. Et species, essentia q; operationis, & valor & dignitas. Humanitas ergo Christi fuit principiū formale principale illarum actionum, quantùm ad specificationem & essentiam: fuit verò instrumentum quantùm ad dignitatem & valorem, quia illi nō commensuratur, sed supposito correspondet.

Ad

64 Ad secundam instantiam resp. Si illa sententia, quam argumentum supponit, est vera, necessariò dicendum esse, phantasma concurrere vt instrumentũ quoddam intellectus agentis. Sed quidquid sit de illa sententia, nihil ex ea cõtra nos inferri potest, quia productio speciei intelligibilis à phantasmate, & phantasia non est actus vitalis, & ideò sine phantasiæ operatione, & phantasmate posset Deus speciem intelligibilem producere, sed actus vitalis phantasiæ est ipsum phantasma producere: dein-
65 de vero actio phantasmatis non est vitalis. Quo autem pacto phantasma corporeum possit speciem spiritualem producere, & in spiritum agere, non est præsentis speculationis. Sed pro nunc dici potest, quòd cùm anima ita sit spiritualis, quòd simul est actus corporis, obiectiuè dependens à corpore in sua operatione, potest quidem, inquantùm est actus corporis, pati à corpore, non passione propriè dicta, sed passione, quam obiectum natum est inferre per speciei susceptionem. Et cùm obiectum corporeum supremum possit agere in spiritum infimum, potest etiam spiritualem effectum in eo producere, cùm vnumquodq; recipiatur ad modum recipientis. Eo vel maximè quòd phantasma confortatum & eleuatum lumine spirituali intellectus agentis, non proprijs viribus naturæ præcisè speciem causat, etiam supposita illa sententia. Sed de hoc copiosiùs disseritur in tertio de Anima.

66 Cætera omnia, quæ in argumento adducuntur, non impugnãt quintam solutionem, quam potissimùm defendimus, vt patet ex adnotatis circa eius explicationem. Et postremò aduertendum est, Deum dupliciter posse vti aliqua potentia vitali ad causandam gratiam, vel quidpiam aliud spirituale. Vno modo vt ad præsentiam talis potentiæ, & actionis propriæ illius Deus se solo operetur, & causet gratiam, & tunc potentia non esset instrumentum saltem Physicum ad illum effectum
67 producendum, sed vtplurimùm morale. Alio autem modo, vt potentia suscipiat à Deo influxum, & motionem, virtutemq; aliquam, vt per propriam operationem influat in effectum, & illum producat. Et hoc modo Sacramenta nouæ legis sunt instrumenta causatiua gratiæ. Et ad eundem modum assumit Deus ignem inferni ad torquendos dæmones, & animas. Et similiter potest assumere potentiam vitalem ad gratiam causandam, vel aliquid aliud spirituale. Infra q. 13. art. 2. Disput. 1. ad secundam confirmationem, secundi argumenti
68 principalis explicatur hæc res, & forsan melius, quàm hîc.

Ad quintũ argumentũ principale respõdet D. Thom. in 4. d. 49. q. 1. art. 1. ad 6. Beatitudinẽ esse perfectionem hominis, inquãtùm est homo. Et quia homo nõ habet esse hominẽ ex corpore, sed potiùs ex anima, corpus autẽ est de essentia hominis, inquãtùm est perfectũ per animã; ideò beatitudo principaliter in ipso actu animæ cõsistis, & ex illa deriuatur ad corpus per quãdam dotium redundantiam: quædam etiam beatitudo corporis erit inquantùm Deum videbit in creaturis sensibilibus, & præcipuè in corpore Christi. Hæc D. Thomas. Ex qua
69 doctrina resp. argumento in forma. Fatemur, Christum esse perfectè beatum quòad animam, & corpus, & quòad omnes potentias animæ & corporis, & vndiq; fuisse beatitudinem consequutum, atque vltimum finem omnium potentiarum, esseq; beatum, inquantùm rationalis est, & quatenùs est sensitiuus, hoc est, secũdùm omnes potentias & gradus, ita vt omnes suo modo beatitudinem participent. Concedimus etiam solum Deum beatificare Christum hominem, quòad omnes eius potentias, essẽq; omnium vltimum finem: sed negamus, omnes potentias Deum assequi, & immediatè attingere. Etenim idem est vltimus finis hominis quò ad omnes suas partes, potentias, & gradus, & idem actus est beatitudo hominis, & omnium partium, eademq; est cõsequutio vltimi finis respectu totius hominis, & om-
nium partium, & potentiarum. Hæc autem consequu- 70
tio est actus intellectus, ita vt cùm primùm homo actu intellectus visionis claræ Deum assequitur, etiam si neque in voluntate, neque in aliqua alia potentia quidpiam intrinsecum sequatur, erit essentialiter beatus, & omnes partes & potentiæ corporis cum tali anima coniunctæ, erunt beatæ, quia beatitudo voluntatis non consistit in actu intrinseco voluntatis, neque ipsa suo actu, finem vltimum assequitur. Similiter neque sensus beatitudo in actu sensus consistit, sed omnium potentiarum beatitudo in actu intellectus est posita, & per talem intellectus actionem, omnium potentiarum finis
vltimus comparatur: nam eo ipso quòd homo per il- 71
lum actum est simpliciter beatus, & suum finem consequitur, iam omnium potentiarum finis vltimus comparatus est, cùm finis partium non sit alius à fine totius, & ipsæ potentiæ dicuntur beatæ quantùm ad beatitudinis essentiam, etsi in eis nihil sit susceptum, ex eo quòd sunt potentiæ hominis beati. Cùm enim ipsæ non sint per se subsistentes, sed ad subsistentiam suppositi subsistant; ita necessum non est, habeant specialem beatitudinem, sed sint in subiecto beatæ. Neq; dicentur beatæ porè ab extrinseco, cùm beatitudo sit formaliter in potentia, cum qua intimè coniunguntur, & in eadem animæ essentia colligantur.

Vltra hoc autem, ex huiusmodi clara visione, quæ 72
omnium potentiarum est beatitudo essentialis, dimanat, & deriuatur in ipsas potentias sensitiuas, & in corpus, aliquid intrinsecum, & ita beatitudo, quæ est visio Dei clara, atque omnium potentiarũ beatitudo, quamuis in voluntate, & potentijs sensitiuis formaliter non sit, est tamen causaliter, hoc est, causans effectum, & secundùm suum effectum. Neq; est necesse, istum effectum esse actum talium potentiarum, quia sua beatitudo in illarum actibus non consistit, sicut neque hominis beatitudo, sed sat est, aliquam qualitatem ex illo actu visionis, esse deriuatam.

Postremò D. Thomas in citata solutione, potentijs 73
sensitiuis aliquos actus tribuit ad earum beatitudinem pertinentes, vt Deum percipere in rebus sensibilibus præsertim in corpore Christi. Sed non debet intelligi, quasi in istis actibus consistat essentialis beatitudo potentiarum, sed in actu intellectus. Pertinent tamen isti actus ad beatitudinis complementum, & est quædam beatitudinis redundantia, & veluti effectus beatitudinis, quæ in actu intellectus cõsistit: quia visio sensibilis corporis Christi non censeretur ad beatitudinem pertinere, neque esset aliquo modo etiam per accidens visio Diuinæ Essentiæ, nisi coniungeretur cum clara visione, vt constat ex dictis in secunda conclusione.

Colligitur ergo in summa ex discursu huius doctrinę 74
solum intellectum attingere Deum ipsum immediate,

aliasq; potentias non consequi suam beatitudinem & finem vltimum per proprios actus, sed per actum intellectus. Et patet solutio ad argumentum quintum.

75 Ad sextum principale Resp. Intellectum percipere res corporeas, & materiales immaterialiter, non prout materiales sunt, quia materialitas impedit intellectionem, sed prout efficiuntur immateriales vi intellectus agentis, ita vt sint immateriales & in specie, & in Verbo, & ratione principij intellectionis, quod est species immaterialis, & ratione termini cognitionis, quod est verbum immateriale. De quo legendus est D. Thom. 1. p. q. 14. art. 13. ad 2. vbi docet, quo pacto quidquid intellectus intelligit, immateriale sit, secundum quòd est in intellectu. Cùm ergo obiectum intellectus sit res, prout est in intellectu, intelligit enim trahendo res ad se, & res quamcumcumq; materialis in ipso intellectu est immaterialis, saluatur semper in quacunq; re materiali ratio immaterialis obiecti.

76 Sed replicatur. Intellectus percipit res materiales immaterialiter per immateriales species: ergo similiter sensus per species sensibiles, & materiales poterit res spirituales percipere, ita vt sicut res materiales efficiuntur in intellectu immateriales ratione specierum immaterialium: sic etiam res immateriales fiant in sensu materiales ratione specierum materialium repræsentantium, cùm non magis repugnet, res immateriales fieri materiales, quàm e contra. Resp. In hac parte duplex esse discrimen inter intellectum, & sensum. Primum est, quòd

77 obiectum intellectus est intra ipsum intellectum, cùm non sit res, prout est in se, sed prout est in intellectu, & ideò fieri potest, vt res, quæ in se est materialis, in intellectu alium habeat modum, sitq; à materia abstracta: nam vnumquodq; recipitur ad modum recipientis. Cùm ergo intellectus sit immaterialis, obiectum materiale recipiens, recipit immaterialiter, & efficit immateriale. At obiectum sensus est externum, nempe, res, prout est in se ad extra; & ideò si in se est immaterialis, in ratione etiam obiecti, & quatenùs terminat cognitionem sensitiuam, erit immaterialis.

78 Secundum discrimen omni sensui commune assignat D. Thom. in 4. d. 49. q. 2. art. 2. ad 4. Quòd enim materialitas impediat cognitionem quamcumq;, siue intellectiuam, siue sensitiuā, omnis enim cognitio etiam sensitiua fit per aliquam abstractionem à materia; ideò res, quæ cognoscitur, debet esse magis abstracta in potentia cognoscitiua, quàm in seipsa, vel saltem non minùs abstracta; aliàs si res immaterialis fieret in sensu materialis, iam non fieret cognitio per abstractionem, sed per contractionem. Cùm ergo res spiritualis, si fieret materialis in potentia cognoscitiua, contraheretur, materialis verò, cùm efficitur immaterialis, abstrahitur, hoc fieri potest in cognitione, illud autem non.

79 Tertiò: quia propria species, quæcumq; illa sit, eo ipso, quòd est in genere cognoscibilis, debet esse abstractior, & minùs materialis, vel saltem non magis materialis, quàm res repræsentata. Et tandem, quia species inferioris ordinis nequit rem ordinis superioris repræsentare, quia species debet esse eiusdem rationis cum re repræsentata, ita vt contineat formaliter, vel eminenter in esse reali, vel intentionali, quidquid perfectionis est in re repræsentata. Species autem superior optimè repræsentare potest rem inferiorem, & ita species spiritualis rem materialem intellectui repræsentat, materialis verò & sensibilis species rem spiritualiorem, & præstantiorem repræsentare non potest.

Sed adhùc instatur. Per species materiales rerum visibilium cognoscimus Deum inuisibilem, & immaterialem in hac vita: ergo. Resp. Per illas species non immediatè cognosci Deum, sed ipsas creaturas, per quendam autem discursum cognosci Deum. 80

Solutio septimi argumenti. §. V.

SEPTIMVM Argumentum duas tangit difficultates. Prima est de actuum, & actionum specificatione. Secunda de distinctione actus vitalis, & non vitalis, quantùm ad dependentiam à potentia, & principio, à quo dimanant. Quas quæstiones non vacat in præsenti ad vnguem examinare, sed breuiter ac perfunctoriè tangentur quædam, quæ ad argumenti solutionem necessaria sunt. 81

Et quidem circa priorem dubitationem, quod maiorem ingerit difficultatem est, quo pacto sint concordandæ, ac componendæ duæ celebres Theologorum, & Methaphysicorum sententiæ, quæ secum pugnare videntur. Altera est, Actus specificantur ab obiectis. Altera verò, Actiones specificantur à principio, & forma, à qua procedunt. Nec potest dici, priorem esse intelligendam de actionibus immanentibus, posteriorem verò de transeuntibus: quia D. Thomas vbique de vtraque actione sermonem facit, & Aristotel. 5. Physic. Omnes motus, qui sunt actiones transeuntes à terminis, & obiectis asserit specificari: ergo in prima sententia actio etiam transiens includitur. Quòd autem in secunda actio immanens comprehendatur, explicat D. Thom. 1. p. q. 77. art. 3. Et alijs locis citatis in 7. argumento, dicens, intellectionem specificari à principio effectiuo. Neque etiam dici potest, à principio desumi genericam actus rationem, ab obiecto verò specificam, vel è contra, quia in locis citatis de vltima specie fit sermo. 82

His ergo omissis M. Medina 1. 2. q. 1. art. 3. & M. Bañes 1. p. q. 56. art. 1. Dubio. 1. dicunt, eandem esse rem, actionem specificari à principio, & ab obiecto, quia obiectum est principium actionis, & simul terminans operationis, specificansq; inquantùm est principium, per sui speciem, & similitudinem in potentia receptam, vel aliquo alio modo. Et inquantùm est terminus, etiam specificat, ita vt intellectio specificetur ab ente, inquantùm per sui speciem constituit intellectum in actu, & ab eodem ente, inquantùm terminat intellectionem ipsam, inquantùm cognitum, & intellectum. Et volitio similiter specificatur à bono, inquantùm mouet voluntatem ad volitionem eliciendam, quatenùs est principium volitionis, & inquantùm apprehensum est veluti formale principium, quo voluntas operatur, siue concurrat effectiuè, vt quidam volunt, ad actum voluntatis, siue tantùm obiectiuè, quod est concurrere ad modum formæ actuantis, & tenentis se ex parte principij operationis, & potentiæ operantis; est enim ille concursus obiecti non terminatiui, sed motiui, qui ad operationis principium pertinet. Specificatur item à bono, inquantùm terminatiuum obiectum, quatenùs habet rationem voliti. Quare sicut intellectio V. G. qua homo cognoscitur, est ab homine per suam speciem existente in intellectu, 83 84 85

lectu, & ad hominem terminatam cognitionem, ab homine quidem, tanquam à principio, ad hominem verò tanquam ad terminum: ita similiter volitio boni eſt à bono tanquam à principio exiſtenti in apprehenſione, & ad bonum, tanquam ad terminum exiſtentem in re. Item calefactio ſpecificatur à calore, à quo procedit, & à calore, ad quem terminatur, ita vt calor ſpecificet, in quantùm principium calefactionis in agente exiſtens, & quatenùs terminus in paſſo: ac proinde calefactio eſſentialiter ſit à calido in calidum. Et ſic de alijs omnibus. Hæc explicatio & doctrina colligitur ex D. Thoma locis citatis, & de Potentia quæſt. 6. artic. 8. & apertiùs 1. part. quæſt. 77. artic. 3. vbi ait. Ex his duobus actio ſpeciem recipit, ſcilicet, ex principio, vel ex fine, ſeu termino.

86 Ex hoc autem non licet inferre actionem à duobus ſpecificari, vel ab eodem ſecundùm diuerſas rationes, ſed ab vno, eodemq́; , tum, quoniam obiectum motiuum, & terminatiuum complent vnam integram obiecti rationem, motio enim in terminatione completur. Neque hoc negat D. Thomas, cùm loquit 1. part quæſt. 14. art. 5. ad 3. *In tantum ipſum intelligere ſpecificatur per obiectum ſuum, in quantum forma intelligibilis eſt

87 principium intellectualis operationis.* Vbi videtur velle, obiectum ſpecificare in quantum motiuum tantùm, quatenùs ſpeciem influit in potentiam, quod eſt officium obiecti motiui. Sed procul dubiò id non vult, ſed quòd obiectum non ſpecificaret intellectionem, niſi ſui ſpeciem cauſaret in ipſa potentia: & ex eo quòd ſui ſpecies eſt in potentia, intellectionem terminat, ita vt illo dempto, omnis ratio obiecti auferatur.

88 Sed contra hanc explicationem objicitur primò. Sequeretur ex hoc modo dicendi, obiectum ſpecificare in quantùm motiuum & terminatiuum ſimul, conſequens eſt falſum, ergo. Probatur minor. Si obiectum ſpecificaret in quantùm motiuum, & terminatiuum ſimul, iam intellectus noſter ſpecificaretur à quidditate rei materialis præciſè; quia illa duntaxat eſt obiectum motiuum, & terminatiuum ſimul, ens autem, vt ſic, eſt terminatiuum, non motiuum. Rurſus obiectum ſpecificatiuum intellectus eſſet analogum in ratione obiecti, quoniam ſubſtantia & accidens, ens rei, & rationis non conueniunt in vna ratione vniuoca reali, qualis eſt ratio obiecti motiui, ſed tantùm in ratione terminandi cognitionem.

89 Reſp. Obiectum motiuum dupliciter ſumi. Primò pro eo, quod ſpeciem ſui propriam, & quidditatiuam cauſat in potentia, & hoc non ſpecificat, neque potentiā, neque actū illius, vt V.G. homo, quatenùs cauſat propriā ſui ſpeciem in intellectu, eſt obiectū motiuū, & ſub hac ratione non ſpecificat. Et licet poſſet concedi, quot ſunt gradus in homine, tot eſſe rationes mouendi, & ſecundùm omnes cenſeri obiectum motiuum in hac prima conſideratione, vt in quantùm homo, moueat ad hominis rationem cognoſcendam, in quocumque ſit homine, in quantùm animal moueat ad omnia animalia cognoſcenda, in quantùm ſubſtātia, ad omnem ſubſtantiam, in quantùm ens, ad gradum entis in ſua latitudine: ſed certè non apparet, quomodo moueat & realiter efficiat gradus entis, vt comprehendit etiam ens rationis, niſi pro illa parte, qua ens reale continet, & ita entis rationis nulla ratio obiecti motiui, in hac acceptione tribui poteſt. Secundo modo ſumitur obiectum motiuum, vt nihil aliud importet, quàm obiectum, prout relucet in ſpecie, & in illa repreſentatur, ac continetur, ſiue perfectè, ſiue imperfectè, ſiue adæquatè, ſiue inadæquatè, ſiue mediatè, ſiue immediatè per talem ſpeciem cognoſcendum, & ea omnia, quæ per aliquam ſpeciem cognoſci poſſunt aliquo modo, per illam repræſentantur, & in illa continentur, & obiecta motiua in hac acceptione cenſentur. Per ſpeciem autem rei materialis cognoſci poteſt etiam ſpiritualis, quatenùs cum re materiali conuenit in aliquo genere, & ipſe Deus, quatenùs cum illa conuenit in ratione quadam analogica, & ſimiliter ens rationis, prout conuenit in illa entis analogica ratione, vt multis in locis docet D. Thomas. Cùm ergo ſpecies ſit principium cognitionis, & ad cognitionem moueat obiectum, vt continetur in ſpecie, vocatur motiuum, prout continetur in verbo, vocatur terminatiuum, ita vt ſpiritualis ſubſtantia per ſpeciem corporeæ dicatur noſtrum intellectum mouere, per quam aliquo modo repræſentatur. Et ens rationis per ſpeciem ſimiliter entis realis. Et de hac ratione obiecti motiui omnibus conueniente eſt præſens ſermo. Et quamuis in hac ratione mouendi ſit aliqua analogia, poteſt tamen ad ſpecificationem pertinere, non ſola, ſed adiuncta ratione terminandi, quæ in omnibus eſt vna, ad quam tandem terminatur, & per quam vltimò completur. 90 91

Prætereo in hac re diuerſos dicendi modos, quia cùm hæc omnia interuentu eiuſdem ſpeciei rei materialis moueant, veluti eam induunt, & ita eandem mouendi rationem participare videntur. Item. Etſi cauſare ſpeciem ſit ratio realis, & ratio proinde mouendi, quæ in ea cauſalitate conſiſtit, ſit realis, & repreſentari per ſpeciem, eſſe rationem quandam rationis, & motionem, quæ in illa repreſentatione rationis conſiſtit. Sed hæc omnia nequeunt modo preſſiùs diſcuti, & examinari. 92

Secundò objicitur. Sequeretur tot eſſe intellectionis ſpecies, quot ſunt ſpecies intelligibilium ſpecierum, ac proinde intellectiones equi, & hominis eſſe ſpecie diuerſas, ſicut ipſæ ſpecies intelligibiles hominis, & equi differunt ſpecie, cùm ſint eiuſdem rationis cum rebus repreſentatis. Reſp. Sicut cognitio hominis & cognitio equi ſunt eiuſdem ſpeciei in genere intellectionis, eſtò homo, & equus differant ſpecie in genere rei, quia in genere intelligibilis ſunt eiuſdem rationis, & ſpeciei: ſic etiam ſpecies hominis, & equi in genere principij intellectionis eſſe eiuſdem ſpeciei. Vnde ſicut ens, in quantùm ens, importat vnicam rationem terminandi cognitionem, ita & vnicam rationem principij cognitionis, atque actuandi intellectionem. Et ſicut ſub ente in ratione termini continentur omnia entia, homo, equus, Leo &c. Ita in ratione principij continentur omnes ſpecies, hominis, equi, Leonis &c. 93

Tertiò, quia calefactiones ab igne, & à ſole procedentes ſunt eiuſdem ſpeciei, & tamen procedunt à principijs ſpecie diuerſis, altera à calore ignis, altera verò à luce ſolis. Item liquefactio & induratio ſunt actiones ſpecie diuerſæ, & tamen ab eodem principio formali procedunt, nempe, à calore ignis. M. Medina loco citato reſpondet, actiones eſſe in duplici differentia, quædam ſunt, quæ per ſe & primariò ſequuntur aliquam formam, ad quas forma per ſe & primariò ordinatur, vt calefactio per ſe procedit à calore, primariò, & principaliter, & calor 94

ſuapte

suapte natura ad calefaciendum destinatur, illuminatio à luce, & ad illuminandum ordinatur. Aliæ sunt, quæ secundariò sequuntur formam aliquam, & consequenter ad actionem primariam, vt calefactio à luce solis, in-
95 duratio à calore ignis. Primi generis actiones specificantur à principio, secundi vero generis, à termino. Sed hæc responsio est contra D. Thomam, qui locis citatis de omnibus actionibus absque vlla distinctione dicit, à principio, & forma, à qua procedunt, specificari: tum etiam, quia docet, aliter specificari actionem, aliter verò passionem. Actionem quidem à principio, passionem verò à termino: sed istæ actiones, quæ vocantur secundariæ, sunt verè actiones; ergo specificantur ad modum actionum, & non passionum.

96 Alij respondent, quòd forma superior, etsi vna sit, cōtinet tamen omnes gradus perfectionis, qui in inferioribus reperiuntur, & considerata secundùm vnum gradum perfectionis, quem continet, distinguitur formaliter à seipsa, secundùm alium perfectionis gradum considerata. V. G. lux solis eminenter continet calorem ignis, & frigiditatem aquæ, & quatenus continet calorem ignis, quodammodò à seipsa distinguitur, secundùm quòd continet frigiditatem. Et ita quamuis lux solis eadem sit formaliter, atq; vnica in essendo, est tamen multiplex in causando continens gradus formaliter distinctos inter se se. Calefactio ergo solis specificatur à luce, quatenùs est calor in virtute, & virtutem ignis continet: & infrigidatio ab eadem luce procedens specificatur ab illa, quatenùs includit virtutem aquæ. Et similiter in calore ignis continetur vis emolliendi, & indurandi.

97 Tertiò Resp. Calefactionem specificari à virtute calefactiua, indurationem à vi induratiua &c. siue illa virtus sit calor formaliter, siue eminenter, siue formaliter duritiem, siue eminenter, hoc enim non variat speciem actionis, sed sunt veluti materiales conditiones, sicut actiones humanæ dicunt ordinem necessarium ad suppositum humanum, in natura humana subsistent, siue increatum sit, siue creatum. Neque est inconuenient, quòd à virtute solis, quæ inquantùm est calefactiua, sola ratione distinguitur à seipsa, quatenùs frigefactiua, sumatur specificatio, & distinctio frigefactionis, & calefactionis, cùm verum, & bonum, quæ sola ratione distinguuntur, tribuant species reales diuersas intellectui, & voluntati.

98 Quartò obijcitur. Sequeretur, Deum non posse per absolutam potentiam sine calore effectiue concurrente calefacere, cùm vicem causæ formalis, & specificantis supplere non possit. Resp. quòd cum in Deo sit vis calefactiua, quando se solo calefacit, saluatur adhùc ordo formalis calefactionis ad calefaciens. Secundò Resp. Calefactionem à solo Deo miraculosè causatam dicere ordinem specificum naturalem ad naturalia principia calefactiua, sicut si Deus se solo propriam aliquam passionem sine subiecto conseruaret, adhùc talis passio diceret ordinem specificū ad subiectum, à quo iuxta suauem ordinem dimanat: & accidens similiter separatum ordinem retinet ab subiectum.

99 Alij Theologi aliter componunt & conciliant illam duplicem sententiam: dicunt enim, quòd sicut calefactio potest considerari, & vt actio, & vt passio, & vt motus, sic etiam intellectio, & quiuis alius actus immanens considerari potest, vt actio, & à principio actiuo dimanans, & vt passio, quatenùs in subiecto recipitur, & vt motus quidam, non propriè dictus, sed prout est via quædam, & tendentia ad terminum. Primo modo considerata quæcumq; actio, siue immanens, siue transiens, vt actio, specificatur ab agente, & principio actiuo, vt passio, ab ipso passo, vt motus & tendentia, à termino.

Alij dicunt, actiones immanentes specie differre penes obiecta, ad quæ terminantur; transeuntes verò differre specie penes effectus, quos producunt specie distinctos. Itaque vt actiones propriè differant specie, non est necessarium, vt obiecta, vel effectus propriè differant specie, sed quòd sint distincta formaliter in ratione termini. Dicunt etiam, actiones specie differre radicaliter ex principijs, ex quibus causantur, formaliter accipiendo principium, ita vt illæ actiones specie differant, quæ habent distincta principia effectiua. M. Suarez in Methaphysica Disput. 48. sectio. 3. per totam docet, actionem vt sic speciem sumere à termino, & ab eodem sumere distinctionem, & videtur sententiam D. Thomæ non probare. Certè in hac re adeò obscurè loquitur Suarez, vt vix eius sententia intelligi possit. Dicit etiam, omnem specificam distinctionem actionum ex distinctione propria effectus in esse rei esse desumendam. Sed hoc est falsum; quia cognitio entis, & cognitio substantiæ differunt specie, & tamen ens & substantia non differunt specie in esse rei, sed tantùm formaliter in ratione terminandi, & hoc sufficit, vt illæ cognitiones differant specie, prout ad talia obiecta referuntur. Et motus circularis specie differt à recto, & tamen vbi vtroque motu acquisitum non differt specie in esse rei, sed vt per talem motum respicitur distinctum formaliter in ratione termini, quia tendentia, seu modus tendendi refunditur in obiectum Itaque vt actiones specie differant, satis est quòd aliqua formalitas distincta reperiatur vel in obiecto, vel in modo tendendi in illud, vel in effectu, vel in modo faciendi illum. Quòd si huiusmodi diuersitas non reperiatur, erunt actiones eiusdem speciei. 100

Circa secundam difficultatem sunt varij dicendi modi. Primus est, actionem vitalem, & qdamcumque immanentem, in hoc distingui à non vitali, quòd non vitalis pendet à suo principio in genere causæ efficientis duntaxat, vitalis verò etiam in genere causæ materialis. Et ideò fieri non potest per Diuinam potentiam, vt actio vitalis sit sine potentia vitali, quia Deus causæ materialis vicem supplere non potest. Hanc sententiam tenet Heruæus, etsi quibusdam immutatis, vt referunt Sonzinas 9. Methaphys. quæst. 10. Et Iauellus eodem libro quæst. 16. Sed hic modus dicendi facilè potest ex dictis impugnari. 101

Sonzinas verò, & Iauellus locis citatis asserunt, istas actiones distingui per ordinem ad terminū, ex eoquòd per actionem transeuntem semper producitur aliquid ab actione distinctum, nihil verò per immanentem. Vnde quantùm ad dependentiam à principio effectiuo pares sunt iuxta hanc sententiam vitalis, & non vitalis. Et ideò concedit Sonzinas, sicut potest Deus se solo causare calefactionem, sic etiam & intellectionem, & aliam quamcumq; vitalem actionem, quod (inquit Iauellus) Aristoteles negaret, etsi Theologus concedat. Sed hic dicendi modus implicat contradictionem, cùm mani- 102

festum

Digitized by Google

ſectum ſit, vitalem actionem ſine principio vitali pro-
103 duci non poſſe. Et quamuis M. Medina 3. part. quæſt. 2.
artic. 5. Dubio. 3. ad 5. concedat, actionem vitalem, cu-
iuſmodi eſt intellectio, neceſſariò pendere ab anima,
non tamen ab intellectu, atque adeò affirmat, animam
ſine intellectu intelligere poſſe, quia non eſt formalis
dependentia actus vitalis à potentia vitali, ſed à natura
viuentis. nihilominùs tamen deceptus eſt Medina, nec
actionis vitalis naturam penetrauit, vt ex ſuperioribus
liquet.

104 His igitur omiſsis. Dicendum eſt primò, actiones vi-
tales & non vitales, vt V.G. calefactionem, & intellec-
tionem, eſſe pares quantùm ad dependentiam à ſuis
principijs, ita vt non minùs pendeant in genere cauſæ
formalis calefactio à calefaciente, quàm intellectio ab
intelligente: ſed differentiam eſſe in ipſis principijs, quòd
calefaciens non importat formaliter calorem, neque
potentiam calefactiuam ſpecialem, ſed vim quamcum-
105 que calefaciendi, ſiue formaliter, ſiue eminenter: at intel-
ligens importat formaliter intellectionem in ipſo in-
telligente exiſtentem, illamq; informantem. importat
item formaliter potentiam intellectiuam, vitam, & ani-
mam, à qua profluit propter rationem actus vitalis Nec
dico ſolùm importare, & addere ſuper cauſalitatem for-
malem, paſsiuam etiam & materialem, ſed quòd ipſum
effectiuum principium intellectionis humanæ in ratio-
ne effectiui actus vitalis importat neceſſariò rationem
vitalis potentiæ.

106 Dicendum eſt ſecundò, dependentiam actionis non
vitalis à ſuo principio, quamuis ſit in genere cauſæ for-
malis, eſſe dependentiam aptitudinalem, ita vt calefactio
à Deo producta dicat formaliter dependentiam aptitu-
dinalem ad cauſam, à qua naturaliter eſſet producenda,
quamuis de facto non producatur. At dependentia actus
vitalis à principio vitali eſt actualis, ita vt actu pendeat,
non tantùm habitudine. V.G. quamuis generatio neceſ-
ſariò pendeat, & formaliter à generante, non tamen eſt
107 neceſſarium, vt actu pendeat, ita vt cùm generatio eſt, ſit
actu generans: at intellectio pendet actualiter ab intelle-
ctu, ita vt ſi intellectio ſit, neceſſariò debeat eſſe intelle-
ctus. Et quia hæc eſt propria dependentia formalis, ideò
dicitur abſolutè, actum vitalem pendere à potentia vita-
li formaliter, & idem de non vitali non affirmatur. Si-
cut albedo formaliter pendet à ſubiecto ſecundùm ap-
titudinem, album verò formaliter ab albedine ſecun-
dùm actum, & ideò hæc poſterior dicitur abſolu-
tè dependentia formalis, prior verò materialis. Ex
quibus colligitur ſolutio ſeptimi argumenti princi-
palis.

QVARTA DISPVTATIO. §. I.

CVM. Tanta ſit Chriſti Domini præſtantia, &
excellentia ſupra omnes ſubſtātias creatas prop-
ter ſingularem eius dignitatem, & vnionem ad
verbum, meritò illi multa tribuuntur, quæ alijs dene-
gantur, ac propterea eſt peculiaris de ipſo dubitatio. An
ex proprijs viribus naturæ Deum quidditatiuè cogno-
uerit. Et pro parte affirmatiua ſit primum argumen-
1 tum. Deus continetur intra latitudinem obiecti ſpeci-
ficantis intellectum noſtrum, vt oſtenſum eſt Diſput. 1.
in reſponſione ad vltimum: ergo non eſt ſupra natu-
ram intellectus creati illum attingere, ac propterea
Chriſtus, qui inter omnes homines præſtantiſsimum
habuit intellectum, ex proprijs viribus illum quiddita-
tiuè, & ſecundùm eſſentiam cognouit. Conſequentia
probatur. Quæcumque potentia ſua naturali facultate
ac vi poteſt attingere omne contentum ſub obiecto
ſpecificante, vt viſus omne viſibile, auditus omne audi-
bile, imaginatio omne imaginabile percipere poteſt, &
ſic de alijs: ergo pariter intellectus omne intelligibile
ſub eius obiecto comprehenſum percipere poteſt.

Nec diſſoluitur hoc argumentum ex illa communi 2
inſtantia de oculo noctuæ, & veſpertilionis, qui ad ſolis
viſionem pertingere non poteſt: quia potentia viſiua,
etſi in noctua, & quibuſdam alijs animalibus, quæ ſunt
indiuidua reſpectu illius potentiæ, ſolem attingere ne-
queat, in alijs autem animalibus id poterit præſtare. Er-
go ſimiliter intellectus humanus in aliquo indiuiduo
Deum poteſt ex proprijs viribus quidditatiuè cognoſ-
cere: ſed nō eſt alius intellectus ſimilis intellectui Chriſ-
ti: ergo &c.

Confirmatur ex illa celebri ſententia Commentato- 3
ris 2. Methap. Comment. 1. circa finem: nempe, ſi eſſet
aliquod intelligibile à nullo intellectu intellectum, tale
intelligibile eſſet fruſtrà: ſed abſurdum eſt dicere, Diui-
nam eſſentiam fruſtrà eſſe intelligibilem; ergo aliquis
intellectus proprijs viribus naturæ poteſt illam quiddi-
tatiuè cognoſcere, cùm ipſa ſit cognoſcibilis, & ſub co-
gnoſcibili, quod eſt intellectus humani obiectum, com-
prehenſa.

Confirmatur ſecundò. Cuicumque potentiæ deben- 4
tur ſecundùm ordinem naturæ omnia quæ neceſſaria
ſunt ad ſuum obiectum ſpecificans adæquatè percipien-
dum, iuxta illud Ariſtotelis 2. de Cœlo text. 50. & 59. Si
natura dediſſet cœlis motum progreſsiuum, dediſſet
vtiq; eis inſtrumenta ad talem motum, aliàs author na-
turæ in neceſſarijs deficeret: ergo intellectus creatus, pre-
ſertim Chriſti Domini, habet vim naturalem, ad Deum
quidditatiuè cognoſcendum, cùm ſub latitudine ſui ob-
iecti contineatur.

Secundò. Si Deus non poſſet ex viribus naturæ co- 5
gnoſci ab intellectu Chriſti, quidditatiuè, maximè, quia
modus eſſendi Dei excedit modum eſſendi cuiuſq; na-
turæ creatæ, atque adeò eſt ſupra naturalem facultatem
cuiuſque cognoſcentis creati, cùm cognitio fiat ſecun-
dùm quòd cognitum eſt in cognoſcente, cognitum au-
tem ſit in cognoſcente ſecundùm modum cognoſcen-
tis. Sed hæc ratio nullius ponderis eſt, & multa continet
falſa: ergo. Probatur minor, quia eâdem ratione proba-
retur, quòd potentia viſiua corporea, & corruptibilis
non poſſet cœlum videre, quod eſt præſtantius, vt pote
incorruptibile: neque inferior Angelus poſſet ſuperio-
rem quidditatiuè cognoſcere, quia excedit in modo
eſſendi, cùm natura ſuperior ſit eleuatior, & præſ-
tantior.

Dices, cognoſcens & cognitum debere conuenire in 6
modo eſſendi non ſpecifico, ſed generico, ita vt ſi diffe-
rant ſpecie, non tamen genere, nulla ſequatur impro-
portio. Contra hoc eſt inſtantia: quia definiri non po-
teſt, quæ conuenientia generica requiratur ad cogni-
tionem, & quæ differentia ſecundùm genus obſtet illi:
non enim poteſt intelligi de genere logico; ea namq;
differunt genere logico, quæ in nullo genere & prædi-
camento conueniunt, & ea ſunt eiuſdem generis logici,
quæ

quæ sunt eiusdem prædicamenti; sed homo & Angelus sunt eiusdem generis logici, & tamen homo pertingere non potest ad Angelos videndos vi propriæ naturæ: ergo non sufficit illa conuenientia.
7 Neque etiam intelligi potest de genere Physico, quoniam oculus corruptibilis, & cœlum incorruptibile differunt genere Physico, vt docet Aristoteles 10. Metaph. Et tamen inter illa est sufficiens conuenientia ad hoc, quòd oculus corruptibilis videat cœlum, sed nulla alia fingi potest differentia, vel conuenientia generica præter assignatas, logicam, & Physicam, vt constat ex Aristotele, & alijs Philosophis: ergo.

8 Tertiò si prædicta ratio aliquid probaret, conuinceret certè, intellectum lumine gloriæ illustratum Deum videre non posse, quia Deus videri non potest, nisi vt est in cognoscente; sed nequis proportionari cognoscenti creato, etiam per Dei potentiam, nam Deus semper est suum esse, atque adeò infinitè excedens omnem potentiam creatam. Dices, sufficere aliqualem proportionem, & hanc fieri per lumen gloriæ beatificum. Contra. Nullus est intellectus creatus, qui non habeat aliqualem proportionem ex suis naturalibus cum ipso Deo: ergo.

9 Rursus dices, eam rationem esse intelligendam de cognitione naturali. Sed hæc responsio sine fundamento datur, hunc, scilicet, modum cognoscendi seruari in naturalibus, & non in supernaturalibus cognitionibus, tum, quia Deus supernaturalia ad modum naturalium disponit: tum etiam, quia illa propositio, Cognitum debet esse in cognoscente secundùm modum cognoscentis, cùm vnumquodq; ad modum recipientis recipiatur, de omni cognitione, siue naturali, siue supranaturali verificanda est. Tum denique, quia licèt non sit naturale intellectui creato, Deum quidditatiuè videre, est tamen sibi naturalis hæc visio, vt stat sub lumine gloriæ: (sicut aquæ, quatenus calida est, naturale est calefacere) Et nihilominus intellectus, etiam vt stat sub illo lumine, infinitè habet inferiorem essendi modum: ergo.

10 Quartò. Cognoscens habens superiorem modum essendi potest perfectè cognoscere ea, quæ sunt inferioris modi essendi, vt Deus, & Angelus possunt hæc materialia comprehendere; ergo diuersitas in modo essendi inter cognoscentem & cognitum non obstat. Dices, quòd cognitum esse superioris ordinis à cognoscente, obstat quidem, non tamen quòd sit ordinis inferioris. Contra: quia cùm cognitum debeat esse in cognoscente, si non habet eundem modum essendi cum cognoscente, sed inferiorem, iam aliter erit in cognoscente, quàm in seipso, ac proinde non cognoscetur, sicuti est. Etenim cognoscere rem aliquam, non prout est in se, sed secundùm alium modum, siue superiorem, siue inferiorem, æqualiter obstat cognitioni rei in se, ac perfectæ.

11 Quintò. Ens, inquantùm ens, & secundùm illum gradum, quo ab omni materia abstrahit, est obiectum perfectè cognoscibile vi naturali intellectus creati, etiam humani, atq; illi proportionatum, & tamen habet superiorem modum essendi modo cognoscentis: ergo hæc superioritas in modo essendi non obstat, potestq; similiter inferri; ergo omne contentum sub ente vt sic est proportionatum obiectum nostri intellectus, etiam ipse Deus, quamtumuis in infinitum excedat modum essendi nostrum. Consequentia cum minori constat: maior autem probatur. Ens in illa consideratione est obiectum proportionatum Metaphysicæ à nostro intellectu vi naturali comparabile, ergo est proportionatum obiectum nostri intellectus. Quòd autem illius obiecti cognitio sit perfecta, patet; quia est cognitio scientifica. Et quòd sit quidditatiua obiecti, compertum est, quia per quidditatiuam diffinitionem obiecti tanquam per medium demonstrantur propriæ passiones de subiecto in qualibet scientia.

12 Sextò impugnatur illa propositio, Cognitio est secundùm modum cognoscentis. Sequeretur enim tres tantùm esse cognitionis modos, cùm tantùm sint tres modi essendi cognoscentium; sed consequens est falsum, quia ex communi Doctorum consensu, quatuor sunt modi cognitionis, primus sensitiuæ, secundus intellectus humani, tertius intellectus Angelici, quartus Diuinæ cognitionis.

13 Confirmatur. Cognitionem habere esse secundùm modum cognoscentis, vel intelligitur de modo cognoscentis secundùm suam essentiam, & substantiam considerati, vel de modo, qui illi competit secundùm suam potentiam cognoscitiuam, ita vt cognitionem, & cognitum proportionari cognoscenti secundùm illum modum, sit proportionari illius potentiæ cognoscitiuæ: primum dici non potest, tum, quia cùm in homine non sit nisi vnicus essendi modus substantialis, esset vnicus tantùm modus cognoscendi, cuius oppositum videmus in cognitionibus sensitiua, & intellectiua, quæ in homine reperiuntur: tum etiam quia cùm modus essendi hominis substantialis sit in materia indiuiduali, non posset cognoscere res, nisi prout sunt in materia indiuiduali, quod est prorsus falsum. Neq; secundum dici potest: quia cùm intellectus hominis sit immaterialis, neque corporeus, neque, actus alicuius organi corporei, conuenit in modo essendi cum Angelis, ac rebus alijs spiritualibus circa Deum, possetq; proinde ea naturaliter, ac perfectè cognoscere.

14 Septimò. Cognitio perfecta & quidditatiua est illa, qua res, sicuti est, cognoscitur: ergo modus cognitionis perfectæ, & quidditatiuæ, de qua est sermo in præsenti, potiùs est secundum modum cogniti, quàm cognoscentis.

15 Confirmatur primò. Obiectum cognitum assimilat sibi cognoscentem, sibiq; proportionatum reddit, & efficit quodammodo participem suæ naturæ, & è contra cognoscens cognitum; ergo cognitio fit per modum cogniti, totaq; proportio inter cognoscentem & cognitum prouenit à cognito, non à cognoscente. Probatur antecedens. Tota proportio, & similitudo inter cognoscent & cognitum prouenit ab specie, per quam cognitum est in cognoscente, qua ratione proportionatur; sed species tenet se ex parte obiecti, non ex parte cognoscentis, per quam obiectum assimilat sibi cognoscentem, & communicat illi suam naturam: ergo cognoscens, & cognitio participant cogniti modum, non è contra.

16 Confirmatur secundò. Modus cognoscendi desumitur ex modo, quo cognoscens efficitur res cognita; sed ex eo quòd cognoscens efficiatur res cognita participat modum essendi cogniti; ergo cognitio fit secundùm modum cogniti.

Confirmatur

17 Confirmatur tertiò. Modus cognitionis est secùndùm modum speciei, quæ est actus primus, forma, & illius principium. sed modus essendi speciei est secundùm modum essendi obiecti, cùm sit eiusdem ordinis & rationis specificæ cum illo, non secundùm modum essendi cognoscentis, à quo est alterius speciei, & rationis, est enim naturalis similitudo, non quidem cognoscentis, sed cogniti: ergo.

18 Octauò. Excessus obiecti supra potentiam non obstat per se claræ cognitioni, sed per accidens, vt patet in claritate solis, cuius excessus ad potentiam noctuæ, non impedit per se visionem, sed ex accidenti, quatenùs ab illa claritate læditur, ac dissoluitur organum visus noctuæ: ergo ratio in argumento secundo proposita non procedit ex his quæ sunt per se, sed per accidens, qui processus est vitiosus.

19 Confirmatur: quia nihil cadens sub ratione formali obiecti alicuius potentiæ excedere potest proportionem potentiæ, per se loquendo, sed tantùm per accidens: hoc enim est contineri sub ratione formali obiecti potentiæ, nempe, esse illi proportionatum: sed Deus continetur sub ratione formali obiecti intellectus creati; ergo non excedit illius proportionem, nisi per accidens tantùm.

20 Nonò. Deum posse videri ab intellectu creato est viribus naturæ, & per principia naturalia euidenter cognoscibile, & demonstrabile; ergo est viribus naturæ possibile. Consequentia probatur: nam quæ sunt simpliciter supernaturalia, sicut superant omnem vim effectiuam naturalem, sic etiam omnem cognitionem viribus naturæ comparabilem, saltem infallibilem, ita vt quemadmodùm virtute supernaturali efficiuntur, sic etiam & supernaturali lumine cognoscantur. Antecedens probatur quibusdam demonstrationibus, quæ in
21 has parte adduci solent. Prima est; quia omnis potentia naturalis eleuari potest ad omne contentum sub latitudine sui obiecti adæquati, à quo sortitur naturam & speciem; sed Deus continetur sub obiecto adæquato intellectus: ergo eleuari potest ad videndum illum. Consequentia cum antecedenti est naturali lumine euidens.

22 Secunda, quia non implicat contradictionem, potentiam eleuari ad quodcumq; contentum sub illius obiecto, cùm talis eleuatio non repugnet essentiali rationi potentiæ, nec illam destruat, & subuertat: atque adeò non implicat, Deum ab intellectu clarè videri. Tertia, quia nulli formæ accidentali repugnat existere in subiecto; sed beatitudo est forma accidentalis: ergo illi non repugnat recipi in subiecto. Sed nullum aliud subiectum est ab intellectu creato, neque esse potest: ergo. Pro decisione veritatis sit Prima Conclusio.

Prima Conclusio. §. II.

23 CHRISTVS Dominus ex proprijs viribus naturæ neque cognouit, neque cognoscere potuit Deum quidditatiuè & secùndùm essentiam. Intelligitur autem conclusio de cognitione Dei non solùm vt est author gratiæ, sed etiam naturæ, & prima, ac suprema causa rerum omnium naturalium: ita vt vtramq; cognitionem esse viribus naturæ impossibilem, sit secundùm fidem asserendum. Colligiturq; ex pluribus locis Sacræ Scripturæ ad Roman. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Et Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Et Psal. 79. *Ostende faciem tuam, & salui erimus.* Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi 24
Deum videbunt.* Ex quibus locis colligitur, visionem Dei, qua clarè & apertè cognoscitur, esse verum Deum, primam, ac supremam causam, dici vitam æternam, ita vt eo ipso, quod Deus per essentiam, & quidditatiuè videatur quomodocumq;, sit vitæ æternæ assequutio; sed vita æterna haberi non potest ex viribus naturæ, sed per gratiam, iuxta illud ad Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Ergo secundùm fidem Deus etiam vt author naturæ videri non potuit per essentiam viribus proprijs naturæ à Christo Domino. Idem etiam colligitur ex illo Ioan. 14. *Manifestabo ei me ipsum &c.* Vbi promittitur visio Dei clara, Deiq; manifestatio quæcumq; in præmium dilectionis supernaturalis. Et in Concilio Viennensi, & refertur in Clementina Ad nostrũ de Hæreticis damnatur error Begardorum, & Beguinarum asserentium, intellectualem naturam non indigere lumine supernaturali ad videndum Deum, sed proprijs viribus posse visionem Dei claram consequi. Probatur autem conclusio rationibus efficacissimis.

Prima. Deus prout est in se, etsi contineatur intra la- 25
titudinem obiecti specificantis intellectum creatum, non tamen continetur intra rationem obiecti proportionati; ergo intellectus creatus Christi ex facultate naturæ nequit ad eius cognitionem pertingere. Consequentia patet, quia potentia ex viribus naturæ non potest attingere obiectum sibi improportionatum: ideò enim dicitur improportionatum, quia potentia non habet naturalem virtutem tali obiecto proportionatam. Sed probatur antecedens. Inter obiectum proportionatum, & potentiam cognoscitiuam debet esse omnimoda conuenientia in modo essendi, ita vt habeant vnam rationem vniuocam, potentia & obiectum; sed Deus prout est in se, nullo modo conuenit cum intellectu creato Christi in modo essendi: ergo Deus prout est in se, non continetur intra obiectum proportionatum intellectus nostri. Consequentia est euidens, & minor 26
probatur: quia modus essendi Dei infinitè excedit modum essendi cuiuslibet intellectus creati, nam Diuina Essentia est actus purus, nihil habens potentialitatis admistum, & in se omnem includens perfectionem, intellectus verò creatus non est actus purus, sed multum habet admixtum potentialitatis, & ita Deus distat infinitè à modo essendi intellectus creati. Vnde D. Thom. 1. p. 27
quæst. 85. art. 1. expressè docet, obiectum proportionatum intellectus humani esse quidditatem rei materialis, quia talis quidditas conuenit eâdem ratione in modo essendi cum intellectu humano pro isto statu, nam sicut intellectus humanus est in materia, abstractus tamen à materia in operatione; ita quidditas rei materialis est aliquid in materia, abstractum verò per operationem intellectus agentis à materia. Item intellectus 28
Angelicus, qui ab omni materia est abstractus, non tamen à potentialitate, habet pro obiecto proportionato quidditatem abstractam à materia, & non à potentialitate. Intellectus verò Diuinus, qui est abstractus ab omni materia, & potentialitate, ita vt sit actus purus, habet pro obiecto proportionato suam propriam essentiam abstractam ab omni potentialitate, & materia.

29 Et ratio huius est, quia ex eadem radice sumitur ratio virtutis cognoscitiuæ, & ratio cognoscibilis, nempe, ex abstractione à materia, & cognoscibilitate: & ita in natura est talis proportio, quòd in eo gradu, quo aliqua natura est cognoscibilis, in eodem gradu est cognoscitiua, vt euidenter constat, nam quidditas materialis est cognoscibilis in potentia, & ita est etiam cognoscitiua in potentia, & sic in alijs. Et ob id D. Thomas. 1. part. quæst. 12. artic. 1. probat, Deum esse summè cognoscibilem, quia est actus purus summè abstractus à materia & potentialitate. Et propter eandem rationem probat quæst. 14. artic. 1. Deum habere summam virtutem cognoscitiuam. Quò fit, vt obiectum proportionatum cum potentia cognoscitiua debeat esse eiusdem prorsus rationis cum illa in modo essendi; improportionatum verò, & excedens non debet habere eandem omninò rationem in modo essendi cum potentia cognoscitiua, sed debet excedere.

30 Secunda ratio sit. Intellectus creatus nõ potest Deum clarè & quidditatiuè cognoscere, nisi Diuina Essentia illi vniatur in ratione speciei intelligibilis, vt de se est manifestum: sed Essentia Diuina nequit ex viribus naturæ vniri intellectui creato Christi, sed per Dei actionem; ergo cognitio Dei clara, & quidditatiua ex facultate naturali non potest illi competere. Minor patet, quia nulla virtus naturalis potest dari sufficiens ad vniendam Diuinam Essentiam cum intellectu creato; neque potest Diuina Essentia vniri nisi mediante lumine gloriæ supernaturali, vt constabit apertiùs Disputatione sequente.

31 Cõfirmatur primò: quoniã forma alicui propria nõ fit alterius, nisi eo agente, vt calor, qui est forma propria ignis, non fit alterius, nisi per actionem ipsius ignis, & lux, quæ est propria solis, non fit alterius nisi per actionem solis, cùm agens agat suum simile, inquãtùm suam formam communicat: sed Diuina Essentia est propria, & connaturalis Deo, vt patet; ergo nequit fieri alterius nisi per Dei actionem, & ex consequenti non ex viribus naturæ. Hæc ratio est D. Thomæ 3. contra Gentes cap. 52. Et in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 6. & de Veritate quæst. 8. artic. 3.

32 Confirmatur secundò. Quod est per se tale, est causa illius, quod est per aliud, vt patet in exemplis adductis; sed intellectus Diuinus per seipsum videt Dei essentiam, cum qua habet proportionem, & est eiusdem ordinis, & rationis cũ illa, intellectus verò creatus videt Essentiam Diuinam per seipsam, quasi per aliud à se; ergo visio & cognitio quidditatiua Dei nequit illi competere nisi per actionem Dei, & ex consequenti non ex facultate naturæ.

33 Tertia ratio. Cognitio Dei clara & intuitiua est soli Deo naturalis & propria, sicut calefactio est propria ignis, & illuminatio solis: ergo cognitio Dei quidditatiua non potest competere ex viribus naturæ homini Christo. Consequentia patet: nam quod est proprium superioris naturæ, nequit ab inferiori ex proprijs viribus comparari, nisi per actionem superioris naturæ, cuius est proprium; vt nihil potest calefacere nisi per virtutem, & participationem ignis, nec illuminare nisi virtute participata à sole. Antecedens verò probatur: quia operari per propriam formam solùm est naturale, & proprium illi, cui est intima, & propria, alteri verò, cui est extranea, non est proprium, & naturale. Confirmatur ex D. Thoma 2. 2. quæst. 2. art. 3. vbi loquens de motu fidei asserit, conuenire quidem creaturæ intellectuali non ex proprijs viribus, sed ex motione authoris gratiæ, qui est ordinis superioris, sicut motus fluxus, & refluxus conuenit aquæ ex motione superioris agentis; quia cognitio Diuina est propria & naturalis soli Deo; sed longè eleuatior, & supernaturalior est cognitio Dei clara, & quidditatiua: ergo nequit creaturæ intellectuali competere ex proprijs viribus naturæ, sed ex motione Dei authoris gratiæ. 34

Quarta ratio. §. III.

COGNITIO Cuiuslibet cognoscentis est secundùm modum suæ naturæ, sed modus essendi Dei excedit infinitè modum essendi cuiuscumque intellectus creati; etiam Christi: ergo cognitio Dei quidditatiua, & secundùm essentiam, excedit omnem naturam intellectus creati Christi, & ex consequenti facultate naturæ comparari non potest. Consequentia patet, & probatur maior. Cognitio fit, secundùm quod cognitum est in cognoscente, & secundùm modum cognoscentis, nam vnumquodq; recipitur ad modum recipientis. Minor autem probatur: quia proprius modus essendi Dei est, vt sit suum esse subsistens, proprius autem modus essendi intellectus creati deficit ab hoc, cùm non sit suum esse subsistens, sed habeat aliquid admixtum potentialitatis. Hæc ratio est D. Thomæ. 1. part. quæst. 12. artic. 4. & 1. 2. quæst. 5. artic. 5. & 3. contra Gentes cap. 52. Impugnatur verò à Scoto in 1. dist. 3. quæst. 3. & in 4. dist. 49. quæst. 11. & quodlibet. 14. art. 2. cuius argumenta adducit, & exactè dissoluit Caietanus. 1. part. quæst. 12. artic. 4. 35

36 Potissima autem difficultas huius rationis consistit in explicanda illa propositione, Cognoscens, & cognitum debent habere eundem modum essendi, vel saltem cognitum non debet esse superius cognoscente in modo essendi. Et ideò pro intelligentia huius rationis Primò animaduertendum est, ad cuiusq; rei cognitionem quinque necessariò concurrere. Primum est, obiectum cognitum. Secundum, actus ipse cognitionis, qui est actus secundus. Tertium, forma, seu species, quæ est actus primus. Quartum, ipsa potentia cognoscitiua. Quintum est, natura ipsa cognoscens. Quæ omnia debent proportionari inter se in cognitione naturali, quidditatiua, & perfecta, & naturæ cognoscentis, & rei, sicuti est. Hanc tamen proportionem diuersimodè exponunt Thomistæ. Capreolus in 4. distinctione. 49. quæst. 4. artic. 3. Et Ferrariensis. 3. contra Gentes cap. 52. totam hanc proportionem referunt ad speciem intelligibilem, quia species quidditatiuè repræsentans obiectum aliquod, debet esse illi proportionata, eiusdemq; ordinis, vel saltem non inferioris in modo essendi. Rursus cùm illæ species deseruientes ad naturalem cognitionem vi naturæ consentaneam, sint connaturales ipsi cognoscenti, debent esse illi proportionatæ, & eiusdem modi essendi. Hinc infert Ferrar. totam proportionem requisitam inter obiectum cognitum, & naturam cognoscentis in hoc situm esse, quod illud obiectũ natũ sit cognosci, & perfectè repræsentari

tet

Digitized by Google

per species coonaturales,& proprias cognoscentis,& tūc erit eiusdem ordinis & modi essendi cum cognoscente.

37 Apertius poterit hoc declarari ad mentem D. Thomæ: quòd cùm cognitio fiat secundùm quòd cognitum est in cognoscente, & cognitum sit in cognoscente per sui speciem, quæ est naturalis illius similitudo, eiusdem rationis cum illo, & rursus species, quatenùs recipitur in tali cognoscente, naturaliter debeat habere illius modum, cùm vnumquodq; ad modum recipientis recipiatur: hinc fit, quòd ratione speciei cognoscens & cognitum proportionentur, cùm vtriq; sit species proportionata, & quæ proportionantur vni tertio, sint inter se se proportionata.

38 M. Medina. 1.2. q. 5. art. 5. aliter hanc propositionem exponit, etsi potiùs in verbis, quàm in re consistat differentia. Obiectum, inquit, immediatè proportionatur actui intelligendi, & cognitioni quidditatiuæ vi naturali elicitæ, quia hoc est obiectum esse proportionatum cognitioni, vel è contra, cognitionem esse proportionatam obiecto, quòd sit cognitio perfecta, & quidditatiua obiecti, sicuti est. Rursus cognitio habet proportionem cum ipsa specie; tum, quoniam actus secundus necessariò proportionatur actui primo, & formæ, quæ est illius principium: tum etiam, quoniam iuxta modum speciei est & cognitionis modus: si species representat obscurè, inadæquatè, & in confuso obiectum, cognitio eundem habebit obscuritatis, & confusionis modum. Species autem proportionem habet cum potentia, tum, quoniam in illa recipitur, ac proinde ad modum recipientis: tum etiam inductione patet in sensu, & intellectu humano, Angelico, & Diuino, quæ omnes potentiæ proportionatas species recipiunt naturaliter. Sensus enim, qui omnino est materialis, materiales etiam suscipit species. Intellectus autem abstractus ab organo corporeo, abstractas etiam speciei recipit. Et tandem potentia proportionatur ipsi naturæ cognoscentis, quia est proprietas illius, ab ea profluens, & dimanans. Ex quo colligitur de primo ad vltimum, cognoscentem, & cognitum debere in modo essendi proportionari, cognitionem speciei, speciem potentiæ, potentiam naturæ cognoscentis, atq; adeò de primo ad vltimum, cognoscens & cognitum in modo essendi proportionantur.

39 Tertia explicatio ex duabus suprapositis colligi potest, quam insinuat Capreolus loco citato, & Siluester in Conflatorio quæst. 12. artic. 4. videlicet hanc proportionem, & conuenientiam in modo essendi, requiri non modò ex parte cognoscentis, sed etiam ex parte obiecti, in quo necessum est, proportionentur cum essentia, potentia dimanans, forma intelligibilis, actus, & ipsa operatio &c. Quæ ad hunc modum exponit Siluester. Altior natura altiorem potentiam exigit, altior potentia altiorem formam, altioris formæ altior est actus, altior & præstantior actus altius exigit obiectum. Eandem etiam horum proportionem insinuat Ferrariensis. Non ergo tantùm requiritur hæc proportio ex parte cognoscentis, sed etiam ex parte obiecti, quia illud debet habere proportionem cum actu, quem veluti actuat & informat terminando, cum specie, quam imprimit, quæ est naturalis similitudo illius, quæ ex parte obiecti requiritur, & cum potentia, & cognoscente, in quibus cognitum recipitur. Cur autem dicatur cognitionem potiùs debere esse secùndùm modum cognoscentis, quàm secundùm modum cogniti, cùm ex parte vtriusq; exigatur proportio, explicabitur in solutionibus argumentorum.

40 Sed est argumentum, quo probatur, hæc omnia non solo modo posse in modo essendi conuenire, quia species intellectus humani representans substantiam materialem, quæ est illius obiectum, est accidens, quod habet alium essendi modum à substantia representata, tum etiam, quia illa species est spiritualis, & immaterialis in secundo gradu essendi constituta: res verò representata est materialis ad primum essendi gradum pertinens; ergo propter eandem rationem, species, actus intellectionis, & potentia intellectiua conuenire non possunt in modo essendi cum natura & substantia cognoscentis, cùm illa sint spiritualia, hæc autem corporea substantia.

41 Huic argumento respondet Ferrariens. loco citato, in specie intelligibili duplicem essendi modum considerari posse, alterum naturalem, & sibi debitum, & in hoc modo essendi conuenit cum obiecto representato: quia cùm sit eiusdem rationis, & speciei, cum illo conuenire debet: & ita speciei substantiæ corporeæ debetur etiam modus essendi substantialis, & corporeus. Alius est essendi modus in specie, quem habet, vt intellectum informat, & iste essendi modus conuenit illi præter naturam ex actione intellectus agentis abstrahentis species à phantasmate corporeo, & ex conditione intellectus possibilis, in quo suscipitur, & ab istis habet præter suam naturam rationem accidentis, & immaterialitatis. Vnde species & obiectum sunt eiusdem modi essendi sibi naturaliter debiti, non tamen eiusdem modi essendi, quantùm ad esse, quod actualiter habent.

42 Secundò Resp. Speciem accidentariam considerat am secundùm ea, quæ illi per accidens, & materialiter conueniant, non esse eiusdem modi essendi cum substantia representata, per accidens enim se habet respectu speciei, quòd sit accidens, vel non sit. Considaratam verò secundùm ea, quæ sibi per se, & formaliter conueniunt in esse representatiuo, esse eiusdem modi essendi cum re representata, & pertinere ad prædicamentum substantiæ: imò verò etsi species substantiæ per se esset accidens, non proinde esset alterius ordinis, & modi essendi, quantùm ad rationem intelligibilis spectat, quia non est idem esse alterius prædicamenti, & esse alterius modi essendi & ordinis; substantia enim materialis, & omnia illius accidentia sunt eiusdem modi essendi: tum, quia omnia subsistunt per subsistentiam substantiæ, siuè formaliter, siuè causaliter. tum etiam, quia omnia accidentia rei corporeæ aliquam habent habitudinem ad rem corpoream.

43 Per hoc ergo dissoluitur argumentum, quatenus contendit propter spiritualitatem speciei, intellectionis, & intellectus non esse proportionem in modo essendi inter illa, & hominem cognoscentem, & substantiam corpoream cognitam. Resp. Inquam, substantiam corpoream cum suis partibus, potentijs, & accidentibus quæ ad illam aliquo modo pertinent, siue insint toti immediatè, siue parti, habere eūdem essendi modū, ita vt anima rationalis pertineat ad modum essendi, quantùm pertinet ad rationem intelligibilis, quam participat totus homo, qui est substantia corporea, habeatq; aliquid

materialitatis, quatenus est pars hominis materialis, & actus materiæ. Item intellectus etsi non sit actus organi corporei, pertinet tamen ad modum essendi hominis, quia est hominis potentia, resideréq; in anima, quæ est actus corporis. Similiter species intelligibilis, quæ est forma intellectus actuans animæ potentiam, quæ est forma corporis, etiam respicit corpus, & sic de alijs.

44 Secundò aduertendum est, non eosdem omninò modos & gradus essendi numerari ex parte cogniti, & ex parte cognoscentis. Ex parte quidem cogniti tres tantùm sunt modi essendi, quos numerat D. Thom. 1. part. quæst. 12. artic. 4. Et ibidem aduertit Caietanus, illos esse modos cognoscibilis, non cognoscitiui: potestq; horum graduum sufficientia sic colligi. Vnumquodq; tantò minus participat intelligibilitatis, quantò magis materialitatis, & tantò plus obtinet intelligibilitatis, quantò magis est in actu, & tantò magis est in actu, quantò minus particeps est materiæ, & id, quod omninò excludit materiam, nihilq; habet materialita-
45 tis, est in supremo culmine intelligibilis: nomine autem materiæ in præsenti comprehendimus non modò materiam primam, quæ est altera pars compositi Physici, puraq; potentia, sed omnem potentiam in vniuersum, & omnem rationem receptiui, vt copiosè explicat Siluester loco citato. Etenim cùm materia prima sit pura potentia, & in genere potentialitatis suprema, omnis potentialitas ad materialitatem videtur pertinere, ad illamq; reducitur, & ideò omnis potentialitas nomen sortitur materiæ. Ratio autem, ob quam tantò magis vel minus res habeat cognoscibilitatis, desumatur ex eo, quòd minus, vel magis habeat materialitatis, vel inde colligitur, quia maximè est materia incognoscibilis per se, vt docet Aristoteles. 7. Metaph. text. 36. & Commentator. 1. Physic.
46 text. 69. Quò fit, vt materialitas quæcumq; & potentialitas cognoscibilitatem diminuat. Item cùm vnumquodq; cognoscatur, inquantùm est in actu propter eandem rationem, quia inquantùm est in potentia, est incognoscibile, & omnium rerum actualitas sit ipsum esse, vt docet D. Thomas. 1. part. quæst. 3. artic. 4. hinc efficitur, vt tot sint gradus cognoscibilitatis, quot sunt habitudines ipsius esse ad potentialitatem, & materialitatem; & quot sunt modi essendi, vel in materia, vel potentia quacumq;, vel citra omnem materiam, & potentialitatem, vel vltra, & supra omnem
47 potentialitatem. Cùm ergo ij modi essendi sint tantùm tres, & vniuersæ res tripliciter se habeant ad esse, & potentialitatem, primus modus est illarum rerum, quæ habent esse non nisi in hac materia receptum, vt corporalia omnia. Secundus est earum, quæ participant esse, etsi non in materia receptum, tamen in essentia, & forma aliqua contractum, & susceptum, ac proinde cum aliqua potentialitate, vt Angeli. Tertius est rei, quæ habet ipsum esse per se subsistens, non receptum, neque limitatum per aliquam potentialitatem, sed est ipsum esse purum, & purus actus, in quo gradu est solus Deus. Ideò tres gradus cognoscibilitatis numerantur.

48 Ex parte autem cognoscentis quatuor annumerantur essendi gradus ac modi, non quidem alij omninò diuersi, sed ijdem multiplicati, ita vt primus ille modus essendi, qui est vnicus ex parte cogniti, in duos diuidatur ex parte cognoscentis, etenim ea, quæ habent esse in essentia materiali receptum, sunt in dúplici differentia: quædam, quorum esse taliter in materia recipitur, quòd extra materiam, & sine materia esse non potest à materia separatum. Et iste gradus est cognitionis sensitiuæ, modusq; essendi animæ sensitiuæ, & omnium virium, ac potentiarum sensitiuarum, quæ ita sunt actus corporis, vt nequeant extra corpus esse. Alia verò sunt, quorum esse, etsi in essentia ma- 49
teriali recipiatur, sic tamen in illa recipitur, vt sine corpore, & tali materia naturaliter esse possit, & hic modus essendi est animæ rationalis, constituitq; alium gradum cognitionis intellectiuæ humanæ. Quibus essendi modis realiter diuersis ex parte cognoscentis, correspondet vnus, idemq; gradus duntaxat modi essendi ex parte cogniti, quoniam vnica res, & eadem materialis, quæ vnicum habet essendi modum realem in hac materia, est obiectum cognoscibile per vtramque vim cognoscitiuam. Res, inquam, materialis, secundùm quod habet esse in hac materia, est cognoscibilis per sensum, eademq; res materialis, quæ habet esse in hac materia, non secundùm quòd est in materia indiuiduali, sed quatenùs per considerationem abstrahitur à materia, & in vniuersali, est per humanum intellectum cognoscibilis. Vniuersale autem & singulare 50
sola ratione distinguuntur, eundemq; modum essendi habent, nam ille modus in singulari importatus, alter verò in vniuersali designatus, est modus rationis, non rei. Ex parte verò cognoscentis, his modis rationeq distinctis correspondent duo modi reales, duæ vires & potentiæ cognoscitiuæ realiter distinctæ cum diuersis modis realibus essendi in materia. Nec mirum est, obiecta ratione tantùm distincta, realem potentiarum distinctionem inferre, vt dici solet de ente, & bono, quæ etsi ratione duntaxat distinguantur, tribuunt speciem, & exigunt potentias realiter distinctas, vt sunt intellectus, & voluntas: & ob hanc rationem, vt adnotat Caietan. D. Thom. cùm tres tantùm asseruerit modos essendi ex parte rei cognitæ, primum illum subdiuidit, non in duos modos cogniti, quoniam iam essent quatuor, sed cognoscentis, vt patet ex contextu.

Sed hæc doctrina impugnatur aliquibus argumentis. 51
Primò: quia singulare, & vniuersale pertinent ad eundem essendi modum, nempe ad esse in hac materia, ita & anima sensitiua & humana ad eundem essendi modum pertinent, videlicet ad esse actum corporis Physici &c. item, quia sicut vniuersale & singulare sola ratione distinguuntur; sic etiam anima sensitiua & humana, cùm eadem omninò eundem conferat gradum. Hoc argumento videtur Caietanus conuictus, vt censeat eosdem gradus vtrimq; esse constituendos.

Sed Resp. primò, singulare & vniuersale habere eun- 51
dem essendi modum realem omninò, quia vniuersale nullum aliud esse habet, nisi esse singularis, anima verò sensitiua, & intellectiua, estò vtraq; sit in corpore Physico, sunt tamen secundùm diuersum modum realem. Ad id autem, quod subiungitur, in homine sola ratione differre: respondetur, satis esse, hos essendi modos ex parte cognoscentis seiungi posse, & secundùm suos proprios terminos consideratos, vtrumq; cum præcisione alterius formaliter seiungi, atque realiter separari 52
modum

modum essendi in materia dependenter ab illa; qui reperitur in brutis, distinctum omninò à modo essendi in materia non prorsus ab illa dependenter, qui in hominibus reperitur. Imò verò hic posterior modus essendi potest sine alio in anima separata reperiri. Modi autem essendi vniuersalis, & singularis, nunquam nisi per intellectum seiungi possunt. In homine autem coniunguntur illi modi essendi in materiâ omninò dependenter, & non omninò dependenter, ita vt in vno, eodemq; conueniant, & secundùm gradum sensitiuum pendet omninò à materia, sine qua esse non potest: secundùm verò intellectiuum gradum esse potest sine materia, quod conuenit naturæ hominis, quia est media inter purè sensitiuas, & purè intellectiuas: & ideò aliquid vtriusq; obtinet: atque etiam, quia est suprema sensitiuarum, & infima intellectualium: & ideò hac ratione in ipsa conueniunt duo modi cognoscendi, aliàs, & in quibusque alijs diuersi.

53 Secundò Resp. quòd licèt sensitiuum, & rationale in homine sint idem formaliter, & in essendo, est tamen multiplex virtute, & in causando, & ita correspondet illi multiplex modus cognoscendi, correspódent variæ potentiæ, sensitiua, & intellectiua, desumunturq; diuersi modi cognoscendi ex diuersis modis essendi formaliter, vel virtualiter, seu potiùs potentialiter, quod est esse diuersum secundùm potentias, quatenùs est diuersatum potentiarum cognoscitiuarum principium.

54 Tertiò responderi potest negando animam sensitiuam, & rationalem sola ratione distingui posse in aliquo, sed necessariò esse distinguendas realiter, tanquam duas animæ species. Neque in homine est anima formaliter sensitiua, sed humana anima est duntaxat rationalis, & intellectiua formaliter, sensitiua autem virtute tãtùm, quia tribuit homini esse sensitiuum. Item cùm esse hominis & existentia sit propria animæ, per esse enim animæ rationalis homo existit, est similiter illud esse formaliter intellectiuum, & sensitiuum virtualiter, quatenùs habet virtutem ad actuandam naturam sensitiuam in homine, & hoc est esse hominis, quod potest esse sine materia: quia si de esse essentiæ fiat sermo, fatendum est quidem, esse sensitiuum, & esse intellectiuum, & rationale in homine, sola ratione distingui,

55 sicut esse genericum, & specificum. Et quemadmodùm illud esse genericum sensitiuum essentiæ non potest esse sine materia, ita similiter neque esse specificum essentiæ: sublata enim materia neque animal, neq; homo remanet, neque sensitiuum, neq; intellectiuũ completum, vt est species quædam humana, sed esse existentiæ, quod in essentia materiali suscipitur, quod est formaliter esse, non necessariò pendens à materia, esseq; proprium animæ rationalis, hoc perseuerat, & huic modo essendi correspondet in homine duplex cognoscendi modus, quatenùs est vnus formaliter, & alius virtualiter.

56 Secundò obijcitur. Quot sunt gradus cognoscentium, tot debent esse cognoscibilium, cùm sibi mutuò correspondeant, & sint veluti correlatiua, quilibetq; gradus cognoscitiui exposcat alium gradum cognoscibilis, imò & cognoscitiua per cognoscibilia cognoscantur, & numerentur: ergo si quatuor sunt cognoscitiuorum gradus, tot erunt & cognoscibilis. Resp. Tot esse cognoscibilium gradus, & rationes formaliter, & in rationæ cognoscibilis, vt sic, quot sunt cognoscitiuorum gradus sed negatur, modos essendi ipsarum rerum cognoscibilium, quantùm ad esse receptum in materia Physica, vel Metaphysica, vel nulla, excedere illos tres supra positos: sed in vno, eodemq; modo essendi realiter in materia Physica, reperiri geminam rationem cognoscibilis, sensibilis, & intelligibilis, per hoc, quòd eadem res materialis cognoscatur cum minori, vel maiori abstractione.

Tertiò: quia non possent semper conuenire cognoscens & cognitum in modo essendi, cùm plures sint modi essendi cognoscentis, quàm cogniti: etenim aliquis esset modus essendi cognoscentis ab alijs omnibus distinctus, cui non corresponderet modus essendi cogniti ab alijs diuersus. Resp. Non esse necessarium, quòd cognoscens, & cognitum conueniant in eodem modo essendi ad cognitionem naturalem, quidditatiuam, & perfectam habendam, sed satis esse, quòd modus essendi cogniti non excedat modum essendi naturæ cognoscentis, quòd autem modus essendi cognoscentis sit alius, & altior modo essendi cogniti, non obstat. Ex hoc autem quòd eidem modo essendi cogniti correspondeat duplex modus essendi cognoscentis, sensitiui, qui est idem cum modo essendi cogniti, & intellectiui, qui est superior, tantùm sequitur, quòd alicui modo essendi naturæ cognitæ correspondeat modus aliquis essendi superior in cognoscente. 57

Quartò. Si idem essendi modus cogniti correspondet duobus modis cognoscentium, sequitur, posse sensum omne intelligibile humano intellectu percipere, cùm in modo essendi conueniat cum intelligibili, eoquòd intelligibile habet eundem essendi modum cum sensibili, ac proinde tam latè pateret sensibile, quàm intelligibile, quod est absurdum. Resp. D. Thomam non statuisse hanc propositionem affirmatiuam, Quodcumq; cognoscens potest perfectè cognoscere omnia, quæ cum ipso in modo essendi conueniunt, sed tantùm posuisse negatiuam, nempe, Cognoscens non potest quidditatiuè cognoscere ea, quæ sunt superioris modi essendi, aliàs potentia visiua posset sonos percipere, nam sub modo essendi generico sunt specifici modi essendi secundùm quos distinguuntur potentiæ eiusdem ordinis inter se se; & ideò necessarium non est, quòd sensus percipiat, quidquid ad ordinem rerum materialium pertinet, in quo ordine ipse continetur, vel qui ordo modum sui esse non excedit. 58

Dices, saltem esse necessarium, vt ab aliquo cognoscente eiusdem ordinis & modi essendi possit illud cognoscibile percipi, vt necesse est, omne sensibile ab aliquo sensu attingi. Resp. Omne cognoscibile perfectè posse cognosci ab aliquo cognoscente suo ordini, & modo essendi correspondente. Et quia modo essendi in materia ex parte cognoscibilis correspondet duplex modus, & ordo cognoscentium, nempe, sensitiuum, & intellectiuum, vterq; ordo cognoscentis est veluti eiusdem ordinis cognoscibilis. Et ideò cùm possit omne materiale ab intellectiuo cognosci, cognoscitur ab aliquo eiusdem ordinis cognoscibilis, quare non omne pertinens ad illum primum modum ex parte cognoscibilis, debet dici sensibile, quod importat obiectum sensus vt sic, sed materiale, potestq; ab aliquo tali 59

materiale cognosci, vt ab homine, rationale, siue anima ipsa rationalis, intellectus, & voluntas &c. quæ ad hunc ordinem cognoscibilis pertinent, perfectè cognoscuntur in hoc statu viæ, quando anima est corpori immersa, siue in alio statu à corpore separata, modus enim essendi animæ in vtroque statu est idem, quoad præsens attinet.

60 Quintò. Quia sicut ex parte cognoscentis distinguitur duplex essendi modus realis in materia, eorum, videlicet, quæ sine illa esse non possunt, & eorum, quæ separata à materia esse possunt, ita similiter ex parte cognoscibilis: nam sicut anima rationalis, & sensitiua, intellectus, & sensus sunt cognoscitiua, sic etiam sunt cognoscibilia; ergo inter cognoscibilia materialia reperiuntur quædam, quæ non habent esse sine materia, & alia quæ esse possunt sine illa, in quo genere cognoscibilis constituuntur anima rationalis, potentia intellectiua, species intelligibilis, & actus intelli-
61 gendi. Resp. quòd cùm modi essendi ex parte cognoscibilis tantùm numerentur in præsentia, secundùm quòd fundant diuersos ordines cognoscibilium, & illi tantùm censeantur varij, qui hos ordines variant, modi autem alij essendi, qui impertinenter se habent ad hos ordines constituendos, vel variandos, non recenseantur in præsentia, vt esse in materia amissibiliter, vel inamissibiliter, corruptibile, & incorruptibile &c.
62 Et quia hæc differentia modorum essendi in materia cum dependentia ab illa, vel sine dependentia necessaria, impertinenter se habeat ad constitutionem, vel variationem cognoscibilis, quia eo ipso, quòd sit modus essendi in materia, vtcumq; fundat duos modos cognoscendi, siue illud sit in materia dependenter, siue non, per hoc solùm quòd res illa materialis cognoscatur in materia, prout est in illa indiuidualiter, vel in abstractione à singulari materia; idcircò etiam si nulla esset res materialis, cuius esse permanere posset sine materia, nihilominùs fundaretur ille duplex modus cognoscendi. Nihil ergo refert ad modum cognoscibilis, quòd esse in materia receptum possit esse sine illa, vel non.

63 Ex dictis colligitur, gradus, & modos essendi attendendos secundùm quòd res constituuntur in diuersis ordinibus cognoscibilis, & cognoscentis, non esse alios, neq; plures annumeratis, omnesq; alios essendi modos vel impertinenter se habere ad modos cognoscibilis, & cognoscentis, vel intra eundem ordinem contineri, ac proinde secũdùm illos ordines cognoscentium & cognoscibilium non variari.

64 Neque est censendum, hos modos essendi non esse essentiales in creaturis, eoquòd desumũtur ex esse actuali, quod nulli creaturæ potest esse essentiale: quidam enim opinãtur ex hoc solo esse desumi hos ordines cognoscibilis, & cognoscẽtis, & ad illud solũ pertinere, cùm existentia sit, quæ entia in actu constituit, vnde cognoscibilitas prouenit, sitq; principium cuiusq; operationis, &
65 actiuitatis, quod ad rationem cognoscitiui spectat. Sed meliùs dicetur, hos modos essendi non esse modos vtcumq; rerum existentium, & veluti superuenientes rerum essentijs, sed potiùs esse essentiales ipsis rebus existentibus, non quidem in facto esse, & in actu, quia neque existentia, neq; ipsius modus potest esse essentialis rei creatæ, sed secundùm habitudinem, ita vt per habitudinem ad hos diuersos essendi modos constituantur diuersi gradus entis, qui certè essentiales sunt. Etenim ens, vt sic, importat ordinem & habitudinem ad esse, & illa natura, quæ habet habitudinem ad diuersum essendi modum, est essentialiter distincta ab alia, quæ alium modum respicit. Et in primo gradu reponitur natura, quæ non est susceptiua esse nisi in hac
materia. Non dico esse de essentia huius naturæ V. G. 66
Petri hanc materiam indiuiduam, sed esse de essentia cuiusq; rei materialis, vt non sit susceptiua esse nisi in materia singulari. Tum etiam, quia etsi sumpta essentia pro specie in toto rigore non possit dici, hanc materiam esse de essentia Petri; nihilominùs si Petrus definiretur, per hanc materiam esset definiendus, vt omnes Philosophi fatentur. Ex quibus constat, quomodò gradus cognoscibilitatis ex huiusmodi gradibus essendi desumantur, eoquòd ens, vt sic, est obiectum cognoscibile, adæquatum cognoscenti vt sic, in tota sua latitudine, & ita iuxta diuersos essendi gradus, diuersi & cognoscibilitatis desumuntur ordines.

Ex his documentis colligitur plana intelligentia ra- 67
tionis D. Thomæ in hunc modum. Inter cognoscentem & cognitum vi naturæ perfectè, & quidditatiuè cognoscendum, necessaria est proportio in modo essendi, ita vt cognitum sit eiusdem, vel inferioris ordinis cum cognoscente, & non superioris: sed Deus est altioris ordinis, imò altissimi, & homo infimi intellectualis: ergo. Maior patet ex dictis. Si igitur cognoscens est inferioris modi essendi, cognitum erit in illo imperfectiori modo, quàm in seipso: imò & modo alterius ordinis inferioris, ac proinde imperfectè, & diminutè; & cum quadam confusione.

Secunda Conclusio. §. IIII.

NVLLVS Intellectus creatus, etiam Christi 68
Domini, imò & supremi Seraphini in se habet naturalem virtutem, veluti primam, & radicalem, vt pertingere possit per Dei gratiam ad cognoscendum Deum clarè, & quidditatiuè. Hæc conclusio est contra quosdam Thomistas, qui affirmant, tantam esse naturalem virtutem intellectus creati, vt ad visionem Dei pertingere possit: existimant enim naturalem virtutem intellectus concurrere simul cum lumine gloriæ ad visionem Dei. Hanc sententiam defendit inter alios M. Petrus Ledesma de Diuina Perfectio-
ne quæst. 8. artic. 7. conclus. 2. Sed probatur nostra 69
conclusio; quia visio beata est supernaturalis, & secundùm substantiam, & secundùm modum; ergo intellectus creatus nullam habet virtutem naturalem, etiam radicalem, respectu talis visionis. Consequentia probatur, quia omnis virtus, quæ competit intellectui creato ex se & in seipso, est naturalis, actiuitas verò ad videndum Deum debet esse supernaturalis, quemadmodùm & ipsa visio: ergo &c.

Dices, virtutem actiuam naturalem intellectus, vt 70
eleuatur à qualitate supernaturali, producere visionem supernaturalem, sicut voluntas, vt eleuatur per charitatem, producit actũ supernaturalẽ dilectionis. Contra. Sequitur, quòd principiũ adæquatũ actiuũ visionis beatæ sit compositum ex virtute naturali, & supernaturali, sed consequens est falsum: ergo. Sequella patet, quia virtus

Digitized by Google

virtus radicalis, quam intellectus habet de se, est naturalis, illa verò, quam præstat lumen beatum, est supernaturalis. Minor autẽ probatur, quia esset principiũ mixtum ex rebus diuersi generis, quod videtur inconueniens respectu actionis eiusdem speciei: & similiter, quia visio esset mixta ex naturali, & supernaturali, cùm effectus debeat proportionari suo principio.

71 Tertiò. Si intellectus habet virtutem naturalem, saltem primam & radicalem respectu visionis beatæ: ergo habet potentiã actiuam ipsius visionis, quæ illi per naturam conueniat; Sed consequens est falsum; ergo. Sequella patet, quia ista virtus respicit aliquod obiectum in particulari, & non aliud, nisi visionem, & ipsum Deũ clarè propositum; ergo si intellectus habet virtutem actiuam naturalem ad visionem beatam, naturaliter etiã illam producet, vt principium primum & radicale.

72 Quartò. Sequitur, quòd eadem ratione posset poni virtus actiua naturalis, ad producendam gratiam iustificantem in nobis. Probatur sequella, quia maius quid est gloria, quàm gratia, siquidem est gratiæ consummatio; ergo si in nobis est virtus naturalis actiua ad producendam visionem, in qua essentialiter gloria cõsistis, etiam erit virtus actiua naturalis ad producendam gratiam. Probatur consequentia, quia in subordinatis qui potest maius, potest & minus.

73 Confirmatur. Sequitur, quòd intellectus & voluntas hominis habeant virtutem actiuam radicalem ad augendum habitus supernaturales; sed consequens est falsum, ergo. Sequella patet, quia habet virtutem naturalem ad producendum actum præstantissimum supernaturalem, cuiusmodi est Dei visio: ergo habebit etiam virtutem ad augendũ habitum supernaturalem, vel ad intendendum actum ipsius habitus supernaturalis, quod manifestum est in virtute actiua, quæ in nobis reperitur ad intendendos habitus naturales, de qua communiter Philosophi, & Theologi dicunt, esse radicalem, & pri-

74 mam. Et quia in nobis est connaturalis, potest potentia exire in actum secundum intensiorem habitu præexistente, ac per consequens potest intendere habitum naturalem; ergo similiter si in intellectu creato & voluntate ponitur virtus actiua prima & radicalis respectu visionis, consequenter datur in nobis principium primum, & sufficiens augendi habitus supernaturales.

75 Postremò. Si beatus virtute naturali sui intellectus concurrit actiuè ad visionem Dei, poterit suspendere illum concursum, & ita fieri potest, vt existente lumine beato, & Diuina Essentia in ratione speciei vnita, non videat actu ipsum Deum. Probatur, quia ille actualis concursus non est necessarius, sed liber; ergo potuit beatus illum suspendere, sicut alias actiones liberas suspendere potest.

76 Neque vnquam in Diuo Thoma reperitur, intellectum creatum habere naturalem virtutem, vt per gratiã eleuetur ad videndum Deum, quasi ipsa virtus naturalis attingat visionem, sed dicendum est in doctrina D Thomæ, intellectum creatum habere capacitatem, & potentiam obedientialem, vt per Dei gratiam possit eleuari ad visionem Dei: ad quam effectiuè & vitaliter concurrit, sed tota hæc actiuitas & vitalitas prouenit illi à lumine gloriæ, quod est Diuina virtus vitalis constituens intellectum in ratione Diuinæ potentiæ vitalis, quæ

77 rationem Diuini intellectus participat, & participatiuè attingit illud obiectum formale, quod essentialiter, & comprehensiuè ab intellectu Dei attingitur. Quò fit, vt visio beata suam vitalitatem habeat à lumine gloriæ, & non à vita naturali intellectus. Dicitur autem virtus naturalis intellectus ad visionem beatam per se concurrere, quia reddit intellectum creatum capacem, vt per lumen gloriæ possit effici potentia supernaturalis, participans vitam Diuini intellectus.

Sed obijcitur. Si tota actiuitas est à lumine gloriæ; 78
ergo nulla est ab intellectu, & ex consequenti intellectus habet se merè passiuè. Probatur consequentia; quia quod solùm habet rationem recipiensis, passiuè cõcurrit ad formam, vel actionem; ergo si intellectus ex sua natura nullam habet virtutem actiuam respectu visionis, solùm comparabitur ad lumen, & ad virtutem actiuam, quam præstat, in ratione patientis.

Confirmatur. Ideò substantia aquæ calidæ non con- 79
currit actiuè ad calefactionem, quia tota actiuitas, & virtus calefaciendi prouenit à calore extrinseco, quod vniuersi Philosophi docent cum Aristotele; ergo neque intellectus beati concurrit actiuè ad visionem, si tota actiuitas ad illam actionem prouenit ab extrinseco lumine. Nec satis est dicere, quòd aqua habet repugnantiam cum calore, & ita nullam ei tribuit virtutem agendi ad calefaciendum; intellectus verò beati nullam dicit re- 80
pugnantiam respectu visionis, quoniam certè, etsi hoc discrimen inter intellectum, & substantiam aquæ reperiatur, non tamen est ad propositum, quia licèt aqua calori non repugnaret, eo ipso quòd à natura non esset determinata ad agendum, sed tota actiuitas ad calefaciendum proueniret ab extrinseco, substantia illius non concurreret actiuè in calefactione; ergo si intellectus nullam habet in sua natura actiuitatem, etiam radicalem ad visionem Dei, non se habebit actiuè respectu illius.

Confirmatur secundò. Si tota actiuitas est à lumine; 81
ergo tota potentialitas actiua visionis erit à lumine, & ex consequenti intellectus beati in ratione intelligentis, & videntis Deum, non se habet actiuè. Patet consequentia, quia implicat, intellectum actiuè cõcurrere, & quòd in tali actione non habeat rationem potentiæ actiuæ. Quòd si est potentia actiua respectu illius actionis, aliquam habet actiuitatem.

Confirmatur tertiò, quia sequitur, quòd lumen bea- 82
tum sit potentia simpliciter, quia tribuit intellectui simpliciter ipsum posse, & vniuersam actiuitatem ad videndum Deum: ergo habet rationem potentiæ, & non habitus. Patet consequentia, quia habitus non præstat posse operari, sed faciliter, & prõptè operari. Quòd autem hoc sit falsum, probatur, quia tunc potentia superadderetur potentiæ, nempe, lumen intellectui, & ita coniungerentur duæ potentiæ ad vnum actum, tanquam vnicum, & proximum principium, & consequenter vna potentia inhæreret alteri, & in operando vna potentia haberet se vt materia respectu alterius, non enim potest explicari, qualiter illæ duæ potentiæ, nempe, lumen, & intellectus cõiungantur in ratione agendi, nisi vtrobiq; aliqua actiuitas ponatur.

His tamen non obstantibus dicendum est, lumen 83
beatificum nullam virtutem præsupponere in intellectu creato, per quam intellectus possit visionem beatam producere, quantùm ad eius specificam substantiam, sed

ipsum lumen gloriæ esse totalem virtutem productiuã
visionis beatæ. Vnde intellectus creatus, & lumen sunt
vna simplicissima causa visionis, sicut in naturalibus po
tentia & eius virtus concurrunt ad actum, vt vna sim-
plicissima causa.
84 Ad argumentum ergo distinguendum est cõsequens:
intellectus enim potest comparari, & ad lumen gloriæ,
& ad actum visionis. Respectu luminis merè passiuè se
habet, in ratione tantùm recipientis; respectu verò vi-
sionis, actiuè concurrit, nam intellectus constitutus in
actu primo per formam supranaturalem, concurrit ef-
fectiuè & vitaliter ad visionem. Itaque intellectus com-
paratur ad lumen, & ad virtutem, quam præstat in ra-
tione patientis, sed illustratus iam lumine, & per eius
virtutem actiuam constitutus in actu, comparatur ad
visionem in ratione efficientis.
85 Ad primam confirmationem Resp. esse disparem ra-
tionem inter substantiam aquæ respectu caloris, & in-
tellectum respectu visionis propter repugnantiam aquę
cum calore, quam non dicit intellectus cum visione.
Neque instantia adducta quidquam probat, quia si aqua
non haberet repugnantiam cum calore, etiam si à natu-
ra non esset determinata ad agendum, si calefieret, & in
se reciperet calorem, proculdubiò actiuè cõcurreret ad
86 calefaciendum. Sed quidquid sit de hoc, est maxima dif-
ferentia inter aquam calidam & intellectum: quòd sub-
stantia aquæ non disponitur per calorem intra latitudi-
nem sui obiecti, sed potiùs extrahitur à naturali incli-
natione, & ideò non concurrit ad calefactionem: intel-
lectus verò concurrit actiuè ad visionem, quia per lu-
men gloriæ disponitur intra latitudinem sui obiecti spe
cificantis.
87 Ad secundam confirmationem conceditur, totam
actiuitatem, quam habet intellectus respectu visionis,
prouenire à lumine. Sed intellectus factus lumine glo-
riæ actiuus supranaturaliter, concurrit actiuè ad visio-
nem, habetque in tali actione rationem potentiæ
actiuæ.
88 Ad tertiam confirmationem Resp. quòd lumen glo-
riè propriè loquendo magis habet rationem virtutis
constitutiuæ potentiæ, quàm habitus, nam si omnes
habitus supernaturales induunt rationem potentiæ, su-
premus habitus inter supranaturales, qualis est lumen
gloriæ, quod ponitur ad supremum actum, qui est vide-
re Deum quidditatiuè: magis habebit rationem poten-
tiæ, quàm habitus, ac proinde eleuat intellectum ad no-
uum actum, quem virtute naturali producere non po-
test, constituitq; illum in ratione cuiusdam supernatu-
ralis, & Diuinæ potentiæ, ita quòd intellectus illustratus
lumine gloriæ habet rationem alterius potentiæ altio-
89 ris ordinis, & fit Diuinus intellectus. Ratio autem huius
est, quia habitus præsupponit virtutem potentiæ, per
quam ipsa potentia possit elicere actum, quantùm ad
eius substantiam, habitus verò perficit ipsam, vt promp-
tè & delectabiliter eliciat actum: lumen autem gloriæ
nullam virtutem præsupponit in intellectu, per quam
intellectus possit producere visionem, quantum ad eius
specificam substantiam, sed ipsum lumen est totalis vir-
90 tus productiua visionis beatæ. Neque est inconueniens
quòd ad istum sensum vna potentia superaddatur alteri,
& duæ potentiæ coniungantur ad vnum actum, quia
potentia superior coniungitur inferiori eleuando &
confortando eam, ita vt inferior potentia ex coniunctio-
tione ad superiorem habeat veluti aliam rationem po-
tentiæ, quam non habet ex sua natura, vt cogitatiua in
homine, quæ perficitur ex cõiunctione ad intellectum,
& habet veluti aliam rationem, & alium actum: ita lu-
men gloriæ, quod habet rationem potentiæ, eleuat in-
tellectum, & confortat, faciendo vt attingat rationem
alterius ordinis, quam sua virtute naturali, quantumuis
eleuata, attingere non potest. Item potentiam passiuã, 91
& actiuam non repugnat coniungi, vt ex vtraque fiat
vnum proximum principium operationis: & ita intel-
lectus, qui respectu luminis gloriæ habet rationem po-
tentiæ receptiuæ, & lumen gloriæ, quod habet ratio-
nem potentiæ actiuæ coniunguntur, & ex illis fit vnicũ
& proximum visionis principium interueniente ipsa
Diuina Essentia in ratione speciei vnita. Sed omnia hęc
exactiùs examinabuntur Disputationibus sequentibus.
Reliquum est dissoluere argumenta initio disputatio-
nis proposita Parag. 1.

Soluuntur argumenta. §. V.

AD Primum igitur argumentum principale 92
Resp. quòd Deus verè continetur sub obiecto
specificante intellectum creatum, quia contine-
tur sub ente, vt explicatum est Disput. 1. huius articuli.
Nihilominùs quantùm ad actualem visionem, indiget
intellectus creatus lumine supranaturali, quia non est
actualiter proportionatus, sed maximè excedens. Exem
plum est in lumine excedente dispositionem nostri vi-
sus, quod licèt contineatur sub obiecto specificante po-
tentiam visiuam, non actu ab illa percipitur, nisi con-
fortetur à maiori virtute extrinseca.
Ad probationem Resp. potentias sensitiuas, quia im- 93
perfectiores, ideò ordinari ad obiecta imperfectiora fa-
cilè attingibilia, & proportionata, ita vt quidquid sub
illarum obiectis continetur, vi naturæ perfectè attinge-
re possint. Intellectus verò, eo quòd est superior poten-
tia, specificatur ab obiecto comprehendente non modò
proportionata intelligibilia, sed etiam improportiona-
ta, ardua, atq; præstantissima, quæ perfectè attingere nõ
potest, vi suæ naturæ, sed superioris causæ iuuamine: &
hæc est magna potentiæ excellentia, quòd illius obiec-
tum præexcellentissima comprehendat, & viribus natu
ræ improportionata. Hanc responsionem assignat D. 94
Thomas q. 8. de Verita. art. 3. ad 12. & 13. colligitq; eam
ex Aristotele. Consistit autem huiusmodi præstantia
superioris, & excellentioris potentiæ in eo, quòd tendat
in obiectum amplissimum, & suis viribus attingere pos-
sit vtcumq; omne sub latitudine sui obiecti cõtentum,
etsi non omninò, atque perfectè: hoc enim satis est, quòd
aliquo modo attingat omne contentũ sub suo obiecto.
Vt explicat Capreolus in 4. d. 49. q. 4. ad tertium argu-
mentum Durandi contra primam conclusionem. Ex
quo tandem fit, quòd non repugnet eleuari talem po-
tentiam ad perfectissimum obiectum perfecto modo
cognoscendũ per virtutem supernaturalem, quod qui-
dem repugnaret, huiusq; eleuationis esset incapax po-
tentia, si vi naturæ vtcumque tale obiectum attingere
non posset.
Ad primam confirmationem respondet D Thomas 95
in 4. d. 49. q. 2. artic. 6. ad vltimum, Diuinam Essentiam
non esse frustra intelligibilem, quia etsi per naturam
intelligi

intelligi non posit, potest tamen per gratiam intelligi,
& videri. Secundò Resp. Frustra non habere locum nisi
in his, quæ sunt propter aliud, cùm Frustra ex definitio-
ne Aristotelis 2. Physico. sit id, quod suum finem non
consequitur: at Diuina Essentia non est propter aliud,
sed omnia propter ipsam.

96 Sed adhuc videtur argumentum vrgere, quia Diuina
Essentia non solùm est intelligibilis absolutè, sed intel-
ligibilis ab intellectu creato cósiderata in sua natura &
specie, & secúdùm ordinem naturæ, cùm sub eius obiec
to, quod est intelligibile, à tali intellectu comprehenda-
tur: ergo frustra esset intelligibilis ab intellectu creato,
si nullus creatus intellectus eam intelligere potest ex vi
naturæ. Tum etiam, quia etsi Diuina Essentia nequeat
absolutè dici frustra, potest tamen dici, frustra contineri
sub intelligibili, quod est obiectum intellectus creati,
vel intellectum creatum frustra esse intellectiuum res-
pectu illius. Resp. Deum, eo ipso quòd est intelligibilis
ab intellectu creato, esse ab illo intellectum, & cognitú
vtcumq; : posseq; aliquo modo etsi non perfectissimo
attingi ab illo. Frustra autem esset intelligibilis Diuina
Essentia ab intellectu creato, si illam nullo modo perci
pere posset.

97 Ad secundam confirmationem fatemur, naturam
conferre cuicumq; potentiæ ea, quæ requiruntur ad
omnia contenta sub eius obiecto diuisiné saltem perci-
pienda aliquo modo, non omni perfectissimo: & ita
tribuit species rerum creatarum, quibus Deus vtcumq;
cognosci potest, eo, scilicet, modo, quo pertinet ad na-
turale obiectum intellectus creati.

98 Ad secundum argumentum principale Resp. ratio-
nem adductam esse optimã. Ad primam impugnatio-
nem dicitur, corruptibile, & incorruptibile esse differen
tias per accidens ad rationem visibilis, sicuti & omnes
differentiæ substantiæ per accidens se habent ad ratio-
nem visibilis, cùm substantia sit visibilis per accidens:
tum etiam, quia corruptibile, & incorruptibile sunt ve-
luti specifici quidam gradus contenti sub eodem modo
essendi in hac materia.

99 Ad secundam impugnationem negatur sequella, quia
omnes Angeli conueniunt in eodem gradu creaturæ
spiritualis, & eodem modo essendi in essentia spirituali
suscepti. Differentia autem perfectionis, & imperfec-
tionis est secúdùm magis & minus intra eúdem gradũ.
Et ideò ex hac differentia non prouenit, quòd Angelus
minùs perfectus non cognoscat quidditatiuè perfectio-
rem, sed quòd non ita perfectè, sicut ipse superior, intra
genus tamen cognitionis quidditatiuæ.

100 Ad instantiam adductam Resp. illos modos essendi
non importare gradus alicuius generis, neque vniuocos
necessariò, sed esse quosdam gradus entis, quod cùm sit
analogum, nihil refert in gradus diuidi, in quibus & ana
logia quandoq; reperiatur, tantùm enim requiritur ad
cóstituendum vnicum essendi modum, & vnicum gra-
dum entis, vt ad rationem cognoscibilis, & cognoscen-
tis spectat, quod conueniant in habitudine actus essendi
ad materialitatem, seu potentialitatem, ita vt omnia
corporalia, eo ipso quòd conueniunt in esse, in materia
Physica recepto, sint eiusdem ordinis, & gradus essendi,
& licèt sit ordo, & dependentia inter ipsa materialia, ni-
101 hil refert ad rationem cognoscibilis. Diuiditur autem
in duos modos ex parte cognoscentis, quia ex hac parte
est alia & alia habitudo ipsius esse ad materiam, per hoc
quòd esse posit, vel non posit esse sine tali materia, quę
est dependentia alterius rationis à materia. Secundus
autem gradus essendi non diuiditur in aliquos alios
gradus, quia omnes Angeli eodem modo participant
esse, quod eandem habet habitudinem ad potentialita-
tem essentiæ, in qua suscipitur, taliter quòd sine illa esse
non posit per se subsistens, etsi quidam Angeli hanc ra-
tionem essendi perfectiùs participent, & sint actualio-
res, & spiritualiores, id enim nó multiplicat essendi mo-
dos in ordine ad cognoscibilitatem. Dicuntur autem 102
communiter hi gradus generici propter similitudinem,
& proportionem, quam cum gradibus genericis habent
in hoc, quòd non est necessarium, sint gradus indiuisibi-
les, sicuti specifici, sed diuisibiles esse possunt, & sub se
continere res specie differentes, ita vt hæc ratio generi-
ca, & diuisibilitas conueniat illis permissiuè, & veluti
per non repugnantiam: quod obseruauerim, quia non
omnes isti gradus sunt diuisibiles, continentes sub se res
specie differentes: etenim supremus ille gradus & cog-
noscibilis, & cognoscentis est prorsus indiuisibilis, neq;
vllam habet cum gradu generico proportionem, sed
potiùs est supra omne genus, & ideò dicitur genericus,
idest, supra omne genus, vt adnotat Capreolus. Gradus 103
itẽ cognoscitiui, rationalis, & humani, qui ex parte cog
noscentis vnum gradum constituit, non continet plu-
res species, neque substantiæ, neq; potentiæ, cùm eadem
sit species intellectiuæ potentiæ in omnibus. Gradus au-
tem ille secundus ex parte cognoscibilis, & tertius ex
parte cognoscentis, continet plures Angelorum species.
Quamuis posset aliquis contendere, in ratione cognos- 104
citiui, si attendamus potentiam intellectiuam, esse ean-
dem speciem in cunctis Angelis, vt pote idem obiectum
formale habentem: respectu enim omnium idem vide-
tur esse obiectum, non modò proportionatum, sed spe-
cificatiuum. Et sicut eadem est potentia visiua specie in
ratione potentiæ in cunctis animalibus specie diuersis,
(etsi multiplex sit in ratione proprietatis) propter iden-
titatem obiecti; ita similiter id ipsum dicatur de intel-
lectu Angelico, & tantùm differant diuersorum Ange-
lorum intellectus secundùm magis & minùs in eadem
specie. Sed hoc non est præsentis loci examinare, an illi
modi magis, & minus, perfectioris, & imperfectioris cõ-
ditionis sint specifici, & essentiales, sicut claritas, & obs-
curitas in quibusdam habitibus, vel non. In alijs tandem 105
gradibus cognoscibilis materialis, & cognoscentis sen-
sitiui reperitur multiplicitas specifica, & ideò dicuntur
generici gradus permissiuè, possuntq; dici propter ean-
dem similitudinem, & proportionem, quam habent cũ
genere logico, gradus generis logici: & quia desumun-
tur à similitudine, vel ex habitudine ad materiam Phy-
sicam, vel à potentialitate, quæ est veluti participatio
quædam materiæ primæ, quæ est pura potentia, pos-
sunt dici ad genera Physica aliquo modo pertinere. Et
quia desumũtur ex habitudine esse, & essentiæ, quæ est
Methaphysica compositio, dici possunt genera Metha-
physica. Et tandem potest dici, in illis gradibus directè 106
contineri ea tantùm, quæ per se subsistunt, vel susci-
piunt esse, vt subsistentia, & in seipsis existentia: &
hæc conueniunt in ratione vniuoca in quocumque
gradu: accidentia autem reductiuè pertinent ad gra-
dum, in quo est substantia, cui inhærent. Ex his

ergo

Digitized by Google

ergo patet responsio ad replicam.

107 Ad tertium Resp. quòd licèt lumen gloriæ sit creatura, est tamen ordinis Diuini. Ad hoc autem vt actio creata attingat Deum in se, sufficit, vel quòd potentia sit ordinis Diuini, vel quòd eleuetur ab accidenti ordinis Diuini, eò vel maximè quòd simul cum lumine & intellectu concurrit Diuina Essentia tanquam principiū, & intellectus cum Essentia Diuina, & lumine gloriæ bene proportionatur & æquiparatur Deo viso.

108 Deinde admittimus secundam solutionem, & ad primam instantiam Resp. non esse voluntariè sed rationabiliter dictum, vt constat ex fundamentis, quibus rationem quartam exposuimus, quæ de naturali cognitione procedunt. Etenim ad perfectam cognitionem vi naturæ habendam necessaria est proportio inter cognoscentem & cognitum in modo essendi: quia potentia cognoscitiua, & species cognoscibiles naturaliter cōuenientes sunt naturę cognoscentis proportionatæ: eo cumq; namque naturæ cognoscentis iuxta modum suæ naturæ, sunt debitæ species, quibus cognoscat, suntq; illi cō-

109 naturales: & ita debent habere modum essendi cognoscentis, & non inferiorem modum modo essendi cogniti, aliàs imperfectè & diminutè ipsum repræsentarent. At in supernaturali cognitione, cùm cognoscens eleuetur supra suam naturam ad obiectum improportionatum, non est necesse, vt cognoscens & cognitum in modo essendi proportionentur, etiam considerato cognoscente secundùm illam formam supernaturalem, quam suscipit ad talem cognitionem: quamuis in alijs præter essendi modum seruetur proportio.

110 Ad id, quod in argumento adducitur nempe, supernaturalia disponi à Deo ad modum naturalium, fatendum est, seruari aliqualem modum, & proportionem, quantum possibile fuerit, & ita seruatur aliqualis proportio inter lumen gloriæ, & Deum, illa tamen non est in modo essendi.

111 Ad illud præterea, quòd etiam in supernaturalibus cognitionibus, cognitum debet esse in cognoscente, ac proinde secundùm cognoscentis modum, Resp. cognitū esse in cognoscente secundùm sui speciem, & ideò quòd species recipitur in cognoscente, vt in omni naturali cognitione, necessum est, habeat modum cognoscentis, cùm omne receptum sit ad modum recipientis. At in visione beatifica cognitum talitèr est vnitum in ratione speciei intellectui, quòd non est in illo susceptum, sed manet per se subsistens, ideóq; non habet modum cognoscentis; sed retinet propriū, non enim suscipit aliquod esse à cognoscente, vt aliæ species, sed actuat, & actum tribuit, nihil suscipiens.

112 Ad vltimam instantiam Resp. primò, in cognitione naturali quidditatiua totam proportionem desumi ex eo, quòd cognitio debet fieri secundùm modum essendi naturæ cognoscentis, cui proinde necessum est, cognitum proportionetur in modo essendi, quia ex natura cognoscentis dimanat potentia cognoscitiua, & tota vis cognoscendi, cui debentur à natura proportionatæ species: in speciebusq; est cognitum ipsum: at cognitio supernaturalis, eo quòd supernaturalis & improportionata est naturæ cognoscentis, hominis V.G. Lumen autem gloriæ superadditum ad visionem beatificam non est natura ipsa videntis, neque illius propria potentia, sed confortans illam; ideò necessariam non est, modū cognitionis, & cogniti esse secundùm modum naturæ luminis gloriæ, & eò ipso, quòd non est necesse, sit secundùm modum naturæ cognoscentis, ita neque confortantis, præsertim, quòd lumen gloriæ, quamtumcumq; supernaturale, cùm suscipiatur in homine, participat aliquo pacto modum essendi hominis.

Secundò Resp. in cognitionibus naturalibus cognitū debere proportionari in modo essendi cum cognoscente, eo quòd est, & suscipitur in illo: at in visione beatifica non suscipitur neque in intellectu, neque in lumine gloriæ ipsa Diuina Essentia, & ita cùm nullius natura debet conuenire in modo essendi, quamtumcumq; ex sua natura lumen gloriæ sit ipsius visionis principium. 113

Tertiò respondetur, in cognitione quacumq; debere proportionari cognitum in modo essendi cum cognoscente, cuius est propria talis cognitio, primò & per se illi conueniens, & cuius cognitum est proprium obiectum; non cum illa natura, cui conuenit esse principium talis cognitionis per quandam participationem, inquantùm est participatio quædam specialis deriuata & communicata à proprio cognoscente: & tale est lumen gloriæ, quod est quædam Diuini luminis participatio, cui visio clara correspondet, quæ est propria Dei: creaturæ verò, per quandam participationem, & ita cognitum primò & per se proportionatur cognoscenti, non naturæ. 114

Secundò Resp. ad argumentum tertium principale cum Ferrariensi, intellectum lumine gloriæ illustratum proportionari in modo essendi cum ipso Deo, & esse aliquo pacto eiusdem modi essendi, non quòd intellectus, vt est tali lumine informatus, vel ipsum lumen sit suum esse, sed quia illud lumen est quædam participatio Dei, qui est suum esse, ac proinde pertinet ad eundem ordinem cum re, quæ est suum esse. Vel dicito cum Capreolo, intellectum beatum, per actum primum, quo elicit visionem proportionari in modo essendi cum ipso Deo, quatenùs habet vnitam Diuinam Essentiam, quæ est ipsum esse, sicut & obiectum cognitum. Et ita in esse intelligibili intellectus beati, & Diuina Essentia cōueniunt in modo essendi, hoc est, considerato intellectu secundùm actum primum, quo actuatur. Et hac etiā ratione dicitur proportionari per lumen gloriæ, quatenùs disponit intellectū ad vnionem Diuinæ Essentiæ. 115 116

Ad quartum principale rectè ibidem responsum est. Ad replicam autem Resp. superiora imperfectè ac diminutè contineri in inferioribus, & ideò in illis non nisi confusè & diminutè cognosci posse: at inferiora perfectè in superioribus continentur, vel in Essentia Diuina, tanquam in prima & suprema causa, vel in speciebus superioris ordinis, quibus perfectè repræsentantur: & ideò perfectissimè cognoscuntur inferiora in superioribus, & à superioribus, quæ modum essendi habent superiorem. Vel dicendum, quòd cùm omnis cognitio fiat per modum cuiusdam immaterialitatis, ita vt ea, quæ in se sunt prorsus materialia, debeant habere aliquam immaterialitatem in cognoscente, quantò modus essendi cognoscentis est superior, & immaterialior, tantò cognoscibile est immaterialius in cognoscente, quod iuuat ad cognitionis perfectionem. Neque ex hoc sequitur, non cognosci rem in superiori modo essendi, sicuti est, imò maximè cognoscitur sicuti est in specie superiori, & perfectiùs repræsentatur, sicuti est; ex parte, 117 118 119

rei

rei cognitæ, ita vt ipse modus, quem habet res cognita, distinctè cognoscatur. Non tamen cognoscitur, sicuti est ex parte cognoscentis, & cognitionis: hoc est, quòd idem sit modus cognitionis, & rei cognitæ.

120 Ad quintum Resp. conceptum entis in sua latitudine, qui viribus naturæ habetur, non esse perfectum, & quidditatiuum, sed confusum, & imperfectissimum, repræsentantem rationem analogiæm. Et istum conceptum habet Methaphysicus. habet etiam euidentem cognitionem, quãtùm ad, An est, entis immaterialis, primi entis, supremæq; causæ, ac puri actus, non tamen quidditatiuam, sed per habitudinem ad res materiales ista cognos-
121 cit Methaphysicus. Et tandem ex his, vtcumq; euidenter cognitis per aliqualem descriptionem (non per veram definitionem, quam neque eas, inquantum eas habere potest, neque proinde obiectum Methaphysicæ, & Deus multò minùs, cum genere & differentia non componatur) supposita euidente cognitione, quantùm ad An est, demonstrat propriam passionem de subiecto, & Dei attributa de ipso Deo, nempe, quòd sit purus actus, infinitus &c. In quibus demonstrationibus euidens conclusio infertur per euidentem consequentiam de euidenti-
122 bus principijs, in qua conclusione euidenter cognoscitur connexio prædicati cum subiecto, & propriæ passionis, vel attributi cum illo, cuius est passio, vel attributum, licet neq; subiectum, neq; prædicatum quidditatiuè cognoscatur: & hoc sufficit, vt Methaphysica à nobis comparata sit vera scientia, & pluris facienda, quàm aliæ scientiæ, in quibus per quidditatiuam definitionem passio de subiecto demonstratur, quia præstat pauca & minus perfectè de superioribus nosse, quàm plura de inferioribus perfectissimè, vt docet Aristoteles in libro de Cælo. Illud igitur obiectum est proportionatum Methaphysicæ, & consequenter nostro intellectui, quãtùm ad An est, euidenter cognoscendum, non quoad quidditatiuam cognitionem.

123 Ad sextum cum sua confirmatione patet ex dictis in secunda obseruatione Parag. 3. Solùm est aduertendũ pro responsione ad confirmationem, modum essendi cognitionis non debere esse tantùm secundùm modum essendi principij cognitionis, quod est species, vel potentia, sed etiam secundùm modum essendi, ipsius cognoscentis, & illius naturæ, vt adnotauimus in secunda obseruatione, & docet D. Thomas in 4. d. 49. q. 2. art. 3. ad 9. & q. 8. de Veritate art. 2. ad 3. Et reddit rationem, quia actio non solùm tribuitur formæ, sed & composito, & ideò illi proportionatur.

124 Ad septimum respondet Capreolus loco citato ad 2. Scoti contra 2. conclus. cognitionem perfectã, & quidditatiuam debere esse secundùm modum naturæ cognoscentis, & secundùm etiam naturam cognoscibilis: cognoscentis quidem propter ea, quæ supra adnotauimus, & cognoscibilis, quia debet fieri per formam perfectè repræsentantem obiectum, sicuti est.

125 Quòd si roges, An modus cognitionis potiùs sumatur ex modo essendi cognoscentis, quàm cogniti, An è contra, Resp. cognitionem potiùs fieri debere secùdùm modum cognoscentis, quàm cogniti, tum quia cognitio & cognitum ipsum suscipitur in cognoscente, & non è contra. Et quamuis id, quod suscipitur in aliquo sit quodammodò forma respectu illius, susceptũ tamen est ad modum suscipientis, & non è contra: quod præsertim habet verum, quando suscipiens est ens in actu, & non pura potentia: vt cõstat in vase suscipiente aquam, quam modificat, & sui figuram illi tribuit. Et huius ratio est, quia suscipiens continet, & conseruat susceptum.

Secundò Resp. ad argumentum, primam regulam, & 126
mensurã naturalis cognitionis perfectæ ex modo cognoscentis desumi, ita vt naturalis cognitio, si habeat modum essendi ipsius cogniti, ex eo proueniat, quòd cognitum debet habere modum essendi cognoscentis, & non è contra: & idem est in cognitionibus supranaturalibus, in quibus cognitio quidditatiua, & clara Dei visio est secundùm modum cognoscentis, quatenùs est particeps Diuinæ Naturæ per gratiam, informatusque lumine gloriæ, non tamen est secundùm modum essendi ipsius Dei habens eundem essendi modum, qui est, esse purum actum, quod tantùm conuenit comprehensiuæ 127
cognitioni, vt colligitur ex D. Thoma q. 8. de Veritate art. 2. quia in tali cognitione, non est necesse, vt cognitum habeat modum essendi cognoscentis, & ideò semper saluatur in quacũq; cognitione quidditatiua, quòd sit secundùm modum cognoscentis, vt sic: non tamen semper, quòd modus essendi cognitionis sit secundùm modum essendi cogniti, ac proinde ad modum essendi cognoscentis tanquam ad primam, fundamentalem, & necessariam regulam sunt omnia expendenda, & inde sumendus modus cognitionis necessarius.

Ad primam confirmationem Resp. primò cognitum 128
efficere sibi similem cognoscentem in natura specifica per speciem intelligibilem, quæ est eiusdem speciei cum cognito, non tamen in modo essendi, sed potiùs è contra modus essendi speciei est secundùm modum essendi cognoscentis, & non cogniti, ita vt species rei materialis in cognoscente immateriali sit quidem materialis naturæ, siue formaliter, siue eminenter, habeat tamen modum essendi immaterialem.

Dicendum secùdò: cognoscibile assimilare sibi cog- 129
noscentem, quatenùs est in cognoscente: at prout est in cognoscente, habet modũ essendi cognoscentis, & non è contra. Itaque cognitum in cognoscente non habet modum essendi proprium, sed cognoscentis, vt lapis in intellectu nõ habet modum essendi materialem, vt docet D. Thomas 1. p. q. 14. art. 1. ad 3.

Dicendum est tertiò, cognoscentem assimilari cog- 130
nito, quatenùs cognoscens fit alia à se, hoc est: rei illæ, quas cognoscit, efficitur, & quia vnumquodq; secùdùm modum essendi, quem in se habet, fit alia à se, ita vt cognitum assimilari perfectè, vel imperfectè cognoscenti, non proueniat ex modo essendi perfecto, vel imperfecto cognoscibilis, sed ex modo essendi ipsius cognoscentis: etenim quantò modus essendi cognoscentis perfectior, & altior fuerit, tantò perfectiùs assimilatur cognito. Si autem imperfectior fuerit, imperfectè, & diminu- 131
tè assimilatur illi per species imperfectiores, & proportionatas suo modo essendi: & ideò mensura illius assimilationis ex modo essendi cognoscentis est desumenda. Et, quamuis demus, totam proportionem inter cognoscentem, & cognoscibile desumi ex specie, quæ ex parte cognoscibilis se tenet, illa tamen debet necessariò habere modum essendi cognoscentis, esseq; illi proportionata, non modò quatenùs est accidens quoddam in ipso susceptum, verùmetiam, quatenùs est similitudo: quia

Digitized by Google

132 quia ſi natura cognoſcens habet modum eſſendi, vel ſuperiorem, vel inferiorem modo eſſendi cogniti, ſpecies perfectè illud repreſentabit, ſi minùs perfectum, & inferius, imperfectè, ſi naturalis, naturaliter repreſentabit, ſi ſpiritualis, ſpiritualiter &c. Deniq; licèt ſpecies in ratione ſimilitudinis dicatur tenere ſe ex parte obiecti, in ratione tamen principij cognitionis tenet ſe ex parte cognoſcentis, cui eſt debita à natura, à qua vel profluit ipſa, vel vis ad illam comparandam, & omnibus modis eſt illi proportionata.

133 Ad ſecundam cõfirmationem patet ex dictis, ex hoc, quòd cognoſcens efficiatur res cognita, potiùs colligi, quòd cognitum habeat modum eſſendi cognitionis, quàm è contra.

134 Ad tertiam confirmationem Reſp. ſpeciem eſſe eiuſdem rationis ſpecificæ cum obiecto repreſentato, non tamen eiuſdem modi eſſendi primò & per ſe, ſed in hoc conuenit cum cognoſcente, ita vt ſpecies lapidis, quæ eſt in intellectu, ſit lapis, non ſecundùm eſſendi modum materialem, quem habet lapis in ſe, ſed ſecundùm modũ eſſendi immaterialem, quem habet intellectus, quod nõ repugnat; quia cùm ſpecies ſit lapis intentionaliter, non realiter, poteſt habere alium modum eſſendi à modo proprio lapidis, qua ratione recipitur in aliquo imma-

135 teriali. Neq; eſt neceſſarium, ſpeciem quidditatiuam eſſe eiuſdem ordinis cum re repreſentata, ſed poteſt eſſe ſuperioris: eſt tamen in cognitionibus naturalibus eiuſdem ordinis cum cognoſcente. Et ſi interdum habet ſpecies modum eſſendi cogniti, hoc eſt veluti mediatè, quia cognitum cõuenit in modo eſſendi cum cognoſcente, vt in Angelis, & in ſenſibus. Et in ſenſibus etiam non eſt res ita materialis, ſicut in ſeipſa.

136 Ad octauum argumentum reſpondet Capreolus negando antecedens, imò exceſſus obiecti obſtat perfectæ & claræ cognitioni naturali, vt conſtat ex dictis: quod etiam docet D. Thomas q. 2. de Anima artic. 16. ad 5. aſſerens, quòd licèt intellectus non habeat organum, quod ab intelligibili excedente poſsit corrumpi, aliquod tamen excedens intelligibile poteſt excedere facultatem intellectus.

137 Ad illud de claritate ſolis reſpondet idem Capreolus loco citato ad argumenta Durandi, quòd etiam ſi oculus noctuæ non læderetur à claritate ſolis, adhùc illam videre non poſſet, quia non eſt capax naturaliter actus primi reſpectu talis viſionis, quod ſine dubio intelligit Capreolus de ſpecie, exiſtimans in oculis noctuæ ſuſcipi non poſſe.

138 Sed faciliùs Reſp. quòd etiam ſi concedatur, claritatem ſolis per accidens videri non poſſe ab oculo noctuæ, & excellentiam ſenſibilis per accidens impedire ſenſationem, non inde ſequi, quòd excellentia intelligibilis per accidens impediat intellectionem; quia quodcumq; ſenſibile, quantumcumq; excedens eſt proportionatum obiectum per ſe loquendo ſenſus, licèt per accidens ob debilitatem ſenſus in aliquo ſubiecto impediat. At non

139 omne intelligibile eſt proportionatum potentiæ propter vniuerſalitatem & excellentiam intellectus, qui etiã ad improportionata ſe extendit. Vnde exceſſus ſenſibilis excellentis ſupra ſenſum eſt exceſſus ſecundùm quid in hoc vel illo indiuiduo, non ſimpliciter: exceſſus, autem intelligibilis præſtantiſsimi eſt exceſſus ſimpliciter cõparatione ad totam ſpeciem potentiæ.

Deniq; Reſp. cum D. Thoma q. citata de Anima, excellens ſenſibile impedire ſenſationem: tum propter exceſſum ſupra ſenſum, & improportionem, tum etiam propter organi læſionem, quamuis hoc ſecundùm cenſeatur impedimentum per accidens, non tamen primum. 140

Ad confirmationem negatur, omne contentum ſub formali & adæquato obiecto eſſe proportionatum potentiæ, & negatur ſimiliter, quòd cõtineri ſub adæquato & formali, ſit proportionari cum potentia; imò verò hæc continentia nihil aliud importat, quàm poſſe potentiam ſuis viribus illud attingere vtcumq;, etſi non perfectè, vel potentiã per ſuperiorem virtutem ad illud eleuari. 141

Nonum argumentum petit deciſionem illius difficultatis, An intellectum creatum eſſe capacem Diuinæ viſionis, eſſeque poſsibilem huiuſmodi viſionem, ſit demonſtrabile, & naturali ratione cognoſcibile. Scotus in 4. d. 49. q. 8. tenet partem affirmatiuam. Sed eius ſententia eſt falſa, & omninò improbabilis. Vnde ad argumentum negatur, illos diſcurſus eſſe demonſtratiuos. Et primus quidem, ſiquid probat, tantùm conuincit, potentiã intellectiuam poſſe vtcumq; attingere Diuinæ Eſſentiæ cognitionem qualemcumque: neque in alio ſenſu habet euidentiam illa propoſitio (ſiquam habet) nempe, omnis potentia attingere, vel eleuari poteſt ad omne contentum ſub latitudine ſui obiecti, præſertim ſi potentia eſt ex illis perfectioribus, quæ ſub latitudine proprij obiecti aliquid improportionatum continent. 142

Item Reſp. ſecundum diſcurſum non eſſe demonſtratiuum, quia non eſt euidens lumine naturali, non implicare cõtradictionem, quòd intellectus creatus videat Deum per eſſentiam, tum, quia non eſt euidens, quòd nõ repugnet naturæ & potentiæ eleuari ad improportionatum obiectum perfectè attingendum, effcique proportionatam cum obiecto improportionato: tum etiã, quia in ratione naturali poſſet dici, non minùs repugnare, vnam potentiam præcipuè vitalem ad actum, & obiectum alterius proprium, & proportionatum eleuari, quàm vnam naturam ad alterius naturæ, & ſpeciei 143
rationem, & perfectionem peruenire. Cùm ergo Deus 144
ipſe ſit obiectum proportionatum Diuini intellectus, Deumq; per eſſentiam videre, ſit proprius actus Diuini intellectus, non eſt euidens, non repugnare intellectum creatum eleuari poſſe ad claram illam viſionem. Et tandem, quia cùm implicet contradictionem, hanc viſionem fieri ſine vnione Diuinæ Eſſentiæ cum intellectu in ratione ſpeciei, & non ſit euidens, non implicare contradictionem, Diuinam Eſſentiam hoc modo vniri, & actuare intellectum ſine informatione, cùm in natura nuſquam inueniatur huiuſmodi actuatio ſine informatione, ideò lumen naturæ nequit euidens iudicium de illius viſionis poſsibilitate habere.

Tertia denique ratio nihil demonſtrat, ſed aſſumit probandum, nempe, viſionem Dei claram eſſe formam accidentalem, nam eſſe formam accidentalem, vel ſubſtantialem præſupponit eſſe poſsibilem, quod enim eſt impoſsibile, neque eſt ſubſtantia, neque accidens. Et ideò cùm non ſit euidens, viſionem Dei claram eſſe poſsibilem, vt importat creatam actionem: neq; conſtat etiam, quòd ſit ſubſtantia, vel accidens, aut potiùs 145

quid

quid chimericum. Vel si sermo sit de visione Dei clara in abstractione à principio elicitiuo, non est euidens esse aliud quid, quàm substantia quædam increata, cùm non sit euidens, esse aliam claram visionem, præter Diuinam, qua Deus seipsum videt, quæ quidem est substantia.

QVINTA DISPVTATIO.

CONSTITVTO Christum Dominum ex proprijs viribus naturæ Deum non cognouisse, nec cognoscere potuisse, dubitatur, An intellectus creatus illiut indiguerit lumine supernaturali ad huiusmodi cognitionem, vt D. Thomas tanquã certum præsupponit in responsione ad primum huius articuli. Et pro parte negante sit primum argumentum.

1 Ipse Deus ingreditur intellectum Christi Domini: sed Deus est maximè visibilis, & illustratus, ergo vt videatur, non indiget lumine superaddito, quod illustret obiectum. Dices, lumen non poni ad illustrandum obiectum, sed ad confortandam potentiam. Contra. Diuina Essentia ponitur in potentia vnita in ratione speciei, & sufficienter determinat potentiam; ergo ex vi illius redditur ipsa potentia proximè habilis ad videndum Deum, & consequenter lumen nũ est necessarium, sed superfluum.

2 Secundò. Lumen maximè ponitur, vt fiat proportio inter potentiam & obiectum: sed adhuc posito lumine in intellectu Christi, manet improportionatus respectu Dei: ergo illud non requiritur, sed est impertinens. Minor probatur, quia illud lumen est creatum, in quo esse ab Essentia distinguitur; ergo non habet proportionem cum Deo in seipso. Patet consequentia, quia ideò intellectus non habet proportionem cum Diuina Essentia, quia est potentia creata, cuius esse & essentia distinguuntur.

3 Tertiò, quia sequeretur, naturam humanam à Verbo assumptam indigere etiam aliqua dispositione, qua mediante illi communicaretur esse Diuinum: sed consequens est contra D. Thomam supra quæst. 7. art. vltimo; ergo. Probatur sequella, quia sic distat in essendo natura creata ab increata, sicut distat in intelligendo potentia limitata ab illimitato obiecto; ergo sicut ex parte potentiæ requiritur lumen disponens ad vnionem Diuinæ Essentiæ cũ intellectu, requiritur etiam aliqua dispositio ex parte humanitatis, quæ sit supernaturalis, & disponens ad vnionem.

4 Quartò. Istud lumen, quamuis sit supranaturale, non postulat præuiã dispositionem sui ordinis: ergo neque visio præsupponit dispositionem supranaturalem, atq; adeò non requiritur lumen, tanquam dispositio.

5 Quintò. Sequeretur, quòd Angelus perfectiùs cognosceret Deum per suam substantiam, quàm per lumen. Probatur sequella: quia præstantior est Angeli substantia in ratione essendi, quàm natura luminis, quæ est accidens habens esse dependens ab intellectu creato; ergo Angelus per suam substãtiam meliùs cognoscet Deum, quàm per lumen.

6 Sextò. Per Diuinam Essentiam vnitam intellectui Christi in ratione speciei intelligibilis, constituitur intellectus illius in actu primo sufficienti ad actum secundum visionis eliciendum; ergo non requiritur lumen gloriæ, neque aliud quidpiam præter hanc vnionem. Consequentia patet, quia præter potentiam & speciem, qua in actu primo constituitur, nihil aliud requiritur ad actum secundum.

Dices, requiri lumen gloriæ ad hanc speciem comparandam, sicut requiritur lumen intellectus agentis, vt possibilis intellectus informetur. Contra. Lumen intellectus agentis requiritur ad cognitionem non ex parte intellectus possibilis, sed ex parte obiecti ad species eliciendas; sed lumen gloriæ non requiritur ex parte ipsius Dei, neque ad speciem intelligibilem eliciendam, cùm ipsemet secundùm se sit species intelligibilis: ergo. 7

Confirmatur. Per vnionem Diuinæ Essentiæ cum intellectu, satis eleuatur intellectus ad Deum videndum, & per illam proportionatur infinito tali obiecto, imò per nihil aliud finitum, & creatum proportionari potest; ergo. 8

Septimò. Non datur species creata, quæ intellectum constituat in actu primo ad Deum clarè videndum, ergo neque lumen creatum dari potest. Patet consequentia, quia si daretur, constitueret intellectum in actu primo ad Deum clarè intuendum, & sua vi reduceret illum ad actum secundum. 9

Confirmatur. Omnia inconuenientia quæ ex creatæ speciei positione sequuntur ad visionem Dei, sequuntur ex positione luminis gloriæ creati; ergo pariter reijciendum est, sicut species creata. Antecedens probatur: quia sicut species creata esset inferioris ordinis à Deo, sic etiam illud lumen creatum est inferioris ordinis à Deo. Item sicut species creata esset multò minùs immaterialis, quàm Diuina Essentia, ita & illud lumen: cùm illa sit actus purus, istud verò non. Et tandem sicut ad Deum repræsentandum sicuti est, requiritur species infinita, sic etiam ad Deum videndum sicuti est, requiritur lumen infinitum, cùm vtrumq; ad idem obiectum infinitum comparetur: ergo. 10

Octauo. Deus vnitur intellectui in ratione speciei intelligibilis, quia est per suam essentiam actu intelligibilis, vnitur etiam in ratione Verbi, quia ipse essentialiter est cognitum; ergo etiam vnitur in ratione luminis intellectualis, cùm sit ipse essentialiter ipsum lumen intelligibile, ac proinde non requiritur aliquod creatum lumen. Alia plura argumenta solent adduci, sed hæc sunt grauiora. Et pro eorum solutione aduertendum est hîc sermonem institui de necessitate luminis gloriæ secundùm legem ordinariam, & de lumine absolutè, prout dicitur tam de lumine permanente, quàm de illustratione transeunte, & quæ per modum coruscationis potest intelligi in mente beati. 11 12

Vnde sit Prima Conclusio. Intellectus Christi creatus indiguit lumine gloriæ creato ad cognoscendum Deum quidditatiuè, & secundùm essentiam. Hæc conclusio intellecta de lumine absolutè est de fide tenenda, & colligitur ex multis locis Sacræ Scripturæ, Psalm. 35. *In lumine tuo videbimus lumen.* Et Psalm. 103. *Amictus lumine sicut vestimento.* Ad illuminandum scilicet. Et Isaiæ 60. *Non erit tibi ampliùs Sol ad lucendum per diem, nec splendor Lunæ illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* Et Apocalip. 21. de Ciuitate Beatorum dicitur. *Ciuitas non eget Sole, neque Luna, vt luceant in ea, quia claritas Dei illuminabit illam.* Et Ioan. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem &c.* Et 1. ad 13

Timo. vltimo, *Lucem habitat inaccessibilem.* Et 1. Ioan. 1. *Deus lux est.* Et cap 3, *Cùm apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est.* Hæc autem similitudo, vt ait D. Thomas, in hoc consistit, quòd participes erimus luminis gloriæ, quo efficiemur deiformes. Probatur etiam ex Concilio Viennensi, quod habetur in Clementina Ad nostrum, de hæreticis, vbi contra Begardos, & Beguinas definitur, esse errorem negare lumen eleuans mentes beatorum.

14 Consentiunt etiam omnes Sancti Patres in hac conclusione, & omnes Theologi, paucis exceptis, qui ideò notam erroris effugiunt, quia nondum in Concilio id fuerat de omnibus beatis definitum. Et probatur manifesta ratione. Ad omnem cognitionem ponitur lumen, quod manifestet obiectum, vt ad cognitionem naturalem ponitur lumen naturale, & ad cognitionem fidei lumen fidei; ergo ad visionem Dei claram multò magis est constituendum. Patet consequentia, quia Deus fit manifestus intellectui: ergo medio aliquo lumine manifestatur. Sicut enim quod manifestatur, habet rationem illustrati; sic quod manifestat, est lumen. Hoc autem lumen, quod manifestat Deum, dicitur lumen gloriæ, tum, quia est proprium status gloriæ, tum etiam, quia illud lumen manifestat gloriam Dei.

15 Secunda Conclusio. Non est certum secundùm fidem, lumen gloriæ esse qualitatem quandam permanentem, & creatam, quæ confortet potentiam, est tamen temerarium id negare. Prima pars est contra quosdam Theologos asserentes tanquam dogma fidei, lumen per modum habitus reperiri in beatis. Sed nostrã conclusionem docent M. Soto in 4 d. 49. quæst. 2. artic. 4. & M. Bañes 1. p. quæst. 12. artic. 5. qui ait, hanc sententiam esse communem recentium Theologorum. Et probatur, quia ex sacris literis non colligitur apertè requiri lumen habituale, sed requiri lumen: posset autem auxilium aliquod actuale vocari lumen, vt si ponatur illustratio aliqua per modum actus & motus.

16 Item neque id colligitur apertè ex illa Clementina, quia ibi solùm per se definitur, requiri tale lumen, ex cuius necessitate appareat, beatitudinem esse supra naturam intellectus creati: quæ definitio satis consistit, si qualecumque lumen supernaturale requiritur ad beatam visionem: vnde non est certum quod Caietanus 1. p. quæst. 12. art. 5. & Ferrar. 3. contra Gentes cap. 54. dicunt, esse definitum in illa Clementina, requiri ad visionem lumen habituale. Quòd autem sit temerarium negare esse aliquam qualitatem, colligitur ex locis Sacræ Scripturæ anteà citatis, in quibus planè videtur, esse sermonem de aliquo lumine naturâ sua permanente in intellectu beati: & colligitur ex natura status, & beatitudinis: hæc enim permanentiam habet, & in perpetuum durabit; ergo lumen requisitum ad ipsam beatitudinem erit permanens, & inhærens.

17 In hac parte conueniunt communiter omnes Theologi. Et probatur ratione. Certum est secundùm fidem, Christum Dominum, Deum intueri; sed non videret, nisi eius intellectus in actu primo confortaretur per qualitatem supernaturalem luminis gloriæ; ergo sine temeritate negari non potest, lumen gloriæ esse qualitatem necessariam ad Dei visionem. Minor probatur, quia Deus de lege ordinaria non solet concurrere cũ potentijs ad actus excedentes naturalem earum facultatem, qualis est visio Dei, nisi eas perficiendo, & roborando per aliquas formas supranaturales, quibus idoneæ, & proportionatæ reddantur, ad huiusmodi actus vel simpliciter, vel saltem, promptiùs & faciliùs eliciendos.

18 Ad primum argumentum rectè ibidem satisfactum est. Ad impugnationem Resp. Diuinam Essentiam propriè loquendo non confortare intellectum, quia quodlibet confortatiuum tenet se ex parte potentiæ: at Diuina Essentia in ratione speciei vnita non se tenet ex parte intellectus, sed potiùs ex parte obiecti, cuius vicem gerit: & constat in humanis, vbi in rigore Physico lumen, vel habitus dicuntur confortare intellectum, species verò non confortat, sed determinat.

19 Ad secundum Resp. quòd eodem argumento posset probari, neque intellectum posse credere per lumen infusum, neque voluntatem posse diligere per habitum charitatis, siquidem manent intra limites principij creati, ac per consequens infinitè distantis à Deo, qui est obiectum fidei, & charitatis. Et eodem argumento probaretur, esse impossibile etiam de potentia absoluta, quòd intellectus creatus posset videre Deum, nam semper, quantumuis eleuetur, & per quamcumq; formã, etiam præstantissimam, manet intra limites creaturæ, & multò inferior. Resp. ergo, quòd licèt inter intellectũ illustratum lumine beato, & Deum in se sit infinita distantia, & non sit proportio geometrica, nihilominùs tamen potest intellectus percipere Deum in se, quia per lumen manet eiusdem ordinis cum Deo, & est proportio sufficiens, & requisita in genere intelligibilis.

20 Ad tertium negatur sequella, & ratio discriminis est, quia Verbum immediatè communicat suum esse naturæ humanæ, vt substantialiter & personaliter existat, & terminetur. Quare vnio debet esse immediata inter Verbum & naturam humanam, sicut etiam increatis esse substantiale immediatè vnitur, & personalitas non terminat naturam media dispositione accidentali, & præuia. 21 Cæterùm Diuina Essentia vnitur intellectui, non vt intellectus existat, sed vt iam existens operetur, & videat. Hoc autem exequi non potest, nisi in seipso per lumen superueniens roboretur; siquidem non fit potens ad visionem Essentiæ Diuinæ simpliciter, nisi adueniat illi virtus supranaturalis. Quare non est eadem ratio in vnione Verbi cum natura humana, & Diuinæ Essentiæ cum intellectu.

22 Ad quartum Resp. quòd lumen non requirit aliam præuiam dispositionem ex parte potentiæ, quia vnitur vt comprincipium, & vt forma tenens se ex parte intellectus. At verò Diuina Essentia vnitur in ratione speciei, & vt gerens vicem obiecti, & ideò supponit potentiam plenè & simpliciter potentem, quòd absq; lumine fieri non potest.

23 Ad quintũ negatur sequella, quia licèt in genere entis substantia sit præstantior accidenti, etiam supranaturali in genere tamen intelligibilis præstat accidens, quia est principium actionis supernaturalis, & eiusdem ordinis cum Deo.

24 Ad sextum respondetur præter speciem intelligibilem requiri in intellectu vim, atque efficaciam ad actum secundum eliciendũ, & ideò pręter vnionem Diuinæ Essentię cum intellectu requiritur lumen gloriæ, nõ

solum

ſolùm vt fiat hæc vnio,ſed etiam,vt illa ſuppoſita intellectus ſit potens ad viſionem eliciendam. Tum etiam, quia licet Diuina Eſſentia vnita in ratione ſpeciei intelligibilis ſit actus primus intellectus, non eſt tamen intrinſecus actus eius, & ideò præter illam neceſſaria eſt aliqua vis intrinſeca in ipſo intellectu ſuſcepta,qua operetur,& potens efficiatur.Ad replicā contra ſolutionem ibidem datam Reſp. lumen gloriæ requiri non ad ſpeciem elicendam, & abſtrahendam, ſed ad ipſam ſuſcipiendam ex parte intellectus.

25

26 Ad confirmationem reſpondetur per vnionem Diuinæ Eſſentiæ cum intellectu, eleuari quidem intellectum, & actualiter proportionari, cùm per illam in actu primo conſtituatur. Verùmtamen ante hanc actualem eleuationem prærequiritur eleuatio, & proportio habitualis, ſeu potentialis, qua conſtituatur potentia talis actus ſuſceptiua. Prærequiritur item diſpoſitio ad illam formam ſuſcipiendam. Tandem per illam vnionem proportionatur intellectus eum viſione veluti extrinſecè, & ideò præter illam requiritur proportio quædam ipſi Intellectui intrinſeca.

27 Ad ſeptimum negatur conſequentia, quia ſpeciet debet eſſe adæquata obiecto, cùm ſe teneat ex parte obiecti,& ſit naturalis illius ſimilitudo: at lumen gloriæ, non eſt neceſſe, adæquetur obiecto. Ad probationem conſequentiæ reſpondetur, lumen gloriæ conſtituere intellectum non in actu, ſed in potentia, vel in habitu, vel in actu primo, non formaliter, ſed diſpoſitiuè, quia ad talem actum, qui eſt Diuina Eſſentia, diſponit.

28 Ad confirmationem, negatur ex poſitione luminis gloriæ ſequi ea inconuenientia, quæ ex poſitione ſpeciei intelligibilis creatæ ſequuntur. Primum enim non ſequitur,quia ad hoc, vt ſpecies intelligibilis ſit eiuſdem ordinis cū re repreſentata, oportet, quòd ſit vel immaterialior re repreſentata, vel ſaltem non minùs immaterialis. At vt lumen gloriæ ſit eiuſdem ordinis cum Diuina Eſſentia, non eſt neceſſe, habeat eandem cum illa immaterialitatem, quia lumen gloriæ non pertinet ad Diuinum ordinem, tanquam illius ordinis forma, ſed vt diſpoſitio ad Diuinam Eſſentiam in ratione formæ intelligibilis, & vt ſimul confortans potentiam. Diſpoſitio autem ad formam intelligibilem, non eſt neceſſe,conueniat cum forma,nec cum obiecto in modo eſſendi naturali materialitatis, in quo forma intelligibilis, & obiectum conuenire debent. Sed de his plura dicta ſunt Diſput. 4.

29

30 Ad ſecundum inconueniens ſimiliter reſpondetur,illud non ſequi ex luminis gloriæ poſitione, quia eſſe minùs immateriale,quàm obiectum, eſt maximum inconueniens, repugnans ſpeciei intelligibili, & quidditatiuæ: non tamen repugnat diſpoſitioni ad formam, eſſe minùs immateriale, quàm formam, ſicut minùs immateriales ſunt omnes diſpoſitiones ad animam rationalem, quæ ſunt accidentia corporea, quæ ſine materia, & corpore eſſe non poſſunt, quàm ipſa anima, quæ corpore denudata perſeuerat. Tum etiam,quia lumen gloriæ non pertinet ad illum ſupremum ordinem, in quo eſt ipſe purus actus,niſi vt diſpoſitio,& ideò non eſt neceſſe, ſit purus actus, ſed ſolùm diſpoſitio ad purum actum.

Tertiò eſt manifeſtum diſcrimen inter ſpeciem, & lumen gloriæ, quòd ſpecies tenet ſe ex parte obiecti, & ideò debet habere modum eſſendi obiecti, vel ſaltem non inferiorem in immaterialitate: at lumen gloriæ tenet ſe ex parte potentiæ,in qua recipitur,& ideò debet habere aliqualem materialitatem, ſicuti & illa, cùm ſit ad modum ipſius. 31

Ad tertium inconueniens ſimiliter reſpondetur, ad repreſentandum Deum ſicuti eſt, requiri neceſſariò eundem eſſendi modum ſpeciei, & rei repreſentatæ, quia ſpecies tenet ſe ex parte obiecti, & ipſum debet adæquatè repreſentare. Quare cùm ſpecies debeat eſſe obiecto adæquata, ſi obiectum eſt infinitum, ſpecies etiam erit infinita. Verùmtamen ad videndum Deum, ſicuti eſt, non requiritur, viſionem eſſe adæquatam ipſi Deo, neque eundem modum habere, quem ipſe Deus habet, ſed poteſt Deus videri ſicuti eſt finito modo, quia ille modus, ſicuti eſt, nō determinat viſionem,quòd viſio ſit ſicuti Deus, ſed determinat obiectum ipſum viſum: quòd in Deo videantur ea, quæ verè ſunt in illo, nō tamen ſecundùm omnem modum viſibilitatis Cùm ergo viſio non ſit infinita,& ſit obiecti infiniti,non exigitur lumen infinitum, quod ſit illius viſionis principium. 32 33

Ad octauum reſpondetur,ſpecies, & Verbum, vt ſua officia exequantur, non requiri quòd ſint in ipſa potentia,intimè ei inhærentia, vel in ipſa ſuſcepta, quia tenent ſe ex parte obiecti, & ideò ſunt quid extrinſecum potentiæ. Virtus verò potentiæ, qua ipſa operatur, debet in illa ſuſcipi, eique formaliter inhærere, cùm ſe teneat ex parte ipſius potentiæ. Et ideò Deus ſeipſum vnit in ratione ſpeciei, & Verbi, quia ad hoc non requiritur inhæſio: ſed non vnit ſe in ratione luminis intellectualis, quia huiuſmodi vnio inhæſionem exigit & informationem: quemadmodùm etſi Deus ipſa clara viſio ſit, vniri non poteſt intellectui in ratione viſionis. 34

SEXTA DISPVTATIO.

VTRVM lumen gloriæ in Chriſto Domino fuerit neceſſarium ad cognoſcendum Deum, ex parte tantùm intellectus agentis, vel intellectus poſsibilis duntaxat, vel potiùs ex parte vtriuſque, vel neutrius,ſed tantùm ex parte obiecti: ita vt in altero tantùm intellectu ſit requiſitum, vel in vtroque, vel in neutro. Et probatur primò, lumen gloriæ ex parte tantùm intellectus agentis requiri, & in illo principaliter eſſe conſtituendum.

Lumen gloriæ tantùm conſtituitur ad eleuandum, & fortificandum lumen naturale intellectus creati, vt inſinuatur in Clementina Ad noſtrum, cùm dicitur, lumen gloriæ requiri animam eleuans &c. Ideſt, ad eleuandum intellectum, & illius naturale lumen confortandum:ſed nullum aliud lumen naturale eſt in intellectu creato Chriſti, niſi lumen intellectus agentis: ergo in illo tantùm eſt lumen gloriæ,& ex parte illius ſolùm requiritur.Minor probatur.quia ſi eſſet lumen naturale ex parte vtriuſque intellectus, eſſent duo lumina intellectualia, ac proinde ſuperflua, cùm alterum illorum ſufficeret.At rurſus ſi intellectus poſsibilis eſt lumen,nō indiget illuminatione intellectus agentis,quod eſt cōtra omnes Philoſophos. 1

Yyy 2 Secundò.

Digitized by Google

2 Secundò. Lumen gloriæ vel est vitale per essentiam, vel ad lumen vitale per essentiam reducibile, illúque aliquo modo adiunctum; sed lumen gloriæ non est lux vitalis per essentiam; ergo debet reduci ad intellectum agentem, in illóque constitui, qui est lux vitalis per essentiam. Consequentia cum minori patet, quia nequit esse lux vitalis per essentiam, nisi ipse intellectus, qui est vitalis potentia per essentiam: & hanc potentiam vitalem, quæ est lux per essentiam vitalis, esse intellectum agentem; & non possibilem, est manifestum. Maior autem probatur: quia impossibile est ad actum vitalem, qualis est visio Dei clara, concurrere lumen, quod non sit vitale, nisi cum vitali lumine coniungatur, & in illo sit.

3 Tertiò. Lumen intellectus agentis est sub quo intellectus possibilis videt, quidquid naturaliter videt, sed lumen gloriæ constituitur, vt in eo, & sub eo Deus videatur ab intellectu Christi: ergo per se & directè constituitur ex parte intellectus agentis, & in illo. Consequentia patet: quia in ea potentia ponitur habitus supernaturalis, ad quam pertinet ratio illa, quæ per talem habitum perficitur, & intenditur; ergo lux supernaturalis, sub qua obiectum cognoscitur, confertur potentiæ, ad quam pertinet esse lumen, sub quo obiecta cognoscuntur.

4 Quartò. Intellectus agens potiùs, & principaliùs concurrit ad visionem beatificam, quàm possibilis: ergo lumen gloriæ adiuuans, eleuans, & consortans potentiam ad claram visionem non constituitur ex parte intellectus possibilis, sed principaliùs in in intellectu agente. Consequentia patet, quia ideò lumen gloriæ requiritur ex parte intellectus, quia ad visionem concurrit: & Clementina citata id docet: ergo si concurrit intellectus agens ad visionem, requiritur in eo lumen gloriæ. Antecedens autem probatur. Primò, quia absurdum est dicere, potentiam perfectiorem respectu nobilissimi obiecti perpetuò manere otiosam, & imperfectiorem officiosam: & quòd intellectus possibilis minùs nobilis concurrat ad illam perfectissimam visionem, & intellectus agens nobilior nihil efficiat, nec concurrat. Secundò probatur idem antecedens:

5 quia lumen gloriæ non est sine lumine naturæ, sicut neque visio gloriosa sine potentia visiua naturali; gratia enim supponit naturam; ergo actio luminis gloriæ non est sine actione luminis naturæ, quod est intellectus agens. Tertiò: quia intellectus possibilis vtroque lumine, videlicet, intellectus agentis, & gloriæ disponitur ad suscipiendam visionem beatificam, vtroque etiam lumine iuuatur ad illam visionem, ergo vtrumque lumen ad illam visionem concurrit.

6 Quintò. Quando multa ad idem concurrunt, si illud, ad quod fit concursus, eleuatur, & ampliatur, omnia concurrentia proportionabiliter debent eleuari: vt cùm tectum & fundamentum conueniant in ædificio domus, qui vellet tectum ampliare, debet similiter & fundamentum ampliare &c. Sed ad intellectionem concurrunt intellectus agens, & possibilis; ergo si eleuatur intellectio ad Deum quidditatiuè videndum, necessum est, vtrumque intellectum eleuari.

7 Sextò probatur, lumen gloriæ ex parte nullius intellectus Christi requiri. Lux visibilis solis, qua ipse sol, & omnia alia videntur, non est in oculo, sed in re visa, vt experimento constat; cùm à loco obscuro videntur res luminosa à longè constituta, & nocte obscurissima stellæ micantes perspiciuntur, quamuis lux illa vsque ad potentiam non perueniat. ergo similiter lux intellectualis, cuiusmodi est lumen gloriæ, non requiritur ex parte potentiæ, neque in potentia, sed ex parte obiecti, & in obiecto. Confirmatur. Lumen non requiritur nisi ad aliquid manifestandum, cùm hæc sit natura & 8
ratio illius, munus, & officium, iuxta illud ad Ephes. 5. *Omne quod manifestatur, lumen est,* idest, quod manifestat; sed lumen gloriæ, & quodcumque intellectuale, nihil aliud manifestat, nisi suum obiectum: ergo propter illud manifestandum requiritur, & ex parte obiecti manifestandi, non ex parte potentiæ.

Circa hanc difficultatem tres versantur Theologorum sententiæ, duæ extremæ, & tertia media. Prima 9
tenet, lumen gloriæ constitui directè propter intellectum agentem, consequutiuè verò propter intellectum possibilem, vnde in vtroque intellectu constituitur, in agente primariò, in possibili verò consequenter. In hac sententia est Aureolus apud Capreolum in 4. d. 59. quæst. 4. artic. 2. in argumentis Aureoli tertio loco factis contra secundam conclusionem. In eadem est Richardus eadem distinctione artic. 3. quæst. 1. asserens, lumen gloriæ esse perfectiuum luminis naturalis intellectus agentis, contenditque lumen intellectus agentis ad claram visionem concurrere. Eandem sententiam videtur tenere Albertus Magnus eadem distinctione artic. 5. Secunda sententia in alio extremo 10
habet, lumen gloriæ non esse in aliquo intellectu creato, vel agente, vel possibili, sed in ipsa re, quæ videtur, nempe, in ipso Deo: requiri autem, quòd illud lumen gloriæ, quod est in Deo, & est ipse Deus, vniatur lumini naturali intellectus creati, & ita fit illa visio Dei clara. In hac sententia videtur esse Diuus Antoninus 3. p. Theolog. titulo 3. cap. 6. Parag. 10. Tertia sententia veluti media habet, neque lumen gloriæ esse in vtroque intellectu, neque in nullo, sed in solo possibili.

Vnde pro decisione veritatis sit Prima Conclusio. 11
Lumen gloriæ non requiritur ad cognitionem beatificam ex parte obiecti, neque propter obiectum. Hæc assertio est D. Thomæ quodlib. 7. quæst. 1. artic. 1. & est communis Thomistarum. Et probatur manifestè. Lumen tunc requiritur ex parte obiecti, quando obiectum secundùm se non est actu intelligibile, sed in potentia duntaxat, vt fiat intelligibile in actu; quod constat tam in lumine corporali, quod ad istud deseruit, vt explicat D. Thomas quæst. 9. de Veritate art. 1. nempe, vt efficiat visibile in potentia actu visibile, quàm in intelligibili lumine, vt ibidem etiam ostendit D. Thomas: sed Deus ipse est secundùm se actu intelligibilis, & ipsa lux infinita; ergo non requiritur lumen gloriæ ad Deum videndum propter ipsum obiectum, ad ipsum illustrandum, & actu intelligibile constituendum.

Secunda Conclusio. Lumen gloriæ requiritur ex 12
parte ipsius Christi cognoscentis, & in illo proinde est constituendũ. Prima pars assertionis est de fide tenenda, vt constat ex Clementina citata, in qua damnatur illa positio,

Digitized by Google

positio, quòd anima non indigeat lumine gloriæ ipsam eleuante. Ergo de fide est, ad Dei visionem requiri lumen gloriæ ex parte ipsius animæ videntis, quo eleuetur, siue simul requiratur ex parte obiecti, siue non. Posterior pars constat ex disputatione præcedente conclusione secunda, vbi ostendimus esse temerarium negare, lumen gloriæ esse aliquam qualitatem in intellectu susceptam. Dicitur autem in conclusione, esse in vidente constituendum lumen gloriæ, quod quidem est verissimum. An verò sit in animæ essentia, vel in potentijs, & vtrùm potentiæ animæ ab ipsa distinguantur, vel non, est dissensio inter Theologos.

13 Tertia Conclusio. Lumen gloriæ non requiritur in Christo ex parte intellectus agentis, sed ex parte intellectus possibilis, & in illo est constituendum. Prior pars probatur. Lumen gloriæ non requiritur ex parte obiecti; ergo neque etiam ex parte intellectus agentis. Consequentia patet, quia lumen ex parte intellectus agentis requisitum, & in illo constitutum, ad hoc tantùm deseruit, vt obiectum potentia intelligibile constituat actu intelligibile: ergo illud lumen, quod requiritur ex parte intellectus agentis, requiritur etiam ex parte obiecti consequenter, & è contra, quod non requiritur ex parte obiecti, neque etiam ex parte intellectus agentis.

14 Secundò. Intellectus agens nullam habet actionem in visione beatifica, nihilque operatur in ea, neque ad illam aliquo modo concurrit, ergo non requiritur ex parte illius aliquod lumen gloriæ, neque in eo est constituendum. Consequentia patet, quia lumen gloriæ, vt constat ex Clementina, confertur ad eleuandam, & confortandam potentiam, quæ ad

15 visionem beatificam concurrit. Sed probatur antecedens. Tota actio, & actiuitas, totusque intellectus agentis concursus in hoc consistit, quòd efficiat actu intelligibile id, quod est in potentia intelligibile, & abstrahat species à phantasmatibus, ita, vt hæc sit vel tota, vel sola illius actio, vel saltem sit prima, quam omnes aliæ, siquas habet, præsupponant, à qua dependeant, & qua sublata, auferantur, vt docet D. Thomas 1. p. quæst. 54. artic. 4. sed hæc actio, hæc vis, & concursus locum non habet in illa clara Dei visione; ergo.

16 Posterior pars conclusionis ex dictis est manifesta, quia lumen gloriæ tantùm requiritur ex parte videntis, & intelligentis vt sic, ac proinde requiritur ex parte intellectus, & est in illo: sed non requiritur ex parte intellectus agentis, neque est in eo; ergo ex parte intellectus possibilis, atque adeo est in eo. Secundò: quia lumen gloriæ tantùm requiritur ad eleuandam, & confortandam illam potentiam, qua beati Deum vident, vt colligitur ex Clementina citata, sed hæc potentia est intellectus possibilis tantùm, non agens; ergo ex parte illius, & in eo tantùm requiritur lumen gloriæ.

17 Ad primum igitur argumentum respondetur primò, lumen gloriæ tantùm conferri ad confortandam, & eleuandam virtutem, ac vim naturalem cognoscitiuam, & eam potentiam, qua cognoscimus, & hoc solùm colligitur ex Clementina: quæ sanè vis, & facultas cognoscitiua visionem illam eliciens, non est intellectus agens, sed possibilis, siue nomen luminis illi accommodetur, siue non, parum refert. Et licèt concedatur, intellectum possibilem non dici lumen, congruè tamen id, quo eleuatur intellectus possibilis ad Dei visionem, lumen gloriæ nuncupatur, quia vt docet D. Thomas 3. contra Gentes cap. 53. ratione 4. 18
ea, quibus intellectualis visio perficitur, lucis nomen assumunt. Et quia lumine gloriæ completur, & elicitur visio Dei, lumen meritò vocatur, etsi non pertineat ad intellectum agentem, quia non dicitur lux, vt ibi adnotat D. Thomas, quia faciat intelligibile in actu, qua ratione intellectus agens dicitur lux, sed quia facit intellectum possibilem actu intelligere, nempe, quia intellectum possibilem eleuat ad visionem.

Secundò respondetur, lumen gloriæ tribui ad eleuan- 19
dum & confortandum lumen naturale intellectus creati, sed negatur, nullum aliud lumen naturale intellectuale esse nisi lumen intellectus agentis, imò & ipse intellectus possibilis lumen intellectuale nuncupatur, non modò in Angelis, in quibus est lumen intellectuale, & non est intellectus agens, vt docet D. Thomas 1. p. quæst. 54. artic. 4. sed etiam in hominibus, vt docet D. Thomas pluribus in locis: præsertim 1. p. quæst. 12. artic. 2. vbi ait, vim ad intelligendum, & ipsam potentiam elicientem intellectionem, quæ est intellectus possibilis, lumen intelligibile dici, quasi à prima luce, nempe, Diuina deriuatum. Idem asserit quæst. 9. de Veritate artic. 1. Vnde non solùm per ordinem 20
ad intellectum agentem, sed per ordinem ad intellectum Diuinum intellectus possibilis dicitur lumen. Item lumē intellectuale dicitur illud, quod manifestationem quoquo modo facit, iuxta illud, *Omne quod manifestatur, lumen est.* Manifestatio autem intellectualis est cognitio, & ipsa intellectio: & manifestare est ad intellectionem concurrere. Cùm ergo intellectus possibilis intellectionem eliciat, & ad eam præcipuè concurrat, verè manifestat, ac proinde lumen est. Vnde optimè infert Capreolus loco citato, tam intellectum agentem, qui manifestat, species eliciendo, quibus fit cognitio: quàm ipsas species, ac etiam prima principia, habitusque intellectuales, atque ipsum intellectum possibilem, & quidquid ad intellectionem concurrit, dici verè lumen. Omitto in præsenti, quòd 21
lumen intellectuale dicitur per habitudinem & similitudinem ad corporale, vt docet D. Thomas 3. contra Gentes, cap. 53. ac proinde intellectio, quæ fit medio lumine intellectuali, dicitur visio, sortiturque nomen actus potentiæ visiuæ, qui fit mediante corporeo lumine, & consequenter intellectus dicitur visiuus, & visus. Et sicut potentia visiua, & oculi dicuntur lumina, sic etiam intellectus possibilis, quo spiritualia videntur.

Neque ex hoc sequitur, quòd sint plura lumina intel- 22
lectualia, ac proinde aliquod, vel aliqua illorum superfluant, tum, quia intellectus agens, & possibilis non reputantur duo lumina, neq; duo agentia respectu intellectionis naturalis, sed vnicum agens, vnicumq; lumen complent, vt ostendit Capreolus ad tertium Aureoli contra secundam conclusionem.

Præterea dico: quòd licèt sint plura lumina, nullum 23
superfluit, sed sunt inter se se ordinata, sicut plures causæ subordinatæ, habentque distincta munera in ordine

ordine ad vnicum & vltimatum effectum, qui est intel-
lectio; quia intellectus agens est lumen, quatenùs abstra-
hit species, quibus obiectum manifestatur, species, qua-
tenùs manifestat repræsentans obiectum, & constituens
potentiam, videlicet, intellectum possibilem in actu pri-
mo ad cognitionem: ipse verò intellectus possibilis cum
suis habitibus, quatenùs est principium actus secundi,
nempe, intellectionis.

24 Tertiò Resp. dato solum intellectum agentem esse
lumen per essentiam, idest, secundùm suam essentiam,
intellectum autem possibilem esse lumen per participa-
tionem ab intellectu agente, vel lucidum, inquantum
recipit species fulgentes lumine intellectus agentis, vt
concedit Capreolus loco citato, & ideò ipsum esse vni-
cum lumen intellectuale, à quo omnia illuminantur, &
25 participant lumen: dato etiam, lumen gloriæ concedi
ad supplendum defectum luminis naturalis, & intellec-
tus agentis: quia cùm officium intellectus agentis sit, vt
docet D. Thomas quodlib. 7. artic. 1. elicere species, &
constituere intellectum possibilem in actu primo, ip-
sumq; perficere, & confortare ad actum secundum, quod
forsan non est aliud, quàm intellectum possibilem ac-
tuare per speciem: vel si aliud est huiusmodi conforta-
26 tio, sequitur necessariò ex illa speciei actualitate. Defi-
cit ergo intellectus agens respectu visionis beatificæ,
non quia ad illam visionem requiratur eius concur-
sus & operatio, cùm obiectum sit actu intelligibi-
le, eius illustratione non indigens; sed quia impo-
tens est intellectus agens ad constituendum intellec-
tum possibilem in actu primo, confortandumque
ipsum ad actum secundum visionis, quæ sunt illius
intellectus officia. Et ad hunc defectum luminis in-
tellectus agentis supplendum confertur lumen glo-
riæ, quo intellectus possibilis disponitur ad actum
primum suscipiendum, & confortatur ad actum se-
cundum.

27 Neque ex hoc colligitur, lumen gloriæ supplens de-
fectum intellectus agentis esse in intellectu agente, con-
ferrique ad ipsum eleuandum, & confortandum, vt
ad visionem concurrat: quia non confertur, vt intel-
lectus agens per illud lumen reducat possibilem ad ac-
tum primum, & vt illum confortet, neque vt aliquem
actum habeat; quia eò ipso quòd posito illo lumine
intellectus agens non eliciat speciem, qua sit illa visio,
nihil operatur; sed confertur lumen illud ad perfi-
ciendum intellectum possibilem, ea perfectione, quam
deberet secundùm ordinem naturæ suscipere ab intel-
lectu agente, ad disponendum, scilicet, possibilem
ad actum primum, & vigorandum & confortandum
ad actum secundum. Hæc autem perfectio, disposi-
28 tio, & eleuatio est intrinseca ipsi intellectui possibili,
etiam illa, quam in cognitionibus naturalibus suscipit
ab intellectu agente, non autem est in ipso agente.
Ideò lumen gloriæ confortans vim cognoscitiuam,
& supplens defectum luminis naturalis, non est in in-
tellectu agente, sed in possibili. Et vt ait Capreolus, non
supplet defectum intellectus agentis vigorando agen-
tem, sed dando vigorem intellectui possibili, quem
intellectus agens tribuere non potest, & illuminan-
do intellectum possibilem, ad quod non sufficit
agens.

29 Ad secundum respondet Capreolus negando, intel-
lectum agentem, vel aliquam aliam potentiam esse vi-
talem per essentiam, sed hoc tantùm conuenire ipsi ani-
mæ, aliàs in homine essent plures vitæ essentialiter dis-
tinctæ. Quòd si aliquando potentiæ animæ dicantur
vitales per essentiam, æquiuocè dicuntur, vel impro-
priè per aliquam analogiam, vel attributionem. Vbi
non negat Capreolus, illas potentias dici propriè vita-
les, sed dici vitales per essentiam. Existimo tamen In 30
hac propositione, Intellectus est potentia vitalis per
essentiam, illam determinationem (Per essentiam)
si determinet illud prædicatum, Vitalis, falsam esse,
vel ad minus esse impropriam; quia facit hunc sen-
sum, quòd potentia sit ipsa vitæ essentia, vel vita
essentialis, principiumque vitæ, quod quidem tantùm
conuenit animæ. Si verò determinet illam dictio-
nem, (Potentia) vt sit sensus, potentiam per suam
essentiam esse vitalem, quod est esse essentialiter vita-
lem potentiam, sic est vera propositio, ac propria, ad
cuius veritatem, & proprietatem nihil aliud requiritur,
quàm potentiam aliquam secundùm suam essentiam à
vitæ principio dimanare, nempe, ab anima, & ad vita-
lem operationem esse destinatam. Et tunc potest ad ar- 31
gumentum responderi, in lumine gloriæ duo reperiri,
& rationem luminis, & rationem principij actus vita-
lis. Quatenùs est lumen intellectuale, non est necessa-
rium; reducatur ad lumen intellectuale per essentiam,
quod est intellectus agens, quasi in illo existens, & cum
illo coniunctum, quia non est lumen agens, vt ita di-
cam, videlicet, abstrahens species intelligibiles, & effi-
ciens obiectū actu intelligibile, sed potius est lumen ve- 32
luti passiuum, idest, habens conditiones luminis suscepti
in intellectu possibili ab intellectu agente, & ad supplen-
dum illius defectum, qua ratione dici posset, aliquo
modo reduci ad intellectus agentis lumen; quatenùs
supplet illius defectum in intellectu possibili. Quatenùs
verò lumen gloriæ est principium actus vitalis, reduci-
tur ad principium vitæ, quod est vita per essentiam, nem-
pe, ad animam, in qua mediatè saltem recipitur, cum
qua coniungitur, & habet quòd sit actionis vitalis prin-
cipium.

Secundò Resp. satis esse, quòd lumen gloriæ reduca- 33
tur ad intellectum possibilem, qui est lux vitalis per es-
sentiam, non quidem lux per essentiam, sed per partici-
pationem potiùs ab intellectu agente, sed vitalis per es-
sentiam non minùs, quàm intellectus agens, à quo pos-
sibilis non recipit vitalitatem, sed ab anima, à qua
fluit. Et ideò ratione vitalitatis ad intellectum pos-
sibilem reducitur, ratione etiam luminis, quia est
lux eiusdem modi proportionabiliter cum luce intel-
lectus possibilis, nempe, lux veluti passiua.

Tertiò respondet Capreolus, quòd licèt lumen glo- 34
riæ non sit lux vitalis, nihilominùs Diuina Essentia, quę
per lumen gloriæ vnitur intellectui possibili, est vita,
potestque efficere omnem actionem vitalem, quam
efficit intellectus agens, eo quòd intellectus agens
extrinsecè concurrit ad intellectionem, cùm neque
eam in seipso suscipiat, neque ipse formaliter intel-
ligat. Ex hac responsione colligitur, concursum 35
intellectus agentis ad intellectionem, posse à Deo sup-
pleri, quia ipse concurrit causando speciem in intellectu
possibili, quam Deus se solo efficere potest. Et ita
cùm possit supplere, & de facto suppleat defectum in-
tellectus

intellectus agentis conferens lumen gloriæ, illud lumen reducendum est in ratione luminis, ad Deum supplentem vicem intellectus agentis, constituentisq; intellectum possibilem in actu. An verò in ratione vitalis, ad Deum reducatur, vel ad aliquod principium vitæ ipsi videnti intrinsecum, posteà examinabitur.

36 Ad tertium principale Resp. Sub lumine intellectus agentis ea tantùm videri, quæ actu intelligibilia non sunt, quia illo lumine intelligibilia efficiuntur actu. Ad ea verò, quæ actu sunt intelligibilia, non requiritur lumen intellectus agentis, sed lumen habituale, quod est qualitas quædã in intellectu possibili suscepta, qua confortatur. Et ideò lumen gloriæ, cùm cõstituatur non ad reddendũ actu intelligibile, sed ad id, quod est actu intelligibile, cognoscendũ, in intellectu possibili cõstituitur.

37 Quod similiter in cognitionibus naturalibus reperitur, in quibus præter lumen intellectus agentis, sub quo procedit omnis naturalis cognitio, requiritur lumen quoddam habitus acquisiti ad speciales actus. Et hoc lumen, vt constat, non ponitur in intellectu agente, sed in possibili eliciente cognitionem, & huius habitus loco cõstituitur lumen gloriæ.

38 Ad quartum negatur antecedens, & ad probationem primam conceditur, otiosam esse illam potentiam nobilissimam, scilicet, intellectum agentem, quoad claram visionem: quia licèt sit nobilissima inter hominis potentias, repugnat ad actum visionis concurrere.

39 Sed obijcitur. Beatitudo consistit in actu nobilissimę potentiæ & ideò secundùm D. Thomam consistit in actu intellectus, & non volũtatis; quia intellectus est præstantior potentia: ergo si intellectus agens est nobilissima potentia, in eius actu consistet beatitudo. Resp. Concesso nobiliorem potentiam esse intellectum agentem, quàm possibilem, beatitudinem consistere in actu nobilissimæ potentiæ, quando illi non repugnat habere actum perfectum erga obiectum supremum beatificum.

40 At intellectui agenti id repugnat, quoniam obiectum intellectus agentis, licèt sit ens in tota sua latitudine, est tamen illius obiectum, vt abstrahibile, vel intelligibile per abstractionem, & per species à phantasmatibus abstractas, vnde spiritualia attingere non potest, nisi quatenùs relucent in speciebus rerum materialium, & sunt per illas cognoscibilia. Intellectui verò possibili non repugnat attingere spiritualia etiam per species omninò spirituales à phantasmatibus non abstractas.

41 Quòd si vrgeas, implicare contradictionem, quòd repugnet potentiæ perfectiori attingere perfectè nobilissimum, ac supremum obiectum, & non repugnet imperfectiori. Resp. Id non esse inconueniens, imò interdum ex maiori perfectione potentiæ prouenire, quòd non possit attingere perfectè nobilissimum obiectum, vt in præsenti contingit. Etenim, quia intellectus agens, eoquòd est actiua potentia, qua ratione excedis & superat possibilem, nequit ad obiectum comparari, nisi vt agens, vt abstrahens, vt illuminans, & constituens actu intelligibile, & obiectum ad ipsum comparatur vt passum, vt illuminatum &c. & hoc repugnat spiritualibus,

42 maximè ipsi Deo: ideò repugnat, intellectum agentem, sua operatione Deum attingere. At intellectus possibilis, quia passiuus, qua ratione est inferior agente, comparatur ad obiectum, vt passiuè ab eo recipiens speciem, & actualitatem, & pati à Deo supremo obiecto, perfici, & eleuari, non repugnat. ideò neq, repugnat intellectum possibilem suo actu attingere ipsum Deum. Simile est 43
in causis materiali, & formali: præstantior enim est formalis, & tamen Physica & corporea attingere non potest spiritum, quia repugnat corporeum informare spiritum: potest autem materialis spiritum attingere. item forma equi attingere non potest animam rationalem, & spiritualem, quam materia equi attingit, etsi multò inferior sit. Item præstantior est suppositum, quàm ipsa natura, quam terminat, & complet: & tamen repugnat, suppositum vniri Diuinæ Personæ, & non repugnat vniri naturam. Potest etiam addi huic responsioni, nostram beatitudinem consistere in passione tanquam in radice & principio beatitudinis, in hoc, videlicet, quòd beatus patiatur ab obiecto, & ab illo informetur, quod intellectui agenti repugnat.

Secundò Resp. ad illam primam probationem, admisso absolute loquendo, & sine limitatione, beatitudinem consistere in perfectissima operatione, perfectissimam operationem non esse abstractionem intellectus agentis, sed intellectionem & operationem intellectus possibilis: etenim illa abstractio ad intellectionem ordinatur, tanquam in finem. Neque ex hoc sequitur, quòd imperfectioris potentiæ perfectior sit operatio, quia ipsa intellectio, quæ est actus intellectus possibilis, principaliùs est operatio, & actus intellectus agentis, ad quam principaliùs concurrit intellectus agens, nempe, actiuè tantùm: intellectus autem possibilis, & passiuè respectu actus primi, & actiuitatem, quam habet respectu actus secundi, participat ab intellectu agente, cuius virtute operatur, vt ostendit Capreolus loco citato. Quare 45
beatitudo naturalis, quæ homini est proportionata, etsi consistat in cognitione primæ causæ, magis est operatio intellectus agentis, cùm illa cognitio fiat per species abstractas, quàm possibilis; & ideò in actu perfectissimo consistit. At beatitudo supernaturalis consistit in actu perfectissimo, quamuis circa illam nihil negotietur potentia perfectissima; quia cùm ille actus, & finis sit intellectui creato improportionatus, necessum est, vt potissimum eius principium non sit ab homine, sed à Deo simpliciter, & ab eo suppleatur, & ita ipse Deus supplet vicem intellectus agentis, & ad modum illius concurrit, possibilem in actu primo constituens. Et ad id, quod 46
minus est, concurrit hominis potentia, quod est recipere, & operari, inquantùm est potentia receptiua, & recipit. Et hoc exigit beatitudinis ratio, quæ est præmium, ac proinde à præmiante debet tota actiuitas desumi, & ipse, cui confertur, concurrit primò passiuè, recipiens actum primum, quo posteà operatur, quæ omnia intellectui agenti propter eius excellentiam conuenire non possunt, sed possibili, & ideò ille vacat in ea operatione, Deo eius defectum supplente, iste autem operatur.

Ad secundam probationem conceditur, lumen gloriæ præsupponere lumen naturæ, sicut gratia supponit naturam, neq, esse sine illo, sed negatur, actionem luminis gloriæ non esse sine actione luminis naturæ, sicut non valet. Intellectus non est in homine sine sensu; ergo neque actio intellectus potest esse etiam de potentia absoluta sine actione sensus. Falsum est enim hoc consequens, vt constat in Diuinæ Essentiæ intellectione ab 47

homine elicita, io qua nulla sensus interueniat operatio, & in aliis intellectionibus, quæ erunt in patria sine conuersione ad phantasmata. Quocirca aliud est, lumen
48 gloriæ supponere lumen intellectus agentis, aliud verò, pendere ab illo in sua operatione. Et quidem lumen gloriæ supponit lumen intellectus agentis, quia si in homine non esset intellectuale lumen, neq; esset capacitas, aut obedientialis potentia ad lumen gloriæ suscipiendum; sed non pendet in sua operatione à lumine intellectus agentis, quia intellectui agens nequit suam operationem erga Deum habere.

49 Secundo Resp. Illam propositionem, Lumen gloriæ non est sine lumine intellectus agentis, vel supponit illud, distinguendam esse. Non est sine illo lumine, vel præsupponit illud, iuuando ipsum, eleuando, & perficiendo, nego: Supplendo illius defectum, & efficiendo id, quod illud non efficit, concedo. Et tunc negatur consequentia, quia etsi illud, quod aliud supponit, & illi superueniat iuuando, nequeat sine illius operatione operari; id tamen, quod aliud supponit, tanquam eius defectum supplens, non requirit necessariò illius actionem, imò illam videtur excludere, & ideò supplet eius vicem, quia ad actionem concurrit, ad quam id, cuius vicem supplet, non concurrit. Ad tertiam probationem patet ex dictis responsio, non disponi intellectum possibilem ad Deum videndum, neq; iuuari lumine intellectus agentis, sed lumine gloriæ duntaxat.

50 Ad quintum Resp. Quòd si intellectio, ad quam concurrit lumen intellectus agentis, eleuaretur ad Deum quidditatiuè attingendum, tunc argumentum concluderet, quòd deberet eleuari intellectus agens. At visio clara, quæ Deum quidditatiuè attingit, non est intellectio, ad quam ea omnia concurrant, nempe, intellectus possibilis, & agens: vt iam ostendimus. Et ideò argumentum nullam habet apparentiam, quòd si illa intellectio sit ad Deum eleuata, intellectus agens eleuetur, cùm illa intellectio non sit intellectus agentis. Secundo
51 Resp. Licèt eleuetur illa actio, ad quam intellectus agens concurrit, non esse necessarium proinde, eleuari ipsum intellectum agentem, neque quidpiam eleuans illi conferri, quia omnis intellectio, quæ fit per species à phantasmatibus abstractas, est intellectio, ad quam concurrit intellectus agens, & tamen elevata hac intellectione ad supernaturale obiectum, vt in fide, non proinde quidpiam supernaturale confertur intellectui agenti, sed totum fidei lumen in intellectu possibili constituitur.

52 Ad sextum negatur antecedens, & ad probationem dico in illis casibus aliquid luminis, etsi tenuissimum ad oculum vsque peruenire, ipsumq; attingere. Secundo Resp. Quòd licèt lux illa exterior, quæ est in re visa, & in medio non attingat potentiam visiuam, requiritur tamen necessariò aliquid luminis in ipso oculo, illiq; intrinsecum, vt docet D. Thomas q. 9. de Veritate art. 1. Cùm ergo hæc lux intrinseca naturalis, quam habet intellectus, deficiat, neq; valeat ad eam visionem pertingere, necessariò tribuendum est ipsi potentiæ lumen gloriæ supernaturale, illi intrinsecum, & in ea existens, quo ad Dei visionem eleuetur. Tertiò Resp. Quòd licet
53 lux visibilis exterior non sit necessaria in ipso oculo suscepta ad confortandam potentiam, cùm obiectum visibile sit proportionatum potentiæ visiuæ, necessarium tamen est aliquod supernaturale lumen, confortans intellectum ad Deum videndum propter excellentiam & improportionem obiecti cum lumine naturali, & potentia intellectiua.

Ad confirmationem Resp. Quòd lumen gloriæ manifestat obiectum intellectui creato, cùm sit principium claræ visionis, sed manifestat non efficiendo obiectum intelligibile actu ex intelligibili in potentia, vel illustrãdo, & illuminando obscurum & tenebrosum, sed confortando potentiam ad videndum ipsum obiectum, & ipsam potentiam illuminando. Item licèt Deus ipse sit lumen per essentiam, & infinitum, & ideò in sacris literis dicitur lucem inhabitare inaccessibilem, illo tamen lumine intellectua creatus offuscatur, & propter sui debilitatem comparatur ad illud obiectum maximè lucidum, tanquam ad quid tenebrosum, & ob id in Sacra Scriptura, dicitur Deus posuisse tenebras latibulum suum. Requiritur ergo lumen ad manifestandum, non id quod in se est obscurum, sed tali potentiæ obscurum. Et ideò non ad illuminandum obiectum, sed potentiam, requiritur. 54

SEPTIMA DISPVTATIO.

AN Lumen gloriæ requiratur in intellectu possibili Christi Domini tanquam dispositio ad vnionem Diuinæ Essentiæ cum intellectu in ratione speciei intelligibilis. Negatio his argumentis suadetur. Primò. Si ad suscipiendam Diuinam Essentiam in ratione speciei intelligibilis, requiritur lumen gloriæ tanquam dispositio, eoquòd sit supernaturalis forma, sequeretur processus in infinitum, quia lumen gloriæ est etiam forma supernaturalis, ac proinde ad illam requireretur alia dispositio, quæ esset item forma non naturalis, aliàs enim per naturalia res naturalis posset suscipere immediatè supernaturalem formam, & ideò ad nullam formam supernaturalem requireretur supernaturalis dispositio; ergo illa forma disponens esset supernaturalis, & ideò aliam exigeret dispositionem supernaturalem, & illa aliam, & sic in infinitum tenderet processus. 1

Dices, ad formam vltimam, in quocumq; ordine requiri dispositionem, ad dispositionem autem non requiri aliam dispositionem, vltimam autem formam, ac principalem in intellectu beato Christi esse Diuinam Essentiam. Contra. Vltima, ac præcipua forma in visione beatifica, ad quam omnes aliæ ordinantur, & quæ principaliter intenditur, non est Diuina Essentia, sed ipsa actualis visio, ergo si requiritur lumen gloriæ tanquam dispositio ad vltimum, & præstantissimum actum, non erit dispositio ad vnionem Diuinæ Essentiæ, sed ad actum visionis. Antecedens probatur: quia actus præcipuus, ac principaliter intentus in quacumq; cognitione non est species intelligibilis, sed ipsa actualis cognitio. 2

Respondebis, esse quasdam formas disponentes, ad aliasq; ordinatas, & ad huiusmodi non prærequiri aliam dispositionem, cuiusmodi est lumen gloriæ: quasdam vero esse perficientes, & has exigere dispositionem, & huiusmodi esse Diuinam Essentiam in ratione speciei vnitam. Contra hoc replicatur. Lumen gloriæ est forma perficiens potentiam; sed omnis forma perficiens indiget dispositione; ergo etiam lumen gloriæ indiget dispositione. Confirmatur, Omnis habitus supernaturalis, 3 4

Digitized by Google

ralis, vt gratia Fides, Spes, & Charitas, indiget aliqua dispositione supernaturali, imò & habitus acquisiti requirunt dispositionem: ergo nulla est ratio, cur si ad aliquem requiritur dispositio, non requiratur ad lumen gloriæ, & ex consequenti daretur ille processus infinitus.

5 Secundò. Si aliqua dispositio requiritur ad vnionem Diuinæ Essentiæ cum intellectu Christi, esset vt intellectus proportionetur cum Diuina Essentia: sed adhùc posita tali dispositione non minùs distat potentia ab Essentia Diuina, quàm anteà, cùm infinitè distet, sicut creatura à creatore, finitum ab infinito: ergo nulla est

6 ratio ponendi talem dispositionem. Dices, lumen gloriæ, vel intellectum creatum Christi illustratum lumine gloriæ proportionari cum Diuina Essentia in genere formæ intelligibilis, licet non in ratione entis. Contra: quia Essentia Diuina adhùc in genere intelligibilis est infinita, habens rationem speciei infinitæ, intellectus autem Christi cum lumine gloriæ in genere intelligibilis & intellectiui est finitus: ergo nulla est propor-

7 tio adhùc in genere intelligibilis. Confirmatur, quia ea, quæ in genere intelligibilis proportionantur, debent etiam proportionari in genere entis, cùm intelligibilitas sequatur modum essendi, vt Disput. 4. ostensum est: sed intellectus quantumuis eleuatus per lumen gloriæ non proportionatur, neq; conuenit in modo essendi cum Diuina Essentia, quia hæc abstrahit ab omni potentialitate, ille verò non abstrahit à tali potentialitate. Ergo.

8 Tertiò. Dispositio præcedit formam, ad quam disponit, saltem in genere causæ materialis: sed lumen gloriæ in Christo in nullo genere causæ præcedit vnionem Diuinæ Essentiæ; ergo. Probatur minor. Dispositio concomitans ea tantùm ratione censetur formam præcedere, quatenùs sequitur ex vi dispositionum præcedentium, vt octauus gradus caloris simul cum forma ignis productus censetur præcedere formam ignis, quatenùs sequitur ad dispositiones, quæ præcesserunt, vt docent communiter Philosophi: sed nulla præcessit dispositio vnionem Diuinæ Essentiæ cum intellectu Christi, virtute cuius sequatur lumen gloriæ. Ergo nulla ratione præcedit.

9 Quartò. Si lumen gloriæ esset dispositio ad Diuinam Essentiam intellectus Christi vniendam, sequeretur, lumen gloriæ esse infinitum in quocumq; beato; consequens est falsum: ergo. Probatur sequella. Gratia Christi habitualis est infinita, quatenùs est dispositio ad vnionem hypostaticam Diuinæ ac Infinitæ Personæ cum natura humana, vt ostensum est supra quæst. 7. artic. 11. Ergo similiter lumen gloriæ infinitatem habet in quocumq; intellectu, prout est dispositio ad Diuinam Essentiam infinitam, esset q; proinde in omnibus æquale, quod sanæ doctrinæ aduersatur.

10 Quintò. Lumen gloriæ est immediatum principium effectiuum visionis, vt Disput. 9. ostendetur: ergo non est dispositio. Consequentia patet, quia si immediatè disponeret ad vnionem, non esset immediatum principium actionum, sed passiuum, & si efficeret, remotè operaretur, quatenùs dispo eret ad formam effectiuam.

11 Confirmatur ex Clementina sæpiùs citata, vbi habetur, lumen gloriæ eleuare animam ad Deum videndum; ergo immediatè ordinatur ad eliciendam Diuinam visionem, non ad disponendum. Item communis consensus Theologorum est, lumen gloriæ conferri ad potentiam iuuandam, iuuare autem est immediatè operationem cum alio exercere, non disponere: ergo.

Sextò. Si lumen gloriæ esset dispositio ad vnionem Essentiæ Diuinæ cum intellectu Christi creato, sequeretur, lumen gloriæ, mediare inter Diuinam Essentiam, & intellectionem, & ex consequenti, non immediatè vniri Diuinam Essentiam intellectui Christi, sed lumini gloriæ, ac deniq; lumen gloriæ esse immediatè deificatum, constitutum in actu primo, illudq; per se esse beatum, & elicitiuum actus secūdi, intellectum verò Christi, & animam ipsius mediatè, & per accidens esse beatam, quæ omnia sunt absurda. 12

Septimò. Diuina Essentia non vnitur intellectui creato Christi per modum formæ, sed per modum causæ partialis, concurrentis cum intellectu Christi ad producendam claram visionem: ergo lumen gloriæ non disponit intellectum Christi ad vnionem Diuinæ Essentiæ. Consequentia patet: quia si Diuina Essentia non vnitur vt forma, non est necessaria dispositio, quæ tantùm requiritur ad formam: tum etiam, quia ad vnionem causarum partialium ad eundem effectum concurrentium, nulla dispositio requiritur, vt patet, quando duo homines partialiter concurrunt ad lapidem portandum. Sed antecedens probatur. Diuina Essentia nequit supplere rationem formæ: ergo non vnitur intellectui per modum formæ intelligibilis. Confirmatur. Ad id, quod non est verè forma, non requiritur vera & propria dispositio; sed Diuina Essentia, etiam si vniretur per modum formæ, non tamen est verè forma intellectus: ergo neq; exigit veram dispositionem, neq; lumen gloriæ proinde habet propriam rationem dispositionis. 13 14

In hac dubitatione Durandus in 4. d. 49. q. q. 1. Et Palacio eâdem distinctione Disput. 1. circa finem, tenent partem negatiuam. 15

Nihilominùs sit conclusio. Lumen gloriæ necessariò est constituendum, vt disponat intellectum Christi, ad vnionem Diuinæ Essentiæ in ratione speciei intelligibilis. Hæc assertio est D. Thomæ in hoc articulo in solutione ad primum, vbi dicit animam Christi per lumen gloriæ participatum à Diuina natura esse perfectam ad scientiam beatam, qua Deus per essentiam videtur. Constat autem, huiusmodi visionem produci non posse sine vnione Diuinæ Essentiæ cum intellectu. Sequuntur D. Thomam omnes eius discipuli. Et probatur. Omne quod eleuatur ad formam aliquam excedentem suam naturam, debet disponi aliqua dispositione, quæ sit supra suam naturam: sed intellectus creatus Christi in visione Dei eleuatur ad Diuinam Essentiam in ratione speciei intelligibilis sibi vniendam; ergo debet disponi per lumen gloriæ supernaturale. Patet consequentia, quia dispositio ad supernaturalem formam debet esse supernaturalis, cùm dispositio vltima & forma sint eiusdem ordinis. Maior est manifesta inductione; aer enim, vt suscipiat formam ignis, debet ad talem formam disponi &c. Minor verò probatur, quia Diuina Essentia in visione Dei fit forma intelligibilis intellectus creati; sed hoc est supra naturam ipsius intellectus creati; qm cum habeat aliquid potentialitatis admixtum, supra eius naturam est, actuari per speciem intelligibilem, quæ sit 16 17

purua

18 purus actus. Confirmatur. Essentia Diuina, quæ est actus purus, est propria & naturalis forma Diuini intellectus, qui est actus purus, estq. illi proportionata: ergo nequit esse forma intelligibilis intellectus creati Christi, nisi ipse intellectus dispenatur, & fiat Diuinus per influxum luminis gloriæ. Probatur consequentia, quia propria & connaturalis forma alicuius rei nequit effici forma alterius, nisi aliquam eius similitudinem participet, cuius est forma propria, & connaturalis, sicut lux non fit actus alicuius corporis, nisi aliquid participet de diaphano.

19 Secundò probatur conclusio. Lumen gloriæ est qualitas supernaturalis attingens rationem potentiæ, & constituens intellectum creatum in ratione potentiæ supernaturalis, & Diuinæ: est ergo necessaria dispositio, vt Diuina Essentia illi vniatur in ratione speciei intelligibilis. Probatur consequentia; quia species intelligibilis non potest vniri in ratione talis speciei, nisi potentiæ intellectiuæ, potenti vti tali specie, sicut species visibilis, etsi per Dei potentiam possit vniri in ratione qualitatis, parieti, non tamen potest illi vniri in ratione speciei visibilis, nisi potentiæ visiuæ duntaxat: sed intellectus creatus secluso lumine gloriæ non est talis potentia intellectiua, quæ possit vti Diuina Essentia in ratione speciei: ergo lumen gloriæ est necessarium, vt disponat intellectum ad receptionem Diuinæ Essentiæ in ratione speciei intelligibilis.

20 Tertiò. Existentia creata non potest communicari materiæ primæ sine forma etiam de potentia Dei absoluta, vt docent Thomistæ 1. p. q. 66. art. 1. & Caietanus de Ente & Essentia q. 8. Quia inter omnia creata materia prima est maximè potentialis, nihil actualitatis includens, existentia verò est maxima actualitas, ferè nihil habens admixtum potentialitatis, & ideò vt proportionetur materia prima, quæ est pura potentia cum actu essendi, debet mediare forma, quæ habet aliquid actualitatis, & aliquid potentialitatis: sed intellectus creatus respectu Diuinæ Essentiæ considerata vt speciei intelligibilis, est pura potentia in genere intelligibili, ipsa verò species est purus actus, ergo vt intellectus habeat proportionem, & aptitudinem cum tali specie, debet disponi per lumen gloriæ, quod est ordinis Diuini, & habet aliquid actualitatis.

21 Ex hac conclusione sequitur, lumen gloriæ ad vnionem Diuinæ Essentiæ cum intellectu Christi creato non solùm esse necessarium, vt puram dispositionem ad formam, sed vt completiuum potentiæ intellectiuæ in ordine ad vnionem Diuinæ Essentiæ, & vt constitutiuum potentiæ intellectiuæ Diuinæ aliquo modo proportionatæ Diuinæ Essentiæ, vt vnitur in ratione speciei intelligibilis. Itaque sicut aer per diaphaneitatem constituitur subiectum proprium, & susceptiuum luminis, & propria potentia, & proportionata respectu illius: ita intellectus creatus Christi per lumen gloriæ fit susceptiuum proportionatum, & potentia respectu Diuinæ Essentiæ, vt vnitur in ratione speciei intelligibilis, nam fit Diuinus intellectus. Et quemadmodùm materia

22 ria prima per seipsam seclusa omni forma est incapax existentiæ creatæ, sed per formam, quæ habet aliquid actualitatis, quia materia prima est pura potentia, existentia verò inter omnia creata habet maximam actualitatem: sic etiam intellectus creatus per seipsum non est susceptiuus actus ita eleuati, vt est Diuina Essentia in ratione speciei intelligibilis, fit autem susceptiuus per lumen gloriæ, per quod intellectus maximè eleuatur, & fit eiusdem ordinis cum Diuina Essentia, fitq. intellectus Diuinus. Hæc doctrina colligitur ex D. Thoma 3. contra Gentes cap. 53. in secunda ratione.

Ad primum igitur argumentum bene responsum est ibidem, non requiri dispositionem ad quamcumq; formam, sed ad vltimam tantum; vel quasi vltimam via generationis. Cùm ergo Diuina Essentia vnita in ratione speciei sit vltima, vel quasi vltima forma in esse supernaturali, ad quam homo pertingere potest, ad ipsius vnionem cum intellectu creato est necessaria dispositio. Vel quod idem est, propositio assumpta intelligenda est de forma, quæ est vltimus terminus mutationis motus, vel actionis. Et cùm hæc vnio sit veluti quædam mutatio, qua homo à potentia obedientiali visionis Dei transit ad actum primum, in quo per illam Diuinæ Essentiæ vnionem constituitur, & ibi censetur motus seu mutatio terminari in actu primo, vel saltem actus secundus, quoad præsens attinet, non censetur alius distinctus terminus, ideò ad illam vnionem requiritur dispositio. 23 24

Ad primam replicam Resp. primò, dispositionem quidem requiri ad formam, quæ propriè importat actum primum, non ad actum secundum, qualis est visio clara, etenim in ordine intelligibilium species est forma intelligibilis, & intellectio actus, & operatio formæ. Secundò Resp. Actum primum, & secundum pro eadem forma computari quantùm ad dispositionem requisitam, quia eadem ad vtrumq; disponit. 25

Ad secundam replicam respondent quidam recentiores, intellectum creatum esse immediatè capacem luminis gloriæ sine aliqua alia dispositione, quia lumen gloriæ est participatio quædam Diuini intellectus, ipse verò intellectus non exigit aliquod susceptiuum proprium sui generis, sed solùm animam intellectiuam: species autem intelligibilis semper requirit proprium susceptiuum, quod est intellectus illustratus aliquo lumine. Et ideò proportionabilitèr lumen gloriæ non exigit aliquam sui ordinis dispositionem. Essentia verò Diuina in ratione speciei exposcit lumen supernaturale intellectum illustrans. 26

Nihilominùs dicendum est, quòd sicut in naturalibus sunt quædam dispositiones proximæ, quædam verò remotæ, & remotiores comparantur etiam tanquam dispositiones ad proximiores; sic etiam in supernaturalibus lumen gloriæ est vltima dispositio, ac proxima ad vnionem Diuinæ Essentiæ cum intellectu, remotæ autem dispositiones, & antecedentes tempore, sunt charitas viæ, aliiq; habitus infusi, eorumq; actus meritorij, & supernaturales: & ij comparantur ad lumen gloriæ in genere dispositionum, quia illis accedit homo ad gloriam, aptiorq; redditur ad illud lumen suscipiendum, vsque dum veniatur ad primum actum liberi arbitrij, auxilio supernaturali elicitum, susceptum in homine, prout est in potentia obedientiali ad supernaturalia: quem motum nulla præcessit dispositio, cùm sit infimus & remotissimus in tali ordine. Et per hoc patet responsio ad confirmationem. 27

Ad secundum Resp. Lumen gloriæ quamtumuis finitum in ratione dispositionis proportionari cum Essentia 28

sentiá Diuina considerata in ratione formæ intelligibilis, proportione requisita inter dispositionem, & formam, ad quam disponit, cum sint eiusdem ordinis, habeantq; connaturalitatem, neque aliqua alia requiritur proportio. Addiderim insuper, lumen gloriæ finitum proportionari finito modo Essentiæ Diuinæ uniendæ intellectui creato, ita vt proportionetur non ipsi, prout est in se, vel quantùm ad esse, sed prout est in intellectu, & vt ita dicam, quantùm ad inesse, hoc est, quoad actuationem intellectus. Quo autem pacto proportionetur lumen gloriæ cum ipsa Diuina Essentia considerata in ratione obiecti cognoscendi, & lumine in ratione principij effectiui cognitionis, explicabitur Disputatione nona. Ad replicam patet responsio ex dictis Disputatione quarta in responsione ad tertium principale.

29 Ad tertium concessa maiori negatur minor, & ad probationem Resp. quòd licet demus in generationibus naturalibus id semper contingere, quòd dispositio connomitans sequatur ex vi dispositionum præcedentium, non tamen in quacumq; productione hoc est necessarium: nam in creatione, si Deus hominem crearet, introduceret quidem formam in materia disposita, & tamen nullæ dispositiones tempore præcessissent: sicut de facto in productione Primorum Parentum fuerunt dispositiones simultaneæ, & nullæ præcedentes. Hæ autem simultaneæ, quas nullæ præcesserunt, antecedunt quidem formam in genere causæ materialis, quia priùs naturâ est materia disposita in illo genere, quàm forma introducatur. Similiter in præsenti priùs naturâ in genere causæ materialis intellectus est actuatus lumine gloriæ, quàm intelligatur habere Diuinam Essentiam

30 vnitam in ratione speciei intelligibilis. Secundò Resp. Dari suo modo præuias dispositiones, ex quarum vi sequatur lumen gloriæ, etsi non in genere causæ efficientis Physicæ, in genere tamen causæ efficientis moralis, atq; materialis causæ, cuiusmodi sunt actus meritorij, quorum vi sequitur lumen gloriæ. Et tales etiam sunt habitus charitatis, & alij infusi, quos etiam sequitur hoc lumen.

31 Ad quartum negatur sequella, & ad probationem Resp. Vnionem hypostaticam esse infinitam, qua maior neq; fieri, neq; excogitari potest, in qua vnitur infinitum esse suppositi Diuini infinito modo, neque perfectiori modo vniri potest, sed iuxta totam suam infinitatem vnitur naturæ humanæ, cui confertur ipsum esse Diuinum, non limitatum, & contractum. Et ideò dispositio ad illam vnionem infinitam (si talis datur) est infinita in ratione dispositionis. At vnio Diuinæ Essentiæ in ratione speciei est finita, in qua res infinita finito modo vnitur, potestq; magis ac perfectiùs vniri quacumq; vnione data, & ideo lumen gloriæ non est infinitum, quatenus est dispositio ad talem vnionem.

32 Ad quintum quatenùs contendit, lumen gloriæ esse immediatum principium effectiuum visionis, respondebitur copiosè Disput. 9. pro nunc dicendum est, quòd lumen gloriæ in ordine ad vnionem Diuinæ Essentiæ cum intellectu, habet rationem dispositionis; in ordine verò ad actum visionis, rationem sortitur efficientis principij.

33 Ad confirmationem Resp. Concilium ibi comparare lumen gloriæ ad actum visionis, respectu cuius est effectiuum, & ideò expressisse vim effectiuam, non dispositiuam. Vel certè in hoc, quod dicit eleuare animam ad Deum videndum, vtrumq; videtur includi: quia eleuare ad videndum est eleuare ad vnionem Diuinæ Essentiæ, qua cõstituitur intellectus in vltimo actu ad videndum per illam speciem, & per lumen gloriæ. Eodem modo respondetur ad commune dictum Theologorum.

Ad sextum negatur, Diuinam Essentiam vniri lumini gloriæ, quamuis mediante lumine gloriæ, tanquam dispositione fiat vnio. Etenim extrema vnionis sunt intellectus & Diuina Essentia, lumen autem gloriæ est dispositio intellectus, vt vniatur, ita vt dispositus lumine gloriæ vniatur Diuinæ Essentiæ, quemadmodùm materia disposita vnitur formæ, non tamen vnitur forma immediatè aliquo modo dispositionibus ipsis. Negatur item consequenter esse deificatum per Diuinam Essentiam, quia non est illi vnitum. Eâdem ratione non dicitur lumen gloriæ constitui in actu primo per Diuinam Essentiam, sed intellectus illustratus. 34

Ad septimum negatur, Diuinam Essentiam non vniri vt formam seeundùm esse intelligibile verè & propriè: ad quod non requiritur intrinseca informatio, vt in formis secundùm esse naturale, & entitatiuum, sed satis est, quòd actuet id, cuius est forma, & illud in actu constituat, vt supra ostensum est q. 2. art. 1. Disput. 1. Atq; adeò falsum est, non posse Deum supplere vicem formæ intelligibilis. Ad confirmationem Resp. Quòd licèt Essentia Diuina non esset verè forma intellectus, quia tamen habet se per modum formæ intelligibilis, ideò requirit aliquam dispositionem ad sui vnionem. 35 36

OCTAVA DISPVTATIO.

AN Lumen gloriæ in intellectu Christi Domini requiratur etiam ad ipsam Dei cognitionem suscipiendam, & non tantùm ad vnionem Diuinæ Essentiæ. Pro parte negatiue sit primum argumentum. Intellectus creatus Christi recipit beatitudinem immediatè, nulla interueniente qualitate aut habitu; ergo nulla dispositio requiritur in intellectu Christi ad beatam visionem suscipiendam. Consequentia patet: quia si lumen gloriæ esset dispositio ad visionem, mediaret quidem inter intellectum, & ipsam visionem, quæ est beatitudo, & eius interuentu anima beatitudinem consequeretur. Antecedens autem probatur. Susceptiuum, quod ordinatur ad multas formas ordinatas, maximè ad perfectissimam ordinatur: sed intellectus ordinatur ad plures formas supernaturales, quarum perfectissima est beatitudo: ergo ad eam maximè, & immediatiùs ordinatur, ac proinde si sit immediatum susceptiuum alicuius illarum, maximè erit immediatum susceptiuum beatitudinis, & visionis, qua maximè perficitur. 1

Secundò sequeretur ex opposita sententia, intellectum beatificari, & quietari in susceptione luminis gloriæ, sed consequens est falsum, quia tunc visio beata non esset beatitudo, & vltimus finis, sed lumen gloriæ. Ergo. Probatur sequella. Receptiuum multarum formarum immediatè quietatur, quando habet vltimam, ac perfectissimam formam, cuius est capax immediatè, sed huiusmodi est lumen gloriæ respectu intellectus, quia alias formas superuenientes non immediatè, sed mediante lumine gloriæ suscipere potest iuxta illam sententiam: ergo &c. 2

Tertiò

3 Tertiò. Sequeretur ipsum lumen gloriæ separatum ab intellectu, & per se existens, posse visionem beatificam suscipere, esseq; proinde beatum, ac Deum videns, consequens est falsum. ergo. Probatur sequella. Absolutum, quod est ratio recipiendi aliquam formam, per se etiam separatum potest illam suscipere, vel susceptam retinere, vel superficies, quæ est ratio recipiendi colorem, separata potest colorem recipere, & retinere, esseq; colorata, vt patet in Eucharistia. Ergo si lumen gloriæ est dispositio, qua mediante intellectus suscipit visionem, separatum posset illam suscipere, & retinere.

4 Quartò. Sequeretur ex opposita sententia, neq; animam neq; intellectum beatificari simpliciter, sed secundum quid, & per accidens: neq; per se & simpliciter Deum videri ab anima, vel intellectu, sed lumen gloriæ per se, & simpliciter beatificaretur, & videret Deum. Cõsequens est absurdum: ergo. Probatur sequella. Substantia, quia non immediate suscipit colorem, sed mediante superficie, non est per se colorata, sed per accidens duntaxat. Ergo.
5 Dices, intellectum lumine gloriæ informatum per se beatificari, ac visionem recipere. Contra. Vnius actus per se est vnica potentia per se, & vnicum per se susceptiuum: sed visio Dei est vnicus per se actus, & intellectus lumine gloriæ informatus non est vnum per se, sed per accidens: ergo totum hoc non habet rationem potentiæ, & receptiui respectu illius actus, sed alterum tantum illorum, vel sola potentia, vel solum lumen gloriæ.

6 Quintò. Habitus in via non est dispositio ad actum: ergo multò minùs in patria habitus luminis gloriæ erit ad actum visionis beatificæ dispositio. Consequentia patet ex paritate rationis: sed probatur antecedens. Habitus viæ generantur ex actibus, sequunturq; ipsos actus: ergo non sunt dispositiones respectu actuum, cum dispositio necessario debeat antecedere, & non sequi formam, ad quam disponit.

7 Sextò. In cunctis actibus & habitibus, tam acquisitis, quàm infusis ita comparatum est, vt actus disponant ad habitum, & non è contra, vt patet inductione: in acquisitis enim compertum est per actus frequentatos disponi potentiam ad habitum postmodùm comparandum, in infusis autem actus primus pœnitentiæ, primusq; charitatis sunt dispositiones non solum ad gratiam, sed etiam ad ipsos habitus pœnitentiæ, & charitatis: ergo habitus luminis gloriæ non disponit ad visionem beatificam, quæ est primus illius actus, sed è contra visio beatifica ad habitum luminis gloriæ disponit.

8 Septimò. Vltima dispositio ad formam, non comparatur ad illam in genere causæ efficientis, sed potius è contra forma comparatur ad illam dispositionem in genere causæ efficientis, vt patet in ductione in summo calore, qui est dispositio ad formam ignis, cuius non est causa efficiens, sed effectus in hoc genere causalitatis, & actus charitatis, qui est dispositio ad habitum charitatis, est effectiue ab illo, & sic de alijs: sed lumen gloriæ est causa efficiens respectu visionis beatificæ, & nullo modo sequitur in genere causæ efficientis ipsam visionem ergo nequit esse vltima dispositio ad illam.

9 Octauò. Si intellectus Christi susciperet visionem mediante lumine gloriæ, sequeretur, ipsum lumen gloriæ potius ac principalius dici potentiam visiuam, & intellectiuam, quàm ipsum intellectum Christi, cõsequens autem est falsum: ergo. Sequella probatur. Omne receptiuum est potentia respectu illius, quod recipitur, & intellectus ideò dicitur, & est potentia intellectiua, quia est receptiuus intellectionis: ergo si lumen gloriæ est receptiuum intellectionis, est potentia intellectiua. Et rursus, cùm sit propinquius receptiuum, quàm intellectus, magis esset intellectiua potentia, quàm intellectus, cùm potentia propinqua veriùs dicatur potentia, quàm remota, vt dicitur 9. Methaph.

10 Circa hanc difficultatem Scotus in 4.d.49.q.11.& in 3.d.14.q.1.& 2. opinatur, lumen gloriæ, etiam si daretur, non posse comparari ad visionem beatificam in genere causæ materialis, & dispositiuæ. Idem tenet Durandus in 4.d.49.q.2. & Capreolus eâdem distinctione q.4. art.3. ad argumenta Scoti, & Durandi contra secundam conclusionem, Ferrar. 3. contra Gentes cap 54. & Soto in 4.d.49.q.2.art.4.

11 Sed pro decisione veritatis sit Prima Conclusio. Lumen gloriæ est dispositio requisita ad actum visionis claræ suscipiendum, ita vt intellectus Christi illum actum non suscipiat, nisi vt est lumine gloriæ dispositus, neq; ille actus actuet potentiam intellectiuam Christi, nisi lumine gloriæ dispositam. Hanc conclusionem tenet Caietanus 1.p.q.12.art.5. vbi ait, ad formam, quæ est terminus generationis requiri dispositionem, quæ in præsenti est lumen gloriæ. Et subdit, formam intelligibilem, & ipsam intellectionem esse eundem terminum generationis, seu mutationis, neq; ponere in numero: & idem apertiùs ostendit Parag. sequenti, dicens, eandem dispositionem, quæ eleuat intellectum ad Diuinam Essentiam, disponere, & eleuari ad ipsam visionem. Idem tenet Paludanus in 4.d.49.q.1.art.3.conclus. 2. Marsilius in 3.q.10.art.2. Dubio incidenti, conclus. 1. Maior in 4.d.49.q 4. Richardus ibidem art.3.q.1.& 2.
12 Et probatur ratione. Visio clara suscipitur in intellectu, vt est potentia quædam supernaturalis, ac vitalis supernaturali vita; sed per lumen gloriæ constituitur intellectus in ratione potentiæ vitalis supernaturali vita; ergo lumen gloriæ disponit intellectum creatum, cõstituitq; illum idoneum susceptiuum claræ visionis. Maior est manifesta, quia operatio vitalis suscipitur in potentia vitali, vt vitalis est, illo, inquam, vitæ genere, ad quam pertinet operatio. Minor etiam patet ex dictis, quia intellectus ex se non habet, quòd sit potentia vitalis vita supernaturali, sed à lumine gloriæ.

13 Secundò probatur. Intellectus creatus Christi, neque est naturaliter actiuus, neque susceptiuus claræ Dei visionis, non habens potentiam naturalem actiuam ad producendam visionem, neque naturalem passiuam ad illam suscipiendam; ergo sicut lumine gloriæ eleuatur ad producendam visionem, ita indiget eiusdem luminis eleuatione, & dispositione ad eam suscipiendam.
14 Tertiò. Lumen gloriæ est principium effectiuum, quo intellectus Christi efficit actum visionis beatificæ: ergo est etiam principium passiuum, quo mediante intellectus illam suscipit visionem. Consequentia probatur, quia illa visio est actus immanens; sed de ratione actus immanentis est, quod suscipiatur in principio intrinseco, à quo producitur, ita vt eo modo, quo concurrit ad actus productionem, concurrat etiam ad actus susceptionem. Antecedens principale est receptum omnibus Thomistis, & Disputatione sequente efficaciter ostendetur.

Quartò.

15 Quartò. Lumen gloriæ est dispositio ad visionem Diuinæ Essentiæ in ratione speciei cum intellectu creato Christi, vt Disputatione præcedente ostensum est; ergo similiter est dispositio ad actum visionis suscipiendum. Consequentia patet; tum, quoniam, quidquid disponit potentiam ad actum primum, disponit ipsum & ad actum secundum: tum etiam quia actus primus & secundus quoàd habitudinem & dispositionem, vel subiectum dispositum, non ponunt in numero, sed pro eadem forma, & motu, ac termino reputantur.

16 Secunda Conclusio. Lumen gloriæ non est dispositio susceptiua, vel subiectiua visionis beatificæ, sed intellectus Christi lumine gloriæ dispositus est immediatum visionis susceptiuum, lumen autem gloriæ nullo modo suscipit visionem, neque vt Quod, neque vt Quo. Pro huius conclusionis intelligentia aduertendum est cum Paludano, geminam esse, quoàd præsens attinet, dispositionem, etiam proximam. Alteram quidem susceptiuam, in qua immediatè suscipitur forma, tanquam in subiecto, Quo, & qua mediante recipitur in quocumque alio; vt quantitas est dispositio susceptiua substantiæ ad recipiendum colorem, ita vt in quantitate color immediatè suscipiatur: alia verò est dispositio non subiectiua, quæ requiritur non ad suscipiendum absolutè, sed ad bene recipiendam formam ab alio immediatè, vt dispositiones materiæ ad formam substantialem, in quibus substantialis forma nullo modo suscipitur, sed
17 immediatè in ipsa materia disposita. Et huiusmodi dispositiones adhuc sunt in duplici differentia, quædam ad actualem susceptionem duntaxat, à quibus forma, ad quam disponunt, pendet tantùm in fieri; quædam verò disponentes etiam ad conseruationem, à quibus & in fieri, & in conseruari pendet forma. Primi generis est molicies disponens ceram ad formam sigilli suscipiendam, in qua molitie non suscipitur figura, neque ab illa pendet nisi tantùm in fieri, reddens ceram aptiorem ad illam figuram suscipiendam: posteà verò indurata cera, & molicie amissa non amittitur figura, sed melius conseruatur. Secundi generis sunt dispositiones materiæ ad formam substantialem, vt octauus gradus caloris ad formam ignis, sine quo neque introduci, neque esse,
18 neque conseruari potest. Hoc præmisso: quamuis authores citati pro prima conclusione conueniant in hoc, quòd lumen gloriæ sit dispositio ad actum visionis claræ: dissentiunt tamen in explicando modo, quo sit dispositio. Paludanus enim loco citato censet non esse primi generis dispositionem, scilicet, susceptiuam, sed secundi: imò videtur sentire, esse tantùm dispositionem ad fieri, non ad factum esse, quia comparat lumen gloriæ respectu visionis, moliciei, respectu figuræ, quæ tantùm disponit ad fieri. In eadem sententia est Maior quæst. 4.

19 Alij verò censent, lumen gloriæ esse dispositionem primi generis, nempe, susceptiuam. De hac sententia dicemus conclusione sequente. Modo probatur secunda conclusio, quæ intelligitur de dispositione, à qua pendeat visio in fieri, & in conseruari, ita vt dempto lumine gloriæ necessariò auferatur visio clara iam producta. Primò. Materia, quamuis non suscipiat formam, nisi præparata dispositionibus, à quibus pendet forma in fieri, & in conseruari, adhùc tamen immediatè suscipit formam substantialem: ergo quamuis intellectus non suscipiat actum visionis claræ, nisi dispositus lumine gloriæ, immediatè tamen illum suscipit, & ipsum lumine gloriæ non magis suscipit visionem, quàm dispositiones formam substantialem.

Secundò. Satis est probabile, actus virtutum acquisi- 20
tarum suscipi immediatè in potentia, & nullo modo in ipsis habitibus, imò & idem probabiliter dicitur de quocumque habitu, etiam infuso fidei, charitatis &c. Ergo etiam est probabile, lumen gloriæ, quod aliquo modo habet rationem habitus, non esse susceptiuum sui ac-
tus, scilicet, visionis. Tertiò. Probabile est, quemcumque 21
actum immediatè recipi in potentia, à qua producitur; sed probabile est, lumen gloriæ habere rationem habitus; ergo probabile est non esse susceptiuum sui actus, sed suscipi in ipsa potentia. Hæc sententia est probabilis, nihilominus opposita videtur probabilior, vnde sit

Tertia Conclusio. Valde probabile est, lumen 22
gloriæ esse dispositionem subiectiuam, & susceptiuam, in qua immediatè tanquam in subiecto, Quo, recipiatur actus claræ visionis. Probatur primò. Principium intrinsecum immediatè effectiuum actus immanentis, est etiam immediatum illius susceptiuum, quod videtur esse de ratione actus immanentis, & quem locum obtinet in productione quodcumque illius principium, eundem obtineat in susceptione: ergo cùm lumen gloriæ sit immediatum principium intrinsecum effectiuum visionis claræ, necessum est, sit im-
mediatum susceptiuum. Secundò. Probabile est, habi- 23
tus acquisitos esse dispositiones immediatè susceptiuas actuum, qui ab illis eliciuntur, ita vt actus illi perfecti, qui ab habitibus producuntur, non suscipiantur in potentia immediatè, sed medijs habitibus, & multò probabilius id dicitur de habitibus infusis viæ, vt de fide, spe, & charitate, eo quòd naturalis potentia non est actuum illorum habituum susceptiua, neque quoàd modum, neque quoàd substantiam, in quo differunt isti actus supernaturales ab actibus virtutum acquisitarum, qui cùm sint naturales, vim potentiæ naturalem non excedentes secundùm substantiam, ad potentiam naturalem non repugnat immediatè comparari.
Neque etiam potentia obedientialis est immediatè il- 24
lorum actuum supernaturalium susceptiua, neque illos immediatè respicit, sed habitum prius respicit, & mediante illo actum, eo quòd illi actus necessariò pendent, & quoàd modum, & quoàd substantiam ab habitu, in quo etiam differunt ab actibus virtutum acquisitarum, qui etsi quoàd modum illum perfectum præsupponant habitum in potentia: tamen, quoàd substantiam immediatè recipiuntur à potentia, cùm eiusdem speciei sint actus præcedentes habitum, & actus subsequentes: ergo pari ratione, imò à fortiori lumen gloriæ est dispositio immediatè susceptiua actus visionis beatificæ, cùm sit quidam habitus respectu illius, quem potentia obedientialis immediatè recipit, & actum non nisi mediante illo habitu.

Tertiò. Omnis potentia ordinata ad plures formas 25
ordine quodam suscipiendas, necessariò subordinatas, ac simul necessariò permanentes, medijs prioribus suscipit posteriores, quæ ab illis prioribus necessariò

 pendent,

pendent, aliàs compararentur ad illam potentiam, in qua subiectantur, per accidens, & sine vllo ordine; sed intellectus in ratione potentiæ obedientialis ordinatur ad plures formas inter se ordinatas, priùs quidem ad lumen gloriæ suscipiendum, & mediante illo ad actum visionis; ergo mediante lumine gloriæ visionem suscipit. Neq; est instantia de dispositione ad formam substantialem, vt statim videbimus.

26 Quartò. Omnis dispositio ad aliquam formam necessaria, ipsamq; concomitans, vel est aliquo modo subiectum formæ, ad quam disponit, vel è contra forma ad quam disponit, est aliquo modo dispositionis subiectum; sed actus visionis claræ nullam habet rationem subiecti respectu luminis gloriæ; ergo è contra lumen gloriæ est dispositio susceptiua respectu visionis. Minor cum consequentia patet. Maior autem probatur, tum inductione: quia dispositiones ad formam substantialem requisitæ, & concomitantes, quia non sunt subiectiuæ, in quibus aliquo modo suscipiatur forma, quæ in materia nuda suscipitur, ipsæ quidem dispositiones suscipiuntur in materia mediante forma substantiali, imo in toto composito ex materia & forma resultan-

27 te. Et quando forma, ad quam disponitur subiectum, est accidentaria, cùm non faciat compositionem per se cum subiecto, in tali forma, tanquam in subiecto, Quo, suscipitur dispositio. Et sic de aliis. Tum etiam probatur ratione: quia potentia, dispositio, & forma, ad quam disponunt, ordinantur inter se, non enim sunt disparatæ, & potentia est susceptiua vtriusque ordine quodam: ergo vel suscipit immediatè dispositionem, & illa mediante formam, vel si formam suscipit immediatè, debet mediante illa suscipere dispositionem: non enim potest vtraque immediatè, & sine subordinatione suscipere, cùm illæ sint subordinatæ, & inter se, & in ordine ad potentiam receptiuam.

28 Quintò. Quæcumq; potentia vitalis est subiectum, Quo, susceptiuum sui actus immanentis, quidquid sit de habitibus, & aliis principiis superadditis: sed lumen gloriæ vel est potentia supernaturalis vitalis constituens intellectum in ratione potentiæ vitalis ad actum visionis, vel saltem habet modum potentiæ, vt infra ostendetur. Ergo est subiectum visionis susceptiuum.

29 Ex hac conclusione sequitur conclusio quarta: Lumen gloriæ alio modo disponit ad Diuinam Essentiam in ratione speciei, & alio ad actum visionis, quamuis ex priori dispositionis modo videatur sequi secundus. Ratio primi est, quia lumen gloriæ non est dispositio susceptiua Diuinæ Essentiæ, quæ in nullo subiecto suscipitur, est autem dispositio susceptiua actus claræ visionis: ergo alium, & alium habet dispositionis modum respectu illarum formarum. Ratio secundi est, quia ex eo quòd lumen gloriæ disponat intellectum ad Diuinam Essentiam, quæ est actus primus, videtur sequi, quòd sit susceptiua dispositio actus secundi.

30 Ad primum argumentum negatur antecedens, & ad probationem Resp. Inter formas, ad quas intellectus ordinatur suscipiendas, præstantiorem esse actum visionis, & ad illam magis, ac principaliùs ordinari, quàm ad lumen gloriæ: sed negatur illa consequentia; Ergo ad actum visionis immediatiùs ordinatur: quia mutatur modus principalitatis in modum immediationis, imò potiùs sequitur oppositum, quòd illud ad quod principaliùs aliquid ordinatur, quod proinde est illius finis, sit remotius, ac vltimò assequendum: quæ enim sunt priora, ac præstantiora in intentione, sunt posteriora, & remotiora in assequutione, sicut intellectus principaliùs ordinatur ad actum secundum, immediatiùs verò ad primum.

Ad secundum negatur sequella, & ad probationem similiter negatur, receptiuum multarum formarum quietari in illa forma perfectissima, quam immediatè suscipit, non enim quietatur, & beatificatur, nisi in forma omnium perfectissima simpliciter, quæ proinde debet esse vltima, mediata, ac remota: præterquàm, quòd intellectus beatificari, & quietari non potest nisi in actu secundo. 31

Ad tertium negatur sequella, & ad probationem possunt assignari discrimen inter quantitatem, & qualitatem, quò ad rationem subiectiuam, & susceptiuam, quòd cùm quantitas sit vniuersale principium recipiendi ex sua natura, sequaturq; ratione materiæ, & sit illud, quo substantia omnia alia accidentia corporea suscipit: ideò semel separata quantitate à substantia, obtinet vicem substantiæ habetq; rationem subiecti, Quod, respectu aliorum accidentium, quæ secum defert, & sustentat absq; vllo miraculo, præter illud separationis, vt ostenditur infra quæst. 77. artic. 2. Cæterùm qualitas per se, & in vniuersali non est principium patiendi, sed agendi potiùs, patiturq; quandoq; propter specialem rationem, conuenit etiam ratione formæ, & ideò separata non continuò obtinet rationem subiectandi, & modum substantiæ. 32

Secundò Resp. Quidquid sit de discrimine inter quantitatem, & qualitatem, quoad præsens attinet, illam propositionem, Absolutum, quod est ratio recipiendi aliquam formam, per se separatum posse illam recipere, & retinere, non esse veram, quando forma est actus vitalis; & ideò separatum lumen gloriæ ab intellectu neque potest elicere actum visionis, neque retinere elicitum in ratione visionis, quia ille actus intrinsecè, & formaliter pendet à potentia vitali, & ab essentia animæ. Quare separatus intellectus videntis Deum ab anima, non videret Deum. 33

Ad quartum Resp. præmittendo, dupliciter aliquid dici per accidens. Vno modo, vt dicitur ab accidenti, quod est quintum prædicabile, & sic dicitur per accidens conuenire, quod potest adesse, & abesse præter subiecti corruptionem. Alio modo idem importat per accidens, quod per aliud, non tanquam formam, idest, per formam aduenientem, sed per aliud tanquam suppositum, qua ratione id dicitur moueri per accidens, quod mouetur ad motum alterius. Per se, similiter sumitur, vt distinguitur contra per accidens vtroque modo. Hoc præmisso Resp. Animam beatificari quidem per accidens primo modo, quia beatificatur per actum, qui est accidens, quod potest adesse, & abesse præter subiecti corruptionem. Negatur tamen beatificari per accidens secundo modo: tum quia lumen gloriæ non est aliud suppositum, quod beatificetur, quamuis sit forma, qua mediante anima beatificatur: tum etiam quia intellectus, lumen gloriæ, & Essentia Diuina in ratione speciei, constituunt vnicum susceptiuum visionis claræ. 34 35

Sed

36 Sed obiicitur. Ergo saltem intellectus per accidens videt Deum. Probatur consequentia, quia videt per lumen gloriæ, quod est aliud subiectum, Quo, visionis, sicut & intellectus est subiectum, Quo: etenim si anima Deum videret per aliud tanquam subiectum, Quod, per accidens quidem videret, cùm videret per aliud, Quod, eiusdem rationis, sicut & ipsa anima est subiectum, Quod: ergo cùm intellectus suscipiat visionem per aliud subiectum, Quo, nempe, per lumen gloriæ, etiam ipse
37 intellectus erit per accidens beatus tanquam, Quo. Resp. Animam separatam, siue ipsum hominem esse simpliciter beatum, potentias autem dici beatas veluti secundariò, & consequenter, habitus verò nullo modo dici beatos, quia neq; sunt ipse homo, neq; partes illius, sicut potentiæ, quæ sunt partes animæ potentiales, & ideò cùm sint partes animæ beatæ, dicuntur consequenter, & quodammodò beatæ. Intellectus igitur non dicitur beatus per aliquid aliud, quod aliquo modo dicatur beatum, cùm lumen gloriæ hanc prædicationem non
38 suscipiat. Secundò Resp. Quòd licèt intellectus & lumen gloriæ sint id, quo anima videt Deum, & subiectum, Quo, suscipit visionem beatificam, non tamen eodem modo, quia intellectus est, quo anima suscipit visionem, tanquam potentia obedientiali, lumen autem gloriæ tanquam habitu, vel tanquam potentia constituente intellectum in ratione potentiæ vitalis supernaturalis: & ita intellectus non suscipit visionem per aliud subiectum, Quo, eiusdem rationis.
39 Tertiò dicendum est, quòd cùm sint subiecta, Quibus, subordinata, non supposito distincta, quod conuenit vni ratione alterius, non conuenit per aliud, & per accidens, non enim sufficit, quòd conueniat per aliud eiusdem rationis, nisi sit aliud secundùm suppositum. Sed adhuc
40 instatur. Substantia dicitur per accidens videri à potentia visiua, quia videtur ad visionem colorati, quamuis coloratum non sit suppositum à substantia distinctum, neq; substantia sit colorata per aliud, tanquam suppositum, sed per aliud tanquam per formam: ergo similiter in proposito anima dicetur per accidens Deum videre, visionemq; suscipere, quia per aliud, etsi supposito non distinctum videt, & suscipit visionem. Neque soluitur argumentum per hoc, quòd coloratum vt sic & formaliter distinguitur à substantia: quia similiter illuminatum vt sic formaliter distinguitur ab anima, cùm illuminatum importet de formali lumen gloriæ, quod est
41 accidens, anima verò substantiam. Resp. Quando nulla interuenit appellatio, ad hoc quòd quidpiam dicatur per accidens conuenire, necessarium esse, vt conueniat per aliud suppositum formaliter distinctum. At quando interuenit appellatio, satis est, conueniat per aliud formaliter distinctum, quia prædicatio, in qua interuenit appellatio, respicit formam, cùm sit super formalia applicatio, prædicatio verò, in qua non interuenit appellatio, vel aliqua reduplicatio, respicit suppositum. Et ideò substantia per se, id est, non per accidens, nec per aliud est alba, in qua prædicatione nulla interuenit appellatio. Hæc autem propositio, Substãtia per se est visi-
42 bilis, falsa est, quia visibile, obiectum, terminus visionis, & alia huiusmodi habent appellationem, & omnia etiam nomina, & verba, quæ actum animæ important, appellant supra illud, supra quod feruntur. Quare nulla est cõsequentia, Substãtia est per se colorata, coloratum est per se visibile, ergo substantia est per se visibilis: idest, non per aliud, nihil enim valet propter appellationem, quia ad hoc, vt substantia sit per se, id est, non per aliud colorata, satis est, quòd in se suscipiat colorem, & non per aliud suppositum, quia illud prædicatum dicitur de supposito subiecti: cùm non habeat appellationem. Vt autem sit per se visibilis, requiritur, quòd ipsa immutet visum sub ratione substantiæ, & quod in quantum substantia sit visibilis ratione appellationis prædicati.

Ad replicam contra solutionem ibidem positã Resp. 43
cõcedendo, vnius actus esse vnicum susceptiuum, Quod, sed non repugnat, esse vnum, Quod, & aliud, Quo, immò & plura, Quo, subordinata, sicut coloris est vnum susceptiuum, Quod, nempe, corpus de genere substantiæ, & aliud, Quo, videlicet, quantitas. Ita proportionabiliter se habent anima, intellectus, & lumen gloriæ, quia sola anima recipit visionem vt Quod, intellectus vt Quo, tanquam potentia: lumen gloriæ vt Quo, tanquam ha- 44
bitu, vel tanquam potentia constituente intellectum in ratione potentiæ vitalis Diuinæ. Neque est necessarium, vt sit vnicum subiectum, quod ex intellectu, vel anima, & lumine gloriæ fiat aliquod compositum, & aliquod ens per se: nec rursus intellectus lumine gloriæ illustratus est ens per accidens, quia non importat compositum ex intellectu, & lumine gloriæ, sed ipsum intellectum sic dispositum.

Ad quintum distinguitur antecedens. Non est dispositio ad actus imperfectos, quales sunt, qui habitum acquisitum præcedunt, & quibus habitus generatur, concedo. Non est dispositio ad actus perfectos, qui necessariò secundùm illum modum perfectionis sequuntur ipsum habitum nego. 45

Ad sextum Resp. Actus imperfectos disponere ad habitum acquisitum, habitum verò è contra disponere ad actus perfectos, & similiter ad habitus infusos disponere actum, vt contritio V.G. quæ est actus pœnitentiæ, considerata, vt habet quandam imperfectionem, prout est inchoatio quædam pœnitentiæ, & non vt formata, sed vt præcedens ordine naturæ gratiam & charitatem, quibus formatur, & perficitur, hoc modo disponit ad habitum pœnitentiæ, vt ostendetur infra q. 85. art. 5. & 6. Ad actus verò supernaturales perfectos disponit habitus infusus. Actus autem visionis beatificæ, cum sit omnium perfectissimus, consideratus vt finis vltimus, & beatitudo, in qua nihil imperfectionis esse potest, ideò neq; dispositionis rationem habere potest, sed habitus è contra ad illum disponit. 46

Ad septimum negatur, in vniuersum requiri, quòd vltima dispositio ad formam sit ab illa producta, vt patet in mollicie, quæ est dispositio ad figuram, & tamen non est effectus figuræ, & in luce, quæ est dispositio ad causandam speciem in sensibus, & tamen non est effectiuè ab specie, & sic de alijs. Quòd si vrgeat, saltem id requiri in dispositionibus concomitantibus, quæ formam non præcedunt, Respondetur, neque in his etiam requiri, quia actus primus ad virtutem acquisitam pertinens est dispositio concomitans habitum, vt habet probabilior sententia, quæ asserit per primum actum produci habitum quoàd essentiam, etsi non quoàd statum virtutis, & habitus, & tamen talis actus non est effectiuè ab habitu, sed potiùs causa efficiens habitus, & in vniuersum non 47 48

videtur requiri hæc efficientia formæ reſpectu diſpoſitionis in receptiuis diſpoſitionibus, vt quantitas quæ eſt diſpoſitio ad figuram, illam concomitans, neque ab illa cauſata, etiam eſt diſpoſitio ad qualitatem corpoream, & quantitas mixti ad colorem, à quibus tamen non producitur effectiuè. Illa ergo propoſitio aſſumpta tantùm habet verum in diſpoſitionibus ad formam ſubſtantialem, ipſam concomitantibus.
49 Cum ergo lumen gloriæ ſit diſpoſitio ſuſceptiua, non eſt ab ipſo actu viſionis effectiuè, quem ſuſcipit. Tum etiam, quia licèt abſolutè eſſet verum, diſpoſitionem eſſe effectiuè à forma ad quam diſponit, deberet intelligi de forma, ad quam immediatè diſponit, non mediatè. Sicut diſpoſitio ad formam ſubſtantialem eſt ab illa effectiuè, ad quam immediatè diſponit, non tamen eſt effectiuè à proprijs paſsionibus, ad quas veluti mediatè diſponit. Quia ergo lumen gloriæ immediatè diſponit ad Diuinam Eſſentiam in ratione ſpeciei vnitam, eſt ab illa effectiuè; verum quia ad actum viſionis veluti mediatè diſponit, ideò neceſſum non eſt, ab illo eſſe effectiuè.

50 Ad octauum negatur ſequella, & ad probationem, Reſp. Lumen gloriæ eſſe potentiam receptiuam viſionis claræ, ſed non eſſe potentiam intellectiuam, quia illa tantùm eſt potentia intellectiua, quæ in genere intelligibili caret omni actu, proportionaturq; materiæ primæ, eſtq; pura potentia in genere intelligibilium, & primum intellectionis receptiuum, lumen autem gloriæ licèt ſit receptiuum actus ſecundi viſionis claræ, non eſt pura potentia in genere intelligibilium, ſed eſt veluti actus primus conſtituens intellectum in eſſe potentiæ vitalis Diuinæ, ac ſupernaturalis. Et quatenùs habet aliquam rationem habitus, præſupponit potentiam in qua recipitur, & eſt actus reſpectu potentiæ.

NONA DISPVTATIO. §. I.

AN Lumen gloriæ ſit neceſſarium ad confortandum intellectum poſsibilem Chriſti, vt eliciat cognitionem beatificam, ſimulq; cum illo concurrat ad productionem cognitionis. Et pro parte negatiua ſit primum argumentum. Si lumen gloriæ effectiuè concurreret cū intellectu Chriſti, & illum confortaret, vel hoc efficeret informando intellectum, per quam informationem intendatur virtus intellectus, vel tanquam aliud agens partiale, ita vt intellectus Chriſti, & lumen gloriæ concurrant ad viſionem, vt duo partialia agentia, veluti duo trahentes nauim, quam neuter per ſe traheret: ſed neutro modo fieri poteſt hæc confortatio: ergo &c. Probatur minor quoad primum modum; tum quia intellectus, & illius virtus non ſuſcipit magis & minus, neq; eſt intenſibilis, & remiſsibilis: tum etiam, quia nihil poteſt intendi niſi ab alio eiuſdem rationis formalis, & ſpeciei, lumen autem gloriæ eſt alterius ſpeciei à lumine intellectus, ſuperiorisq; ordinis. Quoad ſecundum etiam modum probatur: quia ſi mutuò ſe iuuarent, vt duo partialia agentia, haberent virtutem eiuſdem rationis, & ſpeciei, ſimilemq; omninò, ſicut duo trahentes nauim. eſt enim neceſſarium, vt duo agentia mutuò ſe iuuans, eſſe eiuſdem ſpeciei, ac proinde lumen gloriæ eſſet quædam intellectiua potentia, ſicut intellectus.

2 Dicet, lumen neutro modo confortare potentiam, ſed confortare vt formam potentiæ ſuperadditam, & rationem producendi viſionem, ſicut ponitur calor in aqua, tanquam neceſſarius, vt calefaciat. Contra hoc replicatur: quia ſequeretur, intellectum cum lumine non aliter concurrere ad viſionem, quàm aqua calefacta ad calefactionem: ſed aqua non aliter concurrit quàm ſuſtentando calorem; qui eſt totalis virtus calefactiua, non influendo in effectum, ita vt calor ſuſtentatus ab aqua totum efficiat, & aqua nihil aliud quàm ſuſtentare, ergo intellectus Chriſti non concurrit ad illam viſionem niſi ſuſtentando lumen gloriæ, non cauſando viſionem, & ex conſequenti concurret intellectus Chriſti ad viſionem, ad ſummum, vt inſtrumentum, vt aqua ad calefaciendum.

3 Secundò. Intellectus Chriſti illuſtratus, & confortatus lumine gloriæ adhùc manet improportionatus obiecto viſionis beatificæ; non minùs ab illo diſtans, quàm anteà, vt finitum ab infinito, etiam in ratione intelligibilis; Deus enim eſt infinitè intelligibilis, intellectus verò cum lumine gloriæ eſt finitè intellectiuus: ergo lumen gloriæ non ſufficienter confortat, neque eleuat potentiam.

4 Tertiò Diuina Eſſentia vnita in ratione ſpeciei intelligibilis ſufficit cum intellectu Chriſti ad efficiendam viſionem beatificam; ergo non requiritur lumen gloriæ, quia ſpecies actuant potentiam, illamq; conſtituens in actu primo, eſt ſufficiens principium effectiuum actus ſecundi potentiæ.

5 Confirmatur primò. Lumen gloriæ non conſtituit, formaliter loquendo, intellectum Chriſti in actu, ergo non concurrit cum illo effectiuè ad viſionem: quia cùm intellectus, ſicut & omne agens, operetur inquantùm eſt in actu, per illud tantùm operatur tanquam per formam, quo in actu formaliter conſtituitur. Antecedens probatur. Lumen gloriæ non cōſtituit intellectum Chriſti in actu primo, qui eſt actualitas operatiua, quod præſtat ſola Diuina Eſſentia in ratione ſpeciei vnita, ante cuius vnionem, & actuationem, quantocumq; lumine poſito, adhùc intellectus non eſt in actu primo. Neque etiam conſtituit illum in actu ſecundo, qui eſt operatio, & licèt conſtitueret hoc modo in actu, nihil iuuaret ad operationem: ergo à ſufficiente diuiſione in nullo actu conſtituit.

6 Confirmatur ſecundò. Si Diuina Eſſentia poſſet vniri intellectui Chriſti in ratione ſpeciei ſine lumine gloriæ, illo non indigeret intellectus Chriſti: ergo poſt vnionem Diuinæ Eſſentiæ non requiritur lumen gloriæ ad quidpiam aliud, ceſſatq; eius neceſsitas, cùm primùm vnita eſt Diuina Eſſentia, ac proinde non requiritur ad viſionem, quæ ſequitur poſt illam vnionem. Conſequentia patet: quia ſi requiritur poſt vnionem ad efficiendam viſionem cum intellectu Chriſti, etiam ſi Diuina Eſſentia ſine lumine vniretur intellectui Chriſti, adhùc eſſet neceſſarium, ſicut etiam ſi ſpecies creata vniatur intellectui ſine lumine fidei, adhùc eſt neceſſarium illud lumen ad actū fidei eliciendum per creatam ſpeciem, quia eſt vis actiua intellectus ad illū actū ſupernaturalem. Sed probatur antecedens,
7 quia lumen gloriæ non aliter eleuat, & confortat intellectum Chriſti, quàm diſponendo ad vnionem eſſentiæ, ipſum enim eleuat, vt illi vniatur eſſentia: & ſimiliter confortat ipſum, ad

eandem

Digitized by Google

eandem vnionem, & nulla est alia eleuationis ratio, aliàs duplex esset eleuatio intellectus, duplexq; confortatio à lumine gloriæ participata. Vel si duplex sit, posterior, quæ est eleuatio ad operandum, sequitur ex prima, ita vt intellectus Christi cõfortetur ad Deũ videndũ, inquantũm confortatur, & eleuatur ad vnionem Diuinæ Essentiæ, & ex eo quòd ad primum eleuatur, eleuatur ad secundum; ergo ablata prima eleuatione & necessitate luminis ad primum, aufertur etiam ad secundum.

8 Quartò. Si lumen gloriæ concurreret cum intellectu Christi ad claram visionem eliciendam, sequeretur, illud concurrere, vt principium minùs principale, quàm intellectus, illi subordinatum: consequens autem est falsum: ergo. Probatur sequella: quia intellectus concurreret vt potentia, lumen autem vt habitus: sed præstantiori modo concurrit potentia intellectiua ad actum, quàm habitus. Item, quia intellectus concurreret vt eliciens visionem, lumen verò gloriæ, vt quo elicit. Falsitas autem consequentis probatur: quia ad actum supernaturalem, principium supernaturale, & eiusdem ordinis, principaliùs concurrit, quàm naturale inferioris ordinis.

9 Quintò. Lumen gloriæ concurrit ad visionem, inquantùm disponit intellectum Christi ad Diuinam Essentiam in ratione speciei vniendam, qua specie informatus intellectus elicit visionem; ergo vel non concurrit effectiuè, vel saltem non immediatè, sed mediatè, & remotè, ac proinde dici non debet virtus operatiua intellectus. Antecedens patet, quia lumen gloriæ est dispositio ad illam vnionem, vt ostensum est Disput. 7. Et inquantùm disponit ad formam operatiuam, concurrit ad operationem. Consequentia verò probatur: nam quantitas disponit ad calorem, & dispositiones materiæ ad formam substantialem, quæ est primum principium operandi, non tamen ob id effectiuè concurrunt ad illarum formarum operationes. Secunda pars probatur: quia etsi gratia mediatè concurrat ad operandum, non censetur absolutè habitus operatiuus.

Opiniones. §. II.

10 IN Hac difficultate est prima sententia asserens visionem beatificam à solo Deo produci, intellectu passiuè tantùm concurrente, ita vt neque intellectus neque alia causa secunda ad eam efficienter concurrat. Vnde negat lumen gloriæ aliquam habere efficientiam ad illam visionem eliciendam. Sic docet Ochamus in 1. dist. 1. quæst. 2. & in 4. quæst. 13. artic. 5. Dubio. 6. Gabriel in 3. dist. 14. quæst. 1. Marsilius in 3. quæst. 10. artic. 2. & cæteri nominales. Paludanus etiam in 4. dist. 49. quæst. 2. propendit in sententiam Ochami, quòd neque intellectus, neq; lumen gloriæ efficienter concurrant ad visionem beatificam, solùmq; constituit lumen gloriæ tanquam dispositionem ad suscipiendam visionem.

11 Secunda sententia affirmat, intellectum effectiuè cõcurrere ad visionem beatificam efficiendam, non tamen lumen gloriæ. Sic Durandus in 4. d. 49. q. 2. & Ioannes Maior ibidem.

12 Tertia sententia docet, actum videndi effectiuè esse ab intellectu, & effectiuè à lumine gloriæ, ita vt ibi sit duplex virtus actiua, vna naturalis, quæ remotè se habet ad visionem, alia verò supernaturalis, quæ proximè producit visionem: quæ duæ virtutes sunt duæ causæ partiales, quæ ad visionem ordinatè concurrunt: ita vt vtraq; suam habeat actiuitatem diuersam, sed tamen ordinatam, vt neutra sine altera visionem producat. Distinguit autem hæc sententia in actu videndi Deum, & ipsam vitalitatem actionis videndi, & supernaturalitatem, atq; speciem seu rationem actus. Vitalitatem quidem reducit hæc sententia in vitalitatem potentialem ipsius intellectus, qui est potentia intrinsecè viuens. supernaturalitatem verò & speciem actus reducit in supernaturalitatem luminis: atque adeò duo principia assignat, nempe, naturale, & supernaturale, vt quæ considerantur in actu, respondeant, & proportionentur suis
principijs. Hanc sententiam tenent omnes ferè Antithomæ, & eam præsupponit vt certam M. Suarez infra q. 13. art. 1. Disput. 31. sectio. 6. pag. 599. & 603. Sed differunt in modo illam explicandi: nam quidam vitalitatem actionis solùm reducunt ad naturalem intellectus vitalitatem; alij verò ad eandem vitalitatem, quatenùs actuatur, & determinatur per formam supranaturalem. Argumenta pro hac sententia proponentur conclusione tertia. 13

14 Quarta sententia tenet, intellectum Christi nullam habere virtutem actiuam naturalem, neq; proximam, neq; remotam respectu visionis Dei, sed vniuersam actiuitatem prouenire illi à lumine gloriæ, quod ad intellectum comparatur, non tanquam purus habitus, sed potiùs vt potentia, tribuens non solam facilitatem & promptitudinem ad videndum, sed ipsum posse. Pro explicatione sit Prima Conclusio.

Prima Conclusio. §. III.

15 INtellectus Christi Domini non concurrit passiuè ad cognitionem claram Dei, sed actiuè. Hæc conclusio est certissima in doctrina D. Thomæ, & Aristotelis. Et probatur. Secundùm fidem Christus videt Deum sicuti est: sed videre est actio vitalis: ergo Christus efficit illam actionem immanentem. Aliàs impropriè diceretur cognoscere Deum, sicuti est, quemadmodùm homo impropriè diceretur currere, si propria actione & virtute non moueret pedes, sed ab aliquo agente extrinseco excitaretur, & moueretur. Confirmatur. In alijs actio-
16 nibus intellectus Christi actiuè concurrit: ergo & in ista actione videndi Deum actiuè concurrit. Vnde Aristoteles. 9 Methaph. text. 5. Actionem intellectus appellanit immanentem, visio autem Dei est actio immanens, quæ manet in agente, ac proinde intellectus est agens visionem, & non se habet merè passiuè. Item. In via intelle- 17
ctus & voluntas concurrunt actiuè ad operationes fidei & charitatis, medijs habitibus fidei, & charitatis; ergo etiam in patria intellectus & voluntas concurrunt effectiuè, cùm vtriusq; æqualis sit ratio. Et tandem, quia visio ex sua definitione importat, quòd fiat à principio intrinseco effectiuo; ergo sicut Christus dicitur simpliciter videre Deum, dicetur etiam videre actiuè. Antecedens probatur, quia visio est actio vitalis viuentis: ergo est effectiuè à viuente. Confirmatur: quia est ignorantia propriæ vocis concedere, quòd Christus vitaliter videat Deum, & non concurrat actiuè, sed solùm passiuè [illegible] beatificent dicere, hominem loqui, & solùm passiuè se habere in loquutione.

Secunda Concluſio. §. IIII.

18 LVMEN Gloriæ neceſſariò conſtituendum eſt ad eleuandum, & conſortandum intellectum Christi, vt cum ipſo effectiuè eliciat, ac producat viſionem. Hæc concluſio eſt communis Thomiſtarum, & probatur ex Concilio Vienenſi, & Clementina citata Intellectus Chriſti ſecundùm fidem indiget lumine gloriæ ipſum eleuante ad Deum videndum. ergo lumen gloriæ conſtituit intellectum Chriſti viſiuum Dei, & potentem ad eliciendam viſionem, ac proinde cum
19 illo effectiuè concurrit. Sed reſpondet Ioannes. Maior, animam eleuari lumine gloriæ, nihil aliud eſſe, quàm paſſiuè diſponi, ſicut aer eleuatur lumine ad ſuſcipiendas ſpecies viſibiles, concurrente lumine paſſiuè duntaxat, & nullo modo actiuè. Et ſicut lumen gloriæ eleuat intellectum ad vnionem Diuinæ Eſſentiæ in ratione ſpeciei intelligibilis, reſpectu cuius vnionis paſſiuè ſe habet intellectus, & nullo modo actiuè; ſic etiam eleuat ad viſionem ſuſcipiendam, ſine eo quòd aliquam habeat efficientiam.

20 Nihilominùs contra hanc reſponſionem argumentatur Palatio in 4. diſt. 49. Diſput. 1. concluſ. 8. Diſpoſitio, quæ tantùm diſponit, non conſortat, nec propriè eleuat, & adiuuat ſubiectum, ſicut mollefactio ceræ, quæ eſt diſpoſitio ad figuram ſigilli recipiendam requiſita, non dicitur iuuare ceram, aut illam confortare; ſed repellere contrariam qualitatem, nempe, duriciem, quæ impreſſioni ſigillaris figuræ obſiſtebat. Secundò impugnatur reſponſio: quia eleuare ad operandum, non eſt paſſiuè tantùm ſe habere, ſed vim operatiuam conferre. at lumen gloriæ ſecundùm fidem in Concilio definitam eleuat intellectum ad operandum, nempe, ad
21 videndum Deum. Ergo. Item aliud eſt, lumen gloriæ eleuare intellectum ad actum primum, & vnionem Diuinæ Eſſentiæ, ad quam intellectus paſſiuè tantùm concurrit, aliud verò ipſum eleuare ad operationem, & actum ſecundum, ad quem intellectus actiuè concurrit, ex quo efficaciter concluditur, effectiuè ſimul cum illo concurrere.

22 Præterea probatur concluſio. Intellectus intra limites ſuæ naturæ nequit eſſe principium ſufficiens productiuum viſionis beatæ; ergo debet habere aliquid aliud concurrens vt principium, quod ſuppleat deficientiam intellectus. Antecedens patet: quia potentia naturalis non poteſt ſeipſa producere actum ſupernaturalem, qualis eſt viſio Dei, propter exceſſum quem habet actus ſupranaturalis. Conſequentia verò probatur: quia deficientia principij actiui debet ſuppleri in eodem genere, ſcilicet in ratione principij actiui; ergo ad viſionem beatam effectiuè producendam debet poni in intellectu lumen gloriæ, quod ſimul cum illo efficiat.

23 Secundò. Implicat, intellectum creatum eſſe in actu primo ad viſionem Diuinæ Eſſentiæ, quin priùs intelligatur vt potens in ordine ad illam actionem; ſed non poteſt fieri potens, niſi actuetur per lumen gloriæ; ergo ad viſionem præerequiritur lumen gloriæ tanquam principium actiuum illius ſimul cum intellectu. Conſequentia eſt euidens. Maior etiam patet; quia prius eſt, intellectum eſſe potentiam ſimpliciter potentem videre, quàm quòd conſtituatur in actu primo ad viſionem, iſta enim tria ordinatè ſe habent, potentia, actus primus, & actus ſecundus: ita vt ſicut intelligi non poteſt actus ſecundus videndi, quin priùs actus primus præſupponatur ad viſionem ordinatus, ita neque 24
poteſt intelligi actus primus intellectus vt ſic, quin præſupponatur quidquid eſt potentiale, & quòd intellectus ſit ſimpliciter potens: actus enim primus mediat inter actum ſecundum, & potentiam ſimpliciter. Minor etiam probatur; quia intellectus creatus non eſt potentia ſufficiens de ſe, ſed medio lumine fit ſimpliciter potens, ita vt ex potentia intellectiua, & lumine fiat vnum principium, & vna potentia ſimpliciter potens, & ſufficiens: ergo abſque lumine gloriæ non præintelligitur intellectus ſimpliciter potens. Patet conſequentia, quia nequit produci actus ſecundus, quin præſupponatur actus primus, & forma ſupernaturalis inhærens intellectui, & hæc dicitur lumen. Ex quo ſequitur, quòd effectiuè concurrat ad viſionem, ſicut calor, qui conſtituit aquam in eſſe calidæ, concurrit efficienter ad calefactionem.

Confirmatur hæc ratio. Vel intellectus ante actum 25
primum eſt ſimpliciter potentia ad videndum Deum, vel non. Si primum; ergo iam habet aliquid in ſe ratione cuius ſit potens, & illud cenſetur diſpoſitio ad vnionem Diuinæ Eſſentiæ. Si dicatur ſecundum; ergo non conſtituitur in actu primo per eſſentiam. Probatur conſequentia; quia non poteſt intellectus, neque aliqua potentia conſtitui in actu primo & proximo, ad actionem, niſi prius ſit in ſe ipſa potens. Itaq; quod facit intellectum potentem, præſupponitur ad illud, quod eum in actu primo conſtituit.

Poſtremò. Lumen gloriæ eſt principium receptiuum 26
viſionis beatificæ, concurritq; cum intellectu in genere cauſæ materialis ad ſuſcipiendum illum actum; ergo ſimiliter eſt principium actiuum illius actus concurrens cum intellectu ad eum producendum. Conſequentia probatur; quia in actibus immanentibus ita comparatum eſt, vt ab eodem principio producantur, à quo ſuſcipiuntur; & ideò nomen immanentium ſibi vendicant.

Hanc concluſionem aliqui exiſtimant ita certam, vt 27
oppoſitum reputent temerarium, & ſine nota erroris affirmari non poſſe. Nihilominùs admiſſo ſemel, intellectum illuſtratum lumine gloriæ, Diuinaq; Eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis actuatum elicere claram viſionem, videtur mihi non eſſe temerarium aſſerere, lumen gloriæ non concurrere actiuè, ſed tantùm diſpoſitiuè, quia verba Concilij ſine magna violentia, & extorſione poſſent ad hunc modum interpretari. Eſſet tamen improbabile, & rectæ Philoſophiæ diſſonum.

Tertia Concluſio. §. V.

INTELLECTVS Chriſti, & lumen gloriæ 28
non concurrunt ad viſionem beatificam, vt duæ cauſæ partiales, ſed intellectus in ſuo genere & ordine eſt cauſa totalis; & lumen gloriæ in ſuo ordine eſt ſimiliter cauſa totalis. Explicatur concluſio. Viſio Dei non procedit à ſolo lumine gloriæ, eſtò ſit totalis virtus effectiua viſionis, ſed etiam ab intellectu vitaliter concurrente. Verùm, quia intellectus illuſtratus lumine ſupernaturali efficitur

Deificus

Digitized by Google

deificus, & supernaturalis per intrinsecum illud lumen, quo actuatur; ideò efficitur vnum principium supernaturale visionis, ac proinde tota supernaturalitas illius visionis est vitalis, & tota vitalitas est supernaturalis, & ex consequenti quod est causa supernatu-
29 ralitatis, est etiam causa vitalitatis, & è conuerso. Etenim visio Dei indiuisibiliter est quasi forma quædam simplicissima, tota quidem prouenies à lumine gloriæ, & tota ab intellectu, & tota est vitalis, & tota supernaturalis. Sicut in creatis totus effectus est à Deo, & totus à causa secunda. Et sicut tota supernaturalitas visionis prouenit ex lumine; sic etiam tota eius vitalitas; quia lumen gloriæ est virtus Diuina constituens intellectum in ratione potentiæ vitalis Diuinæ. Nec vitalitas naturalis intellectus sufficis, vt constituat illum in ratione talis potentiæ Diuinæ ac supernaturalis, neque alia ratione dicitur ad visionem beatam per se cõcurrere, nisi quia reddit intellectum capacem, vt per lumen gloriæ possit fieri potentia supernaturalis vitam Diuini intellectus participans.

30 Sic autem explicata conclusio probatur. Intellectus Christi per suam virtutem naturalem nullã habet vim & efficaciam respectu visionis beatificæ; ergo per suam naturalem virtutem non potest concurrere vt causa partialis. Patet consequentia, quia causa partialis debet habere virtutem & efficaciam ad talem effectũ, vt cõdistinguitur ab alia causa partiali. Sed probatur antecedens. Tota entitas visionis beatificæ est supranaturalis, etiam quoad substantiam; sed virtus intellectus Christi, & quidquid habet ex proprijs, totum est naturale, & intra ordinem naturæ cõtentum; ergo nullam habet vim etiam partialem ex proprijs respectu visionis.

31 Secundò. Eodem modo se habet intellectus cum lumine gloriæ ad eliciendam visionem, sicut se habent alia agentia cum suis virtutibus ad operandum, vt Sol cum lumine, & Ignis cum calore; sed in his agentibus nulla datur partialitas, sed vnumquodque eorum, tam agens quàm eius virtus, sunt causæ totales, quæuis in suo genere; ergo idem dicendũ est de intellectu Christi & lumine gloriæ. Confirmatur. Causæ partiales eandem denominationem suscipiunt, vnaquæque enim saltem partialiter denominatur ab actione; sed lumen gloriæ non denominatur saltem partialiter à visione videns, sed solus Intellectus denominatur videns per lumen; ergo lumen non est agens partiale.

32 Secundò. Si natura tribuit virtutem & actiuitatem partialem alicui respectu alicuius actus, ad eandem naturam pertinet conferre alteram partialem virtutem, aliàs daretur per naturam aliqua pars & medietas, quæ intra limites & ordinem naturæ requiret habere alterã partem, & complementum sui, quod est absurdum: quia aliàs aliquid esset in natura Imperfectum & per eandem naturam incomplebile: ergo si natura dedisset intellectui Christi virtutem partialem ad actum visionis, ad eã-dem naturam pertineret, dare complementum huius virtutis, quod est hæreticum.

33 Tertiò. Causæ partiales non sunt subordinatæ, sed æquè proximè, & immediatè concurrunt ad effectum, tanquam causæ eiusdem ordinis, & sic vna neque recipit virtutem, aut perfectionem ab altera, vt constat in duobus trahentibus nauim, vel in duobus calidis aut luminaribus coadunatis ad eundem effectum; sed intellectus subordinatur lumini, neque ex propria virtute naturali habet, vnde sit proximum principium partiale visionis, nisi per lumen gloriæ: ergo. Confirmatur. Intellectus Christi constituitur per lumen gloriæ in actu primo completo ad videndum Deum: ergo lumen & intellectus efficiunt vnum principium per se visionis, atq; adeò
quoduis illorum non se habet, vt partialis causa. Quar- 34
tò. Sequeretur, quòd qui haberet perfectiorem intellectum in naturalibus, cum æquali lumine gloriæ melius videret Deum, quod est falsum, vt quæstione sequente art. 4. ostendetur contra Caietanum. Probatur sequella: nam cùm duæ causæ concurrunt ad effectum partialiter, quò altera illarum est perfectior, eò effectus subsequutus est præstantior, ergo si intellectus partialiter concurrit ad visionem, melior & perfectior virtus intellectus conducet ad excellentiam visionis perfectioris. Vel dicendum est; intellectum ex sua vi naturali non
concurrere partialiter ad visionem. Confirmatur, quia 35
naturalis virtus intellectus, & lumen gloriæ non sunt eiusdem ordinis, vt constat; ergo vis naturalis intellectus nequit cõcurrere cum lumine gloriæ ad visionem.

Ex hac conclusione reijcitur illa tertia sententia su- 36
pra explicata, num. 12. quæ parum, aut nihil habet probabilitatis: ex ea enim sequitur, visionem beatificam, prout est vitalis, non esse ex gratia, & ex dono speciali Dei, quod est falsum. Probatur sequella, nam quòd sit vitalis, habet ex naturali vitalitate intellectus, iuxta illam sententiam. ergo per naturam habet vitalitatem, & non ex gratia. Quòd autem hoc sit falsum, patet ex illo Ioan. 10. *Ego vitã æternam do eis.* Vbi visionem beatã appellat Christus vitam æternam secundùm illud Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te &c.* Vbi apertè innuitur, visionem beatificam non solùm in esse visionis, sed etiam in ratione vitæ, hoc est, vitalis opera-
tionis, ex gratia & dono Christi prouenire. Neque sat 37
est dicere, virtutem naturalem Intellectus, & eius vitalitatem, prout eleuatur per lumen gloriæ concurrere partialiter ad visionem: quia vita intellectus, ex qua procedit vitalitas visionis, iuxta istam sententiam, quamtumuis sit eleuata per lumen gloriæ, est simpliciter, & quoad substantiam naturalis, ergo vitalitas visionis ab hac vita procedens & dimanans, est simpliciter, & quoad substantiam naturalis: & ex consequenti visio beata non erit omninò supranaturalis, cùm procedat à virtute naturali. Quare cùm virtus naturalis intellectus, vt condistincta à lumine gloriæ, nequeat in visionem beatificam influere, necessariò dicendum est, solum lumen gloriæ esse totalem virtutem intellectus ad eliciendam visionem.

Sed contra hanc doctrinam argumentantur aduer- 38
sarij. Primò. Virtus naturalis intellectus, vel confert aliquid ad visionem, vel nihil. Si primum dicatur; ergo virtus naturalis intellectus concurrit partialiter, & ex consequenti lumen gloriæ non est totalis virtus. Si dicatur secundùm, ergo habet se merè vt sustentans rationem agendi, & non vt principium actiuum. Resp. virtutem naturalem nihil conferre, cùm totalis virtus productiua visionis sit lumen gloriæ. Nihilominùs intellectus non se habet vt merè sustentans lumen gloriæ, sed vt potentia, quæ perficitur intra latitudinem sui obiecti, & quæ recipit virtutem supranaturalem, & Diuinam ad eliciendam visionem.

39 Secundò. Visio Dei est actio supernaturalit vitalis; ergo debet reduci in causam, quæ sit supernaturalis vitalis:sed lumen gloriæ non habet vtrumq;, cùm non sit vitale, neque similiter intellectus, cùm non sit supernaturalis,ergo cuiuis partialiter correspondet sua pars, intellectui vitalitas, & lumini supernaturalitas: atq; adeò partialiter concurrunt. Probatur consequentia, quia de ratione causarum partialium est, quod vna ab altera nō recipiat virtutem, sed vnaquæq; propria virtute concurrat: alias vna earum esset totalis,si ab altera reciperet virtutem: ergo neque lumen dat intellectui supernaturalitatem, neque intellectus dat lumini vitalitatem,quia coniunguntur ad actum vitalem supernaturalem producendum per modum vnius causæ totalis, ita vt quæuis det actui,quod in se habet. Resp.concesso antecedenti,& consequenti, negando quòd lumen gloriæ non sit vitale, licet enim non sit potentia se mouens in beatifica visione, est tamen totalis virtus constitutiua potentiæ,se in ea visione mouentis,& ita est virtus vitalis, & fluit à gratia habituali perfecta, vt principalis proprietas illius. Gratia autem (quæ est in essentia animæ) est forma vitalis, cùm sit participatio Diuinæ Naturæ viuentis,ac proinde lumen gloriæ, quod viuificat intellectum supernaturali vita,dimanat ex vita supernaturali, quæ est in essentia animæ. Cum ergo lumen gloriæ sit vitale,& supranaturale, vtrumq; tribuit intellectui, constituens illum simpliciter in ratione potentiæ vitalis supranaturalis,& Diuinæ. Constitutus verò intellectus in ratione talis potentiæ per lumen gloriæ, vnita sibi Essentia Diuina in ratione speciei, manet deificus, & vt sic supernaturalis, & consequenter est causa supernaturalis vitalis. Probatio consequentiæ non est contra nos.

40

41

42 Tertiò.Lumen gloriæ est accidens; ergo non tribuit vitalitatem,sed supponit illam. Probatur consequentia, quia sicut accidens in genere supponit substantiam, ita accidens vitale supponit vitam,imò verò accidens ideò dicitur vitale,quia determinat vitam substantialem,aut radicalem ad operationem vitalem, aliàs albedo viuentis diceretur accidens vitale,si ad hoc sufficiat,quòd subiectū illius sit viuens.Resp.lumen gloriæ supponere quidem vitam naturalem intellectus, per quam redditur capax, vt per lumen gloriæ possit effici potentia supernaturalis vitalis participans vitam Diuini intellectus, quam illi confert lumen gloriæ. Vt autem accidens dicatur vitale, non sat est, recipiatur in subiecto viuente, sed quòd procedat à principio vitali,à quo non procedit albedo;procedit vero lumen gloriæ, quia oritur à gratia,quæ est principium & forma vitalis, in essentia animæ residens.

43

44 Quartò obijciunt aduersarij nonnulla exempla. Primum est de intellectu, & specie intelligibili, quæ licet habeant rationem vnius principij totalis, quodlibet tamen est partiale principium respectu intellectionis, & eodem modo dicendum est de intellectu & lumine gloriæ respectu visionis, & de voluntate & charitate respectu dilectionis, nam voluntas & charitas constituunt vnum principium totale dilectionis Dei, & quodlibet eorum est partiale ex virtute propria concurrens, & ab alio non recepta. Secundum est de duabus præmissis ad eandem conclusionem Theologicam concurrentibus, quæ est altioris ordinis,quàm conclusio naturalis, cùm habeat certitudinem supernaturalem, quarum altera præmissa sit supernaturalis, & altera naturalis, tunc enim vtraq; præmissa concurrit vt causa partialis, & naturalis præmissa concurrit propria virtute naturali partialiter, seu tanquam partialis causa ad causandam conclusionem illam Theologicam, prout est coniuncta cum altera præmissa supernaturali, et si ab ea nullam virtutem accipiat. Similiter ergo intellectus per hoc quòd lumini supernaturali coniungitur, habet ex propria naturali eius virtute concursum partialem, respectu actus supernaturalis, licet io se nullam virtutem supernaturalem recipiat.

45

Ad primum exemplum Resp.negando intellectum & speciem intelligibilem esse duas causas partiales, sed intellectum in genere potentiæ esse causam totalem, cōstituiq; fœcundum per speciem, quę se tenet ex parte obiecti. Et quamuis vnum sine alio non sufficiat, non sunt ideò partes alicuius integræ causæ: aliàs neque causæ secundæ essent totales, quia sine Dei, & cæli concursu, producere effectum non possunt.Intellectus ergo in suo ordine est sufficiens,& similiter species in suo genere, & ex vtroq; efficitur vnum per se,quod non efficeretur, si partialiter cōcurrerent, etenim causæ partiales vt sic nō efficiunt vnum per se,sed per aggregationem. Ad secundum exemplum Resp. esse diuersum in præmissis, vbi vna non est actus primus alterius, & sunt partes materialiter componentes cōclusionem, & ex alia parte maior & minor non se habent per accidens, sed artificiosè sunt inter se ordinatæ, & subordinatione logica subordinatæ,& ideò efficiunt vnum per se. 46 47

R. Ad Argumenta. §. VI.

AD Primum argumentum principale rectè ibidem responsum est, nempe, esse alium modum confortandi potentiam pręter duos illos assignatos, videlicet, per nouæ formæ appositionem, & sic confortatur, & eleuatur intellectus per lumen gloriæ, tanquam per aliam formam & virtutem, quæ est noua ratio agendi superaddita intellectui. Neque ex hoc sequitur, intellectum & lumen gloriæ esse duo partialia agentia beatificæ visionis, quia vt dictum est, lumen gloriæ est totalis virtus productiua visionis, ad quam intellectus per virtutem naturalem, quamtumuis eleuatam non concurrit. 48

Ad replicam Resp. nō ita per omnia se habere lumen respectu intellectus creati, sicut se habet calor respectu aquæ,sed in hoc solùm proportionari, quòd sicut aqua perficitur ad calefaciendum per formam suæ naturæ superadditam; sic etiam intellectus per lumen gloriæ. Differunt tamen, quia calor comparatur ad virtutem naturalem aquæ, sicut vna potentia disparata ad aliam potentiam, quæ potentiæ nullo modo subordinantur, quin potiùs opponuntur, at lumen gloriæ comparatur ad intellectum,vt perfectio ad suum perfectibile, &va constitutiuum illius simpliciter in esse potentiæ vitalis supranaturalis:quæ quidem subordinantur. At calor nō est potentiæ frigefactiuæ perfectio, sed potiùs destructio, atque adeò opponitur illi: & ideò cùm calor non perficiat virtutem, aut formam aquæ, sed potiùs illi repugnet: calefactio non tribuitur formæ substantiali aquæ, sed soli calori. At lumen gloriæ non repugnat, neque contrariatur virtuti intellectus, neq; est omninò virtus 49 50

virtus disparata, esto sit supernaturalis: tum quia natu-
ralia subduntur supernaturalibus, & illis subordinan-
51 tur: tum etiam, quia cùm gratia non destruat, sed perfi-
ciat naturam, lumen illud ad gratiæ ordinem perti-
nens perficit intellectum, & eius virtutem in ordine ad
aliquid cōtentum intra latitudinem sui obiecti. Et ideò
visio beata non solùm lumini, sed etiam ipsi intellectui
tribuitur, potentia verò frigefactiua nō disponitur, neq;
eleuatur ad aliquid intra sui obiecti latitudinem con-
tentum, sed potiùs à suo obiecto, & inclinatione natura-
li extrahitur.

52 Ad secundū Resp. intellectū Christi illustratum lumi-
ne gloriæ aliqualiter proportionari cū obiecto visionis
beatificæ, quia fit potentia Diuina, & Diuinus intellec-
tus, & altioris ordinis, nempe, Diuini. Et quamuis intel-
lectus Christi etiā perfectus lumine gloriæ sit aliquid
creatum & finitū, pertinet tamen ad ordinem rerū, quæ
habent infinitatem, & est accidens Diuini ordinis. De
proportione autem requisita inter intellectū & ipsum
Deum tractaui supra disputatione prima huius articuli
ad primum.

53 Ad tertium Resp. ad quamcumque intellectionem
præter speciem requiri lumen intellectuale, & ideò ad
Deum videndum præter vnionem Diuinæ Essentiæ in
54 ratione speciei intelligibilis requiri lumen gloriæ. Sed
replicatur. Lumen gloriæ confertur ad supplendum de-
fectum intellectus agentis, vt supra diximus: sed lumen
intellectus agentis non aliter illustrat, & confortat in-
tellectum possibilem, quàm ipsum in actu primo cons-
tituens per speciem intelligibilem, qua intellectus pos-
sibilis operatur, & tantùm requiritur lumen in intelle-
ctu possibili, ergo similiter ad visionem claram elicien-
dam non requiritur aliud lumen, neque alia intellectus
illustratio præter eam, quæ fit per speciem. Et quamuis
lumen gloriæ requiratur ad disponendū intellectum, vt
actualitatem Diuinæ Essentiæ in ratione speciei susci-
piat, semel posita hac vnione, per illam duntaxat ope-
55 ratur intellectus possibilis. Resp. primò, quòd si Diuina
Essentia esset speciei intrinseca, per eam solā posset in-
tellectus concurrere ad visionem; sed quia in intellectu
non est intrinsecè suscepta, ideò præter illam requiritur
aliquid in intellectu susceptum confortans ad operan-
dum. Intellectus verò agens per speciem intrinsecè ac-
tuantem intellectum possibilem, ipsum intrinsecè illu-
minat, & confortat.

56 Secundò Resp. ad apprehensionem, imperfectamque
cognitionem sufficere illuminationem per speciem in-
telligibilem, sed ad perfectam, & scientificam vltra illu-
minationem, quam intellectus possibilis ab agente par-
ticipat per speciem, requiritur etiam illuminatio per
habitum, quod etiam habituale lumen intellectui agen-
ti adscribitur, & ab illo suo modo deriuatur. Neque ob
id clara visio est tantùm simplex apprehensio, sed etiam
& iudicium, & omnem cuiusq; cognitionis etiam per-
fectissimæ rationem continens, aliàs non esset perfec-
tissima cognitio, cuius ratio non consistit in sola ap-
prehensione, sed in iudicio. Item scientifica cognitio est
Diuinæ scientiæ participium, & licet esset formaliter
simplex apprehensio, cùm sit eminenter iudicium &
scientia, exigit etiam lumen habituale ad iudiciū scien-
57 tificum requisitum. Tertio respondetur, lumen glo-
riæ non tantùm supplere defectum luminis intellectus
agentis, sed etiam intellectus possibilis.

Ad primam confirmationem Resp. primò, ad hoc, 58
vt aliquid sit cum alio principium operandi, non esse
necessarium illud constituere in actu primo, vel secun-
do: sed satis esse, quòd ipsum formaliter constituat in po
tentia operatiua, vel in habitu: etenim cùm ad operatio-
nem non modò concurrant actus primus, sed etiam po-
tentia operatiua & habitus, quo illa operatur, siue lu-
men gloriæ cōstituat intellectum in potentia elicitiua
visionis claræ, siue in habitu, vt alij volunt, est operandi
principium.

Secundò Resp. præmisso, actum tripliciter sumi pos- 59
se, quòad præsens attinet. Primo modo vt distinguitur
contra puram potentiam, secundò, vt distinguitur con-
tra potentiam non puram, sed pertinentem ad secun-
dam qualitatis speciem: tertiò, prout distinguitur etiam
contra habitum, & quidquid modum habitus habet. Ad
hoc autem, quòd aliquid sit principium effectiuum ope
rationis, dicaturque aliud in actu constituere ad ope-
randum, simulque cum illo effectiuè concurrere, debet
esse actus primo, vel secundo modo, non tamen est ne-
cessarium, esse actū tertio modo, quia iste actus est ipsa
operatio.

Secundò præmittendum est, actum primum dici & 60
comparatione ad actum secundum, qui est operatio, &
comparatione ad ipsam potentiam. Priori modo dici-
tur actus primus omnis actus præcedens operationem,
& quidquid ad illam effectiuè concurrit, & est eius prin
cipiū. Posteriori modo dicitur actus primus, quidquid
primò actuat potentiam, & constituit illam primo &
immediatè in actu.

His positis Resp. lumen gloriæ esse actū primo mo- 61
do, iuxta priorem obseruationem, idest, non puram po-
tentiam, sed potentiam in secunda specie qualitatis cōs-
titutam, quæ aliquid habet actus, ac proinde potest esse
principium operationis. Vel vt alij opinantur, esse actū
secundo modo, id est, superadditum potentiæ, ab illaq;
distinctū, nempe, habitū, in prima specie qualitatis repo
situm: quæ ratio actus sufficiens est vt possit esse opera-
tiuus principium. Concedo tamen non esse actum 62
tertiò modo, neque illud requiritur, vt sit operandi
principium. Imò verò neque species intelligibilis est ac-
tus isto tertio modo, sed potiùs habet modum secundi,
cùm sit per modum habitus, non semper operans, sed
quando illa vtimur. Est autem sermo de specie creata,
nam Diuina Essentia in ratione speciei, cùm intellectui
non inhæreat, non dicitur habitus, sed supplens vicem
speciei habitualis. Rursus lumen gloriæ est actus primus 63
in priori acceptione secundi documenti, etsi in poste-
riori acceptione sola species intelligibilis censeatur ac-
tus primus. Cùm enim primus actus materiæ Physicæ,
quæ est pura potentia, sit forma Physica substantialis ab
agente impressa: ita & primus actus in genere intelligi-
bilium, in quo genere intellectus possibilis censetur pu-
ra potentia, & veluti tabula rasa, comparaturq; mate-
riæ primæ: primus, inquam, actus in eo genere est for-
ma intelligibilis ab obiecto mouente im, ressa, quæ est
species. Et quidem in speciebus creatis ita se res habet, 64
quòd actuatio per speciem præcedat omnem aliam ac-
tualitatem habitus cuiusq. Sed in Diuina Essentia vnita
in ratione speciei, lumen gloriæ præcedit vnionem Di-
uinæ Essentiæ, non quidem vt forma, sed vt dispositio.
Dispositio

Digitized by Google

Dispositio autem non censetur forma, & actus illius ei, ad quam disponit, vt patet in præuijs dispositionibus materiæ ad formam. Et ideò in posteriori acceptione lumen gloriæ potiùs pertinet ad actum secundum, quàm ad primum nam quidquid non est forma intellectualis, quæ est species, si est actus, non ad primum, sed ad secundum pertinet, siue illud præcedat, siue non, propter analogiam ad actum primum Physicum. Vel si velit, ad actum primum pertinere, dices, non esse actum primum formaliter, sed reductiuè & dispositiuè, quatenus ad illū disponit.

65 Ad secundam confirmationem, negatur, lumen gloriæ non aliter confortare intellectum, quàm disponendo ad vnionem Diuinæ Essentiæ. Ad probationem Resp. primò, duplicem esse eleuationem intellectus ex lumine gloriæ alteram, qua eleuatur ad Essentiæ Diuinæ vnionem, quæ pertinet ad genus causæ materialis, cùm sit eleuatio ad suscipiendum: alteram verò, qua eleuatur ad visionem eliciendam, quæ est eleuatio in genere causæ efficientis: & supposita prima, requiritur secunda, qua sublata visio non sequeretur.

66 Secundò Resp. vnicam, & eandem esse eleuationem, atque cōfortationem intellectus à lumine gloriæ prouenientem, quia si duplex esset eleuatio, duplex deberet fingi vnio luminis gloriæ cum intellectu; vna in ratione dispositionis, altera verò in ratione principij effectiui. Lumen ergo gloriæ semel intellectui vnitum secundùm suam vnicam rationem formalem, vt forma quædam, ipsum in actu constituit, quæ actualitas luminis gloriæ in intellectu in ordine ad vnionem Diuinæ Essentiæ est dispositio, in ordine verò ad visionem est actiuum principium ita vt intellectus, quatenus est in actu per lumen gloriæ sit passiuus in ordine ad speciem, & actiuus in ordine ad visionem. Et ipsum lumen gloriæ secundùm eandem rationem formalem luminis sit actiuum, & passiuum respectu diuersorum. Ratio ergo lu-

67 minis gloriæ, quæ vnica est, includit hanc geminam rationem actiui & passiui virtualiter: sicut anima rationalis includit in vnica ratione rationalis, vegetatiui, & sensitiui rationes, ita vt sit, quo homo est vegetatiuus, & sensitiuus. Ad eundem modum lumen gloriæ secundùm eandem rationem formalem est, quo intellectus suscipit, & cooperatur. Vel certè continet illas duas rationes non sub propriis terminis, quibus opponūtur, sed secundum aliam rationem superiorem, & alios terminos, in quibus comprehenduntur, vt in senario comprehenditur ternarius. Vel tertiò: cùm illa susceptio vel passio sit propter actionem, & illud pati propter agere, imò inquantum suscipit speciem, constituit in actu primo ad agendum, ideò illud suscipere, & ratio passiui, non ad passiui, sed potiùs ad actiui rationem pertinet.

68 Ad quartum principale Resp. quòd cùm lumen gloriæ sit tota virtus productiua visionis, neque aliqua alia virtus intellectus sit talis visionis elicitiua, nulla potest esse comparatio inter intellectū, & lumen gloriæ quātum ad efficientiam, sicut in ordine ad operationes naturales nequeunt inter se comparari intellectus, & eius virtus, quia esset idem sibi ipsi comparari. Ita intellectus & lumen gloriæ non sunt duo principia visionis, sed vnicum, & vnica potentia.

69 Iuxta illam sententiam, quæ negat lumen gloriæ esse potentiam, sed habitum, dicendum etiam est, potentiam & habitum vnicum constituere operationis principiū, & ideò non comparari. Sed pro maiori huius responsionis intelligentia possunt hæc inter se distingui in ordine ad operationem & actum, cùm omnia in eam influant, etsi non vnum sine alio, & tunc negatur, intellectum principaliùs concurrere ad visionem, quàm lumen. Licèt enim potentia principaliùs concurrat ad actum proportionatum, quàm habitus, non tamen ad actum improportionatum, sed ipse habitus eleuans potentiā extra suam proportionatam operationem, principaliùs concurrit. Neque intellectus concurrit vt eliciens visionem, tanquam, Quod, sed est principiū, Quo, minus principale, quàm lumen gloriæ. Quod si lumen comparetur ad ipsam animā, vel ad totum hominem, qui Deum videt, adhuc tamen principaliùs concurrit lumen, quàm anima, vel homo. Et ad argumentum, operans, Quod, est præstantius principio, Quo, operationis, 70 distinguo. Operans, Quod, in actu, concedo. In potentia, nego. Vocatur autem operans, Quod, in actu, vt est actuatum per formam, quæ est operationis principium. V.G. eliciens, Quod, in actu, visionis beatificæ est anima, vt illuminata, vel homo lumine gloriæ illustratus, & hoc operans præstantius est, quàm forma, per quā operatur, quia includit omnē formæ perfectionem, vimque operatiuam. Operans autem, Quod, in potentia, est homo ipse secundùm propriam virtutem, vt non includit lumen gloriæ. Et hac consideratione principiū, Quod, 71 operationis non præstat in ratione principij, principio, Quo; nisi quando principium, Quo, est illi proportionatum, causatumq; ab illo, vel per emanationem, vt propriæ potentiæ, vel per comparationem sua virtute & vi, vt habitus acquisiti: & denique quando operatio ad quam comparantur, est proportionata principio, Quod, secundùm se consideratæ: aliàs non, vt patet in aqua calida. Etenim ad calefactionem principaliùs cōcurrit calor, quàm aqua, etsi calor concurrat, vt Quo, aqua vero, vt Quod. Cæterùm quando principiū, Quo, non recipit vim operandi à principio, Quod, neq; operatur vt virtus talis principij, Quod, sed potiùs illi tribuit virtutem & efficaciam, tunc principalius principium est, Quo, quàm sit principium, Quod, in potentia.

. Ad quintum Resp. intellectum, lumen gloriæ, & Di- 72 uinam Essentiam immediatè concurrere ad actum visionis eliciendum, & vnumquodq; esse in suo genere immediatum principium, quia illud dicitur immediatū alicuius actus principium, inter Quod, & actum non mediat aliud principium eiusdem rationis, etsi mediet principium alterius rationis. Itaque illa potentia est immediatum principium illius actus, ad quem concurrit non mediante aliqua potentia, licèt mediet habitus, & species. Illeque habitus est immediatè eliciens actum, qui non mediante alio habitu elicit, etsi mediet potentia, vt religio in voluntate existens immediatè elicit orationem in intellectu existentem, licèt mediet potentia intellectiua. Voluntas autem non dicitur orationem immediatè elicere, quia mediat alia potentia. Et deniq; illa species dicitur immediatè ad intellectionem concurrere, quæ non mediante alia specie concurrit.

(∴)

Decima

DECIMA DISPVTATIO.

AN Lumen gloriæ in Christo Domino sit necessarium ad claram Dei visionem, tanquã sub quo Deus videatur, sub quo visio procedat, & intellectus Christi tendat in obiectum beatificum: cõstat enim ex Dialectica & Methaphysica in omni cognitione requiri medium sub quo, seu rationem sub qua potentia cognoscitiua tendat in obiectum. Negatio

1 probatur primò. Id, sub quo potentia cognoscitiua tendit in obiectum, constituit obiectum actu cognoscibile: sed Deus est actu cognoscibilis, & visibilis secundum se; ergo nullum requiritur lumen, vel medium, sub quo videatur. Maior patet inductione, tum in lumine visibili, sub quo tendit potentia visiua in coloratum, quod constituit colores actu visibiles, qui sine illo visibiles actu non sunt: tum etiam in lumine intellectus agentis, sub quo tendit intellectus possibilis in omne obiectum proportionatum: quod lumen cõstituit obiectum actu intelligibile, imò ad hoc tantùm requiritur lumen, sub quo potentia fertur in obiectum, vt illud actu cõstituat cognoscibile.

2 Confirmatur primò. Deus, vt est obiectum visionis beatificæ, nulla indiget illustratione, & illuminatione; cùm ipse sit lux increata, & immensa; ergo lumen gloriæ creatum non est sub quo Deus videtur, nec lumen

3 sub quò visio procedit. Confirmatur secundò. Ratio sub qua, & lumen sub quo potentia tendit in obiectum, requiritur ex parte vtriusque, & potentiæ, & obiecti, vt patet in lumine externo respectu visus, & in lumine intellectus agentis respectu intellectus possibilis; requiritur enim ex parte potentiæ, vt videat, & ex parte obiecti, vt videatur: sed lumen gloriæ non requiritur ex parte obiecti, vt est receptum in doctrina D. Thomæ; ergo non est sub quo intellectus tendit in obiectum.

4 Secundò. Ratio sub qua intellectus tendit in obiectũ, in omni cognitione, præsertim scientifica, est abstractio à materia; sed lumen gloriæ non est abstractio à

5 à materia, ergo. Confirmatur. Deus secundùm se, qua ratione est obiectum visionis claræ, non est abstrahibilis à materia, cùm sit ab omni materialitate alienus: ergo nulla indiget ratione, sub qua videatur, nullaq; huiuscemodi ratione est attingibilis.

6 Tertiò. Ratio sub qua procedit supernaturalis cognitio, & potentia, est Diuina reuelatio, nempe, obiectum esse reuelatum; sed lumen gloriæ non est ipsa Diuina reuelatio; ergo non est sub quo &c. Maior probatur primò inductione, in cognitione supernaturali fidei, donorumque intellectus, scientiæ, sapientiæ &c. Secundò, quia hoc versatur discrimen inter cognitionem naturalem, & supernaturalem, quòd omnis naturalis intellectio procedit sub lumine intellectus agentis, supernaturalis verò sub reuelatione, ita vt supernaturalia inquãtùm reuelata à nobis cognoscantur. Tertiò, quia ex cõmuni Theologorum sententia fides, & clara visio penes obscuram & claram reuelationem distinguũtur, ita vt fidei obiectum sit Deus obscurè reuelans, vel obscurè reuelatus, obiectũ autem visionis beatificæ sit Deus

7 clarè reuelans, vel reuelatus. Confirmatur. Ratio sub qua procedit fidei cognitio, nõ est ipse habitus fidei, sed Diuina reuelatio; ergo similiter ratio sub qua procedit clara visio, non est lumen, sed Diuina reuelatio.

8 Quartò. Eadem omnino ratio est, sub quà tendunt in obiectũ potentia, & habitus; sed impossibile est, lumen gloriæ esse rationem, sub qua tendat habitus elicitiuus visionis beatificæ in Deũ ipsum, quin sit ratio sub qua sui ipsius, cùm ipsum lumen gloriæ sit habitus ad illam visionem eliciendã; ergo non est ratio sub qua intellectus tendat.

9 Confirmatur. Ratio sub qua præcipuè confert habitui speciem, ergo non potest esse ipse habitus, cùm idem non possit esse sui ipsius specificatiuum, præsertim habitus, qui ab extrinseco sumit speciem: ac proinde cùm lumen gloriæ sit habitus, non potest esse ratio sub qua.

Pro explicatione huius difficultatis reuocanda est in memoriam illa celebris distinctio rationis formalis respectu cuiuscumque potentiæ cognoscitiuæ, nempe, quòd alia sit ratio, Quæ, illa scilicet, quæ in obiecto attingitur ab ipsa potentia, & directè, & per se cognoscitur. Alia verò sit ratio formalis, Sub qua obiectum cognoscitur; & sub qua potentia tendit in obiectum, quæ non attingitur primò, & per se, & directè à potentia; vt ratio, Quæ, respectu intellectus est entitas, ratio vero sub qua est lumen intellectus agentis, sub quo procedit omnis naturalis cognitio, & sub quo fertur intellectus possibilis in omne obiectum proportionatum. Et in potentia visiua ratio, Quæ, est coloratum, ratio sub qua in illud tendit potentia, est lumen externum. An vero lumen sit etiam ratio, Quæ, non est huius loci examinare. 10

Secundò obseruandum est, rationem sub quà non solùm tenere se ex parte potentiæ, sed etiam ex parte obiecti, quidquid dicat M. Bañes 1.2.q.1 artic. 1. Dubio 1. vbi docet, rationem sub qua tenere se ex parte cognoscentis, rationem verò, Quæ, ex parte obiecti. Itaque ratio sub qua non solùm requiritur ex parte potentiæ, vt sub ea tendat potentia in obiectum, sed etiam ex parte obiecti, vt sub illa cognoscatur: ita vt ratio sub qua, prout se tenet ex parte potentiæ, sit veluti actiua, sub qua potentia cognoscit, & actum elicit: prout autem tenet se ex parte obiecti, sit veluti passiua, sub qua, scilicet, cognoscitur obiectum. Et hæc ratio interdum est vna, & eadem, tenens se ex parte vtriusq;, vt respectu potentiæ visiuæ lumen est sub quo potentia videt colores, & sub quo colores videntur: estque quodammodò actiuum, vt se tenet ex parte potentiæ, & quodammodò passiuum, vt se tenet ex parte obiecti: quod docet D. Thomas q. 9. de Verita. art. 1. asserens, lumen corporale esse medium, quo videmus, & seruire nostro visui in duobus. Vno modo, quòd per ipsum fit visibile actu, quod erat in potentia visibile; alio modo in hoc, quòd ipse visus confortatur ad videndum ex luminis natura. Vnde constat, vtrumque munus habere; sit se tenet ex parte obiecti cognoscibilis, passiuè, & ex parte potentiæ, actiuè cognoscentis. Quandoque verò ratio sub qua est alia, tenens se ex parte obiecti, alia verò tenens se ex parte potentiæ, vt in intellectione lumen intellectus agentis est ratio sub qua vtriusque, & potentiæ intellectus possibilis, & obiecti cognoscendi, ad modũ, quo lumen visibile tenet se ex parte vtriusque, vt insinuat D. Thomas loco citato. Interdum vero aliud & aliud est lumen ex parte vtriusque, lumen enim sub quo ex parte obiecti est species intelligibilis virtute intellectus agentis abstracta: lumen autem sub quo intellectus possibilis 11 12 13

intel. i. it,

intelligit, est habitus. Etenim intellectum agentem illu-
minare obiectum, nihil aliud est, quàm ab illo speciem
intelligibilem abstrahere, per quam illuminationem
14 constituitur actu intelligibile. Species verò cùm se te-
neat ex parte obiecti, & non ex parte potentiæ, est ratio
sub qua ex parte obiecti. Similiter intellectum agentem
illuminare possibilem, & sub lumine intellectus agen-
tis possibilem elicere actum, tendereque in obiectum,
nihil est aliud, quàm intellectum agentem causare in
intellectu possibili habitus intellectuales; quibus intel-
lectus possibilis operatur, & elicit suos actus: quia vt do-
cet D. Thomas q. de Spiritualibus Creaturis art. 9. ad 7.
& q. de Anima artic. 4. ad 6. habitus principaliùs causan-
tur in intellectu possibili ab intellectu agente, quàm ab
ipso possibili intellectu. Et ex eisdem locis colligitur, nõ
esse aliam illuminationem intellectus agentis, nisi cau-
sare species, & habitus. Cùm ergo habitus, & species non
solùm distinguantur numero, sed etiam specie: alia est
ratio sub qua ex parte potentiæ, alia verò ex parte ob-
15 iecti, in cognitionibus perfectis. Imò verò propria ratio
sub qua ex parte obiecti, in quod tendit intellectus per
habitum, quæ propriùs correspondet rationi sub qua
tenenti se ex parte potentiæ, quæ est habitus: ista, inquã,
ratio sub qua ex parte obiecti correspondens illi habi-
tui intellectuali; est abstractio formalis. Cæterùm, vt
designetur ratio formalis sub qua cuiuscumq; actus in-
tellectus, ex parte obiecti, & ex parte potentiæ, in acti-
bus præcipuè apprehensionis, ad quos non requiritur
habitus, qui ad iudicandum est tantùm necessarius, &
in actibus imperfectis quibuscumque potest etiam ea-
dem ratio sub qua designari, & ex parte obiecti, & ex
parte potentiæ, nempe, species intelligibilis: quamuis
enim species intelligibilis in ratione similitudinis tan-
tùm se teneat ex parte obiecti, in ratione tamen princi-
pij tenet se ex parte potentiæ, cum qua ad intellectio-
nem concurrit.

16 Colligitur ergo ex dictis, rationem sub qua ex parte
potentiæ esse, quidquid constituit potentiam in actu pri
mo, quidquid adiuuat, & conducit ad hoc, quòd eliciat
cognitionem: rationem verò sub qua ex parte obiecti
esse, quidquid constituit obiectum actu cognoscibile
secundùm aliquã rationem cognoscibilis, scibilis, opi-
nabilis, credibilis, apprehensibilis &c. & quidquid ad
hoc adiuuat, & conducit.

17 His positis sit Prima Conclusio. Lumen gloriæ est
medium sub quo Deus videtur, & procedit visio Dei
clara, & sub quo attingit suum obiectum. Probatur. Lu
men gloriæ constituitur ad supplendum defectum lu-
minis intellectus agentis, & ad conferendum circa Di-
uinum obiectum quidditatiuè cognoscendum, id, quod
intellectus agens præstare non potest; sed lumen intel-
lectus agentis est, sub quo obiectum cognoscitur, &
intellectio procedit; ergo lumen gloriæ est sub quo
Deus videtur.

18 Secundò. Omnis intellectualis cognitio, & visio sub
aliquo lumine procedit, omneque cognoscibile sub ali-
quo lumine cognoscitur; si sit naturalis cognitio, &
cognoscibile proportionatum, sub naturali lumine; si
verò improportionatum obiectum, & supernaturalis
cognitio, sub lumine supernaturali: ergo visio clara, quę
est supernaturalis sub lumine claro supernaturali pro-
cedit, quod est lumen gloriæ. Antecedens patet, tum ex
D. Thoma q. 9. de Veritate art. 1. tum ex similitudine vi-
sionis corporalis, quæ sub lumine corporali procedit,
quod est medium, Quo, & sub quo obiectum videtur:
ac deinque ex lumine intellectus agentis, sub quo cog-
noscit intellectus possibilis, quidquid cognoscit.

Tertiò. Habitus fidei est lumen obscurum, sub quo 19
procedit actus fidei, & sub quo intellectus tendit in ob-
iectum fidei, obscurè cognoscendum; ergo similiter lu-
men gloriæ, quod est clarum, est sub quo procedit a-
ctus claræ visionis, & sub quo potentia tendit in obie-
ctum clarè cognoscendum. Consequentia patet, quia si-
cut se habet habitus fidei obscurus ad Deum obscurè
cognoscendum; sic etiam lumen gloriæ clarũ ad Deũ
clarè cognoscendum.

Secunda Conclusio: Lumen gloriæ est ratio sub qua, 20
tenens se ex parte potentiæ, sub qua intellectus Christi
Deum clarè videt, sed non se tenet ex parte obiecti. Prior
pars huius conclusionis patet ex secunda obseruatione,
quia ratio sub qua ex parte potentiæ in ordine ad actũ
secundum est id, quod constituit potentiam in actu pri-
mo, ipsamque confortat, & corroborat ad actum secũ-
dum eliciendum: sed lumen gloriæ est huiusmodi con-
fortatiuum intellectus in ordine ad visionem; ergo est
sub quo intellectus tendit in obiectum, & elicit visio-
nem, ac proinde est ratio sub qua ex parte potentiæ.
Posterior pars conclusionis colligitur apertè ex secũdo 21
documento; quia illa est ratio sub qua ex parte obiecti,
quæ constituit obiectum actu intelligibile; sed Deus, vt
est obiectum claræ visionis, non indiget aliquo consti-
tuente ipsum actu intelligibilem, neque lumen gloriæ
quidquam intelligibilitatis illi confert, ergo lumen glo
riæ non est ratio sub qua, ex parte obiecti. Probatur
etiam hæc pars argumentis initio disputationis pro-
positis.

Tertia Conclusio. Ratio sub qua ex parte obiecti cla- 22
ræ visionis est ipsa Diuina Essentia, vt in ratione speciei
intelligibilis vnit obiectum cum potentia, efficitq; illud
præsens in ratione cognoscibilis, & cætera alia præstat,
quæ pertinent ad rationem speciei intelligibilis, vt se te-
net ex parte obiecti. Est etiam ratio sub qua ex parte
obiecti ipsa actualitas Diuinæ Essentiæ, modusq; essen-
di secundùm abstractionem formalem ab omni mate-
ria, & potentialitate. Dicitur autem in conclusione, spe-
ciem, quatenùs se tenet ex parte obiecti esse rationem
sub qua ex parte eiusdem obiecti, quia, vt ex dictis cons-
tat, quatenùs Diuina Essentia in ratione speciei tenet
se ex parte potentiæ, tanquam ipsam actuans, & concur-
rens cũ illa ad eliciendã visionem, est ratio sub qua, po-
tiùs se tenens ex parte potentiæ, quàm ex parte obiecti.
Quatenùs verò vnit obiectum cum potentia, est ratio
sub qua ex parte obiecti. Probatur conclusio quò ad is- 23
tam partem. Essentia Diuina est quod videtur, & quo
videtur, ita vt ipsa sub seipsa videatur, est, inquam, quod
videtur, prout terminat visionem, & quo videtur, qua-
tenùs in ratione speciei vnit obiectum cum potentia, &
ipsa per seipsam est actu intelligibilis, & visibilis ab in-
tellectu creato, inquantùm ei vnita in ratione speciei, &
præsens in ratione obiecti est cognoscibilis: ergo ipsa-
met Diuina Essentia est ratio, Quæ, & ratio sub qua, &
in ratione speciei intelligibilis est, quo cognoscitur, &
videtur ipsa essentia.

Secunda pars conclusionis probatur. Ratio sub qua 24
tenens

tenent se ex parte obiecti est id, quo constituitur obiectum actu intelligibile, & visibile, sed Diuina Essentia secundùm suam actualitatem, & modum essendi ab omni materia, & potentialitate abstractum, est actu visibilis; cùm vnumquodq; in tantùm sit intelligibile, inquantùm est actu à materia abstractum; ergo ratio sub qua ex parte obiecti Diuinæ visionis est actualitas Diuinæ
25 Essentiæ. Secundo probatur hæc pars. Abstractio formalis à materia est ratio sub qua cuiuscumq; alterius scibilis, & perfectè cognoscibilis, & vnumquodq; inquantùm est in actu, quantumq; habet actualitatis, & immaterialitatis, tantùm habet cognoscibilitatis: ergo proportionabiliter ratio sub qua obiecti Diuinæ essentiæ est actualitas, & abstractio.

26 Sed obijcitur. Ergo duplex est ratio sub qua ex parte obiecti, claræ visionis, videlicet, species, & abstractio, quod videtur inconueniens. Resp. abstractionem & speciem esse eandem rationem sub qua, vel saltem vnam sequi ex altera, tanquam illius complementum, ita vt ex abstractione formali sequatur & speciei abstractio, & spiritualitas, secundùm quā rationem est ratio sub qua; rei enim immaterialioris species est immaterialior, & ex hoc quòd obiectum sit immaterialius, sequitur, speciem esse immaterialiorem, ita vt immaterialius obiectum causet speciem immaterialiorem: vel quia obiectū secundùm gradum abstractionis formalis, quem in se habet, secundùm illud met relucet in specie, & hoc modo species est ratio sub qua, tenens se ex parte obiecti, quatenùs obiectum cognoscitur, prout relucet in spe-
27 cie. Cùm ergo reluceat in specie secundùm abstractionem, quam in se habet, eadem videtur vtriusque ratio. Et quamuis in alijs obiectis eadem non sit, in obiecto tamen beatificæ visionis hoc verificatur: quia in alijs obiectis, præsertim nostro intellectui proportionatis, etsi eadem res sit in seipsa, & in specie, alio tamen modo est in seipsa, & alio modo in specie. Abstractio verò formalis cōuenit rei in se ipsa secundùm esse reale, quod in se ipsa habet ratio autem sub qua contenta in specie cōpetit obiecto, prout est in specie secundùm esse intentio-
28 nale. Tum etiam, quia sicut in eademmet Diuina Essentia cōueniunt ratio, Quæ, & ratio sub Qua; sic etiam & vtraq; illa ratio sub qua coincidit in Diuina Essentia. Et tandem sicut in visione beatifica plura coniunguntur, quæ in alijs cognitionibus sunt diuersa, & incompatibilia, vt apprehensio, iudicium, rationes speculatiui & practici, sic etiam in obiecto Diuinæ visionis coincidunt illæ rationes, etsi in alijs fortassis diuersæ sint.

29 Ad primum argumentum principale cum suis confirmationibus Resp. conuincere quidem, lumen gloriæ non esse rationem sub qua ex parte obiecti visionis claræ requisitam, non tamen probare, non esse sub quo potentia tendit in illud obiectum, & ex parte potentiæ requisitum. Neque est simile de lumine visibili, & de lumine intellectus agentis, quia vtrumq; requiritur & ex parte obiecti, & ex parte potentiæ, vt ostensum est in secunda obseruatione. Negatur tamen, lumen sub quo potentia tendit in obiectum, requiri semper ex parte etiam obiecti, imò hoc tantùm requiritur, quando obiectum secundùm se non est actu cognoscibile, sed fit actu cognoscibile ab illo lumine, sub quo tendit potentia.

30 Ad secundum cum sua confirmatione Resp. ex tertia conclusione, lumen gloriæ esse rationem sub qua, ex parte duntaxat potentiæ, abstractionem verò esse rationem sub qua ex parte obiecti, & hanc etiam reperiri in obiecto visionis beatificæ, non quidem positiuam, qua natura abstrahatur per intellectum à materia, sed negatiuam, quæ est non includere materiam, nihilq; materiale respicere, quod conuenit Diuinæ Essentiæ, quatenùs est pura actualitas.

Ad tertium præmittendum est, Diuinam reuelatio- 31
nem posse considerari in ordine ad potentiam, & ex parte potentiæ, cui aliquid reuelatur, & rursus ex parte obiecti, & in ordine ad obiectum, quod reuelatur. Diuina reuelatio ex parte potentiæ nihil aliud est, quàm lumen, siue habituale, siue cuiusuis alterius rationis, potentiæ concessum ad rem reuelatam percipiendam, illique assensum præbendum. Reuelatio verò Diuina ex parte obiecti reuelati, nihil est aliud, quàm esse dictum, esse assertum, esseque testificatum à Deo. Hæc autem sic sunt inter se distincta, vt in re possit reuelatio ex parte obiecti constitui, nempe, quòd aliquid sit dictum & testificatum à Deo, & tamen non ponatur reuelatio & lumen ex parte subiecti; & è contra sit lumen ex parte subiecti sine reuelatione ex parte obiecti. Hoc documentum videtur esse contra M. Bañez 2. 2. quæst. 1. artic. 1. Dubio 1. conclus. 6. & ad 3. vbi ait, reuelationem tantùm se tenere ex parte potentiæ. Sed
quidquid sit de hoc; ad argumentum Resp. omnem su- 32
pernaturalem cognitionem procedere quidem sub Diuina reuelatione ex parte potentiæ, non tamen omnem sub reuelatione Diuina ex parte obiecti, sed eam tātùm, quæ non est vndequaque clara, sed aliquid habent obscuritatis, quæ nititur testimonio dicentis. Illa verò cognitio supernaturalis, quæ est vndique clara, & fertur in obiectum, prout est in seipso, cuiusmodi est visio beatifica, non procedit sub Diuina reuelatione ex parte obiecti, sed sub ipsamet Diuina Essentia, quæ est ratio, Quæ & Sub Qua: negatur tamen, Diuinam reuelationem ex parte potentiæ nō esse lumen gloriæ, vt ex documento præmisso constat.

Ad primam probationem concedimus, omnes illas 33
cognitiones fidei, atque donorum intellectualium procedere sub Diuina reuelatione ex parte obiecti, quia omnes habent aliquam obscuritatem, nituntur q; testimonio dicentis. Ad secundam probationem Resp. illud commune assertum intelligi vel de reuelatione ex parte subiecti, vel de cognitionibus supernaturalibus
viæ. Ad tertiam probationem Resp. habitus ipsos fidei, 34
& luminis gloriæ, quia alter est lumen obscurum, alter verò lumen clarum, habere etiam consequenter distinctionem ex parte ipsius reuelantis, & reuelationis actiuæ, quatenùs lumen obscurum vel clarum reuelat obscurè, vel clarè causas. Verùmtamen in ordine ad obiectum non distinguuntur penes reuelationem passiuam, quasi fidei obiectum sit Deus vt obscurè reuelatus, & luminis gloriæ Deus vt clarè reuelatus. Concedimus namque, illam reuelationem passiuam esse rationem sub qua ex parte obiecti fidei, siue sit ratio formalis, vt quidā volunt, siue cōditio necessariò requisita, vt alijs placet. Sed ex parte obiecti luminis gloriæ ratio sub qua est illa, quæ assignata est. Neq; obiectū luminis gloriæ est Deus, vt reuelās, vel reuelatus; sed Deus prout est in seipso, vt purus actus ab omni materia abstractus.

35 Ad confirmationem negatur & antecedens, & consequens, quia vt ex secūda obseruatione constat, ratio sub qua procedit & fidei cognitio, & clara visio ex parte potentiæ, est ipsum lumen fidei, & lumen gloriæ, quæ lumina sunt habitus ipsi, vt fatetur M. Bañes loco citato de lumine fidei.

36 Ad quartum Resp. concedendo, eandem esse rationem sub qua ex parte obiecti, potentiæ, & habitus, qua ratione tendunt in tale obiectum: sed negatur, eandem esse rationem sub qua ex parte ipsius potentiæ, & habitus; quia habitus actuat potentiam, & illam in actu constituit, atque illuminat. Et ideò est ratio sub qua potentiæ ex parte ipsius potentiæ, sub qua tendit potentia in tale obiectum. Habitus verò non seipsum actuat, neq; illuminat, & confortat, & ideò nequit esse ratio sub qua sui ipsius. Ratio autem sub qua luminis gloriæ est ipsa Diuina Essentia in ratione speciei vnita, qua actuatur lumen gloriæ, & cum qua effectiuè concurrit ad visionem eliciendam.

37 Ad confirmationem Resp. rationem sub qua specificātem habitū tenere se ex parte obiecti, nō verò ex parte potentiæ. Ex parte autem huius rationis sub qua tenētis se ex parte obiecti, differt lumen gloriæ à cūctis habitibus supernaturalibus, qui circa ipsum Deum versantur, nempe, à fide & donis scientiæ, & sapientiæ, &c. Tū, quia lumen gloriæ tendit in ipsum Deum, prout est in seipso, cùm tendat in Deum per speciem, & in specie, quæ est
38 ipsamet Diuina Essentia. Cæteri autem habitus, & actus tendunt in Deum, non prout est in se, sed prout est in intellectu, in specie creata, & rei creatæ. Item lumen gloriæ tendit in Deum sub maiori abstractione à materia, nempe, prout est in se, non modò absque materia, & potentialitate aliqua, verùmetiam sine ordine ad potentialitatem, & materialitatem, vt per seipsum, & per suam essentiam intellectui repræsentatur. Sed cæteri habitus tendunt in Deum secundùm habitudinem ad creaturas, secundùm quòd per species creatas repræsentatur: etenim mysterium Trinitatis non cognoscitur per fidem nisi in specie creata, per habitudinem ad creatu-
39 ras. Vnde aliquid minus habet abstractionis ab omni materia Deus, prout est obiectum fidei, quàm prout est obiectum claræ visionis. Omitto in præsentia distinctionem supra assignatam inter fidem, & cæteros habitus infusos intellectuales ex vna parte, & lumen gloriæ ex altera, quantùm ad rationem formalem sub qua ex parte obiecti, quòd aliorum ratio sub qua est reuelatio passiua, seu esse reuelatum, dictum, & testificatum; luminis vero gloriæ ratio sub qua nō est reuelatio, vt supra ostensum est.

40 Ex dictis in hac disputatione cum præcedentibus colligitur, quatuor esse causas, ob quas lumen gloriæ requiritur ad visionem beatificam, quatuorque esse illius munera, & officia. Primum est, disponere intellectum ad vnionem Diuinæ Essentiæ in ratione speciei. Secūdum, confortare intellectum ad efficiendam visionem. Tertium, esse rationem sub qua procedat visio. Quartum disponere intellectum ad suscipiendam visionem.

41 Sed circa hoc dubitatur, quomodo ista munera, ac rationes adeò diuersæ, & formaliter distinctæ conueniant lumini gloriæ, nam prima ratio est causæ materialis, secunda causæ efficientis; tertia causæ formalis; cùm ratio sub qua ad genus causæ formalis pertineat. Quarta denique est ratio passiui, ac recipientis. Rationes ergo formaliter diuersas videtur impossibile, eidem per se conuenire posse.

Breuiter tamen Resp. in lumine gloriæ omnes illas 42
rationes materialiter coniungi, & secundùm diuersas rationes formales lumen gloriæ ad diuersas species pertinere, sicut eadem calefactio inquantùm actio in prædicamento actionis constituitur: sed inquantùm passio in prædicamento passionis, ita & lumen gloriæ, inquātum dispositio, vnam rationem formalem induit, & inquantum actiuum, aliam speciem sortitur. Sed hæc responsio videtur insufficiens, quia ex illa sequitur, lumen gloriæ, vt sic, nullius esse speciei, sicut neque generis, & prædicamenti, quemadmodùm calefactio vt sic est postprædicamentum.

Secundo Resp. omnes illas rationes conuenire qui- 43
dem lumini gloriæ, primam essentialiter, & quidditatiuè, quasi luminis gloriæ essentia in eo consistat, quòd sit dispositio ad vnionem Diuinæ Essentiæ in ratione speciei: alias verò rationes ab ista dimanare ad modum propriarum passionum, ita vt ex eo, quòd lumen gloriæ sit talis, ac tali modo dispositio ad Diuinam Essentiam, sequatur, quòd sit principiū visionis effectiuum, etsi ex ratione dispositionis in genere actiuitas non sequatur, sequitur tamen ex natura talis dispositionis, vel ad formam, quæ est actus primus in genere intelligibilium, vel ad talem formam, nempe, Diuinam Essentiam. Ex hac autem ratione principij actiui sequitur & alia ratio, & habitudo rationis formalis sub qua ex parte potentiæ. Et tandem ratio receptiui actus eliciti continuò sequitur rationem principij actiui actus immanentis.

Tertiò respondetur, omnia hæc officia essentialiter 44
competere lumini gloriæ, sicut actui immanenti essentialiter conuenire videtur & ratio effectus, & ratio causæ formalis, videlicet, quòd sit effectus, & forma principij sui: quod quidem sic est intelligendum. Cùm ea, quę in inferioribus sunt dispersa, in superioribus vniantur, ita vt formaliter, & essentialiter etiam in superioribus reperiantur rationes, quæ in inferioribus specie distinguuntur; vt fides, & Theologia, vt est probabilis opinio, sunt formaliter habitus speculatiui, & practici, non quidem quòd practicum, & speculatiuum, prout
sunt differentiæ oppositæ habituum naturalium, in 45
his habitibus supernaturalibus reperiantur, quia practicum in hac consideratione importat proximam regulam operandi tantùm, & non speculandi: & similiter speculatiuum præscindit à ratione regulæ operis: sed reperiuntur in habitu supernaturali rationes practici & speculatiui, non vt sunt differentiæ oppositæ habitus, sed sine exclusione, & præcisione, nempe, practicum, vt dicit proximam regulam operandi, non exclusa operandi ratione. Sic etiam & lumen gloriæ, cùm sit præstantissima quædam qualitas, & ad perfectissimam operationem ordinata, sub vnica ratione formali continet ea, quæ in alijs sunt dispersa: ita vt inquantum talis qualitas, sit dispositio ad Diuinam Essentiam, materialis quidem, & similiter principium effectiuum actus visionis. Atque etiam sub eadem essentiali ratione luminis glo-
riæ sit susceptiuum illius actus. Et quamuis illæ ra- 46
tiones sumptæ cum præcisione, nempe, materialis causa tantùm, & effectiua tantùm, sint oppositæ differentiæ,

differentiæ, qua ratione in inferioribus reperiuntur absque præcisione tamen, quo pacto conueniunt in ratione luminis gloriæ, non repugnant. Tum etiam, quia ratio dispositiui, quæ rationi actiui repugnat, vel distinguitur ab ea, est dispositiui materialis ad aliquid suscipiendum, verè informans, quod in lumine gloriæ non reperitur: disponit enim ad Diuinam Essentiam actuantem, non informantem.
47 Similiter illa ratio dispositiui, quæ in inferioribus aliam excludit, videtur esse dispositionis Physicæ, vel ad formam Physicam, & realem, nō dispositionis ad formam intentionalem, & in esse intelligibili. Et tandem ratio passiui, quæ opponitur rationi actiui, est passiui propriè dicti, & receptiui per passionē propriè dictam, quæ non reperitur in receptione actus beatifici, qui non est passio propriè dicta; sed maximè perfectissimus.

48 Præterea circa comparationem harum rationum cōtrouertitur, quænā ex illis sit præstantior in lumine gloriæ, & quòd munus illorum sit excellentius. Vnde iuxta secundam responsionem, quę docet, rationem dispositionis ad Diuinam Essentiam esse essentialem rationem luminis gloriæ, cæteras verò veluti proprias passiones, dicendum est consequenter, præcipuam ac præstantiorem rationem, munusq; excellentius, esse rationem dispositionis, reliquas verò esse huius rationis complementum, & perfectionem.
49 Si autem obiciatur, rationem dispositionis esse rationem causalitatis materialis, rationem verò effectiui esse rationem causæ efficientis, præstantioremq; esse effectiuam causalitatem materiali causalitate, atq; adeò rationem effectiui in lumine gloriæ præstare rationi dispositiui. Resp. quòd licèt in ordine ad formas, & actus creatos præstantius sit, esse principiū effectiuū actus creati, quàm dispositiuē ad formam creatā, longè tamen est præstantius, esse dispositionem ad formā increatam, qualis est Diuina Essentia in ratione speciei intelligibilis, quàm esse principiū effectiuū actus creati, qualis est visio clara, quia ratione primi est eiusdem ordinis cum ipsa Diuina Essentia, & veluti eiusdem rationis, sicut omnis dispositio cū
50 forma, ad quam disponit. Ratione verò secundi; quamuis sit eiusdem ordinis, non tamen reducitur ad eandem rationem aliquo pacto, quia habet se veluti proprietas subsequens. Proprietas autem nō reducitur ad rationem formæ, quam consequitur: sed dispositio reducitur ad rationem formæ, quam antecedit, ita vt dispositio ad formā substantialem, ad substantiam reducatur. Et ita lumen gloriæ in ratione dispositionis aliquid amplius Diuinitatis participat, quàm in ratione principij effectiui. Tum etiam, quia lumen gloriæ in ratione dispositionis immediatè ordinatur ad Diuinam Essentiam, ad quam vltimò disponit; in ratione autem principij effectiui refertur ad Deum, medio suo actu.

51 Secundò Resp. quòd licèt lumen gloriæ ad Diuinam Essentiam comparetur in genere causæ materialis dispositiuæ, in ordine tamen ad rationem illam principij effectiui, comparatur quodammodo in genere causæ efficientis, tanquam radix, & essentia, à qua dimanat ita vt causalitas illa materialis in ordine ad formam intelligibilem suscipiendam, sit veluti efficiens in ordine ad rationem efficiendi, quæ sequitur ad modum propriæ passionis. Imò verò si comparetur ad rationem illam efficiendi in genere causæ materialis, cùm comparetur simul in genere causæ efficientis ad eādem rationem, nō potest colligi, rationem dispositionis esse inferiorem ratione efficiendi, sicut subiectum ad propriā passionem cōparatur in genere causæ materialis; sed quia simul in genere causæ efficientis comparatur, ideò præstantius est propria passione. Iuxta tertiam autem responsionem vtrumque defendi potest, & quòd ratio dispositionis sit præstantior, & similiter quod ratio principij actiui sit excellentior, si ea, quæ in vnica simplici ratione continentur, inter se comparare velimus. Et certè menti D. Thomæ magis consentaneum videtur, rationem dispositionis aliis præstare.

VNDECIMA DISPVTATIO. §. I.

AN Lumen gloriæ ita sit necessarium ad cognitionem claram Dei, vt etiam de potentia Dei absoluta intellectus creatus Deum cognoscere quidditatiuè non possit sine lumine gloriæ. Et pro parte affirmante est primum argumentum, quia nulla est 1.
implicatio, & repugnantia, quòd intellectus creatus videat Deum sine lumine: & quia facilè soluuntur argumenta, quibus contraria pars suadetur. ergo non est negandum Diuinæ potentiæ, quod seipsa possit intellectui præsentari, & absq; lumine medio videri.
Secundò. Lumen gloriæ ponitur quadruplici ex causa, nempe, vt sit dispositio ad Essentiam Diuinam, vt sit 2
actiuum principium visionis, vt sit illius receptiuum, & tandem, vt sit ratio sub qua visionis ex parte potentiæ: sed omnia ista possunt à Deo de potentia absoluta suppleri sine lumine gloriæ; ergo. Minor probatur, quia ad primum non implicat contradictionem, quamlibet formā introduci in subiecto capaci, absque dispositione antecedente, sicut Verbum Diuinum vnitum est humanitati sine media aliqua dispositione, ergo poterit Deus seipsum vnire in ratione speciei absque præuia dispositione. Quòd secūdum munus probatur eadem minor, Aqua baptismalis effectiuè concurrit ad gratiam causandam absque aliqua qualitate superaddita; ergo non repugnat intellectum effectiuè concurrere ad claram visionem absque lumine gloriæ. Quod tertium officiū probatur. Anima recipit gratiam absque aliqua qualitate impressa; imò in pueris infunditur absque aliqua dispositione, ergo intellectus suscipere potest actum visionis sine lumine gloriæ disponente. Et denique quartum munus posse à Deo suppleri, probatur; quia adhuc dempto lumine gloriæ remanet ratio sub qua principua ex parte potentiæ, nempe, Diuina Essentia in ratione speciei vnita; ergo nō est simpliciter necessarium secūdum omnem potentiam lumen gloriæ, vt sit ratio sub qua ex parte potentiæ.
Tertiò. Quidquid potest Deus cum causa secunda efficiente efficere, potest se solo sine tali causa facere: sed 3
Deus efficit visionem claram lumine gloriæ effectiuè concurrente; ergo potest se solo sine tali lumine efficere. Dices; visionem non pendere à lumine gloriæ in genere causæ efficientis duntaxat, sed etiam in genere causæ formalis, sicut sensatio à sensu. Contra hoc est, quia proprium est actionis vitalis, quatenus vitalis est, pendere à principio efficienti vitali; sed visio clara non pendet à lumine gloriæ, quatenus est actus vitalis, neque habet vitalitatem ab eo, neque lumen gloriæ est principium vitale; ergo visio

clara non pendet à lumine in genere causæ formalis. Minor probatur, tum ex ratione speciali luminis gloriæ, quod cùm non procedat ab anima, quæ est principium vitæ, sed ab extrinseco proueniat, nequit esse vitale principium, quod proueniat à vita essentialiter, &
4 ab intrinseco profluens. Etenim sicut actus vitalis est à principio intrinseco, ita & principium vitale est ab intrinseco ipsius viuentis. Item visio clara, quatenùs est à lumine, non est ab ipsa anima mediatè; ergo quatenùs à lumine gloriæ, non est actio vitalis. Consequentia patet, quia omnis actio vitalis debet esse mediatè ab anima. Sed antecedens probatur, quia operationes vitales ea tantùm ratione sunt mediatè ab anima, quatenùs immediatè ab illa profluũt principia talium operationum: sed lumen gloriæ nullo modo profluit ab anima; ergo neque visio, quatenùs procedit à lumine gloriæ, erit ab anima. Item probatur illa minor principalis cõmuni habituum ratione: nã potentia quæcumq; actũ elicit cum habitu naturali, & acquisito, potest sine illo elicere, etsi non ita promptè: ergo actus vitalis in ratione vitalis nullo modo pendet ab habitu: aliàs non magis posset haberi actus ad habitum pertinens sine habitu, quàm actus potentiæ sine potentia.

5 Quartò. Intellectus creatus Christi non concurrit ad visionem beatificam, vt causa principalis, sed vt instrumentalis tantùm: ergo non requiritur necessariò secundùm omnem potentiam lumen gloriæ, vel aliqua alia forma supernaturalis intrinseca intellectui, per quam producat visionem, sed satis fuerit specialis Dei motio, & auxilium. Consequentia patet, tum ex D. Thoma in 3. ira quæst. 62. artic. 4. asserente, in sacramentis, quia instrumenta sunt, hanc motionem actualem sufficere: tum etiam, quia cùm effectus non assimiletur instrumento, neq. illi correspondeat, sed principali agenti, nõ est necessariò cõstituenda in instrumento forma, à qua procedat operatio, & cui assimiletur, sed satis est, constituatur in principali agente, quod speciali motione vtitur instrumento ad actionem proportionatam, & correspondentem formæ, quæ est in ipso agente princi-
6 pali. Antecedens autem principale probatur, tum, quia potentia naturalis, cuiusmodi est intellectus creatus Christi, nequit esse causa principalis actus supernaturalis præstantioris ipsa potentia, ac Diuini ordinis: sicut non potest esse principalis causa gratiæ, & charitatis, & luminis gloriæ. Tum etiam, quia intellectus creatus ad visionem beatificã nullam aliã habet actiuitatem, præter illam, quam suscipit à lumine gloriæ, ergo cõcurrit, vt merũ Dei instrumentũ, à quo suscipit hãc virtutem, sicut aqua calefacta concurrit ad calefaciendum, vt instrumentum ignis, à quo suscipit totã virtutem calefactiuam. Ac denique; quia intellectus lumine gloriæ illustratus nõ potest Deum intueri, nisi à Deo speciali motione ac concursu moueatur, cùm virtus naturalis intellectus nõ sit sufficiens, vt ipse intellectus vtatur lumine gloriæ, quo est illustratus, ideòq; eget speciali Dei motione ipsum applicante, vt operetur per lumen gloriæ, ergo tantùm concurrit vt instrumentum à Deo motum.

7 Quintò. Multæ sunt actiones supernaturales intellectus, & voluntatis creatæ, ad quas non requiritur forma, vel qualitas habitualis ex parte nostra, sed sufficit auxilium, & Diuina motio, ergo hoc ipsum sufficit saltem de potentia Dei absoluta ad visionem beatam. Antecedens patet in nostro intellectu, vbi reperiuntur subitæ cogitationes supernaturales, quæ ex Diuina motione interiùs coruscante proueniunt, & nullum supponunt habitum, neque formam inhærentem permanenter similiter in voluntate reperiuntur motus supernaturales antecedentes gratiam, & charitatem, vt timor, & attritio imò & contritio considerata vt est dispositio ad gratiam & charitatem, quæ absque dubio est supernaturalis, & vt sic antecedit gratiam: ergo similiter intellectus creatus ex Diuina motione poterit elicere visionem Diuinæ Essentiæ absque lumine habitualiter inhærente.

Sextò. Intellectus creatus Christi sufficienter constituitur in actu ad Deum intuendum per Diuinam Essentiam in ratione speciei intelligibilis vnitam; sed non repugnat, Diuinam Essentiam vniri intellectui sine lumine gloriæ: ergo. Maior patet, quia Diuina Essentia in ratione speciei vnita constituit intellectum in actu primo completè, quæ actualitas est sufficiens ad actum secundum visionis eliciendũ. Minor etiam ex dictis constat, quia non repugnat formam sine dispositione vniri, præsertim formam non inhærentem, neq; informantem. 8

Confirmatur primò. Non minùs requiritur ad cognitionem species, quàm habitus, imò multò magis, cùm nulla cognitio sine specie, plures verò sine habitu producantur; sed Deus seipso sine aliqua entitate alia supplet de facto vicem speciei in clara visione: ergo. 9

Confirmatur secundò. Deo non repugnat seipso posse supplere vicem luminis gloriæ, non enim aliter eleuat & confortat potentiam ad intuendum Deũ, quàm ipsam actuando, & constituendo aliquo modo in actu primo; sed Deus seipso sine aliquo alio potest actuare potentiam intellectiuam, & de facto actuat intellectum beati; ergo seipso potest vicem luminis gloriæ supplere. 10

Confirmatur tertiò. Non minùs requiritur ad eliciendam operationem actualitas suppositi, quàm habitus, imò multò magis, cùm actiones sint suppositorum, nõ naturarum, neq; habituũ: sed Deus seipso actuat naturã humanam Christi actualitate suppositi, ergo seipso potest actuare intellectum quacumq; alia actualitate ad operationem requisita. 11

Septimò. Lumen gloriæ non est totale principium elicitiuum visionis claræ, sed etiam ipse intellectus secundùm propriam actiuitatem, & virtutem, talem quatenus est potentia obedientialis, quæ quidem vis, & efficacia non est formaliter à lumine gloriæ, secundum, inquam, hanc vim influit, atque concurrit ad efficiendum actum simul cum lumine, atque alijs requisitis: ergo potest Deus conseruata hac actiuitate, quã intellectus à lumine gloriæ non participat, omnia alia supplere. 12

Confirmatur: quia non est necesse, actionem quamtumcumq; vitalem totaliter esse à principio intrinseco vitali ipsi viuenti, sed satis fuerit, sit à potentia vitali simul cum alijs extrinsecis, vt visio clara de facto est non solùm ab intellectu cum lumine gloriæ, sed etiam à Diuina Essentia vnita in ratione speciei, quæ neq; est principium intrinsecum, nec vitaliter concurrens: ergo non repugnat, visionem vitalem elici ab intellectu Deo supplente omnia alia principia intrinseca simul concurrentia. 13

Octauò.

14 Octauò. Etsi demus, visionem produci non posse sine lumine gloriæ, semel tamen productam non repugnat conseruari in intellectu sine lumine gloriæ, cùm sit eo-tiam ab illo distincta, sicut propria passio, etsi produci non possit sine essentia, semel tamen producta potest à Deo conseruari sine subiecto, quia distinguitur ab eo tanquam res à re, nec minus intrinsecè pendet ab essentia propria passio, quàm actus à potentia, vel habitu. Sed conseruata visione in intellectu sine lumine gloriæ, intellectus per illam Deum videret; ergo potest saltem continuari Dei visio de potentia absoluta sine lumine gloriæ.

15 Confirmatur. Deus sua omnipotentia potest visionem meam corporalem à me productam separare à me, & in lapide constituere, vt fatentur communiter Theologi: ergo non repugnat, quòd visionem claram à lumine gloriæ productam constituat in alio intellectu sine lumine gloriæ; cùm magis incapax sit lapis visionis sensitiuæ, quàm intellectus visionis Dei claræ.

16 Dices in huiusmodi casibus, visionem illam in intellectu sine lumine gloriæ constitutam esse materialiter in ratione cuiusdam accidentis, non in ratione visionis, ac proinde non constituere videntem. Contra hanc solutionem replicatur. Illa visio esset in intellectu tanquam accidens in subiecto, cui necessariò tribueret aliquod esse; sed non aliud nisi suum esse specificum: ergo cùm sit visio, constituet necessariò videntem. Neque dici potest, quòd tribuat esse genericum, constituatq; subiectum quale, & non in aliqua specie qualis, quia impossibile est, quidpiam esse in genere, & non in specie: repugnat item per omnem potentiam formam aliquam tribuere esse genericum, & non specificum, esseq; aliquod immediatum indiuiduum generis, & non alicuius speciei.

17 Nonò. Actus supernaturales perfecti Fidei, Spei, & Charitatis haberi possunt secundùm absolutam Dei potentiam sine habitibus, vel aliquibus alijs qualitatibus supernaturalibus intrinsecis, quæ sint illorum actuum principia; ergo & visio clara similiter. Cōsequentia patet, quia omnes isti actus sunt supernaturales, nec maior est ratio de vno, quàm de alijs. Et probatur antecedens: quia id denegare Diuinæ potentiæ, esset maximè illam extenuare.

18 Confirmatur. Cùm de facto homo iustus elicit actū charitatis ipso habitu intensiorem, ille actus saltem secundùm gradus, quibus habitum excedit, non procedit ab habitu, neque ab aliqua qualitate intrinseca potentiæ, sed ab ipsa potentia actuali auxilio extrinsecè eleuata; ergo non repugnat actum charitatis secundùm totam suam latitudinem produci absque habitu, vel aliqua alia qualitate, ac proinde nec repugnat, visionem sine lumine elici. Consequentia patet, quia eadem est ratio totius, & partis; ergo si actus dilectionis secundùm partes, & gradus aliquos intensionis non necessariò pendet ab habitu, quoad sui productionem, nec repugnat sine habitu quoad totam latitudinem suā produci. Tum etiam, quia non minùs improportionata est potentia habens habitum vt quatuor ad actum vt octo, quàm potentia nuda ab omni habitu ad actum, vt quatuor. Antecedens probatur: tum, quia à proportione minoris inæqualitatis non fit actio, & ita habitus vt quatuor nequit actum vt octo elicere; tum etiam, quia causa non debet esse inferior suo effectu, sed debet illum in virtute continere: at habitus vt quatuor non continet in virtute octo gradus, estq; inferior secūdùm intensionem actu, vt octo, ergo &c.

Respondebis cum M. Bañes 2. 2. quæst. 24. artic. 6 Dubio 2. ad 7. quòd cùm in eodem instanti, in quo est actus intensior, sit & habitus augmentum, & causæ sint sibi inuicem causæ: ideo actus intensior est causa meritoria intensionis habitus, & intensio habitus est causa efficiens intensionis actus, & ideò actum illum quoad omnem suæ intensionis gradum elici ab habitu charitatis æqualiter intenso cum ipso actu, cuius habitus intensio præcedit intensionem actus in genere causæ efficientis, etsi in genere causæ meritoriæ subsequatur. Cōtra hanc responsionem replicatur. Implicat, quòd præmium antecedat meritum in aliquo genere causæ, & similiter repugnat, quòd præmium sit principium meriti, vt supra ostensum est q. 2. art. 1. & infra disputabitur q. 19. art. 4. sed illud augmentum habitus est præmium actus intensioris, qui est meritorius illius augmenti; ergo repugnat, illud augmentum habitus, vel habitum præcedere actum intensum, ac meritorium, esseq; illius principium. Item repugnat, idem esse causam & effectum respectu eiusdem in eodem genere causæ, mutuòq; præcedere; & subsequi in eodem genere; sed meritum est causa præmij, & illud præcedit in genere causæ efficientis, vt ostendit D. Thomas 1. p. q. 62. artic. 4. ergo nequit esse effectus præmij in genere causæ efficientis, ac proinde actus intensus nequit elici ab habitu ex merito illius actus intensioris facto. 19 20

21 Decimò. Sequeretur ex opposita sententia, Deum videri non posse sine gratia, vel aliqua alia forma tenente se ex parte essentiæ animæ vicem gratiæ supplente etiam quocumque lumine posito in intellectu; consequens est falsum; ergo. Probatur sequella. Lumen gloriæ ex opposita sententia ideò necessariò requiritur, quia actus vitalis supernaturalis, qualis est visio, formaliter pendet à potentia vitali supernaturali, cuiusmodi est lumen gloriæ, vel intellectus lumine gloriæ illustratus; sed non minùs necessariò, & formaliter pendet actus vitalis ab essentia, quàm à potentia; ergo non minùs requiritur ad visionem supernaturalem essentia supernaturalis, quæ est gratia, quàm potentia supernaturalis, quæ est lumen gloriæ.

22 Confirmatur primò. Omnis vitalitas potentiæ dimanat à vitalitate essentiæ, quam necessariò supponit; ergo implicat, esse in intellectu vitalitatem potentialem supernaturalem vitæ, quin sit in ipsa animæ essentia vitalitas supernaturalis essentialis.

23 Confirmatur secundò. Implicat, potentiam in ratione potentiæ formaliter esse sine essentia, sed lumen gloriæ est potentia quædam supernaturalis, ergo implicat, quòd sit formaliter, & in ratione potentiæ sufficiens ad visionem eliciendam sine gratia, vel alia forma, quæ sit essentia supernaturalis in anima.

24 Dices, non requiri lumen gloriæ vt potentiam, sed tanquam habitum & formam tribuentem esse supernaturale potentiæ requisitum ad hoc, vt operetur supernaturalem actum, illique proportionetur.

25 Contra hoc instatur: quia ad illam operationem supernaturalem non solùm concurrit potentia, sed etiam

Digitized by Google

ipsa animæ essentia, imò principaliùs operatio est ab essentia, quàm à potentia. ergo si requiritur secundùm absolutam potestatẽ, quòd eleuetur potentia, & habeat esse supernaturale per formam supernaturalem, vt operationem supernaturalem eliciat: sic etiam requiritur forma eleuans essentiam, constituentéq; ipsam in esse, & actu supernaturali.

26 Vndecimò. Sic se habet intellectus creatus ad Deum intuendum, sicut oculus noctuæ ad videndum solem, vt communiter docent Theologi: sed oculus noctuæ potest à Deo eleuari ad intuendum solem absq; aliqua superaddita virtute; ergo similiter eleuari potest intellectus creatus ad Deum videndum absq; lumine gloriæ, vel aliqua alia forma superaddita.

27 Duodecimo probatur ex D. Thoma, qui in 4.d.49.q.2.art.7. asserit, posse per miraculum fieri, vt aliquis intellectus creatus cum solis dispositionibus viæ Deum videat per essentiam. Nomine autem dispositionum viæ non comprehendit lumen gloriæ, vt constat ex contextu, imò verò distinguit dispositiones viæ contra dispositiones luminis gloriæ: ergo ex mente D. Thomę de potentia absoluta, quæ ad miraculosa opera se extendit, potest intellectus creatus sine lumine gloriæ Deum videre. Idem docet q.10. de Verita. artic. 11. asserens, quòd sicut Diuina omnipotentia fecit Petrum super aquas ambulare, sine eo quòd ei dotem agilitatis tribueret, ita potest mentem ad hoc perducere, vt Diuinæ Essentiæ vniatur in statu viæ, illo modo, quo sibi vnitur in patria, sine hoc quòd lumine gloriæ perfundatur. Hæc D. Thomas.

Opiniones. §. II.

28 CIRCA præsentem difficultatem sunt variæ Theologorum sententiæ. Prima est nostris temporibus à pluribus recepta, quòd absq; lumine supernaturali, siue permanente, siue transeunte per modum dispositionis, potest intellectus creatus videre Deum, ad quod sufficit Diuina motio, & auxilium Diuinæ virtutis. Ita tenet Palude d.49. quæst.1. art. 3. Palacios eàdem distinctione, Disput. 1. & alij multi cum M.Zumel 1.p.quæst.12.art. 5.Disput.1. Sed diuersimo-

29 dè hæc sententia à suis authoribus explicatur. Quidam dicunt, intellectum creatum instrumentaliter concurrere ad Diuinam visionem, & sic potuisse eleuari ad huiusmodi visionem absque lumine superaddito, sicut eleuantur alia instrumenta. Vnde tria in visione beatifica considerant. Primò substantiam ipsius actionis, secũdò vitalitatem, tertiò speciem, vel rationem, quam habet. Asseruntque respectu substantiæ, & vitalitatis ipsius visionis intellectum concurrere vt causam principalem, quia est potentia vitaliter operans etiam in videndo Deum: respectu autem ipsius speciei visionis concurrit instrumentaliter, quia vt sic excedit naturam in-

30 tellectus. Potest verò poni exemplum in calefactione, & calore disponente ad formam ignis. Calor enim & calefactio quantùm ad substantiam procedit à calore ignis, tanquam à causa efficiente. Cæterùm vt est dispositio, & vt actio attingens formam substantialem ignis geniti non reducitur in calorem, tanquam in causam, sed tanquam in instrumentum; cùm neque actio, neque calor productus habeant à calore producente, quòd attingant formam substantialem, sed ab igne generante. Sic in proposito visio beata secundùm suam speciem & rationem formalem excedit intellectum, & virtutem illius, quare intellectus respectu huius excessus habet se vt instrumentum. Alij verò authores huius classis con- 31
cedentes, intellectum in omnibus concurrere, vt causam principalem, explicant, qualiter absque lumine superaddito permanente possit Deum intueri: nempe, quia Deus continetur intra latitudinem obiecti illius, quare non est inconueniens quòd mediante speciali motione Dei attingat intellectus Diuinam Essentiam. Quidam autem ex istis dicunt sufficere Diuinum auxilium, quod requiritur ad alias operationes supernaturales. Quòd si ab illis quæratur, quidnam sit hoc auxilium, aliqui dicunt, non esse quid creatum tenens se parte nostra, sed esse ipsum Deum sua virtute assistentem, & concurrentem ad operationem supernaturalem: alij verò asseruant esse motionem Diuinam in intellectu receptam per modum impulsus.

Est alia sententia secunda antiquorum Thomistarum, quam etiam amplectũtur plures recentiores, quòd 32
sine lumine recepto in intellectu neq; per potentiam Diuinam potest Deus videri. Sic Capreolus d. 49. citata, q.4.art.1. Caietanus 1.p.q.12.art.5. Ferrar. 3. contra gentes cap.54. Soto in 4.d.49.q.2.art. 3. Sed in explicanda hac sententia variant authores. Quidam opinantur esse necessarium lumen inhærens permanenter, & habitualiter, vt beatitudo sit permanens, & firma possessio: nam si lumen sit trãsiens, & per raptum, vt in Paulo, & Moyse, non elicit visionem habentem modum beatitudinis, cùm non sit duratura. Alij verò affirmant, sufficere lumen per modum dispositionis, dummodò sit forma inhærens. Alij autem constituunt quandam virtutem mediam inter auxilium, & lumen habituale, quæ sufficeret ad videndum Deum de potentia absoluta.

Sed vt hoc exactiùs intelligatur, supponendum est 33
discrimen inter auxilium Diuinum, & habitus supernaturales, quòd auxilium non importat formam ex parte potentiæ, quare non est consuetum, & vsitatum, formas supernaturales, quæ nobis inhærent, appellari auxilia: sed propriè dicitur auxilium, Diuinus concursus, & motio, vel assistentia illius specialis. Quare intellectus, & voluntas creata comparantur ad auxilium Diuinum, vt moti potiùs, quàm vt mouentes. Et ita auxilium appellari solet gratia operans, quia Deus medio auxilio agit in homine, & homo in ordine ad auxilium patitur. Habitus verò supernaturales, vt fides, & charitas &c. sunt formæ ex parte nostra, quæ intellectum, & voluntatem perficiunt, vt agant, & operentur. Quare per huiusmodi habitus homo dicitur se mouere, & in Deum actiuè tendere, quamuis pendeat in actuali opere à Diuino concursu specialiter auxiliante. Et ideò huiusmodi habitus ad gratiam cooperantem pertinere dicuntur. Hæc igitur sententia af- 34
firmat, intellectum creatum de potentia Dei absoluta non posse videre Deum per solum auxilium, & gratiam operantem, quia secundùm hanc rationem intellectus mouetur, & non agit, passiuéque cooperatur ad motionem Diuinam, & gratiam operantem. Affirmat secundò, ad visionem non requiri habitum aut formam actuantem, & perficientem intellectum, vt seipsum moueat, sed sufficere quandam formam mediam inter habitum, & auxilium,

quæ

Digitized by Google

quæ dicitur imperfecta, partim conueniens cum auxilio, quia per illam constituitur intellectus in actu supernaturali, quamuis ex vi illius non sic determinetur homo, vt se moueat tanquam operans per formam perfe-
35 ctam. Partim verò conuenit cum habitu, quia est forma constituens intellectum potentem, & proportionatum Deo in se. Explicatur hoc exemplo ex Philosophia desumpto: nam primus motus cordis efficienter procedit à corde, cum sit actio vitalis, & nihilominùs cor non se mouet, sed mouetur ab authore naturæ, quia est primus actus. Vnde potest conuenire alicui actioni, quòd actiuè sit ab aliquo principio, & in illa dicetur homo moueri ab extrinseco principio. Sic in proposito, visio Diuinæ Essentiæ esset effectiuè, & vitaliter ab intellectu, in quo conueniret cum actionibus habituum, & nihilominùs in illa homo censeretur quasi motus ab extrinseco principio, in quo conuenit cum motione proueniente ab auxilio Diuino. Pro resolutione sit Prima Conclusio.

Prima Conclusio. §. III.

36 INTELLECTVS Creatus Christi Domini etiam de potentia Dei absoluta, non potest videre Deum absq; qualitate, & forma superaddita, & inhærente. Fundamentum huius conclusionis est, quòd intellectus creatus in visione Dei concurrit vt causa agens vitaliter, & non vt instrumentum, quod euidens apparet, quia si intellectus videndo Deum haberet se instrumentaliter; ergo esset causa agens principaliter, & videns Deum, distincta ab ipso intellectu. Sed consequens est falsum, nam præter intellectum & Deum nulla ibi assignatur causa agens, atque videns Deum: ergo. Sequela patet: quoniam cuicumq; instrumento operanti respondet causa principaliter agens, cui tribuatur ipsa actio, & effectus, vt patet inductione: & conuincitur, quia instrumentum operatur vt motum; ergo habet causam
37 principaliter agentem. Confirmatur, quia visio est vltima perfectio potentiæ intellectiuæ, in qua beatitudo consistit; ergo respectu visionis Diuinæ non se habet intellectus instrumentaliter. Patet consequentia: nam quòd actio conueniat alicui, tanquam instrumento, non est magna perfectio, imò imperfectissima esset creatura rationalis, cuius beatitudo consisteret in eo quòd moueretur, & instrumentaliter se haberet. Præterquàm quòd derogat potentiæ vitali, vt eius perfectio sit pati. Item, quia visio illa est actio vitalis; ergo procedit à principio actiuo principali coniuncto. Et ita intellectus à quo proximè elicitur, erit principium, & causa agens, & non solùm instrumentaria. Hoc constituto fundamento probatur conclusio.

38 Primò. Intellectus Christi est causa agens principalis, vel saltem anima medio intellectu est causa præcipua, & non instrumentaria; ergo operatur vt est in actu per formam aliquam sibi intrinsecam, & inhærentem. Probatur consequentia: quia omne agens constituitur in
39 ratione agentis per aliquam formam intrinsecam. Dices, sufficere Diuinam motionem, vel virtutem assistentem. Contra. Vel hæc virtus, aut motio ponit aliquid in intellectu, à quo determinetur ad proximè agendum, vel non. Secundum dici non potest, aliàs non esset intellectus in seipso perfectus, & potens ad agendum, cùm nihil modò habeat de nouo: nisi velis dicere, quòd per respectum ad Diuinam virtutem, vel actionem extrinsecam constituitur in actu ad agendum, quod est falsum: cùm relatio non constituat agens vt sic, neque præstet virtutem. Si autem dicatur, quòd recipit aliquid ex Diuina motione, habetur intentum, quia illud est aliquid inhærens potentiæ, ergo est qualitas illius, & per consequens est lumen, quia qualitas manifestatiua est lumen. Dices 40
esse aliquod principium motus, & impulsus. Contra. Ex hoc, quòd intellectus mouetur, habet rationem patientis; ergo per aliquid aliud constituitur in ratione agentis. Item, quia concurreret instrumentaliter, si solùm agit dum mouetur, & non per formam intrinsecam ipsum actuantem. Probatur sequella, quia instrumentum ideò est instrumentum, quia operatur vt motum, & non vt est actu in seipso, sed prout recipit transeuntem influxum.

Secundò probatur conclusio. Visio beata essentialiter est vitalis; ergo procedit à principio viuenti coniun- 41
cto vita supernaturali, sicut etiam vitalitas ipsius operationis est supernaturalis. Consequentia patet ex definitione operationis vitalis: quia illa est operatio vitalis, quæ procedit à principio viuente coniuncto. Tunc sic. Ergo intellectus creatus priùs naturâ, quàm eliciat visionem beatam, est in actu constitutus per aliquam formam supernaturalem, qua viuit vita supernaturali: atque adeò visio beata procedit ab intellectu non tanquam ab instrumento, sed tanquàm à causa principali, cui proportionatur operatio ratione formæ superadditæ, existentis in ipso.

Tertiò. Beatus per visionem beatam actu viuit vita 42
supernaturali, vt est certum secundùm fidem, nam visio beata in sacris literis appellatur vita æterna, vt patet ex illo Ioan. 10. *Ego vitam æternam do eis.* Et cap. 17. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te &c.* Et ad Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Ergo visio Dei debet procedere tanquàm à causa principali à viuente, & à principio intrinseco ipsius viuentis; ergo in ipso viuente debet esse aliquid intrinsecum supernaturale, per quod constituatur in ratione viuentis tali vita.

Quartò. Implicat secundùm omnem potentiam ac- 43
tum vitalem sine potentia vitali produci, vt visio sine potentia visiua: sed visio beatifica est actus vitalis, respectu cuius lumen gloriæ est potentia vitalis, vel saltem constituit intellectum in ratione potentiæ vitalis supernaturalis, & Diuinæ; cùm intellectus per suam virtutem naturalem Deum videre non possit; ergo sine lumine gloriæ nequit talem visionem producere. Minor patet, quia tota intellectus potestas, & facultas, tota vis, & efficacia, totaq; proportio cum visione prouenit à lumine gloriæ. Confirmatur. Visio Dei clara est actus 44
supernaturalis, excedens omnem facultatem, & potentiam naturalem: ergo vt sic est vitalis vitalitate supernaturali, imò vita æterna, vt ostensum est, Ioan. 10. & 17. Et ad Rom. 6. Sed omnis actus vitalis intrinsecè & necessariò pendet ab aliqua vitali potentia, quæ nulla datur sine lumine gloriæ; ergo ab illo necessariò pendet in ratione actus vitalis.

Quintò. Diuina Essentia nequit vniri in ratione spe- 45
ciei intelligibilis, etiam de potentia Dei absoluta, nisi potentiæ, quæ possit vti tali specie; sed intellectus creatus sine lumine gloriæ nullam habet virtutem ad vtendum tali specie, quia omnis eius virtus est naturalis,

species verò ordinis Diuini; ergo sine lumine gloriæ
non potest intellectus videre Deum: quia sine specie in-
46 telligibili eiusdem ordinis Deus videri non potest. Con-
firmatur. De potentia Dei absoluta fieri non potest, vt
Diuina Essentia vniatur intellectui in ratione speciei in-
telligibilis sine lumine gloriæ; sed visio Dei effici non
potest sine tali vnione Diuinæ Essentiæ, vt ostensum
est; ergo visio Dei sine lumine gloriæ produci non po-
test. Consequentia est euidens, & maior probatur. Sine
lumine gloriæ non est potentia intellectiua respectu
Diuinæ Essentiæ, cùm per illud constituatur in ratione
potentiæ vitalis supernaturalis: sed implicat etiam de
potentia Dei absoluta, quòd forma intelligibilis vnia-
tur vt sic nisi potentiæ intellectiuæ. ergo implicat, Diui-
nam Essentiam vniri intellectui creato in ratione spe-
ciei intelligibilis sine lumine gloriæ.

47 Sextò. Implicat visionem fieri absq; lumine, cùm ra-
tio formalis obiecti visionis sit lumen, vt in visione cor-
porali compertum est; sed lumen naturale intellectus
creati non est sufficiens ad claram visionem; ergo ne-
cessarium est secundùm omnem potentiam aliud lu-
men supranaturale, quod est lumen gloriæ.

47 Septimò. Implicat, intellectum creatum videre Deum
sine Diuina Essentia sibi vnita in ratione speciei intel-
ligibilis; ergo pari ratione, imò à fortiori implicat sine
lumine gloriæ Deum videre. Consequentia patet, quia
vnio Diuinæ Essentiæ in ratione speciei intelligibilis
ideò est necessaria, quia intellectum in actu primo con-
stituit, sed non minùs requiritur ad operationem actuali-
tas intrinseca, qualis est actualitas luminis gloriæ, quàm
extrinseca, cuiusmodi est actualitas Diuinæ Essentiæ in
ratione speciei ergo &c.

48 Octauò. Vnio Diuinæ Essentiæ cum intellectu crea-
to in ratione speciei intelligibilis, est simpliciter neces-
saria secundùm omnem potentiam, vt intellectus crea-
tus Deum videat, sed lumen gloriæ est dispositio om-
nino necessaria ad hanc vnionem, sine quo intellectus est
incapax talis vnionis; ergo lumen gloriæ necessariò re-
quiritur secundùm potentiam absolutam ad actum vi-
sionis. Minor probatur. Non minus necessaria disposi-
tio est lumen intellectuale proportionatum ex parte in-
tellectus ad suscipiendam speciem intelligibilem, quàm
lumen corporeum in diaphano ad suscipiendam spe-
ciem visibilem; sed diaphanum est incapax speciei visi-
bilis sine lumine, quia species est actus diaphani illumi-
nati: ergo similiter intellectus est incapax vnionis Diui-
næ Essentiæ in ratione speciei intelligibilis absque lu-
mine proportionato & supranaturali, quod est lumen
49 gloriæ. Secundò probatur minor. Species non potest
vniri formaliter, & in ratione speciei, nisi potentiæ pro-
portionatæ, ac potenti vti tali forma, qua ratione spe-
cies intelligibilis per nullam potentiam potest vniri po-
tentiæ visiuæ: sed intellectus sine lumine gloriæ non est
proportionatus cum Diuina Essentia in ratione speciei,
neque habet facultatem ad vtendum illa: ergo.

50 Nonò. Visio beatifica dicit intrinsecum ordinem ad
lumen gloriæ, sicut actio naturalis intellectus ad ipsum
intellectum consideratum secundùm virtutem natura-
lem; sed Deus de potentia absoluta nequit facere actio-
nem intellectus naturalem sine ipso naturali intellectu:
ergo neque potest facere visionem Dei sine lumine glo-
riæ. Consequentia cū minori patet, & maior probatur:
quia lumen gloriæ respectu visionis beatificæ vel habet
rationem potentiæ, vel saltem rationem virtutis poten-
tiæ. Dices, illam formam mediam inter habitum, & 51
auxilium, constituere intellectum creatum in ratione
potentiæ supernaturalis & Diuinæ, tribuereq; virtutem
supernaturalem ad talem actionem. Contra hoc replica-
tur. Vel illa forma media est eiusdem speciei cum lumi-
ne gloriæ, vel non. Si est eiusdem speciei; ergo semper
est verum, quòd sine lumine gloriæ nequit dari visio
beata etiam de potentia Dei absoluta. Si verò non est
eiusdem speciei; ergo implicat, visionem beatificam
(quæ semper est eiusdem speciei) posse dicere ordinem
intrinsecum tanquam ad potentiam, vel tanquam ad
virtutem potentiæ ad varia & distincta specie.

Postremò confirmatur ex D. Thoma 2.2. q. 175. art. 52
3. ad 2. vbi expressè ait, Diuinam Essentiam videri non
posse ab intellectu creato sine lumine gloriæ, siue per-
manenter suscepto, siue per modum passionis transeun-
tis, quo modo fuit in D. Paulo in raptu. Idem asserit q.
13. de Veritate art. 2. & q. 20. art. 2. Neq; exponi potest
D. Thomas de lege ordinaria, quia sermonem facit de
miraculosa, & supra legem ordinariam visione, qualis
fuit D. Pauli in raptu, in qua Deus non ordinaria, sed
sua absoluta potentia fuit vsus. Et iuxta hanc inquit D.
Thomas, sine lumine gloriæ Deum videri non posse.

Ex dictis sequitur primò contra recitatas opiniones, 53
auxilium Diuinum non sufficere ad videndum Deum,
quia auxilium est motio, & gratia operans, secundùm
quam rationem intellectus mouetur, & non agit, sed
comparatur passiuè ad Diuinam motionem, & gra-
tiam operantem. Quò fit, vt lumen, vel id, quod requiri-
tur ad visionem, debeat se tenere ex parte ipsius beati,
nam debet esse forma illum constituens ad operandum
actiuè & vitaliter.

Infertur secundò, in ordine ad omnem potentiam 54
prærequiri ex parte intellectus creati aliquod lumen ad
visionem effectiuè producendam, nec sufficere ipsam
Dei substantiam assistentem, & supplentem per se, quod
efficit intellectus, quia Deus non est forma constituens
potentiam creatam similiter potentem, & sufficientem;
ergo præter ipsum aliquid requiritur ex parte intellec-
tus. Antecedens patet, quia si intellectus est potens, in
seipso debet fieri potens; ergo in seipso debet habere ali-
quid intrinsece tribuens potentiam ad visionem. Impli-
cat enim intelligere, quòd intellectus creatus modò de
facto possit producere visionem actiuè, & vitaliter,
quam non poterat anteà producere: & quòd in seipso
non habeat modò aliquid, quod anteà non habebat. Ne-
q; sufficit assistentia Diuina, quia est extrinseca, nisi ex
illa resultet aliqua affectio, & dispositio noua intel-
lectus.

Deducitur tertiò, lumen gloriæ non tantùm requiri 55
secundùm omnem potentiam, vt sit principium effi-
ciens visionis, sed etiam vt sit dispositio ad vnionem
Diuinæ Essentiæ in ratione speciei. Ratio est, quia Di-
uina Essentia vnitur intellectui tanquam potentiæ vi-
tali & viuenti vita supernaturali; ergo talis vnio Diui-
næ Essentiæ supponit vitam supernaturalem in intelle-
ctu. Consequentia patet, nam quod vnitur alicui secun-
dùm aliquam determinatam rationem, supponit illud,
cui vnitur, & rationem tenentem se ex parte eius. V. G.
quod vnitur corpori, vt albo, supponit & corpus, & 56
albedinem;

Digitized by Google

albedinem; ergo à simili quod vnitur intellectui, vt potentiæ vitali supernaturali; supponit vitam supernaturalem, & ex consequenti supponit aliquam qualitatem, per quam fiat viuens supernaturaliter. Antecedens probatur; quia Diuina Essentia vnitur intellectui, vt habeat actionem vitalem videndi, quæ supernaturalis est; ergo vnitur potentiæ vitali supernaturali: quod enim respondet actioni vitali supernaturali, est potentia vitalis eiusdem ordinis, inter quam & actum mediat Diuina Essentia. Legenda sunt quæ diximus Disput. 9. conclus. 1. Illæ enim rationes probant similiter istud cōsectarium. Sit Secunda Conclusio.

Secunda Conclusio. §. IIII.

57 ISTA Forma ad cognitionem beatificam necessaria non est solùm impulsus mouentis receptus in potentia, sed necessariò est vel dispositio, vel habitus, vel potentia, vel reducitur ad potentiam. Prima pars probatur: quia impulsus receptus in mobili, aut in patienti solùm infert instrumentalem efficientiam in passo; sed intellectus creatus non concurrit ad visionem instrumentaliter, vt ostensum est conclusione præcedente; ergo non est solùm impulsus, aut impressio, quæ reperitur ex parte intellectus creati. Maior patet in instrumentis Physicis, vt V. G. in sagitta & calamo, vbi impetus agentis principalis recipitur, & tamen ex tali impressione in instrumentis recepta neq; habent, neq; possunt habere virtutem agendi principaliter. Simili ergo ratione, si intel-
58 lectus solùm habet impressionem Diuini motus, solùm concurrit instrumentariè ad visionem. Si dicat ex tali motione resultare in intellectu virtutem agendi in ratione potentiæ, hoc est, quod nos intendimus esse necessarium, videlicet, esse aliquam virtutem superadditam præter Diuinam motionem, & hanc appellamus lumen. Secunda pars conclusionis probatur: quia supponitur esse qualitatem spiritualem, vel est dispositio, vel habitus, si permanenter inhæret, vel potentia, si consideratur in ratione principij efficientis visionem.

59 Ex quo infertur contra illam sententiam, quæ ponebat qualitatem mediam inter auxilium & lumen, quòd ista forma est principium agendi, & ex qua intellectus creatus perfectè viuit, & suo modo se mouet, qualiter dicimus nos mouere nos ipsos respectu actionis super-
60 naturalis. Elicitur secundò, quòd illa qualitas reducitur ad gratiam cooperantem, quia est forma perficiens potentiam ad vltimum, & præstantissimum actum, quem potest habere. Vnde necessariò est forma simul operans
61 cum auxilio Diuino. Sequitur tertiò, quòd licet illa forma non esset necessariò habitualis, sicut modò est; qualitas tamen, quæ tunc produceretur à Diuina motione, & auxilio, esset conseruabilis ab eadem motione, in quo differt à lumine, quod ponitur in intellectu beato: quia istud ex natura sua est permanens, & diuturnum, in perpetuum durans, qualitas autem, quæ ponitur in ordine ad Diuinam potentiam, ex sua natura est facilè transiens, etsi Diuina virtute conseruaretur, & ita appellabitur passio, vel dispositio, ad eum modum, quo D. Thomas 2. 2. quæst. 175. artic. 3. ad 3. dicit, lumen in Paulo, & Moyse fuisse per modum dispositionis, & transeuntis. Hæc omnia magis explicabuntur in solutionibus argumentorum.

Soluuntur Argumenta. §. V.

AD Primum argumentum principale Resp. Rationes inductas pro prima conclusione conuincere intellectum benè dispositum, quod repugnet, beatum videre Deum sine lumine gloriæ: quemadmodum implicat, agens principale agere sine forma, siquidem intellectus est agens principale visionis, & si non habeat lumen, ageret sine forma. Similiter implicat, quòd potentia viuens viuat in actu secundo sine vita productiua talis actus, vnam istam vitam, quæ supernaturalis est, non habet intellectus ex sua natura, neq; ex sola Diuina motione, & assistentia Diuinæ Essentiæ, nisi ponatur in intellectu actus viuificans supranaturaliter. Quòd si iste non ponatur, esset viuere in actu secundo absq; vita, quæ est principium actionum vitalium. Item tertiò esset ponere, intellectum beati videre, & non videre. Primum conceditur ab aduersarijs, secundum tenentur etiam concedere, si ponant, intellectum concurrere vt motum ab extrinseco auxilio, quia tunc solùm se haberet instrumentaliter. Quòd si instrumentaliter se habet, neq; viuit, neq; videt in tali actione, nisi velius ponere vitam instrumentariam, quod est chimericum. 62 63

Ad secundum principale Resp. Lumen gloriæ secundùm omnem potentiam esse simpliciter necessarium iuxta quatuor illas causas in argumento relatas. Et quidem quod attinet ad rationem actiui, manifesta repugnantia est, quòd intellectus sine virtute aliqua actiua supernaturali possit actum visionis supernaturalis elicere: vt ex dictis constat. Neq; est instantia illa de aqua baptismi, quæ vt concurrat ad gratiam causandam, vt merum instrumentum, non indiget aliqua forma supernaturali intrinseca, cui assimiletur, & proportionetur effectus. Necessitas verò luminis gloriæ in ratione dispositionis tam ad Diuinam Essentiam in ratione formæ intelligibilis, quàm ad actum visionis suscipiendum secundùm omnem potentiam, ex eo colligitur, quòd lumen gloriæ est potentia, & vim potentialem, supernaturalem tribuit intellectui, ipsumq; constituit in esse supernaturalis potentiæ. Repugnat enim, speciem intelligibilem vniri in ratione speciei, nisi potentiæ intellectiuæ proportionatæ, potenti illa vni. Cùm ergo sine lumine gloriæ intellectus non sit potentia proportionata Essentiæ Diuinæ, nec habeat vim ad illa vtendum, nec sit potentia visiua Dei, non magis potest Essentia Diuina in ratione speciei vniri intellectui sine lumine gloriæ, quàm species intelligibilis potentiæ visiuæ. Et rursus implicat, actum visionis formaliter esse, & suscipi nisi in potentia visiua, ergo actus visionis supernaturalis nequis suscipi nisi in potentia visiua supernaturali, quæ est intellectus, vt lumine gloriæ illustratus. 64 65 66

Qui verò censent, lumen gloriæ nullo modo esse potentiam, sed habitum, respondere possunt, repugnare, Diuinam Essentiam, quæ in ratione speciei est vltimus actus extrinsecus respectu intellectus, illi vniri nisi constitutum in actu intrinseco per vim & facultatem intrinsecam. Etenim vltimus actus extrinsecus præsupponit necessariò actum intrinsecum, sicut repugnat materiam actuari forma extranea, & accidentaria, nisi præsupposita priùs formæ substantialis actualitate. Et præsertim cùm forma illa, nempe, Diuina Essentia in ratione speciei 67

speciei volatur ad operationem eliciendam tanquam vltimum illius principium, præsupponit necessariò actualitatem intrinsecam in potentia operatiua, cui vnitur, quam necessariò præexigit operatio. Hanc autem
68 actualitatem tribuit lumen gloriæ. Vel dicendum, quod Diuinam Essentiam vniri in ratione formæ intelligibilis, nihil aliud est, quàm ipsam effici intellectui præsentem in ratione intelligibilis, quod necessariò præsupponit, & requirit lumen intelligibile proportionatum ex parte potentiæ, vimq; intellectiuâ, quæ omnia præstat lumen gloriæ intellectui creato.

69 Ad primam autem instantiam Resp. Formam substantialem esse proportionatam materiæ primæ secundùm se, ac nudè consideratæ, quò ad actum illius intrinsecum, & primum, atq; immediatum, quem sequuntur dispositiones ipsæ; non enim dispositiones sunt immediatè in materia, sed superueniunt illi actuatæ per formam substantialem. Deseruiunt autem dispositiones præcedentes & ad detrudendam materiam alia forma, & ad ipsam determinandam ad hanc formam inducen-
70 dam: & ideò non repugnat introduci formam, & conseruari in materia per Dei omnipotentiam sine aliqua dispositione. At Diuina Essentia in ratione speciei est forma omninò improportionata intellectui nudo, & est actus illius extrinsecus, qui necessariò supponit intrinsecum. Est item forma intelligibilis necessariò præsupponens lumen intelligibile eiusdem ordinis: est tandem actus vltimus ad operandum ordinatus, præsupponens alios actus interiores, actualitatemque intrinsecam.

71 Ad secundam instantiam de Verbo Diuino vnito humanitati, Resp. Illam vnionem esse naturæ & suppositi in esse rei, & ideò tantum supponere naturam ipsam secundùm rem. At vnio Diuinæ Essentiæ cum intellectu est in esse intelligibilis, & ideò non tantùm supponit intellectum in esse rei, sed secundum esse intellectiuum, illuminatum lumine intellectuali, requisitum ad intellectionem per talem speciem, vimq; habentem ad eam intellectionem. Item illa vnio hypostatica cum natura est substantialis, ac proinde est immediata, nulli catens
72 medio, vt vnio materiæ & formæ. Vnio verò Diuinæ Essentiæ cum intellectu est accidentaria, quæ necessariò exigit medium eleuans potentiam. Et tandem: vnio hypostatica præsupponit actum substantialem in esse rei, videlicet, formam substantialem, & ita proportionabiliter vnio Diuinæ Essentiæ in esse intelligibili præsupponit actum intrinsecum in ipso intellectu ad ordinem intelligibilis supernaturalis pertinentem, qui actus est lumen gloriæ. Denique si hoc argumentum aliquid probaret, conuinceret pariter de factò nullam requiri dispositionem luminis gloriæ, sicut neque de facto datur media aliqua dispositio ad vnionem hypostaticam.

73 Quòd verò attinet ad necessitatem luminis gloriæ in ratione dispositionis ad actum visionis recipiendum, facilè deprehenditur ex necessitate illius in ratione principij actiui. Etenim necessaria dispositio secundum omnem potentiam ad visionem suscipiendam in intellectu creato est vis actiua, & productiua visionis: quod sanè est de ratione formali actus immanentis. sed lumen gloriæ est sola virtus actiua, & productiua visionis; ergo est necessaria dispositio ad illam suscipiendam secundùm omnem potentiam. Item implicat, actum immanentem ab vno produci, & in alio suscipi, ita vt susceptiuum non sit factiuum illius: ergo repugnat, vim ad producendam visionem non esse susceptiuam.

Ad instantiam autem Resp. Quòd sicut non repugnat, habitum charitatis & gratiæ suscipi absq; dispositione aliqua; sic etiam & lumen gloriæ. At verò actum visionis suscipi sine lumine gloriæ, repugnare ostensum est, quod fortasis de actu charitatis, & alijs, supernaturalibus censeri debet. 74

Postremò, propter vltimam causam est etiam lumen gloriæ secūdum omnem potentiam necessarium, nempe, quia est ratio sub qua, tenens se ex parte potentiæ, illiq; intrinseca, eam eleuans, atq; confortans ad tendendum in tale obiectum, quod per vnionem Diuinæ Essentiæ suppleri non potest, si daretur sine lumine gloriæ: quæ est ratio sub qua intrinseca. 75

Ad tertium principale Resp. Illam propositionem; Quidquid Deus efficit mediante causa secunda &c. esse intelligendam de causa efficiente duntaxat. Si autem causa secunda simul concurrat in alio genere causæ præsertim formalis, repugnat suppleri à Deo. Et quia visio clara pendet à lumine gloriæ, non solùm in genere causæ efficientis, sed etiam formalis, cùm sit actus vitalis, qui proinde importat formalem & specificantem habitudinem ad principium effectiuum peculiare, à quo procedit; ideò elici non potest sine lumine gloriæ. Pendet etiam visio à lumine gloriæ in genere causæ materialis, quia est necessaria dispositio ad visionem; ita vt intellectus sit incapax suscipiendæ visionis claræ, nisi lumine gloriæ illustratus. 76

Ad replicam Resp. primò, visionem in ratione actus vitalis pendere à lumine gloriæ, ita vt lumen gloriæ sit principium visionis, vt vitalis est vitalitate supernaturali, neq; in hac ratione pendere à sola potentia intellectiua vtcumq; , sed ab illa, vt eleuata lumine gloriæ. Ad primam probationem Resp. esse requisitum, quòd principium vitalis operationis sit intrinsecum potentiæ vienenti operanti, non tamen quòd sit ab intrinseco fluens, idest, ab intrinsecis principijs. Et sic se habet lumen gloriæ, quod licet non sit ab intrinseco fluens, est tamen intrinsecè susceptum in ipso intellectu. Sicut si Deus tribueret cæco miraculosè potentiam visiuam, quamuis illa non fluat à principijs intrinsecis, sed ab extrinseco fuesit producta; quia tamen esset intrinsecè suscepta in ipso animali, esset quidem visionis vitalis principium. Itaq; in hoc differunt actio vitalis ex vna parte, & potentia, vel quodcumq; principium vitale ex alia, quòd de ratione actus vitalis est, vt sit ab intrinseco: de ratione verò principij vitalis tãtùm est, quòd sit intrinsecum. 77 78

Ad secundam probationem Respondetur, quòd vt visio clara sit mediatè ab anima, satis fuerit, quòd sit elicita à potentia fluente ab anima, nempe, ab intellectu lumine gloriæ illustrato, vel à lumine gloriæ illustrante & actuante animæ potentiam. Vel satis est, quòd sit à principio intrinseco potentiæ animæ, ab illa pendente, eiq; consentaneo. 79

Ad vltimam probationem Resp. esse discrimen inter habitus infusos, & acquisitos, quòd infusi habent modum potentiarum respectu suorum actuum, eo quòd huiusmodi actus excedunt secundùm substantiam omnem potentiæ naturalis facultatem: habitus verò acquisiti 80

non

Digitized by Google

non excedunt propter oppositam rationem: de quo co-
piosius disputatione sequente tractabitur; & ideò actus
virtutum infusarum, præsertim luminis gloriæ, pendet
ab illo, prout est vitalis, tanquam à potentia, quod acti-
bus habituum naturalium non competit.
81 Secundò Resp. ad replicam principalem, quòd licèt
clara visio secundum rationem specificam actus vitalis,
videlicet, intellectionis, a sola potentia intellectiua for-
maliter pendeat, eoquòd sit eiusdem speciei in ratione
intellectionis vitalis, cum alijs intellectionibus, in ratio-
ne tamen indiuidua talis actus vitalis pendet necessariò
à lumine gloriæ. Etenim visio clara importat quandam
intellectionem, materialiter & conditione indiuiduali
distinctam ab alijs intellectionibus, nempe, ab intellec-
tione obscura, & cæteris. Et secundùm hanc indiuidua-
lem conditionem importat ordinem necessarium ad
lumen gloriæ, sine quo non erit clara visio: quamuis si-
ne habitudine ad illud intelligi possit in ratione cogni-
82 tionis vtcumque. Ratio vero indiuidualis, licèt materia-
lis sit respectu speciei, est tamen essentialis, & veluti for-
malis respectu indiuidui ad hunc sensum, quòd si indiui-
duum haberet definitionem, per principium indiui-
duans definiri deberet. Ideòq; dicimus, visionem claram
à lumine gloriæ, à quo indiuidualiter procedit, forma-
liter procedere. Cùm igitur implicet secundùm omnem
potentiam, rem aliquam esse in specie, & non in indiui-
duo, sic etiam repugnat, actum beatificum esse ab intel-
lectu sine lumine gloriæ, quia esset in specie intellectio-
nis, & non in aliquo indiuiduo, nempe, claræ visionis.
83 Neq; est simile de actu scientifico scientiæ naturalis, qui
in ratione scientifici importat indiuidualem, & mate-
rialem conditionem respectu intellectionis, & tamen
non repugnat esse sine habitu scientiæ, à quo pendet, vt
talis intellectio. Non, inquam, est similis ratio, quia po-
tentia intellectiua in sua virtute habitus naturales ac-
quisitos continet, & ideò propria vi illos comparare po-
test, in seipsa efficere, ac veluti germinando producere:
ac proinde sine habitu potest actum ad habitum perti-
nentem elicere, quia essentialiter, & indiuidualiter actus
ille tantùm pendet vel à habitu, vel à principio intrinse-
co, vim & virtutem habitus continente. Potentia verò
intellectiua vim luminis gloriæ non continet, nisi ei
conferatur aliqua forma in eadem suscepta, illius con-
tinens vim.
84 Ad quartum principale negatur antecedens, & ad pri-
mam probationem Resp. quòd licèt intellectus secun-
dùm se consideratus sit improportionatus actui visio-
nis, & illo imperfectior & inferior, eleuatus tamen, &
informatus lumine gloriæ, non est imperfectior & in-
ferior, sed cum clara visione proportionatus, quatenùs
habet formam, cui clara visio assimilatur. Nec valet illa
consequentia: nequit intellectus esse causa luminis glo-
riæ: ergo &c. quia habitus supernaturales, lumen glo-
riæ, & similes, sunt potentiæ supernaturales ad operan-
85 dum supernaturalia: & ideò antequàm homo talibus
potentijs informetur, nullius rei supernaturalis est ope-
ratiuus, cùm principium operandi omninò necessarium
sit potentia. Comparatur ergo homo ad habitus super-
naturales sine potentia, & virtute supernaturali, ad actus
verò, vt iam informatus supernaturali virtute, potentia,
& forma, in cuius vi actus continentur. Neq; imaginari
potest aliqua alia virtus, in qua tanquam in forma con-
tineantur gratia, charitas, & lumen gloriæ, præter ip-
sammet Diuinam Essentiam, quæ nequit esse forma in-
trinseca eleuãs creaturam ad producendum lumen glo-
riæ, vt causam principalem.
Hæc autem responsio locum habet, etiam si demus, 86
habitus istos infusos non habere rationem potentia-
rum, sed habituum, quia illis proportionatur potentia
ad actus supernaturales, neq; est quidpiam aliud, quo
proportionetur eisdem habitibus ante ipsorum infusio-
nem. Nec sequitur, quòd saltem supposito habitu cha-
ritatis possit ipsum effectiuè Physicè augere, quoniam
habitus ab eo duntaxat augeri nati sunt, à quo nati sunt
& produci. Sed de hoc aliàs.
Ad secundam probationem Resp. quòd licèt tota vis 87
intellectus ad visionem eliciendam sit lumen gloriæ,
non tamen concurrit vt instrumentum, quia per illam
virtutem non extrahitur extra latitudinem sui obiecti,
sed ad aliquid sub illius obiecto contentum, etsi impro-
portionatum, eleuatur. Ad omne autem contentum sub
latitudine sui obiecti comparatur potentia, præsertim
vitalis, vt causa principalis, neque alio modo comparari
potest, etsi indigeat aliena virtute ad tale obiectum per-
fectè attingendum, In quo differt ab aqua calefacta; quæ
per calorem extrahitur à tota sui obiecti latitudine, to-
taq; suæ actiuitatis sphera. Imò verò per calorem actua-
tur contra suam naturam specificam, neque in illo per-
ficitur vis eius operatiua, & ideò instrumentaliter con-
currit.
Ad tertiam probationem Resp. Omnem causam se- 88
cundam, quamtumuis principalem, omnemq; formam
operatiuam, siue naturalem, siue supernaturalem ad ac-
tualem operationem exigere necessariò concursum Dei
actualem sui ordinis, causam naturalem, actualem con-
cursum & motionem naturalem à Deo, vt authore na-
turæ: causam verò supernaturalem, concursum actua-
lem supernaturalem exigere, in quo consistit actualis
dependentia causarum omnium secundarum à prima.
Ex hoc autem non sequitur, omnem formam, & cau-
sam secundam esse purum instrumentum Dei ad suam
operationem, ita vt ex eoquòd intellectus lumine illus-
tratus pendeat ex actuali auxilio Dei supernaturali, non
benè infertur, quod non sit causa principalis visionis
claræ.
Ad quintum negatur, auxilium actuale sufficere de 89
potentia absoluta ad actum supernaturalem vitalem, &
perfectum eliciendum. Ad probationem Resp. illos actus
tam ex parte intellectus non elicitos à fide, quàm ex par-
te voluntatis non elicitos ab spe, & charitate præceden-
tes iustificationem, esse imperfectos, inefficaces & super-
naturales secundum quid. Nec illas cogitationes esse
eiusdem speciei cum actibus fidei, si ab habitu fidei non
procedant. Sed sicut in voluntate sunt quædam volitio-
nes imperfectæ circa obiecta supernaturalia, quas velei-
tatis nuncupamus, etiam in intellectu sunt quidam actus
imperfecti circa supernaturalia obiecta. Item illi actus 90
ex parte voluntatis, nempe, timoris seruilis, & attritionis
sunt imperfecti, & inefficaces volitiones non sufficientes
ad excludendum peccatum ex vi talium dispositionum,
& ita illa attritio vocatur à Concilio detestatio aliqua.
Idest, Inchoata & imperfecta pœnitentia. Et tandem illa
dilectio imperfecta Dei, vt gratiæ authoris præcedens
tempore remissionem peccatorum, non est eiusdem
speciei

speciei cū actu charitatis, nisi reductiuè, sicut embrio dicitur eiusdem speciei cū homine, quia in nulla specie est per se, vt pote imperfectum quid, & incōpletū, reducitur q; ad speciem hominis, tanquam via ad hominem. Et ita dilectio illa est imperfecta, & inchoata, vt insinuat Concilium, cùm inquit: Incipit Deum diligere. Et non est in aliqua specie per se, sed reducitur ad speciem perfectæ dilectionis. Quare omnes illi actus tam ex parte
91 intellectus, quàm voluntatis, qui ab aliquo habitu infuso non procedunt, sunt supernaturales secundùm quid. Actus quidem intellectus ratione auxilij actualis; actus verò voluntatis, timoris seruilis, attritionis, & illius dilectionis inchoatæ, & ratione auxilij, & ratione dilectionis; & spei supernaturalitatem habent. Neq; refert, huiusmodi actus non posse à potentia produci sine actuali auxilio: quia etsi hoc concedatur, non sequitur esse simpliciter supernaturales, sed quò ad modum duntaxat; vt docet M. Soto in 4. d. 29. q. 1. art. 4. dicens, huiusmodi actus, quantum ab substantiam non excedere facultatem liberi arbitrij, hoc est, naturalem, sed quantum ad modum, vt sint dispositiones ad gratiam, indigent superna-
92 turali auxilio. Præterea illi actus non sunt simpliciter supernaturales, quia sunt imperfecti, & inchoationes actuum voluntatis, & intellectus, cùm non sint simpliciter intellectiones, & volitiones, sicut velleitas non est simpliciter actus voluntatis, cùm non sit simpliciter volitio, sed actus secundùm quid. Et ita velleitas supernaturalis finis & obiecti non est simpliciter supernaturalis. Similiter iuxta istum dicendi modum huiusmodi actus nec sunt dicendi actus naturales simpliciter; sicut embrio non dicitur animal rationale, neq; irrationale simpliciter, sed rationale secundum quid; quia non est animal perfectum, sed inchoatiuè & reductiuè. Iuxta sententiam Soti illi actus dicendi sunt naturales simpliciter, & quoad substantiam, supernaturales verò secundum quid, & quoad modum. Quare cùm non superent naturalem vim potentiarum, nisi quoad modum, possunt cum solo actuali auxilio à potentijs, vt à causis principalibus elici.
93 Vel dicendum; omnem potentiam circa omne contentum sub latitudine sui obiecti, actus imperfectos vtcumq; elicere posse. Et quia supernaturalia obiecta continentur sub latitudine obiectorum intellectus & voluntatis; ideò intellectus & voluntas cum actuali auxilio possunt illos actus imperfectos & secundùm quid supernaturales, tanquam principales causæ elicere. Neq; inde sequitur, quòd eodem actuali auxilio possint alios actus perfectos supernaturales elicere, vt principales causæ, si-
94 cut non sequitur: Homo potest animam embrionis producere, vel comproducere, quæ secundùm quid, & reductiuè est humana, ergò poterit producere, aut comproducere, animam rationalem simpliciter, & perfectè: quia ad hoc vt potentia sit causa principalis actus supernaturalis secundùm quid, satis actuatur, & proportionatur per formam secūdùm quid, qualis est actuale auxilium, tribuens motionem quandam fluxam, non virtutem permanentem: quam voco formam secundùm quid. Vel certè iuxta quorumdam sententiam proportionatur per virtutem ipsam naturalem, qua omnis potentia proportionata est omni contento sub latitudine sui obiecti, vtcumq; attingendo: quæ poriùs dicitur proportionata cum actu imperfecto erga quodcumque contentum sub eius obiecto, licet sit obiectum improportionatum. Et maximè proportionatur vis naturalis cum actu super-naturali imperfecto adiuta illo actuali auxilio. Secundò 95
Resp. concesso antecedenti negando consequentiam; quia visio Dei, cùm sit actio vitalis, necessariò debet procedere à potentia vitali: intellectus autem sine lumine gloriæ non est potentia vitalis supranaturalis.

Ad sextum Resp. repugnare, Diuinam Essentiam vniri intellectui creato in ratione speciei intelligibilis sine 96
lumine gloriæ. Et ita fatemur, intellectum sufficienter constitui in actu primo per Diuinam Essentiam, tum; quia vnio Diuinæ Essentiæ includit necessariò lumen gloriæ, quo mediante fit; tum etiam, quia si daretur Diuinæ Essentiæ vnio sine lumine gloriæ, sufficeret quidem ad visionem, vt cōcedit M. Soto loco citato: implicat tamen illam vnionem fieri sine lumine gloriæ. Se- 97
cundò Resp. etiam si daretur talis vnio Diuinæ Essentiæ cum intellectu sine lumine gloriæ, adhuc intellectus non posset Deum videre, nec sufficienter constitueretur in actu primo ad videndum Deum, quia Diuina Essentia est actus extrinsecus intellectus. Implicet autem, potentiam aliquam operari sine virtute intrinseca, actu intrinseco; & forma aliqua intrinseca, cùm vis operatiua necessariò sit in ipso operante.

Ad primam confirmationem similiter Resp. Speciem 98
tenere se ex parte obiecti, & ideò non repugnare esse extrinsecam. Lumen autem gloriæ, quod est vis effectiua potentiæ, tenet se ex parte potentiæ, ac proinde debet esse virtus ipsi potentiæ intrinseca, & illi formaliter inhærens, quod Diuinæ Essentiæ repugnat, & ideò supplere non potest vicem luminis gloriæ.

Ad secundam confirmationem Resp. Lumen gloriæ 99
confortare, & actuare potentiam ad Deum videndum non vtcumq;, sed intrinsecè, tanquam actum intrinsecum, quod est de intrinseca ratione virtutis, qua potentia operatur; tenentis se ex parte potentiæ, qui modus actuandi Deo repugnat.

Ad tertiam confirmationem Resp: actualitatem sup- 100
positi non esse vim operatiuam, quam necessariò exigit intrinsecè, sed hanc habere naturam à forma substantiali, quæ est primus actus, & à potentijs, habitibus, & virtutibus intrinsecè susceptis, qui sunt actus illius intrinseci: compleri autem hanc actualitatem per ipsum suppositum: quod actualitatis intrinsecæ complementum non est necesse sit intrinsecum. Et ita proportionabiliter damus in intellectu videntis Deum, actum intrinsecum, qui est lumen gloriæ, & actum extrinsecum, complementumq; totius actualitatis intellectus in ordine ad Diuinam visionem, quod est Diuina Essentia in ratione speciei vnita.

Secundò Resp. Quòd licèt natura non operetur nisi in 101
supposito, operatio tamen quò ad specificationem correspondet naturæ, & illius principijs intrinsecis, ita vt naturæ semper proportionetur cum operationibus per aliquid intrinsecum. Vel tertiò dicendum, actualitatem suppositi respectu naturæ esse actualitatem terminantis, & complentis, quæ non exigit necessariò, rationem suppositalem recipi in natura. At actualitas virtutis operatiuæ tenentis se ex parte potentiæ, est actualitas formæ intrinsecè informantis, ideóq; à Deo suppleri non potest.

Ad septimum negatur antecedens, quia sicut calor est 102
tota vis ad calefaciendum, sic lumen gloriæ est tota vis intellectus

intellectus effectiuè claræ visionis. Virtus autem & actiuitas naturalis intellectus creatus dicitur concurrere ad claram visionem, quatenus reddit intellectum capacem, vt per lumen gloriæ possit effici potentia supernaturalis actiuè concurrens ad talem visionem eliciendam. Nec potentia obedientialis ad Deum intuendum, est immediatè actiua, sed passiua potiùs, & susceptiua virtutis actiuæ, neq; immediatè comparatur ad actum secundum,
103 sed mediante actu primo. Ad confirmationem negatur, intellectum sine lumine gloriæ esse potentiam vitalem vitalitate supranaturali requisita ad actum vitalem claræ visionis. Secundò respondetur, quòd licèt principia non naturalia, & vitalia, & extrinseca possint ad actum vitalem concurrere, non tamen sequitur, quòd potentia vitalis cum solo iuuamine extrinseco possit actum vitalem producere, quando actus, etsi vitalis sit, est tamen improportionatus, superās virtutem naturalem, & propriam potentiam, indigens eleuatione, & confortatione intrinseca. Tertiò dicitur, quòd etsi visio clara in ratione actus vitalis intrinsecè tantùm penderet ab intellectu, in ratione tamen visionis necessariò pendet ab alijs intrinsecis principijs, præter potentiam vitalem.

104 Ad octauum concessa maiori negatur minor, quia tunc per illam visionem non magis videret intellectus, quàm lapis, si in eo poneretur, nam esset materialiter in intellectu, & non in ratione visionis, eo quòd intellectus sine lumine non est potentia ad talem actum; & ita dempto lumine gloriæ desineret esse potentia, desineretq; proinde actus visionis actuare intellectum formaliter. Item cùm conseruatio visionis nihil aliud sit, quàm continua ipsius visionis productio; ac videre sit efficere visionem, vel efficientiam continuare, in visionemq; effectiuè influere, non est intelligibile, quòd potentia dempto lumine gloriæ adhuc videat, & nihil actiuè ef-
105 ficiat, & influat. Neq; exemplum adductum de propria passione est per omnia simile, nam propria passio aliter pendet ab essentia, & subiecto, à quo dimanat, licèt sit potentia vitalis, & aliter actus vitalis, qui est actus secundus. Potentia enim vitalis aptitudine tantùm pendet à subiecto, formaliter loquendo, importatq; essentialiter aptitudinalem duntaxat habitudinem, ita vt ex sua natura apta sit nasci ex tali subiecto, & ex talibus principijs.
106 Verumtamen actio vitalis essentialiter & formaliter importat actualem ordinem, & dependentiam à principijs vitalibus, quoad fieri. Et ideò potest Deus se solo potentiam visiuam, & aliam quamcumque vitalem producere, sicut de facto quando cæcum à natiuitate illuminauit, se solo, natura cæci non concurrente, potentiam visiuam produxit formaliter, secundùm rationem formalem potentiæ vitalis.

107 Ad confirmationem Resp. In eo casu per illam visionem, intellectum, ad quem transferretur, non solùm sine lumine gloriæ, sed etiam lumine illustratum, videre non posse, quia videre nihil est aliud, quàm visionem producere. Essetq; tunc illa visio in eo intellectu, ad quem ab alio producta transferretur, materialiter duntaxat.

108 Ad replicam contra hanc solutionem respondent quidam Theologi, illam visionem materialiter informantem intellectum, tribuere illi aliquod esse qualis specificum, quod dupliciter potest intelligi. Primò quòd visio tribuat esse qualis imperfectum, & inchoatum, in nulla specie per se constitutum, sed reductiuè in prima, & secunda specie qualitatis, in qua constituitur actus visionis formaliter consideratus: ita vt intellectus per illam visionem constitueretur in specie visionis, non directè, sed reductiuè, non quia videns, sed quia habens visionem, reduceretur ad speciem videntis. Idem dicendum esset, si constitueretur visio in lapide, esset enim tunc lapis secundùm illam speciem qualis in secunda specie qualitatis reductiuè, quatenus est habens visionem. Sed obijcitur. Intellectus in eo casu per talem 109
visionem constituitur qualis simpliciter in genere qualitatis, & directè; ergo est etiam simpliciter & directè in aliqua qualitatis specie, & non reductiuè & secundùm quid. Resp. primò in his, in quibus aliunde desumitur ratio generica, & aliunde specifica, non repugnat, rationem genericam conuenire simpliciter alicui, & specificam secundùm quid: vt furtum vnius oboli est peccatum simpliciter, & furtum secundùm quid. Et virtus 110
intellectualis secundùm D. Thom. est habitus simpliciter, & virtus secundùm quid. Sic etiam non est inconueniens in eo casu, intellectum per illam visionem constitui qualem simpliciter, & in specie videntis secundùm quid: quia visio habet rationem genericam qualitatis per ordinem ad subiectum inhæsionis, qualitas enim ex sua definitione, est, qua quales esse dicimur. Habet autem rationem specificam per ordinem ad principium actiuum, & ad obiectum percipiendum. Cùm ergo simpliciter inhæreat intellectui, ipsum qualem simpliciter constituit. Cùm verò neq; ab illo sit producta, nec ab illo actu effectiuè dependeat, neq; illa obiectum percipiat, non constituit simpliciter videntem. Secundò respon- 111
detur, negando illam visionem constituere intellectum simpliciter qualem, sed habentem visionem, quia non plenè qualificat illum intellectum, sed inchoatiuè, imperfectè, & reductiuè, quasi eo modo tribuat esse genericum, quo esse specificum.

Secundò potest intelligi, illam visionem tribuere esse 112
specificum, quòd non est inconueniens in eadem re materialiter considerata duas species coniungi, imò & duas prædicamentales rationes, & per ordinem ad diuersa subiecta idem accidens diuersas rationes specificas obtinere, actuareq; diuersa subiecta secundùm diuersas rationes, vt eadem calefactio est actio per ordinem ad agens, & passio per ordinem ad patiens, actuatq; & informat patiens, non quatenus est actio, sed prout est passio; & eadem qualitas & ibidem calor est naturalis potentia in igne, in aqua verò passibilis qualitas, quam non actuat, & qualificat in ratione naturalis potentiæ, sed in ratione passibilis qualitatis. Vel dicendum, 113
vnam speciem præsertim in prædicamento qualitatis, posse alteri accidentariò superuenire, ita vt eadem qualitas vnam obtineat speciem essentialem, alias verò plures accidentarias obtinere possit, vt calor essentialiter est passibilis qualitas, quæ ratio in quocumque sit gradu, illi conuenit. Accidentariò autem superuenit illa secunda species qualitatis in igne secundùm suum gradum, qui gradus est modus accidentarius caloris. Si ergo Deus octauum gra- 114
dum caloris in aqua constitueret, ibi retineret rationem potentiæ ignis, illumq; respiceret secundùm hanc rationem potentiæ. Verùm non qualificaret aquam,

nisi in ratione passibilis qualitatis, huiusq; speciei esse
tantummodò tribueret. Similiter potentia visiua vni-
cam obtinet speciem essentialem naturalis potentiæ
animalis, & per ordinem ad animal, quod est proprium
illius subiectum. Cæterùm in lapide constituta, etsi non
amittat rationem potentiæ animalis, sortitur aliam ra-
tionem alterius speciei, accidentariò superuenientem, se-
cundum quam actuat, & informat lapidem. Sed quæ-
nàm sit hæc ratio, non est facile definire.
115 Posset dici, illam potentiam in lapide habere ratio-
nem dispositionis, quod non est alienum à natura ipsa
potentiæ, quæ etiam in ordine ad proprium subiectum
habet aliqualem dispositionis concomitantis rationem,
sic etiam in lapide est veluti dispositio. Et cùm disposi-
tio non abstrahat à bono vel malo, potest dici malè dis-
ponere lapidem, qua ratione disconuenienter ad suam
naturam eum disponit, non quidem dispositione per-
116 fectiua, sed potiùs, quatenùs de se est destructiua formæ
lapidis, & veluti dispositiua ad formam animalis, à qua
profluit, vel profluere nata est. Et idem videtur dicen-
dum de ipso actu visionis beatificæ in casu argumenti,
quòd actuat intellectum in ratione dispositionis, quan-
tùm est de se, benè disponens intellectum ad aliquid, sub
latitudine proprij obiecti contentum, sed non actuat ip-
sum in ratione actus vitalis.
117 Vel potest dici: quòd licèt interdum contingat, quòd
vni speciei qualitatis alia verè & propriè accidat, ita vt
eadem qualitas vni subiecto vnam rationem specificam
propriè conferat, & alteri aliam etiam propriè, non ta-
men semper id contingit, neq; id requiritur, sed satis est
tribuat alicui subiecto rationem alterius speciei reducti-
uè, & inchoatiuè: & sic contingit in proposito, quòd ea
potentia visiua in lapide, & visio sine lumine gloriæ tri-
buerent esse quoddam ad primam speciem qualitatis
pertinens reductiuè. Nec satis est, quòd tribuat esse dis-
positionis, quæ est ratio generis subalterni, sed talis spe-
ciei, nempe, dispositionis ad talem formam, vel talis spe-
ciei intelligibilis ad tale obiectum secundùm specificam,
atq; etiam numericam rationem. Tota hæc doctrina
tradita in hac solutione assignata ab illis authoribus, ni-
titur in certo principio, scilicet, visionem esse qualita-
tem, & non actionem, quæ doctrina non est omnibus
recepta, imò in sententia Aristotelis actio immanens
non est qualitas, sed pertinet ad prædicamentum actio-
nis. Vnde omissa hac solutione dicendum est, quòd in eo
casu talis visio nullum esse tribueret intellectui, qui so-
lùm se haberet vt merè sustentans illam visionem: quæ
quidem cùm sit actio, nō includit formaliter esse, in, sed
esse ab agente, & ideo valde analogicè est accidens.
118 Ad nonum negatur antecedens, repugnat enim secun-
dùm absolutam potentiam, intellectum elicere actum
fidei eiusdem speciei cum actu procedente ab habitu in-
fuso: & similiter voluntatem actum charitatis habere
sine habitibus infusis, vel aliqua forma superaddita ipsis
potentijs. Et idem dicendum est de quibuscumq; actibus
virtutum infusarum, etiam moralium admissa semel
illa sententia, quòd excedant potentias naturales quoad
actus substantiam. Neque hoc derogat Diuinæ omni-
potentiæ, cùm tota impossibilitas sumatur ex parte fac-
ti, quod implicat contradictionem, nempe, quòd intel-
lectus crederet, & non crederet, actum fidei causaret, &
non causaret.

Ad cōfirmationem Resp. primò, illā solutionem à M. 119
Bañes assignatā posse defendi. Et ad primā replicā respō-
det prædictus Magister, quòd intensio habitus præcedit
in genere causæ efficientis intensionem actus, sed in ge-
nere causæ moralis (ad quod genus pertinet ratio meri-
ti & præmij) intensio actus prior est intensione habitus,
& ita in ratione præmij intensio habitus subsequitur in-
tensionem actus. Ad secūdā replicā similiter Resp. In- 120
tensiones illas habitus & actus nō habere rationem cau-
sarū, & effectuū in eodem genere causæ, sed habitū intē-
sum esse causam Physicā actus intensi, actus verò inten-
sionem esse causam moralem, & meritoriā intensionis
habitus. Causalitas autem Physica, & moralis, etsi vtraq;
sit suo modo effectiua, pertinent tamen ad diuersa gene-
ra, de quibus causa Physica efficiens dicitur analogicè.
Sed cōtra solutionem sunt duo argumēta. Primū est, 121
quia eàdem ratione posset cōcedi, primā gratiam, etsi in
genere Physico præcedat primū actū charitatis, in gene-
re autem moris esse posteriorem, ita vt primus ille actus
charitatis sit primæ gratiæ meritorius, quod salua fide
affirmari nō potest. Cōfirmatur. Ideò primus actus cha- 122
ritatis in eo, qui iustificatur, nō potest gratiā præcedere
in genere moris, quia illā in genere Physico subsequitur;
sed actus intensior iuxta illā sententiā subsequitur inten-
sionem habitus in genere Physico; ergo nullo modo in
genere moris potest antecedere. Secūdū. Intensio ha- 123
bitus charitatis nō solùm in genere Physico, sed etiā in
genere moris supposita illa sententia, debet præcedere
intensionem actus; ergo nullo modo sequitur. Antece-
dens probatur. Intensio habitus charitatis nō solùm est
causa Physica intensionis actus, tot gradus intensionis in
actu causans, sed etiā in genere moris, vt actus tot habeat
gradus meriti, quot requirūtur ad promerendam talem
habitus intensionem: ergo in omni genera causæ tam
Physicæ, quàm moralis intensio habitus præcedit inten-
sionem actus. Antecedens probatur. Demus, habitum esse
vt quatuor, actū verò vt sex, qui actus promeretur aug-
mentū habitus vsque ad sex gradus: tunc quòd ille actus
sit meritorius vt sex, nō habet, vt procedit à charitate, vt
quatuor, quia charitas, vt quatuor, tantùm causat meri-
tum, vt quatuor, ergo habet tot gradus meriti, vt proce-
dit à charitate intensa, vt sex, ac proinde intensio, vt sex,
in habitu charitatis præcedit intensionem actus etiam
in ratione causæ moralis.
Propter hæc argumenta aliqui ex recentioribus D. 124
Thomæ interpretibus censent, illā responsionem nō esse
defensabilem. Sed profectò argumenta id nō conuincunt
& ideò ad primū negatur sequella, quia de ratione meri-
ti est, vt procedat à gratia, & ab homine grato, ita vt ac-
tus in ratione meritorij præsupponat gratiā saltē coa-
sistentem. Et ideò repugnat esse meritoriū primæ gra-
tiæ, & illā aliquo modo antecedere in genere moris, &
meriti. In casu autem argumenti, actus intensior vt sex
præsupponit in genere moris & meriti gratiam vt qua-
tuor, & hominem gratū, præcedit autem eiusdem gra-
tiæ intensionem in genere moris. Ad cōfirmationem 125
negatur, illā esse causam, quare primus actus contritio-
nis nequeat esse primæ gratiæ meritorius, sed quia qua-
tenùs illā antecedit, non habet vnde sit meritorius, cōtri-
tio enim vt sit meritoria debet informari gratia saltem
coasistente: at intēsio actus, vt antecedit intensionem habi-
tus, præsupponit gratiā, à qua habet meritorij rationem.

Ad

Digitized by Google

126 Ad secundum negatur, intensionem habitus in genere
causæ efficientis moralis præcedere, etenim causam
moralem effectiuam in præsentia vocamus causam me-
ritoriam. Et quia illud augmentum habitus nō est causa
meritoria augmenti actus, ideò non antecedit in genere
moris, sed vel dicitur causa Physica illorum graduum
meriti, qui sunt in actu charitatis, vel causa moralis, non
effectiua, & meritoria, sed veluti formalis, per habitudi-
127 nem ad quam tot gradus meriti desumuntur. Secundò
Resp. In actu charitatis meritorio vt sex, duo posse con-
siderari, & rationem meriti, & gradus meriti. Quantùm
ergo ad meriti rationem actus charitatis vt sex in illo
casu præsupponit gratiam, & habitum charitatis vt
quatuor, & ab illa dependet in quocumq; sit gradu, &
ad illum habitum refertur necessariò ratio meriti tan-
quam ad causam: gradus autem meriti non referuntur
ad gradus habitus gratiæ, & charitatis, sed ad Diuinum
auxilium actuale habitui gratiæ & charitatis superaddi-
tum: non enim est necessarium, vt ab eodem principio
desumatur ratio meriti, & gradus meriti, vt patet in me-
rito Christi, cuius ratio meriti desumebatur à gratia se-
cundùm gradus intensionis finita, gradus autem meriti
& infinitas à personæ dignitate, & infinitate ita propor-
tionabiliter in præsentia.

128 Secundò Resp. ad confirmationem principalem, quòd
ille actus intensior, quantùm ad gradus, quibus habitum
excedit, non est ab habitu, sed ab auxilio speciali: quod
quidem dupliciter potest intelligi. Primò, quòd habitus
non concurrat effectiuè, nec moraliter, nec Physicè ad
illos gradus intensionis, quibus superatur habitus ab
actu, sed voluntas cum auxilio speciali, ita vt volun-
tas, prout est charitate informata, producat actum, vt au-
tem actuata speciali auxilio modum illum & gradum
129 intensum. Secundò potest intelligi, quòd licèt habi-
tus charitatis minus intensus secundùm suam vim con-
sideratus nequeat actum intensiorem producere, tamen
speciali auxilio confortatus possit actum illum inten-
siorem producere, ita vt effectiuè concurrat habitus &
ad substantiam, & ad gradum etiam superantem. Cæte-
rùm substantiæ productio refertur ad habitum, gradus
verò intensionis ad auxilium speciale.

130 Hoc supposito ad replicam, quatenùs contendit, quòd
tunc homo eliciens actum charitatis intensiorem res-
pectu illius intensionis esset instrumentum Dei tantùm,
& non causa principalis, cùm non operetur per for-
mam, sed per actualem tantùm motionem, Resp. Vo-
luntatem habitu informatam concurrere vt causam
principalem ad substantiam illius actus, & ad eius inten-
sionem vt quatuor, in qua proportionatur habitui. Ad
alios autem duos gradus intensionis, quibus actus supe-
131 rat habitum, concurrere tantùm instrumentaliter. Neq;
est inconueniens, aliquod principium esse principale ali-
cuius operationis quoad substantiam, instrumentale ve-
rò quoad modum: sicut de operationibus meritorijs
Christi solet dici ab aliquibus, quòd voluntas humana
sit causa principalis quoad earum substantiam, instru-
mentum autem Verbi quoad valorem, dignitatem, &
infinitatem.

132 Secundò Resp. negando sequellam, quia vt homo di-
catur tanquam causa principalis operari actum inten-
siorem, satis est, quòd eliciat operationem proportiona-
tam habitui quoad ad substantiam actus, etsi propor-
tionata non sit habitui, quoad modum intensionis. Pro-
portio enim necessariò requisita inter causam & effec-
tum est quoad effectus substantiam, in qua effectus de-
bet suæ causæ assimilari. In gradu autem intensionis, &
modo, accidentaliter requiritur assimilatio, & propor-
tio, vt habitus ex se talem actum producat, non tamen
vt illum eliciat, nisi speciali auxilio confortatus.

Ad decimum negatur sequella, & ad probationem 133
Resp. Lumen gloriæ in eo casu quòd conferatur intel-
lectui, non collata gratia animæ, neq; alia forma, quæ
eius vicem suppleat, tunc tale lumen perficere & eleuare,
non solùm potentiam intellectus, verùm etiam ipsam
animæ essentiam, & vtriusq; esse formam, tribuereq;
vtriq. esse supernaturale, viuificareq; & potentiam, &
animam, tribuendo intellectui vitalitatem potentialem,
animæ verò essentialem: quæ vitalitas essentialis nihil 134
aliud est, quàm viuificatio essentiæ: vitalitas verò poten-
tialis est potentiæ viuificatio vita supernaturali. Et licèt
illud lumen sit immediatè in potentia, & veluti mediatè
in essentia, & priùs naturâ sit in potentia, quàm in essen-
tia animæ, considerato lumine in ratione qualitatis, in
ratione tamen viuificantis, seu viuificatricis virtutis,
priùs naturâ est in essentia animæ, quàm in potentia
intellectiua.

Ad primam confirmationem patet ex dictis, vitalita- 135
tem intellectus dimanare à vitalitate essentiæ animæ,
quatenùs lumen gloriæ in ratione viuificantis priùs na-
turâ afficit essentiam animæ, quàm potentiam intellec-
tiuam.

Ad secundam confirmationem Resp. Non esse ad vi- 135
uum resecandā cōparationem gratiæ ad lumen gloriæ,
cæterasq; virtutes, quasi essentiæ ad potentias. Licèt
enim communiter dicatur, gratiam habere se vt essen-
tiam, virtutes verò infusas vt potentias, non est adeò ri-
gorosè intelligendum, quasi virtutes sint propriæ pas-
siones, & potentiæ gratiæ, ab ea necessariò dimanantes,
sed quòd se habeant respectu gratiæ, veluti potentię res-
pectu essentiæ, ita vt sine illa secundùm legem ordina-
riam, vel esse non possint, vel saltem sint veluti violen-
tatæ, ad modum quo fides est in peccatore. Et ideò se- 136
cundum potentiam absolutam potest esse lumen glo-
riæ formaliter, etsi non sit gratia in anima, non tamen
sine eo, quòd anima esse supernaturale participet. Secun-
dò Resp. ad confirmationem, & ad totum argumen-
tum, potentiam formaliter esse non posse sine essentia
de lege ordinaria; at de potentia absoluta non repugna-
re, esse sine essentia in eo subiecto, cui potentia non
opponitur, nec repugnat illi vti tali potentia, neq; habi-
tus talis potentiæ ei repugnat. Et quando obiectum
potentiæ continetur sub latitudine obiecti illius sub-
iecti in quo recipitur, tunc enim non repugnat for- 137
maliter esse talem potentiam in tali subiecto sine essen-
tia: & ita se habet lumen gloriæ respectu intellectus, est
enim illius perfectio, non repugnans, nec secundùm
habitum, nec secundùm actum, & obiectum illius po-
tentiæ supernaturalis continetur sub obiecto specifi-
catiuo intellectus; & ideò non eodem modo habet
se lumen gloriæ respectu hominis sine gratia, sicut
intellectus respectu lapidis, vel bruti. Vltima respon-
sio nihil concludit contra nostram sententiam, cùm
teneamus, lumen gloriæ requiri vt potentiam, & non
vt habitum.

Digitized by Google

138 Ad vndecimum Resp. Lumen Solis non esse improportionatum potentiæ visiuæ noctuæ, secundùm suam speciem consideratæ, cùm sit eiusdem speciei cum potentia visiua aquilæ, sed per accidens, quatenùs est in tali subiecto improportionato. At Deus clarè visus est improportionatum obiectum cuicumque intellectui creato, & ideò indiget necessariò aliqua forma superaddita,
139 cui proportionetur. Secundò negatur fieri posse, vt noctua videat Solem, nisi aliqua virtute superaddita roboretur, aliàs talis visio non procederet vitaliter à potentia visiua noctuæ.

140 Ad duodecimum Resp. D. Thomam sic esse intelligendum, vt de potentia absoluta fieri possit, vt intellectus viatoris videat Deum sine lumine gloriæ per modum habitus, & permanenter, sed non sine lumine gloriæ per modum dispositionis transeuntis, quod lumen concessum fuit Moysi, & Paulo in raptu. Hoc autem lumen per modum dispositionis non repugnat simul esse posse cum dispositionibus viæ, nempe, cum habitu fidei, neq; extrahit videntem cum illo lumine ab statu viæ, nec constituit in termino; imò verò ipsum lumen hoc modo concessum, est dispositio viæ ad Deū videndum.

DVODECIMA DISPVTATIO.

1 AN Lumen gloriæ sit habitus in prima specie qualitatis, An potiùs sit potentia in secunda specie. Et quidem quòd sit habitus, & nullo modo potentia, probatur primò. Differentia essentialis inter potentiam & habitum in hoc consistit, quòd potentia est principium actionis simpliciter, in abstractione à bona, vel mala, conueniente, vel disconueniente, habitus verò est determinatè principium bonæ vel malæ actionis: sed lumen gloriæ non est principium actionis, & intellectionis in ea abstractione, sed visionis claræ perfectissimæ, atq; optimæ cognitionis: ergo non est potentia, sed habitus. Consequentia cum minori est manifesta. Maior similiter constat ex definitionibus potentiæ, & habitus traditis in prædicamento qualitatis, & aliàs.

2 Confirmatur. Potentia est omninò necessaria ad actum vtcumq; eliciendum erga suum obiectum; sed lumen gloriæ non est necessarium ad qualemcumque Dei cognitionem comparandam: ergo non est potentia.

3 Secundò. Si lumen gloriæ esset potentia, esset quidem vitalis; sed huiusmodi ratio illi repugnat: ergo. Maior patet, quia esset potentia ad Deum videndum, qui est actus vitalis. Sed probatur minor. Potentia vitalis ex sua ratione & definitione est potentia mouens se ad operandum, quæ est viuentis ratio, sed lumen gloriæ non se mouet in visione beatifica, cùm ipsum non videat, sed intellectus est, qui videt. Ergo.

4 Confirmatur. Potentia non aliter est vitalis, & viuis, nisi quatenùs consequitur animam, quæ est principium vitæ, intrinsecéq; illi adiungitur; sed lumen gloriæ non sequitur essentiam hominis viuentis, neq; est illi intrinsecum, sed ab extrinseco adueniens ex Diuina infusione: ergo.

5 Tertiò. Fides, Spes, & Charitas non sunt potentiæ in secunda specie qualitatis, sed habitus ad primam pertinentes, vt docent communiter Theologi. 1. 2. q. 51. & 62. & 63. cùm sint qualitates ad bonum determinatæ: Ergo lumen gloriæ est similiter habitus, & nō potentia. Patet consequentia ex paritate rationis, quia sicut visio clara excedit quoàd substantiā omnem facultatem naturalis potentiæ, ita & Fides, & Charitas: & sicut Fides & Charitas sunt ad bonum determinatæ, ita & lumen gloriæ est virtus ad optimum actum destinata.

6 Confirmatur. Gratia est habitus in prima specie qualitatis repositus: ergo & lumen gloriæ est habitus, & nō potentia. Antecedens est D. Thomæ 1. 2. q. 50. art. 2. vbi ait, gratiam esse habitum in essentia animæ. Et q. 110. art. 3. ad 3. inquit, gratiam esse in prima specie qualitatis, & non in secunda, quia non est naturalis, sed supra naturam, & quia non se habet ad bonum, & malum sicut potentiæ: quæ rationes eodem modo procedunt de cunctis habitibus infusis, & de lumine gloriæ. Consequentia autem probatur: quia lumen gloriæ comparatur ad gratiam sicut potentia vel proprietas ad essentiam, vt omnes fatentur; sed implicat, proprietatem habitus esse potentiam, cùm habitus disponat potentiam: ergo sicut aliæ proprietates dimanantes à gratia sunt habitus, & non potentiæ, ita & lumen gloriæ.

7 Quartò. Implicat contradictionem, quòd alicui naturæ addatur alia potentia, præter illas, quæ ab ipsa dimanant, præsertim vitalis potentia. sicut implicat, cogitatiuam hominis bruto communicari, & homini addi aliā potentiā intellectiuā, nempe, Angelicā: ergo implicat conferri homini potentiā supernaturalem vitalem, quæ sit lumen gloriæ, qua operetur vt causa principalis.

8 Confirmatur: quia si posset viuenti conferri aliqua potentia aliena, posset viuens per Dei potentiam eleuari ad aliquid operandum vltra totam sphæram suæ actiuitatis, tanquam causa principalis & potentia vitalis posset vltra latitudinem sui obiecti operari per nouæ potentiæ collationem, sicut aqua per additionem potentiæ calefactiuæ. Sed hæc omnia negātur à Theologis ergo.

9 Quintò. Si lumen gloriæ esset potentia, sequeretur, videntem Deum per lumen gloriæ, instrumentaliter videre, & non vt causam principalem: item sequeretur, lumen gloriæ in nulla specie qualitatis esse propriè, & directè, sed impropriè, & reductiuè: vtrumque autem consequens est falsum, vt ex dictis constat ergo. Probatur sequella ex D. Thoma infra q. 63. art. 2. asserente, ministrum operantem per characterem, quæ est potentia supernaturalis, quatenùs per potentiam supernaturalem, & non per habitum operatur, instrumentaliter concurrere ad effectus, & operationes sacramentales. Et ibidem asserit, characterem, quia est potentia supernaturalis, non constitui in secunda specie qualitatis, neq; in aliqua alia, nisi reductiuè & impropriè. Ratione probatur vtrūq;
10 Omnis potentia, quatenùs est in alieno supposito, & seiūcta ab illa essentia, à qua dimanat, est potentia diminuta, & instrumentalis: sed lumen gloriæ, si sit potentia in homine, non est in proprio subiecto ab illo dimanans, sed ab ipso Deo profluens, cuius solius est proprietas: ergo quatenùs est in homine est potentia imperfecta, & instrumentalis, sicut character, & potentia reductiuè in genere potentiæ.

11 Sexto probatur ex D. Thoma 1. p. q. 12. art. 5. ad primum, vbi ait, lumen gloriæ esse id, quo potentia fit potentior ad operandum tanquam per habitum. Vbi comparat lumen gloriæ habitui. Et rursus asserit non esse potentiam, sed præsupponens potentiam, neq; esse, quo fit, & constituitur potentia, vel intellectus potens ad operandum, sed potentior: quod pertinet ad

rationem

rationem habitus, perficere, scilicet, potentiam, eamque potentiorem reddere. Et 3. contra Gentes cap. 53. ait, lumen gloriæ esse dispositionem intellectus ad Deum videndum, cùm ergo sit dispositio difficile mobilis, verè erit habitus, & non potentia. Et q. 20. de Veritate art. 2. in corpore dicit, animam Christi vidisse Deum per habitum, quia vidit per lumen gloriæ permanenter concessum.

12 Nec dissoluitur argumentum, si dicatur, vtramque rationem & habitus & potentiæ contineri in ratione luminis gloriæ; nam quæ sunt dispersa in inferioribus, adunantur in superioribus, & supernaturalibus; & sicut Theologia est simul practica, & speculatiua, sic etiam nõ repugnat, lumen gloriæ simul esse, potentiam, & habitum. Hæc, inquam, solutio nihil valet; quia D. Thomas loco citato, infra q. 63. art. 2. Characterem Sacramentale, quãtũuis Sacramentale, excludit à ratione habitus, quia est potẽtia; ergo in supernaturalibus etiã ista repugnant respectu eiusdem.

13 Septimò. Lumen gloriæ est passio, vel passibilis qualitas: ergo neq; est potẽtia, neq; habitus, sed pertinet ad tertiã speciẽ qualitatis. Antecedẽs est D. Thomæ, qui interdũ lumen gloriæ vocat passibilem qualitatem, vt in beatis. Interdũ verò passionem trãseuntem, vt in Paulo in raptu; & probatur ratione. Lumen gloriæ est quædã lux, sed omnis lux reponitur in tertia specie: ergo.

14 Confirmatur. Habitibus vtimur, cùm volumus, in quo differt habitus à passibili qualitate, vt docet D. Thom. 1. 2. q. 78. art. 1. Sed actus luminis gloriæ sequitur necessariò ipsum lumen gloriæ, ita vt habens lumen gloriæ nequeat non vti illo, nec possit non videre Deũ; ergo lumen non est habitus, sed passibilis qualitas, vt lux visibilis, qua oculus illustratus necessariò videt.

15 Circa præsentem controuersiã nõ est cõcors Theologorũ sententia: Quidã dicũt, lumen gloriæ essentialiter esse potentiã, & nullo modo habitum: alij per oppositũ dicunt esse habitũ, & nullatenùs potentiã. Alij verò affirmant in sua ratione formali includere & rationem potentiæ, & habitus. Alij censent, simpliciter esse potentiã, habere tamen quendã habitus modũ; alij è cõuerso docent, simpliciter esse habitũ in prima specie qualitatis, habere tamen secundũ modũ potentiæ. Alij deniq; opinãtur, lumen gloriæ secũdum diuersas cõsiderationes in diuersis speciebus qualitatis reponi. nam si cõsideretur vt lumen quoddã, pertinet ad speciem tertiam qualitatis, & in beatis est passibilis qualitas; & in raptu Pauli fuit passio. Si verò cõsideretur in ordine ad subiectũ, in quo est, vt est virtus ad Deũ videndũ, reponitur in prima specie, & in beatis est sicut habitus, & in raptu Pauli fuit dispositio. Sic docet M. Soto in Logica cap. de Qualitate q. vnica. De alijs autem habitibus, Fide, & Spe, ait ad primam speciem pertinere, & charitatem tantùm ad secundam.

16 Pro explicatione sit Prima Conclusio. Valde probabile est, lumen gloriæ formaliter esse habitum, & potentiam. Hæc conclusio colligitur ex M. Soto in 4. d. 49. q. 2. art. 4. Et Medina 1. 2. q. 51. art. 3. Dubio 3. ad 4. vbi ait, in doctrina D. Thomæ virtutes infusas habere etiam rationem potentiarum, & non solùm habituum. Et probatur primò. In ratione formali luminis gloriæ continetur vtraq; ratio formalis, & potentiæ, & habitus: ergo lumen gloriæ est formaliter vtrumque. Antecedens probatur ex definitione potentiæ, & habitus. Lumen gloriæ est facultas ad Deum simpliciter videndum, sine quo intellectus creatus nullo modo potest Deum videre: quæ est definitio potentiæ: & rursus est facultas ad Deum optimè videndum, quæ est habitus ratio: ergo.

Secundò. Lumen gloriæ requiritur ad apprehendendam 17
Dei visibilitatem, & similiter ad rectè iudicandum; ergo est potentia & habitus. Consequentia patet; quia apprehensio saltem simplicium est actus potentiæ, vt potentia est; iudicium verò bonum est actus habitus. Item apprehensio abstrahit à bono, vel malo; iudicium autem est capax vtriusque; ergo quatenus lumen gloriæ deseruit apprehensioni, est potentia, in quantum verò deseruit iudicio bono, est habitus, & vtrumque formaliter.

Tertiò. Lumen gloriæ supponitur speciei intelli- 18
gibili, & vnioni Diuinæ Essentiæ in ratione speciei, & rursus præsupponit ipsam speciem, quatenùs cum illa concurrit ad operationem, quæ est actus: ergo est simul potentia & habitus. Consequentia patet: quia species intelligibilis præsupponit tantùm potentiam, non habitum; sed præsupponitur habitui. Rursus. Species intel- 19
ligibilis est actus primus potentiæ, & ita nullum actum alium præsupponit in potentia, habitus verò est velut actus secundus; ad illum aliquo modo pertinens: ergo lumen gloriæ, quatenùs præsupponitur speciei, est potentia, quatenus verò speciem præsupponit ad operationem, & aliquo modo illam sequitur, est habitus.

Quartò. Probabile est, fidem, & Theologiam esse ha- 20
bitus simul speculatiuos, & practicos, & vtrumq; formaliter: ergo probabile est etiam lumen gloriæ esse potentiam, & habitum. Est tamen aduertendum, quòd sicut practicum, & speculatiuum dupliciter sumuntur; primò, vt sunt differentiæ oppositæ scientiæ, vel habitus naturalis, in qua acceptione speculatiuum importat proximam operandi regulam, & non speculandi, & sic non continetur formaliter in ratione fidei, vel Theologiæ. Secundò, vt practicum importat proximum operandi principium, siue simul sit speculandi, siue nõ: & speculatiuum importet proximum speculandi principium, siue etiam sit principium operandi, siue non. Et in hac acceptione formaliter continentur sub ratione formali fidei & Theologiæ, secundùm probabilem sententiam.

Similiter rationes potentiæ & habitus possunt du- 21
pliciter sumi. Primò, vt sunt differentiæ oppositæ qualitatis naturalis, & sic sunt incompossibiles, includentes vna negationem alterius, nempe quòd potentia sit tantùm principium operationis simpliciter, siue bonæ, siue malæ, & quòd non sit ad bonum vel malum determinata: habitus verò importat operandi principium benè, vel malè, non simpliciter operandi. Secundò suman- 22
tur absolutè, vt potentia importet principium operandi simpliciter, ita vt sine illo nec benè, nec malè talis operatio fieri possit, siue simul sit principium rectè operandi, siue non. Et habitus similiter importet principium benè, vel malè operandi; siue simul sit principium simpliciter operandi; siue non: & in hac posteriori acceptione nulla videtur repugnantia, quòd formaliter conueniant lumini gloriæ, quod est principium videndi Deum simpliciter, & simul principium optimè viden-
di. Sed obijcies. Ergo lumen gloriæ in nulla specie 23
qualitatis est. Probatur, quia cùm formaliter sit habitus, & potentia, nec formaliter est in specie habitus, neq; in specie potentiæ; sed in alia superiori, quæ vtriusq; rationem includat; quæ tamen nulla est in prædicamento qualitatis. Respondetur cum Soto cap.

de qualitate, supernaturalia non poni directè & per se in prædicamentis, quæ sunt rerum naturaliũ coordinationes, sed reduci ad prædicamenta, ita docet D. Thom.
24 1.2. q. 110. art. 3. ad 3. Gratiam reduci ad primam speciem qualitatis. Quo fit, vt omnia alia charismata, quæ gratiam sequuntur, in prædicamento reductiuè ponantur. Neq; repugnat, vt idem formaliter ad diuersas species reducatur, præsertim quando est ordinis superioris ad tales species. Et ita lumen gloriæ reducitur ad primam & secundam qualitatis species iuxta istam sententiam.

25 Secunda Conclusio. Longè probabilius est, lumen gloriæ essentialiter esse potentiam, habere tamen quendam modũ habitus. Sic autem est intelligenda conclusio. Lumen gloriæ non est aliqua potentia omninò distincta ab intellectu, sicut voluntas, vel alia huiusmodi, ita vt sit alia potentia intellectiua eliciens visionem, vel sit potentia, vt ita dicã, in recto, quæ intelligat, & videat eo modo, quo dicimus intellectum intelligere, & visum videre: sed quòd sit quædã vis potentialis constituens intellectũ potentiã supernaturalem, ac proportionatã visioni beatificæ, ita vt intellectus lumine gloriæ informatus sit supernaturalis potentia in recto, ipsum verò lumen gloriæ sit potentia veluti in obliquo, idest, virtus potentialis. Vel intellectus illustratus lumine gloriæ sit potentia vt Quod, lumen autem gloriæ, vt quo potentia
26 constituitur. Sic explicata conclusio probatur primò quo ad primam partem. Lumen gloriæ est participatio quædam Diuini intellectus, cõstituens intellectũ creatũ in ratione Diuini intellectus, ac proportionans cũ Diuina visione, ergo constituit ipsum intellectum in ratione potentiæ intellectiuæ supernaturalis, siquidem efficit ipsum intellectũ supernaturalem, ac supernaturali intelle-
27 ctioni proportionatum. Secũdò. Lumen gloriæ est tota facultas, & potestas ad videndũ Deũ, quo posito homo est simpliciter potens Deum videre, & quo dempto nulla remanet potestas ad visionem eliciendã, nisi obedientialis, quæ est potentia secũdùm quid, & per non repugnãtiam: ergo lumen gloriæ simpliciter, & essentialiter est potentia, & nõ habitus. Cõsequentia patet, quia habitu dempto adhuc remanet potentia simpliciter; ergo si dempto lumine gloriæ nulla manet potestas, nõ est ha-
28 bitus essentialiter, sed potentia. Tertiò. Actus visionis beatificæ exigit non solùm habitũ supernaturalem, sed etiã potẽtiã supernaturalem; sed nihil est in beatis, quod possit habere rationem potentiæ supernaturalis, nisi lumen gloriæ; ergo illud est potentia ad videndũ Deum. Consequentia cũ minori patet: quia potentia obedientialis neq; est simpliciter supernaturalis, neq; potentia simpliciter, ac proinde nequit esse simpliciter propor-
29 tionata actui simpliciter supernaturali. Sed probatur maior. Ille actus est supernaturalis simpliciter, superãs omnẽ naturam, & omnia naturalia, siue sint habitus, siue potentiæ naturales; sed omnis habitus debet habere aliquã potentiã eiusdem ordinis, à qua procedat, nec minùs requiritur ad actũ supernaturalem eliciendum potentia, quàm habitus: ergo nõ minùs requiritur ad actũ supernaturalem potentia supernaturalis, quàm habitus super-
30 naturalis. Quartò. Actus visionis beatificæ quocũque modo, & in quacumque specie qualitatis cõsideretur, est supernaturalis secũdùm substãtiam, ergo vt est actus potentiæ, & in secunda specie qualitatis est supernaturalis, & ex cõsequenti indiget potentia supernaturali, quæ nõ est alia nisi lumen. Antecedens probatur, quia si secundùm aliquã cõsiderationem, & speciem illa visio nõ esset supernaturalis, vt sic non esset à gratia, neque donũ gratuitũ, quod est cõtra illud ad Rom. 6. "Gratia Dei vita æterna." Idest, visio, in qua vita æterna consistit, à gratia Dei est, donumq; gratuitũ. Item posset visio secũdum illã speciem elici viribus naturæ, atque adeò esset secundùm aliquam rationem naturalis, quæ omnia repug-
nant. Quintò. Lumen gloriæ nõ tãtùm requiritur ad meliùs videndũ Deũ, sed ad simpliciter videndũ ergo nõ 31
est habitus essentialiter, sed potentia. Antecedens patet, quia sine lumine gloriæ nullo modo potest Deus videri. Consequentia probatur ex differentia inter habitum, & potentiã, quòd habitus cõfertur ad benè vel malè, potentia verò ad simpliciter operãdũ. Cõfirmatur. Actus 32
nõ sortitur ab habitu substãtiã, sed modũ tantùm, nempe, quòd prõptè, faciliter & delectabiliter fiat, à potentia verò habet substãtiã; sed actus visionis beatæ habet substãtiã à lumine gloriæ, & nõ tãtùm modum; cùm sit supernaturalis & quoad modũ, & quò ad substantiam; ergo.
Sextò. Visio beatifica, quatenus est actus vitalis, exigit 33
aliquã potentiam vitalem supernaturalem; sed nulla est alia nisi lumen; ergo. Maior probatur. Visio beatifica est vitalis vitalitate supernaturali; imò est ipsa vita æterna, iuxta illud Ioan. 10. "Ego vitam æternam do eis." Vbi nomine vitæ æternæ significatur visio iuxta illud Ioan. 17. "Hæc est vita æterna, vt cognoscant te &c." Sed actio vitalis vita supernaturali, æterna, & Diuina, non potest habere vitalitatem à potentia naturali vitali, eoq; ab illa; ergo exigit necessariò potentiã vitalem supernaturalem. Cõfirmatur. Si visio beatifica, inquan- 34
tùm actus vitalis, nõ esset à potentia vitali supernaturali, sequeretur, visionem illã, prout est vitalis, non esse à gratia, & speciali dono Dei: sed consequens est falsum; vt patet ex dictis, ergo. Probatur sequela, quia si à potentia naturali habet visio, quòd sit vitalis, haberet vitalitatem à natura, & nõ à gratia. Secũda pars cõclusionis, nem- 35
pe, quòd lumen gloriæ habeat modũ habitus, probatur primò, quia determinat potentiã intellectiuã ad quoddã eius particulare cõtentum sub tota latitudine obiecti intellectus. Secũdò, quia perficit potentiã intellectiuam. Et argumenta initio disputationis proposita efficaciter probant hanc partem: sed quatenus procedunt contra primam, soluenda sunt.

Ad primum igitur argumentũ cũ sua confirmatione 36
Resp. Lumini gloriæ cõpetere illã rationem potentiæ, quia nõ tãtùm est principiũ benè videndi Deũ, sed etiam simpliciter videndi, ita vt sine illo intellectus creatus nullo modo, neque etiam imperfectè possit Deũ intueri.
Secũdò Resp. Lumen gloriæ nõ esse potentiã intelle- 37
ctiuã Dei in sua vniuersalitate, tunc enim esset necessariũ ad Deũ vtcũque cognoscendũ, sed est potentia visiua Dei, & ideò est necessariũ ad Deũ vtcũq; videndum, & simul est principiũ visionis simpliciter, & optimæ visionis, ac proinde simul est potentia, & habitus. Potentia quidem, simpliciter & essentialiter, habitus verò modaliter. Ad secundum negatur, rationem potentiæ vitalis repugnare lumini gloriæ. Et ad probationem Resp. de ratione potentiæ vitalis, Quæ, esse, vt se moueat, de ratione autẽ potentiæ vitalis, vt Qua, non esse, vt se moueat, sed quod sit totalis virtus constitutiua potentiæ se mouentis, &

& sic se habet lumen gloriæ, est enim virtus cōstitutiua intellectus in ratione potentiæ mouentis se in visione
38 beatifica. Ad confirmationem Resp. Lumen gloriæ, etsi non dimanet ex essentia animæ, fluere tamen à gratia habituali, quæ est forma vitalis, cùm sit participatio Diuinæ naturæ viuentis, resideatq; in animæ essentia, & ipsam viuificet. Et ideò lumen gloriæ viuificans potentiam intellectiuam, ex supernaturali vita essentiali dimanat, idest, ex vita, quæ est in essentia animæ, & participatione Diuinæ Essentiæ: est enim lumen gloriæ
39 participatio quædā Diuini intellectus. Secundò Resp. quòd vt sit vitalis illa potentia, quæ non est, Quæ, sed non aliud constituitur in esse potentiæ, quæ potiùs est virtus potentialis, quàm potentia, non requiritur, vt actu dimanet ab aliqua forma, sed satis esse, vt aptitudine ab illa dimanet: & hoc tantùm est de ratione formali illius. Et huiusmodi potentia est verè vitalis, nō quatenùs cōsequitur actu vitalem formā, sed vt apta nata est illā sequi: & in sua natiua dispositione illā semper cōsequitur, & quatenùs potentiā aliā vitalem cōplet, & perficit, proportionatamq; reddit alicui, sub latitudine proprij obiecti contento, constituitq; potentiā viuentem vita su-
40 pernaturali. Ad tertium negatur antecedens, nā si lumen gloriæ est potentia, idem dicendum est de fide, spe &c. Vocantur autem à Theologis habitus, quia habent
41 modum habituum. Ad confirmationem Resp. primò non repugnare, propriam passionem habitus esse potentiam, vt si facilè, vel difficilè mobile nō sint differentiæ dispositionis, & habitus, vt quibusdā placet, sed proprietates, certè mobilitas, & immobilitas essent propriæ passiones dispositionis, & habitus, & tamen pertinent ad secundā speciem qualitatis, & tunc habitus supponeret potentia, cui inest, nempe, potentiā subiectiuam, & potentiam substantiæ immediatè ab essentia substantiali dimanantem, nō tamen potentiam dimanantem ab essentia acidentali, & præcipuè hoc habet locū in habitibus supernaturalibus, supponunt enim potentiā naturalem, sed non est necesse, supponant potentiā supernaturalem, sed vel illā cōstituāt, vel ab illis dimanet. Quare, etsi gratis cōcedamus esse habitum, imò verò, quamuis esset in aliqua potentia, nō inde sequitur, quòd ab ea non dimanent potentiæ supernaturales in secunda specie qualita-
42 tis repositæ. Secundò Resp. Gratiam directè, & per se primò non esse potentiam, neq; habitum, quia vtraque ratio & potentiæ, & habitus supponit naturam, & essentiam, cuius sit potentia, quam perficiat. Si sint potentiæ, & habitus naturales, supponūt essentiā & naturam naturalem, supernaturales verò supernaturalem naturam: vt docet D. Thomas. 1.2.q.49. art.2. & 3. Est ergo gratia quædā essentia & natura, quoddamq; Diuinæ Naturæ
43 participiū. Et sicut Diuina Natura in nullo prædicamento collocatur: sic etiā & gratia: sed quoniā rebus naturalibus superadditur, ideò quatenùs est principiū mediatū simpliciter operādi supernaturalia opera, ad secūdā qualitatis speciem reducitur. Quatenùs verò est principium rectè operandi, ad primā speciem. Neq; est eadem ratio de alijs habitibus infusis, quia alij supponunt naturā gratiæ, respectu cuius sint naturales potentiæ, gratia verò nullam aliā naturā in subiecto præsupponit, cuius sit potentia naturalis, sed ipsamet est natura supernaturalis, à
44 qua potentiæ supernaturales dimanant. Ad quartum Resp. potentiam omninò distinctā non ordinatam ad aliquod obiectū cōtentū sub latitudine obiecti potētiæ, naturalis ac proprij, & similiter potentiam, Quæ, superaddi non posse alicui naturæ: ac potentiam ordinatā ad aliquid contentū sub latitudine obiecti naturalis potentiæ vitalis, ita potentiam, Qua, nō repugnat superaddi, quia hæc est perfectio, & veluti cōplementum potentiæ
naturalis. Ad cōfirmationem negatur vtraque sequela, 45
quia tantùm possunt superaddi potentiæ vitales ordinatæ ad aliquid cōtentū sub latitudine obiectorū naturalium potentiarum, quibus tales potentiæ superadduntur. Ad quintū negatur prima sequella, & ad priorem
probationem Resp. Characterem esse principiū instru- 46
mentale, non quia est supernaturalis potentia, sed quia est potentia ordinata ad aliquid nō cōtentū sub tota latitudine obiecti, illius subiecti in quo est. Et ideò nequit illa potentia in homine esse cōpleta, & perfecta, sed inchoata, & ministerialis. At illa potentia, quæ ordinatur ad aliquid contentum sub latitudine obiecti, illius, in quo residet, est perfectū principiū, ac principale, & simul potentia essentialiter, & habitus saltem modaliter. Et hu-
iusmodi est lumen gloriæ. Secundò Resp. Potentiam, 47
quæ dūtaxat est potentia supranaturalis, esse instrumentale principiū: quæ verò simul est habitus saltem modaliter, esse principium principale. Ad secundam probatio-
nem Resp. quòd illa potentia, quæ aliam præsupponit, 48
respectu cuius non est alia potentia omninò distincta, sed veluti illius virtus & cōplementū, illā eleuans, & proportionatā reddens cū aliquo cōtento sub latitudine sui obiecti, quo pacto se habet lumen gloriæ respectu intellectus, talis potentia potest esse formaliter in ratione potentiæ etiam ab essentia seiuncta, & in tali subiecto erit principalis causa actus. Neq; tūc censetur esse in subiecto omnibus modis alieno cōparata illa supernaturalis potentia in ordine ad proprium obiectū, cùm contineatur obiectū luminis gloriæ sub obiecto specificatiuo intellectus, sed est in subiecto, quod eleuat; & proportionatum reddit obiecto antè improportionato, à quo tamen spe-
cificatur. Ad secundā sequellā respondet M. Soto cap. 46
de Qualitate dicens, in prædicamento qualitatis tantùm cōstitui directè qualitates naturales: supernaturales verò reductiuè, nō quia imperfectiores, sed potiùs quia sublimiores, & sicut Deus non est in Cathegoria, sic etiā neq; istæ qualitates, neq; propriè legibus prædicamentalibus subduntur. Quocirca supernaturalia nō reducūtur ad rerū naturalium prædicamenta, tāquā ad entia perfectiora, sed tanquā id, in quo propter sui eminentiam nō reperitur ratio prædicamentalis omnimoda, ad id, in quo inuenitur illa ratio magis cōpleta & perfecta. Non enim est perfectio simpliciter esse in prædicamento, aliàs in Deo reperiretur, & ideò non est inconueniens, quòd exactiori, ac cōpletiori modo reperiatur in re minùs perfecta. Secundò Resp. negando 50
sequellā, quia hoc est peculiare characteri, ex eoquòd est potentia instrumentalis, & ministerialis, non esse directè, sed reductiuè in secunda specie qualitatis. At verò lumen gloriæ, cùm sit principiū principale sui actus, directè & per se reponitur in secunda specie qualitatis. Ad 51
sextum Resp. D. Thomam in primo loco citato asserere, lumen gloriæ esse necessarium ad hoc, vt intellectus fiat potens ad intelligendū per modum, quo potentia sit potentior ad operandum per habitū, vbi in eo quod dicit, lumine gloriæ fieri intellectum potentem, designat

essentialem rationē potentiæ in lumine gloriæ, quæ est
potentem efficere. Cùm verò addit, per modum, quo po-
tentia fit potentior per habitum, designat habere modū
52 habitus. Eodem modo intelligitur locus ex 3. contra
Gentes, quòd cùm lumen gloriæ habeat modū habitus,
vel dispositionis, dicitur dispositio, quàuis sit potentia.
Similiter ad locū ex q. de Veritate Resp. Ibi concludere
D.Thomā, lumen gloriæ in Christo fuisse non per mo-
dū passionis, vt in raptu, sed vt habitū, vbi insinuat, mo-
53 dū habitus habere. Ad replicam Resp Potentias super-
naturales superuenientes naturalibus potentijs esse in
duplici differentia, nā quædā ordinantur ad aliquid non
contentū intra latitudinem obiecti naturalis potentiæ,
& huiusmodi sunt meræ potentiæ, & nullo modo ha-
bitus, qualis est character Sacramentalis. Aliæ verò
ordinantur ad aliquid contentum intra latitudinem
obiecti naturalis potentiæ, & huiusmodi sunt po-
tentiæ, & habitus formaliter, vel saltem modaliter.
54 Et tale est lumen gloriæ, fides, spes, charitas &c. Item
Resp. In qualitate supernaturali, quæ est principiū prin-
cipale sui actus, has duas rationes potentiæ & habitus re-
periri posse, vnā formaliter, alterā verò modaliter. In ea
autem, quæ tantùm est instrumentale principiū, nequit
habitus ratio reperiri, quia habitus est principiū princi-
pale: & ideò character excluditur à ratione habitus, quia
cùm sit destinatus ad actū nullo modo cōtentum intra
sphærā actiuitatis potentiæ naturalis, cui inest, est vis ins-
55 trumentalis. Ad septimum negatur antecedens,
neq; D. Thomas oppositū docet, sed tāntùm vult, lumen
gloriæ interdū habere modū passionis, quatenùs est fa-
cilè trāsiens, vt in raptu, interdū verò modū formæ per-
manentis, vt in beatis. Neq; omnis lux reponitur in ter-
tia specie qualitatis, sed corporalis tantum, spiritualis
56 verò in prima, vel secunda specie qualitatis. Ad con-
firmationem respōdet M.Medina 1.2.q.78.art.1.Dubio
1.ad 3.& q.49.art.2.in fine, visionem Dei claram esse ac-
tum necessarium non ratione habitus luminis gloriæ,
sed ratione Diuinæ præsentiæ propter necessariam, atq;
intimam obiecti applicationem, illa enim necessitas,
non habitus: quare ille actus visionis est necessarius ab
extrinseco propter obiecti applicationem &c.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm Christus habuerit scientiam inditam vel infusam.

Conclusio est affirmans. *Oportet in Christo
ponere scientiā inditā, vel infusam.* Probatur
in argumento sed cōtra ex illo ad Colos.2. *In
Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei.*
In corpore probatur hac ratione. Oportet ponere in
57 Christo intellectū humanū possibilem, perfectū specie-
bus intelligibilibus, impressis per Verbum Dei animæ
Christi sibi vnitæ personaliter ad omnia intelligibilia,
ad quæ intellectus humanus est in potentia, ergo ponen-
da est in eo scientia infusa. Antecedens probatur. Natura
humana assumpta à Verbo, assumpta est perfecta cum
perfecto intellectu sed intellectus esset imperfectus, nisi
fuisset in actū reductus per species intelligibiles impres-
sas, videlicet, infusas, ergo. Maior patet ex supradictis
art. 1. huius quæstionis: minor verò probatur. Omne
quod est in potentia ad aliquid, est imperfectum, nisi re-
ducatur in actum; sed intellectus possibilis humanus est
in potentia ad omnia intelligibilia, & ad hæc reducitur
in actum per species intelligibiles, sunt enim hæ formæ 58
completiuæ, & perfectiuæ intellectus, vt docet Aristoteles
3. de Anima text. 32. & 38. Et quidē si intellectus Christi
has species non haberet impressas, cùm primùm est as-
sumptus à Deo, fuisset assumptus imperfectus. Secundò
probatur. In Angelis ex August. lib. 2. super Genesim ad
literā cap. 8. sunt impressæ species per Verbū, ergo simili-
ter in Christo præter scientiā increatā debuerūt imprimi
species, quibus res in propria specie cognosceret, quæ
cognitio dicitur infusa, seu indita. Cōfirmatur, quia ex
eodē August. lib. 11. de Ciuitate Dei, cap. 7. & lib. 4. super
Genesim cap. 24. in Angelis ponitur duplex cognitio, al-
tera, per quam cognoscunt res in Verbo, & dicitur ma-
tutina; altera, qua vident res in seipsis, & dicitur Vesper-
tina, qua per species sibi à principio inditas, vel infusas,
naturas rerum in eis ipsis agnoscunt; ergo similiter in
Christo, præter scientiam beatam, qua cognoscit Ver-
bum, & res in Verbo, ponenda est scientia indita, siue in-
fusa, qua videat res in propria natura per species intelli-
gibiles humanæ menti proportionatas. Est primum
argumentum D. Thomæ. Cognitio perfecta excludit
cognitionem imperfectam, sicut visio clara & facialis
excludit ænigmaticam visionem fidei, vt patet 1. ad Co-
rint. 13. Sed in Christo fuit cognitio perfecta per scien-
tiam beatam, ad quā omnis alia scientia cōparatur sicut
imperfectū ad perfectū, ergo non est ponenda cognitio
per scientiā inditā vel infusam. Negat D. Thomas cōse-
quentiā, quia visio imperfecta fidei in sui ratione inclu-
dit aliquid oppositum claræ visioni, quia de ratione fi-
dei est, vt sit de non visis, vt ostenditur 2.2.q.1.art 4. Sed
cognitio quæ habetur per scientiā inditam, seu infusam
nihil includit oppositum cognitioni beatæ, & ideò non
est par vtriusq; ratio. Secundum argumentū est. Om-
nis cognitio creata cōparatur ad cognitionem beatam,
sicut imperfectū ad perfectum, & sicut dispositio ad ter-
minum; sed in Christo fuit cognitio beata: ergo non est
ponenda in eo alia cognitio. Patet consequentia; quia
habita perfectione, non est vlteriùs necessaria dispositio,
sicut habito termino, non est necessarius motus. Maior
autem probatur: nam imperfectior modus cognitionis
disponit ad perfectiorem, sicut opinio, quæ est per Syllo-
gismum Dialecticum, disponit ad scientiam, quæ est per
syllogismum demonstratiuum. Respondet distinguen-
do maiorem. Dispositio habet se ad perfectionem, sicut
via ad perfectionem ducens, vel vt effectus ab ea proce-
dens, quæ remanet adueniente forma, sed manet tan-
quam effectus formæ: sicut lignum disponitur per calo-
rem ad suscipiendam formam ignis, qua quidem in lig-
num introducta, non cessat calor, sed perseuerat in lig-
no, quasi effectus quidam formæ ignis. Similiter opinio
ex syllogismo Dialectico causata est via ad scientiam
per demonstrationem, qua tamen acquisita potest ma-
nere cognitio per syllogismum Dialecticum, quasi con-
sequens scientiam demonstratiuam, quæ est per causam,
nam qui cognoscit causam, potest magis cognoscere
signa probabilia, ex quibus syllogismus Dialecticus pro-
cedit. Eādem ratione in Christo manet scientia indita
cum scientia beata, non quasi via ad acquirendam scien-
tiam beatam, sed vt effectus, & per beatificam cognitio-
nem confirmata.

Est

Digitized by Google

56 Est tertium argumentum. Materia corporea nõ po-
test simul recipere duas formas sensibiles, vnam perfec-
tiorem, & aliam minùs perfectam; ergo neq; intellectus
potest simul recipere duplicem scientiã, vnam perfectio-
rem, & aliam minùs perfectã. Negatur cõsequentia, quia
cognitio beata nõ fit per speciẽ, sed immediatè per hoc
quòd Diuina Essentia vnitur, sicut intelligibile intelli-
genti. Vnde nihil prohibet, quin cum hac forma super
excedente simul insint intellectui species intelligibiles
suæ naturæ proportionatæ.

Commentarius.

1 PRO intelligentia conclusionis aduertendũ est,
scientiã inditã, & infusam cõuenire in hoc, quòd
neutra illarũ acquiritur industria, & labore crea
turæ. Distinguuntur tamen, si propriè & formaliter istæ
voces vsurpentur, nã illa vocatur scientia indita in rigo
re, quæ naturã, in qua est, cõcomitatur, veluti proprietas
naturalis, & quæ eàdem actiòne cõproducitur, qua sub-
iectũ naturale, in quo est, tanquã complementũ perfec-
tiuũ talis subiecti: & hoc modo species intelligibiles An-
geli infusæ dicuntur inditæ. Scientia autem infusa for-
maliter loquendo dicitur illa, quæ neq; ex proprijs viri-
bus naturæ est acquisita, neq; ex vi naturæ illã conco-
2 mitatur, sed aduenit subiecto, Deo illam infundente. Sic
Caietanus in hoc commentario. Scientia primi generis
est scientia Angelorũ: scientia verò secundi generis fuit
collata Adæ in sua creatione, quia illa scientia non se-
quebatur ex vi naturę hominis, neq, eàdem actione, qua
eius anima est creata, sed alia distincta, per quam Deus
author supernaturalis gratiæ infudit omnes virtutes, &
dona supernaturalia, quãuis talis infusio ipsum Adamũ
3 fuerit comitata. Secundò aduertere oportet, scientiã
infusam esse in duplici differentia, quædã est infusa per
se, alia verò per accidens. Per se infusa est, quæ virtute na
turali creaturæ haberi non potest, sed à solo Deo causa-
tur: & hæc dicitur infusa simpliciter, & absolutè. Alia est
infusa per accidens, quæ viribus ingenij humani acqui-
ri potest, de facto tamen non acquiritur, sed Deus illam
per se infundit ex priuilegio. Et propterea dicitur scien-
tia infusa per accidens, & talis fuit scientia infusa Adæ.
4 Sciẽtia infusa per se est ordinis supernaturalis & Diuini
omninò, quia viribus naturæ nullo modo comparari
potest. Scientia verò infusa per accident, & secũdũ quid,
est simpliciter ordinis naturalis, quia natura in se suffi-
cient habet principium ad illius productionem, & prop
tereà dicitur infusa per accidens, quia viribus naturæ est
per se acquisibilis. Ideò verè dicunt Theologi, scientiam
infusam per se nõ esse eiusdem speciei cũ per se acquisi-
ta, infusam verò per accidens esse eiusdem rationis &
5 speciei cum per se acquisita. Prætereà scientia infusa,
si propriè infusa dicatur, etiam infusa per accident, est
aliquo modo supranaturalis, saltem ex parte principij
causantis illam. Scientia verò indita nullo modo est su-
pranaturalis, neq; ex parte obiecti, neq; ex parte princi-
pij. Vnde scientia infusa Christi potiùs est dicenda infu-
sa, quàm indita; quia nõ fuit debita naturę animæ Chri-
sti, sed fuit simpliciter supernaturalis: licèt aliquo modo
possit dici indita, quia concomitatur naturam animæ
Christi, & est ei veluti naturalis, cõsiderata vnione, quã
anima Christi cum Verbo habuit. Et ita D. Thom. mo-
dò vocat eam infusam, modò inditã, vt ostendat vtroq;
modo posse dici secundùm diuersas considerationes, li-
cèt vno modo propriè, altero non ita.
Cõclusio igitur D. Thomæ sic est intelligenda, quòd 6
in Christo fuerit scientia per se infusa, qua cognouit
omnia, quę lumine naturali, & Diuina reuelatione pos-
sunt cognosci, prout supremo capiti hominũ & Ange-
lorũ congruũ erat. Non tamen est adeò certa cõclusio,
vt oppositum sit temerariũ: est enim in opinione Theo
logorum, An scientia infusa Christi fuerit per se, vel per
accidens infusa. Vnde quod asserit M. Medina in hoc arti
culo conclus. 2. esse temerariũ negare Christo scientiam
infusam, quia omnes Theologi oppositũ docent, si in-
telligatur de scientia infusa per se, falsum est, quia non-
nulli Theologi solùm tribuũt Christo scientiã infusam
per accidens, vt Bonauentura in 3. d. 14. art. 3. q. 1. & 2.
Alexander Alensis 3. p. q. 13. membro 1. & 2. & ferè om-
nes nominales, vt Almain, Gabriel, & alij in 3. d. 14. Ne- 7
gare igitur omnem scientiã infusam in anima Christi,
esset quidem erroneum, quia scientia beata etiam est
infusa. Negare verò scientiã supernaturalem & per se in-
fusam distinctam à beata, est quidem falsum; & minùs
probabile, sed nullam meretur grauiorem censurã, ma-
ximè in eorũ sententia, qui in Christo constituunt scien
tiam per accidens infusam ab instanti suæ cõceptionis.
Itaque licèt oppositum conclusionis non sit temerariũ, 8
est tamen verissima cõclusio, & ad Christi Domini dig-
nitatem pertinens. Et probatur primò ex illo Ieremiæ
11. *Non secundùm visionem oculorũ iudicabit, neque
secundũ auditũ auriũ audiet.* Quod ad literã de Chris-
to intelligitur, & est sensus, quòd iudicabit pauperes non
secũdùm ea, quæ foris apparent per sensus exteriores, sed
secundùm cognitionem, quam habent internam, ex alio
principio infallibili causatam, per quam cognoscit in-
teriora cordis nostri. Hæc autem est cognitio, & scien-
tia infusa, nam interiora cordis per scientiam acquisitã
cognosci non possunt; sed per scientiam infusam infalli
biliter cognoscuntur. Secundò probatur ex illo ad He- 9
bræos 10. addducto ex Psalm. 39. vbi Paulus de Christo
ait. *Ingrediens mundum dicit, hostiã & oblationem
noluisti, corpus autem adaptasti mihi: tunc dixi, ecce ve-
nio. In capite libri scriptum est de me &c.* Significans
in ipso ingressu in mundum, qui factus fuit per Incarna-
tionem, cognouisse Christum volũtatem Patris, & mys-
teria nostræ redemptionis, & voluntariè obtulisse suam
vitam pro hominum salute. Hæc autem omnia fieri
non poterant à Christo, inquantùm est homo, nisi su-
pernaturalem eorũ cognitionem haberet, quę sanè cog
nitio, cùm nõ potuerit esse fidei, neq; deberet esse beata,
colligitur, quòd fuerit verè infusa. Ex quo loco etiã in- 10
fertur, Christum habuisse scientiam infusam ab instãti
suæ conceptionis. *ingrediens mundũ &c.* Item cõs-
tat ex eo, quòd scientia infusa sequitur ex vnione, tan-
quam ex prima, & immediata radice, vnde posita vnio-
ne, nõ erat illi scientia differenda. Tertiò probatur cõ- 11
clusio ex illo ad Colos. 2. *In quo.* Scilicet, Christo,
Sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ abscõditi.
Defuisset autem aliquis thesaurus scientiæ Christo Do-
mino, si scientiam infusam non haberet. Item probatur
ex illo Isaiæ 7. Butyrũ & mel comedet, vt sciat repro-
bare malũ, & eligere bonũ.* Vbi Hieronymus. *Ad-
huc puer hoc sciet.* Sed pro tunc non sciuit per scien-
tiã acquisitã; ergo per infusam. Et cap. 11. *Requiescet

12 super eum spiritus Dñi; spiritus sapientiæ & intellectus
&c.* Qui locus nõ solum intelligitur de donis Spiritus
Sancti, sed etiã de sapientia, & scientia, quæ Christo pro
suo statu conueniebat. Vnde Lucæ 2. cùm puer Iesus duo-
decim esset annorũ, & sedens in templo in medio Doc-
torũ scripturas interpretaretur, omnes stupebant super
prudentia, & responsis eius. Et Ioan. 7. quidam interroga-
bant. *Vnde hic literas scit, cùm non didicerit.* Ex
quibus locis probabiliter colligitur, fuisse in Christo
scientiã per se infusam. Sed efficaciter id nõ cõcluditur,
quia posset aliquis dicere, omnes istos effectus, vel de-
mõstrationes sapientiæ dimanare potuisse ex sola scien-
tia beata. Sed probatur conclusio rationibus probabili-
13 bus, & pro qualitate materiæ sufficientibus. Durãdus
in 3. d. 14. q. 3. & 4. probat, quia secũdùm Dionysiũ c. 7.
cælestis Hierarchiæ, Christus inquantùm homo docuit
Angelos, quod non fecit per scientiã beatã, cùm omnes,
siue homines, siue Angeli immediatè erudiantur à Deo;
ergo per scientiã infusam. Sed hæc ratio friuola est, &
merito displicet M. Medinæ, etsi rationem displicentiæ
nõ assignet. Ratio tamen est, quia licèt omnes beati im-
mediatè erudiãtur à Deo per scientiã beatã, quãtùm ad
cõmunicationem talis scientiæ; at cùm beatitudo in om
nibus nõ sit æqualis, & vnus in Verbo plus videat, quàm
alius, qui plus videt, poterit illud reuelare non videnti, id
14 permittente Deo. Secũdò probat Durandus. Sicut se
habet gratia ad volũtatem, sic se habet scientia ad intel-
lectum; sed in Christo fuit plenitudo gratiæ creatæ per-
ficientis illius voluntatem, nõ solùm per ordinem ad ac
tus patriæ, sed etiã per ordinem ad actus viæ; ergo simi-
liter fuit in eo plenitudo scientiæ creatæ nõ solũ ad ac-
tus patriæ, quæ est visio, sed ad actus viæ, quæ est cogni-
15 tio rerũ in proprio genere. Hæc ratio non placet Medi-
næ, quia, inquit, posset aliquis dicere, sat esse scientiã bea-
tã intellectui Christi, quæ longè excellit infusam. Sed
hæc ratio Medinæ multò magis mihi displicet, nã quòd
scientia beata excedat scientiã infusam, non tollit, quin
etiã hæc sit in Christo, quia illa non est rerũ in proprio
16 genere, sicut hæc. Tertiò probatur. Hæc scientia infu-
sa est possibilis animæ Christi, pertinens ad perfectionẽ
debitã suæ naturæ, & illi necessaria, ergo habuit illã. Pri-
ma pars, scilicèt, quòd fuerit possibilis, est euidens, quia
nulla ratio potest assignari oppositæ impossibilitatis;
res enim perfectiùs possunt intelligi, quàm intelliguntur
per species acquisitas, & à sensibus acceptas, nã per huius-
modi species nõ cognoscuntur res, prout sunt in seipsis:
ergo cõmunicari potest intellectui humano cognitio,
qua res cognoscat, prout sunt in seipsis. Hæc autem cog
nitio est scientiæ infusæ per se: nã quæcũq; scientia mi-
nisterio sensuũ acquisita, alligata est formis sensibilibus;
atq; adeò res, quatenus sunt in se, attingere non potest.
17 Secunda pars probatur: quia ad perfectionem animæ
Christi pertinet non solùm cognoscere res in Verbo, sed
etiam in proprio genere, prout sunt in seipsis, & indepen
denter à sensibus; hic enim modus cognoscendi perfec-
tionem maximã importat; ergo non debuit denegari
animæ Christi. Tertia pars probatur: nam Christus non
solùm fuit cõprehensor, sed etiam viator, & capax meri-
ti; sed in hoc statu necessariũ fuit habere aliquam super-
naturalem cognitionem, in qua eius meritum fundare-
tur, quæ cũ beata esse non posset, vt constat, neq; fidei,
quia hanc non habuit, relinquitur, quòd fuerit infusa;
ergo fuit illi necessaria scientia infusa. Quartò Chris- 18
tus in sacris literis dicitur plenus sapientiæ eo tempore,
quo sapientiã acquisiuisse nõ poterat humano labore, &
industria, vt cõstat ex testimonijs adductis; ergo habuit
scientiã infusam. Præterea probatur ratione D. Tho- 19
mæ in corpore articuli, desumpta ex perfectione intel-
lectus humani Christi, qui debuit esse perfectus, & plenus
speciebus intelligibilibus. Sed hæc ratio multipliciter
deficere videtur. Primò, quia licèt intellectus eius non 20
fuisset perfectus speciebus infusis, nõ sequitur quòd fuis-
set imperfectus priuatiuè, de qua imperfectione loquitur
D. Thomas, quia perfectio per tales species non est de-
bita naturæ humanæ Christi, cùm sit supra illam. Secũ- 21
dò, quia ex hoc quòd intellectus humanus sit in potentia
ad species, & per illas in actũ reducatur, non sequitur, ta-
les species infusas esse debere. Tũ, quia intellectus huma-
nus optimè perficitur per species naturales acquisitas:
tum etiã, quia intellectus nõ est in potentia nisi ad spe-
cies naturales, loquendo de potentia naturali, de qua lo-
quitur Aristoteles loco citato à D. Thoma. Tertiò, 22
quia cùm asserit D. Tho. intellectũ humanũ esse in po-
tentia ad intelligibilia, vel loquitur de potentia natura-
li, vel de obedientiali, si de naturali, nihil concludit, quia
naturalis potentia ad intelligendum non perficitur nisi
per species naturaliter acquisitas. Si verò loquatur de po
tentia obedientiali, nulla est consequentia, quia huius-
modi potentiã nõ oportet cõpleri, aut perfici, neque est
possibile: ergo. Nihilominùs ratio D. Thom. est optima 23
inter omnes, quæ adduci possunt ad confirmandã con-
clusionem. Vnde ad primã obiectionem Resp. quòd licèt
perfectio per species infusas nõ sit debita naturæ huma-
næ Christi absolutè, est tamen illi debita propter vnio-
nem, sicut scientia beata naturaliter est debita Deo abso
lutè, animæ verò Christi est debita naturaliter, prout est
vnita Verbo: & sicut scientia infusa, vel indita absolutè
est naturalis Angelicæ naturæ, animæ verò Christi est
debita naturaliter, nõ quidem absolutè, sed quatenùs Ver
bo est personaliter vnita, vt indicat D. Tho. art. sequente
ad 3. Præterquã quòd licèt scientia infusa nõ esset debita
Christo naturaliter, esset tamẽ illi debita, quatenùs Chris
tus ordinabatur ad supernaturalem finem redemptio-
nis, & primũ fidei magistrũ. Ad secundã obiectionem 24
Resp. quòd licèt intellectus humanus perficiatur per spe-
cies naturales acquisitas: id tamen solũ est in ordine ad
naturalia, & limitatè, ac deficienter. Per species verò infu
sas perficitur etiã in ordine ad supernaturalia, & perfec-
tissimè, ac vniuersaliter. Et quàuis Aristoteles tãtùm fue
ris loquutus de speciebus acquisitis, & de potentia natu-
rali, eius tamen sententia verũ habet de quacũq; poten-
tia, & quibuscũq; speciebus. Nec D. Tho. suã propositio-
nem limitat ad potentiã naturalem, vel obedientialem,
sed indifferenter loquitur de potentia in cõmuni, & de
vtraq; potentia vera est. Vnde in hoc quòd intellectus hu 25
manus sit in potentia naturali ad intelligibilia natura-
lia, & in potentia obedientiali ad supernaturalia, cũ alte-
ro principio, quòd intellectus Christi humanus debitè
esset perfectus, & in ordine ad naturalia & ad supernatu-
ralia, in primo termino assumptionis, quo tẽpore nullas
acquisitas species habere potuerat, optimè consequitur,
fuisse perfectum speciebus infusis. Ad tertiã obiectio- 26
nem Resp. eodem modo, neq; est necessariũ; obedientia-
lẽ potentiã omninò cõpleri, sed satis esse, quòd cõpleatur
per

per ordinem ad finem vnionis. Itaq; potentia obedien-
tialis intellectus Christi reducta est ad actũ per sciẽtiã
inditã, nõ quò ad omnes actus, quos de potentia Dei ab-
soluta habere posset, sed quò ad illos, quos erat congruũ
27 Christum habere supposita lege, & ordine rerum. Sed
obijcitur cõtra cõclusionem. In Chr̃o fuit scientia beata
perfectissima, per quã cognouit omnia, tã naturalia, quã
supernaturalia, affectiones, & cogitationes cordiũ, vt cõs
tabit quæstione sequente: ergo superfluum est cõstitue-
re in eo aliã scientiã infusam, per quam hæc eadem cog
nosceat. Patet cõsequentia, quia eiusdem de eodem du-
plex scientia nõ est ponenda. Resp. quando duæ cogni-
tiones sunt eiusdem speciei, & rationis, tũc alterã esse su-
perfluã, quando verò sunt diuersarũ rationũ, neutrã esse
28 superfluã. Et quia cognitio infusa Christi est alterius ra-
tionis à cognitione beata, nã diuersus modus cognitio-
nis est scientiæ infusæ, ac scientiæ beatæ: hæc enim per
Diuinam Essentiã tanquam per speciem intelligibilem
contemplatur omnia in Verbo, illa verò per proprias
rerũ species cõtemplatur omnia in proprio genere: ideò
scientia infusa non est superflua, sed manet cum scientia
beata, & secum visionem Dei compatitur, cũ abstrahat
ab obscuro, & euidenti.
29 Ex responsione ad secundũ, in qua docet D. Thom. ac-
quisita semel scientia remanere posse cognitionem ac-
quisitã per syllogismũ Dialecticũ, colligunt quidã, scien-
tiã & opinionẽ posse esse simul in eodem subiecto circa
idem obiectũ. Sed hæc collectio expresse est cõtra Arist.
1. Poster. tex. 44 c. 26. vbi ait, quod nõ cõtingit, idẽ simul
scire & opinari, & quod scientia, & opinio nequeunt esse
de eodem, magis quàm opinio vera vel falsa. Est simili-
ter cõtra D. Tho. 1. 2. q. 67. art. 3. vbi eãdem repugnantiã
assignat inter opinionem & scientiã, quã inter fidem &
scientiã; sed hæ nullo modo possunt esse simul in eo-
30 dem subiecto circa idem obiectum, ergo neq. illa. Vnde
dicendũ est cõsentaneè ad doctrinã Aristotel. & D. Tho.
in vno & eodem subiecto respectu vnius & eiusdem ob-
iecti nõ posse esse simul scientiã, & opinionem neq; se-
cũdum actũ, neq; secũdum habitũ. Ratio primi est, quia
pugnãt ex parte subiecti, cùm scientia sit clara & euidens
cognitio intellectus, opinio verò sit obscura & ineuidẽs
eiusdem, ergo simul esse nõ possunt in eodem respectu
eiusdem. Item quia darentur duæ contradictoriæ simul
veræ, nã euidens cognitio eiusdem obiecti, & non eui-
dens cognitio cõtradicunt, & essent simul veræ, si scien-
tia & opinio essent simul de eodem obiecto, nã opinio
est ineuidens cognitio, & scientia euidens. Nõ ergo pos-
31 sunt esse simul quò ad actũ. Ratio secũdi est, quia ra-
tio, quę est actus ad actũ, eadem est habitus ad habitum:
sed actus scientiæ, & opinionis nequeũt esse simul in eo-
dem subiecto respectu eiusdem obiecti; ergo neq; habi-
tus simul esse poterũt. Secũdò: nã quæ pugnant ex parte
subiecti, nõ possunt esse simul in illo, sed habitus scien-
tiæ, & opinionis contrariãtur ex parte subiecti: ergo in
32 illo simul esse nõ possunt. Ad locũ D. Thom. resp. nõ est
docere, quòd acquisita sciẽtia, remaneat opinio, sed cog-
nitio per syllogismũ Dialecticũ cõparata, ita vt illa cog-
nitio, quæ anteà erat opinio, nõ maneat in ratione opi-
nionis, sed in ratione cognitionis. Vnde cũ in hac cog-
nitione duo reperiãtur, & cognitio obiecti, quæ est sibi
cũ scientia cõmunis, & ineuidentia, ac formido, in qui-
bus à scientia differt, adueniente scientia remanet cogni-
tio, quia in hoc nõ pugnat cum illa, & hoc est, quod D.
Tho. docet. At formido & ineuidentia nõ remanent, sed
cõtinuò à certitudine & claritate scientiæ tanquã à cõ-
trario destruũtur. Sic respõdet Caiet. & explicat D. Tho.
Sed cõtra solutionem replicatur Nõ est minus de ra- 33
tione opinionis formido, quàm de ratione fidei obscu-
ritas, sed adueniente clara visione & scientia nõ remanet
cognitio, quæ erat fidei, etiã in ratione cognitionis, &
quo ad substantiã, sed omninò destruitur, & euacuatur
habitus fidei, ergo acquisita scientia per demõstrationẽ,
non potest remanere cognitio acquisita per syllogismũ
Dialecticũ, etiã in ratione cognitionis, & quò ad substã-
tiã. Resp. negãdo maiorem, quia formido nõ est de in- 34
trinseca ratione opinionis ex parte subiecti, sicut est obs
curitas de ratione fidei, cuius obiectũ est nõ visum, inclu
dens necessariò hãc cõditionem: obiectũ autem opinio-
nis nõ est, nõ certò cognitũ, sed probabile, & ideò ablata
formidine per demonstrationem, corrumpitur quidem
opinio in ratione opinionis, non tamen in ratione cog
nitionis, quæ cognitio in sua ratione non includit for-
midinem. Sed hæc presius discutere, non est huius loci.
Legendi sunt Dialectici 1. Posteriorum cap. 26.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm Christus habuerit aliquã scientiã acquisitã.

Conclusio D. Thomæ est affirmans: quã probat duplici ratione. Prima, quia Christus assumpsit omnia, quæ Deus in natura humana plantauit, vt ait Damascenus; sed inter ista est intellectus agens, cu-
ius est facere res aptas, vt cognoscantur; ergo ne talis po-
tentia esset frustrà, debuit facere species intelligibiles ac-
tu, ex quarum receptione ab intellectu possibili est pro-
ducta scientia non solùm ex parte recipientis, sed etiam
agentis. Minor est Arist. 3. de Anima tex. 18. vbi dicitur,
quòd intellectus agens est, quo est omnia facere. Conse-
quentia verò patet ex Arist. 1. de cælo textu 32. dicente,
Deũ & naturã nihil facere frustrà, frustrà autẽ est, quod
non habet propriã operationem. Cùm igitur operatio
intellectus agentis sit facere species intelligibiles actu, ex
à phãtasmatibus abstrahendo, si huiusmodi operatio illi
defuisset, frustrà esset intellectus agens. Secũda ratio est.
In Christo ponitur scientia infusa secundùm lumen in-
fusum, qui modus est proportionatus naturæ Angelicæ:
ergo debuit poni scientia secundùm lumen connaturale
intellectui agenti. Sed huiusmodi scientia est acquisita,
quã quidam experimentalem vocant, ergo. Est primũ
argumentũ D. Tho. Christus nõ vacauit studio literarũ,
quo scientia solet cõparari, & ideò mirabantur Iudæi,
quomodò hic literas scit, cũ nõ didicerit; ergo nullam
acquisiuit scientiã. Distinguit D. Thom. consequens: du-
plex enim est modus acquirendi scientiã, scilicet, per in-
uentionem, & per disciplinã. Christus autem acquisiuit
scientiã per inuentionem, qui modus est præcipuus, non
verò per disciplinam, quia datus erat doctor hominũ, &
ideò ab alijs doceri nõ debuit. Secundũ argumentũ est.
Intellectus animæ Christi fuit perfectus speciebus intelli
gibilibus infusis; ergo non potuit perfici alijs speciebus
denuò acquisitis. Patet cõsequentia, quia quod plenè per-
fectũ est, nequit ampliùs perfici. Respõdet, intellectũ ani-
mæ Christi, vt dicit respectũ ad inferiora, fuisse perfec-
tũ per scientiã inditã, & vt sic nihil posse illi superaddi.

Digitized by Google

Vt verò dicit respectiuè ad inferiora, & ad phãtasmata, quæ sunt apta monere intellectũ per actionem & virtutem intellectus agentis, debuit perfici & impleri scientia acquisita... Tertiũ argumẽtũ est. Duo habitus eiusdem speciei nõ possunt esse simul in eodem, sed habitus scientiæ inditæ, qui fuit in Christo est eiusdem speciei cũ habitu scientiæ acquisitæ, ergo simul esse nequit cum illo, atq; adeò nõ fuit in Christo scientia acquisita. Negat D. Tho. minorem, habitus enim acquisitus & infusus differũt specie, quia ille acquiritur per cõoperationem intellectus ad phãtasmata, vnde secundùm eandem rationem nequit alius habitus iterùm acquiri. Habitus verò scientiæ infusæ, est alterius rationis, vt pote à superiori descendens in animam non secundùm proportionem phantasmatum, & ideò vtriusq; habitus nõ est eadem ratio.

Commentarius.

1 PRO intelligentia conclusionis, quæ omnibus Theologis nõ est recepta, aduertendũ est, scientiã acquisitã interdũ sumi pro singularium cognitione, siue sensitiua, siue intellectiua, quæ non est propriè scientia, sed euidens quædam noticia, & experientia, estq; iudiciũ singulariũ ex pluribus actibus acquisitũ: interdũ verò sumitur pro habitu quodã vniuersali demonstratiuo, viribus nostri intellectus acquisito: & dicitur scientia experimentalis, nõ quia sit ipsa experientia, sed quia 2 experientia acquiritur, & sensum adminiculo per species à rebus singularibus abstractas. Secũdò aduertendũ est, scientiã acquisitam hoc posteriori modo, quæ à Metaphysicis dicitur scientia per se acquisita, quia ex sua ratione & natura vires naturales intellectus humani nõ trãscendit, dupliciter cõparari posse, & per infusionem, & tunc dicitur infusa per accidens, quia nõ est proprius modus, quo habetur, & talis fuit scientia naturalis infusa primo parenti. Et similiter per actualem acquisitionem experientiæ, qui est proprius modus, quo habetur, & 3 propterea dicitur acquisita per se. Conclusio ergo D. Thom. si intelligatur de scientia acquisita priori modo, est dogma fidei. Cõstat enim secũdùm fidem, Christum habuisse rerũ singulariũ experientiã, seu cardi certũ iudiciũ experimentale, & secũdùm sensum, & secũdùm intellectũ, cùm per sensus multa fuerit expertus, & huiusmodi iudiciũ sit cõnaturale, & omninò inseparabile ab homine habente vsum rationis, & actualiter intelligente ex sensuũ cognitione, quæ Christo negari non potest, cùm sensu tactus multa pro nobis fuerit perpessus, & similiter sensu gustus, & de ipso dicatur apud Isaiã. *Butyrũ & mel comedet, vt sciat reprobare malũ, & eligere bonũ.* Vbi sermo est de iudicio experimentali. Item Christus sensit calorem, frigus, & dolores, & verè lignores nostros ipse tulit. Isaiæ 53. ergo in eo fuit experimentalis cognitio singulariũ. Et de hoc experimentali iudicio & cognitione loquitur D. Paulus ad Hebræos 5. cũ de Christo dicit. *Didicit ex his, quæ passus est, obedien-4 tiã.* Vbi Glossa explicat. *Expertus est.* In hoc igitur sensu ista D. Thomæ cõclusio est recepta omnibus Theologis, sed tota cõtrouersia est de scientia acquisita posteriori modo, pro habitu demõstratiuo, vniuersali, acquisito per se. An fuerit in Christo, in quo dissentiũt à D. Tho. Scotus in 3. d. 14. q. 3. & Durandus ibidem q. 4. vbi negãt fuisse in Christo habitũ scientiæ acquisitæ, sed tantũ scientiã infusam eiusdem rationis, & speciei cum scientia nostra acquisita. Probat Scotus suã sententiam.

5 Primò. Scientia infusa animæ Christi nõ differt specie à scientia nostra acquisita: sed duo accidentia eiusdem speciei nequeunt esse simul in eodem subiecto; ergo in Christo præter scientiã infusam nulla est scientia acquisita. Cõsequentia cum minori patet, & maior probatur. Scientia Christo infusa, & nostra acquisita habent idem obiectũ, cùm vtraq; versetur circa res naturales, & tantùm differũt ex parte causæ efficientis, sicut homo creatus, & homo genitus, & oculi per naturam producti, & per miraculũ cæco restituti; ergo sunt eiusdem speciei.

6 Secundò. Etiã si in Christo nõ ponatur scientia acquisita, adhùc intellectus agens nõ esset otiosus, nec careret propria operatione, ergo non rectè colligit D. Thomas esse in Christo scientiã acquisitã, ex eo quòd intellectus agens nõ debet esse in illo otiosus. Probatur antecedens. Licèt intellectus agens careret in Christo illa operatione, quæ est species à phantasmatibus abstrahere, haberet tamen eã operationem, quæ est facere euidentiam primorũ principiorum, atq; ergo nõ esset otiosus. 7 Tertiò probat Durãdus. In eo qui habet habitũ scientiæ, per ea, quæ à sensu accipit, nõ acquiritur nouus habitus scientiæ eorum, quæ priùs sciuit: sed Christus habuit habitũ scientiæ infusæ, per quã cognouit, quidquid naturaliter est cognoscibile. ergo. Maior probatur. Quia duæ formæ eiusdem rationis, & speciei in eodem subiecto simul esse nõ possunt, sed scientia infusa rerũ naturaliũ, & acquisita earũdem rerũ sunt eiusdem speciei, solo numero distinctæ: ergo posita vna in Chr͂o, nempe, infusa, nõ potest poni acquisita. Probatur hæc minor, scil. quòd sint eiusdem speciei. Scientia indita V. G. Philosophiæ, & scientia acquisita Philosophiæ habent idem obiectũ in ratione scibilis: ergo sunt eiusdem speciei. 8 Quartò probat Durandus, quia incõueniens est dicere, Christum accepisse scientiã ab aliquo homine, cùm fuerit datus hominibus Doctor, & Magister, iuxta illud *Rex noster, & Legifer noster.* Ergo similiter est incõueniens asserere, Christũ accepisse aliquam scientiam à rebus, tunc enim Christus veluti disceret à rebus, & scientia eius ab ipsis penderet: quod quidem maximè verũ est, tenendo, Doctorem & Magistrũ nihil aliud facere erga discipulũ, quàm illi obiectũ scibile proponere. 9 Quintò probat Durandus: quia scientia acquisita, si poneretur in Christo, esset valdè imperfecta, nã per experientiã acquiritur scientia ex hoc, quòd sensibilia fiunt præsentia sensibus, sensibus autẽ Christi pauca sensibilia facta sunt præsentia respectu eorũ, quæ non vidit. 10 Cõfirmatur, quia per scientiã infusam perfectissimè cognouit Christus omnia naturalia, nõ solũ veluti in causa, sed etiã in seipsis, & in suo genere; ergo frustrà ponitur alia scientia acquisita in Christo ad eadem naturalia cognoscenda.

11 Nihilominùs cõclusio D. Thom. intellecta de habitu scientiæ acquisitæ per se ad cognitionem omniũ naturaliũ, est verissima & verissima, quã amplectũtur omnes discipuli eius, & subtilissimè explicat Caiet. in cõmentario huius articuli. & probatur ratione. Humana Christi voluntas fuit perfecta non solũ virtutibus supernaturalibus, sed etiam naturalibus, non tantùm infusis, verùm etiam acquisitis; ergo similiter intellectus humanus eius. 12 Secundò. Consummata perfectio intellectus est Christo connaturalis; sed tunc consummatè est perfectus intellectus, quãdo non solũ habet scientiã beatam, & infusam,

infusam, sed etiã acquisitã, tũc enim nõ est actu perfectibilis: ergo intellectus Chri fuit perfectus scientia acquisita. Tertiò. Huiusmodi scientia nõ dicit oppositione cũ scientia infusa, quia nihil imperfectionis importat illi repugnãs, & est perfectio proportionata humano intellectui; ergo
13 Chro nõ est denegãdã. Cõfirmatur. Intellectus Chri, si cõsideretur præcisè cũ scientia indita & infusã ex suo genere, etsi dici posset plenus veritatis, erat tamẽ tãquã tabula rasa in ordine ad scientias, & species naturales acquisitas, quoniã in isto ordine nõ erat actuatus, ergo vt actuetur, debuit habere scientiã acquisitã, nã potentia ad actũ non reducta est imperfecta, quod de potentia Chri intellectiua affirmari
14 nõ potest. Dices, in intellectu Chri fuisse scientiã infusam, quæ vicem acquisitæ supplebat, ac proinde, etiã si scientia acquisita careret, nõ fuisset imperfectus. Cõtra est. Etsi beati in Verbo multas veritates naturales intueatur, adhuc ponũtur in eis scientiæ naturales, quibus easdem veritates extra Verbũ, & in suo genere cognoscãt, vt intellectus beati vndequaq; sit perfectus; ergo idem dicẽdũ est de intellectu
15 Chri. Item, quia si Chro defuissent scientiæ, & species acquisitæ, intellectus agens illius esset otiosus & frustrã, nã cessaret à sua actione principali, quæ est abstrahere species à phãtasmatibus. Et tandem, quia intellectus Angelicus præter scientiã supernaturalem infusam, habet scientiã debitã suæ naturæ; ergo similiter intellectus Chri humanus præter scientiã infusam supernaturalẽ habuit scientiã debitã suæ naturæ humanæ, quæ quidẽ est scientia per se acquisita.
16 Pro solutione argumẽtorũ Scoti, & Durãdi, aduertendũ est, scientiã ex natura sua infusam distingui specie à scientia acquisita ex suo genere, nã infusum per se, & acquisitũ per se ad distinctos ordines rerũ spectãt, & ad distinctas species, vt late probat D. Tho. 1. 2. q. 63. art. 3. & 4. Quæ autem sit differentia inter istas scientias infusas per se, & acquisitas per se, potest ex D. Tho. deduci in præsenti articulo, maximè ex respõsionibus ad argumenta, ex quibus triplex discrimen colligitur. Primũ desumitur secũdũ causas efficientes, nã scientia infusa habet à solo Deo infundi, sed acquisita per se à causa inferiori habet produci, nempe, à phantas-
17 matibus medio lumine intellectus agentis. Hinc emanat secũdũ discrimen, quòd scientiæ per se infusæ generatio, & origo est infusio, nec aliter potest incipere esse: origo autẽ scientiæ acquisitæ est acquisitio naturalis, etsi interdũ per accidens infundatur à Deo. Tertia differentia intimior & essentialior est penes obiecta, nã scientia per se acquisita est proportionata & cõmensurata obiecto, vt relucet in phantasmate: scientia autem infusa superexcedit proportionem phãtasmatũ, estq. obiecto excelleriori proportionata, quã sit obiectũ phãtasmatũ: nã obiectũ scientiæ acquisitæ est
18 quidditas vel materialis à singularibus abstracta, & inde prouenit quod huiusmodi scientia nõ se extendat ad singularia, neq; à priori attingat substantias intellectuales, quia species acquisitæ, & ex phãtasmatibus abstractæ nõ repræsentãt singulare, sed vniuersale: at obiectũ scientiæ infusæ est quidditas rei, nõ abstracta à singularibus, quia species infusæ nõ solũ substãtiã, sed etiã illius accidentia, nõ tantum quidditatem vniuersalem, sed etiã ipsa singularia cũ omnibus suis proprietatibus indiuiduis repræsentant, ac proinde extendit se hæc scientia ad cognoscẽdas immateriales subs-
19 tãtias. Vnde cõstat, res cognitas per scientiã infusam per se, altiori lumine cognosci, eo, quo rei in phãtasmate cognoscũtur: efficit enim illud lumen, vt obiectũ nõ solum luceat quo ad quidditatem, verũ etiã quo ad proprietates, & indiuiduas cõditiones. At lumen scientiæ infusæ per accidens est proportionatũ phãtasmati, efficit enim, vt obiectũ luceat quoad quidditatem tãtũ abstractã ab indiuiduis cõditionibus. Vnde primo parenti erãt euidentia, quæ per scientiam infusam nouerat, sub illo lumine, quo nobis sunt euidentia, quæ nouimus per scientiã acquisitã. Hoc præmisso:
Ad primũ argumentũ Scoti negatur maior, iam enim ostensum est, scientiã infusam per se, & acquisitã per se differre specie, quia infusa est simpliciter supernaturalis, & ad obiectũ supernaturale se extendit, & vtitur speciebus ordinis Diuini, nihil autem horũ habet scientia acquisita. Verũ est tamen, quòd scientia acquisita Chri est eiusdem speciei cũ acquisita nostra, eũ vtraq; versetur circa eadem obiecta, & sub eadem ratione formali, & per species acquisitas, quæ tã in Chro, quã in nobis cõmensurãtur, & proportionãtur phãtasmatibus, cũ naturale obiectũ nõ excedant. Ad probationem autem maioris negatur, scientiam infusam Christo differre à scientia nostra acquisita dũtaxat penes causam efficientem extrinsecã, sed differũt ex obiecto, atq; adeò specie. Ad secũdũ Scoti Resp. primò, quòd sicut intellectus agens esset frustrã, si in tota natura nõ haberet suã principalem operationem, quæ est, species à phantasmatibus abstrahere, quamuis alias operationes haberet, quia principalis operatio est finis potentiæ, ac reliquarum operationũ, nã desit principaliũ, illud autem dicitur frustrã, quod suũ finem nõ cõsequitur: ita similiter esset frustrã in in Chro, si suã operationem principalem nõ haberet; quia tota natura erat reparanda, & ad perfectum reducenda per Christũ. Secũdò Resp. D. Tho. tantum cõtendere per illã rationem, esse in Christo ponendã aliquã scientiã præter inditã, de qua articulo tertio disseruerat, siue illa scientia sit per accidens infusa, siue per acquisitionem habita: quia si in Christo huiusmodi scientia non sit, certè intellectus agens nullã prorsus haberet operationem, neq; primariã, neq; secũdariã, quia intellectus agens neq; facit euidentiã primorũ principiorũ, neq; cõclusionũ, quæ ad scientiam inditã pertinent. Ad tertiũ, quod est Durãdi Resp. eodem modo, quo ad primũ Scoti. Negatur enim scientiã infusã, & per se acquisitã esse eiusdem speciei. Et probationi dicitur, quòd licet scientia Philosophiæ infusa, & acquisita eiusdem habeãt idem obiectũ materialiter cõsideratũ, non tamen formaliter, neq; sub eodem lumine, nã lumen scientiæ infusæ est supernaturale, & Diuini ordinis, lumẽ verò scientiæ acquisitæ est naturale, & ordinis inferioris, sed distincta ratio obiecti est in scientia per se infusa, & in acquisita, nã acquisita scientia, cũ habeat pro obiecto quidditatem à singularibus abstractã, penes maiorem, vel minorem abstractionem distinguitur: scientia verò infusa cùm rem à singularibus abstractã pro obiecto nõ habeat, imò ad singularia se extendat: ideò per huiusmodi abstractiones nõ specificatur. Ad quartũ Resp. scientiã acquisitã Christi dependere à rebus sensibilibus quarũ ad abstractionem speciarũ ab illis: hoc autem nõ est doceri à rebus, imò verò ipse intellectus Christi se determinat ad intelligendũ res. Si verò e doctus fuisset ab aliqua creatura, nõ solũ species ab obiecto per illã propositio acciperet, sed etiã intellectus illius ab illa determinaretur ad intelligendũ, in hoc enim consistit munus Magistri erga discipulũ. Ad quintũ Resp. scientiã acquisitã Christi fuisse perfectissimã, & longè excellentiorem quacũq; alia scientia aliorũ hominũ, nõ enim secundũ illã omnia sciuit Christus per actualem experientiã rerũ omniũ sensibiliũ, sed per propriã inuentionem, ad quã deuenit ex aliquorũ experimento. Sed de hac re copiosius disputabitur q. 12. Ad cõfirmationem Resp. ad perfectionem intellectus

20 21 22 23 24 25 26

intellectus Christi pertinere posse omnia, & omni modo possibili suæ naturæ, vnde scientia acquisita in eo non superfluit, per quã nouit omnia naturalia alio modo, quàm
27 per aliã scientiã cognouisset. Ex dictis cõstat, in Christo Dño præter scientiã beatã, & Inditã, fuisse etiã acquisitam per se. Nomine autem scientiæ acquisitæ intelligitur quæcũq; scientia, siue speculatiua, siue practica, imò verò intelligitur etiã ars mechanica, quæ vt est virtus intellectualis, pertinet etiã ad absolutã perfectionem intellectus, & à sciẽtia nõ multũ distinguitur, nisi in materia factibili. Vnde D. Tho. infra q. 13. art. 1. ad 3. ait, fuisse in Christo scientiã om-
28 niũ factibiliũ. Neq; obstat, quòd ars videtur esse cũ vsu cõiuncta, quia licet ipsa dirigat vsum, nõ tamen ab illo essentialiter dependet, quia tota artis perfectio, quæ ad intellectũ spectat, sine vsu potest haberi. Et ideò licèt in Christo fuit ponendæ artes mechanicæ, nõ tamen earum vsus, nisi forsam artis fabrilis, cuius vsum affirmant quidam habuisse, iuxta illud Marci 6. Nonnè hic est faber &c.

DISPVTATIO VNICA.

1 Omnes Thomistæ cõsentiũt in cõclusione D. Tho. nempe fuisse in Christo scientiã acquisitã per se, dissentiũt verò in explicãdo, An huiusmodi scientia fuerit in Chro Dño infusa per accidens ab instãti suæ cõceptionis, sicut Adæ fuerũt scientiæ infusæ, cùm primum fuit cõditus à Deo, vel potiùs discursu temporis; & rerum sensibiliũ experientia, ac propria inuentione, Chrus eã ac-
2 quisierit absq; hominis magisterio, & doctrina. Quidã negãt, esse in Chro scientiã acquisitã per propriã ipsius acquisitionem; sed scientiã acquisitã ex suo genere per accidens fuisse Christo infusam in primo instãti suæ conceptionis: Vnde duplicem scientiã infusam cõstituũt in Christo, vnã quidem infusam per se, alterius ordinis & rationis à scientia acquisita per se, alteram verò infusam per accidens, quæ ex suo genere est per se acquisita, & eiusdem speciei cũ nostra scientia acquisita. Hãc sententiã tenet Palude in 3. d. 14. q. 2. Suarez q. 12. disp. 30. sectio 2. & alij recentiores: quã sen-
3 tentiã affirmat Medina in hoc articulo esse satis probabilem. Et probatur primò. Anima Christi ab instãti suæ cõceptionis fuit perfecta quoad omnes suas potentias; sed sciẽtia acquisita est quædã perfectio intellectus humani; ergo habuit istã scientiã ab instãti suæ cõceptionis per infusionem à Deo. Cõfirmatur. Melius est animæ Christi habere scientias acquisitas in actu, quàm in potencia; ergo anima Christi habuit scientiã acquisitã in actu à primo suæ conceptionis instãti per infusionem. Consequentia patet, nam Christo tribuendũ est, quod est melius & optimũ. Antecedens verò probatur, quia melior est actus, quàm potentia,
4 vt est sententia omniũ Philosophorũ. Secũdò. Primo parenti in sui productione fuerũt infusæ omnes scientiæ ex suo genere acquisitæ; ergo similiter Christo in suæ cõceptione fuerũt infusæ omnes scientiæ naturales. Cõsequentia probatur, quia sicut Adã datus est Doctor humani generis,
5 sic etiã ac multò meliùs Christus. Tertiò. Christo fuerũt infusæ in sua cõceptione omnes virtutes morales acquisitæ ex suo genere, ergo etiã omnes virtutes intellectuales ex suo genere acquisitæ. Cõsequentia probatur: quia virtutes intellectuales præstãtiores sunt virtutibus moralibus simpliciter loquendo, vt docet D. Tho. 1. 2. q. 66. art. 3. ergo si fuerũt collatæ sunt animæ Christi in sua cõceptione virtutes morales per infusionem, nè careret illa perfectione, à fortiori fuerũt illi per accidens infusæ virtutes intellectuales.
6 Cõfirmatur. In vtriusq; virtutis tam moralis quàm intellectualis acquisitione mouet se, qui eã acquirit: sed Christus dicitur habere per acquisitionem virtutes intellectuales, vt habeat hanc perfectionem, quæ est se in illarũ acquisitione mouere; ergo eadem ratione deberet habere virtutes morales per acquisitionem. Quòd si hæc ratio nõ sufficit, vt dicatur, virtutes morales esse in Christo per acquisitionẽ, sic etiã neq; sufficit in intellectualibus ad id asserendũ.
Quartò: quia etiã si in Christo sit scientia acquisita per 7
infusionem, adhuc intellectus agens nõ esset otiosus, nam vsus scientiæ acquisitæ, quãuis sit per accidens infusa, exigit necessariò operationem intellectus agentis, cùm vsus illius sit per cõuersionem ad phãtasmata: ergo ex otio intellectus agentis nõ infertur necessario in Christo esse sciẽtiã acquisitã per acquisitionem. Hæc sunt argumenta Paludani. Quinto probatur ex M. Suarez. Anima Christi in 8
statu viæ potuit seipsam propria cognitione naturali per propriã substãtiã cognoscere; ergo à primo instãti suæ creationis hoc potuit. Patet cõsequentia, quia cùm in ea cognitione nõ penderet à corpore, ætas, aut organorũ dispositio nihil ad eã referebat; ergo ab eodem primo instãti habuit hãc cognitionem, seu scientiã. Substantia enim spiritualis potens se cognoscere, & non impedita, actu se intuetur, & cõsiderat naturali cognitione. Et simili ferè argumento probatur: ab eodem instãti habuisse species infusas ad cognoscendas substãtias Angelicas, eiusdem rationis & speciei cũ illis, quæ veluti naturaliter infundũtur alijs animabus, cũ separãtur à corporibus. Cõfirmatur. Primò. Scientiæ 9
per se acquisitæ infusio, licèt nõ debeatur naturæ humanæ secũdùm se, debetur tamen ratione vnionis, naturę assumptæ, nã dignitas Personæ assumentis exigit, vt natura assũpta sit omninò perfecta nõ solùm supernaturali, sed etiã naturali perfectione, præsertim intellectus, quæ est principalis potentia talis naturæ: carentia autem huius perfectionis ad tẽpus nõ fuit necessaria ad finẽ redemptionis; ergo.
Dices fuisse necessariã propter maiorem perfectionem 10
illius animæ, nempe, vt per se ipsam talem scientiã acquireret. Cõtra: quia melius est nũquã carere aliqua perfectione, etiã si à solo Deo percipienda, quàm ea carere aliquo tempore, vt per proprios actus cõparetur, quia hoc nullã ferè perfectionem addit, vt in simili dixit D. Tho. infra q. 19. art. 3. Cõfirmatur secũdò. Si Christus assumpsisset huma- 11
nã naturã in statu per se debito vnioni sine defectibus, quos propter nostrã redemptionem in corpore assumpsit, sine dubio assumpsisset illã perfectã hãc scientia, sicut reliquis perfectionibus; ergo nũc de facto ita eã assumpsit cũ hac perfectione, cũ carentia huius scientiæ neq; sit necessariò cõiuncta cũ corpore passibili, neq; per se cõferat ad finem redemptionis. Sextò. Christus habuit virtutes morales or- 12
dinis naturalis infusas, & perfectas; ergo habuit prudentiã, quæ est reliquarũ virtutũ auriga. Sed cognitio perfecta, cũ cõsistat in practica cognitione, supponit perfectã cognitionem speculatiuã, nõ tãtùm primorũ principiorũ, sed etiã vniuersaliũ conclusionũ, à quibus iudiciũ in singulis euentibus pendet; ergo habuit moralem scientiã horũ omniũ. Ergo etiã habuit cæteras scientias: quia vna scientia non potest sine alijs esse omninò perfecta, cũ omnes sint veluti cõnexæ, sicut virtutes. Confirmatur. Christus à principio 13
potuit habere vsum rationis nũ solũ in actibus supernaturalibus, sed etiam in naturalibus; ergo ad talem vsum fuit perfectè dispositus per habitus scientiarũ naturaliũ. Aliqui 14
recẽtiores quasi volentes cõciliare sententiã præcedentem cũ opinione D. Thom. quæ eidem est prorsus opposita, vt constat ex conclusione huius articuli, media via incedunt, asserentes

afferentes ad ſcientiā cōcurrere duo. Vnū eſt collectio ſpe-
cierū, & ipſarū ordinatio; alterū verò eſt habilitas ex parte
intellectus, & prōptitudo ad iudicandū de obiectis talium
ſpecierū: in qua habilitate cōſiſtit ratio formalis ſcientiæ,
quæ quidem ſcientia ſuū actū habere nō poteſt, niſi in in-
15 tellectu præſupponātur ſpecies. Hoc ergo ſuppoſito dicūt,
Chriſto Dño ab inſtāti ſuæ cōceptionis fuiſſe per accidens
infuſam illā habilitatem, & prōptitudinem ad iudicādum
de obiectis: ſpecies verò requiſitas neceſſariò ad vſum talis
ſcientiæ nō fuiſſe infuſas Chriſto, neq; etiam per accidens,
ſed cōparatas & acquiſitas fuiſſe à Chriſto miniſterio intel
lectus agentis, vt optimè probat D. Tho. cuius rei exempla
16 ſunt in Chriſto, & in nobis etiā. nā Chriſtus ab inſtāti ſuæ
cōceptionis habuit infuſam per accidens prudentiā natu-
ralem, vſum tamen illius prudentiæ non habuit, donec
acquiſiuit ſpecies naturales, quia medijs ſpeciebus infuſis
vſum talis prudentiæ habere non potuit, cū eſſent illis im-
proportionatæ. Similiter etiā nobis eſt à natura cōgenita
habilitas, & prōptitudo ad iudicādū de primis principijs,
actuale tamen iudiciū reſpectu illorū habere nō poſſumus
17 niſi per ſpecies acquiſitas. Poteſt hæc ſententia probari eiſ-
dem argumentis, quibus præcedens. Et præterea probatur,
quia eſſet imperfectio in Chriſto carentia per aliquod tem
pus huius ſcientiæ, ad quā eſt in potentia naturali: in Chrō
autem nulla imperfectio eſt ponenda. Secūdò Ideò nega-
tur, Chriſtū meruiſſe ſuā beatitudinē, quia licèt ſit aliqua
perfectio habere beatitudinem ex meritis, ex alia tamen
18 parte eſt multò maior imperfectio carentia illius, vt oſten
detur infra q. 19. ergo licet eſſet aliqua perfectio; quòd
Chriſtus per ſeipſum acquireret talem ſcientiā, quia tamen
ex alia parte eſt imperfectio carentia illius, neceſſariò di-
cendū eſt, ei fuiſſe per accidens infuſam ab inſtāti ſuæ cō-
19 ceptionis. Hæc ſententia eſt probabilis, & illi videtur fa
uere D. Tho. qui ſolùm loqui videtur de actione intellec-
tus agentis in denudatione ſpecierū. Nihilominùs tā hæc,
quā præcedens eſt cōtraria D. Tho. expreſſè affirmanti in
hoc articulo, in Chriſto Dño eſſe ponendā ſcientiā huma-
nā acquiſitā, nō ſolùm ex parte ſubiecti, ſed etiam ex parte
cauſæ agentis: at iuxta iſtā ſecundā opinionem falſum eſt,
Chriſtū Dominū habuiſſe ſcientiā acquiſitā humano mo-
do ex parte cauſæ agentis. Vnde pro deciſione veritatis ſit
20 hæc cōcluſio. Scientia per ſe acquiſita, quæ ponitur in
Chriſto Dño, nō fuit illi infuſa per accidens, ſed cōparata
per acquiſitionem proprij intellectus, nempe, per inuentio
nem luminis naturalis intellectus humani. Hæc aſſertio
eſt expreſſa ſententia D. Tho. in hoc articulo, qui etſi po-
tiſſimū definire intendat, fuiſſe in Chriſto ſcientiam per ſe
acquiſitā, ſicut in præcedente articulo determinauit fuiſſe
in eo ſcientiā per ſe infuſam, in reſpōſione tamē ad 2. & 3.
21 huius articuli, vt rectè obſeruauit Caietanus, definit mo-
dū, quo huiuſmodi ſcientia fuerit in Chriſto, dicens illam
habuiſſe per inuentionem proprij intellectus. Et in argu-
mento ſed cōtra probat ſuā cōcluſionem ex illo ad Hebr. 5.
5. *Didicit ex his quæ paſſus eſt obedientiā.* Didiciſſe
autem manifeſtè importat actu acquiſiuiſſe. Patet etiā ex
ſolutione ad primū, vbi expreſſè docet D. Tho. cùm op-
timus modus habendi ſcientiā acquiſitā ſit per inuentio-
nem, iſtū eſſe Chrō Dño tribuendū. Sed probatur ratione.
22 Chriſtus habuit experientiam ſenſus, & intellectus, vt
oſtenſum eſt ſupra: ſed per experientiā cōparatur ſcientia,
vt tradit Philoſophus 1. Methap. cap. 1. vbi inquit, ex mul-
tis experimentis colligi vnum vniuerſale principiū ex quo
diſcurſu quodam cognoſcuntur rerum proprietates: ergo.

Item perfectior eſt modus cōparādi ſcientiā humanam 23
per propriā acquiſitionem, & induſtriā, quàm per infuſio-
nem: ſed Chriſto ſemper tribuendū eſt quod eſt perfectius;
ergo illi tribuenda eſt ſcientia per acquiſitionem cōparata
ex vi proprij ingenij, & nō per infuſionem. Cōſequentia cū
minori eſt euidens, maior verò probatur, quia modus per
ſe cōparandi ſcientiā humanā eſt per propriā induſtriā, &
acquiſitionē, infuſio verò eſt modus per accidens; ſed pro-
ductio & generatio per ſe præſtat productioni per acci-
dens: ergo. Rurſus. Perfectius eſt mouere ſe ab intrinſeco 24
ad formā, quàm eā ab extrinſeco habere; ſed qui comparat
ſcientiam per propriā acquiſitionem, & induſtriam, ex vi
proprij ingenij, mouet ſe ab intrinſeco, qui verò eā per in-
fuſionem comparat, mouetur ab extrinſeco, ergo Chriſtus
habuit ſcientiā acquiſitam ex vi intellectus humani, & nō
per infuſionem. Præterea. Chriſto Dño non ſolùm ſunt
tribuendæ omnes ſcientiæ, ſed etiā omnes ſcientiarū mo- 25
di; ergo Chriſtus habuit ſcientiā beatā ad modū ſcientiæ
beatorū, ſcientiā inditā ad modū ſcientiæ inditæ, & ſcien-
tiā acquiſitā modo acquiſito: ita vt quod per ſe acquiſibi-
le erat, vt phātaſmata, ſpecies, & ſcientia acquiſita, per ſe ac-
quireret. Quod autem per ſe infuſibile erat (vt ita dicam)
haberet per infuſionem. Antecedens probatur: quia maior
perfectio eſt habere ſcientias, & omnes ſcientiarū modos
ſecūdū proprietatem cuiuſcūq; ſcientiæ, quā habere ſcien-
tias vnico, vel duobus modis. Ex quo efficitur, ſimpliciter 26
loquendo, melius eſſe & perfectius, habere ſcientiā cōpara
tā per acquiſitionem, qui eſt modus cōnaturalis, & pro-
portionatus humano intellectui, quàm per infuſionem.
Vnde quādo alicui infunditur ſcientia per ſe acquiſita, ex
eo maximè fit, quia ordinatur in aliquem finem, ad quem
indiget ſcientia naturali, quā proprijs viribus acquirere nō
poteſt propter luminis naturalis debilitatem. Quod cū de
Chriſto dici nō poſſit, cuius naturale lumen vndequaque
perfectiſſimū fuit, neceſſariū non fuit, neq; conueniens, vt
ſciētia ſibi infunderetur. Ad primū argumentū Paludani 27
Reſp. quòd cū multò perfectius ſit habere ſcientiā acquiſi-
tā per inuentionem, quā per infuſionem, vt hæc perfectio
nō defuiſſet animæ Chriſti, cōueniens fuit, vt à principio
cōceptionis ſcientias acquiſitas per infuſionem non habe-
ret. Et quidem carentia harū ſcientiarū per aliquod breue
tempus cōpenſatur per illā maximā perfectionem, quæ eſt
habere has ſcientias ex vi proprij intellectus. Neq; ex hoc 28
ſequitur, fuiſſe in Chriſto aliquā ignorantiā, vel poſitiuā,
vt errorem, vel priuatiuā, hoc eſt, carentiā alicuius cogni-
tionis, quæ illi in tali ſtatu ineſſe deberet, quia ſingulis tem-
poribus, & ætatibus omnia ſciuit, quæ pro illo tempore,
vel ætate ſcire naturaliter poterat, & debebat: Etſi in illo
fuerit ignorantia negatiua, id eſt, neſcientia aliquorum,
quia non omni tempore omnia ſciuit, quæ per hanc
ſcientiā ſciri poſſunt. Ad cōfirmationem Reſp. perfec- 29
tius eſſe ſeipſum reducere de potentia ad actum in ſcientia
acquiſita, quàm ſemper fuiſſe in actu per infuſionem ſupe-
rioris agentis. Vnde actus melior eſt potentia, quando cæ-
tera ſunt paria. Si autem Chriſtus haberet ſcientiam acqui
ſitam per infuſionem, nō eſſent cætera paria, tū, quia eſſet
motus ad cōparandā ſcientiā nō a ſe, ſed ab extrinſeco, tū
etiā, quia haberet ſcientiā acquiſitā ſine generatione & pro-
ductione ſibi propria, & cōnaturali. Item actus eſt melior,
quā potentia pro eo tempore, quo ipſi naturæ talis actus
debetur. Verùm in hoc nō ſolùm eſt attendenda ſubſtantia
actus, ſed modus habendi ipſum actū. Eſt autem perfectior
modus illum ex proprijs habere, quam ab extrinſeco.

Ad

a

30 Ad secundũ negatur cõsequentia, quia Adam datus est Doctor toti generi humano in naturalibus, & ideò oportuit, vt à principio suæ productionis haberet omnes scientias naturales per infusionem, sicut oportuit, vt continuò esset perfectus homo quãtùm ad corporis quãtitatem, & dispositionem. At verò Christus datus fuit Doctor mysteriorum gratiæ, nõ scientiarũ naturaliũ, & ideò oportuit, vt statim haberet scientiã inditã mysteriorũ gratiæ, non tamen scientiã acquisitã rerũ naturaliũ, sicut neq; perfectã corporis quãtitatem.
31 Ad tertiũ negatur cõsequentia, quia licèt in ratione specifica, & ex parte obiecti virtutes intellectuales sint præstantiores moralibus, in ratione autem generica virtutis præstantiores sunt morales, quia hæ faciũt bonũ habentem simpliciter, intellectuales verò secũdùm quid dũtaxat. Oportebat autem Christũ à principio suæ cõceptionis habere virtutes, quæ habentem bonũ simpliciter faciũt, nõ verò eas, quæ bonũ faciũt secundùm quid. Tũ etiã, quia virtutes morales per se infusæ secũ nõ patiũtur exorbitantes & rebelles passiones, quas passionẽs virtutes per se acquisitæ pacant, ac moderãtur, & ad mediũ reducũt.
32 Oportuit ergo iuxta suauem Dei dispositionem, in Christi appetitu esse virtutes per se acquisitas morales à primo instãti suæ cõceptionis, quæ ipsum appetitũ moderarentur, nõ tamen fuit necesse, vt scientias acquisitas haberet, quia Christi anima per scientia inditã vniuersa cognoscebat, quæ per sciẽtiã acquisitã cognosci possũt. Vnde cùm scientiæ acquisitę habentem nõ faciã simpliciter bonum, neq; illum ordinent ad finem beatitudinis, & Christus Dominus ab instãti suæ cõceptionis debuerit esse in termino bonitatis, & beatitudinis, non fuit necesse eas habere infusas per accidens. Per hoc patet responsio ad cõfirmationem. Ad quartum Resp. quòd etiã data scientia
33 infusa per accidens esset intellectus agens otiosus quãtùm ad principalem operationem, in Christo autem non est ponenda huiusmodi imperfectio, quãuis haberet alias operationes secũdarias.
34 Ad quintũ argumentũ desomptum ex Suarez negatur antecedens, non enim anima Christi secundùm præsentem statũ, quo fuit vnita corpori mortali, potuit seipsam immediatè cognoscere per suã essentiã, & substãtiam, sed indiguit aliqua specie intelligibili, qua mediante se cognosceret. Species autem intelligibilis cõparari nõ potest nisi per conuersionem ad phãtasmata & dependenter à corpore, ac proinde ætas ac dispositio organorũ multum referunt ad talem cognitionem. Vnde con-
35 sequens similiter est falsum. Item falsum est quòd Christo fuerint infusæ species per se acquisibiles ad cognoscendas substantias Angelicas: quia istæ nõ sunt cognoscibiles per species acquisitas, quæ nõ representant singulare, sed vniuersale: ac proinde Christus Dominus per scientiam infusam per se cognouit à priori substancias immateriales, vt ostensum est in obseruatione præmissa ad soluenda argumenta Scoti, & Durandi cõtra conclusionem D. Thomæ.
36 Ad primã confirmationem negatur, infusionem scientiæ per se acquisitæ esse debitam humanitati Christi ratione vnionis. Et ad probationem Resp. ad dignitatem personæ assumentis spectare, vt natura assũpta sit omni ex parte perfecta supernaturali perfectione, & naturali etiã, quæ pro singulis temporibus & ætatibus est sibi debita. Scientia vero acquisita per se non est perfectio naturæ assumptæ, etiam prout vnitæ debita ab instanti suæ assumptionis: ac proinde carentia illius perfectionis ad tempus, etsi ad finem redemptionis non fuerit necessaria, fuit tamen necessaria, vt Christus Dominus eam maximã cõsequeretur perfectionem, quæ est habere scientias ex vi proprij ingenij. Et melius ac præstantius est carere ad tempus aliqua perfectione, vt per proprios actus perfectiùs cõparetur.
Ad secundam confirmationem Resp. similiter negando antecedens, sed tunc acquireret hanc scientiam actione proprij intellectus, propter rationes assignatas. Sed quidquid sit de antecedenti, negatur consequentia, quia cùm hæc scientia cõparari nõ possit nisi per cõuersionem ad phantasmata, necessariò dependet à corpore, ac proinde carentia huius scientię est necessariò coniuncta cũ corpore passibili, quandiu non sunt species per se acquisitæ ex phãtasmatibus abstractæ, quibus scientia ex vi intellectus acquiratur. 37
Ad sextum respondetur concedendo antecedens, & cõsequens. Ad minorem dicitur, cognitionem perfectam supponere in Christo Domino perfectam cognitionem speculatiuam, quæ illi est debita pro singulis temporibus & ætatibus. Atq; adeò supponit in Christo cognitionem speculatiuam per scientiam infusam per se, quia hæc est debita naturæ assumptæ ab instanti suę productionis. Verùm, quia cognitio speculatiua per scientiam acquisitam non est debita naturæ assumptæ à principio, ideò nõ requiritur ad perfectam cognitionem. Falsum est etiã omnes scientias esse cõnexas, sicut virtutes. 38
Ad cõfirmationem Resp. Christum potuisse habere vsum rationis à principio, per scientiam beatam, & infusam, non per acquisitam, quia in tali vsu dependet ab speciebus, species verò acquisitæ non potuerunt esse in Christo ab instanti suæ conceptionis, sed discursu temporis comparatæ sunt. 39
Ad primã rationem secundæ opinionis negatur, carentiã huius scientiæ per aliquod tempus fuisse imperfectionem in Christo; quia hæc scientia nõ erat debita naturæ assumptæ pro illo tempore, & ita nõ fuit defectus in Christo carere illa, sed in hoc potiùs ostendebatur veritas naturæ assumptæ. Præsertim, quòd ex alia parte per eminentiores scientias iã Christus cognouerat ab instanti conceptionis omnia, quæ per scientiã acquisitam cognoscere debuisset. Qua supposita cognitione perfectius erat, vt ipse ad humanæ scientię acquisitionem per se moueretur, & nõ ab alio. 40
Ad secundã rationem negatur cõsequentia, quia Diuinæ visionis carentia nõ poterat suppleri in Christo per aliam maiorem perfectionem, quia in esse cognitionis illa est summa perfectio cõmunicabilis creaturæ, & ita carentia illius esset carentia eximiæ perfectionis ex vi vnionis debitæ Christo. At carentia scientiæ acquisitæ per breuissimum tempus supplebatur ex alijs perfectioribus scientijs, quæ erant in intellectu Christi ab instanti suæ conceptionis, nempe, ex scientia beata & infusa. Neque ista perfectio scientiæ acquisitæ est tanti momenti, neque debita Christo ex vi natiuitatis, nisi secundùm proportionem naturæ, sicut quantitas & perfectio corporis nõ fuit data Christo, neque debita illi à principio natiuitatis, nisi duntaxat secundùm proportionem naturæ. Atque hæc dicta sint de scientia Christi in communi, ad laudem & gloriam ipsius, qui est Deus benedictus in sæcula. 41

FINIS.

Cordubæ. Ex Officina Andreæ Barrera.
Anno. 1602.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google